BIBLIOTHÈQUE NATIONALE
14
17 R
1 H

G 529-537
C. 3
S. D
O. 2
N. 5-9

NAIRNWALL
14

IOANNI CALVINI NOVIODVNENSIS OPERA OMNIA,

IN NOVEM TOMOS DIGESTA

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

IOANNIS CALVINI NOVIODVNENSIS OPERA OMNIA

IN NOVEM TOMOS DISTRIBUTA

Editio omnium noviſſima, ad fidem emendatiſſima, quam accuratiſſime recognita, & Indicibus locupletiſſimis non ſine maximo labore & ſtudio exornata.

Tomorum ſeriem, & quam quiſque complectatur materiam proxima à Præfatione pagina docebit.

AMSTELODAMI,
Apud Viduam JOANNIS JACOBI SCHIPPERI
MDCLXXXI.

LECTO

SALVTEM.

OPus tibi, Lector benevole, exl
& maximum, &, vel ipsa te
dia, præstantissimum. Sed enir
to id majus, quantoque præst
tanto majoribus impensis, & cura maj
opus, ut parem dignitati suæ splendorem,
exspectationi utilitatem hæc editio nosti
staret. Quam ad rem quid opis & operæ, p
typorum elegantiam chartæque nitorem,
tulerimus, paucis ut recognoscas etiam
etiam rogamus. Quicquid uspiam erat me
notæ codicum diligenter conquisivimus, e
ter se contulimus, nævis, qui passim occurrel
expurgavimus, literas, syllabas, voces, ser
ipsum tam accurate (religiose tamen) rest
mus, ut quod desideret vix curiosissimus
reperiat. Quia vero non leve studiorum, &
boris compendium lectori adfertur, si Indi
quam copiose materiam assignant tam fideli
paginas, quibus ea continetur, ostendant; h
in parte, ubi peccatum erat enormiter, lab
nobis, præter adauctas impensas, fuit maximu
quippe cum jam typis ante excusi essent Indice

negligentia ejus qui aliquot Indicibus ordinandis præfectus fuerat animadverſa, ipſam impreſſionem noſtram rejiciendam potius judicavimus, quam ut Lector toties falſis citationibus eluderetur. Hoc non anni unius, non languentis induſtriæ, non cujusvis hominis erat negotium: dum igitur is & prece & pretio conquiritur, dum correctioni iſti operoſiſſimæ incumbitur, &, dum proh dolor! interea qui ſummæ rei præerat maritus meus SCHIPPERVS, Deo ita volente, è medio abit, elapſum eſt, inquam, non exiguum temporis ſpatium. Exſorbuimus tamen, eodem quod afflixerat Divino adjuvante numine, & pietatis bonique publici zelo inſtigante, faſtidia hæc & tædia omnia, & tandem magni hujus Theologi opera quouſque noſter adſpirare potuit labos elimatiſſima in lucem proferimus: tu iis, Lector, fruere, & conatus noſtros humanitate & benevolentia proſequere. Vale.

ELEN-

ELENCHUS
TOTIUS OPERIS.

Tomus I. Continet commentaria in Pentateuchum, & librum Josuæ.

II. Homilias in Samuelem, & conciones in Jobum.

III. Commentaria in Psalmos, & Isaiam.

IV. Prælectiones in Jeremiam, & Ezechielem.

V. Prælectiones in Danielem, & Prophetas majores.

VI. Commentaria in Euangelia, & Acta Apostolorum.

VII. Commentaria in Epistolas Pauli & Canonicas.

VIII. Opuscula Varia Theologica.

IX. Institutiones religionis Christianæ, quibus subjunguntur Epistolæ & responsa ad diversos.

IOANNES CALVINUS NATUS NOVIODUNI PICARDORUM x Iulij A°. 1509 et denatus Genevæ xxvii May A°. 1564 ibidemque sepultus.

Calvinum assidue comitata modestia vivam,
Nec vultu manibus finxerat ipsa suis
Sese à quo gratuit virtutum discere virus:
Roma tuus terror maximus ille fuit.

Siet hier een helder licht een hoogh begaefte Geest:
Vol wetenschap en deucht: de eer van Geneven,
Wiens pluijm nyt een schrick voor Romen is geweest.
En haer verderven Stoel heeft waggelen en Beeven.
Dewijl hy in sijn tijd daer mee te wege bracht,
Meer dan de grootste Vorst met al sijn oorlogs macht.

Iohannes Calvinus is geboren tot Noyon in Picardyen den 10 Iuly 1509 en is inden Heere ontslapen tot Geneven den 27 May 1564 en aldaer begraven.

JOANNIS CALVI

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTA.

IN

LIBROS MOS

ET QUIDEM

In GENESIN *seorsim*,

Reliquis quatuor in formam Harmoniæ digestis:

Cum triplici INDICE, quorum primus, Geneseos; secundus, quatuor libro in formam Harmoniæ dispositorum, res notabiliores; tertius, singulorum Harmoniæ capitum versiculos sparsim explicatos, continet.

NEC NON IN

LIBRUM JOSUÆ,

Cum suo INDICE.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Illustrissimo Principi

HENRICO

Duci Vindocinensi, Regni Navarræ Hæredi,

JOANNES CALVINUS.

QUod hunc meum laborem tibi dicare veritus non sum, illustrissime Princeps, ut sub tuo nomine in lucem exeat, si consilium in eo meum plerique reprehendant, nihil mihi novum vel inopinatum accidet. Objicient enim ex hac inscriptione odium tibi conflari apud improbos, qui jam plus satis tibi infesti sunt. Verum quando in hac tenera ætate, inter varios terrores & minas ea te animi magnitudine Deus instruxit, ut nunquam à sincera & ingenua fidei professione fueris abductus: meo testimonio confirmari quod palam vis omnibus manifestum esse, quid tibi noceat non video. Quando itaque te Euangelii Christi non pudet, justam mihi fiduciæ materiam dare visa est hæc tua libertas, ut tibi gratularer de tam felicibus exordiis, & in posterum ad invictam constantiam hortarer. Nam quod optimis quibusque naturis accidit, ut sint flexibiles, adolescentibus, usquedum magis compositi fuerint, commune est. Quod si quibus displiceat meum studium, modo nobilissimæ Reginæ matri tuæ probetur (quod futurum confido) tam iniqua eorum judicia, quam malignas obtrectationes despicere licebit. ego saltem nihil morabor. Unum forsan parum considerate à me factum est, quod eam non ante consului, nequid nisi ex ejus sententia & voluntate aggrederer: verum hujus quoque rei in promptu est excusatio. Equidem si incuria præteriissem, non imprudentiæ modo, sed temeritatis & arrogantiæ me ipse damnarem. Verum quum prorsus desperassem de tam matura editione, eo quod me typographus in nundinas vernas rejiceret, festinandum certis de causis non putavi. Interea, dum alii vehementius & acrius instant, repente mihi nuntiatur: quod pertinaciter mihi negatum fuerat; posse ante quindecim dies ad finem usque opus perduci. Ita mihi adempta præter spem, neque tamen invito, petendæ veniæ facultas. Tametsi quo propagandæ Christi doctrinæ, puræque fidei & pietatis desiderio flagrat præstantissima Regina, de ejus voluntate non admodum anxie laboro; quin hoc meum officium libenter amplexetur, suoque patrocinio defendat. Quantopere à superstitionibus & corruptelis, quibus fœdata & inquinata fuit religio, aliena sit, minime dissimulat. Ac inter turbulentas agitationes seriis documentis cognitum fuit, plusquam virilem animum in fœmina habitare. Atque utinam viros tandem pudefaciat, ac utilis æmulatio ipsos ad imitationem stimulet. Nam quum sibi adeo modeste temperaret, vix quisquam putasset, plusquam violentos impetus ita placide sustinere, & simul animose repellere. Et intestinis certaminibus quam serio Deus eam exercuerit, pauci sunt testes, in quibus ego unus. Tibi sane, Illustrissime Princeps, melius quærendum non est exemplum, ut te ad solidam virtutum omnium effigiem formes: ad quem scopum ut aspires, contendas, enitaris, singulari modo te obstrictum esse cogita. Nam & heroica quæ in te refulget indoles, si à te ipso degeneres, minus excusationis relinquit: & educatio non vulgare excellentis naturæ subsidium instar est alterius vinculi ad te in officio retinendum. Nam ad castam disciplinam accessit liberalis institutio. Jam, tinctus literarum rudimentis, non abjecisti (ut solent fere omnes) præ fastidio earum studium, sed in excolendo ingenio alacriter adhuc pergis. Quod autem hic liber nomini tuo inscriptus prodit in publicum, perinde valere cupio ac si Deus quasi injecta manu, de integro sibi te vendicet, quod liberius Christi discipulum profitearis. Et certe nullum abs te matri, Reginæ nunquam satis laudatæ, obsequium continget gratius, quam si te majores in pietate assidue progressus facere audiat. Etsi autem ætatis tuæ captum superant multa quæ in hoc libro continentur: non tamen præpostere tibi legendum offero, & quidem ut in attenta ejus lectione sedulo te exerceas. Nam quum adolescentes oblectet rerum veterum cognitio, mox ad eos annos pertinges, in quibus historia tam creationis mundi, quam vetustissimæ Ecclesiæ, non minore cum fructu quam oblectatione te occupet. Et certe si merito pravam hominum socordiam damnat Paulus, quia illustre gloriæ Dei speculum, quod illis in mundi opificio assidue offertur, clausis oculis præterecunt, atque ita injuste supprimunt veritatis lucem: non minus turpis ac pudenda fuit quæ seculis fere omnibus grassata est originis & creationis humani generis ignorantia. Et certe paulo post conditam Babylonem credibile est earum rerum memoriam obsoleviſſe quas assiduo sermone agitari celebrarique decuerat. Nam quum profanis hominibus sua dispersio quædam à puro Dei cultu emancipatio esset: curæ illis non fuit, ad quascunque appellerent terræ plagas, quod de creato & instaurato mundo à patribus audierant, secum deferre. Ita factum est ut nulla gens, exceptis tantum Abrahæ posteris, vel ex quo fonte orta esset ipsa, vel quando cœpisset esse universum hominum genus, duobus continuis annorum millibus sciverit. Nam quod libros Mosis Ptolemæus tandem in Græcam linguam vertendos curavit, laudabile magis quam fructuosum (tunc quidem temporis) fuit ejus studium: quando lumen, quod è tenebris eruere conatus erat, nihilominus hominum incuria suffocatum delituit. Unde colligere promptum est, quid ad

cognoſcendum mundi opificem totos ingenii nervos intendere debuerant, maligna potius impietate hoc captaſſe, ut ſponte cæcutirent. Floruerunt interea liberales doctrinæ, viguerunt præclara ingenia, lucubrationes omnes genus fuerunt editæ: atqui de mundi conditi hiſtoria altum filentium. Quin ſummus philoſophus, qui & acumine & eruditione reliquos omnes antecelluit, mundum æternum eſſe diſputans, quicquid habebat ſolertiæ huc applicuit, ut Deum ſua gloria fraudaret. Quanquam paulo religioſior fuit ejus magiſter Plato, ſeque aliquo uberioris notitiæ guſtu imbutum oſtendit, exigua tamen quæ delibat veritatis principia, tot figmentis corrumpit ac miſcet, ut magis noceat quam profit fictitium illud docendi genus. Qui vero ad ſcribendas hiſtorias ſtudium ſuum contulerunt: homines ingeniоſi & literis expoliti, quum pleno ore jactent ſe ultimæ vetuſtatis fore teſtes, antequam ad Davidis ætatem appellant, multa & turbida fæce perfundunt ſuas lucubrationes: ſupra vero dum conſcendunt, immenſam trahunt mendaciorum colluviem: tantum abeſt ut ad prima mundi exordia ſincero liquidoque narrationis contextu perveniant. Volentes autem neſciſſe quod non procul quærendum erat, ſi modo ad verum diſcendum animos adjicere placuiſſet, claro documento ſunt Ægyptii: quorum præ foribus quum accenſa eſſet verbi Dei lampas, rerum à ſe geſtarum (quindecim ſcilicet ante conditum mundum annorum millibus) putidas fabulas nullo pudore jactarent. Nec minus puerile infulſumque Athenienſium commentum, qui ſe αὐτοχθονας gloriati, quum ſibi disjunctam à reliquo genere humano originem aſſererent, barbaris quoque ipſis ſe fecerunt ridiculos. Quanquam autem omnes plus minus eodem ingratitudinis crimine fuerunt impliciti, eos deligere operæ pretium putavi, quorum eo minus excuſabilis eſt error, quo ſibi inter alios omnes magis ſapere viſi ſunt. Sive autem univerſæ quæ olim fuerunt gentes, velum ſibi data opera obduxerint, ſive illis ſua tantum ignavia obſtiterit: incomparabilis theſauri loco haberi meretur Moſis liber, qui ſaltem creationis mundi indubiam nobis fidem facit: qua ſublata, indigni ſumus quos terra ſuſtineat. Hiſtoriam diluvii, quæ non minus formidabile in humano genere deleto, divinæ ultionis, quam ſuave gratiæ in eodem inſtaurato ſpeculum continet, in præſentia omittam. Una hæc utilitas inæſtimabile libro pretium ſtatuit, quod res apprime cognitu neceſſarias ſolus oſtendit quomodo poſt exitialem hominis lapſum Eccleſiam ſibi Deus adoptaverit: quiſnam fuerit verus ejus cultus, & quibus pietatis officiis ſe exercuerint ſancti Patres: quomodo pura religio, hominum ignavia ad tempus collapſa, quaſi poſtliminio in ſtatum integrum redierit: quando apud certum populum depoſuerit Deus gratuitum æternæ ſalutis fœdus: quomodo ex uno homine & ſterili & caduco, propeque ſemimortuo, & (quemadmodum Jeſaias vocat) ſolitario, paulatim fluxerit exigua ſoboles, quæ repente in multitudinem ingentem excrevit: quam inopinatis modis & extulerit, & tutatus ſit electam à ſe domum, licet inopem omnibus præſidiis nudatam, & ad quoſvis æſtus expoſitam, multiplices hoſtium copiæ undique cingerent. Porro quam neceſſaria ſit harum rerum cognitio, ex ſuo quiſque uſu & experientia judicium faciat. Videmus quam tumultuoſe Papiſtæ fallaci Eccleſiæ titulo ſimplices territent. A Moſe depingitur genuina Eccleſiæ facies, quæ diſcuſſis illis præſtigiis, inanem metum eximat: fucati etiam ſplendoris pomparumque oſtentatione in ſtultam ſui admirationem rapiunt minus perſpicaces, imo hebetant ac dementant. At ſi ad eas notas quibus Eccleſiam deſignat Moſes, oculos convertimus, nihil amplius inanes larvæ ad fallendum habebunt momenti. Sæpe nos conturbat fereque exanimat eorum paucitas qui puram Dei doctrinam ſequuntur: ac præſertim dum cernimus quam longe lateque regnum obtineant ſuperſtitiones. At quemadmodum olim Dei Spiritus per os Jeſaiæ Prophetæ Judæos ad rupem, unde erant exciſi, reſpicere jubebat: ita eodem nunc quoque per Moſen nos revocans, quam perverſum ſit multitudine Eccleſiam metiri, acſi in turba conſiſteret ejus dignitas, admonet. Si quando minus floreat paſſim religio quam optandum ſit, diſſipetur piorum corpus, ſtatuſque Eccleſiæ bene compoſitus peſſum eat, non modo labaſcunt nobis, ſed penitus diffluunt animi. Atqui dum in hac Moſis hiſtoria Eccleſiæ ſtructura ex ruinis, collectio ex laceris fruſtis ac vaſtitate oſtenditur, merito tale gratiæ Dei ſpecimen in bonam fiduciam erigere nos debet. Quando autem tanta eſt humani ingenii ad fingendos alienos cultus propenſio, ne dicam laſcivia, nihil nobis utilius quam regulam pure rireque colendi Dei à ſanctis Patriarchis petere, quorum pietatem hac præcipue nota deſignat Moſes, quod ex ſolo Dei verbo perpenderint. Quamlibet enim longum in externis ceremoniis ſit diſcrimen, quod tamen inflexibile ſemper vigere debet, utriuſque eſt commune, ut religio ad ſolum Dei arbitrium nutumque formetur. Nec me latet quanto uberior hic materia ſuppetat, & quantum infra eorum quæ breviter attigi dignitatem ſubſidat mea oratio: ſed quia opportunis locis alibi ſingula à me, quanquam non quo par erat ſplendore & ornatu, plenius tamen & copioſius tractata ſunt: nunc mihi ſatis fuit breviter commoneſacere pios lectores quantum operæ pretium facturi ſint, ſi veteris Eccleſiæ exemplar, quale à Moſe expreſſum eſt, ad ſuos uſus prudenter aptare diſcant. Et certe ideo nos ſanctis Patriarchis in ſpem ejuſdem hæreditatis Deus adjunxit, ut ſuperata quæ nos ſeparat temporum diſtantia, mutuo fidei & patientiæ conſenſu eadem certamina obeamus. Quo majore odio digni ſunt turbulenti quidam homines, qui neſcio quo furioſi zeli œſtro perciti, Eccleſiam noſtræ ætatis plus ſatis diſſipatam, aſſidue diſcerpere conantur. Non loquor de profeſſis hoſtibus, qui aperta vi ad perdendum quicquid eſt piorum, fundituſque delendam eorum memoriam incumbunt: ſed de morioſis quibuſdam Euangelii profeſſoribus, qui non modo fovendis diſſidiis novam ſubinde materiam ſuppeditant, ſed pacem quam pii doctique homines libentes colerent, ſua inquietudine perturbant. Videmus ut inter Papiſtas,

quam-

quamvis capitalia inter ſe aliis in rebus certamina exerceant, maneat tamen ſcelerata contra Euangelium conſpiratio. Quam exiguus ſit eorum numerus qui ſinceram Chriſti doctrinam tenent, ſi cum ingentibus conferatur illorum copiis, dicere nihil attinet. Interea emergunt quaſi è ſinu noſtro audaculi ſcriptores, qui non ſolum errorum nebulis ſanæ doctrinæ lucem obſcurant, vel pravis deliriis ſimplices dementant, ac minus exercitatos: ſed profana dubitandi licentia totam religionem ſibi convellere permittunt. Nam quaſi putidis ſuis ironiis & cavillis genuinos Socratis diſcipulos ſe præbent, nullum illis magis plauſibile eſt axioma quam fidem eſſe liberam, ut liceat, quavis de re ambigendo, Scripturam inſtar naſi cerei (ut loquuntur) flexibilem reddere. Itaque hoc proficient tandem qui illecebris novæ hujus academiæ capti, nunc dubiis ſpeculationibus indulgent, ut ſemper diſcendo, nunquam ad ſcientiam perveniant veritatis. Hactenus de hiſtoriæ utilitate breviter quoad locus ferebat, diſſerui. Porro ut Legis doctrina cujus obſcuritas antehac multos deterruit, familiariter innoteſceret, neſcio quam dextre, certe fideliter, elaboravi. Erunt, non dubito, qui uberiorem locorum explicationem deſiderent. Ego vero, qui natura prolixitatem fugio, duas ob cauſas in hoc opere fui reſtrictior. Nam quia iſti quatuor libri jam ſua longitudine quoſdam deterrent: veritus ſum ne ſi in ipſis enucleandis liberius ſtylo indulgerem, plus accederet faſtidii. Deinde quum in progreſſu de vita ſæpius deſperaverim, ſuccinctam expoſitionem dare malui quam mutilam relinquere. Videbunt tamen ſinceri lectores, ſanoque judicio præditi, ſedulo me caviſſe nequid perplexum, ambiguum vel obſcurum, aſtute aut negligenter prætermitterem. Quum ergo ſcrupulos omnes diſcutere conatus fuerim, non video cur de brevitate quiſpiam queratur, niſi forte tantum velit ex commentariis ſapere. Atqui libenter patiar ejuſmodi homines, quos nulla explere poteſt verbositas, alium ſibi magiſtrum quærere. Quod ſi experiri libeat, reipſa cognoſces ac tibi credes veriſſimum eſſe quod prædico. Puer es: atqui Deus, quum Reges proprium ſibi Legis volumen ſcribere juſſiſſet, ab hac claſſe pium Joſiam non exemit; quin potius in puero nobiliſſimum extare piæ eruditionis ſpecimen voluit, quod ſenum ſocordiam coargueret. Et tuum exemplum docet quantopere interſit à teneris aſſueſcere. Nam ex radice quam in te egerunt quæ imbibiſti Religionis principia, non modo germen efflореſcit, ſed propemodum maturitatem quandam ſpirat. Ergo ad eum qui tibi propoſitus eſt ſcopum infatigabili ſtudio enitere. Neque te morentur vel conturbent naſuti homines, quibus minime videtur tempeſtivum pueros ad præcocem hanc (ut loquuntur) ſapientiam vocari. Quid enim abſurdius vel minus ferendum, quam ubi te circumſident omne genus corruptelæ, hoc remedio arceri? Quum ſervos quoque veſtros corrumpant aulicæ deliciæ, quanto ſummis Principibus inſidiæ periculoſiores, qui omnibus & lautitiis & deliciis ita affluunt, ut mirum ſit non in laſciviam prorſus diſſluere? Nam certe naturæ propemodum repugnat, copiis voluptatum ſine voluptate perfrui. Inter delicias vero illibatam manere caſtitatem quam difficile ſit, plus ſatis uſu patet. Tu vero illuſtriſſime Princeps, quicquid ad voluptatum ſeminarium pullulat, venenum puta. Nam ſi te jam demulceat quod continentiam & temperantiam ſuffocat, quid non adultus concupiſceres? Aſperior forte eſt hæc ſententia, magnam corporis curam eſſe magnam virtutis incuriam: veriſſime tamen ita loquutus eſt Cato. Hoc quoque paradoxum vix forte admittet communis vita: Major ſum & ad majora genitus, quam ut mancipium ſim corporis mei; cujus contemptus certa eſt mea libertas. Faceſſat ergo immodicus rigor, quo omnis jucunditas tollitur è vita: ſed quam lubricus ex ſecuritate & indulgentia ad proterviendi licentiam ſit lapſus, nimis multa exempla demonſtrant. Quanquam tibi non cum luxuria modo, ſed cum aliis compluribus vitiis bellandum erit. Tua comitate, modeſtia, verecundia nihil ſuavius: ſed nullum eſt tam manſuetum ac compoſitum ingenium, quod aſſentationibus inebriatum non ad feritatem & truculentiam degeneret. Jam quum innumeri adulatores, totidem ſint ad inflammandum variis libidinibus tuum animum ſtabella: quanto te ad cavendum acrius intendere convenit? Nec vero dum te admoneo de aulicis blanditiis, aliud poſtulo quam ut moderatione inſtructus, te inexpugnabilem præbeas. Vere enim ille, non eſſe in laude ponendum ſi quis Aſiam nunquam viderit, verum ſumma laude dignum ſiquis pudice & continenter in Aſia vixerit. Id quum aſſequi maxime ſit optabile, facile compendium præſcribit David, ſi modo imiteris ejus exemplum, dum præcepta Dei ſuos conſiliarios eſſe prædicat. Et certe quicquid aliunde conſilii ſuggeratur, niſi hinc ſapiendi facias exordium, evaneſcet. Supereſt itaque, generoſiſſime Princeps, ut quod de ſancto Rege Ezechia apud Jeſaiam legitur, ſubinde tibi in mentem recurrat. Præclaras enim ejus dotes enumerans Propheta, hoc maxime elogio eum commendat, quod theſaurus ejus erit Dei timor. Vale illuſtriſſime Princeps. Deus te ſuo præſidio tueatur incolumem, donis ſpiritualibus magis ac magis exornet, omnique benedictionum genere locupletet. Genevæ, pridie Calendas Auguſti, M. D. LXIII.

ARGUMENTUM.

QUum immenſa Dei ſapientia in hoc admirabili cæli & terræ opificio reluceat, multum abeſt quin poſſit conditi mundi hiſtoria pro dignitate ſua rite explicari. Nam & exiguus nimis eſt ingenii noſtri modulus, ut tantam capiat rerum amplitudinem: tantum abeſt ut lingua ad plenam ſolidamque earum enarrationem ſufficiat. Verum ſicuti laudem meretur qui modeſte & reverenter in operum Dei conſideratione ſe exercet, etiamſi minus aſſequitur quam eſſet optandum: ita ſi in hoc exercitii genere alios pro facultate mihi data juvare ſtudeam, officium meum non minus piis hominibus probatum iri quam Deo acceptum fore confido. Hoc non tantum excuſandi mei cauſa præfari libuit: ſed ut moniti etiam ſint lectores, ſi probe mecum in meditandis Dei operibus proficere velint, ſobrium, docilem, manſuetum & humilem ſpiritum afferendum eſſe. Oculis quidem mundum cernimus, pedibus talcamus terram, manibus palpamus innumeras operum Dei ſpecies, odorem ex herbis & floribus ſuavem jucundumque haurimus, fruimur ingentibus bonis: ſed in his ipſis quorum notitiam apprehendimus, ineſt ea divinæ potentiæ, bonitatis, ſapientiæ infinitas, quæ ſenſus omnes noſtros abſorbeat. Itaque hominibus ſufficiat ſi mediocrem pro ſuo captu guſtum habeant. Atque ad hunc ſcopum ita nos eniti tota vita convenit, ut nos (etiam in ultima ſenectute) profectus minime pœniteat, modo aliquantum ſimus à carceribus progreſſi. Hoc conſilio Moſes librum ſuum exorſus eſt à mundi creatione, ut in ejus aſpectu Deum quaſi viſibilem nobis proponat. Sed hic inſurgunt protervi homines, ac ludendo quærunt, undenam hoc revelatum ſuerit Moſi. Fabulari ergo de rebus ignotis putant quia nec ſpectator fuerit eorum quæ narrat, neque ex lectione didicerit ita eſſe. Sic illi: facile tamen refellitur eorum improbitas. Nam ſi fidem ideo elevant huic hiſtoriæ, quoniam ex longa ætatum ſerie repetatur, vaticinia etiam refutent, quibus idem prædixit quæ totidem poſtea ſeculis acciderunt. Clara ſunt, inquam, & diſerta, quæ de Gentium vocatione teſtatur Moſes: complementum duobus fere poſt ejus mortem annorum millibus extitit. Quirem longe poſt futuram, & tunc ab hominum ſenſu abſconditam ſpiritu prævidit, annon potuit utrum mundus à Deo creatus eſſet, intelligere: præſertim cæleſti magiſterio edoctus? Neque enim ſuas divinationes hic profert: ſed organum eſt Spiritus ad ea publicanda quæ ab omnibus cognoſci operæ pretium fuit. Quod illis abſurdum videtur, tunc demum ab eo deſcriptum expoſitumque fuiſſe creationis ordinem, qui ante incognitus fuiſſet: in eo nimium errant. Neque enim memoriæ prodidit res prius inauditas: ſed quæ longa annorum ſucceſſione filiis patres quaſi per manus tradiderant primus ſcriptis conſignavit. Putamus ne ſic poſitum in terra fuiſſe hominem, ut ſuam rerumque omnium quibus fruebatur originem neſciret? Imo de omnibus probe edoctum fuiſſe Adam nemo ſanus dubitabit. An vero ille poſtea mutus? An ſancti Patriarchæ tam ingrati at ſilentio tam neceſſariam doctrinam ſupprimerent? An Noë, tam memorabili Dei judicio admonitus, eandem ad poſteros transmittere neglexit? Hoc elogio
Gen 18. verſ. 19. *nominatim Abraham ornatur, quod familiæ ſuæ doctor ſit ac magiſter. Et ſcimus, quum abeſſet procul Moſes, faderis tamen à Deo cum patribus initi notitiam toti populo tritam fuiſſe. Neque enim quaſi novum aliquid prodit, natos eſſe ex ſancto genere Iſraëlitas, quod Deus ſibi cooptaſſet: ſed tantum commemorat quod omnes tenebant, quod ſenes ipſi à proavis acceperant, quod denique omni controverſia inter eos carebat. Itaque neque dubium nobis eſſe debet quin mundi creatio, ut hic deſcribitur, ex veteri ac perpetua patrum traditione jam nota eſſet. Verum quia nihil magis proclive eſt quam corrumpi ab hominibus Dei veritatem, ut longo temporis ſucceſſu quaſi à ſeipſa degeneret: quo pura hiſtoria retineretur, eam Dominus ſcriptis commendari voluit. Ergo Moſes ejus doctrinæ quam ſcriptis complexus eſt, fidem (quæ hominum levitate fluxa eſſe poterat) ſtabilivit. Nunc ad Moſis conſilium redeo, vel Spiritus ſancti potius, qui per os ejus loquutus eſt. Deum, qui inviſibilis eſt, nonniſi ex ſuis*
Hebr. 11. verſ. 3. Rom. 1. verſ. 20. Pſal. 19. verſ. 2. *operibus cognoſcimus. Ideo eleganter Apoſtolus ſecula vocat τὰ μὴ ἐκ φαινομένων βλεπόμενα, ac ſi dicas, ſpectacula rerum non apparentium. Hac ratio eſt cur Dominus, ut nos ad ſui notitiam invitet, proponat nobis ante oculos cæli terræque fabricam, & in ea ſe quodammodo conſpicuum reddat. Nam æterna quoque ejus divinitas & potentia (ut inquit Paulus) illic relucent. Et illud Davidis eſt veriſſimum, cælos, utcunque lingua careant, diſertos tamen eſſe gloriæ Dei prædones: pulcherrimum hunc naturæ ordinem ſilendo clamare quam admirabilis ſit ejus ſapientia. Hoc eo diligentius notandum eſt, quod tam pauci rectam cognoſcendi Dei viam tenent: plurimi autem in creaturis hærentes, opificem ipſum non curant. Nam duobus his extremis vitiis fere laborant homines, quod alii, prætento Deo, totam ingenii ſui vim ad naturæ conſiderationem applicant: alii autem, neglectis Dei operibus, ſtulta adeoque inſana curioſitate ad inquirendam ejus eſſentiam involant: Perperam utrique. occupari inveſtigandis naturæ arcanis, ut nunquam ad authorem convertas oculos, perverſum eſt ſtudium: frui vero tota natura, nec beneficii authorem agnoſcere, nimis fœda ingratitudo. Ergo qui ſine religione philoſophantur, imo hoc agunt ſpeculando ut Deum & pietatis ſenſum procul à ſe removeant, aliquando*
Act. 14. verſ. 17. *ſentient quid valeat illud Pauli quod refert Lucas, Deum nunquam ſe reliquiſſe ἀμάρτυρον. Neque enim illis impune cedet, quod ad teſtimonia tam illuſtria ſurdi & hebetes fuerint. Et ſane Deum nuſquam videre, qui ubique dat præſentiæ ſuæ ſigna, malignæ ignorantiæ eſt. Quod ſi nunc illuſores cavillis effugiunt, aliquando teſtabitur horribile eorum exitium, nec alia de cauſa ipſos Deum neſcire, niſi ſponte & malitioſe cæcutiant. Quantum ad eos qui ſuperbe mundum transvolantes, Deum in nuda ſua eſſentia quærunt, fieri non poteſt quin abſurdis tandem multis commentis ſe intricent. Deus enim alioqui inviſibilis (ut jam dictum eſt) mundi imaginem quodammodo induit, in qua ſe nobis conſpiciendum præbeat. Tam magnifice ornatum incomparabili cæli & terræ figura qui intueri*

non

non dignantur, poſtea ſuis deliriis juſtas ſui faſtidii pœnas luunt. Proinde ſimulac nomen Dei auribus noſtris inſonat, vel ejus cogitatio ſubit, nos quoque pulcherrimo hoc ornatu ipſum veſtiamus: denique mundus ſit nobis ſchola, ſi probe Deum cognoſcere optamus. Hinc etiam refellitur eorum improbitas, qui Moſi oblatrant, quod tam breve temporis ſpatium fluxiſſe narrat à mundi creatione. Quærunt enim quid Deo repente in mentem venerit ut mundum crearet: cur tamdiu in cælo otioſus jacuerit? atque in perniciem ſuam ludendo, acumen ſuum exercent. Refertur in hiſtoria eripartita quoddam pii viri reſponſum, quod mihi ſemper placuit. Nam quum impurus quiſpiam canis Deum ejuſmodi ludibrio exagitaret, excepit ille, tunc minime fuiſſe otioſum, quia infernum fabricaſſet curioſis. Quibus enim rationibus eorum proterviam compeſcas, quibus ſobrietas ex profeſſo contemptibilis eſt & odioſa? Et certe qui in vexando Dei otio ita libenter nunc exultant, vim ejus ita paranda gehennæ æternam fuiſſe magno ſuo malo ſentiant. Quantum ad nos ſpectat, non debet tantopere abſurdum videri, quod Deus ſeipſo contentus, mundum, quo non indigebat, non ante creavit quam ita viſum eſt. Porro quum ejus voluntas regula ſit omnis ſapientiæ, ea una nos contentos eſſe decet. Recte enim Auguſtinus injuriam Deo à Manichæis fieri dicit, quod ſuperiorem ejus voluntate cauſam flagitent. Prudenter idem admonet non magis de infinitis temporum quam locorum ſpatiis eſſe inquirendam. Nos certe non ignoramus ſpatium eſſe cœli circuitum, & terram inſtar globuli in medio locatam eſſe. Qui non citius creatum fuiſſe mundum indigne ferunt, expoſtulent etiam cum Deo quod non innumerabiles mundos fecerit. Imo quæ hoc abſurdum ducunt, multa ſecula præteriiſſe abſque mundo, agnoſcant hoc magnum eſſe naturæ ſuæ vitium, quod præ immenſa voſtitate quæ vacua manet, exiguum ſpatium cœlum & terra occupant. Nobis vero, quia & temporum æternitas, & gloriæ Dei infinitas, duplex eſſet labyrinthus, hæc modeſtia placeat, ne longius progredi appetamus quam Dominus operum ſuorum ductu ac directione nos invitat. Quod autem mundum quaſi ſpeculum conſtituo, in quo Deum intueri oporteat, non ita volo accipi: quaſi vel nobis perſpicaces ſint oculi ad cernendum quod cœli ac terræ fabrica repræſentat: vel cognitio qualis inde haberi poteſt, ſufficiat in ſalutem. Imo quia nullo profectu nos Dominus per creaturas ad ſe invitat, niſi quod inde inexcuſabiles reddimur: novam remedium (ut opus erat) addidit, vel ſaltem alto ſubſidio adjuvit ingenii noſtri ruditatem. Nam Scripturæ duce & magiſtra, quæ alioqui nos ſuggerent, non modo demonſtrat, ſed propemodum aſpicere cogit: non ſecus ac hebetes oculi ſpecillis adjuvantur. Atque in hoc (ut jam dictum eſt) Moſes incumbit. Nam ſi mutum cœli & terræ magiſterium ſufficeret, ſupervacua eſſet Moſis doctrina. Accedit igitur hic præco, qui attentionem noſtram excitat, ut ſciamus nos ad conſpiciendam Dei gloriam in hoc theatro eſſe collocatos: neque ut teſtes modo, ſed etiam ut divitiis omnibus quæ hic ſunt expoſita, fruamur: ſicuti eas Dominus uſui noſtro deſtinavit ac ſubjecit. Nec tantum in genere Deum mundi eſſe architectum pronuntiat: ſed toto hiſtoriæ contextu oſtendit quam admirabilis ſit ejus tum potentia, tum ſapientia, tum bonitas, ac præſertim ſumma erga humanum genus ſolicitudo. Præterea, quum æternus Dei ſermo, viva & expreſſa ſit illius effigies, huc nos revocat. Ita efficitur quod docet Apoſtolus, non aliter quam fide intelligi aptata fuiſſe verbo Dei ſecula. Proprie enim ex eo naſcitur fides, quod edocti Moſis miniſterio non jam vagamur in ſpeculationibus ſtultis & evanidis: ſed verum & unicum Deum in genuina ſua imagine contemplamur. Objici tamen poteſt, his videri conſentaneam quod Paulus tradit, Poſtquam in ſapientia Dei non cognovit mundus per ſapientiam Deum, viſum Deo eſſe per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Nam ita innuit, fruſtra Deum quæri rerum viſibilium ductu, nec vero aliud reſtare niſi ut recta nos ad Chriſtum conferamus. Non igitur ab elementis mundi hujus, ſed ab Evangelio faciendum eſt exordium, quod unum Chriſtum nobis proponit cum ſua cruce, & in eo nos detinet. Reſpondeo, fruſtra quidem in mundi opificio philoſophari, niſi qui Evangelii prædicatione jam humiliati, totam mentis ſuæ perſpicaciam crucis ſtultitiæ (ut Paulus nominat) ſubjicere didicerint, ſurſum, inquam, & deorſum nihil reperiemus quod nos ad Deum aſque attollat, donec in ſua ſchola nos Chriſtus erudierit. Id porro fieri non poteſt niſi ex profundis inferis emerſi, crucis ejus vehiculo ſupra cœlos omnes tollamur: ut illic fide comprehendamus quæ oculus nunquam vidit, auris nunquam audivit, & quæ longe corda mentesque noſtras ſuperant. Neque enim illic terra nobis objicitur quæ fruges velut in diurnum alimentum ſuppeditet, ſed Chriſtus ipſe in vitam æternam ſe nobis offert: nec cœlum ſolis ac ſtellarum fulgore oculos corporales illuſtrat, ſed idem Chriſtus, lux mundi & Sol juſtitiæ, in animis noſtris reſulget: nec aer inane ſpatium nobis ad ſpirandum porrigit, ſed ipſe Dei Spiritus nos vegetat & vivificat. Denique illic inviſibile Chriſti regnum omnia occupat, & Spiritualis ejus gratia per omnia diffuſa eſt. Verum hoc non obſtat quo minus ſenſus noſtros ad cœli terræque conſiderationem applicantes, inde etiam petamus quæ nos in vera Dei notitia confirment. Chriſtus enim imago eſt, in qua non modo pectus ſuum nobis Deus conſpicuum reddit, ſed manus quoque & pedes. Pectus appello arcanum illum amorem quo nos in Chriſto complexus eſt: per manus autem & pedes, quæ oculis noſtris expoſita ſunt opera intelligo. A Chriſto ſimulatque diſceſſimus, nihil eſt tam craſſum vel minutum, in quo non allucinari neceſſe ſit. Et ſane Moſes quamvis in hoc libro initium faciat à mundi creatione, non tamen in ea nos fiſtit. Nam hæc ſimul conjungi debent, conditum fuiſſe mundum à Deo, & hominem, poſtquam luce intelligentiæ donatus erat, & tot privilegiis ornatus, cecidiſſe ſua culpa, atque ita bonis omnibus quæ obtinuerat, privatum fuiſſe. deinde miſericordia Dei in vitam, quam perdiderat, reſtitutum, idque Chriſti beneficio: ut ſemper eſſet aliquis cœtus in terra, qui in ſpem cæleſtis vitæ adoptatus, hac fiducia Deum coleret. Atque huc quoque ſpectat totius hiſtoriæ

contextus, ſic à Deo ſervatum fuiſſe humanum genus ut peculiarem Eccleſiæ ſuæ curam egerit. Hoc enim eſt libri argumentum, poſtquam conditus fuit mundus, hominem veluti in theatro fuiſſe collocatum, qui ſurſum & deorſum mirifica Dei opera conſpiciens, authorem reverenter adoraret. Secundo, omnia in uſum hominis eſſe deſtinata, quo magis illi obſtrictus, totum ſe in ejus obſequium addiceret ac dicaret. Tertio, intelligentia & ratione fuiſſe præditum, ut à brutis animalibus diſcretus, potiorem vitam meditaretur: imo ut ad Deum recta tenderet, cujus inſculptam imaginem gerebat. Poſtea ſequitur lapſus Adæ, quo ſe à Deo alienavit: unde factum eſt ut omni rectitudine privatus fuerit. Ita Moſes hominem omnis boni vacuum, mente cæcum, corde perverſum, omni parte vitiatum, ſub mortis æternæ reatu conſtituit: ſed mox addit inſtaurationis hiſtoriam, ubi Chriſtus cum redemptionis beneficio affulget. Hinc continua ſerie quum ſingularem Dei providentiam in regenda tuendaque Eccleſia proſequitur, tum verum Dei cultum nobis commendat: ubi ſita ſit hominum ſalus, præſcribit, & Patrum exemplis ad infractam crucis tolerantiam hortatur. Quiſquis ergo in hoc libro rite proficere cupit, mentem ſuam ad hæc capita referat. Præſertim vero obſervet, poſtquam exitiali ſuo caſu ſe & omnes poſteros Adam perdidit, hoc ſalutis noſtræ fundamentum, hanc eſſe Eccleſiæ originem, quod ex profundis tenebris eruti, mera Dei gratia novam vitam obtinuimus. Patres hujus vitæ (ſicuti per verbum illis à Deo offerebatur) fide factos eſſe compotes: verbum porro hoc in Chriſto fuiſſe fundatum: jam vero eadem ſalutis promiſſione, qua initio erectus fuit Adam, pios omnes qui poſtea vixerunt, fuiſſe ſuſtentatos. Itaque perpetuam Eccleſiæ ſucceſſionem ex hoc fonte fluxiſſe, quod ſancti Patres alii poſt alios fide amplexi oblatam ſibi promiſſionem in Dei familiam fuerunt aggregati, ut communem in Chriſto vitam haberent. Hoc diligenter notandum, ut ſciamus quænam ſit veræ Eccleſiæ ſocietas, & quæ fidei communio inter Dei filios. Quum Moſes Iſraëlitis ordinatus eſſet doctor, non dubium eſt quin proprie eos reſpexerit, ut agnoſcerent ſe populum eſſe à Deo electum & cooptatum: atque hujus adoptionis certitudinem peterent à fœdere quod Dominus cum patribus illorum pepigerat: ſcirent non alium eſſe Deum, non aliam eſſe rectam fidem. Sed hoc quoque idem voluit ſeculis omnibus teſtatum, quicunque rite colere Deum volunt, & cenſeri Eccleſiæ membra, iis non aliam vitam tenendam eſſe quam quæ hic monſtratur. Porro ut hoc fidei principium eſt, ſcire hunc unum eſſe verum Deum quem colimus: ita non vulgaris ejus eſt confirmatio, nos eſſe Patriarcharum ſocios: quia ſicuti Chriſtum, quum exhibitus nondum foret, habuerunt ſalutis ſuæ pignus: ita Deum, qui ſe jam olim ipſis patefecit retinemus. Hinc etiam colligitur diſcrimen inter purum legitimumque Dei cultum & omnes adulterinos, qui poſtea Satanæ fraude & perverſa hominum audacia fabricati ſunt. Ad hæc, conſideranda eſt Eccleſiæ gubernatio, ut ſtatuat lector Deum illius perpetuum fuiſſe cuſtodem ac præſidem: ſic tamen ut crucis militia eam exercuerit. Hic vero propria Eccleſiæ exercitia ſe proferunt: imo tanquam in ſpeculo nobis ſtadium ob oculos ſtatuitur, quo nos cum ſanctis Patribus ad beatæ immortalitatis metam eniti decet. Nunc Moſen audiamus.

JOAN.

JOANNIS CALVINI VITA,

à

THEODORO BEZA,

Genevenſis Eccleſiæ Miniſtro, accurate deſcripta.

SI quis erit qui me alio quam tuendæ veritatis ſtudio exiſtimet ad hanc Joannis Calvini vitam deſcribendam acceſſiſſe, facile me ut ſpero, ab hac calumnia præſens rerum humanarum ſtatus vindicabit. Vix enim ullum eſt brevius ad omnem calamitatem compendium, quam virtutem laudaſſe: extremæ vero dementiæ fuerit, quod malum poſſis vel uno ſilentio redimere, id ultro tibi accerſere. Quod ſi ne virtutem quidem ullam impune prædicare patiuntur ſceleraţi, quid iis expectandum eſt, quibus pietatem, id eſt, quiddam ipſa virtute ſuperius, prædicare propoſitum eſt? cui non improbi tantum homines adverſantur, ſed etiam plerumque ii ipſi bellum indixerunt, qui maxime probi videri ac interdum eſſe ſtudent. Nec enim ullos habet pietas acriores inimicos, quam eos ipſos, qui falſam religionem pro vera ſerio ſunt amplexi. Sed iſta me quantumvis in ſpeciem terribilia, minime tamen perculerunt. Turpe enim fuerit malorum metu bonos ſilere, & ſuperſtitioſorum clamoribus oppreſſam Religionis vocem conticeſcere. Quod ſi quis excipiat, longe aliud eſſe Calvini vitam ſcribere, quam veritatem defendere, fatebor equidem ego longe aliud eſſe hominem quam veritatem: ſed hoc tamen dicere non erubeſcam, haud temere dictum eſſe ab eo qui eſt αὐτόπτης: *Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos*: &, *Qui vos audit, me audit*. Clamitent igitur homines, tum qui id ſibi per ignorantiam perſuaſerunt, tum qui per improbitatem ſic loquuntur, Lutherum, Zuinglium, Calvinum à nobis pro diis haberi, qui tamen quoties libet, Sanctorum cultores ut idololatras reprehendamus. Clament, inquam, iſti quantum & quamdiu volent, Habemus quod illis regeramus: nempe longe aliud eſſe, vere ſanctorum hominum labores pro Religione ſuſceptos, dicta denique & facta commemorare (quarum rerum cognitione boni meliores evadant, improbi vero redarguantur, qui nobis unus eſt ſcopus in hoc ſcriptorum genere) quam, ut ipſi faciunt, partim vere Sanctorum hominum vitam non minus impiis quam ineptis narrationibus (ut quod Abdias ille neſcio quis in Apoſtolorum hiſtoria fecit) dedecorare, partim ex putidiſſimis mendaciis fabuloſas hiſtorias (quas vulgo Legendas Aureas barbaro vocabulo, ego Ablegandas Stercoreas appello) conflare, ac tandem etiam veterum deorum idola mutatis tantum nominibus in uſum revocare. Tam igitur abſumus ab iſtis mortuorum cultoribus, quam tenebræ luci repugnant. Illud enim ſeveriſſimis additis comminationibus prohibet Dominus: nos Deo jubenti, in ipſius opera corporis & mentis oculos intendere, obſequimur. Nemo enim eſt opinor, qui non homines inter omnia Dei opera, & rurſum inter cæteros mortales eos qui ſanctitate ſimul ac doctrina pollent, maxime nobis cognoſcendos & obſervandos eſſe fateatur. Non temere certe Daniel ſtellis comparat ſanctos Dei homines, qui felicitatis iter ſuo ſplendore cæteris commonſtrent: quorum fulgorem qui totum extingui morte patiuntur, digni ſunt quos tenebræ, rurſum multo quam antea denſiores invadant. Cæterum ne illos quidem placuit imitari, qui dum ἰσοκωλίαις & παρομοιώσεσι illud dicendi genus ſectantur, veritatem non tam exornarunt, quam ſuſpectam nonnullis reddiderunt. Itaque non quam ornate, ſed quam vere ſcriberem laborans, ſimplici potius narratione utendum putavi.

Natus eſt JOANNES CALVINUS Noviodunī Veromanduorum, aut certe proximorum Veromanduis finium, oppido celebri, Anno à Domini nativitate M. D. IX. VI. Id. Julii, Patre Gerardo Calvino, matre Joanna Franca, utroque honeſtæ famæ & mediocribus facultatibus parente. Erat is Gerardus non pauci judicii & conſilii homo, ideoque nobilibus ejus regionis pleriſque charus: quod in cauſa fuit, ut inter Mommorios (quæ familia illic fuit nobilitate præcipua inſignis) liberaliter admodum, paterno tamen ſumptu Calvinus filius à prima pueritia educaretur. Eos deinde Lutetiam ſtudiorum gratia ſecutus, Præceptorem habuit in Gymnaſio Marchiano Maturinum Corderium, ſpectatæ tum probitatis tum eruditionis virum, & inſignem ſemper habitum in omnibus fere Galliæ ſcholis juventutis erudiendæ Magiſtrum: Genevæ demum, eo ipſo anno quo Calvinus, VI. Nonas Septembris mortuum: quum annum agens octuageſimum quintum, eo docendi munere in hoc Gymnaſio Genevenſi fungeretur. Tranſlatus deinde in Gymnaſium ab Acuto monte cognominatum, Hiſpanum habuit doctorem non indoctum: à quo, exculto ipſius ingenio, quod ei jam tum erat acerrimum, ita profecit, ut cæteris ſodalibus in Grammatices curriculo relictis, ad Dialectices & aliarum quas vocant, artium ſtudium promoverentur. Deſtinarat autem eum pater ab initio Theologiæ ſtudiis, ad quæ ultro illum inclinare

nare ex eo colligebat, quod in illa etiam tenera ætate mirum in modum religiosus esset, & severus omnium in suis sodalibus vitiorum censor: quod ex nonnullis etiam Catholicis, idoneis testibus, multis post annis celebri jam ejus nomine, audire me memini. Itaque quasi rebus sacris destinato, pater beneficium ab Episcopo Noviodunensi impetravit in Ecclesia Cathredrali quam appellant, ac deinceps etiam Parochiæ Curationem, in pago urbi vicino, qui Pons-Episcopi dicitur, ex quo ortus ipse Gerardus Calvinus pater, in urbem ipsam postea transierat: quo loco constat Joannem ipsum Calvinum antequam Gallia excederet (nullis alioqui Pontificis ordinibus initiatum) aliquot ad populum conciones habuisse. Sed hoc consilium interrupit utriusque mutatus animus. Patris quidem, quod Juris prudentiam certius iter esse ad opes & honores videret: filii vero, quod à cognato quodam suo Petro Roberto Olivetano (cui Gallicæ Ecclesiæ conversa ex Hebræo Biblia Neocomi impressa debent) de vera Religione admonitus, legendis sacris libris se tradere, à superstitionibus vero abhorrere, ac proinde sese ab illis sacris sejungere cœpisset. Profectus ergo juris civilis audiendi causa Aureliam, ubi tunc Jurisconsultorum Gallorum facile princeps Petrus Stella docebat, mirum quantopere brevi tempore profecerit: adeo quidem ut quum sæpissime obiret ipsorum Doctorum vices, Doctor potius quam Auditor haberetur: eique discedenti Doctoratus insignia absque ullo pretio, summo docentium omnium consensu quasi optime de Academia merito, offerrentur. Interea tamen ille sacrarum literarum studium simul diligenter excolere, in quo tantum etiam promoverat, ut quicunque in ea urbe aliquo purioris Religionis cognoscendæ studio tangebantur, ad eum etiam percontandum ventitarent, ejusque tum eruditionem tum ardorem magnopere admirarentur. Testantur autem nonnulli adhuc superstites, qui tum ei familiares & contubernales fuerunt, consuevisse illum per id tempus, postquam frugaliter admodum cœnasset, ad mediam usque noctem lucubrare, mane vero experrectum quæ legisset in lecto aliquamdiu meditari, velutique concoquere, nec facile in ea meditatione passum interpellari. quibus continuatis vigiliis ille quidem solidam eruditionem, & excellentem memoriam est consecutus: sed illam vicissim ut verisimile est, ventriculi imbecillitatem contraxit, quæ varios ipsi morbos, & tandem etiam intempestivam mortem attulit. Erat tum Academiæ Bituricensis magna celebritas, quod eo evocatus ex Italia Jurisconsultus ætatis suæ facile princeps Andreas Alciatus venisset, quem sibi quoque Joannes noster audiendum putavit. Itaque quum eo migrasset, amicitiam iniit & Religionis & literarum nomine cum Melchiore Wolmaro Germano Rotuillensi, Græcarum literarum publico tum illic Professore: cujus maxime viri eo libentius memini, quod eundem ego à prima puritia ad pubertatem usque Præceptorem unicum habui: cujus doctrinam, pietatem cæterasque virtutes, admirabilem denique in erudienda juventute dexteritatem nunquam satis possim prædicare. Hoc auctore & adjutore Calvinus Græcas literas didicit, cujus beneficii memoriam omnibus postea testatam esse voluit, consecratis ipsius nomini Commentariis quos in alteram ad Corinthios Epistolam edidit. In his igitur studiis versantem, ita tamen ut sacras literas assidue tereret, adeoque nonnullas interim conciones in agro Biturigum, in oppidulo quod Linerias vocant, præsente & probante illius domino haberet, repentina mors patris nuntiata in patriam revocavit. Inde paulo post Lutetia transiens quum annum ageret vigesimum quartum, egregium illum commentarium scripsit in Senecæ libellum de Clementia: quo scriptore gravissimo, & ipsius Calvini moribus plane conveniente valde delectatum eum fuisse constat. Ibi paucis mensibus innotuit omnibus purioris Religionis studiosis, inter quos frequenter postea non sine insigni pietatis testimonio commemorantem eum audivimus Stephanum Forgeum, celebrem mercatorem, postea pro Christi nomine crematum, cujus etiam nomen edito postea contra Libertinos libro celebravit. Ab eo tempore sese Calvinus abjectis reliquis studiis Deo consecravit, summa piorum omnium qui tum Lutetiæ occultos cœtus habebant voluntate, nec ei mox defuit, in quo sese strenue exerceret. Erat tum Academiæ Parisiensis Rector, ita ut illic fit, designatus Nicolaus Cop Guilielmi Copi Basiliensis Regii Medici filius: cui quum de more habenda esset Cal. Novembris oratio, quo die à Pontificiis Panagia celebrantur, suggessit eam Calvinus, in qua purius & apertius quam antea consuevissent, de Religione disserebatur. Hoc vero Sorbona ferre non potuit, nec probavit Senatus, quem Parlamentum appellant: à quo citatus Rector sese quidem in viam cum suis apparitoribus dedit, sed ab amicis in itinere admonitus ut sibi ab adversariis caveret, domum reversus, ex ipso postea Regno excedens Basileam se contulit. Item est etiam in Gymnasium quod Fortretum vocant, ubi tum Calvinus sibi domicilium delegerat: quo forte domi non reperto, deprehensis inter schedas multis amicorum literis, nil propius factum, quam ut plurimi in maximum vitæ discrimen incurrerent: ita tum erant acres illi admodum adversus Ecclesiam judices, & in his quidem præcipue Joannes quidam Morinus, cujus adhuc nomen ab insigni sævitia celebratur. Sed hanc tempestatem Dominus Reginæ Navarrensis unicæ Regis Francisci sororis admirabili ingenio prædite mulieris, & piis tunc admodum faventis intercessione dissipavit, missio in aulam, ibique perhonorifice ab ea accepto & audito Calvino. Inde ille Lutetia relicta in agrum Santonicum demigrans, amico cuidam operam dedit, cujus rogatu breves quasdam admonitiones Christianas scripsit, quas Parochis nonnullis inter Sacra recitandas tradebant,

debant, ut paulatim populi ad veritatis indagandæ ſtudium allicerentur. Eodem tempore Neracum Aquitaniæ urbem venit, Jacobum illum Fabrum Stapulenſem ſenem ſalutaturus, quem eadem illa Navarrena Regina à Sorboniſtis Matæologis ob Mathematices & alia Philoſophiæ recta ſtudia Pariſienſi Academiæ non ſine diutino acerrimoque certamine reſtituta & Scholaſticam Theologiam exagitatam, in vitæ diſcrimen adductum liberarat, & in illa ſuæ ditionis urbe collocarat. Excēpit autem juvenem bonus ſenex, & libenter vidit, futurum augurans inſigne cæleſtis in Gallia inſtaurandi Regni inſtrumentum. Rediit aliquanto poſt Lutetiam Calvinus, eo quaſi Dei ipſius manu evocatus. Venerat enim illuc impius ille Sorvetus, jam tum ſuum adverſus ſacram Triadem virus diſpergens: quem ſeſe nihil magis appetere quam ejus colloquium ſimulantem, condicto loco & tempore Calvinus (idque non citra magnum vitæ periculum, quod tum latere propter accenſam adverſariorum rabiem cogeretur) diutius quidem ſed fruſtra expectavit, illo ne Calvini quidem conſpectum ferente. Fuit autem is annus XXXIV. ſupra ſeſquimilleſimum horrenda in multos pios ſæ-M vitia inſignis, Gerardo Ruffo Sorbonico Magiſtro ſed pietatis ſtudia magnopere tunc ad-X juvante, itemque Coraldo Auguſtiniani ordinis, (qui unum & alterum jam annum favore Navarrenæ adjuti, negotium Chriſti in urbe plurimum promoverant) non modo ex pulpito deturbatis, ſed etiam in carcerem conjectis: & eo uſque inflammata faſcinati Franciſci Regis ira ob ſchedas quaſdam adverſus Miſſam per urbem ſparſas, ipſiuſque regii cubiculi foribus affixas, ut publica decreta ſupplicatione, cui una cum liberis ſuis tribus nudo capite ardentem facem quaſi expiationis cauſa geſtans interfuit, quatuor urbis celebrioribus locis octonos Martyres vivos uſtulari juberet, atque adeo ſolenni jurejurando teſtaretur, ſe ne liberis quidem ſuis parſurum, ſi forte tetérrimis illis, ut vocabat, hæreſibus eſſent infecti. Ejuſmodi rerum ſtatum intuens Calvinus paulo poſtquam Aureliæ inſignem illum libellum edidiſſet quem Pſychopannychian inſcripſit adverſus illorum errorem, qui dormire ſejunctas à corporibus animas errore à vetuſtiſſimis uſque ſeculis repetito docebant, ſecedere ex Gallia ſtatuit, eoque conſilio una cum illo quicum eum apud Sanctonas aliquamdiu vixiſſe diximus, iter Baſileam verſus per Lotharingiam ingreſſus, non procul urbe Metenſi in maximam difficultatem incidit, alterius ex ſervis perfidia pecunia utrique ſurrepta, qui alterō ex equis validiore ſtrato tam repente ſe in fugam dedit, ut deprehendi nullo pacto potuerit, heriſque ipſis ab omni viatico relictis imparatiſſimis: adeo ut ab altero demum ſervulo decem mutuo ſumptis coronatis vix Argentinam, indeque Baſileam pervenerint. Ibi præcipuos habuit amicos ſummos illos homines Simonem Grynæum, & Wolfgangum Capitonem, ſeſeque Hebraicis literis dedit: & quamvis latere modis omnibus ſtuderet, id quod ex Epiſtola quadam Buceri ad eum altero poſt anno data liquet, tamen edere coactus eſt Chriſtianæ Religionis Inſtitutionem quam vocavit, operis longe maximi rudimentum. Quum enim illam Franciſci Regis carnificinam ægre ferrent Germani Principes qui Euangelio nomen dederant, & quorum ille tum amicitiam ambiebat, hoc unum ille σφὼ ὑπόμνημα auctore Gulielmo Bellaio Langæo repererat, ut ſeſe nonniſi in Anabaptiſtas pro verbo divino ſuum tantum Spiritum jactantes, & omnium Magiſtratuum contemptores animadvertiſſe diceret. Quod dedecus veræ Religioni inuſtum non ferens Calvinus, ejus edendi libri occaſionem arripuit, meo quidem judicio incomparabilis: addita excellenti ad Regem ipſum præfatione, quam ſi forte legiſſet ille, aut ego vehementer fallor, aut magnum eſſet illi meretrici Babyloniçæ jam tum vulnus illatum. Erat enim ille Rex non quales eum ſunt conſecuti poſtea: ſed acerrimus rerum æſtimator, judicii ad dignoſcendum verum non parvi, eruditorum fautor, neque per ſe à nobis alienus. Sed illum hæc audire nedum legere neque populi Gallici, neque ipſius Regis peccata paſſa ſunt, quibus ira Dei jam tum propinqua imminebat. Edito hoc libro ſuaque veluti præſtita patriæ fide, Calvinum viſendæ Ferrarienſis Duciſſæ Ludovici XII. Francorum Regis filiæ, cujus tum pietas celebratur, ſimulque Italiæ velut procul ſalutandæ deſiderium inceſſit. Illam igitur vidit, ſimulque quantum ad illum facere præſens rerum ſtatus ſinebat, in vero pietatis ſtudio confirmavit, ut eum poſtea vivum ſemper unice dilexerit, ac nunc quoque ſuperſtes gratæ in defunctum memoriæ ſpecimen edat luculentum. Cæterum ex Italia, in cujus fines ſe ingreſſum eſſe dicere ſolebat ut inde exiret, in Galliam regreſſus, rebus ſuis omnibus ibi compoſitis, abductoque quem unicum ſuperſtitem habebat Ant. Calvino fatre, Baſileam vel Argentinam reverti cogitantem, interclusis aliis finibus per Allobrogum fines iter inſtitutum proſequi bella coëgerunt. Ita factum ut Genevam veniret, nihil ipſe quidem de illa urbe cogitans, ſed ut mox apparuit, divinitus eo perductus. Erat enim in illam urbem paulo ante mirabiliter introductum Chriſti Euangelium duorum ſummorum virorum opera, Guilielmi Farelli Delphinatis, non ut quidam commenti ſunt ex cœnobio, ſed ex ſchola Jacobi Fabri Stapulenſis prodeuntis, & Petri Vireti Orbenſis ex agro Bernenſis ac Friburgenſis ditionis, quorum poſtea laboribus copioſiſſime Dominus benedixit. Eos igitur quum ut inter bonos fieri ſolet, Calvinus tranſiens inviſiſſet, tum Farelus ut erat plane vir ille Spiritu quodam heroïco afflatus, multis eum verbis fruſtra obteſtatus, ut ſecum potius Genevæ laboraret, quam longius excurreret, nec ei facile Calvinus aſſentiretur, At ego tibi, inquit, ſtudia tua prætexenti denuntio Omnipotentis Dei nomine, futurum ut niſi in opus illud Domini nobiſcum incumbas, tibi non tam Chriſtum quam

quam teipſum quærenti Dominus maledicat. Hac terribili denuntiatione territus Calvinus ſeſe Presbyterii & Magiſtratus voluntati permiſit: quorum ſuffragiis, accedente plebis conſenſu, delectus non Concionator tantum (hoc autem primum recuſarat) ſed etiam Sacrarum literarum Doctor, quod unum admittebat, eſt deſignatus Anno Domini M. D. XXXVI. menſe Auguſto. Atque idem hic annus inito inter duas civitates Bernam & Genevam arctiori fœdere, & Lauſannæ ad Chriſtum acceſſione, habita adverſus Pontificios libera diſputatione, cui Calvinus quoque interfuit, celebratus eſt. Tunc edita eſt à Calvino Chriſtianæ doctrinæ quædam veluti formula, vixdum emergenti è Papatus ſordibus Genevenſi Eccleſiæ accommodata. Addidit etiam Catechiſmum, non illum in quæſtiones & reſponſiones diſtributum, quem nunc habemus, ſed alium multo breviorem, præcipua Religionis capita complexum. Aggreſſus deinde cum Farello & Coraldo, pleriſque ex collegis timiditate turbas fugientibus, nonnullis etiam, quæ maxima Calvini ſolicitudo fuit, clam opus Domini impedientibus, Eccleſiam componere, à civibus primum omnium contendit, ut coactus populus univerſus, ejurato palam Papatu, in Chriſtianam Religionem ac diſciplinam paucis capitibus comprehenſam juraret. Quod etſi non pauci recuſarent, ut in urbe vixdum ex Sabaudi Ducis retibus, & Antichriſti jugo liberata, & multis adhuc factionibus æſtuante, dedit tamen Dominus vigeſima Julii Anno M. D. XXXVII. ut palam præeunte publico Scriba, à Senatu Populoque Genevenſi in Chriſtianæ Religionis ac diſciplinæ ſimul capita juraretur. Iſtis vero exacerbatus Satan & fruſtra, quod per externos hoſtes infinitis modis tentarat, efficere ſeſe pietatis obtentu ratus, primum omnium Anabaptiſtas, deinde Petrum Caroli de quo mox dicemus, oppoſuit, qui opus iſtud Domini, ſive quod illud qualecunque jam erat, ei magnopere ingratum eſſet, ſive quod ea quæ poſtea conſecuta ſunt proſpiceret, non interturbarent modo, verum etiam deſtruerent prorſus atque ſubvertérent. Sed anteverterat Satanam Dominus, quod ipſe rei eventus docuit. Anabaptiſtas enim Calvinus & Collegæ publica liberaque diſputatione convocatos, ea gravitate ex uno Dei verbo confutarunt decimo octavo Martii Anno M. D. XXXVII, ut quod raræ cujuſdam ſint felicitatis, ab eo tempore vix unus aut alter in hac Eccleſia apparuerit. Alter Eccleſiæ turbator, P. Caroli nomine, majores & diuturniores turbas dedit, quarum duntaxat ſummam recenſebo, quod tota hujus certaminis hiſtoria extet, & ex quadam Calvini ad Grynæum epiſtola colligi poſſit. Iſtum gnaviter impudentem Sophiſtam mater Sorbona quæ pepererat, poſtea tanquam hæreticum, non ita de ipſa meritum ejecit. Venit igitur ille primum quidem Genevam, inde Lauſannam, poſtea Neocomum: Satanæ Spiritu uſque adeo ubique comite, ut quocunque veniſſet, certa ſuæ turpitudinis impreſſa veſtigia relinqueret. Ubi ſe videbat à noſtris argui, ad adverſarios tranſibat: ab illis turſum ad noſtros, ut illius artes aperte deſcriptæ extant prolixa quadam Farelli ad Calvinum epiſtola. Tandem igitur aperte cœpit optimum quemque, & quidem inprimis Farellum, Calvinum, Viretum, quaſi de Sacta Triade minus recte ſentientes criminari. Habita eſt ea de re Synodus Bernæ valde frequens, in qua damnatus calumniæ P. Caroli paulatim poſtea defecit, tandemque Mediomatrices ſubornatus venit, ut opus Domini quod feliciter illic Farellus inchoarat, impediret. Inde ſcripta epiſtola pios aperte laceſſivit, ut Apoſtaſiæ ſuæ plena ſpe facta, beneficium aliquod canis famelicus obtineret. Romam autem nihilominus remiſſus, ut coram ipſi Beſtiæ ſatisfaceret, ibique cum ludibrio exceptus, premente inopia & Gallica ſcabie, vix in Xenodochium receptus, ſtipendium tandem peccati, mortem videlicet à filio peccati retulit. Et hæc quidem fuit illius infelicis exitus. Interea Calvinus, anno videlicet M. D. XXXVII, quod multos in Gallia videret veritatem quidem intus probe noſcentes, ſibi tamen indulgentes, quaſi Chriſtum animo colere ſatis eſſet, etiamſi Papiſticis ſacris intereſſent, duas elegantiſſimas epiſtolas edidit: Unam de fugienda idololatria Nicolao Chemino, quo amico & hoſpite uſus Aureliæ plurimum fuerat, Officiali poſtea Cenomanenſi deſignato: Alteram de Papiſticis Sacerdotiis, Gerardo illi Ruffo, cujus antea memini, quique Abbatia quadam, ac deinceps Epiſcopatu, poſt editum illum Pariſienſem tumultum donatus, non modo poſtea ſatis rectum curſum non tenuit, verum etiam heram ſuam Navarrenam Reginam paulatim peſſum dedit. Cæterum hæc illum agentem, graviſſimæ domeſticæ ſeditiones exceperunt. Admiſſum fuerat in urbe, ſicut antea diximus, Euangelium, & papatus ejuratus. Sed extruſa ſimul à pleriſque non fuerant indigna multa flagitia, quæ in ea urbe Canonicis & impuro illi Clero tot annos addicta, diu viguerant: & veteres, inter quaſdam primarias familias, inimicitiæ bello Sabaudico ſuſceptæ, adhuc exercebantur. Quibus lem primum admonitione, deinde graviori adverſus refractarios increpatione tollendis, quum nihil proficeretur, & eo uſque malum proceſſiſſet, ut Civitas privatorum quorundam factione in diverſas partes ſcinderetur, & non pauci ſeſe in ordinem juratum redigi nullo modo paterentur, eo tandem deveniendum fuit, ut magno heroicoque Spiritu præditi Farellus, & Calvinus cum Coraldo Collega (quem quum ut antea diximus, ſtrenue Lutetiæ pro veritate depugnaſſet, Calvinus Baſileam, indeque Genevam poſtquam illic ipſe conſtitiſſet, perduxerat) aperte teſtarentur, ſeſe Cœnam Domini tam inter ſe diſcordibus, & ab omni Eccleſiaſtica diſciplina alienis civibus, rite celebrare non poſſe. Accedebat & aliud malum, quod videlicet in quibuſdam ritibus Eccleſia Genevenſis à Bernenſi diſcreparet. Utebantur enim Genevenſes pane communi, & Bapti-

M. D. XXXVIII.

& Baptisteria illa quæ vocant, tanquam ad Baptismi ministerium minus necessaria, itemque dies festos excepto die Dominico sustulerant, quibus de rebus quum Synodus Lausannæ à Bernensibus coacta sic decidisset, ut Azymum panem, illaque restitui Genevæ postularet, collegium autem Ministrorum Genevensium se prius audiri æquum duceret, eamque ob causam altera Tigurum Synodus esset indicta: his oblatis occasionibus, qui tum fuerant creati Syndici (annuus hic est summusque in Republica Genevensi Magistratus) factionum ac discordiarum duces populum convocant: eoque rem perducunt (frustra sese Calvino cum ejusdem sententiæ Collegis ad reddendam omnium rationem offerente) ut majore parte meliorem superante, tres isti fidi Dei servi intra biduum excedere urbe juberentur, quod Cœnam Domini celebrare recusassent. Hoc decretum quum esset Calvino renuntiatum; Certe, inquit, si hominibus servivissem, mala mihi merces persolveretur, sed bene est quod ei invervivi qui nunquam non servis suis rependit quod semel promisit. Et quis ista non existimasset certam perniciem Ecclesiæ Genevensi allatura? Eventus tamen contra ostendit divina providentia id factum, partim ut alibi opera fidelis servi sui usus, variis eum experimentis ad res majores instrueret, partim ut seditiosis illis suo ipsorum impetu subversis, Ecclesiam Genevensem à multis sordibus repurgaret. Usque adeo sese Dominus in cunctis suis operibus, ac præsertim in Ecclesiæ suæ gubernatione admirandum præbet. Sed hæc omnia postea res ipsa patefecit. Tum vero magno cum bonorum omnium dolore, tres illi edicto parentes, quum Tigurum primum venissent, ibique coacta Helveticarum Ecclesiarum aliquot Synodo, atque ex Synodi decreto per Bernensium intercessionem, tentatis, sed frustra Genevensium animis, Calvinus quidem Basileam inde sese, ac mox Argentinam contulit. Illic igitur ex illius urbis Senatus voluntate, à summis illis viris quibus tanquam lucidis gemmis illa tum Ecclesia fulgebat, Bucero, Capitone, Hedione, Nigro & aliis eorum collegis, ad Theologicam professionem proposito honesto stipendio evocatus, non modo Theologiam illic docuit magna cum doctorum omnium applausu, sed etiam ex Senatus consensu, Gallicam Ecclesiam, constituta etiam Ecclesiastica disciplina plantavit. Sic expectatione sua frustratus Satan, pro Genevensi Ecclesia Calvinum alibi exceptum, & aliam mox alibi natam Ecclesiam conspexit: nihilo interea segnius laborans, ut ædificium Genevense prorsus concussum penitus everteret. Itaque mox reperit male feriatos nonnullos, qui ut pictatis nescio cujus obtentu, iniquissimum illud decretum tegerent, panem communem quo antea in Cœna utebantur, in Azymum censerent converti oportere, scilicet ut novis dissidiis ansam præberent. Neque hoc consilium Satanam fefellisset, nisi Calvinus bonos nonnullos ista mutatione usque adeo offensos, ut etiam à Cœna sibi abstinendum putarent, serio monuisset, ne ob istud ἀδιάφορον litem moverent. Sic obtinuit panis Azymi usus: de quo etiam postea restitutus Calvinus, nunquam contendendum putavit, minime tamen dissimulans, quid alioqui magis esset probaturus. At ecce longe mox aliud periculosius malum, Anno videlicet M. D. xxxix. exortum, simulque Calvini diligentia extinctum. Erat tum Episcopus Carpentoratensis Jacobus Sadoletus magna eloquentia homo, sed qua inprimis ad opprimendam veritatis lucem abuteretur: nec aliam ob causam in Cardinalium numerum adscitus, quam ut vir alioqui vitæ non flagitiosæ, quos posset colores, falsæ religioni induceret. Is observata ejus temporis occasione, destitutum tantis pastoribus gregem, facile se intercepturum arbitratus, viciniam quoque prætexens (est enim Carpentoratensis Civitas Delphinatui, & hic rursus Sabaudiæ contiguus) literas dedit desideratissimis quos vocat, Senatui, Consilio, populoque Genevatium inscriptas: in quibus nihil eorum prætermisit, quæ ad eos in Rom. illius meretricis gremium revocandos pertinerent. Illis nemo tum erat Genevæ qui responsum opponeret: adeo ut nisi peregrino sermone scriptæ fuissent, magnum Civitati in eo rerum statu damnum daturæ fuisse videantur. At illas Calvinus Argentinæ quum legisset, omnium injuriarum oblitus, sic statim & vere & eloquenter respondit, ut ille mox totum istud negotium tanquam desperatum omiserit. Sed neque tamdiu expectavit Calvinus, ut legitimum illum pastoris affectum testaretur, quem adversus Genevenses ipsos, tum apud suos gravissime pro communi pietatis causa laborantes retinebat: cujus demum affectus luculentum testimonium exhibent insignes Epistolæ, quas ad illos anno ipso quo rejectus est ac proxime consecuto, Argentinæ dedit, quibus nimirum hoc unum agit, ut & ad resipiscentiam coram Deo, & ad tolerantiam adversus improbos, & ad pacem cum suis pastoribus fovendam, & ad Dei invocationem inprimis exhortetur: atque ita illos comparat ad optatam illam lucem ex suis illis funestissimis tenebris iterum expectandam, uti etiam eventus mirifice comprobavit. Tum quoque Institutionem Christianam multo auctiorem, Commentarios in Epistolam ad Romanos Symoni Grynæo amicissimo suo dicatos, aureolum denique libellum edidit de Cœna Domini, in Gallorum suorum usum, quem deinde Latinum fecit Galasius: quod argumentum ita dextre simul ac erudite videtur explicasse, ut ea tot infelicissimarum controversiarum decisio, in qua doctissimus ac optimus quisque merito acquievit, illi potissimum secundum Deum accepta feratur. Nec minor fuit ejus felicitas in multis in viam revocandis Anabaptistis, inter quos duo præcipui fuerant, unus Paulus Volsius, cui jam olim Erasmus suum illud Enchiridium militis Christiani dicaverat: quo pastore postea usa est Argentinensis Ecclesia: Alter Joannes quidam Storder Leodiensis, cujus postea pestis extincti

tinctividuam Idelletam nomine, gravem honestamque feminam, Calvinus ex Buceri consilio uxorem duxit. Hæc tum Calvini studia fuerunt Argentinæ ad annum usque M. D. XLI, quo anno fuerunt à Cæsare Wormatiam primum, deinde Ratisbonam Comitia componendis Religionis dissidiis convocata. Iis quod ita Theologorum Argentinensium collegio placuisset, Calvinus adfuit, minime, quod constat, Ecclesiis ac suæ præsertim Galliæ inutilis, & Domino Philippo Melanchthoni, & Gaspari Crucigero beatæ memoriæ inprimis gratus, adeo ut cum ille sæpe Theologum cognominarit, hic vero privatum de Cœna cum eo colloquium habuerit, ejusque cognitam sententiam diserte comprobarit. Jam autem advenerat illud tempus, quo constituerat Dominus Genevensis Ecclesiæ misereri. Itaque eorum Syndicorum unus, quorum opera factum fuerat decretum, ut fidi pastores ejicerentur, ita sese in Reipublicæ administratione gessit, ut seditionis reus, dum per fenestram propripere se conatur, præceps ruens, ut erat ingenti corporis mole, ita sese attriverit, ut intra paucos dies ex illo casu sit extinctus. Alter homicidio perpetrato, capite multatus est. Reliqui duo malæ etiam administratæ in quadam legatione Reipublicæ accusati, solum verterint, sintque absentes damnati. His veluti spumæ sordibus ejectis, Civitas Farellum suum & Calvinum cœpit requirere. Ac quum de Farello recuperando à Neocomensibus minimum spei affulgeret, enixe demum in Calvinum intenta, Argentinam Legati adjuncta etiam Tigurinorum intercessione mittuntur, qui ab Argentinensibus Calvinum repetant. Argentinenses præbent se difficiles. Calvinus ipse, quamvis quæ improborum quorundam culpa sustinuerat, ipsius in Genevenses animum nihil immutassent, tamen à turbis abhorrens, & quod Dominum videret ministerio suo in Argentinensi Ecclesia benedicere, plane se rediturum negare. Bucerus quoque & cæteri ægerrime se illum dimissuros testari. Perstantibus tamen Genevensibus, censuit tandem Bucerus illorum precibus esse ad tempus concedendum: quod tamen à Calvino nonnisi interposita gravi divini judicii denuntiatione, & proposito Jonæ exemplo fuit impetratum. Sed quoniam in id tempus hæc inciderant, quo Calvino Ratisbonam ad Comitia (sic enim fuerat decretum) cum Bucero proficiscendum erat, dilata fuit ejus discessio: & tantisper à Bernensibus impetrarunt Genevenses, ut Petrus Viretus Lausanna Genevam iret. Quo libentius in urbem rediit Calvinus, eum videlicet habiturus collegam, cujus opera & consilio in instauranda Ecclesia plurimum adjuvari posset. Sic aliquot menses præteriere, quibus tandem elapsis Calvinus XIII. Septemb. Anno Domini M. D. XLI. Genevam regressus est, summa cum universi populi, ac Senatus inprimis, singulare Dei erga se beneficium serio tum agnoscentis congratulatione: ut Argentinenses urgere nunquam destiterit, ut quod de certo illo temporis spatio cautum fuerat, expungeretur. Concesserunt id quoque tandem Argentinenses, ea tamen conditione, ut jus civitatis honorarium quod in Calvinum contulerant, salvum esset, & *præbendæ* quam vocant annuos reditus retineret. Quorum illud probavit Calvinus, istud vero ut acciperet nunquam ab eo extorqueri potuit, ut qui nihil minus quam opes curaret. Restitutus autem Ecclesiæ suæ flagitanti Calvinus, hanc in illius instaurationem rationem tenuit, ut quod eam urbem videret omnino his frænis indigere, testaretur inprimis, se non posse ministerio suo rite fungi, nisi una cum doctrina Christiana, Presbyterium quoque legitimum cum ἐκκλησιαστικῇ recipieretur. Tum igitur (qua de re mox plenius dicemus) Presbyterorum deligendorum, & totius illius ordinis leges perlatæ sunt verbo Dei consentaneæ, & civibus ipsis gratæ, quas postea miris modis Satan abrogare frustra est conatus. Scripsit quoque Catechismum Gallice & Latine, ab illo priore minime discrepantem, sed multo auctiorem, & in quæstiones ac responsiones distributum: quem merito nobis licet admirandum quoddam opus vocare, tantopere plurimis etiam exteris populis probatum, ut non modo vernaculis plurimis linguis, ut pote Germanica, Anglica, Scotica, Belgica, Hispanica, sed etiam Hebraice ab Immanuele Tremelio Judæo Christiano, & Græce ab Henrico Stephano legatur elegantissime conversus. Qui deinceps fuerint ordinarii ejus labores, ex re ipsa dijudicari potest. Alternis hebdomadibus totis concionabatur, triduo vero docebat: singulis diebus Jovis Presbyterii cognitionem regebat, diebus Veneris in communi collatione Scripturæ, quam Congregationem vocamus, justam pene lectionem habebat: varios sacros libros doctissimis Commentariis illustrabat, modo Religionis hostibus respondebat, modo necessariis de rebus undiquaque scribebat. Quæ quisquis attente legerit, mirabitur tot tantisque laboribus unicum homunculum sufficere potuisse. Utebatur autem plurimum Farello & Vireto, quibus tamen ipse multo plus conferebat. Sed eorum amicitia & conjunctione non minus improbis invisa, quam piis omnibus jucunda mirabiliter delectabatur. Et sane jucundissimum erat spectaculum, tres istos tantos in Ecclesia Dei viros usque adeo in opere divino consentientes, eosque diversis donis florentes cernere & audire. Excellebat quadam animi magnitudine Farellus, cujus vel audire absque tremore tonitrua, vel ardentissimas preces percipere nemo posset, quin in ipsum pene cœlum subveheretur. Viretus facundiæ suavitate sic excellebat, ut auditores ab ipsius ore necessario penderent. Calvinus quot sonabat verba, tot gravissimis sententiis auditoris mentem explebat: ut sæpe mihi in mentem venerit, perfectum quodammodo videri posse pastorem, qui ex tribus illis esset conflatus. Ut ad Calvinum redeam, non his modo curis, sed domesticis etiam externisque aliis multis exercebatur. Sic enim Dominus benedicebat

ejus

ejus Ministerio, ut ex omnibus orbis Christiani partibus partim ejus consilium in causa Religionis efflagitarent, partim ad eum audiendum concurrerent: adeo ut Italicam, Anglicam, Hispanicam denique Ecclesiam Genevæ viderimus, neque tot capiendis hospitibus sufficere posse una civitas videretur. Domi vero etsi à bonis colebatur, ab improbis metuebatur, & optime res erant constitutæ, non deerant tamen qui treone illum exercerent. Quæ certamina figillatim explicabimus, ut habeant posteri singulare fortitudinis exemplum, quod pro viribus imitentur. Igitur ut ad historiam redeamus, simulatque in urbem redit, memor illius Sententiæ, *Quærendum esse primum regnum Dei, ut cetera adjiciantur*, nihil habuit antiquius, quam ut Ecclesiasticæ politiæ leges verbo Dei consentaneæ, ex Senatus consensu perscriberentur: à quibus postea discedere, neque Ministris ipsis, neque civibus liceret. Id vero adeo ante probatum, nonnullis sensim ex vulgo, atque ex primariis civibus qui Papam quidem exuerant, Christum vero, nomine tenus induerant, odiosum fuit. Noonulli quoque ex iis Ministris, qui bonis illis ejectis in urbe manserant (quorum tamen præcipui postea flagitiorum rei turpiter stationem deseruerunt) etsi restimooio conscientiæ coovicti repugnare non audebant, clanculum tamen obsistebant, seque in ordinem cogi non facile patiebantur. Neque vero deerat quod huic suæ improbitati prætexerent, aliarum videlicet Ecclesiarum exemplum, in quibus nullus esset excommuoicatiooi locus. Non deerant denique, qui Papisticam tyrannidem sic revocari clamitarent. Sed has difficultates vicit Calvioi constantia, cum insigni moderatione coojuncta: qui quum ex sacris literis non doctrinæ modo, verum etiam administratioois Ecclesiasticæ peteodam esse rationem demoostrasset, & doctissimorum ejus seculi homioum, veluti OEcolampadii, Zuinghi, Zuichii, Philippi, Buceri, Capitoois, Myconii sententiam ex ipsorum scriptis ostendisset: nec propterea damnari Ecclesias ipsas tanquam non Christianas, quæ eousque nondum promovissent, vel eos pastores qui suos greges ep præoo ooo iodigere exisiimarent: denique demonstrasset quantum inter papisticam tyrannidem & jugum Domini interesset, obrinnit facile, ut Ecclesiasticæ politiæ leges quibus etiamoum utitur hæc Ecclesia, summo coosensu conscriptæ, perlectæ, populique suffragiis probatæ 20 Novemb. reciperentur. Hæc etsi feliciter erant cœpta, tamen quum non sine difficultate reipsa usurpari posse consideraret Calvinus, totus in eo erat, ut & Viretum, quem ad tempus duotaxat aliquod concesseraot Bernenses, & Farellum, quem Neocomenses ejectum exceperant, Collegas perpetuo haberet: sed hoc frustra tentavit, Vireto mox Lausanoam reverso, Farello vero Neocomi permanente, ut restitutæ hujus Ecclesiæ laudem peoe solus reportaret. Anoo sequeote Calvioum non pauca exercuerunt, ut eoim quæ domi urgebant præteream, instabat tum foris etiam inflammatus hostium Euaogelii furor, multos ex Gallia, & Italia in victoam & celebris jam nominis urbem extrudens: quibus consolandis omnisque officii genere reficieodis, mirum quanto studio sese jam tum impeoderit: ut eos omittam quos 10 ipsis leonum faucibus versantes, undiquaque missis literis solabatur. Accessit eo aooo duplex aliud maximum malum, aononæ videlicet caritas, & pestis plerunque illius comes. Erat autem hæc jam tum Geoevæ consuetudo, ut peste laborantes sunm extra urbem Nosocomium haberent: ubi quum pastoris constaotis ac seduli opera requireretur, plerisque cootagionis periculum detrectantibus, tres sese obtulerniot, Calvious videlicet, Sebastiaous Castellio (de quo postea plura dicturi sumus) & Petrus quidam Blanchetus: inter quos sortitione facta, quum Castellio cui sors obtigerat, mutata oihilominus senteotia, subire hoc onus impudeoter detrectaret, Calvinum invitum Senatus, ipseque adeo Blanchetus hoc onus in se recipiens, amplius sortiri prohibnerunt Tum quoque alia gravia iociderunt. Nam & Petrum Tossaoum Monsbelgardensem Pastorem exercebat cootroversia de Cœna Domini, & Basileæ quoque non deerant qui Ecclesiasticæ disciplinæ vix jacta fuodamenta, frustra in contrarium laborante Myconio, subruerent, qui duo consilia cum Calvino conferebant. Apud Mediomatrices autem sive Metenses etsi Farellus eo evocatus feliciter laborabat, opus tamen Domini partim per Apostatam P. Caroli cujus antea meminimus, valde impediebatur. Quibus in rebus quantum scribendo, monendo, hortando, modis omnibus denique laborarit Calvinus, partim ex ejus editis literis intelligi potest, partim vero qui sunt adhuc superstites testificantur. Sed & audacior quam unquam antea Sorbooa P. Liseri tum 10 Parlamento Parisiensi principis infaustæ infeliciſque memoriæ hominis favore, ansa fuit facinus, quod mirum videri posset Episcopos, aut ipsum saltem Pontificem pati potuisse: nisi jampridem Ecclesiarum opibus inter se ut ioter prædones fieri solet, dispertiendis occupati, suo præcipuo muoere quod in administratione verbi positum esset, ultro bonis iltis quos vocant doctoribns cessissent: ea tameo conditione, ut tanquam canes dominis suis illis subserviant, ex qnorum mensis ossa tandem millies abligurita corrodunt. Ausa fuerat igitur Sorbona, nullo neque divino neque humano jure fulta, fidei Christianæ articulos præscribere, ejusmodi quidem, ut tum sua falsitate, tum illis summis ineptiis quæ sunt illi sodalitati familiares, omnem sibi ipsis auctoritatem apud homines non prorsus amentes merito derogare potuerint: quibus tamen alii metu, alii per imperitiam ultro subscripserant. Itaque respondit iis Calvinus, ita ut & errores solidis rationibus pererudite refutaret, & eorundem stultitiam omnibus non penitus insulsis suaviter deridendam propinaret. Sic est annus ille exactus, quem alius nihilo mitior excepit, iisdem malis, caritate videlicet ac

ac peſte Sabaudiam infeſtantibus: & pergente viciſſim Calvino domi quidem ſuos confirmare, foris vero Eccleſiarum hoſtes fortiter reprimere, editis præſertim libris quatuor de liberi arbitrii controverſia, quos Philippo Melanchthoni dicavit, adverſus Albertum Pighium Campenſem, ſophiſtam illius ætatis facile principem, à quo etiam fuerat pro Antagoniſta delectus, ex quo videlicet reportata inſigni victoria, galerum mox à Pontifice conſequeretur. At ille hoc ſuo labore fruſtratus, id unum aſſequutus eſt quod merentur veritatis hoſtes, nempe ut & doctis ſanisque hominibus fœeteret, & ab ipſo Satana deciperetur. Eos autem libros quanti faceret teſtatus eſt ſuis literis Philippus. quas idcirco etiam edendas putavimus, ut habeat poſteritas certum luculentumque teſtimonium, quod adverſus utriuſque calumniatores opponat. Sed & ex ejuſdem Calvini literis eòdem anno Eccleſiæ Monsbelgardenſi ſcriptis, quid ſit iis reſpondendum quivis cognoſcet, qui de nimia ipſius ſeveritate in exercendis Eccleſiaſticæ politiæ legibus queruntur. Sequutus eſt annus ſupra ſeſquimilleſimum quadrageſimus quartus, in quo Calvinus de Neocomenſium in Eccleſiaſticis cenſuris inſtituto ſuam ſententiam aperuit. Domi vero Sebaſt. ille Caſtellio, cujus antea levitatem notavimus, ut erat quadam μικροψυχία ſpecie ineptiſſime ambitioſus, ac plane ex eorum genere, quos Græci ἰδιογλώσσους appellant, indignatus quod ſuas ineptias in Gallica Novi Teſtamenti verſione Calvinus non probaſſet, conſuque efferbuit, ut exotica quædam docere non contentus, palam etiam Canticum Solomonis tanquam impuram & obſcœnam cantionem ex Canone expungi juberet, & repugnantes Miniſtros atrociſſimis convitiis proſcinderet. Id illi vero ſibi non ferendum merito rati, hominem ad Senatum vocant: ubi pridie Cal. Junii patientiſſime auditus, cognitaque cauſa calumniæ damnatus, ex urbe excedere juſſus eſt. Inde Baſileam quum veniſſet, tandem ibi admiſſus, qualem ſe præſtiterit, alibi à nobis dicetur. Cæterum anno ſuperiore quum Carolus V. adverſus Gallum totis viribus movens Germanis ſic caviſſet, ut tantiſper dum Concilium univerſale cogeretur, quod ſeſe curaturum promittebat, neutri partium præjudicio facto inter quas de Religione diſceptabatur, utrinque pari inter ſe jure uterentur: plurimum ea re commotus Pontifex Romanus Paulus III. graviſſimam in ipſum Cæſarem expoſtulationem edidit, quod Catholicis hæreticos ſcilicet exæquaſſet, & in alienam meſſem injeciſſe falcem videretur. Reſpondit Cæſar quod æquum cenſuit. Calvinus autem, quod in iis literis graviter læſa erat Euangelii veritas piorumque innocentia, Pontificis audaciam repreſſit. Fuerunt tum Spiræ coacta imperii Comitia: qua accepta occaſione Calvinus libellum edidit de Neceſſitate reformandæ Eccleſiæ, quo haud ſatis ſcio an aut nervoſius, aut gravius ejus argumenti ſcriptum noſtro ſeculo editum fuerit. Eodem anno Calvinus tum Anabaptiſtas tum Libertinos (in quibus veteres omnes quantumvis portentoſæ renovatæ ſunt hæreſes) duobus libellis ita refutavit, ut neminem iis attente lectis arbitrer extitiſſe, qui vel ab iſtis niſi ſciens & prudens decipi potuerit, vel ſi antea deceptus erat, non ultro in rectam viam redierit: offenſa tamen iſto libro in Libertinos edito Navarrena, quod ab illius horrendæ ſectæ Anteſignanis duobus Quintino & Pocqueto, quos nominatim Calvinus arguerat (rem pene incredibilem) eo uſque fuiſſet faſcinata, ut quum alioquin illorum myſterium non teneret, pro bonis viris illos haberet, ac proinde ſeſe quodammodo per eorum latus confoſſam arbitraretur. Quod quum intellexiſſet Calvinus, ſic illi mira quadam moderatione reſpondit, ut & dignitatis, & collatorum ab hac Regina in Eccleſiam Chriſti beneficiorum memor, ingenue tamen & cordate ut fortem Dei ſervum oportuit, nimiam illius in admittendis iſtiusmodi hominibus imprudentiam reprehenderit, & miniſterii ſui auctoritatem aſſeruerit: effecerit denique ut horrendæ Libertinorum ſectæ homines, qui in Galliam uſque ſeſe effundere cœperant, poſtea ſeſe intra Hollandiæ & proximarum regionum fines continuerint. Tot autem illius anni laboribus defunctum, nova rurſum certamina ſequentis anni eaque longe graviſſima exceperunt. Nam quaſi peſtis divinitus immiſſa exhauriendæ civitati totique viciniæ non ſufficeret, uſque adeo apud pauperculos nonnullos avaritia tum valuit, quorum opera ditiores in curandis ægrotis ac repurgandis ædibus uterentur, ut & horrenda conjuratione peſtifero unguine domorum poſtes ac limina atque alia quævis obvia inficerent, unde mox dira peſtis ſequebatur, & horrendo jurejurando ſolenniter concepto inter, ſe Sataneæ ſe manciparent, ſi ſceleris conſcios ullis tormentis adacti prodidiſſent. Non pauci tamen partim in urbe, partim in vicinis regionibus deprehenſi, juſtiſque ſuppliciis ſunt affecti. Sed incredibile dictu eſt, quantam Genevæ & ipſi inprimis Calvino invidiam Satan hoc artificio conflarit, quaſi ſcilicet ibi plane ille regnaret, ubi quam maxime oppugnabatur. Fuit hic idem annus infamis illa pluſquam immani carnificina, quam Aquenſe Parlamentum in fratres Waldenſes Merindolæ, & Cabrieris, totoque illo tractu, non in unum aut alterum quempiam, ſed in populos ipſos nullo nec ætatis, nec ſexus diſcrimine, incenſis etiam vicis exercuit. Hæc autem mala Calvinum, refugientes Genevam pauculos ſolantem ac reficientem, eo vehementius premebant, quod eos antea literis, ſummiſſiſque paſtoribus pure in Euangelio inſtituendos curarat, ſuaque apud Germaniæ Principes & Helveticas civitates interceſſione periclitantes antea ſervarat. Gliſcebat tum quoque rurſum infelix illa de Cœna Domini decertatio, Oſiandro homine ſuperbo monſtroſique ingenii ſopitam flammam fodiente: quod incendium quominus ſopiretur, per Calvinum certe non ſtetit, cujus ea de re ad Philippum unam & alteram Epiſtolam edendam curavimus. Sed utriuſque ſanis conſiliis nullum locum tribuit ejus hominis intemperies,

M.D. XLIV.

M.D. XLV.

peries, quem uterque Periclem vocat. Interea pestis in urbe desæviens multos bonos tollebat. Calvinus autem ex suggestu in nonnullorum flagitia, ac præsertim adversus scortationes quæ ne tum quidem desinere poterant, pro viribus detonabat, bonis quidem adsentientibus, sed paucis quibusdam δυσμενέσι bonorum conatus infringentibus, donec ipsi sese ultro, sicuti suo loco dicetur, præcipites dederunt. Accedebat denique ad hæc mala, quod tum quoque non deessent parum illæ quidem tempestivæ de jure Civitatis disceptationes: nec pati possent aliunde fideles pastores Ecclesiastica bona pontificiis erepta non sic ut oportuit plerisque locis administrari: Multi tunc clamores, multæ querelæ, multi denique scribendo ac loquendo labores, sed frustra plerumque suscepti: aperte quidem profitente Calvino, se quidem tot sacrilegiis minime favere, quæ divinitus tandem sciret severissime vindicanda, sed in eo tamen justum Dei judicium agnoscere, quod bona tam male prius à sacrificis acquisita, non sineret Dominus Ecclesiarum ærariis inferri. Alia præterea duplex solicitudo Calvinum eodem hoc anno domi simul & foris exercuit. Redierat tum Genevam patriam suam veterator quidam, quamvis adhuc juvenis, postquam aliquamdiu Eremitam in Galliis simulasset. Eum pietatis speciem initio præ se ferentem Calvinus (homo si quisquam alius in deprehendendis aliorum ingeniis sagacis solertisque judicii) quum mox agnovisset, admonere primum ac mox liberius etiam, postea ambitiose nimium in congregationis cœtu sese efferentem increpare cœpit Hoc ille non ferens, reperit facile ex iis in quorum scelera invehi solitus erat Calvinus, quorum favore & studio adjuvaretur: adeo ut quum forte ageretur de pastore in mortui locum subrogando, palam ille cum suis sacrum Ministerium ambiret. quid multis? interposita sua auctoritate jubet Senatus istius rationem haberi. Obstitit cum suis collegis Calvinus, & quantopere hic ambitus verbo Dei repugnaret, ostendit: obtinuitque bona cum Senatus venia, ut scriptis Ecclesiasticis legibus staretur. Erant tunc quoque in Galliis nonnulli qui persecutionum metu initio lapsi cousque postea sibi placere cœperant, ut eos negarent peccare, qui in veram Religionem intenti, corpore duntaxat Pontificiis sacris interessent. Hunc igitur pernicioſissimum errorem jam olim à patribus damnatum Calvinus, cujus illi severitatem nimiam esse causabantur, & scripto luculento refutavit, & adjunctis doctissimorum Theologorum Philippi Melanchthonis, Buceri, P. Martyris, & Ecclesiæ Tigurinæ sententiis ita coërcuit, ut ab eo tempore piis omnibus fœtuerit Nicodemitarum nomen: Ita enim illi vocabantur, qui errori suo sanctissimi viri illius exemplum prætexerent. Hunc annum alius nihilo mitior excepit. Prætterquam enim quod adversus M. D. frequentes nuntios de Cæsaris adversus Religionem molitionibus, & Pontificis fraudes, à XLVI. quo summissos incendiarios ferebant, confirmandus erat civium animus, deplorandus erat in eo præcipue civitatis status, quod tantum abesset ut improborum petulantia tot ferulis domari se pateretur, ut contra magis efferretur, adeoque prorsus erumperet. Erant enim ducem nacti vanissimum quidem, sed audacem & ambitiosum inprimis (quem idcirco Calvinus Comici Cæsaris nomine in suis Epistolis designat) Amedeum Perrmum nomine, hoc etiam jampridem consecutum, ut Generalis Capitaneus populi suffragiis crearetur. Is ratus id quod res erat, stare se suique similes, vigentibus legibus, ac præsertim Calvino assidue adversus eorum lasciviam detonante, non posse, tandem quid una cum suis meditaretur, aperte hoc anno prodere cœpit. quod quum animadversum simul ac repressum fuisset Senatorum auctoritate, tacuit ipse quidem, sed ita ut mox apertius improbitas sese proderet. Ecce enim paulo post ex ipso Senatu quidam, in hominum cœtu satis frequenti, Calvinum ut falsa docentem corripit, à duobus ex pastorum collegio (ut existimatur) clanculum impulsus, ebrioso utroque, nec minus quam cæteri severitatem legum metuente. Et hunc quidem latratum Calvinus nihil est moratus. Vocatur tamen ille in jus, cognitaque causa ex S C. infamiæ damnatur, conjunctique duo illi falsi pastores exauctorantur, ipsaque adeo cœnopolia interdicuntur, tantum abest ut malorum improbitas quicquam valuerit. Quod autem incen- M. D. dium hoc anno repressum fuerat, eo qui proxime sequutus est, nempe quadragesimo septimo XLVII. supra sesquimillesimum prorsus erupit, nec aliud tempus eo seculo magis calamitosum incidit: Germaniæ Ecclesiis eo redactis, ut una cum proceribus & urbibus partim sese ultro dedentibus, partim vi captis, uno momento eversum videretur, quicquid tot annis tantisque laboribus extructum fuerat, iique demum beati à plerisque haberentur, quos istis tumultibus tempestiva mors eripuisset. His publicis tot Ecclesiarum calamitatibus quantopere pium illud pectus cruciatum existimabimus, non aliter etiam in media pace in Ecclesias quantumvis remotas affectum, quam si omnes illas humeris impositas gestaret? Quid vero? Quum summos illos viros quos amicissimos habuit, Philippum dico, Bucerum, Martyrem videret ita periclitantes, ut morti quam vitæ propiores essent, quantis eum doloribus conflictatum putabimus? Fortissimo tamen animo Calvinum tempestates istas superasse, tum ipsius scripta testantur, tum etiam res ipsa comprobavit: quum domi multo acrius ab improbis vexatus, suo tamen ex illo gradu ipsis ne tantillum quidem cesserit. Itaque ut ad domestica certamina redeam, quum in eo totus esset, ut Euangelium quod annuntiabat, ostenderet non in speculatione quadam, sed in ipsa Christiana vita positum esse, hostes eos necessario expertus est, qui omni pietati ac honestati, ipsi denique patriæ bellum indixerant. Eorum ut ante diximus, facile princeps erat Perrinus ille, quum ea tam esset & illius & suorum conditio, ut & ab ipsis extrema quævis tentanda constaret, & improbi aperte instarent,

ut iſtorum omnium cognitio à Presbyterio ad Senatum transferretur. Presbyterium ex adverſo urgere, ſanctas de Eccleſiaſtica diſciplina leges verbo Dei conſentaneas, ipſinſque adeo Senatus opem implorare, ne quid detrimenti acciperet Eccleſia. Judicavit Senatus ratas eſſe Eccleſiaſticas leges oportere, illudque reipſa confirmavit. Ac tandem quum ille ſua audacia ſeſe in extremum diſcrimen conjeciſſet, exitus totius rei is tum quidem fuit, ut Senatu motus, abrogatoque Capitanei nomine privatus viveret. Hæc autem omnia, etſi coram Magiſtratu agebantur, dici tamen non poteſt, quantopere Calvinum exercuerint: ſiquidem conſuque ſemel in ipſa Curia coactis Diaconiis devenrum eſt, ut pene exertis jam enſibus, parum abfuerit quin mutuis cædibus Curiam ipſam cruentarent: quam ſeditionem Calvinus cum collegis ſuperveniens, oppoſito inprimis ſuo ipſius capite inhibuit, quanquam ſceleratorum factio in illum præcipue ferretur: ipſo nihilominus eorum ſcelera pergente graviſſime deteſtati, eoſque graviſſime prout merebantur increpare. Neque vero vana fuit judiciorum Dei denuntiatio. Siquidem per id tempus quidam famoſum libellum ſcripſiſſe, & facto pulpito adfixiſſe deprehenſus, in quo tum alia multa nefaria in ſacrum Miniſterium, tum etiam illud ſcriptum erat, Calvinum eſſe in Rhodanum præcipitandum, cauſa dicta infinitarum aliarum blaſphemiarum præter expectationem convictus, capitis ſupplicio affectus eſt. Quinetiam poſt ejus interitum inventus eſt libellus, ipſius manu adverſus Moſen ipſumque adeo Chriſtum ex profeſſo ſcriptus, quo impietatis ſcelere dubium non erat, quin alios etiam aliquot inſeciſſet. Scripſit autem hoc ipſo anno in mediis illis certaminibus Calvinus Antidotum adverſus Tridentini conciliabuli ſeſſiones ſeptem: itemque Rotomagenſem Eccleſiam miſſis literis adverſus Franciſcani cujuſdam fraudes, renovatorum à Liber-
M. D. XLVIII. tinis Carpocratis errorum venenum ibi ſpargentis, confirmavit. Anno ſequente, id eſt, quadrageſimo octavo ſupra ſeſquimilleſimum, erupit ejuſdem illius factionis malum, iis (quod pene incredibile eſt) maxime abutente Satana, qui tamen præcipue mederi malis iſtis ſtudebant, Farello nempe & Viretо. Qui ineunte ſtatim anno quum Genevam veniſſent, & orationem in Senatu graviſſimam de componendis diſſidiis habuiſſent, Calvino quidem nihil aliud quam emendationem morum poſtulante, Perrino vero eum ſuis nihil non ſimulante, ut priſtinum locum reciperet, rum quidem viſa ſunt omnia compoſita, ſed bonis viris impoſitum potius fuiſſe, res ipſa mox comprobavit. Perrino ſiquidem teſtituto, eo uſque ſeſe extulit ſceleratorum improbitas, ut thoracibus etiam quibuſdam in crucis modum diſſectis, quibus ſeſe mutuo agnoſcerent, palam uterentur, & alii ſuis Canibus Calvini nomen imponerent, alii Calvinum in Cainum transformarent, non pauci denique illius odio abſtinere ſe à Cœna Dom. teſtarentur, quæ omnia quum fortiter ille & collegæ ipſius reprehenderent, vocatis in Senatum, vicit quidem facile bonorum innocentia: tandemque XVIII. Dec. ſolenni jurejurando ſanctа rurſum eſt *damnata*. Sed hæc omnia per ſimulationem facta fuiſſe, nec aliud tum quæſiviſſe Perrinum, quam ut Syndicatum adeptus, aditum ſibi & ſuis ad omnia perdenda magis ac magis patefaceret, eventus comprobavit. Calvinus autem iſtis concertationibus non modo non ceſſit, verumetiam quaſi in otio ſex Epiſtolas Pauli doctiſſimis commentariis illuſtravit: & Interim illud quod vocant, peſſundandis Germanicis Eccleſiis edirum, graviſſimo ſcripto refutavit, veramque inſtaurandæ Eccleſiæ rationem oſtendit: Aſtrologiæ denique quam judiciariam vocant, cui pluſculum tribuere non pauci videbantur, falſitatem atque vanitatem elegantiſſimo libello patefecit. Tum quoque à Brentio Baſilæ exulante literis ſalutatus, amiciſſime illum conſolatus eſt, in qua conjunctione utinam perſtare Brentius inſtitiſſet: Bucerum in Anglia exulantem tunc quoque ingenue monuit, ut magis perſpicue de Cœna Domini ſcriberet ac loqueretur, & amiciſſime ſolatus eſt. Simulque Sommerſerum Ducem Angliæ protectorem, indigniſſima poſtea morte affectum, accurate ſcriptis literis eorum admonuit, quæ ſi tum eſſent in illo regno animadverſa, multas ſortaſſe tempeſtates Eccleſiæ Anglicanæ devitaſſent. Cteſcebat in iſtis certaminibus mirabiliter Eccleſia Genevenſis, quod ut mirum in modum Satanam & malos angebat, ita Calvini excipiendis pro Chriſti nomine exulibus intenti ſtudium vehementer acuebat: cui ſolicitudini ſic favit anno conſequente Dominus, ut etſi non extincta prorſus, attamen ad tempus ſopita ſutioſorum improbitas videretur. Et ſane induciis egebat ille, præſertim caſu domeſtico graviter afflictus: amiſſa videlicet uxore lectiſſima femina, quem tamen caſum ita conſtanter tulit, ut hac etiam in re ſingulare ſortitudinis exemplum toti Eccleſiæ præbuerit.
M. D. XLIX. Eodem hoc anno, exorta in Saxonicis Eccleſiis contentione de tebus Adiaphoris, quum à Calvino quoque conſilium peteretur, ſententiam hac de re ſuam libere expoſuit: Philippo etiam officii admonito, quem nonnulli ut in eo molliorem accuſabant, immerito id quidem, ut accuratius poſtea Calvinus cognovit. Tum enim erat ignotum quo animo malus ille genius, & tota Flaccianorum cohors impelleretur: quæ tot poſtea turbas dedit, & nunc quoque opus Domini labefactat, non aliter ſane, nec minus impudenter ac futioſe, quam ſi ab ipſo Rom. Pont. magnis ſtipendiis eſſet conducta. Cæterum hoc Eccleſiis Germanicis inflictum vulnus contrario beneficio Dominus apud Helveticos compenſavit, Farello ſimul ac Calvino Tigurum profectis, ut quum viſus eſſet quibuſdam Calvinus conſubſtantiationi nonnihil favere, de communi in ea re omnium Helveticarum Eccleſiarum conſenſu omnibus liqueret. Neque vero difficile factu fuit, ut inter bonos & veritatis amantes conveniret. Scripta eſt igitur ſumma omnium Helveticarum & Rheticarum Eccleſiarum approbatione

con-

conſenſio, quæ præſertim D. Bulingerum cum Calvino, Tigurinamque Eccleſiam cum Genevenſi arctiſſimo vinculo magis ac magis colligavit, in qua etiam omnes adhuc perſtamus, & ad extremum uſque favente Deo perſtituros nos ſperamus. Sic annus ille felix nobis exactus eſt, ſi cum cæteris conferatur: cujus eo libentius memini, quod is mihi primæ ad Eccleſiaſticas functiones vocationis meæ, vocante me Lauſannenſi Eccleſia, impellente vero Calvino, initium fuerit. Scripſit quoque per id tempus binas eruditiſſimas epiſtolas Lælio Socino Senenſi Tiguri diu verſato, ac tandem etiam mortuo. Ex iis vero quod fuerit illius ingenium, nempe plane Academicum, facile quivis dignoſcet, res autem ipſa fero ac non niſi poſt ejus obitum patefecit: quum Eccleſias peragrans, ac doctiſſimum quemque, ac in iis inprimis Philippum, Calvinum, Joach. denique Camerarium (à quo in Philippi vita perhonorifico teſtimonio, contra quam mereretur, ornatus eſt) fefelliſſet. Siquidem illum poſtea Bellianæ, de qua ſuo loco dicemus, farraginis maxima ex parte auctorem fuiſſe, & Serveti, Caſtellionis, Ochini denique furoribus faviſſe compertum eſt, extante etiam illius in illud illuſtre primum caput Joannis commentario, in quo facile omnium qui unquam illum locum longe diviniſſimum corruperunt, hæreticorum impietatem ſuperavit. Qui hunc excepit annus nempe quinquageſimus ſupra ſeſquimilleſimum, ſatis quod ad Eccleſiam attinet tranquillus fuit: coque decretum eſt ut Miniſtri non tantum in concionibus, quas alii negligebant, alii non magno cum fructu audiebant, ſed etiam ſigillatim per domos & familias certo anni tempore adhibito cujuſque regionis urbis Decurione, itemque Presbytero, plebem inſtituerent, & ab unoquoque fidei rationem ſummatim expoſcerent: qua ex re vix credibile eſt, quantus ſit fructus conſequutus. Alterum decretum, ut in proximum diem referretur Natalium D. celebratio, nec ulli alii feſti dies eſſent præter ſeptimum quemque, quem Dominicum vocamus, factum plurimos offendit, adeo quidem ut non deeſſent, qui dies ipſos Dominicos à Calvino ſublatos confingerent, ut eum in invidiam vocarent: quum tamen non modo non poſtulante, ſed etiam ignorante Miniſtrorum collegio, actum ea de re apud populum, decretumque fuiſſe conſtaret, cujus tamen cauſa litem non eſſe movendam Calvinus exiſtimavit. Offendiculum autem inde à nonnullis acceptum Calvino præbuit libelli de Scandalis ſcribendi occaſionem, Laurentio Normendio integerrimo veteriquè amico inſcripti. Hujus autem biennii tranquillitatem diſſidia ſequentis quinquageſimi primi, nempe ſupra ſeſquimilleſimum facile compenſarunt. Nam præterquam quod toti Eccleſiæ, ac Calvino nominatim luctuoſus fuit Buceri morte, quem virum ſummè dilexerat, itemque Joach. Vadiani Conſulis Sangallenſis viri ſingulari tum pietate tum eruditione præditi interitu, efferbuit factioſorum improbitas eo ardentius, quo diutius ſopita deliterat: adeo ut palam negarent cum adventantibus exulibus jus Civitatis communicandum: nec eo contenti, Calvinum ipſum ex concione trans Rhodanum habita redeuntem per ludibrium pulſarint, & Raymundum ejus Collegam, nocte forte ponem Rhodani tranſeuntem, exempta furtim ſublica pene in ſubjectum fluvium præcipitarint: denique in ipſo D. Gervaſii templo tumultum non parvum eo prætextu excitarint, quod Miniſter infanti ad Baptiſmum oblato indere Balthaſaris nomen (quoniam id diſerte leges ſcriptæ ob certam cauſam prohibebant) recuſaret. Neque tum adverſus hæc mala quicquam erat quod Calvinus opponeret, præter fortem invictamque patientiam. Sed & aliud novum malum Genevenſem Eccleſiam per id tempus invaſit. Dedit autem occaſionem Hieronymus quidam Bolſecus ex Carmilitarum ſocietate Lutetiæ monachus, qui quum aliquot ante annos cuculla quidem abjecta, ſed monachiſmo retento profugiſſet, idem etiam deceptæ Ferrarienſi Ducisſæ ab ea pulſus, ac tandem triduo medicus factus Genevam venerat: ubi quum inter eruditos Medicos nullo loco eſſet, ut ſeſe Theologum eſſe oſtenderet, falſum & abſurdum quiddam de prædeſtinatione inter aliquos, ac tandem etiam in congregationis cœtu blateravit. Eum Calvinus primum moderata reprehenſione contentus refutaverat, deinde ad ſe vocatum docere meliora fuerat conatus. At ille ſive ambitione monaſtica percitus, ſive ab illis factioſis, jampridem quærentibus per quem Calvinum lacceſſerent, incitatus, palam auſus eſt in ipſo congregationis cœtu XVI. Octob. quum ille Joannis locus explicaretur, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, & quia non auditis, ex Deo non eſtis*, liberum arbitrium & operum præviſionem ad æternæ prædeſtinationis decretum, cauſis omnibus etiam ordine ſuperius, evertendum, adjectis etiam in veram doctrinam contumeliis, faſtuque meræ ſeditioſo proferre: idque eo ut exiſtimatur audacius, quod forte Calvinum ſuo loco non ſedentem abeſſe crederet. Et aberat quidem ille initio. Sed eo ſermonem ingreſſo ſuperveniens, pone alios nonnullos ſeſe continuerat. Finita monachi oratione, Calvinus repente apparens, quamvis plane nihil antea tale meditatus, tum certe ſi unquam alias qui vir eſſet, oſtendit. Siquidem illum tot verbi divini teſtimoniis, tot Auguſtini præſertim locis, tot denique tamque gravibus argumentis confutavit, perculit, obruit, ut omnes præter ipſummet perfrictæ frontis monachum, ipſius vehementer puderet. Aderat in ipſo audientium cœtu Aſſeſſorum Prætoris unus, quorum in urbe jus prehenſionis eſt. Is illum dimiſſo cœtu tanquam ſeditioſum in cuſtodiam tradit. Quid plura? Cauſa multis diſputationibus agitata, Senatus Helveticarum etiam Eccleſiarum ſententiam percontatus, illum tum ut ſeditioſum, tum ut mere Pelagianum XXVII. Decemb. publicè damnatum urbe expulit, fuſtuariam pœnam minatus, ſi vel in urbe vel in urbis territorio eſſet deprehenſus. Ipſe poſtea in vicinum op[illegible]

oppidum demigrans, multas magnaſque turbas dedit, donec Bernenſi quoque ditione bis expulſus, Miniſterium in Gallicis Eccleſiis ambiens, quas tum pacificas fore putabat, Lutetiam primum, indeque Aureliam veniret, pœnitentiam miris artibus ſimulans, ultroque cum Genevenſi Eccleſia reconciliationem petens, quod quum reipſa præſtiturus videretur, ubi contra quam ſperarat Eccleſias affligi animadvertit, repetita medicina, ad hoſtes Enangelii manifeſta defectione (uxore quoque Canonicis Auguſtodunenſibus proſtituta) tranſivit, unde nunc etiam quibus poteſt maledictis veritatem proſcindit. At Genevæ interea Collegium Miniſtrorum in publico cœtu veram de prædeſtinatione doctrinam aſſeruit, publicoque ſcripto deinceps à Calvino comprehenſam comprobavit: hoc unum iſtis diſſidiis conſequuto Satana, ut caput hoc Chriſtianæ Religionis antea obſcuriſſimum, dilucidum
M D. LII. perſpicuumque cunctis non contentioſis evaſerit. Anno vero deinceps ſequuto magis apparuit quantam flammam accendiſſet impurus ille, licet communi tot Eccleſiarum judicio damnatus. Etenim tum ipſa Quæſtionis nondum antea ſatis à pleriſque veteribus explicatæ, nec eodem ſemper exitu agitatæ difficultas, curioſa præſertim ingenia ad hoc ipſum diſquirendum accendebat, tum factioſi præclaram ſibi oblatam occaſionem ad omnia Calvino ejecto ſubvertenda putabant. Itaque dici non poteſt quæ non in urbe tantum, verum etiam ultro citroque veluti ſi claſſicum ipſe Satan cecinniſſet, contentiones ſint conſequutæ. Etſi enim pulchre inter præcipuarum Eccleſiarum paſtores conveniebat, non deerant tamen qui in vicinis Bernenſis ditionis Eccleſiis Calvino litem intenderent, quaſi Deum faceret peccati authorem: parum certe memores hoc ipſum peſtilentiſſimum dogma fuiſſe à Calvino jampridem ex profeſſo adverſus Libertinos refutatum. Baſileæ vero Caſtellio bonus ille & ſimplex homo, etſi clanculum fere agebat omnia, tamen non obſcure Pelagianiſmum tuebatur. Quin etiam his de rebus ita ſcribere cœperat Philippus, ut quamvis antea Calvini adverſus Pighium libro diſerte ſubſcripſiſſet, tamen Genevenſes quaſi Stoicum Fatum invehentes notare quibuſdam videretur: Pontificios omitto, eaſdem calumnias millies refutatas nunc quoque repetentes. Pungebant iſta graviſſime, ſicut par erat, illius animum, & eo quidem acerbius, quod ea fuit interdum per id tempus erroris efficacia, ut publica etiam auctoritate alicubi obſtructum os veritati videretur. Neque hæc fuit paucorum annorum, controverſia: ſed hoc anno inprimis bonus ille Eremita, quem ſupra diximus, cum Calvino diſputaturus prodiit, qui aliquot ante annis, quum Miniſterium ambiret repulſam paſſus, Jurisconſultus, & factioſorum patronus evaſerat. Cauſa coram Senatu agitata eſt magna utrinque contentione: illo quidem impudentia & malorum favore depugnante, Calvino vero ſola veritatis auctoritate doctrinam ſuam tuente. Vicit ergo veritas, & Calvini ſcripta, ipſorum etiam quod mirum eſt adverſariorum ſuffragiis, ut pia & orthodoxa rurſum comprobata. Sed nec iſtius adverſarii aliquot poſt annis morientis reticenda eſt reſipiſcentia, cujus etiam teſtem Calvinum tanto ſtudio adhibuit, ut non aliter ſibi pacem conſcientiæ conſtare diceret, quam ſi Calvinum ſibi conciliatum moribundus agnoſceret, quem antea tam indigne à ſe impetitum fateretur: Cui etiam Calvinus tum non modo non defuit, ſed benigniſſime conſolatum erexit, & ad extremum uſque confirmavit. Annus autem alter à ſuperiore, nempe quinquageſimus tertius ſupra ſeſquimilleſimum, ad exitum feſtinante factioſorum malitia, tam fuit turbulentus, ut non Eccleſia modo, verum etiam Reſpublica extremum diſcrimen adierit. Siquidem eo uſque illi progreſſi ſunt, clamoribus, & minis, numero denique oppreſſa bonorum libertate, ut vetera de conſtituendis Senatoribus Edicta (quo tamen argumento boni etiam ſibi tanto melius deinde conſuluerunt, ita illis etiam favente Domino) refixerint, nonnullos ſenatu moverint, peregrinis exulibus à quibus ſe metuere dicebant, arma omnia, exceptis ſi quando urbe egrederentur enſibus, ademerint, adeo ut nihil aliud ſupereſſe videretur, quam ut quum omnia in poteſtate haberent, quæ toties agitaverant, facile exequerentur. Occaſionem autem, turbarum alteram quoque Satan tunc objecit. Verus enim ille ſacræ Triadis, id eſt, omnis veræ Deitatis hoſtis adeoque monſtrum ex omnibus quantumvis rancidis & portentoſis hæreſibus conflatum Michael Servetus, poſtquam aliquot annis huc & illuc medicinam faciens oberraſſet, tectuſque Michaelis Villanovani nomine illas blaſphemias ſparſiſſet, edito tandem Viennæ Allobrogum ſpiſſo volumine (cujus excuſor fuit Arnolletus quidam Lugdunenſis Typographus, Corrector autem, ut in illis officinis vocant, Gulielmus quidam Guerotius factioſis Genevenſibus pridem deditus, ſed paucis ante menſibus ut ſcortationis & aliorum flagitiorum pœnas vitaret, Geneva Lugdunum profectus.) Eo inquam edito blaſphemiarum pleno volumine Servetus, eoque nomine in carcerem Viennæ conjectus, ac inde mox neſcio quibus artibus elapſus, Genevam fato quodam venerat, alio procul tranſiturus, niſi Dei providentia factum eſſet ut mox agnitus Calvino, cui ille jampridem bene notus erat, Magiſtratum admonente, carceri fuiſſet mancipatus. Quæ certamina tum, quantiſque de rebus ſuſcepta fuerint, ex edito libro percipi pleniſſime poteſt. Fuit autem horum omnium iſte exitus, ut tandem perditus ille (cui etiam factioſorum unus tum Prætoris Aſſeſſor in aurem inſuſurraſſe quiddam credebatur, quo malum perdito homini animum obſirmaret) à vana illa ſua confidentia proditus, impietatis & inſuitarum blaſphemiarum ex omnium etiam Helveticarum Eccleſiarum ſententia damnatus, XXVII. Octobris, nullo edito pœnitentiæ ſigno, infelix vivus cremaretur. Sed & Farellus eodem anno eo uſque vi morbi fractus, ut à Calvino qui Neocomum ad eum viſendum

vene-

venerat, pro mortuo relinqueretur, vitæ poſtea præter ſpem omnem reſtitutus, Eccleſiam mox recreavit. Ita plane inter ſpem & metum, terminante tamen dolorem lætitia, annum hunc eatenus exegimus. Ecce enim dum hæc in Serveti cauſa aguntur, quidam ex factioſis Bertelerius nomine, homo projectæ penitus impudentiæ, cui ob multa flagitia Presbyterium menſa Domini interdixerat, in Senatum venit, poſtulatque ex auctoritate Senatus abſolvi: quod ſi factum eſſet, ambigi non poterat, quin mox ſolutis Eccleſiaſticæ diſciplinæ vinculis, omnia ſtatim diffluerent. Itaq; obſtat ſedulo fortiterque Presbyterii nomine Calvinus, oſtenditque Magiſtratum ſacrarum legum vindicem non deſtructorem eſſe oportere: nihil denique eorum prætermittit, quæ tanti momenti contentio flagitabat. Vincebant tamen eorum falſi clamores, qui Presbyterium ajebant ſibi in quibuſdam Magiſtratus imperium arrogare, adeo ut in Diacoſiorum conſilio ſtatueretur, ultimum excommunicationis judicium ad Senatus cognitionem pertinere, ut quos vellet abſolveret. In quam ſententiam à Senatu parum tum ad eam rem attento, obreptitie abſolutorias literas ſigillo Reip. communitas Bertelerius obtinuit. Ac ſperabat tum Perrinus cum ſuis, alterum ſequuturum: nempe, ut vel Calvinum niſi mandato Senatus pareret, per tumultum opprimeret, vel ſi pareret, nullo poſtea negotio Presbyterii auctoritatem omnem, id eſt, nequitiæ ipſorum frænum abrumperet. At Calvinus quamvis bidno duntaxat ante Cænam Dom. menſe Sept. de more celebrandam, de hoc facto commonefactus, inter concionandum elata voce ac manu, multa de ſacris myſteriis in eorum contemptores loquutus: *At ego*, inquit, Chryſoſtomum ſequutus, *occidi me potius patiar, quam hac manus Dei contemptoribus judicatis ſancta Domini porrigat.* Hæc vox (mirum dictu) tantum potuit apud illos, quantumvis effrænes, ut Perrinus ſtatim clanculum Bertelerio mandaret, ne ad menſam accederet, ſintque myſteria non ſine tremore quodam, quaſi numen ipſum in conſpectu adeſſet, miro ſilentio celebrata. A prandio vero Calvinus locum illum inſignem Actorum Apoſtolicorum forte tractans, in quo Paulus Eccleſiæ Epheſinæ vale dicit, teſtatus ſe eum non eſſe, qui adverſus Magiſtratum pugnare ſciret aut doceret, cœtumque multis verbis cohortatus, ut in ea quam audiviſſet doctrina perſeveraret, tandem veluti poſtremam hinc concionem Genevæ habiturus, & *quandoquidem*, inquit, *ita ſe res habent, liceat mihi quoque Fratres apud vos hæc Apoſtoli verba uſurpare, Commendo vos Deo & ſermoni gratiæ ipſius:* quæ voces tum ſceleratos illos mirifice perculerunt, tum bonos etiam tanto magis ſerio officii admonuerunt. Poſtridie Calvinus cum Collegis & presbyterio à Senatu, tum etiam à Diacoſiis conſtanter poſtulavit, ut apud populum ipſum audirentur, quum de lege à populo lata abrogandâ ageretur, quamobrem in eam ſententiam animis non mediocriter commutatis, itum eſt, ut ſuſpenſo illo Diacoſiorum decreto, ſtatueretur, petendum eſſe à quatuor Civitatibus Helveticis judicium, nec interea præjudicium ullum fieri receptis legibus oportere. Sic diſcuſſa potius quam ſedata fuit hæc tempeſtas, quam illi præter ſpem omnem à Calvini capite averſam, in Farelli caput è re nata convertere tentarunt. Farellus enim menſe Martio morbo illo tam gravi conflictatus, ſimulatque per valetudinem licuerat Genevam properans, peracerbe factioſos pro concione partim cauſa ipſa, partim ætate & vetere ſua quadam apud illos auctoritate fretus, increpavit. Ipſi vero factam ſibi injuriam querentes, diem illi Neocomum reverſo dixerunt, impetratis à Senatu ad Neocomenſes literis, ut Farellum ad diem condictam adeſſe paterentur. Venit igitur Farellus, nec à periculo aberat, clamitantibus factioſis dignum eſſe qui in Rhodanum abjiceretur: quum ab uno ex civibus cordato juvene, admonito primum Perrino videret etiam atque etiam, ne quid detrimenti communis veluti civium parens Farellus acciperet; tum adjuncto ſibi altero etiam integro juvene & ſocio, commonefactis cæteris quos bene affectos noverant, ſeſe in curia Farello ſiſtente, ibique concurrente magna urbis parte, attoniti ac de ſeipſis jam ſolliciti accuſatores, audito Farello culpam ipſi ſunt deprecati. Ita pene hic totus annus adverſus improbos, tum pro doctrina tum pro diſciplina concertando conſumptus fuit: proſpero tamen ubique exitu, ſi vulnus excipias, quod non Anglia modo, ſed Chriſtianæ omnes Eccleſiæ Eduardi religioſiſſimi Regis intempeſtiva morte acceperunt. Et tamen eo ipſo Calvinus ſcribendo etiam intentus, egregios illos in Joannem commentarios emiſit. Liceat hic nobis & utinam immerito teſtari de Serveto, quod de gemino monſtro, Paulo Samoſateno videlicet, & Ario Alexandrino, veteres illi patres experientia ipſa edocti ſcripſerunt, ab iis nimirum primum orta incendia, quibus omnes orbis Chriſtianæ Eccleſiæ poſtea pene deflagrarunt. Sumptum enim optimo jure Genevæ de Serveto ſupplicium, non ut de ſectario quodam, ſed tanquam de monſtro ex mera impietate horrendiſque blaſphemiis conflato, quibus totos annos triginta, tum voce tum ſcripto cælum ac terram infecerat, ne nunc quidem dici poteſt quantopere Satanæ rabiem exacerbarit, exorta flamma, quæ Poloniam primum, inde Tranſylvaniam & Ungariam corripuit: & utinam non longius pervaſerit. Quod & ipſe Satanico plane ſpiritu prædixiſſe merito videri poteſt, quum hanc ex Apocalypſi ſententiam, ea qua cætera conſueverat conſcientia deſcriptam, illi ſuo libro præſcriberet: *Factum eſt in cælo prælium magnum, Michaël & Angeli ejus pugnantes cum dracone.* Vere id quidem, ſi *cum*, non pro *cum*, ſed pro *ob*, accipias. Vix igitur deſierant calere infelicis illius cineres; quum de pœnis hæreticorum quæri cœpit: quibuſdam coërcendos quidem, ſed ultimo ſupplicio affici jure non poſſe opinantibus, aliis quaſi de hæreſi ſatis ex Dei verbo liquere non poſſet, & de Religionis capitibus Omni-

* * *

omnibus in utramque partem sentire Academicorum more liceat, existimantibus unius Dei esse judicio relinquendos. Illam opinionem boni etiam nonnulli tuebantur, veriti nimirum ne si aliter sentirent, tyrannorum in pios fœvitiam accendere viderentur, iltius autem auctores quorum Principes erant Sebastianus Castellio, & Lælius Socinus, suam ipsorum causam agentes: iste quidem occultius, ille vero apertius, ut qui sua quadam in sacrorum Bibliorum perversionem præfatione, palam verbi divini satis perspicuam auctoritatem convellere studuisset, suisque in priorem ad Corinth. Epistolam adnotationibus, ut à verbo scripto tanquam imperfecto nos abduceret diserte scripsisset, Paulum quandam Theologiam ea quam scriptis tradidisset reconditiorem, perfectos nescio quos suos discipulos docuisse. Itaque
M. D. LIV. quum anno M. D. LIV. ineunte, Calvinus subscribentibus Collegis omnibus copiosam Servetanæ doctrinæ refutationem edidisset, adjectis etiam rationibus, cur & quatenus à Magistratu quoque, legitima præcunte cognitione, puniri hæreticos oporteret, oppositurunt isti farraginem, partim ex scriptis piorum Doctorum depravatis, partim ex fanaticorum quorundam ignoti alioquin nominis schedis consarcinatam, Martini cujusdam Bellii nomine (is ipse fuit Castellio, quamvis id postea ejurarit) præfationi inscripto & ementito Civitatis nomine, in qua editam fuisse hanc farraginem mentiebantur. Huic autem non tantum illo errore, sed multis etiam blasphemiis scatenti libello postea respondi, ut ea moleltia Calvinum longe melioribus curis, scribendis nimirum eruditissimis in Genesin Commentariis intentum, & aliis itidem, de quibus dicemus, Ecclesiæ suæ depellendis periculis occupatum, liberarem. Pergebant enim rebus novandis intenti factiosi: & quamvis rursum fecunda Febr. coram Senatu solenni promisso sancita esset ἀμνηστία, tamen se ipsis quotidie deteriores evadebant: utrinque valde occupato Calvino, dum & illos pro suo more increpando, ad meliorem frugem revocare, & bonos adversus illorum improbitatem confirmare studeret. Nam eo usque processerunt improbi, ut verbum Dei in obscœnas cantiones transformarent, & obvios vespere peregrinos pulsarent, ac interdum etiam spoliarent. Privatim vero ac proprie Bolseci, Castellionis & aliorum quorundam, de veritate scilicet valde solicitorum hominum, opera utebantur, controversiæ de prædestinatione renovandæ: adeo ut famosum libellum convitiorum plenum, eumque anonymon sparsisse non contenti: quo fidum illum Dei servum miris modis lacerabant, miserit Castellio Latinum alterum Lutetiæ clam excudendum: cui postea respondi, sicut & ipse Calvinus quasdam ejusdem argumenti ineptias certis capitibus comprehensas refutavit. Incumbebat etiam ei tum temporis ex Anglia profugorum cura, quorum alii Vezaliæ, alii Emdæ, alii denique Francofurti consederant, omnes à Calvino consilium subinde flagitantes: nec parum etiam angebatur quorundam Gallicæ Argentinensis Ecclesiæ ab ipso olim plantatæ pastorum audacia, aliorum occulto favore adjuta. Denique quantopere hoc anno pro variis Ecclesiis laborarit, testis est insignis literarum copia, quibus & magnates multos ad amplectendum Euangelium excitavit, & fratres plurimos, alios non procul ab extremis periculis, alios in vinculis positos maximo cum fructu confirmavit. Diximus antea de doctrinæ Sacramentorum inter omnes Helveticas & Rheticas Ecclesias consensu edito, maxima doctorum & bonorum omnium gratulatione. Displicuit hæc concordia spiritui erroris, cujus jamprimum ea est quam cernimus efficacia. Itaque facile reperit qui sopitum ignem foderet, Joachimum nimirum quendam Westphalum: cui classicum canenti, succinuit postea Heshusius tunc verbi Minister, nunc etiam Episcopus, de quibus mox dicendum nobis erit. Ac tunc quidem Calvinus consensionis illius explicationem edidit, quæ quo magis rabiem istorum exacuit, eo
M. D. LV. omnibus veritatis amantibus profuit magis. Annus vero proxime consecutus mirifico Dei beneficio Reipublicæ ac Ecclesiæ Genevensi optatam quietem à domesticis certaminibus attulit: factiosis autem sua ipsorum opera perditis, horrenda conjuratione peropportune per ebriosorum quorundam ex consciorum numero petulantem audaciam detecta: & aliis quidem capitis supplicio affectis, aliis vero solum vertentibus, qui etsi aliquamdiu postea civitatem vexarunt, turpiter tamen omnes postea intereuntes, singulare seri quidem, sed justi divini judicii exemplum præbuerunt. Sic liberata fuit ab his pestibus Respublica quum altero Dei beneficio paulo ante allato quatuor Helveticarum civitatum responso (quarum sententiam diximus ad annum superiorem visam Senatui fuisse super Ecclesiastica Genevensi disciplina percontanti) vetera omnia Ecclesiasticæ politiæ edicta, contra factiosorum expectationem, communibus civium suffragiis rogata perlataque fuissent. Non defuit tamen in quo tum quoque Calvinus strenue exerceretur. Nam foris quidem tum de Polonicis Ecclesiis voluntate Regis constituendis, tum de furiosa illa tempestate commutatis in Anglia rebus excitata, quæ tres illos incomparabilis pietatis Episcopos & Martyres Joannem Hooperum, Nicolaum Ridlæum, & Hugonem Latimerum inter tot alios fere innumerabiles, ac tandem etiam magnum illum Crammerum Cantuariensem Archiepiscopum in cælum usque expulit, consolandis denique fratribus in Gallia vinctis, ac præsertim quinque fortissimis Martyribus hoc ipso anno Cameraci crudelissime crematis plurimum laboravit. Domi vero Serveti cineres pullulare cœperunt: cujus blasphemiis favere deprehensus Matthæus Gribaldus non incelebris Jurisconsultus, qui, quum Genevam forte venisset (erat enim Fargiarum dominus, qui pagus est in Gencvæ vicinia) deductus ad Calvinum à quibusdam Italis, apud quos ille Patavii docuerat, recusante Calvino dextram illi porrigere, nisi prius

de

de primario Christianæ fidei articulo, id est de sacra Triade & Deitate Christi inter eos conveniret, nullum postea locum ullis admonitionibus vel argumentis reliquit. Itaque quod ei jam tum prædixit Calvinus, grave nimirum Dei judicium pertinaci ipsius impietati imminere „hoc re ipsa postea expertus est. Tubinga primum profugus, quo fuerat Vergerii favore introductus: Bernæ postea captus, simul atque abnegatione liberatus, ad ingenium postea rediens, Gentilis de quo mox dicemus fautor & hospes, superveniente demum peste correptus, paratum sibi supplicium prævenit. Aliud denique Calvinum hujus anni solidum gaudium gaudere prohibuit. Paucorum videlicet vicinorum pastorum factio, qui sponte alioqui currentes, Bolseco præterea instigante, ut sibi nomen aliquod ex tanti viri reprehensione quærerent, homines alioqui multis jam notis aspersi, non aliter in eum debacchabantur, quam si Deum idcirco faceret malorum authorem, quod ab æterna Dei providentia & ordinatione nihil excluderet. His calumniis de quibus antea nos quoque aliquid diximus, etsi nihil ille movebatur, tandem tamen illorum maledicentia coactus, impetravit à Senatu, ut una cum legatis Bernam profectus, veritatis causam eoram Bernensibus ipsis ageret. Acta igitur illic causa est, & Sebastianus quidam infamia & exilio multatus: Bolsecus excedere finibus tum quidem jussus: neque tamen tum quicquam illis de re ipsa definire visum est, ita Domino Ecclesiæ suæ consulente. Visus enim fuisset Calvinus auctoritate vel gratia obtinuisse, quod ultro postea contigit. Nam & illæ omnes calumniæ non ita multo post in fumos abierunt, & Andreas Zebedæus accusator acerrimus, Calvino jam mortuo, quum & ipse jam esset moriturus, Neviduni oppido quatuor milliaribus Genevæ distante accitis præcipuis civibus, ultro agnita quam oppugnarat veritate, & acta illa sua detestans, schedas omnes suas spectante se concremari jussit, judicio certe meliore, quam si hæc fuissent mille Senatusconsultis imperata. Anno deinceps altero, Calvinum imprudentem tertiana in concione invasit, ac tandem invitum ex suggestu coëgit descendere, multis inde falsis sequutis rumoribus, isque usque adeo Pontificius gratis, ut de Calvini morte solenni supplicatione Novioduni Calvini patria, Canonici suis idolis gratias egerint. Sed vicerunt bonorum preces: tantumque abfuit ut Calvinus ex eo morbo interiret, ut contra veluti novis auctus viribus, longum iter præter morem Francofurdum usque videlicet ingrederetur, quo fuerat pacandis Ecclesiæ Gallicæ quæ jam tum illic erat diffidiis evocatus. Hinc demum ille rediens, licet afflicta nonnihil valetudine, nihil tamen de quotidianis laboribus remisit, editis anno consequente in omnes Psalmos Commentariis longe doctissimis, quibus præfationem vere pretiosam adjunxit. Annum autem istum alioqui ob tumultus à Ministris illis factiosis nonnullis excitatos valde turbulentum, & tritici caritate infamem, consumpsit partim tuendæ adversus Joachimum Westphalum veritati: quumque Westphalo postremum respondisset, nec ille tamen garriendi finem faceret, has partes in me recepi, eo per Dei gratiam cujus minime pœnitere me possit eventu. Tunc quoque tum ab illo, tum etiam à me refutatæ sunt Castellionis adversus æternam Dei prædestinationem calumniæ, quas ille suppresso nomine spargendas curarat. Graviter autem illum inprimis excruciavit sæviissima præsertim Lutetiæ orta piotum persequutio, intercepto illorum cœtu in vico Jacobæo, quo ad celebrandam cœnam Domini convenerant. Ex eorum numero cæteris per noctis tenebras elapsis, capti sunt circiter octoginta, multusque cum opprobriis ac convitiis prima luce in carceres pertracti, quamvis aliquot etiam primæ nobilitatis mulieres in iis cernerentur. Accendebant Regis iram non modo qui illum circumstabant, verum etiam ipsa temporum occasio. Hæc enim tum inciderunt, quum insignis illa clades ad Sanquintinum esset accepta, & nocte convenerant pii, quod illis interdiu nullo modo licebat. Itaque vetustæ illæ & rancidæ calumniæ in Christianos olim excogitatæ, tunc quoque auctore quodam Democharе Sorbonico Doctore repositæ sunt, quasi videlicet omnium malorum causa unis vere Christianis esset tribuenda. Subornati etiam qui ἀντιμαρτύρια confirmarent, quibus creduli plerique assentiebantur. Producti sunt igitur ad flammas ad septem, ter repetito exemplo: in quorum primo accensita est nobilis quædam mulier, cujus demum ut & sex aliorum atque in his noviissimorum duorum adolescentum constantia plane fuit admirabilis. Verum partim detecta quidem, sed minime tamen coërcita Sorbonicorum calumnia, matre nempe captivas secum filias, quæ constupratæ dicebantur, ad inspectionem judicibus offerente, & optimo quodam doctissimoque viro pastorem aliquot ante mensibus ibi agente, egregio libello cuncta illa mendacia facile revincente, partim intervenientium Germanorum Principum legatione quam summa celeritate Calvinus procuravit, tempestas illa nonnihil conquievit. Annus hunc consequutus, Reipublicæ Genevensi felix illuxit, perpetua inter Bernenses & Genevenses inita confœderatione, contra exulum illorum expectationem. Sed hanc felicitatem multa quoque adversa aliunde comitata sunt, præter etiam exulum irritos ultimos conatus, de quibus plura dicere non constituo. Nam foris quidem recrudescebat in Gallia persecutio, domi vero ex Serveti cinetibus auctore quodam Valentino Gentili Consentino, teterrima Tritheitarum hæresis pullulabat. Itaque ut illis malis occurreretur, missi sunt ad Germaniæ Principes cum Calvini literis, qui tot Ecclesiarum calamitatibus expositis, intercessionem eorum postularent, dum assiduis literis interea laborantes Calvinus confirmabat. Cum Gentili vero quid actum sit, quis denique fuerit istius monstri exitus, paucis commemorabo. Erat enim tota hæc historia partim ab ipso Calvino ex actis publicis, partim à Be-

* * * 2 Dedicto

nedicto Aretio Bernensi Theologo pastore fideliter descripta, adjectaque blasphemiarum ipsius refutatio, quæ quidem omnia aliaque eodem congesta quæ ad illud argumentum pertinent, edita sunt in hac civitate anno Domini LXVII. supra sesquimillesimum. Ergo infelix iste sagaci quidem sed vafro sophisticoque ingenio præditus, aliquanto post sumptum de Servetо supplicium, nactus illius librum, itemque Calvini refutationem, facile animadvertit neque illius spectra & ideas quibus Samosateni hæresin ille coloraverat, neque invectam a Sabellio personarum cum Essentia confusionem, Deitatem denique Christi qualem impurus Arrius fictitiam esse docuit; cum verbo Dei conciliari posse. Et quum rursus quæ in scripturis de una Dei essentia & tribus inter se re ipsa distinctis hypostasibus traduntur, intelligentiæ nostræ minime quadrare videret, fecit quod ejusmodi ingenia consueverunt, id est, non sese Dei sapientiæ submisit, sed id demum verum esse sibi persuasit quod cum humana ratione consentiret. Itaque Monarchia ad unicam patris personam translata, quem solum illum & unicum αὐτόθεον esse voluit, *Essentiationem*, id est, Essentiæ propagationem, tresque numero ut personas, sic etiam Essentias, id est tres numero Deos; tres æternos, omnipotentes, immensos aperte profiteri cœpit: eoque non modo sacrum Dei verbum, sed ipsius etiam Synodi Nycenæ (repudiato tamen Athanasii Symbolo) & vetustiorum scriptorum, videlicet Ignatii, Tertulliani, Irenæi & Lactantii auctoritatem inaudita quadam impudentia detorquere. Alios enim omnes orthodoxos scriptores Nycenam Synodum sequutos, non tantum repudiabat, sed etiam ut impios fugillabat. Hanc autem blasphemiam aliæ quoque de hypostatica unione sequebantur. Hæc clanculum initio inter paucos quasi disputationis causa agitata (quorum præcipui fuerunt Joan. Paulus Alciatus Mediolanensis Miles, & Georgius Blandrata Saluciensis professione Medicus) tandemque Italicò presbyterio nunciata, causam cogendo extra ordinem cœtui præbuerunt, ubi coram delectis Senatoribus omnibusque Ministris ac Presbyteris, patienter auditis, ac ex Dei verbo per Calvinum refutatis, quæcunque illi proferre voluerunt, ita res est composita ut scriptæ orthodoxæ fidei omnes Itali statim subscriberent, sex duntaxat exceptis: qui tamen & ipsi postea seorsim vocati, manu quidem, at corde non item, ut postea apparuit, subscripserunt. Rediens igitur ad ingenium Gentilis, eandemque blasphemiam rursum spargere deprehensus capitur, captus nihil dissimulat, auditus quamdiu & quantum voluit. Tandem veluti victus (nec enim aliud habebat quam pertinaciam quod Calvino regereret) resipiscentiam incredibilem simulat, cujus etiam exemplum propria ipsius manu scriptum extat. Quid plura? abnegatione per compita civitatis facta, dimittitur præstito jurejurando sese portas urbis non excessurum: mox tamen violata fide ad Matthæum Gribaldum in Sabaudiam fugit. Sequuti sunt aliquanto post Alciatus & Blandrata, Transylvaniæ & vicinarum regionum vastatores futuri. Gentilis autem jam tum imminente illi Dei judicio apud Gribaldum manens (nam uterque illos alios & imperitos & indoctos homines contemnebat) ibique libellum adversus Athanasium & Calvinum cudens, indeque Lugdunum transiens, ubi excudendum illum (inscripta Gajensi Præfecto istorum scelerum prorsus inscio præfatione) curavit, deinde Lugduni nescio quo modo à Pontificiis captus, quum sese in Calvinum scribere dixisset, tanquam bene de Ecclesia Catholica meritus dimittitur. Inde in Moraviam ad Blandratam & Alciatum aliosque nihilo meliores discedit: ubi quum satis inter eos convenire non posset, quod à Tritheismo ad Samosatenum plerique transivissent, veluti trahente illum ad pœnam ipsius Christi manu, in Sabandiam ad suum Gribaldum redit. At illam pestem altera jam pestis sustulerat. Ereptus etiam nobis jam erat Calvinus. Tum ille sive penitus amens, sive quod mortuo Calvino, neminem superesse consideret à quo revinceretur, recta ad Gajensem ipsum Præfectum ipsi merito infestum venit: à quo mox agnitus, & Bernam justo Dei judicio ex superiori illa fluctuatione ad dicendum causam missus, tum perjuriorum, tum improbitatis manifestæ convictus, frustra tentatis omnibus quibus in rectam viam revocaretur, capite multatus, dignas tandem tot sceleribus pœnas persolvit. Hic igitur postea fuit illius causæ exitus. Et tamen ne nunc quidem desunt egregii scilicet Christianissimi assertores, tum ex Catholicis, tum ex bonis illis Ubiquitariis, qui Calvinum audeant tanquam carum blasphemiarum auctorem, imo etiam ut qui Atheismo sive Mahumetismo aditum aperuerit, calumniari: quibus tamen altum stertentibus, eas ipsas blasphemias primus Calvinus, ac pene unus nostro tempore tanto labore coarguit. Lutetiæ vero Cardinalis, ex cujus nutu Rex cuncta administrabat, criminis hæreseos cognitionem à judicibus ordinariis & laicis quos vocant, ad Triumviros Cardinales traducere conatus, repugnante divinitus potius quam humanitus Parisiensi Parlamento, utpote quod suam ipsius, non Christi causam ageret, totum illud nefarium consilium omisit. Sed extremus hic annus initium nobis majoris luctus attulit, correpto quartana Calvino mense Octobri, quem morbum experti tandem sumus nimium vere dicere medicos senibus lethalem esse. Etsi enim morbus ille Calvino octimestris tantum fuit, sic tamen corpusculum illud macilentum, & laboribus ac viribus attritum confecit, ut nunquam postea penitus convaluerit. Interim ille quantum vis monentibus medicis, & obtestantibus nobis ut sese tandem aliquando resperet, abstinere quidem necessario à concionibus & prælectionibus: interea vero literis undiquaque dictandis, & variis scribendis dies ac noctes impendere, nec aliud habere frequentius in ore, quam sibi acerbam esse vitam ut ipse ajebat, ociosam: quum nos interim valentes præ illo ocioso videri possemus.

Cujus

Cujus rei testes sunt *Christianæ institutionis ultima editio tum Latina tum Gallica, & Commentarii in Jesaiam ab eo non tam emendati (quales illos Galasius ex ore prælegentis excepto sederat) quam novi prorsus emissi.* Insignis fuit annus consequens duorum potentissimorum Regum pace, arctissimaque contracta affinitate, extremus idem fortassis Genevensi Civitati futurus, nisi Pontificiorum consilia, qui Regis Henrici simplicitate abutebantur, divinitus fuissent impedita. Constat enim, Henricum, severissimis positis edictis, ideoque in carcerem conjectis aliquot Senatoribus, (qui tantisper dum Concilium universale cogeretur, mitius in causa Religionis agendum censebant) hoc unum inprimis sibi propositum habuisse, ut restituta suo Duci Sabaudia, Genevam funditus everteret: Genevæ contra laborante inprimis Calvino, quantumvis valetudinario, atque eo gravissime afflictas Ecclesias cunctosque fratres confirmante, tum etiam precibus assiduis opem à Domino flagitante. Ecce autem, in medio illo eminus juxta ac cominus vigente terrore, Rex ipse in ipso celebrandarum nuptiarum apparatu, quibus pacem firmabat, ludicro hastarum concursu, letale vulnus accipit: atque illud etiam ejusdem unius hominis manu, cui, regiorum stipatorum tunc Præfecto, Senatores illos comprehendendos paulo ante Rex ipse mandarat: quam cædem postea Cardinalis Lotharingus XXI. Decemb. doctissimi Jurisconsulti, ac integerrimi Senatoris, sanctissimi denique Christi Martyris Annæ Burgii morte iniquissima videri voluit expiasse. Geneva autem singulari Dei beneficio in eam confidentiam illis, quod vix credibile sit, temporibus erecta fuit, tanquam Domino ex densissimis tenebris limpidissimam lucem iterum atque iterum excitante, ut quo anno & momento fere in ipsius exitium tam potentes Principes conjurarent, magnificis ædibus Gymnasii à fundamento hortatore Calvino extructis, scholam octo puerorum Præceptoribus, & publicis Hebraicæ, & Græcæ linguæ, ac Philosophiæ, Theologiæ denique Professoribus ornatam, Deo Optimo Maximo solenni ritu honorato, & frequenti cœtu in primario templo perfectis tum primum atque expressis, quæ ad utilissimæ ac sanctissimæ institutionis usum & confirmationem perpetuam pertinerent, solenni quodammodo ritu consecraret. Anno proximo gravatus est invidia Calvinus à nonnullis, quasi M. D. LX. quosdam adversus Franciscum II. paterni regni hæredem concitasset, eos videlicet, à quorum casu Amboisiani tumultus nomen auditum est: quum Calvinus ipse, quod certo scio, quidquid hoc fuit, nunquam intellexerit, adeoque palam ore, & scriptis ad amicos literis improbarit. Eodem anno Stancarus quidam Mantuanus (fatali videlicet Polonis Italia) asserere cœpit Christum non esse nisi secundum carnem Mediatorem: Arianisimulans quotcunque illum diceret, quatenus etiam Deus est, Mediatorem esse: quasi filium facerent patre minorem. Hanc calumniam, & totum hoc dogma, quum alii, ut Philippus & Martyr, solide refutarunt, tum etiam Calvinus rogantibus Polonis perbreviter quidem, sed nervose admodum coarguit: simulque prospiciens quod mox evenit, futurum videlicet, ut Stancari refutandi studio nonnulli imperitiores (nisi sibi cavcrent) in errorem Tritheitarum inciderent, diserte præmonuit, ut à Blandrata, & aliis eum sequutis sibi caventes, sic asserent Christum esse secundum utramque naturam Mediatorem, ut interea Deitatem non multiplicarent: sed frustra id factum, quod ad eos attinet quibus pereundum erat. Tum quoque Waldenses Boëmi, quos vocant, duobus fratribus ad Calvinum missis, quædam ab eo sunt de Religione percontati: quibus ille sicut par erat benigne satisfecit, eos etiam cohortatus, ut cum reliquis Ecclesiis sese prorsus conjungerent. Eodem tempore quum non pauci pii Galli post Mariæ Reginæ mortem, singulari serenissimæ Reginæ Elizabethæ pictate & humanitate freti, in Angliam refugerent, peterentque reverendi viri Edmundi Grindalli Episcopi Londinensis assensu, ut Geneva mitteretur, qui Ecclesiam Gallicam illic constitueret, missus est eo Galasius. Cæterum extremo anno M. D. LX. Francisci II. Regis obitu plane repentino, & quidem eo ipso momento quo jam erant ita desperata omnia, ut iis Deus unus mederi posset, vix inierat regnum Carolus IX. adhuc puer, quum Genevam per caduceatorem allatæ sunt ejus nomine scriptæ literæ, quibus missos inde querebatur, qui regnum Galliæ turbarent, petebatque ut mox revocarentur, alioqui se justissimas ulciscendæ injuriæ causas non prætermissurum. Vocatus à Senatu Calvinus, suo collegarumque nomine respondit, se, petentibus Gallicis Ecclesiis, spectatæ fidei & integræ vitæ hominibus, quos eam ad rem idoneos fore sperabant, auctores hortatoresque fuisse, ne patriæ, opem suorum in causa tam sancta, Ecclesiæ videlicet puræ instituendæ, flagitanti, deesset: hoc illos præstitisse non ut regnum turbarent, sed ut Euangelium pacis docerent: quod si quid præterea feciisse arguerentur, sese paratos esse coram ipso Rege accusatoribus respondere. Neque longius ista processerunt. Eodem anno Calvinus & ego Tilemanni Heshusii importunissimi hominis libro respondimus. Calvinus deinde Valentini Gentilis blasphemias Lugduni tum adversus Athanasii symbolum exeusas refutavit. Edidit quoque suas in Danielem prælectiones Gallicis Ecclesiis inscriptas, ac in illis quidem prophetæ interpretem, in ipsa vero inscriptione Prophetam egit, imminentes tempestates prædicens, quo tempore coacto Possiaci Episcoporum conventu, & Regi in amplissimo regni consessu à me exhibita probataque Gallicarum Ecclesiarum Confessione, plerique sibi Paparus profligationem quasi instantem pollicebantur. Tum quoque inter cæteros Franciscus Balduinus, Eceboli quondam Religionem ter minimum aut etiam quater mutatam cognominatus, (nam & ante novissimum Ecclesiarum Gallicarum casum ad XXIV. Aug. M. D. LXXII. nescio quo ut nobis ali-

M. D. LIX.

M. D. LXI.

Quando

quando etiam tum adjungeretur affectu mirifice duci, ab optimis ac ſanctiſſimis viris teſtatum, exhibitis ad eam rem boni ipſius Balduini ad Synodum literis, habuimus) ille, inquam, à Cardinali ſubornatus, & Navarreno malis artibus conciliatus, libellum quendam, ſive à ſe, ſive potius à Caſſandro quodam editum, qui ſeſe Pium & Moderatum virum nuncupabat, in aula venditabat, Interimiſtico illo Cæſaris V. edicto eo etiam deteriorem, quod moderatæ cujuſdam inſtaurationis ſpecie, omnes Papatus corruptelas tueretur. Hujus rei à me commonefactus Calvinus, refutationem libelli edidit, cui mox alia ſunt adjuncta, quæ Balduini ingenium & inſtitutum quibuſvis patefacerent. Hoc vero concoquere non potuit rabula, neque magis alterum meum reſponſum: nec ab eo tempore Calvinum meretricius convitiis impetere deſtitit, donec anno ſuperiore, Deo hominibuſque alterutrius Religionis, quos toties fefellerat, invifus, Lutetiæ litem neſcio quam perſequens, ſive livore tabeſcens, quod alium ſibi prælatum videret, qui Henricum III. in Poloniæ regnum
M D. LXII. proficiſcentem comitaretur, vivere ſimul ac maledicere deſiit. Anno vero LXII. non modo pace, ſed etiam libertate Gallicis Eccleſiis ſolenni Regio Edicto certis conditionibus conceſſa, mox autem Navarreno Pontificiis artibus ſubornato, quum Guiſius edita illa immani Vaſſiacena ſtrage claſſicum cecinifſet, & bellum illud civile his auſpiciis cœpiſſet, quo nunc totos XII. annos miſera Gallia deflagrat, quot quantæque curæ Calvinum confecerint, dici non poteſt: ſic etiam ingraveſcentibus ejus morbis, ut jam tum illum divinare liceret ad meliotem vitam cirato gradu progredi. Nec tamen conſolari & hortari unumquemque, imo ne concionari quidem, & Theologiam in ſchola profiteri deſtitit: emiſitque eo anno pulcherrimam fidei confeſſionem ad ſtatus imperii Francofurti tunc congregatos, nomine Principis Condenſis & piorum omnium, quos, præter belli ipſis injuſtiſſime illati injuriam, indigniſſime etiam apud Germanos tunc falſorum dogmatum nomine traductos audirum eſſet. Neque hic pigebit quiddam animadverſione non indignum commemorare. Jacebat ex podagra Calvinus in lecto XIX. Dec. qui dies erat Sabbathi, & Boreas jam totum biduum flabat quam vehementiſſime. Tum Calvinus multis audientibus. Equidem, inquit, neſcio quid hoc rei ſit, videbar mihi hac nocte audire tympana bellica quam fortiſſime perſonantia, nec poteram mihi perſuadere, quin ita ſe res haberet. Precemur obſecro, nam omnino magni aliquid geritur. Atqui hoc ipſo die accidit ille apud Druidas acerrimus conflictus: de quo
M.D. LXIII. aliquot poſt diebus Genevæ fuit renunciatum. Anno conſequente nempe LXIII. ſic exacerbati ſunt ejus morbi, iique multiplices, ut plane ſit incredibile, in corpuſculo tam imbecillo, tot laboribus exhauſto, tot denique morbis attrito, tam fortem ac generoſum animum contineri diutius potuiſſe. Siquidem ne tunc quidem adduci potuit, ut ſibi parceret. Imo ſi quando (quod nunquam niſi penitus invitus fecit) publico ſuo munere abſtinebat, domi interea vel conſulentibus reſpondebat, vel amanuenſes dictando indefeſſus ipſe fatigabat. atque ejus rei fidem faciunt tum binæ illæ maximæ ſcriæ ad Polonos admonitiones adverſus blaſphemos illos ſacræ Triadis hoſtes, tum etiam quod fratribus ex Synodo Lugdunenſi ad ſe miſſis abunde tum voce tum ſcriptis reſpondit, quod Commentarios in quatuor Moſis libros Latinos edidit, quod Gallicos ex Latinis ipſoſmet fecit, quod denique Commentarium in librum Joſuæ, qui fuit ultimus ipſius labor, jam tum inchoavit, quem tan-
M. D. LXIV. dem etiam moribundus abſolvit. Annus autem LXIV. ſupra ſeſquimilleſimum ipſi quidem perpetuæ felicitatis, nobis autem longe maximi juſtiſſimique doloris initium fuit. Siquidem VI. Febr. Aſthmate vocem ejus præpediente ultimam habuit concionem: & ab eo tempore, eo excepto quod aliquoties ad Congregationis cœtum deportatus (quod illi ultimo Martii noviſſimum accidit) paucula verba fecit, omni docendi munere abſtinuit. Ipſius morbi, incredibilibus animi corporiſque laboribus contracti, varii multipliceſque fuerunt, uti ſua quadam ad Medicos Monspeſſulanos epiſtola edita eos ipſe percenſet. Præterquam enim quod corpore fuit natura imbecillo, macilento, & ad tabem ultro inclinante, dormiens pene vigilabat, magnam anni partem concionando, docendo, dictando conſumebat. Per decem minimum annos prandio abſtinuit, ut nullum omnino cibum extra ſtatam cœnæ horam ſumeret: ut eum mirum ſit Phthiſim effugere tamdiu potuiſſe. Fuit autem ei hemicrania familiaris, cui ſola illa inedia medebatur, adeo ut nonnunquam totas XXXVI. horas cibo abſtineret. Sed & partim ex vocis contentione, partim quod ſero nimis animadverſum eſt, ex immodico aloës uſu, primum in hæmorrhoidas eaſque tandem ulceroſas, deinde quinque ante mortem annis in ſanguinis excreationem aliquoties incidit. Quartana vero ipſum deferente, ſucceſſerunt in dextro crure podagra, colici ſubinde recurrentes dolores, calculus denique, quem alioqui nunquam niſi aliquot ante mortem menſibus ſenſerat. Medici quæcunque remedia poterant, adhibebant, nec quiſquam hominum fuit, qui Medicorum præcepta accuratius obſervaret: cæteroquin quod ad animi labores attinet, valetudinis negligentiſſimus, adeo ut illum ne acerrimi quidem hemicraniæ dolores à concionando unquam prohibuerint. Tot autem morbis oppreſſum, nemo ne vocalem quidem audivit emittentem, forti, nedum Chriſtiano viro indignam. Tantum oculos in cælum attollens, *Uſquequo*, inquiebat, *Domine!* hoc enim etiam valens tanquam ſymbolum in ore habebat, agens de frarrum calamitatibus, quibus noctes ac dies magis etiam quam ſuis ullis malis afficiebatur. Admonentibus & obteſtantibus nobis, ut ſaltem ægrotus ab omni dictandi, aut ſaltem ſcribendi labore abſtineret. quid ergo, inquiebat, vultis me otioſum à Domino

mino deprehendi? *Die Martii 10. quum ut sæpe consueveramus ad eum una venissemus,* deprehendimus illum vestitum, & suæ mensulæ ad quam scribere aut meditari solebat assidentem, unde conspectis nobis, postquam aliquamdiu fronte in alteram manum, ut meditans consueverat, inclinata conticuisset, tandem voce subinde interrupta, sed blando & renidente vultu, At ego, inquit, vobis charissimi fratres, magnas gratias ago de vestra pro me solicitudine, & spero me intra quindecim dies (is autem morum censuris de more destinatus erat) vestro cœtui postremum interfuturum. Tum enim opinor Dominum patefacturum, quid de me statuerit, & fore ut me ad se recipiat. Interfuit igitur censuris ut ante consueverat, ejusdem mensis XXIV. iisque pacifice peractis, sentire se dixit nonnihil dilationis sibi à Domino concessum: acceptoque in manus novo Testamento Gallico, quædam nobis in subjectis adnotationibus legit ipsemet, & de iis fratres consuluit, quod eas quoque emendandas suscepisset. Postridie pejus habuit, quasi pridiano labore fatigatus. XXVII. vero ad Curiæ fores delatus, pedibus in Senatoriam usque aulam comitibus duobus innixus ascendit, ibique novo Rectore Scholæ Senatui oblato, aperto capite gratias egit pro acceptis ante beneficiis, ac nominatim quod in hoc suo ultimo morbo tantam sui rationem Senatus habuisset. Nam sentio, inquit, me postremum in hunc locum venisse. Quæ vix deficiente voce effatus, mœstis ac lachrymantibus vale dixit. Secunda die Aprilis qui dies erat Paschæ, quamvis prostratis viribus, tamen sellula in templum delatus, toti concioni interfuit, Cœnam Domini ex mea manu accepit, eoque vultu hymnum cum aliis, quanquam tremula voce, cecinit, ut non obscura lætitiæ signa in moribundi vultu elucerent. XXV. Aprilis Testamentum totidem verbis condidit.

JOANNIS CALVINI TESTAMENTUM.

IN nomine Domini, Amen. Anno M. D. LXIV. die Aprilis XXV. Ego *Petrus Chenalatus* civis & Notarius Genevensis testor ac profiteor me evocatum fuisse à Spectato viro *Joanne Calvino* Ministro verbi Dei in hac Ecclesia Genevensi, & ejusdem civitatis adscripto cive, qui tum corpore quidem ægro, sed mente integra, dixit sibi esse in animo testamentum suum conficere, & extremæ voluntatis judicium exponere: à me petiit ut illud exciperem, & uti lingua nuncuparet, ac dictaret, ita conscriberem, quod confestim feci se me profiteor, atque ad verbum ut nuncupare & dictare voluit, conscripsisse, neque quicquam ad illius verba adjecisse vel de iis detraxisse, sed hanc ab illo dictatam formulam sequutum esse.

IN nomine Domini, Amen. Ego JOANNES CALVINUS *Minister verbi Dei in Ecclesia Genevensi, variis morbis oppressus & afflictus, ut facile animum inducam, Dominum Deum statuisse me propediem ex hoc mundo educere, constitui facere meum testamentum, meamque ultimam voluntatem literis mandare, ea forma quæ subsequitur:* PRIMUM *omnium gratias ago Deo, quod misertus mei (quem creavat & in hoc mundo collocavat) non solum me è profundis idololatriæ tenebris, in quas demersus eram, eripuit, ut me in Euangelii sui lucem adduceret, & doctrinæ salutis participem faceret, cujus eram indignissimus: neque solum eadem misericordia & benignitate multa mea vitia & peccata benigne & clementer toleravit, pro quibus tamen merebar ab illo rejici & exterminari: Verum etiam tanta erga me clementia & manfuetudine est usus, ut opera mea dignatus sit uti in prædicanda & promulganda veritate sui Euangelii: testorque ac profiteor mihi esse in animo quod reliquum est vitæ in eadem fide & religione transigere, quam mihi per Euangelium suum tradidit: neque aliud præsidium aut perfugium salutis habere, quam gratuitam ipsius adoptionem: qua una salus mea nititur: ac toto pectore amplector misericordiam, qua propter Jesum Christum erga me est usus: compensans mea crimina cum merito mortis & passionis ipsius, ut hac ratione pro criminibus & delictis meis omnibus satisfiat, eorumque memoria deleatur. Testor etiam ac profiteor me supplicitur ab eo petere, ut ita me ablutum & mundatum velit sanguine summi illius redemptoris, effuso pro humani generis peccatis, ut mihi liceat apud tribunal ipsius consistere sub ipsius Redemptoris imagine. Item profiteor, me sedulo pro modo gratiæ & benignitatis qua Deus erga me usus est, operam dedisse, ut cum in concionibus, tum etiam in scriptis & commentariis pure & caste verbum ipsius prædicarem, & fideliter Sacram ipsius Scripturam interpretarer. Testor etiam ac profiteor me in contentionibus & disputationibus omnibus, quæ mihi cum hostibus Euangelii habendæ fuerunt, nullis præstigiis, nullis malis artibus & sophisticis usum esse, sed candide ac sincere in veritate propugnanda versatum esse. Verum, hei mihi, studium illud meum & Zelus (si hoc nomine dignus est) adeo remissus & languidus fuit, ut innumera mihi ad munus meum præclare fungendum defuisse fatear. ac nisi immensa Dei benignitas adfuisset, totum illud studium meum inane atque evanidum futurum fuisse: quin etiam agnosco nisi mihi eadem benignitas adfuisset, animi bona quæ mihi Deus largitus est, magis ac magis me culpæ atque ignaviæ reum apud ejus tribu-*

* * *

tribunal factura fuisse: quas ob res testor ac profiteor, nullum me aliud præsidium salutis sperare, nisi hoc unum, quum Deus Pater misericordiæ sit, ut sese mihi, qui me miserum peccatorem agnosco, patrem ostendat. Quod reliquum est, volo post meum ex hac vita discessum, corpus meum terræ mandari eo ritu ac modo, qui in hac Ecclesia & civitate usitatus est: dum beatæ resurrectionis dies adveniat. Quantum ad tenue patrimonium, quod mihi Deus largitus est, de quo in hoc testamento disponere statui, Hæres meus esto Antonius Calvinus, frater meus charissimus: sed honoris causa duntaxat: præcipitoque ac sibi habeto pateram argenteam quæ mihi à Varamio dono data est: qua eum contentum esse cupio. nam quæcunque in hæreditate mea reliqua sunt, peto ab eo, ejusque fidei committo, ut ea suis liberis, cum morietur restituat. Ab eodem fratre & hærede meo lego scholæ puerili decem aureos scutatos: tantundem pauperibus peregrinis: tantundem pariter Joannæ Caroli Constani & affinis meæ filiæ. Samueli vero & Joanni ejusdem fratris mei filiis restitui volo ab hærede meo, cum morietur, quadragenos aureos scutatos: Annæ vero & Susannæ & Dorotheæ, ejusdem filiabus, aureos scutatos tricenos: Davidi ipsorum fratri, ad notam levitatis & petulantiæ juvenilis, scutatos aureos quinque & viginti. Hæc summa est totius patrimonii & bonorum, quæ mihi Deus largitus est, quantum quidem existimare possum: pretium statuens & bibliothecæ, & mobilium, & universi instrumenti domestici, rerumque ac facultatum mearum omnium. quod si quid forte amplius reperiatur, volo id pro rata illis omnibus fratris mei filiis ac filiabus distribui, neque Davidem illum excludo: si pro Dei benignitate ad bonam frugem redierit. Sed si quid erit quod supra scriptam summam excurret, credo non magnum in eo negotium futurum, præsertim ubi alieno ære satisfactum erit, cujus rei negotium diligenter mandavi eidem fratri meo, cujus fidei & benevolentiæ confido: qua de causa illum esse volo ac statuo hujus mei testamenti executorem: unaque cum ipso spectatum virum Laurentium Normendium, potestatem illis permitteus conficiendi bonorum meorum inventarium, sine accuratiore foreusi diligentia ac solennitate: permitto etiam ipsis vendere mea mobilia, ut ex pecunia redacta, supra scriptam meam voluntatem exequantur: quam exposui & dictavi hoc XXV. *Aprilis die, Anno* M. D. LXIV. *Joannes Calvinus. Postea quam ego supradictus notarius superius testamentum scripsi, continuo idem Calvinus usitata subscriptione sua & Chirographo illud confirmavit. Postero die qui fuit* XXVI. *Aprilis ejusdem anni, idem spectatus vir Calvinus me ad se vocari jussit, unaque mecum Theodorum Bezam, Raymundum Calvetum, Michaëlem Copum, Ludovicum Enocum, Nicolaum Coladonium, Jacobum Bordesium Ministros & Concionatores verbi Domini in hac Ecclesia Genevensi, itemque spectatum virum Henricum Scrimgerum Professorem artium, cives Genevenses, & coram iis omnibus professus ac testatus est, sese mihi testamentum illud suum ea forma qua supra conscriptum est, dictasse: simulque me jussit illud ipsis audientibus & ea de causa advocatis recitare. quod me clara voce & articulate feci sse profiteor. Et post illam recitationem testatus est ac professus eam esse suam ultimam voluntatem, quam ratam esse cupiat, in cujus rei testimonium & confirmationem petiit ab illis omnibus, ut eidem testamento manu sua subscriberent: quod continuo ab illis factum est anno & mense supra scriptis: Genevæ in vico vulgo dicto Canonicorum: & in ejusdem testatoris domicilio. In cujus rei fidem & testimonium, supradictum testamentum scripsi, & manu mea subscripsi, & usitato sigillo supremi Magistratus nostri obsignavi.*

PETRUS CHENALATUS.

HOc condito testamento, misit qui quatuor Syndicis cunctisque Senatoribus significarent, cupere se antequam è vivis excederet, adhuc semel eos omnes in Curia compellare, quo postridie se deportandum speraret: responderunt Senatores se potius ad eum venturos, rogaruntque ut suæ valetudinis rationem haberet. Postridie quum ad eum omnes è Curia venissent, mutuo data acceptaque salute, postquam veniam petiisset quod ad ipsum usque venissent, quum sibi potius ad eos accedendum esset, & præfatus, jampridem hoc cum ipsis colloquium expetivisse, quod tamen eo usque distulisset, dum paulo certius exitum suum præsentiret: *Ego vero*, inquit, *honorandi Domini, ingentes vobis gratias ago, quod me plane nihil ejusmodi promeritum, tantis affecistis honoribus, meaque plurimas infirmitates tam patienter sæpe tolerastis, quod maximum semper apud me fuit vestræ in me singularis benevolentiæ argumentum. Et quamvis mihi munere meo defungenti varia subeunda certamina, variique sustinendi fuerint insultus, quod sic oporteat optimum etiam quemque exerceri, scio tamen & agnosco nihil istorum vestra culpa accidisse. Precor autem vos vehementer, ut si quæcunque oportuit, non præstiti, voluntatis meæ potius quam facultatis habeatis rationem. Illud enim vere possum testari, fuisse me Reipublicæ vestræ ex animo studiosum, & ut officio meo plene non sim defunctus, publicis quidem certe commodis pro virili studuisse. Quod ni agnoscerem Dominum vicissim opera interdum uti mea non inutiliter voluisse, dissimulationis crimen non effugerem. Sed hoc à vobis etiam atque etiam peto, ut excusationem apud vos inveniam, quod tam exigua sint quæcunque publice vel privatim præstiti, præ iis quæ à me fieri oportuit: ultro certe agnosco me vobis hoc quoque nomine plurimum debere, quod vehementiam illam meam interdum immoderatam æquo animo tulistis: quæ peccata mea confido mihi à Deo quoque ipso condonata. Cæterum quod ad doctrinam attinet quam ex me audistis, testor me non temere neque incerto, sed pure ac sincere verbum Dei mihi concreditum docuisse, cujus iram alioqui tam scirem huic capiti meo jamjam imminere, quam certus sum meos in docendo labores ei non displicuisse. Idque coram Deo & vobis eo libentius testificor, quod minime dubitem Satanam prout consuevit, improbos, leves, vertiginosos denique homines corrumpendæ quam*

quam ex me audivistis, sinceræ doctrinæ excitaturum. Inde delapsus ad immensa illa beneficia quibus à Domino affecti fuerant, Ego, Ego, inquit, optimus sum testis, quot quantisque periculis optimi maximi Dei manus vos exemerit. Videtis porro quo loco stetis. Sive igitur secundæ res vestræ fuerint sive adversæ, illud, quæso, vobis ob oculos semper obversetur, illum unum esse qui regna & civitates stabiliat, eoque nomine coli à mortalibus velit. Memineritis magnum illum Davidem testari se tum prolapsum esse, quum alta jam pace frueretur, nunquam certe resurrecturum, nisi Dominus bonitate singulari sua manum ei porrexisset. Quid igitur tantillis hominculis fiet, quum ille tam potens & fortis ceciderit? Nempe magna vobis animi demissione opus est, ut magna cum Dei reverentia solicite incedatis, illiusque unius præsidio nitamini, certi nimirum ita futurum ut quod tam sæpe reipsa senstistis, firmi illius ope perstetis, etiamsi velut ex tenui filo suspensa vestra salus & incolumitas fuerit. Itaque si prosperæ vobis evenerint, cavete quæso, ne profano tum iustar efferamini, sed Deo potius cum animi demissione gratias agite. Sin adversa vobis acciderint, adeoque vos undique mortes circumsteterint, sperate tamen in eo qui mortuos etiam excitat. Imo tunc maxime cogitate fic vos à Deo expergefieri, ut in eum unum respicere magis ac magis discatis. Quod si firmam hanc Rempublicam conservari cupitis, videte etiam atque etiam, ne solium illud sanctum, in quo vos ille collocavit, sordibus conspurcetur. Hic enim unus est summus Deus, Rex Regum, & Dominorum omnium Dominus, eos à quibus honorabitur, honoribus auctiurus, & sui vicissim contemptores abjecturus. Hunc igitur ex ipsius præceptis colite, & hac de re magis ac magis cogitate. Semper enim ab eo plurimum absumus, quod à nobis perfici decuit. Novi ego singulorum ingenia & mores, & scio vos exhortatione egere. Nemo est ex iis etiam qui excellunt, cui multa non desint. Hic unusquisque seipsum circumspiciat, & quæ sibi deesse intelligit, à Domino requirat. Videmus quot vitia in plerisque orbis terrarum Conciliis regnent. Alii frigent, publicoque neglecto rebus suis curandis incumbunt, alii privatis affectibus indulgent, alii præclaris Dei donis non utuntur ut par erat, alii se ostentant, & confidentia quadam, quicquid censuerint à reliquis probari postulant. Senes commonefacio ne junioribus invideant, quos à Domino compererint aliquibus donis esse exornatos. Juniores moneo ut procul ab omni elatione, sese modestos præbeant. Alius alium ne interturbato. Vitate simultates, & omnes illas animi acerbitates, quæ multos ingerenda Republica à recto instituto averterunt. Hæc autem vitabitis, si singuli quidem intra suum modulum sese continuerint, omnes vero bona fide commissam sibi Reipublicæ partem administrent. In causarum vero civilium judiciis, ne quis sit, obsecro, favori, vel inimicitiis locus, nemo obliquis artibus jus pervertito. nemo suis commendationibus, quo minus leges valeant, obsistito. nemo ab æquo & bono discedito. Si quem affectus suister titillaverit, constanter ei resistito, & in eum respicito à quo fuit in eo solio collocatus, & ab eodem sanctum Spiritum postulato. Quod superest iterum precor, ut meas mihi infirmitates condonetis, quas ego coram Deo & Angelis, adeoque coram vobis Venerandi Domini, profiteor & agnosco. Hæc ubi dixisset, Deum optimum maximum precatus, ut eos suis donis magis ac magis cumulatos, sancto suo Spiritu ad totius Reipublicæ salutem gubernaret, præbita singulis dextra, mœstos omnes illos, nec aliter ab eo quam à communi parente cum lachrymis discedentes, dimisit. Die 28. Aprilis quum omnes, ipsius rogatu, Genevenses ditionis Ministri convenissemus. At vos, inquit, fratres, post obitum meum perstate in hoc opere, nec animo frangimini: Dominus enim hanc Rempublicam & Ecclesiam adversus hostium minas servabit. Absit à vobis diffidia, mutuaque charitate vos complectimini. Cogitate etiam atque etiam quid huic Ecclesiæ debeatis, in qua vos Dominus collocavit: neque vos quicquam hinc abducat. Sin minus, facile quidem fuerit nonnullis ejus pertæsis quasi per cuniculos evadere: sed experientur illi Dominum decipi non posse. Quum primum in hanc urbem venirem, annunciabatur quidem Euangelium, sed perturbatissimæ res erant, quasi nihil aliud esset Christianismus quam statuarum eversio: nec pauci erant scelerati, à quibus indignissima multa sum perpessus. Sed Dominus ille Deus noster me, me, inquam, natura (dico quod res est) minime audentem ita confirmavit, ut nullis illorum conatibus cesserim. Argentina postea huc redii, vocationem hanc invito animo sequutus, quod infructuosa mihi fore videretur. Ignorabam enim quid statuisset Dominus, & res erat plurimarum maximarumque difficultatum plena. Sed pergens in hoc opere, sensi tandem reipsa Dominum labori meo benedixisse. perstate igitur & vos in hac vocatione: institutum ordinem retinete: Date simul operam ut populus in obsequio doctrinæ contineatur. Sunt enim nonnulli improbi & contumaces. Res, ut videtis, non male sunt constitutæ: quo magis coram Deo nocentes eritis, si vestra ignavia labefactentur. Testor vero me vobiscum fratres, vera sinceraque charitate conjunctissimum vixisse, & nunc à vobis discedere. quod si quando me in hoc morbo morosiorem estis experti, veniam à vobis peto, & ingentes vobis gratias ago, quod ægrotante me, onus mihi impositum sustinueritis. Hæc loquutus dextram singulis porrexit. Nos mœstissimis animis, ac minime siccis oculis, ab eo tum discessimus. 11. Maji quum ex Farelli literis cognovisset (Viretus enim longius aberat) statuisse illum jam octuagenarium & valetudinarium senem, iter ad se ingredi, sic ei Latine rescripsit: *Vale mi optime & integerrime frater, & quando te Deus superstitem manere vult in mundo, vive memor nostræ conjunctionis, quæ ut Ecclesiæ Dei fuit utilis, ita nos ejus fructus in cælo manet. Nolo te fatiges mea causa. Ægre spiritum traho, & assidue expecto, dum me anhelitus deficiat. Satis est quod Christo vivo & morior, qui suis lucrum est in vita, & morte. Iterum vale cum fratribus, Geneve, 11 May,* M.D. LXIV. Venit tamen Genevam bonus ille senex, & quum una inter se locuti essent, postridie Neocomum rediit. Reliquos ad obitum usque dies in perpetuis pene precibus consumpsit, voce quidem propter asthma suspiriosa, sed oculis quales ad extre-

extremum usque clare micantes habuit in cælum sublatis, & ita composito vultu, ut sese precantis ardor totum proderet, sæpe Davidis illud ingeminans in doloribus; *Tacui Domine quia fecisti*: & interdum illud Jesaiæ, *Gemebam sicut columba*. Audivi quoque quum diceret, *Tu me conteris, Domine, sed abunde mihi sufficit, quod tua hæc sit manus*. Patere diem & noctem ipsius fores oportuisset, si admissi fuissent quotcunque officii causa illum adire cupiebant, quos cum, voce, ut diximus, præpedita, compellare se non posse videret, petierat ut unusquisque potius pro ipso precaretur, quam de eo invisendo laboraret. Sæpe quoque mihi, cujus conspectum alioqui nunquam injucundum ei fuisse sum expertus, significavit, sibi religionem esse vel tantillum occupationes meas remorari, adeo fuit ille temporis parcus quod Ecclesiæ impendi sciret, & in eo plus etiam æquo religiosus, ne amicos vel tantillum gravaret. Ita igitur seipsum & amicos consolans, vixit usque ad XIX. Maji, quo die censuram inter nos Ministros exercere, & una cibum capere amicitiæ testandæ causa consuevimus, biduo post videlicet Pentecosten & Cœna Domini sequuturis. Eo die igitur, quum nobis concessisset ut apud ipsum cœna communis instrueretur, & è lectulo, collectis utcunque viribus, in proximum conclave esset delatus, postremum inquit ad vos accedo fratres, nunquam posthac ad mensam accubiturus, quod nobis tristissimæ cœnæ initium fuit. Concepit tamen preces, & paululum cibi sumpsit, sermone quantum licuit inter cœnandum ad hilaritatem composito. Inde cœna nondum plane exacta, quum in contiguum cubiculum reportari se jussisset, renidenti plane vultu cœtum compellans, paries hic, inquit, interjectus non impediet, quo minus corpore absens, vestro tamen cœtui spiritu intersim. Contigit quod prædixerat. Siquidem ab eo die supinus semper jacuit, corpusculo (si vultum parum admodum immutatum excipias) ita emaciato, ut solus illi spiritus superesset. Die quo decessit, nempe XXVII. Maji, visus est fortius, & minore difficultate loqui. Sed hic erat extremus naturæ conatus. Nam vesperi circiter octavam, repente præsentis mortis certa signa apparuerunt: quod quum mihi paulo ante ab ipso digresso, & cuidam alii ex fratribus esset à domesticis significatum, protinus accurrens, illum reperi usque adeo tranquille mortuum, nulloque pedum vel manuum concussu, ut neque graviorem spiritum antea duxerit, neque sensu & judicio, imo ne voce quidem penitus, ad extremum usque halitum fuerit destitutus, & dormienti quam mortuo multo similior videretur. Sic igitur eo die cùm occidente sole splendida etiam hæc lux nobis erepta est. Sequente nocte ac postero die in urbe tota ingens fuit comploratio. Requirobat enim universa civitas sapientissimum civem, Ecclesia deplorabat fidi sui pastoris decessum, schola ereptum sibi talem doctorem lugebat, omnes denique communi secundum Deum parente ac consolatore orbati lamentabantur. Optabant multi cives eum spectare mortuum, quod ab eo ne mortuo quidem avelli possent. Quidam etiam peregrini, qui videndi & audiendi ipsius causa procul venerant, inter quos etiam adfuit Clarissimus vir Reginæ Angliæ in Gallia legatus, avide admodum intueri saltem defunctum petebant. Ac initio quidem admittebantur. Sed quod hæc nimia esset curiositas, ut calumniis adversariorum occurreretur, placuit amicis, ut postridie mane qui dies erat Dominicus, linteo de more involutum corpus ligneo loculo includeretur. Pomeridiana vero secunda, sequentibus funus Patritiis, una cum Patribus, Professoribusque scholæ omnibus, totaque pene civitate non sine uberibus lachrymis prosequente, elatus est, communique cœmiterio quod planum palatium vocant, nulla penitus extraordinaria pompa, nulloque addito cippo (sic enim mandarat) conditus, cui propterea his versiculis parentavi:

Romæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horrescunt mali.
Ipsa à quo potuit virtutem discere virtus,
Cur adeo exiguo ignotoque in cespite clausus
CALVINUS *lateat, rogas?*
CALVINUM *assidue comitata modestia vivum*
Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.
O te beatum cespitem tanto hospite!
O cui invidere cuncta possint marmora!

Vixit annos quinquaginta quatuor, menses decem, dies decem & septem, cujus spatii dimidium in sancto Euangelii ministerio consumpsit. Statura fuit mediocri, colore subpallido & nigricante, oculis ad mortem usque limpidis, quique ingenii sagacitatem testarentur: cultu corporis neque culto neque sordido, sed qui singularem modestiam deceret: victu sic temperato, ut à sordibus & ab omni luxu longissime abesset: cibi parcissimi, ut qui multos annos semel quotidie cibum sumpserit, ventriculi imbecillitatem causatus: somni pene nullius, memoriæ incredibilis, ut quos semel aspexisset, multis post annis statim agnosceret, & inter dictandum sæpe aliquot horas interturbatus, statim ad dictata nullo commonefaciente rediret, & eorum quæ ipsum nosse sui muneris causa interesset, quantumvis multiplicibus & infinitis negotiis oppressus, nunquam tamen oblivisceretur: Judicii, quibuscunque de rebus consuleretur, tam puri & exacti, ut pene vaticinari sæpe sit visus, nec

nec aberraſſe meminerim qui conſilium ipſius eſſet ſequutus. *Facundiæ contemptor & verborum parcus*, ſed minime ineptus ſcriptor, & quo nullus ad hunc diem Theologus (abſit verbo invidia) purius, gravius, judiciolius denique ſcripſit: quum tamen tam multa ſcripſerit quam nemo vel noſtra vel patrum memoria. Erat enim hoc conſequutus vigiliis juventutis, & quadam judicii acrimonia, dictandi exercitatione confirmata, ut neque illi deeſſet unquam quod appoſite & graviter diceret, neque multo aliter ſcriberet quam loqueretur. In doctrina quam initio tradidit, ad extremum conſtans, nihil prorſus immutavit, quod paucis noſtra memoria Theologis contigit. Quod ad ipſius mores attinet: quamvis illum natura ad gravitatem finxiſſet, nemo tamen illo in communi victu fuit ſuavior, in ferendis hominum vitiis quæ infirmitatis erant, mire fuit prudens (ut neque importuna objurgatione pudefaceret aut perterrefaceret imbecillos fratres, neque vitia connivendo vel adulando foveret. Adulationis autem & ſimulationis, improbitatis denique, præſertim ſi de Religione agebatur, tam fuit hoſtis acer & vehemens, quam veritatis, ſimplicitatis, & candoris amans. Fuit omnino naturæ ipſius temperamento ἀνεξίκακος, quod vitium etiam auxerat laborioſiſſimum illud vitæ genus. Iræ tamen ſic eum docuerat Spiritus Domini moderari, ut ne verbum quidem ſit ex eo auditum, quod viro bono indignum eſſet, nedum ut longius progrederetur: nec temere niſi tum commoveretur, quum de Religionis cauſa agebatur, aut adverſus præfractos homines ipſi negotium erat. Tot tantaſque virtutes domi & foris, tam multos adverſarios habuiſſe nemo mirabitur, qui vel eorum inter profanas gentes hominum hiſtoriam legerit, qui præ aliis aliquam virtutis ſpeciem adamarint: tantum abeſt, ut mirum cuiquam videri debeat, fortiſſimum tum ſanæ doctrinæ defenſorem, tum puræ vitæ ſectatorem, domi & foris tam acriter oppugnatum fuiſſe. Sed hoc potius admiratione dignum eſt, unicum hominem tanquam Herculem quendam Chriſtianum, tot domandis monſtris ſufficere potuiſſe, nempe fortiſſima illa clava, id eſt, Dei verbo utentem. Itaque quot ei adverſarios Satan excitavit (nullos enim in tam multis hoſtes abos habuit, quam qui pietati, & honeſtati bellum indixiſſent) tot ſervo ſuo Dominus victoriarum trophæa defixit. Hæreticum iſti faciunt Calvinum: quaſi vero non ſit hoc etiam nomine damnatus Chriſtus ipſe, & quidem ab ipſis Sacerdotibus. Expulſus eſt Geneva, adde & ab eadem revocatus. Et quid Apoſtolis, quid Athanaſio, quid Chryſoſtomo contigit? Exprobrant illi multa nonnulli alii, ſed cujuſmodi? Ambitioſus fuit ſcilicet; imo etiam novum papatum ambivit, qui hoc vitæ genus, hanc Rempublicam, hanc denique Eccleſiam, quam vere poſſum paupertatis officinam appellare, rebus omnibus antepoſuit. Accumulandis ſcilicet opibus ſtuduit, cujus bona omnia, care etiam divendita ipſius bibliotheca, vix trecentos aureos æquarant, ut non minus ſcite quam vere calumniam iſtam longe impudentiſſimam refellens, hæc verba uſurparit, *Me non eſſe pecunioſum, ſi quibuſdam vivus non perſuadeo, mors tamen oſtendet.* Teſtari certe poteſt Senatus, quam perexigua eſſent ejus ſtipendia, tantum abfuiſſe ut in iis non acquieſceret, ut ampliora etiam oblata pertinaciter recuſarit. Exprobrant ei alii, quod illius fratet Antonius Calvinus priorem uxorem ſuam ob adulterium, cognita cauſa repudiarit. Quid ergo dicerent illi, ſi adulteram foviſſet? Quod ſi in eum redundat hoc impudicæ mulieris dedecus, quid fiet Jacobi, Davidis, ipſius filii Dei familiæ, in qua ipſemet Diabolum ex ſuis unum diſerte notavit? Delitiis ſcilicet illum & luxui indulſiſſe, tot ipſius laborum teſtes demonſtrant. Quid quod nonnullos etiam dicere & ſcribere non pudet, reguaſſe illum Genevæ tum in Eccleſia tum in Republica atque adco pro tribunali ſediſſe? Alii etiam, illum neſcio quem vivum pro mortuo cadavere excitando, univerſo etiam teſte populo ſuppoſuiſſe fabulantur, quod non minus putidum mendacium, quam ſi Romæ Papa fuiſſe diceretur, auſus eſt rapſodus ille Sorbonicus Claudius Sponſa maledicentiſſimo quodam libro inculcare. Quid enim iſtos pudeat? Sed iſta neque apud eos qui tantum hunc virum norunt, neque apud poſteros ſani judicii homines, qui mores hominis ex ipſius ſcriptis æſtimabunt, refutatione indigent. Ego hiſtoriam vitæ & obitus ipſius, cujus ſpectator ſedecim annos fui, bona fide perſecutus, teſtari mihi optimo jure poſſe videor, longe pulcherrimum veræ Chriſtianæ tum vitæ, tum mortis exemplum in hoc homine cunctis propoſitum fuiſſe, quod tam facile ſit calumniari, quam difficile fuerit æmulari.

LECTO-

LECTORI SALUTEM.

QUia nemo piorum reperitur, cui pergratum non sit certo intelligere quonam libros Joannes Calvinus in lucem emiserit, quæque ab eo relicta fuerint scripta, & eo concionante excepta: ne quis etiam hac in parte posthac fallatur, sicuti fatie notum est in scriptis magnorum virorum utplurimum accidisse, ut sub eorum nomine multa falsa obrepserint & adulterina, commodissimum duximus huc attexere nominatim catalogum tum Scriptorum vel Librorum Calvini, qui Latine & Gallice jam in publicum prodierunt: tum etiam eorum qui nondum editi sunt, quantum memoria complecti potuimus.

CATALOGUS LIBRORUM
à
JOANNE CALVINO
CONSCRIPTORUM.

Qualem volumini Epistolarum præmisit

THEODORUS BEZA.

Qui jam in vetus Testamentum extant Commentarii Latini primum, tum etiam Gallici facti.

IN Genesin.
In quatuor libr. Mosis in formam Harmoniæ digesti.
In librum Josuæ.
In omnes Psalmos.
In Jesaiam.

Prælectiones item Latinæ, tum & Gallicæ.

IN Jeremiam.
In viginti prima capita Ezechielis.
In Danielem.
In minores Prophetas.

In novum Testamentum Commentarii tum Latini, tum Gallici.

IN tres Euangelistas in formam Harmoniæ digesti.
In Joannem.
In Acta Apostolorum.
In omnes Pauli Epistolas.
In Epistolam ad Hebræos.
In Canonicas Petri, Joannis, Jacobi, & Judæ.

Conciones quæ extant, exceptæ dum ipse concionaretur.

DE Sacrificio Abrahami homiliæ tres.
In Deuteronomium.
In decem legis præcepta separatim prius excusa.
In librum Job.
In Psalmum 119.
In Canticum Ezechiæ ex Jesaiæ 38.
In posteriora octo capita Prophetiæ Danielis, sed Rupellæ tantum editæ.
In quatuor priora capita, & quod excurrit Harmoniæ trium Euangelistarum.
In decimum & undecimum caput prioris ad Corinthios.
In Epistolam ad Galatas.
In Epistolam ad Ephesios.
In Epistolas ad Timotheum & Titum.
Item conciones aliquot de Christi nativitate, passione, morte, resurrectione, ascensione.
Conciones quatuor nostris temporibus perutiles.
Concio in cœtu quem Congregationem vocant, habita de Providentia & æterna Dei Electione.
Item Concio in congregatione, ad certum locum Epistolæ ad Gal cum Conciuncula vel exegesi particulæ Catechismi ad extremum articulum Dominicæ orationis.

Conciones aliæ quæ nondum extant in vetus Testamentum.

IN Genesin.
In duos Samuelis libros: Sed illæ jam fere editæ.
In priores Regum 18. capita circiter.
In complures Psalmos.
In librum Josuæ summæ quædam breves in cœtu publico exceptæ, cum paucis perstringeret quod erat fusius à Ministro congregationem habente tractatum.
In Jesaiam.
In Jeremiam.
In Ezechielem.
In septem ex duodecim minoribus Prophetis.

In novum Testamentum.

CONciones aliquot in Harmoniam trium Euangelistarum.
In Acta Apostolorum.
In duas ad Corinthios Epistolas.
In duas ad Thessal. Epistolas.
In aliquot capita Epistolæ ad Hebræos.
Prælectiones in Psalmos à 37. ad finem usque nondum editæ.

Catalogus aliorum Librorum quos seorsim variis temporibus scripsit.

COmmentarius in Senecam de Clementia.
Institutio Christianæ Religionis Latine & Gallice.
Psychopannychia Latine & Gallice, ut & sequentia opera.
Epistolæ duæ, una de fugiendis Pontificiorum illicitis sacris, altera de Christiani hominis officio, &c.
Responsio ad Epistolam Sadoleti Card.
De Cœna Dn. Libellus à Galasio Latinus factus.
Epinicion Christo canitatum.
Catechismus Ecclesiæ Genevensis, cum formula Sacramentorum administrandorum & publicis precibus, ritu item celebrandi conjugii.
Adversus Pighium Campensem liberi arbitrii assertorem.
Scholia in admonitionem paternam Pauli III.
Antidotum adversus articulos Facultatis Theologiæ Sorbonicæ.
De necessitate reformandæ Ecclesiæ.
Instructio adversus errores Anabaptistarum, Libertinorum, &c.
Admonitio appositissima de perquirendis Reliquiarum quas vocant, fructulis, ex fide Pontificiorum.
De vitandis superstitionibus Judicium piorum virorum.
Excusatio adversus Pseudo-Nicodemitas.
Antidotum adversus Acta Tridentinæ Synodi.
Vera Christianæ pacificationis & Ecclesiæ reformandæ ratio.
Admonitio adversus Astrolog. quam Judiciatiam vocant.
Consensio mutua in re Sacramentaria.
Ejusdem consensionis defensio.
De Scandalis.
De æterna Dei prædestinatione & providentia.
Defensio orthodoxæ fidei Sacræ Trinitatis, adversus prodigiosos errores Mich. Serveti Hispani.
Admonitiones ad Westphalum tres.
Adversus Hesthusium, & Stancari errorem.
Adversus Valentinum Gentilem.
Ad nebulonis cujusdam calumnias responsio.
Altera ejusdem argumenti.
Ad versipellem Mediatorem.
Brevis admonitio ad fratres Polonos.
Epistola quæ fidem hujus ad Polonos admonitionis confirmat.
Ad Balduini convitia responsio.

Quæ Gallice tantum extant opuscula.

CONgratulatio ad venerabilem presbyterum Gabrielem Saconæum Præcantorem Lugdunensem.
Ad Hollandum quendam responsio.
Censura qua silentium imponatur nebuloni cuidam Ant. Cathalano.
Præterea superfunt duæ fidei confessiones, quarum una nomine Ecclesiarum Gallicarum Imperatori exhibita: tum etiam plurimæ literæ, consilia, admonitiones, responsa tum Latine tum Gallice ad varia hominum genera scripta, quæ maximam partem latine jam sunt edita.

JOAN-

JOANNIS CALVINI
COMMENTARI
IN
PRIMUM LIBRUM MOSIS,
VULGO
GENESIN.

CAPUT PRIMUM.

IN principio creavit Deus cælum & terram.

2. Terra autem erat informis & inanis: tenebræque erant in ſuperficie voragi. & Spiritus Dei agitabat ſe in ſuperficie aquarum.

3. Et dixit Deus, Sit lux. Et fuit lux.

4. Viditque Deus lucem quod bona eſſet: & diviſit Deus lucem à tenebris.

5. Et vocavit Deus lucem, Diem: & tenebras vocavit Noctem. Fuitque veſpera fuit mane dies primus.

6. Et dixit Deus, Sit extenſio in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.

7. Et fecit Deus expanſionem: & diviſit aquas quæ erant ſub expanſione, ab aquis q erant ſuper expanſionem. Et fuit ita.

8. Vocavitque Deus expanſionem, Cælum. Et fuit veſpera, & fuit manè dies cundus.

9. Poſtea dixit Deus, Congregentur aquæ quæ ſunt ſub cælo, in locum unum, & ap reat arida. Et fuit ita.

10. Et vocavit Deus aridam, Terram: congregationem veto aquarum appellavit M ria. Et vidit Deus quod eſſet bonum.

11. Poſtea dixit Deus, Germinet terra germen, herbam ſeminificantem ſemen, arb rem fructiferam, facientem fructum juxta ſpeciem ſuam, cui inſit ſemen ſuum ſuper t ram. Et fuit ita.

12. Et protulit terra germen, herbam ſeminificantem ſemen juxta ſpeciem ſuam, arborem facientem fructum, cui ſemen ſuum ineſſet juxta ſpeciem ſuam. Et vidit De quod eſſet bonum.

13. Et fuit veſpera, & fuit mane dies tertius.

14. Tunc dixit Deus, Sint luminaria in firmamento cæli, ut dividant diem à nocte & ſint in ſigna, & ſtata tempora, & dies, & annos:

15. Et ſint in luminaria in expanſione cæli, ut illuminent terram. Et fuit ita.

16. Et fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus in dominium diei, & luminar minus in dominium noctis, & ſtellas.

17. Poſuitque ea Deus in expanſione cæli, ut illuminarent terram:

18. Et ut dominarentur diei ac nocti, & dividerent lucem à tenebris. Et vidit Deu quod eſſet bonum.

19. Et fuit veſpera, & fuit mane dies quartus.

20. Poſtea dixit Deus, Repere faciant aquæ reptile animæ viventis: & volatile vole ſuper terram in ſuperficie expanſionis cæli.

21. Et creavit Deus cetos magnos, & omnem animam viventem, repentem, quam repere fecerunt aquæ juxta ſpecies ſuas: & omne volatile alatum ſecundum ſpeciem cujuſ que. Et vidit Deus quod eſſet bonum.

22. Benedixitque eis, dicendo, Creſcite, & multiplicate vos, & replete aquas in mari bus: & volatile multiplicet ſe in terra.

23. Et fuit veſperà, & fuit mane dies quintus.

24. Poſtea dixit Deus, Producat terra animam viventem ſecundum ſpeciem ſuam; jumentum, & reptile, & beſtias terræ ſecundum ſpeciem ſuam. Et fuit ita.

25. Fecitque Deus beſtiam terræ ſecundum ſpeciem ſuam, & jumentum ſecundum ſpe ciem ſuam, & omne reptile terræ ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quod eſſet bonum.

26. Et dixit Deus, Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram;


image
not
available

cem tanta decoris præstantia, qua ornandus erat mundus, priorem esse oportuit: & hoc quoque erat distinctionis exordium. Quod autem lux solem & lunam præcessit, non temere nec fortuito accidit. Nihil nobis magis proclive quam Dei potentiam alligare organis quorum ministerio utitur. Lucem sol & luna nobis administrant: vim istam sic in illis includimus nostra opinione, ut si tollantur è mundo, lux nulla restare posse videatur. Ergo Dominus ipso creationis ordine, lucem se in manu habere testatur: quam nobis largiri possit absque sole & luna. Porro certum est ex contextu, sic creatam fuisse lucem ut tenebris fuerint suæ vices. Sed quæri potest, fuerintne per totum mundi circuitum lux & tenebræ vicissim: an vero dimidium circulum tenebræ occupaverint, quum alibi lux splenderet. Quia alterna fuerit successio, non dubium est: sed an ubique simul fuerit dies, & ubique nox, id malo in medio relinquere: neque etiam scitu adeo necessarium est.

4. *Viditque Deus lucem.*] Hic inducitur Deus à Mose opus suum considerans, ut inde voluptatem capiat. Verum id fit nostra causa: ut discamus nihil Deum fecisse nisi certa ratione & consilio. Nec vero sic accipere convenit Mosis verba, quasi tunc opus suum agnoscere bonum cœperit ex quo factum erat: verum sensus est, opus quale nunc aspicitur à nobis, approbatum esse à Deo. Quare nihil nobis restat quam acquiescere in hoc judicio Dei. Atque hæc valde utilis est admonitio. Nam quum debeat homo sensus omnes intendere ad suspicienda Dei opera, videmus quantum in illis sugillandis licentiæ sibi permittat.

5. *Vocavit Deus lucem.*] Hoc est, Voluit Deus ut esset aliqua dierum & noctium vicissitudo: quod etiam mox sequutum est, quum primus dies finem accepit. Lucis enim conspectum abstulit Deus, ut nox diem alterum inchoaret. Quod tamen dicit Moses, bifariam verti potest: vel quod fuerit vesper & mane diei primi: vel quod ex vespero & mane completus fuerit dies primus. Utrumvis eligas, nihil refert quoad sensum: nam simpliciter diem intelligit duabus partibus completum fuisse. Diem porro à vespere incipit secundum usitatam gentis suæ morem. An autem hic optimus sit & legitimus ordo, disputare nihil attinet. Scimus tenebras fuisse tempore superiores: quum lucem Deus subduxit, hoc erat diem claudere. Non dubito quin rationem hanc sequuti sint vetustissimi Patres, quibus finis diei erat vesper adveniens, atque ita alterius diei initium. Quanquam Moses legem hic præfigere noluit quam violare fit nefas: sed receptæ consuetudini (ut jam dictum est) accommodavit sermonem suum. Quare sicuti stulte Judæi omnes aliorum rationes damnant, quasi hanc solam Deus statuerit: ita rursum futiles sunt alii, dum hanc quæ à Mose commendatur, præposteram esse contendunt. *Dies primus.* Hic manifeste refellitur eorum error qui momento uno voluunt conditum esse mundum. Est enim nimis violentum cavillum quod Moses docendi causa in sex dies quæ Deus fecit perfecit, distribuat. Quin potius Deus ipse, ut opera sua ad hominum captum temperaret, sex dierum spatium sibi sumpsit. Immensum Dei gloriam quæ hic relucet, leviter transvolamus: unde hoc, nisi quia ad reputandam ejus magnitudinem plusquam sumus hebetes: interea alio nos ingenii nostri vanitas rapit? Huic vitio corrigendo Deus aptissimum remedium adhibuit, quum in certos gradus distinxit mundi creationem, ut nostram attentionem retineat, & quasi subsistere, injecta manu, cogat. Ad hoc commentum stabiliendum imperite citatur locus ex Ecclesiastico, Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Græcum enim adverbium κοινῆ quo utitur, nihil tale sonat: neque ad tempus refertur, sed rerum universitatem.

Eccl. 18. *vers.* 1.

6. *Sit extensio.*] Opus secundi dici est, inane hoc spatium per terræ circumferentiam, ne cælum terræ misceatur. Nam quum hoc proverbio, Cælum terræ miscere, notetur extrema ἀσυζία, magni hæc distinctio fieri debet. Porro vox רקיע non modo totam aeris regionem comprehendit, sed quicquid supra nos patet: qualiter cælum Latinis interdum capitur. Ita dispositio cæli & aëris promiscue vocatur רקיע: sed aliquando utrumque simul, aliquando alterum partem significat: ut melius patebit ex progressu. Nesciat Græcis placuerit vertere στερέωμα: quod in firmamenti nomine imitati sunt Latini: ad verbum enim est expansio. Atque hucalludit David, quum dicit extenso esse cælos à Deo instar cortinæ. Si quis roget annon prius fuerit ista vacuitas: respondeo, ut cunque non occuparentur ab aquis omnia, nunc tamen primum ordinatam fuisse distantiam, quum prius incomposita esset permixtio. Usum specialem exprimit Moses, ut distinguat aquas ab aquis. Ex quibus verbis oritur magna difficultas. Est enim alienum à sensu communi, & prorsus incredibile, quasdam esse aquas cælo superiores. Quare nonnulli ad allegoriam confugiunt: & de Angelis philosophantur: sed intempestive. Nam hoc mihi certum principium est, hic nonnisi de visibili mundi formatractari. Astrologiam & alias artes reconditas aliunde discat qui volet. Hic Spiritus Dei omnes simul sine exceptione docere voluit: atque adeo quod falso & perperam de statuis & picturis Gregorius pronunciat, vere in hanc creationis historiam competit, librum scilicet esse idiotarum. Ergo quæcunque commemorat, ad ornamentum illius theatri spectant quod nobis ante oculos ponit. Unde statuo, aquas hic intelligi quas rudes quoque & indocti perspiciant. Quod enim quidam se fide amplecti dicunt quod hic legunt de aquis supercælestibus, utcunque eas ignorent, Mosis instituto non est consentaneum. Et vero rei apertæ & expositæ supervacua est longior inquisitio. Videmus nubes in aëre suspensas capacibus nostris sic minari, ut spirandi locum nobis relinquant. Hoc mirabili Dei providentia fieri qui negant, frustra ingenii sui vanitate sunt inflati. Scimus quidem naturaliter procreari pluvias: sed diluvium satis ostendit quam mox obruendi simus nubium impetu, nisi cataractæ cæli, Dei manu clausæ essent. Nec temere inter ejus miracula hoc recenset David, quod in aquis pondera Deus cœnaculorum suorum trabes. Psal. 104. vers. 3. & alibi cælestes aquas ad laudandum Deum advocat. Quum ergo nubes creaverit Deus, & regionem illis supra nos assignaverit: non debuit præteriri, Dei virtute arceri ne profusæ subito impetu nos absorbeant: ac præsertim quum non aliud illis oppositum sit clausturum quam liquidus & evanidus aër, qui facile cederet nisi prævaleret hoc verbum, Sit extensio inter aquas. Cæterum hujus diei operi notam illam non apposuit Moses, quod Deus esse bonum viderit: forte quia nondum extabat utilitas, donec aquæ terrestres in proprium locum se reciperent: quod postero die factum est. itaque bis illic repetitur.

9. *Congregentur aquæ.*] Hoc quoque illustre est miraculum, quod aquæ suo discessu habitandi locum hominibus dederunt. Nam & Philosophi concedent naturalem esse situm aquæ, qualem initio fuisse tradit Moses, ut totam terram involvat. primum, quia elementum est, circulare esse oportet: & quia elementum est gravius aëre, terra levius, deberet banc toto circuitu tegere. Quod autem in tumulos redacta maria locum hominibus concedunt, hoc est quasi præter naturam: atque ideo bonitatem Dei hac in parte Scriptura sæpe extollit. Psal. 33. v. 7. Congregavit aquas in acervum, & recondidit in thesauris. Item Psal. 78. Collegit aquas velut in utrem. Jer. 5. vers. 22. An me non timebitis? annon pavebitis à facie mea? qui posui arenam terminum maris. Job. 38. vers. 8. Quis concluſit ostiis

mare?

mare? annon ego clauſtra & vectes circumdedi? Ego dixi, Hucuſque progredere, hic rumpantur tumentes fluctus tui. Sciamus ergo nos in ſicco habitare, quia Deus mandato ſuo aquas ſubmovit, ne totam terram ſubmergant.

11. *Germinet terra.*] Hactenus nuda & ſterilis erat terra: nunc eam Dominus verbo ſuo fœcundat. Tametſi enim jam deſtinata erat ad fructus gignendos, donec tamen ex ore Dei prodiit nova virtus, ſiccam & inanem manere oportuit. Neque enim ipſa naturaliter ad gignendum quicquam apta erat: nec aliunde erat germen, donec apertum eſt os Domini. Nam quod David prædicat de cœlis, ad terram quoque extendi debet: verbo Domini factam eſſe, & ſpiritu oris ejus ornatam & inſtructam. Porro quod ante ſolem & lunam creatæ ſunt herbæ & arbores, fortuito non accidit. Videmus nunc à ſole vegetari terram, ut fructus ſuos proferat. Nec vero Deum latebat hæc naturæ ratio quam poſtea ordinavit: ſed ut diſcamus ad eum referre omnia, nullas tunc ſoli & lunæ partes conceſſit. Vim quam illis infundit, agnoſcere nobis permittit, quemadmodum miniſterio utitur: ſed quia includere ſolemus in eorum natura quod aliunde habent, neceſſe fuit vigorem quem nunc terræ videntur dare, prius extare quam creata eſſent. Fatemur quidem verbo per ſe ſatis valere primam cauſam, medias vero & inferiores habere quantum ab ipſa mutuantur: ſed reipſa fingimus Deum inopem vel mutilum, niſi ab hisadjuvetur. Imo quotuſquiſque eſt qui ultra ſolem conſcendat ubi de terræ fœcunditate agitur? Quod ergo Deum conſulto egiſſe diximus, pluſquam neceſſe erat: ut ex ipſa creationis ſerie diſcamus, Deum per creaturas agere, non tanquam alienæ opis indigum, ſed quia ſic illi placeat. Quum dicit, *Germinet terra herbam quæ ſemen producat, arborem cui ſemen inſit*: ſignificat non modo creatas fuiſſe tunc herbas & arbores, ſed utriſque ſimul inditam propagationis virtutem, ut ſoboles maneret. Quia ergo terram quotidie videmus è gremio nobis fundere tot divitias, quod videmus herbas ſemen emittere, & ſemen illud terræ ſinu conceptum foveri donec emergat, alias arbores ex aliis pullulare: id totum manat ex verbo iſto. Si ergo quærimus qui ſiat ut fertilis ſit terra, è ſemine germen naſcatur, fruges ad maturitatem perveniant, ſingula genera quotannis ſoboleſcant: non alia cauſa invenietur, niſi quia ſemel loquutus eſt Deus, hoc eſt, æternum ſuum decretum protulit: terra autem, & quæ ex ea proveniunt, Dei mandato, quod ſemper exaudiunt, præbent obſequium.

14. *Sint luminaria.*] Tranſit Moſes ad diem quartum, quo ſtellæ ſunt conditæ. Prius lucem creaverat: ſed nunc inſtituit novum ordinem in natura, ut ſol diurnæ lucis ſit miniſter, luna & ſtellæ noctu luceant. Atque hoc illis officium attribuit, ut ſciamus omnes creaturas ſubeſſe ejus arbitrio, & exequi quod illis injungit. Nihil enim aliud refert Moſes quam Deum certa ordinatione deſtinaſſe quæ lucem jam prius creatam, mutuis vicibus per mundum diffunderent. Hoc tantum eſt diſcrimen, quod prius erat lux ſparſa, nunc à corporibus lucidis procedit, quæ in hunc uſum obſequuntur Deo. *Dividant diem à nocte.* Diem artificialem intelligit, qui ab ortu ſolis incipit, & deſinit in occaſum. Nam dies naturalis (cujus ſupra meminit) noctem ſub ſe continet. Hinc colligo, vices dierum & noctium continuas ſemper fore: quia ſermo Dei, qui dies à noctibus voluit eſſe diſtinctos, ſolis curſum in hunc finem moderatur. *Sint in ſigna.* Tenendum eſt illud, Moſen non acute philoſophari de occultis myſteriis: ſed referre quæ paſſim etiam rudibus nota ſunt, & poſita in vulgari uſu. Duplex autem maxime utilitas percipitur ex ſolis & lunæ curſu: altera eſt naturalis, altera ad ordinem politicum ſpectat. Sub natura agriculturam quoque comprehendo. Tametſi enim ſatio & meſſis hominum artem & induſtriam requirunt: hoc tamen naturale eſt, quod ſol propiore acceſſu orbem noſtrum calefacit, quod vernam temperiem affert, quod æſtatem & autumnum efficit: ſed quod memoriæ cauſa homines inter ſe annos & menſes numerant, quod luſtra ex iis & olympiadas conficiunt, quod ſtatos habent dies, id politiæ dico eſſe proprium. utriuſque partis hic ſit mentio. Cur tamen Moſes ſigna vocet, paucis dicendum eſt: quia hoc loco abutuntur curioſi homines, ut frivolis ſuis prædictionibus colorem inducant: Chaldæos dico, & fanaticos homines, qui ex ſiderum præſagiis nihil non divinant. Quia Moſes ſolem & lunam dicit conſtitui in ſigna, quidvis ex illis elicere ſe poſſe exiſtimant. Verum facilis eſt refutatio: certarum enim rerum ſigna dicuntur, non ut quidvis notent pro noſtra libidine. Quæ autem ſignari dicit Moſes niſi quæ ad naturæ ordinem pertinent? Nam idem Deus qui ſigna hic ordinat, teſtatur per Jeſaiam, ſigna divinantium ſe diſſipare: & à ſignis cæli metuere vetat. Cæterum quia palam eſt Moſen non ultra conſuetum hominum morem progredi, à longiori diſputatione ſuperſedeo. Vox מועדים, quam vertunt certa tempora, varie capitur apud Hebræos: nam & tempus, & locum, & ipſos conventus ſignificat. Rabbini communiter hunc locum exponunt de feſtis ſuis diebus. Ego autem latius extendo, ut primum denotet temporum opportunitates, quæ Gallice vocantur *ſaiſons*: deinde nundinas omnes, & forenſes conventus. Denique immenſam Dei bonitatem in eo commendat Moſes, quod non modo terram illuminant ſol & luna, ſed in quotidiano vitæ uſu alias commoditates varias nobis præſtant. Reſtat ut pure fruentes multiplici Dei beneficentia, præpoſtero noſtro abuſu tam præſtantes creaturas diſcamus non profanare. Interea ſuſpiciamus mirificum hunc artificem, qui ſurſum ac deorſum tam pulchre diſpoſuit omnia, ut ſuaviſſimo concentu inter ſe reſpondeant.

Pſal. 33. verſ. 6.

Iſa. 44. verſ. 25. Jer. 10. verſ. 2.

15. *Sint in luminaria.*] Iterum repetere operæpretium eſt quod prius dixi, non hic philoſophice diſſeri quantus ſit ſol in cælo, & quam magna vel parva luna: ſed quanta lux ex ipſis ad nos perveniat. ſenſus enim noſtros hic compellat, ne donorum Dei quibus fruimur, cognitio præterfluat. Ergo ut teneamus Moſis mentem, nihil attinet ſupra cælos volare: tantum aperiamus oculos ad hoc lumen quod nobis in terra Deus accendit. Qua ratione (ut jam monui) ſatis refellitur eorum improbitas qui Moſen exigitant quod non magis exacte loquutus ſit. Non enim potius reſpexit quam ſidera, ut Theologum decebat. Nec vero eum latebat, non eſſe tantum in luna fulgoris ut terram illuſtret, niſi à ſole mutuetur: verum ſatis habuit docere quod palam omnes cernimus, lunam eſſe nobis lucis miniſtram. Quod Aſtrologi corpus opacum eſſe dicunt, eatenus verum eſſe concedo ut tenebroſum eſſe negem. Nam primo, quum ſuperior ſit ignis elemento, corpus igneum eſſe neceſſe eſt. Hinc ſequitur luminoſum quoque eſſe: ſed quia non tantum habet quod ad nos uſque penetrando ſufficiat, mutuo à ſole ſumit quod deeſt. Minus luminare dicit, comparative: quia exigua eſt lucis portio quam nobis emittit, præut eſt immenſus ſolis fulgor.

16. *Luminare majus.*] Dixi Moſen non hic ſubtiliter diſſerere de naturæ arcanis, ut Philoſophum: quod in his verbis videre eſt. Primum planetis & ſtellis in expanſione cælorum ſedem aſſignat: Aſtrologi vero ſphærarum diſtinctionem tradunt, & ſimul docent ſtellas fixas proprium habere locum in firmamento. Moſes duo facit magna luminaria: atqui Aſtrologi firmis rationibus probant, Saturni ſidus, quod omnium minimum propter longinquitatem apparet, lunari eſſe majus. Hoc intereſt, quod Moſes populariter ſcripſit quæ ſine doctrina & literis omnes

omnes idiotæ communi ſenſu percipiunt: illi autem magno labore inveſtigant quicquid humani ingenii acumen aſſequi poteſt. Nec vero aut ſtudium illud improbandum eſt, aut damnanda ſcientia, ut phrenetici quidam ſolent audacter rejicere quicquid eſt illis incognitum. Nam Aſtrologia non modo jucunda eſt cognitu, ſed apprime quoque utilis: negari non poteſt quin admirabilem Dei ſapientiam explicet ars illa. Quare ut laudandi ſunt ingenioſi homines qui utilem operam hac in parte ſumpſerunt: ita quibus ſuppetit otium & facultas, hoc exercitationis genus negligere non debent. Nec Moſes ſane ab eo ſtudio retrahere nos voluit, quum omiſit quæ ſunt artis propria: ſed quia non minus indoctis & rudibus quam doctis ordinatus erat magiſter, non aliter potuit ſuas partes implete quam ſi ſe demitteret ad craſſam iſtam rationem. Si de rebus vulgo ignotis loquutus foret, cauſari poterant idiotæ altiora hæc eſſe captu ſuo. Denique quum hic Spiritus Dei promiſcuam omnibus ſcholam aperiat, non mirum eſt ſi ea maxime deligat quæ poſſint ab omnibus intelligi. Si Aſtrologus veras ſiderum dimenſiones quærat, lunam repetiet Saturno minorem. verum id eſt reconditum: oculis enim aliud apparet. Ergo Moſes ad uſum potius ſe convertit. Nam quum Dominus manum quodammodo ad nos uſque porrigat, dum facit ut ſolis & lunæ ſplendore fruamur: quantæ ingratitudinis foret ad ipſam experientiam ultro connivere? Non eſt igitur quod Moſis imperitiam rideant arguti homines, quia lunam facit ſecundum luminare: neque enim nos in cælum evocat, ſed tantum proponit quæ ante oculos patent. Habeant ſibi Aſtrologi altiorem notitiam: ioterea qui à luna percipiunt nocturnum ſplendorem, coarguuntur ipſo uſu pervetſæ ingratitudinis, niſi Dei beneficentiam agnoſcant.

In dominium.] Non adſcribit ſoli & lunæ dominium quod ex Dei imperio quicquam vel minimum delibet: ſed quia ſol dimidio cæli circuitu diem gubernat, & noctem viciſſim luna, ideo præfecturam illis attribuit. Imo talem hunc eſſe principatum meminerimus, ut ſol nihilominus ſit ſervus, ut & luna ancilla. Interea faceſſat Platonis delirium, qui ſtellis rationem mentemque affingit. Hac ſimplici ea poſitione ſimus contenti, quod Deus ſolis & lunæ miniſterio dies ac noctesque gubernet: quia illos habet veluti addictos ſibi aurigas, qui lumen advehant tempori congruum.

20. *Repere faciant aquæ reptile.*] Die quinto creantur aves & piſces. Additur Dei benedictio, ut ſobolem ea ſe progreent. Alia hic eſt propagationis ratio quam in herbis & arboribus: nam ibi fructificandi vigor in plantis, germinandi in ſemine; hic autem generatio. Hoc tamen rationi videtur parum conſentaneum, quod aves refert prodiiſſe ex aquis: ideoque ab hominibus naſutis arripitur ad calumniam. Verum etiamſi nulla alia ratio conſtaret niſi quod ita Deo placuit, annon decebat nos ejus judicio acquieſcere? Cur ei qui ex nihilo mundum creavit, non licebit aves ex aqua educere? Et quid, obſecro, habet abſurdius origo avium ex aqua, quam luciſera tenebris? Ergo qui Creatori ſic proteve inſultant, judicem expectent qui eos in nihilum redigat. Quanquam ſi phyſicis rationibus pugnandum ſit, aquam ſcimus aeri magis affinem eſſe quam ſit terra. Sed audiendus eſt potius doctor Moſes, qui ex conſideratione operum Dei nos in admirationem rapere voluit. Et ſane Dominus quamvis naturæ auctor ſit, minime tamen in creando mundo naturam ducem ſequutus eſt: ſed potius ea potentiæ ſuæ documenta edere voluit quæ nos in ſtuporem cogerent.

21. *Et creavit.*] Suboritur hic quæſtio ex verbo Creandi. Prius enim ex nihilo factum eſſe mundum contendimus, quia creatus eſſet: nunc autem quæ ex alia materia formantur, Moſes dicit creari. Qui dicunt vere & proprie creatos eſſe piſces, quia aquæ nullo modo ad procreandos ipſos idoneæ aptæque fuerint, nihil quam effugium captant: nam interea ſtaret illud, materiam ptiorem fuiſſe, quod verbi proprietas non admittit. Ego vero ad opus diei quinti non reſtringo creationem: ſed potius ex illa informi & confuſa maſſa pendere dico, quæ fuit veluti ſcaturigo totius mundi. Creavit ergo Deus balænas & reliquos piſces: non quod initium creationis numerandum ſit ab eo momento quo formam acciperint: ſed quia in univerſo corpore quod ex nihilo factum eſt, continentur. Ita quoad ſpecies, forma tantum acceſſit: ſed creatio nihilominus vere dicitur totius & partium. Ubi vulgo Cetos vel cete legunt, non male vertere (meo quidem judicio) liceret thynnos: nam voci Hebraicæ reſpondet thaninim Quum dicit, *aquas feciſſe reptare*, pergit in commendanda verbi efficacia, quod, tanta promptitudine aquæ exaudiunt, ut mortuæ in ſeipſis, vivos fœtus ſubito ebulliant. Quanquam plus exprimit Moſes, quotidie ſcilicet ex aquis ſcaturire innumeros piſces, quia ſemper vigeat ille Dei ſermo quo ſemel id mandavit.

22. *Benedixitque.*] Quid valeat iſta benedictio, mox declarat. Neque enim hominum more precatur Deus, qui ſolo nutu efficit quod homines votis expetunt. Benedicit ergo quum augeri & creſcere jubet: hoc eſt, fœcunditatem illis verbo ſuo infundit. Sed videtur ineptum eſſe quod Deus piſces & reptilia alloquitur: reſpondeo, non alium fuiſſe loquendi modum quam quo potuit intelligi. Nam vim verbi quæ directa fuit ad piſces, non fuiſſe evanidam, experimentum ipſum docet: quin potius concepta in eorum natura, radices egit quæ aſſidue fructificant.

24. *Producat terra.*] Deſcendit ad ſextum diem, quo creata ſunt animalia, & deinde homo. Producat, ioquit, terra animantes: ſed unde vita mortuo elemento? Ergo non minus in hac parte miraculum quam ſi Deus creare ex nihilo cœpiſſet quæ ex terra prodire jubet. Nec vero ex terra materiam ſumit, quaſi indigeat, ſed ut melius conſociet ſingulas mundi partes cum ipſo univerſo. Quæri tamen poteſt cur non hic quoque benedictionem ſuam adjungat: reſpondeo, quod ſupra in ſimili expreſſit Moſes, hic quoque ſubaudiendum eſſe, tametſi ad verbum non repetat. Dico præterea, ad eam rem notandam ſufficere quod junta ſpecies condita fuiſſe animalia Moſes refert: nam diſtributio hæc aliquid ſtabile jam ſecum trahebat. Imo colligi inde poteſt ſingulis animalibus incluſam fuiſſe ſobolem. Quorſum enim ſpecies, niſi ut ſe individua generatim multiplicent? *Jumentum.* Quidam ex Hebræis inter jumentum & beſtiam terræ ſic diſtinguunt, ut illud ſit quod herba paſcitur: beſtias autem terræ vocant quæ carnem comedunt. Atqui Dominus paulo poſt utriſque communem ea herbis paſtionem aſſignat: & paſſim in Scripturis animadvertere licet, duas iſtas voces confundi. Ego vero non dubito quin Moſes, poſtquam Behemoth nominaverat, alterum nomen plenioris expoſitionis cauſa addiderit. Reptilia hic intellige quæ terreſtris ſunt naturæ.

26. *Faciamus hominem.*] Tametſi futurum eſt tempus, nemo tamen non fatetur eſſe hunc quaſi deliberantis ſermonem. Hactenus ſimpliciter jubentem Deum induxit: nunc ubi ad opus omnium præſtantiſſimum ventum eſt, conſultationem adhibet. Poterat certe Deus hic quoque nudo verbo mandare quid fieri vellet: ſed hominis excellentiæ dare hoc voluit, ut de ejus creatione in conſilium quodammodo itet. Hic ſummus eſt bonos quo nos dignatus eſt: ad quem reputandum hac loquutione ſtudia noſtra accendere voluit Moſes. Neque enim cogitare nunc demum incipit Deus quam honorificam formam daturus ſit, quibus eum dotibus ornare, atque

neque tanquam in re difficili subsistit: sed quemadmodum ante monuimus mundi creationem in sex dies nostra causa fuisse distributam, quo melius in meditandis Dei operibus retineantur mentes nostræ: ita nunc, ut naturæ nostræ dignitatem nobis commendet, de homine creando consultationem suscipiens, magnum se quiddam & singulare aggredi testatur. Multa quidem sunt in hac corrupta natura quæ possint contemptum inducere: verum si omnia rite expendas, est homo eximium quoddam inter alias creaturas divinæ sapientiæ, justitiæ, & bonitatis specimen: ut merito à veteribus dictus sit μικρόκοσμος. Cæterum quum alio consultore non indigeat Dominus, quin secum ipse deliberet minime dubium est. Ac omnino ridiculi sunt Judæi, dum fingunt Deum cum terra vel Angelis communicasse sermonem: terra scilicet optima consiliaria erat. Minimani vero tam præclari operis partem Angelis adscribere, abominandum sacrilegium est. Nos vero ad imaginem terræ vel Angelorum creatos esse, ubi reperient? annon Moses statim omnes creaturas disserte excludit, quum refert, ad imaginem Dei creatum fuisse Adam? Alii qui sibi acutiores videntur, bis insulsi, Deum Principum more de se in numero plurali loquutum dicunt. Quasi vero ea barbaries quæ à paucis seculis invaluit, jam tunc regnaret in mundo. Sed bene habet quod canina eorum improbitas cum tanto stupore conjuncta est, ut stultitiam suam pueris prodant. Christiani igitur apposite plures subesse in Deo personas ex hoc testimonio contendunt. Neminem extraneum advocat Deus. hinc colligimus, intus eum aliquid distinctum invenire: ut certe æterna ejus sapientia & virtus in ipso resident. *In imagine nostra.* De istis vocibus interpretes non consentiunt. Inter plerosque tamen, & fere omnes convenit, imaginem à similitudine distingui. Atque hæc fere communis est distinctio, ut imago sit in substantia, similitudo in accidentibus. Qui breviter definire volunt, sub imagine tradunt contineri dotes quas Deus in humanam naturam contulit: similitudinem exponunt dona gratuita. Cæterum Augustinus præ aliis nimium argute philosophatur, ut Trinitatem in homine fabricet. Nam quum tres animæ facultates recenseantur ab Aristotele, intellectus, memoria, voluntas: illud arripiens, ex una Trinitate multas postea derivat. Ejusmodi speculationibus si quis otiosus lector oblectare se velit, legat librum 10. de Trinit. & 14. item de Civit. Dei libr. 11. Fateor quidem esse in homine aliquid quod Patrem, & Filium, & Spiritum referat: illam quoque facultatum animæ distinctionem non ægre admitto: etsi brevior partitio, nempe bimembris, quæ Scripturæ magis usitata est, ad solidam pietatis doctrinam aptior est. sed definitio imaginis Dei plus habere firmitatis debet quam in talibus argutiis. Ego priusquam imaginem Dei definiam, à similitudine differre nego. Nam quum Moses idem postea repetit, præterita similitudine, imaginem nominasse contentus est. Siquis excipiat, brevitati studuisse: ubi nomen imaginis bis inculcat, nulla similitudinis fit mentio. Scimus etiam tritum esse Hebræis, idem diversis verbis repetere. Præterea phrasis ipsa ostendit, secundum verbum explicationis vice fuisse additum. *Faciamus*, inquit, *in imagine nostra, secundum similitudinem nostram*: hoc est, ut similis sit Deo vel effigiem Dei repræsentet. Denique capite 5. nullam imaginis mentionem faciens, ejus loco similitudinem ponit. Sublato tamen inter voces discrimine, nondum habemus quid sit vel imago, vel similitudo. Nimis crassi fuerunt Anthropomorphitæ, qui eam in corpore humano quærebant: itaque sepultum maneat illud delirium. Alii paulo subtilius, qui tametsi corporeum Deum non imaginantur, in corpore tamen hominis statuunt Dei imaginem: quia illic refulgeat tam admirabile artificium. sed hæc opinio minime consentanea est Scripturæ, ut videbimus. Nihilo verior Chrysostomi expositio, qui ad imperium referrt quod homini datum erat, ut Dei vices in mundi gubernatione quodammodo gereret. Est quidem hæc imaginis Dei aliqua portio, sed perquam exigua. Quoniam deleta est imago Dei in nobis per lapsum Adæ, ex reparatione judicandum est qualis fuerit. Dicit Paulus nos per Euangelium transfigurari in imaginem Dei. Et secundum ipsum regeneratio spiritualis nihil aliud est quam ejusdem imaginis instauratio. Col. 3. vers. 10. & Ephes. 4. vers. 23. Quod autem eam constituit in justitia & sanctitate veraci, est synecdoche: nam quamvis illud præcipuum sit, non tamen est totum. Ergo hac voce designatur totius naturæ integritas, quum Adam recta intelligentia præditus foret, affectus haberet compositos ad rationem, sensus omnes sanos & ordinatos, vereque bonis omnibus excelleret. Ita primaria sedes divinæ imaginis in mente & corde fuit, ubi emineret: nulla tamen fuit pars in qua non emicarent aliquæ scintillæ. Erat enim in singulis animæ partibus temperatura quæ suis numeris constabat: in mente lux rectæ intelligentiæ vigebat ac regnabat, huic comes aderat mentis rectitudo, sensus omnes ad moderatum rationis obsequium prompti & formati: in corpore æquabilis quædam ad illum ordinem proportio. Nunc etsi obscura quædam imaginis illius lineamenta in nobis residua manent: sunt tamen adeo vitiata & mutila, ut vere dicere liceat esse deleta. Nam præter deformitatem quæ ubique fœda apparet, hoc quoque malum accedit, quod nulla pars est peccati labe non infecta. *In imagine nostra, secundum simil.* Ego in particulis ב & כ scrupulose non insisto. Quod nonnulli hoc dictum volunt quia duntaxat adumbrata fuerit Dei imago, donec ad suam perfectionem veniret, nescio an firmum sit. Res quidem vera est: sed non puto Mosi tale quicquam venisse in mentem. Vere & hoc dicitur, Christum esse unicam Patris imaginem: sed hunc tamen sensum Mosis verba non recipiunt, In imagine, id est, in Christo. Adde quod vir, licet alio respectu, dicitur imago Dei. In quo nonnulli Patrum decepti sunt, qui Arrianos se confodere putabant hoc telo, quod solus Christus imago esset. Verum hæc quoque difficultas expedienda est, cur Paulus neget mulierem esse imaginem Dei: quum Moses utrumque sexum promiscue hoc titulo honoret. Solutio brevis est, quod illic Paulus nonnisi œconomicum statum attingit. Itaque imaginem Dei restringit ad principatum quo vir excellit supra uxorem: nec certe aliud significat quam gradu honoris superiorem esse. Hic autem de gloria Dei agitur quæ in natura humana peculiariter refulget, dum mens, voluntas, sensusque omnes divinum ordinem repræsentant. *Et dominetur.* Hic partem dignitatis commemorat qua decrevit hominem ornare, nempe ut præsit cunctis animantibus. Dominum quidem mundi eum constituit, sed animalia nominatim illi subjicit: quæ quum habeant proprium nutum, minus videntur alieno imperio subesse. Pluralis tamen numerus indicat non uni Adæ hoc fuisse datum, sed omnibus simul posteris. Atque hinc colligimus quorsum creata sint omnia: nequid scilicet desit hominibus ad omnia vitæ commoda & usus. In ipso etiam creationis ordine melius perspicitur paterna Dei erga hominem sollicitudo, quod priusquam eum formet, mundum illi rebus omnibus necessariis, imo immensa opum affluentia instruit. ita prius fuit locuples quam nasceretur. Quod si tantam Deus nostri curam habuit antequam essemus, nunc in mundo locatos, alimentis & reliquis vitæ subsidiis minime destituet. Quod autem manum sæpe veluti clausam tenet, peccatis nostris est imputandum.

27. *Creavit itaque Deus hominem.*] Quod iterum ima-

imaginis Dei ſit mentio, non eſt repetitio ſupervacua. Eſt enim ſingulare divinæ bonitatis ſpecimen, quod nunquam prædicari ſatis poteſt. Et ſimul nos admonet à qua præſtantia exciderimus, ut ejus recuperandæ deſiderium in nobis accendat. Quum mox ſubjicit, *maſculum & fœminam* Deum creaſſe, conjugale vinculum quo fovetur ſocietas humani generis, nobis commendat. Nam perinde valet hæc loquendi ratio, Creavit Deus hominem, maſculum & fœminam creavit eos: acſi virum dixiſſet eſſe dimidium hominem, hac lege additam fuiſſe illi ſociam mulierem, ut ambo unum ſint: quemadmodum cap. 2. clarius exprimit. Hoc etiam ſibi vult Malachias quum 2 cap. verſ. 15. tradit, unum à Deo creatum hominem fuiſſe, quum tamen ſpiritus illi eſſet abundans. Tractat enim illic de fide conjugali quam Judæi ſua polygamia violabant. Ut hoc vitium corrigat, par illud viri & mulieris, quod Deus initio conjunxit, vocat unum hominem: ut ſua quiſque uxore contentus eſſe diſcat.

28. *Et benedixit illis Deus.*] Hæc Dei benedictio veluti ſeturnigo eſt unde fluxit humanum genus. Nec tantum in ipſa univerſitate nobis reputanda eſt, ſed in ſingulis quoque individuis, ut loquuntur. Nam id gignendam ſobolem fœcundi ſumus, aut ſteriles, prout ſuam aliis virtutem Deus infundit, & eadem alios privat. Sed hic ſimpliciter docere voluit Moſes, Adam cum ſua uxore fuiſſe conditum ad propagandam ſobolem, ut homines tandem terram implerent. Potuit ipſe quidem terram operire hominum turba: ſed ex uno fonte prodire nos omnes voluit, ut majus eſſet mutuæ concordiæ ſtudium, & alii alios libentius quaſi carnem propriam complecterentur. Porro quemadmodum ad terram occupandam creati ſunt homines: ita certo ſtatuere debemus, Deum terræ ſpatium terminaſſe, quod ad capiendos homines, præbendumque illis hoſpitium ſufficeret. Inæqualitas autem quæ huic temperamento contraria eſt, nihil eſt aliud quam naturæ corruptela, quæ ex peccato provenit. Interim tamen prævalet Dei benedictio, ut terra, quaquaverſum patet, ſuos habeat incolas, & immenſa hominum multitudo ſibi reperiat in aliqua orbis parte domicilium. Porro tenendum eſt quod de conjugio dixi. generatione quidem vult Deus multiplicari genus humanum: ſed non promiſcuo coitu, ut in brutis animalibus. Virum enim uxori conjunxit, ut divinum ſemen, hoc eſt, legitimum, procrearent. Notemus ergo quoſnam hic Deus compellet quum jubet eos creſcere, ac quibus ſuam benedictionem deſtinet. Certe frenum viris & mulieribus non laxavit, ut in vagas libidines tuerent abſque delectu & pudore: ſed à ſancto caſtoque conjugio incipiens, deſcendit ad generationem. Nam & hoc notare operæpretium eſt, Moſen hic breviter attingere quæ poſtea fuſius explicabit: atque ita hiſtoriæ ſeriem ab ipſo inverti, ut tamen quid prius aut poſterius geſtum ſit appareat. Quæritur tamen annon ſcortatores etiam & adulteri Dei virtute generent: quod ſi verum eſt, ad eos ſimiliter extenditur Dei benedictio. Reſpondeo, hanc divini inſtituti corruptelam eſſe: quod autem ex hac quoque lacuna non minus quam ex puro conjugii fonte ſobolem Deus educit, hoc illis cedet in majus exitium. Illa tamen pura & legitima gignendi ratio fixa manet quam Deus initio inſtituit: illa eſt lex naturæ quam inviolabilem eſſe dictat communis ſenſus.

Subjecite eam.] Confirmat quod prius de principatu dixit. Jam hac lege creatus erat homo ut ſibi terram ſubjiceret: verum nunc demum juris ſui compos efficitur, quum audit quid ſibi datum ſit à Domino. idque plenius adhuc exprimit Moſes proximo verſu, quum Deum inducit herbas & fructus donantem. Magni enim refert nihil nos ex Dei bonis attingere quod non ſciamus nobis ab eo permiſſum: neque enim aliter bona conſcientia ulla re fruimur, niſi quum eam ſuſcipimus quaſi ex Dei manu. Atque ideo docet Paulus, edendo & bibendo nos ſemper peccare, niſi adſit fides. Ita à ſolo Deo petere docemur quicquid nobis neceſſe eſt: uſu autem ipſo donorum in meditanda ejus bonitate paternaque cura exercemur. Huc enim ſpectant Dei verba, Ecce tibi paratum à me victum antequam factus eſſes: me igitur patrem agnoſce, qui tibi nondum creato tam diligenter proſperexerim. Quin etiam ultra progreſſa eſt mea ſollicitudo: tuum erat ea alere, ego tamen has etiam partes in me ſuſcepi. Quare tametſi conſtitutus es tanquam paterfamilias in mundo, non eſt tamen quod de animalium victu multum ſis ſollicitus. Hinc colligunt, uſque ad diluvium herbis ac fructibus contentos fuiſſe homines, nec fas illis fuiſſe carne veſci. Idque magis probabile videtur: victum enim hominis quodammodo inter certos fines concludit Deus. Deinde poſt diluvium nominatim carnes concedet. Quanquam non ſatis firmæ ſunt iſtæ rationes: adduci enim poteſt in contrariam partem, quod ſacrificia primi homines offerebant ex pecudibus. Hæc porro lex eſt rite offerendi, non offerre Deo niſi quæ nobis in uſum conceſſit. Deinde veſtiebantur pellibus: ergo animalia illis occidere licuit. Itaque ſatius fore arbitror, ſi ea de re nihil aſſeramus. Nobis ſufficiat, herbas & fructus arborum illis dari pro victu ordinario: non tamen dubium eſt quin abunde id fuerit ad ſummas delicias. Prudenter enim ſentiunt qui terram ſic à diluvio dicunt corruptam fuiſſe, ut vix mediocrem habeamus guſtum primæ illius benedictionis: imo ſtatim poſt lapſum hominis jam degeneres ac vitioſos fructus proferre cœpit. Sed tunc major facta eſt mutatio. Utcunque ſit, Dens certe noluit tenuiter & maligne alere homines: ſed potius his verbis liberalem copiam prædicat, cui ad ſuavem & jocundam vitam nihil deeſſet. Refert enim Moſes quam beneficus erga eos fuerit Dominus, omnia quæ optare poſſent, illis largiendo, ut minus excuſationis ingratitudo habeat. Rom. 14. verſ. 23.

31. *Et vidit Deus omnia.*] Rurſum in clauſula creationis refert Moſes Deum approbaſſe quicquid fecerat. De aſpectu Dei loquitur humano more. nam & hoc ſuum judicium Dominus quaſi regulam & exemplar nobis eſſe voluit: ne aliter de ſuis operibus ſentire vel loqui quiſquam audeat. Neque enim quod probavit, fas nobis eſt diſputare, proharire debeat: ſed potius abſque controverſia ſubſcribere convenit. Repetitio etiam denotat quam laſciva ſit hominum temeritas: alioqui ſatis fuiſſet ſemel dixi, Deo placuiſſe ſua opera. Sed Deus ſexies idem inculcat, ut quaſi totidem frenis cohibeat noſtram audaciam, quæ prurire non deſinit. Cæterum plus exprimit Moſes quam antea: addit enim MEOD, id eſt, valde. In ſingulis diebus fuit ſimplex approbatio. Nunc poſtquam numeris omnibus abſolutum eſt opificium mundi, & extrema (ut ita loquar) manu expolitum, perfecte bonum eſſe pronunciat: ut ſciamus ineſſe in operum Dei ſymmetria ſummam perfectionem, cui nihil addi queat.

Caput II.

PErfecti fuerunt igitur cæli & terra, & omnis exercitus eorum.

2. Perfeceratque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & quievit die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecerat.

3. Benedixit autem diei ſeptimo, & ſanctificavit illum: quod in illo quieviſſet ab omni opere ſuo quod creaverat Deus ut faceret.

4. Iſtæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creati ſunt, in die qua fecit Jehova Deus terram & cælos,

5. Et omne virgultum agri antequam eſſet in terra, & omnem herbam agri antequam germinaret: quia nondum pluere fecerat Jehova Deus ſuper terram, & homo non erat qui coleret terram:

6. Sed vapor aſcendebat è terra, & irrigabat univerſam ſuperficiem terræ.

7. Formaverat autem Jehova Deus hominem è pulvere terræ, & inſpiraverat in faciem ejus ſpiraculum vitæ: & fuit homo in animam viventem.

8. Plantaverat quoque Jehova Deus hortum in Heden ab Oriente: & poſuit ibi hominem quem formaverat.

9. Et germinare fecerat Jehova Deus è terra omnem arborem concupiſcibilem viſu, & bonam ad veſcendum: & arborem vitæ in medio horti, & arborem ſcientiæ boni & mali.

10. Et fluvius egrediebatur ex Heden ad irrigandum hortum: & inde dividebatur, eratque in quatuor capita.

11. Nomen unius, Piſon: ipſe circuit totam terram Havila, ubi eſt aurum:

12. Et aurum terræ illius bonum: ibi eſt bdellium, & lapis onychinus.

13. Nomen vero fluvii ſecundi Gihon: ipſe circuit omnem terram Æthiopiæ.

14. Et nomen fluvii tertii Hiddekel: ipſe tendit ad Orientem Aſſur. & flumen quartum eſt Perath.

15. Tulit itaque Jehova Deus hominem, & poſuit eum in horto Heden, ut coleret eum, & cuſtodiret eum.

16. Præcepitque Jehova Deus homini, dicendo, De omni arbore horti comedendo comedes:

17. At de arbore ſcientiæ boni & mali, ne comedas ex illa: quia in die quo comederis ex ea, moriendo morieris.

18. Et dixit Jehova Deus, Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciam ei adjutorium quod ſit coram ipſo.

19. Formaverat autem Jehova Deus è terra omnem beſtiam agri, & omne volatile cæli: & adduxerat ad Adam, ut videret quomodo vocaret illud: & omne quod vocavit illi, *illi, inquam*, animæ viventi, eſt nomen ejus.

20. Vocavit itaque Adam nomina cuique jumento, & volatili cæli, omnique beſtiæ agri: Adæ vero non invenerat adjutorium quod eſſet coram ſe.

21. Cadere igitur fecit Jehova Deus ſoporem ſuper Adam, & dormivit: & tulit unam è coſtis ejus, & clauſit carnem pro ea.

22. Et ædificavit Jehova Deus coſtam quam tulerat ex Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.

23. Et dixit Adam, Hac vice os *eſt* ex oſſibus meis, & caro ex carne mea: & vocabitur Viriſſa, quia ex viro ſumpta eſt iſta.

24. Idcirco relinquet unuſquiſque patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, eruntque in carnem unam.

25. Erant autem ambo nudi, Adam & uxor ejus: & non pudebat eos.

1. *Perfecti fuerunt igitur.*] Summatim repetit Moſes, ſex diebus complêtam fuiſſe cæli & terræ fabricam. In his autem duobus membris generalis eſt mundi partitio, ut initio primi capitis dictum eſt. Sed nunc addit, *Exercitus eorum*: quo ſignificat, mundum ſuis omnibus ornamentis inſtructum fuiſſe. Porro hic epilogus ſatis clare ex integro eorum errorem refutat qui momento conditum eſſe mundum fingunt. nam finem operi nonniſi ſexto tandem die fuiſſe impoſitum pronunciat. Pro Exercitu poſſemus etiam non inepte vertere copiam: ſignificat enim Moſes mundum hunc fuiſſe numeris omnibus abſolutum, acſi domus tota ſua ſupellectile bene inſtructa & referta eſſet. Cælum abſque ſole, & luna, & aſtris, inane nudumque palatium foret: ſi terra animalibus, arboribus & plantis careret, jejuna iſta vaſtitas ſpeciem inopis & vacuæ domus haberet. Deus ergo à mundi creatione non prius ceſſavit quam omni ex parte compleverit, ut nihil ad juſtam copiam deeſſet.

2. *Et quievit die ſeptimo.*] Non immerito quæri ſolet qualis iſta ceſſatio fuerit. Certum enim eſt, quatenus mundum ſua virtute ſuſtinet Deus, & providentia gubernat, fovet creaturas omnes, atque etiam propagat, eſſe in opere aſſiduum. Verum eſt ergo illud Chriſti, Patrem & ipſum ab initio hucuſque fuiſſe operatos: quia ſi paululum retrahat manum ſuam Deus, interibunt protinus omnia, & in nihilum diffluent: ut habetur Pſal. 104. verſ. 29. Nec vero probe Deus agnoſcitur cæli & terræ creator niſi dum perpetua illa vegetatio ei tribuitur. Nota eſt ſolutio, ceſſaſſe Deum ab omni opere ſuo, quia novas rerum ſpecies creare deſtitit. Verum ut clarior ſit ſenſus, intellige, quia nihil ad perfectionem

nem mundi desiderari poterat, extremam à Deo impositam fuisse manum: idque sonant Mosis verba, *Ab omni opere suo quod fecerat.* Statum enim opificii designat qualem extare voluit Deus: acsi diceret fuisse tunc completum quod Deus apud se proposuerat. In summa, pertinet hoc tantum ad exprimendam fabricæ mundi perfectionem: unde colligere non licet, Deum ita cessasse ut ab operibus suis discesserit, quæ nonnisi in ipso vigent ac subsistunt. Notandum præterea est, in operibus sex dierum non comprehendi nisi quæ ad legitimum genuinumque mundi ornatum faciunt. Dicet postea Deus, Producat terra spinas & sentes: quo innuit, aliam fore terræ faciem quam à principio fuisset. Vetum in promptu est solutio, multa quæ hodie in mundo visuntur, ejus magis esse corruptelas quam ornatus partem. Nam ex quo defecit homo à prima sua origine, simul necesse est ut à natura subinde degeneret mundus. Idem de pulicibus, bruchis, aliisque insectis est sentiendum. In his, inquam, omnibus quædam est mundi deformitas, quam minime in naturæ ordine censeri decet, quum ex hominum peccato magis quam ex Dei manu proveoiat. Creantur quidem hæc quoque à Deo, sed ultore. Hic autem Moses eum noo considerat puniendis hominum peccatis armatum: sed opificem, architectum, & opulentum patremfamilias considerat, qui nihil ad summam ædificii perfectionem omisit. Hodie quum videmus corruptum mundum, & quasi à creatione
Rom. 8. sua degenerem, veniat in mentem illud Pauli, ob-
vers. 20. noxiam vanitati esse creaturam, non sponte, sed nostro vitio: atque ita justæ nostræ damnationis admoniti ingemiscamus.

3. *Benedixit autem Deus diei septimo.*] Videtur hoc benedicere, ad Deum ex homioum more fuisse translatum: benedicunt enim quem bonorifice extollunt. Quanquam Deo, hoc sensu, non male congrueret, quia ejus benedictio interdum favor est quo suos prosequitur: ut Hebræi benedictum Dei nominant, qui peculiari quadam gratia apud Deum pollet. Infra cap. 24. vers. 31. Ingredere benedicte Dei. Ita diem ab eo benedictum exponere licet, quem amore complexus sit, ut in eo celebraretur operum suorum præstantia & dignitas. Cæterum mihi dubium ooo est quin Mosea sanctificandi verbo statim exprimere voluerit quod dixerat. ita omnis ambiguitas tollitur, quia secundum verbum, exegeticum est prioris. Nam קדש Hebræis est segregare ex vulgari numero. Diem ergo septimum Deus sanctificat, dum eximium reddit, ut singulari jure excellat inter alios. Unde etiam apparet ut semper à Deo habita fuerit hominum ratio. Dixi supra, sex dies ad condendum mundum fuisse insumptos: non quod Deus temporis successu opus habuerit, cui momentum instar mille annorum est: sed ut nos retineret in operum suorum consideratione. Eundem in sua quiete scopum spectavit. diem enim à reliquis exemptum in hunc peculiarem usum destinavit. Quare benedictio ista nihil aliud est quam solennis consecratio, qua sibi Deus studia & occupationes hominum asserit die septimo. Est quidem legitima hæc totius vitæ meditatio in qua se quotidie exerceant, immensam Dei bonitatem, justitiam, virtutem, sapientiam in hoc magnifico cœlt terræque theatro considerare: verum si forte minus sedulo quam par esset, ad eam intenti essent homines, ad supplendum quod assiduæ meditationi deerat, septimus quisque dies peculiariter delectus est. Primum ergo quievit Deus: deinde benedixit hanc quietem, ut seculis omnibus inter homines sancta foret: vel septimum quemque diem quieti dicavit, ut suum exemplum perpetua esset regula. Semper memoria tenendus est finis. Neque enim septimo quoque die simpliciter hominem jussit Deus ferias agere, quasi otio delectetur: verum ut negotiis aliis omnibus soluti, liberius mentes suas ad Creatorem mundi applicent. Denique sacra est ista vocatio, quæ homines mundi impedimentis eripit, ut totos Deo addicat. Jam vero quia ad celebrandam Dei justitiam, sapientiam, virtutem, reputandaque ejus beneficia, tanta est pigritia hominum, ut probe moniti nihilominus torpeant: additus est non levis ab exemplo Dei stimulus, & præceptum amabile redditum est. Neque enim vel blandius allicere nos ad ulla æquum Deus potest, vel efficacius incitare, quam dum nos ad imitationem sui invitat & hortatur. Præterea sciendum est, non unius tantum vel ætatis vel populi, sed totius humani generis commune esse hoc exercitium. Postea in Lege novum de Sabbatho præceptum datum est, quod Judæis, & quidem ad tempus, peculiare foret. fuit enim Legalis ceremonia, spiritualem quietem adumbrans, cujus 10 Christo apparuit veritas. Ideo sæpius testatur Dominus, se in eo dedisse veteri populo sanctificationis symbolum. Quare dum audimus Christi adventu abrogatum fuisse Sabbathum, adhibenda est distinctio, quid ad perpetuum humanæ vitæ regimen pertineat: quid proprie conveniat veteribus figuris, quatum usus fuit abolitus quum veritas fuit impleta. Quies spiritualis, est carnis mortificatio, ne amplius sibi vivant filii Dei, aut propriæ voluntati indulgeant. Quod eam Sabbathum figuravit, temporale fuisse dico. Quod autem ab initio mandatum fuit hominibus ut se exerceant 10 Dei cultu, merito ad mundi finem usque durare oportet. *Quod creavit ut faceret* Hic suo more Judæi insulse nugantur, Deum ultima vespera prævertum, quædam animantia imperfecta reliquisse: cujusmodi suot Fauni & Satyri: quasi unus esset ex vulgo artificum qui tempore opus haberet. Tam prodigiosa delira testantur in sensum reprobum conjectos esse, ut essent horribile iræ Dei documentum. Quod ad Mosis sensum attinet: quidam ita accipiunt, creasse Deum sua opera ut faceret, quia ex quo illu esse dedit, non retraxit manum suam ab eorum conservatione. Sed dura est expositio. Nihilo magis subscribo eorum sententiæ qui ad hominem referunt, quem Deus operibus suis præfecit, ut ea in usum applicet, ac quodammodo sua industria expoliat. Ego potius absolutam operum Dei formam notari existimo: acsi dixisset, ita creasse Deum sua opera, ut nihil ad perfectionem deesset: vel creatiooem hucusque progressam, donec modis omnibus absolutum foret opus.

4. *Ista sunt generationes.*] Consilium Mosis fuit penitus animis nostris infigere cæli & terræ originem, quam generationis voce designat. Fuerunt enim semper ingrati homines & maligni, qui vel muodum æternum fingendo, vel creationis memoriam tollendo, gloriam Dei obruere tentarent. Ita diabolus sua astutia à Deo avertit qui præ aliis acuti erant ac solertes, ut sibi quisque esset Deus. Quare non est supervacua repetitio, quæ rem adeo necessariam inculcat, mundum extitisse ex quo conditus est: ut nos talis cognitio ad architectum & auctorem Deum dirigat. Sub nominibus cæli & terræ, totum ornatum cujus ante meminerat, per synecdochen complectitur. Essentiale Dei nomen hic demum exprimi à Mose, quidam ex Hebræis sentiunt, quia ejus majestas clarius in completo mundo relucent.

5. *Et omne virgultum.*] Cohæret hic versus cum proximo, & uno tenore legendus est. Terræ enim plantas & herbas adjungit quasi vestitum, quo eam ornavit Dominus, ne deformis esset ejus nuditas. Nomen שיח, pro quo plantam reddimus, significat interdum arbores: ut Iosra cap. 21. vers. 15. Ideo alii virgultum hoc loco transferunt: quod mihi non displicet. Vox tamen plantæ non male quadrat, quia priore loco videtur Mosea posuisse genus, deinde speciem. Etsi autem die tertio creatas fuisse herbas narravit, non absre tameo ea[illegible]

sit mentio: ut sciamus alio modo tunc & natas, & servatas fuisse, & propagatas, quam hodie fieri cernamus. Nam ex semine nascuntur herbæ & arbores: vel ex aliena radice prodeunt furculi, vel pullulando crescunt: accedit hominum industria & manus. Tunc autem diversa fuit ratio. vestivit Deus terram, non more jam usitato: (quia nullum erat semen, nulla radix, nulla planta quæ germinarent) sed Dei jussu & verbi ejus virtute repente extiterunt. Duravit in illis vigor ut in sua natura starent, non ista vegetatione quæ cernitur, non pluviæ beneficio, non humana irrigatione vel cultura: sed quia vapore Deus terram irrigabat. Duo enim excludit, pluviam, unde succum trahit terra ut nativum suum humorem retineat: & hominum culturam, quæ naturæ est administriculum. Quum dicit nondum pluisse Deum, simul indicat eum esse qui aperit cataractas cæli & claudit, pluviamque & siccitatem esse in ejus manu.

7. *Formaverat autem Deus hominem.*] Quod prius omiserat in creatione hominis, nunc exponit, sumptum è terra fuisse ejus corpus. Dixerat, formatum ad imaginem Dei. Hæc summa & incomparabilis nobilitas: cujus prætextu ne superbiant homines, prima illis sua origo in medium proponitur, unde agnoscant adventitium illud fuisse bonum. Refert enim Moses hominem fuisse principio terræ pulverem. Eant nunc stulti homines, & de naturæ suæ excellentia glorientur. De reliquis animalibus dictum fuerat, Producat terra omnem animam viventem: nunc luteum & sensu carens fingitur Adæ corpus: ne quis sibi ultra modum in carne sua placeat. plusquam enim stupidus est quisquis humilitatem inde non discit. Quod aliunde postea accessit, Deo nos tantundem obligat. Quanquam simul aliqua præstanti nota discernere hominem voluit à brutis animalibus: hæc enim momento è terra extiterunt. At quod homo paulatim formatus est, peculiaris in hoc ostensa est ejus dignitas. Cur enim Deus non statim vivum è terra jubet exire, nisi ut privilegio quodam, præ omnibus quæ terra produxit, emineat?

Inspiraverat in faciem.] Quicquid sentiant plerique veterum, subscribere eorum sententiæ non dubito qui de animali hominis vita locum hunc exponunt: atque ita flatum interpretor, quem spiritum vitalem nominant. Si quis objiciat, non debuisse igitur discrimen poni inter hominem & cætera animantia, quum hic nihil referat Moses nisi quod omnibus simul commune est: respondeo, quamvis hic tantum memoretur inferior animæ facultas, quæ corpus inspirat, & illi dat vigorem & motum; non tamen obstare quin gradum suum obtineat anima, ideoque seorsum poni debuerit. De flatu primum loquitur Moses: deinde subjicit, datam esse animam homini qua viveret, sensuque & motu esset præditus. Jam virtutes humanæ animæ scimus plures esse ac varias. Quare nihil absurdi si nunc unam tantum attingat Moses: partem vero intellectualem omittat, cujus mentio primo capite facta est. Actres gradus in hominis creatione notandi sunt: quod mortuum corpus è terra fictum est: quod dotatum est anima, unde vitalem haberet motum: quod huic animæ Deus imaginem suam insculpsit, cui annexa est immortalitas.

Factus est in animam viventem.] לְנֶפֶשׁ accipio pro ipsa animæ essentia: sed epitheton quod additur, præsenti tantum loco congruit, non autem complectitur animæ virtutes. Nihil enim aliud propositum fuit Mosi quam vegetationem luteæ figuræ exponere, qua factum est ut homo vivere inciperet. Paulus prioris ad Corinth. cap. 15. vers. 45. antithesin statuit inter hanc animam viventem, & spiritum vivificantem, quem fidelibus confert Christus: non alio fine nisi ut doceat non fuisse in persona Adæ absolutum hominis statum: sed hoc singulare esse beneficium Christi ut renovemur in cœlestem vitam, quæ etiam ante lapsum Adæ nonnisi terrena fuit: quia non habebat stabilem sixamque constantiam.

8. *Plantaverat quoque Dominus.*] Nunc addit Moses qualis vivendi conditio & regula homini data fuerit. Ac principio narrat in qua mundi parte locatus fuerit, & quam felicem amœnamque habitationem sit fortitus. Deum plantasse dicit, crasso rudique stylo, ad vulgi captum se accommodans. Nam quia Dei majestas, qualis est, nequit exprimi, Scriptura humanitus describere eum solet. Plantaverat igitur Deus Paradisum in loco quem amœnitate multiplici, fructuum omnium copia, & aliis optimis quibusque dotibus unice ornaverat. Hac ratione vocatur hortus, ob elegantiam situs, & formæ pulchritudinem. Vetus interpres non inepte Paradisum transtulit: quandoquidem פַּרְדֵּס Hebræi, cultiores hortos nominant. Et Xenophon vocem esse Persicam tradit, quum de magnificis & sumptuosis Regum hortis disputat. Illa fuit selecta ex toto orbe regio, quam Dominus Adæ tanquam omnium primogenito destinavit. *In Heden.* Quod Hieronymus perperam verterit, A principio, satis constat: quia postea dicet Moses, Cain habitasse ad plagam Meridionalem illius loci. Porro notandum est, quum in Oriente statuit Paradisum, Judææ respectu eum loqui: sermonem enim dirigit ad populum suum. Unde primo colligimus, certam fuisse regionem quam Deus primo homini attribuit, in qua suum domicilium haberet. Quod ideo admoneo, quia fuerunt qui hortum istum per omnes mundi plagas extenderent. Equidem fateor, si maledicta non fuisset terra ob peccatum hominis, totam, ut ab initio benedicta erat, futuram fuisse pulcherrimum omnis tum affluentiæ, tum amœnitatis theatrum: fuisset denique non absimilis Paradiso, præut ea est quam nunc cernimus deformitas. Sed quum hic nominatim situm regionis exprimat Moses, quod de peculiari quodam loco dictum est, absurde ad totum terrarum orbem transferunt. Nec sane dubium est (sicuti nuper attigi) quin Deus uberrimum & suavissimum locum elegerit, quasi terræ primitias, quo Adam, quem inter homines dignatus erat primogenituræ honore, in signum præcipui amoris donaret. Deinde colligimus, hortum hunc fuisse in terra, non ut quidam somniarunt in aëre situm: nisi enim regio fuisset orbis nostri, non opponeretur Judææ, Orientem versus. Allegoriæ autem Origenis & similium prorsus repudiandæ sunt: quas pessima astutia in Ecclesiam invehere conatus est Satan, ut ambigua esset Scripturæ doctrina, nec quicquam certi vel firmi haberet. Fieri quidem potest ut quidam necessitate coacti, ad sensum allegoricum confugerint: quia nusquam in mundo reperiebant locum qualis describitur à Mose: sed plurimos videmus, stulta argutiarum affectatione, nimium fuisse allegoriis deditos. Quantum ad præsentem locum attinet, frustra & importune extra literam philosophantur. Neque enim aliud Mosi propositum est quam ut hominem doceat hac lege fuisse à Deo conditum ut terræ dominio potiretur, unde fructus colligeret, ac quotidiana experientia disceret mundum sibi esse subjectum. Quid prodest in aëre volitare, & terram relinquere, ubi Deus suam erga humanum genus benevolentiam testatus est? At subtilior est de cælesti beatitudine interpretatio, dicet quispiam. Respondeo, quum æterna hominis hæreditas in cælo sit, rectum quidem esse ut illuc tendamus: sigendum tamen in terra pedem tantisper dum hospitium consideremus, quo voluit Dominus hominem ad tempus uti. Nunc enim versamur in hac historia, quæ docet Adam fuisse divinitus ordinatum incolam terræ, ut temporalem in ea vitam agendo, cælestem gloriam meditaretur: ipsum à Domino bonis innumeris

meris fuisse liberaliter ditatum, ex quorum gustu paternam ejus benevolentiam colligeret. Et mox subjiciet Moses, mandatam ei fuisse agrorum culturam, & fructus permissos quibus vesceretur: quæ omnia nec lunæ circulo, nec aëris regionibus conveniunt. Quanquam autem diximus, locum Paradisi inter ortum solis & Judæam fuisse situm, certius tamen aliquid de regione quæri potest. Qui Mesopotamiæ fuisse vicinam contendunt, rationibus non contemnendis nituntur: quia filios Heden Tigri fluvio probabile est fuisse contiguos. Cæterum quia ejus descriptio statim sequetur apud Mosen, in eum locum differre satius est. Falsus est vetus interpres, qui ex nomine proprio Heden, voluptatem fecit. Non inficior quidem locum à deliciis ita fuisse vocatum: sed facile est colligere, impositum fuisse loco nomen unde ab aliis discerneretur.

9. *Germinare fecerat Dominus Deus.*] Pertinet ista productio ad diem creationis tertium. Sed nominatim refert Moses, locum illum fructiferis omne genus arboribus eximie fuisse cumulatum, ut plena illic & vere beata rerum omnium ubertas foret. Quod data opera à Domino factum est, quo minus excusationis haberet hominis cupiditas, si tam præclara fructuum copia, dulcedine, varietate non contenta, quemadmodum contigit, contra Dei mandatum se projiceret. Consulto etiam refert Spiritus sanctus per Mosen, quanta fuerit Adæ felicitas: quo clarius appareat fœda ejus intemperies, cui sufficere talis affluentia non potuit quin ad fructum vetitum prorumperet. Et certe pudenda fuit ingratitudo, quod in tam felici & optabili statu quiescere non potuit: libido vero plusquam belluina, cui saturandæ par esse non potuit tanta largitas. Nullus terræ angulus tunc sterilis, imo nullus non summopere dives ac fœcundus erat: sed quæ alibi mediocris erat Dei benedictio, in hunc locum mirabiliter se effuderat. Neque in cibum modo suppetebat abundantia, sed addita simul erat suavitas ad gustum palati, & pascendis oculis pulchritudo. Ex tam benigna igitur indulgentia plus satis patet quam inexplebilis fuerit hominis cupiditas. *Et arborem vitæ.* Incertum est, duone tantum individua, an duas arborum species designet. Utraque opinio probabilis est: res vero minime digna pro qua contentio sumatur: quandoquidem vel parum vel nihil nostra intereſt utrumvis asseratur. Plus in epirbetis est momenti, quæ ab effectu utrique arbori fuerunt impositæ: neque id hominum, sed Dei placito. Arbori autem vitæ nomen indidit, non quod vitam homini conferret, qua jam ante prædita erat: sed ut symbolum ac memoriale esset vitæ divinitus acceptæ. Scimus minime esse insolens ut virtutem suam Deus externis symbolis testatam nobis reddat. Non transfert quidem in signa externa suam virtutem: sed nobis per ea manum porrigit: quia nisi adjuti, consendere ad eum non possumus. Voluit igitur hominem, quoties fructum arboris illius gustaret, in memoriam revocare unde vitam haberet: ut se agnosceret non propria virtute, sed Dei unius beneficio vivere: neque esse intrinsecum bonum (ut vulgo loquuntur) sed à Deo provenire. Denique in arbore illa extabat visibile hujus sententiæ testimonium, quod in Deo sumus, & vivimus, & movemur. Quod si Adam integer adhuc & rectæ naturæ monitoris signis opus habuit, quæ eum in divinæ gratiæ notitiam deducerent: quanto major hodie ignorum necessitas in tanta ingenii nostri imbecillitate, ex quo à vera luce excidimus? Cæterum non displicet quod à nonnullis Patribus, ut Augustino & Eucherio, traditum est, fuisse arborem vitæ Christi figuram, quatenus sermo est æternus Dei: imo non aliter quam cum figurando, vitæ symbolum esse potuit. Tenendum est enim quod habetur primo Joannis capite, in sermone incluſam fuisse rerum omnium vitam: præsertim vero hominum, quæ cum ratione & intelligentia conjuncta est. Quare hoc signo admonitus fuit Adam nihil sibi quasi proprium vindicare, ut totus à Filio Dei penderet, nec alibi quam in ipso vitam quæreret. Quod si ille vitam, quo tempore incolumem possidebat, nonnisi in Dei sermone repositam habuit, nec aliter servare potuit quam si illi acceptam ferret: perditam recuperare unde nos oportet? Sciamus ergo, ubi à Christo discessimus, nihil præter mortem nobis restare. Scio alios quosdam ad vitam corporalem restringere. Vim corporis vegetandi in arbore fuisse putant, ut ætate nunquam languesceret. Sed eos omittere dico quod præcipuum est in vita, nempe intelligentiæ gratiam: semper enim videndum quorsum conditus fuerit homo, & quænam illi fuerit vivendi ratio. Certe ejus vivere, non fuit habere duntaxat corpus floridum ac vegetum, sed animæ quoque dotibus excellere. De arbore vero scientiæ boni & mali sic habendum est, non fuisse ab ea prohibitum hominem, quod Deus eum pecudis instar, vagari sine judicio & rerum delectu vellet: sed ne plus sapere appeteret quam decebat, & ne proprio sensu confisus, excusso Dei jugo, arbitrum se boni & mali, ac judicem constitueret. Peccatum ejus ex mala conscientia processit: unde sequitur, datum illi fuisse judicium, quo inter virtutes & vitia discerneret. Nec vero aliter statuet quod ante retulit Moses, creatum ad imaginem Dei fuisse: quandoquidem imago Dei sub se ejus notitiam complectitur qui summum bonum est. Bis ergo insaniunt Libertini, portenta hominum, qui restitui nos fingunt in statum innocentiæ, si quisque sua libidine absque judicio feratur. Jam tenemus quid sibi voluerit abstinentia ab arbore boni & mali: ne scilicet Adam hoc vel illud tentando, suæ prudentiæ periculum faceret: sed uni Deo addictus, saperet tantum ex ejus obsequio. Itaque scientia in malam partem abusive pro misero experimento capitur, quod homo à fonte unico perfectæ sapientiæ discedens, acquirere sibi cœpit. Atque hæc origo est liberi arbitrii, dum Adam per se esse voluit, & quid valeret tentare ausus est.

10. *Et fluvius egrediebatur.*] Dicit Moses fluvium unum ad hortum irrigandum fluxisse, qui deinde in quatuor capita se divideret. Duo ex capitibus esse Euphratem & Tigrim, satis inter omnes convenit. nemo enim litem movet quin חדקל sit Tigris. De aliis duobus magna est controversia. Multi Pison & Gihon, Gangen & Nilum fuisse putant; quorum tamen error abunde ex locorum distantia refellitur. Neque desunt qui usque ad Danubium transvolent. Quasi vero unius hominis habitatio ab ultima Asia usque ad finem Europæ se portendat. Sed quum plerique alii fluvii celebres illam regionem præterfluant, probabilior est eorum opinio qui duos eorum, licet obsoletis jam nominibus, notari divinant. Quanquam nondum soluta est difficultas. Moses enim fluvium unum, quo hortus alluebatur, in quatuor capita dividit. Constat autem procul dissitos esse Euphratis & Tigridis fontes. Ex hoc nodo se quidam ita expediunt, quod diluvii vastatione mutata fuerit orbis facies: ideo fieri potuisse divinant, ut turbati sint ac converſi fluminum cursus, & scaturigines alio translatæ. quod mihi nullo modo recipiendum videtur. Nam etsi fateor terram ex nativa pulchritudine in miserum squalorem, & quasi luctuosum habitum redactam esse, ex quo maledicta fuit, postea in diluvio multis locis vastatam esse: dico tamen eandem esse terram quæ initio creata fuerat. Adde quod topographiam suam Moses (meo quidem judicio) ad suæ ætatis captum accommodarit. Nihil tamen actum est, nisi locum illum reperiamus, ubi ex fluvio uno exeant Tigris & Euphrates. Observa primo nullam fieri scaturiginis vel nem, sed tantum dici fluvium unum. Observa mentionem quatuor vero capita

capita intelligo, tam principia ex quibus naſcuntur fluvii; quam oſtia quibus ſe in mare exonerant. Jam ita confluenter Tigridi conjunctus fuit Euphrates olim, ut flumen unum merito dici potuerit in quatuor capita ſecari: præſertim ſi mihi conceditur quod omnibus palam eſt, Moſen non acute, neque Philoſophico more, ſed populariter loqui, ut rudiſſimus quiſque intelligat. Ita primo capite duo præcipua luminaria vocavit ſolem & lunam: non quod luna magnitudine ſuperet alios planetas, ſed quia vulgo ex aſpectu major cenſetur. Adde quod ſcrupulum omnem tollere videtur, ubi dicit, fluvio quatuor fuiſſe capita, quia ex eo loco dividebatur. Quid hoc ſibi vult, niſi ex uno confluxu, vel ſupra vel infra Paradiſum diviſos fuiſſe alveos? Nunc figuram oculis ſubjiciam, unde intelligant lectores ubi Paradiſum locari ſentiam à Moſe.

Tradit quidem Plinius libro ſexto, præcluſum fuiſſe Euphratem ab Orchenis, ut non niſi per Tigrim influeret in mare. Pomponius autem Mela libro tertio, certo exitu, ut reliquos amnes, affluere negat, ſed deficere. Verum Nearchus (quem Alexander claſſi ſuæ præfecerat, quique ejus auſpiciis per omnes illos tractus navigavit) ab oſtio Euphratis Babylonem uſque, ter mille & trecenta ſtadia numerat. Tigris autem oſtia in Suſiorum ora locat: qua parte ex longa illa & memorabili navigatione rediens, Regi ſuo cum claſſe occurrit, quemadmodum refert Arrianus libro De geſtis Alexandri octavo. Quam ſententiam & Strabo ſuo ſuffragio confirmat libro decimo quinto. Quocunque tamen ſe vel immergat Euphrates vel infundat, certum eſt ipſum & Tigrim infra confluentem dividi. Quanquam Arrianus libro ſeptimo ſcribat, non unum modo alveum Euphratis in Tigrim decurrere, ſed plures fluvios ac foſſas: quia ex altiore loco in humilem ac depreſſum aquæ facile decurrant. Quantum ad confluentem quem notavi in figura, quorundam opinio fuit, Cobaris Præfecti opere fuiſſe deductum, ne totus Euphrates præcipiti curſu Babylonem infeſtaret. Sed loquitur quaſi de re dubia: magis credibile eſt, naturæ ductum homines arte & induſtria ſequutos eſſe, ut foſſas cavarent, quum alicubi Euphratem ex ſuperiore terra ſponte in Tigrim excurrere viderent. Quin etiam, ſi Pomponio Melæ habetur fides, Semiramis Tigrim & Euphratem ſiccæ alioqui Meſopotamiæ immiſit: quod nullo modo credibile eſt. Verius eſt quod tradit Strabo diligens & attentus ſcriptor, apud Babylonios coire duo hæc flumina: deinde ſeorſum ſuo quemque alveo deferri in mare Rubrum: libro undecimo. Coitum vero illum fieri intelligit ſupra Babylonem, non procul oppido Maſſica, ut legitur apud Plinium libro quinto. Inde alter Babylonem interfluit, alter vero prope Seleuciam labitur, duas urbes celeberrimas & valde opulentas. Si admittimus natura & à principio fuiſſe confluxum illum quo miſcetur Euphrates Tigridi, ſublata eſt omnis abſurditas. Si qua eſt ſub cælo regio pulchritudine, fructuum omnium copia, fœcunditate, deliciis, & aliis dotibus excellens, eam maxime celebrant ſcriptores. Quare in eam competunt elogia quibus Paradiſum commendat Moſes. Et regionem Heden in illis partibus fuiſſe ſitam, veriſimile eſt ex Jeſaiæ capite tricеſimo ſeptimo, verſu duodecimo: & Ezechielis capite viceſimo ſeptimo, verſu viceſimo tertio. Cæterum quod flumen egreſſum fuiſſe narrat Moſes, de fluxu aquæ interpretor: acſi diceret, Adam habitaſſe in ripa fluminis, vel in terra ea quæ utrimque alluebatur, ſi Paradiſum accipere libeat pro utraque ripa. Quanquam non magni intereſt, ſive infra confluentem habitaverit Adam, Babylonem & Seleuciam verſus, ſive in ſuperiori parte: ſatis eſt quod agrum irriguum tenuerit. Quomodo autem fluvius in quatuor fuerit diviſus capita, non obſcurum eſt. Duo enim ſunt amnes qui in unum coëunt, deinde abeunt in diverſas partes. Ita flumen unum eſt in confluente: duo autem in ſuperioribus alveis ſunt capita, & duo verſus mare, poſtquam rurſus longius dividi incipiunt. Supereſt quæſtio de nominibus Piſon & Gihon. Neque enim rationi videtur conſentaneum,

ut

ut ſingulis fluviis tribuamus duplex nomen. Sed minime novum eſt, ut nomina amnes mutent, præſertim ubi aliqua inſignis eſt diſcretionis nota. Tigris ipſe (auctore Plinio) circa fontem ſuum Diglito vocatur: poſtquam vero plures fecit alveos, & rurſus coaleſcit, Paſitigris eſt. Nihil ergo abſurdi eſt ſi dicamus à confluxu diverſa habuiſſe nomina. Adde quod inter Paſin & Piſon aliqua eſt affinitas: ut non abſimile vero ſit, Paſitigris nomen antiquæ appellationis eſſe veſtigium. Et libro quinto Quinti Curtii De rebus geſtis Alexandri, ubi Paſitigris fit mentio, quidam codices habent, vocari ab accolis Paſin. Nec male conveniunt reliquæ circumſtantiæ, quibus tres ex fluviis iſtis Moſes deſignat. Piſon circuit terram Havila ubi aurum naſcitur. Tigri circuitus recte tribuitur, propter flexuoſum tractum infra Meſopotathiam. Terra vero Havila, hic pro regione Perſidi vicina, meo judicio, ſumitur. Nam infra capite viceſimo quinto narrabit Moſes, Iſmaëlitas habitaſſe ab Havila uſque ad Sur, quæ contigua eſt Ægypto, qua itur in Aſſyriam. Opponitur terminus Havila termino Sur, quam Moſes Ægypto propinquam facit, & quidem Aſſyriam verſus. Unde ſequitur, Havila tendere ad Suſianam & Perſidem. Neceſſe enim eſt, ut ſit inferior Aſſyria verſus mare Perſicum: deinde procul diſſita ab Ægypto: quia multos populos recenſet Moſes qui inter illos terminos habitarunt. Deinde Nabathæos, quorum illic fit mentio, Perſis vicinos fuiſſe conſtat. Optime nunc convenit quod de auro & lapidibus pretioſis affirmat Moſes. Supereſt Gihon, quem Moſes tradit alluere terram Chus. Æthiopiam vertunt omnes interpretes: ſed regio Madianitarum, & regio Arabiæ contermina, eodem etiam nomine cenſetur apud Moſen. Qua ratione uxor ejus alibi vocatur Æthiopiſſa. Porro quum ad partem illam vergat tractus inferior Euphratis, non video cur pro abſurdo ducatur, nomine Gihon deſignari. Atque ita ſimplex Moſis ſententia eſt, irriguum fuiſſe hortum cujus poſſeſſor erat Adam, fluminis alveo illac tranſeunte, qui poſtea in quatuor capita dividebatur.

15. *Tulit itaque Dominus Deus hominem.*] Subjicit nunc Moſes, ea lege datam fuiſſe terram homini, ut ſe in ea colenda occuparet. Unde ſequitur, homines ad aliquid agendum creatos eſſe, ne ſedes & ignavi jaceant. Erat quidem jucundus hic plenuſque oblectationis labor, procul omni moleſtia & tædio: quum tamen exerceri hominem voluit Deus in terræ cultura, ignavum otium in ejus perſona damnavit. Quare nihil magis contrarium naturæ ordini quam edendo, bibendo, & dormiendo vitam conſumere, nihil interea nobis proponere quod agamus. Addit Moſes, cuſtodiæ horti præfectum fuiſſe Adam: ut oſtendat, ea lege nos poſſidere quæ Dominus nobis ad manum contulit, ut frugali & moderato uſu contenti, quod reſiduum erit ſervemus. Agrum qui poſſidet, fructum annuum ita percipiat ne patiatur fundum per incuriam decidere: ſed poſteris qualem accepit, vel etiam melius excultum, tradere ſtudeat. Fructibus ita veſcatur ne quid vel per luxum dilapidet, vel per negligentiam corrumpi ac perire ſinat. Porro ut inter nos vigeat iſta parſimonia, & in bonis quæ Deus nobis fruenda dedit, ſedulitas: cogitet quiſque ſe in omnibus quæ poſſidet, eſſe Dei œconomum. Ita fiet ut neque ſe diſſolute gerat, neque abuſu corrumpat quæ Deus vult ſervari.

16. *Præcepitque.*] Docet nunc Moſes, cum hac exceptione hominem fuiſſe terræ præfectum, ut tamen Deo ſubeſſet. Lex illi in ſignum ſubjectionis imponitur: nam Dei nihil intererat, illum promiſcue quolibet fructu veſci. Ergo unius arboris prohibitio, obſequii examen fuit. Atque hoc modo aſſuefieri ab initio ad numinis ſui reverentiam voluit Deus totum genus humanum: ut certe neceſſe erat tot præclaris dotibus ornatum ac locupleſ ſub freno teneri, ne in laſciviam erumperet. Erat quidem altera ſpecialis ratio, quam ſupra attigimus, ne Adam ultra modum ſapere appeteret: ſed hoc generale Dei conſilium tenendum eſt, quod hominem ſuo império ſubjicere voluit. Ideo abſtinentia ab unius arboris fructu, obedientiæ quoddam fuit rudimentum: ut ſciret homo habere ſe rectorem vitæ ac dominum, à cujus nutu pendere, & cujus acquieſcere juſſis deberet. Et ſane hæc unica eſt bene & cum ratione vivendi regula, ut ſe exerceant homines ad parendum Deo. Videtur tamen hoc non congruere cum Pauli ſententia, ubi docet Legem non eſſe juſto poſitam. Nam ſi ita eſt, quum adhuc integer & rectus eſſet Adam, opus Lege non habebat. Verum ſolutio in promptu eſt. Neque enim illic diſputat Paulus, ſed ex communi vitæ uſu pronunciat, qui ſponte currunt, non eſſe legis neceſſitate cogendos: quemadmodum vulgari proverbio dicitur, ex maliis moribus natas eſſe bonas leges. Interim non negat quin Deus ab initio legem homini impoſuerit, ut jus ſibi debitum vindicaret. Siquis objiciat alteram Pauli ſententiam, ubi Legem aſſerit eſſe miniſtram mortis: reſpondeo, id eſſe accidentale, ex quo corrupta eſt natura. Tunc vero datum fuiſſe homini præceptum unde cognoſceret Deum ſibi præeſſe. Cæterum hæc minura leviter prætereo. Illud quod dixi, quia longe majoris eſt momenti, ſubinde memoria repetendum, tunc rite compoſitam fore vitam noſtram, ſi Deo pareamus, atque ejus voluntas omnium noſtrorum affectuum ſit magiſtra.

De omni arbore.] Quo libentius morem gerat Adam, liberalitatem ſuam Deus commendat. Ecce, inquit, tibi in manum trado quicquid fructuum terra gignet, quicquid proferet omne arborum genus: ex immenſa copia & varietate unam tantum arborem excipio. Deinde pœnam denunciando, terrorem incutit, ſanciendæ legis cauſa. Quo majus eſt hominis flagitium, quem neque amabilis iſta donorum Dei commemoratio, nec pœnæ metus retinere in officio potuit. Sed quæritur quam mortis ſpeciem intelligat Deus hoc loco. Mihi definitio petenda ex oppoſito videtur: tenendum, inquam, eſt ex qua vita homo exciderit. Erat omni ex parte beatus: ideo ejus vita ad corpus & animam pariter ſpectabat. Quum in ejus anima vigeret rectum judicium, & juſta affectuum moderatio, illic quoque vita regnabat: in corpore nullum erat vitium. quare totus à morte erat immunis. Terrena quidem vita illi fuiſſet temporalis: in cælum tamen ſine interitu, & illæſus migraſſet. Nunc mors ideo horrori nobis eſt, primum quia quædam eſt exinanitio, quoad corpus: deinde quia Dei maledictionem ſentit anima. Videndum etiam quæ ſit mortis cauſa, alienatio ſcilicet à Deo. Inde ſequitur, mortis nomine comprehendi miſerias omnes quibus ſe Adam per defectionem ſuam implicuit: ſimul enim ac defecit à Deo vitæ fonte, dejectus fuit à priore ſtatu, ut ſentiret hominis vitam ſine Deo miſeram eſſe ac perditam, adeoque nihil differre à morte. Quare non immerito & vitæ privatio, & mors vocatur hominis conditio poſt peccatum. Æruminæ & mala tum animæ tum corporis, quibus obſideretur homo quamdiu in terra degit, quoddam ſunt mortis atrium, donec mors ipſa illum penitus abſorbeat. mortuos enim Scriptura paſſim nominat, qui peccati & Satanæ tyrannide oppreſſi, nihil quam interitum ſuum ſpirant. Quare ſupervacua eſt quæſtio, quomodo Adæ minatus fuerit Deus mortem quo die fructum attigiſſet: quum pœnam in longum tempus diſtulerit. Nam tunc morti addictus fuit Adam, & mors regnum ſuum in eo inchoavit, donec remedium affer ret ſuperveniens gratia.

18. *Non eſt bonum ut ſit Adam ſolus.*] Nunc Dei conſilium exponit Moſes in creanda

ut eſſent homines in terra qui mutuam inter ſe ſociatatem colereor. Quanquam dubitari poteſt an ad progeniem debeat extendi hæc ſententia: ſimpliciter enim hoc ſonant verba, Quoniam viro non expedit eſſe ſuli, creanda eſt uxor quæ ſit illi adjutria. Ego tamen ita accipio: quod Deus à primo quidem gradu incipiat humanæ ſocietatis, alios tamen velit complecti, ſuo quemque loco. Principium ergo generale eſt, conditum eſſe hominem, ut ſit ſociale animal. Jam non poterat eſtate hominum genus ſine muliere: adeoque in conjunctione hominum præcipue eminet ſanctius illud vinculum, quo maritus & uxor in unum corpus unamque animam coaleſcunt: quemadmodum natura ipſa Platonem, & alios Philoſophos ſaniores loqui docuit. Cæterum quanquam hoc de Adam pronunciavit Deus, quod illi non eſſet utile eſſe ſuli: non tamen ad ſolam ejus perſonam reſtringo, ſed potius ad iſtimo communem eſſe humanæ vocationis regulam: ut ſibi quiſque dictum accipere debeat, non eſſe bonam ſolitudinem, niſi quem Deus velut ſingulari privilegio exemit. Putant multi ſuis rationibus conducere cælibatum; ideoque ne miſeri ſint, à conjugio abſtinent. Nec ſolum profani homines definierunt beatam eſſe vitam procul uxore degere: ſed prior Hieronymi liber contra Jovianum, petulantibus convitiis refertus eſt, quibus eaſum conatur & infame reddere ſanctum conjugium. His pravis Satanæ ſuggeſtionibus opponere diſcant fideles hanc Dei ſententiam, qua hominem conjugali vitæ, non in ejus exitium, ſed in ſalutem deſtinat. *Faciamus adjutorium.* Quæri poteſt cur non plurali numero dictum ſit, Faciamus, ut ſupra in creatione viti. Putant quidam hoc modo notari utriuſque ſexus diſcrimen, atque ita oſteodi quantum vir ſupra mulierem excellat. Mihi autem, etſi non contraria prorſus, diverſa tamen interpretatio magis arridet: nempe quum in perſona viri creatum fuerit humanum genus, communem totius naturæ dignitatem uno elogio promiſcue fuiſſe ornatam, ubi dictum eſt, Faciamus hominem: nec opus fuiſſe repeti in creanda muliere, quæ nihil aliud eſt quam viri acceſſio. Negari certe non poteſt quin mulier quoque, licet ſecundo gradu, ad imaginem Dei creata ſit: unde ſequitur, quod in creatione viri dictum fuit, ad ſexum muliebrem pertinere. Jam quum Deus mulierem viro in adjutorium aſſignat, non tantum uxoribus regulam vocationis ſuæ præſcribit, ut eas ad officium inſtituat: ſed pronunciat, conjugium viris reipſa fore optimum vitæ ſubſidium. Statuamus igitur, naturæ ordinem ita ferre, ut mulier ſit viro adjutrix. Vulgare quidem proverbium eſt, Neceſſarium eſſe malum: ſed audienda potius vox Dei, quæ pronunciat additam eſſe mulierem viro comitem & ſociam, quæ ipſum ad commode vivendum adjuvet. Fateor quidem, in corrupto hoc generis humani ſtatu non perſpici nec vigere, quæ hic deſcribitur, Dei benedictionem: ſed cauſa mali reputanda eſt, quod ſcilicet ioverſus eſt à nobis ordo naturæ quem Deus ſtatuerat. Nam ſi hodie maneret qualis à principio fuit in homine integritas, iſta Dei inſtitutio clare cerneretur, ſuaviſſima in conjugio regnaret melodia: quia vir in Deum reſpiceret, mulier ad eam rem fida eſſet illi adjutrix: ambo uno conſenſu ſanctam non minus quam amicam & placidam ſocietatem colerent. Nunc vitio noſtro & naturæ corruptela factum eſt, ut iſta conjugii felicitas magna ex parte nobis perierit, vel ſaltem multis incommodis permixta ſit atque infecta. Inde jurgia, moleſtiæ, acerbitates, diſſidia, & immenſum malorum pelagus: inde ſit ut turbentur ſæpe viri ab uxoribus, & multa ſentiant ab illis impedimenta. Quanquam non potuit adeo vitiari conjugium hominum pravitate, ut in totum abolita ſit & extincta benedictio quam ſemel Dominus verbo ſuo ſanxivit. Ergo in multis conjugii incommodis, quæ ſunt degeneris naturæ fructus, manet aliquid divini boni reſiduum: & inigne quaſi ſuffocato, ſcintillæ tamen adhuc emicant. Ex eo autem capite alterum pendet, ut mulieres de officio ſuo edoctæ, viros ſuos adjuvando, ordinem divinitus poſitum tueri ſtudeant. Virorum etiam eſt reputare quid ipſi viciſſim debeant dimidiæ parti ſui generis. mutua enim eſt utriuſque ſexus obligatio: & hac lege addicta eſt viro mulier in adjutorium, ut ſe caput ille ac ducem præſtet. Aliud præterea notandum eſt, quum vocatur hoc loco mulier adjutorium viri, non attingi neceſſitatem ebi poſt Adæ lapſum obnoxii ſumus: nam viro, etiamſi integer ſtetiſſet, mulier futura erat adjutrix. Nunc quum libidinis morbus remedio indigeat, duplex habemus Dei beneficium: ſed poſterius accidentale eſt. *Coram ipſo.* Hebraice eſt כנגדו, tanquam e regione ipſius. כ nota eſt ſimilitudinis in illa lingua. Etſi autem quidam ex Rabinis affirmationis vice hic poni exiſtimant: ego tamen in genuino ſenſu accipio, acſi dictum foret, quod ſit quaſi ἀντίτυπον vel ἀντίστροφον. Dicitur enim mulier e regione viri eſſe, quia illi reſpondeat. Particula vero ſimilitudinis mihi addita videtur, quia ſit translatitia loquutio. Senſum fideliter reddiderunt Græci interpretes, κατ' αὐτον: & Hieroonymus, Quod ſit illi ſimile: nam aliquid æquabile notare voluit Moſes. Atque hinc refellitur quorundam error, qui putant tantum propagationis cauſa mulierem eſſe conditam: & bonum, cujus nuper facta eſt mentio, ad generandam ſobolem reſtringunt: non putant, quoad perſonam Adæ neceſſariam fuiſſe uxorem, qui, à libidine adhuc immunis erat. Quaſi vero tantum ad coocubitum illi data fuerit: ac non potius, ut eſſet individua vitæ comes. Quare non leve pondus habet particula כנגדו, ut ſciamus ad omnes vitæ partes atque uſus patere conjugium. Quod alii eaponunt acſi dictum eſſet, Ad obſequia præſto ſit, frigidum eſt: plus enim ea primere voluit Moſes quemadmodum patet ex ſequentibus.

19. *Formaverat autem Deus.*] Fuſior expoſitio proximæ ſententiæ. Dicit enim, nullum ex animalibus cunctis, quum facta eſſet diſpoſitio, repertum eſſe quod Adæ confarri poſſet atque aptari: neque ea naturæ erat affinitas, ut Adam ex ulla aliqua ſpecie ſibi eligere vitæ ſociam poſſet. Neque id contigit ignorantia. prodierant enim ſingulæ ſpecies in Adæ conſpectum: & iple nomina non temere, ſed ex notitia impoſuerat: nulla tamen erat æquabilis proportio. Itaque niſi addita illi fuiſſet uxor ejuſdem generis, deſtitutus manſiſſet commodo & idoneo adjutorio. Porro iſtud Adducere Dei, nihil aliud ſignificat quam quod affectum ſubjectionis indidit animantibus, ut ſe homini ultro offerreot: ut familiariter inſpecta propriis nominibus & naturæ cujuſque congruentibus diſtingueret. Duraſſet autem in feris quoque beſtiis hæc erga homines manſuetudo, niſi Adam quod acceperat imperium ſua à Deo defectione perdidiſſet. Nunc ea quo cœpit in Deum eſſe contumax, brutorum animalium in ſe ferociam expertus eſt. Alia enim ægre cicurantur, alia ſemper manent indomita: quædam etiam ultro nobis ſua truculentia incutiunt terrorem. Durant tamen adhuc quædam primæ illius ſubjectionis reliquiæ, ſicuti capit. 9. verſ. 2. videbimus. Porro notandum eſt Moſen de ſolis animalibus loqui quæ propius ad hominem accedunt: nam piſces quaſi in alio orbe habitant. Quantum ad nomina quæ impoſuit Adam, non dubito quin ſingulis optima ratio ſubeſſet: ſed eorum uſus una cum plurimis aliis bonis obſolevit.

22. *Cadere igitur fecit ſomnum.*] Quamvis profanis hominibus ridicula videatur hæc formandæ mulieris ratio, atque eorum nonnulli Moſeo fabulari dicant: nobis tamen hic mirabilis Dei providentia affulget. Nam quo ſanctior foret humani generis conjunctio, voluit ex uno & eodem principio tam

mares

mares quam fœminas oriri. Naturam igitur humanam in Adæ perſona condidit, atque inde formavit Hevam, ut fœmina tantum portio eſſet totius generis. Id ſibi volunt Moſis verba quæ ſupra habuimus cap. 1. verſ. 28. Creavit Deus hominem, maſculum & fœminam condidit. Hoc modo admonitus fuit Adam, ut ſe in uxore non ſecus atque in ſpeculo agnoſceret: Heva quoque viciſſim, ut ſe libenter viro ſubjiceret, tanquam ex eo ſumpta. Quod ſi duo ſexus ex diverſis principiis fluxiſſent, occaſio fuiſſet vel mutui contemptus, vel invidiæ, vel rixarum. Et quid habeo protervi homines quod obſtrepant? Credibilis non videtur narratio: quoniam a conſuetudine abhorret. Quaſi vero plus coloris haberet, ex putrido ſemine quotidie gigni homines, niſi uſu & experimento notum eſſet. Sed objiciunt, vel ſupervacuam fuiſſe coſtam quæ Adæ fuit detracta, vel coſtæ abſentia corpus ejus fuiſſe mutilum. Utrumvis reſpondeatur, magnam abſurditatem reperiunt. At vero ſi dicamus præparatam fuiſſe à mundi Opifice coſtam, ex qua alterum corpus formaret, nihil in hoc reſponſo non conſentaneum divinæ providentiæ reperio. Quanquam diverſa conjectura magis arridet, fuiſſe Adæ aliquid detractum, ut majore benevoleotia partem ſui complecteretur. Perdidit igitur coſtam unam: ſed pro qua illi reddita fuit longe uberior merces, dum nactus eſt fidelem vitæ ſociam: imo quum ſe integrum vidit in uxore, qui prius tantum dimidius erat. Atque in eo perſpicimus veram noſtræ cum Filio Dei unitatis effigiem: nam & ille debilis factus eſt, ut membra haberet virtute prædita. Interim notandum, Adam profundo ſopore fuiſſe demerſum, ut nihil doloris ſentiret: deinde nec violentam fuiſſe rupturam, nec ex coſta amiſſa ſeciſſe quicquam jacturæ: quia Deus vacuitatem ſic carne replevit, ut robur etiam ſufficeret: tantum ablata fuit oſſis durities. Conſulto etiam uſus eſt Moſes ædificandi verbo, ut doceret in mulieris perſona tandem abſolutum fuiſſe humanum genus, quod prius inchoato ædificio ſimile erat. Alii ad œconomiam referunt: acſi dicere vellet Moſes, tunc compoſitum fuiſſe legitimum familiæ ordinem. quod non longe à priore expoſitione recedit.

22. *Et ædificavit.*] Jam narrat Moſes inſtitutum fuiſſe divinitus conjugium: quod in primis utile eſt cognitu. Nam quum ſibi Adam proprio arbitrio non ſumpſerit uxorem, ſed oblatam à Domino, ſibique addictam acceperit: hinc melius apparet conjugii ſanctitas, quia Deum ſcimus eſſe ejus auctorem. Quo pluribus modis conatus eſt Satan conjugium fœdare, eo magis ab omni contumelia & probro illud aſſeramus, ut ſuam reverentiam obtineat. Inde enim fiet ut vitam conjugalem bona & tranquilla conſcientia colaot filii Dei: & caſte honeſteque maritis & uxores inter ſe verſentur. Duplex in captanda conjugii infamia Satanæ artificium fuit: ut illius odio peſtiferam cælibatus legem inveheret, deinde ut quidvis licentiæ ſibi permitterent conjuges. Ergo oſtenſa conjugii dignitate, tollenda eſt ſuperſtitio: ne impediat quominus legitima puraque Dei ordinatione pure utantur fideles. deinde obviam eundum eſt carnis laſciviæ, ut pudice cum uxoribus habitent mariti. Quod ſi non urgeret alia ratio, hæc tamen una ſufficere abunde nobis debet: oiſi bonorifice de conjugio ſentimus & loquimur, contumelia affici ejus auctorem & præſidem. talis enim hic à Moſe deſcribitur.

23. *Et dixit Adam.*] Quæritur unde hæc Adæ notitia, qui tunc profundo ſomno obrutus erat. Si dicimus ea fuiſſe tunc perſpicacia, ut judicium ex conjecturis facere potuerit, infirma erit ſolutio. Cæterum nobis dubium eſſe non debet quin illi Deus aut arcana revelatione, aut verbo, rei ſeriem præfeceerit. Neque eoim pro ſua ipſius neceſſitate coſtam mutuatus eſt à viro, ex qua mulierem formaret: ſed eos inter ſe hoc vinculo magis devinctos eſſe voluit. quod fieri non poterat niſi res illis innoteſceret. Non eaprimit quidem Moſes, quomodo innotuerit; niſi tamen velimus ſupervacuum facere opus Dei, ſtatuendum eſt, tam id, quam ejus edendi rationem & conſilium, auctorem manifeſtaſſe. Sopor autem Adæ immiſſus fuit, non qui origioem uxoris illi abſconderet, ſed dolorem moleſtiamque eximeret, donec tam præclarum præmium haberet ablatæ coſtæ. Quod dicit, *hac vice*, ſignificat ſibi hactenus defuiſſe aliquid: acſi dixiſſet, Nunc tandem juſtam comparem nactus ſum, quæ pars eſt ſubſtantiæ carois meæ, & io qua velut me alterum contemplor. Et nomen uxori à viro imponit, ut hoc teſtimonio & hac nota Dei ſapientiam æternæ memoriæ commendet. Latini ſermonis inopia coegit interpretem reddere אשה virginem. Notandum tamen eſt, Hebraicam vocem nihil aliud ſonare quam fœminam viri.

24. *Idcirco relinquet.*] Dubitatur, inducatne Moſes Deum loquentem, an Adæ ſermonem contiuuet, an vero hoc pro doctoris officio in ſua perſona addiderit: quorum poſtremum mihi maxime probatur. Ergo poſtquam hiſtorice retulit quod geſtum à Deo erat, finem quoque divinæ inſtitutionis demonſtrat. Summa eſt, inter gradus humanæ ſocietatis hunc præcipuum eſſe, & quaſi facerrimum, ut vir uxori ſuæ adhæreat. Idque amplificat comparatione addita: quod patri uxorem magis ſuam præferre debeat. Relinqui autem dicitur pater, non quia divellat filios à patribus conjugium, vel alias naturæ neceſſitudines tollat; oam hoc modo ſecum ipſe pugnaret Deus. ſed quum pietas filii erga patrem ſummopere colenda ſit, ac per ſe inviolabilis ac ſancta cenſeri debeat; conjugium tamen ſic prædicat Moſes, ut minus liceat uxorem quam parentes deſerere. Itaque qui divortia temere levibus de cauſis admittunt, in uno capite violant omnia naturæ jura, & in nihilum redigunt. Si patrem à filio ſeparare religio eſt: vinculum quod Dominus aliis omnibus præſtulit, ſolvere, majus eſt nefas.

Eruntque in carnem unam.] Licet vetus interpres tranſtulerit, In carne una: expreſſius tamen quod habent Græci interpretes, Erunt duo in carnem unam. atque ita locum citat Chriſtus, Matth. 19. verſ. 5. Quanquam autem hic duorum non ſit mentio, in ſenſu nihil eſt ambigui. Neque enim plures uni viro uxores Deum attribuiſſe, ſed unam dixerat: & in generali doctrina uxorem poſuerat numero ſingulari. Supereſt ergo ut inter duos conſiſtat vinculum conjugale: unde facile apparet, nihil minus conſentaneum eſſe divinæ inſtitutioni quam polygamiam. Jam quum Chriſtus voluntaria Judæorum divortia improbans, cauſam adducat, Quia non ſic fuit à principio: primam certe hanc inſtitutionem perpetuæ regulæ inſtar haberi jubet. Eodem & ſui temporis Judæos revocat Malachias, Annon ab initio unum fecit? & tamen Spiritus abundans in eo erat. Quare dubium non eſt quin corruptela ſit legitimi conjugii polygamia. *Mal. 2. verſ. 15.*

25 *Erant autem ambo nudi*] Quod indecora & deformis cenſetur hominum nuditas, quæ in pecudibus nihil turpe habet, parum congruere videtur humanæ dignitati. Hominem videre nudum non poſſumus ſine verecundia: in aſini, vel canis, vel tauri conſpectu non idem erit pudor. Quin etiam unumquemque pudet ſuæ nuditatis, quanquam alii teſtes non accedant. Ubi igitur illa nobilitas qua præcellimus? Hujus, qua nunc tangimur, verecundiæ cauſam Moſes proximo capite oſtendet. Nunc ſatis habet dicere, in natura integra nihil niſi honorificum fuiſſe. unde ſequitur, quicquid in nobis probroſum eſt, eſſe culpæ noſtræ imputandum: quia parentes noſtri nihil in ſe habebant non honeſtum, donec peccato fœdati ſunt.

CAPUT III.

PORro ſerpens erat callidior omni beſtia agri, quam fecerat Jehova Deus: & dixit ad mulierem, Etiamne dixit Deus, Non comedetis ex omni arbore horti?

2. Et dixit mulier ad ſerpentem, De fructu arborum horti veſcimur:

3. At de fructu arboris quæ eſt in medio horti, dixit Deus, Non comedetis ex ea, neque contingetis eam, ne forte moriamini.

4. Tunc dixit ſerpens ad mulierem, Non moriendo moriemini.

5. Scit enim Deus quod in die qua comedetis ex ea, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.

6. Et vidit mulier quod bona eſſet arbor ad veſcendum: & quod delectabilis eſſet oculis, & deſiderabilis arbor ad intelligendum: & tulit de fructu ipſius, & comedit: deditque etiam viro ſuo qui erat cum ea, & ipſe comedit.

7. Et aperti ſunt oculi amborum ipſorum, & cognoverunt quod nudi eſſent: & conſuerunt folia ficus, fecerunt que ſibi cingula.

8. Audierunt autem vocem Jehovæ Dei deambulantis per hortum ad auram diei: & abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Jehovæ Dei in medio arborum horti.

9. Vocavitque Jehova Deus Adam, & dixit ei, Ubi es tu?

10. Et ait, Vocem tuam audivi in horto, & timui, quia nudus eram, & abſcondi me.

11. Tunc dixit, Quis indicavit tibi quod nudus eſſes? nonne ex ipſa arbore de qua præceperam tibi ne comederes, comediſti?

12. Et ait Adam, Mulier quam dediſti ut eſſet mecum, ipſa dedit mihi de arbore, & comedi.

13. Dixitque Jehova Deus ad mulierem, Cur hoc feciſti? Et ait mulier, Serpens ſeduxit me, & comedi.

14. Et dixit Jehova ad ſerpentem, Quia feciſti hoc, maledictus eris præ omni animali, & præ omni beſtia agri: ſuper ventrem tuum gradieris, & pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.

15. Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & inter ſemen tuum & inter ſemen ejus: ipſum vulnerabit te in capite, & tu vulnerabis ipſum in calcaneo.

16. Ad mulierem dixit, Multiplicando multiplicabo dolorem tuum, & conceptum tuum: cum dolore paries filios, & ad virum tuum erit deſiderium tuum, ipſeque dominabitur tibi.

17. Adæ vero ait, Quia paruiſti voci uxoris tuæ, & comediſti ex arbore de qua præceperam tibi, dicens, Non comedes ex ea: maledicta terra propter te: in labore comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ.

18. Et ſpinam & tribulum germinabit tibi, & comedes herbam agri.

19. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram: quia ex ea ſumptus es: nam pulvis es, & in pulverem reverteris.

20. Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ Hava, quia ipſa eſt mater omnis viventis.

21. Fecitque Jehova Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

22. Tunc dixit Jehova Deus, Ecce, Adam factus eſt tanquam unus ex nobis, ſciendo bonum & malum: nunc autem ne forte mittat manum ſuam, & accipiat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in ſeculum.

23. Et emiſit eum Jehova de horto Heden, ad colendum terram ex qua ſumptus fuerat.

24. Et ejecit Adam, & collocavit ab Oriente horti Heden Cherubim, & laminam gladii verſatilis, ad cuſtodiendum viam arboris vitæ.

1. *Et ſerpens erat callidior.*] Hoc capite exponit Moſes, hominem, poſtquam Satanæ aſtu deceptus, ab Opifice ſuo defecit, prorſus mutatum, & ſic degenerem factum eſſe, ut deleta ſit Dei imago ad quam formatus erat. Deinde una cum homine totum mundum qui in ejus gratiam creatus erat, deſciviſſe à prima ſua origine: atque ita multum ex nativa ejus excellentia fuiſſe deperditum. Verum hic multæ emergunt & arduæ quæſtiones. Nam quum dicit Moſes, ſerpentem fuiſſe aſtutum præ aliis omnibus animalibus, innuere videtur, non Satanæ inſtinctu fuiſſe ad decipiendum hominem adductum, ſed ſua ipſius malitia. Reſpondeo, nihil obſtare ingenitam ſerpenti verſutiam quin ipſo abuſus Satan fuerit ad machinandum homini exitium. Nam quum inſtrumento opus haberet, delegit ex animalibus quod ſibi aptiſſimum fore videbat: denique modum excogitavit quo inſidiæ quas ſtruebat, facilius in Hevæ animum obreperent. Illi nihildum erat communicationis cum hominibus: animalis perſonam induit, ſub qua ſibi acceſſum patefaceret. Non convenit tamen inter interpretes quo ſenſu vocetur ſerpens נחש: quo nomine Hebræi tam prudentem quam callidum deſignant. Quidam igitur in bonam partem volunt accipi, alii in malam. Ego vero non tam vitium notari à Moſe exiſtimo, quam in laude naturæ poni quod Deus ſingularem huic beſtiæ ſolertiam, ut præ aliis acuta eſſet ac perſpicax, indiderat: dotem vero ſerpenti divinitus attributam, ad ſuas fallacias Satan convertit. Argute cavillantur nonnulli, extare nunc in multis animalibus plus aſtutiæ. Quibus ego reſpondeo, nihil fore abſurdi, ſi dicamus detractum fuiſſe ſerpenti donum quod exitiale generi humano fuerat: quemadmodum poſtea videbimus, ſumptas fuiſſe alias quoque de eo pœnas. Quanquam non multum in hac deſcriptione variant à Moſe Zoographi: & experientia optime reſpondet. nec vero fruſtra Dominus ſuos jubet prudentes eſſe tanquam ſerpentes. Sed videtur parum rationi conſentaneum, ſerpentem hic ſolum induci, ſuppreſſa *Matt. 10. verſ. 16.*

preſſa omnì Satanæ mentione. Fateor quidem ex hoc uno loco non poſſe colligi aliud quam homines à ſerpente fuiſſe deceptos. Verum ſatis multa ſunt Scripturæ teſtimonia, quibus palam clareque aſſeritur, os tantum diaboli fuiſſe ſerpentem: quia non hic, ſed ille pater mendacii, impoſturæ artifex, mortis auctor ſtatuitur. Nondum tamen ſoluta eſt quæſtio, cur nomen Satanæ tacuerit Moſes. Ego eorum ſententiæ libenter ſubſcribo, qui Spiritum ſanctum tradunt conſulto obſcuris figuris uſum tunc eſſe, quia plenam & conſpicuam lucem in regnum Chriſti differri oportuit. Interea teſtantur Prophetæ, mentem Moſis ſibi probe fuiſſe cognitam, quando paſſim in diabolum rejiciunt interitus noſtri cauſam. Diximus alibi, Moſen craſſo rudique ſtylo accommodare ad popularem captum quæ tradit: idque optima de cauſa. neque enim illi indoctum modo vulgus docendum erat: ſed illa erat puerilis Eccleſiæ ætas, quæ nondum altiorem doctrinam capere poterat. Nihil itaque abſurdi, ſi lacte paſcuntur quos ſcimus & fatemur pro illo tempore fuiſſe quaſi infantes. Vel (ſi alia ſimilitudo magis placet) minime culpandus eſt Moſes ſi pædagogi nuunus ſibi à Domino impoſitum fuiſſe cogitans, puerilibus rudimentis inſiſtit. Quibus faſtidio eſt hæc ſimplicitas, totam Dei œconomiam in regenda Eccleſia neceſſe eſt damnent. Sufficiat illud, quod Dominus arcana Spiritus ſui illuminatione ſupplevit quicquid claritatis externis verbis deerat. quemadmodum ex Prophetis liquet, qui viderunt proprium humani generis hoſtem eſſe Satanam, omnium malorum architectum, nocendo ac perdendo omne genus fraudibus & fallaciis inſtructum. Quamvis igitur obſtrepant impii, nihil eſt in hoc loquendi genere quod merito nos offendat, ſi Moſes Satanam injuſtitiæ principem ſub miniſtri organique ſui perſona deſcribit, quo tempore Chriſtus Eccleſiæ caput & Sol juſtitiæ nondum palam illuxerat. Adde quod humanæ ingratitudinis fœditas melius inde perſpicitur: quod quum ſibi Dei manu in ſubjectionem cuncta animalia eſſe tradita, Adam & Heva agnoſcerent: ab uno tamen ex ſuis mancipiis abduci ſe paſſi ſunt ad rebellandum Deo. Quoties intuebantur quicquid animalium erat in mundo, tam ſummum Dei imperium quam ſingularis bonitas in mentem illis venire debebat: contra vero, dum ſerpentem vident ab Opifice ſuo eſſe apoſtatam, non modo pœnas non ſumunt, ſed contra legitimum ordinem ſe illi ſubjiciunt & addicunt, apoſtaſiæ ejuſdem comites. hac tanta pravitate quid fingi poteſt indignius? Ita ſerpentis nomen non allegorice, ut quidam inepte faciunt, ſed in genuino ſenſu accipio. Mirantur etiam plerique quod Moſes ſimpliciter & quaſi ex abrupto narret Satanæ impulſu in æternum exitium cecidiſſe homines: quomodo autem à Deo impulſor ipſe defecerit, ne verbo quidem attingat. Atque inde factum eſt ut fanatici homines Satanam malum & perverſum, qualis hic deſcribitur, conditum fuiſſe ſomniarent. Atqui Satanæ defectio aliis Scripturæ locis probatur: & impium delirium eſt, malæ ullius & corruptæ naturæ creationem Deo affingere: nam perfecto mundo teſtimonium ipſe cunctis ſuis operibus reddidit, quod eſſent valde bona. Quare ſine controverſia ſtatuendum eſt, malitiæ qua præditus eſt Satan, principium non à natura, ſed à defectione eſſe: quia à Deo juſtitiæ & omnis rectitudinis fonte diſceſſit. Sed ejus lapſum nunc præterit Moſes, quia illi propoſitum eſt, breviter humanæ naturæ corruptionem narrare: ut ſciamus Adam non fuiſſe ad multiplices iſtas, ſub quibus laborant omnes ejus poſteri, miſerias conditum, ſed propria culpa in eas decidiſſe. Dum reputant homines quot & quibus obnoxii ſint malis, continere ſe nequeunt quin fremant & obmurmurent Deo, cui perperam imputant juſtas peccati pœnas. Notæ ſunt querimoniæ, clementius egiſſe Deum cum porcis & canibus. *Unde* hoc, niſi quia miſerum hunc & perditum ſtatum, ſub quo tabeſcimus, non referunt acceptum Adæ peccato, ſicuti par erat? Sed hoc longe deterius, quod interiora animæ vitia (qualia ſunt, horribilis cæcitas, contumacia in Deum, pravæ cupiditates, violenti ad malum impetus) in Deum rejiciunt: quaſi non accidentalis eſſet tota ingenii noſtri perverſitas. Conſilium ergo Moſis fuit paucis complecti quantum à prima origine differat præſens noſtra conditio: ut cum humili culpæ noſtræ confeſſione diſcamus mala noſtra lugere. Quare non eſt quod miremur, eum non omnia proſequi quæ deſiderari à quovis poſſunt, dum in hiſtoriam quam narrare inſtituit, intentus eſt. Nunc expedienda eſt illa quæſtio in qua plurimum ventoſa ingenia tumultuantur, cur Deus Adam tentari paſſus fuerit, quum adeo triſtis eventus minime eum lateret. Quod nunc frena Satanæ laxat ut nos ad peccandum ſollicitet, judicio & ultioni, poſt alienatum ab ipſo hominem, adſcribimus: verum natura adhuc ſana & integra, non eadem fuit ratio. Hominem ergo Deus imagini ſuæ conformem, necdum ulla noxa implicitum, Satanæ tentandum permiſit: quin etiam animal commodavit, quod alioqui nunquam parituſſet. quid hoc aliud fuit quam hoſtem in hominis exitium armare? Hæc videtur fuiſſe Manichæis occaſio cur duo principia ſtatuerent. Satanam ergo finxerunt, quum Deo non ſubeſſet, eo invito ſtruxiſſe homini inſidias, & fuiſſe non homine ſolum, ſed Deo quoque ipſo ſuperiorem. Ita, ut quod timebant abſurdum effugerent, in execranda errorum portenta delapſi ſunt, duos eſſe deos, non eſſe unicum mundi Creatorem, juſtum Deum à contrario victum eſſe. At vero quicunque pie & reverenter de potentia Dei ſentiunt, nonniſi ejus permiſſu agnoſcunt hoc factum eſſe. Nam iſtud primo concedere neceſſe eſt, non latuiſſe Deum qualis futurus eſſet eventus: deinde potuiſſe obſiſtere, ſi ita viſum foret. Cæterum de permiſſu quum loquor, intelligo fuiſſe illi conſtitutum quidnam fieri vellet. Hic quidem exoritur à multis diſſenſio, qui Adam libero ſuo arbitrio ita permiſſum fuiſſe imaginantur, ut Deus ejus lapſum noluerit. Sumunt pro confeſſo, quod illis fateor, nihil minus eſſe probabile quam Deum peccati cenſeri cauſam, quod tot atrocibus pœnis ultus eſt. Sed quum dico non ſine Dei ordinatione & nutu lapſum fuiſſe Adam, non ita accipio quaſi peccatum illi unquam placuerit, aut ſimpliciter voluerit præceptum quod dederat, violari. Quatenus recti & bene compoſiti ordinis everſio fuit Adæ lapſus, quatenus in Deum legislatorem contumacia, & juſtitiæ tranſgreſſio: Dei voluntati fuiſſe adverſum certum eſt. horum tamen nihil obſtat quominus certa de cauſa, licet nobis incognita, hominem labi voluerit. Offendit quorundam aures, quum dicitur, Deum voluiſſe: ſed quid, obſecro, aliud eſt ejus permiſſio qui prohibendi jus habet, imo cujus in manu res eſt poſita, quam voluntas? Utinam ſe à Deo judicari potius ſinerent homines, quam ſibi in eum judicium ſacrilega temeritate ſumerent: verum hæc carnis arrogantia eſt, examini ſuo Deum ſubjicere. Ego hoc axioma fixum retineo, Nihil magis à Deo alienum eſſe quam ſi dicamus hominem ab eo conditum, ut ſuſpenſa & dubia foret ejus conditio. quare ſtatuo, ſicuti Creatorem decebat, prius apud ſe decretum habuiſſe quidnam de eo futurum eſſet. Perperam inde colligunt imperiti, non libero motu peccaſſe hominem. Senſit enim ipſe, propriæ conſcientiæ teſtimonio convictus, nimis ſe in peccando fuiſſe liberum. Neceſſitate an contingenter peccaverit, alia eſt quæſtio: de qua vide Inſtitutionem & libellum de Prædeſtinatione. *Dixit ad* [illegible] *Iterem.* Locum hunc ſannis ſuis exagitant impii, quia facundum animal faciat Moſes quod biſulcum, quia lingua ob-

scure tantum sibilat. Ac primum quærunt ex quo tempore cœperint muta esse animalia, si tunc distinctum habebant & communem nobiscum sermonem. Responsio in promptu est, non natura distertum fuisse serpentem, sed quum Dei permissu organum sibi appositum nactus esset Satan, voces quoque ex ejus lingua formasse quas idem Deus permisit. Nec dubito quin extraordinarium id esse Heva senserit, atque ideo cupidius exceperit quod mirata est. Jam si fabulosum judicant quicquid est insolitum, nullum Deo miraculum edere licebit. Deus opus aliquod à communi usu remotum edendo, in potentiæ suæ admirationem nos cogit. Si hoc ipso prætextu ridemus Dei potentiam quia familiaris nobis non est, annon simus plusquam præposteri? Adhæc, si incredibile videtur loquutas esse Deo jubente bestias: unde homini sermo, nisi quia ejus linguam Deus formavit? Editas sine lingua in aëre fuisse voces ad illustrandam Christi gloriam, Euangelium prædicat: minus hoc rationi carnis probabile quam ex brutorum animalium ore elici sermonem. Quid igitur hic impiorum petulantia insectatione dignum invenient? In summa, quisquis Deum in cælo statuit mundi præsidem, suam illi potentiam non magnificat in creaturas, ut bruta animalia pro suo arbitrio loqui doceat: sicut interdum homines ex facundis elingues reddit. Porro in eo se prodit Satanæ vafrities, quod non recta virum aggreditur, sed in uxoris persona quasi per cuniculos obrepit. Infidiosa hæc adoriendi ratio nobis hodie quoque plus satis nota est: atque utinam ita sit ut prudenter nobis cavere discamus. Nam qua parte nos videt parum munitos, furtim se insinuat, ne prius sentiatur quam penetraverit quo volebat. Non refugit mulier serpentis colloquium, quia nullum adhuc dissidium erat: habebat ergo non secus ac domesticum animal. Quæritur quidnam Satanam ad machinandum homini exitium impulerit. Finxerunt curiosi sophistæ, quia præviderat Filium Dei humana carne induendum, invidia simul flagrasse: verum frivola est speculatio. Nam quum homo factus sit Dei Filius, ut nos ex misera dissipatione jam perditos colligeret, quomodo prævideri potuit quod futurum non erat nisi homo peccasset? Si conjecturis detur locus, verisimilius est (ut desperati solent) rabie quadam fuisse adactum, ut secum in societatem æterni interitus hominem raperet. Verum hæc una ratione contentos esse nos decet, quod quum esset Dei adversarius, conatus sit ordinem ab eo positum evertere: quia Deum non poterat è solio suo detrahere, hominem aggressus est, in quo refulgebat ejus imago. Everso homine, horrendam fore totius mundi confusionem noverat: sicut accidit. ergo in hominis persona studuit opprimere Dei gloriam. Omissis commentis, doctrinam hanc, quæ simplex est ac solida, teneamus. *Etiamne.* Varie exponitur imo torquetur hæc sententia, partim quia per se obscura est, partim ob Hebraicæ particulæ ambiguum sensum. אַף כִּי Hebræis tantundem valet interdum ac Latinis, Etiamsi, vel enimvero: interdum, Quanto magis. David Kimhi in hoc postremo sensu accipit: & putat multa ultro citroque habita fuisse verba, antequam huc descenderet serpens: nempe quod aliis nominibus Deum calumniatus, tandem concluderit, Hinc multo magis apparet quam invidum se & malignum præbuerit erga vos, quia arborem scientiæ boni & mali vobis interdixerit. Verum expositio hæc, præterquam quod coacta est, Hevæ responso falsa esse coarguitur. Rectius Chaldæus paraphrastes, Verumne est quod Deus prohibuerit, &c. Porro quibusdam simplex, aliis ironica esse videtur interrogatio. Simplex esset quæ dubitationem injiceret, hoc modo, Fierine potest ut esum cujuspiam arboris vetuerit Deus? Ironica autem, quæ excuteret inanem metum, Scilicet Dei multum interest an edatis ex arbore: ridiculum ergo quod vobis putatis esse vetitum. Priori sententiæ ideo libentius subscribo, quia magis probabile est Satanam, ut occultius falleret, flexuolis ambagibus sensim progressum esse, ut mulierem in contemptum divini præcepti induceret. Jam alii existimant, Satanam præcise negare esse Dei verbum quod audierant homines. Alii (quibus ego magis assentior) putant sub causæ quærendæ prætextu, oblique labefactari verbi fidem. Et certe vetus interpres transtulit, Cur dixit Deus? quod etsi non in totum probo, non tamen dubito quin mulierem serpens ad quærendam causam sollicitet: quoniam aliter ejus animum à Deo abducere non poterat. Valde periculosa tentatio, quum nobis suggeritur non esse Deo parendum, nisi quatenus mandati ratio constat. Vera enim obedientiæ regula est, ut nudo imperio contenti, justum esse ac rectum nobis persuadeamus quicquid præcipit. Quisquis vero præter mensuram sapere appetet, hunc excussa Dei reverentia protinus in apertam rebellionem abripiet Satan. Quantum ad Grammaticam attinet, vertendum censeo, Etiamne, vel Itane? Satanæ tamen artificium notandum est. Mulieri enim scrupulum injicere voluit, ut verbum Dei non esse crederet, cujus non palam extabat plausibilis ratio. *Ex omni arbore horti.* Duplicem sensum afferunt interpretes: prior est, quod Satan augendæ invidiæ causa, fingat omnes arbores fuisse vetitas, Etiamne præcepit Deus ne audeatis ullam arborem attingere? Alter vero, Ergo non promiscue vobis ex quavis arbore vescendi permissa est libertas? Prior magis quadrat diaboli ingenio, ut maligne rem amplificet: & videtur suffragari Hevæ responsio. Nam quum dicit, Omnibus vescimur, una tantum excepta: videtur calumniam de generali prohibitione refellere. sed quia hoc ad fallendum erat aptius, quæstionem de simplici nudaque Dei prohibitione movere: magis credibile est Satanam, pro sua vafritie, hinc fecisse tentationis exordium, Fierine potest ut Deus vos ex qualibet arbore fructum colligere noluerit? Quod autem excipit mulier, unam duntaxat arborem prohibitam, ad defensionem mandati facit: acsi negaret, durum vel molestum debere videri, quod tanta arborum copia & varietate permissa, Deus unam tantum exceperit. Ita in his verbis erit concessio, vetitam quidem esse unam arborem: deinde refutatio calumniæ, quod non sit arduum vel difficile abstinere ab una arbore, ubi innumeræ ad manum suppetunt quarum usus permissus est. Non poterat Heva Satanæ insultum magis prudenter vel cordate repellere, quam dum objicit se & maritum à Domino tam liberaliter tractatos esse, ut abunde sufficere debeat quæ concessa est facultas. significat enim se nimis fore ingratos, si tantis opibus non contenti, plus quam fas est appetant. Quum dicit, vetuisse Deum ne comedant vel attingant: secundum verbum quidam additum putant, quasi Deum insimulet nimiæ severitatis, quod etiamsi tactu prohibuerit. Ego vero potius interpretor, eam adhuc in obedientia perstare, ac exprimere pium affectum in Dei præcepto anxie observando. Tantum in pœnæ denunciatione labascit, inferens adverbium Forte: quum Deus certo pronunciasset, Morte moriemini. Etsi enim Hebræis מוֹת non semper dubitationem sonat: quia tamen sæpius in hoc sensu capitur, libenter hoc amplector quod hæsitare cœperit mulier. Certe mortem præ oculis non habuit, ut decebat, si Deo immorigeram esse contingeret: verum mortis periculum procul & frigide sentire se demonstrat.

4. *Dixit serpens ad mulierem.*] Jam liberius insultat Satan: & quia rimam sibi patere videt, recto impetu perrumpit. neque enim aperto Marte unquam congredi solet, nisi quum nos sponte nudos illi & inermes exponimus. Subtilius primum per blanditias

ditias nos adoritur: sed ubi obrepsit, petulanter & superba confidentia contra Deum insurgere audet: sicuti nunc, arrepta dubitatione Hevæ, longius penetrat, quo faciat simplicem negativam. Talibus exemplis ad cavendas ejus illecebras erudiri nos convenit, ut mature obviam eundo, procul cum à nobis arceamus, ne propior illi accessus pateat. Nunc ergo non dubitanter quærit, ut antea, verene sit præceptum Dei quod oppugnat: sed palam Deum arguit mendacii. Verbum enim illud quo mori denunciata est, falsum ac deluforium esse asserit. Exitialis tentatio, quum Deo exitium minante, non modo securi torpemus, sed Deum ipsum habemus ludibrio.

5. *Scit enim Deus.*] Sunt qui putent astute hic Deum à Satana laudari, quasi nunquam homines à fructu salutifero prohibiturus fuerit, sed illi manifeste secum pugnant: simul enim fatentur, priore membro jam prorsus abrogasse fidem Deo, quasi mentitus foret. Alii putant Deum malignitatis & invidiæ argui, eo quod summa perfectione hominem privare voluerit: atque horum sententia probabilior est. Interea (meo judicio) probare conatur Satan quod nuper dixerat, sumpta à contrario ratione: Hanc, inquit, arborem vobis Deus interdixit, ne in societatem gloriæ suæ admittere vos cogatur: ergo supervacuus est pœnæ metus. In summa, non iom esse fructum negat, quia utilis sit ac salutaris. Quum dicit, Deum novisse: zelotypia inductum exprobrat, & consulto mandasse de arbore, ut in gradu inferiori hominem teneret. *Eritis sicut Dii.* Quidam vertunt, Similes Angelis. Posset etiam numero singulari reddi, Tanquam Deus. Mihi non dubium est quin Diviniratem illis promittat Satan: acsi dixisset, Non alia ratione Deus arbore scientiæ vos fraudat, nisi quia veretur habere socios. Cæterum divinam gloriam, vel æqualitatem cum Deo, in perfecta boni & mali scientia non sine colore constituit: sed merus fucus est, quo miseram fœminam illaqueat. Quia naturaliter ingenitum est omnibus sciendi studium, putatur in eo sita esse felicitas: verum erravit Heva, quæ modum sciendi non temperavit Dei arbitrio. Et eodem quotidie morbo laboramus omnes, quod plus scire appetimus quam expediat, & quam Dominus permittat: quum præcipuum sapientiæ caput sit composita in Dei obsequium sobrietas.

6. *Et vidit mulier.*] Impurus hic & concupiscentiæ veneno infectus Hevæ aspectus, cordis impuri nuncius ac testis fuit. Poterat sincere prius arborem aspicere, ut nulla vescendi libido animum ejus feriret. fides enim quam habebat verbo Dei, optima erat cordis & sensuum omnium custos. Nunc postquam à fide & obedientia verbi cor defecit, secum pariter corrupit omnes sensus, ac per omnes tam animæ quam corporis partes diffusa est pravitas. Hoc ergo impiæ defectionis signum est, quod mulier bonam ad vescendum arborem esse judicat, quod cupide se oblectat ejus intuitu, quod desiderabilem esse acquirendæ prudentiæ causa sibi persuadet, quam prius centies præteriisset libero & tranquillo intuitu. nunc enim proterve & intemperanter vagatur animo, excusso freno, & corpus in eandem secum lasciviam trahit. להשכיל bifariam exponi potest: quod arbor concupiscibilis foret vel ad videndum, vel ad prudentiam conferendam. Hoc posterius quia tentationi melius respondet, libenter amplector. *Deditque etiam viro suo qui secum erat.* Ex his verbis conjiciunt quidam adfuisse Adam, quum tentata fuit uxor, & persuasa à serpente: quod nullo modo credibile est. fieri tamen potest, ut mox supervenerit: imo antequam fructum arboris gustaret mulier, retulerit habitum cum serpente colloquium, & iisdem quibus decepta fuerat fallaciis irretiverit. Alii particulam עמה ad conjugale vinculum referunt: quod recipi potest. Quia autem simpliciter refert Moses, sumptum è manibus uxoris fructum comedisse: opinio hæc vulgo recepta fuit, illecebris illius captum fuisse potius quam Satanæ impostura persuasum. In eum finem adducitur Pauli sententia, Adam non fuit deceptus, sed mulier, 1. ad Tim. 2 vers. 14. sed Paulus illic, ut originem mali à muliere profectam doceat, comparative tantum loquitur. Non ergo tantum ut morem gereret uxori, legem sibi positam transgressus est: sed ab ea in exitialem ambitionem pertractus, ejusdem defectionis socius fuit. Et sane Paulus alibi non per mulierem, sed per ipsum Adam peccatum venisse tradit, Rom 5. vers. 12. Deinde exprobratio, quæ paulo post sequetur, *Ecce, Adam quasi unus ex nobis*, clare testatur ipsum quoque stulte concupisse plusquam licebat: & plus fidei habuisse diaboli caprionibus quam sacrosancto Dei verbo. Nunc quæritur quodnam utriusque peccatum fuerit. Puerile est, quod ex veteribus nonnulli tradunt, intemperantia gulæ fuisse illectum. Nam quum tanta optimorum fructuum copia affluerent, quales in una specie lautitiæ? Rectius Augustinus, qui superbiam dicit malorum omnium initium fuisse, & superbia perditum esse humanum genus. Plenior tamen definitio peccati ex tentationis specie quam describit Moses, sumi potest. Primum enim abducitur muliet à verbo Dei, serpentis captionibus, per infidelitatem. Quare initium ruinæ qua labefactatum est humanum genus, fuit defectio ab imperio Dei. Sed observa, tunc à Deo homines descivisse, quum relicto illius verbo, aures præbuerunt Satanæ mendaciis. Nam inde colligimus, Deum velle suspici & coli in verbo suo: ideoque excuti omnem ejus reverentiam, quum verbum contemnitur. Doctrina cognitu valde utilis. nam apud paucos suum dignitatem obtinet Dei verbum: ut per hujus contemptum impune ruentes, sibi tamen inter Dei cultores præcipuum gradum arrogent. Atqui ut non aliter se hominibus manifestat Deus quam per verbum: ita neque aliter ejus majestas constitit, nec salvus manet ejus inter nos cultus, quam dum obedimus ejus verbo. Proinde infidelitas radix defectionis fuit: sicuti sola fides nos Deo conjungit. Hinc fluxit ambitio & superbia, ut mulier primum, deinde & maritus se contra Deum efferre cuperent. Vere enim se contra Deum extulerunt, quum honore sibi divinitus collato, tanta præstantia non contenti, plus optarunt scire quam fas erat, ut Deo pares forent. Ubi etiam se prodit monstrosa ingratitudo. ad similitudinem Dei facti erant: hoc parum videtur, nisi accedat æqualitas. Jam non est quod in extenuando Adæ & uxoris peccato, frustra non minus quam præposteræ laborent sinistri & pravi homines. Neque enim leve delictum, sed detestabile scelus est apostasia, qua se homo conditoris sui imperio subducit, imo cum rejicit & abnegat. Adde quod non simplex apostasia fuit, sed cum atrocibus 10 Deum ipsum contumeliis & probris conjuncta. Deum mendacii accusat Satan, & invidiæ, & malignitatis: tam fœdæ & execrandæ calumniæ subscribunt. Tandem contempto Dei mandato, non modo suæ indulgent libidini, sed diabolo se mancipant. Si quis brevius malit, infidelitas ambitioni januam aperuit: ambitio vero contumaciæ fuit mater, ut homines abjecto Dei metu, jugum excuterent. Hac ratione docet Paulus, inobedientia Adæ peccatum intrasse in mundum. Fingamus nihil fuisse mandati transgressione deterius: ne sic tamen ad levandam Adæ culpam, multum profectum fuerit. Deus & liberum in omnibus, & regem illum mundi constituens, in unius solum arboris abstinentia obsequium ejus experiri voluerat: hæc illi conditio non placuit. Excusent rhetores, illectam fuisse mulierem arboris pulchritudine, virum blanditiis Hevæ irretitum. Quo-

men mitius erat Dei imperium, eo minus tolerabilis in eo recusando fuit perversitas. Verum altius quærenda est peccati origo & causa. Nunquam enim Deo repugnare ausi essent, nisi primum ejus verbo incredduli. Nihil autem ad fructum appetendum eos illexit quam insana ambitio. Quamdiu fidem habuntes Dei verbo, sponte se eo regi passi sunt, habebant sedatos & rite compositos affectus. Optimum scilicet erat frenum quæ penitus insidebat eorum animis cogitatio, Deum esse justum, ac nihil esse melius quam ejus mandatis parere: ultimam vero felicis vitæ metam esse, ab ipso diligi. Postquam vero Satanæ blasphemiæ locum dederunt, quasi fascinati, ratione & judicio cœperunt carere: imo quum Satanæ essent mancipia, ligatos tenuit eorum sensus. Adhæc scimus non externa specie æstimari coram Deo peccata, sed interiore affectu. Jam vero quod primorum hominum defectio, totius generis dicitur universalis fuisse clades, plerisque absurdum videtur: atque hoc nomine libenter Deum in crimen vocarent. Pelagius contra, ne corruptio naturæ humanæ in Deum redundaret, (quod falso timebat) peccatum originale negare ausus est. Verum tam crassus error, non modo solidis Scripturæ testimoniis, sed ipsa quoque experientia aperte refellitur. Philosophus, quum alioqui satis superque acuti essent, ignota fuit naturæ nostræ vitiositas. Nempe stupor iste illustre testimonium fuit originalis peccati. Quicunque enim non prorsus cæcutiunt, vident nullam nostri partem esse integram: mentem esse percussam cæcitate, innumerisque erroribus infectam: omnes cordis affectus contumacia & pravitate plenos; & illic regnare vel fœdas libidines, vel alios non leviores morbos: multis vitiis sensus omnes scatere. Cæterum quia nullus præter unum Deum idoneus est hujus causæ judex, sententiæ quam protulit in Scripturis, acquiescendum est. Primum, quod vitiosi & perversi nascamur, Scriptura clare docet. Frivolum Pelagii cavillum fuit, imitatione ortum fuisse peccatum ab Adam. Neque enim poterat David, adhuc matris inclusus utero, Adæ esse imitator: qui tamen fatetur se in peccato fuisse conceptum. Porro amplior hujus rei probatio, & definitio peccati originalis, ex Institutione petatur: nisi quod uno verbo, quam late pateat, hic expediam. Quicquid est in natura nostra vitiosum, quia Deo adscribere fas non est, merito in peccatum rejicimus. Atqui Paulus, 3. ad Rom. cap. v. 10. corruptionem non subsidere una tantum in parte docet, sed totam animam & singulas ejus partes occupare. Unde sequitur, pueriliter errare eos qui originale peccatum in libidine tantum, & inordinato appetituum motu considerant: quum in ipsa rationis sede & toto corde grassetur. Peccato annexus est reatus: vel, quemadmodum loquitur Paulus, ab homine peccatum, à peccato mors. Quare alibi pronunciat, nos esse filios iræ: acti æternæ maledictioni nos subjiceret. In summa, quod spoliati eximiis Spiritus sancti donis, luce rationis, justitia, rectitudine, ad omne autem malum propensi sumus: deinde quod perditi & damnati, morti subjacemus: hæreditaria est nostra conditio, & simul justa pœna quam Deus in Adæ persona generi humano inflixit. Nunc si quis objiciat, iniquum esse ut pœnam alieni peccati luant insontes: respondeo, quicquid donorum nobis in Adæ persona contulerat Deus, potuisse jure optimo auferre, quum ille impie defecit. Neque opus est confugere ad vetus illud quorundam figmentum, quod animæ ex traduce oriantur. Neque enim naturaliter ex Adæ progenie corruptionem traxerunt posteri: sed id potius ex Dei ordinatione pendet: qui sicuti totam humani generis naturam in uno homine ornaverat præstantissimis dotibus, ita in eodem ipsam nudavit. Jam vero, ex quo in Adam corrupti sumus, non sustinemus alieni delicti pœnam, sed propria culpa rei sumus. Movetur etiam à nonnullis quæstio de lapsus vel potius ruinæ tempore. Opinio hæc passim recepta fuit, eodem quo conditi fuerant die, excidisse: ideo Augustinus scribit, stetisse tantum per sex horas. Quod alii conjiciunt, dictatam fuisse in diem Sabbathi tentationem à Satana, ut sanctum diem profanaret: nimis infirmum est. Et certe his documentis monentur pii omnes ut in dubiis speculationibus sibi parcius indulgeant. Ego ut de tempore quod asseram non habeo, ita ex Musis narratione colligi posse arbitror, non diu retinuisse quam acceperant dignitatem. nam simulac conditos fuisse dixit, nulla alterius rei facta mentione, transit ad defectionem. Si vel modico temporis spatio habitasset Adam cum uxore, non inania certe fuisset Dei benedictio in propaganda sobole: sed Moses Dei beneficiis privatos fuisse significat, antequam uti consuescerent. Facile igitur Augustini exclamationi subscribo, O miserum liberum arbitrium, quod adhuc incolume tam parum habuit firmitatis! Atque ut taceamus de brevitate temporis, illa Bernardi admonitio memoratu digna est, Quum tam horribile præcipitium in Paradiso accidisse legamus, quid nos facturi sumus in sterquilinio? Simul memoria tenendum, quo prætextu in capitalem sibi ac posteris suis omnibus fraudem inducti fuerint. Plausibilis erat ista Satanæ adulatio, Scietis bonum & malum: sed ideo maledictum erat illud scire, quia præter Dei gratiam appetebatur. Quare nisi velimus sponte eosdem induere laqueos, discamus à solo Dei nutu, quem bonorum omnium agnoscimus auctorem, omnino pendere. Et quoniam nos Scriptura passim nuditatis inopiæque nostræ admonet, & in Christo recuperandum pronunciat quod amisimus in Adam: exinanita omni nostri fiducia, nos Christo vacuos offeramus, ut suis nos divitiis impleat.

Psal. 51. vers. 7.

Rom. 5. vers. 12. Ephes. 2. vers. 3.

7. *Et aperti sunt oculi.*] Velatos esse oportuit Hevæ oculos, dooec vir quoque deceptus foret: nunc ambo infausti consensus vinculo pariter constricti, malum suum sentire incipiunt: quanquam nondum seria culpæ suæ notitia tanguntur. Pudet eos suæ nuditatis: convicti tamen non se humiliant coram Deo, non metuunt ejus judicium ut deceret, imo tergiversari non desinunt. Est tamen hic aliquis profectus, quod quum nuper cælum instar gigantum impeterent, nunc ignominiæ suæ sensu confusi, ad latebras fugiunt. Atque ista quidem oculorum apertio in primis hominibus ad cernendam suam turpitudinem, clare demonstrat suo quoque judicio fuisse damnatos. Nondum vocati sunt ad Dei tribunal, nullus est qui eos urgeat: quæ sponte subit verecundia, annon certum culpæ judicium est? Nihil igitur totius mundi proficiet facundia ad eos reatu liberandos, quibus sua conscientia ad fatendam culpam judex fuit. Quin potius nos omnes aperire oculos decet, ut dedecore nostro confusi, demus gloriam Deo qualem meretur. Flexibilem Deus hominem creavit: tentari non modo passus est, sed voluit. Nam & serpentis linguam diabolo, præter ordinarium naturæ usum, commodavit: quemadmodum si quis alteri gladium & arma suppeditet. Quum infelix eventus illi esset præcognitus, remedium quale poterat, non attulit. Sed ubi ad hominem ventum fuerit, reperietur sponte peccasse, & non minus libero quam perverso animi motu discessionem fecisse à Deo fictore suo. Nec dicere licebit, fuisse leve aliquod delictum, quod fidem Dei verbo abrogans, impia & sacrilega æmulatione contra eum se extulit, quod noluit ejus imperio subesse, quod denique & superbe & perfide ab eo defecit. Ergo quicquid peccati est ac culpæ in primorum hominum lapsu, pendet eos refidet: quod præcessit æternum Dei consilium, justa ratione non caret, quamvis nobis abscondita. Videmus quidem ex tam horribili ruina fructum quotidie emergere, quod nostris miseriis

Deus

Deus ad humilitatem nos erudit, deinde quod bonitatem ſuam clarius illuſtrat. nam uberior ejus gratia per Chriſtum effuſa eſt in mundum, quam Adæ collata eſſet à principio. Jam ſi nos ratio fugiat, non mirum ſi nobis arcanum Dei conſilium ſit inſtar labyrinthi. *Et conſuerunt folia.* Quod nuper dixi, nec vero pudore, nec ſerio metu ad pœnitentiam fuiſſe adductos, nunc melius patet. Conſuunt ſibi ex foliis perizomata. Quorſum? ut tanquam invicto propugnaculo Deum procul arceant. Fuit ergo confuſus tantum, & cum hebetudine conjunctus mali ſenſus, qualis in ſomno inquieto eſſe ſolet. Nemo noſtrum eſt qui non illorum ſtultitiam rideat (ut certe ridiculum fuit tale integumentum Dei oculis opponere). Interea omnes eodem laboramus vitio: nam ad primas conſcientiæ punctiones trepidamus quidem & pudore afficimur: ſed protinus obrepit indulgentia quæ nos inducit ad frivolas ineptias: quaſi promptum ſit Deo illudere. Itaque niſi magis prematur conſcientia, nullus eſt tam inanis & fluxus excuſationis color, in quo non acquieſcamus: imo ſi nullus fuſcus ſuppetat, facimus tamen nobis delicias, & tridui oblivione putamus nos bene eſſe tectos. In ſumma, deſcribitur hic à Moſe frigida & ſemimortua peccati cognitio, qualis ingenita eſt mentibus hominum, ut reddantur inexcuſabiles. Quæri tamen poteſt, ſi tota natura peccati ſordibus infecta eſt, cur tantum una in parte corporis deformitas appareat. Neque enim faciem vel pectus operiunt Adam & Heva: ſed tantum pudenda quæ vocamus. Hac occaſione factum eſſe arbitror ut vulgo non aliam vitæ corruptelam agnoſcerent quam in libidine venerea. Atqui expendere debebant, non minorem fuiſſe in oculis & auribus verecundiæ cauſam, quam in parte genitali, quæ peccato nondum fœdata erat: quum aures & oculi inquinaſſent Adam & Heva, & diabolo quaſi arma præbuiſſent. Sed Deo fuit ſatis, extare in corpore humano aliquam pudendam notam, quæ nos peccati commoneaciat. Deinde (ut jam diximus) nondum Adæ, ejuſque uxori cognita erat ſua turpitudo, quum tam levi integumento effugere Dei conſpectum tentarent.

8. *Audierunt vocem Domini.*] Simulac vox Dei intonat, ſentiunt Adam & Heva nihil ſibi folia prodeſſe, quibus ſe optime munitos putabant. Nihil hic tradit Moſes quod non hodie maneat in hominum natura, & clare cernatur. Inſculptum eſt omnium cordibus boni & mali diſcrimen, ut docet Paulus ad Rom. c. 2. v. 15. ſed inanibus foliis omnes vitiorum ſuorum dedecus ſepeliunt, donec eorum conſcientias intus voce ſua Deus percellit: hinc trepidæ conſcientiæ, poſtquam ſcilicet Deus excuſſo torpore, vocem ſuam audire coëgit. Porro ubi Hieronymus vertit, Ad auram poſt meridiem: Hebraice habetur, Ad ventum diei. Græci, omiſſo venti nomine, poſuerunt Ad veſperam. Ita invaluit opinio, quod quum circa meridiem peccaſſet Adam, ſub occaſum ſolis in judicium vocatus fuerit. Ego vero in diverſam conjecturam magis inclino, quod ſuo integumento operti, noctem in ſilentio & quiete transegerint, adjuvantibus eorum hypocriſin tenebris: deinde circa auroram rurſus de integro expergefacti, ad ſeipſos redierint: Scimus exoriente ſole, naturaliter auram excitari: ſimul ergo cum flatu Deus apparuit: veſpertinam autem auram impropriè Moſes, dici vocaret. Alii pro plaga vel regione Auſtrali accipiunt: ut certe יום interdum Hebræis hanc vel illam mundi regionem ſignificat. Alii putant notari tempus quod terroribus minus eſt obnoxium: nam in clara luce major eſt ſecuritas: atque ita impletum putant quod Scriptura pronunciat, male ſibi conſcios, etiam ſine periculo ſemper anxios & inquietos eſſe. Eodem referunt quod ſubjicitur de aura, quaſi ad ſtrepitum foliì cadentis formidaverit Adam. ſed quod attuli, verius eſt ac ſimplicius: quod ſub noctis tenebris latebat, *ſole exoriente fuiſſe detectum.* Neque tamen dubito quin notabile aliquod præſentiæ Dei ſymbolum in flatu illo extiterit. Quanquam enim (ut nuper dixi) quotidie auram aliquam ſol exoriens ciere ſolet: id non obſtat quominus extraordinarium adventus ſui ſignum Deus ad ſtimulandas Adæ & uxoris conſcientias, dederit. Nam quum ſit incomprehenſibilis: dum ſe hominibus manifeſtare vult, induit eas notas unde poſſit agnoſci. David appellat ventos Dei nuncios, ſuper quorum alas equitat, aut potius incredibili celeritate volat: ſed quoties viſum eſt, tam ventis quam aliis creaturis, præter naturæ ordinem, ad ſuum arbitrium utitur. Ergo quod venti meminit hoc loco Moſes, ſignificat (meo judicio) editum fuiſſe inſolitum & inſigne divinæ præſentiæ ſymbolum, quod primorum hominum animos vehementer percelleret. Jam hoc poſterius fugæ remedium, nihilo melius priore: quandoquidem fugitivos Deus ſola voce mox retrahit. Scriptum eſt, Quo fugiam à facie tua? Si mare tra-jiciam, ſi aſſumptis alis tranſcendam nubes, ſi deſcendam in profundas abyſſos: tu Domine ubique eris. Id fatemur omnes verum eſſe, neque interea ceſſamus captare vana ſubterfugia: & quaſi libet umbras, nobis fingimus optima eſſe propugnacula. Neque omittendum eſt, quod pauca folia minimum ſibi prodeſſe expertus, ad integras arbores confugit. Sic enim ſolemus frivolis cavillis excluſi, excuſationes novas fingere, quæ nos velut ſub denſiore umbra occultent. Quum dicit Moſes, Adam & uxorem ſe occultaſſe in medio arboris Paradiſi, ſingularem numerum pluralis loco eſſe poſitum interpretor; acſi dixiſſet, Inter arbores.

Pſal. 104. verſ. 3.

Pſal. 139. verſ. 7.

9. *Vocavitque Jehova Deus Adam.*] Jam perculſi fuerant Dei voce, ſed attoniti ſub arboribus jacebant, donec altera vox in eorum animos efficacius penetrat. Dicit Moſes vocatum fuiſſe Adam à Domino: annon ante vocatus fuerat? verum ille fuerat confuſus ſonus, qui nondum ſatis habebat vigoris ad premendas conſcientias. Itaque nunc propius inſtat Deus, & ex multiplici arborum complexu, quamvis invitum & reſtitantem, trahit in medium. In eundem nos quoque modum terremur Dei voce, ſimulatque auribus noſtris Lex ejus inſonat: ſed mox umbras captamus, donec vehementius nos compellans, reos ad ſuum tribunal prodire cogit. Hanc Paulus vitam Legis nominat, quum peccata noſtra coarguens, nos occidit. Nam quamdiu placemus nobis, & falſi vitæ opinione ſumus inflati, Lex nobis mortua eſt: quia ejus aciem rerundimus noſtra duritia: ſed ubi acrius nos pungit, in novos terrores compellimur.

10. *Vocem tuam audivi.*] Quanquam hæc dejecti hominis & humiliati videtur eſſe confeſſio: mox tamen patebit, nondum fuiſſe probe domitum, neque ad pœnitentiam adductum. Voci Dei & nuditati ſuæ timorem imputat, quaſi non ante loquentem Deum audierit intrepidus, imo ſuaviter ejus ſermone exhilaratus fuerit. Quod pudoris cauſam in peccato non agnoſcit, in eo etiam nimis ſtupidus eſt. ſic ergo ſe pœnam ſentire oſtendit, ut culpam nondum fateatur. Interea verum eſſe probat quod prius dixi, non in una tantum corporis parte reſidere originale peccatum, ſed regnum habere in toto homine, adeoque occupare ſingulas animæ partes, ut nulli ſua maneat integritas. nam cum ſuis foliis horret nihilominus ad conſpectum Dei.

11. *Quis indicavit tibi.*] Obliqua ad carpendam Adæ ſocordiam objurgatio, quia culpam in pœna non agnoſcat: acſi dictum eſſet, non ſimpliciter Adam metuere à voce Dei: ſed quia peccator eſt, vocem judicis eſſe illi formidabilem. Nuditatem quoque non eſſe cauſam metus, ſed vitii turpitudinem qua ſe fœdavit. & certe intoleranda Deum blaſphemia, quod mali origo in natura ejus

quærebat. Non quod diſertis verbis Deum accuſaverit: ſed miſeriam ſuam deplorans, ac interea diſſimulans ſe illius auctorem, maligne in Deum quod in ſe ſuſcipere debebat, crimen tranſcribit. Ubi vulgaris translatio habet, Niſi quod de arbore: potius interrogatio eſt. Dubitanter autem inquirit Deus, non quaſi de re ambigua, ſed quo ſtupidum hominem acrius pungat, qui cæco tormento laborans, malum tamen ſuum non ſentit: perinde acſi ægrotus ardere ſe clamitans, de febri non cogitet. Cæterum meminerimus nihil nos ullis ambagibus profecturos, quin ſemper nos in Adæ peccato Deus juſto reatu conſtringat. Particula hæc, *de qua manducaveram tibi ut comederes*: ad tollendum ignorantiæ prætextum addita eſt. Significat enim Deus, Adam fuiſſe in tempore admonitum: nec alia de cauſa periiſſe, niſi quia ſciens & volens exitium ſibi accerſiverit. Iterum in transgreſſione & contumacia notatur peccati atrocitas. nam ut Deo nihil obedientia gratius eſt, ita nihil minus tolerabile quam dum homines ſpretis ejus mandatis, Satanæ & propriæ libidini obtemperant.

12. *Mulier quam dediſti mihi.*] Nunc clarius ſe prodit Adæ ferocia: adeo enim ſubactus non eſt, ut in craſſiorem blaſphemiam erumpat. Tacite prius cum Deo expoſtulabat, nunc palam cum eo litigare incipit, imo quaſi fractis repagulis inſultat. Unde perſpicimus quam præfractum & indomitum animal cœperit eſſe homo, poſtquam à Deo alienatus eſt: corruptæ enim naturæ viva effigies in Adam nobis proponitur ab ejus defectione. Tentatur unuſquiſque à propria concupiſcentia, inquit Jacobus: & Adam ipſe, nonniſi ſciens & volens Deo ſe rebellem præſtiterat. Perinde tamen ac nullius mali conſcius, uxorem ſubſtituit ream ſuo loco: Ideo comeſti, inquit, quia dedit illa. Neque hoc contentus, Deum ſimul arripit in crimen, objiciens uxorem quæ perniciem attulit, fuiſſe ab ipſo datam. Nos quoque in eadem peccati originalis ſchola edocti, captandis ejuſmodi effugiis nimium ſumus habiles: ſed nullo profectu. nam utcunque ſtabella aliunde & inſtigationes impellant. intus tamen eſt infidelitas, quæ ab obedientia Dei nos abducit: intus eſt ſuperbia, quæ contemptum parit. *Jacob. 2. verſ. 14.*

13. *Dixitque Jehova Deus ad mulierem.*] Non ultra contendit Deus cum viro: neque opus eſt. Frivola enim defenſione primum, deinde impia obtrectatione auxit potius quam levavit crimen: denique quantumvis obſtrepat, tenetur tamen convictus. Nunc ad mulierem ſe convertit judex, ut cognita amborum cauſa, tandem pronunciet. Porro ſermonem Dei ita vertunt interpretes, *Quare hoc feciſti?* Sed phraſis Hebraica plus habet vehementiæ: eſt enim oratio mirantis, ut in re prodigioſa. Vertendum itaque potius, Quomodo feciſti hoc? Acſi dixiſſet, Qui fieri potuit ut in animum induceres, viro tuo tam perverſa eſſe conſultrix? *Serpens ſeduxit me.* Obſtupeſcere debuerat Heva ad ſceleris ſui portentum, de quo admonita erat. Non tamen obmutuſcit, ſed mariti exemplo exonerat alio crimen: ſerpentem culpando, ſe abſolutam putat: ſtulte quidem & impudenter. Huc enim demum redit exceptio, Accepi à ſerpente quod vetueras, ſerpens fuit impoſtor. Sed quis Hevam coëgit illius fallaciis aurem præbere? imo cupidius illis fidem habere quam Dei verbo? Denique cur eas admiſit, niſi præfecto & prodito ingreſſu quem Deus ſatis probe munierat? Verum ubique ſe profert fructus originalis peccati: quia cæcus eſt in ſua hypocriſi, Deum libenter redderet mutum & elinguem. Et unde tot quotidie murmura, niſi quia non obmuteſcit Deus, quoties cæcutiunt mentes noſtræ?

14. *Et dixit Jehova ad ſerpentem.*] Serpentem non interrogat, ut virum & mulierem: quia nec in beſtia ſenſus erat peccati, & diabolo nullam ſpem veniæ reſiduam facturus erat. Poterat etiam jure ſuo de illis ferre ſententiam, licet inauditis: de Adam dico & Heva. Cur ergo ad diſquiſitionem vocat, niſi quod curæ habet eorum ſalutem? Doctrina hæc in uſum noſtrum applicanda eſt. Nulla cauſæ actione, aut ſolenni judicii forma opus eſſet ad nos damnandos. quare dum in hoc Deus incumbit ut confeſſionem à nobis extorqueat, medicum potius agit quam judicem. Eadem ratio eſt cur Dominus antequam hominibus pœnam irroget, initium faciat à ſerpente. Aliæ enim pœnæ (ut videbimus) caſtigatoriæ ſunt, ac eo conſilio inflictæ ut ad reſipiſcentiam adducant: in hac nihil tale. Sed dubium eſt ad quem referantur verba, ad ſerpentemne, an ad diabolum. Dixit quidem Moſes ſerpentem fuiſſe aſtutum & vafrum animal: certum tamen eſt, quum Satan homini exitium moliebatur, ab ejus fraude & malitia fuiſſe innoxium. Quare hunc totum locum multi allegorice exponunt: & plauſibiles ſunt quæ ab illis afferuntur argutiæ. Sed omnibus propius expenſis, facile animadvertent lectores ſano judicio præditi, mixtum eſſe ſermonem. nam ita ſerpentem alloquitur Deus, ut clauſula ad diabolum pertineat. Si cui abſurdum videtur pœnam de bruto animali exigi alienæ fraudis: in promptu eſt ſolutio: quum eſſet in hominis gratiam creatus, non temere maledici, ex quo verſus eſt in ejus perniciem. Et hac ultione probare Deus voluit quanti æſtimet hominis ſalutem: quemadmodum ſi pater gladium quo filius occiſus fuerit, execrationi habeat. Atque hic non modo quàlo in ſuas creaturas habeat Deus imperium, ſed in quem eas finem condiderit, reputandum eſt: ſicut nuper dixi. Divini enim judicii æquitas, ab illo quem ſanxit naturæ ordine, dependet, ne quid affine habeat cæcæ ultioni. Hoc modo tradentur reprobi in ignem æternum cum ſuis corporibus, quæ licet nullum per ſe motum habeant, organa tamen ſunt malis perpetrandis. Sic hominis manibus adſcribitur quicquid ſceletum committit ille, ac ideo pollutæ cenſentur: quum tamen ſeipſas non moveant, niſi quatenus pravo cordis affectu impulſæ, exequuntur quod illic conceptum eſt. Secundum hanc rationem dicitur feciſſe ſerpens quod diabolus per ipſum fecit. Verum ſi tam ſevere in brutum animal ulciſcitur Deus hominis exitium, multo minus Satanæ pepercit, totius mali auctori: quod ex clauſula melius patebit. *Maledictus es præ omni animali.* Viget iſta Dei maledictio in ſerpente: qua ſit ut deſpicabilis ſit, & vix tolerabilis cœlo & terræ, vitamque obnoxiam & aſſiduis terroribus plenam agat: deinde ut non tantum exoſus ſit nobis, tanquam capitalis inimicus generis humani, ſed ab aliis quoque animalibus ſegregatus, bellum gerat quodammodo cum natura. prius enim cicurem fuiſſe vidimus, ut mulier familiarem acceſſum non refugeret. Sed quæ ſequuntur, plus habent difficultatis: quia videtur naturale eſſe quod Deus in pœnam denunciat, ut reptare ſuper ventrem, & pulverem comedere. Movit quoſdam doctos homines & acutos hæc objectio, ut dixerint ſerpentem recto corpore ingredi ſolitum, priuſquam eo abuſus eſſet Satan. Cæterum nihil erit abſurdi ſi fateamur priſtinæ conditioni iterum addici ſerpentem, cui naturaliter jam ſubjectus erat. Sic enim cogendus erat in ordinem, qui ſe adverſus Dei imaginem extulerat: acſi dictum eſſet, Tu auſus es miſerum & putidum animal in hominem inſurgere, quem præceperam totius mundi dominio: quaſi vero tuum eſſet, quum terræ eſſes affixus, in cœlum penetrare. Ergo unde emergere tentaſti, jam te retraho: ut ſorte tua contentus eſſe diſcas, nec amplius inſolefcas in hominis contumeliam. Interea ſic revocatur à ſua laſcivia ad ſolitum ingreſſum, ut perpetuæ ignominiæ ſimul damnetur. Comedere pulverem, lignum eſt naturæ vilis & ſordidæ. Simplex (meo judicio) ille eſt ſenſus, quem etiam confirmat

sumat Jesiæ testimonium, cap. 65. vers. 25. Nam dum plenam naturæ integræ ac bene constitutæ instaurationem promittit sub Christi regno, inter alia commemorat, pulverem serpenti pro pane futurum esse. Quare non est quod in singulis quæ hic refert Moses, nova aliqua mutatio quæratur.

15. *Inimicitias ponam.*] Simpliciter interpretor, hostile semper fore dissidium humano generi cum serpentibus, quale hodie cernitur. Fit enim arcano naturæ sensu, ut ab ipsis abborreat homo. Quod quibusdam sunt in deliciis, inter prodigia reputandum est: ac quoties nobis horrorem incutit serpentum aspectus, renovatur defectionis nostræ memoria. Unio etiam tenore contexo quod mox sequitur, *Ipsum vulnerabit caput tuum, & tu vulnerabis ejus calcaneum.* Tale enim odium fore denunciatur tibi ultro citroque molesti sint: serpentem hominibus infestum fore, & homines vicissim perdendis serpentibus fore intentos. Interea videmus ut se clementer in homine castigando gerat Dominus, in quem serpenti non ultra permittit quam ut calcaneum attingat: quum illi subjiciat vulnerandum serpentis caput. Nam in nominibus capitis & calcanei distinctio est inter superius & inferius. Atque ita principatum aliquem Deus homini residuum facit: quia sic mutuum nocendi affectum ponit, ut tamen æqualis non sit conditio, sed homo superior futurus sit in certamine. Quod in priore membro vertit Hieronymus, Conteres caput: in secundo, Insidiaberis calcaneo: nulla ratione factum est. Idem enim verbum repetitur à Mose: tantum in capite & calcaneo notanda est diversitas, quemadmodum nuper dixi. Verbum tamen Hebraicum sive à שוּם, sive à שׁפּה deductum sit, alii conterere vel percutere, alii mordere interpretantur. Mihi quidem dubium non est quin ad serpentis nomen alludere voluerit Moses, qui שׁפיפן Hebraice dicitur, à שׁפה sive שׂוּף. Nunc tranitum à serpente ad ipsum maleficii auctorem facere convenit: neque id per comparationem duntaxat: est enim vere literalis anagoge: quia non ita evomuit iram suam Deus in externum organum, ut diabolo parceret, penes quem residebat tota culpa. Id quo certius nobis constet, observare primo oportet, non serpentis sed hominum causa loquutum esse Dominum. Nam quorsum attinebat contra serpentem vocibus non intellectis tonare? Quare habita fuit hominum ratio: tum ut majori peccati horrore tangerentur, videntes quantopere Deo displiceat: tum ut inde miseriæ suæ solatium caperent, quia sentirent Deum sibi adhuc esse propitium. Jam vero quam tenue & jejunum foret bonæ spei argumentum, si tantum serpentis fieret mentio, omnes vident: neque enim consultum foret nisi caducæ & fluxæ corporis vitæ. Manerent interea homines Satanæ mancipati, qui superbe de illis triumpharet, calcaretque eorum capita. Quare ut collapsos hominum animos erigeret Deus, ut desperatione oppressos recrearet: necesse fuit victoriam de Satana, cujus insidiis perierant, in posterum illis promitti. Hæc una demum salutaris medicina fuit, quæ perditos colligeret, vitamque restituret mortuis. Constituo itaque, Deum sub nomine serpentis Satanam maxime hic petere, & in eum stringere judicii sui fulmen. quod fuit duplici de causa: primum ut sibi cavere homines à Satana discant, tanquam ab hoste mortifero: deinde ut certa vincendi fiducia cum eo prælientur. Cæterum etsi non omnes animis dissident à Satana, imo nimis familiariter bona pars illi adhæret, re tamen ipsa hostis est eorum Satan: nec eum horrere desinunt, quos alioqui suis illecebris demulcet. Et quia sibi infensas esse novit hominum mentes, astute se obliquis artibus in insuat: atque ita fallit sub aliena persona. In summa, ingenitum nobis est à natura, Satanam quasi nobis adversum, fugere. Atque ut ostendat Deus non uniustantum sæculi fore odium, nominatim dicit, *inter te & semen mulieris:* quam late scilicet propagabitur hominum genus. Mulierem ideo exprimit, quia sicut illa diaboli versutiæ cesserat, & decepta prior maritum traxerat in consortium ruinæ, ita peculiari consolatione opus habuit. *Ipsum vulnerabit.* Locus hic nimis luculento documento est quanta fuerit in Papatu doctorum omnium & insitia, & socordia, & incuria. Obrepsit fœminini genus loco masculini vel neutri. Qui Hebraicos vel Græcos codices consuleret, nemo inter eos fuit, vel qui saltem Latina inter se exemplaria conferret. Communi igitur errore vitiosissima lectio recepta fuit. Deinde inventa est sacrilega expositio, dum sanctæ Christi matri aptarunt quod de semine dictum erat. In verbis quidem Mosis nulla est ambiguitas: de sensu vero mihi non convenit cum aliis. Nam semen pro Christo sine controversia accipiunt: acsi dictum foret, exoriturum ex mulieris semine aliquem qui serpentis caput vulneraret. Eorum sententiam libenter meo suffragio approbarem, nisi quod verbum seminis nimis violenter ab illis torqueri video. Quis enim concedet nomen collectivum de uno tantum homine accipi? Deinde sicut dissidii perpetuitas notatur: ita per continuam ætatum seriem promittitur victoria soboli humanæ. Generaliter ergo semen interpretor de posteris. Sed quum experientia doceat, multum abesse quin supra diabolum victores emergant omnes filii Adæ, ad caput unum venire necesse est, ut reperiamus ad quos pertinet victoria. Sic Paulus à semine Abrahæ ad Christum nos deducit: quia multi fuerunt filii degeneres, & bona pars adulterina propter infidelitatem: unde sequitur, unitatem corporis à capite fluere. Quare sensus erit (meo judicio) humanum genus, quod opprimere conatus erat Satan, fore tandem superius. Interim tenendus est vincendi modus, qualem Scriptura describit. Filios hominum captivos seculis omnibus duxit Satan pro sua libidine, & hodie luctuosum illum triumphum continuat: ideo & princeps mundi vocatur. Sed quia fortior emersit è cælo qui illum subjugaret, hinc fit ut illi similiter tota Dei Ecclesia sub capite suo magnifice insultet. Quo spectat illud Pauli Rom. 16. vers. 20. Dominus brevi conteret Satanam sub pedibus vestris. Quibus verbis significat Satanæ conterendi virtutem diffundi in homines fideles, atque ita communem totius Ecclesiæ benedictionem esse: verum simul admonet inchoari tantum in hoc mundo: quia Dominus non coronat nisi bene probatos athletas.

16. *Ad mulierem dixit.*] Quo judicis majestas clarius refulgeat, non tutitur Deus longa dilatatione: unde etiam perspicimus quid valeant omnes nostræ apud ipsum tergiversationes. Producto serpente putabat Heva se fuisse elapsam: Deus omissis illis cavillis eam damnat. Delinat ergo, ubi ad tribunal Dei ventum est, litigare peccator: ne ejus iram, quem jam plus satis offendit, gravius in se provocet. Nunc videndum genus pœnæ quod mulieri imponitur. Quum dicit, *Multiplicabo dolores*, complectitur quicquid molestiæ sustinent mulieres, ex quo gravidæ esse incipiunt, fastidium cibi, deliquia, lassitudines, aliaque innumera, usque dum ventum est ad partum, qui acerbissima tormenta secum affert. Est enim credibile, absque dolore, vel saltem absque tanto cruciatu parituram fuisse mulierem, si in prima conditione stetisset: sed defectio à Deo ejusmodi incommodis eam subjecit. Dolores & concepti per hypallagen accipe pro doloribus quos ex conceptu perferunt. Secunda pœna quam irrogat, est subjectio. Loquitur enim hæc, *Ad virum erit appetitus tuus*, perinde valet acsi negaret eam fore liberam ac proprii juris, sed mariti sui imperio addictam, ut ab ejus nutu pendeat: acsi diceres, Tibi non aliud appetendum erit nisi quod Vir mandabit. Sicut

Sicut infra cap. 4. vers. 7. Appetitus ejus ad te. Ita mulier quæ fines suos proterve excesserat, in ordinem suum cogitur. Jam prius quidem subjecta marito suo fuerat, sed erat liberalis & minime dura subjectio: nunc vero in servitutem conjicitur.

17. *Adæ vero dixit.*] Primo loco notandum est, non primis tantum hominibus pœnam infligi, ut in duobus consistat, sed generaliter extendi ad omnes posteros: ut sciamus in aliorum persona maledictum esse humanum genus: deinde nonnisi temporalibus pœnis subjici, ut ea iræ divinæ moderatione spem veniæ concipiant. Deus causam adductem cur sic in virum animadvertat; obmurmurandi ansam illi præcidit. Omni enim excusatione carebat, qui uxori magis fuerat obsequutus quam Deo: imo Deum contempserat in uxoris suæ gratiam: fallacius Satanæ, quarum ipsa nuncia erat ac ministra, tantum fidei deferens ut non dubitaret factorem suum perfide abnegare. Etsi autem præcise & breviter agit cum Adam, prætextum tamen quo effugere tentaverat, ideo refellit, quo facilius ad pœnitentiam eum adducat. Postquam breviter de Adæ peccato præfatus est, terram ejus causa pronunciat fore maledictam. Vetus interpres transtulit, In opere tuo; sed tenenda est lectio, in quam consentiunt Hebræi omnes codices, quod propter Adam maledicta fuerit terra. Jam sicut terræ benedictio vocatur in Scripturis fœcunditas quam Deus arcana sua virtute inspirat, sic maledictio nihil aliud est quam opposita privatio, ubi Deus gratiam suam subducit. Nec vero absurdum videri debet, quod ex hominis peccato in terram, licet innocuam, redundat pœna. Sicuti enim primum mobile cœleste omnes sphæras secum volvit: sic hominis ruina præcipites egit omnes creaturas, quæ propter ipsum conditæ, illique subjectæ fuerant. Et videmus ut assidue hominum respectu, prout illis Deus irascitur, vel favorem suum ostendit, variet mundi conditio. Adde quod proprie loquendo, non de terra ipsa, sed de solo homine tota vindicta exigitur. Neque enim sibi terra fructificat: sed ut nobis ex suis visceribus alimenta suppeditet. Cæterum Dominus iram suam diluvii instar exundare voluit in omnes mundi partes, ut quocunque aspiceret homo, in ejus oculos incurreret peccati atrocitas. Ante lapsum, mundi status divini in hominem favoris, & paternæ indulgentiæ, pulcherrimum & in primis delectabile speculum erat. Nunc in elementis omnibus cernimus nos maledictos. Et quanquam adhuc misericordia Dei (ut inquit David) plena est terra: simul tamen manifesta horrendæ ejus à nobis alienationis signa apparent, quibus nisi movemur, cæcitatem nostram prodimus ac stuporem. Tantum ne tristitia & horror nos absorbeant, bonitatis suæ notas passim Dominus aspergit. Cæterum quamvis nusquam pura & liquida cernatur Dei benedictio, qualis integro adhuc homine extabat: si tamen in se reputetur quod reliquum manet, vere & merito exclamat David, Dei misericordia plenam esse terram. Porro Moses terram comedere accipit pro vesci fructibus qui ex ea proveniunt. Nomen עִצָּבוֹן quod vertunt dolorem, pro molestia quoque & fatigatione capitur. Hoc loco antitheton est, jucundi laboris, in quo si prius ita exercebat Adam, ut quodammodo luderet: fuerat enim non ad ignaviam conditus, sed ad aliquid agendum. Ideo præfecerat eum Dominus horto colendo. Verum quum in labore illo suavis oblectatio esset, nunc illi injungitur servilis labor, non secus ac si ad metallum damnetur. Et tamen hujus quoque pœnæ mitigatur asperitas, Dei clementia, quod hominum laboribus aliquid misceatur lætitiæ, ne prorsus ingrati sint: ut proximo versu mox iterum dicam.

Psal. 33. vers. 5.

18. *Spinam & tribulum germinabit.*] Fusius prosequitur quod attigerat de percipiendis cum labore & molestia terræ fructibus. Et causam assignat, quia non eadem erit terra quæ prius, quæ sinceros fructus producat: fore enim pronunciat ut degeneret terræ fertilitas in sentes & noxia impedimenta. Quæcunque ergo vitiosa nascuntur, sciamus non nativos esse terræ fructus, sed corruptelas quæ à peccato originem habent. Nec est quod expostulemus cum terra, si votis nostris & cultorum suorum labori non respondeat, quasi nos illa maligne frustretur: sed in ejus sterilitate reputemus iram Dei, & peccatis nostris ingemiscamus. Falsum etiam est quod quidam dicunt; terram longo temporis successu exarescere, quasi eam lassaret parienti assiduitas. Rectius sentiunt, qui crescente hominum malitia, residuam Dei benedictionem paulatim agnoscunt minui & extenuari. ac certe periculum est, nisi respiscat mundus, ne bona pars hominum fame & ingentibus aliis miseriis brevi tabescat. Quod proxime sequitur, *Comedes herbas agri*, tumis restricta (meo judicio) exponunt qui ea sumunt cunctis fructibus privatum fuisse Adam, quibus ante vesci permissum fuerat. Solum intelligit Deus tantum prioribus lautitiis detractum iri, ut herbas brutis solum animalibus destinatas miscere in subsidium cogatur. Longe enim delicatior erat victus initio appositus in beata illa & tam delectabili copia, quam postea fuerit. Partem igitur inopiæ exprimit Deus sub nomine herbarum: quemadmodum si Rex ex suis quempiam à primaria mensa ad plebeiam & sordidam ableget: vel pater filium à quo fuerit offensus, pascat cibario servorum pane: non quod illi interdicat cibis aliis omnibus, sed quod ex solita liberalitate multum subducat. Posset tamen accipi hoc vice consolationis additum: acsi dictum esset, Quamvis sentibus & spinis occupata sit terra, quæ nonnisi bonarum frugum matre esse debuerit, simul tamen alimenta tibi proferet quibus vescaris.

19. *In sudore vultus tui.*] Alii quidem laborem vertunt, sed coacte. Per sudorem vero intelligitur labor durus, & fatigationis tædiique plenus, qui sudorem sua difficultate exprimat. Est autem repetitio superioris sententiæ, ubi dictum fuit, Comedes eam in labore. Perperam hujus loci prætextu imperiti quidam ad laborem manuarium adigere omnes volunt. Neque enim præcipit hic Deus ut magister vel legislator: sed tanquam judex pœnam irrogat. Et sane si hic præscriberetur regula, fieri omnes agricolas necesse esset, nec ullus daretur locus artibus mechanicis: extra mundum quærendus esset vestitus, aliaque vitæ adminicula. Quid ergo? Nempe Deus quasi ex tribunali pronunciat posthac æruminosam fore hominum vitam: quia Adam tranquillo illo, felici, lætoque statu, ad quem conditus fuerat, indignum se præstiterit. Siquis objiciat multos esse inertes vel ignavos, nihil id obstat quominus sese maledictio ista in totum genus humanum diffundat. Neminem in tanta defidia torpere dico, qui non cogatur experiri hoc in omnes competere. Fugitant quidam molestias: plurimi & immunitatem, quoad in se est, captant: sed Dominus ad unum omnes jugo imposuit servitutis premit. Cæterum tenendum simul est, non singulis æquo imponi laborem, sed aliis plus, aliis minus. Ideo labor describitur universo corpori communis, non proprius cuique membro: nisi quatenus Domino placet ex communi malorum congerie singulis partiri certam mensuram. Interea notandum est, qui se placide subjiciunt ærumnis, eos gratum Deo obsequium præstare: si quidem crucis tolerantiæ conjuncta sit peccatorum cognitio, quæ eos ad humilitatem erudiat. Verum sola est fides quæ tale sacrificium offerat Deo; sed fideles, quo magis laborant in quærendo victu, majore profectu ad pœnitentiam stimulantur, seque ad carnis mortificationem assuefaciunt. quanquam sæpe filiis suis Deus, ne oneri succumbant, partem hujus maledictionis remittit. Quo etiam pertinet illud,

Pſal. 127. verſ. 2. illud, Surgent alii mane, ſero cubitum ibunt, comedent panem anguſtiæ: dabit autem Dominus dilectis ſuis ſomnum. quatenus ſcilicet per Chriſti gratiam reparantur quæ in Adam vitiata fuerant: pii Deum magis beneficum ſentiunt, ac paternæ ejus indulgentiæ dulcedine fruuntur. Sed quia in optimis quoque ſubigenda eſt caro, non raro contingit pios duris laboribus macerari, & interea eſurire. Ideo nihil melius quam præſentis vitæ ærumnis admonitos, peccata noſtra deflere: & levationem petere ex Chriſti gratia, quæ doloris acerbitatem non mitiget ſolum, ſed etiam dulci temperamento condiat. Porro non omnia incommoda enumerat Moſes, quibus ſe homo per peccatum implicuit: conſtat enim ex eodem prodiiſſe fonte omnes præſentis vitæ ærumnas, quas experientia innumeras eſſe oſtendit. Aëris intemperies, gelu, tonitrua, pluviæ intempeſtivæ, uredo, grandines, & quicquid inordinatum eſt in mundo, peccati ſunt fructus. Nec alia morborum prima eſt cauſa. idque Poëticis fabulis celebratum fuit: haud dubie quod per manus à patribus traditum eſſet. Unde illud Horatii, Poſt ignem ætherea domo Subductum, macies, & nova febrium Terris incubuit cohors: Semotique prius tarda neceſſitas Lethi corripuit gradum. Sed Moſes qui brevitati ſtudet, ſuo more pro communi vulgi captu attingere contentus fuit quod magis apparet: ut ſub exemplo uno diſcamus, hominis vitio inverſum fuiſſe totum naturæ ordinem. Siquis rurſum objiciat, nihil fere miſeriarum viris imponi quod non ad mulieres pertineat: reſpondeo, id conſulto fieri, ut diſcamus ex Adæ peccato communiter ad utrumque ſexum fluxiſſe

Rom. 5. verſ. 12. maledictionem: ſicuti teſtatur Paulus, omnes in Adam eſſe mortuos. Reſtat una quæſtio expedienda: quum prius, data ſpe veniæ, Deus ſe Adæ & uxori propitium oſtenderit, cur deintegro pœnam ab illis expetere incipiat. In illa certe ſententia, Semen mulieris percutiet caput ſerpentis, continebatur peccatorum remiſſio, & æternæ ſalutis gratia. Abſurdum vero eſt, Deum ex quo reconciliatus eſt, iram ſuam profequi reipſa. Ad hunc nodum ſolvendum inventa eſt diſtinctio duplicis remiſſionis, culpæ & pœnæ: cui annexum poſtea fuit ſatisfactionum commentum. Finxerunt Deum ſic abſolvere à culpa homines, ut pœnam retineat, pro judicii rigore eam ſumpturus, ſaltem temporalem. Sed qui pœnas exigi putarunt in compenſationem, præpoſteri fuerunt judiciorum Dei interpretes. Neque enim quid meriti ſint fideles, in ipſis caſtigandis Deus reputat, ſed quid illis in poſterum utile ſit: ac medici potius quam judicis partibus fungitur. Plena igitur non dimidia eſt abſolutio quam ſiliis ſuis impertit. Quod receptos in gratiam nihilominus punit, ejuſmodi caſtigatio medicinæ uſum habet in futurum tempus, non autem commiſſi peccati vindicta proprie cenſeri debet. Si rite conſideremus quantus ſit humani ingenii torpor, quanta deinde laſcivia, quanta contumacia, quanta levitas, & quam facilis oblivio: non mirabimur in eo ſubigendo Dei auſteritatem. Si verbis admoneat, non auditur: ſi addat verbera, ne ſic quidem multum promovet: ubi audiri contingit, caro nihilominus proterve calcitrat. Laſcivia deterior eſt obſtinata illa durities, quæ data opera ſe Deo opponit. Siquis ea ſit manſuetudine præditus, ut Deo morem gerere non detrectet: tamen poſt unum peccatum admiſſum, elapſus è Dei manu, mox eodem recidet niſi violenta manu retrahatur. Quare tenendum eſt axioma generale, miſerias omnes quibus ſubjecta eſt ac obnoxia hominum vita, neceſſaria eſſe exercitia, quibus nos Deus partim ad pœnitentiam ſollicitat, partim ad humilitatem erudit, partim reddit in poſterum cavendis peccati illecebris cautiores, & magis attentos. *Donec reverſaris.* Clauſulam miſeræ vitæ mortem fore denunciat: acſi diceret, per varias & continuas malorum ſpecies Adam ad extremum malorum omnium tandem venturum. Ita impletum fuit quod ante diximus, ſtatim à die transgreſſionis inchoatam fuiſſe Adæ mortem. Nihil enim aliud eſſe potuit maledicta hominis vita quam mortis initium. Sed ubi contra ſerpentem victoria, ſi mors extrema occupat? Neque enim aliud ſonant verba quam opprimendum à morte eſſe hominem. Ergo evaneſcit promiſſio nuper data, quando Adæ nihil à morte fit reliquum: adde quod ſpes recuperandæ ſaluti perquam tenuis & obſcura data erat. Equidem non dubito quin iſta verborum fulmina graviter afflixerint jam dejectos alioqui mœſtitia animos: ſed quum ſubita clade attoniti, non autem peccati notitia vere perculſi forent: non mirum eſt, Deum magis in pœnarum commemoratione inſiſtere, ut validius eos quaſi repetitis ictibus contundat. Quamvis obſcura perſe & debilis ſit conſolatio: fecit Deus ut ad ſpem eorum fulciendam, ne prorſus eos obrueret malorum gravitas, ſufficeret. Interea multiplici malorum congerie ipſos deprimi oportuit, donec veram & ſeriam pœnitentiam Deus exprimeret. Cæterum quanquam hic ponitur mors quaſi ultima linea, id referri ad hominem debet: quia in Adam nihil præter mortem repericur: ſed hoc modo ſtimulatur ad quærendum in Chriſto remedium. *Nam pulvis es.* Quum naturæ ſit quod Deus hic proponit, non vitii aut culpæ, non videtur mors homini fuiſſe accidentalis. Ideo quod prius dictum eſt, Morieris, quidam ſpiritualiter accipiunt: putantes, etiamſi Adam non peccaſſet, corpus ejus fuiſſe tamen ab anima ſeparandum. Sed quum clara ſit Pauli ſententia, omnes in Adam mori, ſicuti in Chriſto reſurgent: hoc quoque vulnus à peccato fuit inflictum. Nec vero difficilis eſt illius quæſtionis ſolutio, Cur Deus in pulverem reverſurum pronunciet, qui è pulvere ſumptus eſt. Nam ex quo in tantam dignitatem evectus fuerat, ut in eo fulgeret gloria imaginis divinæ, pene ſepulta erat terreſtris corporis origo. Nunc poſtquam divina & cæleſti excellentia nudatus eſt, quid reſtat niſi ut ipſo vitæ exitu, ſe terram eſſe agnoſcat? Hinc fit ut mortem horreamus: quia naturaliter expeti non poteſt diſſolutio, quæ adverſa eſt naturæ. Tranſiturus quidem fuit primus homo in meliorem vitam, ſi integer ſtetiſſet: verum nulla tunc fuiſſet animæ à corpore migratio, nulla corruptio, nulla interitus ſpecies, nulla denique mutatio violenta.

20. *Et vocavit Adam.*] Duplex poteſt eſſe lectio: prior, in tempore pluſquam perfecto, Vocaverat Adam. Eam lectionem ſi ſequimur, ſenſus Moſi ſerit, longe fuiſſe deceptum Adam, qui vitam ſibi & poſteris promiſerit ab uxore, quam poſtea ſenſit eſſe mortiferam. Eſt autem Moſi uſitatum (ut jam vidimus) non ſervata hiſtoriæ ſerie, ſubjicere quæ ordine priora erant. Si legas in tempore præterito, licebit vel in bonam vel in malam partem accipere. Sunt enim qui exiſtimant Adam, ſpe lætioris ſtatus erectum, quia Dominus caput ſerpentis vulnerandum à mulieris ſemine promiſerat, vocaſſe eam vivificam. Ita laudabilis, imo heroica eſſet animi fortitudo: quando non poterat ſine ardua & difficili lucta matrem viventium cenſere, quæ antequam ullus homo natus foret, omnes æterno interitu perdiderat. Sed quia vereor ne hæc ſit debilis conjectura, expendant lectores, annon potius taxare voluerit Moſes Adæ incogitantiam, qui demerſus in morte, uxori tamen adeo ſuperbum nomen indiderit. Nec tamen dubito quin reſpiraverit, & collegerit animum, audita Dei voce de vita proroganda: & tunc quaſi recreatus, uxorem à vita nuncupaverit: ſed non ſequitur, exacta ad verbum Dei fide, triumphaſſe de morte, ut debuit. Sic igitur interpretor, ex quo mortem præſentem evaſerat, ſolatio aliquo levatum, uxoris nomine celebraſſe.

C

21. *Fecitque Dominus Deus Adæ.*] Craſſa Minerva exponit Moſes, Dominum hanc Adæ & ejus uxori induſtriam dediſſe, ut ſibi veſtes ex pellibus conficerent. Neque enim ſic accipere convenit ejus verba, quaſi fuerit Deus pelliſex aut miniſter ad veſtes conſuendas. Jam vero credibile non eſt, pelles illas fortuito eſſe oblatas: ſed quum animalia prius deſtinata eſſent in ipſorum uſum, nova neceſſitate compulſos, macta ſſe aliqua quorum ſe corio tegerent: atque ad hoc capiendum conſilium, divinitus fuiſſe inductos. quare Deum Moſes auctorem nominat. Cur autem pelliceis veſtibus induerit ipſos Dominus, hæc mihi videtur eſſe ratio: quia ex ea materia confectæ, belluinum quiddam magis ſaperent, quam lineæ, vel laneæ. Voluit ergo Deus in tali habitu primos homines, non ſecus ac prius in nuditate, conſpicere ſuam fœditatem: atque ita peccati reminiſci. Interea negandum non eſt quin exemplar nobis propoſuerit, in quo nos ad frugalem ac minime ſumptuoſum veſtitum aſſueſaceret. Atque utinam hoc delicatis in mentem veniret, quibus nulla videtur eſſe ornatus mundities niſi quæ luxu diſtluit. Non quod præciſe damnandus ſit quilibet ornatus: ſed quia ubi curioſe appetitur immodica elegantia & ſplendor, nun tantum ſpernitur magiſter iſte qui veſtitum eſſe voluit inſigne verecundiæ, ſed bellum quodammodo adverſus naturam geritur.

22. *Ecce, Adam quaſi unus.*] Ironica exprobratio, qua Deus cor hominis non tantum pungere, ſed penitus confodere vult. Nec vero crudelitet miſero & afflicto inſultat, ſed pro morbi neceſſitate violentius remedium adhibet. Nam etſi confuſus erat Adam, & attonitus ſua calamitate: mali tamen cauſam non ſatis reputabat, ut ſuperbiæ pertæſus, veram humilitatem amplecti diſceret. Adde quod non in ipſum magis quam in poſteros hac ſubſannatione invectus eſt Deus, ut modeſtiam commendaret omnibus ſeculis. Particula Ecce, denotat ex re præſenti ferri ſententiam. Et ſane triſte horrendumque ſpectaculum erat, eum in quo nuper fulgebat divinæ imaginis decus, ſub fœtidis pellibus latere, ut probrum ſuum obtegeret: ac plus eſſe decoti in pecude mortua quam in homine vivo. Particula quæ mox additur, *Sciens bonum & malum*, cauſam tantæ miſeriæ & originem exprimit: quod ſcil. Adam ſorte ſua non contentus, altius tentaverit aſcendere quam licebat. acſi dictum eſſet, Vide nunc quo te præcipitaverit tua ambitio, & perverſa illicitæ ſcientiæ appetentia. Quanquam ne colloquio quidem Dominus eum dignatur, ſed contemptum producit, majoris infamiæ cauſa. Sic chalybeam ipſius ſuperbiam contundi oportuit, ut tandem in ſe deſcendens, magis ac magis ſibi diſpliceret. *Unus ex nobis.* Quidam pluralem numerum ad Angelos referunt, acſi hominem Deus, terreſtre & deſpectum animal, à cæleſtibus creaturis diſcerneret: ſed videtur longe petita capoſitio. Simplicior erit ſenſus, ſi ita reſolvas, Poſthac Adam mihi erit ſimilis ut ſimus inter nos ſocii. Quod autem eliciunt ex hoc loco Chriſtiani doctrinam de tribus in Deo perſonis, vereor ne ſatis firmum ſit argumentum. Neque enim eadem eſt quæ ſuperioris loci ratio, Faciamus hominem, &c. quoniam hic Adam ſub dictione Nobis, comprehenditur: illic autem aliqua in Dei eſſentia diſtinctio caprimitur. *Nunc autem ne forte.* Defectiva eſt oratio, quam ſic implendam arbitror, Nunc reſtat ut in poſterum arceatur à fructu vitæ. Nam his verbis monetur Adam, non unius momenti, vel paucorum dierum fore pœnam cui addictus eſt: ſed à beata vita ſemper fore exulem. Falluntur qui hic quoque ironiam eſſe putant: acſi negaret Deus profuturam eſſe homini arborem vitæ, quamvis ea veſcatur. potius enim ſymbolo eum privans, rem ſimul aufert. Scimus quid valeant ſacramenta: & ſupra dictum fuit, arborem datam eſſe in vitæ pignus. Quare ut ſe priore vita privatum eſſe intelligat, ſolennis excommunicatio additur. non quod illi Dominus ſpem omnem ſalutis præcidere voluerit: ſed tantum auferre quod dederat, ut nova alibi ſubſidia quæreret. Reſtabat autem in ſacrificiis expiatio, quæ illum reſtitueret in vitam quam perdiderat. Prius communicatio cum Deo, Adæ vivifica erat: ex quo inde alienatus eſt, vitam recuperare oportuit in Chriſti morte, cujus vita tunc vivebat. Certum quidem eſt, non potuiſſe hominem, etiamſi totam arborem voraſſet, vita frui, Deo invito: ſed Deus, inſtitutionis ſuæ reſpectu, vitam conjungit cum externa teſſera, donec inde ablata ſit promiſſio. Neque enim fuit unquam in arbore vis aliqua intrinſeca: ſed quatenus illius uſu gratiam ſuam homini obſignaverat, vivificam facit: ut certe nihil fallacitet nobis figurat, ſed cum effectu (ut aiunt) ſemper nobiſcum loquitur. In ſumma, voluit Deus fiduciæ materiam quam dederat, ex hominis manibus excutere, ne ſibi de vitæ perpetuitate, quam amiſerat, ſpem inanem fingeret.

23. *Emiſit eum Dominus.*] Hic Moſes partim quod de pœna homini inflicta dixerat, proſequitur: partim Dei bonitatem commendat, qua mitigatus fuit judicii rigor. Clementer exilium Adæ mitigat Deus, quum illi domicilium in terra adhuc reſiduum facit: & victum illi ex cultura, quamvis laborioſa, aſſignat. Inde enim colligit Adam, aliquam ſibi heri à Domino curam ſui, quæ paterni amoris teſtimonium eſt. De pœna vero iterum Moſes concionatur, ubi narrat expulſum fuiſſe hominem, & Cherubim oppoſitos cum lamina gladii verſatilis, qui ab ingreſſu horti ipſum arcerent. Dicit Moſes locatos fuiſſe Cherubim à plaga Orientali: qua parte ſcilicet patebat homini acceſſus, niſi prohibitus fuiſſet. Additus fuit ad terrorem gladius verſatilis, vel utrimque acutus. Quanquam Moſes nomen ex preſſit quod à candore vel ardore deductum eſt. Ergo Deus vitam Adæ concedens, & alimenta ſuppeditans, ita beneficium ſuum teſtringit, ut illi ſemper ante oculos verſentur aliqua iræ ſuæ indicia: ut ſibi ad vitam unde excidit, per infinitas miſerias, per temporale exilium, & per mortem tranſeundum eſſe ſubinde reputet. Tenendum enim eſt memoria quod diximus, non ita dejectum fuiſſe Adam, quin ſpes veniæ illi relicta fuerit. Exulabat ab illo regio palatio, cujus dominus fuerat, ſed alibi locum adeptus eſt quem inhabitaret: deliciis prioribus orbatus erat, ſed qualiſcunque adhuc victus ſuppetit: ab arbore vitæ erat excommunicatus, ſed novum remedium offertur in ſacrificiis. Quidam gladium verſatilem exponunt, qui non ſemper directa acie in hominem vibretur, ſed oſtendat interdum palam laminæ, ad dandum pœnitentiæ locum. ſed intempeſtiva eſt allegoria: quum Dei conſilium fuerit, hominem prorſus ab horto excludere, ut vitam alibi quæreret. Ex quo autem beata illa ubertas loci & amœnitas fuit abolita, ſupervacuus fuit gladii terror. Per Cherubim non dubium eſt quin Angelos Moſes deſignet. atque in eo ſe ad populi ſui captum accommodat. Jufſerat Deus ad Arcam fœderis ſtatui duos Cherubim, qui operculum alis ſuis tegerent. Iden ſæpe dicitur ſedere inter Cherubim. Quod hac forma pingi voluit Angelos, non dubium eſt quin pet indulgentiam id veteris populi ruditati fuerit datum. Puerilibus enim rudimentis indigebat ætas illa, ut Paulus docet, Gal 4. verſ. 3. Inde Moſes nomen quod Angelis tribuit, mutuatus eſt: ut homines aſſueſaceret ad genus revelationis, quod ipſe divinitus acceptum, fideliter per manus tradiderat. Nam Deus quod utile eſſe noverat populo ſuo, volebat in ſanctuario cognoſci. Et certe hæc nobis tenenda ratio, ut noſtræ infirmitatis conſcii, non tentemus ſine adminiculis in cælum evolare. Fiet enim alioqui ut in medio curſu evaneſcant omnes noſtri ſenſus. Scalæ autem & vehicula tunc erant ſanctuarium, arca fœderis, altare, & menſa

mensa cum suis appendicibus. Porro vehicula & scalas voco, quia in eum finem minime ordinata erant ejusmodi symbola, ut Deum fideles tabernaculo quasi ergastulo includerent, vel affigerent terrenis elementis: sed ut congruis aptisque rudimentis adjuti, sursum contenderent. Sic David & Ezechias, spirituali intelligentia vere præditi, longe aberant à crassis illis figmentis, ut Deum loco affigerent. Neque tamen dubitant Deum vocare qui sedet vel habitat inter Cherubim, ut se & reliquos in Legis pædagogio contineant. Denique hoc loco Angeli vocantur eadem ratione Cherubim, qua corporis Christi nomen ad sacrum Cœnæ panem transfertur. Quod ad etymologiam spectat, ne inter Hebræos quidem convenit. Opinio magis recepta est, ב esse servilem literam, & notam similitudinis: ideo tantundem valere Cherub, acsi diceretur, Quasi puer. Sed quia repugnat Ezechiel, qui communiter pro diversis figuris usurpat: rectius, meo judicio, sentiunt qui tradunt generale esse nomen. Cæterum ad Angelos referri, plus satis notum est. Unde & Ezech. 28. vers. 14. superbum Tyri Regem hoc titulo insignit, primario Angelo eum comparans.

Caput IV.

ET Adam cognovit Hava uxorem suam: quæ concepit, & peperit Cain: & dixit, Acquisivi virum à Jehova.

2. Et addidit parere fratrem ejus Ebel: fuit autem Ebel pastor ovium, & Cain fuit cultor terræ.

3. Et fuit, à fine dierum adduxit Cain de fructu terræ oblationem Jehovæ.

4. Et Ebel etiam ipse adduxit de primogenitis pecudum suarum, & de adipe earum: & respexit Jehova ad Ebel, & ad oblationem ejus:

5. Ad Cain vero & ad oblationem ejus non respexit: iratus est itaque Cain valde, & concidit vultus ejus.

6. Et dixit Jehova ad Cain, Utquid excanduisti? & utquid concidit vultus tuus?

7. Annon si recte egeris, erit acceptatio? & si non bene egeris, in foribus peccatum cubat: & ad te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ei.

8. Et loquutus est Cain ad Ebel fratrem suum: & accidit quum essent in agro, insurrexit Cain contra Ebel fratrem suum, & occidit eum.

9. Et dixit Jehova ad Cain, Ubi est Ebel frater tuus? Et ait, Nescio: numquid custos fratris mei sum ego?

10. Et dixit, Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me è terra.

11. Nunc itaque maledictus eris è terra, quæ aperuit os suum ut exciperet sanguinem fratris tui è manu tua.

12. Quando coles terram, non addet ut det vim suam tibi: vagus & profugus eris in terra.

13. Et dixit Cain ad Jehovam, Major est punitio mea quam ut feram.

14. Ecce, ejecisti me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, eroque vagus & profugus in terra: & erit, ut quicunque invenerit me, occidat me.

15. Et dixit ei Jehova, Propterea quicunque occiderit Cain, septuplum vindicabitur. Et posuit Jehova signum in Cain, ne percuteret eum ullus qui inveniret eum.

16. Et egressus est Cain à facie Jehovæ, & habitavit in terra Nod ad Orientem Heden.

17. Cognovit autem Cain uxorem suam: quæ concepit, & peperit Hanoch: ædificavitque civitatem, & vocavit nomen civitatis nomine filii sui Hanoch.

18. Porro natus est ipsi Hanoch Hirad, & Hirad genuit Mehujaël, & Mehujaël genuit Methusaël, & Methusaël genuit Lemech.

19. Et accepit sibi Lemech duas uxores: nomen unius, Hada; & nomen secundæ, Silla.

20. Et genuit Hada Jabal: ipse fuit pater inhabitantis tentorium, & pecoris.

21. Et nomen fratris ejus, Jubal: ipse fuit pater omnis contrectantis citharam & organum.

22. Et Silla etiam ipsa peperit Thubal-Cain, polientem omne opificium æreum & ferreum: & soror Thubal-Cain, fuit Nahama.

23. Et dixit Lemech uxoribus suis Hada & Silla, Audite vocem meam uxores Lemech, auscultate sermonem meum, Quoniam virum occidero in vulnere meo, & adulescentem in livore meo.

24. Quia septuplo vindicabitur Cain, & Lemech septuagies septies.

25. Cognovit autem Adam rursum uxorem suam: quæ peperit filium, & vocavit nomen ejus Seth: Quia posuit mihi, *inquit*, Deus semen alterum pro Ebel: quia occidit eum Cain.

26. Et ipsi Seth etiam natus est filius, & vocavit nomen ejus Enos: tunc cœptum est invocari nomen Domini.

1. *Et Adam cognovit Hava uxorem suam.*] Nunc propagationem generis humani describere incipit Moses: qua in historia notare operæpretium est, non abolitam fuisse peccato illam Dei benedictionem, Crescite & multiplicamini: neque id modo, sed confirmatum divinitus fuisse Adæ posteris, ut à sobole generanda non abhorreret. Sicut autem agnovit Adam jo ipso generationis principio veræ paternam iræ Dei moderationem: ita coactus est iterum à dum Cain Abe- poſtea gustare amaros peccati sui fructus

Abelem occidit. Verum ſequamur Moſis contextum. Cognoſcendi verbo congreſſum viri cum uxore, rem per ſe pudendam, verecunde inſinuat. quanquam coitus fœditas inter peccati fructus numeranda eſt: quia naſcitur ex libidinis intemperie. porro licet non exprimat Moſes gemellos fuiſſe Cain & Abel, mihi tamen probabile videtur. Poſtquam enim dixit ex primo conceptu Hevam genuiſſe primogenitum: paulo poſt ſubjicit, alterum quoque peperiſſe. ita duplicem partum commemorans, nonniſi de uno concubitu loquitur. Qui aliter ſentiunt, fruantur illi ſuo judicio: mihi tamen videtur rationi conſentaneum, quum replendus eſſet mundus incolis, non modo Cain & Abel uno conceptu fuiſſe genitos, ſed plurimos etiam poſtea, tam maſculos quam fœminas. *Acquiſivi virum.* Verbum quo utitur Moſes, tam acquirere quam poſſidere ſignificat: & parum refert ad præſentem contextum utrovis modo accipias. Magis in eo inſiſtere convenit, cur dicat ſe acquiſiviſſe את יהוה quidam exponunt Cum Domino, hoc eſt, Dei beneficio, vel per Dei gratiam: acſi Heva Domino acceptam ſobolis benedictionem referret: ut Pſal. 127. verſ. 3. habetur, Domini munus, fructus ventris. Eodem recidit altera interpretatio, Poſſedi à Domino. Perinde valet quod vertit Hieronymus Per Dominum. Tres, inquam, iſtæ lectiones huc tendunt, in ſumma, Hevam agere Domino gratias quod ex ea ſuſcitare cœpiſſet poſteros, quum æterna ſterilitate non minus quam interitu digna eſſet. Alii ſubtilius, Poſſedi virum Dei: quaſi intelligeret Heva, jam ſe habere illum ſibi divinitus promiſſum ſerpentis victorem. Ita fidem Hevæ laudant, quod promiſſionem fide amplexa ſit, de conterendo per ſemen ſuum diaboli capite. Putant autem in perſona vel individuo fuiſſe deceptam, quia ad Cain reſtrinxerit quod de Chriſto promiſſum erat. Mihi autem genuinus hic videtur ſenſus eſſe, quod dum ſibi gratulatur Heva de filio nato, eum Deo tanquam generis ſui primitias offerat. Proinde vertendum cenſeo, Acquiſivi Domino virum. quod ad phraſin Hebraicam propius accedit. Virum porro appellat infantem recens natum, quia genus humanum, quod ſua culpa tam ipſa quam maritus perdiderant, renovatum aſpicit.

2. *Et addidit parere fratrem ejus Abel.*] Unde nomen Cain deductum ſit, & quo reſpectu illi impoſitum, ſatis notum eſt. Dixit enim mater קניתי virum: idcoque Cain appellat. De Abel non idem exprimitur. Quod putant quidam contemptim ſic vocatum fuiſſe à matre, acſi foret ſupervacuus & prope inutilis: prorſus abſurdum eſt. tenebat enim memoria, quorſum tenderet fœcunditas: nec illi excideraț benedictio iſta, Craſcite, &c. Rectius (meo judicio) dicemus, quum in primogenito teſtata eſſet Heva gaudium quod repente affulſerat, & Dei gratiam celebraſſet: poſtea in altero partu, in memoriam rediiſſe humani generis miſerias. Et certe nova Dei benedictio non vulgaris lætitiæ materia erat. Sed rurſum poſteros rot malis devotos quorum ipſa cauſa erat, ſine acerbiſſimo dolore intueri non potuit: ejus ergo triſtitiæ monumentum extare voluit in nomine ſecundi filii, & commune ſpeculum proponere, quo totam progeniem humanæ vanitatis admoneret. Quod præpoſterum Hevæ judicium nonnulli taxant, quia probum & ſanctum filium alterius nequam & ſcelerati comparatione, velut rejectitium habuerit, non recipio. Habet enim Heva cur ſibi in primogenito gratuletur: nihil autem vitii eſt, quod in ſecundo memoriale ſibi & omnibus aliis ſtatuit propriæ vanitatis, ut ſe aſſidua malorum ſuorum reputatione exercuant. *Et fuit Abel paſtor.* Duxeritne ambo uxores, & ſeparatam quiſque domum habuerit, non refert Moſes. Maneat igitur hoc nobis incertum. quanquam magis probabile eſt, Cain fuiſſe conjugatum priuſquam fratrem occideret: quia paulo poſt ſubjiciet Moſes, cognita uxore genuiſſe liberos. de conjugio nulla illic mentio. Genus vitæ ſanctum per ſe & laudabile uterque ſequutus eſt. Terræ enim cultura à Deo mandata erat: paſcendi autem pecoris labor non minus honeſtus quam utilis: tota denique vita ruſticana innoxia & ſimplex, & ad verum naturæ ordinem maxime accommodata. Hoc igitur primo habendum, quod ſe ambo exercuerint in laboribus Deo probatis, & ad communem vitæ humanæ uſum neceſſariis. Unde colligitur, probe à patre fuiſſe inſtitutos. Id melius confirmat ſacrificandi ritus, quia teſtatur fuiſſe aſſuefactos ad Dei cultum. Erat igitur vita Cain optime in ſpeciem compoſita: utpote qui pietatis officia erga Deum coleret, victumque ſibi & ſuis quæreret honeſto & juſto labore: quemadmodum frugi & modeſtum patremfamilias decet. Porro memoria hic repetere convenit quod prius diximus, primos homines ſic privatos fuiſſe divini amoris ſacramento, quum à vitæ arbore fuerunt prohibiti, ut ſpes illis ſalutis relicta fuerit, cujus in ſacrificiis teſſeras habebant. Sic enim tenendum eſt, non fuiſſe temere excogitatum ab illis ſacrificandi morem, ſed traditum divinitus. Nam quum dignitatem ſacrificii Abel acceptam fidei referat Apoſtolus: ſequitur, illum non abſque Dei mandato obtuliſſe. Deinde ab initio mundi verum fuit, quibuslibet victimis præſtare obedientiam, matremque eſſe omnium virtutum. Unde ſequitur, præceptum fuiſſe à Deo quicquid illi placuit. Tertio, quum Deus ſemper ſimilis fuerit ſui, non dicemus unquam fuiſſe ſimpliciter delectatum carnali & externo cultu. Grata autem habuit illa primi ſeculi ſacrificia. Sequitur ergo ſpiritualiter illi fuiſſe oblata: hoc eſt, non inanibus ceremoniis luſiſſe ſanctos Patres, ſed aliquid comprehendiſſe altius & magis reconditum: quod abſque verbo non poterant. Sola enim eſt interior veritas, quæ in ſignis externis nativum & rationalem Dei cultum à craſſo & ſuperſtitioſo diſcernit. Et certe non aliter poterant ſincere animum adjucere ad Deum colendum, quam de ejus benevolentia reddiri certiores: quia ex ſenſu fiduciaque bonitatis ejus, voluntaria reverentia naſcitur: contra vero quiſquis illum ſibi infeſtum ſentit, metu ipſo & horrore ad fugiendum cogitur. Videmus ergo ut Deus arborem vitæ eripiens, in qua primum dederat gratiæ ſuæ pignus, aliis tamen modis propitium ſe hominibus teſtetur ac declaret. Imo dum eos ſibi adoptat cultores, ſimul ad ſalutem invitat. Si quis objiciat, ſua Gentibus quoque fuiſſe ſacrificia, quibus nulla ſuberat pura & ſolida religio: ſolutio in promptu eſt, mentionem hic de ſacrificiis fieri legitimis & Deo probatis, quorum adulterina imitatio poſtea ad Gentes defluxit. Etſi autem hic ponitur nomen מנחה, quod proprie munus ſignificat, & ideo ad oblationes qualibet generaliter extenditur: colligere tamen licet, duas ob cauſas ab initio Patribus datum fuiſſe ſacrificandi mandatum: nempe ut commune eſſet pietatis exercitium, dum ſe profitebantur Dei eſſe, ſuaque omnia illi ferebant accepta: deinde ut commonefierent expiatione aliqua opus eſſe ad ſe Deo reconciliandos. Quod ex ſuis quiſque facultatibus aliquid offert, ſolennis eſt gratiarum actio: acſi teſtatum facerent ex re præſenti, Deo ſe debere quicquid habent. Sed pecudum mactatio, & effuſio ſanguinis aliquid præterea continet: ut mortem ſcilicet ante oculos habeant, & tamen concipiant propitiandi Dei fiduciam. De ſacrificiis Adæ nulla hic mentio.

Hebr. 11. verſ. 4.

1 Sam. 15. verſ. 22.

4. *Reſpexit Dominus ad Abel, &c.*] Reſpicere Deus hominem dicitur, quem favore ſuo dignatur. Cæterum notanda eſt ſeries hic à Moſe poſita. neque enim ſimpliciter narrat placuiſſe Deo quem illi cultum Abel exhibebat: ſed exordium à perſona facit. quo ſignificat, nullam fore operibus gratiam coram

coram Deo, niſi quorum auctor jam ante gratus ſit, ac probetur. Nec mirum: Homo enim videt quæ apparent, Deus autem cor intuetur: 1 Sam. 16:9. ideo non aliunde opera æſtimat quam ex ipſo cordis fonte. Unde etiam fit ut impiorum victimas, quamlibet in oculis hominum ſplendeant, non modo ſpernat, ſed etiam abominetur. Nam ſi ſolo tactu contaminat ſuis ſordibus res alioqui puras & mundas, qui in anima ſua pollutus eſt: quomodo non immundum eſſet quod ab ipſo prodit? Quum Deus larvatam juſtitiam qua gloriabantur Judæi, repudiat, objicit per ſuum Prophetam, manus eorum plenas eſſe ſanguine. Jeſaiæ 1. verſ. 15. Eadem ratione pugnat Aggæus contra hypocritas. Species ergo externa operum, quæ oculos noſtros, qui nimis carnei ſunt, deludere poteſt, coram Deo evaneſcit. Neque vero id profanos quoque homines latuit: quorum Poetæ, dum ſana & rite compoſita mente loquuntur de cultu Dei, & mundum cor & puras manus requirunt. Hinc etiam apud omnes gentes ſolennis lavandi ritus ante ſacrificia. Jam quum alibi *Act. 15. verſ. 9.* teſtetur Spiritus per os Petri, fide purificari corda, nec aliam fuiſſe puritatem ſanctis Patribus: non fruſtra colligit Apoſtolus, fide præſtantiores fuiſſe hoſtias Abel. Itaque primo tenendum eſt, quæcunque ante fidem fiunt opera, qualiſcunque in illis appareat juſtitiæ ſplendor, nihil eſſe niſi meram peccata (quoniam à ſua radice ſunt inquinata) & fœtere coram Domino, cui ſine interiori cordis munditie placere nihil poteſt. Utinam hoc reputarent qui ad recipiendam Dei gratiam idoneos proprio liberi arbitrii motu homines fingunt: nulla certe controverſia reſtaret quin Deus gratis juſtificet homines, idque per fidem. Fixum illud manere oportet: nullum in Dei judicio haberi operum reſpectum, donec in gratiam receptus ſit homo. Alterum perinde certo conſtat: quum Deo exoſum ſit totum humanum genus, non alium eſſe reconciliandæ gratiæ modum niſi per fidem. Porro quum fidei gratuitum ſit Dei donum, & peculiaris Spiritus illuminatio: inde colligere promptum eſt, mera ejus gratia nos prævenire non ſecus acſi nos à morte excitaret. Quo etiam ſenſu dixit Petrus, Deum eſſe qui fide corda purificat. Neque enim id quadraret niſi fidem ipſe formaret in cordibus hominum, ut vere ejus donum cenſeatur. Nunc videndum eſt quomodo ſit puritas effectus fidei. Inſulſa nimis & jejuna eſt philoſophia, cauſam afferre, quia nonniſi fide homines Deum remuneratorem quærunt. Qui ſic loquuntur, prorſus ſepelunt Dei gratiam quam Spiritus præcipue commendat. Frigide etiam alii, qui tantum propter regenerationis donum, fide nos purgari docent, ut accepti ſimus Deo. Neque enim dimidiam modo partem omittunt, ſed ædificant abſque fundamento: quando propter generis humani maledictionem gratuita reconciliatio præcedat neceſſe eſt. Deinde quando nunquam ita ſuos regenerat Deus in hoc mundo, ut perfecte ipſum colant, nullum hominis opus ſine expiatione gratum eſſe poteſt. Atque huc ſpectavit legalis lavandi ceremonia, ut diſcerent homines, quoties vellent ad Deum accedere, aliunde petendam eſſe munditiem. Ergo tunc demum ad noſtra obſequia reſpiciet Deus, ubi nos in Chriſto reſpexerit.

5. *Ad Cain vero & ad oblationem ejus non reſpexit.*] Non dubium eſt quin ſe geſſerit Cain ut ſolent hypocritæ: nempe Deum placare defunctorie voluit externis ſacrificiis; ſe autem totum illi dicare, minime curavit. Atqui legitimus hic cultus eſt, offerre nos Deo ſpirituales victimas. Talem hypocriſin quum Deus videat cum craſſo & manifeſto ſui ludibrio conjunctam eſſe, non mirum eſt ſi oderit, ac tolerare nequeat: unde etiam ſit ut reſpuat eorum opera qui ſeipſos illi ſubtrahunt. Nos enim vult primum ſibi habere addictos: deinde in ejus obedientiæ teſtimonium opera noſtra quærit, ſed nonniſi ſecundo loco. Notandum autem, figmenta omnia, quibus & Deo & ſibipſis homines illudunt, infidelitatis eſſe fructus. Accedit & ſuperbia, quod inſtreduli contempta Mediatoris gratia, ſecure in Dei conſpectum ſe ingerunt. Stulte communiſcuntur Judæi, ingratas fuiſſe oblationes Caio, quia Deum opimis ſpicis defraudant, ſteriles ſolum vel ſemiplenas maligne offerret. Altius & magis reconditum fuit malum, illa ſcilicet, quam dixi, cordis immundities: ſicuti econverſo ſacrificiis Abel gratiam conciliare non potuit fœtidus ex combuſtione adipis nidor, ſed bono fidei odore perfuſa, ſuaviter olebant. *Et iratus eſt Cain vehementer.* Quæritur hoc loco unde intellexerit Caio, fratris oblationibus ſuas fuiſſe poſthabitas. Hebræi ſuo more ad divinationem confugiunt, & fingunt ſacrificium Abel igne cæleſti fuiſſe conſumptum: ſed quia tantum licentiam nobis permittere non debemus ut miracula commiſcamur quæ nullum habent ex Scripturis teſtimonium, faceſſant Judaicæ fabulæ. Ac magis quidem probabile eſt, ex continuo rerum ſucceſſu Cain judicium feciſſe, cujus meminit Moſes. Vidit fratri melius eſſe quam ſibi: inde collegit, Deum illi eſſe propitium, ſibi infenſum. Scimus autem hypocritis nihil pluris eſſe benedictione terrena, nihilque magis eſſe cordi. Porro nobis in perſona Cain pingitur imago impii hominis, qui tamen juſtus vult haberi, imo ſibi inter ſanctos locum primum arrogat. Tales externis quidem operibus ſtrenue ad Deum promerendum incumbunt: ſed cor retinentes fraude implicitum, nihil quam larvas illi opponunt: ut in laborioſo eorum & anxio cultu nihil ſit ſincerum, ſed merus duntaxat fucus. Poſtquam nihil ſe proficere vident, produnt occultum animi ſui virus: neque enim tantum obſtrepunt Deo, ſed erumpunt in furorem manifeſtum: adeoque, ſi in ipſis eſſet, libenter eum detraherent è ſolio cæleſti. Superbia hæc omnibus hypocritis eſt ingenita, ut Deum obſequii ſpecie ſibi obnoxium habere velint. quia effugere non poſſunt ejus imperium, blanditiis eum mulcere tentant, ſed quaſi puerum: interea quum magni faciant fictitias ſuas nugas, Deum ſibi valde injurium eſſe putant, niſi applaudat. Ubi vero pronunciat frivolas & nihili ſibi eſſe, fremere primum & tandem furere incipiunt. Sola quidem illis obſtat impietas quominus Deum ſibi concilient: ſed vellent pro ſua libidine cum Deo paciſci. Ubi hoc negatur, furioſa indignatione ardent, quam adverſus Deum conceptam in ejus filios evomunt. Ita quum Deo iratus eſſet Cain, rabies ejus in fratrem innoxium effuſa eſt. Quod dicit Moſes, *vultum ejus concidiſſe* (nam pluralis numerus apud Hebræos in hoc nomine pro ſingulari capitur) ſignificat, non ſubito tantum iracundiæ fervore luiſſe correptum: ſed aluiſſe ex lenta triſtitia malignum affectum, ut livore contabeſceret.

6. *Dixit Dominus ad Cain.*] Nunc Deus aggreditur ipſum Cain, citatque ad ſuum tribunal, ut intelligat miſer nihil ſe proficere tumultuando. Vult ſuis ſacrificiis haberi honorem: quia non impetrat, furioſe iraſcitur. Interim non cogitat ſe propria culpa non eſſe voti compotem. nam ſi malum inteſtinum agnoſceret, jam deſineret expoſtulare cum Deo, & in fratrem innoxium furere. Quomodo loquutus ſit Deus, non exprimit Moſes: ſive oblata fuerit viſio, ſive oraculum è cælo audierit, ſive arcana inſpiratione fuerit admonitus: ſenſit divino ſe judicio conſtringi. Trahere hoc ad Perſonam Adæ, quod Dei Propheta & interpres fuerit in arguendo filio, coactum eſt, atque etiam frigidum. Audio quid obtendant boni viri, nec minori pietate quam doctrina præditi, qui talibus commentis ludunt: illis in animo eſt ornare externum verbi [illegible] inſuper, anſamque præcidere Satanæ præſtigiis [illegible] ſub revelationum colore inſinuat[illegible]

esse utilius fateor quam sub ordine prædicationis Scripturæ in obsequio continert pias mentes, ne Dei verbum in erraticis speculationibus quærant. Sed animadvertere licet, oraculis proditum fuisse Dei verbum ab initio, ut postea per manus hominum administratum, plus revereutiæ haberet. Fateor etiam Adæ injunctam fuisse docendi provinciam: neque dubito quin suos liberos sedulo admonuerit: verum Mosis verba nimis violenter constringunt, qui non aliter cogitant loquutum esse Deum quam per suos ministros. Potius statuamus, antequam consignata esset publicis tabulis cælestis doctrina, sæpe Deum extraordinariis modis patefecisse voluntatem suam: atque hoc fuisse fundamentum, quod sulciebat verbi reverentiam: doctrinam vero per manus hominum proditam, instar ædificii fuisse. Certe quam extenuet commentum illod vim divinæ objurgationis, me tacente omnes agnoscunt. Ergo sicuti prius Adæ auribus vox Dei insonuerat, ut certo sentiret Deum loqui: ita & nunc ad Cain dirigitur.

7. *Annon si recte egeris.*] His verbis Cain objurgat Deus, quod indigne succenseat: quando totius mali culpam ipse sustinet. Stulta enim querimonia & indignatio erat, quod sacrificia non placerent, quorum vitium corrigere non studebat. Sic impii omnes, postquam diu multumque contra Deum exarserint, tandem Dei judicio coarguuntur, ut frustra mali causam alio exonerare cupiant. Græci interpretes hoc loco procul recedunt à genuino Mosis sensu. Quum nullæ essent illo seculo notæ vel puncta quibus Hebræi pro vocalibus utuntur, proclivior in vocum affinitate in errorem seosum fuit lapsus. Cæterum, quia de eorum errore cuivis in lingua Hebraica mediocriter versato non difficile judicium est, in ejus refutatione non insistam. Quanquam & linguæ Hebraicæ periri non parum inter se differuntur, duntaxat quod unam vocem: Græci enim totam sententiam mutant. Sed inter quos de contextu & summa orationis convenit, dissidium est de verbo שאת, quod est quidem imperativi modi, sed in substantivum nomen resolvi debet. Neque vero in eo est nodus: sed quum verbum נשא nunc levare, nunc tollere vel remittere, nunc offerre, nunc accipere significet, ut quisque hoc vel illo sensu exponat, ita inter se omnes variant. Quidam ex doctoribus Hebræis ad vultum referunt, acsi futuram ejus levationem Deus promitteret, qui tunc mœrore dejectus erat. Alii ex Hebræis trahunt ad remissionem peccatorum: acsi dictum esset, Benefac, & veniam impetrabis. Sed quia illi satisfactionem imaginantur quæ gratuitæ veniæ derogat, longe à Mosis sensu dissident. Propius ad verum accedit tertia expositio, levationem pro honore accipi, in hunc modum, Non est quod fraterno honori invideas: quia si te recte gesseris, in eundem bonoris gradum te quoque evehet Deus, qui nunc tuis peccatis offensus, ignominiæ damnavit. sed ne hæc quidem mihi probatur. Subtilius alii philosophantur, quod habiturus sit Cain Deum propitium, & ejus gratia sublevandus sit, si ex fide afferat cordis puritatem cum externis sacrificiis: quibus ego quidem permitto sensu suo frui: sed vereor ne parum solidum sit quod volunt. Hieronymus vertit, Recipies: intelligens Deum mercedem promittere puro & legitimo cultui, qualem exigit. Recitatis aliorum sententiis, nunc mihi liceat proferre quod melius convenire judico. Primo, verbum שאת tantundem valet atque acceptio, opponiturque rejectioni. Deinde quando de re subjecta habetur sermo, de sacrificiis dictum interpretor, quod Deus illa suscipiet obi rite oblata fuering. Agnoscunt Hebraicæ linguæ periri nihil hic esse vel coactum, vel à genuina verbi significatione remotum. Jam ipsa rei series eodem nos ducit: quod pronunciet Deus repudiari sacrificia, & quasi abjici, ut nollius pretii sint, dum perperam offeruntur: suscepturum vero iri, ut grata sint bonique odoris, si pura sit & legitima eorum oblatio. Nunc tenemus quam injuste succenseat Cain non habere suis sacrificiis honorem, quæ Deus obviis manibus suscipere paratus est, modo viriosa esse desinant. Simul tamen memoria repetendum quod prius dixi, præcipuum bene agendi caput esse, ut pii Christo Mediatore freti, & gratuita reconciliatione per ipsum parta, sincere & absque fuco Deum colere studeant. Itaque duo ista mutuo inter se nexo cohærent: quod fideles, quoties prodeunt in Dei conspectum, sola Christi gratia commendet, abstersis eorum sordibus: & tamen veram cordis munditiem illuc afferant. *Et si non bene egeris.* Ex adverso pronunciat Deus horribilem sententiam adversus Cain, si animum in malitia obstinet, sibique indulgeat in suo vitio. Est autem valde emphatica ontio: quia Deus non modo refellit injustam querimoniam, sed ostendit nihil fore ipsi Cain magis adversum quam proprium peccatum quod intus alit. Sic brevibus & concisis verbis stringit hominem impium, ut nullum effugium inveniat: acsi diceret, Nihil tua obstinatione proficis. nam ut nihil tibi sit mecum negotii, peccatum tuum nihil relaxationis dabit, quin te acriter exagitet, persequatur, urgeat, neque patiatur elabi. Hinc sequitur, non modo frustra, nulloque profectu eum tumultuari, sed intus proprio sensu teneri reum, etiamsi nullus accuset. Nam quod dicitur, peccatum ad fores cubare, ad interius conscientiæ judicium refertur, quod hominem convictum sui peccati undique obsessum premit. Fingant licet impii Deum in cælo torpere, luctentur quantum possunt in repellendo judicii illius metu: peccatum tamen invitos & fugitantes subinde ad tribunal illud retrahet, cui se subducere conati sunt. Quod ne profanis quidem hominibus ignotum fuisse testantur editæ ab illis voces: nec dubium est, quum dicunt conscientiam mille testium instar esse, sævissimo carnifici eam comparant: nullum esse gravius vel atrocius quam quod inde sentitur tormentum: quin Deus ejusmodi confessiones expresserit. —— prima est (inquit Juvenalis) hæc ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam. Sed loquutio Mosis singularem energiam continet. Cubare dicitur peccatum, sed ad fores. neque enim protinus judicii metu torquetur peccator, sed quascunque potest delicias accersem ad se fallendum, quasi in libero spatio obambulat, imo lascivit tanquam in pratis amœnis: sed quum ad exitum venitur, illic peccatum occurrit, suas excubias agens: tunc deprehenditur conscientia quæ se prius solutam putabat, & duplices mœræ pœnas solvit.

Et ad te erit appetitus ejus.] Omnes fere interpretes ad peccatum referunt, putantque hac admonitione cohiberi pravas libidines, quæ hominis animum sollicitant ac impellunt. Ergo secundum eos talis erit sensus, Si peccatum insurgit ut te subjiciat, cur indulges, ac non magis laboras in eo cohibendo & frenando? Tuum enim erat domare & ad obsequium cogere quos sentis Deo immorigeros & rebelles esse in carne tua affectus. Sed ego Mosen prorsus aliud velle arbitror. Omitto quod in Hebraico peccati nomina, apponitur fœminei generis nota: hæc autem relativa duo masculina sunt. Certa Mosi non de scelere ipso proprie, sed de culpa quæ inde contrahitur, & reatu agit. Nunc quomodo verba hæc convenient, *Sub te erit appetitus ejus?* Cæterum non longa refutatione opus erit, ubi germanum sensum protulero. Potius mihi videtur esse objurgatio, qua Deus impium hominem ingratitudinis insimulat, quod pro nihilo ducat primogenituræ honorem. Ut quisque nostrum majoribus Dei beneficiis ornatus est, ni ifi succorem gratiæ cui obstri-

ctus

ctus eſt, impenſius colere ſtudeat, impietatem ſuam prodit. Quum Abel fratri poſthabitus foret, ſtudioſus tamen erat Dei cultor. Primogenitus vero neglectim & defunctorie colebat Deum, cujus beneficio in tantam dignitatem pervenerat: atque ita peccatum ejus amplificat Deus; quod non ſaltem imitetur frarrem, quem ut gradu honoris, ita & pietate longe ſuperare debuerat. Porro loquutio eſt Hebraïs tegita, appetitum minoris ad eum reſpicere cujus arbitrio ſubjectus eſt. ita de mulieris dixit Moſes, cap. 3. v. 16. quod ejus appetitus eſſet ad virum. Pueriliter autem ineptiunt qui hunc locum toſquent ad probandum liberum arbitrium. Nam ut detnus officii ſui Cain moneri, ut ſubigendo peccato iocumbat, nulla tamen inde hominis virtus elicitur: quia certum eſt non aliter quam Spiritus ſancti gratia mortificari affectus carnis, ne prævaleant. Nec certe quoties præcepit aliquid Deus, vires ad præſtandum nobis ſuppetere colligendum eſt: quin potius tenendum eſt Auguſtini dictum, Da quod jubes, & jube quod velis.

8. *Et loquutus eſt Cain ad Abel fratrem ſuum.*] Quidam indehnite accipiunt iſtud Dicere, quod iracundiam perfide diſſimulans, fraterne loquutus ſit. Hieronymus expreſſit habitum ſermonem, Veni, egrediamur foras. Meo quidem judicio, oratio eſt defectiva, & aliquid ſubaudiendum: quid tamen ſit illud, incertum eſt. Interea non diſplicet, Moſen conciſe perſtringere ſceleratam hypocriſæ perfidiam, qui familiariter loquendo, ſpeciem fraternæ concordiæ præ ſe tulerit, donec nefandæ cædis perpetrandæ occaſio daretur. Atque hoc exemplo doceamur, nunquam magis timendos eſſe hypocritas quam dum ad colloquium, amicitiæ prætextu deſcanduot: quia ubi aperta vi, quantum cuperent, nocere non datur, ſubito ad pacis ſimulationem ſe convertunt. Atqui minime ſperandum eſt, ut ſincere cum hominibus fidem amicitiæ colant, qui truculentæ ſunt in Deum beſtiæ. Expendat tamen lector, annon potius intellexerit Moſes, quamvis à Deo correptus eſſet Cain, nihilominus litigaſſe cum fratre ſuo: atque ita iſtud Dicere, penderet ex ſuperioribus. Ego certe in hanc ſententiam magis inclino, quod non continuerit intra ſe malignum affectum, ſed in fratris accuſationem proruperit, atque illi ſtomachoſe expoſuerit triſtitiæ ſuæ cauſam. *Quum eſſent in agro.* Hinc colligimus, quamvis domi conqueſtus eſſet Cain de fratre, ſic tamen diabolicum texiſſe furorem quo ardebat, ut nihil deterius ſuſpicatus ſit Abel: vindictam enim differebat in tempus idoneum. Unum porro hoc facinus luculente oſtendit, quo præcipitet homines Satan, ubi animum in malitia obſtinarunt: ut certe extremis quibuſque pœnarum exemplis digna eſt eorum contumacia.

9. *Ubi eſt Abel.*] Qui fingunt patrem de filio ſuo Abel ex Cain ſciſcitatum, enervant totam vim doctrinæ quam hic tradere inſtituit Moſes: nempe quod Deus tum arcana inſpiratione, tum inuſitato aliquo modo parricidam citaverit ad ſuum tribunal, & quaſi de cælo intonuerit. Nam quod prius dixi, mordicus tenendum eſt: quemadmodum nunc per Scripturas nobiſcum loquitur Deus, ita ſe olim per oracula Patribus manifeſtaſſe, & eodem quoque modo patefeciſſe ſua judicia reprobis ſuo doctorum filiis. Sic Agar poſtquam ab Eccleſia deſciverat, compellat in ſylva Angelus: ut videbimus c. 16: 8. Fieri quidem poteſt ut tacito conſcientiæ examine Deus interrogaverit Cain, & ipſe viciſſim fremens intus & obmurmurans reſponderit. Statuendum tamen eſt non externa tantum hominis voce exſminatum fuiſſe: ſed divinitus, ut ſentiret cum Deo ſibi eſſe negotium. Cæterum quoties ad reputanda peccata nos arcanæ conſcientiæ punctiones ſollicitant, meminerimus Deum nobiſcum loqui. Interior enim ille ſenſus, quo de peccatis coarguimur, proprium eſt Dei forum, ubi jurisdictione ſua fungitur. Cavendum ergo ne exemplo Caio, qui ſibi male conſcii ſunt, ad contumatiam ſe confirment. Hoc enim eſt vere adverſus Deum calcitrare, & reſiſtere ejus Spiritu, dum eas cogitationes repellimus, quæ nihil aliud ſunt quam pœnitentiæ incitamenta. Atqui vitium eſt nimis commune, ad priora peccata tandem addere pervicaciam, ne Deo cedat qui peccatum, velit nolit, cogitur in animo ſuo ſentire. Unde apparet quanta ſit humani ingenii pravitas, quod convicti, & proprio ſenſu damnati, non tamen deſinimus judici noſtro vel illudere, vel obſtrepere. Prodigioſus eſt ſtupor, quod Cain tanto ſcelere perpetrato, Dei objurgationem ferociter repudiat, cujus tamen non poterat manum effugere. Sed idem omnibus quotidie impiis accidit, quorum nemo non affectat videri in captandis excuſationibus ſubtilis. Nam tam flexuoſis latebris involutum eſt cor humanum, ut facile ſit impius obſtinatum Dei contemptum addere ad ſua ſcelera: non quod ad repellendum Dei judicium ſatis dura ſit eorum contumacia (quantumvis enim abditi in profundos, quos dixi, receſſus, occultis tuhilominus cauteriis ſemper uruntur) ſed quia cæca obſtinatione callum ſibi obducunt. Inde enim clare divini judicii vis perſpicitur: quæ ſic in ferreos ſceleratorum animos penetrat, ut cogantur intus ſui eſſe judices: neque patitur eos delere quem extorſit culpæ ſeoſum, quin litura maneat, vel cauterii cicatrix. Quum ſe negat ſuiſſe cuſtodem vitæ fratris, etſi ferociter inſurgens, violento impetu Dei judicium repellere nititur: hoc tamen cavillo elapſum ſe putat, ne ſibi de occiſo fratre reddenda ſit ratio, quia non habebat expreſſum cuſtodiæ mandatum.

10. *Quid feciſti? ſanguis fratris.*] Oſtendit Moſes quam nihil profecerit Cain tergiverſando. Prius ſciſcitabatur Deus ubi eſſet frater: nunc preſſius ipſum ſtringit, ut invito ſceleris confeſſionem extorqueat. Nullis enim equuleis, nullis flagellis vel tormentis quibuslibet tantum ineſt violentiæ ad urgendos maleficos, quam fuit efficax iſtud divinæ vocis fulmen ad feriendum Cain, ut confuſus jaceret. Neque enim amplius inquirit Deus an fecerit: ſed uno verbo feciſſe pronunciani, ſceleris atrocitatem amplificat. Cæterum ſub unius hominis perſona docemur quam infelix eos maneat cauſæ eventus, qui cum Deo litigando ſe expedire tentant. Neque enim longo circuitu inquiſitionis opus habet ille cordium cognitor: ſed verbo uno ſic fulminat in ſuos reos, ut ſatis ſuperque ſit ad damnationem. Rhetores primum defenſionis genus ſtatuunt in negatione facti: ubi negari factum non poteſt, ad ſtatum qualitatis confugiunt. Utroque præſidio depellitur Cain: nam & cædem ipſum patraſſe Deus pronunciat, & ſimul definit quam nefarium ſit ſcelus. Et ejus exemplo monemur, fruſtra coacervari prætextus & ſuffugia, ubi res ad Dei tribunal citantur qui peccatum.

Sanguis fratris tui clamat.] Primum oſtendit Deus ſe de factis hominum cognoſcere, utcunque nullus queratur vel accuſet: deinde ſibi magis charam eſſe hominum vitam, quam ut ſanguinem innoxium impune effundi ſinat: tertio, curam ſibi piorum eſſe, non ſolum quamdiu vivunt, ſed etiam poſt mortem. Dormiunt ut plurimum terreni judices, niſi eos accuſator ſollicitet: Deum autem ad ſumendas pœnas, etiam ubi tacet qui læſus eſt, ipſæ injuriæ ſatis per ſe provocant. Hæc bonis, qui injuſte vexantur, mire ſuavis conſolatio eſt, dum audiunt ſua mala, quæ taciti perferuot, ultro ad vindictam poſcendam in conſpectum Dei prodire. Obmutuit Abel quum jugularetur, vel alio quovis modo necaretur: poſt mortem magis clamoſa eſt vox ſanguinis, quam ulla rhetorum facundia. Ira oppreſſio & ſilentium Deo non obſtat quominus de cauſa judicet

ſepultam exiſtimat. Hæc conſolatio uberrimam patientiæ materiam nobis ſuppeditat, quum nihil ex jure noſtro decedere audimus, ſi moderate & æquis animis feramus injurias: imo Deum ad nos vindicandos eo fore promptiorem, quo modeſtius ad omnia ferenda nos ſummiſerimus: quia validos clamores excitat placidum animæ ſilentium, qui cælum & terram impleant. Neque tantum ad præſentis vitæ ſtatum ſpectat hæc doctrina, ut ſciamus inter innumera pericula quibus circumdatur, Dei præſidio tutam eſſe; ſed in ſpem vitæ melioris nos erigit: quia ſtatuendum eſt, poſt mortem eſſe ſuperſtites, quorum Deus curam gerit. Jam & hoc terrorem violentis & improbis incutiat, quod pronunciat Deus, deſertas hominum patrocinio cauſas non alieno ſe impulſu, ſed ſuaptæ natura ſuſcipere: certumque fore ſcelerum vindicem, quamvis non queratur qui læſus eſt. Exultant quidem ſæpe homicidæ, quaſi pœnam evaſerint: ſed tandem oſtendet Deus non fuiſſe mutum innoxium ſanguinem, nec ſe fruſtra dixiſſe, pretioſam eſſe in oculis ſuis ſanctorum mortem. Ergo quantum levationis affert hæc doctrina fidelibus, ne ſint de ſua vita nimis anxii, pro qua Deum excubias agere audiunt: tam violentum eſt fulmen contra impios, qui violare & ſcelerate perdere non dubitant quos Deus ſervandos ſuſcepit.

Pſal. 115. verſ. 17.

11. *Nunc itaque maledictus eris à terra.*] Poſtquam ſceleris convictus fuit Cain, nunc de ipſo fertur judicium. Ac primum Deus terram vindictæ ſuæ miniſtram conſtituit, quia impio & nefando parricidio inquinata fuerat: acſi diſſiſſet, Tu jam mihi cædem abs te perpetratam negabas, atqui bruta ipſa tellus pœnam exiget. Hoc vero ad exaggerandam ſceleris atrocitatem facit, quaſi quædam ejus contagio pervenerit uſque ad terram, cui pœnæ exequutio mandatur. Quod hic terræ ſævitiam affingi nonnulli putant, acſi eam conferret Deus feræ belluæ, quæ ſanguinem Abel hauſerit, à vero ſenſu alienum eſt. Potius clementia illi, meo judicio, *ſatis opportune* tribuitur, quod fœditatem exhorrens, os ſuum tegendo ſanguini aperuerit, qui fraterna manu effuſus erat. Eo enim magis deteſtabilis eſt hominis crudelitas, qui proximi ſanguinem fundere non horret, cui receptaculum eſt ſinus terræ. Nec tamen miraculum aliquod fingendum eſt, quaſi inſolito terræ hiatu abſorptus fuerit ſanguis: ſed figurata eſt loquutio, quæ plus fuiſſe humanitatis in terra ſignificat quam in ipſo homine. Cæterum quod aliis verbis nunc maledicitur Cain, quam prius Adam: qui mitius cum primo homine actum eſſe exiſtimant, quia Deus humano generi parcere voluerit, nonnihil coloris habent. Audivit Adam, *Maledicta erit terra propter te:* nunc vero fulmen ultionis divinæ in perſonam Cain vibratur ac defigitur. Quod autem pœnam temporalem alii notari putant, quia dictum ſit A terra, potius quam E cælo, ne poſteri Cain, præciſa ſpe ſalutis, audacius in ſuam damnationem ruerent: mihi non ſatis firmum videtur. quin potius terræ mandari judicium interpretor, ut intelligat Cain non procul vocandum eſſe judicem, ac ne opus quidem eſſe ut Angeli è cælo prodeant, quum terra ſponte ſe ultricem offerat.

12. *Quum excoluerit eam.*] Expoſitio proximi verſus. clarius enim exprimit quid ſit maledici è terra: nempe quum ſuos cultores terra fraudat laboris fructu. Siquis objiciat pœnam hanc cunctis pariter mortalibus in Adæ perſona fuiſſe ante inflictam: reſpondeo, mihi non eſſe dubium quin ex reſidua benedictione aliquid nunc quoque homicidæ fuerit detractum, ut terram privatim ſibi inſeſtam ſentiret. Nam etſi communiter ſolem ſuum oriri quotidie facit Deus ſuper bonos & malos: pluviis tamen & grandinibus & nebulis, nunc gentis unius, nunc certorum hominum (quoties viſum eſt) interim ulciſcitur peccata, quatenus ſcilicet ad ſtatuendum futuri judicii documentum utile eſt: deinde ut talibus exemplis commoneſiat mundus, iratо adverſoque Deo nihil feliciter ſuccedere. In primo autem homicida Deus ſingulare edere ſpecimen maledictionis voluit, cujus memoria ſeculis omnibus extaret. *Inſtabilis & profugus.* Altera nunc quoque pœna infligitur, quod nuſquam poterit ſecurus conſiſtere, quocunque veniat locorum. Duas voces poſuit Moſes, quæ parum inter ſe differunt: niſi quod prior à נוד deducitur, quod eſt vagari; altera à נדד, quod fugere ſignificat. Diſtinctio quam afferunt nonnulli, quod נע ſit qui nuſquam habet fixam ſedem, נד vero qui neſcit quo ſe vertere debeat: quia probatione caret, nullius apud me eſt momenti. Genuinus ergo ſenſus eſt, quocunque venerit Cain, fore inſtabilem & profugum: ut ſolent latrones, quibus nulla eſt quieta nec fida ſtatio. nulla eſt enim hominis facies, quæ non illis terrorem incutiat: ſolitudo vero ipſa rurſum eſt horrori. Atqui videtur minime homicidis congruere hoc in pœnam, quum potius fatalis ſit conditio filiorum Dei: nam omnium maxime ſe peregrinos in mundo eſſe ſentiunt. Et Paulus ſe & conſortes ſuos inſtabiles eſſe conqueritur. Reſpondeo, non corporali tantum exilio Cain damnari, ſed graviori ſubjici pœnæ: quod ſcilicet nullam terræ plagam inveniet, ubi non ſit vago & trepido animo. nam ut bona conſcientia merito vocatur turus aheneus, ita impios nec centum muri, nec totidem propugnacula inquietudine liberabunt. Inquilini ſunt fideles in terra, at tranquillo nihilominus hoſpitio fruuntur: ſæpe neceſſitate coacti alio migrant, at quocunque eos ferat tempeſtas, ſedatum animum afferunt: denique locum ſubinde mutando, ita per mundum diſcurrunt ac tranſeunt, ut in perpetua manus Dei fultura ubique conſiſtant. Talis impiis negatur ſecuritas, quibus minantur omnes creaturæ: & ſi arrideant, animus tamen ſic turbulentus eſt, ut eos quieſcere non ſinat. In hunc modum Cain, etiamſi locum non mutaret, trepidationem quam ejus animo Deus infixerat, excutere non potuit. nec obſtat quod primus hominum urbem condidit, quin ſemper vagatus ſit in ſuo nido.

1 Cor. 4. verſ. 12.

13. *Major eſt pœna mea.*] In hoc fere conſentiunt interpretes, vocem deſperationis eſſe: quia Cain judicio Dei confuſus, nihil ſibi veniæ reliquum faciat. Atque hoc quidem verum eſt, reprobos ſua mala nunquam ſentire niſi cum præſenti exitio, unde emergere illis non licet. Nempe ubi peccator ad extremum uſque contumax, Dei patientiæ illuſit, juſta hæc ſeræ pœnitentiæ merces eſt, horribile tormentum abſque remedio ſentire: ſi modo pœnitentia cenſeri debet cæca & attonita pœnæ formido, ſine ullo odio peccati, vel reſipiſcendi affectu. Sic & Judas peccatum fatetur; ſed metu obrutus fugit quantum poteſt Dei conſpectum. Et certe verum eſt, reprobos nihil habere medium. quamdiu aliquid laxationis illis conceditur, ſecure torpent: urgente autem eos ira Dei, franguntur magis quam corriguntur. Eos ergo examinat ſuus pavor, ut nonniſi æternum exitium & inferos cogitent. Ego tamen non dubito quin alius ſit verborum ſenſus. nam vocem נשא potius accipio in propria ſignificatione: & verbum עון pro ſuſtinere poſitum eſſe interpretor. Major, inquit, pœna mihi injungitur quam ut ſim ferendo. Hoc modo Cain quamvis non excuſet peccatum, quia ab omni tergiverſatione depulſus eſt, tamen de judicii atrocitate conqueritur. Sic & diaboli quamvis ſe juſte plecti ſentiant, non tamen deſinunt obſtrepere Deo judici, & illi crudelitatem objicere. Et continuo poſt ſequitur expoſitio, *Ecce, repulſiſti me à facie terræ, & à facie tua abſcondar.* Quibus verbis cum Deo aperte expoſtulat, quod durius quam par ſit, nulla clementia vel moderatione adhibita tractetur. Perinde enim eſt acſi diſſiſſet, Si mihi negatur tuta in orbe habitatio,

nec

nec me tua cura dignaris, quid mihi facis reliquum? annon semel mori præstaret quam assidue mille mortibus esse obnoxium? Unde colligimus, reprobos, utcunque convicti sint, nullum facere tumultuandi finem: adeoque ex sua impatientia & furore captare rixandi ansam, quasi ex malorum suorum gravitate conflare Deo invidiam queant. Hic etiam locus clarius docet, qualis fuerit ille vagandi conditio, vel illiud exilium cujus Moses nuper meminit: nempe quod nullus illi terræ angulus in domicilium à Deo relictus fuerit ubi placide quiesceret. Exclusus enim communi hominum jure, ne amplius censeatur inter legitimos terræ incolas, dicit se à facie terræ ejectum, ideoque profugum fore, quia terra illi hospitium negabit: ut necesse habeat quasi latrocinio occupare quod jure non possidet. Abscondi à Dei facie, est non respici à Deo, vel ejus custodia non protegi. Testis est autem confessio hæc quam Deus impio homicidæ extorsit, nullam esse hominibus pacem, nisi in Dei providentia acquiescant, suamque vitam illi curæ esse sibi persuadeant: nec placide frui ullis Dei beneficiis, nisi dum statuunt hac lege se in mundo locatos esse, ut vitam sub ejus manu transigant. Misera ergo impiorum instabilitas, qui nullum terræ pedem agnoscunt sibi à Deo concessum esse.

14. *Quicunque me invenerit.*] Quia Dei præsidio non amplius tegitur, omnium injuriis ac violentiæ se fore expositum concludit: & merito. sola enim Dei manus inter tot pericula nos mirabiliter conservat. Et prudenter loquuti sunt, qui non tantum vitam nostram dixerunt è filo pendere, sed nos in caducam vitam ex utero à centum mortibus excipi. Quanquam non modo se nudatum Dei tutela Cain hoc loco reputat, sed omnes creaturas divinitus esse armatas ad sumendam de impia cæde vindictam. Hæc ratio est cur vitæ suæ ab obvio quoque taotopere metuat. nam quum sociale animal sit homo, & naturaliter mutuos congressus appetant omnes: hoc certe portenti loco habendum est, quod homicidæ formidabilis fuit omnium hominum congressus.

15. *Propterea qui occiderit Cain.*] Qui hoc fuisse votum Cain putant, ut morte una statim defunctus, non trepidaret in continuit persculit, ac vitæ prorogationem illi in pœnam cessisse: non video qua ratione adducti sic loquantur. Multo autem absurdius est, quod multi ex Judæis sententiam hanc mutilant: & in hoc membro σκοπίσουσι fingunt, post quam aliquid subaudiendum sit: deinde novata sententiam inchoant, Septuplum punietur, quam referri volunt ad Cain: quanquam necdum inter eos de sensu convenit. Quidam nugantur de Lamech, ut paulo post dicemus. Alii exponunt de diluvio, quod incidit in septimam generationem. Id vero frivolum est: quum minime fuerit privata unius familiæ, sed communis generis humani ultio. Verum hæc sententiæ uno contextu legi debet, Propterea septuplum punietur qui quis occiderit Cain. Et particula causalis כִּי, Deo indicat fore curæ ne quisquam adeo facile in cædem protumpet. non quod in gratiam homicidæ privilegium statuerit Deus, vel exaudierit ejus votum: sed quie posterit consultum esse voluit, in humani generis conservationem. Prodigiose violatus fuerat naturæ ordo: quid postea futurum erat, crescente hominum malitia & audacia, nisi violenta manu cohibitus fuisset aliorum furor? Scimus enim quam pestilens & mortiferum venenum propinet in malis exemplis Satan, nisi protinus adhibeatur remedium. Pronunciat ergo Dominus, siqui imitabuntur Cain, non solum minime fore excusabiles ejus exemplo, sed gravius plectendos: quia in ejus persona agnoscere debeant quam detestabile sit scelus coram Deo. Quare multum falluntur qui mitigari putant iram Dei peccandi consuetudine, quæ iode magis inflammatur:

Posuit itaque Deus signum.] Nuper dixi, nihil concessum fuisse in ejus favorem, sed ut crudelitati & injustæ violentiæ in posterum obviam iretur. Ideo nunc dicit Moses signum fuisse positum in Cain, quod omnibus terrorem incuteret: quia tanquam in speculo cernere licuit, tremendum esse Dei judicium contra homines sanguinarios. Quale autem signum fuerit quia non exprimit Scriptura, divinarunt interpretes, corpus ejus fuisse tremulum. Nobis sufficiat, visibile aliquod symbolum extitisse, quod nocendi libidinem & audaciam in spectatoribus reprimeret.

16. *Et egressus à facie Domini.*] Dicitur Cain egressus à conspectu Dei, quia quum hactenus egisset in terra quasi in Dei hospitio, nunc tanquam exul, procul amotus à Dei conspectu, oberrat extra ejus præsidium. Vel certe (quod non minus probabile est) intelligit Moses steriſſe illum ad tribunal judicis, donec foret damnatus. nunc vero, postquam cessavit Deus eum ipso loqui, excusso præsentiæ ejus sensu, alio se propipere, & novam habitationem quærere, ubi Dei oculos fugiat. Terra Nod nomen haud dubie à suo inquilino sortita est. Quod locatur ad Orientem Paradisi, hinc colligere licet verum esse quod prius diximus, certum locum emœnitate, & uberrima fructuum copia præstantem, Adæ fuisse datum, quem incoleret. finitus enim locus sit oportet qui oppositos habet respectus ad varias mundi plagas.

17. *Cognovit autem Cain uxorem.*] Ex contextu Mosis colligere licet, Cain, priusquam fratrem occideret, uxorem duxisse: alioqui nunc de conjugio aliquid narraret: quia res erat memorabilis, inventam esse unam ex sororibus quæ se in ejus manum tradere non horreret, quem fraterno sanguine pollutum noverat, & exulem ac profugum sponte sequi maliet, quum adhuc libera daretur optio, quam in paterna familia manere. Quin etiam porteoti loco recitat, excussa formidine, cujus meminit, Cain ad sobolem gignendam animum applicuisse. nam qui sibi totidem fingebat hostes quot erant homines in mundo, mirum est quod non se potius in aliquam solitudinem procul abdiderit. Hoc quoque præter naturam est, quod pavore attonitus, & Deum sibi adversum sentiens, ullam admittere voluptatem potuit. Jam vero mihi dubium est, aliosne liberos ante procreasset. nihil enim absurdi erit si dicamus peculiariter referri qui geniti sunt post admissum scelus, quasi detestabile semen, & quod sanguinarium patris ingenium moresque efferatos referret. Hoc quidem controversia caret, complures tam masculos quam fœminas omitti: quia Mosis consilium fuit, unam tantum lineam prosequi, donec ad Lamech veniret. Fuit ergo magis populosa domus quam exprimat Moses: sed propter memorabilem quam mox subjiciet historiam de Lamech, unum tantum ordinem artingens, reliquum numetum silentio præterit. *Concludit urbem.* Videtur hoc prima specie, & Dei judicio & superiori sententiæ valde contrarium. Adam enim & reliqua ejus familia, quibus Deus fixam stationem concessit, sub tuguriis agunt, vel etiam sub dio & arboribus quærunt fortuita hospitia: exul Cain, quem Deus fugitivum vagari jusserat, non contentus privata domo, urbem sibi exstruit. Sed probabile est, hominem sibi male conscium, quum privatis domus suæ parietibus se tutum minime confideret, novum excogitasse munitionis genus. non enim alia de causa per agros dispersi vivunt Adam & reliqui, nisi quia minus metuunt. Quare trepidi & obnoxii animi signum est, quod urbis condendæ libido Cain incessit, ut se à reliquis hominibus disjungat: diffidentiæ tamen & anxietudini admixtam fuisse superbiam inde apparet, quod urbem à filio denominet. Ita sæpe in [illegible] piorum diversi inter se affectus [illegible] formido ex scelere intra muros [illegible]

morem uſitatum ſe muniat: ex adverſo ebullit faſtuoſa vanitas. Certe optare debuerat, nomen ſuum perpetuo ſepultum eſſe. quorſum enim memoria, niſi in execrationem? Ambitio tamen impellit, ut generi ſuo in urbis nomine monumentum ſtatuat. Quid hic dicemus, niſi eum ad pœnam occalluiſſe, ut contumaciæ ſuæ tumorem Deo opponeret? Porro quamvis urbium arctumque propugnaculis tueri vitam noſtram liceat, notanda eſt tamen prima earum origo: quia utile eſt vitia noſtra ſemper in ipſis remediis conſpicere. Quod per ludibrium rogant naſuti homines, unde architectos & opifices conduxerit Cain ad urbem extruendam, & unde cives acciverit qui eam colerent: ego viciſſim ab illis quæro, quo auctore credant urbem ex quadratis lapidibus fuiſſe extructam, & magno artificio, multiſque ſumptibus, & longi temporis opera ædificium hoc conſtituiſſe. nihil enim aliud colligere licet ex verbis Moſis, quam muros ex rudi materia Cain ſibi & poſteris circumdediſſe. Quantum ad incolas pertinet, inter illa humanæ fœcunditatis primordia, quum ad abnepotes ventum foret, jam excreverat ejus ſoboles in tantum numerum, ut corpus urbis unius facile efficeret.

19. *Accepit ſibi Lamech duas uxores.*] Habemus hic polygamiæ originem in gente perverſa ac degenere: primum vero ejus auctorem hominem ſævum, & omnis humanitatis expertem. Cæterum immodicone propagandæ domus ſuæ ſtudio, ut elati homines & ambitioſi ſolent, an libidine impulſus fuerit, parum ad rem attinet: quia utroque modo violavit ſanctam conjugii legem, quæ à Deo prodita fuerat. Statuerat Deus ut eſſent duo in carnem unam, atque iſte perpetuus erat naturæ ordo: Lamech belluino Dei contemptu naturæ jura corrumpit. Dominus ergo legitimi conjugii corruptelam ex domo Cain prodire, & à perſona Lamech incipere voluit, ut polygamos exempli puderet.

20. *Fabal ipſe fuit pater habitantium.*] Inter mala quæ prodierunt ex familia Cain, aliquid boni fuiſſe admixtum nunc Moſes commemorat. Artium enim & aliarum rerum inventio quæ ad communem vitæ uſum & commoditatem valent, donum eſt Dei minime ſpernendum, & virtus laude digna. Mirum ſane eſt, gentem illam quæ magis ab omni integritate deſciverat, non pœnitendis dotibus præ aliis Adæ poſteris excelluiſſe. Ego vero interpretor, nominatim loquutum fuiſſe Moſen de artibus iſtis inventis in familia Cain: ut ſciremus non ita fuiſſe maledictum à Domino, quin eximia quædam dona ſparſerit inter ejus poſteros. nam probabile eſt, aliorum ingenia interim non ceſſaſſe: ſed fuiſſe inter Adæ filios homines induſtrios & ſolertes, qui ſuam induſtriam in artibus inveniendis & excolendis exercuerint. Refiduam vero Dei benedictionem Moſes diſerte in ea gente commendat, quæ alioqui bonorum omnium credita fuiſſet vacua & ſterilis. Sciamus ergo, ita privatos fuiſſe regenerationis Spiritu filios Cain, ut tamen præditi fuerint non contemnendis dotibus. ſicuti omnium ſeculorum experientia docet, quantum ad cultum vitæ præſentis, ſemper fulſiſſe in gentibus incredulis divinæ lucis radios: & hodie videmus ut diffuſa ſint præclara Spiritus dona per totum genus humanum. Quin etiam liberales artes & ſcientiæ à profanis hominibus nobis fluxerunt. Aſtrologiam & reliquas philoſophiæ partes, medicinam, rationem politici ordinis acceptam illis ferre cogimur. Nec dubium eſt quin illos tam liberaliter ditaverit Dominus excellentibus gratiis, quo minus excuſationis haberet eorum impietas. Nos autem ſic miremur quas Deus in illos gratiæ ſuæ divitias effudit, ut longe pluris ſit nobis regenerationis gratia, qua ſuos electos ſibi peculiariter ſanctificat. Quamvis autem citharæ, & ſimilium organorum muſices inventio, deliciis magis & voluptati ſerviat quam neceſſitati, non tamen prorſus ſupervacua cenſeri debet: ac multo minus per ſe damnari meretur. Damnanda quidem eſt voluptas, niſi cum Dei timore, & communi humanæ ſocietatis utilitate ſit conjuncta: ſed muſicæ talis eſt ratio, ut pietatis officiis accommodari, & hominibus prodeſſe queat, abſint modo vitioſæ illecebræ: abſit etiam inanis obtectatio, quæ homines à melioribus exercitiis abducto, in vanitate occupet. Cæterum, ut demus citharæ inventum minime in laude ponendum eſſe, quam longe lateque pateat artis fabrilis utilitas, abunde notum eſt. In ſumma, docere, meo judicio, Moſes voluit, floruiſſe variis & egregiis dotibus gentem illam, quæ & ipſam inexcuſabilem redderent, & luculenta eſſent divinæ bonitatis teſtimonia. Pater habitantium in tentoriis dicitur primus inventor ejus commodi, quod alii poſtea imitati ſunt.

23. *Audite vocem meam uxores Lamech.*] Conſilium Moſis eſt, exprimere truculentiam hujus viri, qui tamen quintus erat à fratricida Cain: ut ſciamus adeo non fuiſſe territum divinæ vindictæ exemplo, quod in atavo ſuo cernebat, ut magis occalluerit. Talis eſt impiorum duities: efferantur enim ad Dei flagella, quæ ſaltem mitanſuefacere eos debuerant. Obſcuritas loci, quæ diverſas interpretationes nobis peperit, inde maxime profecta eſt, quod quum Moſes loquatur quaſi ex abrupto, non reputarunt interpretes quorſum ejus oratio tenderet. Judæi inſulſam fabulam ſuo more commenti ſunt: quod Lamech venator fuerit & cæcus, puerum vero ducem habuerit manus ſuæ. Cain dum inter ſylvas latitaret, fuiſſe ab eo ſagitta confoſſum: quia puer feram eſſe exiſtimans, ejus manum direxerit. Deinde ultionem ſumpſiſſe de puero, qui cædis cauſa per imprudentiam fuerat. Et rei ignorantia fecit ut ſibi quiſque aliquid divinare permitteret. Mihi autem vera & ſimplex videtur eſſe eorum ſententia, qui verbum præteriti temporis in futurum reſolvunt, & indefinite accipiunt: acſi jactaret ſibi ſatis eſſe roboris & violentiæ ad fortiſſimum quemque hoſtem occidendum. Ego igitur ita lego, *Occidero virum in vulnus meum, & adoleſcentem in livorem meum.* Vel, in livore & vulnere. Notanda autem eſt illa quam dixi, habendi cum uxoribus talis colloquii occaſio. Scimus homines ſanguinarios, ut aliis ſunt terrori, ita paſſim omnibus eſſe exoſos. Merito itaque terrebat uxores Lamech mariti violentia toti humano generi intolerabilis, ne facta conſpiratione, omnes eum opprimerent, ut dignus erat publico odio & execratione. Nunc Moſes ut deſperatam barbariem exprimat, quum ſævos & feroces viros ſæpe mitigare ſoleant uxorum blanditiæ, dicit, Lamech in uxorum ſinum evomuiſſe crudelitatis ſuæ virus. Summa eſt, quod ſatis animi ſibi & virium eſſe jactat ad quoslibet ſternendos, ſiqui ipſum aggredi audeant. In viro & adoleſcente repetitio eſt ſecundum phraſin Hebraicam: ne quis diverſos notari putet: niſi quod furioſum ſuam audaciam ſecundo membro amplificat, quum gloriatur, adoleſcentes in medio ætatis flore ſibi non fore pares ad reſiſtendum: acſi diceret, Prodeat validiſſimus quiſque, nemo erit quem non conficiam. Tantum ergo abeſt ut ſpe humanioris vitæ demulceat uxores ſuas, ut meras & promiſcuas cujuſque ſtrages, inſtar rabioſæ belluæ, eructet. Unde facile apparet, quum truculentia delibutus eſſet, nihil hominis retinuiſſe. Varie legi poſſunt nomina Plagæ & Livoris. Si vertere libeat, In vulnus & livorem, ſenſus erit, Ego in caput meum ſecure recipio ſi quid eſt periculi: meo diſpendio accidat quicquid poterit: quia mihi in promptu eſt ratio qua evadam. Uno vero contextu legendum erit quod ſequitur, Septuplo gravius vindicabitur Cain, &c. Si magis placeat ablativus caſus, In vulnere & livore, duplex adhuc erit expoſitio. prior eſt, Etiamſi eſſem vulneratus, occi-

derem

derem tamen virum: quid ergo facturus ſum integer? Altera, quæ (meo judicio) ſanior eſt, ac magis congruit, Si quis me injuria laceſſat, vel conetur vim afferre, ſentiet cum viro forti & ſtrenuo ſibi eſſe negotium. neque enim impune evadet qui me læſerit. Docet autem exemplum hoc, ſemper in deterius prolabi homines. Fuit quidem nefarium ſcelus Cain, ſed crudelitas Lamech paſſim graſſata eſt, ut ſanguini humano non parceret. Adhæc, quum videt uxores metu perculſas, adeo non manſuefcit, ut magis ſe ad crudelitatem acuat & confirmet. Ita magis inſolefcit feritas hominum crudelium, dum ſe eaoſos baberi ſentiunt: adeo pœnitentia non tanguntur, ut cædem unam decem aliis ſepelire parati ſint. Unde fit ut nullus illis ſit fundendi & hauriendi ſanguinis modus, poſtquam ſemel eo imbuti ſunt.

24. *Septuplo vindicabitur Cain.*] Mihi non eſt propoſitum referre ſingulorum deliria vel ſomnia: nec volo hoc à me expectent lectores. alicubi breviter attingam & parce, maxime ſi quis erit ad fallendum prætextus: ut ſibi, aliquoties admoniti, perpetuo cavere diſcant lectores. Ergo quantum ad hunc locum ſpectat, qui varie diſcerptus fuit, non referam quid hic vel ille tradiderit, ſed germana ea poſitione contentus ero. Deus voluerat Cain horribile alios fugiendi homicidii eſſe exemplum: in hunc finem eum fœdo ſtigmate notaverat. Nequis tamen ejus ſcelus imitaretur, ſeptuplo gravius puniendum eſſe dixerat quiſquis eum occideret. Hanc Dei ſententiam impie pervertens Lamech, illius ſeveritati illudit: nam inde arripit majorem peccandi licentiam, acſi Deus homicidas ſingulari aliquo privilegio donaſſet. non quod ſerio ita ſentiat, ſed quia vacuus omni pietatis ſenſu, impunitatem ſibi promittit, ac interea per jocum obtendit Dei nomen: ut Dionyſius ille, quum deos favere ſacrilegis jactaret, diluendæ quam contraxerat infamiæ cauſa. Cæterum ſicut numerus ſeptenarius in Scriptura multitudinem deſignat: ita ſeptuplicatio pro ingenti incremento capitur. Talis
Mat. 18. *ſverſ.* 21. eſt illa Chriſti ſententia, Non dico ut ſepties remittas offenſam fratri tuo, ſed ſeptuagies ſepties. *Cognovit Adam uxorem.* Colligunt hinc quidam orbatos fuiſſe tunc ſobole primos homines, quum alter ex filiis eſſet occiſus, alter procul in ea ilium ejectus foret. Atqui nequaquam credibile eſt, quum maxime vigeret Dei benedictio in propagatione humani generis, Adam & Hevam per tot annos fuiſſe ſteriles. Quin potius antequam occideretur Abel, continua prolis ſucceſſio jam populoſam Adæ domum effecerat. nam in ipſo præſertim & uxore ſententiæ illius effectum fulgere oportuit, Creſcite, & multiplicamini, donec repleatis terram. Quid igitur ſibi vult Moſes? Nempe primos homines nefandæ cædis horrore perculſos, à thoro conjugali aliquandiu abſtinuiſſe. Neque certe aliter fieri potuit, quin illum pluſquam triſtem & acerbum ſuæ à Deo apoſtaſiæ fructum colligendo, fere exanimes jacerent. Quod autem alios nunc præterit, ratio eſt, quia piorum generationem ex linea Seth proſequi inſtituerat. Proximo autem capite, ubi dicet Adam genuiſſe filios & filias, complectitur haud dubie plurimos qui ante Seth nati erant: quorum tamen non magna habetur ratio, quoniam ſeparati fuerunt a bea familia quæ pure Deum coluit, & vere cenſeri potuit Dei Eccleſia.

25. *Poſuit mihi Deus ſemen alterum pro Abel.*] Semen aliquod intelligit ſingulare: diximus enim procreatos fuiſſe alios qui jam ante mortem Abel adoleverant: verum ut proclive eſt hominum genus ad mala, tota fere domus ſe variis modis corruperat. Ideo exiguam ſpem de reliqua turba conceperat Heva: donec excitavit illi Deus novum ſemen, de quo melius ſperavit. Quare non uno tantum filio; ſed tota ſobole orbatam ſe fuiſſe ducit in perſona Abel.

26. *Tunc cœptum eſt invocari.*] Synecdoche eſt in verbo invocandi, quia generaliter complectitur totum Dei cultum. Apte autem denominatur à præcipua ſui parte religio. Nam Deus omnibus ſacrificiis præfert hoc pietatis & fidei officium: ut Pſal. 50. verſ. 14. habetur. imo hic ſpiritualis eſt Dei cultus quem producit fides. Quod in primis notatu dignum eſt: quia nihil majore ſtudio molitur Satan quam ut puram Dei invocationem adulteret quibus poteſt vitiis, vel ab uno Deo nos ad creaturas invocandas traducat. Imo lapidem hunc movere non deſtitit ab initio mundi, ut ſe miſeri homines fruſtra in præpoſtero Dei cultu fatigarent. Nos vero ſciamus totam adorationis pompam nihili eſſe, niſi teneatur præcipuum hoc caput Dei rite colendi. Quanquam ſimplicius etiam exponere licet, tunc celebratum rurſus fuiſſe Dei nomen. Sed prior ſenſus, quia plenior eſt, utilemque doctrinam continet, tum etiam convenit uſitatæ Scripturæ phraſi, mihi probatur. Inſulſum vero commentum eſt, tunc alienis nominibus cœpiſſe vocari Deum: quum hic pravas ſuperſtitiones non taxet Moſes, ſed pietatem familiæ unius commendet, quæ, religione inter alios vitiata aut collapſa, pure ſanctèque Deum coluit. Neque tamen dubium eſt quin Adam & Heva, paucique alii ex eorum liberis, veri fuerint ipſi Dei cultores. verum intelligit Moſes tale jam tunc fuiſſe impietatis diluvium in mundo, ut religio fere ad interitum tenderet: quia reſidua tantum erat in paucis hominibus, non autem florebat in una aliqua gente. Colligere promptum eſt, Seth probum & fidelem fuiſſe Dei ſervum. Poſtquam vero filium genuit ſui ſimilem, & familiam habuit rectè compoſitam, extare cœpit diſtincta Eccleſiæ facies, erectuſque eſt Dei cultus qui duraret ad poſteros. Talis & noſtro tempore facta eſt religionis inſtauratio: non quod prorſus extincta foret, ſed quia nullus erat certus populus qui Deum invocaret, nuſquam ſincera fidei profeſſio, nuſquam religio integra conſpici poterat. Unde etmis clare apparet quanta ſit hominum vel in craſſum Dei contemptum, vel in ſuperſtitionem propenſio: quando utrumque malum paſſim tunc graſſari oportuit, quum miraculi loco referat Moſes unam tunc fuiſſe domum in qua emergeret Dei cultus.

Caput V.

ISte eſt liber generationum Adam: in die qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.

2. Maſculum & fœminam creavit eos: & benedixit eis, & vocavit nomen eorum Hominem, in die qua creati ſunt.

3. Et vixit Adam triginta & centum annos: & genuit ad ſimilitudinem ſuam, ad imaginem ſuam *filium*, & vocavit nomen ejus Seth.

4. Et fuerunt dies Adam poſtquam genuit Seth, octingenti anni: & genuit filios & filias.

5. Fuerunt itaque omnes dies Adam quibus vixit, nongenti anni & triginta anni: & mortuus eſt.

6. Et

6. Et vixit Seth quinque annos & centum annos, & genuit Enos.
7. Et vixit Seth poſtquam genuit Enos, ſeptem annos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
8. Fuerunt itaque omnes dies Seth, duodecim anni & nongenti anni: & mortuus eſt.
9. Et vixit Enos nonaginta annos, & genuit Kenan.
10. Et vixit Enos poſtquam genuit Kenan, quindecim annos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
11. Fuerunt igitur omnes dies Enos, quinque anni & nongenti anni: & mortuus eſt.
12. Et vixit Kenan ſeptuaginta annos, & genuit Mahalaleel.
13. Et vixit Kenan poſtquam genuit Mahalaleel, quadraginta anpos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
14. Fuerunt itaque omnes dies Kenan, decem anni & nongenti anni: & mortuus eſt.
15. Et vixit Mahalaleel quinque annos & ſexaginta annos, & genuit Jered.
16. Et vixit Mahalaleel poſtquam genuit Jered, triginta annos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
17. Fuerunt igitur omnes dies Mahalaleel, quinque anni & octingenti anni: & mortuus eſt.
18. Et vixit Jered duos & ſexaginta annos & centum annos, & genuit Hanoch.
19. Et vixit Jered poſtquam genuit Hanoch, octingentos annos: & genuit filios & filias.
20. Fuerunt ergo omnes dies Jered, duo & ſexaginta anni & nongenti anni: & mortuus eſt.
21. Et vixit Hanoch quinque & ſexaginta annos, & genuit Methuſelah.
22. Et ambulavit Hanoch cum Deo, poſtquam genuit Methuſelah, trecentos annos: & genuit filios & filias.
23. Fuerunt itaque omnes dies Hanoch, quinque & ſexaginta anni & trecenti anni.
24. Et ambulavit Hanoch cum Deo: & non fuit, quia tulit eum Deus.
25. Et vixit Methuſelah ſeptem & octoginta annos & centum annos, & genuit Lemech.
26. Et vixit Methuſelah poſtquam genuit Lemech, duos & octoginta annos & ſeptingentos annos: & genuit filios & filias.
27. Fuerunt igitur omnes dies Methuſelah, novem & ſexaginta anni & nongenti anni: & mortuus eſt.
28. Et vixit Lemech duos & octoginta annos & centum annos, & genuit filium:
29. Et vocavit nomen ejus Noah, dicendo, Iſte conſolabitur nos ab opere noſtro, & à dolore manuum noſtrarum de terra cui maledixit Jehova.
30. Et vixit Lemech poſtquam genuit ipſum Noah, quinque & nonaginta annos & quingentos annos: & genuit filios & filias.
31. Fuerunt itaque omnes dies Lemech, ſeptem & ſeptuaginta anni & ſeptingenti anni: & mortuus eſt.
32. Et erat Noah quingentorum annorum, & genuit ipſe Noah Sem, Cham, & Jepheth.

1. *Iſte eſt liber generationum Adam.*] Hoc capite breviter recitatur quantum interceſſerit temporis à mundi creatione uſque ad diluvium: & ſimul ex ejus temporis hiſtoria aliquid delibat Moſes. Quanquam autem conſilium Spiritus non tenemus, cur res magnas & valde memorabiles ſilentio transmiſerit: noſtrum tamen eſt multa reputare quæ ſubticentur. Speculationes quidem quas ſibi quiſque ex levibus conjecturis fabricat, minime probo: nec auctor ero ut ſibi hac in parte indulgeant lectores: ſed ex nuda & velut arida narratione utcunque colligi poteſt qualis fuerit illorum temporum ſtatus, quemadmodum ſuis locis videbimus. Liber, ſecundum phraſin Hebraicæ linguæ, pro catalogo ſumitur. Generationes continuam ſucceſſionem generis, vel continuam progeniem ſignificant. Porro finis hujus catalogi texendi fuit ut ſciamus, in magna vel potius ingenti hominum turba, ſemper fuiſſe aliquem numerum, licet exiguum, qui Deum coleret: eumq; cæleſti præſidio mirabiliter ſervatum fuiſſe, ne prorſus aboleretur Dei nomen, & Eccleſiæ ſemen deficeret. *In die qua creavit Deus.* Non reſtringit generationes ad diem creationis, ſed principium tantum deſignat: & ſimul primos homines à reliquis diſcernit, quos Deus ſingulari modo in vitam produxit: quum alii ex altiori ſtirpe & parentibus geniti fuerint. Porro iterum repetit Moſes quod ante docuerat, fuiſſe Adam formatum ad imaginem Dei: quia non poteſt ſatis laudari hujus gratiæ excellentia & dignitas. Homini principem locum dari inter creaturas, jam magnum erat: ſed iſta nobilitas multo præſtantior, quod fictorem ſuum, quaſi filius patrem, ſimilitudine referat. Nec vero liberalius cum eo agere Deus poterat quam illi gloriam ſuam imprimendo, ut eſſet quaſi viva divinæ ſapientiæ & juſtitiæ effigies. Valet etiam hoc ad coarguendas impiorum calumnias, qui libenter malitiæ ſuæ culpam in opificem conferrent, niſi diſerte expreſſum eſſet, alium naturæ conditum fuiſſe hominem quam nunc ſit factus proprio defectionis vitio.

2. *Maſculum & fœminam.*] Hæc particula ſanctum conjugii vinculum, & individuam mariti & uxoris ſocietatem commendat. Poſtquam enim Moſes unum nominavit, continuo poſt duos includit ſub uno nomine. Et nomen commune attribuit promiſcue ambobus: quo ſanctius inter ſe poſteri colere diſcerent ſocietatem, quum viderent primos parentes conſtitui ſub una perſona. Quod nugantur Judæi, ſolos conjuges vocari Adam, refellitur ex creationis hiſtoria. nec ſane aliud voluit Spiritus hoc loco quam poſt ordinatum conjugium, fuiſſe virum & uxorem inſtar unius hominis. Porro benedictio-

dictionis meminit; ut in eo admirabilem reputemus Dei gratiam, quod continuata fuit: ſciamus tamen hominum pravitate & malitia fuiſſe aliquatenus interruptam.

3. *Et genuit ad ſimilitudinem ſuam.*] Diximus nuper Moſen tantum in linea Seth proſequi Adæ ſobolem, ut ſeriem Eccleſiæ nobis conſiderandam proponat. Quod autem dicit genuiſſe ad imaginem ſuam, refertur quidem ex parte ad primam originem naturæ: ſimul tamen notanda eſt corruptio & vitioſitas, quæ ab ipſo contracta per defectionem, ad omnes poſteros defluxit. Si manſiſſet integer, daturus erat filiis ſuis omnibus quod acceperat: nunc vero Seth una cum aliis vitiatum legimus, quia Adam qui ab originè ſua deſciverat, non potuit niſi ſui ſimiles gignere. Siquis objiciat, fuiſſe peculiari Dei gratia Seth cum domo ſua electum: facilis eſt ac prompta reſponſio, ſupernaturale remedium non obſtare quin generatio carnalis ſapiat peccati corruptelam. Ergo ſecundum carnem natus eſt Seth peccator: deinde renovatus eſt Spiritus gratia. Hoc tam triſte exemplum ſancti Patriarchæ, amplam nobis deplorandæ miſeriæ noſtræ materiam ſuppeditat.

4. *Et fuerunt dies Adam poſtquam genuit Seth.*] In numero annorum qui hic refertur, in primis conſiderandum eſt quamdiu ſimul vixerint ſancti Patriarchæ. Nam per ſex continuas ætates quum jam familia Seth in magnum populum crevifſet, quotidie reſonare potuit vox Adæ ad renovandam creationis & lapſus & pœnæ memoriam, ad teſtandam ſpem ſalutis quæ poſt caſtigationem relicta fuerat, & recitandæ Dei judicia, quibus omnes erudirentur. Poterant quidem eo mortuo tradere filii nepotibus quaſi per manus quod didiciſſent: ſed longe efficacior fuit doctrina ex ejus ore qui oculatus fuerat omnium teſtis. Mira autem, adeoque monſtroſa pervicacia, quod ne ſic quidem ſanior pars generis humani ſe Dei obſequio & timore retinere potuit.

5. *Et mortuus eſt.*] Clauſula iſta quæ de cujuſque morte apponitur, minime ſupervacua eſt. Admonet enim non fruſtra denunciatam fuiſſe mortem hominibus: & jam nos maledictioni, cui addictus ille, fuit, eſſe obnoxios, niſi aliunde liberemur. Interim reputanda nobis eſt luctuoſa noſtra conditio: quod delera in nobis, vel ſaltem obliterata Dei imagine, vix tenuem tetinemus vitæ umbram, ex qua ad mortem properandum eſt. Ac utile eſt in tot ſeculorum pictura cernere uno intuitu continuum divinæ virtutis curſum ac tenorem: quia alioqui Deum quodammodo obliviſum fingimus: & nihil proclivius eſt quam immortalitatem in terra ſomniare, niſi mors ſubinde ante oculos oobis occurrat.

22. *Ambulavit Henoch cum Deo.*] Non dubium eſt quin pecoliari laude ornetur Henoch inter ætatis ſuæ homines, ubi dicitur cum Deo ambulaſſe. Vivebant tamen & Seth & Henoch & Cainan & Malaleel & Jared: quorum pietas ſuperiori capite laudata fuit. Nec vero rude fuit aut barbarum ſeculum, quod complures habuit præſtantiſſimos doctores. Unde colligimus, raram & prope unicam hujus ſancti viri fuiſſe probitatem, quem à communi ordine Spiritus ſanctus eximit. Interea, ne abripiant nos perverſi eorum mores quibuſcum verſamur, hic nobis oſtenditur cavendi ratio. eſt enim publica conſuetudo violenta tempeſtas: quia & facile patimur à multitudine nos huc illuc abduci: & quod uſu receptum eſt, quiſque tectum ac licitum eſſe putat. Nempe ita porci alii ex aliis pruriginem contrahunt: nec ulla deterior eſt vel magis fontica contagio quam ex malis exemplis. Quo diligentius notanda eſt brevis iſta integræ vitæ definitio, quod Henoch cum Deo ambulaverit. Nunc glorientur qui volent ſe ex aliorum conſuetudine vivere. At Spiritus Dei bene riteque vivendi regulam conſtituit, ubi ab hominum exemplis diſceditur qui vitam ſuam ac mores ad Dei Legem non formant. Nam qui poſthabito Dei verbo, ad imitationem mundi ſe proſtituit, cum diabolo vivere cenſendus eſt. Porro (ut nuper attigi) non ſpoliantur alii omnes juſtitiæ laude: ſed exemplum ſingulare nobis in perſona unius hominis ſtatuitur, qui in horrenda diſſipatione firmus ſtetit: ut diſcamus in Deum magis quam in homines eſſe intenti, ſi vitam recte & ordine componere libeat. Nam perinde valet loquutio qua utitur Moſes, acſi dixiſſet, ne hominum corruptelis abduceretur, habuiſſe unius Dei reſpectum, ut pura conſcientia, tanquam ſub ejus oculis, probitatem coleret.

24. *Et non fuit, quia tulit eum Deus.*] Impudenter contentioſus erit qui non fatebitur aliquid extraordinarium hic notari. Tolluntur quidem omnes è mundo per mortem: ſed clare exprimit Moſes, Henoch inſolito modo, & præter conſuetum morem fuiſſe à Domino receptum. Nam לקח Hebræis aſſumere non minus quam tollere ſignificat. Cæterum omiſſa voce, rem ipſam tenere ſufficit; Henoch in medio vitæ curſu repente, & inuſitato exemplo evanuiſſe ex hominum conſpectu: quia Dominus eum abſtulit: quemadmodum & de Helia factum legimus. Quum in raptu Henoch editum fuerit ſpecimen immortalis vitæ, non dubium eſt quin ſanctorum animos erigere voluerit Deus certa fiducia ante mortem, & hac conſolatione mitigare terrorem quem concipere ex morte poterant: quia ſcirent meliorem vitam alibi repoſitam eſſe. Mirum autem eſt, hoc fiduciæ & conſolationis ſubſidio privatum fuiſſe Adam. Nam quum ejus auribus aſſidue inſonaret terribile illud Dei judicium, Morte moreris: ſolatio aliquo magnopere egebat, ut in morte aliud conciperet quam maledictionem & interitum. Atqui annis poſt ejus mortem centum quinquaginta, vel circiter, accidit raptus Henoch, qui futurus erat quaſi viſibile ſpeculum beatæ reſurrectionis: quo illuſtratus, æquo animo ad migrationem ſe accingeret. Sed quum Dominus pœnam infligens moderatus eſſet rigorem ſuum, atque ex ore ejus audiviſſet ipſe Adam, quod eum non mediocriter levare poterat: hoc remedii genere contentus, debuit patienter ferre tum crucem continuam in mundo, tum acerbum & triſtem exitum. Sed quum alii non perinde inſtructi eſſent manifeſto oraculo ad ſperandam ex ſerpente victoriam, commodis fuit in raptu Henoch piis omnibus doctrina, ne ſpem ſuam haberent incluſam vitæ mortalis finibus. Nam teſtimonium divina erga eum amoris fuiſſe hunc raptum demonſtrat Moſes, dum piæ & integræ ejus vitæ conjungit. Atqui vita privari, non eſt per ſe optabile. Sequitur ergo meliore hoſpitio fuiſſe exceptum: imo quum eſſet inquilinus in mundo, receptum in cæleſtem patriam fuiſſe. Quod etiam ſatis clare docet Apoſtolus ad Hebræos 11. verſ. 5. Porro ſi quæratur quorſum translatus fuerit Henoch, & qualis nunc ſit ejus conditio; reſpondeo, privilegio ſingulari talem ejus fuiſſe tranſitum qualis aliorum hominum futurus erat. Etſi enim ipſum exuere oportuit quod corruptibile erat, exemptus tamen fuit à violenta ſeparatione quam natura refugit. In ſumma, ejuſmodi raptus placida fuit lætaque migratio ex mundo. Neque tamen in cæleſtem gloriam receptus eſt, ſed tantum præſentis vitæ miſeriis ſolutus, donec veniret Chriſtus reſurgentium primitiæ. Et quum unum fuerit ex Eccleſiæ membris, expectare eum neceſſe eſt donec prodeant omnia ſimul Chriſto obviam, ut totum corpus capiti uniatur. Si quis illud Apoſtoli objiciat, Conſtitutum eſſe omnibus ſemel mori: facilis eſt ſolutio, quod mors non ſemper divortium ſit animæ à corpore: ſed mori dicuntur qui corruptibilem exuunt naturam, quia interitus eſt omnium eorum quos dies ultimus ſuperſtites invenit.

29. *Vocavit nomen ejus Noah, dicens: Iſte requiem dabit nobis ab operibus.*] In lingua Hebraica

verbi נחם, nomini נוח non respondet: nisi literam ם supervacuam esse dicamus, ut interdum in compositione quædam literæ redundant. נוח significat quietem dare: נחם vero consolari. A priore verbo deducitur nomen Noah. Quare vel est literæ unius in alteram transmutatio, vel alludo est duntaxat ubi dicit Lamech, Iste nos consolabitur ab opere nostro. Quantum ad rem pertinet, nulla est dubitatio quin sibi levationem aut solatium à laboribus promittat. Sed quæritur unde spem istam de filio conceperit, cujus nullam adhuc indolem cernebat. In eo non male sentiunt Judæi, quod vaticinium esse docent: sed nimis crasse ad agriculturam restringunt, quod ad omnes vitæ hujus ærumnas pâret, quæ ex Dei maledictione procedunt, & fructus sunt peccati. Equidem sic statuo, anxie gemuisse sanctos Patres, quum tot molestiis circumdati, assidue reminiscerentur primæ omnium malorum originis, Deumque sibi infestum reputarent. Ergo in labore manuum est synecdoche: quia sub una specie comprehendit miserum statum, in quem deciderat humanum genus. Tenebant enim proculdubio quod supra Moses retulit de laboriosa, tristi, & sollicita vita, cui addictus fuerat Adam: quandoquidem in dies crescente hominum malitia, nulla sperari poterat mitigatio, nisi ex insperato Dominus succurreret. Probabile est ipsos ad Dei misericordiam valde fuisse intentos. Vigebat enim fides in illis, & necessitas urgebat ut auxilii desiderio arderent. Temere vero non fuisse impositum nomen, ex eo colligere licet, quod Moses quasi rem memoratu dignam diserte notat. Aliis certe Patrum nominibus fuberat aliqua ratio: præterit tamen cur ita vocati fuerint, & in solo Noah insistit. Hinc itaque non contentioso lectori judicium facere licebit, in Noah esse aliquid peculiare, quod aliis prioribus non conveniat. Proinde mihi non dubium est quin rarum aliquid & insolitum Lamech à filio suo speraverit, atque id Spiritus instinctu. Putant nonnulli deceptum fuisse, quia Christum esse crederet: sed ejus rei nullam afferunt idoneam conjecturam. Magis probabile est, quum de filio magnum aliquid promissum foret, non se tenuisse quin suum commentum oraculo misceret: ut solent interdum sancti quoque modum revelationis excedere. ita fit ut neque cælum neque terram attingant.

32. *Noah vero quum annorum esset.*] De Patribus quos hactenus recensuit Moses, non facilis est divinatio, an singuli primogeniti fuerint: tantum enim prosequi voluit continuam Ecclesiæ seriem. Atqui Deus sæpenumero, ne se efferrent homines inani carnis fiducia, qui posteriores erant naturæ ordine, sibi delegit. An igitur eorum catalogum recensuerit Moses, quos aliis prætulit Deus, vel qui jure primogenituræ præcipuum gradum tenuerunt inter fratres, mihi incertum est: similiter quot quisque filios habuerit. Quantum ad Noah spectat, satis constat, filios illi non fuisse plures tribus: idque sæpius Moses consulto inculcat, ut sciamus totam ejus familiam fuisse servatam. Cæterum falluntur, meo judicio, qui prædicari hoc loco existimant cælibatem Noah, quia cælibem vitam per quinque fere secula transegerit. Neque enim tunc primum narratur duxisse uxorem: ac ne illud quidem alterum, quoto ætatis suæ anno pater esse cœperit. Sed dum tempus simpliciter notatur quo admonitus fuit de futuro diluvio, simul addit Moses, patrem eodem fere tempore, vel circiter, fuisse trium filiorum: non quod jam tunc eos habuerit, sed quia non multo post nati sunt. Superasse quidem annum quingentesimum; antequam illi Sem nasceretur, patebit ex undecimo capite: de reliquis duobus nihil habetur certi, nisi quod Jepheth minor natu fuit. Mirum autem est, ex quo horribilem nuncium de humani generis interitu acceperat, non fuisse ingenti mœrore prohibitum à congressu uxoris: sed oportuit aliquas reliquias superesse, quia destinata erat domus illa in secundi mundi instauratione. Quo tempore ejus filii uxores acceperint, tametsi non legimus, multo tamen ante diluvium id existimo factum esse: sed Dei providentia fuisse steriles, qui octo solum animas servare statuerat.

Caput VI.

ET fuit, quum cœpissent homines multiplicari in superficie terræ, filiæque natæ essent eis:

2. Tunc viderunt filii Dei filias hominum quod pulchræ essent, & acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.

3. Et dixit Jehova, Non disceptabit Spiritus meus cum homine in seculum, eo quod sit etiam ipse caro: & erunt dies ejus centum & viginti anni.

4. Gigantes fuerunt in terra in diebus illis: & etiam postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, genuerunt eis: isti sunt potentes, qui à seculo *fuerunt* viri nominis.

5. Et vidit Jehova quod multa esset malitia hominum in terra, & *quod* omne figmentum cogitationum cordis eorum tantummodo esset malum omni die.

6. Tunc pœnituit Jehovam quod fecisset hominem in terra, & doluit in corde suo:

7. Et dixit Jehova, Delebo hominem quem creavi, à superficie terræ, ab homine usque ad jumentum, usque ad reptile, & usque ad volatile cæli: quia pœnitet me quod fecerim ea.

8. Et Noah invenit gratiam in oculis Jehovæ.

9. Istæ sunt generationes Noah. Noah vir justus, perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulavit Noah.

10. Genuit vero Noah tres filios, Sem, Cham, & Jepheth.

11. Et corrupta erat terra coram Deo: repleta erat terra iniquitate.

12. Et vidit Deus terram, & ecce, corrupta erat: nam corruperat omnis caro viam suam super terram.

13. Dixit itaque Deus ad Noah, Finis universæ carnis venit coram me: quia repleta est terra iniquitate à facie eorum: & ecce, ego disperdam eos cum terra.

14. Fac tibi arcam è lignis gopher, mansiunculas facies in arca, & bituminabis eam intrinsecus & extrinsecus bitumine.

15. Et hæc *mensura* qua facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo ejus, & triginta cubitorum altitudo ejus.

16. Fene-

16. Fenestram facies arcæ, & in cubitó consummabis eam superne: ostium vero arcæ in latere ejus pones: inferiora, & secunda, & tertia facies in ea.

17. Et ego ecce *ego* adduco diluvium aquarum super terram, ut disperdam omnem carnem in qua est spiritus vitæ sub cælo: omne quod est in terra, morietur.

18. Et statuam pactum meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.

19. Et ex omni vivente, ex omni carne, bina ex omnibus introduces in arcam, ut viva serventur tecum: masculus & fœmina erunt.

20. Ex volatili secundum speciem suam, & ex animali secundum speciem suam, ex omni reptili terræ secundum speciem suam, bina ex omnibus ingredientur ad te, ut viva conserventur.

21. Et tu cape tibi ex omni esca quæ comeditur, & congregabis tibi, eritque tibi & illis ad vescendum.

22. Et fecit Noah juxta omnia quæ præceperat ei Deus, sic fecit.

1. *Et fuit quum cœpissent homines multiplicari.*] Postquam decem Patriarchas ordine recensuit Moses, apud quos integer manebat Dei cultus, jam narrat eorum quoque domos fuisse adulteratas. Hæc autem narratio altius repetenda est, quam ab anno quingentesimo Noah. Nam, ut sibi transitum ad historiam diluvii faciat, totum mundum præfatur fuisse corruptum: ut nihil fere ex vasta dissipatione Deo residuum foret. Quod ut meliùs pateat, tenendum memoria est illud principium, tunc mundum quasi divisum fuisse in duas partes: quia domus Seth cultum Dei fovebat purum & legitimum, à quo alii desciverant. Etsi autem ad Dei invocationem conditum fuerat totum genus hominum, ideoque regnare ubique debebat sincera religio: quia tamen major pars se vel ad Dei contemptum, vel ad pravas superstitiones prostituerat: decebat exiguam illam partem quam sibi eximio privilegio adoptaverat Deus, segregatam ab aliis manere. Turpis ergo ingratitudo fuit, quod posteritas Seth Cainitis, & aliis profanis gentibus se permiscuit, quia se ultro privavit inæstimabili Dei gratia. Id etiam sacrilegium minime tolerabile fuit, positum à Deo ordinem pervertere & confundere. Videtur prima specie frivolum esse, quod formosas sibi uxores delegerint filii Dei ex filiabus hominum, tam severe damnari. Atqui sciendum est non leve esse crimen, positum à Domino discrimen violare. Deinde quod à profanis gentibus separati erant Dei cultores, sacrum fuisse ordinem, & revereoter colendum, ut aliqua Dei Ecclesia existaret in terris. Tertiò, morbos fuisse desperatos, quum remedium divinitus sibi ordinatum respuerent. In summa, extremam dissipationem designat Moses, quum degeneres essent piorum filii, quos sibi Deus quasi peculiarem & reconditum thesaurum ab aliis segregaverat. Vetus illud commentum de Angelorum concubitu cum mulieribus, sua absurditate xbunde refellitur: ac mirum est, doctos viros tam crassis & prodigiosis deliriis fuisse olim fascinatos. Frigida etiam Chaldæi interpretis sententia, damnari promiscua conjugia ioter filios magnatum & plebeios uxores. Filios inque Dei à filiabus hominum noo ideo discernit Moses, quasi dissimilis fuerit natura, vel diversa origo: sed quia adoptione filii Dei erant, quos sibi ipse segregaverat: aliis manebat sua conditio. Siquis objiciat, iodignos esse qui censeotur in Dei filios qui turpiter defecerant à fide & Dei obsequio: solutio facilis est, non illis tribui honorem, sed Dei gratiæ quæ adhuc in illis domibus fulgebat. Nam quum de filiis Dei loquitur Scriptura, aliquando ad æternam electionem respicit, quæ non extenditur nisi ad legitimos hæredes: aliquando ad externam vocationem, secundum quam multi intus lupi sunt: & quum reipsa sint alieni, filiorum tamen obtinent nomen, donec abdicet eos Dominus. Imo tam honotifico titulo ingratitudinem illis exprobrat Moses, quod relicto Patre cælesti, tanquam transfugæ se prostituerint.

2. *Quod essent pulchræ.*] Non damnat præcise Moses, spectatam fuisse formam in deligendis uxoribus: sed quod mera libido regnaverit. Est autem res sanctior conjugium quam ut oculis ferri homines debeant ad voluptatem coitus. Nam individua est vitæ societas, quæ omnes vitæ partes continet: ficuti prius habuimus, creatam esse mulierem, ut sit viro xdjutrix. Ergo belluinus est appetitus ille, quum illecebris formæ sic rapimur, ut quæ præcipua sunt, nullum locum habeant. Et clarius Moses exprimit quam violentus fuerit libidinis impetus, quum dicit sumpsisse ex omnibus quæ placuerant. quo significat, non habitum fuisse delectum ex necessariis dotibus, sed promiscoe vagatos esse filios sanctorum, quum pro sua cupidine ruerent. Docemur autem his verbis, colendam esse temperantiam in sancto conjugio: & ejus profanationem non leve crimen esse coram Deo. Neque enim hic reprehenditur scortatio in filiis sanctorum, sed quod sibi in uxoribus ducendis nimium indolserint licentiæ. Et certe fieri non potest quin temporis successu degenerent filii Dei, quum ita eodem se jugo cum infidelibus implicant. Atque hæc fuit extrema vafrities Bileam; quum illi ablata esset maledicendi facultas, quod subornari jussit mulieres à Madianitis, quæ populum Dei ad impiam defectionem pellicerent. Ita quum in Patriarcharum filiis, de quibus nunc disserit Moses, grave per se malum fuerit gratiæ sibi divinitus collatæ obliyio, dum sua libidine feruntur ad illicita conjugia: deterior fuit accessio, quod se impiis miscendo, profanarunt Dei cultum, & à fide exciderunt: sicuti hæc corruptela semper fere consequi solet.

3. *Non disceptabit Spiritus meus.*] Etsi jam prius ostendit Moses, eo scelerum & impietatis progressum fuisse mundum, ut non debuerit diutius tolerari: quo tamen certius pateat non minus justam quam atrocem fuisse vindictam illam qua totus orbis est absorptus, Deum ipsum loquentem inducit. Plus enim gravitatis habet sententia, quum ore suo pronunciat Deus, magis deploratam esse malitiam hominum; quam ut spes ulla sanationis xpparent: ideoque non esse cur illis parcatur. Porro quum horribile fuerit iræ Dei exemplum, cujus solo auditu nunc quoque expavescimus, necesse fuit exprimi, Deum non iracundiæ fervore impulsum nimis properasse, vel durius sæviisse quam par erat: sed necessitate fere coactum fuisse ut totum mundum funditus deleret, excepta una duntaxxt domo. Neque enim se plerumque continent homines, quin Deum vel nimiæ festinationis accusent, dum ulciscitur hominum peccata, vel crudelem imaginentur. Ergo nequis obmurmuret, hicio persona Dei pronunciat Moses intolerabilem fuisse mundi pravitatem, & magis obstinatam quam ut remediis ullis sanabilis esset. Cæterum varie exponitur hic locus. Primum quidam ex Hebræis verbum quo utitur Moses, derivant à radice [דון] quod nomen vaginam significat. Hunc

Hunc vero ſenſum eliciunt, quod Deus Spiritum ſuum nolit amplius teneri captivum in corpore humano, quaſi incluſum in vagina. Sed quia violenter detorta eſt expoſitio, & Manichæorum delirium reſipit, quaſi hominis anima pars eſſet divini Spiritus, repudianda nobis eſt. Magis etiam inter Judæos recepta ſententia eſt, verbum de quo agitur, eſſe à radice דין. Sed quia ſæpe pro judicare, interdum etiam pro litigare capitur, hinc adhuc naſcuntur diverſæ interpretationes. Quidam enim exponunt quod Deus amplius dignari homines nolit Spiritus ſui gubernatione: quia judicis partes agit in nobis Dei Spiritus, quum nos ratione illuſtrat, ut ſequamur quod rectum eſt. Lutherus ſuo more ad externam Spiritus juriſdictionem trahit, quam Prophetarum miniſterio exercet: acſi unus quiſpiam ex Patriarchis dixiſſet in conventu, Convenit facere clamandi finem: quia indignum eſt ut Spiritus Dei per nos loquens, amplius ſe fatiget in mundo arguendo. Argute hoc quidem dicitur: ſed quia ex incertis conjecturis non eſt petendus Scripturæ ſenſus, ſimpliciter interpretor, Domiſtum quaſi deſeſſum obſtinata mundi pervicacia, præſentem vindictam denunciare quam hactenus diſtulerat. Quantiſper enim pœnam ſuſpendit Dominus, quodammodo diſceptat cum hominibus: præſertim ſi vel minis, vel levium caſtigationum exemplis eos ad reſipiſcentiam ſollicitet. Sic rixatus fuerat jam aliquot ſeculis cum mundo, qui nimen ſubinde deterior fiebat. Nunc quaſi tædio affectus, declarat ſibi non eſſe animum litigandi diutius: acſi Gallice quis diceret, *C'eſt trop plaider*. Nam quum Deus incredulos ad reſipiſcentiam invitans, diu cum illis rixatus foret, diluvium finem controverſiæ impoſuit. Interea non prorſus repudio Lutheri ſententiam, quod Deus, deploratam hominum malitiam expertus, noluerit Prophetas ſuos fruſtra operam conſumere. Sed generalis ſententia ad ſpeciem illam reſtringi non debet. Quod autem dicit Dominus, Non contendam perpetuo: exprobrationem nimiæ & incurabilis contumaciæ exprimit, ac ſimul teſtimonium longæ Dei tolerantiæ: acſi diceret, nullum fore unquam litigandi finem, niſi anſam ſemel inſolita vindicta præcidat. Græci unius literæ ſimilitudine decepti, perperam legerunt, Non permanebit: quod vulgo interpretati ſunt, quaſi tunc homines ſana rectaque intelligentia privati fuerint. Sed hoc nihil ad præſentem locum. *Eo quod ſit etiam ipſe caro.* Additur ratio, quia nihil ex diſceptatione ſperandum ſit profectus. Videtur autem hic Dominus Spiritum ſuum opponere carnali hominum naturæ. Qua ratione tradit Paulus, animalem hominem non percipere ea quæ ſunt Spiritus, & eſſe illi ſtultitiam. Senſus ergo eſt, Spiritum Dei fruſtra cum carne diſputare, quæ rationis capax non eſt. Carnis autem nomine per ignominiam homines Deus appellat, quos tamen formaverat initio ad imaginem ſuam. Et hic loquendi modus Scripturæ familiaris eſt. Qui hoc nomen ſtringunt ad inferiorem animæ partem, longe falluntur. Nam quum omni ex parte vitiata ſit hominis anima, nec minus cæca ſit ejus ratio quam perverſi affectus, merito tota vocatur carnalis. Ideo ſciamus totum hominem naturaliter carnem eſſe, donec per gratiam regenerationis, ſpiritualis eſſe incipiat. Jam quod ad Moſis verba ſpectat: non dubium eſt quin triſtem Dei querimoniam una cum exprobratione contineant. Debebat homo præcellere cunctis animantibus, propter mentem illi inditam: nunc ratione alienatus, fere jumentis eſt ſimilis. Invehitur ergo Deus in degenerem & corruptam hominum naturam, quia ſua culpa eo dementiæ ceciderint, ut jam beſtiis ſint propiores quam veris hominibus, quales eſſe decebat ex creatione. Cæterum accidentale eſſe vitium ſignificat, quod nihil quam terram ſapit: & quod extincta intelligentiæ luce, ſuas cupiditates ſequatur. Ac miror emphaſim quæ ſubeſt in particula בשגם, ab interpretibus heglectam fuiſſe: ſic enim ſonant verba, Propterea quod ipſe quoque eſt caro. Ubi conqueritur Deus, tantopere turbatum eſſe ordinem à ſe poſitum, ut imago ſua in carnem transformata fuerit. *Erunt dies ejus centum & viginti anni.* Nimis craſſe hallucinati ſunt quidam antiqui ſcriptores, ut Lactantius, & alii, curſum vitæ humanæ finiri putantes hoc temporis ſpatio: quum perſpicuum ſit, non de privata cujuſque vita hic haberi ſermonem, ſed toti mundo concedi pœnitentiæ tempus. Porro hic quoque relucet mira Dei benignitas, quod hominum malitia fatigatus, adhuc tamen ſupremæ vindictæ exequutionem ultra ſeculum differt. Verum hic emergit ſpecies repugnantiæ. Noah enim completis nongentis quinquaginta annis, è vita deceſſit. Dicitur autem vixiſſe à diluvio annos trecentos & quinquaginta. Ergo ſexcentorum erat annorum quo die arcam ingreſſus eſt. Ubi nunc reperientur viginti anni? Reſpondent Judæi creſcente hominum malitia fuiſſe reſciſſos. Cæterum iſto effugio nihil opus eſt: quando Scriptura, ubi de quingeteſimo ætatis illius anno loquitur, non affirmat, eouſque jam tunc pertigiſſe. Atque hic modus loquendi pluſquam tritus eſt, tam initium temporis quam finem in numeris notari. Quia ergo major pars quinti centenarii tranſacta erat, ut quingentis annis propinquus foret, dicitur ejus fuiſſe ætatis.

a *Cor.* 3. *verſ.* 14.

¶ 4. *Gigantes fuerunt ſuper terram.*] Inter plurimas corruptionum ſpecies quibus referta erat terra, unam peculiariter hoc loco Moſes commemorat: quod violenter & tyrannice graſſati ſunt Gigantes. Cæterum non arbitror de cunctis illius ſeculi hominibus haberi ſermonem, ſed de certis quibuſdam, qui aliis valentiores quum eſſent, robore & potentia ſua freti, ſine lege & modo ſe extulerunt. Quantum ad nomen Hebraicum ſpectat נפלים, nota quidem eſt origo illius à verbo נפל, quod eſt cadere: ſed de etymologia non conſentiunt Grammatici. Quidam putant ſic vocatos quia excidiſſent à communi ſtatura: alii quod ab eorum conſpectu caderet vulgus hominum, ob vaſtam corporis molem; vel quod terrore ſuæ magnitudinis omnes proſternerent. Verior mihi videtur eorum ſententia, qui ſimilitudinem eſſe dicunt ſumptam à labe vel impetuoſa procella: nempe quod ſicut tempeſtas & labes violenter cadens, agros vaſtat & perdit: ita ſuis irruptionibus latrones iſti perniciem & vaſtationem mundo intulerint. Nec vero inſuiram fuiſſe corporis altitudine exprimit Moſes: ſed tantum, fuiſſe robuſtos. Alibi (fateor) eadem voce notatur ſtaturæ proceritas, quæ formidabilis erat exploratoribus terræ Chanaah. Sed Moſes eos de quibus in præſenti loco differit, non tam corporum mole à reliquis diſcernis, quam latrociniis & graſſandi libidine. Cæterum in contextu emphaſim habet particula גם, quæ interponitur. Ex locum hunc peſſime reddidit Hieronymus, poſt quem hallucinati ſunt alii quidam interpretes. Sic enim habetur ad verbum, Atque etiam ex quo filii Dei ingreſſi ſunt ad filias hominum: acſi dictum eſſet, Quin etiam, vel, Atque adeo. nam primo narrat Moſes fuiſſe tunc Gigantes: deinde ſubjicit nonnullos quoque fuiſſe ex ſobole illa promiſcua, ex quo ſe ſibi Dei miſcuerant filiabus hominum. Mirum non fuiſſet ſi talis immanitas regnaſſet in poſteris Cain: ſed univerſalis illuvies inde clarius patet, quod ſanctum genus eadem corrupterla inquinatum fuit. Tanta contagio quæ occupaverat paucas familias, quæ Dei ſacraria eſſe debebant, non parum amplificat gravitatem mali. Altior itaque Gigantum origo fuit: ſed deinde eorum ſectum imitati ſunt qui erant ex promiſcuis connubiis geniti.

Joſue 13. *verſ.* 34.

Iſti potentes à ſeculo.] Seculum fere pro vetuſtate capitur: acſi dixiſſet Moſes, primos exercuiſſe tyrannidem

quidem in mundo, vel potentiam, & nimis licentiosum ac effrenem dominandi cupidinem ab illis cœpisse. Sunt tamen qui exponant, A seculo, coram mundo: nam hoc quoque significat vox Hebraica מִלְּפָנַי Nonnulli proverbiali figura dictum hoc fuisse existimant: quia posterior ætas, quæ diluvium sequuta est, similes non protulerit. Prima expositio simplicior est: summa tamen est, fuisse viros impotenter ferocientes, qui se à communi aliorum ordine exemerint. Primum in illis vitium fuit superbia; quod robore suo freti, plus sibi arrogaverint quam fas erat. Contemptum Dei peperit superbia: quia fastu inflati, jugum omne excutere cœperunt. Simul etiam in homines fuerunt contumeliosi & sævi: quia fieri non potest ut se modeste gerant erga homines, qui parere Deo non sustinent. Addit Moses, *fuisse viros nominis.* quo significat, gloriatos esse in suis sceleribus, & fuisse honorificos latrones, ut loquuntur. Nec vero dubium est quin aliquid habuerint vulgo excellentius, quod illis conciliaret gratiam in mundo & gloriam. Interea tamen sub magnifico heroum titulo crudeliter dominati sunt, & ex fratrum injuriis ac oppressione sibi acquisierunt potentiam ac nomen. Atque hæc prima fuit mundi nobilitas: nequis longa & fumosa imaginum serie nimium sibi placeat; ea, inquam, nobilitas, quæ nonnisi ex aliorum despectu & contumelia in sublime se attollit. Nominis celebritas per se non damnatur: ut necesse est eminere præ aliis quos Dominus præcipuis dotibus ornavit, & utile est distinctos esse ordines in mundo. sed quum semper vitiosa sit ambitio: tum vero ubi accedit tyrannicâ ferocia, ut potentior minoribus insultet, malum est non tolerabile: multo autem indignius, dum sibi ex sceleribus dignitatem compatant improbi; & quo quisque audacior est ad nocendum, eo insolentius inanes titulorum fumos jactat. Cæterum ut ingeniosus artifex est Satan ad fabricanda mendacia, quibus Dei veritatem adulteret, hocque modo suspectam reddat: multa fabulati sunt Poetæ de Gigantibus: quos tamen filios Terræ ideo ab illis dici arbitror, quia nullo majorum exemplo ad dominationem prorumperint.

5. *Et vidit Jehovah quod multa malitia.*] Prosequitur Moses quod jam attigerat, non fuisse Deum in exigenda de mundi sceleribus pœna nimis durum vel præcipitem. Deum autem humanitus loquentem inducit per *ἀνθρωποπάθειαν*: quia exptimere aliter non poterat quod operæpretium fuit cognosci; Deum scilicet nec levi de causa, nec statim fuisse accensum ut mundum perderet. Nam verbo Videndi, longam patientiam notat: qua si diceret, Deum nonnisi re bene perspecta & diu considerata, postquam deploratos vidit homines, sententiam de illis delendis protulisse. Emphasin quoque non parvam habet quod sequitur, malitiam fuisse multam in terra. Mediocribus peccatis ignoscí poterat: si in aliqua tantum orbis parte regnasset impietas, poterant aliæ regiones à pœna immunes esse. Nunc quum iniquitas ad summum excrevit, & pervasit totam terram, ut nullum angulum amplius possideat integritas: sequitur plusquam maturum fuisse pœnæ tempus. Malitia igitur ingens passim regnabat, ut tota terra cooperta foret. Unde videmus, non ante aquarum diluvio perditam esse, quam scelerum colluvie submersam. *Omne figmentum cogitationum cordis.* Causam diluvii offendit Moses in externis sceleribus; nunc altius conscendit, fuisse scilicet non habitu modo, & male vivandi consuetudine perversos; sed interiorem malitiam altius infixam fuisse eorum cordibus, quam ut spes ulla resipiscentiæ esset. Non potuit certe magis ad vivum exprimere talem fuisse pravitatem, quæ nullo mediocri remedio esset sanabilis. Potest quidem fieri ut se interdum proiciant homines ad peccandum, in quibus tamen aliquid sanæ mentis reliquum manebit: sed Moses docet, ita penitus imbutum fuisse eorum, de quibus loquitur, ingenium malitia, ut tota mens nihil nisi damnabile proferret. Valde autem emphatica loquutio est qua utitur. Satis erat dixisse vitiosum esse cor ipsorum: non contentus hoc verbo, diserte ponit, Omne figmentum cogitationum cordis: & addit, Tantummodo: acsi negaret guttam Boni esse admixtam.

Omni die.] Quidam exponunt hanc particulam, A prima infantia: acsi diceret, ingenitam esse pravitatem hominibus ex quo nascuntur. Sed verior sensus est, Mundum tunc obduruisse in sua malitia: & adeo non redire ad bonam frugem, vel aliquem pœnitentiæ affectum concipere, ut continuo temporis progressu deterior fiat. Denique non esse paucorum dierum insaniam: sed obstinatam pravitatem, quam filii quasi hæreditario jure acceptam, à parentibus ad nepotes transmitterent. Cæterum quamvis hic de malitia loquatur Moses quæ tunc in mundo invaluerat, bene tamen & congruenter hinc elicitur generalis doctrina. Nec locum perperam detorquent qui extendunt ad totum humanum genus. sic David, quum dicit omnes defeciviſſe, inutiles esse factos, neminem esse qui bonitati studeat, non usque ad unum, sepulchrum patens esse guttur eorum, non esse Dei timorem illis ante oculos: seculi quidem sui impietatem deplorat: Paulus tamen trahere non dubitat (ad Romanos 3. vers. 12.) ad omnes omnium ætatum mortales; & merito. neque enim simplex est de paucis hominibus querimonia, sed humani ingenii descriptio, ubi Spiritu Dei vacuum sibi relinquitur. Optime ergo convenit damnari his verbis hominum pervicaciam, qui Dei bonitate nimis diu abusi erant: simul tamen in medium proponi qualis sit hominum natura, ubi Spiritus gratia destituitur. *Psal. 5. vers. 10. & 14: 3.*

6. *Tunc pœnituit Dominum quod fecisset hominem in terra.*] Pœnitentia quæ tribuitur Deo, non proprie in ipsum competit, sed ad sensum nostrum refertur. Quia enim eum apprehendere non possumus qualis est: necesse est ut se quodammodo nostra causa transfiguret. Quod non cadat in Deum pœnitentia, hoc uno facile constat, quia nihil illi inopinatum, vel non prævisum accidit. Ejusdem rationis ac notæ est quod sequitur, affectum fuisse Deum mœstitia. Certe non mœret Deus vel tristatur: quin in cœlesti & beata sua quiete perpetuo sui similis manet: sed quia aliter percipi non potest quantum sit odium peccati in Deo, & quanta detestatio, ideo se Spiritus ad captum nostrum format. Quare nihil opus est spinosis & arduis quæstionibus nos involvere, quando perspicuum est quorsum spectent voces istæ pœnitentiæ & doloris: nempe ut sciamus Deum hominem, ex quo tantopere corruptus est, non censere inter creaturas suas: acsi diceret, Non est hoc opus meum, non est homo ille qui ad meam imaginem formatus, & tam egregiis dotibus à me ornatus fuerat: hunc degenerem & adulterinum pro meo jam agnoscere dedignor. Huic affine est quod de tristitia secundo loco ponitur: nempe atrocibus hominum peccatis non secus Deum offendi quam si lethali dolore cor ejus vulnerarent. Subest igitur tacita antithesis inter naturam integram, qualis à Deo condita fuerat, & corruptionem quæ ex peccato orta est. Interea nisi Deum provocare libet, & mœrore afficere, discamus odio habere, & fugere peccatum. Quin etiam hæc tam paterna bonitas & indulgentia non parum retrahere nos debet à peccandi libidine, quod Deus, ut efficacius penetret in corda nostra, affectus nostros induit. Figuram hanc *ἀνθρωποπάθειαν* votarunt, quoties in se transfert Deus quod humanæ naturæ proprium est.

7. *Delebo homines quos creavi, à superficie terræ, ab homine usque ad jumentum.*] Deum rursus deliberantem inducit, ut melius sciemus non fuisse nisi

maturo Dei consilio deletum orbem. Nam hac de re voluit Spiritus Domini nos diligenter admonitos, ut antiam præcideret impiis querelis, ad quas nimis facile alioqui prorumpimus. Loqui autem accipitur pro decernere: quia nullam vocem emisit Deus, sed intus statuit quid facturus esset. Adde quod opus non habuit novo consilio, hominum more, ut quasi de re nuper cognita judicium ferret. Verum hoc totum infirmitatis nostræ respecta dicitur, ut nunquam cogitemus de diluvio, quin subinde occurrat justum fuisse Dei vindictam. Porro Deus hominum pœnam non contentus, usque ad bestias, & pecora, & aves, & omne animantium genus procedit. Quæ in re videtur modum excedere: quantumvis enim illi odiosa sit hominum impietas, quorsum attinet in animalia innoxia sævire? Sed quæ in hominis gratiam creata erant, & vivebant in ejus usum, non mirum est cum ejus interim misceri: nihil prömeriti erant asini & boves, nihil reliqua animalia: sed quia homini subjecta erant, ipso cadente, in eandem simul ruinam trahuntur. Erat tetra quasi locuples domus, omnigena supellectilis copia & varietate bene instructa. Nunc quia homo & terram ipsam inquinavit suis sceleribus, & omnes quibus referta erat divitias fœde corrupit, illic quoque pœnæ monumentum extare voluit Dominus: quemadmodum si judex de homine maxime scelerato & nefario pœnam sumpturus, majoris ignominiæ causa, domum ejus funditus dirui jubeat. Atque hoc totum ad incutiendum nobis peccati horrorem spectat: quanta enim sit ejus atrocitas, colligere promptum est, cujus pœna ad brutas usque creaturas effunditur.

8. *Noah invenit gratiam in oculis Domini.*] Hebraica est phrasis, quæ significat Deum illi propitium fuisse, & faventem. Sic enim loqui solent Hebræi, Si inveni gratiam in oculis tuis: pro eo quod est, Si tibi gratus sum, vel me dignaris benevolentia & favore. Quod ideo notandum est, quia futili argutia colligunt indocti quidam, si coram Deo gratiam invenium homines, sua igitur industria & meritis eam quæsisse. Fateor quidem hic narrari gratum fuisse Noah Deo, quia probe & sancte vivens, purum se à communibus mundi inquinamentis servabat: sed unde talis illi integritas, nisi quia jam præventus erat Dei gratia? Initium ergo favoris, gratuita misericordia fuit. Postea Dominus illum semel complexus, sub manu sua continuit, ne cum reliquo mundo perissem iret.

9. *Hæc sunt generationes Noah.*] Vox Hebraica תולדות hoc proprie significat. Quanquam aliquando latius extenditur, nempe ad totam vitæ historiam: atque hic videtur esse præsentis loci sensus. Nam quum præfatus esset Moses unum hominem repertum esse, quem Deus, perdito totum mundum instituens, servare vellet, breviter exponit qualis fuerit ille. Ac primo dicit fuisse justum & integrum inter coætis suæ homines: nam aliud est Hebraicum nomen דור, quod seculum, vel ætatem sonat. תמים, pro quo vetus Interpres perfectum solet reddere, tantundem valet atque integer, vel sincerus: & duplici, vel fucato, ac vano opponitur. Nec temere simul hæc duo connectit Moses. Mundus enim, ut semper ducitur externo splendore, justitiam æstimat non ab affectu cordis, sed à nudis operibus. Atqui si cupimus nos Deo probari & justi coram ipso censeri, non manus tantum, & oculos, & pedes componere oportet in Legis obsequium: sed cordis integritas in primis requiritur, & in vera definitione justitiæ priorem locum tenet. Sciamus tamen justos vocari, & integros, non qui absoluti sint omni ex parte, & quibus nihil desit, sed qui rectitudinem pure & ex animo colunt. Scimus enim Deum non ægre ferre cum suis, ut ad perfectam Legis normam eorum vitam exigat: nam modo ne in illis regnet hypocrisis, sed vigeat purum recti studium, & eorum corda occupet, justos pro sua indulgentia pronunciat. Particula, *in suis generationibus*, emphatica est. Jam enim sæpius dixit, & mox iterum repetet; nihil fuisse corruptius illo seculo. Itaque mirabile fuit constantiæ exemplum, quod undique scelerum fœtore circumdatus, contagionem inde nullam contraxit. Scimus quanta sit vis consuetudinis, ut nihil difficilius sit quam sancte versari inter impios, nec malis eorum exemplis abduci. Vix centesimus quisque est qui non in ore habeat diabolicum illud proverbium, Ululandum esse inter lupos: & major pars legem sibi ex communi usu statuens, licitum esse judicat quicquid vulgo receptum est. Cæterum ut hic laudatur singularis virtus Noah, ita meminerimus nobis præscribi quid agendum sit, toto mundo in perniciem suam ruente. Si hodie adeo vitiati sunt hominum mores, & tota vitæ ratio tam confusa, ut rarissima sit probitas: magis fœda & horribilis fuit confusio tempore Noah, ut ne unum quidem haberet in Dei cultu & recti studio socium. Si potuit ille contra totius mundi corruptelas, & tam densos ac violentos iniquitatis impetus eniti; nulla nos manet excusatio, nisi eadem animi fortitudine per innumera vitiorum obstacula rectum cursum prosequimur. Nec à verisimilitudine abhorret, ætates dixisse Mosen plurali numero, quo melius exprimeret quàm strenuus & invictus athleta fuerit Noah, quem tot secula non mutarunt. Adhæc quem tenuerit colendæ justitiæ modum exponitur in contextu, nempe quod ambulaverit cum Deo: quam virtutem etiam in sancto Patre Enoch laudavit proximo capite, ubi diximus quid hoc valeret. Quum tanta esset morum corruptio in terra, si hominum respectum habuisset Noah, abreptus esset in profundum labyrinthum. Unicum ergo remedium videt, si posthabitis hominibus, sensus omnes suos ad Deum colligat, & eum sibi constituat vitæ arbitrum. Unde apparet quam stulte clamitent Papistæ, sequendos esse Patres: quum diserte Spiritus ab hominum imitatione revocet, nisi quatenus ad Deum nos ducunt. Quod iterum tres ejus filios nominat Moses, huc respicit, ut sciamus, in maxima tristitia, qua fere consumi potuit, datum tamen illi fuisse animum gignendæ sobolis, ut Deus sepositum aliquod haberet exiguum semen.

11. *Et corrupta erat terra coram Deo.*] Priore membro designat Moses impium Dei contemptum, quod nulla amplius religio fuerit in mundo: sed extincta justitiæ luce, omnes ad peccandum projecti fuerint. Secundo membro declarat, grassatam esse nocendi libidinem, fraudes, injurias, rapinas, omneque genus injustitiæ. Atque hi sunt impietatis fructus, ut homines, postquam à Deo defecerint, mutuæ inter se æquitatis obliti, ad immanem truculentiam, ad rapinas, & quasvis oppressiones ferantur. Ac rursus inculcat Deum hoc vidisse, ut longam ejus tolerantiam nobis commendet. Terra hic pro incolis sumitur: & mox sequitur expositio, Quod omnis caro corruperit viam suam. Carnis vero nomen non sonat in malam partem, ut prius: sed absque ullius denotatione pro hominibus accipitur. Quemadmodum aliis Scripturæ locis: Videbit omnis caro gloriam Domini. Item, Sileat à facie Domini omnis caro. *Esa. 40. vers. 5. Zach. 2. vers. 13.*

13. *Dixit itaque Deus ad Noah.*] Hic narrare incipit Moses qualiter servatus fuerit Noah. Ac primo dicit patefactum illi fuisse Dei consilium de mundo perdendo. Secundo, datum fuisse extruendæ arcæ mandatum. Tertio, promissam illi esse salutem, si Deo obsequutus, in arcam se abderet. Hæc capita distincte notanda sunt: sicuti Apostolus, quum *Hebr. 7. vers. 11.* fidem Noah prædicat, timorem & obedientiam cum fiducia conjungit. Certum est autem eo consilio admonitum fuisse Noah de horribili vindicta quæ instabat, non solum ut confirmaretur in sancto propo-

posito,

posito, sed ut timore coactus obstantia sibi gratiam ardentius expeteret. Scimus primo malorum impunitas sit interdum bonis quoque persandi allectiva: poenæ igitur futuræ denunciatio valere debuit ad frenandum sancti viri animum: ne paulatim labendo, penitus tandem in eandem lasciviam defluereret. Alterum tamen illud præcipue spectavit Deus; ut terribile mundi exitium assiduo sibi ante oculos ponens, ad meditationem & sollicitudinem magis ac magis stimularetur. Necesse enim erat ut desperatione alibi confusus, salutem suam fide in arcam includeret. Quamdiu enim vitam sibi pollicitus fuisset in terra, nunquam ad ædificium arcæ, ut decebat, intentus fuisset: tremefactus autem Dei judicio, promissionem vitæ sibi datam cupide amplectitur. Non subsistit amplius in naturalibus vitæ causis, vel medis: sed recumbit in solum Dei fœdus, quo mirabiliter servandus erat. Nullus illi molestus vel difficilis est labor, nullo tædio frangitur. Acrior enim ad eum pungendum est iræ Dei stimulus quam ut carnis delitiis indormiat, vel fatisfat sub tentationibus, vel remoram illi vanæ spes afferat: quin potius seipsum tam ad fugienda peccata, quam ad quærendum remedium sollicitat. Atque hanc fidei ejus non minimam fuisse partem Apostolus docet, quod scilicet ab iis quæ non videbantur, metuens, arcam aptavit. Quum simpliciter de fide agitur, tamen in rationem veniunt misericordia & gratuita promissio: sed quum exprimere voluimus omnes ejus partes, totamque vim & naturam ejus excutere, necesse est timorem quoque adjungi. Et sane nemo unquam serio ad Dei misericordiam confugiet, nisi qui Dei minis tactus, judicium æternæ mortis quod illæ denunciant, horrebit, ut sibi in peccatis displiceat, non indulgeat secure vitiis suis, neque torpeat in sordibus: sed ad malorum suorum medicinam anxius suspiret. Ex singulare fuit gratiæ privilegium, quod Deus Noah de futuro diluvio admonuit. Minas quidem communiter electis & reprobis plerumque proponi jubet, ut ad pœnitentiam utrosque invitans, priores humiliet, hos vero reddat inexcusabiles. Sed dum major pars surdis auribus respirat quicquid dicitur, peculiariter ad suos qui sunt adhuc sanabiles, convertit sermonem, ut judicii sui metu eos ad pietatem erudiat. Videri tunc poterat optabilis impiorum conditio, præ anxietate sancti Noah. Illis sibi in suis delitiis secure blandiebantur: scimus enim quid de illius temporis luxuria pronunciet Christus. Sanctus vir interea; quasi singulis momentis obruenda esset terra, anxius & mœstus gemebat. Verum si finem expendas, Deus inæstimabili beneficio servum suum dignatus est, quum illi periculum denunciavit à quo caveret.

Luc. 17. vers. 26.

Repleta est terra iniquitate à facie eorum.] Significat Deus è medio tollendos esse, ut purgetur terra, quam homines tam scelerati sua præsentia inquinant. Porro non ideo solum iniquitatem commemorat, & violentiam, fraudes, rapinas quas inter se exercebant, quia jus suum remittere velis, sed quia crassior erat hæc & quasi palpabilis scelerum demonstratio.

14. *Fac tibi arcam è lignis gopher.*] Sequitur mandatum extruendæ arcæ, in quo Deus mirifice servi sui fidem & obedientiam probavit. Sed de structura non est cur anxie laboremus: nisi quatenus ad ædificationem nostram interest. Primum, de specie ligni non convenit, etiam inter Judæos. Gopher enim alii cedrum, alii abietem, alii pinum interpretantur. Variant etiam in tabulatis, quia putant multi sentinam fuisse quarto loco, quæ extremenca & alias immundas ditias reciperet. Alii in triplici contignatione quinque mansiones faciunt, quarum summam avibus destinant. Sunt qui putent non ultra tres ordines fuisse in altitudinem, sed quæ mediis tabulatis inter se distincti fuerint. Prætereà de fenestra non consentiunt; quibusdam enim videtur non unam tantum sed plures fuisse. Sunt etiam qui dicant fuisse apertas ad recipiendum aerem. Alii autem contendunt tantum lucis causa fuisse compositas, idcoque obductas fuisse crystallo, & illitas bitumine. Mihi videtur magis probabile onam fuisse duntaxat, neque lucis causa exclusam, sed quæ clausa maneret, nisi quum poscebatur usus eam aperiri, ut possea videbimus. Deinde triplicem fuisse contignationem, & separatas domunculas, ratione nobis incognita. Difficilior objicitur quæstio de magnitudine. Nam olim profani quidam homines suis sannis Mosen vexarunt, quod tam angusto spatio ingentem animalium turbam inclusam finxisset: cujus pars tertia vix quatuor elephantos caperet. Hanc objectionem solvit Origenes, cubitum geometricum à Mose notari dicens, qui sextuplo major est quam vulgaris: in cujus sententiam descendit Augustinus lib. de Civit. Dei 15. & lib. 17. Quæstionum in Genesin. Fatetur equidem quod obtendunt, Mosen qui eductus fuerat in omni scientia Ægyptiorum, non fuisse Geometriæ expertem: sed quum sciamus ubique crassa Minerva ad captum vulgi loquutum esse, & consulto abstinuisse à disputationibus acutis, quæ scholam & interiores literas saperent: mihi nequaquam persuadeo, hoc loco præter suum morem geometrica subtilitate usum esse. Certe capite primo non dissentit argute de astris, ut Philosophum decebat: sed populariter ex rudium aspectu potius quam ex reipsa, solem & lunam duo luminaria magna vocavit. Ita ubique perspicere licet, usitatis nominibus res omnis generis fuisse ab eo designatas. Cæterum quis tunc fuerit cubiti modus ignoro: quia mihi sufficit non latuisse Deum (quem sine controversia primarium arcæ fabrum agnosco) quarum rerum capax esset locus quem servo suo describit. Si extraordinariam Dei potentiam excludas ab hac historia, meras fabulas narrari dices. Nobis vero, qui fatemur incredibili miraculo servatas fuisse mundi reliquias, adeo absurdum videri non debet multa hic referri prodigia, ut potius inde melius refulgeat arcana illa & incomprehensibilis Dei virtus, quæ sensus omnes nostros longe superat. Hoc Porphyrius, vel quispiam alius canis, fabulosum esse obganniet, quia non apparet ratio, vel quia est insolitum, vel quia repugnat communis ordo naturæ. Ego regero contra: totam hanc Mosis narrationem, nisi miraculis referta esset, frigidam & jejunam, & ridiculam fore dico. Qui vero immensam divinæ omnipotentiæ abyssum in hac historia reputabit, ut par est, reverenter potius stupebit quam proterve rideat. Quod allegorice ad Christi corpus Augustinus figuram arcæ trahit, tam lib. 15. de Civitate Dei, quam 12. adversus Faustum, consulto prætereo, quia nihil illic fere reperio solidi. Origenes etiam audacius allegoriis ludit: sed nihil utilius est quam in genuina rerum tractatione insistere. Arcam fuisse Ecclesiæ imaginem certum est, teste Petro: verum singulas ejus partes ad Ecclesiam aptare, minime consentaneum est, ut suo loco iterum attingam.

1 Pet. 3. vers. 21.

18. *Et statuam pactum meum tecum.*] Quia plusquam difficilis erat arcæ fabrica, & innumera subinde obstacula supervenire poterant quæ abrumperent inceptum opus, addita promissione servum suum Deus confirmat. Ita animatus fuit Noah ad parendum Deo, dum ejus promissione fretus, non irritum fore suum laborem confidit. Tunc enim demum libenter amplectimur Dei mandata, ubi accedit promissio quæ non frustra nos operam consumere docet. Unde apparet quam stulte desipiant Papistæ, qui homines impellunt abduci fidei doctrina à recte agendi studio. Qualis enim erit nostra alacritas ad recte agendum nisi præluceat fides? Sciamus ergo solas esse Dei promissiones quæ nos vivificant, & singulis membris nostris inspirant vigorem ad parendum Deo? Hæc ipsis vero nos non modo

ignavos torpere, ſed prope exanimes, ut neque pedes neque manus ſuum faciant officium. Ac proinde quoties languemus, vel remiſſiores ſumus quam oporteat, ad bona opera: nobis occurrant promiſſiones Dei, quæ tarditatem noſtram corrigant. Sic (teſte Paulo, ad Coloſſ 1. verſ. 5) viget in ſanctis charitas propter ſpem in cœlis repoſitam. Præſertim vero ne deficiant in medio itinere fideles, oeceſſe eſt verbo Dei confirmari; ut certo ſtatuunt ſe non ſerem verberare, ut loquuntur: ſed io promiſſione ſibi data acquieſcentes, ſecuri de ſucceſſu, vocantem Deum ſequantur. Tenenda igitur eſt hæc connexio, quod poſtquam præcepit Deus ſervo ſuo Noah quid facere ipſum velit: quo illum ſibi obſequentem habeat, teſtatur ſe nihil fruſtra ab eo exigere. Summa autem pacti hujus de quo loquitur Moſes, erat, Noah futurum incolumem, quamvis totus mundus diluvio periret. Tacita enim ſubeſt antitheſis, quod toto mundo rejecto, peculiare ſancire fœdus velit Dominus cum unico Noah. Quare hanc Dei promiſſionem, vel hoc pactum, inſtae muri ferrei opponere debuit Noah contra omnes mortis terrores: ſicuti conſilium Dei fuit vitam à morte hoc ſolo verbo diſcernere. Pactum vero hac lege cum eo ſancitur, ut in ejus gratiam ſervetur ejus familia: deiode bruta animalia ad reparandum novum mundum. qua de re plura dicturus ſum cap. 9.

19. *Et ex omni vivente.*] Animalia omnis carnis vocat cujuſcunque ſint generis. Bina autem dicit, non quod unum pae ſolum ex ſingulis ſpeciebus receptum fuerit in arcam: (paulo poſt eoim videbimus terna fuiſſe paria: & unum præterea animal ex generibus muodis, quod Noah poſtea in ſacrificium offerret) ſed quia hic tantum de ſobole ſit mentio, numerus diſerte nondum exprimitur: ſed tantum mares copulantur cum fœminis, ut iode concipiat Noah totius mundi reparationem.

22. *Et fecit Noah.*] Brevibus quidem verbis, ſed pluſquam magnifice hic Moſes commendat fidem Noah. Mirantur imperiti quod Apoſtolus ad Hebr. 11. verſ. 7. illum juſtitiæ quæ ſecundum fidem eſt, faciat hæredem. Quaſi vero non prodierit ex hoc fonte quicquid virtutum, & quicquid laude dignum io ſancto viro fuit. Venire enim io mentem debet quibus tentationum machinis aſſidue concuſſum fuerit ejus pectus. Primum ipſa moles arcæ potuit obruere omnes ejus ſenſus, ut ne digitum quidem ad opus inchoandum tolleret. Quanta arborum congeries cædenda fuit, ſibi proponant lectores: quantus fuerit vecturæ labor, quanta difficultas coagmentandi. Jam res in longum tempus differebatur. Sanctum enim virum ultra annos centum io labore moleſtiſſimo occupari oportuit. Nec vero putandum eſt tam ſtupidum fuiſſe quin venerint illi in mentem ejuſmodi obſtacula. Adde quod vix ſperandum fuit paſſuros eſſe ejus ſeculi homines ut eum eorum ignominia ſibi privatim ſalutem promitteret. Prius de immani eorum truculentia dictum fuit. Minime ergo dubium eſt quin homines modeſtos & ſimplices ſine cauſa quotidie laceſſerent. Hæc vero plauſibilis inſultandi occaſio fuit, quod Noah paſſim arbores cædendo terram nudaret, ac illos fraudaret variis commodis. Vulgare proverbium eſt, De umbra aſini protervos homines & jurgioſos litigare. Quid igitur pro tot arborum umbris facturos putaſſet Noah ſævos illos Cyclopes, qui ad omnem violentiam exercitati, ferociendi animam undique captabant? Sed hoc ad inflammandam eorum rabiem præcipuum fuit, quod ſibi aſylum fabricans, omnes exitio addiceret. Certe niſi oblubii fuiſſent robuſta Dei manu, centies lapidaſſent ſanctum virum: probabile tamen eſt, non uſque eo repreſſam fuiſſe intemperiem quin ſcommatibus & ludibriis ſubinde eum inceſſerent, adeoque lacerarent multis probris, & atrocibus minis impeterent. Imo non arbitror abſtinuiſſe manus ab opere turbando. Ergo quamvis alacriter mandatum ſibi opus aggreſſus foret, potuit tamen quotannis plus millies labaſcere ejus conſtantia, niſi valde firmas egiſſet radices. Adhæc quum res eſſet per ſe impoſſibilis, unde unius anni annona? unde tot animalibus pabulum? Reponere jubetur quod toti familiæ, pecoribus, & feris beſtiis, avibus denique in victum decem menſium ſufficiat. Hoc vero ridiculum, poſtquam ab agricultura traductus erat ad arcæ fabricam, illi mandari ut duplicem proventum colligeret: ſed in pabulo animalium multo plus erat negotii. Ergo ſuſpicari poterat Deum ſibi illudere. Poſtremum erat ut animalia omne genus congregaret. Quaſi vero ad manum haberet ſylveſtres belluas, vel cicurare poſſet: ut in ergaſtulo lupi cum agnis, tigres cum leporibus, leones cum bobus, tanquam oves in ſuo ſtabulo habitarent. Sed tentatio omnium graviſſima fuit, quod vitæ pertendæ cauſa jubetur in ſepulchrum deſcendere, & ſe ultro privare aere & ſpiritu vitali: ſolus enim ſtercorum fœtor, obſtructus ut erat in loco referto, ſtatim poſt triduum enecare poterat quicquid illic animantium fuit. Veniant nobis in mentem tam graves, & multiplices, & diuturni ſancti viri conflictus, ut ſciamus quam heroica fuerit virtus ad extremum proſequi quod Deus mandaverat. Dicit quidem uno verbo Moſes ipſum feciſſe: ſed cogitandum eſt quanto iſtud facere ſuperius humana virtute fuerit: ut præſtaret centies mori quam ſuſcipere tam laboriosum opus, niſi aliquid altius præſenti vita ſpectaſſet. Singulare ergo obedientiæ exemplum nobis hic deferibtur: quia Noah totum ſe Deo permittens, debitum illi honorem reddidit. Scimus in hac naturæ pravitate quam prompti ſint homines ad quærenda effugia, & ingenioſi ad comminiſcendos prætextus, ne Deo pareant. Quare diſcamus & nos per omne genus impedimenta perrumpere, nec locum dare pravis cogitationibus, quæ ſe Dei verbo opponunt, & quibus mentes noſtras implicare conatur Satan, ne pergant quo Deus vocat. Hunc enim ſibi honorem haberi maxime flagitat Deus, ut eum ſinamus pro nobis ſapere. Atque hæc vera eſt fidei probatio, quum uno ejus mandato contenti, ad opus nos accingimus, nec curſum reflectimus, quicquid obſtaculi nobis ingerat Satan, ſed alis fidei ſupra mundum evehimur. Exprimit etiam Moſes non una tantum in parte Noah paruiſſe Deo, ſed in omnibus fuiſſe obedientem. Quod diligenter notandum eſt: quia inde maxime oritur horribilis in vita noſtra confuſio, quod non poſſumus ſine exceptione nos in totum Deo ſubjicere, ſed parte aliqua defuncti, affectus noſtros ejus verbo ſæpe miſcemus. Hoc autem nomine laudatur obedientia Noah, quod integra fuerit, non dimidia: ut nihil eorum quæ Dominus juſſerat, prætermiſerit.

CAPUT VII.

ET dixit Jehova ad Noah, Ingredere tu, & omnis domus tua arcam: quia te vidi juſtum coram me in ætate iſta.

2. Ex omni animali mundo capies tibi ſeptena ſeptena, virum & fœmellam ejus: & ex animali quod non mundum eſt, bina, virum & fœmellam ejus.

3. Etiam ex volatili cæli ſeptena, maſculum & fœmellam: ut vivum conſervetur ſemen in ſuperficie omnis terræ.

4. Quia

4. Quia post dies adhuc septem ego pluam super terram quadraginta dies & quadraginta noctes: & delebo omnem substantiam quam feci, à superficie terræ.

5. Et fecit Noah secundum omnia quæ præceperat ei Jehova.

6. Noah autem erat sexcentorum annorum quando diluvium fuit aquarum super terram.

7. Et ingressus Noah, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam, propter aquas diluvii.

8. Ex animali mundo, & ex animali quod non erat mundum, & ex volatili, & ex omni quod reptat super terram,

9. Bina bina ingressa sunt ad Noah in arcam, masculus & fœmella: quemadmodum præceperat Deus ipsi Noah.

10. Et fuit, post septem dies aquæ diluvii fuerunt super terram.

11. In anno sexcentesimo annorum vitæ Noah, in mense secundo, in septimadecima die mensis, die ipsa, rupti sunt omnes fontes voraginis magnæ, & fenestræ cæli apertæ sunt:

12. Et fuit pluvia super terram quadraginta dies & quadraginta noctes.

13. Ipso eodem die ingressus est Noah, & Sem, & Cham, & Japheth, filii Noah, & uxor Noah, tresque uxores filiorum ejus cum illis, in arcam:

14. Ipsi, & omnis bestia juxta speciem suam, & omne animal juxta speciem suam, & omne reptile quod reptat super terram, secundum speciem suam & omne volatile juxta speciem suam, omnis avis, & omne alatum.

15. Ingressa sunt igitur ad Noah in arcam, bina bina ex omni carne in qua erat spiritus vitæ.

16. Et quæ ingressa sunt, masculus & fœmina ex omni carne ingressa sunt, quemadmodum præceperat ei Deus: & clausit Jehova super eum.

17. Et factum est diluvium quadraginta dies super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, elevaveruntque arcam: itaque elevata est à terra.

18. Et prævaluerunt aquæ, & multiplicatæ sunt valde super terram, & fluitabat arca super faciem aquarum.

19. Roboraverunt itaque se aquæ valde super terram, & operti sunt omnes montes excelsi qui erant sub universo cælo.

20. Quindecim cubitis superne roboraverunt se aquæ, ita ut operti sint montes.

21. Et mortua est omnis caro quæ reptabat super terram, tam de volatili quam de animali & bestia, & omni reptili quod reptat super terram, & omni homine.

22. Omnia in quorum nare erat anhelitus spiritus vitæ, ex omnibus quæ erant in sicco, mortua sunt.

23. Et delevit omnem substantiam vivam quæ erat super faciem terræ, ab homine usque ad jumentum, usque ad reptile, & usque ad volatile cæli: & deleta sunt è terra, & remansit tantum Noah, & qui cum eo erant in arca.

24. Et roboraverunt se aquæ super terram quinquaginta & centum dies.

1. *Et dixit Jehova ad Noah.*] Mihi non dubium est quin repetitis oraculis sæpius confirmatus fuerit Noah: ut certe necesse erat. Jam maximos totis centum annis & tempestuosos infultus sustinuerat, & invictus athleta retulerat memorabiles victorias: sed hoc fuit acerrimum certamen, valedicere mundo, & communi vitæ renunciare, ut se in arcam abderet. Integra erat tunc terræ facies: & Moses anni tempus designat quo herbæ virere, & arbores florere incipiunt. Transacta erat hyems, quæ cæli & terræ lætitiam aspero & squalido rigore contrahit. Articulum perdendi mundi elegit Dominus in ipsa veris temperie. Initium enim diluvii Moses fuisse tradit mense secundo. quanquam scio de hac re diversas esse sententias. Sunt enim qui annum inchoant ab æquinoctio autumnali: sed ratio illa anni ordinandi magis recepta est, ut à mense Martio incipiat. Utcunque res habeat, non levis fuit tentatio, vitam cui assueverat Noah per sexcentos annos, sponte relinquere, & novum vivendi modum quærere in abysso mortis. Jubetur migrare è mundo, ut in sepulchro vivat quod sibi laboriose fodit per annos plus centum. Cur istud? quia paulo post aquarum illuvie mergenda sit terra. Atqui nihil tale apparet: indulgent omnes conviviis, nuptias celebrant, sumptuosas extruunt domos: denique passim lautitiæ & luxuria: quemadmodum testatur Christus, seculum illud in voluptatibus suis ebrium fuisse. Quare non absre factum est quod Dominus servi sui animum nova promissione rursus deintegro erexit & armavit, ne succumberet. quasi diceret, Hactenus fortiter laborasti: inter tot scandala: sed nunc res maxime postulat ut animum colligas, ut fructum percipias laboris tui: neque expecta dum apertis terræ venis aquæ undique ebulliant, & apertis cæli cataractis oppositio impetu concurrant superiores aquæ; sed rebus adhuc tranquillis arcam ingressus, illic ad septem dies quietus mane: tunc subito diluvium emerget. Etsi autem nunc non afferuntur è cælo oracula, sciamus continuam verbi meditationem non supervacuam esse: nam ut novæ subinde oriuntur nobis difficultates, ita Deus aliis atque aliis promissionibus fidem nostram instaurat: ut collecto vigore tandem perveniat usque ad metam. Nostrum vero est cupide audire loquentem Deum: nec pravo fastidio exercitia rejicere, aut negligere quasi supervacua, quibus fidem nostram vel fovet, vel excitat, vel confirmat, prout eam vel teneram adhuc, vel languidam, vel debilem esse novit. *Quia te vidi justum.* Quum Dominus hanc sibi causam fuisse assignat servandi Noah, quia justum cognoverit; videtur meritis operum tribuere salutis laudem: nam si servatus est Noah quia justus erat, sequitur nos vitam bonis operibus promereri. Sed hic prudenter expendere convenit Dei consilium: nempe quod opponere voluit hominem unum toti mundo: ut in illius persona,

Luc. 17. vers. 26.

ſona, omnium injuſtitiam damnaret. Iterum enim teſtatur juſtam eſſe quam de mundo vindictam ſumpturus eſt: quia unus tantum reliquus fuerit homo qui tunc juſtitiam coleret, in cujus gratiam propitius eſt toti familiæ. Si quis tamen excipiat, probari ex hoc loco Deum in ſervandis hominibus habere operum reſpectum: ſolutio in promptu eſt, non pugnare hoc cum gratuita acceptione, quod dona quæ ſervis ſuis contulit, accepta habet. Notandum eſt primo, gratis eum amare homines, dum nihil in illis reperit niſi odio iliguum: quandoquidem naſcuntur omnes filii iræ, & æternæ maledictionis hæredes. Hoc reſpectu eos ſibi adoptat in Chriſto, & mera miſericordia juſtificat. Poſtquam hoc modo ſibi eos reconciliavit, Spiritu quoque regenerat in novam vitam & juſtitiam. Hinc fluunt bona opera, quæ neceſſe eſt Deo ipſi placere. Ita non modo fideles amat, ſed eorum quoque opera. Notandum tamen eſt, quia ſemper aliquid vitii hæret in operibus, non poſſe probari niſi cum indulgentia. Gratia igitur Chriſti eſt quæ pretium operibus conciliat, non propria ipſorum dignitas vel meritum. Non tamen negamus quin veniant in rationem eorum Deo: quemadmodum hic agnoſcit & acceptat juſtitiam Noah, quæ ex ſua gratia profecta erat: atque hoc modo (ſicuti loquitur Auguſtinus) dona ſua coronet. Notandum etiam quod dicit, Vidi te juſtum coram me. Quo verbo non tantum redigit in nihilum omnes juſtitiæ larvas, quibus non ſubeſt interior ſinceritas cordis, ſed jus ſuum ſibi vendicat: acſi diceret, ſe ſolum eſſe idoneum judicem æſtimandæ juſtitiæ. Particula, *in generatione hac*, ſicuti dixi, ad amplificationem addita eſt. Adeo enim deplorata fuit ſeculi illius pravitas, ut prodigii loco habitus fuerit Noah à communi labe integer.

2. *Ex omni animali mundo.*] Iterum repetit quod prius de animalibus dixerat: nec fruſtra. Neque enim parum difficile fuit ex ſylvis, montibus, & luſtris colligere tantam ferarum multitudinem, quarum multæ forſan ſpecies ignotæ erant: & erat in pleriſque eadem quam nunc cernimus, ferocia. Quare ſanctum virum animat Deus, ne ea difficultate territus, & ſpe ſucceſſus abjecta, deficiat. Hic tamen aliqua primo intuitu repugnantiæ ſpecies apparet: quia quum bina prius dixiſſet, ſeptem nunc ponit. Solutio in promptu eſt: quia antehac numerum non expreſſit Moſes, ſed tantum dixit maſculis addendas fuiſſe forminas ſuas comites, acſi dixiſſet, juſſum fuiſſe ipſum Noah non promiſcue coacervare animalia, ſed paria ex illis deligere ad propagandam ſobolem. Nunc autem de numero ſermo eſt. Porro ſeptem & ſeptem, intellige non totidem paria ex ſingulis generibus, ſed terna, quibus ſuperadditur animal unum ſacrificii cauſa. Voluit autem Dominus triplo majorem reſtare mundorum animalium numerum, quod major futurus erat hominibus illorum uſus. In qua reputanda eſt paterna ejus erga nos bonitas, qua inducitur ut noſtri in omnibus rationem habeat.

3. *Ut vivum conſervetur ſemen.*] Hoc eſt, ut inde naſcatur ſoboles. Cæterum hoc refertur ad ipſum Noah. Etſi enim ſolus Deus proprie loquendo vivificat, reſpicit tamen Deus quas ſervo ſuo partes injunxerit: & miniſterii reſpectu jubet eum animalia colligere, ut ſemen vivificet. Nec mirum; quum Evangelii miniſtri dicantur vitam ſpiritualem conferre. In particula quæ proxime ſequitur, *ſuper faciem omnis terræ*, duplex ineſt conſolatio: quod æquæ poſtquam ad tempus terram operuerint, rurſus ſint ceſſuræ, ut appareat ſuperficies terræ arida. Deinde, quod non tantum ſuperſtes futurus ſit Noah: ſed Dei benedictione augendus ſit animalium numerus, ut ſe longe lateque diffundat per totum orbem. Ita in medio interitu futura inſtauratio illi promittitur. Multus in eo eſt Moſes ut oſtendat Deum modis omnibus curaſſe ſtinendum Noah in verbi ſui obſequio, & ſanctum virum prorſus acquieviſſe. Utilis ſane doctrina, præſertim quum aliquid incredibile promittit Deus vel minatur: quum non libenter recipiunt homines, niſi quod illis videtur probabile. Jam nihil minus carnis judicio conſentaneum erat quam mundum à ſuo opifice deleri: quia hoc erat totum naturæ ordinem ab eo ſanctum evertere. Quare niſi probe admonitus fuiſſet Noah de hoc terribili Dei judicio, nunquam auſus fuiſſet credere: ne Deum ſibi ipſi contrarium fingeret. Vox תבל, qua hic utitur Moſes, originem habet à ſtando: ſed proprie ſignificat quicquid vivit ac viget.

5. *Et fecit Noah juxta omnia.*] Non eſt nuda repetitio prioris ſententiæ: ſed eundem & perpetuum obedientiæ tenorem laudat Moſes in ſervandis omnibus Dei mandatis: acſi diceret, quacunque in parte placuit Deo ejus obedientiam probare, illum ſemper fuiſſe conſtantem. Nec certe uni vel alteri Dei mandato parere decet, ut mutila obedientia defunctus, deinde te ſubducas: tenendum eſt enim illud Jacobi, Qui vetuit occidere, furari etiam & mœchari vetuit. *Jacob. 2. verſ. 10.*

6. *Erat ſexcentorum annorum.*] Non ſine cauſa iterum deſcribit ætatem Noah. Hoc enim vitio inter alia laborat ſenectus, quod homines reddit magis ſegnes ac moroſos: quo magis perſpicue apparet fides Noah, quæ in ætate illa non defecit. Sicuti autem magna fuerat virtus per continuos centum annos non langueſcere: ita non parum laudis meretur ejus promptitudo, quod arcam ingredi juſſus, extemplo paret. Quum paulo poſt ſubjicit Moſes, ingreſſum fuiſſe propter aquas diluvii, non exponi debet, quaſi irruentibus aquis coactus ſit in arcam fugere: ſed quia verbo tremefactus, diluvium quod ridebant omnes alii, fide cernebat. Quare rurſus laudatur ejus fides in hac particula, quod ſcilicet ſupra cælum & terram oculos extulerit.

8. *Ex animali mundo.*] Nunc exprimit Moſes quod dubium adhuc erat, quomodo ſcilicet collecta fuerint animalia in arcam: dicit autem ſponte veniſſe. Hoc ſi cui videtur abſurdum, memoria repetat quod prius dictum fuit, inutio omne genus animalia ſe obtuliſſe Adæ, ut illis nomina imponeret. Nec ſane alia de cauſa horremus ferarum aſpectum niſi quia excuſſo Dei jugo imperium illud perdidimus, quo præditus erat Adam. Fuit autem illa quædam naturæ prioris reſtitutio, quum Deus ad Noah adduxit quæ ejus opera & miniſterio ſervari volebat. Neque enim ſecus inſtinctus belluas in ſua arca continuit Noah, quam in corte aluntur gallinæ & anſeres. Nec vero ſupervacuum eſt quod additur, veniſſe ipſa animalia ſicut Deus ipſi Noah præceperat: ſignificat enim Deum benedixiſſe obſequio Noah, ne irritus eſſet ejus labor. Impoſſibile erat ſecundum hominem, ut momento uno talis fieret omnium animalium concurſus: ſed quia Noah ſimpliciter Deo eventum commendans, quod ſibi injunctum eſt exequitur: viciſſim Deus virtutem addit præcepto ſuo, ne effectu careat. Imo proprie loquendo, hæc erat promiſſio Dei mandatis annexa. Ideo ſtatuendum eſt, fidem Noah plus valuiſſe omnibus plagis & retibus ad capturam animalium: eandem quoque jamam fuiſſe qua leones, & lupi, & tigres cum bobus & agnis placide ſe in arcam reciperent. Atque hæc una ratio eſt, qua difficultates omnes vincamus, dum facile eſſe Deo perſuaſi quod nobis impoſſibile eſt, alacritatem ex ſpe concipimus. Quomodo bina ingreſſa ſint animalia, prius dictum eſt. De menſe quoque diverſas interpretum opiniones retulimus. Nam quum Hebræi annum in rebus ſacris à Martio incipiant, in negotiis autem terrenis à Septembri: vel, quod idem eſt, duo æquinoctia duplex apud illos efficiant anni exordium: quidam putant

tant ſacrum annum hic notari, alii vero politicum. Cæterum quia prior annorum ratio divinitus ordinata fuit, & naturæ etiam magis conſentanea eſt, probabilius videtur circa vernum tempus cœpiſſe diluvium.

11. *Rupti ſunt omnes fontes.*] Revocat eos Moſes ad memoriam primæ creationis. Terra enim naturaliter aquis operta erat: & ſingulari Dei beneficio factum eſt ut loco cederint, quo vacuum aliquod ſpatium animantibus daretur. Et hoc fateri coguntur Philoſophi, præter naturam eſſe ut aquis infra ſubſidentibus aliqua terræ portio emineat. Scriptura autem inter Dei miracula hoc recenſet, quod maris impetum arcet quaſi repagulis, ne partem terræ ſubmergat, quæ hominibus in habitationem conceſſa eſt. Dixit etiam primo capite Moſes, aliis aquas ſurſum in cælo fuiſſe ſuſpenſas: quemadmodum & David tradit veteri inclusas tanquam in utre. Denique in regione terræ habitabili Deus theatrum hominibus erexit: & ſic arcana ejus virtute ne aquæ ſubterraneæ ad nos mergendos ebulliant, & ſimul conſpirent aquæ cæleſtes. Nunc autem dicit Moſes, quum Deus mundum perdere vellet diluvio, metas illas fuiſſe revulſas. Atque hic nobis conſiderandum eſt mirabile Dei conſilium: poterat enim tantum aquarum certis alveis, aut terræ venis includere, quod ad humanæ vitæ uſus ſufficeret: ſed conſulto inter duo ſepulchra nos poſuit, ne ſecura contemnamus ejus gratiam, unde vita noſtra dependet. Nam elementum aquæ, quod unum ex vitæ principiis conſtituunt Philoſophi, mortem nobis ſurſum ac deorſum minatur, niſi quatenus retinetur Dei manu. Quod dicit ruptos fuiſſe fontes, & apertas cataractas, metaphoricæ ſunt loquutiones, quibus intelligit non fluxiſſe aquas uſitato more, nec ſtillaſſe pluviam è cælo: ſed ſublata diſtinctione, quam videmus à Deo fuiſſe poſitam, nullas amplius fuiſſe feras quæ violentum impetum cohiberent.

12. *Et fuit pluvia.*] Quanquam aquarum claſtra fregit Dominus, non tamen vult uno momento erumpere, ut terram protinus abſorbeant: ſed pluviam diebus quadraginta continuat: partim ut Noah longa meditatione altius memoriæ ſuæ infigat quod prius verbo edoctus didicerat: partim ut impii ante mortem ſentirent eos inanes fuiſſe quas ludibrio habuerant minas. Qui enim tamdiu illuſerant Dei patientiæ, digni erant qui paulatim juſto ejus judicio ſe perire ſentirent, quod illis inſtar fabulæ per centum annos fuerat. Atque ita Dominus plerumque judicia ſua temperat, ut per otium melius expendant homines quæ ſubito tranſitu poſſent eos attonitos reddere. Sed hic ſe profert mira ingenii noſtri pravitas: quod ſi repente ira Dei ſe effundit, ſine ſenſu obſtupeſcimus: ſi autem progreditur certo modo, vileſcit ipſa conſuetudine: quia nec Dei manum libenter agnoſcimus ſine miraculis; & facile, quaſi obducto callo, ad conſpectum operum Dei obdureſcimus.

13. *Ipſo eodem die ingreſſus eſt Noah, & Sem.*] Sequitur repetitio ſatis verboſa, prout hiſtoriam diluvii breviter perſtringit Moſes: ſed tamen minime ſuperflua. Conſilium enim Spiritus fuit, nos retinere in conſideratione tam horrendæ ultionis, cui nulla verborum atrocitas par futura erat. Adhæc nihil hic narratur non difficile creditu: quare eadem ſæpius inculcat Moſes, ut quantumvis remota ſint à ſenſu noſtro, fidem tamen apud nos obtineant. Ira narratio de animalibus huc ſpectat, fide ſanctı Noah è ſylvis & latibulis attracta eſſe: ex vagis ſuis diſcurſibus collecta in unum locum, acſi Dei manu adducta forent. Videmus ergo ut non fruſtra in hac parte inſiſtat, ut ſciamus non fortuito, nec hominum induſtria ſervatas fuiſſe ſingulas animalium ſpecies: ſed quia Dominus quicquid voluit ſalvum manere, de manu (quod aiunt) in manum ipſi Noah porrexit & obtulit.

16. *Et cluſit eum Dominus.*] Neque hoc temere additum eſt, nec levitet præterirl decet. Oportuit amplam eſſe januam quæ elephantem caperet. Nec ſane ulla tam firma & tam tenax picatio, nulla etiam tam ſolida compactio eſſe potuit, ut non ſaltem multis rimis immenſa vis aquæ penetraret: præſertim in tam violenta irruptione, & jactatione tam ſæva. Ergo Moſes, ut anſam præcidat vanis ſpeculationibus, quas nobis curioſitas noſtra ſuggerit, uno verbo pronunciat, non humano artificio, ſed divino miraculo factum eſſe ut immunis fuerit arca à diluvio. Dubium quidem non eſt quin tunc novo ingenio & perſpicacia donatus fuerit Noah, ne quid deeſſet ad ſtructuram arcæ: ſed ne ſucceſſu careret hæc ipſa gratia, neceſſe fuit accedere aliquid majus. Quare ne ſenſus noſtri captu metiamur modum ſervandæ arcæ, docet Moſes non pice vel bitumine tantum, ſed magis arcana Dei virtute, & oppoſita ejus manu cohibitas fuiſſe aquas ne irrumperent.

17. *Et factum eſt diluvium.*] Copioſus etiam in eo eſt Moſes, ut totum orbem aquis ſubmerſum fuiſſe demonſtret. Porro hue narratio referenda eſt, ne tribuamus fortunæ diluvium quo periit mundus: quemadmodum hominibus ſolenne eſt velum aliquod obtendere Dei operibus, quod ejus vel bonitatem, vel judicia in illis obſcuret. Atqui dum clare exprimitur deletum fuiſſe quicquid in terra vigebat, hinc colligimus certum & illuſtre fuiſſe Dei judicium: præſertim quum ſolus Noah reſiduus maneat: propterea quod verbum in quo continebatur ſalus, fide amplexus ſit. Deinde in memoriam revocat quod prius diximus, quam deſperata ſcilicet fuerit hominum impietas, & quam gravia ſcelera quibus ad totum orbem deleodum inductus eſt Deus: qui certe pro ſua ingenti clementia opificio ſuo pepercíſſet, ſi mitiori remedio vidiſſet fore locum. Hæc autem duo eregione inter ſe oppoſita, ſimul conjungit: quod deletum fuerit totum humanum genus: interim vero Noah cum ſua familia ſalvus evaſerit. Hinc diſcendum eſt quid illi profuerit Deum uoum ſequi, poſthabito mundo: quod non tam facit Moſes laudandi hominis cauſa, quam ut nos ad ejus imitationem invitet. Cæterum ne à Deo nos abducat peccantium multitudo, patienter ferendum eſt quod eos ludibrio habeni impii, eohiſque inſultant: donec exitu ipſo oſteodat Dominus ſibi obedie otiam noſtram probatam eſſe. Hoc ſenſu Petrus Baptiſmi figuram fuiſſe docet, quod Noah ex diluvio univerſali emerſit: acſi diceret, modom ſalutis quam per Baptiſmum conſequimur, congruere cum liberatione illa Noah: quoniam hodie quoque mundus plenus eſt incredulis, ſicuti illo tempore terram occupabant: ideoque nos à majori turba ſegregare neceſſe ſit, ut nos Dominus ab interitu eripiat. Eadem ratione apte & merito arca Eccleſiæ confertur. Sed tenenda eſt ſimilitudo qua inter ſe mutuo reſpondent. ea autem in ſolo Dei verbo conſiſtit: quia ſicuti Noah Dei promiſſionem ſequutus, collegit ſe cum uxore & liberis, ut ſub quadam mortis ſpecie à morte emergeret: ſic nos mundo renoociare, & mori conveniet, ut nos verbo ſuo Dominus vivificet: neque enim alibi tura eſt ſalutis cuſtodis. Ridiculi vero ſunt Papiſtæ, qui arcam nobis ſine verbo fabricant.

1 *Petr.* 3. *verſ.* 21.

CAPUT VIII.

Caput VIII.

Recordatus est autem Deus Noah, & omnis bestiæ, & omnis animalis quæ erant cum eo in arca: & transire fecit Deus ventum super terram, & quieverunt aquæ.

2. Et clauserunt se fontes abyssi, fenestræque cæli, & prohibita est pluvia è cælo.

3. Et reversæ sunt aquæ à superficie terræ, eundo & redeundo, & defecerunt aquæ in fine quinquaginta & centum dierum.

4. Et requievit arca mense septimo, septimadecima die mensis, super montes Ararath.

5. Et aquæ ibant & deficiebant usque ad mensem decimum: in decimo, in prima mensis visa sunt cacumina montium.

6. Et fuit, in fine quadraginta dierum aperuit Noah fenestram arcæ quam fecerat.

7. Et misit corvum: & egressus est egrediendo & redeundo, donec siccarentur aquæ quæ erant super terram.

8. Deinde misit columbam à se, ut videret an extenuatæ essent aquæ à superficie terræ.

9. Et non invenit columba requiem plantæ pedis sui, & reversa est ad eum in arcam: quia aquæ erant in superficie omnis terræ. & misit manum suam, & accepit eam, introduxitque eam ad se in arcam.

10. Et expectavit adhuc septem dies alios, & addidit ut mitteret columbam ex arca.

11. Et venit ad eum columba tempore vespertino, & ecce, folium olivæ raptum erat in ore ejus, & cognovit Noah quod extenuatæ essent aquæ à superficie terræ.

12. Et expectavit adhuc septem alios, & misit columbam: & non addidit ut reverteretur ad eum amplius.

13. Et fuit, primo & sexcentesimo anno, primo *mense*, in prima mensis, siccatæ sunt aquæ à superficie terræ: removit autem Noah operimentum arcæ, & vidit, & ecce siccata erat facies terræ.

14. Et in mense secundo, in septima & vicesima die mensis, aruit terra.

15. Loquutus est autem Deus ad Noah, dicendo,

16. Egredere ex arca, tu, & uxor tua, & filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum.

17. Omnem bestiam quæ est tecum, ex omni carne, tam de volatili quam de animali, & omni reptili quod reptat super terram, educ tecum: ut se moveant in terra, & crescant, multiplicenturque super terram.

18. Et egressus est Noah, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo.

19. Omnis bestia, omne reptile & omne volatile, omne quod movetur super terram, secundum familias eorum egressa sunt ex arca.

20. Et ædificavit Noah altare Jehovæ, & tulit ex omni animali mundo, & ex omni volatili mundo, & obtulit holocausta in altari.

21. Odoratusque est Jehova odorem quietis. Et dixit Jehova in corde suo, Non addam ut maledicam ultra terræ propter hominem: quia cogitatio cordis hominis mala est à pueritia sua: nec addam ultra ut percutiam omne vivens quemadmodum feci.

22. Posthac omnibus diebus terræ, sementis & messis, & frigus & æstus, & æstas & hyems, & dies & nox non cessabunt.

1. *Recordatus est autem Deus Noah.*] Nunc peculiariter descendit Moses ad illam alteram partem, Noah spe salutis sibi divinitus promissæ non fuisse frustratum. Recordatio ista de qua loquitur Moses, non modo ad externam rei apparentiam (ut loquuntur) sed ad sanctã quoque viri affectum referri debet. Certum quidem est, Deum ex quo semel Noah in suum præsidium receperat, nunquam fuisse illius immemorem: imo non minore miraculo factum est ne suffocatus in ergastulo periret, quam si in aquis demersus vixisset sine spiritu. Et paulo ante dixit Moses, arcana Dei clausura retentas fuisse aquas, ne in arcam penetrarent. Sed quum usque ad quintum mensem fluctuaret in aquis arca, mora illa qua passus est Dominus servum suum anxie ac misere cruciari, quædam videri potuit oblivio. Nec dubium est quin cor ejus varie æstuarit, quum se tam diu protrahi cerneret. potuit enim colligere sibi longius prorogatam fuisse vitam, quo reliquis omnibus miserior foret. Scimus autem quam nobis usitatum sit, Deum fingere absentem, nisi quum ejus præsentiam clara experientia sentimus. Etsi autem promissionem quam semel amplexus erat, mordicus ad finem usque retinuit: graviter tamen variis tentationibus concussum fuisse credibile est: & Deus proculdubio data opera sic exercuit ejus fidem & patientiam. Cur enim non triduo extinctus est mundus? Et quorsum attinuit aquas, postquam summos montes texerant, quindecim cubitis altius surgere, nisi ut Noah & ejus domestici, ad meditanda Dei judicia melius assuescerent: periculo autem defuncti, agnoscerent se ex mille mortibus eruptos? Discamus ergo hoc exemplo recumbere in Dei providentiam, dum maxime obliviosus videtur: tandem enim ipsa auxilii declaratione testabitur se fuisse nostri memorem. Quod si nos ad diffidentiam sollicitat caro, non tamen ejus inquietudini cedamus: verum simulac obrepet hæc cogitatio, Deum abjecta nostri cura vel dormire, vel procul abesse, statim cum hoc clypeo occurramus, Dominus qui opem suam pollicitus est miseris, in tempore nobis aderit, ut re ipsa sentiamus illum habuisse curam nostri. Nec parum habet ponderis quod additur, Deum animalium quoque fuisse recordatum. nam si pro-

ſi propter ſalutem hominibus promiſſam, ad brutas pecudes, ferasque beſtias extenditur ejus gratia: qualem erga filios ſuos futurum putamus, ubi fidem ſuam tam liberaliter ſanctèque obſtrinxit? *Et transire fecit Deus ventum.* Hinc clarius liquet Moſen de effectu memoriæ loqui: nempe quod reipſa, certoque experimento cognoverit Noah vitam ſuam curæ eſſe Deo. Cæterum quum arcana ſua virtute ſiccare poſſet Deus terram, vento uſus eſt: eandem quoque rationem tenuit in ſiccando mari Rubro. Atque ita teſtatum eſſe voluit, quemadmodum aquas præſto ad obſequium habuerat ad iram ſuam exequendam, ſic nunc ad præſtandum remedium in manu ſua eſſe ventos. Quanquam autem hic ſingularis refertur hiſtoria à Moſe, docemur tamen non fortuito ſurgere ventos, ſed Dei juſſu excitari: ſicuti etiam dicitur Pſal. 104. verſ. 4. celeres eſſe Dei nuncios. & ibidem, Deum ſuper alas eorum equitare. Denique elementorum varietas, ac contrarii motus mutuique conflictus ad præſtandum Deo obſequium conſpirant. Subjicit etiam Moſes alia admiricula quibus factum eſt ut minuerentur aquæ, ac in ſuam ſtationem redirent. Summa eſt, Deum, ut ordinem prius à ſe poſitum reſtitueret, aquas revocaſſe ad fines præſcriptos: ut aquæ cæleſtes, quaſi concretæ, in aëre penderent: aliæ laterent in ſuis gurgitibus: aliæ fluerent diſtinctis alveis: mare quoque in ſua mole conſiſteret.

3. *In fine centum quinquaginta dierum.*] Quidam totum tempus notari putant ab initio diluvii uſque ad aquarum diminutionem: atque ita comprehendunt quadraginta dies quibus Moſes continuam fuiſſe pluviam retulit. Ego autem ſic diſtinguo, quod uſque ad diem quadrageſimum novis ſubinde incrementis aquæ ſeſe extulerint: deinde eundem fere ſtatum tenuerint centum & quinquaginta diebus. uterque enim numerus menſes ſex, & paulo plus dimidio efficit. Dicit autem Moſes, circiter finem ſeptimi menſis fic apparuiſſe aquarum diminutionem ut arca ſubſideret in ſummo cacumine montis, vel fundum aliquem attingeret. Ac toto illo temporis ſpatio clarius oſtendere voluit Dominus, horrendam illam mundi vaſtitatem non caſu fortuito terrisincubuiſſe, ſed illuſtre eſſe judicii ſui documentum: liberationem vero Noah, magnificum fuiſſe, & æterna memoria dignum gratiæ ſuæ opus. Quanquam ſi menſem ſeptimum à principio anni numeres (quod nonnulli faciunt) non autem ex quo arcam ingreſſus eſt Noah, reſidentia de qua loquitur Moſes, citius contigit, nempe quum jam à quinque menſibus fluctuare cœpiſſet arca. Si hæc ſecunda ſententia recipitur, eadem erit decem menſium ratio: ſenſus enim erit, octavo poſt cœptum diluvium menſe extitiſſe montium cacumina. De nomine Ararath, ſequor quod magis receptum eſt. Nec ſane video cur quidam Armeniam eſſe negent: cujus altiſſimos eſſe montes à veteſtis ſcriptoribus uno fere conſenſu proditum eſt. Chaldæus etiam Paraphraſtes ſpeciem deſignat, quod fuerint montes Cardu, quos alii Carduenos vocant. Quod autem Joſephus arcæ fragmenta ſuo tempore illic reperta fuiſſe tradidit, & Hieronymus ſuo quoque tempore reſidua manſiſſe: verumne ſit, in medio relinquo.

6. *In fine quadraginta dierum.*] Hinc conjicere licet quanta anxietate conſtrictum fuerit ſancti viri pectus. Poſtquam in ſolido loco arcam hærere ſenſerat, non tamen ante diem quadrageſimum audet feneſtram aperire: non quod exanimis torperet: ſed quod tam formidabile vindictæ Dei exemplum tanto eum metu, ſimul & mœrore percuſſerat, ut omni conſilio deſtitutus, in arcæ ſuæ latibulo tacitus quieſceret. Tandem corvum emittit, à quo certius indicium ſiccatæ terræ accipiat. Sed corvus nonniſi fœdas paludes, cæteris, circumvolitans receptum ſtatim quærit. Nec vero dubito quin de induſtria corvum elegerit Noah, quem ſciebat cadaverum odore allici poſſe, ut longius evolaret, ſi jam animalibus patuiſſet terra: atqui corvus obvolitans, non longius diſcedit. Miror autem unde negatio, quæ in Hebraico Moſis textu non habetur, in Græcam & Latinam verſionem obrepſerit: quum ſenſum prorſus mutet. Inde nata eſt fabula, retentum fuiſſe corvum inventis cadaveribus, ut hoſpitem ſuum negligeret. Poſtea ſequutæ ſunt futiles allegoriæ: ut ſemper nugari appetit hominum curioſitas. Atqui primo egreſſu columba imitata eſt corvum, quia revolavit in arcam: deinde ramum olivæ in roſtro ſuo attulit: tertio, quaſi manumiſſa, libero cœlo & libera terra fruitur. In ramo olivæ quidam philoſophantur: quia pacis inſigne erat apud veteres, ſicut laurus victoriæ. Sed potius exiſtimo, quod olea non naſcatur in montibus, nec valde procera ſit arbor, Dominum dediſſe aliquod ſignum ſervo ſuo unde colligeret amœnas regiones & feraces bonarum frugum jam aquis purgatas eſſe. Quia Hieronymi verſio habet, ramum fuiſſe virentibus foliis: qui putarunt diluvium cœpiſſe menſe Septembri, opinionis ſuæ confirmationem inde ſumunt. Atqui verba Moſis nihil tale ſonant. Et ſæri poteſt ut Dominus volens Noah animam recreare, columbæ ramum obtulerit, qui ſub aquis non prorſus emarcuerat.

15. *Loquutus eſt autem Deus ad Noah.*] Etſi non parum expavefactus erat Noah Dei judicio, laudatur tamen hac in parte ejus tolerantia, quod terram habens ante oculos, quæ domicilium offerret, non audet tamen exire. Nimiæ timiditati, atque etiam ignaviæ hoc tribuerent profani homines: ſed ſancta eſt timiditas, quæ ex fidei obedientia naſcitur. Sciamus ergo ſancta modeſtia retentum fuiſſe Noah, ne ſibi frui permitteret naturæ beneficio, donec præuentem haberet Dei vocem. Paucis quidem verbis hoc perſtringit Moſes: ſed ad rem ipſam attendere convenit. Sponte autem hoc in mentem venire omnibus debet, quantæ virtutis fuerit, poſt incredibile unius anni tædium, ubi diluvium ceſſavit, & illuxit nova vita, non tamen ex ſepulchro pedem movere ſine mandato Dei. Ita videmus continuo fidei tenore obſequutum eſſe Deo ſanctum hominem. quia Deo jubente ingreſſus erat arcam, illic continetur donec exitum Deus patefaciat: & in ſuo fœtore jacere mavult quam liberum ſpiritum colligere, donec migrationem ſuam ſentiat placere Deo. In rebus etiam minutis hanc moderationem nobis Scriptura commendat, ne quid tentemus niſi certa conſcientia. Quo minus in ſeriis negotiis ferenda eſt hominum temeritas, ſi Deo inconſulto facere ſibi concedant quod viſum eſt. Non eſt quidem expectandum ut ſpecialibus oraculis in ſingula momenta pronunciet Deus quid facto opus ſit: pendere tamen nos ex ore ejus decet, ut certo perſuaſi ſimus nihil nos aggredi niſi ejus verbo conſentaneum. Petendus eſt etiam Spiritus prudentiæ & conſilii, quo nunquam eos deſtituit qui ſe dociles & morigeros ejus mandatis præbent. Hoc ſenſu refert Moſes Noah egreſſum eſſe ex arca, poſtquam cæleſti oraculo fretus, cognovit novam ſibi habitationem in terra dari.

17. *Creſcant, multiplicenturque.*] His verbis erigere voluit Dominus animum Noah, ut confideret ſervatam fuiſſe in arca ſobolem, quæ ad totum mundum replendum excreſceret. In ſumma, promittitur ipſi Noah mundi reparatio: ut ſciat mundum in arca fuiſſe incluſum, nec perpetuam fore, cujus conſpectu exanimis concidere poterat, ſolitudinem ac vaſtitatem.

20. *Ædificavit altare Domino.*] Sicut multis documentis obedientiam ſuam teſtatus fuerat Noah, ſic gratitudinis ſuæ ſpecimen nunc edit. Docet autem hic locus inſtituta fuiſſe ab initio ſacrificia in hunc finem, ut ſe homines talibus exercitiis ad

celebrandam Dei bonitatem, & gratias illi agendas affueface rent. Sufficeret quidem Deo nuda linguæ confeſſio, imo tacita agnitio cordis: ſed ſcimus quam multis incitamentis indigeat noſtra pigrities. Ergo quum olim ſancti Patres ſuam erga Deum pietatem ſacrificiis profeſſi ſunt, minime ſupervacuus fuit eorum uſus. Adde quod ſemper illis ante oculos ſymbola proponi oportuit, quibus admonerentur nihil ſibi eſſe cum Deo abſque mediatore. Nunc Chriſti exhibitio umbras illas veteres ſuſtulit. Quare adminiculis utamur quæ Dominus præſcripſit. Porro quum dico ſacrificia celebrandis Dei beneficiis in uſu fuiſſe ſanctis Patribus, de una tantum ſpecie loquor: nam hæc oblatio Noah, pacificis reſpondet ac primitus. Sed hic quæritur quo inſtinctu obtulerit Noah Deo ſacrificium: quia nullum habebat mandatum. Reſpondeo, quamvis diſerte non ea primat Moſes Deum juſſiſſe ut id faceret, poſſe tamen ea conſequentibus certum judicium fieri, adeoque ex toto contextu, ſubnixum fuiſſe Noah Dei verbo, ejuſque mandato fretum, cultum hunc præſtitiſſe, quem illi placere indubie ſciebat. Diximus antehac ex unaquaque ſpecie ſervatum fuiſſe ſeorſum unum animal: diximus quorſum id fieret. Porro deſtinari in ſacrificium animalia inutile erat, niſi conſilium hoc Dei patefactum eſſet ſancto Noah, qui ſacerdos erat futurus ad mactandas victimas. Adhæc dicit Moſes delecta fuiſſe ſacrificia ex mundis animalibus. Atqui certum eſt Noah non finxiſſe ſibi diſcrimen: ſicuti non eſt in hominum arbitrio. Unde conficitur, nihil niſi Deo auctore ſuſceptum ab eo fuiſſe. Continuo etiam poſt ſubjicit Moſes odorem ſacrificii gratum fuiſſe Deo. Tenenda autem eſt generalis regula, fœtere coram Deo cultus omnes qui fidei odore perfuſi non ſunt. Sciamus ergo altare Noah fundatum fuiſſe in Dei verbo. Et idem verbum inſtar ſalis fuiſſe ejus ſacrificiis, ne inſipida eſſent.

21 *Et odoratus eſt Jehova odorem.*] Odorem quietis nominat Moſes quo placatus fuit Deus, acſi rite lustratum eſſe dixiſſet. Cæterum nihil abſurdius eſt quam Deum imaginari putido viſcerum & carnis fumo fuiſſe placatum. Sed Moſes hic ſuo more Deum humana perſona induit, ut ſe ad rudis populi captum accommodet. Neque etiam putandum eſt ipſum ſacrificandi ritum per ſe gratum fuiſſe Deo tanquam meritorium opus: ſed finem operis inſpicere convenit, non autem hærere in ea terna larva. Quid ſibi aliud voluit Noah quam profiteri ſuam & animalium vitam unius Dei miſericordiæ ſe acceptam referre? Hæc pietas bonum ſuavemque odorem coram Deo ſpiravit: quemadmodum habetur Pſal. 116. verſ. 12. Quid rependam Domino pro omnibus quæ contulit? Calicem ſalutis accipiam, & nomen Domini invocabo. *Dixit Jehova in corde ſuo.* Senſus eſt, Deo fuiſſe hoc decretum, ne poſthac terræ malediceret. Ac magnum pondus habet loquutio. quanquam enim non retractas Deus quod palam ore protulit, magis tamen afficimur quum audimus aliquid eſſe illi ſuum apud ſe: quia tale interius decretum nullo modo à creaturis pendet. Summa eſt, quod certo ſtatuerit Deus mundum poſthac diluvio nunquam perdere. Neque enim Maledicendi verbum generaliter accipitur: quia ſcimus quantum perierit ex terræ fœcunditate, poſtquam corrupta eſt hominis peccato, & quotidie variis modis ſentimus eam maledici. Et ſeipſum exponit paulo poſt, dicens, *Non percutiam ultra animam viventem.* Neque enim his verbis quamlibet vindictam deſignat: ſed quæ deleat orbem terrarum, & interitum afferat tam humano generi quam reliquis animalibus. acſi diceret, ſe modum reſtituiſſe hac lege ut poſthac diluvio non pereat. Sic quum Dominus (Jeſa. 54. verſ. 9.) pronunciat ſe ura populi captivitate fore contentum, eam comparat aquis Noah, quibus terram nonniſi ſemel ſubmergi voluit. *Quia cogitatio cordis humani.* Videtur parum congruere hæc ratio. nam ſi tanta eſt hominis pravitas quæ iram Dei provocare non deſinat, neceſſe eſt ut acceſſat mundo exitium. Imo videtur ſecum pugnare Deus, qui priusarguebat perdendum eſſe mundum, quia deſperata erat ejus perverſitas. Sed hic altius ejus conſilium expendere oportet. vult Deus aliquam eſſe hominum ſocietatem, quæ in terra habitet. Atqui ſi tractandi ſint pro meritis, quotidianis diluviis opus foret. Quare ita ſe pœnas ſumpturum docet de ſceleribus ſecundi mundi, ut tamen conſervet aliquam terræ faciem, nec abſumat creaturas quibus eam ornavit. Ut videmus talem adhiberi modum tam publicis quam ſpecialibus Dei judiciis, ut conſtet tamen mundi univerſitas, & natura curſum ſuum retineat. Porro quum hic pronunciet Deus quales uſque ad finem mundi futuri ſint homines, palam eſt totum genus humanum pravitatis & malitiæ damnari. Nec tantum de corruptis moribus fertur ſententia: ſed ingenita illis vitioſitas eſſe dicitur, unde nihil quam mala ſcaturiant. Miror autem unde obrepſerit adulterina illa verſio, quod cogitatio prona ſit ad malum: niſi quod credibile eſt locum ſic fuiſſe ab iis corruptum qui de naturæ bumanæ corruptione nimis philoſophice diſputarunt. Durum illis videbatur, hominem quaſi diaboli mancipium ſubjicere peccato. Ergo mitigandi cauſa, propenſum eſſe ad vitia dixerunt. Sed quum è cælo detonat cæleſtis Judex, malas eſſe cogitationes, quid lenire juvat quod nihilominus fixum manet? Agnoſcant igitur homines ſe vitioſum eſſe figmentum, quales ex Adam naſcuntur: ideoque nonniſi pravas cogitationes ſe fingere, donec fiant novum Chriſti opificium, ac ejus Spiritu in aliam vitam formentur. Nec dubium eſt quin Dominus ipſum mentem hominis pravam & vitio prorſus infectam eſſe dicat, ut omnes quæ inde prodeunt cogitationes, malæ ſint. Si talis eſt in ipſo fonte defectus, ſequitur affectus omnes eſſe malos, & opera iiſdem ſordibus aſperſa eſſe: quia neceſſe ſit ut ſuam ſapiant originem. Non enim tantum dicit hominem male interdum cogitare: ſed indefinita eſt oratio, quæ arborem cum fructibus complectitur. Nec obſtat quod carnales & profani homines generoſo ſæpe ingenio pollent, cnoſilia ſuſcipiant in ſpeciem honeſta, & quædam virtutis documenta edant. Nam quia mentem habent Dei contemptu, ſuperbia, amore ſui, ambitione, hypocriſi, fraudibus, vanitate corruptam, fieri non poteſt quin omnes eorum cogitationes talibus vitiis ſint implicitæ. Rurſus tendere nequeunt in rectum finem: unde fit ut obliquæ & contortæ, ſicuti ſunt, judicentur. Omnia enim quæ ſub virtutis colore placent, inſtar vini ſunt fœtido vaſis odore corrupti. Nam (ſicuti prius dictum eſt) ipſi quoque naturæ affectus, qui per ſe ſunt laudabiles, originali tamen peccato vitiati ſunt, ac propter intemperiem à ſua natura degenerant: quales ſunt, mutuus amor inter conjuges, paternus amor erga liberos, & ſimiles. Et particula quæ additur, *à puertia*, melius exprimit homines naſci malos; ut offendat, ſimulac per ætatem cogitationes formare incipiunt, ſe habere corruptam mentis radicem. Philoſophi, quod naturæ hic Deus adſcribit, in habitum transferentes, inſiciam ſuam produnt. Nec mirum: placemus enim nobis, ac blandimur: ita non perſpicimus quam lethalis ſit peccati contagio, & quanta pravitas ſenſus omnes noſtros occupet. Acquieſcendum tamen eſt Dei judicio, ubi hominem pronunciat ſic peccato eſſe mancipatum, ut nihil ſani nec ſineeri proferat. Quanquam ſimul tenendum eſt culpam in Deum rejici non poſſe, cujus origo eſt in defectione primi hominis, qua ordo creationis everſus eſt. Deinde hujus ſervitutis præterea non eximi à culpa & reatu homines: quia etſi mti ad malum ruunt, non tamen extrinſeca vi trahun-

huntur, ſed proprio cordis ſui motu: denique nonniſi voluntarie peccant.

22. *Poſthac omnibus diebus.*] His verbis iterum reſtituitur mundus in integrum. Tanta enim rerum omnium confuſio & deformitas terram obruerant, ut quadam renovatione opus eſſet. Qua ratione Petrus veterem mundum appellat qui diluvio periit. Denique ordinis naturæ interruptio fuerat diluvium. Defierant enim ſolis & lunæ vices: nulla hyemis & æſtatis diſtinctio. Quare teſtatur Dominus ſibi placere ut omnia recuperent ſuum vigorem, & redeant ad ſuas functiones. Perperam Judæi annum in ſex partes dividunt, quia Moſes æſtatem hyemi opponens, populari more totum annum ſic partitur. Nec dubium eſt quin per frigus & calorem eadem tempora deſignet. Sub nominibus ſementis & meſſis, commoda nntat quæ ex cæli & aëris temperie ad homines perveniunt. Si quis objiciat, non cerni quotannis æquale temperamentum: reſponſio in promptu eſt, turbari quidem noſtris vitiis mundi ordinem, ut multi ſint inæquales motus: ſæpe ſol juſtum calorem neget, nives aut grandines in roris locum ſuccedant, aër variis tempeſtatibus miſceatur: ſed quamvis nnn ita temperetur mundus, ut perpetua ſit æqualitas, cernimus tamen prævalere naturæ ordinem, ut quotannis recurrant hyems & æſtas, continua ſit dierum & noctium ſucceſſio, terra ſuas fruges æſtate & autumno pariat. Dicit autem *cunctis diebus terræ*, pro eo quod eſt, quamdiu durabit terra.

2 Pet. 3. verſ. 6.

Caput IX.

ET benedixit Deus Noah, & filiis ejus: & dixit ad eos, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

2. Et timor veſter & pavor veſter erit ſuper omnem beſtiam terræ, & ſuper omne volatile cæli, cum omnibus quæ gradiuntur in terra, & omnibus piſcibus maris: *quia* manui veſtræ tradita ſunt.

3. Omne reptile quod vivit, vobis erit ad veſcendum: ſicut virentem herbam dedi vobis omnia.

4. Veruntamen carnem cum anima ejus, ſanguine ejus, non comedetis.

5. Et profecto ſanguinem veſtrum, qui vobis eſt in animas, requiram: de manu omnis beſtiæ requiram illum, & de manu hominis, & de manu viri fratris ejus requiram animam hominis.

6. Qui effuderit ſanguinem hominis in homine, ſanguis ejus effundetur: quia ad imaginem Dei fecit hominem.

7. Et vos creſcite, & multiplicamini: & generate in terra, & multiplicemini in ea.

8. Et dixit Deus ad Noah & ad filios ejus qui cum eo erant, dicens,

9. Et ego, ecce ego ſtatuo pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos,

10. Et cum omni anima vivente quæ eſt vobiſcum, tam cum volatili quam cum animali, & omni beſtia terræ vobiſcum, ab omnibus quæ egreſſa ſunt ex arca: cum omni, *inquam*, beſtia terræ.

11. Et ſtatuam pactum meum vobiſcum, & non excidetur omnis caro ultra ab aquis diluvii, & non erit ultra diluvium, ut diſperdat terram.

12. Et dixit Deus, Hoc eſt ſignum fœderis quod ego do inter me & vos, & omnem animam viventem quæ eſt vobiſcum, in generationes ſeculi.

13. Arcum meum ponam in nube, & erit in ſignum fœderis inter me & terram.

14. Et erit, quum obnubilavero nubem ſuper terram, tunc apparebit arcus in nube.

15. Et recordabor fœderis mei quod eſt inter me & vos, & omnem animam viventem cum omni carne: & non erit ultra aqua ad diluvium, ut diſperdat omnem carnem.

16. Et erit arcus in nube, & videbo illum, ut recordet pacti perpetui inter Deum & omnem animam viventem cum omni carne quæ eſt ſuper terram.

17. Et dixit Deus ad Noah, Hoc eſt ſignum fœderis quod ſtatui inter me & omnem carnem quæ eſt ſuper terram.

18. Erant autem filii Noah qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Jepheth: & Cham eſt pater Chenaan.

19. Tres iſti, filii Noah: & ab iſtis diſperſa eſt univerſa terra.

20. Cœpit vero Noah colere terram, & plantavit vineam.

21. Et bibit de vino, & inebriatus eſt, & diſcooperuit ſe in medio tabernaculi ſui.

22. Et vidit Cham pater Chenaan turpitudinem patris ſui, & nunciavit duobus fratribus ſuis in platea.

23. Et tulerunt Sem & Jepheth veſtimentum, & poſuerunt ſuper humerum ambo ipſi: & euntes retrorſum, operuerunt turpitudinem patris ſui: & facies eorum erant retrorſum, & turpitudinem patris ſui non viderunt.

24. Expergefactus autem Noah à vino ſuo, cognovit quod fecerat ſibi filius ſuus minor.

25. Et dixit, Maledictus Chenaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.

26. Et dixit; Benedictus Jehova Deus Sem, & ſit Chenaan ſervus eis.

27. Dilatet Deus Jepheth, & habitet in tabernaculis Sem: & ſit Chenaan ſervus eis.

28. Et vixit Noah poſt diluvium trecentos annos & quinquaginta annos.

29. Fuerunt autem omnes dies Noah nongenti anni & quinquaginta anni: & mortuus eſt.

1. *Benedixit Deus Noah.*] Hinc conjicimus quanto metu proſtratus fuerit Noah, quod Deus toties ac tam prolixe in eo confirmando inſiſtit. Nam quum hic dicit Moſes Deum benedixiſſe Noah & filiis ejus, non ſimpliciter intelligit redditam illis fœcunditatis gratiam eſſe: ſed patefactum ſimul Dei conſilium de nova inſtauratione mundi. Nam vox Dei qua ipſos alloquitur, benedictioni annexa eſt. Scimus bruta animalia nonniſi Dei benedictione ſobolem procreare: ſed hic privilegium commemorat Moſes quod in ſolos homines competit. Ergo, ne viri iſti quatuor cum uxoribus trepidatione correpti, quorſum fuerint erepti, dubitent: vitæ conditionem Dominus illis in futurum præſcribit, ut ſuſcitent genus humanum ex morte in vitam. Ita non ſolum eodem verbo mundum renovat quo ipſum prius creavit: ſed verbum hominibus deſtinat, ut legitimum conjugii uſum recuperent: ſciant curam gignendæ ſobolis placere Deo: oriturum ex ſe progeniem confidant quæ ſe per omnes terræ plagas diffundat, ut iterum habitetur, tametſi vaſta & deſerta fuerit. Nec vero promiſcua generatio hominibus conceſſa fuit, ſed deintegro ſanxit legem conjugii quam ſtatuerat. Etſi autem ad vagos concubitus quodammodo extenditur Dei benedictio, ut inde naſcatur ſoboles: eſt tamen illa adulterina fœcunditas: legitima autem nonniſi ex vocali Dei benedictione manat.

2. *Et timor veſter.*] Hoc quoque ad mundi reſtitutionem maxime ſpectabat, ut maneret penes homines imperium in reliqua animalia. Etſi autem beſtiæ poſt lapſum hominis induerant novam ferociam, manebant tamen ejus dominii reliquiæ quod Deus initio contulerat. Eundem nunc quoque ſtatum fore promittit. Videmus quidem feras beſtias violenter irruere in homines, diſcerpere multos ac laniare: ſed niſi earum truculentiam mirabiliter compeſceret Deus, protinus actum eſſet de genere humano. Ergo quod de aëris intemperie & temporum inæqualitate diximus, in hac etiam parte locum habet. Graſſantur quidem fœvæ beſtiæ, & in homines multis modis fœviunt: (non mirum. nam quum proterve lafciviamus adverſus Deum, cur non in nos beſtiæ inſurgerent?) interim Dei providentia arcanum eſt frenum ad cohibendos earum impetus. Unde enim fit ut ſerpentes nobis parcant, niſi quia illorum virulentiam comprimit? Unde fit ut non lanient, diſcerpant ac devorent quicquid eſt hominum tigres, elephanti, leones, urſi, lupi, & aliæ innumeræ feræ, niſi quod iſta ſubjectione tanquam aliquo repagulo continentur? Quod ergo manemus ſalvi, hoc ſingulari Dei præſidio & tutelæ acceptum ferri debet. Quid enim alias futurum putamus, quum videantur in perniciem noſtram natæ, & furioſa nocendi libidine ardeant? Porro frenum quo Dominus beſtiarum fœvitiam compeſcit ne ſe in homines profundat, eſt quidam timor & pavor, quem illis Deus inſculpſit, ut revereantur conſpectum hominum. Hoc peculiariter de Regibus Daniel prædicat, eos ſcilicet imperio potiri, quod metum eorum & formidinem Dominus tam hominibus quam beſtiis incutiat. Verum ut ille primus eſt timoris gradus ad tuendam generis humani ſocietatem: ita quatenus generale imperium in beſtias Deus hominibus tradidit, in ſummis & infimis viget neſcio quæ occulta nota, quæ non paritur ferarum fœvitiam ſuo impetu graſſari. Alia tamen hic notatur utilitas, & quæ latius patet: nempe ut in ſuum commodum animalibus fruantur homines, & in varios uſus pro ſua induſtria & neceſſitate applicent. Ergo quod boves ferendo jugo aſſueſcunt, quod domatur equorum ferocia ut ſeſſores admittant, vel portandis oneribus clitellas recipiant: quod lac ſuppeditant vaccæ, ſeque mulgeri patiuntur, quod ſub manu tonſoris oves obmuteſcunt, pendet ex iſto dominio; quamvis imminutum ſit magna ex parte, non tamen prorſus abolitum eſt.

3. *Omne repile quod vivit, vobis erit ad veſcendum.*] Ultra progreditur Dominus, & animalia in cibum hominibus concedit, ut eorum carne paſcantur. Quia autem nunc primum Moſes hoc juris hominibus datum fuiſſe refert, colligunt omnes fere interpretes, homini ante diluvium fas non fuiſſe veſci carnibus: ſed nativos tantum fructus terræ illi fuiſſe pro cibo. Sed argumentum non ſatis firmum eſt. Ego enim principium illud teneo, Deum hic non plus largiri hominibus quam dederat: ſed tantum reddere quod fuerat ablatum, ut poſſeſſionem bonorum unde fuerant depulſi, iterum cernant. Nam quum prius mactarent Deo victimas, & jugulare illis feras liceret, ex quarum corio, pellibus, veſtes ſibi & tabernacula conficerent: non video quænam eos ab eſu carnium religio impedierit. Cæterum quia non magni refert utrumvis ſentias, nihil affirmo. Hoc merito pluris nobis eſſe debet, quod carne animalium veſcimur, id nobis Dei beneficio conceſſum eſſe: nos non rapere more prædonum quod libido noſtra appetit, nec tyrannice fundere innoxium ſanguinem pecudum: ſed tantum ſumere quod manu Domini oblatum eſt. Audivimus quid Paulus dicat, liberum eſſe veſci quibuslibet, modo adſit conſcientiæ certitudo: immundum autem eſſe quicquid ſibi quiſque immundum fingit. Unde autem hoc homini, ut tranquillo animo non temere nec per effrenem licentiam, ſed coram Deo quibuslibet veſcatur cibis, niſi quia jure donationis ſibi divinitus in manum eſſe traditos cognoſcit? Quare (eodem Paulo teſte) verbum Dei nobis creaturas ſanctificat, ut pure illis & licite veſcamur. Tollatur verbum illud e medio, nulla panis buccella quiſquam corpus ſuum paſcet ac refician quin ſimul animam inquinet. Ergo non dubium eſt quin fidei noſtræ conſulere voluerit Dominus, quum diſerte teſtatus eſt per Moſen, liberum ſe carnium uſum feciſſe hominibus, ne dubia & trepida conſcientia illis veſcamur. Simul tamen nos ad gratiarum actionem invitat. Ideo & Paulus verbo precationem addit, modum ſanctificationis definiens, illo quem nuper citavi loco. Jam vero hæc nobis à Domino data libertas, quam publicis tabulis conſignatam eſſe voluit, conſtanter nobis retinenda eſt. Poſteros enim Noah omnes hac voce alloquitur, ut beneficium ſuum commune omnibus ſeculis faciat. Quorſum hoc, niſi ut ſibi fortiter vendicent fideles quod à Deo auctore profectum eſſe norunt? Tyrannis enim minime ferenda eſt, poſtquam Deus omnium Opifex terram & aërem nobis aperuit, ut inde tanquam ex ejus promptuariis alimenta ſumere liceat, nobis ab homine mortali claudi, qui ne limacem quidem, vel muſcam creare poteſt. De externa prohibitione non loquor: ſed atrocem Deo injuriam fieri dico, quum tantum licentiæ damus hominibus, ut illicitum eſſe pronuncient quod Deus licere voluit, & conſcientias verbo Dei ſolutas fictitiis ſuis legibus obſtringant. Quod autem Deus veterem populum ab immundis animalibus prohibuit, quia temporalis fuit illa exceptio, hic tacetur à Moſe.

4. *Verumtamen carnem in anima ſua.*] Quidam ita exponunt, Membrum ex vivo animali abſciſſum ne comedatis. quod nimis jejunum eſt. Cæterum quum copula nulla ſit inter duas iſtas voces media, ſanguinis & animæ: non dubito quin Moſes de anima loquutus, ſanguinem exegetice addiderit: quaſi diceret, carnem cum ſua vita quodammodo vorari, ubi ſanguine ſuo imbuta comeditur. Quare vita & ſanguis, non ponuntur tanquam res diverſæ, ſed unum ſignificant. non quod ſanguis per ſe vita ſit: ſed quia in eo præcipue vigent ſpiritus vitales, quoad ſenſum noſtrum quaſi teſſera vitam repræſentat. Et hoc diſerte expreſſum eſt, quo magis abhorreret homines ab eſu ſanguinis. Nam ſi immane & barbarum

Rom. 14. verſ. 14.

1 Tim. 4. verſ. 5.

rum eſt animas vorare, aut deglutire vivas carnes, ferinatem ſuam produnt homines ſanguinem edendo. Porro minime obſcurum eſt quorſum tendat hæc prohibitio: nempe voluit Dominus in abſtinentia pecuini ſanguinis, homines ad manſuetudinem aſſuefacere: ne ſi in victu fero & effreni nimium audaces eſſent, non parcerent etiam tandem ſanguini humano. Tenendum tamen eſt, reſtrictionem hanc partem fuiſſe pædagogiæ veteris. Quare ſuperſtitione non caruit quod referi Tertullianus, ſuo tempore nefas fuiſſe apud Chriſtianos pecudum ſanguinem guſtare. Nam quod Apoſtoli Gentes ad breve tempus juſſerunt ſervare hunc ritum, non ideo factum eſt ut ſcrupulum injicerent conſcientiis; ſed ne offendiculum apud rudes & infirmos pareret ſancta alioqui libertas.

5. *Et utique ſanguinem veſtrum.*] His verbis clarius teſtatur Dominus ſe non animalium reſpectu vetare uſum ſanguinis, ſed quia pretioſam habeat hominum animam: & legis ſuæ finem unicum eſſe, ut communem illis inter ſe humanitatem commendet. Melius ergo Hieronymus pro particula אך reddidit Enim, ut ſit caſuæ redditio, quam qui ad verſative legunt, Alioqui ſanguinem veſtrum, &c. ad verbum tamen optime ſic vertere licet, Et ſane ſanguinem veſtrum. Totus autem contextus (meo judicio) ita legendus eſt, Et utique ſanguinem veſtrum, qui eſt in animas veſtras, vel in animabus veſtris, vel qui vobis eſt in animas, hoc eſt, qui vos vivificat & vegetat quantum ad corpus, requiram: de manu cunctorum animalium requiram eum: de manu hominis, de manu, inquam, viri fratris ejus requiram animam hominis. Diſtinctio qua conſtituunt Judæi quatuor homicidii ſpecies, frivola eſt. nam ſimplicem & genuinum ſenſum expoſui, quod Deus tanti vitam noſtram faciat, ut inultas paſſurus non ſit cædes. Hanc vero rem pluribus verbis inculcat, quo magis deteſtabilem reddat eorum ſævitiam qui vim & manus proximis ſuis afferunt. Eſt autem hoc non vulgare divini in nos amoris teſtimonium, quod tutelam vitæ noſtræ ſuſcipit, & ſe mortis fore vindicem declarat. Quod pœnas ſe de animalibus ſumpturum dicit pro violata hominum vita, ad exemplum pertinet. Nam ſi in hominum gratiam iraſcitur brutis animalibus quæ cæco impetu feruntur ad paſtum, quid futurum de homine putamus, qui injuſte & crudeliter ac præter naturæ ſenſum in fratrem ſuum irruit?

6. *Qui effuderit ſanguinem hominis.*] Particula quæ ſubjicitur, *in homine*, ad amplificationem valet. Quidam exponunt, Coram teſtibus. Alii referunt ad ſequentia, Quod per hominem funderur ſanguis. ſed omnes iſtæ interpretationes coactæ ſunt. Tenendum ergo quod jam dixi, ſceleris atrocitatem magis exprimi hac loquutione, quod quiſquis hominem occidit, ſanguinem & vitam fratris ſui haurit in ipſo. Quod ad ſummam rei ſpectat, falluntur (meo judicio) qui putant ſimpliciter legem politicam hic ferri, ut plectantur homicidæ. Equidem non nego in hac Dei ſententia ſuodatam eſſe pœnam, quam & leges ſtatuunt, & judices exequuntur: ſed verba plus complecti dico. Scriptum eſt, Viri ſanguinum *Pſal. 55. verſ. 25.* non dimidiabunt dies ſuos. Et videmus alios in compitis, alios in lupanaribus, pleroſque in bellis mori. Ergo ut conniveant magiſtratus, aliunde immittit Deus carnifices, qui ſanguinarus hominibus mercedem ſuam rependant. Sic autem Deus vindictam minatur ac denunciat homicidis, ut armet etiam gladio magiſtratus ad cædes ulciſcendas, ne impune fundatur ſanguis hominum.

Quia ad imaginem Dei factus hominem.] Quo magis ſuperiorem doctrinam confirmet Deus, ſe non temere nec de nihilo tam ſollicitum eſſe admonet de hominum vita. Indigni quidem ſunt homines, ſi eorum duntaxat habetur ratio, quos curet Deus: ſed quia ferunt imaginem Dei inſculptam, violari ſe exiſtimat in eorum perſona. Ita quum tibi proprium habeant homines unde ſibi concilient Dei gratiam, ſua in illis dona reſpicit, quibus provocetur in eorum amorem & curam. Sedulo autem notanda eſt doctrina, neminem poſſe fratribus ſuis eſſe injurium quin Deum ipſum lædat. Quæ ſi probe in animis noſtris infixa eſſet, longe tardiores eſſemus ad inferendas injurias. Siquis objiciat imaginem illam deletam eſſe: ſolutio facilis eſt, manere adhuc aliquid reſiduum, ut præſtet non parva dignitate homo. Deinde ipſum cæleſtem fictorem, utcunque corruptus ſit homo, finem tamen primæ creationis habere ante oculos: cujus exemplo reputare nos decet quorſum homines condiderit, & qua excellentia eos dignatus ſit præ animantibus reliquis.

7. *Et vos creſcite.*] Sermonem ſuum iterum convertit ad Noah & ejus filios, ut ad ſtudium propagandæ ſobolis eos hortetur: acſi diceret, Videtis me intentum eſſe fovendo & tuendo humano generi: vos itaque in ejus propagationem operam mihi veſtram impendite. Interim ſeminis conſervationem illis commendans, à cædibus & injuſtis violentiis deterret. Præcipuus tamen finis fuit ille quem prius attigi, ut animos expavefactos erigeret. Neque enim in his verbis nudum præceptum, ſed promiſſio etiam continetur. *Dixit Deus ad Noah.* Ne memoria diluvii novos ſubinde terrores incutiat, quoties cælum nubibus obductum fuerit, quaſi iterum mergenda ſit terra: eximitur hæc anxietas. Et certe ſi reputamus quanta ſit ad diffidentiam humani ingenii propenſio, non judicabimus ſupervacuum fuiſſe hoc teſtimonium etiam apud Noah. Erat quidem tuta & incomparabili fide uſque ad miraculum præditus: ſed nullum potuit eſſe tantum conſtantiæ robur quod non illa tam triſtis & horribilis Dei vindicta percelleret. Ergo quoties major aliquis & continuus imber diluvium terris minari videbitur, opponitur fultura, in quam ſanctus vir recumbat. Etſi autem magis indigeant hac confirmatione ejus filii quam ipſe: Dominus tamen potiſſimum in ejus gratiam loquitur. Atque huc referenda eſt particula, *Et ad filios ejus qui cum ipſo erant.* Qui fit enim ut Deus cum filiis Noah fœdus ſuum paciſcens, eos bene ſperare jubeat? Nempe quia conjuncti ſunt patri ſuo, qui fœderis eſt quaſi ſtipulator, ut ſecundo loco in ſocietatem accedant. Cæterum minime dubium eſt quin Dei conſilium fuerit, omnibus ejus poſteris conſulere. Noo ergo privatum fœdus cum una tantum domo ſancitum fuit, ſed omnibus populis commune, & quod ſeculis omnibus uſque ad finem mundi vigeat. Et ſane quum hodie non minus exunder impietas quam ætate Nosh, pluſquam neceſſe eſt hoc Dei verbo tanquam mille ſeris & clauſtris cohiberi aquas, ne ad nos perdendos erumpant. Quare nos hac promiſſione freti, expectemus diem extremum, quo ignis cælum & terram abſumens purgabit.

10. *Cum omni anima vivente.*] Tametſi gratia quam Dominus promittit, ad animalia quoque extenditur: non tamen fruſtra Dominus ſolos compellat homines, qui fidei ſenſu percipere poſſunt hoc beneficium. Communiter fruimur cælo & aëre cum beſtiis, & eundem haurimus vitalem ſpiritum: ſed hoc non vulgare privilegium eſt, quod nobis verbum ſuum deſtinat, unde diſcamus paternum, quo nos proſequitur, amorem. Ac tres hic notandi ſunt gradus. Deus enim, quaſi in re præſenti, paciſcitur cum Noah & ejus familia, ne ſibi à diluvio metuant. Deinde fœdus ſuum ad poſteros transmittit, non tantum ut continua effectus ſucceſſio ad alias ætates perveniat, ſed ut fide quoque apprehendant hoc teſtimonium qui poſtea naſcentur, & idem ſibi quod filiis Nosh promiſſum eſſe ſtatuant. Tertio declarat ſe brutis quoque animalibus fore propitium: tantum ut effectus ſine ſenſu & intelligentia, ad tuendam illorum vitam pertineat. Unde refelli poteſt Ana-

baptiſtarum inſcitia, qui Dei fœdus in ſanctibus commune eſſe negant, quia præſenti fide carent. Quaſi vero ubi Deus ſalutem promittit in mille generationes, non ſint intermedii patres infantium, quorum officium eſt de manu (quod aiunt) in manum acceptum à Deo promiſſionem illis tradere. Quotquot autem ab hoc Dei præſidio vitam ſuam retrahunt (ut bona pars hominum hoc Dei fœdus vel contemnit, vel ridet) hac ſola ingratitudine digni ſunt qui mergantur in ignem æternum. Nam etſi terrena eſt promiſſio, voluit tamen ſuorum fidem exerceri Deus, ut agnoſcant ſingulari ejus beneficio certum in terra ſibi fore boſpitium, donec in cœlum colligantur.

12. *Hoc eſt ſignum fœderis.*] Additur ſymbolum quod promiſſionem obſignet, in quo refulget admirabilis Dei indulgentia: qui ut ſolidam verbo ſuo fidem apud nos aſſerat, talibus admiculis uti non gravatur. Quanquam autem de ſignorum uſu plenius diſſeruimus capite ſecundo, breviter tamen hic ex verbis Moſis tenendum eſt, ſigna perperam à verbo ſeparari. Verbum appellat, non quale jactant Papiſtæ, quo panem, vinum, aquam, oleum magicis ſuſurris incantant, ſed quod fidem ædificet: quemadmodum hic Dominus clare alloquitur ſanctum Noah, & ejus filios. deinde ſigillum annectit certitudinis cauſa. Quare ſi avellatur Sacramentum à verbo, definit eſſe quod vocatur. Sit, ioquam, vocale ſignum oportet ut vim ſuam retineat, nec degeneret à ſua natura. Nec tantum inanis eſt ac ludicra Sacramentorum adminiſtratio ubi verbum Dei ſilet: ſed meras Satanæ præſtigias ſecum trahit. Inde etiam colligimus, hoc fuiſſe proprium Sacramentis ab initio, ut ad fidei confirmationem valerent. Nam certe in fœdere incluſa eſt promiſſio, cui fides reſpondere debet. Videtur quibuſdam abſurdum eſſe, fidem talibus adminiculis fulciri. Sed qui ſic loquuntur, primum quanta ſit ruditas mentis noſtræ, & imbecillitas, non expendunt: deinde quam debent arcanæ Spiritus virtuti operandi laudem non tribuunt. Dei quidem unius eſt fidem incboare & perficere: ſed quibus viſum fuerit organis, quorum libera eſt penes ipſum electio.

13. *Arcum meum ponam in nube.*] His verbis magni quidam Theologi inducti ſunt ut iridem negarent fuiſſe ante diluvium. quod frivolum eſt. Neque enim Moſis verba ſonant fabricatum fuiſſe arcum qui prius non eſſet: verum aptam fuiſſe illi inſculptam, quæ divinæ gratiæ ſignum hominibus daret. Id ut clarius pateat, memoria repetere convenit quod alibi diximus, quædam naturalia eſſe ſigna, quædam vero præter naturæ ordinem. Atque hujus ſecundæ claſſis quanquam multa paſſim exempla in Scripturis extant, ſingularia tamen ſunt, neque ad communem pertinent ac perpetuum Eccleſiæ uſum. Terrenis enim elementis uti placuit Domino, quæ vehicula eſſent tollendis ſurſum hominum mentibus. Ita arcum cæleſtem, qui naturaliter prius fuerat, hic conſecrari puto in ſignum & pignus: atque ita novum illi munus imponi. quando ex ſeipſo rei potius contrariæ ſignum foret: diuturnam enim pluviam minatur. Sit ergo hic verborum ſenſus, Quoties vos terrebit pluvia, arcum reſpicite. Nam quamvis pluviam videatur cogere ad obruendas terras, vobis tamen futuræ ſiccitatis teſtis erit: atque ita majore vos fiducia ſtare tunc decet, quam liquido ac ſereno cælo. Proinde non eſt quod rixemur cum Philoſophis de iride. nam etſi ea naturalibus cauſis oriuntur colores illi: ſacrilegi tamen ſunt qui Deo jus & arbitrium quod in creaturas habet, eripere conantur.

15. *Recordabor fœderis.*] Moſes Deum toties loquentem inducens, admonet præcipuas eſſe verbi partes, & inde æſtimanda ſigna. Humanitus autem loquitur Deus, quum ſe iridis aſpectu rediturum dicit in fœderis ſui memoriam. Sed hoc ad fidem hominum referri debet, ut Deum cogitent non eſſe oblitum ſui fœderis, quoties arcum ſuum tetenderit in nubibus.

18. *Erant filii Noah.*] Filios Noah enumerat Moſes, non modo ſibi tranſitum facturus ad ſequentem hiſtoriam, ſed ut vim illius promiſſionis magis illuſtret, Replete terram. Nos enim quam efficax fuerit Dei benedictio, melius inde concipimus, quod ex tam paucis hominibus brevi prodiit immenſa hominum multitudo: & quod domus una, & quidem exigua, in tot numeroſas gentes excrevit.

20. *Cœpit vero Noah.*] Non ita interpretor, quaſi tunc primum colendis agris operam dare cœperit: ſed potius (meo judicio) ſignificat Moſes, Noah collecto animo, quantumvis eſſet ſenex, rediiſſe ad agrorum culturam & priſtinos ſuos labores. Cæterum ao vioitor fuerit, incertum eſt. Vulgo creditur nullum fuiſſe vini uſum ante id tempus. Ac eo libentius recepta fuit opinio, quod honeſtus eſſet prætextus ad extenuandum peccatum Noah. Atqui fructum vitis, qui præ aliis omnibus excellit, negligentem jacuiſſe & inutilem, mihi non eſt probabile. Neque etiam dicit Moſes, quo primum die vinum guſtarit Noah, fuiſſe ebrium. Ergo hoc in medio relinquens, potius ex ebrietate Noah diſcendum eſſe arbitror quam ſœda & deteſtabilis res ſit ebrietas. Sanctus Patriarcha, inſigne frugalitatis & temperantiæ exemplar, turpem ac pudendum in modum, ſui oblitus, nudum ſe in terram projicit, ut pateat omnium ludibrio. Quanto igitur ſtudio colenda nobis ſobrietas, ne quid ſimile, vel etiam deterius contingat? Dixit olim profanus ille Philoſophus, Vinum eſſe terræ ſanguinem: ideo quum ſe intemperanter ingurgitant homines, merito pœnas terræ matri luere. Sed meminerimus potius, quia nobile & pretioſum Dei munus homines turpi abuſu profanant, ipſum eſſe ultorem. Ac ſciamus Dei judicio Noah productum fuiſſe in theatrum, ut aliis omnibus documento eſſet ne ſe larginre potu inebrient. Poterat certe venia utcunque dari ſancto viro, qui labore defunctus, vini potu ſe exhilarans, juſtam ſe mercedem capere putat. Atqui Deus æternam illi probri maculam inurit. Quid igitur otioſis veotribus, & gurgitibus inexhauſtis futurum putamus, quibus hoc voum propoſitum eſt certamen quomodo quam plurimum vini abſumant? Etſi autem durum fuit correctionis genus, bene tamen cum ſervo Dei actum eſt, dum ad ſobrietatem revocatus fuit, ne vitio, cui ſemel ſuccubuerat, indulgere pergens, ſeipſum perderet: quemadmodum ebrioſos homines videmus continua intemperie tandem obbruteſcere.

22. *Cham pater Chenaan.*] Accedit ad augendum mœrorem Noah hæc circumſtantia, quod à proprio filio illuditur. Tenendum ſemper memoria eſt, divinitus fuiſſe inflictam illi hanc pœnam, partim quia nno leve erat ejus delictum, partim ut in ejus perſona temperantiæ documentum omoibus ſeculis Deus ſtatueret. Hoc per ſe meretur ebrietas, ut filiis ſuis ludibrio ſint qui Patris cæleſtis imaginem deformant. Nam certe, quantum in ſe eſt, mentem ſuam obruunt ebrioſi, ſeque ratione privant ut in pecudes degenereot. Meminerimus autem, ſi tam graviter ultus eſt Dominus unicum ſancti viri lapſum, non minus ſeverum fore ultorem adverſus eos qui ſe quotidie inebriant: & ejus rei ſatis multa exempla verſantur ante oculos. Interim Cham, patrem contumelioſe ſubſannans, pravum ac malignum ingenium prodit. Scimus parentes ſecundum Deum reverenter colendos eſſe: atque ot nulli ſint libri nec conciones, hoc nobis aſſidue dictat natura: & uno omnium conſenſu receptum eſt, pietatem etiam erga parentes, matrem eſſe omnium virtutum. Nequam ergo & perverſi contortique ingenii

nit fuiſſe oportet iſtum Cham, qui non modo ex patris dedecore voluptatem cepit, ſed eum traducere voluit apud fratres. Eſt autem hinc non parvum ſcandalum: primo quod Noah ſalutis humanæ miniſter, & reparationis mundi princeps, in tam gravi ſenectute domi ebrius procumbit: deinde quod Cham impius & ſceleratus, ex Dei ſanctuario prodiit. Octo animas ſelegerat Deus quaſi ſacrum & penitus omni ſorde purgatum ſemen ad renovandam Eccleſiam: ſed peccatum Noah oſtendit quam neceſſe ſit retineri homines Dei freno, quantalibet virtute excellant. Impietas Cham nobis demonſtrat quam profunda ſit malitiæ radix in hominibus, quæ aſſidue pullulat, niſi ubi vis Spiritus potentior eſt. Quod ſi in ſacro Dei aſylo inter tam paucos diabolus unus ſervatus eſt, ne miremur ſi hodie in Eccleſia ubi longe major eſt turba hominum, permixti ſint boni improbi. Nec dubium eſt quin graviter vulnerati fuerint animi Sem & Japheth, quum tale ludibrii portentum in fratre ſuo cernerent, & ex altera parte turpiter humi proſtratus jaceret pater. Tam fœda certe mentis alienatio in principe novi mundi, & ſancto Eccleſiæ Patriarcha, non aliter eos reddere attonitos potuit quam ſi arcam fractam & illiſam rimas agere ac diſſilire vidiſſent. Hinc tamen ſcandalum non minore animi magnitudine ſuperant quam modeſtia tegunt. Unus Cham ridendi patris & inſectandi anſam cupide arripit: quemadmodum ſolent præpoſteri homines ſcandala captare quæ ad peccandi licentiam obtendant. Ac ætas eo minus excuſabilem reddit: non enim erat laſcivus aliquis puer, qui inconſiderate ridendo, ſtultitiam ſuam proderet: annum jam centeſimum exceſſerat. Ergo probabile eſt ita proterve inſultaſſe patri, ut ſibi impune peccandi licentiam acquireret. Tales hodie videmus permultos qui vitia pluſquam ſtudioſe conquirunt in ſanctis & piis hominibus, ut ſine pudore ad omnem nequitiam ſe projiciant: imo ex hominum vitiis quærunt quomodo ſe obdureat ad Dei contemptum.

23. *Et tulerunt Sem & Japheth.*] Hic duorum fratrum tam pietas quam modeſtia laudatur. ne apud eos vileſcat majeſtas patris, ſed quam illi debent reverentiam, ſemper foveant, & integram eonſervent, à probri ejus conſpectu avertunt oculos. Atque ita teſtantur ſibi vere curæ eſſe honorem patris, dum oculos ſuos violari putant, ſi ſponte nuditatem ejus aſpexerint quæ probroſa erat: ſimul etiam verecundiæ ſuæ conſulunt. Nam (ut capite tertio dictum fuit) adeo pudendum neſcio quid habet hominis nuditas, ut vix quiſque aſpicere ſe audeat ſine teſte. Fratri etiam ſuo exprobrant impiam proterviam, quod patri non peperciſſet. Hinc vero diſcamus quam grata Deo ſit pietas, cujus exemplum quod hic refertur, pro inſigni Spiritus elogio habendum eſt. Quod ſi pietas erga terrenum patrem tam eximia & laude digna fuit virtus, quanto majori pietatis ſtudio colenda eſt ſacra Dei majeſtas? Ridiculi vero Papiſtæ qui fœtidas idoli ſui, imo totius impuri cleri ſpurcitias, pallio Sem & Japheth tegere volunt. Quantum inter probrum Noah & execrandas tot ſcelerum fœditates interſit, quæ cælum & terram contaminant, dicere ſuperſedeo. Sed Patres ſe probent oportet Antichriſtus & cornuti Epiſcopi cum tota illa colluvie, ſiquid honoris ſibi deferri vnlunt.

24. *Expergefactus autem Noah.*] Videri poſſet Noah quamvis juſtam excuſande ſcendi cauſam habeat, parum tamen modeſte & graviter ſe gerere. Debuit ſaltem coram Deo tacitus deflere ſuum peccatum: & pudore quoque apud homines pœnitentiam teſtari. Nunc quaſi nihil ipſe deliquerit, in filium ſuum pluſquam ſevere fulminat. Atqui non refert hic Moſes convitia quæ bile & iracundia percitus evomuerit: ſed loquentem potius inducit Prophetico Spiritu. Quare non eſt quod dubitemus, ſanctum virum vere (ut par erat) culpæ ſuæ ſenſu humiliatum eſſe, & probe reputaſſe quid meritus eſſet: nunc vero venia donatum, & abolito reatu prodire divini judicii præconem. Nec vero dubium eſt quin ſanctus vir, miti alioqui ingenio præditus, & unus inter oprimos patres, cum acerbiſſimo animi dolore protulerit hanc ſententiam in filium. Videbat eum mirabiliter ſervatum eſſe inter paucos, & locum habuiſſe in ſelectiſſimo flore generis humani. Nunc ergo quum ore ſuo eum abdicare ab Eccleſia Dei cogitur, non dubium eſt quin maledictioni filii graviter ingemuerit. Sed hoc exemplo moneri nos Deus voluit, retinendam eſſe fidei conſtantiam, ſiquando videmus eos deficere qui nobis conjuncti erant, nec frangi nos debere: imo ſic exercendam eſſe quam Deus ſeveritatem mandat, ut ne viſceribus quidem noſtris parcamus. Quum autem nonniſi Dei inſtinctu tam duram ſententiam pronunciet Noah, ex pœnæ atrocitate colligere decet quam abominabilis ſit Deo impius parentum contemptus: ut ſacrum naturæ ordinem pervertit, & majeſtatem imperiumque Dei in eorum perſona violat quos ſuo loco præeſſe juſſit.

25. *Maledictus Chanaan.*] Quæritur primo loco cur Noah à filio maledicendo abſtinens, ſeveritatem pœnæ, qua ille erat dignus, in nepotem innoxium ſtringat: neque enim Dei juſtitiæ conſentaneum eſt, parearum delicta rejicere in filios. Sed reſponſio ſatis nota eſt, Deum etiamſi judicia ſua in filios & nepotes impiorum proſequitur, nunquam tamen ſævire contra inſontes: quia reperientur etiam illi in culpa. Quare nihil abſurdi eſt ſi patrum ſcelera ulciſcitur in reprobis filiis: quando ejus iræ ſubjectos eſſe neceſſe eſt quoſcunque Spiritu ſuo deſtituit. Sed mirum eſt quod Noah nepotem maledicens, filium Cham auctorem ſceleris ſilentio prætereat. Judæis videtur habita fuiſſe gratiæ Dei ratio: & quia tanto eum honore dignatus fuerat Dominus, rejectam fuiſſe maledictionem in filium. Sed futilis eſt hæc conjectura. Mihi certe dubium non eſt, quo magis appareat pœnæ gravitas, transferri uſque ad poſteros: niſi Dominus palam teſtatum feciſſet non ſibi ſufficere unius hominis pœnam, ſed maledictionem ſuam ejus quoque poſteris affixam fore, ut per continuas ætates ſerpat. Interim non eximitur ipſe Cham, quum Deus filium ejus ſimul involvens, judicium ſuum exaggerat. Alia etiam quæſtio objicitur, cur ex pluribus filiis Cham Deus unum feriendum deligat. Sed ne hic ſibi omnium permittat noſtra curioſitas, meminerimus non fruſtra Dei judicia vocari profundam abyſſum: & indignum eſſe ut Deus, ad cujus tribunal nos omnes ſemel ſtare neceſſe erit, judiciis noſtris, vel potius ſtultæ temeritati ſubjaceat. Elegit quos viſum eſt, in quibus gratiæ & manſuetudinis ſuæ ſpecimen edat: alios deſtinat in finem diverſum, ut ſint iræ & ſeveritatis documenta. Hic tametſi executiunt humanæ mentes: quiſque tamen noſtrum ſuæ infirmitatis ſibi conſcius, tribuere potius Deo laudem juſtitiæ diſcat, quam ut ſe inſana audacia in profundam abyſſum præcipitet. Quum totum ſemen Cham Deus maledictioni obnoxium haberet, Chananitas ſibi nominatim ſumpſit quos præ aliis malediceret. Et hinc colligimus profectum à Deo fuiſſe hoc judicium: quod ipſo tandem eventu comprobatum fuit. Qualis certe futura eſſet Chananæorum conditio, Noah humanitus non tenebat. Quare in rebus obſcuris & reconditis Spiritus directe ejus linguam. Reſtat adhuc alia difficultas: nam quum Scriptura Deum peccata hominum ulciſci docet in tertiam & quartam generationem, videtur hunc iræ Dei modum præfigere. atqui vindicta, cujus nunc fit mentio, in decimam uſque generationem ſe expandit. Reſpondeo, Scripturæ verbis non præſcribi Deo legem quam illi transgredi non liceat, ne liber

ſit in puniendis peccatis ultra quatuor generationes. Spectanda eſt tantum pœnarum & gratiæ comparatio, qua docemur ſic Deum eſſe juſtum ſcelerum vindicem, ut tamen magis ad miſericordiam propenſus ſit. Maneat interim illi ſua libertas, ut ſuam vindictam quouſque viſum fuerit, extendat. *Servus ſervorum erit.* Phraſis hæc Hebraica, Chanaan poſtremum fore vel inter ſervos, ſignificat: acſi dictum eſſet, Non tantum ſervilis erit ejus conditio, ſed vulgari ſervitute deterior. Videtur tamen inerme ac luſoriom fuiſſe ram ſeveri & horribilis vaticinii fulmen, quum Chananæi robore, divitiis & opibus præſtiterint, longeque & late fuerint dominati. Ubi ergo iſta ſervitus? Primum reſpondeo, Deum ſic minari hominibus, ut non ſtatim exequatur quod denunciat: nunquam tamen inanes & ſine effectu eſſe ejus minas. Deinde judicia Dei non ſemper expoſita eſſe oculis noſtris, nec carnis ſenſu apprehendi. Chananæi excuſſo ſervitutis jugo, quod illis divinitus erat impoſitum, etiam imperium ad ſe rapuerunt. Cæterum quamvis ad tempus inſultent, non tamen coram Deo cenſetur libera eorum conditio. Sicuti quum injuſte premuntur fideles, ac tyrannice vexantur ab improbis, non tamen coram Deo extincta eſt ſpiritualis eorum libertas. Hac autem divini judicii probatione contentos eſſe nos oportet, quod Deus ſervo ſuo Abrahæ dominium terræ Chanaan promiſit, & tandem Chananæos excidio devovit. Cæterum quia Papa tantopere cootendit ſe interdum pro-
Joan. 11. verſ. 51. phetare, ſicut fecit Caiaphas: ne omnia illi negare videamur, titulum quo ſe ornat, à Spiritu ſancto dictatum eſſe non nego. Sit igitur ſervus ſervorum, quemadmodum Chanaan.

26. *Benedictus Jehova Deus Sem.*] Noah reliquis filiis benedicit, ſed diverſo modo. Locatur enim Sem in ſummo bonoris gradu. Atque hæc ratio eſt cur Noah in benedictione ejus prorumpat in laudem Dei, nec hæreat in hominis perſona. Hebræi enim, quum de rara aliqua nec mediocri excellentia ſermo habetur, ad Deum cooſcendunt. Ergo ſanctus vir, quum uberrimam Dei gratiam ſentiret filio ſuo Sem deſtinatam eſſe, in gratiarum actionem aſſurgit. Unde colligimus non ex carnis ſenſu loquutum eſſe, ſed de arcanis Dei beneficiis differere, quorum eventus in longum tempus differendus erat. Denique his verbis divina vel cæleſtis notatur futura benedictio Sem.

27. *Dilatet Deus Japheth.*] In vocibus Hebraicis concinna alluſio eſt, Japhthe Jepheth. Origo autem verbi eſt פתה, quod Hebræis ſignificat lactare blandis verbis, vel allicere in hanc vel illam partem. Hic tamen fere omnes interpretes pro dilatare accipiunt. Quæ expoſitio ſi recipitur, ſenſus erit, Poſteros Japheth, ubi ad tempus diffui & remoti fuerint à tabernaculis Sem, expanſum tandem iri, ut propius accedant, & ſimul habitent quaſi in communi domicilio. Mihi tamen magis probatur altera verſio, Blande reducet, vel inclinabit Deus Japheth. Porro utrumvis ſequamur, prædicit Noah temporale fore diſſidium inter Sem & Japheth, quamvis ambos domi ſuæ retineat, & ambos nuncupet legitimos hæredes: deinde venturum tempus quo rurſus coaleſcant in unum corpus, & commune habeant domicilium. Certo vero certius eſt, vaticinium hic de rebus ſecundum hominem incognitis proferri, cujus non alium fuiſſe auctorem quam Deum, eventus demum oſtendit. Duo annorum millia & aliquot ſecula fluxerunt antequam Gentes & Judæi in unam fidem aggregarentur. Tunc filii Sem, quorum major pars diffluxerat, & ſe ahſciderat à ſancta Dei familia, ſimul collecti ſunt, ut ſub eodem tabernaculo agerent. Gentes etiam ex Japheth progenitæ, quæ diu palantes ac vagæ fuerant, in idem tabernaculum receptæ ſunt. Deus enim nova adoptione unum populum ex diverſis effecit, & fraternam unitatem ſancivit inter alienos. Atque id factum eſt ſuavi & blanda Dei voce, quam in Evangelio protulit: & quotidie adhuc impletur vaticinium hoc, quum diſperſas oves iovitat Deus ad ſuum gregem, & hinc inde colligit qui recumbant cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cælorum. Hæc vero non vulgaris fidei noſtræ fulcrum eſt, quod Gentium vocatio non rantum æterno Dei conſilio decreta, ſed palam ore Patriarchæ teſtata fuit: ne repente vel fortuito putemus eſſe factum, quod vitæ æternæ hæreditas communiter omnibus propoſita fuit. Cæterum loquutio hæc, *Habitabit Japheth in tabernaculis Sem*, mutuam, quæ eſſe & coli debet inter fideles, ſocietatem nobis commendat. Nam quia Deus ex progenie Sem Eccleſiam ſibi elegerat, hac lege poſtea cooptavit Gentes, ut ſe ad populum illum conferrent penes quem erat vitæ fœdus.

28. *Et vixit Noah.*] Tametſi nudis verbis breviter perſtringit Moſes ætatem ſancti viri, annales autem & memorabiles rerum eventus non recenſet: venire tamen nobis in mentem debent quæ certa ſunt, & alibi commemorat Scriptura. Intra annos centum & quinquaginta tam numeroſa ex tribus filiis ſoboles excrevit, ut ſatis ſuperque expertus ſit quid illa valeret Dei benedictio, Creſcite, & multiplicamini. Non videt urbem unam duntaxat ſuis nepotibus refertam, nec ſemen ſuum in trecentas familias diffuſum eſſe: ſed populos ex uno complures ortos, qui amplas regiones habitent. Hæc mirifica propagatio, quum viſibile eſſet divini erga eum favoris ſpeculum, ingenti haud dubie eum lætitia perfudit. Quinquagenarius enim fere erat Abraham quum mortuus eſt atavus ejus Noah. Interim multa videre coactus eſt quæ ſanctum ejus pectus incredibili mœrore cruciarent. Ut alia omittam, vidit in familia Sem dirutum, vel ſaltem mutilum ac lacerum Dei ſanctuarium, quo recipiendi erant filii Japheth. Nam quum ipſe pater Abrahæ deſerta Ihatione, profanum ſibi tabernaculum erexiſſet, perquam exigua reſtabat eorum portio qui unu puræ fidei conſenſu Deum colerent. Quibus dolorum tormentis eum confecerit borrenda iſta diſſipatio, nullis verbis ſatis exprimi poteſt. Quare ſciendum eſt, pluſquam acutos illi fuiſſe fidei oculos, qui Dei gratiam in ſervanda Eccleſia, præſenti hominum malitia ubrutam, procul intueri non deſinerent.

CAPUT X.

PORro iſtæ ſunt generationes filiorum Noah, Sem, Cham, & Jepheth: quibus nati ſunt filii poſt diluvium.

2. Filii Jepheth, Gomer & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Meſech, & Thiras.

3. Et filii Gomer, Aſcenas, & Riphath, & Thogarmah.

4. Et filii Javan, Eliſah, & Tharſis, Chitthim & Dodanim.

5. Ab iſtis ſeparatæ ſunt inſulæ Gentium ſecundum terras ſuas, ſingulæ ſecundum linguam ſuam, ſecundum familias ſuas, in gentibus ſuis.

6. Et filii Cham, Chus, & Miſraim, & Phut, & Chenaan.

7. Et

7. Et filii Chus, Seba, & Havilah, & Sabthah, & Rahamah, & Sabtecha. Filii autem Rahamah, Seba & Dedan.
8. Et Chus genuit Nimrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra.
9. Ipſe fuit potens in venatione coram Jehova: idcirco dicitur, Sicut Nimrod potens venatione coram Jehova.
10. Et fuit principium regni illius Babel & Erech & Achad & Chalneh, in terra Sinhar.
11. E terra illa egreſſus eſt Aſſur: & ædificavit Nineven & Rehoboth civitatem, & Chelah.
12. Et Reſen inter Nineven & inter Chelah: ipſa eſt civitas magna.
13. Miſraim autem genuit Ludim & Hanamim, & Lehabim, & Naphthuhim:
14. Et Pathruſim, & Caſluhim, unde egreſſi ſunt Peliſtim & Caphthorim.
15. Et Chenaan genuit Sidon primogenitum ſuum, & Heth,
16. Et Jebuſi, & Emori, & Girgaſi,
17. Et Hivvi, & Arci, & Sini,
18. Et Arvadi, & Semari, & Hamathi: & poſtea ſparſæ ſunt familiæ Chenaanæi.
19. Et fuit terminus Chenaanæi à Sidon ingrediente te Gerar uſque ad Hazzah, donec ingrediaris Sedom & Hamorah, & Admah, & Seboim, uſque ad Laſah.
20. Iſti filii Cham per familias ſuas, per linguas ſuas, in terris ſuis, in gentibus ſuis.
21. Ipſi quoque Sem ſoboles, etiam ipſe *fuit* pater omnium filiorum Eber, frater Jepheth major.
22. Filii Sem, Helam & Aſſur, & Arphachſad, & Lud, & Aram.
23. Et filii Aram, Hus & Hul, & Gether, & Mas.
24. Et Arphachſad genuit Selah, & Selah genuit Eber.
25. Et ipſi Eber nati ſunt duo filii: nomen unius Peleg, quia in diebus ejus diviſa eſt terra: & nomen fratris ejus Joctan.
26. Et Joctan genuit Almodad, & Seleph, & Haſarmaveth, & Jarah,
27. Et Hadoram, & Uzal, & Diclah,
28. Et Hobal, & Abimaël, & Seba,
29. Et Ophir, & Havilah, & Jobab: omnes iſti filii Joctan.
30. Et fuit habitatio eorum à Meſah, donec ingrediaris Sephar montem Orientis.
31. Iſti filii Sem per familias ſuas, per linguas ſuas, in terris ſuis, in gentibus ſuis.
32. Iſtæ familiæ filiorum Noah per generationes ſuas, in gentibus ſuis: & ab iſtis diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.

1. *Iſtæ ſunt generationes.*] Si cui accuratius excutere genealogias libeat quæ hoc capite & proximo referuntur à Moſe, diligentiam non improbo. Et quidem interpretes non infeliciter ſuam induſtriam & ſtudium hic poſuerunt. Fruantur ergo per me licet laborum ſuorum mercede. Mihi tamen ſatis erit breviter attingere quæ obſervatu magis utilia cenſeo, & quorum cauſa iſtos catalogos à Moſe ſcriptos eſſe arbitror. Primum in nudis iſtis nominibus habemus tamen fragmentum aliquod, hiſtoriæ mundi: & proximum caput oſtendet quot anni à diluvio uſque ad tempus illud quo Deus fœdus ſuum pepigit cum Abraham, interceſſerint. Eſt autem in primis digna cognitu ſecunda hæc origo generis humani: & deteſtabilis eſt eorum ingratitudo, qui quum ex patribus & avis ſuis audiſſent quam mirifica fuiſſet intra breve tempus mundi inſtauratio, ſponte tamen gratiæ Dei & ſalutis obliti ſunt. Sepulta fuit à majori parte diluvii memoria. Quomodo vel in quem finem ſervati eſſent, pauciſſimis curæ fuit. Multis poſt ſeculis, quia Dei judicio & miſericordiæ caliginem induxerat impia hominum oblivio, janua Satanæ mendaciis aperta fuit: cujus artificio factum eſt ut profani Poëtæ futiles adeoque noxias fabulas ſpargerent, quibus veritas operum Dei adulterata fuit. Mire ergo certavit cum hominum malitia Dei bonitas, quod tam ingratis, & feris, & barbaris prorogata longius fuit vita. Jam naſutis hominibus (quibus abſurdum non eſt nullum agnoſcere mundi conditorem) tam ſubita mundi propagatio incredibilis videtur, atque ideo quaſi fabuloſam rident. Fateor equidem, ſi ſenſu noſtro æſtimare libeat quod tradit Moſes, pro fabula haberi poſſe: ſed nimis perverſe faciunt qui non attendunt Spiritus ſancti conſilium. Quid enim, obſecro, voluit Spiritus, niſi inſolita Dei potentia, non autem naturaliter nec vulgari more ſic auctam fuiſſe trium virorum ſobolem, ut terram longe lateque impleret? Quibus hoc Dei miraculum propter ſuam magnitudinem fabuloſum eſt, multo minus credent Noah ejuſque filios & uxores inter aquas ſpiraſſe, ſine ſole & aëre vixiſſe animalia fere per integrum annum. Hic ergo Cyclopicus eſt furor, quod de reparatione generis humani dicitur, ludibrio habere: quia illic inæſtimabilis Dei potentia refulget. Quanto ſatius erat in earum rerum hiſtoria, quas Noah non ſine ingenti admiratione oculis ſuis vidit, Deum ſuſpicere, mirari ejus virtutem, bonitatem celebrare, & ejus manum agnoſcere, myſteriis refertam non minus in reſtituendo quam creando mundo? Notandum vero eſt, in tribus catalogis quos deſcribit Moſes, non numerari ſingula capita: ſed in nepotibus Noah tantum recenſeri qui gentium fuerunt principes. Nam ut quiſque inter fratres ingenio, virtute, induſtria, vel aliis dotibus excelluit, ſibi peperit nomen & potentiam, ut alii ſub eorum umbra quieſcentes, primatum illis libenter concederent. Ergo in filiis Japheth, deinde Cham, & Sem, tantum eos qui celebres fuerunt, & ex quorum nominibus vocati ſunt populi, recenſet Moſes. Porro cur à Japheth incipiat Moſes, ſecundo loco ad Cham deſcendat, quamvis non conſtet certa cauſa, probabile tamen eſt primam claſſem dari filiis Japheth, qui multis regionibus peregratis, & mari etiam trajecto, longius à patria receſſerant: quia Judæis minus notæ erant gentes illæ. ideo curſim eas attingit. Secundum locum aſſignat filiis Cham, quorum notitiam magis familiarem Judæis reddebat vicinitas. Quia autem continuo tenore hiſtoriam Eccleſiæ texere inſtituerat, progeniem Sem, unde

unde illa defluxit, in ultimum locum differt. Quare non ſpectanda eſt in ordine dignitas, quum primos omnium ſtatuat Moſes quos volebat tanquam obſcuros levius attingere. Cæterum hoc quoque habendum eſt, eminere filios hujus ſeculi ad tempus, ut in eorum gratiam conditus videri poſſit terrarum orbis, ſed gloriam eorum, ut fluxa eſt, evaneſcere: Eccleſiam vero ſub ignobili contemptoque habitu, quaſi bumi ſerpendo, divinitus ſervari, donec caput tandem ſuo tempore exerat. De nominibus jam præfatus ſum, anxiam eorum inveſtigationem me aliis relinquere. Quorundam ex Scripturis ratio manifeſta eſt, ſicuti Chus, Miſraim, Magdai, Chanaan, & ſimilium: in aliis conjecturæ ſunt veriſimiles: in aliis major eſt obſcuritas quam ut certi aliquid excogitari queat: & quæ interpretes afferunt commenta, partim longe ſunt detorta & coacta, partim inſipida, & quæ nihil habent coloris. Certe frivolæ curioſitatis eſſa videtur, certos ac diſtinctos in ſingulis nominibus populos quærere. Quum dicit Moſes, à filiis Japheth diviſas eſſe Gentium inſulas, intellige partitos inter ſe tranſmarinas regiones. Nam Græcia & Italia, aliæque terræ continentes, Hebræis non minus quam Rhodus, vel Cyprus, inſulæ dicuntur, propter mare interpoſitum. Unde colligimus, ex illis gentibus nos eſſe oriundos.

8. *Chus genuit Nemrod.*] Chus principem fuiſſa Æthiopum, certum eſt: de filio ejus Nemrod peculiarem hiſtoriam referi Moſes, quod cœperit ſupra uſitatum morem emergere. Porro ſic interpretor, mediocrem tunc fuiſſe hominum ſtatum, ut ſi qui aliis præeſſent, non tamen dominarentur, nec ſibi regium imperium ſumerent, ſed dignitate aliqua contenti, civilem in modum regerent alios, & plus auctoritatis haberent quam potentiæ. Hunc enim vetuſtiſſimum fuiſſe mundi ſtatum Juſtinus ex Trogo refert. Jam dicit Moſes, Nemrod, quaſi oblitus ſoret ſe hominem eſſe, occupaſſe alterum gradum. Vivebat tunc adhuc Noah, quem magnum & venerabilem omnibus fuiſſe certum eſt. Erant & alii præſtantes viri: ſed talis eorum erat moderatio, ut æqualitatem colerent cum ſuis minoribus, qui ſponte magis eos reverebantur quam imperio coacti. Hujus modeſtiæ fines turbavit ac perfregit ambitio Nemrod. Porro quum ſatis conſtet hoc Moſis elogio inuri tyranno æternam probri notam, binc ſtatuere licet quantum Deo placeat moderata adminiſtratio inter homines. Et certa quiſquis ſe hominem eſſe meminerit, lubens cum aliis ſocietatem colet. Quantum ad verba ſpectat, ציד proprie venationem ſignificat, ut volunt Grammatici Hebræi: accipitur tamen ſæpe pro cibo. Sive autem dicat Moſes fuiſſe robuſtum in venatione, ſive in rapienda præda, metaphorice ſignificat truculentum fuiſſe hominem, & belluis propiorem quam hominibus. Particula *coram Domino*, exprimere mihi videtur quod Nemrod eximere ſe conatus ſit è numero hominum, quemadmodum ſuperbi homines ventoſa confidentia faſa efferunt, ut reliquos omnes quaſi ex nubibus deſpiciant. *Quapropter dicetur.* Quoniam verbum eſt futuri temporis, ita reſolvi poteſt, Nemrod potens & imperioſus fuit, ut dicere liceat, quemlibet fortem tyrannum eſſe alterum Nemrod. Placet tamen Hieronymi verſio, inde manaſſe proverbium de fortibus & violentis, eos ſimiles eſſe Nemrod. Nec dubito quin Deus primum tyrannidis auctorem odioſe per omnium ora traduci voluerit.

10. *Principium regni illius Babel.*] Sedem imperii Nemrod deſignat Moſes. Atque urbes quatuor illi ſubjectas fuiſſe dicit: ſive earum fuerit conditor, ſive juſtos inde dominos expulerit. Tametſi autem ſit alibi Chalneh mentio, celeberrima tamen fuit omnium Babylon: nec tamen ea fuiſſe amplitudine & tam magna ſtructura fuiſſe arbitror, qualem profani ſcriptores celebrant. Sed fieri poteſt, quum amœna in primis & fœcunda eſſet regio, ut loci commoditas alios deinde invitaverit ad urbem ampliandam. Quare Ariſtoteles in Politicis eam ab urbium ordine ſubductam provinciæ comparat. Hinc factum eſt ut multi opus Semiramidis eſſe tradant: à qua alii non fuiſſe conditam, ſed ornatam duntaxat & pontibus conjunctam docent. Terra Sinhar addita eſt ad notam diſcriminis: quia altera quoque Babylon Ægypti fuit, quam hodie Cairum vocant. Sed quæritur quomodo Babylonicus tyrannus fuerit Nemrod, quum ſequenti tandem capite ſubjiciat Moſes inceptam illic fuiſſe turrim, quæ nomen à linguis confuſis ſortita eſt. Quidam συγχρονισμον eſſe volunt, & quod poſtea de ædificio turris narrabit Moſes, fuiſſe temporis ordine prius. Quin etiam addunt, quia male ceſſerat turris ſtructura, mutatum fuiſſe conſilium ut urbem conderent. Atqui ego magis exiſtimo μετωνυμιαν eſſe, & nomen urbi tribui à Moſe, quod poſtea ex novæ rei eventu fuit impoſitum. Hæc conjecturæ ratio eſt, quod jam tunc multos fuiſſe ejus loci incolas probabile eſt, qui tantum operis molem aggreſſi ſunt. Fieri etiam poteſt ut Nemrod famæ & potentiæ ſuæ conſulens, hoc prætextu inſanam eorum cupidinem accenderit, exſtruendum eſſe præclarum aliquod monumentum in quo æterna illorum memoria extaret. Cæterum quia Hebræis tritum eſt, quæ breviter attigerant, fuſius deinde perſequi, priorem illam ſententiam prorſus non rejicio.

11. *E terra illa egreſſus eſt Aſſur.*] Aſſur unum fuiſſe ex poſteris Sem credibile eſt. Vulgo autem obtinuit opinio hæc, per occaſionem hic verba de eo fieri, quod quum habitaret in vicinia Nemrod, violenter inde expulſus fuerit. Hoc modo barbaram ferociam Nemrod notaret Moſes. Et certe bi ſolent eſſe fructus magnitudinis, quæ modum non tenet: unde prodiit vetus proverbium, Magna regna eſſe magna latrocinia. Neceſſe quidem eſt alios aliis præeſſe: ſed ubi graſſatur ambitio, & libido altius emergendi quam par eſt, non modo ſecum trahit maximas & multiplices injurias, ſed ad diſſipationem quoque humanæ ſocietatis prona vergit. Cæterum potius amplector eorum ſententiam, qui Aſſur hoc loco non hominis, ſed terræ ſic ab ipſo vocatæ nomen eſſe dicunt. ita ſenſus erit, Nemrod amplo & opulento regno non contentum, longius ſua cupiditate vagatum aſſe, & protuliſſe imperii ſui fines uſque in Aſſyriam, & illic quoque novas condidiſſa urbes. Obſtat tantum unius Jeſaiæ locus, 23. v. 13. ubi ait, Ecce terra Chaldæi, populus non fuit, Aſſur fundavit eam, quum deſerta incolerent, & redegit in ruinam, &c. Videtur enim Propheta dicere, urbes ab Aſſyriis conditas fuiſſe in Chaldæa, quum prius ejus incolæ vagi ac diſperſi forent tanquam in deſerto. Sed fieri poteſt ut de aliis regnorum mutationibus, quæ poſt ſequutæ ſunt, loquatur Propheta. Nam quo tempore penes Aſſyrios erat monarchia, quum ingenti copia florerent, credibile eſt Chaldæam, quam ſibi ſubjugaverant, longa pace ornaſſe & auxiſſa, ut videri poſſet ab illis fundata. Scimus autem quum viciſſim Chaldæi imperium rapuiſſent, Babylonem in altum evectam fuiſſe ruinis Nineves.

21. *Ipſi quoque Sem.*] De filiis Sem verba facturus Moſes brevi proœmio utitur: quod in aliis non fecerat. Neque id fruſtra: quia enim hoc erat electum à Deo genus, voluit à cæteris gentibus ſegregare ſpeciali aliqua nota. Hæc etiam ratio eſt cur nominatim dicat patrem eſſe filiorum Eber, & fratrem Japheth natu majorem. Nam benedictio Sem non ad omnes promiſcue ejus nepotes pervenit, ſed reſedit in una familia. Quamvis autem ipſi quoque nepotes Eber deſciverint à vero Dei cultu, ut jure poſſet illos exhœredare Dominus, non tamen extincta fuit prorſus, ſed tantum ad tempus ſepulta benedictio,

dictio, donec vocatus est Abraham, in cujus honorem singularis hic nobilitas tribuitur generi Eber, ac nomini. Eadem etiam de causa fit mentio Japheth, ut confirmetur illa promissio, Blande alloquetur Deus Japheth, ut habitet in tabernaculis Sem. Non vocatur hoc loco Sem frater Cham, quia refectus ex fratrum ordine, & jure suo abdicatus fuerat. Tantum inter Sem & Japheth manet fraternitas: quia tametsi divisi erant, facturum se tamen receperat Deus ut ex dissidio rursus coirent. Quantum ad nomen Eber, qui gentile esse negant, sed deducunt à transitu, hoc uno loco satis superque refelluntur.

Caput XI.

ERat autem universa terra labii unius, & verborum eorundem.

2. Et fuit, quum proficiscerentur ipsi ab Oriente, invenerunt planitiem in terra Sinhar, & habitaverunt ibi.

3. Et dixerunt quisque ad proximum suum, Agite, laterificemus lateres, & coquamus ad coctionem: & fuit eis later pro lapide, & bitumen fuit eis pro cæmento.

4. Et dixerunt, Agite, ædificemus nobis urbem, & turrim, cujus caput *pertingat usque* ad cælum: & faciamus nobis nomen, ne forte dispergamur in superficiem universæ terræ.

5. Et descendit Jehova ut videret urbem & turrim quam ædificabant filii hominum.

6. Et dixit Jehova, En, populus unus, & labium unum *est* omnibus ipsis: & hoc *est* incipere eorum ut faciant, & nunc non prohibebitur ab eis quod cogitaverunt ut facerent.

7. Agite, descendamus, & confundamus ibi labium eorum, ut non audiant unusquisque labium proximi sui.

8. Et dispersit Jehova eos inde per superficiem omnis terræ, & cessaverunt ædificare civitatem.

9. Propterea vocavit nomen ejus Babel: quia ibi confudit Jehova labium universæ terræ, & inde dispersit eos Jehova in superficiem universæ terræ.

10. Hæ sunt generationes Sem. Sem filius centum annorum genuit Arphachsad duobus annis post diluvium.

11. Et vixit Sem postquam genuit Arphachsad, quingentos annos: & genuit filios & filias.

12. Et Arphachsad vixit quinque & triginta annos, & genuit Selah.

13. Et vixit Arphachsad postquam genuit Selah, tres annos & quadringentos annos: & genuit filios & filias.

14. Et Selah vixit triginta annos, & genuit Eber.

15. Et vixit Selah postquam genuit Eber, tres annos & quadringentos annos: & genuit filios & filias.

16. Et vixit Eber quatuor & triginta annos, & genuit Peleg.

17. Et vixit Eber postquam genuit Peleg, triginta annos & quadringentos annos: & genuit filios & filias.

18. Et vixit Peleg triginta annos, & genuit Rehu.

19. Et vixit Peleg postquam genuit Rehu, novem annos & ducentos annos: & genuit filios & filias.

20. Et vixit Rehu duos & triginta annos, & genuit Serug.

21. Et vixit Rehu postquam genuit Serug, septem annos & ducentos annos: & genuit filios & filias.

22. Et vixit Serug triginta annos, & genuit Nachor.

23. Et vixit Serug postquam genuit Nachor, ducentos annos: & genuit filios & filias.

24. Et vixit Nachor novem & viginti annos, & genuit Thare.

25. Et vixit Nachor postquam genuit Thare, novendecim annos & centum annos: & genuit filios & filias.

26. Et vixit Thare septuaginta annos, & genuit Abram, Nachor, & Haran.

27. Et istæ sunt generationes Thare. Thare genuit Abram, Nachor, & Haran: & Haran genuit Lot.

28. Et mortuus est Haran coram Thare patre suo in terra nativitatis suæ, in Ur Chaldeæ.

29. Et acceperunt Abram & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai: & nomen uxoris Nachor, Milchah, filia Haran patris Milchah, & patris Ischah.

30. At fuit autem Sarai sterilis: nec erat ei filius.

31. Tulit autem Thare Abram filium suum, & Lot filium Haran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui: & egressi sunt cum eis de Ur Chaldeæ, ut pergerent in terram Chenaan: & venerunt usque ad Charan, & habitaverunt ibi.

32. Et fuerunt dies Thare quinque & ducenti anni: & mortuus est Thare in Charan.

1. *Erat autem universa terra labii unius.*] Quia prius uno verbo mentio facta fuerat Babylonis, nunc fusius prosequitur Moses unde loco inditum fuerit nomen. Est autem historia apprime memorabilis, in qua perspicimus quanta sit hominum contumacia adversus Deum, & quam male in judiciis ejus proficiant. Etsi autem prima specie non apparet mali atrocitas: testatur tamen pœna quæ sequuta est, quantopere Deo quod isti aggressi sunt displicuerit. Qui hoc consilio extructam fuisse turrim divinant, ut perfugium esset impiis atque asylum, siquando diluvio terram Deus obruere vellet, non video

video quid sequantur præter cerebri sui somnium. Verba enim Mosis nihil tale sonant: sed hic tantum insana ambitio, & superbus Dei contemptus notatur. Turrim extruamus (inquiunt) cujus summitas usque ad cælos pertingat, & paremus nobis nomen. Videmus consilium, & susceptí operis finem. Nam quicquid acciderit, volunt immortale habere in terra nomen: ita quasi invito Deo ædificant. Et certe ambitio non tantum hominibus injuria est, sed adversus Deum ipsum proterva. Arcem extruere non adeo magnum per se crimen erat: sed æternum sibi monumentum statuere, quod seculis omnibus duraret, id vero effrenem superbiam una cum Dei contemptu spirat. Atque hinc nata est fabula Gigantum, quos finxerunt Poëtæ montes imposuisse montibus, ut Jovem è cælesti solio detraherent. Nec vero multum remota est allegoria hæc ab impio consilio quod Moses perstringit: simul enim ac mortales sui obliti, altius quam par sit se efferunt, instar Gigantum cum Deo ipsos bellare certum est. Non profitentur id quidem ore: sed aliter fieri non potest quin recta Deum impetat quisquis suas metas transgreditur. Quod ad tempus attinet, extat Berosi fragmentum (si tamen habendus est talium nugarum auctor Berosus) ubi inter alia numerantur anni centum & triginta à diluvio, quum turrim extruere cœperunt. Cæterum ut idoneo auctore careat hæc sententia, magis tamen quibusdam probatur quam quæ fere apud Judæos obtinuit, trecentos circiter & quadraginta annos distantiæ ponens inter diluvium & structuram. Nec plus coloris habet quod tradunt iidem, architectos istos opus esse aggressos, quia jam longe lateque tunc diffusi erant homines, & complures deductæ coloniæ: ut viderent, præ sobolescente in dies copia, brevi sibi esse longius migrandum. Sed huic argumento opponitur singularis Dei benedictio in multiplicando humano genere. Quin etiam omnem controversiam dirimere videtur Moses. Nam postquam Arphachsad recensuit tertium inter filios Sem, Peleg deinde abnepotem ejus nominat, cujus tempore linguæ divisæ sunt. Ex annorum vero supputatione quam ponit, certo patet unum modo seculum interfuisse. Sed notandum est non dici statim post natum Peleg divisas fuisse linguas: nec usquam tempus certum præfigi. Cæterum ad ingentes miserias Noah hic cumulus accessit, quod audivit scelleratum hoc consilium à suis posteris captum esse. Nec dubium est quin maximo dolore vulneratus fuerit, quum videret eos devotis animis ruere in suam perniciem. Sed Dominus sanctum virum extremo quoque senio ita exercuit: ne continua pugnarum successio nos examinet. Si cui magis arrideat quod receptum est vulgo apud Judæos, divisio terræ ad primas transmigrationes referenda erit, quum cœperunt homines in varias regiones distribui: sed repugnat quod simul habuimus proximo capite de monarchia Nemrod. Verum mediam sententiam tenere licebit: quod sub extremum forte senium Peleg contigerit linguarum confusio. Vixit autem ducentis fere & quadraginta annis. Nec erit absurdum si dicamus imperium Nemrod duobus vel tribus seculis duravisse. Ego certe, ut in rebus dubiis, libenter admitto longius temporis spatium à diluvio ad consilium turris extruendæ. Cæterum quum dicit Moses *terram fuisse labii unius*, rarum Dei gratiam commendat: quod inter homines procul dispersos, sacrum tamen societatis vinculum voluerat manere, ut communem haberent inter se linguam. Et sane prodigii loco habenda est linguarum diversitas. Nam quum mentis character sit lingua, qui fit ut homines ejusdem rationis participes, & nati ad socialem vitam, non eadem inter se lingua communicent? Ergo vitium hoc, quia cum natura pugnat, Moses accidentale esse docet: pœnamque divinitus esse hominibus inflictam, ut dissiparentur eorum linguæ, quia impie in Deum conspiraverant. Debuerat linguæ unitas inter eos fovere pietatis consensum: atqui hæc turba de qua loquitur Moses, postquam se à puro Dei cultu, & sancto fidelium cœtu alienaverat, coalescit ad movendum Deo bellum. Justa igitur Dei vindicta divisæ sunt eorum linguæ.

2. *Invenerunt planitiem in terra Sinhar.*] Conjicere licet ex his verbis, Mosen loqui de Nemrod, & populo quem sibi collegerat. Cæterum ut demus Nemrod præcipuum fuisse ducem extruendæ tantæ molis, quo formidabile suæ tyrannidis monumentum statueret: diferte tamen narrat Moses, non unius hominis consilio vel libidine susceptum fuisse opus, sed omnes simul conspirasse: ut culpa in unum vel paucos rejici non posset.

3. *Dixit vir ad proximum suum.*] Hoc est, mutuo se cohortati sunt: nec tantum cupide manum quisque præbuit, sed alios etiam impulit ad audendum.

Lateres faciemus lateres.] Significat Moses non facilitate operis, nec aliis commodis, quæ se ad manum offerrent, fuisse inductos: sed potius cum magnis & arduis obstaculis luctatos esse: quo magis augetur sceleris gravitas. Qui fit enim ut in opere difficili & laborioso se frustra macerent ac conficiant, nisi quia tanquam phrenetici se projiciunt adversus Deum? Sæpe à necessariis operibus deterret nos difficultas: isti autem quum lapidibus & cæmento careant, non tamen dubitant ædificium aggredi quod nubes transcendat. Monemur itaque hoc exemplo, quo se hominum libido propipiat, dum ambitioni suæ indulgent. Quod etiam non tacuit profanus Poëta, Audax omnia perpeti Gens humana ruit per vetitum nefas. Et paulo post, Nil mortalibus arduum est. Cælum ipsum petimus stultitia.

4. *Pertingat usque ad cælum.*] Hyperbolica est loquutio, qua magnifice per jactantiam structuræ quam moliuntur, altitudinem extollunt. Atque huc pertinet quod mox attexunt, *Paremus nobis nomen:* significant enim tale fore opus, quod miraculi specie non modo spectantium in se convertat oculos, sed passim usque ad ultimos terrarum fines celebretur. Hæc perpetua mundi dementia est, neglecto cælo immortalitatem quærere in terra, ubi nihil est non caducum & evanidum. Ergo non alio spectant eorum curæ & studia, nisi ut sibi acquirant in terra nomen. Hæc tam cæca cupiditas merito ridetur à Davide, Psal. 49. vers. 7. Ac præsertim quum experientia (quæ stultorum magistra est) posteros majorum exemplis edoctos non reducat ad sanam mentem, sed furor ferpat in omnes ætates. Notum est illud Juvenalis, —— mors sola fatetur Quantula sint hominum corpuscula. Atqui ne mors quidem corrigit nostrum superbiam: nec confessionem miseræ nostræ sortis serio extorquet: nam sæpe in sepulturis plus eminet superbiæ quam in pompa nuptiali. Exemplo tamen hoc monemur quantopere nobis expediat humiliter vivere & mori. Atque hæc pars est non ultima veræ prudentiæ, quum in media vita mors nobis versatur ante oculos, quæ nos ad modestiam assuefaciat. Nam quisquis magnus esse in terra appetit, ubi contumeliosus fuerit in homines, tandem sacrilega ejus audacia prorumpet contra Deum ipsum, ut Gigantum more cælum oppugnet.

Ne forte dispergamur.] Vertunt quidam interpretes, Antequam dispergantur: sed hoc non patitur linguæ proprietas: periculo enim quod instare credibile erat, occurrere cogitant. Acsi dicerent, Fieri non posse, ut crescente numero, omnes ipsos regio illa semper caperet: ideo extruendum esse ædificium quod illic stabile & perpetuum servaret eorum nomen, quamvis in diversas plagas dispersi forent. Quæritur tamen unde illis futuræ dispersionis memoria. Conjiciunt nonnulli à Noah fuisse monitos, qui mundum ad priora scelera & corruptelas revolutum

tum cernens, Spiritu Prophetico horrendam aliquam diſſipationem ſimul præviderit: ac putant illi, Babylonios, quum directe Deo obſiſtere non poſſent, oblique conatus eſſe ſuæ pœnæ, quæ denunciata erat, avertere. Alii putant arcano Spiritus inſtinctu vaticinatos eſſe de ſua pœna, idque præter animi ſenſum. Atqui coactæ ſunt iſtæ expoſitiones: nec ulla ratio cogit, ad maledictionem, quæ illis inflicta eſt, trahere quod dicunt. Sciebant terram eſſe conditam ut habitaretur, & ubique ſua ubera ad homines alendos porrigeret: & ipſa multitudo eos docebat, fieri non poſſe ut diu tam anguſtis finibus manerent incluſæ quare ubi alio migrandum erit, turrim volunt originis ſuæ eſſe teſtem.

5. *Deſcendit Dominus.*] Sequitur poſterior pars hiſtoriæ, in qua docet Moſes quam facile Dominus veſanos illorum conatus everterit, ac diſcuſſerit totum apparatum. Neque enim dubium eſt quin ſtrenue aggreſſi ſint quod animis præſumpſerant. Sed prius admonet Moſes, diſſimulaſſe aliquantiſper Deum, ut ſubita linguarum confuſione inceptum opus abrumpens, clarius judicii ſui ſpecimen ederet. Sic enim plerumque impios tolerat, ut non modo quietus & ceſſanti ſimilis multa eos nefaria machinari ſinat, ſed læto etiam ſucceſſu promoveat impios & peyverſos eorum conatus, ut eos tandem altius præcipitet. Deſcenſus enim cujus meminit Moſes, ad homines refertur potius quam ad Deum, etſi non ſcimus loco non moveri. Verum ſubindicat, ſenſim & quaſi ſenſo gradu Deum apparuiſſe ultorem. Deſcendit ergo Dominus ut videret: hoc eſt, reipſa patefecit ſibi non eſſe incognitum quid Babylonii tentarent.

6. *En, populus unus.*] Quidam ita exponunt, Deum conqueri de tam præfracta hominum malitia, ut ſe juſto dolore ad vindictam exſtimulet: non quod in ipſum cadant ulli affectus: ſed ut diſcamus non negligi ab ipſo res humanas: & quemadmodum invigilat ſaluti fidelium, ita intentum eſſe ad obſervandam impiorum malitiam. ſicut habetur Pſalmo 34. verſ. 7. Vultus Domini ſuper eos qui maleſaciunt, ut ſuccidat è terra memoriam eorum. Alii putant comparationem eſſe minoris & majoris: acſi dictum eſſet, Pauci adhuc ſunt, & una tantum lingua utuntur: quid igitur non audebunt, ſi ob multitudinem in varios populos diſperſi fuerint? Sed mihi potius videtur ſubeſſe ironia, quaſi Deus ſibi difficultatem proponeret reprimendæ illorum audaciæ: ut ſit ſenſus, Populus hic firma conſpiratione agglutinatus eſt, eadem inter ſe lingua communicant: qua igitur ratione frangi poterunt? Cæterum ironice ſubſannat ſtolidam & præcipitem eorum confidentiam: quia dum vires ſuas æſtimant impii, nihil non ſibi arrogant. *Incipere* iſtud de quo loquitur, ſedulum conatum ſignat una cum violento operandi fervore. Ita per conceſſionem Deus nullam fore ædificii interruptionem dicit rebus ita compoſitis.

7. *Agite, deſcendamus.*] Diximus, per hypotypoſin rem nobis depingi a Moſe: quo illuſtrius ſit Dei judicium. Proinde nunc inducit loquentem Deum, qui pronunciat abſque negotio diſſipatum iri quod illi nunquam putaſſent ullo modo tardari poſſe. Talis autem eſt verborum ſenſus, Non utar multis machinis: ſed tantum ſuffiabo in eos, ut confuſis linguis ridiculi diſſiliant. Quemadmodum autem numeroſa manu collecta moliebantur uſque ad nubes conſcendere: ita ex oppoſito Deus ſuas copias advocat, quarum objecto præſidio arceat illum furorem. Quæritur tamen quaſnam copias deſignet. Judæi putant ad Angelos haberi ſermonem. Sed quoniam nulla fit Angelorum mentio, & Deus in pari ſecum gradu conſtituit quos alloquitur: coacta eſt illa expoſitio, & merito rejicitur. Potius hic locus priori reſpondet, quem habuimus in hominis creatione: quum dicebat etiam Dominus, Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Apte enim & concinne magno populo æternam ſuam ſapientiam, & virtutem Deus opponit: acſi diceret, non opus ſibi eſſe alienis auxiliis, ſed intus ſibi ſuppetere quod ad eos delendos ſufficiat. Quare ex hoc loco non inepte probatur ſubeſſe in una Dei eſſentia tres perſonas. Porro hoc vindictæ divinæ exemplum ad omnes ætates pertinet: ſemper inſana libidine pruriunt homines plus audendi quam fas ſit. Teſtatur autem hæc hiſtoria Deum talibus conſiliis & ſtudiis ſemper adverſum fore: adeoque hic ante oculos depictum cernimus quod dicit Salomon, Non eſt conſilium, non eſt prudentia, non eſt robur contra Dominum. *Prov. 21. verſ. 30.* Niſi adſit Dei benedictio, à qua una proſperum exitum ſperare licet, evaneſcere quicquid tentamus neceſſe erit. Quum vero perpetuum ſibi bellum eſſe Deus pronunciet cum immodica hominum audacia, infeliciter ceſſurum eſt quicquid præter ejus nutum aggredimur, etiamſi creaturæ omnes ſurſum & deorſum nobis certatim opem ſuam offerant. Cæterum quamvis adhuc hodie mundus hanc maledictionem ſuſtineat: in media tamen pœna & horribili ira Dei adverſus hominum ſuperbiam documento, mira refulget Dei bonitas, quod diverſis linguis gentes ultro citroque inter ſe communicant: præſertim vero quod omnibus linguis unum Euangelium publicavit per totum orbem, & Apoſtolos dono linguarum inſtruxit. Quo factum eſt ut in unitatem fidei coaleſcerent, qui prius miſere diviſi erant. Hoc ſenſu dicit Iſaias communem omnibus fore linguam Chanaan ſub regno Chriſti: quia etſi differant ſermonis ſono, unum tamen idemque loquuntur, dum clamant Abba, Pater. *Iſa. 19. verſ. 18.*

8. *Et diſperſit eos Dominus.*] Fuerant jam prius diſperſi homines: neque id loco pœnæ cenſeri debuit, quum ex Dei benedictione potius & gratia flueret. Sed quos prius honorifice diſtribuerat Dominus in varia hoſpitia, nunc cum ignominia diſſipat, huc & illuc eos diſpellens, quaſi laceri corporis membra. Hæc igitur non ſimplex fuit diſperſio ad replendam terram, ut ſuos ubique haberet cultores & incolas: ſed violenta dijectio: quia præcipuum fovendæ inter eos conjunctionis vinculum exectum fuit.

9. *Propterea vocavit nomen ejus Babel.*] En quid proceſſerint ſtulta ambitione parandi nominis: ſperabant inſculptam fore in turri æternam originis ſuæ memoriam: Deus non tantum vana fiducia eos fruſtratur, ſed inurit æternum dedecus ut poſteris omnibus ſint execrabiles propter tantam cladem generi humano eorum culpa inflictam. Habent quidem nomen, ſed non quale optaverant. ſic Deus eorum ſuperbiam probroſe disjicit qui ſibi plus uſurpant quam liceat. Hinc autem reflectitur eorum error, qui Babylonem à Jove Belo deducunt.

10. *Hæ ſunt generationes Sem.*] De progenie Sem nonnihil dixerat Moſes proximo capite: ſed nunc hominum nominibus annorum ſpatium connectit: ne incognita nobis eſſet mundi vita. Niſi enim brevis hæc deſcriptio extaret, hodie neſciremus homines quantum temporis à diluvio interceſſerit ad eum uſque diem quo fœdus ſuum pepigit Deus cum Abram. Porro notandum, quod honoris cauſa Deus annos mundi à progenie Sem numerat: quemadmodum annales ſuos inſigniunt hiſtorici Regum vel Conſulum nominibus. Neque tamen hoc tam dignitati & meritis familiæ detulit quam gratuitæ ſuæ adoptioni. nam (ut ſtatim videbimus) deſcivit magna ex parte poſteritas Sem à vero Dei cultu. Quare digni erant quos Deus non modo expungeret è ſuis faſtis, ſed è mundo prorſus tolleret. Cæterum pluris eſt illi ſua electio, qua familiam iſtam diſcrevit ab omnibus populis, quam ut intercidere propter hominum peccata ſinat. Ideo ex pluribus filiis Sem unum Arphachſad, ex filiis Arphachſad unum Sela, ab illo quoque unum Eber deligit, uſque dum ad

Abram veniat: cujus vocatio, Eccleſiæ renovatio cenſeri debet. Quantum ad reliquos ſpectat, probabile eſt nondum completo ſeculo ad impias ſuperſtitiones dilapſos eſſe. Nam quum Deus Judæis exprobret, patres eorum Thare & Nachor ſerviſſe diis alienis, Joſue 24. verſ. 2. ſciamus autem domum Sem, in qua illi nati erant, fuiſſe peculiare Dei ſacrarium, ubi vigere maxime debebat pura religio: quid putamus aliis contigiſſe, qui ab initio quaſi emancipati videri poterant? Hinc vero prodigioſa humani ingenii tam malitia & pravitas quam inflexibilis durities apparet. Vivebant adhuc Noah & filii ejus oculati diluvii teſtes: narratio illius hiſtoriæ non minus timoris incutere illis debebat quam viſibilis Dei conſpectus: ab infantia imbuti ſunt iſtis principiis, qualiter velit Deus coli, quam reverenter parendum ſit ejus verbo, quam gravis eos omnes ultio maneat qui ordinem ab eo poſitum violaverint: retineri tamen nequeunt quin ſua vanitate corrupti diffluant. Interea minime dubium eſt quin ſanctus Noah pro ſingulari ſuo zelo & heroica fortitudine, modis omnibus dimicaverit pro aſſerenda Dei gloria: quin acriter & ſevere invectus fuerit, imo fulminaverit contra perfidam nepotum ſuorum apoſtaſiam. quum omnes ad ſolum ejus nutum tremere par eſſet, nullis quamlibet clamoſis objurgationibus moventur, quin furore ſuo abrepti pergant. Ex hoc potius ſpeculo quam inanibus Sophiſtarum blanditiis, diſcamus quam fœcunda ſit corruptio naturæ noſtræ. Quod ſi Noah & Sem, aliique tanti doctores, pluſquam animoſe certando, conſequi tamen non potuerint quin prævaleret mundi impietas: ne miremur ſi hodie quoque contra omnia doctrinæ, admonitionum, & minarum obſtacula ſe projiciat mundi libido ad impios & perverſos cultus. Interea notandum eſt quam firmum in ſanctis hominibus fuerit fidei robur, quam intatigabilis patientia, quam infractum pietatis ſtudium, qui tot ſcandalis quibuſcum aſſidue luctandum erat, nunquam ceſſerunt. Scite ergo Lutherus incredibiles, quibus eos torqueri neceſſe fuit, cruciatus, multis martyriis comparat. Illa enim nepotum alienatio à Deo non aliter eos affecit quam ſi ſua viſcera non modo diſcerpi ac laniari, ſed in Satanæ cloacas & ipſos infernos projici vidiſſent. Quum autem mundus ita refertus eſſet impiis, paucos Deus mirabiliter continuit ſub verbi ſui obſequio, ut Eccleſiam ab interitu ſervaret. Quanquam autem diximus patrem & avum Abræ fuiſſe apoſtatas, & credibile eſt non ab illis primum cœpiſſe defectionem: quia tamen in illo genere propter Dei electionem incluſa erat Eccleſia, & aliquos Deus ſuperſtites uſque ad vocationem Abrahæ habuit qui ipſum pure colerent: continuam lineam deducit Moſes, atque ita in ſanctorum catalogo illos recenſet. Unde colligimus (quemadmodum paulo ante monui) quanto in pretio habeat Deus Eccleſiam, quæ numero hominum tam exigua, cuncto tamen mundo præfertur.

Sem filius centum annorum.] Quum Moſes tertium ordine poſuerit Arphachſad inter filios Sem, quæritur quomodo nunc natum eſſe conveniat biennio poſt diluvium. Reſponſio facilis eſt, Ex catalogis quos recitat Moſes non poſſe exacte ſtatui quo quiſque tempore natus ſit, quum interdum priorem locum uni aſſignet, qui tamen naſcendi ordine eſt poſterior. Alii reſpondent nihil eſſe abſurdi, ſi referat Moſes duobus annis completis tertium filium genitum eſſe. Sed ſolutio quam poſui, magis genuina eſt.

27. *Thare genuit Abram.*] Hic quoque Abram primus locatur inter fratres: non quia fuerit primogenitus, quantum ergo judico: ſed quia Moſes intentus ad hiſtoriæ ſuæ ſcopum, non admodum ſollicitus fuit in ordinandis Thare filiis. Ac fieri poteſt ut alios etiam filios genuerit. Nam quod peculiariter de tribus meminit Moſes, ratio in promptu eſt, propter Lot ſcilicet, ac uxores Iſaac & Jacob. Nunc cur Abram non fuiſſe primogenitum exiſtimem, breviter reddenda eſt ratio. Thare paulo poſt dicet Moſes in patria mortuum eſſe, priuſquam relicta Chaldæa pater Charras migraret: Abram vero tunc quinque annis majorem ſeptuagenario fuiſſe, dum Charris egreſſus eſt, ut in terram Chanaan conderet. Ac diſerte hic annorum numerus poſt mortem Thare ſubjicitur. Nunc ſi ſingamus ſeptuageſimo patris anno fuiſſe natum, ſimul ſutendum erit ex ejus ætate nobis ſexaginta annos interciderе: quod abſurdiſſimum eſt. Lutheri divinatio, quod Deus oblivione ſepelierit tempus illud, ut finem mundi nobis abſconderet, primum frivola eſt: deinde ſolidis & claris argumentis refelli poteſt. Alii ad priorem egreſſum violenter torquent: ac putant eum Charris una cum patre ſubſtitiſſe ad annos ſexaginta: quod minime conſentaneum eſt. Quorſum enim tantum moræ in medio itinere traxiſſent? Sed hic laborioſa diſputatione nihil opus eſt. Quoto ætatis ſuæ anno patriam reliquerit Abram, Moſes tacet: ſeptuageſimo quinto ætatis anno dicit in terram Chanaan veniſſe, quum pater ducenteſimo & quinto vitæ ſuæ anno eſſet mortuus. Quis non inde colliget, natum fuiſſe quum pater centeſimum annum attigiſſet? At primus inter tres nominatur quos dicitur genuiſſe Thare, quum ipſe ſeptuaginta eſſet annorum. Fateor: ſed talis recitatio nihil ad gradus naſcendi probandos facit, quemadmodum dictum eſt. Nec vero Moſes quoto vitæ anno filios genuerit Thare, exprimit: ſed tantum ſuperaſſe ætatem illam, priuſquam tres gigneret filios de quibus agitur. Quare ætas Abrahæ ex altera comparatione noſcenda eſt, dum ſcilicet ei ſeptuaginta quinque annos attribuit, quum mortuus eſt pater, cujus vita uſque ad ducentos & quinque annos pervenit. Firmum quoque & validum argumentum ex ætate Sarai ducitur. Conſtat nonniſi decennio minorem fuiſſe natu quam Abram. Si fratris junioris eſſet filia, patrem ſuum neceſſario annis æquaret. Qui vel privignam fuiſſe Nachor, vel adoptione tantum filiam excipiunt, nihil afferunt præter merum cavillum.

28. *Mortuus eſt Haran.*] Dicitur Haran mortuus coram facie patris: quia eum reliquit ſuperſtitem. Dicitur autem mortuus in patria, nempe Ur. Judæi ex proprio loci nomine appellativum faciunt, ac dicunt mortuum eſſe in igne. Nam ut in fingendis fabulis ſunt audaces, nugantur ipſum cum fratre Abram, quia idololatriam fugerent, in ignem à Chaldæis raptos eſſe: Abram vero elapſum fuiſſe fidei conſtantia. Atqui viceſimum quartum caput Joſue quod ſupra citavi, palam declarat, totam domum non minus ſuperſtitionibus fuiſſe infectam quam eſſet ipſa regio. Fateor quidem ab igne ductum eſſe nomen: ut nomina urbibus vel ex ſitu, vel ex eventu aliquo imponi ſolent. Fieri poteſt ut ſacrum ignem illic foverint, vel magis conſpicua fuerit ſolis claritas. Alii ſic dictam urbem volunt quod in valle ſita eſſet. nam אורים Hebræi valles nominant. Sed non eſt quod de ea re valde ſimus anxii: ſufficiat quod Moſes de Abræ patria loquutus, continuo poſt exprimit fuiſſe Ur Chaldæorum.

30. *Et fuit Sarai ſterilis.*] Non modo liberis caruiſſe Abram dicit, ſed caulam ponit, uxoris ſteritilatem: ut ſciamus nonniſi inſigni miraculo factum eſſe quod poſtea peperit Iſaac, quemadmodum ſuo loco plenius tractabimus. ita humiliare voluit ſervum ſuum Deus. Neque enim dubium eſt quin acerbum ex orbitate ſenſerit dolorem. Videt ſine modo ſcaturire paſſim impios, qui terram operiant: ſolus privatur liberis. Quanquam autem adhuc ignarus erat futuræ ſuæ vocationis, voluit tamen Deus in ejus perſona quaſi in ſpeculo palam facere unde &

quomodo

quomodo Eccleſia emergat: nam tunc quaſi in arido trunco ſub terra delituit.

31. *Tulit autem Thare filium ſuum.*] Debuit hic fieri capitis initium: quia unum ex præcipuis libri capitibus tractare incipit Moſes, nempe Abræ vocationem. Neque enim ſolum refert Moſes Therah ſolum mutaſſe, ſed diſceſſus conſilium & finem ſimul exponit, relicto natali ſolo iter ingreſſum eſſe ut veniret in terram Chanaan. Unde colligere promptum eſt, ipſum non tam ducem vel auctorem fuiſſe profectionis quam filii comitem. Nec obſtat quod primas ei aſſignat Moſes, quaſi ejus auſpiciis & ductu potius quam Dei mandato egreſſus fuerit Abram: nam hoc honoris defertur patrio nomini. Nec dubito quin Abram quum patrem videret ſponte obſequi Dei vocationi, viciſſim ſe morigerum illi præbuerit. Patri ergo auctoritas tribuitur quod filium ſuum tulerit. Prius enim vocatum fuiſſe à Deo Abram quam pedem ex natali ſolo moveret, pluſquam liquido mox conſtabit: patrem fuiſſe vocatum non legimus. Conjicere ergo licet, illi patefactum fuiſſe Dei oraculum ex filii relatu. Neque enim prohibebat migrandi mandatum quin Abram patri ſuo teſtatum faceret ſe non alia de cauſa ab eo diſcedere niſi quia Dei imperium omnibus humanis officiis præferret. Hæc ſane duo extra controverſiam colligimus ex verbis Moſis, Abram divinitus vocatum eſſe, antequam Therah patriam reliquerit: deinde ipſum Therah non alio ſpectaſſe niſi ut in terram Chanaan veniret, hoc eſt, ut ſe filio adjungeret voluntarium comitem. Ideo conſtituto non longo tempore ante mortem patria ſua ceſſiſſe. Ridiculum enim eſt quum patria egreſſus recta peteret terram Chanaan, ſexaginta annos hoſpitem in alieno oppido hæſiſſe. Magis veriſimile eſt, ſenem annis confectum, morbo & laſſitudine fuiſſe abſumptum. Et tamen fieri poteſt ut Deus ſuſpenſos aliquantiſper tenuerit: quia dicit Moſes habitaſſe in Charan. verum ex ſequentibus patet non fuiſſe tam diuturnam remoram: quum ſeptuageſimo quinto ætatis anno inde egreſſus ſit Abram, qui devexa jam ætate, utpote ſterilitatem uxoris expertus, illuc conceſſerat. Porro oppidum quod Hebræis Charan vocatur, Scriptores omnes uno conſenſu tradunt eſſe Charras in Meſopotamia ſitas. Tametſi Lucanus poëtice magis quam vere in Aſſyria locat: locus fuit Craſſi interitu & clade Romani exercitus celebris.

Caput XII.

1. Dixerat autem Jehova ad Abram, Abi è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui, ad terram quam oſtendam tibi.

2. Et faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictio.

3. Et benedicam benedicentibus tibi: & maledicentibus tibi, maledicam: & benedicentur in te omnes familiæ terræ.

4. Abiit ergo Abram quemadmodum loquutus fuerat ad eum Jehova: & perrexit cum eo Lot. Abram autem erat filius quinque annorum & ſeptuaginta annorum quando egreſſus eſt de Charan.

5. Et cepit Abram Sarai uxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, & omnem ſubſtantiam quam acquiſierant, & animas quas fecerant in Charan, & egreſſi ſunt ut pergerent in terram Chenaan, & venerunt ad terram Chenaan.

6. Et tranſivit Abram in terram uſque ad locum Sechem, uſque ad quercum Moreh: Chenaanæus autem tunc erat in terra.

7. Et viſus eſt Jehova Abræ, & dixit, Semini tuo dabo terram hanc: & ædificavit ibi altare Jehovæ qui apparuerat ſibi.

8. Et tranſtulit ſe inde ad montem ab Oriente ipſi Bethel, tetenditque tabernaculum ſuum: Bethel erat ab Occidente, & Hai ab Oriente: & ædificavit ibi altare Jehovæ, & invocavit nomen Jehovæ.

9. Profectus eſt & Abram eundo & proficiſcendo ad Meridiem.

10. Et fuit fames in terra, & deſcendit Abram in Ægyptum ut peregrinaretur ibi: quia gravis fames erat in terra.

11. Et fuit, quando appropinquavit ut ingrederetur Ægyptum, dixit ad Sarai uxorem ſuam, Ecce, nunc novi quod mulier pulchra aſpectu ſis:

12. Erit itaque, quum viderint te Ægyptii, dicent, Uxor ejus eſt: & occident me, & te ſervabunt vivam.

13. Dic nunc quod ſoror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, & vivat anima mea propter te.

14. Et fuit, quum ingrederetur Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quod pulchra eſſet valde.

15. Quum igitur vidiſſent eam principes Pharaonis, laudaverunt eam Pharaoni: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis.

16. Et ipſi Abram benefecit propter eam: fueruntque ei pecudes, & boves, & aſini, & ſervi, & ancillæ, & aſinæ, & cameli.

17. Percuſſit autem Jehova Pharaonem percuſſionibus magnis & domum ejus, cauſa Sarai uxoris Abram.

18. Vocavitque Pharao Abram, & dixit, Cur hoc feciſti mihi? utquid non indicaſti mihi, quod uxor tua eſſet?

19. Ut quid dixiſti, Soror mea eſt? & tuli eam mihi in uxorem: & nunc ecce uxor tua, cape & vade.

20. Et præcepit ſuper eum Pharao viris: & dimiſerunt eum, & uxorem ejus, & omnia quæ erant ei.

1. *Dixeratque Jehova ad Abram.*] Ne lectores moretur inſulſa capitum diviſio, ſententiam hanc cum duobus proximis verſibus uno tenore contexant. Dixerat prius Moſes egreſſos eſſe ex patria Therah & Abram, ut in terram Chanaan concederent. Jam exponit non levitate fuiſſe impulſos, ut plerumque ſolent temerarii & vagi homines: nec patriæ faſtidio, quod pleriſque moroſis contingit, alio fuiſſe pertractos: nec maleficii cauſa profugos: nec inductos ſtulta aliqua ſpe, vel illecebris, ut multos ſua cupiditas huc & illuc rapit: ſed Abram divinitus juſſum fuiſſe egredi, nec pedem moviſſe niſi præeunte Dei verbo. Qui Deum Abræ loquutum eſſe exponunt poſt patris mortem, facile refutantur ipſis verbis Moſis. nam ſi jam patria carebat Abram, & inquilinus alibi degebat, ſupervacuum foret Dei mandatum, Exi è terra tua, de patria tua, & domo patris tui. Accedit & Stephani auctoritas, qui certe idoneus cenſeri meretur hujus loci interpres: ille vero clare teſtatur Deum apparuiſſe Abrahæ quum eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charan: deinde hoc oraculum recitat quod nunc exponimus: ac tandem concludit hac de cauſa Abraham ex Chaldæa migraſſe. Nec vero negligendum eſt quod poſtea cap. 15. verſ. 7. repetit Deus, Ego ſum Dominus qui te eduxi de Ur Chaldæorum. Nam inde elicimus, non tunc primo divinitus porrectam illi fuiſſe manum, poſtquam Charris habitaverat: ſed quum adhuc domi in Chaldæa maneret. Hoc vero Dei mandatum de quo ſtulte ambigitur, ſufficere nobis debet ad coarguendum contrarium errorem. Neque enim ſic alloqui potuit Deus niſi hominem adhuc nido ſuo affixum, rebus integris, & ſine ulla vitæ mutatione inter coguatos quietum & tranquillum: alioqui ad mutum erat exceptio, Patriam reliqui, procul à cognatione mea abſum. In ſumma, hoc oraculum refert Moſes, ut ſciamus tam longinquam profectionem Dei mandato ab Abram & patre ejus Therah ſuſceptam eſſe. Unde etiam apparet, Therah ſic fuiſſe ſuperſtitionibus deluſum, ut tamen Deum timeret. Difficile fuit ſenem jam fractum & caducum ex patria ſua avelli. Quædam igitur vera religio, licet ſuffocata, adhuc animo ejus ſuberat. Ideo quum maledictum eſſe locum agnoſcat ex quo jubetur egredi filius, non vult illic perire: ſed ei ſe adjungit ſocium quem Dominus eripit. Qualis, obſecro, hic futurus eſt teſtis extremo die ad damnandam noſtram ignaviam? Facilis illi erat & plauſibilis ad manum excuſatio, ſe domi quieſcere, quia nihil ſibi præceptum foret. Atqui in tenebris infidelitatis cæcutiens, ad transverſam tamen lucis ſcintillam oculos aperit. Nunc ubi directe nobis affulget Dei vocatio, non movemur. Porro hæc Abræ vocatio inſigne gratuitæ Dei miſericordiæ exemplum eſt. An aliquo operum merito Deum anteverterat Abram? an ad eum acceſſerat? an ejus favorem ſibi conciliaverat? imo ſemper memoria repetendum eſt (quod prius addixi ex concione Joſuæ) in fæce idololatriæ fuiſſe demerſum: nunc ultro manum porrigit Deus, ut errantem reducat. Sacrum os ſuum aperire dignatur, ut Satanæ præſtigiis decepto viam ſalutis monſtret. Ac mirum eſt, miſerum hominem ac perditum tot ſanctis Dei cultoribus præferri, ut penes ipſum reſideat vitæ fœdus, in eo ſuſcitetur Eccleſia, ac ſtatuatur fidelium omnium pater. Sed hoc conſulto factum eſt, quo illuſtrior in ejus perſona eſſet gratiæ Dei commendatio. Eſt enim exemplar noſtræ omnium vocationis: in quo perſpicimus mera Dei miſericordia ex nihilo ſuſcitari quæ non ſunt, ut eſſe aliquid incipiant.

Abi è terra tua.] Videtur ſupervacua eſſe verborum congeries. Huc quoque accedit, quod Moſes alibi tam conciſus, rem unam planam & facilem tribus loquendi formis exprimit. Sed aliter res habet. Nam quum per ſe triſte ſit exilium, & dulcedo natalis ſoli omnes ſibi fere devinctos teneat, data operâ inſiſtit Deus in mandato relinquendæ patriæ, ut penitus Abræ animum transfigat. Si uno verbo dixiſſet, Relinque patriam: non leviter quidem pupugiſſet ejus animum: ſed tamen magis perfoditur, quum audit cognationi & domui paternæ eſſe renunciandum. Neque tamen putandum eſt, Deum ex ſervorum ſuorum moleſtia crudelem voluptatem capere: ſed ita omnes eorum affectus examinat; ne quas latebras relinquat in eorum cordibus. Multos videmus ad breve tempus ſervere, qui deinde congelaſcunt; unde hoc, niſi quia ædificant ſine fundamento? Ergo Deus probe excutere voluit omnes Abræ ſenſus, ne quid temere vel inconſiderate ſuſciperet, ac ſtatim pœnitentia ductus vela retro flecteret. Quare ſi conſtanter cupimus Deum ſequi, omnia incommoda quæ nos manent, omnes difficultates, pericula omnia ſedulo meditari convenit: ut non tantum ſubitus zelus flores emittat, ſed ex alta & bene fixa radice pietatis fructus tota vita proferamus.

Ad terram quam oſtendam tibi.] Aliud examen ad probandam fidem Abræ. Cur enim non extemplo Deus terram deſignat, niſi ut ſervum ſuum ſuſpendens, melius experiatur quam vere addictus ſit verbo ſuo? acſi diceret, Jubeo te clauſis oculis egredi, ac inquirere veto quo te ſim ducturus, donec abnegata patria totum mihi te dedideris. Atque hoc verum eſt obſequii noſtri experimentum, quum nobis non ſapimus, ſed committimus nos Domino. Quoties ergo aliquid à nobis requirit, non oportet nos ita de eventu eſſe ſollicitos ut metus & anxietas removam nobis injiciant. Nam Deum clauſis oculis ſequi ducem præſtat, quam prudentia noſtra fretos, per flexuoſos circuitus (quos illa nobis finget) errare. Si quis objiciat pugnare hoc cum ſuperiori ſententia, ubi dicebat Moſes profectos eſſe ex patria Therah & Abram, ut in terram Chanaan venirent: facilis eſt ſolutio, ſi prolepſin admittimus in ſermone Moſis, qualis hoc ipſo capite ſequitur in nomine Bethel, & frequenter in Scripturis occurrit. Neſciebant quo venturi eſſent: ſed quia illis deliberatum erat venire quocunque Deus vocaret, Moſes in perſona ſua loquens, terram nominat, quæ nondum illis cognita, poſtea Abræ patefacta fuit. Verum eſt igitur eo conſilio profectos ut venirent in terram Chanaan: quia accepta promiſſione de terra monſtranda, patiebantur ſe à Deo regi, donec quod pollicitus fuerat, reipſa præſtaret. Quanquam fieri poteſt ut Deus probato Abræ affectu, non multo poſt illi dubitationem exemerit. Neſcimus enim quo temporis articulo innotuerit ei quod ad tempus duntaxat abſconditum eſſe Deus voluit. Satis eſt quod ſe Deo vere obedire teſtatus eſt Abram: quum ſuasin ejus providentiam curas rejiciens, & quaſi in ejus ſinum exonerans quicquid eum tardare poterat, patriam relinquere non dubitavit, incertus ubi tandem ſixurus pedem eſſet. nam hoc modo carnis prudentia in ordinem ſubacta fuit, & omnes ſimul affectus domiti. Quæri tamen poteſt cur Deus ſervum ſuum potius in terrâ Chanaan tranſtulerit quam in Orientem, ubi eum aliquot ſanctis Patribus victurus erat. Quidam (ne videatur facta eſſe in deterius mutatio) illuc deductum fuiſſe volunt ut cum aravo Sem habitaret, quem ipſi fuiſſe Melchiſedec imaginantur. Atqui minime quadraret, ſi tale fuiſſet Dei conſilium, Abram alio iter flexiſſe: imo non legimus congreſſum fuiſſe cum Melchiſedec, niſi dum rediſſet ex Sodomitico prælio. Quam vero frivola ſit eorum divinatio, quod Melchiſedec fuerit Sem, ſuo loco videbimus. Quod vero ad rem de qua nunc agitur, ſpectat, longe aliud fuiſſe Dei conſilium quam putent, ex fine qui tandem ſequutus eſt, colligitur. Gentes illæ propter deploratam malitiam exitio devotæ erant. Voluit Deus inter eas ſervum ſuum ad tempus peregrinari, ut terræ hæreditatem fide cerperet, cujus

jus possessio longo demum tempore post ejus mortem posteros manebat. Quare non alia de causa trajicere in illam terram jussus est, nisi quia evacuanda erat suis indigenis, ut semini ejus daretur possidenda. Magnus autem inter suit, Abram, Isaac, & Jacob, in illa terra fuisse inquilinos. & ejus dominium divinitus sibi promissum, fide amplexos esse, ut majore animo ad eam occupandam posteri eorum se accingerent.

2. *Faciam te in gentem magnam.*] Hactenus retulit Moses quid facere jussus fuerit Abram: nunc promissionem annectit Dei mandato. idque non levi de causa. Nam ut pigri sumus ad parendum, frustra præciperet Dominus, nisi simul, addita gratiæ & benedictionis suæ fiducia, nos animaret. Quod tametsi prius attigi in historia Noah, non frustra nunc iterum inculco. nam & hic locus postulat ut aliquid dicatur: & ejus doctrinæ cui tantum inest pondus, repetitio supervacua videri non debet. Nam certum est fidem non constare, nisi fundata sit in Dei promissionibus. Atqui sola fides obedientiam generat. Ergo ut formentur animi ad sequendum Deum, non sufficit simpliciter mandare quid velit, nisi benedictionem suam simul promittat. Notanda vero promissio est, quod futurus sit Abram in gentem magnam, cujus sterilis erat uxor. Poterat hæc valde esse efficax, si Deus ex re ipsa spem obtulisset: nunc vero quum uxoris sterilitas perpetuam orbitatem illi minetur, frigida esset nuda promissio, nisi totus penderet Abram ex ore Dei: quare uxoris uterum sterilem cernens, in verbo tamen Dei magnam gentem quæ promittitur, spe apprehendit. Atque hanc gratiam magnifice extollit Isaias 51. vers. 2. quod Deus servum suum Abram, quem unicum & solitarium reperit, sua benedictione auxerit in tantum populum. Nomen vero quum detestabile sit Judæis, honorifice hoc loco, sicuti multis aliis, capitur. Atque hoc emphatice dictum est, quod non modo posteros ex suo semine habiturus sit in magno numero: sed peculiarem & ab aliis segregatum populum, qui censeatur proprio nomine.

Benedicam tibi.] Hoc aliqua ex parte additum est ad expositionem proximæ sententiæ. Ne enim desperet Abram, benedictionem suam proponit Deus, quæ plus miraculo efficere poterat quam naturaliter in aliis fieri cernitur. Latius tamen patet hæc benedictio quam ad sobolem: nempe ut prosperos & lætos in omnibus suis negotiis habeat successus. Quod ex sequenti contextu patet, *Magnificabo nomen tuum, ut sis benedictio.* Felicitas enim promittitur, quæ omnes passim admiratione afficiat, ut sibi Abræ personam in formula benedicendi, quasi exemplar sumant. Alii resolvunt in adjectivum, Eris benedictio: id est, omnes benedicent tibi. Sed prior sensus magis convenit. Nonnulli etiam active exponunt, asi dictum esset, Non residebit in te mea gratia, ut ea solus fruaris; sed longe manabit in omnes gentes. Sic igitur eam nunc apud te depono, ut redundet in totum mundum. Sed nondum ad istam communicationem Deus progreditur: ut mox dicam.

3. *Et benedicam benedicentibus tibi.*] Hic mira se profert Dei benignitas, quod familiariter paciscitur cum Abram: quemadmodum solent homines cum sociis & paribus suis. Hæc enim solennis est fœderum inter Reges & alios formula, ut eosdem sibi fore hostes & amicos mutuo promittant. Hoc certe inæstimabile est rari amoris pignus, quod Deus se cousque nostra causa demittit. Quanquam enim unum hic hominem compellat, alibi eundem erga suos fidelea declarat affectum. Communem itaque doctrinam colligere licet. Deum ita nos favore suo complecti, ut amicis nostris benedicturus sit, ultionem de hostibus sumpturus. Monemur autem hac sententia, quantumvis paci studeant filii Dei, nunquam tamen illis hostes defore. Certe si quis unquam tranquille se gessit inter homines, ut merito esset amabilis omnibus, inter præcipuos numerari potest Abram. neque tamen hostibus caruit: quia diabolum habuit sibi adversarium, qui improbos habet in manu sua, quos ad inferendam bonis molestiam impellere non desinit. Non est igitur cur nos examinet mundi ingratitudo, si multi nobis gratis infesti sint, & nulla injuria provocati nocere studeant: sed hoc uno solatio contenti simus, quod commune Deus nobiscum bellum suscipit. Adhæc, suos Deus ad colendam cum omnibus bonis fidem & humanitatem hortatur: & rursum; ut ab omni injuria abstineant. Est enim hoc non vulgare incitamentum ad fidele juvandos, quod si quid in eos officii contulerimus, Deus rependet: nec mediocriter nos terrere debet, quod bellum nobis denunciat, si quem ex suis lædimus. *Benedicentur in te.* Sicui locum hunc restricte accipere libeat, quod proverbiali figura sumpturi sint Abræ nomen qui filius vel amicis benedicent, fruatur suo sensu; hoc enim patitur linguæ Hebraicæ phrasis, ut dicatur futurus Abram insigne felicitatis exemplar. Ego tamen latius extendo: quia idem promitti hoc loco arbitror quod Deus infra, 22. vers. 18. clarius repetet. Atque huc me deducit Pauli auctoritas, qui promissionem semini Abraham, hoc est, Christo, datam esse dicit quadringentis & triginta ante Legem annis. Atqui supputatio annorum thagitat ut promissa sit in Christo benedictio, quum veniret in terram Chanaan. Ergo Deus (meo judicio) benedicendas pronunciat gentes omnes in servo suo Abram, quia in lumbis ejus inclusus erat Christus. Hoc modo non tantum significat ipsum fore exemplar, sed causam benedictionis: ut sit tacita antithesis inter Adam & Christum. Nam quum nascamur omnes maledicti ex quo alienatus est primus homo à Deo, hic novum remedium nobis offertur. Nec obstat quod ab ipso Abram minime petenda sit benedictio, quia dicitur hoc Christi respectu. Hic petulanter insurgunt Judæi, ac multa Scripturæ testimonia coacervant, ex quibus patet benedicere vel maledicere in aliquo nihil esse aliud quam ad ejus similitudinem bene vel male precari. Sed eorum calumnia nullo negotio diluitur. Fateor sæpe verum esse quod dicunt, sed non semper. Nam quum dicitur, ut Tribus Levi benedicaret in nomine Dei, Deut. 10. vers. 8. Jesa. 65. vers. 16. & similibus locis, satis constat Deum prædicari bonorum omnium fontem, nealiunde ullam boni partem petat Israël. Quum igitur loquutio sit ambigua, concedant necesse est hunc vel illum sensum deligendum esse, prout rei & causæ aptius convenit. Sumpsit autem Paulus axioma quod inter pios omnes receptum est, ac pro confesso haberi debet, totum humanum genus obnoxium esse maledictioni: ideoque benedici sanctum populum sola Mediatoris gratia. Unde constituit, fœdus salutis quod pepigit Deus cum Abram, non stabile nec firmum esse nisi in Christo. Sic igitur præsentem locum interpretor, quod Deus benedictionem promittat servo suo Abræ, quæ postea fluet ac manabit ad omnes populos. Sed quia alibi fusius hæc res explicanda erit, nunc tantum brevi ter perstringo.

4. *Et abiit Abram.*] Hæc verba arripiunt in erroris sui suffragium qui Deum putant Abræ loquutum esse in Charan. Sed facile refellitur cavillum: postquam enim profectionis causam interposuit, quia scilicet coactus esset Abram Dei mandato natale solum relinquere: nunc redit ad historiæ contextum. Cur ad tempus subsliterit Charris Abram, nescimus: nisi quod illi manum injecit Deus, ne statim conspectu terræ potiretur, quam, licet adhuc incognitam, patriæ tamen suæ præferret. Nunc dicitur Charris egressus, ut inceptum iter conficeret: quod etiam proximus versus confirmat, ubi dicitur tulisse Sarai uxorem, & Lot nepotem suum. Quemadmodum enim ductu & auspiciis patris profecti erant ex Chaldæa: ita nunc dum est familiæ caput Abram, quod à patre cœptum erat, exequitur & absolvit.

Galat. 3. vers. 17.

Quanquam fieri poteſt ut tunc quoque hortatus fuerit eum Dominus ad pergendum, quia mors patris interveniret, & ſecundo oraculo priorem vocationem confirmaverit. Hoc vero certum eſt, laudari hoc loco fidei obedientiam: neque id ſimpliciter, ſed conſtantem & perpetuum tenorem. Neque enim dubito quin dicere voluerit Moſes, non pœnitentia ſubſtitiſſe Charris Abram, quaſi à recto vocationis ſuæ curſu deflecteret: ſed habuiſſe ſemper infixum animo Dei mandatum. Itaque particulam hanc, *Sicuti loquutus erat Dominus*, ad primum oraculum referre malo: ut dicat Moſes in propoſito ſuo ſtetiſſe, nec morte patris abruptum fuiſſe ſtudium obſequendi Deo. Cæterum hic nobis uno verbo præſcribitur totius vitæ formandæ regula: nequid ſcilicet aggrediamur niſi Deo auctore. Quicquid enim de virtutibus ac officiis diſputent homines, nullum opus laude dignum eſt, nec cenſeri inter virtutes meretur, niſi quod
1 Sam. 15. verſ. 22. Deo placeat. Ipſe autem teſtatur, pluris ſibi eſſe obedientiam quam ſacrificia. Quare tunc rite erit compoſita vita noſtra, ſi pendeamus ex Dei ore, nec quicquam ſuſcipiamus niſi ex ejus verbo. Ac notandum eſt, non de uno aliquo particulari opere hic agi, ſed de generali pie recteque vivendi principio. Vocatio enim Abræ tractatur, quæ communis eſt typus vitæ omnium fidelium. Non omnes quidem promiſcue jubemur patriam deſerere, atque hoc in Abram ſpeciale eſſe fateor: ſed communiter omnes vult Deus ſubeſſe verbo ſuo, & vivendi legem ex ore ſuo petere, ne ſuo arbitrio, vel hominum placitis circumferantur. Ergo Abræ exemplo ſolida noſtri abnegatio præcipitur, ut vivamus & moriamur uni Dei.

5. *Animas quas fecerant in Charan.*] Animæ ſervos & ancillas ſignificant. Atque hic primum ſit ſervitutis mentio: unde apparet non multo poſt diluvium malitia hominum accidiſſe, ut libertas, quæ naturæ communis erat omnibus, bonæ parti humani generis periret. Unde autem habuerit initium ſervitus, non facile dictu eſt: niſi quod vulgo obtinuit opinio, à bellis ortam eſſe: quia victores quos bello ceperant, ſibi parere coëgerint. atque inde nomen mancipii deduxerunt. Sive autem belli jure oppreſſi fuerint, ſive inopia coacti qui primi ſervitutem ſervierunt: hoc quidem certum eſt, violenter fuiſſe corruptum naturæ ordinem: quia ideo creati erant homines ut mutuam inter ſe ſocietatem colerent. Etſi autem aliis alios præeſſe utile eſt; ſervanda erat tamen, ut inter fratres, æquabilitas. Cæterum, quamvis recto temperamento (quale optandum eſſet) contraria ſit ſervitus, & ejus initium vitio non caruerit; non tamen propterea ſequitur, uſum qui deinde moribus receptus eſt, quem excuſat neceſſitas, eſſe illicitum. Potuit igitur Abram ſervos tam pecunia emptos quam ſibi domi natos vernas poſſidere. Vulgare enim illud dictum, Quod ab initio non valuit, tractu temporis convaleſcere non poteſt, aliquas (ut ſatis notum eſt) exceptiones admittit: & ejus rei exemplum habebimus infra, cap. 48.

6. *Et tranſiit Abram in terram.*] Hic oſtendit Moſes, Abram, ex quo terram ingreſſus eſt, non ſtatim reperiſſe hoſpitium ubi quieſceret. Nomen enim tranſitus, & poſitus loci, longam fuiſſe itineris diſtantiam oſtendunt. Sichem non procul abeſt à monte Garizim, verſus deſertum & plagam Meridionalem. Quare perinde eſt acſi diceret Moſes, rurſus probatam eſſe Abræ fidem, quando Deus eum vagando totam terram peragrare paſſus eſt, priuſquam ſtationem aliquam ei daret. Quam enim durum eſt, quum Deus profeſſus ſit fore ſe ejus hoſpitem, non exiguum baltem angulum monſtrari in quo pedem figat? Verum ut magis exerceatur ad ſui abnegationem, per circuitus errare cogitur. Elon quidam quercetum, alii convallem vertunt: alii putant nomen eſſe proprium loci. Ego Moreh proprium eſſe loci nomen non dubito: ſed Elon vallem, aut quercum interpretor: non quod unica fuerit arbor, ſed mutatio eſt numeri. atque hoc poſterius mihi magis arridet.

Chanaanæus autem.] Non tenere hoc de Chanaæo additur: quia non levis fuit tentatio, in gentem illam perfidam & improbam omniſque humanitatis expertem incidere. Quid tunc in mentem venire potuit ſancto viro, niſi ſe proditum eſſe peſſimis hominibus, à quibus mox jugulandus eſſet, vel inſtatuat ſe terræ dominum & hæredem, deletis incolis, aliquando fore. Adde quod aſſidua inquietudine monetur reſpicere in cælum. Nam quum terræ hæreditas præcipue illi eſſet promiſſa, nequead nepotes pertineret niſi in ejus gratiam: ſequitur non illi inſtar ultimæ metæ præfigi terram, in qua tam male & inhumaniter tractatur, ſed cælum illi proponi ubi quieſcat.

7. *Et viſus eſt Dominus.*] Nunc refert non fuiſſe prorſus deſtitutum Abram, quin Deus illi manum porrigeret. Notandum tamen eſt quo ſubſidii genere ejus tentationibus Deus ſuccurrat. Nudum illi verbum offert: & quidem tale ut reputare poſſet Abram ſe haberi ſudibrio. Semini ejus terram daturum ſe pronunciat: ſed ubi ſemen, vel ſpes ſeminis, quum orbus ſit, ac ſenex, & ſterilem habeat uxorem? Fuit igitur ſolatium hoc carni inſipidum. Sed alium guſtum habuit fides: cujus proprium eſt, omnes piorum ſenſus conſtrictos tenere verbi reverentia, ut ſufficiat una Dei promiſſio. Interea etſi reipſa quoque ſublevat Deus & mitigat ſervorum ſuorum mala, non tamen indulget pro carnis voto, ſed quatenus expedit. Hinc diſcamus, unum hoc in malis remedium debere nobis ſufficere, dum nos verbo ſuo compellat Deus, ut eum mentes noſtræ propitium ſentiant: nec laxanda eſſe frena importunis carnis noſtræ deſideriis. ipſe vero Deus partibus ſuis non deerit, quin gratiæ ſuæ teſtimonio erigat afflictos.

Et ædificavit altare.] Altare hoc, ſymbolum fuit gratitudinis. Simulatque illi apparuit Deus, erigit altare: in quem finem? ut Dei nomen invocet. Videmus ergo intentum fuiſſe agendis gratiis, & in beneficii memoriam altare ab eo poſitum. Siquis roget annon potuerit abſque altari Deum colere: reſpondeo, non ſufficere interiorem cordis cultum niſi accedat externa apud homines profeſſio. Pietas habet quidem propriam in corde ſedem: ſed ex ea radice confeſſio poſtea, tanquam fructus, emergit. Sumus enim creati in hunc finem, ut animam & corpus offeramus Deo. Erat ſua Chananæis religio, altaria habebant offerendis ſacrificiis: ſed Abram, ne ſe miſceat eorum ſuperſtitionibus, domeſticum erigit altare ubi ſacrificet: acſi domi ſuæ regium Deo ſolium poneret. Cæterum quia ſpiritualis eſt Dei cultus, & ſine recto fine ac legitimo non modo inanes ac nihili ſunt omnes ceremoniæ, ſed verum Dei cultum fucoſa mendacique ſpecie adulterant: ſedulo notandum eſt quod dicit Moſes, extructum eſſe altare ad Deum invocandum. Ergo altare forma eſt divini cultus: invocatio autem, ſubſtantia & veritas. Hæc nota facile à puris cultoribus hypocritas diſcernit, qui in externis pompis plus æquo ſunt liberales, ſed nudis ceremoniis defungi volunt. Ita vaga eſt tota eorum religio: quia in nullum ſcopum certo dirigitur. Intentio quidem illis finalis eſt (ut balbutiunt) Deum colere: ſed propius ad Deum accedit pietas: ideoque non ludit externis figuris, ſed veritatem ac ſubſtantiam reſpicit. In ſumma, non aliter acceptæ ſunt Deo ceremoniæ quam dum ad ſpiritua-

ritualem Dei cultum referuntur. Invocare nomen Domini, vel in nomine, bifariam exponitur: nempe Deum precari, vel ejus nomen laudibus celebrare. Sed quia res conjunctæ sunt precatio & gratiarum actio, utramque libenter complector. Diximus autem supra capite quarto, non frustra per synecdochen sub hac una specie totum notari Dei cultum: quia nullum pietatis officium pluris æstimat Deus, nec ullum sacrificium gratius habet nominis sui invocatione, ut testatur Psal. 50. vers. 23. & 51. vers. 19. Porro quoties occurrit altaris nomen, simul in mentem veniant sacrificia. nam ab initio testatum esse voluit Deus humano generi, nullum ad se patere accessum absque sacrificio. Ergo Abram ex generali pietatis doctrina, sacrificiis exstare sibi sanctuarium aperuit, ut Deum rite coleret. Atqui Deum scimus nunquam pecudum sanguine fuisse placatum. Quare sequitur Abræ fidem in Christi sanguinem directam fuisse. Sed absurdum videtur quod suo arbitrio altare sibi extruit Abram, qui neque sacerdos erat, nec dictum habebat Dei mandatum. Respondeo, Mosis contextu hunc scrupulum eximi: non simpliciter Deo altare posuisse dicitur Abram, sed Deo qui apparuerat. Ergo altare in illa revelatione fundatum fuit: nec ab ea separari debet, cujus tantum pars est atque appendix. Superstitio Deum qualem libuerit, sibi fabricat, deinde varios illi cultus effingit. Ut bodie Papistæ magno supercilio colere Deum se jactant quum ineptiunt luforiis suis pompis. At laudatur Abræ pietas quod Deum sibi propitium, erecto altari coluit. Etsi autem docet Moses quo consilio altare erexerit Abram, quum refert illic invocasse Deum: simul tamen innuit placuisse tale officium Deo. nam elogium Spiritus sancti hæc loquutio continet, quo pronuociat Deum rite ab illo fuisse invocatum. Alii quidem ferociter se Deum colere jactabant: sed Deus solum Abram laudando, omnes Gentium ritus quasi fœdam nominis sui profanationem repudiat.

8. *Et transtulit.*] Quum audimus Abram ex eo loco moviſſe ubi Deo altare extruxerat, dubium esse non debet quin aliqua necessitate compulsus fuerit. Illic expertus est hospites parum propitios: ergo tabernaculum suum alio transfert. Quod si patienter tulit Abram continuos errores, nullo modo excusabiles sunt nostræ deliciæ, quum adversus Deum fremimus, nisi quietum oidum nobis concedat. Certe quum Christus cælum nobis aperuerit, & illuc nos palam quotidie ad se invitet, non ioique ferendum est si nos in mundo inquilinos esse velit. Summa ergo hujus loci est, Abram fuisse ἀναστάτον, id est, instabilem: quem titulum Paulus tribuit Christianis. 1 *Cor.* 4. *vers.* 11. Cæterum mao ifesta est prolepsis in voce Bethel. Sic enim locum nominat, ut sermonem accommodet suæ ætatis hominibus. *Et ædificavit ibi altare.* Insatigabile pietatis studium in Abram laudat Moses. bis enim verbis significat, quocunque locorum subinde venit, io externo Dei cultu se exercuisse: tum ne communes haberet ritus cum impiis, tum ot familiam suam in sincera pietate retineret. Probabile autem est non parvam inde invidiam illi constatam esse: quia nihil est quod impios magis urat quam diversa religio, io qua noo modo se contemoi judicant, sed cæcitatis prorsus damnari. Et scimus sævos ec superbos fuisse Chananæos, qui ad ulciscendas contumelias nimis prompti essent. Atqoe hæc fuit ratio fuit toties migrandi, quod in suum probrum acciperent vicini quæ extruebat altaria. Imo quod non sæpius fuerit lapidatus, admirabili gratiæ Dei acceptum referri debet. Quia tamen sanctus vir hoc à se merito reqoiri cognoscit, ut testetur se peculiarem habere Deum, neo fallaci simulatione eum abneget, Dei gloriam præferre vitæ suæ non dubitat.

9. *Profectus est & Abram.*] Hæc tertia fuit sancti viri migratio intra breve tempus, ex quo aliquod hospitium reperisse visus est. Certum est non sponte neque enimi causa (ut leves multi homines solent) huc illuc cursitasse: sed fuerunt aliquæ necessitates quæ illum expellerent, ut disceret contiouo usu se in ea terra, cujus erat dominus, oon modo esse peregrinum, sed quasi miserum erronem. Fructus autem ex tot mutationibus sequutus est non volgaris, quod singulas terræ partes, ad quas accessit, quantum in se erat, conatus est dicare Deo, & fidei suæ odore perfudit.

10. *Orta autem est fames.*] Jam longe acrior refertur tentatio, qua fides Abræ ad vivum examinata fuit. Neque enim tantum circumagitur per diversos terræ flexus, sed in exilium profligatur eb ea terra qoam Deus illi & posteris dederat. Notandum est, Chaldæam fuisse in primis fertilem: assuetus opulentiæ venit Charras, ubi satis commode vixisse inde conjicitur; quia mancipiis & facultatibus eu&us est. Nuoc quum fame expellitur ab ea terra ubi sibi felicem vitam & omni bonorum copia refertam Dei verbo fretus desponderat, quid secum cogitare potest, nisi probe munitus esset contra Satanæ machinas? Centies eversa fuisset ejus fides. Et scimus, quoties nos frustratur opinio, oec pro votis res succedunt; cantilenam banc subito à carne nobis dictari, Deus te decepit. Atqui Moses quam fortiter vehementem istum impulsum sustinuerit Abram, paucis ostendit. Non verbosis quidem elogiis magnifice prædicat ejus constantiam: sed una vocula latis demonstrat usque ad miraculum insignem fuisse, quum dicit venisse in Ægyptum ut peregrinaretur illic. Nam significat animo nihilominus retinuisse terræ sibi promissæ possessionem, quamvis inde fame ejectus, victus quæritandi causa alio fugeret. Monemur eotem hoc exemplo, luctandum esse servis Dei contra multa obstacula, ut stadium vocationis suæ conficiant. Memoria enim semper repetendum est, Abram non unum quemlibet esse ex fidelibus, sed communem omnium patrem, ut se ad ejus imitationem omnes forment. Ergo ut instabilis est præsentis vitæ conditio, & innumeris mutationibus obnoxia, meminerimus quocunque nos impellant famis & bellorum æstus, aliæque vicissitudines, quæ subinde præter spem accidunt, rectum tamen cursum tenendum esse: atque ut huc & illuc agitentur cŏrpora, fidem debere inconcussam stare. Porro non mirum est quum Chananæi vitam utcunqoe tolerareot, Abram privatim consulere sibi coactum. Non jugerum unum agri habebat: oegotium illi erat cum immani & improbissimo populo, qui centies eum inedia perire passos esset, quam opem tulisset laboranti. Tales circumstentiæ, fidei laudem & fortitudinis in Abram amplificant: primum quod famelicus, quoad corporis victum, sola Dei promissione se pascit: deinde quod nulla vi ab eo loco, ubi habitare jussus est, nisi ad breve tempus, evellitur. In eo multum plerisque dissimilis, qŏos lævissima quæque occasio transversum rapit, ut suam vocationem deserant.

11. *Dixit ad Sarai uxorem suam.*] Nerrat quale consilium servandæ vitæ ceperit Abram, quum propinquus esset Ægypto. Quoniam autem locus hic instar scopoli est, ad quem multi impingunt, sobrie & reverenter expendere convenit quatenus excusatione dignos sit Abram, & quatenus culpandus. Primum simulationi, ad quam inducit oxorem suam, videtur aliquid esse mendacii admixtum. Quamvis autem postea excusat se oon mentitum esse, nec aliud finxisse quam res habebat: hoc tamen magno vitio non caruit, quod per eum non stetit quominos uxorem prostitueret. Nam quum oxorem esse dissimulat, denudat ejus pudicitiam legitimo præsidio. Atque hinc latrandi materiam protervi quidam canes arripiunt, sanctum Patriarcham lenonem fuisse propriæ

priæ uxoris: atque ut sibi astute caveret, neque illius pudori, neque suo honori perciſſe. Sed virulentam iſtam maledicentiam refellere promptum eſt: quod ſcilicet altius reſpexerit Abram, quum tanta in aliis animi magnitudine præditus fuerit. Deinde qui factum eſt ut Ægyptum potius peteret, quam rediret Charras vel in patriam, niſi quod migrando, Deum ante oculos habet, ejuſque promiſſionem animo ſuo radicitus infixam? Quum igitur à verbo Dei nunquam ſenſus ſuos dellexerit, inde etiam colligere licet cur vitæ ſuæ tantopere metuat, ut ejus periculum alio majori effugere conetur. Gentes haud dubie mori præoptaſſet quam uxoris ſuæ famam ita projicere, & ejus quam unice amabat, conjugio privari. Sed dum in ſe reputat incluſam eſſe ſpem ſalutis, ſe fontem eſſe Eccleſiæ Dei: fruſtra, niſi vivat, ſibi & ſemini promiſſam eſſe benedictionem: non jam privato carnis affectu vitam ſuam æſtimat, ſed quia effectum divinæ vocationis evaneſcere non vult in morte ſua, tanta ſervandæ ſuæ vitæ cura tangitur, ut reliqua omnia poſthabeat. Hucuſque laudem meretur, quod recto vivendi fine vitam quovis pretio redimere paratus eſt. Sed quod obliquam hanc rationem excogitat, qua uxorem ſuam in adulterii periculum conjicit, minime eſſe excuſabilis videtur. Si de vita ſua ſollicitus erat, quod jure licuit, ſaltem debuit ſuam curam rejicere in Deum. Non obſtat quidem, fateor, Dei providentia quominus ibi proſpiciant fideles: ſed ita ut ne præfixas ſibi metas tranſiliant. Hinc ſequitur rectum fuiſſe Abræ finem, ſed in ipſa via aberraſſe: ut ſæpe nobis contingit, etiam quum ad Deum tendimus, tamen ab ejus verbo per incogitantiam captandis illicitis mediis deflectere. Id vero præſertim uſu venire ſolet in rebus perplexis: quia dum exitus nullus apparet, facile in varios circuitus abducimur. Quamvis ergo temerarii ſint judices, qui præciſe damnant hoc factum Abræ: particularis tamen lapſus non negandus eſt, quod ad mortem propinquam trepidans, diſcriminis eventum non commiſit Deo, ne uxoris pudicitiam male proderet. Quare hoc exemplo monemur, in rebus implicitis & dubiis petendum eſſe à Domino conſilii & prudentiæ Spiritum: & ſimul colendam eſſe ſobrietatem, ne quid temere præter ejus verbum tentemus. *Novi quod mulier ſit pulchra aſpectu.* Quæritur unde iſta Sarai pulchritudo, quæ jam erat vetula. Nam ut demus formæ elegantia prius excelluiſſe, anni certe gratiam detraxerant. & ſcimus quantum ſeniles rugæ deforment optimas & pulcherrimas facies. Primo reſpondeo, minime dubium eſſe quin tunc major fuerit in hominibus vivacitas: ſcimus autem ut vigor ſuſtineat formam. Deinde valuit ejus ſterilitas ad ſervandam formam integram, totumque corporis habitum: quia nihil eſt quod magis fœminas debilitet quam frequentes partus. Cæterum non dubito quin formæ integritas in illa ætate ſingulare fuerit donum Dei. cur autem ſenio deteri ſanctæ fœminæ formam tam cito noluerit, neſcimus, niſi quod magnæ & duræ anxietatis cauſa marito fuit formæ illius decor. Et communis uſus docet, qui ſtata & mediocri forma contenti non ſunt, magno ſuo damno ſentire quanti conſtet immodica pulchritudo.

12. *Erit itaque.*] Videtur injurius eſſe Ægyptiis Abram, quod de illis male ſuſpicatur, à quibus nondum læſus fuerat. Certe quum charitas non ſit ſuſpicax, videtur inique facere, quod non modo libidinis eos inſimulet; ſed etiam ſuſpectos habeat homicidii. Reſpondeo, non fruſtra ſanctum virum ab ea gente ſibi metuere, de qua multa ſiniſtra audierat. Et jam alibi tantam hominum malitiam erat expertus, ut merito quidvis timere poſſet à profanis Dei contemptoribus. Neque tamen quicquam pronunciat de Ægyptiis: ſed uxorem in ſententiam ſuam adducere volens, quid accidere poſſit, mature admonet. Sic autem abſtinere nos jubet Deus à malignis ſiniſtriſque judiciis, ut tamen cavere ab ignotis hominibus permittat: idque ſit citra fratrum injuriam. Neque tamen nego quin hæc trepidatio Abræ modum exceſſerit: ac fecit præpoſtera anxietas ut ſe altero vitio implicaret, ſicuti jam diximus.

15. *Laudaverunt eam Pharaoni.*] Quamvis peccaverit Abram nimium timendo, & ante tempus, tamen eventus docet non fruſtra eum timuiſſe: uxor enim illi erepta ducitur ad regem. Primo autem de Ægyptiis in genere loquitur Moſes: poſtea ad aulicos deſcendit. quo ſignificat rumorem paſſim de forma Sarai vulgatum eſſe: cupidius vero ab aulicis fuiſſe exceptum, qui ſibi plus licentiæ indulgent. Quod autem ſubjicit eos nunciaſſe regi, hinc colligimus quam vetus ſit corruptela quæ hodie ſine modo graſſatur in aulis regum. Nam quum omnia blanditiis & adulationibus illic plena ſint: tum vero proceres huc præcipue intendunt ingenium, ut ſubinde afferant quod regibus arrideat. Itaque videmus ut quiſque gratia inter eos pollere cupit, non ſervilibus modo blanditiis, ſed lenociniis quoque eſſe deditum. *Et ſublata eſt mulier.* Quum abducta fuerit, & in aula habitaverit ad tempus aliquod, multa rege corruptam putant. Neque enim credibile eſt, quum homo libidinoſus eam haberet in manu, pepercifſe ejus pudicitiæ. Id quidem prometitus fuerat Abram, qui locum non dederat gratiæ Dei, nec uxoris caſtitatem in ejus fidem & cuſtodiam depoſuerat: ſed plaga quæ mox ſequuta eſt, ſatis oſtendit habitam ejus curam fuiſſe à Domino: & hinc colligere licet intactam ſtetiſſe. Tametſi autem hoc in loco nihil exprimit Moſes, ex comparatione tamen ſimilis hiſtoriæ conjicimus non defuiſſe tunc quoque illi Dei præſidium, quum in eodem eſſet periculo. Non paſſus eſt Deus eam violari à rege Gerar: an Pharaonis libidini expoſitam putabimus? An pluris duxiſſet ſemel corruptam ſubjicere ſecundo probro, quam ſervare, quæ ſemper integra caſtaque vixerat? Deinde ſi ſe Abræ tam propitium exhibuit, ut ejus uxorem iterum ab ipſo proſtitutam ab ignominia eriperet, quomodo non iviſſet obviam priori periculo? Et forte viguit adhuc illo ſeculo major integritas, ut non tam profuſæ eſſent regum libidines. Deinde quum ſubjicit Moſes, Abram Sarai cauſa fuiſſe liberaliter tractatum: hinc colligimus à Pharaone ipſam honorifice fuiſſe exceptam, & non habitam loco ſcorti. Quod ergo dicit Moſes deductam fuiſſe in palatium regis, non interpretor fuiſſe factum, ut ſtatim cum rege dormiret, ſed ut rex ſolenni ritu eam duceret uxorem. *Gen. 20. verſ. 1.*

17. *Et percuſſit Jehova.*] Si ſimpliciter narraret Moſes Deum ſumpſiſſe pœnam de rege ob commiſſum adulterium, non tam aperte conſtaret conſultum ab eo fuiſſe Sarai caſtitati: ſed quum diſerte exprimit percuſſam fuiſſe domum regis propter Sarai uxorem Abræ, meo quidem judicio omnis dubitatio tollitur: quod Deus in gratiam ſervi ſui manum ſuam armatam in tempore oppoſuerit, ne Sarai violaretur. Atque hic inſigne habemus documentum, quam ſollicite ſervos ſuos curet Dominus, qui contempti & ignobilis nôvenæ patrocinium ſuſcepit contra potentiſſimum regem: quemadmodum Pſalmo 105. verſ. 12. celebratur hæc hiſtoria, & ſimiles: quum eſſent numero pauci, & inquilini in terra, tranſeuntes de gente in gentem, vagantes inter diverſos populos, quod Deus coarguerit pro ipſis reges, prohibens ne tangerent Chriſtos ſuos, & ne Prophetis ſuis nocerent. Unde etiam ſumi poteſt ſententiæ nuper expoſitæ confirmatio. Nam ſi Deus Pharaonem coarguit ne Abram læderet, ſequitur illæſum ſervaſſe Sarai honorem. Nos quoque talibus exemplis edocti, ſciamus, utcunque paucitas & infirmitas noſtra contempta ſit coram mundo,

mundo, nos tamen Deo pretioſos eſſe, ut regibus, atque etiam toti mundo ſe boſtem declaret noſtra cauſa. Sciamus nos ejus præſidio tegi, ne eorum qui plus poſſunt, libido & violentia nos opprimat. Sed quæritur an juſte Pharaoni inflicta fuerit pœna, quum neque inſidiari alterius thoro, neque per vim uxorem rapere in animo habuerit. Reſpondeo, non ſemper æſtimanda eſſe noſtro judicio hominum facta, ſed potius examinanda eſſe ad trutinam Dei: quia ſæpe accidit ut reperiat Dominus quod juſte in nobis puniat, dum nobis videmur eſſe extra noxam, noſque omni reatu abſolvimus. Potius diſcant reges ex hac hiſtoria, ſuam potentiam frenare, ac moderate uti ſuo imperio: denique voluntariam ſibi modeſtiæ legem imponere. Quamvis enim in Pharaone non palam appareat culpa: quia tamen ſidum monitorem non habet inter homines, qui ejus licentiam compeſcere audeat, è cælo caſtigat illum Dominus. Quod ad familiam, erat quidem innoxia: ſed habet ſemper Dominus juſtas cauſas, licet nobis occultas, cur ferulis percutiat qui nihil videntur tale meriti. Quod ſervo ſuo Abræ pepercit, paternæ ejus indulgentiæ adſcribi debet.

18. *Vocavitque Pharao.*] Juſte Pharao expoſtulat cum Abram, penes quem præcipua erat culpa. Nulla hic legitur Abræ reſpontio: & forte juſtæ ac veræ reprehenſioni ſubſcripſit. Poteſt tamen fieri ut omiſſa fuerit excuſatio à Moſe: cujus conſilium erat, divinæ providentiæ ſpecimen oſtendere in ſervando Abram, & vindicando ejus conjugio. Quamquam autem agnovit Abram ſe dare juſtam ſtultitiæ ſuæ vel præpoſteræ cautionis pœnam, ſecundo tamen in idem vitium relapſus eſt, ut ſuo loco videbimus.

20. *Præceptique Pharao.*] Quod fide publica deduci jubet Pharao Abram extra regnum, videri poſſet ideo factum eſſe ut periculo occurreret: quia ſibi gentis odium conflaverat Abram, quaſi Dei flagellum illuc ſecum attuliſſet: ſed quia hæc conjectura parum firma eſt, ſimplicius interpretor datam fuiſſe Abræ exeundi copiam, & cuſtodes additos, ne prædæ pateret. Scimus enim quam ſuperbi fuerint Ægyptii & crudeles: & obnoxius invidiæ erat Abram, quod illic repente ditatus, tanquam ſpolia ſecum auferret.

Caput XIII.

ET aſcendit Abram ex Ægypto, ipſe & uxor ejus, & omnia quæ erant ei, & Lot cum eo ad Meridiem.

2. Et Abram dives erat valde pecore, argento & auro.

3. Et perrexit per profectiones ſuas à Meridie uſque ad Bethel, uſque ad locum ubi fuerat tabernaculum ejus in principio, inter Bethel & Hai,

4. Ad locum altaris quod fecerat in principio: & invocavit ibi Abram nomen Jehovæ.

5. Et etiam ipſi Lot ambulanti cum Abram erant pecudes, & boves, & tabernacula.

6. Et non ferebat eos terra, ut habitarent pariter: quia erat ſubſtantia eorum multa, & non poterant habitare pariter.

7. Et fuit contentio inter paſtores pecudum Abram, & paſtores pecudum Lot: & Chenaanæus & Pherizæus tunc habitabant in terra.

8. Et dixit Abram ad Lot, Ne nunc ſit contentio inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: quia viri fratres ſumus.

9. Numquid non omnis terra eſt coram te? ſepara te nunc à me. ſi ieris ad ſiniſtram, dextram tenebo: & ſi ad dextram ieris, ſiniſtram tenebo.

10. Et levavit Lot oculos ſuos, & vidit omnem planitiem Jarden, quod tota eſſet irrigua antequam diſperderet Jehova Sedom & Hamorah, ſicuti hortus Jehovæ, ſicut terra Ægypti, ingrediente te in Sohar.

11. Et elegit ſibi Lot omnem planitiem Jarden, & profectus eſt Lot ad Orientem, & ſeparaverunt ſe alter ab altero.

12. Abram habitavit in terra Chanaan, & Lot habitavit in urbibus planitiei, & tetendit tabernaculum Sedom uſque.

13. Viri autem Sedom erant mali, & ſcelerati coram Jehova valde.

14. Et Jehova dixit ad Abram, poſtquam ſeparavit ſe Lot ab eo, Leva nunc oculos tuos, & vide à loco ubi es, ad Aquilonem, Meridiem, Orientem, & Occidentem.

15. Quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo & ſemini tuo uſque in ſeculum.

16. Et ponam ſemen tuum ſicut pulverem terræ: quia ſi poterit quiſquam numerare pulverem terræ, etiam ſemen tuum numerabit.

17. Surge, ambula per terram in longitudinem ejus, & in latitudinem ejus: quia tibi dabo eam.

18. Et tetendit tabernaculum Abram, & venit, & habitavit in quercubus Mamre, quæ ſunt in Hebrôn: & ædificavit ibi altare Jehovæ.

1. *Et aſcendit Abram.*] Initio capitis Dei gratiam in protegendo Abram commendat Moſes: qua factum eſt ut non tantum reverſus fuerit incolumis, ſed ſecum traxerit magnas copias. Hæc enim circumſtantia notanda eſt, quum pecore & opibus gravis Ægyptum relinqueret, pactum ei fuiſſe iter: quia mirum eſt paſtos fuiſſe Ægyptios alio transferri quod apud ipſos acquiſierat Abram. Deinde oſtendit Moſes, Abræ ſuas divitias non fuiſſe obſtaculo, quin ad finem propoſitum conſtanter reſpiceret, ac illuc pergeret indefeſſo curſu. Scimus quantopere multos impediant modicæ facultates, ne in cælum caput attollant: qui vero abundant majore copia, non modo pigri torpent, ſed prorſus in terra demerſi ſunt. Quare Abræ virtutem vulgari aliorum vitio opponit Moſes, quum narrat nullis impedimentis fuiſſe retentum quominus terram Chanaan repeteret. Poterat enim (ut multi ſolent) ſibi delicias facere honeſto prætextu, nempe ſibi licere in Ægypto manere, favente ac propitio Deo, cujus benedictionem illic non vulgarem ſenſerat. Atqui non obliviſcitur quid ſibi divinitus mandatum ſit: ideo quaſi ſolutus, quo

quo vocatus est properat. Quare divitibus omnis excusatio tollitur, si in terra dixi, ad Dei vocationem non attendunt. Quanquam duo hic extrema cavenda sunt. Multi perfectionem Angelicam constituunt in paupertate: acsi pietatem colere, & Deum sequi non liceret, nisi abjectis divitiis. Pauci quidem Cratem Thebanum imitantur, qui in mare projecit opes suas, quod se fore salvum nisi illis perditis non putaret. Multi tamen fanatici, divites procul repellunt à spe salutis: acsi sola paupertas, cœlorum esset janua: quæ tamen pluribus impedimentis interdum homines involvit quam divitiæ. Scite autem Augustinus, qui divites pauperibus aggregari admonet à Deo in eandem vitæ hæreditatem: quia Lazarus pauper in sinum divitis Abrahæ receptus fuerit. Rursus cavendum est ab altero vitio, ne scilicet remoram injiciant divitiæ, vel nos aggravent quominus expediti pergamus in regnum cœlorum.

3. *Et pervexit per profectiones suas.*] His verbis docet Moses, non prius quievisse Abram, quam reversus esset in Bethel. Nam etsi tabernaculum tetendit multis in locis: nullibi tamen fixit pedem ut firma illi esset statio. De meridie non loquitur respectu Ægypti: sed intelligit venisse in partem Judææ Australem: itaque longo itinere & molestiis pleno, in eum locum venisse ubi manere statuerat. Subjicit deinde Moses, erectum fuisse illic prius ab eo altare, & tunc quoque invocasse deintegro nomen Domini: ut sciamus sanctum virum in Deo colendo & testanda pietate semper sui fuisse similem. Quod exponunt quidam, loci incolas fuisse adductos ad purum Dei cultum, nec verisimile est, nec ex verbis elicitur. Diximus autem alibi quid valeat hæc loquutio, Invocare in nomine Domini, vel nomen Domini: nempe profiteri verum ac purum Dei cultum. Neque enim duodecies solum tota vita invocavit Deum Abram: sed quum illum celebraret, ac solenni ritu palam faceret nihil sibi esse commune cum Gentium superstitionibus, tunc dicitur invocasse Deum. Quamvis ergo Deum semper coluerit, & se exercuerit in quotidianis precibus: quia tamen non quotidie externa professione testatus est apud homines suam pietatem, hæc virtus specialiter laudatur à Mose. Ideo cum altari debet conjungi invocatio: quod scilicet oblatis sacrificiis testatus est quem Deum coleret, ut fierent Chananæi non esse deditum communibus idololatriis.

5. *Et ecce Lot.*] Sequitur incommoditas quam ex suis divitiis passus est Abram: quod scilicet à nepote suo, quem unice amabat, avulsus fuerit, non secus ac suis visceribus. Certe si data fuisset optio, maluisset divitias abjicere quam discessionem ab eo facere, quem loco unici filii habebat: non tamen aliud vitandis rixis remedium invenit. An hoc mali vel nimiæ ejus mollitiei, vel nepotis protervix imputabimus? Atqui Dei potius consilium spectandum judico. Periculum erat ne sibi nimium placeret Abram in sua fortuna: quemadmodum res secundæ plurimos excæcant. Ergo opum dulcedinem quasi aceto temperat Deus: nec patitur ferri sui animum illa nimium deliniri. Quum autem fallax opinio ad divitias plus æquo appetendas nos impellat, quia non sentimus quantas incommoditates secum trahant, valeat hujus historiæ memoria ad cohibendum illum immodicum amorem. Deinde quoties aliquid molestiæ ex suis copiis sentiunt divites, hac medicina purgare animos suos discant, ne præsentibus bonis ultra modum sint addicti. Et sane nisi frenum subinde injiceret Dominus, quo laberentur homines, quum prosperis rebus diffluunt? Rursus si in angustias cogimur, sciamus hoc quoque modo Deum occultis casuis nostræ vitiis mederi. Denique, qui abundant, spinis se circumdatos esse meminerint, & caveant ne pungantur. Quibus res sunt arctæ, & magis restrictæ, sciant divinitus sibi prospici, ne malis & noxiis laqueis implicentur. Triste fuit hoc divortium Abræ animo: sed multum potuit mali latentis corrigere, ne ardorem zeli ejus suffocarent opes. Quod si tali antidoto opus habuit Abram, ne miremur si Deus sæpe inflicta aliqua plaga, nostram lasciviam comprimat. Neque enim semper expectat dum lapsi fuerint fideles, sed illis in futurum prospicit. Sic Abræ servi sui non correxit avaritiam, vel superbiam: sed anticipato remedio effecit ne quibus illecebris ejus animum inficeret Satan.

7. *Et fuit contentio.*] Quod jam attigi de divitiis, de magno etiam famulitio sentiendum est. Videmus quam augustinos multi ingentem servorum turbam & quasi populum appetant. Sed quum tanti constiterit Abræ magna familia, discamus paucis familis libenter contenti esse, vel etiam prorsus carere, si ita Domino visum fuerit. Fieri enim vix potest quin magno strepitu misceatur domus in magno hominum numero. Et usus comprobat verum esse proverbium, quod turba fere sit turbulenta. Jam si inæstimabile bonum est quies & tranquillitas, sciamus optime nobis consuli, dum exiguam habemus domum, & famulis privati extra tumultum degimus. Sollicite etiam cavendum esse monemur hoc exemplo, ne Satan obliquis artibus nos in certamen committat. Ubi enim mutua inter nos odia accendere non potest, alienis rixis nos involvit. Concordes erant inter se Lot & Abram: sed contentio inter pastores exorta invitos rapit, ut cogantur alter ab altero discedere. Neque tamen dubium est quin fuos fideliter instituerit Abram ad fovendam pacem: sed non tantum profecit suo studio & conatu quin illis tanquam flabellis, pessimum discordiæ ignem domi suæ accensum videat. Quare nihil mirum si sæpe in Ecclesiis exoriantur turbæ, ubi major est hominum numerus. Habuit circiter trecentos servos Abram: familiam Lot minime fuisse parem verisimile est: quid igitur fiet inter quinque, vel sex millia, præsertim ubi inter se libera capita confligunt? Cæterum ut nos ejusmodi scandalis turbari non oportet, ita modis omnibus cavendum est ne contentiones efferveant. Nisi enim mature obviam earum, mox in perniciosum dissidium erumpent. *Chananæus & Pherizæus.* Amplificandi mali causa hoc addidit Moses. Tantum enim contentionis ardorem fuisse admonet, ut ne præsentis quidem exitii metu restingui potuerit, vel sedari. Totidem cinctæ erant hostibus quot habebant vicinos. Nihil ergo ad eos perdendos deerat, nisi occasio, quam ipsi suis rixis præbebant. Sic homines dementat cæcus furor, ubi semel prævaluit rixandi intemperies, ut mortem oculis subjectam secure contemnant. Cæterum etsi non semper obsident nos Chananæi, versamur tamen inter hostes quamdiu peregrinamur in mundo. Quare si qua nostræ & fratrum salutis cura tangitur, cavendæ sunt contentiones, quæ nos Satanæ jugulandos præbent.

8. *Et dixit Abram ad Lot.*] Docet primum Moses, ubi jurgium ortum esse videt Abram, agere officium boni patrisfamilias, quod pacem componere studeat inter domesticos: deinde sua moderatione quæ rebe tollendi mali remedium. Quanquam autem soli servi litigabant, non tamen frustra dicit, *Ne nunc sit contentio inter me & te*: quia vix fieri potest quin à domesticis contagio rixæ ad dominos perveniat, quamvis alii qui bene inter se consentiant: nec tandem posse integram manere amicitiam prævidet, nisi in tempore mederi studeat serpenti malo. Cæterum vinculum sanguinis commemorat: non quia hoc solum valere debuerit ad fovendam inter eos pacem; sed ut magis flectat & molliat nepotis sui animum. Nam ubi minus efficax est apud nos timor Dei quam par esset, utile est alia etiam admiscula colligere quæ nos in officio contineant. Jam vero quum hac lege adoptati simus omnes in Dei filios, ut alii

alii aliis mutuo fratres ſimus: minoris eſt apud nos hæc ſacra conjunctio quam decear, niſi ad ſedandas contentiones ſufficiat.

9. *Numquid non omnis terra.*] Hæc illa eſt quam dixit moderatio, quod Abram jurgii placandi cauſa jure ſuo ſponte cedit. nam ut mater omnium certaminum eſt ἐριστικὴ, hoc eſt, vincendi cupiditas & ambitio: ita ubi quiſque placide ac moderate aliquid de proprio jure cedit, inventum eſt optimum remedium omni amarulentiæ tollendæ. Poterat quidem honeſto prætextu Abram jus ſuum quod remittit, pertinacius tueri: ſed pacis redimendæ cauſa nihil detrectat. ideo optionem nepoti ſuo permittit.

10. *Et levavit Lot oculos.*] Sicuti non parva laude digna fuit Abræ æquitas, ita merito culpanda eſt inconſideratio Lot, quam hic deſcribit Moſes. Debuerat potius modeſtia certare cum patruo: atque ita naturæ ordo ferebat. verum perinde acſi modis omnibus eſſet ſuperior, priores ſibi partes uſurpat: & regionem quæ uberior videtur ac magis amœna, ſibi eligit. Ac profecto neceſſe eſt, quiſquis cupidius intentus eſt in ſua commoda, erga alios eſſe inhumanum. Nec dubium eſt quin hæc iniquitas pupugerit animum Abræ: ſed tacitus devoravit, ne quam forte novæ offenſioni occaſionem daret. Atque omnino iſta nobis agendum eſt, quoties eos quibus conjuncti ſumus, videmus non ſatis officii eſſe memores: alioqui nullus erit turbatum finis. Quod Paradiſo Dei comparat planitiem Sodomæ vicinam: multi interpretes exponunt, quaſi dixiſſet eximiam, ac in primis fertilem: quia Hebræi quicquid excellit, Divinum appellant. Ego tamen locum notari puto, ubi initio locatus fuit Adam. Neque enim generalis ſimilitudo ponitur à Moſe, ſed dicit regionem illam fuiſſe irriguam: ſicuti de primo hominis domicilio idem narravit, quod fluvius in quatuor partes diviſus illud irrigaret. idem etiam addit de parte Ægypti. Unde clarius liquet, una tantum in ſpecie locum hunc cum aliis duobus conferri.

13. *Viri autem Sodom.*] Putabat Lot ſe beatum eſſe, quod tam opima contigiſſet habitatio: ſed tandem diſcit, electionem, ad quam temere non minus quam cupide feſtinaverat, infeliciter ſibi ceſſiſſe: quia negotium habet cum ſuperbis perverſiſque hoſpitibus, quorum mores ferre longe durius erat quam cum terræ ſterilitate luctari. Ita dum ſola proſpectus amœnitate ducitur, dat pœnas ſtultæ ſuæ cupiditatis. Ac diſcamus hoc exemplo non credendum eſſe oculis noſtris, ſed cavendas potius eſſe eorum illecebras, ne incautos multis malis circumveniant: quemadmodum Lot, quum ſe putaret Paradiſum incolere, uſque ad inferos prope demerſus eſt. Sed videtur mirum, quum extremis ſceleribus damnare velit Moſes Sodomitas, cur eos dicat malos fuiſſe coram Domino: cur non potius, coram hominibus? nam quum ad Dei tribunal venitur, omne os obſtrui oportet, ac totum mundum damnationi eſſe obnoxium. quare videtur extenuandi cauſa ſic loquutus Moſes. Sed res aliter habet: intelligit enim non laboraſſe communibus vitiis, quæ paſſim graſſantur inter homines; ſed execrandis ſceleribus fuiſſe deditos, quorum clamor aſceoderet uſque in cælum (ut poſtea videbimus) & vindictam à Deo expoſceret. Quod autem eos Dominus ad tempus tulit: neque id modo, ſed fertiliſſimam regionem incolere paſſus eſt, qui tamen luce & vita pluſquam indigni erant: hinc diſcamus non eſſe cur ſibi blandiantur impii, quum eos Dominus ad tempus tolerat: imo benigne ac liberaliter eos tractans, ſua indulgentia certat cum eorum ingratitudine. Licet tamen ipſi in ſua luxuria exultent, imo ferociant contra Deum, monentur filii Dei ne illorum fortunæ inviderent: ſed paululſper expectent dum eos Dominus ab ebrietate excitans, ad horribile judicium vocet. Idem Ezechiel de Sodomitis loquens, cauſam exitii illius fuiſſe commemorat quod ſaturi pane & vino, ac delicus referti, ſuperbam crudelitatem in pauperes exercoerant. *Ezec. 16. verſ. 49.*

14. *Et Jehova dixit ad Abram.*] Nunc refert Moſes poſtquam diviſus fuit Abram à ſuo nepote, placando ejus animo adhibitum fuiſſe divinitus ſolatium. Non dubium eſt quin acerbiſſimum fuerit divortii illius vulnus, quum ablegare coactus eſt quem ſua vita non minus charum habebat. Quum ergo loquutum eſſe Dominum refert, notanda eſt temporis circumſtantia: quaſi diceret, allatam eſſe medicinam quæ dolorem ejus leniret. Atque ita docet optimum remedium mitigandæ & curandæ triſtitiæ in verbo Dei eſſe poſitum.

Leva nunc oculos tuos.] Quum ſemini Abræ Dominus terram promittit, admirabile ejus conſilium in diſceſſu Lot perſpicimus. Terram uni deſtinaverat: ſi cum eo Lot manſiſſet, permixti fuiſſent utriuſque liberi. Vitioſa quidem fuit diſſidii cauſa: ſed Dominus pro immenſa ſua ſapientia in bonum finem convertit, ne quam hæreditatis partem poſteri Lot occupent. Hæc ratio eſt cur dicat, Quacunque terra patet, eam tibi ac filiis tuis addico. Quare non eſt cur tibi nimium triſtis ac moleſta ſit iſta ſolitudo & orbitas, cui præclara merces deinde conſtabit. Etſi enim idem jam Abræ promiſſum fuerat: Deus tamen ſuam promiſſionem nunc accommodat ad præſentis triſtitiæ remedium. Atque ita tenendum eſt, non modo repetitam fuiſſe promiſſionem quæ Abræ fidem aleret ac ſtabiliret: ſed datum ſingulare oraculum unde diſceret Abram ſemini ſuo fuiſſe conſultum, dum Lot fuerat ab eo diviſus. Lutheri ſpeculatio hic (ut alius locis) nihil habet ſolidi, quod Deus per Prophetam quempiam loquutus ſit. Quum terra in ſeculum promittitur, non ſimpliciter notatur perpetuitas: ſed quæ finem accepit Chriſti adventu. De ea voce עולם inſcire rixantur Judæi: ſed quum varie ſumatur in Scriptura, hoc loco (ut nuper attigi) totum Legis tempus complectitur. ſicuti fœdus quod pepigit Dominus cum veteri populo, pluribus locis vocatur æternum: quia officium Chriſti fuit mundum ſuo adventu renovare. Atqui mutatio quam Chriſtus attulit, non abolitio fuit veterum promiſſionum, ſed potius confirmatio. Quod ergo nunc Deus non populum unum habet peculiarem in terra Chanaan, ſed ubique diffuſum per omnes mundi plagas, id non obſtat quominus rite promiſſa fuerit æterna terræ poſſeſſio ſemini Abræ uſque ad futuram renovationem.

16. *Et ponam ſemen tuum ſicut pulverem.*] Ego omiſſis argutiis, in quibus alii de nihilo philoſophantur, ſimpliciter pulveri ſemen Abræ conferri interpretor propter immenſam multitudinem. nec certe aliunde petendus eſt ſenſus quam ex verbis Moſis. Neceſſe autem fuit hoc adjungi, Deum illi ſemen ſuſcitaturum, quo adhuc carebat. Videmus autem ut Deus ſemper eum in verbo ſuo contineat, & ab ore ſuo pendere velit. Pulverem reſpicere jubetur Abram: ſed ubi oculos in domum ſuam converſit, quid ſimile habet cum immenſo pulvere orbitas? Hoc ergo juris vendicat Dominus, & tribui vult verbo ſuo, ut ſolum nobis ſufficiat. Hoc etiam magis ridiculum videtur quod jubet Deus Abram peregrinari donec luſtraverit totam terram. Quorſum enim hoc facturus eſt, niſi ut clarius agnoſcat ſe inquilinum; & continua inquietudine fruſtra confectus, de ſtabili fixaque poſſeſſione deſperet? Quomodo enim ſibi perſuadeat ſe ejus terræ eſſe dominum ubi vix aquam bibere licet, quamvis puteos magno ſudore effoderit? Verum hæc ſunt fidei exercitia, ut in verbo cernat quæ procul abſunt, & ſenſus carnis latent. Eſt enim fides aſpectus rerum abſentium: & verbum habet inſtar ſpeculi, in quo abſconditam Dei gratiam cernat. Nec hodie diſſimilis eſt *Heb. 11. verſ. 1.*

piorum

piorum conditio. nam quum omnibus sint odio, contemptui & probris subjaceant, vagentur instabiles, pellantur etiam interdum huc & illuc, nuditate & inopia laborent: mundi tamen hæreditatem quæ promissa est, apprehendere ipsos oportet. Ergo discamus sic terram perambulare, ut omni quiete exclusis unicum superstit refugium ad verbi speculam.

18. *Et tetendit Abram tabernaculum.*] Hic Moses narrat sanctum virum nova Dei promissione erectum, terram magno animo peragrasse, quasi solo intuitu eam sibi subjiceret. Ita videmus quantum illi profuerit oraculum: non quod aliquid insolitum audierit ex ore Dei: sed quia aptam præsenti dolori medicinam & tempestivam habuit, ut collecto animo in cælum consurgeret. Tandem sanctum virum commemorat Moses peracto circuitu reversum esse ad querceum aut vallem Mamre, ut illic habitaret. Sed rursus pietatem ejus commendat, quod erecto altari Deum invocaverit. Porro jam aliquoties expositum est quid hoc valeat. nam ferebat ipse altare in corde suo: sed quum profanis altaribus plena esset terra, in quibus Chananæi & aliæ gentes cultum Dei adulterabant, professus est Abram se verum Deum colere: neque id fortuito, sed quemadmodum ex verbo patefacta illi ratio erat. Inde colligimus, altare, cujus fit mentio, non temere ejus manu erectum, sed eodem Dei verbo consecratum fuisse.

CAPUT XIV.

ET fuit, in diebus Amraphel regis Sinhar, Arioch rex Elasar, Cedorlaomer rex Helam, & Thidhal rex Gentium,

2. Fecerunt bellum cum Berah rege Sedom, & Birsah rege Hamorah, Sinab rege Admah, & Semeber rege Seboim, & rege Belah: ipsa est Sohar.

3. Omnes isti conjuncti sunt in valle Siddim: ipsa est *vallis* maris Salis.

4. Duodecim annos servierant Cedorlaomer, & decimo tertio anno defecerant.

5. Decimo quarto autem anno venit Cedorlaomer, & reges qui erant eum eo, & percusserunt Rephaim in Astheroth Carnaim, & Zuzim in Ham, & Emim in Saveh Ciriathaim,

6. Et Hori in monte suo Sehir, usque ad planitiem Pharan, quæ est juxta desertum.

7. Reversi sunt autem, & venerunt ad Hen-misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem agrum Amalecitæ, & etiam Emoræum habitantem in Hasesonthamar.

8. Et egressus est rex Sedom, & rex Hamorah, & rex Admah, & rex Seboim, & rex Belah, ipsa est Sohar, & ordinaverunt cum eis prælium in valle Siddim,

9. Cum Cedorlaomer rege Helam, & Thidhal rege Gentium, & Amraphel rege Sinhar, & Arioch rege Elasar: quatuor reges cum quinque.

10. Vallis autem Siddim plena erat puteis cæmenti. & fugerunt rex Sedom & Hamorah, projeceruntque se illuc: & residui in montem fugerunt.

11. Et ceperunt omnem substantiam Sedom & Hamorah, omnemque escam eorum, & abierunt.

12. Ceperunt quoque Lot & substantiam ejus, filium fratris Abram, & abierunt: quia ipse habitabat in Sedom.

13. Et venit quidam qui evaserat, & nunciavit Abram Ebræo, qui habitabat in quercubus Mamre Emori fratris Eschol, fratris Haner: & ipsi erant fœderati cum Abram.

14. Audiens autem Abram quod captivus ductus esset frater suus, armavit à se institutos pueros domus suæ, octodecim & trecentos, & persequutus est usque ad Dan.

15. Et divisit se super eos nocte, ipse & servi ejus, & percussit eos: persequutusque est eos usque ad Hovah, quæ est à læva Dammesec.

16. Et reduxit omnem substantiam, & etiam Lot fratrem suum, & substantiam ejus reduxit, atque etiam mulieres & populum.

17. Et egressus est rex Sedom in occursum ejus, postquam reversus est ipse à cædendo Cedorlaomer, & reges qui erant secum, ad vallem Saveh: ipsa est Vallis regis.

18. Et Melchisedec rex Salem protulit panem & vinum: & ipse *erat* Sacerdos Deo altissimo.

19. Et benedixit ei, & dixit, Benedictus Abram Deo excelso, possessori cæli & terræ:

20. Et benedictus Deus excelsus, qui tradidit hostes tuos in manum tuam. & dedit ei decimam de omnibus.

21. Et dixit rex Sedom ad Abram, Da mihi animas, & substantiam tolle tibi.

22. Et dixit Abram ad regem Sedom, Levavi manum meam ad Jehovam Deum excelsum, possessorem cæli & terræ,

23. Si à filo usque ad corrigiam calceamenti, si accepero ex omnibus quæ sunt tibi: ne dicas, Ego ditavi Abram.

24. Præter ea tantum quæ comederunt pueri, & partem virorum qui profecti sunt mecum, Aner, Eschol, & Mamre: ipsi accipiant partem suam.

1. *Et fuit in diebus illis.*] Historia quæ hoc capite refertur, tribus maxime de causis memoratu digna est: nempe quod Lot Sodomitas leni castigatione hortatus sit ad pœnitentiam, nisi prorsus fuissent indociles, ac deploratæ in sua malitia pervicaciæ: Lot autem iisdem flagellis percussus fuerit, qui illectus & ineficatus terræ pinguedine, sese impiis & sceleratis perinisceret. Deinde quod Deus ejus misertus, Abram vindicem & liberatorem illi excitavit qui captivum è manu hostium eriperet, ubi incredibilis Dei bonitas, & erga suos benevolentia conspicue relucet: quando in unius hominis gratiam multos

multos pluſquam indignos ad tempus ſervat. Tertio, quod Abram divinitus ornatus fuit inſigni victoria, & ore Melchiſedec benedictus, in cujus perſona regnum & ſacerdotium Chriſti adumbratum eſſe, ex aliis Scripturæ locis patet. Quod ad ſummam hiſtoriæ pertinet, horribile ſpectulum fuit humanæ tum avaritiæ tum ſuperbiæ. Habebat adhuc genus humanum tres ſuos patres, Sem, Cham, & Japheth, quorum aſpectu admonebantur omnes ſibi ex una domo & arca eſſe originem. Porro originis memoria, fraternæ conjunctionis ſacrum erat pignus, ut mutuis officiis alii alios juvarent. Prævalet tamen ambitio: ut ferro & armis ultro citroque graſſentur, ac quiſque conetur alios ſubigere. Quare dum hodie videmus ſine modo tumultuari Principes, & terram concutere pro ſua potentia, meminerimus vetus eſſe malum; quum ſeculis omnibus dominandi libido nimium regnaverit inter homines. Simul tamen notemus, nullum eſſe deterius vitium animi altitudine, quam multi heroicum affectum eſſe putant. Ambitio Cedorlaomer ſax totius belli fuit. nam ipſe incenſus dominandi cupidine, tres alios attraxit in belli ſocietatem. Sodomitas vero & eorum ſocios ſuperbia ad arma ſumenda compulit, ut jugum excuterent. Cæterum quod tot reges commemorat Moſes, Sem adhuc ſuperſtite (quanquam à profanis hominibus tanquam fabuloſum ridetur) nihil habet abſurdi, ſi modo reputamus tantam humani generis propagationem ſingulare fuiſſe Dei miraculum. Nam quum Dominus ipſi Noah ejuſque filiis diceret, Creſcite, & multiplicamini: ad ſpem inſtaurationis eos erigere voluit, quæ uſitato naturæ ordine longe eſſet excellentior. Perpetua quidem eſt illa benedictio, quæ vigebit uſque ad mundi finem: ſed vim ejus extraordinariam tunc extare oportuit, unde palam agnoſcerent primi illi patres novum mundum in arca divinitus fuiſſe incluſum. A Poëtis Deucalion fingitur cum uxore ſua jactis poſt tergum lapidibus ferere poſt diluvium homines. Sed talibus nugis deludi neceſſe eſt miſeras animas ubi à pura Dei veritate diſceſſerint. & hoc artificio abuſus eſt Satan ad fidem abrogandam Dei miraculis. Quia enim tam cito aboleri non poterat diluvii memoria, & inſolita novi mundi propagatio: nebulas fumumque, injectis puerilibus figmentis, ſparſit, ut pro fabula haberetur quod prius certo conſtabat. Notandum tamen eſt, reges vocari à Moſe quicunque in oppido aliquo, & mediocri hominum cœtu primatum tenebant. Quæritur an reges iſti qui Cedorlaomer ſequuti ſunt, procul habitaverint: quia vocatur Thideal rex gentium. Sunt qui longe lateque diverſis gentibus imperaſſe fingunt: quaſi rex regum fuerit. Vetus etiam Interpres Arioch ex Ponto accerſit: quod valde abſurdum eſt. Potius exiſtimo hanc fuiſſe nominis rationem, quod manum haberet collectitiam ex profugis & erroribus, qui ſe relicta patria ad eum contulerant. Ergo quia unum & nativum non erat populi corpus, ſed conflatum ex promiſcua turba, regnum gentium apte vocatum eſt. Quod prælium dicit commiſſum in valle Sidim, vel campeſtri, quæ tunc erat mare Salis, non dubium eſt quin mare Mortuum vel Aſphaltites notet. Sciebat quibus deſtinatus eſſet magiſter, ideo verba ad rudem populi captum ſemper attemperat: & hoc fere ſolenne habet in locorum nominibus, quemadmodum prius attigi. Tamen ante prælium commiſſum commemorat Moſes cæſos paſſim fuiſſe regionis incolas. Veriſimile eſt omnes fuiſſe diſſipatos, quia nullum habebant ducem, cujus auſpiciis bellarent, donec quinque reges obviam progreſſi ſunt inſtructo exercitu. Etſi autem Cedorlaomer tyrannide magis quam juſto imperio tot ſibi populos tributarios fecerat, atque ita improbanda eſt ejus ambitio: juſte tamen plectuntur ſubjecti, quia temere rebellaverant. Nam etſi minime ſpernenda eſt libertas, ſubjectio tamen quæ ſemel nobis impoſita eſt, ſine obliqua adverſus Deum contumacia excuti non poteſt: quia omnis poteſtas divinitus eſt ordinata, etiamſi intrio à libidine dominandi manavit. Ergo alii ex rebellibus inſtar pecudum mactantur: alii etiamſi arma induerint, & parati ſint ad reſiſtendum, pelluntur tamen in fugam. ita infeliciter obnibus cedit contumax negatio tributi. Et notandæ ſunt tales hiſtoriæ, ut inde diſcamus, adverſo Deo pugnare quicunque anarchiam quærunt. *Rom. 13. verſ. 1.*

10. *Fugerunt rex Sodomæ &c.*] Quidam exponunt cecidiſſe in puteos: quod veriſimile non eſt, quum minime locorum ignari eſſent: id potius externis hoſtibus accidiſſet. Alii dicunt ſervandæ vitæ cauſa illuc delapſos eſſe. Ego autem, ut in ultima deſperatione fieri ſolet, mortem unam alia morte mutaſſe intelligo: acſi diceret Moſes, tam formidabiles illis fuiſſe hoſtium gladios, ut non dubitarent ſe præcipites jacere in foveas. Subjicit enim continuo poſt, qui ſalvi evaſerant, fugiſſe in montes. Unde periſſe colligimus qui in foveas corruerant. Tantum ſciamus non tam locorum ignorantia deceptos quam pavore exanimatos cecidiſſe.

12. *Ceperunt quoque Lot.*] Dubium eſt, domine ſubſtiterit Lot, quum egreſſi ſunt alii ad pugnam, & illic deprehenſus fuerit ab hoſtibus: an vero arma cum reliquo populo induere coactus fuerit. Quia autem ejus non meminit Moſes, niſi quum ad urbis direptionem ventum eſt: probabilis eſt conjectura, confecto prælio domi captum eſſe inermem. Primum autem hic cernimus communes eſſe bonis & malis ærumnas: deinde, quo propius conjuncti ſumus ſceleratis & impiis, quum in ipſos Deus vindictam ſuam exerit, citius ad nos pervenire flagella.

13. *Venit quidam qui evaſerat.*] Hæc eſt ſecunda pars capitis, ubi exponit Moſes, quum Deus ſervum ſuum Lot reſpiceret, Abram illi dediſſe liberatorem, qui eum è manibus hoſtium eriperet. Sed hic oriuntur variæ quæſtiones, an Abræ homini privato licuerit armare familiam contra reges, & publicum bellum ſuſcipere. Ego vero non dubito, ſicuti Spiritus virtute inſtructus in bellum deſcendit, ſic cæleſti mandato fuiſſe munitum, ne vocationis ſuæ metas tranſiliret. Neque hoc novum videri debet, quum ſpecialis eſſet ejus vocatio: creatus jam erat rex illius terræ. Quanquam poſſeſſio in aliud tempus differebatur, Deus tamen ſingulare aliquod ſpecimen ejus poteſtatis dare voluit quæ adhuc hominibus ignota erat. Quale præludium legimus in Moſe, dum Ægyptium occidit, priuſquam ſe vindicem ac liberatorem ſuæ gentis palam profiteretur. Atque hoc ideo notandum eſt, ne ex hoc facto regulam ſibi conſtituant, qui ſe & ſuos cuperent manu armata defendere, quoties aliqua vis illata eſt. Poſtea videbimus eundem Abram patienter & molli animo tuliſſe injurias, quæ non minus ejus animum exacerbare poterant. Porro quod nihil temere aggreſſus ſit Abram, quin potius Deo probatum fuerit ejus conſiliùm, paulo poſt liquebit ex elogio Melchiſedec. Ideo ſtatuamus ſingulari Spiritus directione ſuſceptum fuiſſe ab eo hoc bellum. Si quis excipiat, ulterius tamen progreſſum eſſe quam fas eſſet, quum victores præda & captivis ſpoliavit, ac Sodomitas reſtituit in integrum, qui ejus tutelæ minime committi erant: reſpondeo, ubi conſtat Deum illi ducem & auctorem fuiſſe, quod ex approbatione colligitur, non eſſe cur diſputemus de arcano illius judicio. Sodomitas perditis ac deletis eorum vicinis, quia omnium deterrimi erant, ad judicium atrocius deſtinaverat. Excitat igitur ſervum ſuum Abram, qui caſtigatione ſatis dura admonitos liberet, quo magis inexcuſabiles reddantur. Itaque non magis in exemplum trahi debet hic peculiaris Spiritus ſancti inſtinctus quam

totum bellum quod gessit. Quod ad nuncium pertinet qui Abræ renunciavit Sodomæ cladem: non recipio quod quidam finguntˌ pium fuisse hominem. Conjicere potius licet, hominem domo profugum, & nudatum omnibus bonis venisse ad Abram, ut aliquid humanitatis eliceret. Abram vocari Ebræum, interpretor non transfluviatilem, ut quorundam fert opinio: sed quia progenitus erat ex Eber. Est enim gentilitium nomen. Et Spiritus sanctus benedictum illud à Deo genus honorifice rursus hic prædicat. *Erant foederati cum Abram.* Apparet Abram temporis successu fuisse liberalius exceptum, ut fœdus & amicitiam haberet cum terræ principibus: fecerunt enim heroicæ hominis virtutes, ut minime spernendum ducerent. Imo quum tantam familiam haberet, potuit ipse quoque inter reges habere locum, nisi fuisset extraneus & hospes. Sed Deus ita ejus paci consulere voluit per temporale fœdus, ut nunquam illis populis permixtus fuerit. Porro divinitus totum hoc negotium fuisse gubernatum, vel inde conjicere promptum est, quod socii ejus quatuor reges (ut tunc erat temporum conditio) satis validos, & victoriæ fiducia inflatos, aggredi cum magno periculo non dubitarunt. Certe vix unquam in gratiam advenæ eousque progressi essent, nisi arcano Dei impulsu.

14. *Quod captivus ductus esset frater.*] Causam suscepti belli breviter exprimit Moses, ut Abram è servitute cognatum suum eriperet. Interim memoria tenendum est quod prius dixi, non temere arreptaˌ ab illo fuisse arma, sed sumpta ex mánu Dei, qui eum terræ dominum constituerat. Quantum ad verba attinet, nescio cur verterit vetus Interpres, Numeravit Abram expeditos suos vernaculos. Nam verbum דיק, evaginare vel educere significat. Vocat autem Moses servos istos חניכים, non qui ad rem militarem edocti formatique essent, ut sentiunt plerique: sed potius (meo judicio) qui educati fuerant sub ejus manu, & ejus disciplina à pueris imbuti, ut animosius sub fide & auspiciis ejus bellarent, & quidvis discriminis subire parati essent ejus causa. In tanta vero familiæ copia præter industriam sanctiˌ viri, Dei benedictio nobis considerandaˌ est qua præter vulgarem & solitum morem auctus fuerat.

15. *Et divisit se.*] Quidam exponunt quod Abram solus cum domesticis copiis in hostes irruerit. Alii, quod ipse & tres fœderati partiti fuerint suas turmas, ut hostibus incuterent plus terroris. Alii Hebraicam esse phrasim putant, pro irrumpere in medios hostes. Ego secundam expositionem magis amplector, quod ex diversis partibus hostes invadens, subito illos percellerit. Nam huc quoque valebat temporis circumstantia, quod noctu illos aggressus est. Quanquam autem ejusmodi audaciæ exempla in profanis historiis occurrunt: fidei tamen Abræ adscribi debet quod exigua manu numerosum exercitum, & victoria superbum invadere ausus est. Quod autem parvo negotio victor evasit, acintrepide persequutus est qui longe numero plures erant, Dei gratiæ acceptum feremus.

17. *Et egressus est rex Sodomæ.*] Quanquam sciebat rex Sodomæ Abram nonnisi in nepotis sui gratiam sumpsisse arma, honoris tamen causa obviam illi prodit, ut se gratum præbeat. Nam humanitatis officium est, etiam quæ non ex professo, sed ex re, nata & occasione, vel per accidens (ut loquuntur) nobis collata sunt beneficia, agnoscere. Porro hoc totum cessit in majorem Dei gloriam, quod ita celebrata fuit Abræ victoria. Locum etiam designat ubi Abræ rex Sodomæ occurrit, nempe Vallem regis: quam sic vocatam fuisse potius existimo à rege aliquo, quam quod animi causa reges illuc convenirent.

18. *Et Melchisedec rex Salem protulit.*] Hoc tertium est ex tribus præcipuis hujus historiæ capitibus, quod Melchisedec summum Ecclesiæ patrem Abram convivio exceptum benedixit sacerdotii jure, & decimas ab eo recepit. Non dubium est quin hujus quoque regis occursu Deus celebrem, & ad posteros memorabilem Abræ victoriam reddiderit. Sed altius & excellentius mysterium simul adumbratum fuit. nam quum sanctus Patriarcha quem in summum honoris gradum extulerat Deus, se submisit ipsi Melchisedec, non dubium est quin illum constituerit unicum totius Ecclesiæ caput. nam sine controversia solennis benedictio quam sibi usurpat Melchisedec, præcipuæ dignitatis symbolum est. Siquis excipiat fuisse sacerdotem, annon sacerdos erat Abram? Ergo hic nobis aliquid singulare commendat Deus in Melchisedec, dum fidelium omnium patri eum præfert. Verum singula verba ordine expendere satius erit, ut melius rei summam deinde colligamus. Quod Abram excepit hospitio ac ejus comites, regium fuit: benedictio autem proprie ad munus sacerdotis spectat. Ideo fic contexi debent Mosis verba, Melchisedec rex Salem protulit panem & vinum: & quum esset sacerdos Dei, benedixit Abræ. sic distincte quod suum est, utrique personæ tribuitur. Lassum & famelicum exercitum regia liberalitate refecit: quia vero sacerdos erat, solenni precationis ritu primogenitum Dei filium, & Ecclesiæ patrem benedixit. Porro etsi hunc vetustissimum fuisse morem non nego, ut qui reges erant, sacerdotio simul fungerentur: hoc tamen in Melchisedec fuisse extraordinarium apparet illo seculo. Nec vero vulgari elogio ornatur, dum Spiritus ratum habet ejus sacerdotium. Scimus quam tunc corrupta ubique fuerit religio, quum Abram ipse qui ex sacro genere Sem & Eber oriundus erat, in profundo superstitionum gurgite cum patre suo & avo demersus fuerit. Ideo multi fuisse Sem divinant: quibus ne subscribam, multis causis impedior. neque enim Dominus virum æterna memoria dignum novo tantum & obscuro nomine indicasset, ut maneret ignotus. Deinde probabile non est ex Oriente migrasse in Judæam, & ex Mose nihil tale colligitur. Tertio si habitasset Sem in terra Chanaan, non ita flexuosis ambagibus vagatus esset Abram, ut antehac retulit Moses, donec suum atavum salutasset. Plurimum vero ponderis habet quod admonet Apostolus, hunc Melchisedec, qui sine patre fuerit, nobis sine ulla origine, quasi e nubibus delapsus esset, in medium proferri, & sine mentione ulla mortis fepeliri ejus nomen. In homine autem ignoto clarius refulget mirifica Dei gratia, quod inter mundi corruptelas, solus in terra illa integer ac sincerus fuerit pietatis cultor & custos. Omitto deliria quæ Hieronymus ad Euagrium coacervat: ne lectoribus sine fructu molestus sim, adeoque putidus. Salem pro Jerosolyma accipi libenter credo: atque hæc opinio magis recepta est. Quanquam siquis malit contrariam sententiam amplecti, quod oppidum fuerit in planitie situm, non repugno. Hieronymus hac in parte varius est: quod tamen alicubi narrat, ætate sua quædam adhuc vestigia palatii Melchisedec superfuisse, ex veteribus ruinis mihi non fit verisimile. Nunc videndum superest quomodo insculptam habuerit Melchisedec figuram Christi, & fuerit quasi ἀνίκονα. verba sunt Davidis Psal. 110. vers. 4. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Prius eum in fede regia locaverat, cui nunc vendicat sacerdotii honorem. Constat autem sub Lege sic distincta fuisse duo hæc officia, ut regibus nefas esset sacerdotium arripere. Ut demus verum fuisse quod narrat Plato, & passim occurrit apud Poëtas, receptum olim fuisse communi gentium usu, ut rex idem esset ac sacerdos: in Davidem & ejus posteros nullo modo quadrabat, quos Lex vetabat alterum munus prorsus attingere.

Hebr. 7. vers. 3.

gere. Ergo quod veteri Lege divinitus conſtitutum fuerat, in hujus Sacerdotis perſona abrogari oportuit. Nec abs re Apoſtolus ſacerdotium vetuſto illo & umbratili præſtantius notari contendit, quod jurejurando ſancitur. Porro donec ad Chriſtum ventum fuerit non reperietur iſte Rex ac Sacerdos, qui inter omnes emineat. Quemadmodum autem nemo extitit, præter Chriſtum, qui Melchiſedec dignitate æquaret, nedum præcelleret: ita hinc colligimus, in illius perſona oblatam fuiſſe Patribus Chriſti effigiem. Nec ſane David ſimilitudinem à ſe confictam profert: ſed quare divinitus ordinatum fuerit Chriſti regnum, & quidem jurejurando interpoſito, teſtatur. nec dubium eſt quin idem per manus jam olim à Patribus traditum foret. Summa eſt, Chriſtum ita fore ſecundum à Deo Regem, ut etiam in Sacerdotem ungatur, & quidem perpetuum. quod nobis cognitu pluſquam utile eſt, ut diſcamus regiam Chriſti potentiam conjungere cum Sacerdotis officio. Idem ergo qui unicus & æternus conſtitutus eſt Sacerdos, ut nos Deo reconciliaret, ac peracta expiatione intercederet pro nobis, Rex etiam immenſa virtute pollet ad tuendam ſalutem noſtram, noſque ſuo præſidio tuendos. Ita fit ut ejus patrocinio freti intrepide nos iſtamus coram Dei facie, quem ſcimus fore nobis propitium: & invicto ejus brachio confiſi, ſecure gloriemur contra omne hoſtium genus. Qui vero alterum munus ſeparant ab altero, Chriſtum lacerantes, fidem dimidia ſua fultura privatam labefactant. Notandum etiam quod Rex æternus vocatur Chriſtus inſtar Melchiſedec. Nam quum ejus vitæ nullum aſſignet finem Scriptura, quaſi ſuperſtitem omnibus ſeculis relinquit: certe non temporalis, ſed æterni regni figuram nobis pingit vel adumbrat in ejus perſona. Quum vero Chriſtus morte ſua munus Sacerdotis peregerit, ſequitur uno illo ſacrificio ſemel placatum eſſe Deum, ut non aliunde jam petenda ſit reconciliatio. Quare atrocem illi injuriam faciunt, ac honorem divinitus illi jurejurando datum nefando ſacrilegio eripiunt quicunque vel alia eriguntſacrificia expiandis peccatis, vel alios ſacerdotes fabricant. Atque utinam id prudenter expenſum fuiſſet à vetuſtis Eccleſiæ ſcriptoribus. Neque enim tam frigide, imo tam inſcite tranſtuliſſent ad panem & vinum ſimilitudinem Chriſti & Melchiſedec, quæ longe in aliis rebus conſiſtit. Putarunt imaginem eſſe Chriſti Melchiſedec: quia panem & vinum obtulit. Addunt enim Chriſtum corpus ſuum, qui panis eſt vivificus, & ſanguinem, qui ſpiritualis
Hebr.7:1. eſt potus, obtuliſſe. Atqui Apoſtolus dum in Epiſtola ad Hebræos exactiſſime colligit, & ſigillatim exequitur quicquid ſimile cum Chriſto habuit Melchiſedec, de pane & vino verbum non facit. Si vera eſſet Tertulliani & ſimilium argutia, nimiæ negligentiæ fuiſſet, ſingulas partes quæ levis momenti erant excutiendo, præcipuum caput ne una quidem ſyllaba dignari. De ſacerdotio autem quum tam prolixe & accurate diſputet Apoſtolus, quam craſſa eſſet iſta oblivio, inſigne ſacrificium, in quo tota vis ſacerdotii incluſa erat, non attingere? Ex benedictione & decimis honorem ejus probat: quanto illud ad rem aptius quadrabat, non agnos, aut vitulos, ſed mundi vitam (hoc eſt, Chriſti corpus & ſanguinem) in figura obtuliſſe? His rationibus abunde refellitur veterum commentum. Quanquam ex verbis Moſis ſatis luculenta refutatio ſumi poteſt. Neque enim illic legitur quicquam fuiſſe oblatum Deo, ſed uno contextu ſic habetur, Obtulit panem & vinum: & quum eſſet Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit illi. Quis non videt utrique verbo commune eſſe relativum: ideoque tam vino refectum eſſe Abram quam benedictione ornatum? Bis vero ridiculi Papiſtæ qui oblationem panis & vini ad Miſſale ſuum ſacrificium detorquent. Nam ut Melchiſedec ſibi conformem habeant, fateri neceſſe erit panem & vinum in Miſſa offerri. Ubi igitur tranſubſtantiatio, quæ præter nudas ſpecies nihil relinquit? Deinde qua audacia Chriſti corpus ſuis ſacrificiis immolandum tradunt? quo prætextu, quum unicus vocetur ſucceſſor Melchiſedec Filius Dei, innumeros illi ſubrogant? Videmus ergo quam inſulſe non modo depraverint hunc locum, ſed abſque ullo colore balbutiant.

19. *Et benedixit ei.*] Niſi inter ſe cohæreant hæc duo membra, Sacerdos erat Dei, & Benedixit, nihil hic niſi vulgare referet Moſes. Mutuo enim ſibi benedicunt homines: hoc eſt, bene precantur alii alius. Sed hic nobis deſcribitur Dei Sacerdos, qui pro jure officii minorem & ſibi ſubjectum ſanctificat. Neque enim unquam fuiſſet auſus benedicere Abram, niſi ſe hac in parte excellere præ ipſo noviſſet. In hunc modum jubentur Levitici ſacerdotes populum benedicere: atque id efficax ratumque fore Deus promittit. Sic Chriſtus in cælum aſcendens, ſublatis manibus Apoſtolos benedixit, tanquam gratiæ Dei miniſter: ac tunc exhibita fuit hujus figuræ veritas. Sibi enim teſtatus eſt injunctum fuiſſe benedicendæ Eccleſiæ à Patre munus, quod in Melchiſedec adumbratum fuerat. *Benedictus Abram Deo excelſo.* Huc tendit Melchiſedec, ut confirmet ratamque faciat divinæ vocationis gratiam ſancto Abræ. honorem enim deſignat quo Deus ipſum peculiariter ornaverat, à reliquis omnibus ſegregans, & ſibi adoptans in filium. Et Deum à quo electus fuit Abram, poſſeſſorem vocat cæli & terræ, ut diſcernat à fictitiis Gentium idolis. Poſtea quidem aliis titulis ſe veſtivit Deus, ut propiore nota ſe familiarem redderet hominibus, qui pro ſui ingenii vanitate, quum Deum audiunt cæli & terræ opificem, vagari non deſinunt donec in ſuis figmentis evaneſcant. Sed quia jam Abræ innotuerat Deus, multiſque oraculis formata erat ejus fides, ſatis habet Melchiſedec creationis elogio teſtari verum eſſe & unicum Deum quem colit Abram. Quanquam autem ipſe quoque habebat ſincerum veri Dei cultum: Abram tamen benedictum Dei vocat, æterni fœderis reſpectu: acſi diceret, quaſi hæreditario jure reſidere Dei gratiam in una familia & gente, quia unus Abram ex toto mundo ſelectus eſſet. Additur deinde ſpecialis victoriæ gratulatio, non qualis inter profanos homines volitare ſolet, dum alii alios ventoſis encomiis efferunt: ſed Melchiſedec gratias agit Deo: & victoriam quam adeptus eſt ſanctus vir, quaſi ſigillum facit gratuitæ ejus vocationis.

Num. 6. verſ. 23. *Luc. 24. verſ. 51.*

20. *Dedit ei decimas.*] Sunt qui intelligant datas fuiſſe decimas Abræ: ſed aliter Apoſtolus, qui docet in lumbis Abræ decimatum fuiſſe Levi, quum Abram præſtantiori Sacerdoti decimas obtulit. Et ſane abſurdum eſſet quod illi priores volunt: quia ſi Dei Sacerdos fuit Melchiſedec, recipere decimas oportuit potius quam dare. Nec vero dubium eſt quin Deo in perſona Melchiſedec munus obtulerit Abram, ut in talibus primitiis ſua omnia dicaret. Seipſum ergo ſponte decimavit Abram in gratiam Melchiſedec, ut honorem haberet ejus ſacerdotio. Porro quum id non perperam nec temere actum fuiſſe conſtet, merito colligit Apoſtolus in hac figura ſacerdotio Chriſti Leviticum fuiſſe ſubjectum. Aliis poſtea de cauſis decimas Levitis dari juſſit Deus ſub Lege: Abræ autem ſeculo tantum ſacra oblatio fuit gratitudinis pignus ac teſtimonium. Incertum tamen eſt, ſpoliorumne decimas, an bonorum quæ domi poſſidebat, obtulerit. Sed quia veriſimile non eſt liberalem fuiſſe de alieno, & prædæ decimam partem largitum eſſe, ex qua ne filum quidem attingere voluit: potius conjicio ſumptas fuiſſe has decimas ex propriis ejus facultatibus. Quanquam non admitto quotannis fuiſſe ſolutas, ut quibuſdam placet: potius, meo judicio, ſemel illi dicavit hoc munus,

Hebr.7:8.

ut ſummum Dei Sacerdotem agnoſceret: nec tunc potuit de manu (quod aiunt) in manum tradere: ſed ſolennis fuit nuncupatio, cujus paulo poſt ſequutus eſt effectus.

21. *Dixit rex Sodomæ.*] Quia Moſes, interpoſita obiter mentione regis Salem, contextum ſermonis ſui de rege Sodomæ abruperat, illuc nunc redit: ac docet, non tantum gratulandi cauſa regem Sodomæ veniſſe Abræ obviam, ſed ut debito præmio ipſum afficeret. Totam ergo prædam illi remittit, exceptis hominibus: acſi diceret, Magnum eſt quod homines recupero: tibi reliqua omnia cedant in beneficii præmium. Atque hoc quidem laude dignum eſt, quod ſe gratum homini præbet: modo ne ingratus eſſet Deo, cujus nec ſeveritate nec clementia redditus eſt melior. Fieri etiam poteſt ut ſervili modeſtiæ ſimulatione homo inops & bonis omnibus nudatus, captaverit Abræ favorem, ut ſaltem captivos & vacuam urbem ſibi haberet. Certe poſtea vidimus Sodomitas accepti beneficii fuiſſe immemores, dum ſuperbe & contumelioſe ſanctum Lot vexarunt. Vetus hæc ceremonia ad vim & naturam jurisjurandi exprimendam valde appoſita fuit. Manu enim ad cælum ſublata, oſtendimus nos Deum advocare teſtem: & ſimul ultorem, ſi fallimus. Levabant quidem olim manus in ſuffragiis: unde Græcis verbum χειροτονία pro decernere: ſed in jurandi ritu alia fuit ratio. Teſtati enim ſunt ſe ad Dei præſentiam confugere, & quaſi accerſere tam præſidem veritatis quam perjurii vindicem. Mirum tamen videri poteſt cur tam facile ad jurandum profiliat Abram. ſciebat enim hoc reverentiæ habendum eſſe Dei nomini, ut eo parce, & tantum pro neceſſitate utamur. Reſpondeo, duas illi fuiſſe jurandi cauſas. nam quia ſolent flexuoſi homines alios metiri ſua ulna, raro fidem habent ſimplicibus verbis. Putaſſet igitur rex Sodomæ Abram non ſerio jus ſuum remittere, niſi interpoſitum fuiſſet Dei nomen. Deinde magni interfuit vulgo omnibus patere, bellum mercenarium ab eo non fuiſſe geſtum. Satis declarant temporum omnium hiſtoriæ, etiam qui juſtas habuerunt bellandi cauſas, fuiſſe tamen incitatos privatis commodis. Atque ut acuti ſunt homines ad excogitandos prætextus, nunquam illis deſunt cauſæ, quamvis ſola eos cupiditas ſtimulet. Ergo niſi animoſe repudiaſſet Abram belli ſpolia, vulgatus ſtatim fuiſſet rumor, ſpecie recuperandi nepotis prædæ aucupio fuiſſe intentum. Quod illi non tam ſua cauſa follicite cavendum fuit, quam gloriæ Dei ſtudio, cui aliquid ſiniſtræ notæ aſperſum fuiſſet. Præterea munire ſe voluit Abram Dei nomine tanquam clypeo contra omnes avaritiæ illecebras. Variis enim modis tentare ejus animum non deſiiſſet rex Sodomæ, niſi mature blandis captationibus præciſa fuiſſet anſa.

23. *Si à filo uſque ad corrigiam.*] Eclipticam jurandi formam habent Hebræi, in qua ſubaudienda eſt pœnæ imprecatio. Alicubi plena expreſſio occurrit in Scripturis, Hoc faciat mihi Dominus, & hoc addat. Quia tamen horrendum eſt incidere in manum Dei viventis, quo major in juramentis colatur religio, abrupta iſta loquutio homines admonet ut ſecum reputent quid agant. perinde enim eſt acſi manum ſibi injicerent, ac reſiſterent in medio ſermonis curſu. Hoc quidem fixum manet, nunquam temere jurare homines quin Dei vindictam provocent in ſuum caput, eumque ſibi adverſarium conſtituant. *Ne forte dicas.* Quanquam præ ſe ferunt hæc verba elatum animum, & famæ nimis deditum: quia tamen laudatur hac in parte Abram à Spiritu, ſancta hæc fuit animi magnitudo. Verum exceptio additur quod nolit ſuam liberalitatem ſociis damnoſam eſſe, nec eos ſubjicere ſuis legibus. Nam & iſta eſt non minima pars virtutis, ſic recte agere, ut alios non cogas ad tuum exemplum, quaſi ad regulam. Spectet igitur quiſque quid ferat ſua vocatio, quid officio conveniat, ne alii aliis ſuo arbitrio præjudicent. Nimis enim imperioſa eſt iſta moroſitas, quum aliis inſtar legis præſcriptum eſſe volumus quod ſequimur ipſi tanquam rectum, & officio noſtro conſentaneum.

1 *Sam.* 14. *verſ.* 44.

CAPUT XV.

POſt hæc fuit verbum Jehovæ ad Abram in viſione, dicendo, Ne timeas Abram, ego ſcutum *ero* tibi, merces tua multa valde.

2. Et dixit Abram, Dominator Jehova, quid dabis mihi? & ego incedo orbus, & filius derelictionis domus meæ erit iſte Dammeſcenus Eliezer.

3. Et dixit Abram, Ecce, mihi non dediſti ſemen: & ecce, filius domus meæ hæres meus eſt.

4. Et ecce verbum Jehovæ ad eum, dicendo, Non erit hæres tuus iſte: ſed qui egredietur de viſceribus tuis, ipſe hæres tuus erit.

5. Et eduxit eum foras, & dixit, Suſpice nunc cælum, & numera ſtellas, ſi poteris numerare eas. Et dixit ei, Sic erit ſemen tuum.

6. Et credidit Jehovæ: & reputavit illud ei ad juſtitiam.

7. Et dixit ad eum, Ego Jehova qui eduxi te de Ur Chaldeæ, ut darem tibi terram iſtam, ut hæredites eam.

8. Et dixit, Dominator Jehova, in quo cognoſcam quod hæreditabo eam?

9. Et dixit ad eum, Tolle mihi vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem, & turturem, & pullum columbarum.

10. Et tulit ſibi omnia iſta, & diviſit ea per medium, & poſuit quamlibet *partem* diviſionis ſuæ è regione ſociæ ſuæ: ſed aves non diviſit.

11. Et deſcenderunt aves ſuper cadavera, & abigebat eas Abram.

12. Et fuit, ſole occumbente ſopor cecidit ſuper Abram: & ecce, terror tenebroſus & magnus cadens ſuper eum.

13. Et dixit ad Abram, Cognoſcendo cognoſce quod peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua: & ſervient eis, affligentque eos per quadringentos annos.

14. Sed etiam gentem cui ſervierint, ego judicabo: & poſtea egredientur cum ſubſtantia magna.

15. Et tu ingredieris ad patres tuos in pace, ſepelieris in canitie bona.

16. Et generatione quarta revertentur huc: quia nondum eſt completa iniquitas Emoræi.

17. Et

17. Et fuit, sole occumbente caligo erat, & ecce furnus fumans, & lampas ignis quæ transibat inter divisiones ipsas.

18. In die ipso pepigit Jehova cum Abram fœdus, dicendo, Semini tuo dabo terram hanc, à flumine Ægypti, usque ad flumen magnum, flumen Euphratem:

19. Cenæum & Cenizæum & Cadmonæum,

20. Et Hitthæum & Perizæum & Rephaim,

21. Et Emoræum & Chenaanæum & Girgasæum & Jebusæum:

1. *Fuit verbum Jehovæ.*] Videri posset rebus lætis & ex voto fluentibus supervacua fuisse hæc visio, præsertim quum Dominus servum suum quasi tristem ac metu afflictum, bono animo esse jubeat. Ideo quidam divinant Abram reversum à liberatione sui nepotis, aliquo incommodo fuisse affectum, cujus nulla fit à Mose mentio: sicuti Dominus suos sæpe humiliat, ne in rebus prosperis exultent: quum autem dejectus esset Abram, rursus novo oraculo fuisse erectum. Sed quia nihil tale conjicere licet ex verbis Mosis, aliam potius fuisse causam sentio. Primo, quamvis illi undique plausus darentur, non dubium est quin variæ cogitationes in ejus animum subierint. Tametsi prælio devicti fuerant Cedorlaomer, & ejus socii, eos tamen provocaverat Abram, ut possent collectis novis copiis & refectis viribus, rursus terram Chanaan aggredi. Nec ejus periculi metu vacabant terræ incolæ. Deinde, ut rara felicitas comitem fere invidiam secum trahit, multis siniſtris sermonibus obnoxius esse cœpit Abram, postquam cum victore exercitu quatuor regum congligere ausus fuerat. Siniſtra etiam suspicio oriri potuit, fore mox ut vires suas, quas expertus erat contra extraneos reges, in vicinos & hospites suos converteret. Ergo sicut honori illi fuit victoria, ita non dubium est quin formidabilem & suspectum multis reddiderit, & conflaverit multorum odia: quum sibi quisque ex illius fortitudine & felici successu periculum fingeret. Nihil igitur mirum si commotus fuerit, & anxie multa agitaverit, donec illum Deus auxilii sui fiducia de integro erexit. Potuit etiam alius esse finis oraculi: nempe ut Deus contrario vitio occurreret. Poterat enim Abram victoria elatus, suæ vocationis oblivisci, ut principatum sibi acquireret, & vitæ erraticæ, assiduæque vexationis tædio appeteret meliorem fortunam, & quietum vitæ statum. Et scimus quam proclive sit hominibus secundæ & ridentis fortunæ blanditiis inescari. Anticipat ergo Deus, & priusquam sancti viri mentem occupet illa vanitas, memoriam illi renovat spiritualis gratiæ, ut illic penitus acquiescens reliqua omnia despiciat. Quia tamen verbum hoc, Ne metuas, perinde sonat quasi Deus mœrentem vel sollicitum lenire aliquo solatio velit: probabile est eum tali confirmatione habuisse opus: quia videbat multos maligne obstrepere suæ victoriæ, & senectutem suam duris molestiis fore expositam. Quaquam fieri potest ut Deus non ideo ipsum timere vetet, quia metu sit perculsus: sed ut fortiter contemnere, ac pro nihilo ducere totum mundi favorem, & terrenas opes discat: acsi dixisset, Modo me unum habeas propitium, non est cur metuas. Me igitur uno contentus in mundo (ut hacteous cœpisti) peregrinare: ac potius è cælo pendeas quam in terra sis defixus. Quicquid sit, Deus ad se revocat servum suum, ostendens longe majora bona illi apud se reposita esse: ne in victoria subsidat. Dicit autem Moses *in visione loquutum esse Deum*: quo significat additum verbo fuisse visibile aliquod gloriæ Dei symbolum, quo major auctoritas oraculo constaret. Fuit autem hic unus ex duobus ordinariis modis, quibus se Dominus olim manifestare Prophetis suis solebat: sicuti habetur Numerorum cap. 12. vers. 6. *Ne timeas Abram.* Tametsi posterior in contextu est promissio, præcedit tamen ordine: quia ex ea pendet confirmatio, qua Deus cor Abræ à metu liberat. Hortatur Deus Abram ut tranquillo sit animo: sed ubi fundata est talis securitas, nisi dum fide apprehendimus nos curæ esse Deo, ac in ejus providentiam recumbimus? Priorem igitur locum tenet promissio, quod Deus sit clypeus Abræ, & satis ampla merces: cui annexa est, quasi appendix, exhortatio, ne metuat, tali salutis suæ præside & felicitatis auctore fretus. Ideo quo magis perspicuus sit verborum sensus, inferenda est causalis nota, Ne timeas Abram, quia ego sum clypeus tuus. Porro clypei nomine significat tutum semper fore suo præsidio Abram. Mercedem se appellans, se unum illi debere sufficere admonet. Sicuti autem illius respectu generalis fuit hæc doctrina, ut sciret victoriam non summum, neque extremum bonorum esse, quibus ipsum prosequi Deus statuerat: sic idem nobis omnibus in unius hominis persona sciamus promitti. Nam hac voce quotidie fideles suos Deus compellat, quia semel tuendos suscepit, sibi curæ fore, ut salvos conservet sub manu sua, virtuteque protegat. Quemadmodum vero clypei officium ac vicem sibi Deus tribuit ut se ad defensionem salutis nostræ opponat: ita hæc promissio instar muri ahenei merito nobis esse debet, ne in ullis periculis ultra quam oportet trepidemus. Quia autem variis & innumeris carnis cupiditatibus circumacti homines subinde fluctuant, deinde nimium addicti sunt præsentis vitæ desiderio: sequitur alterum membrum, quo Deos se unum ad omnes beatæ vitæ numeros sufficere fidelibus testatur. Merces enim tantundem valet ac hæreditas vel felicitas. Id si animis nostris probe infixum esset, in solo Deo summam ac plenam nobis esse bonorum perfectionem, facile modum statueremus pravis desideriis quæ nos misere sollicitant. Sensus autem est, nos vere demum felices esse ubi Deum habemus propitium. neque enim solum nos cumulat omni benignitatis copia, sed se nobis fruendum offert. Jam quid ultra est quod appetant homines, ubi Deo fruuntur? Sciebat David quid valeret hæc promissio, qui gloriatur sortem sibi præclaram obtigisse, quia Dominus sit sua hæreditas. *Psal. 16. vers. 6.* Cæterum quia nihil difficilius est quam frenare pravos carnis appetitus, & tam fœda est ac impia hominum ingratitudo, ut vix unquam illis Deus satisfaciat: non simpliciter mercedem se Dominus ipse vocat, sed amplam valde, qua satis superque contentos esse nos decet. Ea vero uberrima fiduciæ materia est, & solida fultura. Nam quisquis sibi persuaserit vitam suam protegi Dei manu, nec se unquam miserum fore illo propitio, & ad hunc portum in omnibus suis curis ac molestiis confugiet: optimum inveniet malis omnibus remedium. Non quod omni prorsus timore & cura vacui sint fideles, quamdiu inter discriminum & rerumnarum procellas jactantur: sed quia sedatur trepidatio in eorum animis: & quemadmodum ploris est Dei præsidium quam omnia pericula, sic timorem fiducia exuperat.

2. *Dominator Deus.*] Hebraicus textus habet אדוני יהוה. Ex qua appellatione colligitur, notam aliquam divinæ gloriæ insculptam fuisse visioni, ut Abram nihil de auctore ambigens, intrepide in hanc vocem erumperet. Nam quum mirus fallendi artifex sit Satan, ac tot præstigiis sub Dei nomine illudat: certum ac notabile discrimen constare oportuit veris ac cælestibus oraculis, quæ sanctorum Patrum fidem ac mentes fluctuare non sinerent. Ergo in visione

sione cujus fit mentio, patefacta fuit Abræ Dei majestas, quæ ad fidei ejus certitudinem sufficeret. Non quod Deus qualis est apparuerit, sed quatenus capi poterat humano sensu. Sed parum modeste se gerere videtur qui tam magnifica promissione posthabita, de orbitate conqueritur, & Deo obstrepit, quia nullum hactenus dederit semen. Quid optabilius fuit quam recipi in Dei tutelam, & ejus fruitione beatum esse? Parum igitur verecunda videtur objectio, dum Abram, quasi oblatum illud sibi incomparabile bonum parvifaciens, non acquiescit, donec sobolem habeat. Sed excusari primum potest Abræ libertas, quod curas quibus angimur, & molestias quibus gravamur, in sinum suum effundere Dominus permittit. Deinde considerandus est finis querimoniæ. neque enim simpliciter solitarium se esse docet: sed quia omnium promissionum effectus à semine pendebat, non immerito tam necessarium pignus sibi dari postulat. Nam si mundi benedictio & salus non aliunde quam ex semine speranda est, ubi præcipuum istud caput sibi deesse videt, non mirum est alia quasi evanescere, saltem non placare ejus animum, nec vota satiare. Atque hæc eadem ratio est cur Deus non modo æqui boni consulat servi sui querimoniam, sed precationem ftatim propitius exaudiat. Tribuit quidem Abræ Moses affectum, qui naturaliter omnibus insidet: sed hoc non obstat quin altius spectarit dum tantopere hæredem appetit ex se progenitum. Et certe non exciderant ejus memoria promissiones illæ, Semini tuo dabo terram hanc: item, In semine tuo benedicentur omnes gentes. quarum prior sic reliquis omnibus annexa erat, ut sublata illarum fidem labefactaret: posterior vero totum gratuitum salutis pignus in se continebat. Ideo rite Abram quæcunque promittit Deus illic, includit.

Et ego incedo orbus.] Loquutio est metaphorica. Vitam nostram similem esse stadio scimus. Abram quum provectæ jam esset ætatis, dicit se eousque progressum ut pauxillum sibi ex cursu restet. Jam, inquit, prope ad metam perventum est: confecto itaque vitæ cursu orbus moriar. Adjungit indignitatis augendæ causa, hominem alienigenum sibi hæredem fore. Neque enim dubito quin Damesec gentile sit patriæ nomen: non autem proprium matris, ut falso putarunt quidam: acsi diceret, Ne unus quidem ex consanguineis meis hæres mihi obtinget: sed homo Syrius ex Damasco. Forte enim eum Abram in Mesopotamia emerat. Simul vocat filium Mesec: de qua voce non convenit inter Grammaticos. Quidam à שקד deducunt, quod est discurrere, & vertunt œconomum, vel procuratorem: quia huc & illuc ad negotia discurrat qui amplæ domus curam sustinet. Alii à שקי, & pocillatorem vertunt: quod mihi videtur parum congruere. Diversam interpretationem magis amplector, quod vocetur filius derelictionis: quia משק interdum pro relinquere sumitur. Quanquam non intelligo sic dici, cui omnia relicturus sit Abram: sed quia non alibi residuam spem habeat. Perinde est igitur (meo judicio) acsi vocaret filium orbitatis, quia hoc desertæ & sterilis domus testimonium erat, hæreditatem ad hominem extraneum devolvi, qui locum vacuum & derelictum occupet. Postea contemptim vocat servum, aut vernam. *Filius*, inquit, *domus meæ, hæres meus erit.* Contemptim ita loquitur: acsi diceret, Misera est mea conditio, cui ne liber quidem homo succedet. Quæritur tamen quomodo & Damascenus & verna Abræ fuerit. Solutio duplex est, filium domus vocari, non qui in ea natus sit, sed tantum in ea educatus: vel ex Damasco oriundum esse, quia ex Syro patre ortus erat.

4. *Non erit hæres tuus iste.*] Hinc colligimus probatum fuisse Deo votum Abræ. Unde etiam sequitur illud alterum, non carnis affectu impulsum fuisse Abram ad hanc precationem, sed pio sanctoque benedictionis, quæ promissa erat, fruendæ desiderio. Nec tantum illi promittit Deus semen, sed ingentem populum qui numero & multitudine æquare possit stellas cæli. Qui allegorice exponunt, cœleste promitti semen quod stellis confertur, fruantur suo sensu: nos vero teneamus quod magis solidum est, stellarum conspectu adjutam fuisse Abræ fidem. Nam quo melius suos Dominus afficiat, & efficacius penetret in eorum mentes, postquam aures pulsavit verbo suo, simul etiam externis symbolis excitat oculos, ut auribus consentiant. Quare non supervacuus fuit stellarum aspectus, sed hac cogitatione ferire debuit animum Abræ Deus, Qui solo verbo tam numerosum exercitum repente produxit, quo cælum prius inane & vastum ornaret, nonne poterit vacuam domum sobole replere? Cæterum necesse non est nocturnam fingere visionem, quia tuncapparuerint stellæ quæ interdiu oculos fugiunt. nam quum huc in visione gestum fuerit, mirabile speculum habuit Abram, quod res absconditas palam monstraret. Itaque quamvis pedem non moveret, tamen extra tabernaculum per visionem educi potuit. Quæritur nunc de quo semine intelligenda sit promissio. Et certum est neque posteros Ismaëlis, neque Esau in hoc ordine censeri: quia legitimum semen à promissione censetur, quam Deus residere voluit in Isaac & Jacob. De posteris tamen Jacob eadem oritur dubitatio: quia multi qui ab eo genus traxerunt secundum carnem, quum degeneres essent atque alieni à fide Patrum, seipsos abdicarunt. Respondeo, sententiam hanc promiscue ad totum populum extendi, quem Deus sibi adoptavit. Sed quia multos fua infidelitas alienavit, veniendum est ad Christum, qui veros & genuinos filios ab adulterinis discernit. Hoc modo Abræ posteritas redigitur ad paucitatem, ut deinde magis augescat. Nam in Christo colliguntur etiam Gentes, & fide inseruntur in corpus Abrahæ, ut locum habeant inter legitimos ejus filios. Qua de re plura decimo septimo capite dicenda rursus erunt.

6. *Et credidit Domino.*] Quam uberem & reconditam doctrinam continet hic locus, nemo nostrum conjiceret, nisi facem nobis prætulisset Paulus. Sed hoc mirum est, ac prodigii simile, quod quum Spiritus Dei tantam lucem accenderit, clausis tamen oculis plerique interpretum, non secus atque in noctis tenebris, vagentur. Judæos omitto, quorum nota est cæcitas. Sed qui Paulum habebant dilucidum interpretem, tam insipide depravasse hunc locum, prodigii loco (ut dixi) habendum est. Quanquam inde apparet nullam in rem seculis omnibus Satanam magis incubuisse quam ut gratuitam fidei justificationem, quæ hic diserte asseritur, vel extingueret, vel suffocaret. Verba Mosis sunt, Credidit Domino, & reputavit illi ad justitiam. Laudatur priore loco fides Abræ, qua Dei promissionem amplexus est. Secundo additur fidei elogium, quod inde justitiam adeptus sit Abram coram Deo, idque imputatione. Nam verbum חשב quo utitur Moses, relative ad judicium Dei positum est, sicuti Psalm. 106. vers. 31. ubi dicitur zelus Phinees esse illi imputatus in justitiam. Quid tamen hoc valeat, melius ex antithesi patebit. Levit. 7. vers. 18. dicitur, expiatione facta non imputabitur homini iniquitas. Rursum 17. vers. 4. Sanguis imputabitur illi viro. Ita 2. Samuelis decimo nono, vers. 19. dicit Semei, Non imputet mihi rex iniquitatem. Cui affine est quod habetur 2 Reg. 12. vers. 15. Non imputabant viris quibus dabant pecuniam ad opus, hoc est, non exigebant rationem pecuniæ: sed illos fide sua finebant administrare. Nunc ad Mosen redeamus. Quemadmodum reos esse coram Deo intelligimus quibus imputatur iniquitas: ita quibus imputat justitiam, eos probat quasi justos. quare justi-

Rom. 4. vers. 3.

tiæ

tiæ imputatione in numerum & ordinem juſtorum receptus fuit Abram. Paulus enim ut vim ac naturam, vel qualitatem juſtitiæ hujus diſtincte oſtendat, deducit nos ad cæleſte Dei tribunal. Ideo inſulſe nugantur qui hoc ad famam probitatis trahunt, quaſi vir juſtus & rectus fuerit habitus Abram. Nec minus inſcite textum corrumpunt qui dicunt Abram tribuiſſe Deo gloriam juſtitiæ, ut ejus promiſſis tuto acquieſcere auderet, fidelem illum ac veracem agnoſceus. quamvis enim non exprimat Moſes nomen Dei, tamen uſitata loquendi ratio in Scripturis omnem ambiguitatem tollit. Denique non minoris ſtuporis quam impudentiæ eſt, quum hoc illi imputatum fuiſſe dicitur in juſtitiam, alium ſenſum comminiſci quam fidem Abræ fuiſſe pro juſtitia apud Deum. Sed abſurdum eſſe videtur, juſtificatum eſſe Abram quod æque numeroſum crediderit ſe ſemen ſuum atque ſtellas cæli. Neque enim potuit eſſe niſi particularis fides, quæ ad integram hominis juſtitiam minime ſufficit. Deinde quid terrena & temporalis promiſſio ad æternam ſalutem valuit? Reſpondeo, illud Credere cujus meminit Moſes, non ad unum membrum reſtringi, ſed complecti totam promiſſionem quæ hic refertur. deinde Abram non ex præſenti tantum oraculo æſtimaſſe promiſſum ſemen, ſed ex aliis ubi addita erat ſpecialis benedictio. Unde colligimus non vulgare nec quodlibet ſemen ſperaſſe, ſed in quo benedicendus erat mundus. Si quis pervicacius inſiſtat, coacte ad Chriſtum torqueri quod de liberis Abræ communiter dictum eſt: primum negari non poteſt Deum promiſſionem ante ſervo ſuo factam, nunc rurſus iterare, ut ejus querimoniæ reſpondeat. Diximus autem, & res ipſa clare demonſtrat, promiſſæ benedictionis intuitu compulſum fuiſſe Abram ut tantopere ſemen optaret. Unde ſequitur, banc promiſſionem non arreptam ab illo fuiſſe ſeorſum ab aliis. Verum ut hoc totum remittam, conſiderandum eſſe dico quid hic agatur, ut inde fiat de fide Abræ judicium. Deus non hoc vel illud tantum ſervo ſuo promittit, qualiter ſpecialibus interdum beneficiis citra paterni ſui amoris guſtum incredulos quoque aſpergit: ſed ſe propitium illi fore teſtatur, & præſidio gratiaque ſua frerum in ſalutis fiducia confirmat. Nam cujus Deus eſt hæreditas, is non caduco gaudio exultat, ſed quaſi jam in cælum ſublatus, ſolido æternæ vitæ gaudio fruitur. Imo hoc axioma tenendum eſt, omnes Dei promiſſiones quæ fidelibus deſtinantur, ex gratuita Dei miſericordia fluere, & teſtimonia eſſe paterni amoris, ac gratuitæ adoptionis, in qua fundata eſt eorum ſalus. Ergo non dicemus juſtificatum eſſe Abram, quia verbulum unum arripuerit de generanda ſobole, ſed quia Deum in patrem amplexus eſt. Nec ſane alia de cauſa nos juſtificat fides niſi quia nos Deo reconciliat: neque id ſuo merito, ſed dum gratiam nobis in promiſſionibus oblatam recipimus, ac certo perſuaſi nos amari à Deo tanquam filios, de æterna vita non dubitamus. Ideo Paulus à contrariis ratiocinatur, non operibus juſtificatum fuiſſe cui imputata eſt fides in juſtitiam. Nam qui juſtitiam operibus conſequitur, illius merita in rationem veniunt coram Deo. Atqui fide juſtitiam apprehendimus, dum nos ſibi gratis Deus reconciliat. Unde ſequitur ceſſare operum merita, dum ex fide juſtitia quæritur. ultro enim à Deo donari & verbo offerri neceſſe eſt, ut eam quis fide poſſideat. Hoc ut clarius intelligatur, quum dicit Moſes imputatam fuiſſe Abræ fidem pro juſtitia, non ſignificat ipſam fidem primam fuiſſe juſtitiæ cauſam, quæ efficiens dicitur, ſed formalem duntaxat. acſi dixiſſet, juſtificatum ideo fuiſſe Abram quia in paternam Dei benevolentiam recumbens, meræ ejus bonitati, non ſibi nec ſuis meritis confiſus fuerit. Nam id præcipue tenendum eſt, fidem aliunde juſtitiam mutuari qua apud nos deſtituimur: alioqui perperam opponeret Paulus operibus fidem, ubi de obtinenda juſtitia agitur. Et mutua inter promiſſionem gratuitam & fidem relatio nihil dubitationis relinquit. Jam notanda eſt temporis circumſtantia. Fide juſtificatus eſt Abram multis poſt annis ex quo à Deo vocatus, relicta patria voluntarius exul, inſigne patientiæ & continentiæ ſpeculum fuerat, poſtquam ſe totum ſanctimoniæ dediderat, poſtquam ſe aſſidue exercens in ſpirituali & externo Dei cultu fere Angelicam vitam meditatus fuerat. Sequitur ergo, uſque ad vitæ finem fidei juſtitia nos in æternum Dei regnum perduci. Qua in parte multi nimis craſſe hallucinantur. Concedunt illi quidem, juſtitiam quæ gratis peccatoribus donatur, & indignis offertur, ſola fide recipi: ſed hoc ad momentum temporis reſtringunt, ut juſtus ſit bonis operibus qui ab initio fide juſtitiam ſemel adeptus eſt. Hoc modo fides nihil aliud eſt quam initium juſtitiæ: continuo autem vitæ decurſu in operibus juſtitia conſiſtit. Atqui prorſus inſanos eſſe oportet qui ſic inepti unt. Nam ſi Angelica Abræ integritas per tot annos fideliter uno tenore culta, non obſtitit quin ad fidem confugeret petendæ juſtitiæ cauſa: ubi gentium reperietur tanta perfectio, quæ Dei conſpectum ſuſtineat? Ergo ex ratione temporis certo colligimus non eſſe juſtitiæ fidei ſubrogandam operum juſtitiam, ut quod illa inchoaverit, hæc perficiat: ſed fide juſtificari ſanctos quamdiu in mundo vivunt. Siquis objiciat, credidiſſe prius Abram Deo, quum vocantem ſequutus eſt, ſeque ejus tutelæ & cuſtodiæ permiſit: in promptu eſt ſolutio, hic non haberi ſermonem quando primum juſtificari cœperit Abram, vel Deo credere: ſed uno in loco doceri vel referri quomodo tota vita juſtificatus fuerit. Nam ſi ſtatim à prima ejus vocatione ita loquutus forer Moſes, plus coloris haberet illa quam dixi cavillatio, fidei juſtitiam initialem (ut ita loquar) tantum eſſe, non perpetuam. Nunc vero quum poſt tantos progreſſus dicitur adhuc fide juſtus eſſe, inde facile apparet gratis juſtificari ſanctos uſque ad mortem. Fateor quidem poſtquam Spiritu Dei regeniti ſunt fideles, juſtificandi modum à priori nonnihil differre. Nam qui tantum ex carne nati ſunt, eos omni bono vacuos Deus ſibi reconciliat: & quum nihil in ipſis inveniat præter horrendam malorum colluviem, imputatione juſtos habet. Quibus autem Spiritum ſanctitatis & juſtitiæ contulit, eos cum ſuis donis complectitur. Cæterum ut bona eorum opera Deo placeant, ea quoque ipſa juſtificari gratuita imputatione oportet: quia ſemper aliquid vitii ſubeſt. Manet tamen interea illud fixum, credendo non operando juſtificari coram Deo homines, dum gratiam fide obtinent, eo quod mercedem operibus mereri nequeant. Quod autem inde Paulus contendit, Abram operibus juſtitiam non eſſe promeritum, quam ante Circumciſionem amplexus eſt, cum ſuperiore doctrina non pugnat. Tale quidem eſt argumentum Pauli: Circumciſio Abræ poſterior fuit juſtitia ipſius ordine temporis: ergo cauſa eſſe non potuit. neceſſario enim effectum ſuum præcedereet. Fateor etiam Paulum hac ratione niti quod opera non niſi ex pacto Legis meritoria ſint: cujus pacti Circumciſio quaſi arrha & ſymbolum ponitur. Sed quemadmodum Paulus vim & naturam Circumciſionis non definit ex pura & genuina Dei inſtitutione, ſed potius diſputat ex eorum ſenſu quibuſcum habebat negotium: ita fœdus quod ante Deus pepigerat cum Abram non attingit, eo quod ad præſentem cauſam ſupervacua erat ejus mentio. Valet igitur utrumque, quod Abræ juſtitia pacto Legis accepta ferri nequeat, quando Circumciſionem præceſſit: deinde quod perfectiſſimi cujuſque juſtitia perpetuo in fide conſiſtat, quando Abram cum tota virtutum ſuarum præſtantia, poſt diuturnam, nec minus ſingularem Dei obſervantiam, fide tamen juſtificatus eſt. Nam hoc quoque poſtremo dignum eſt obſervatu, transferri ad omnes Dei filios

Rom. 4: 4.

quod de uno homine hic narratur. Nam quum pater fidelium non abs re vocatus fuerit, deinde non plures sint consequendæ salutis modi: jure Paulus realem, non personalem justitiam hoc loco describi docet.

7. *Ego Jehova qui.*] Quia magnopere nostra interest Deum habere totius vitæ nostræ ducem, ut sciamus non temere dubiam aliquam viam nos fuisse ingressos: ideo Dominus Abram in cursu vocationis suæ confirmat, ac in memoriam revocat primum liberationis beneficium: acsi diceret, Ego postquam manum tibi porrexi, ut ex mortis labyrintho te educerem, gratiam meam hucusque prosequutus sum. Tu igitur mihi vicissim constanter pergendo responde, & fidem tuam à principio ad finem usque constanter solida. Imo non solius Abræ respectu hoc dictum est, ut Dei promissiones à prima fidei suæ origine colligens, corpus unum efficeret: sed ut discant omnes pii vocationis suæ exordium ab ipso usque Abram communi patre fluere: atque ita cum Paulo secure jactent, scire se cui crediderint, ac Deum qui in Abræ persona sibi Ecclesiam segregavit, fidum depositæ apud se salutis fore custodem. Quod autem in hunc finem commemoret Dominus se fuisse liberatorem Abræ, inde patet, quod promissionem, quam nunc daturus est, primæ redemptioni annectit: acsi diceret, Non incipio nunc primum terram hanc tibi promittere. Nam hac de causa te ex patria eduxi, ut te ejus dominum & hæredem constituerem. Nunc igitur in eandem formam tecum paciscor, ne te fuisse deceptum, vel inanibus verbis lactatum putes: & memorem te primi pacti esse jubeo, quo meliore futura nitatur nova promissio, quam nunc multis post annis repeto.

2 *Tim.* 2. *vers.* 12.

8. *Jehova Deus in quo cognoscam.*] Absurdum esse videtur quod Abram qui simplici Dei verbo fidem prius habebat, nec quæstionem ullam movebat de promissionibus sibi datis, nunc disceptat verumne sit quod audit ex ore Dei. Deinde parum honoris tribuit Deo, qui non tantum loqueati obmurmurat, sed aliunde spoasionem sibi dari exigit. Adhæc unde fidei scientia nisi ex verbo? frustra igitur Abram, dum ab ore Dei non pendet, de futura terræ possessione certior fieri cupit. Respondeo, Dominum hoc interdum concedere filiis suis, ut libere objiciant quæ veniunt in mentem. Neque enim adeo præcise cum ipsis agit, quin patiatur se rogari: imo quo certios persuasus erat Deum esse veracem, & ejus verbo magis addictus, eo familiarius curas suas in ejus sinum exonerat. Adde quod longior mora non parum erat obstaculum. Postquam magna vitæ parte suspensum renuit Deus, nunc senio confectum & nihil quam mortem & sepulchrum ante oculos habentem, deintegro terræ dominum fore pronunciat. Neque tamen propter difficultatem respuit quod videri poterat incredibile: sed in medium profert qua anxietate intus prematur. Atque hoc fidei potius testimonium est quam incredulitatis signum, quod Deum interrogat. Impii quia diversis cogitationibus implicitos habent animos, promissiones nullo modo admittunt: pii vero qui sentiunt in carne sua impedimenta, submovent, ne viam obstruant verbo Dei: & virtus quorum sibi conscii sunt, remedium quærunt. Notandum tamen, speciales fuisse aliquos in sanctis motus, quos nunc in exemplum trahere non liceret. Neque enim quia Ezechias & Gedeon certa miracula postularunt, idem nobis hodie tentandum est: sufficiat confirmationem petere, quam Dominus ipse suo arbitrio eligendam censuerit.

9. *Tolle mihi vitulam.*] Alii pro vitula trienni vertunt triplicatam: & in unaquaque specie animalium, numerum ternarium constituunt: magis tamen recepta est eorum sententia qui de ætate accipiunt. Porro etsi Deus negare servo suo noluit quod petebat, minime tamen quod carnis voto satisfaceret, concessit. Quid enim ex juvencæ, & capræ, & arietis mactatione certitudinis accedet? Nam sacrificii ea ritus, de quo paulo post videbimus, adhuc latebat Abram. Quod ergo sine controversia mandato Dei obtemperat, cujus tamen nullus apparet profectus, inde fidei suæ obedientiam probat: nec suum votum alio spectasse quam ut obstaculo sublato, reverenter, ut par erat, acquiesceret in verbo Domini. Discamus ergo quæ Deus confirmandæ fidei nostræ offert subsidia, placide amplecti, etiamsi judicio nostro non respondeant, quia potius ludicra esse videantur: donec tandem ex effectu palam fiat enm nihil minus quam lusisse.

10. *Et divisit ea per medium.*] Neque pars hujus sacrificii caret mysterio, fabricandis argutiis multum insudant quidam interpretes: sed colenda nobis est sobrietas, ut jam aliquoties monui. Cur trium generum animalia præter aves sumere jussus fuerit, me nescire fateor: nisi ut ipsa varietate testatum fieret omnes Abræ posteros cujuscunque essent ordinis, in sacrificium offerendos esse, ut ex toto populo, & singulis partibus sacrificium unum fieret. Sunt etiam aliqua quorum rationem si quis curiose exquirat, ignorantiam meam fateri non pudebit: quia per incertas speculationes discurrere non libet. Porro hæc summa est (meo judicio) Quod occidi Deus jubet animalia, qualis futura sit Ecclesiæ conditio ostendit. Optabat certior fieri Abram de promissa terræ hæreditate: nunc initium à morte fore docetur: hoc est, sibi & suis prius esse moriendum quam ut fruantur terræ domicilio. Quod mactata animalia in partes secari jubet, credibile est hunc vetustum fuisse ritum in fœderibus pangendis: qui deinde ad Gentes quoque transiit, sive ineunda esset aliqua societas, sive exercitus lustrandi. Transibant autem per medias partes vel socii vel milites, ut sanctius in unum corpus coalescerent sacrificio simul inclusi. Judæis quidem usitatum fuisse hunc morem testatur Jerem. cap. 34. vers. 18. ubi Deum ita loquentem inducit, Violarunt fœdus meum, quum vitulum conciderint in duas partes, & transierint inter divisiones ejus tam principes Juda quam proceres Jerusalem, & totus populus terræ. Quanquam specialis hic mihi videtur fuisse ratio, quod scilicet admonuerit Dominus genus Abræ non tantum simile fore mortuo cadaveri, sed etiam lacero & dissecto. Gravior enim simplici morte fuit servitus, qua ad tempus oppressi fuerunt: quia tamen offertur Deo sacrificium, mors ipsa in novam vitam statim convertitur. Atque huc pertinet quod partes eregione opponens Abram, inter se coaptat: quia ex dissipatione rursus colligendæ erant. Quam vero difficilis sit Ecclesiæ restitutio, & quam multis molestiis referta, ostendit horror quo Abram correptus fuit. Videmus ergo res duas fuisse ostensas: duram servitutem, qua vere usque ad interitum & lacerationem premendi erant Abræ filii: deinde redemptionem, quæ insigne pignus foret divinæ adoptionis: ac in eodem speculo monstrata nobis fuit generalis conditio Ecclesiæ, sicuti proprium Dei officium est creare eam ex nihilo, & à morte excitare.

11. *Et descenderunt aves.*] Quamvis dicatum sit sacrificium Deo, non tamen ab avium incursu & violentia immune est. Neque enim fideles postquam recepti fuerint in Dei tutelam, sic tegentur ejus manu quin undique impetantur: quando Satana & mundus negotium illis facessere non desinunt. Ergo ne violetur sacrificium quod Deo semel obtulimus, sed purum illæsumque maneat, contrarii insultus non sine molestia & sudore abigendi sunt.

12. *Sopor cecidit.*] Jam visio somnio miscetur. Itaque Dominus species illas duas conjungit, quas paulo ante retuli ea duodecimo Num. cap. v. 6. ubi dicitur, Quum appareo servis meis Prophetis, in visione

visione vel somnio eos alloquor. Visionis facta fuit mentio: jam narrat Moses superadditum fuisse somnium. Accedit etiam horribilis caligo, ut cognoscat Abram non vulgare esse somnium, sed divinitus hoc totum geri. quanquam cum præsenti oraculo analogiam habet, sicuti continuo post Deus suis verbis exponit, Sciendo scias peregrinum fore semen tuum &c. Diximus alibi, Deum non fuisse solitum inanibus & nudis spectris suorum oculos ferire: sed præcipuas semper in visionibus verbi fuisse partes. Ita hic non muta species ingeritur Abræ oculis, sed annexo oraculo docetur quid sibi velit externum & visibile symbolum. Notandum vero quod antequam filio uno donatus sit Abram, semen suum diu fore captivum & servum audit. Nam ita cum suis agit Dominus: exordium semper facit à morte, ut mortuos vivificans, virtutem suam melius illustret. Hoc quidem partim Abræ causa testatum esse oportuit: sed maxime ejus posteros spectavit Dominus, ne in suis ærumnis deficerent, quarum exitum fore lætum & felicem Dominus promiserat: præsertim quum ipsa diuturnitas ingenti tædio non careret. Ac tria gradatim pronuntur: quod annis quadringentis vagari oporteat filios Abræ antequam ad ipsos perveniat promissa hæreditas: deinde quod servi futuri sint: tertio, inhumaniter ac tyrannice tractandi. Quare mira fuit & singularis Abræ fides, dum in oraculo tam tristi acquievit, ut Deum fore liberatorem statueret, postquam ad summum cumulum progressæ essent miseriæ. Quæritur tamen quomodo conveniat annorum numerus. Quidam supputationem incipiunt ex quo egressus est Charis. Sed magis probabile videtur, notari duntaxat tempus intermedium. acsi dictum foret, Patienter expectent posteri tui oportet: quia usque ad annum quadringentesimum præstare non decrevi quod nunc polliceor: imo eousque durabit ipsorum servitus. Secundum hanc rationem dicit Moses 12. Exod. cap. vers. 40. habitasse filios Israël quadringentis & triginta annis in Ægypto: quum tamen ex sexto capite colligere promptum sit, non ultra ducentos & triginta annos, vel circiter, elapsos esse, ex quo descendit illuc Jacob, usque ad liberationem. Ubi ergo reperiemus ducentos annos reliquos, nisi oraculi respectu? Cujus rei omnis dubitatio tollitur à Paulo, qui tertio ad Galat. cap. vers. 17. tantundem annorum numerat à gratuito vitæ fœdere usque ad Legem promulgatam. In summa, non significat Deus quam diuturna à principio usque ad finem futura sit populi servitus, sed quousque promissionem suam suspendere vel differre velit. Quod autem omittit annos triginta, non novum est neque infrequens, ubi anni exacte non supputantur, attingi tantum majores summas. Videmus autem hic brevitatis causa in quatuor secula distinctum fuisse totum illud tempus. Ergo in brevi spatio omisso nihil est absurdi: hoc præcipue considerandum est, quod Dominus, ut suorum patientiam exerceat, promissionem suam ultra quatuor secula suspendit.

14. *Gentem cui servierint.*] Subjicitur nunc consolatio, in qua hoc primum est, quod testatur Deus se populi sui fore vindicem. Unde sequitur illi curæ esse salutem eorum quos amplexus est, nec passurum ut impune vexentur ab improbis & sceleratis. Etsi autem diserte hic vindictam se de Ægyptiis sumpturum pronunciat, patet tamen idem judicium ad omnes Ecclesiæ hostes: sicuti etiam Moses in suo cantico ad omnes ætates & populos extendit, quod Dominus pœnam exiget de justis persequutionibus: Mihi vindicta, inquit, ego rependam. Deut. 32: 35. Ergo quoties inhumaniter tractari nos contingat à tyrannis (quod fere ordinarium est Ecclesiæ) succurrat hæc consolatio, postquam tolerantia nostra cruce satis probata fuerit, Deum, cujus arbitrio sic humiliamur, eundem fore judicem, ut hostibus nostris justum sævitiæ, quam nunc exercent, præmium rependat. Exultent nunc licet ebria lætitia, tandem patebit ipso exitu felices esse nostras miserias: infaustos vero eorum triumphos, quia Deum, qui de nobis sollicitus est, sibi adversum habent. Sed meminerimus locum esse dandum iræ Dei, quemadmodum Paulus hortatur, ne ad expetendam ultionem feramur præcipites. Spei quoque dandum esse locum, ut nos sub malorum onere gravatos ac gementes sustineat. Judicare gentem, perinde valet atque vocare ad judicium, ut Deus se judicem palam ostendat, ubi diu tacitus quieverit.

15. *Et ingredieris ad patres tuos in pace.*] Hactenus Dominus cum servo suo Abram posteros intuitus est, ut communis esset omnibus consolatio: nunc sermonem ad illum solum convertit, quia peculiari confirmatione opus habebat. Hoc autem leniendæ ejus tristitiæ remedium est, quod moriturus sit in pace postquam ad ultimum senium pervenerit. Quod exponunt quidam de morte incruenta, ubi nulla vis & manus infertur: vel de morte facili, quum sponte & naturaliter deficiunt spiritus vitales, & vita ipsa sine ullo doloris sensu maturitate sua concidit: meo judicio frigidum est. Voluit enim exprimere Moses non modo longam fore Abræ senectutem, sed placidam, cui mors læta & pacata respondeat. Sensus est igitur, Quamvis tota vita privandus sit Abram terræ possessione: non tamen illi defuturam quietis & gaudii materiam, ut vita feliciter defunctus, prospere ad patres suos concedat. Et certe mors præcipue reprobos à filiis Dei discernit, quorum in vita fors fere eadem, & similis conditio est: nisi quod ut plurimum deterius habent filii Dei. Quare singulare bonum merito censeri debet pax in morte, quæ discriminis illius, quod nuper attigit, testimonium est. Hoc etiam profani homines intenebris palpando senserunt. Citat Plato lib. 1. de Republica carmen Pindari. Quod si qui juste & sancte vitam transegerint, eos spes comitetur suavis, corda alens, & senectutem nutriens, quæ versatilem hominum mentem maxime gubernat. quia homines male conscios inter varia tormenta misere æstuare necesse est: spem bonæ conscientiæ præmium esse afferens Poëta, eam γηροτρόφον appellat, hoc est, senectutis nutricem. Nam quum juvenes procul adhuc à morte distiti, secure delicientur, senes debilitas sua fulciet, ut migrandum sibi assidue cogitent. jam nisi eos erigat spes melioris vitæ, nihil residuum est præter miseros pavores. Denique ut sibi indulgeant reprobi tota vita, & stupidi in suis vitiis dormiant, mors eorum turbulenta sit necesse est, dum fideles suas animas in manum Dei fine metu & tristitia deponunt. Unde & Bileam in hanc vocem erumpere coactus fuit, Moriatur anima mea morte justorum. *Num. 23. vers. 10.* Porro quia tam optabilem vitæ claustulam non habent homines in manu & potestate sua, Dominus servo suo Abræ placidam & quietam mortem promittens, suum beneficium esse docet. Ac videmus ut Reges ipsi, & quicunque in mundo se beatos esse somniant, in morte tumultuentur: quia & cæcis punctionibus suorum scelerum urgentur, & in morte nihil præter interitum apprehendunt. Abram vero voluntarius ac lætus ad mortem perrexit, quum in Isaac haberet certum benedictionis divinæ pignus, & sciret meliorem vitam sibi in cælis esse repositam.

16. *Nondum completa est iniquitas.*] Videtur absurda esse ratio, quæ innuit non aliter salvos fore Abræ filios, quam aliis pereuntibus. Respondeo, modeste & humiliter arcano Dei consilio cedendum esse. Quia terram illam dederat Amorrhæis, ut perpetui essent ejus incolæ, significat se nonnisi justa de causa ejus possessionem ad alios transferre: acsi diceret, Ego semini tuo hujus terræ dominium sine cujusquam injuria concedam. Terra hodie à legitimis possessо-

ſeſſoribus occupatur, quibus eam tradidi. Donec ergo ſuis ſceleribus promeriti fuerint ut jure pellantur, ad poſteros tuos non perveniet ejus dominium. Ita admoneat, vacuandam eſſe terram, ut novis incolis pateat. Atque hic locus inſignis eſt, ſic diſtribui hominibus hoſpitia in orbe terrarum, ut Dominus quietos populos in ſua quemque ſtatione conſervet, niſi dum ſe propriis ſceleribus inde exturbant. Nam locum habitationis ſuæ polluendo, terminos Dei manu fixos quodammodo revellunt, qui alioqui immobiles manerent. Cæterum Dominus ſuam tolerantiam hic commendat. Jam tunc indigni erant Amorrhæi quos terra aleret: Dominus tamen non modo eos ſuſtinet ad breve tempus, ſed quatuor ſecula ad pœnitentiam concedit. Atque hinc apparet quam non fruſtra toties in Scriptura prædicet Deum eſſe tardum eſſe ad iram. Sed quo benignius homines expectat: ſi tandem non reſipiſcunt, ſed obſtinati manent, eo ſeverius tantam ingratitudinem ulciſcitur. Ideo Paulus dicit theſaurum iræ ſibi concervare qui ſibi in peccatis indulgent, dum eos bonitas Dei & clementia ad pœnitentiam invitat. atque adeo nihil faciunt lucri in mora, ut pœnæ atrocitas duplicetur: quemadmodum contigit Amorrhæis, quos tandem penitus exſcindi jubet Dominus, ut ne infantibus quidem parcatur. Ergo quum audimus Deum è cælo tacitum expectare donec ad ſuum cumulum iniquitates conſcendant: ſciamus minime torpendi eſſe tempus, ſed potius ſe unuſquiſque ſolliciter ut cæleſte judicium antevertamus. Dictum eſt olim ab homine profano, iram Dei lento gradu ad vindictam ſui procedere, ſed gravitate ſupplicii penſare tarditatem. Quare non eſt cur eo diſſimulante ſibi placeant reprobi: quoniam ita quieſcit in cælo, ut non deſinat eſſe judex mundi, nec officii ſui in tempore obliviſcatur. Cæterum colligimus ex verbis Moſis, ſic dari reprobis ſpatium ad reſipiſcendum, ut tamen jam exitio ſuo devoti ſint. Quidam]ψ pro pœna accipiunt, acſi dictum eſſet illam nondum maturuiſſe. Sed prior expoſitio melius convenit, nullum ſceleribus finem eſſe facturos, donec ultimum excidium ſibi accerſant.

Rom. 2. verſ. 4.

17. *Ecce furnus fumans.*] Addita fuit rurſus nova viſio ad ſanciendam oraculi fidem. Prius objecta caligine perculſus fuerat Abram: nunc in medio clybani fumantis videt lampadem ardentem. Multi ſacrificium igne conſumptum fuiſſe exiſtimant: ego autem potius ſymbolum futuræ liberationis fuiſſe interpretor, quod cum re ipſa congrueret. Sunt enim duæ res in ſpeciem contrariæ, fumi obſcuritas & lampadis fulgor. Hinc Abram fore cognovit ut lux è tenebris demum emergeret. Quærenda ſemper analogia eſt ſignorum cum rebus, ut mutuo reſpondeant. Deinde quia ſymbolum per ſe examine eſt cadaver, ad verbum quod annexum eſt, ſemper debet referri. Atqui hic in verbo libertas ſemini Abræ in media ſervitute promiſſa fuit. Non potuit autem magis ad vivum depingi Eccleſiæ conditio quam dum facem ardentem ex fumo prodire fecit Deus, ne afflictionum caligo nos obrut: ſed bonam vitæ ſpem in morte foveamus: quia futurum eſt tandem ut Dominus nobis affulgeat, ſi modo in ſacrificium nos illi offeramus.

18. *In die ipſo pepigit.*] Libenter admitto quod ſuperius attigi, ſolenni ritu ſancitum fuiſſe fœdus, quum ſecta fuerunt animalia in partes. Videtur enim eſſe repetitio, in qua docet quorſum ſpectaverit ſacrificium illud cujus meminit. Ubi etiam obſervare licet quod dixi, ſemper conjungi verbum ſymbolis, ne inanibus ceremoniis ſine fructu paſcantur oculi. Juſſit Deus ſibi offerri animalia: ſed finem & uſum addita pactione ſimul monſtravit. Cæterum ſi Dominus per ſacramenta nobiſcum pacificitur, colligimus gratiæ ejus eſſe teſtimonia, & ſpiritualium bonorum quæ inde manant, teſſeras. Populos quorum terram daturus erat Deus filiis Abræ, ideo recenſet ut confirmet quod prius de numeroſa ſobole dixit. Neque enim exigua hominum manus futura erat, ſed ingens multitudo, cui Dominus habitationem tam longe lateque patentem deſtinat. Prius loquutus erat de ſolis Amorrhæis, quorum tunc forte hoſpes erat Abram: ſed nunc ampliſicandæ gratiæ ſuæ cauſa nominatim alios omnes recenſet.

CAPUT XVI.

1. PORRO Sarai uxor Abram non pepererat ei: erat autem ei ancilla Ægyptia, & nomen ejus Hagar.

2. Et dixit Sarai ad Abram, Ecce, nunc concluſit me Jehova ne parerem: ingredere nunc ad ancillam meam, ſi forte ædificer ex ea: & paruit Abram voci Sarai.

3. Et tulit Sarai uxor Abram, Hagar Ægyptiam ancillam ſuam, in fine decem annorum quibus habitavit Abram in terra Chenaan, & dedit eam Abram viro ſuo in uxorem.

4. Et ingreſſus eſt ad Hagar, & concepit: & videns quod conceperiſſet, deſpectui habuit dominam ſuam in oculis ſuis.

5. Tunc dixit Sarai ad Abram, Injuria mea ſuper te: ego dedi ancillam meam in ſinu tuo, & ubi vidit quod conceperiſſet, deſpectui ſum in oculis ejus: judicet Jehova inter me & te.

6. Et dixit Abram ad Sarai, Ecce ancilla tua in manu tua, fac ei quod bonum eſt in oculis tuis: & afflixit eam Sarai, & fugit à facie ejus.

7. Et invenit eam Angelus Jehovæ juxta fontem aquæ in deſerto, juxta fontem in via Sur.

8. Et dixit, Hagar ancilla Sarai, unde venis, & quo vadis? Et dixit, A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.

9. Et dixit ei Angelus Jehovæ, Revertere ad dominam tuam, & humilia te ſub manibus ejus.

10. Adhæc dixit ei Angelus Jehovæ, Multiplicando multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

11. Præterea dixit ei Angelus Jehovæ, Ecce, es prægnans, & paries filium, & vocabis nomen ejus Iſmaël: quia audivit Jehova afflictionem tuam.

12. Et ipſe erit ferus homo, manus ejus in omnes, & manus omnium in eum: & coram omnibus fratribus ſuis habitabit.

13. Et

13. Et vocavit nomen Jehovæ qui loquebatur sibi, Tu Deus videns me: quia dixit, Nonne etiam hic vidi post videntem me?

14. Idcirco vocavit puteum, Puteum viventis videntis me. Ecce *est* inter Cades & Bared.

15. Et peperit Hagar ipsi Abram filium: & vocavit Abram nomen filii sui quem peperit Hagar, Ismaël.

16. Abram autem erat octoginta annorum & sex annorum quando peperit Hagar Ismaël ipsi Abram.

1. *Porro Sarai uxor Abram.*] Hic novam historiam refert Moses, quod Sarai longioris moræ tædio, rationem alienam à verbo Dei apud se quæsierit, qua semen ex marito suo susciperet. Videbat se esse sterilem, & pariendi ætatem excesserat. Novo igitur remedio opus esse colligit, ut promissam benedictionem obtineat Abram. Consilium vero ducendæ secundæ uxoris non ab ipso Abram, sed à Sarai profectum esse, nominatim recitat Moses: ut sciamus sanctum virum non libidine impulsum fuisse ad has nuptias, sed quum nihil tale cogitaret, hortatu uxoris fuisse inductum. Quæritur tamen an sobolis tantum desiderio Sarai ancillam suam in locum suum substituerit. Id quidem nonnullis videtur. atqui mihi non est credibile, piam matronam earum promissionum, quæ toties marito repetitæ fuerant, non fuisse conscium. Imo id pluſquam confessum esse debet inter omnes pios, matrem populi Dei ejusdem cum marito gratiæ participem fuisse ac sociam. Non igitur naturaliter tantum (ut fieri solet) prolem appetit Sarai: sed benedictionis (quam sciebat divinitus promissam esse) potiundæ voto, conjugalem thorum sponte alteri cedit: non quod divortium faciat cum marito, sed quia marito alteram uxorem assignat, è qua liberos suscipiat. Et sane si vulgari modo prolem optasset, potius in meam venisset adoptione facere, quam dare secundæ uxori locum. Scimus enim quantus sit in mulieribus zelotypiæ ardor. Ergo promissionis intuitu juris sui oblita, nonnisi de procreandis Abræ liberis cogitat. Memorabile exemplum, ex quo non exiguus fructus ad nos redit. Sic enim laudabile fuit votum Sarai quoad finem, vel scopum in quem tendebat, ut tamen in ipso progressu non leviter peccarit, quod orbitatis impatiens à Dei verbo discessit, ut verbi effectu frueretur. Dum sterilitatem suam & senium reputat, obrepit desperatio, nisi aliunde liberos gignat Abram: in eo jam est aliquid vitii. Verum ut res esset desperata, non debuit tamen quicquam aggredi nisi Dei voluntati & legitimo naturæ ordini consentaneum. Deus ex sancto connubio propagari voluit humanum genus: Sarai connubii legem pervertit, lectum conjugalem, qui duobus dicatus erat, polluendo. Nec valet excusatio, quod concubinam uxoris loco esse voluerit: quia fixum illud manere debuerat, mulierem viro adjunctam esse, ut essent duo in carnem unam. Tametsi jam polygamia apud multos invaluerat: legem tamen illam, qua duo inter se mutuo obligantur, convellere nunquam fuit in hominum arbitrio. Nec culpa etiam vacavit Abram, quod stulto ac præpostero uxoris consilio obsequutus est. Ergo ut vitiosa fuit præcipitantia Sarai, ita reprehensione digna est Abræ facilitas. Utriusque autem claudicavit fides, non in substantia quidem, sed in medio ipso (ut loquuntur) vel agendi ratione, dum sobolem quæ à Deo speranda erat, extra legitimam Dei ordinationem quærere festinant. Unde etiam monemur quam non fruſtra Deus suos quiescere & cum silentio expectare jubeat, quoties eorum vota differt ac suspendit. Nam & qui ante tempus properant, non modo antevertunt Dei providentiam, sed Dei verbo non contenti, se projiciunt ultra metas. Verum videtur aliud spectasse Sarai, quæ non modo Abram cupit fieri patrem: sed maternum etiam jus & honorem sibi vult acquirere. Respondeo, quum sciret in semine Abræ benedicendas esse omnes gentes, mirum non esse si societate honoris noluerit privari: ne refecta à corpore benedicto, quasi putridum membrum, extranea quoque à salute promissa foret.

Non pepererat ei.] Videtur excusandi causa hoc positum. Et certe Moses significat, non ante petisse subsidium ab utero ancillæ quam ubi necessitas id facere coëgit. Et verba ejus declarant, patienter & modeste expectasse quidnam factura esset Deus usque dum spes in totum præcisa foret, quum dicit se ab illo conclusam ne amplius pariat. Quid igitur in ea culpæ reperiemus? Nempe quod debuerat hanc curam rejicere in sinum Dei, nec ejus virtutem alligare ordini naturæ, vel restringere ad suum sensum. Deinde quod ex præterito colligens quid posset futurum sit, non cogitat in manu esse Dei, vulvam quam concluserat, rursus aperire.

2. *Si forte ædificer.*] Phrasis Hebraica, pro eo quod est, fieri matrem. Quanquam filiari quidam exponunt. Et certe בן, quod est Hebræis filius, huic verbo respondet. Sed quia metaphoricæ sic vocati sunt filii, quod generis fulturæ sint, & familiam ædificent, retinenda est propria verbi significatio. Fœtum vero, quem pariet Agar, jure dominii sibi vendicat Sarai: quia sibi non pariebant ancillæ, sicuti nec corporis sui habebant potestatem. Dum autem prior maritum compellat, non modo admittit concubinam quæ instar pellicis futura erat: sed ingerit & obtrudit. Atque hinc apparet, ex quo homines sibi plus sapere permittunt quam fas est, proclivem esse inde lapsum ad tentanda illicita media. Ex zelo fidei nascitur Sarai affectus: sed quia non subjicitur Deo, ut ejus opportunitatem expectet, statim transilit ad polygamiam, quæ nihil erat aliud quam justi conjugii corruptio. Porro quum Sarai tam sancta mulier, instar flabelli, ad eandem qua ipsa fervebat impatientiam maritum sollicitet: hinc discamus quam sedulo nobis agendæ sint excubiæ, ne qua occulta fraude nos circumveniat Satan. Neque enim improbos tantum & sceleratos subornat qui ex professo fidem nostram oppugnent: sed ut incautos opprimat, clam interdum ac furtim per bonos & simplices nos aggreditur. Undique igitur cavendæ sunt ejus insidiæ, ne qua per cuniculos obrepat.

Et paruit Abram.] Vacillat quidem Abræ fides, quum à Dei verbo declinans, uxoris impulsu ad remedium quod divinitus prohibitum erat, transferri se patitur. Retinet tamen fundamentum: quia non dubitat quin tandem sensurus sit Deum veracem. Quo exemplo docemur non esse cur despondeamus animos, siquando fidem nostram concutiat Satan, modo ne labefactetur in cordibus nostris Dei veritas. Interea quum videmus Abram, qui per tot annos instar invicti athletæ fortiter luctatus fuerat, & tam ardua obstacula transcenderat, nunc momento uno tentationi succumbere: quis nostrum sibi non metuat à simili periculo? Quantumvis ergo diu & constanter in fide steterimus, quotidie rogandus est Deus ne in tentationem nos inducat.

3. *Et dedit eam Abram viro suo.*] Quale fuerit Sarai consilium exprimit Moses. neque enim domi suæ voluit erigere lupanar, nec ancillæ suæ productrix, vel mariti lena esse. Impropriè tamen vocatur uxor, quæ præter Dei Legem in alienum thorum inducitur. Quare sciamus hunc concubitum sic illicitum fuisse, ut inter fœrtationem & conjugium

jugium quaſi medius fuerit. Idem omnibus commentis accidit, quæ Dei verbo aſſuuntur. Quamlibet enim honeſto tegantur prætextu, corruptela ſubeſt, quæ à verbi puritate degenerat, eamque vitiat.

4. *Et deſpectui fuit domina ejus.*] Hic narrat Moſes mox ſequutam fuiſſe pœnam nimiæ feſtinationis. Præcipua quidem culpa penes Sarai reſidebat: quia tamen Abram nimis ſe credulum præbuerat, utrumque pro merito caſtigat Deus. Sarai, quòd grave & acerbum fuit, ſuperbe deſpicitur ab ancilla: Abram injuſtis querimoniis vexatur. ita videmus ambos ſuæ levitatis pœnas dare: & ſucceſſu deſtitui commentum, quod à Sarai excuſum, nimis cupide amplexus fuerat Abram. Interea proponitur nobis in Agar exemplum ingratitudinis, quæ inſigni beneficio & honore affecta, dominam ſuam contemptui habere incipit. Quia autem hic eſt pluſquam vulgaris morbus, aſſuefaciant ſe fideles ad tolerantiam, ſiquando illis tam iniqua merces pro beneficiis expenditur. Præſertim vero nos moveat infirmitas Sarai, quæ ancillæ contemptum ferre nequit.

5. *Injuria mea ſuper te.*] Hæc quoque pars caſtigationis fuit, quod humiliata fuit Sarai, ut ſibi ad tempus excideret, & intemperie percita adeo ſe impotenter gereret. Certe quantum in ſe fuerat, præcipitem egerat maritum: nunc proterve illi inſultat, quamvis innoxio. Nihil enim affert in quo ſit culpandus Abram. Exprobrat quod ancillam illi dederit in ſinum, ab ea ſe contemni queritur: ſed nondum Abræ animum tentavit, velitne malam cauſam juvare ſuo patrocinio. Ita vero cæcus eſt iracundiæ impetus, temere huc & illuc irruit, & ſine inquiſitione damnat qui prorſus à culpa ſunt immunes. Si qua unquam manſueti & placidi fuit ſpiritus mulier, ea virtute excelluit Sarai. Quum ergo una offenſa excuſſam illi videmus fuiſſe patientiam, eo magis quiſque noſtrum ad temperandos ſuos motus intentus ſit.

Judicet Dominus inter me & te.] Abutitur Dei nomine, ac illi propemodum excidit ejus reverentia, quæ tantopere piis commendatur. Provocat ad Dei judicium. Quid hoc aliud eſt quam exitium capiti ſuo accerſere? nam ubi ſe judicem interpoſuerit Deus, neceſſe eſt ut vindictam ab alterutro exigat. Abram nihil intulit injuriæ. Supereſt igitur, ut Deum, cujus iram ſibi vel marito temere imprecatur, ſentiat ultorem. Si de profana aliqua muliere hoc referret Moſes, poſſet quaſi uſitatum contemni. Nunc vero in perſona matris fidelium oſtendit Dominus primum quam violentus ſit iracundiæ fervor, & quorſum homines abripiat. deinde quantopere cæcutiant qui ſibi indulgent in propriis negotiis: ut diſcamus nobis ſuſpecti eſſe quoties res noſtra agitur. Aliud etiam hic notatu in primis dignum eſt, domos optime compoſitas interdum jurgiis non carere: imo hoc malum penetrare uſque ad Eccleſiam Dei. nam domum Abræ, quæ litibus turbatur, ſcimus fuiſſe vivam Eccleſiæ effigiem. Quod ad rixas domeſticas pertinet, ſcimus præcipuam partem vitæ ſocialis quam ſacravit Deus inter homines, in conjugio eſſe: & tamen interveniunt varia incommoda, quæ ſingula illud bonum velut maculis aſpergant. Ad has moleſtias devorandas ſeſe comparent fideles oportet. Ad eam rem valde proderit reputare hujus mali originem: quicquid enim moleſtiarum in conjugio ſentiunt homines, peccato imputare debent.

6. *Ecce ancilla tua.*] Apparet ex reſponſo Abræ quanta fuerit ejus humanitas & modeſtia. Non jurgatur cum uxore; & quum optimam cauſam habeat, pertinaciter tamen eam non tuetur: ſed uxorem ſibi datam ſponte remittit. Denique pacis redimendæ cauſa maritalem & paternum exuit affectum. Nam quum Agar inſeſtæ dominæ arbitrio permittit, non indulget tanquam uxori, & ſpem in utero ejus conceptam quodammodo negligit. Nec dubium eſt quin tam æquus ac placidus fuerit in ferenda uxoris intemperie, quia tota vita morigeram expertus erat. Magna tamen virtus fuit, animum ſuum in tanta indignitate frenare. Cæterum hic quæri poteſt, quomodo cura ſeminis benedicti ex ejus animo tunc evanuerit. Gravida eſt Agar: ſemen ex ea proditurum ſperat, ex quo promiſſa eſt mundo ſalus. Cur non poſthabita Sarai, ſuum illuc amorem ſtudiumque magis applicat? Verum hinc colligimus, omnes humanas cogitationes effluere, & abire in fumum ſimulatque gravior inciderit tentatio. Sumpta præter Dei mandatum uxore, rem bene & feliciter ceſſiſſe putat dum prægnantem videt, ac ſibi placet in ſtulta audacia. dum repente exoritur contentio, nihil habet conſilii, & ſpem totam abjicit, vel ſaltem obliviſcitur. Ut nobis accidere neceſſe eſt, quoties aliquid aggredimur præter Dei verbum, ut ad primum quemque trepidationis ventum mentes labaſcant: quarum una eſt hæc ſtabilitas, Deum habere auctorem. Interea fidem ſervi ſui à rubigine ſDeus repurgat: ſuum enim & uxoris figmentum miſcendo cum verbo Dei, illam quaſi ſuffocaverat. quare ut rurſus ad liquidum eluceat, reſecatur illud ſuperfluum. Hoc modo Deus pravis noſtris conſiliis ſe opponens, à ſocordia nos ad ſanam mentem revocat. Simplex data erat promiſſio, Semini tuo benedicam. Additamentum Sarai ſupervenerat, nullum fore ſemen niſi ſuppoſititium ex Agar. lutum hoc humanæ cogitationis, quo deformata promiſſio fuerat, abſtergi oportuit, ne aliter ſaperet Abraham quam ex puro Dei verbo. *Et afflixit eam Sarai.* Verbum ענה quo utitur Moſes, affligere & humiliare ſignificat. Ego poſitum eſſe interpretor pro in ordinem cogere. Cæterum difficile fuit iratæ mulieri in reprimenda ancillæ inſolentia modum tenere. Quare fieri poteſt ut acrius quam par erat, ſævierit in illam, non tam officii ſui memor quam de ulciſcenda offenſa cogitans. Quia nihil gravius exprimit Moſes, quod certum eſt ample ctor, jure ſuo uſam fuiſſe Sarai in compeſcenda ancillæ protervia. Et certe ab eventu judicium facere licet, non tam ſævitia dominæ quam propriâ contumacia impulſam fuiſſe Agar ut fugeret. Male ſibi conſcia erat: nec probabile eſt, niſi pluribus & quidem atrocibus offenſis tantopere accenſam fuiſſe Sarai. Servilis igitur ingenii mulier, & indomitæ ferociæ, fugere maluit, quam humili culpæ agnitione redire in gratiam.

7. *Et invenit eam Angelus.*] Hic docemur quam clementer agat Dominus cum ſuis, licet graves pœnas meriti ſint. Sicuti pœnam Abræ & Sarai prius mitigavit, ita nunc paterno oculo reſpicit Agar: ut totam domum ſua gratia proſequatur. Non parcit quidem illis prorſus, ne vitia eorum foveat: ſed moderatis remediis corrigit. Probabile quidem eſt, quum in deſertum Sur profecta eſt Agar, de reditu in patriam cogitaſſe. Deſerti tamen & ſolitudinis videtur facta eſſe mentio, ut ſciamus miſere afflictam extra hominum conſpectum erraſſe, dum illi Angelus occurrit. Tametſi autem viſionis formam non exprimit Moſes: non tamen dubito quin humano corpore indutus fuerit, in quo tamen fulgerent manifeſtæ cæleſtis gloriæ notæ.

8. *Hagar ancilla Sarai.*] Hoc epitheto declarat Angelus, tametſi è manibus dominæ elapſa foret, manere tamen ſervam: quia non furto, nec plagio, ſed manumiſſione pariatur libertas. Porro hæc etiam voce oſtendit Deus, ſibi probari ordinem politicum, nec ejus violationem excuſabilem eſſe. Dura tunc erat ſervitutis conditio: ac gratiæ Domino agendæ ſunt quod abolita fuerit ea barbaries: & tamen Deus è cælo pronunciavit ſibi placere ut ſervi jugum perferrent. ſicuti etiam per os Pauli non vocat ſervos ad pileum, nec dominos illorum uſu privat: ſed tantum *Epheſ. 6. verſ. 9.*

tum benigne & liberaliter jubet tractari. Colligitur etiam ex temporis circumstantia, non modo necessitate colendum esse politicum ordinem, sed propter consientiam parendum esse legitimis imperiis. Nam quamvis Agar fugitiva, non vi amplius & manu ad obsequium cogi posset, non tamen coram Deo mutata erat ejus conditio. Eodem argumento probatur, siquando servos durius premant domini: vel qui præsunt, subjectos asperius quam pro æquitate urgeant: ferendum tamen esse illorum rigorem, nec justam excutiendi jugi esse causam, licet nimis imperiose potestatem suam exerceant. In summa, quoties in mentem venit aliquem fraudare suo jure, aut nos vocatione justa eximere, auribus nostris insonet vox Angeli, acsi Deus injecta manu nos retraheret. Reddent olim rationem Deo, qui superbe vel tyrannice dominati fuerint: subjectis interea eorum ferenda est asperitas, donec succurrat Deus, cujus proprium est erigere abjectos, & oppressos levare. Si fiat comparatio, jus magistratuum longe tolerabilius est quam fuerit dominium illud vetus. Patria vero potestas naturaliter amabilis est, ac favore digna. Si cohibita fuit Dei justu fuga Agar, multo minus vel populi feret lasciviam qui in suum Principem proterviet, vel filiorum contumaciam qui se parentum obsequio subduxerint.

Unde venis.] Non inquirit quasi de re dubia: sed ut nullum subterfugiis locum esse Agar noverit, præcise objurgat ejus fugam. acsi dixisset, Deserta statione tua nihil vagando proficies: quia manum Dei tandem non effugies, quæ illic te colloca verat. Fieri etiam potest ut discessum exprobret ab ea domo quæ terrenum Dei tunc sacrarium erat. Neque enim ignara erat Deum illic peculiari modo coli. Quamvis autem crudelitatis dominam suam oblique insimulet, dicens se fugere ab ejus conspectu: Angelus tamen, ut subterfugiis omnibus viam obstruat, jubet reverti & se humiliare. Quibus verbis primum significat, nimis austero vel impotenti eorum qui præsunt dominio non solvi subjectionis vinculum: deinde in ipsam Agar mali culpam retorquet, quod se contumaciter dominæ opposuerat, & suæ conditionis immemor, insolentius & ferocius quam decebat ancillam, se extulerat. In summa, quum merito ob sua delicta plectatur, jubet remedium ab eorum correctione petere. Et certe quum nihil melius fit quam obsequiis & tolerantia, eorum placare duritiem quibus in nos est potestas: ubi nostra superbia sunt offensi, tunc præsertim danda est opera ut ad mansuetudinem humilitate flectantur.

10. *Multiplicando multiplicabo.*] Ut mitiget offensionem, & quod in præcepto grave erat solatio aliquo levet, benedictionem promittit in fœtu quem gestat. Poterat quidem jure suo Deus præcise injungere quod justum erat: sed quo libentius faciat Agar quod officii sui esse agnoscit, quasi blanditiis eam allicit ad parendum. Atque huc spectant promissiones quibus nos ad voluntarium obsequium invitat. Neque enim serviliter vult nos trahere, ut coacti præstemus quod nobis mandatum est: ideo blandas & paternas invitationes miscet, & liberaliter non secus ac cum filiis nobiscum agit. Quod Angelus factorum se promittit quod unius Dei proprium erat, in eo nihil est absurdi: satis enim usitatum est, Deum inducere personam suam ministris quos mittit, quo major constet verbo ejus auctoritas. Quanquam non improbo quod plerisque veterum placuit, Christum Mediatorem semper omnibus oraculis præfuisse: & hanc esse causam cur Dei majestas Angelis tribuatur. Qua de re aliquid jam supra attigi, & opportunius plura alibi dicentur.

11. *Et paries filium.*] Exponit Angelus quod breviter de semine dixerat, quod numerari præ multitudine non posset: ne initium facit ab Ismaële, qui caput & origo futurus erat. Tametsi autem postea videbimus fuisse reprobum: tamen honorifico nomine ipsum dignaturjut temporale beneficium ornet cujus particeps fuit Ismaël, quia filius erat Abræ. Sic enim interpretor, quod Deus monumentum exstare ad posteros voluerit paternæ benevolentiæ qua complexus est totam Abræ domum. Quamvis enim ad Ismaëlem non spectaret vitæ æternæ fœdus: ne tamen prorsus expers gratiæ foret, patrem magni & famosi populi Deus ipsum constituit. Atque ita videmus ut præsentis vitæ intuitu se extenderit ejus bonitas ad carnale Abræ semen. Quod si nomen Ismaël æternum temporalis sui beneficii memoriale esse voluit, minime ferenda erit nostra ingratitudo, nisi cælestes ejus æternasque gratias usque ad mortem celebremus.

Audivit Jehova afflictionem tuam.] Non legimus Agar in suis angustiis confugisse ad preces: atque hoc conjicere potius licet ex verbis Mosis, quum obstupefeceret in suis miseriis, sponte venisse Angelum. Notandum igitur est duobus modis respici homines à Deo ut juventur: vel quum supplices ejus fidem & auxilium implorant, vel quum eorum malis succurrit, etiam non rogatus. Ac proprie quidem eos exaudire dicitur, qui eum liberatorem precibus invocant. Interdum tamen quum muti jacent homines, nec vota sua præ stupore ad eum dirigunt, exaudire dicitur eorum miseries. Hoc posterius in Agar fuisse impletum, probabile est: quia per desertum erranti Deus sponte occurrit. Cæterum quia Deus ut plurimum auxilio suo destituit incredulos donec lentis malis confecti tabescant, vel eos statim absorberi patitur: nemo nostrum ignaviæ suæ indulgeat, sed malorum sensu admoniti, protinus ipsum quæramus. Interim tamen hoc ad fidei confirmationem non parum valet, preces nostras minime spretum iri à Domino, qui socordes & stupidos auxilio suo prævenit: & qui adest non quærentibus eum, multo magis piis suorum votis propitium fore.

12. *Ipse erit ferus.*] Declarat Angelus qualis sit futurus Ismaël. Simplex autem (meo judicio) sensus est, fore hominem bellicosum, & hostibus formidabilem, ut eum nemo impune lacessat. Vocem פרא, quidam sylvestrem exponunt, & venandis feris addictum. Atqui non aliunde petenda videtur expositio quam ex contextu: sequitur enim continuo post, *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* Quæritur tamen an censeri inter Dei beneficia hoc debeat, manu armata vitæ suæ statum tueri: quum pace nihil magis sit expetendum. Nodus ita solvi potest, quod Ismaël, licet eum hostiliter oppugnent omnes vicini, & undique ad eum perdendum conspirent: unus tamen satis magna virtute ad repellendos omnium impetus præditus erit. Cæterum existimo Angelum minime plenam gratiam, sed medium aliquid Ismaëli promittere. In primis optandum est ut pacem habeamus cum omnibus. Quia hoc Ismaëli negatur, quod secundum est ordine, illi datur, ne hostibus succumbat, sed fortis sit, & robustus ad vim eorum propulsandam. Non loquitur autem de hominis persona, sed de tota progenie: neque enim quod sequitur, in unum hominem aptè quadraret. Si hæc expositio placeat, non simplex nec mera benedictio hic promittitur: sed tolerabilis status vel mediocris, ut sentiat Ismaël cum posteris sibi in gratiam patris Abræ divinitus aliquid concedi. Itaque minime in Dei beneficiis reputandum est, omnes habere infestos, & violenter omnibus resistere: sed hoc tanquam remedium & levamen mali additur, sustinendis hostibus parem fore, qui multos habebit adversarios.

Habitabit è regione fratr.] Quum hoc nonnisi in populum propriè competat, inde melius perspicimus eos falli qui locum restringunt ad Ismaëlis personam. Porro alii intelligunt posteris Ismaëlis fixam habitationem fore coram invitis fratribus: acsi dice-

ret, violenter occupaturos terram quam inhabitent, licet obſtare conentur fratres. Alii contrariam ſententiam afferunt, Iſmaëlitis in magna hoſtium copia non defore tamen amicos, & fratres. Ego vero neutram ſententiam probo: potius enim ſignificat Angelus, populum hunc à reliquis ſeparatum fore: acſi diceret, Non erit pars vel membrum unius gentis, ſed totum corpus efficiet ut habeat diſtinctum & ſpeciale nomen.

13. *Vocavit nomen Jehovæ.*] Non dubito quin ſignificet Moſes, Agar, poſtquam admonita fuit ab Angelo, mutaſſe animum: atque ita ſubactam, ſe vertiſſe ad preces. niſi forte hic linguæ potius confeſſio quam mutatio animi notatur. Ego tamen huc magis inclino, quod Agar prius fero & indocili ingenio prædita, Dei providentiam nunc agnoſcere demum incipiat. Cæterum quod quidam Deum viſionis vocari putant, qui apparet ac ſe patefacit hominibus, coactum eſt. Potius Agar, quum prius ſibi viſa eſſet fortuito raptari per deſertum, nunc ſentit ac fatetur divinitus gubernari res humanas. Quiſquis autem ſe reſpici à Deo perſuaſus eſt, neceſſe eſt ut ambulet quaſi ſub ejus oculis. *Nonne etiam hic vidi poſt videntem me?* Quidam vertunt, Annon vidi poſt viſionem meam? Verum ſic legitur ut reddidi. Porro ſententiæ obſcuritas nobis varias expoſitiones peperit. Nonnulli ea Hebræis dicunt miratam fuiſſe Agar viſo Angelo: quia nuſquam Deum conſpici putabat niſi in domo Abræ. Sed hoc frigidum eſt: & Judæos ita ſæpe ineptire cogit ſua ambitio, dum in jactanda gloria generis ſui omne ſtudium ponunt. Alii ſic accipiunt, An ego vidi poſt viſionem meam: hoc eſt, adeo tarde ac videndo cæcutirem? Secundum eos duplex fuit viſio Agar: prior erronea, quum in Angelo nihil cæleſte apprehenderet: altera autem vera, poſtquam tacta eſt divinitatis ſenſu. Quibuſdam videtur ſubaudienda eſſe negativa reſponſio, acſi diceret, Non vidi illum abeuntem: ut ex ſubita diſparitione colligat Agar fuiſſe Dei Angelum. In ſecundo etiam membro diſſentiunt interpretes. Hieronymus vertit, Poſteriora videntis me: quod multi ad obſcuram viſionem referunt, ut ſit metaphorica loquutio. Quemadmodum enim non perſpicue agnoſcimus homines à tergo: ita dicuntur videre tergum Dei, quibus non palam neque ad liquidum ſe manifeſtat. atque hæc opinio communiter recepta eſt. Alii diverſa figura Moſen uſum eſſe exiſtimant: dorſum enim Dei pro ſenſu iræ ejus accipiunt: ſicuti lucere nobis dicitur ejus facies, dum ſe propitium ac faventem oſtendit. Ita ſecundum eos ſenſus eſt, Putavi me elapſam eſſe, ne amplius Dei ferulis vel caſtigationi obnoxia eſſem: ſed hic quoque mihi infenſum eſſe ſentio. Hactenus breviter retuli quid alii trudant. Quanquam autem ſingulis expoſitionibus refutandis inſiſtere conſilium non eſt: libere tamen dico neminem horum interpretum Moſis mentem aſſequutum eſſe. Libenter quidem recipio quod aſſerunt quidam, Agar mirari Dei bonitatem, à quo fuerit etiam in deſerto reſpecta: ſed illud neque nihil eſt, neque totum. Primum ſe objurgat Agar, quod quum prius nimis cæcutiviſſet, nunc quoque nimis tarde & ſegniter oculos ad Deum cernendum aperuerit. Suum enim torporem à circumſtantia loci & temporis amplificat. Sæpius multis documentis experta erat ſe reſpici à Domino: cæcutiem tamen contemſerat ejus providentiam, acſi clauſis oculis illum ſibi coram oblatum præteriret. Nunc ſe accuſat quod non citius experrecta ſit, ſimulatque apparuit Angelus. Loci etiam notatio multum momenti habet, quod Deus qui ſe illi adeſſe ſemper teſtatus fuerat in domo Abræ, nunc fugitivam proſequutus ſit uſque in deſertum. Illa certe jam nimis craſſa fuerat ingratitudo, cæcutire ad præſentiam Dei: & quum ſe ab eo reſpici agnoſceret, non vicissim ad ejus intuitum oculos tollere. Sed hæc turpior adhuc cæcitas, quum vaga & exul juſtus ſuæ pervicaciæ pœnas daret, reſpici à Domino, nec præſentem etiam tunc agnoſcere. Nunc videmus quorſum tendat objurgatio, Antehac Deum non quæſivi, nec ad eum reſpexi niſi coacta, quum prior ſuo me intuitu dignatus eſſet: nunc etiam in deſerto, ubi malis afflicta, ſaltem aſpergefieri debueram, meo more obſtupui: neque in cælum unquam ſuſtuliſſem oculos, niſi prius fuiſſem à Domino reſpecta.

14. *Idcirco vocavit.*] Ego eorum ſententiæ ſubſcribo, qui verbum קָרָא indefinite accipiunt: quod ſatis tritum eſt linguæ Hebraicæ. Quo ſenſus clarior ſit, poteſt in paſſivum reſolvi, quod vocatus ſit puteus. Hanc tamen vulgarem appellationem ab Agar profectam fuiſſe arbitror, quæ una ſimplici confeſſione non contenta, teſtatam in futurum tempus eſſe voluerit Dei gratiam: ideòque ejus teſtimonium quaſi per manus tradiderit. Hinc colligimus quam utile ſit plagis domari quicunquè non ſua ſponte humiliantur. Agar quæ ſemper ferox & rebellis fuerat, tunc vero prorſus excuſſerat jugum, nunc alia prorſus apparet, poſtquam malis fracta fuit cordis ejus duritiès. Quanquam non ſolis plagis in ordinem fuit coacta: ſed acceſſit etiam cæleſtis viſio quæ eam penitus corrigeret. Atque idem nobis neceſſarium eſt, nempe ut Deus nos manu ſua caſtigans, Spiritu etiam ſuo ad manſuetudinem ſubmittat. Quidam ex Hebræis nomen ab Iſmaële vivo, & Deo vivente impoſitum fuiſſe dicunt: quaſi duplicis eſſet gratiæ teſtimonium, quod Iſmaël à morte revixerit, & Deus reſpexerit Agar ejus matrem. Sed illi perperam mutilant quæ conjuncta ſunt: teſtari enim voluit Agar ſe à Deo vivo vel auctore vitæ fuiſſe reſpectam.

15. *Et vocavit Abram.*] Juſſa quidem fuerat Agar nomen illud dare filio: ſed Moſes naturæ ordinem ſequitur, quia patres nominis impoſitione, quam habent in filios poteſtatem teſtantur. Colligere autem promptum eſt, Agar, ubi domum reverſa eſt, quæ acciderant retuliſſe. Ergo Abram Deo ſe morigerum & gratum oſtendit: quia & filium nominat ex Angeli mandato, & Dei bonitatem in exaudienda miſeria Agar celebrat.

CAPUT XVII.

ET fuit Abram nonaginta & novem annorum: & viſus eſt Jehova Abram, dixitque ad eum, Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus.

2. Et ponam pactum meum inter me & te, & multiplicabo te vehementiſſime.

3. Tunc proſtravit ſe Abram ſuper faciem ſuam, & loquutus eſt cum eo Deus, dicendo,

4. Ego, ecce pactum meum tecum, & eris in patrem multitudinis gentium.

5. Et non vocabitur ultra nomen tuum Abram: ſed erit nomen tuum Abraham: quia patrem multitudinis gentium poſui te.

6. Et multiplicabo te valde, & ponam te in gentes, & reges ex te egredientur.

7. Et ſtatuam fœdus meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationes ſuas, in fœdus perpetuum, ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.

8. Dabo-

8. Daboque tibi & ſemini tuo poſt te terram peregrinationum tuarum, omnem terram Chenaan in poſſeſſionem perpetuam, & ero eis in Deum.

9. Præterea dixit Deus ad Abraham, Et tu pactum meum cuſtodies, tu & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.

10. Hoc pactum meum quod cuſtodietis inter me & vos, & inter ſemen tuum poſt te, ut circumcidatur in vobis omnis maſculus.

11. Et circumcidetis carnem præputii veſtri: & erit in ſignum fœderis inter me & vos.

12. Et filius octo dierum circumcidetur in vobis: omnis maſculus in generationes veſtras, verna, & emptus argento ab omni filio alienigenæ qui non eſt de ſemine tuo.

13. Circumcidendo circumcidetur verna tuus, & emptus argento tuo: & erit pactum meum in carne veſtra in pactum perpetuum.

14. Et præputiatus maſculus cui non circumciſa fuerit caro præputii ſui, exterminabitur anima ipſa de populis ſuis, quia pactum meum irritum fecit.

15. Et dixit Deus ad Abraham, Sarai uxoris tuæ non vocabis nomen Sarai, ſed Sarah eſt nomen ejus.

16. Et benedicam ei, atque etiam dabo ex ea tibi filium, cui benedicam, & erit in gentes: reges populorum ex ea erunt.

17. Et proſtravit ſe Abraham in faciem ſuam, & riſit, dixitque in corde ſuo, Numquid viro centum annorum naſcetur proles? & an Sarah mulier nonaginta annorum pariet?

18. Et dixit Abraham ad Deum, Utinam Iſmaël vivat coram te.

19. Et dixit Deus, Vere Sarah uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Iſaac: & ſtatuam pactum meum cum eo in pactum perpetuum, & cum ſemine ejus poſt eum.

20. Et pro Iſmaël audivi te: ecce, benedixi ei, & creſcere faciam eum, & multiplicare faciam eum ſupra modum: duodecim Principes generabit, & ponam eum in gentem magnam.

21. Et pactum meum ſtatuam cum Iſaac, quem pariet tibi Sarah in tempore hoc, anno altero.

22. Et finivit loqui cum eo, & aſcendit Deus ab Abraham.

23. Tunc Abraham tulit Iſmaël filium ſuum, & omnes vernas domus ſuæ, & omnem acquiſitum argento ſuo: omnis maſculi in viris domus ſuæ circumcidit carnem præputii eorum in ipſomet die, ſicut loquutus fuerat cum eo Deus.

24. Abraham autem erat vir nonaginta & novem annorum quando circumciſa fuit caro præputii ipſius.

25. Et Iſmaël filius ejus erat tredecim annorum quando circumciſus eſt ipſe in carne præputii ſui.

26. In ipſomet die circumciſus eſt Abraham & Iſmaël filius ejus.

27. Et omnes viri domus ejus, verna domus, & emptus argento à filio alienigenæ, circumciſi ſunt cum ipſo.

1. *Nonaginta & novem annorum.*] Moſes annos tredecim vitæ Abram tranſilit: non quod interea nihil acciderit memoratu dignum, ſed quia Spiritus Dei ſuo arbitrio delegit quæ cognitu maxime neceſſaria erant. Conſulto autem deſignat quantum temporis effluxerit ex quo natus eſt Iſmaël uſquedum promiſſus fuit Iſaac: ut ſciamus ipſum diu acquieviſſe in eo filio qui tandem abdicandus erat, & quaſi inani ſpecie delufum. Interea videmus ut eum Dominus circumduxerit. Et fieri poteſt ut ipſe ſua culpa moram attulerit promiſſioni, dum properavit ad ſecundas nuptias: quia tamen nihil tale ea primitur à Moſe, in medio relinquo. Sufficiat ſumere quæ certa ſunt: nempe quod Abram unico filio contentus, ſemen aliud appetere deſierit. Orbitas prius ipſum ad preces aſſiduas & gemitus ſtimulabat: ſic enim animo ejus infixa erat Dei promiſſio, ut ardenter ferretur in ejus complementum. Nunc ſe voti compotem falſo exiſtimans, objectu carnalis filii ab expetendo ſpirituali ſemine abducitur. Rurſum mira in eo Dei bonitas ſe exerit, dum in ſpem novam præter opinionem & votum ipſe Abram erigitur, ſibique datum eſſe repente audit quod petere nunquam in mentem veniſſet. Si quotidie precibus flagitaſſet, non tam aperte nobis conſtaret gratuito Dei dono fuiſſe illi conceſſum, quam dum offertur non cogitanti nec petenti. Priuſquam tamen ad Iſaac veniamus, ordinem & contextum verborum notare operæpretium eſt. Primum dicit Moſes Dominum illi apparuiſſe: ut ſciamus non arcana tantum revelatione delatum fuiſſe oraculum, ſed viſionem ſimul additam. Cæterum non muta fuit viſio, ſed annexum habuit verbum, unde proficeret Abræ fides. Jam verbum ſummatim hoc continet, quod Deus fœdus paciſcitur cum Abram: deinde quale ſit fœdus ipſum declarat, & tandem obſignat addita teſſera, *Ego ſum Deus omnipotens.* Pro Deo hic habetur Hebraicum nomen El, quod à potentia deductum eſt. Eodem pertinet epitheton שדי, acſi pronunciaret Deus, ſe ad protegendum Abram ſatis habere virtutis: quia nunquam aliter conſiſtit fides noſtra quam dum certo perſuaſi unicum Dei præſidium nobis ſufficere, quicquid ſaluti noſtræ in mundo adverſum eſt, ſecure deſpicimus. Non jactat ergo Deus potentiam ſuam, quæ penes ipſum ſuppreſſa lateat, ſed quam explicat erga filios ſuos, ut inde materiam fiduciæ concipiat Abram. Ita in his verbis incluſa eſt promiſſio. *Ambula coram me.* Quid hæc loquutio valeat, alibi diximus. In fœdere pangendo ſtipulatur Deus à ſervo ſuo obedientiam. Sed non fruſtra præfatus eſt Deus ſe fortem eſſe Deum, & inſtructum virtute ad ſuos juvandos: quia revocari ab aliis omnibus oportuit Abram ut totum ſe uni Deo addiceret. Nemo enim unquam ad Deum ſe colliget, niſi qui creaturis in ordinem coactis, illum unum ſuſpiciet. Dei vero potentia ubi ſemel agnita fuerit, ſic nos in ejus admirationem rapere debet, & ejus reverentia occupare mentes noſtras, ut nihil ab eo colendo nos impediat. Porro quia Dei oculi fidem & veritatem cordis reſpiciunt, jubetur Abram integri-

tati operam dare. Nam hominem perfectionum Hebræi nominant, qui animo est non fucato nec duplici, sed sincere rectitudinem colit. In summa, integritas cujus hic fit mentio, hypocrisi opponitur. Et sane ubi cum Deo negotium est, non restat simulationi locus. Jam vero discimus ex his verbis in quem finem Deus Ecclesiam sibi colligat, nempe ut sancti sint quos vocavit. Fundamentum quidem vocationis divinæ gratuita est promissio: sed hoc continuo post sequitur, ut Dei justitiæ se consecrent quos ipse sibi deligit in populum peculiarem. Nam hac lege filios sibi adoptat ut vicissim patris obtineat locum & honorem. Sicut autem ipse non mentitur, ita jure mutuam fidem à suis exigit. Quare sciamus fidelibus Deum ideo patefieri, ut sub ejus conspectu vivant: & illum sibi non operum modo, sed cogitationum arbitrum statuant. Unde etiam colligimus, non aliam esse pie rectèque vivendi normam, nisi quum pendemus à Deo.

2. *Ponam fœdus meum.*] Nunc plenius & uberius exponere incipit quod breviter attigerat. Diximus bimembre fuisse Dei fœdus cum Abram. Prius membrum erat gratuiti amoris testimonium, cui annexa erat beatæ vitæ promissio. Alterum vero, exhortatio ad sincerum colendæ justitiæ studium. Quia Deus uno tantum verbo levem gratiæ suæ gustum dederat, & mox ad vocationis finem descenderat, ut Abram esset integer: quo libentius mentem vitamque formare studeat tam ad reverentiam Dei, quam ad integritatem colendam, subjicitur uberior gratiæ declaratio. acsi dixisset Deus, Vide quam benigne tibi indulgeam: non enim pso imperio simpliciter, quod jure meo licebat, integritatem abs te postulo: sed quum nihil tibi debeam, gratis descendo ad mutuum fœdus. Cæterum non loquitur quasi de re nova: sed fœderis quod ante pepigerat, memoriam renovans, melius confirmat ac fancit ejus certitudinem. Non enim solet proferre Deus nova oracula quæ prioribus fidem abrogent, vel obscurent eorum lucem, vel efficaciam enervent: sed continuat quasi perpetuo tenore quas semel dedit promissiones. Quare non aliud voluit his verbis, quam stabile ratumque fore illud fœdus de quo prius audierat Abram: nominatim vero caput illud commemorat de multiplicando semine, quod deinde sæpius repetet.

3. *Et prostravit se Abram.*] Scimus hunc veterem fuisse adorandi ritum. Porro testatur Abram se Deum agnoscere, ad cujus conspectum silere omnis caro fequæ humiliare debet: deinde quicquid dicturus est Deus, se reverenter suscipere, & studiose amplecti. Quod si hæc fidei confessio fuit, tenendum est, fidem quæ recumbit in Dei gratiam, non posse à pura conscientia disjungi. Deus suam gratiam Abræ offerens, sincerum juste sancteque vivendi affectum ab eo requirit: Abram se prosternens, obedienter se utrumque recipere declarat. Meminerimus ergo, uno & eodem fidei complexu gratuitam adoptionem, in qua salus nostra posita est, cum vitæ novitate jungendam esse. Etsi autem nullum verbum profatur Abram, clarius tamen tacendo loquitur, quam si magna & sonora voce clamaret solidum se obsequium præstare Dei verbo.

4. *Ego, ecce pactum meum.*] Qui transferunt, Ecce, ego ferio tecum fœdus: vel, Ecce ego & fœdus meum tecum: mihi non videntur fideliter sensum Mosis reddere. Primo enim Deus se esse pronunciat qui loquitur, ut certa verbis suis conflet auctoritas. Nam quia non alibi quam in æterna ejus veritate fundari potest fides nostra: id nobis ante omnia testatum esse oportet, ex sacro ejus ore profectum esse quod nobis proponitur. Ideo pronomen Ego, vice præfationis seorsum legendum est: ut quieto animo sit Abram, & exempta dubitatione oblatum fœdus suscipiat. Unde colligitur utilis doctrina, fidem necessario ad Deum referri: quia ut nobiscum loquantur omnes Angeli & homines, nunquam tanta constabit illis auctoritas quæ animas nostras stabiliat. Nec fieri potest quin subinde vacillemus, donec personæ vox ista è cælo, Ego sum. Unde etiam apparet qualis sit religio Papatus, ubi pro Dei verbo tantum jactantur hominum commenta. Merito autem continuæ fluctuationi obnoxii sunt quicunque ex hominum ore pendentes, non sine Dei injuria plus illis arrogant quam fas erat. Nobis vero non aliud fit credendi principium quam ipsum Ego, non à quolibet, sed solius Dei ore prolatum. Quod si contra se ingerant hominum myriades, ac superciliose clamitent, Nos, nos: sufficiat una ista vox Dei ad inanem pluralis numeri sonitum dissipandum. *Eris in patrem multitudinis gentium.* Quæritur quænam sit ista gentium multitudo. Satis constat populos diversos originem duxisse à sancto Patriarcha: nam Ismaël in magnum populum excrevit: Idumæi ex altera parte, longe lateque diffusi sunt: ex aliis etiam filiis quos ex Cetura suscepit, fluxerunt amplæ familiæ. Sed longius respexit Moses, quod scilicet fide inserendæ essent Gentes in genus Abræ, licet ab eo non progenitæ secundum carnem: cujus rei Paulus nobis fidus est interpres ac testis. Neque enim Arabes & Idumæos, aliosque colligit qui Abram efficiant plurium gentium patrem: sed ad totum mundum extendit nomen patris, ut undique in unam Abræ familiam coalescant Gentes alioqui extraneæ, & inter se dissitæ. Fateor quidem duodecim Tribus ad tempus fuisse quasi totidem populos: sed tantum ut præludium esset immensæ ejus multitudinis quæ tandem aggregata est in genus Abræ. Quod autem Moses filios intelligat, qui fide regeniti, in nomen & genus Abræ transeunt, hac una ratione satis probatur. Neque enim carnale Abræ genus in diversos populos secari potuit, quin statim censeri inciperent alieni quicunque ab unitate discesserant. Ita Ismælitas, Idumæos, & reliquos evomuit Ecclesia, ut pro exteris reputarentur. Non ergo Abram multarum gentium pater ideo vocatus est, quod separandum esset ejus semen in diversas gentes: sed potius quod gentium varietas colligenda ad ipsum foret. Mutatio etiam nominis, tesseræ vice additur. Abraham enim vocari incipit, ut nomen ipsum admoneat non fore unius familiæ patrem: sed orituram illi progeniem ex immensa multitudine præter communem naturæ modum. Ideo toties Dominus hanc promissionem inculcat: ipsa enim repetitio nihil vulgare promitti admonet.

7. *Et inter semen tuum post te.*] Non dubium est quin discernat Dominus Abrahæ genus à reliquo mundo. Nunc videndum quem populum designet. Falluntur autem qui putant solos hic electos notari, & sine discrimine comprehendi omnes fideles, ex quocunque secundum carnem populo descendant. Reclamat enim Scriptura, peculiariter à Deo susceptum fuisse Abrahæ genus ab eo progenitum. Et clara est Pauli doctrina de naturalibus Abrahæ filiis, quod sint sancti rami, quia ex sancta radice prodierint. Ac ne quis ad umbras Legis id restringat, vel allegoria eludat, alibi diserte tradit Christum venisse, ut Circumcisionis esset minister. Quare nihil certius est quam Deum fœdus suum pacisci cum filiis Abrahæ, qui naturaliter ex eo gignendi erant. Si quis objiciat, hoc minime cum proxima sententia congruere, ubi diximus legitimos coram Deo reputari Abrahæ filios, qui per hidem insiti in ejus corpus domum unam efficiunt: facilis est conciliatio, modo certos ponamus ac distinctos adoptionis gradus, quos ex variis Scripturæ locis colligere licet. Initio, ante fœdus istud, par & eadem erat totius mundi conditio. Simul vero ac dictum fuit, Ero Deus tuus & seminis tui post te, non secus à reliquis gentibus divisa est Ecclesia atque in mundi creatione lux à tenebris emersit. Tunc populus Israël quasi grex Dei in proprium

Rom. 11. vers. 16.

Rom. 15. vers. 8.

priom ejus ovile receptus eſt: reliquæ gentes tanquam feræ beſtiæ, per montes & ſylvas aut deſerta errarunt. Quum hæc dignitas qua excelluerunt filii Abrahæ præ Gentibus, à ſolo Dei verbo penderet, graruita Dei adoptio ad omnes ipſos communiter pertinuit. Nam ſi Gentes Deo & vita æterna privat
Epheſ. 4. verſ. 18. Paulus, quia à fœdere extraneæ erant: ſequitur omnes Iſraelitas domeſticos fuiſſe Eccleſiæ & Dei filios, & vitæ æternæ hæredes. Tametſi autem Dei gratia, non natura excellebant ſupra Gentes, & hæreditas regni Dei ex promiſſione illis obvenerat, non ex carne: dicuntur tamen interdum oatura differre à reliquo mundo. Ad Galat. cap. 2. verſ. 15. & alibi, Paulus naturaliter vocat ſanctos: quia continua ſerie proſequi nolebat Deus gratiam ſuam erga totum ſemen. Hoc ſenſu, qui fuerunt ex Judæis incredoli,
Matth. 8. verſ. 11. Rom. 9. verſ. 8. filii tamen regni cæleſtis à Chriſto vocantur. Neque bis repugnat quod dicit Paulus, non omoes qui ſunt ex Abraham, cenſeri legitimos filios: quia non ſunt filii promiſſioois, ſed carnis tantum. Nam illic promiſſio non generaliter accipitur pro externo verbo, quo Deus ſuam gratiam tam teprobis quam electis conferebat: ſed ad efficacem vocatiooem quam intus obſignat per Spiritum ſuum, reſtringi debet. Ac rem ita habere, nullo negotio evincitur: communis enim erat omnibus promiſſio, qua Dominus eos omnes in filios adoptaverat: in ea negari non poteſt oblatam fuiſſe omnibus æternam ſalutem. Quid ſibi ergo vult quod Paulus quoſdam promiſſionis jure filios cenſeri negat, niſi quod de oblata extrinſecus gratia non amplius diſputat, ſed de ea quam efficaciter ſoli electi percipiunt? Hic jam nobis duplex filiorum ordo in Eccleſia emergit: quia enim totum populi corpus una & eadem voce in ovile Dei colligitur, omnes ſine exceptione hoc reſpectu habentur filii, in omnes communiter competit Eccleſiæ nomen: ſed in arcano Dei ſacrario non alii cenſentur Dei filii quam in quibus fide rata eſt promiſſio. Tametſi autem diſcrimen hoc ex fonte gratuitæ electionis manat, unde etiam exoritur ipſa fides: quia tamen per ſe nobis abſconditum eſt Dei conſilium, ideo fidei & infidelitatis nota veros filios à ſpuriis diſcernimus. Hæc ratio & œconomia ad promulgatio-
Epheſ. 2. verſ. 14. nem uſque Euangelii duravit: tunc autem diruta maceria, Gentes æquavit Deus naturalibus filiis Abrahæ. Illa fuit ſeculi renovatio, qua filii vocari cœperunt qui prius extranei fuerant. Quoties tamen comparatio fit inter Judæos & Gentes, hæreditas vitæ illis tanquam legitima tribuitur: iis autem dicitur eſſe adventitia. Interim impletue oraculum illud quo promiſit Deus Abraham multarum gentium fore patrem. Quum enim prius continuo tenore naturalibus filiis Abrahæ ſuccederent nepotes, & benedictio ab eo exordium ſuum habens, deflueret in nepotes: Chriſti adventus ordine retrogrado in ejus familiam inſeruit qui prius à ſemioe ejus diviſi erant: tandem foras ejecti ſunt Judæi, niſi quod penes eos manet occultum electionis ſemen, ut reliquiæ ſalvæ fiant. Hæc de ſemine Abrahæ ſemel dicta eſſe oportuit, quæ nobis facilem aditum ad ea quæ ſequuntur pateficient. *In generationibus ſuis.* Ætatum ſucceſſio clare teſtatur ſic aſſumptos fuiſſe in Eccleſiam Abrahæ poſteros, ut illis naſcerentur filii ejuſdem gratiæ hæredes. Hoc modo fœdus perpetuum vocatur uſque ad mundi renovationem, quæ contigit adventu Chriſti. Fateor quidem carere fine, & proprie vocari poſſe æternum, quatenus ad totam Eccleſiam pertinet: ſed illud ſemper fixum maneat oportet, ſeriem ætatum, Chriſti adventu partim abruptam fuiſſe, partim mutatam: quia diruta maceria, & tandem exhæredatis naturalibus filiis, aſcititium genus ex omnibus mundi plagis habere cœpit Abrahæm. *Ut ſim tibi in Deum.* Uno hoc verbo clare docemur, ſpirituale hoc fuiſſe fœdus, non præſentis tantum vitæ reſpectu ſanctum, ſed unde ſpem æternæ ſalutis conciperet Abraham, & in cælum uſque evectus, ſolidam perfectamque beatitudinem apprehenderet. Nam quos ſibi Deus in populum adoptat, quum ſuæ juſtitiæ faciat bonorumque omnium participes, cæleſtis quoque vitæ hæredes conſtituit. Notemus ergo hoc eſſe præcipuum fœderis caput, quod ſe filiis Abrahæ Deum fore promittat is qui viventium Deus eſt, non mortuorum. Sequitur deinde quaſi auctarii vice, quod terram ſe daturum pronunciat. Fateor quidem majus aliquid & præſtantius adumbratum fuiſſe ſub terra Chanaao: id tamen non obſtat quin ejus protoiſſio, acceſſio fuerit illius ſummi capitis, Ero Deus tuus. Quanquam autem rurſus affirmat Deus, ſicuti antea, ipſi Abrahæ ſe daturum terram: ſcimus tamen nunquam potitum fuiſſe ejus dominio. ſed ſolo jure contentus fuit ſanctus vir, licet nulla illi poſſeſſio conſtaret: ideoque ex ſua peregrinatione tranquillus in cælum migravit. Iterum teperit ſe poſteris Abrahæ fore in Deum, ne in terra ſubſiſtaot, ſed cogitent altius ſe deduci.

9. *Et tu pactum meum cuſtodies.*] Sicoti olim fœdera non modo io publicas tabolas referebantur, ſed in æs incidi vel lapidibus inſculpi ſolebant, quo magis teſtata & celebris eſſet eorum memoria: ita nunc Deus in carne Abrahæ fœdus ſuum inſculpit. Fuit enim Circumciſio quaſi ſolenne monumentum ejus adoptionis qua genos Abrahæ electum fuerat in peculiarem Dei populum. Habuerant antea pii alias ceremooias quæ certitudinem gratiæ Dei illis ſancirent: nunc vero Dominus fœdus novum novo genere ſymboli obſignat. Cur autem tot ſeculis boc gratiæ ſuæ teſtimonio carere paſſus fuerit humanum genus, ratio nobis abſcondita eſt: niſi quod videmus tunc fuiſſe inſtitutum, quando unam certam gentem ſibi delegit: quod ipſum ex arcano ejus conſilio peodet. Porro tametſi ad docendi methodum aptius forte eſſet ſummam eorum colligere quæ de Circumciſiooe dicenda ſunt: qood tameo interpretis officio magis quadrare arbitror, ordinem contextus ſequar. Primum quum fœdus Dei à Moſe vocatur Circumciſio, inde colligimus incluſam in ea fuiſſe gratiæ promiſſionem. Nam ſi nota duntaxat vel teſſera fuiſſet externæ profeſſionis apud homines, nullo modo quadraret oomen fœderis, quod ratum aliter non eſt quam dum illi reſpondet fides. Atque id commune eſt omnibus ſacramentis, ut verbum Dei annexum habeant, quo ſe nobis propitium eſſe teſtatur, noſque in ſpem ſalutis invitat: imo nihil aliod eſt ſacramentum quam verbum viſibile, vel ſculptura & effigies gratiæ Dei quæ verbum melius illuſtret. Quod ſi mutua eſt inter verbum & fidem relatio, ſequitur finem bunc & uſum ſacramentis propoſitum eſſe, ut fidem adjuvent, promoveant ac coohtment. Qui vero fidei admioicula eſſe negant, aut verbi ſubſidia ad fidem roborandam, fœderis nomen expungant neceſſe eſt: quia aut luſorie & fallaciter ſe in ſponſorem offert Deus, vel illic reperit fides quo ſe fulciat, & unde certitudinem ſuam confirmet. Etſi autem tenenda eſt diſtinctio inter verbum & ſignum: ſciamus tamen, ſimulatque in oculis ſignum ipſum incurrit, debere in auribus perſonare verbum. Itaque dum hoc loco jubetur Abraham ſervare fœdus, non modo nudum ceremoniæ uſum illi Deus commeodat, ſed vult præcipue ad finem attendere. & certe quum anima ſigni ſit promiſſio: ubi inde avulſa fuerit, nihil præter mortuum & inane ſpectrum reſtat. Hæc ratio eſt cur dicamus abolita fuiſſe à Papiſtis ſacramenta: quia extincta Dei voce, nihil apud eos præter mutas figuras reſiduum manet. Frivolum vero eſt quod jactant pro verbo magicos ſuos exorciſmos. Fœdus enim vocari nequit niſi quod clare patefactum à nobis perſpicitur ut fidem ædificet: cui nihil ſimile habent hiſtriones illi, qui geſtu tantum vel confuſo ſuſurro quaſi tibia ludunt. Nunc tene-

mus quomodo rite cuſtodiatur fœdus, quum ſcilicet præeunte verbo, ſignum amplectimur in gratiæ teſtimonium ac pignus: nam ſicut dato chirographo Deus fidem nobis datam obſtriogit, ſicà nobis ſtipulatur fidei & obedientiæ conſenſum. Notatu etiam dignum quod ſequitur, *Inter me & te.* Quo docemur non ad externam modo confeſſionem ſpectare ſacramentum, ſed medium eſſe pignus inter Deum & hominis conſcientiam. Ideo quiſquis per ſacramenta ad Deum non dirigitur, eorum uſum profanat. Cæterum metonymice fœderis nomen ad Circumciſionem transfertur, quæ ſic verbo implicita fuit ut non poſſet ab eo ſeparari. *Circumcidetur in vobis omnis maſculus.* Tametſi maribus pariter & fœminis pollicitus erat Deus quod Circumciſione deinde ſancivit: tamen in eo ſexu totum populum ſibi conſecrat. Nam quum hoc ſymbolo ſanciatur quæ promiſcue maribus & fœminis data erat promiſſio: certum autem ſit, confirmatione fœminas æque ac mares habuiſſe opus: hinc conficitur ordinatum fuiſſe ſymbolum in utriuſque ſexus gratiam. Nec obſtat quod jubentur ſioguli ſacramentis communicare, ſi quidem inde fructum capere volunt: quia nulla ad eos qui uſum negliguot, pervenit utilitas. Inciſum enim hac lege fuit in marium corporibus Dei fœdus, ut ejuſdem ſigni participes ſociæque forent etiam fœminæ.

11. *Circumcidetis carnem præputii.*] Valde abſurdum prima ſpecie ac ridiculum videri potuit hoc mandatum. Tractatur ſacrum fœdus quo juſtitia, ſalus & felicitas promittitur, quo diſcernitur ſemen Abrahæ à reliquis gentibus ut ſit ſanctum & benedictum. Tanti myſterii inſigne ſtatui in pudendis partibus quis conſentaneum eſſe dicat? Verum ut Abraham ſtulteſcere oportuit, quo ſe obſequentem Deo præberet: ita quiſquis ſapiet, ſobrie ſimul & reverenter ſuſpiciet quod ſtulte mandaſſe videtur Deus. Et tamen quærendum eſt, an aliqua inter ſignum viſibile, & rem ſignatam analogia hic effulgeat. Nam ſigna quæ ad levandam infirmitatem noſtram inſtituit Deus, ad modulum noſtrum aptari par eſt, ne profectu careant. Porro duabus de cauſis probabile eſt Dominum juſſiſſe præputium circumcidi: nempe ut oſteoderet vitioſum eſſe quicquid ex homine gignitur: deinde ſalutem ex benedicto Abrahæ ſemine prodituram. Primum itaque quicquid ex ſua generatione proprium habent homines, Deus in Circoncciſione damnavit: ut oſtenſa naturæ corruptio, illos ad carnem mortificandam adduceret. Unde etiam conficitur, pœnitentiæ fuiſſe ſymbolum. Simul tamen illic quæ in Abrahæ ſemine promiſſa erat benedictio, notata ſignataque fuit. Quod ſi cui abſurdum videtur in illa corporis parte datum eſſe tam præclaræ & ſingularis gratiæ teſſeram: eum quoque ſalutis ſuæ pudent, quæ ex Abrahæ lumbis fluxit: ſed ita infatuare mundi ſapientiam Deo placuit, quo magis ſuperbiam carnis dejiceret. Atque ita jam ſecundo loco habemus, teſtatum hoc ſigno fuiſſe Dei & hominum reconciliationem, quæ in Chriſto fuit exhibita. Qua ratione ſigillum juſtitiæ fidei à Paulo vocatur. Hoc de analogia rei & ſigni breviter attigiſſe ſufficiat. *Rom. 4. verſ. 11.*

12. *Et filius octo dierum circumcidetur.*] Nunc diem octavum Circumciſioni præſcribit Deus: unde apparet partem fuiſſe pædagogiæ ſub qua veterem populum tenere voluit. Nam major hodie laxioque in Baptiſmi adminiſtratione permiſſa eſt libertas. Cæterom de numero dierum quidam anxie diſputandum eſſe negaot: quia Dominus infantum teneritudini pepercerit: quandoquidem periculo non carebat, adhuc ab utero recentibus vulnus infligere. Etſi autem facere poterat ne quid noxæ aut læſionis afferret Circumciſio: nihil tamen in eo abſurdi erit, ſi dicamus habitam ab eo fuiſſe rationem teneræ ætatis, ut teſtatum Judæis faceret paternum ſuum erga ipſorum liberos amorem. Aliis hoc nimis eſſe frigidum videtur: itaque ſpirituale myſterium in dierum numero quærunt. Allegorice ſeptem diebus notatam fuiſſe putant vitam præſentem: octavo die juſſiſſe Deum circumcidi infantes, ut oſtenderet meditandam quidem eſſe carnis mortificationem toto vitæ curſu, ſed nonniſi poſt ejus finem compleri. Auguſtinus etiam ad Chriſti reſurrectionem Deum ſpectaſſe exiſtimat, qua abolita fuit externa Circumciſio, & veritas figuræ exhibita. Septenario numero præſentis vitæ curſum deſignari probabile & rationi conſentaneum eſt. Ergo octavus dies ad figurandum novæ vitæ exordium videri poteſt à Domino poſitus. Sed quia nuſquam expoſita in Scripturis ratio legitur, nihil auſim afferere. Quare tenere ſufficiat quod certum eſt ac ſolidum: nempe Deum in hoc ſymbolo ſic repræſentaſſe veteris hominis interitum, ut tamen oſtenderet ſe reſtituere homines in vitam. *Sive verna, ſive emptitius.* Quum præcipit Deus Abrahæ, ut quoſcunque habet ſub ſua poteſtate circumtidat, in eo relucet ſingularis ejus amor erga ſanctum Abraham, quod totam ejus domum ſua gratia complectitur. Scimus olim vix in hominum numero habitos fuiſſe ſervos. Atqui Deus ipſos in ſervi ſui favorem ſibi filios adoptat: ad hanc miſericordiam nihil omnino addi poteſt. Dejicitur etiam carnis ſuperbia, quum Deus oullo perſonarum reſpectu, ingenuos ſervis aggregat. Cæterum in perſona Abrahæ legem hanc ſervis ſuis omnibus præſcripſit, ut quoſcunque habent ſibi ſubjectos, in ejuſdem fidei ſocietatem adducere ſtudeant. Singulæ enim piorum familiæ totidem Eccleſiæ eſſe debent. Ergo ſi pietatem noſtram probare cupimus, danda opera eſt ut quiſque noſtrum in obſequium Dei compoſitam domum habeat. Nec tantum jubetur Abraham domi ſuæ natos dicare & offerre Domino, ſed quoſcunque poſtea acquiſierit.

13. *In pactum perpetuum.*] Duplex poteſt eſſe ſenſus: vel quod Deus gratiam ſuam, cujus teſtimonium ac pignus erat Circumciſio, æternam fore promittat: vel quod ſignum ipſum perpetuo ſervari velit. Equidem non dubito quin ad viſibile ſignum perpetuitas illa referri debeat. Sed qui inde colligunt, hodie quoque inter Judæos vigere illius uſum, (meo judicio) falluntur. Nam ab illo axiomate diſcedunt, quod nobis fixum eſſe debet, Quum finis Legis ſit Chriſtus, perpetuum tempus quod ceremoniis Legis tribuitur, fuiſſe finitum ex qua Chriſtus apparuit. Templum perpetuo erat Dei ſedes, juxta illud, *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo.* Sabbathum non temporalis, ſed perpetua erat populi ſanctificatio: neque tamen negandum eſt quin illis finem attulerit Chriſtus. Non aliter de Circumciſione quoque ſentiendum eſt. Si objiciant Judæi, violatum hoc modo fuiſſe Legem à Chriſto: reſponſio facilis eſt, ſic abrogatum fuiſſe externum uſum, ut ſtabilita fuerit ejus veritas. Nam Chriſti demum adventu in ſolidum ſancita fuit Circumciſio, ut ſemper duraret, ratumque eſſet fœdus illud quod ſemel Deus pepigit. Porro ne quam viſibilis ſigni mutatio perturbet, tenenda eſt illa, cujus memini, ſeculi renovatio, quæ varietate quadam interpoſita, perpetuavit quæ caduca alioqui fuiſſent. Ergo licet uſus Circumciſionis ceſſaverit, non tamen ipſa deſinit eſſe fœdus ſeculi vel perpetuum: ſi modo Chriſtus ſtatuitur medius, qui mutato ſigno veritatem ſancivit. Quod autem Chriſti adventu ceſſaverit externa Circumciſio, ex Pauli verbis liquet: qui non tantum docet circumciſos eſſe nos Chriſti morte, ſpiritualiter, non ſigno carnali: ſed Baptiſmum nominatim in locum Circumciſionis ſubrogat, Coloſ. 2. verſ. 11. nempe Circumciſioni Baptiſmus ſuccedere non potuit quin eam tolleret è medio. Ideo & proximo capite inter ipſum & præputium quicquam intereſſe negat: quod *Pſal. 132. verſ. 14.*

quod tunc ſcilicet res media foret, ac nullius momenti. Unde refellitur eorum error qui adhuc inter Judæos vigere putant, quaſi peculiare gentis ſymbolum quod nunquam abrogari debuerit. Fateor quidem fuiſſe illis ad tempus permiſſam, donec melius innoteſceret libertas per Chriſtum parta: ſed ita ut vim ſuam minime retinuerit. Abſurdum enim foret duobus diverſis ſignis in Eccleſiam initiari: quorum alterum veniſſe Chriſtum teſtetur ac confirmet: alterum vero adumbret quaſi abſentem.

14. *Cui non circumciſa fuerit caro.*] Quo majore ſtudio colatur Circumciſio, Deus gravem pœnam denunciat, ſiquis eam neglexerit. Sicuti autem inde perſpicitur quantæ illi coræ ſit ſalus hominum: ita horum ſocordia conſtituitur. Nam quum Deus amoris ſui, æternæque vitæ pignus tam benigne offert: quorſum minas addit, niſi ut eorum tarditatem excitet qui celeriter accurrere debebant? Hæc igitur pœnæ denunciatio, fœdæ ingratitudinis homines inſimulat, quod Dei gratiam vel reſpuant, vel contemnant. Cæterum docet hic locus, non impune ceſſurum talem cootemptum. Quoniam autem ſolis contemptoribus pœnam Deus minatur, colligimus nihil infantibos nocoiſſe ſuum præputium, ſi ante diem octavum mortui eſſent. Satis enim ad eorum ſalutem efficax erat nuda Dei promiſſio. Neque ſic eam obſignavit externis ſigillis, ut ipſis virtutem ſuam adſtringeret. Atque omnem hujus rei controverſiam dirimit Moſes ratione addita, quod fœdus Dei irritum feceriot. Porro ſcimus non violatum fuiſſe fœdus, quum ablata erat facultas. Sciamus ergo ſalutem generis Abrahæ in illo verbo fuiſſe incluſam, Ero Deus ſeminis tui. Quamvis autem Circumciſio vice confirmationis accefferit, non tamen feciſſet quin vis & effectus verbo conſtaret. Sed quia in hominum arbitrio non eſt quæ Deus conjunxit divellere: nemo ſpernere vel negligere ſignum potuit, quin verbum ipſum abjiceret, ſeque oblato illic beneficio privaret. Solum ergo neglectum tam ſevere ultus eſt Dominus. Si qui vero infantes ſalutis teſſera per mortem privati eſſent, illis pepercit, quia fœderi Dei nihil derogaverant. Eadem hodie ratio in Baptiſmo valet. Quiſquis neglecto Baptiſmo ſe nuda promiſſione contentum eſſe ſimulat, conculcat quantum in ſe eſt Chriſti ſanguinem, vel ſalrem ad liberos ſuos abluendos fluere non patitur. Ita ſigni contemptum ſequitur juſta pœna, gratiæ privatio, quia impio ſigni & verbi divortio, vel potius laceratione violatur Dei fœdus. Exitio autem addicere infantes, quos ſubita mors ad Baptiſmum offerri paſſa non eſt, priuſquam ulla parentum negligentia intercederet, crudelitas eſt ex ſuperſtitione nata. Quin ad eos pertineat promiſſio, minime dubium eſt. Quid vero magis abſurdum quam ſi ejus vim enervet ſymbolum, quod ejus confirmandæ cauſa additur? Quare vulgarem ſententiam qua fertur Baptiſmus neceſſarius eſſe ad ſalutem, ita moderari oportet, ne Dei gratiam, & Spiritus virtutem alliget externis ſymbolis, & Deum falluciæ accuſet. *Pactum meum irritum.* Tunc enim ratum eſt Dei fœdus ubi fide amplectimur quod promittit. Si quis objiciat, ab hac culpa innoxios fuiſſe infantes, qui ſenſu adhuc carebant: reſpondeo, non debere nimis urgeri hanc vocem, quaſi Deus infantes proprii delicti reos peragat: ſed tenenda eſt antitheſis, quod ſicuti Deus in patris perſona filium infantem adoptat: quum repudiat pater tale beneficium, dicitur infans ſe abdicare ab Eccleſia. Id enim valet loquutio, Deleri è populo quem Deus ſibi elegerat. Quod exponunt quidam, non fore Judæos, neque in cenſu populi habituros locum quibus præputium relictum fuerit: nimis frigidum eſt. Longius progredi oportet, quod Deus ſcilicet in populo ſuo non agnoſcet qui adoptionis notam ac teſſeram non geſtabunt.

15. *Sarai uxoris tuæ.*] Jam Deus legitimum Abrahæ ſemen ex Sara promittit. Fuerat (quemadmodum dixi) illa nimium præceps quum ancillam nullo Dei mandato in vicem ſuam ſubſtitueret: nimium etiam facilis Abraham, qui uxorem ſtulte & temere Deo præire volentem ſequutus fuerat: non tamen obſtitit utriuſque culpa quin Deus pateſaciat, illis ſe daturum ſemen, cujus ſpem ſibi quodammodo præciderant. Unde clarius refulget gratuita Dei bonitas: quod tametſi ejus curſum ſuis obſtaculis impediunt homines, ad eos nihilominus pervenit. Porro Saræ nomen Deus mutat, ut ejus principatum, qui in priori nomine erat reſtrictior, longe lateque extendat. Nam litera י poſſeſſivum pronomen apud Hebræos valet: nunc ea ſublata Deus vult ſine exceptione Saram ubique dominam & principem celebrari: idque in contextu exprimitur quum Deus ſe filium illi daturum promittit, ex quo tandem gentes & reges naſcantur. Etſi autem prima ſpecie ampliſſima eſt iſta benedictio, longe tamen uberior eſt quam verbis præ ſe ferat: ſicuti paulo poſt videbimus.

17. *Et proſtravit ſe Abraham in faciem.*] Hoc non modo reverentiæ, ſed fidei quoque teſtimonium fuit. Nam Abraham non tantum Deum adorat, ſed gratias agens, fide ſe recipere & amplecti teſtatur quod promiſſum erat de filio. Hinc etiam riſiſſe colligimus: non quod vel ſperneret, vel pro fabula duceret, vel rejiceret Dei promiſſionem: ſed, ut fieri ple rumque in rebus minime expectatis ſolet, partim gaudio exultans, partim admiratione extra ſe raptus, in riſum prorumpit. Neque enim in eorum ſenrentiam deſcendo qui ex ſola lætitia riſum hunc manaſſe putant: quin potius exiſtimo ſimilem attonito fuiſſe Abraham. quod etiam proxima interrogatio confirmat, Numquid centenario naſcetur filius? Etſi enim non repudiat quaſi vanum, quod dictum ab Angelo fuerat: ſe tamen non ſecus affici oſtendit, ac incredibili nuncio allato. Ita rei novitas eum percellit, ut ad breve tempus obſtupeat: ſe tamen humiliat coram Deo, & mente confuſus, potentiam ejus in terram proſtratus, fide adorat. Nam quod hæc non fuerit dubitantis oratio, teſtis eſt Paulus ad Romanos cap. 4. verſ. 19. qui negat Abrabam conſideraſſe corpus ſuum emortuum, vel effœtam vulvam Saræ, vel diſquiſiiſſe pei infidelitatem, ſed ſpe ſupra ſpem credidiſſe. Et quod refert Moſes, *dixiſſe Abraham in corde ſuo*, non ita interpretor quaſi diſtincte hoc animo conceperit: ſed ut multa nobis etiam præter meditationem obrepunt, repente in mentem ſubiit perplexa iſta cogitatio, Quid hoc rei eſt, ut centenario naſcatur filius? Atqui videtur hæc quædam inter carnis ſenſum & fidem diſceptatio. nam etſi Abraham reverenter ſe coram Deo profteroens, ejus verbo mentem ſuam ſubjicit, rei tameo novitate adhuc turbatur. Reſpondeo, admirationem banc, quæ viam non obſtruebat Dei potentiæ, non fuiſſe fidei contrariam: imo inde melius enituit fidei vigor, quod pei tam arduum obſtaculum emerſit. Ideo non reprehenditur quod riſerit, ſicuti proximo capite Sara.

18. *Et dixit Abraham ad Deum.*] Non jam tacitus ſecum miratur Abraham: ſed in votum ac precationem effunditur. Quamquam turbati adhuc & vacillantis animi vox iſta eſt, *O ſi* (vel utinam) *vivat Iſmaël.* Quaſi enim minus ſperare audeat quam promittit Deus, in filio jam nato ſubſiſtit: non quod promiſſionem de nova ſobole rejiciat: ſed quia jam accepta gratia contentus eſt, niſi longius ſe extenderet Dei liberalitas. Non ergo reſpuit quod offert Dominus: ſed quum amplecti paratus ſit, ex iofirmo tamen carnis ſenſu illi effluit iſtud, Utinam Iſmaël. Quidam ita putant loquutum Abraham, quod primogenito ſuo metuerit. Sed nulla eſt ratio cur putemus tali metu perculſum fuiſſe Abraham, ne Deus

alterum filium dando, priorem auferret: quaſi poſterior ejus gratia priorem abſorbeat. Et hunc ſenſum reſellit Dei reſponſio, quæ paulo poſt ſequitur. Illud ergo quod dixi certius eſt, precatum fuiſſe Abraham ut ſibi rata eſſet ac ſtabilis Dei gratia in qua acquieſcebat. Porro incogitanter in hoc votum erupit, quum præ lætitia nondum caperet quod ex ore Domini audierat. *Vivere coram Jehova* tantundem valet ac ſervari ejus præſidio incolumem, vel ab ipſo benedici. Petit igitur Abraham à Domino, ut quam Iſmaëli dedit vitam conſervet.

19. *Vere Sara.*] Quidam adverbium אכן accipiunt poſitum pro Vere. Rectius tamen alii, qui auxeſim continere dicunt. Excitat enim Deus torpentem ſervi ſui animum: acſi diceret, Obſtat tibi unius gratiæ conſpectus ne te altius erigas: ita fit ut nimis anguſte ſenſus tuos concludas. Nunc igitur animum tuum dilata, ut quod de Sara promitto, ſimul admittas. Nam ſpei janua ad verbi latitudinem patere debet. *Et ſtatuam fœdus meum cum eo.* Spirituale fœdus reſtringit ad unam familiam, ut promiſſam ante benedictionem inde ſperare Abraham diſcat. quia enim perverſam ſibi ſpem abſque Dei verbo finxerat, eam revelli prius oportuit ex ejus corde: quo melius nunc in cæleſte oraculum recumberet, ac in ſolidam Dei veritatem figeret anchoram fidei ſuæ, quæ prius in falſa imaginatione fluctuaverat. Fœdus perpetuum vocat quo ſupra diximus ſenſu. Deinde exprimit non fore alligatum uni tantum perſonæ, ſed commune totius generis, quod continua ſucceſſione perveniat ad poſteros. Videtur tamen abſurdum eſſe quod circumcidi jubeat Deus Iſmaelem, quem ſua gratia privat. Reſpondeo, quamvis Dominus Iſaac primogenitum & caput conſtituat, à quo manare velit ſalutis fœdus, non tamen Iſmaelem prorſus excludere: quin potius dum totam Abrahæ domum adoptat, Iſmaëlem fratri ſuo Iſaac quaſi inferius membrum adjungit, donec ſe & patris domo & fraterna ſocietate abdicet. Supervacua igitur Circumciſio non fuit, donec à fœdere excideret: quod tametſi penes ipſum non erat depoſitum, poterat tamen participare cum fratre ſuo Iſaac. In ſumma, nihil aliud ſignificat his verbis Dominus, quam Iſaac legitimum promiſſæ benedictionis fore hæredem.

20. *Et pro Iſmaël.*] Clarius inter duos Abrahæ filios diſcernit. Nam alteri promittens opes, dignitatem, & alia quæ ſunt præſentis vitæ, carnis filium eſſe oſtendit. Peculiare autem fœdus cum Iſaac paciſcitur, quod mundum & hanc caducam vitam tranſcendit: non quod ſpem æternæ ſalutis Iſmaëli præcidat, ſed ut doceat à genere Iſaac petendam eſſe ſalutem ubi reſidet. Cæterum colligimus ex hoc loco, ſanctos Patres minime in terra Dei promiſſionibus retentos fuiſſe, ſed potius in cælum evectos. Nam quicquid optabile eſt terrenæ vitæ reſpectu, Deus liberaliter & prolixe Iſmaëli promittit: & tamen quicquid in eum donorum confert, nihil æſtimat comparatione fœderis quod ſtabiliendum erat in Iſaac. Sequitur ergo, non opes, nec potentiam, nec quicquam aliud temporale promitti filiis Spiritus: ſed æternam benedictionem, quæ ſola ſpe poſſidetur in hoc mundo. Ergo ut nunc & deliciis & honis omnibus affluamus, evanida eſt tamen noſtra felicitas niſi fide penetremus in cæleſte Dei regnum, ubi major & altior nobis repoſita eſt benedictio. Quæritur tamen, an terrenæ ſolum vitæ curam habuerit Abraham, dum pro filio precatus eſt. id enim videtur innuere Dominus, quum ſe illi dediſſe pronuncians quod petebat, non commemorat niſi quæ diximus. Sed conſilium Dei non fuit totum Abrahæ votum comprehendere: tantum ſignificat, Iſmaëlis, pro quo ſollicitus erat Abraham, rationem aliquam ſibi fore, ut appareat commendationem patris non fuiſſe irritam. Teſtari enim voluit tanto ſe amore complexum eſſe Abraham ut in ejus favorem totum genus reſpiciat, & peculiaribus beneficiis dignetur.

22. *Aſcendit Deus ab Abraham.*] Continet hæc loquutio utilem doctrinam, quod ſc. Abraham certo cognoverit hanc viſionem à Deo eſſe. huc enim ſpectat iſte aſcenſus. Piis autem neceſſe eſt eorum omnium quæ audiunt auctorem Deum patefieri, ne huc illuc circumferantur, ſed è cælo tantum pendeant. Quod autem nunc Deus, poſtquam loquutus eſt, in gloriam cæleſtem non palam extollitur coram oculis noſtris, id de fidei noſtræ certitudine nihil minuere debet: quia ſemel plena in Chriſto manifeſtatio exhibita fuit, quam nobis ſufficere æquum eſt. Deinde quamvis Deus viſibili ſigno quotidie ſurſum non aſcendat, in eo tamen non minus reſplendet ejus majeſtas, quod nos transformans in ſuam imaginem, ſurſum attollit. Deinde ſatis auctoritatis conciliat verbo ſuo, dum ipſum cordibus noſtris per Spiritum ſuum obſignat.

23. *Et tulit Abraham Iſmaëlem.*] Nunc Moſes Abrahæ obedientiam commendat eo quod ſe totamque familiam, prout juſſus erat, circumciderit. Neceſſe enim eſt prorſus fuiſſe Deo addictum qui ſibi vulnus cum acerbo dolore, nec ſine vitæ periculo infligere non dubitat. Huc etiam accedit temporis circumſtantia, quod non differt in alterum diem, ſed ſtatim paret Dei mandato. Nec tamen dubium eſt quin luctatus cum variis cogitationibus fuerit. Ut innumera alia omittam, hoc illi in mentem venire potuit, Ego quum tamdiu vexatus fuerim multis rebus adverſis, & per diverſa exilia jactatus, nunquam tamen à Dei verbo deflexi: ſi hoc ſymbolo volebat me ſibi conſecrare in ſervum, cur uſque ad extremum ſenium meum diſtulit? Quid hoc ſibi vult, quod ſalvus eſſe nequeo niſi alterum pene in ſepulchro pedem habens, pelliculam mihi abſcindam. Sed hoc illuſtrius obedientiæ documentum fuit, quod ſuperatis omnibus obſtaculis, celeriter & ſine mora perrexit quo Deus vocabat. Nec minus præclarum in eo fidei ſuæ ſpecimen edidit: quia niſi certo amplexus eſſet Dei promiſſiones, minime tam promptus futurus erat ad obſequium. Hinc igitur tanta alacritas, quod variis tentationibus, quæ concutere ejus animum, hucque & illuc abſtrahere poterant, verbum Dei oppoſuit. Duo etiam hic obſervatu digna ſunt. Primum quod difficultate non abſterritus fuerit Abraham quominus Deo præſtaret officium quod debebat. Scimus ingentem illi fuiſſe turbam domi, & quæ fere populum unum æquaret. Vix credibile erat paſſuros eſſe tot viros ſe cum ſpecie ludibrii vulnerari. Ita merito timendum erat ne magnum tumultum excitaret in familia tranquilla: imo ne uno impetu major pars ſervorum adverſus eum inſurgeret: fretus tamen Dei verbo, rem impoſſibilem ſtrenue aggreditur. Deinde videmus quam probe inſtituta ejus domus fuit: quod non vernæ modo, ſed extranei homines, & pecunia empti, moleſtum & carnis ſenſu pudendum vulnus placide excipiant. Apparet igitur, ſedulo curaſſe Abraham ut paratos ad officium haberet. Et quoniam ipſe ſub ſancta diſciplina eos habuit, mercedem tulit ſuæ diligentiæ, quod tam faciles in re pluſquam ardua expertus eſt. Sic hodie rem factu impoſſibilem præcipere Deus videtur, quum vult paſſim toti mundo Euangelium ſuum prædicari, ut à morte in vitam reſtituat. Videmus enim quanta ſit omnium fera pervicacia, quam multis & quam validis machinis obſtat Satan: ut ipſis denique principiis obſtructæ ſint omnes viæ: præſtare tamen ſingulos officium decet, nec impedimentis cedendum: tandem conatus noſtros & labores ſucceſſu, qui nondum apparet, minime fruſtrabitur.

CAPUT XVIII.

Caput XVIII.

DEinde visus est illi Jehova in querceto Mamre, quum ipse sederet io ostio tabernaculi, quando incalescebat dies.

2. Et elevavit oculos suos, & vidit, & ecce tres viri stabant juxta eum: & vidit, & cucurrit in occursum eorum ab ostio tabernaculi, & incurvavit se super terram.

3. Et dixit, Domine mi, si nunc inveni gratiam in oculis tuis, ne nunc transeas à servo tuo.

4. Tollatur nunc parum aquæ, & lavate pedes vestros, & considite sub arbore.

5. Et capiam buccellam panis, & fulcite cor vestrum, postea transibitis: quia idcirco transistis ad servum vestrum. Et dixerunt, Sic facias quemadmodum loquutus es.

6. Itaque festinavit Abraham ad tabernaculum ad Sarah: & dixit, Festina, tria sata farinæ similæ consperge, & fac subcinericios panes.

7. Et ad boves cucurrit Abraham, & tulit vitulum tenerum & bonum, & dedit puero, & festinavit ut pararet eum.

8. Et tulit butyrum, & lac, & vitulum quem paraverat, & posuit ante eos: & ipse stabat juxta eos sub arbore, & comederunt.

9. Et dixerunt ad eum, Ubi est Sarah uxor tua? Et dixit, Ecce, in tabernaculo.

10. Et dixit, Revertendo revertar ad te secundum tempus vitæ, & ecce, filius *erit* Sarah uxori tuæ. Sarah autem audiebat in ostio tabernaculi, quod erat post eum.

11. Et Abraham & Sarah erant senes & provectæ ætatis: desieratque esse ipsi Sarah via secundum mulieres.

12. Risit ergo Sarah intra sese, dicendo, Postquam senui erit mihi voluptas? & dominus meus senuit.

13. Et dixit Jehova ad Abraham, Utquid risit Sarah, dicendo, Num etiam vere pariam, & ego senui?

14. Numquid * absconditur à Jehova quicquam? ad tempus revertar ad te secundum tempus vitæ, & ipsi Sarah erit filius.

* vel, mirificum erit.

15. Et negavit Sarah, dicendo, Non risi: quia timuit. Et dixit, Nequaquam, quia risisti.

16. Et surrexerunt iode viri, & respexerunt contra faciem Sedom: & Abraham ibat cum eis ut deduceret eos.

17. Tunc Jehova dixit, An ego celabo Abraham quod ego facio?

18. Et Abraham erit in gentem magnam & fortem, & benedicent sibi in eo omnes gentes terræ.

19. Quia novi eum: propterea præcipiet filiis suis, & domui suæ post se, & custodient viam Jehovæ, ut faciant justitiam & judicium, ut venire faciat Jehova super Abraham quod loquutus est super eum.

20. Itaque dixit Jehova, Clamor Sedom & Hamorah certe multiplicatus est, & peccatum eorum utique aggravatum est valde.

21. Descendam nunc, & videbo an secundum clamorem ejus qui venit ad me, fecerint consummationem: & si non, sciam.

22. Et verterunt se inde viri, & perrexerunt in Sedom: ipse vero Abraham adhuc stabat coram Jehova.

23. Et accessit Abraham, & dixit, Numquid etiam disperdes justum cum impio?

24. Si forte fuerint quinquaginta justi intra civitatem, numquid etiam disperdes, & non parces loco propter quinquaginta justos qui sunt intra eam?

25. Absit tibi ut facias secundum rem hanc, ut mori facias justum cum impio, & sit justus sicut impius. absit tibi: an qui judex est omnis terræ, non faciet judicium?

26. Et dixit Jehova, Si invenero in Sedom quinquaginta justos intra civitatem, parcam toti loco propter eos.

27. Et respondit Abraham, & dixit, Ecce, nunc cœpi loqui ad Jehovam, & sum pulvis & cinis:

28. Si forsitan defuerint de quinquaginta justis quinq;, nunquid disperdes propter quinque totam civitatem? Et dixit, Non disperdam, si invenero ibi quadraginta & quinque.

29. Et addidit adhuc ut loqueretur ad eum, & dixit, Si forte inventi fuerint ibi quadraginta? Et dixit, Non faciam propter quadraginta.

30. Et dixit, Ne nunc sit ira Domino meo, & loquar, Si forte inventi fuerint ibi triginta? Et dixit, Non faciam, si invenero ibi triginta.

31. Et dixit, Ecce, nunc cœpi loqui ad Jehovam, Si forsitan inventi fuerint ibi viginti? Et dixit, Non disperdam propter viginti.

32. Et dixit, Ne nunc sit ira Domino meo, & loquar tantummodo semel, Si forsitan inventi fuerint ibi decem? Et dixit, Non disperdam propter decem.

33. Et perrexit Jehova quando finivit loqui ad Abraham: & Abraham reversus est ad locum suum.

1. Et

1. *Et visus est illi Jehova.*] Incertum est dicatne Moses, postea rursus apparuisse Deum Abrahæ: an priorem historiam contexens, alias circumstantias exprimat, quarum nondum facta erat mentio. Mihi tamen prius illud magis placet, quod Deus servi sui animum nova visione confirmaverit, sicut aliis subinde atque aliis adminiculis opus habet sanctorum fides. Fieri etiam potest ut in gratiam Saræ repetita fuerit promissio. Quid si Deus hoc modo gratiæ magnitudinem ornare voluerit? Neque enim id satis magnifice pro dignitate extolli potest, quod promittitur Isaac, ex quo tandem mundo affulgeat redemptio & salus. Quicquid horum sit, videmus justam fuisse causam cur iterum promissus fuerit Isaac. De voce Mamre diximus capite decimo tertio. Verisimile est illic fuisse quercetum, ubi propter loci commoditatem habitaverit Abraham.

2. *Et ecce tres viri.*] Priusquam ad præcipuum caput descendat Moses, sancti viri hospitalitatem nobis describit: ac Angelos nominat viros, quia humanis corporibus induti, non aliud præ se ferebant quam se homines esse. Idque factum est consulto, ut eos tanquam homines excipiens, charitatem suam probaret. Neque enim nostris officiis, quæ vera sunt charitatis documenta, indigent Angeli. Porro hospitalitas in illis præcipuum locum jure obtinet: quia non vulgaris est virtus, juvare homines incognitos, à quibus nihil speratur mercedis. Solent enim ut plurimum homines, quum aliis se impendunt, mutuas vices captare: qui autem hospitibus & hominibus incognitis benignus est, gratuito se liberalem esse probat. Quare non parum laudis meretur Abrahæ humanitas, quod homines sibi ignotos, à quibus nihil beneficii acceperat, & unde nulla spes erat mutuæ gratiæ, ultro invitat. Quid ergo spectavit Abraham? Nempe ut hospitum necessitati succurreret. Videt lassos ex itinere, calore etiam confectos esse non dubitat: reputat infestum viatoribus diei tempus: solari igitur & levare cupit qui sic laborant. Et certe ipse naturæ sensus juvandos maxime esse hospites dictat: nisi nos cæcus amor nostri ad mercenaria potius officia impelleret. Nulli enim misericordia & auxilio digniores, quam quos videmus tam amicis quam domesticis commodis destitui. Itaque & sanctum in primis olim habitum fuit jus hospitii apud omnes populos: nec probrum ullum magis detestabile quam *ξενιν* vel inhospitalem vocari. Belluina enim est crudelitas, superbe despicere qui ordinariis præsidiis nudati ad opem nostram confugiunt. Quæritur tamen an ita promiscue solitus fuerit quoslibet excipere Abraham. Major enim futurus erat concursus quam ut turbæ satisfecisset. Respondeo (quæ erat hominis prudentia) discrimen ab eo habitum fuisse inter hospites. Et certe invitatio quam hic refert Moses, aliquid habet non vulgare. Nec dubium est quin Angeli in ore & habitu aliquid raræ dignitatis præ se tulerint, ut dignos non tantum cibo & potu, sed etiam honore statueret Abraham. Qui putant hujus officii tam fuisse studiosum, quia edoctus esset à patribus Angelos sub specie humana sæpe versari in mundo, nimis argute philosophantur. Reclamat etiam Apostoli auctoritas, qui negat tam ab ipso quam à Lot cognitos primo fuisse Angelos, quum putarent se hospitio excipere homines. Sic igitur habendum est, quum Abraham videret homines aspectu reverendos, & qui singularis præstantiæ notas haberent, obviam fuisse progressum, honorifice salutasse, & rogasse ut quiescerent. Et tunc major fuit integritas, ut posset minore periculo jus hospitale coli, quam nunc in tanta hominum perfidia. Itaque tam frequentes cauponæ pravitatis nostræ testes sunt, factumque nostra culpa arguunt, ut præcipuum inter nos humanitatis officium obsoleverit. *Et incurvavit se.* Hoc reverentiæ symbolum in communi usu fuit apud Orientales. Quod vetusti quidam scriptores hinc mysterium elicere conati sunt, Abraham unum ex tribus quos viderat, adorasse, ideoque tres in uno Deo personas fide esse intuitum: quia frivolum est, & obnoxium sannis & calumniis, omittere satius est. Ante enim diximus sic exceptos fuisse Angelos à sancto viro, ut officium præstare hominibus voluerit. Quod autem ejus benignitatem ornavit Deus, & hac mercede dignatus est ut Angelos illi hospites offerret, id non ante agnovit quam se in fine prandii patefecissent. Humanus est igitur ac civilis honor quem illis exhibet. Quod autem unum peculiariter salutat, probabile est ideo factum esse quia præ aliis duobus excelluerit. Scimus enim Angelos ut plurimum apparuisse cum capite suo Christo: itaque hic in tribus Angelis unum designat Moses legationis principem.

Hebr. 13. vers. 2.

3. *Ne nunc transeas.*] Quod tam blande, imo suppliciter rogat Abraham, non dubium est quin faciat per modum ea, quam dixi, causa. Nam si obviis quibusque magnificas vitulos, statim immensis sumptibus exhausta ejus domus fuisset. Eorum ergo virtuti & eximiis dotibus honorem habuit, ne Deum contemneret. Ita nec passim tam liberalis fuit ut erroribus vel aliis quibuslibet gregariis hominibus supplicaret, nec eum induxit ambitio ut erga tres ritos solito benignius se effunderet: sed amor & studium donorum Dei, & virtutum quæ in illis emicabant. Quod vero frustum panis tantum offert, non tantum vitandæ jactantiæ causa, beneficium quod erat daturus extenuat: sed quo facilius consilio ejus & precibus obtemperent, ubi persuasi fuerint se non fore nimis graves ac molestos. Neque enim libenter sumptus vel laborem afferunt modesti homines. Lotio pedum illo seculo, & in ea orbis plaga valde trita fuit: forte quod nudis pedibus inter fummos calores iter facerent: optimum autem hoc erat levandæ lassitudini remedium, si pedes calore adustos lavarent.

5. *Idcirco transistis ad servum vestrum.*] Non intelligit consulto vel data opera venisse, ut hospitium quærerent: sed opportune id accidisse significat: acsi diceret, non fortuito in eum locum delapsos esse, sed Dei consilio & manu adductos. Ergo ad Dei providentiam refert quod tam comode in locum idoneum inciderint, ubi se paulisper reficiant, donec mitigetur calor solis. Porro quum certum sit ex sincero animi sensu ita loquutum esse Abraham, statuamus ejus exemplo, quoties nobis occurrunt fratres, qui nostro auxilio indigent, eos divinitus nobis offerri.

6. *Et festinavit Abraham.*] Refertur Abrahæ sedulitas in tractandis hospitibus: & simul ostendit Moses quam bene compositam domum habuerit. Denique paucis verbis pingit nobis pulchram œconomiæ figuram. Discurrit Abraham, partim ut mandet quod vult fieri, partim ut quod proprium est patrisfamilias exequatur. Sara in tabernaculo se continet, non ut desidiæ indulgeat, sed potius ut subeat ipsa quoque laboris partem. Præsto adsunt famuli ad obsequium. Hæc est suavis bene morata domus symphonia, quæ tam repente extare non potuit, nisi longo usu assuefacti ad rectam disciplinam singuli fuissent. Quod autem dicit Moses comedisse Angelos, quæstionem parit. Sunt qui exponant comedentium speciem tantum præbuisse. quod commentum ex alio errore illis in mentem venit, quia non veris corporibus, sed tantum spectris imaginantur fuisse indutos. Atqui longe aliter (meo judicio) res habet. Primum non fuit hæc Prophetica visio ubi oculis ingeruntur rerum absentium imagines, sed vera venerunt Angeli in domum Abrahæ. Quare non dubito quin Deus, qui totum mundum ex nihilo condidit, & quotidie mirus est in formandis creaturis artifex, corpora illis ad tempus dederit

in

in quibus injunctum ſibi munus peragerent. Sicuti autem vere ambularunt, loquuti ſunt, & perfuncti aliis officiis: ita vere comediſſe ſtatuo: non quod eſurirent, ſed ut laterent uſque ad tempus revelationis. Cæterum ut Deus quæ in uſum temporalem creata erant corpora, extemplo in nihilum redegit: ita nihil abſurdi erit ſi dicamus conſumptum fuiſſe cibum una cum corporibus. Quemadmodum autem has quæſtiones attingere utile eſt, nec olla religio vetat: ſic rurſum nihil melius quam ſobria ſolutione nos eſſe contentos.

9. *Ubi eſt Sara.*] Hactenus paſſus eſt Deus Abraham præſtare quod officii ſui erat. Poſtquam vero ejus charitati locum dedit, nunc ſe manifeſtare incipit in ſuis Angelis. Quod Moſes nunc tres loquentes inducit, nunc uni ſoli attribuit ſermonem, ratio eſt, quia tres ſimul unius Dei perſonam referunt. Tenendum etiam memoria eſt quod nuper adduxi, uni dari principem locum, quia Chriſtus, qui viva eſt Patris imago, ſub Angeli forma Patribus ſæpe apparuit: Angelos autem, quorum caput eſt, habuit comites. Quod autem de Sara interrogant, colligere inde licet rurſus hic promitti Abrahæ filium, quoniam illa prioris oraculi teſtis non fuerat.

10. *Revertendo revertar ad te.*] Hieronymus vertit, Vita comite reversar: acſi Deus humano more loquens, dixiſſet, Revertar ſi vixero. Sed abſurdum eſſet, Deum qui jam magnifice potentiam ſuam prædicat, ſermonem ab hominibus mutuari, acſi mortalis eſſet. Quænam, obſecro, conſtaret inſigni huic oraculo majeſtas, ubi de æterna mundi ſalute agitur? Probari igitur nullo modo poteſt ſenſus ille, qui promiſſionis vim & auctoritatem prorſus enervat. Ad verbum eſt, Secundum tempus vitæ. quod nonnulli de Sara exponunt: acſi dixiſſet Angelus, tunc adhuc ſuperſtitem fore Saram. Sed rectius de fœtu exponitur. promittit enim Deus ſe venturum juſto & legitimo pariendi tempore, ut Sara vitalis fœtus mater fiat.

11. *Erant ſenes & provectæ ætatis.*] Hunc verſum inſerit Moſes, ut ſciamus merito Saræ viſum fuiſſe incredibile quod dicebat Angelus. Liberos enim promitti decrepitis ſenibus, præter naturam eſt. De Abraham tamen poteſt moveri quæſtio: quum interdum viris ultimo ſenio ad gignendum adhuc robur ſuppetat: ac præſertim illo ſeculo res non ita fuit infrequens. Sed Moſes hic comparative loquitur. nam quia Abraham, quamdiu per ætatem vegetus erat, cum uxore vixerat ſterilis: vix tunc potuit generare, quum jam eſſet fere ſemimortuus. Iſmaëlem quidem ſenex genuerat, ſed præter expectationem. Nunc vero duodecimo poſt anno patrem ex vetula effœtaque muliere fieri poſſe, vix credibile erat. Præcipue tamen Moſes in Sara inſiſtit: quia ab ea maximum erat impedimentum. *Ceſſaverat*, inquit, *fieri Saræ ſecundum viam mulierum.* Quo genere loquendi verecunde menſes notat qui mulieribus fluunt. Una autem cum fluxu menſtruo defluit concipiendi facultas.

12. *Et riſit intra ſe Sara.*] Riſerat etiam prius Abraham, ut proximo capite viſum eſt: ſed minime ſimilis fuit amborum riſus. Neque enim admiratione & lætitia effertur Sara ot Dei promiſſionem admittat: ſed ut loquenti Deo fidem abroget, ſuam & mariti ætatem perperam ejus verbo opponit. Neque tamen fallaciæ aut vanitatis Deum ex profeſſo inſimulat: ſed quia in rei intuitu defixa, quid poſſit naturaliter fieri, tantum expendit, mentem vero ſuam non attollit ad reputandam Dei potentiam, fidem loquenti Deo temere abrogat. Ita quoties Dei promiſſiones & opera proprio ſenſu & naturæ legibus metimur, ſumus in eum contumelioſi, quamvis nihil tale animis noſtris inſideat: quia non aliter ſuum illi honorem deferimus, quam dum ejus verbo ſubjicimus quicquid obſtaculi occurrit in cælo & in terra. Cæterum etſi excuſanda non eſt Saræ incredulitas, non tamen directe repudiat Dei gratiam, ſed pudore tantum & verecundia retinetur, ne protinus credat quod audit. Et verba etiam ſummam modeſtiam teſtantur. Pudicitiæ enim ſignum eſt quod dicit, *Poſtquam conſenuimus, darenusne operam rei veneræ?* Quare notemus, nihil minus fuiſſe Saræ propoſitum quam Deum facere mendacem: ſed in ea tantum peccaſſe, quod uſitato naturæ ordini nimis affixa, Deo gloriam non dedit, ut quod mente concipere non poterat miraculum, ab eo ſperaret. Notanda etiam admonitio eſt quam inde colligit Apoſtolus, quod Sara Abraham dominum ſuum vocat. Nam mulieres hortatur ut illius exemplo maritis ſint obſequentes & morigeræ. Multæ quidem bene maritis ſuis titulum non ægre concedunt, quos tamen imperioſo ſuo faſtu in ordinem cogere non dubitant: ſed Apoſtolus pro confeſſo ſumit, Saram ex animi ſenſu teſtatam eſſe quid de marito ſentiret. nec vero dubium eſt, quam verbo profeſſa eſt modeſtiam, veris quoque officiis probaſſe. *1 Pet. 3. verſ. 6.*

13. *Et dixit Jehova.*] Quia jam patefacta in Angelis erat Dei majeſtas, ejus nomen exprimit Moſes. Prius autem docuimus quo ſenſu ad Angelum transferatur Dei nomen: ideo nunc repetere neceſſe non eſt: niſi quod ſemper notare operæpretium eſt, tam pretioſum eſſe Domino verbum ſuum, ut ſe præſentem cenſeri velit quoties per miniſtros ſuos loquitur. Deinde quoties ſe Patribus manifeſtavit, Chriſtum fuiſſe quaſi intermedium, qui non tantum verbi reſpectu ſuſtinet Dei perſonam, ſed vere & eſſentialiter Deus eſt. Quia autem non humano judicio deprehenſus fuerat riſus Saræ, ideo diſerte teſtatur Moſes reprehenſum fuiſſe à Deo. Atque huc pertinent circumſtantiæ, quod tabernaculum fuerit à tergo Angeli, & Sara intra ſe, non coram aliis, riſerit. Reprehenſio autem oſtendit cum incredulitate fuiſſe conjunctum Saræ riſum. Neque enim leve ſubeſt pondus huic ſententiæ, *An Deo quicquam poteſt eſſe mirificum?* Sed Angelus Saram objurgat quod Dei potentiam intra ſenſus ſui metas incluſerit. Subeſt igitur antitheſis inter immenſam Dei virtutem, & inter anguſtum modulum, quem ſibi ex carnis ratione fingebat Sara. Quidam vocem פלא occultum vertunt, quaſi Angelus ſignificet Deum nihil latere: ſed alius eſt ſenſus, quod ſcilicet non debeat ex hominum ſenſu æſtimari Dei facultas. Neque enim mirum eſt in rebus arduis nos deficere, vel ſuccumbere difficultatibus: ſed longe alia eſt Dei ratio, qui è ſublimi deſpicit quæ nos altitudine ſua deterrent. Nunc videmus quale fuerit peccatum Saræ, quod ſcilicet injuriam fecerit Deo, non agnoſcens inæſtimabilem ejus potentiam. Et ſane ita res habet, ſpoliari Deum ſua virtute à nobis, quoties ejus verbis diffidimus. Videtur primo aſpectu Paulus frigide laudare Abrahæ fidem, quum dicit non conſideraſſe corpus ſuum emortuum, ſed dediſſe gloriam Deo: quia perſuaſus fuerit poſſe implere quod promiſerat. Atqui ſi probe excurimus diffidentiæ fontem, reperiemus ideo nos dubitare de ejus promiſſis, quia de ejus potentia maligne detrabimus. Nam ſimulatque occurrit aliqua major difficultas, quaſi nobis fabulosum eſt quicquid promiſit Deus: imo ſimulac loquitur, perverſa iſta cogitatio ſe inſinuat, Quomodo fiet quod promittit? Talibus anguſtiis conſtricti & occupati, excludimus ejus potentiam, cujus notitia mille mundos ſuperat. In ſumma, graviſſimam Deo injuriam facit qui non plus ab eo ſperat quam ſenſus ſui modulo comprehendere poteſt. Interea conjungi debet verbum Domini cum potentia. nihil enim magis præpoſterum quam inquirere quid poſſit Deus, poſthabita ejus voluntate. Ita ſe in profundum labyrinthum demergunt Papiſtæ, quum diſputant de abſoluta Dei potentia. Ergo niſi velimus abſurdis deliriis implicari, præcedat verbum inſtar lampadis *Rom. 4. verſ. 19.*

oportet,

oportet, ut individuo inter se nexu cohæreant ejus potentia & voluntas. Hanc regulam nobis præscribit Apostolus, quum dicit, Certo persuasus sum, quod qui promisit, potens sit etiam præstare. Iterum promissionem repetit Angelus, quod *secundum tempus vitæ*, aut viventis, venturus sit: hoc est, anno vertente, ubi maturum pariendi tempus advenerit.

Rom. 4. vers. 21.

15. *Et negavit Sara.*] Alterum Saræ peccatum, quod risum suum mendacio tegere ac sepelire conata est. Neque tamen obstinatæ malitiæ fuit ista excusatio, quamadmodum hypocritæ effugia captare solent, ut sui maneant similes usque in finem. Diversus fuit Saræ affectus nam quum propriæ eam stultitiæ pœniteat, metu tamen perculsa se fecisse negat quod Deo displicere sentit. Unde colligimus quanta sit naturæ nostræ corruptela, qua sit ut Dei timor virtutum omnium caput, in vitium degeneret. Notandum porro est unde timor, cujus meminit Moses, Saræ animum repente subierit: nempe quia Deus occultum ejus peccatum detexerat. Videmus ergo ut Dei majestas, dum serio à nobis sentitur, socordiam à nobis excutiat: præsertim autem ad hunc sensum cogimur ubi tribunal conscendit Deus, & peccata nostra in lucem profert.

Nequaquam, sed risisti.] Non multis verbis litigat Angelus, sed præcise falsam negationem refutat. Hinc discamus, nullo nos profectu tergiversari, ubi à Domino arguimur: quia nos uno statim verbo jugulabit. Cavendum ergo ne imitemur eorum petulantiam qui yanis coloribus Deo illudunt, & tandem irruunt in crassum ejus contemptum. Utcunque enim dissimulet ad tempus, horribili tamen ista voce in capita nostra fulminabit, Non ita est ut obtenditis. In summa, non sufficit revereri Dei judicium, nisi etiam peccata nostra ingenue, & sine tergiversatione vel ambagibus fatemur. Duplex enim damnatio eos omnes manet, qui Dei judicium effugere volentes, ad dissimulationis asylum se conferunt. Pura igitur afferenda est confessio, ut aperte damnati, veniam impetremus. Cæterum quod amica reprehensione contentus fuerit Deus, nec gravius ultus est duplex Saræ peccatum, hinc perspicimus ut comiter interdum suis indulgeat. Severius tractatus fuit Zacharias, qui ad novem menses obmutuit. Sed nostrum non est perpetuam Deo legem præscribere: qui sicuti pœnis suos ad resipiscentiam adducit, ita quoties visum est, nihil pœnarum infligens, eos satis humiliat. In Sara quidem singulare misericordiæ specimen edidit, quod illi omnia condonans, manere nihilominus voluit Ecclesiæ matrem. Interea notandum est quanto nobis satius sit nos coram ipso reos peragi, & convictos silere, quam nobis delicias facere in peccatis, quemadmodum bona pars mundi solet.

Luc. 1: 9.

16. *Et surrexerunt viri illi.*] Viros iterum appellat Moses, quos aperte testatus est fuisse Angelos. Sed nomen illis à forma quam induerant imponit. Neque tamen putandum est, circumdatos fuisse humanis corporibus sicuti Christus naturam nostram simul cum carne induit: sed Deus illos corporibus ad tempus induit, in quibus visibiles esse possent Abrahæ, & familiariter cum eo loqui. Duxisse autem eos dicitur Abraham, non officii humani causa, quemadmodum initio eos excepterat: sed ut debitum honorem Angelis præstaret. Erivolum enim est quod divinant quidam, creditos fuisse ab eo Dei Prophetas, qui propter verbum exularent. Prorsus sciebat Angelos esse, quemadmodum mox clarius videbimus. Sed in via prosequitur quos retinere non audet.

17. *An ego celabo Abraham.*] Quod Deus quasi de re dubia consultat, id facit in hominum gratiam, quid enim factura esset, jam ante decreverat. Sed voluit Abraham hoc modo ad reputandas excidii Sodomæ causas reddere magis attentum. Duas autem rationes affert cur suum consilium antequam exequatur, patefaceret ei velit. Prior est, quod jam ipsum dignatus sit singulari honoris privilegio. Secunda, quod ad posteros erudiendos id futurum sit utile ac frugiferum. Ergo hoc verbo, revelationis scopus & usus breviter notatur.

18. *Et Abraham erit in gentem magnam.*] Hebraice habetur, Et essendo erit: sed copula in adverbium causale resolvi debet. Nam hæc est ratio quam attigimus, quod Deus horribilis fuit in Sodomitas vindictæ conscium facere velit servum suum, quia peculiaribus ipsum donis ante alios omnes ornaverat. Sic enim continuat sua beneficia erga fideles, imo auget, ac priora novis recentibusque subinde cumulat. Atque in hunc modum quotidie nobiscum agit. Quid enim causæ est cur assiduo tenore innumeras nobis gratias conferat, nisi quia semel nos paterno amore complexus, seipsum abnegare non potest? idcoque seipsum in nobis suaque dona quodammodo honorat. Quid enim hic præter gratuita sua dona commemorat? Ergo beneficentiæ materiam ex seipso, non ex Abrahæ meritis sumit, neque enim aliunde Abrahæ benedictio fluxit quam ex divino fonte. Discimus autem ex hoc loco, quod etiam experientia docet, peculiare esse Ecclesiæ privilegium, cognoscere quid sibi velint & quorsum spectent Dei judicia. Deus quidem scelleribus pœnas infligens, palam se ipsa mundi judicem probat: sed quia fortuito accidere omnia videntur, Dominus per verbum affulget filiis suis, ne cum incredulis cæcutiant. Sic olim quum manum suam ad omnes mundi plagas extenderet, in Judæa tamen sacrum os suum continuit: hoc est, quum gentes omnes feriret cladibus & rebus adversis, solum tamen electum populum verbo admonuit per Prophetas, earum se esse auctorem: imo ante tempus fore prædixit, quemadmodum habetur apud Amos. An erit quicquam quod occultet Dominus servis suis Prophetis? Memineritis ergo Deum ex quo beneficus erga nos esse cœpit, nunquam fatigari, donec suas gratias aliis aliis contexens, salutem nostram compleat. Deinde postquam nos semel adoptavit, & illuxit mentibus nostris per verbum suum, simul ejusdem verbi facem tenere ante oculos nostros accensam, ut judicia & pœnas scelerum quas impii secure negligunt, fide consideremus. Ita fideles in reputandis omnium temporum historiis versari decet, ut de variis cladibus quæ privatim & publice impiis accidernnt, semper judicium ex Scriptura suciant. Verum quæritur an exponi Abrahæ necesse fuerit Sodomæ excidium antequam accideret. Respondeo, quoniam adeo hebetes sumus in operibus Dei reputandis, minime supervacuum fuisse hanc revelationem. Quamvis clamitet Dominus res adversas iræ suæ flagella esse, nemo fere auscultat: quia causas pravis imaginationibus carnis nostræ alio transfermus. Admonitio autem quæ eventum præcedit, non ita nos torpere, nec fortunam vel aliud quodpiam figmentum divini judicii loco imaginari patitur. Ita olim necesse fuit ut populum, licet ferreum, prædictiones magis afficerent quam si jam acceptis plagis fuissent à Prophetis admoniti. Quare ex illis etiam generalem regulam sumere convenit, ne profectu careant quæ quotidie cernimus Dei judicia. Sodomam, dum adhuc integra est, ac suis deliciis suaviter vacat, Dominus perituram denunciat servo suo Abrahæ. Hinc omnis dubitatio eximitur, non casu periisse, sed divinitus fuisse afflictam. Hinc etiam causa quæ exprimitur, longe efficacior hominum animos pungat ac stimulet necesse est. Idem postea de aliis statuendum, nam etsi nobis quæ facturus est non prædicit Dominus, vult tamen nos oculatos esse operum suorum testes, & eorum causas prudenter expendere: non autem confuso intuitu hallucinari, sicuti incredulis videndo non videntes, illorum finem pervertunt.

Amos 3. vers. 7.

19. *Pro-*

19. *Propterea præcipiet filiis suis.*] Secunda ratio cur sui consilii participem facere velit Deus Abraham, quia non frustra nec inutiliter id se facturum prævideat. Simplex autem sensus est, admitti Abraham in consilium Dei, quia fideliter boni patrisfamilias officium facturus sit in suis docendis. Hinc colligimus Abraham de Sodomæ excidio non sua tantum unius causa certiorem esse factum, sed in gratiam generis sui. Quod diligenter notandum est; perinde enim valet hæc sententia acsi Deus in Abrahæ persona posteros omnes compellaret. Et certe non ideo suam voluntatem nobis Deus exponit ut nobis cum intereat ejus cognitio, sed ut ejus testes simus ad posteros, illique à nobis acceptam de manu (quod aiunt) in manum nepotibus tradant. Quare patres sedulo incumbere decet ut quod didicerunt à Domino filiis suis communicent. In hunc modum propaganda est nobis Dei veritas, ne sibi quisque privatim tantum sapiat, sed alii alios pro sua vocatione & fidei modo ædificent. Nec vero dubium est quin crassa ignorantia quæ in mundo regnat, justa sit ignaviæ hominum ultio. Nam quum major pars ad oblatam cælestis doctrinæ lucem oculos claudat, plures tamen eam suffocant, nec transmittere curant ad filios. Jure ergo Dominus, ut pœnam sumat de mundi pigritia, pretiosum verbi sui thesaurum submovet. Ac notanda est particula *Posse*, qua docemur non modo curam nostrorum habendam esse quamdiu vivimus, ut eos regamus quasi in diem; sed dandam esse operam ut Dei veritas, quæ æterna est, post mortem nostram vivat ac vigeat: ut nobis mortuis superstes maneat sancta vivendi ratio. Hinc præterea colligimus utiles esse cognitu historias quæ ad incutiendum terrorem valent. Opus enim habet carnis nostræ securitas acribus stimulis quibus pungatur ad Dei timorem. Atque hoc doctrinæ genus ne quis tantum ad extraneos spectare putet, Dominus proprie destinat Abrahæ filiis, hoc est, Ecclesiæ domesticis. Insulsi enim sunt ac perversi interpretes qui fidem everti contendunt si terreantur conscientiæ. Nam quum fidei nihil magis contrarium sit quam contemptus & torpor, optime cum gratiæ prædicatione consentit ea doctrina quæ homines subigit ad Dei timorem, ut afflicti & famelici ad Christum festinent.

Et custodient viam Jehovæ.] His verbis significat Moses, non modo in hunc finem proponi Dei judicium, ut expavescant qui sibi per socordiam placent in suis vitiis, atque hoc modo coacti ad Christi gratiam suspirent: sed ut fideles ipsi, qui jam præditi sunt Dei timore, magis ac magis in studio pietatis proficiant. Vult enim Sodomæ exitium narrari, non tantum ut ejusdem vindictæ metu impii ad Deum trahantur, sed etiam ut melius formentur in vera obedientia qui jam Deum colere cœperunt. Ita Lex non tantum ad initium refipiscentiæ valet, sed etiam ad continuos progressus. Quum addit Moses, *Ut faciant justitiam & judicium*, breviter ostendit qualis sit via Domini cujus mentionem fecerat. quanquam non plena est definitio: sed ab officiis secundæ tabulæ per synecdochen breviter ostendit quid potissimum à nobis requirat Deus. Neque id Scripturæ insolens est, piæ rectæque vitæ descriptionem petere ex secunda Legis tabula. non quod pluris sit charitas quam Dei cultus: sed quia suam erga Deum pietatem probant qui recte & innoxie vivunt cum suis proximis. Justitiæ & judicii nominibus æquitatem complectitur, qua tribuitur cuique quod suum est. Si distinguere placet, Justitia proprie vocatur rectitudo & humanitas, quam colimus cum fratribus nostris dum studemus omnibus benefacere: ab omni autem noxa, fraude & vi abstinemus. Judicium vero est, miseris & oppressis manum porrigere, tueri bonas causas, dare operam ne debiles injuste lædantur. Hæc sunt legitima exercitia, quibus suos occupari Dominus jubet. *Ut venire faciat Dominus super Abraham quod loquutus est super eum.* Significat Moses compotem promissæ sibi gratiæ fore Abraham, si suos eruditat in timore Domini, domumque suam probe gubernet. Ac sub unius hominis persona communis omnibus piis regula traditur. nam qui hac in parte torpent, abjiciunt, quantum in se est, vel supprimunt Dei gratiam. Ergo ut perpetua nobis duret ac posteris etiam superstit donorum Dei possessio, cavendum est ne torpore nostro intercidant. Falso tamen hinc colligeret quispiam, sua diligentia efficere fideles ac mereri ut Deus quæ promisit impleat. Trita enim loquendi ratio est Scripturæ hac voce Ut, consequentiam magis notare quam causam. Etsi enim sola Dei gratia salutem nostram inchoat & absolvit: quia tamen Dei vocationem sequendo, cursum nostrum peragimus, dicimur etiam hoc modo salutem à Deo promissam consequi.

20. *Clamor Sodomæ.*] Hic clarius exponere incipit Dominus consilium suum Abrahæ de quinque urbibus perdendis: quanquam Sodomam tantum & Gomorrham, quæ aliis magis famosæ erant, nominat. Prius vero quam pœnæ faciat mentionem, scelera in medium producit, ut sciat Abraham jure plecti qui perduntur: alioqui historia ad eruditionem non spectaret. Sed hinc peccandi metus, quum sentimus hominum culpa iram Dei provocari. Dicit clamorem pro scelerum gravitate multiplicatum fuisse: quia utcunque sibi impunitatem promittant impii mala sua tegendo, & cum silentio & quiete fruantur ab hominibus, peccatum tamen in auribus Dei alte sonare necesse est. Ergo hæc loquutio significat facta omnia nostra, quorum putamus sepultam esse memoriam, ad Dei tribunal proferri: imo sponte poscere vindictam, quamvis nemo sit qui accusset.

21. *Descendam nunc.*] Quia hoc singulare fuit exemplum iræ Dei, quod Deus celebrari per omnes ætates voluit, & in Scriptura passim inculcat: ideo quæ in divinis judiciis reputanda sunt, diligenter exprimit Moses. quemadmodum hoc loco moderationem ipsius Domini commendat, quod non statim fulminet adversus impios, nec statim vindictam suam præcipitet: sed ubi res penitus sunt deploratæ, tunc demum exequatur quam suspensam diu tenuit pœnam. Neque frustra Dominus composito & recte temperato ordine ad pœnas se progredi testatur: quia quoties nos castigat, justo severius nobiscum agere eum putamus. imo quum mira tolerantia nos expectet, donec ad ultimum impietatis venerimus, & obstinatior sit nostra malitia quam ut amplius parcendum sit, de nimia tamen rigoris festinatione conquerimur. Ergo quasi in illustri tabula suam in nobis ferendis æquitatem depingit, ut sciamus nunquam eum nisi maturis sceleribus ad pœnas exigendas prorumpere. Jam si Sodomani ex adverso respicias, horribile illic occurret stuporis exemplum. Perinde enim acsi nihil sibi foret negotii cum Deo, insultant Sodomitæ: extincto boni & mali sensu, pecudum instar in omni genere fœditatis se provolvunt: perinde acsi nunquam reddenda esset vitæ ratio, sibi in vitiis adulantur. Quoniam hic morbus seculis omnibus nimium grassatus est, ac hodie plusquam vulgaris apparet: hanc circumstantiam notare operæpretium est, quo tempore sibi, excusso Dei metu, indulgent Sodomitæ, ac impune sibi fore promittunt quicquid peccarint, Deum capere de illis perdendis consilium: & tumultuoso scelerum clamore excitatum, descendere in terram, quo tempore illi altum somnum dormiunt. Quare siquando Deus sua judicia differt, ne ideo putemus nobis melius esse; sed antequam scelerum nostrorum querimoniæ ejus aures fatigent, minis ejus expergefacti, mature ad eum placandum properemus. Quoniam autem

talis Dei tolerantia à nobis comprehendi non poteſt, eum humano more loquentem inducit Moſes.

Fecerint conſummationem.] Nomen Hebraicum כלה quod hic uſurpat Moſes, tam perfectio eſt vel finis cujuſque rei quam conſumptio. Ideo Hieronymus vertit, Si opere compleverint. Nec vero dubito quin ſignificet Moſes veniſſe Deum, ut inquirat an ad ſummum cumulum conſenderint peccata: quemadmodum prius dixit nondum completas eſſe iniquitates Amorrhæorum. Summa eſt igitur, viſurum eſſe Dominum ſintne prorſus deplorati, ut qui ad extremum malorum ſe projecerint: an vero ſint adhuc in medio curſu, unde revocari queant ad ſanam mentem: quia funditus perdere nolit iſtas urbes, ſi quo modo ſanabilis ſit eorum malitia. Alii vertunt, Si ita fecerint, jam adeſt ultimus interitus: ſin minus, videbo quatenus ſint puniendi. Sed prior ille ſenſus melius quadrat.

22. *Et Abraham adhuc ipſe ſtabat.*] Primum dicit Moſes viros ulterius progreſſos eſſe, ſignificans ſermone finito valediciſſe Abrahæ, ut domum rediret. Deinde ſubjicit, Abraham ſtetiſſe coram Domino, ut ſolent qui dimiſſi non ſtatim abeunt, eo quod aliquid adhuc dicendum vel agendum reſtet. Et ſcite Moſes, quum de itinere ſit mentio, Angelis hominum nomen attribuit: Abraham vero non dicit coram hominibus ſtetiſſe, ſed coram facie Dei: quia tametſi oculis cernebat hominum ſpecies, fide tamen Deum intuebatur. Et verba ejus ſatis demonſtrant non loquutum eſſe quaſi cum homine mortali. Unde colligimus, præpoſtere à nobis fieri ſi nos externa ſymbola, quibus ſe Deus repræſentat, morentur vel impediant quominus recta ad eum tendamus. Natura quidem propenſi ſumus ad hoc vitium: ſed eo magis luctandum eſt ut fidei ſenſu ad Deum ipſum evehamur, ne externa ſigna in mundo nos retineant. Porro acceſſit ad Deum Abraham reverentiæ cauſa. Neque enim ſe contentioſe opponit, quaſi jus interceſſionis habeat: ſed tantum ſuppliciter deprecatur. & ſingulæ voces quanta fuerit ſancti viri humilitas & modeſtia, oſtendunt. Fateor quidem ſanctos interdum carnis ſenſu abreptos ſibi non temperaſſe quin oblique ſaltem Deo obſtreperent: ſed hic Abraham non niſi reverenter Deum compellat, nec quicquam illi excidit reprehenſione dignum. Videndum tamen quo affectu impulſus fuerit Abraham, ut ſuas pro Sodomitis preces interponeret. Quidam putant de unius nepotis ſalute magis fuiſſe anxium, quam Sodomam & reliquas urbes curaſſe: verecundia tamen retentum, ne magno populo neglecto, unum hominem nominatim ſibi dari poſceret. Atqui minime probabile eſt tali ſimulatione abuſum eſſe. Ego certe communi erga quinque populos miſericordia tactum eſſe non dubito, ut deprecator accederet. Quod ſi omnia expendimus, magnas habuit cauſas cur id faceret. Nuper illos eripuerat ex hoſtium manu: nunc repente delendos eſſe audit. Concipere poterat bellum illud temere eſſe ſuſceptum, victoriam ſuam divinitus eſſe maledictam, quaſi Deo invito pro indignis & ſceleratis arma ſumpſiſſe. potuit his cogitationibus non leviter torqueri. Adhæc creditu difficile erat, tam ingratos eſſe omnes ut nulla recentis liberationis memoria apud eos vigeret. Atqui fas illi non fuit uno verbo cum Deo diſputare, poſtquam audierat quid illi ſtatutum foret. Quid enim meriti ſint homines, & quam ſevere eos tractari expediat, unus ille optime novit. Cur ergo non acquieſcit Abraham? cur ſibi aliquos Sodomæ juſtos eſſe fingit, quibus neglectis Deus confuſo impetu ad ſæviendum proſiliat? Reſpondeo, ſenſum humanitatis, quo permotus fuit Abraham, Deo placuiſſe. Primum, quia totam illi cognitionem, ut decet, permittit. Deinde, quia tantum ſolatii petendi cauſa, ſobrie & ſubmiſſe interrogat. Quod tantæ multitudinis interitum exhorret, nihil mirum. Videt homines ad imaginem Dei creatos: ſibi perſuadet in illa ingenti turba paucos ſaltem eſſe integros, vel non omnino improbos & malitiæ deditos. Quod ergo ad veniam impetrandam valere exiſtimat, Deo objicit. Videtur tamen perperam facere quod impunitatem malis poſtulet in gratiam bonorum. Cuperet enim Deum loco parcere, ſi quinquaginta illic bonos inveniat. Reſpondeo, non uſque eo extendi preces Abrahæ, ne Deus flagellis ſuis attingat urbes illas, ſed tantum ne funditus illas perdat: acſi dixiſſet, Domine, utcunque ultionem ſumas de impiis, annon aliquod domicilium juſtis relinques? Cur funditus periret iſta regio, quamdiu reſtabunt incolæ à quibus habitetur? Non ergo petit Abraham ut impii bonis permixti manum Dei effugiant: ſed tantum ut Deus publicam de gente tota pœnam ſumens, ab exitio tamen bonos qui reſidui erunt, eximat.

23. *Numquid etiam diſperdes juſtum.*] Certum quidem eſt, dum corpus aliquod populi Deus caſtigat, ſæpe in eaſdem involvi pœnas bonos cum reprobis. Sic Daniel, Ezechiel, Eſdras, & ſimiles qui pure Deum in patria colebant, quaſi violenta procella in exilium abrepti ſunt: quum tamen dictum foret, Evomet terra habitatores ſuos propter eorum ſceleratione. Quod ſi ita communiter irafci in ſpeciem omnibus videtur Deus, ad finem referre oculos decet, qui longe alios ab aliis diſcernit. Nam ſi agricola tritici grana, quæ ſimul cum palea boum pedibus calcantur, vel percutiuntur flagello, ſegregare in horreum novit: longe melius fideles ſuos, poſtquam ad tempus caſtigaverit, ab impiis (qui veluti ſunt inutiles quiſquiliæ) colliget, ne ſimul pereant: imo tandem eventu ipſo probabit ſe perditos noluiſſe quos pœnis ſanabat. Tantum enim abeſt ut ad perdendum ruat, quoties ſuos temporalibus pœnis ſubjicit, ut potius medicinam afferens, eorum ſalutem procuret. Ego vero non dubito quin Deus ultimum interitum Sodomæ denunciaſſet: atque hoc ſenſu nunc excipiat Abraham, minime conſentaneum eſſe ut eadem pariter ruina juſti cum impiis concidant. Nihil tamen abſurdi erit ſi dicamus, Abraham, quod bene ſperaret de malorum reſipiſcentia, Deum rogaſſe ut illis parceret: quemadmodum ſæpe contingit ut paucorum reſpectu Deus clementer populum aliquem tractet. Scimus enim mitigari publicas pœnas, quia Dominus ſuos benigne paternoque oculo reſpicit. In eundem ſenſum accipi debet ipſius Dei reſponſio, *Si in medio Sodomæ invenero quinquaginta juſtos, toti loco propter eos parcam.* Neque tamen hic perpetua lege ſe Deus obſtringit, ne liceat, quoties ita viſum fuerit, impios etiam juſtis conjunctos ad pœnam trahere. Atque ut oſtendat liberam ſibi eſſe judicandi poteſtatem, non ſemper æquabilem in hac parte modum ſervat. Qui Sodomæ parſurus erat propter decem juſtos, hanc ſe veniam Jeroſolymæ datarum negat. Sciamus ergo Deum hic ſibi neceſſitatem non imponere: ſed ideo ſic loqui, ut melius teſtatum faciat ſe non leviter profiliire ad perdendam urbem, cujus nulla portio ſincera reſtabat.

Levit. 18. verſ. 25.

Matt. 11. verſ. 24.

25. *An judex univerſæ terræ non faciet jud.*] Non admonet officii ſui Deum: quemadmodum ſiquis judici dicat, Vide quid ferat tuum munus, quid loco iſto dignum ſit, quid perſonæ conveniat: ſed à natura Dei ratiocinatur, impoſſibile eſſe ut quicquam inique deſignet. Eodem, fateor, loquendi modo ſæpe obmurmurant Deo impii: ſed longe aliter Abraham. Quamvis enim miretur quomodo Sodomam delere cogitet Deus, in qua perſuaſus eſt aliquem eſſe bonorum hominum numerum: retinet tamen principium iſtud, fieri non poſſe ut Deus qui judex eſt mundi, & natura æquitatem amat, imo cujus voluntas lex eſt æqui & recti, vel minimum defle-

ctat

ctat à juſtitia. Interim hanc ſibi difficultatem qua angitur, expediri cupit. Sic quoties diverſæ tentationes in animis noſtris confligunt, & aliqua repugnantiæ ſpecies in Dei operibus occurrit, modo fixa maneat de juſtitiâ ejus perſuaſio, quæ nos excruciant anguſtias in ejus ſinum effundere licebit, ut nodos inſolubiles nobis ſolvat. Videtur Paulus ex hoc loco reſponſionem ſumpſiſſe, qua eorum blaſphemiam compeſcit qui Deum impietatis inſimulant: Numquid iniquus eſt Deus? Abſit. quomodo enim apud eum injuſtitia qui mundum judicat? ad Rom. cap. 3. verſ. 5. 6. Inter judices terrenos non ſemper valeret hæc ratio: quos ſubinde vel errore falli, vel gratia flecti, vel odio accendi, vel corrumpi muneribus, vel aliis modis ad injuſtitiam traduci contingit. Sed quia nihil iſtorum in Deum cadit, qui naturaliter competit mundum judicare, ſequitur nihil magis deduci ab æquitate Deum poſſe quam abnegare ſelpſum ne ſit Deus.

27. *Et ſum pulvis.*] Ita præfatur Abraham obtinendæ veniæ cauſa. Quid enim eſt mortalis homo ubi cum Deo confertur? Fatetur ergo ſe nimis audacem eſſe, qui tam familiariter Deum interrogat: id tamen ejus indulgentia ſibi concedi petit. Notandum eſt, Abraham, quo propius ad Deum accellit, eo melius ſentire quam miſera ſit & abjecta hominum conditio. Solus enim eſt gloriæ Dei fulgor qui homines ſtulta & ebria ſui fiducia exutos pudore confundit, & penitus humiliat. Quiſquis itaque ſibi aliquid eſſe videtur, in Deum convertat oculos, ac protinus ſe nihil eſſe fatebitur. Cæterum non oblitus erat Abraham ſe anima immortali præditum eſſe: ſed quod maxime contemptibile eſt elegit, quo ſe omni dignitate exinaniat. Videtur tamen ſophiſtice cum Deo ludere Abraham, quum paulatim ex primo numero diminuens, uſque ad ſextam interrogationem procedit. Reſpondeo, potius turbati animi fuiſſe hunc ſermonem. Primum anxie laborat pro Sodomitis. quare nihil omittit quod ad ſuam ſollicitudinem placandam facit. Quum tam comiter illi ſubinde reſpondeat Dominus, ſciamus non fuiſſe importunum nec moleſtum. Quod ſi pro Sodomitis deprecans, uſque ad ſextum votum placide exauditus fuit, multo minus uniuſcujuſque preces rejiciet Dominus quæ pro Eccleſia fundentur ac fidei domeſticis. Porro in eo quoque refulget Abrahæ humanitas, quod tametſi Sodomam fœdiſſimis corruptelis refertam ſciat, inducere tamen in animum non poteſt, omnes ſcelerum contagione eſſe infectos. quin potius in æquitatem propendet, ut in magna turba latere putet aliquos probos. Eſt enim hoc horribile portentum, ſic per totum corpus graſſari ſcelerum colluviem, ut nullum membrum purum maneat. Sed docemur hoc exemplo quam impotenter graſſetur Satan, ubi ſemel invaluit peccati dominatio. Nec certe mirum eſt, quum tanta ſit hominum in vitia propenſio, tam lubrica facilitas, alios ab aliis corrumpi, donec ad ſingulos ſerpat contagio. Nihil ergo magis periculoſum quam agere ubi regnat publica ſcelerum licentia: imo nulla eſt tam peſtifera lues quam ea morum corruptio cui nec leges, nec judicia, nec alia remedia obſiſtunt. Quanquam autem fœdiſſimum crimen quod Sodomæ regnabat, proximo capite exprimet Moſes: tenendum tamen eſt quod docet Ezech. 16. verſ. 48. 49. non ſtatim ad tam execrabile flagitium prolapſos fuiſſe Sodomitas: ſed initio illic regnaſſe luxum ex ſaturitate panis: deinde ſequutam eſſe ſuperbiam & crudelitatem. Tandem quum in ſenſum reprobum conjecti eſſent, in belluinas quoque libidines præcipites acti ſunt. Ergo ſi extremum hunc furorem horremus, colenda nobis eſt temperantia & frugalitas: ſemperque timendum ne redundans victus copia nos ad luxuriam impellat, ne propter opes ſuperbia intumeſcant animi, ne deliciæ ad libidinum intemperiem nos ſollicitent.

Caput XIX.

ET venerunt duo Angeli in Sedom veſperi, Lot autem ſedebat in porta Sedom: & vidit Lot, & ſurrexit in occurſum eorum, & incurvavit ſe facie ſuper terram.

2. Et dixit, Ecce nunc domini mei, declinate obſecro ad domum ſervi veſtri, & pernoctate, & lavate pedes veſtros: & mane ſurgetis, & pergetis in viam veſtram. Et dixerunt, Nequaquam, ſed in platea pernoctabimus.

3. Et vehementer compulit eos, & declinaverunt ad eum, veneruntque ad domum ejus: & fecit eis convivium, & infermentata coxit, & comederunt.

4. Antequam dormirent, viri civitatis viri Sedom gyro cinxerunt domum à puero uſque ad ſenem, omnis populus ab extremo.

5. Et vocaverunt Lot, & dixerunt ei, Ubi *ſunt* viri qui venerunt ad te nocte? educ eos ad nos, & cognoſcemus eos.

6. Et egreſſus eſt ad eos Lot ad oſtium, & oſtium clauſit poſt ſe.

7. Et dixit, Ne quæſo fratres mei malefaciatis.

8. Ecce, nunc mihi ſunt duæ filiæ, quæ non cognoverunt virum, educam nunc eas ad vos, & facite eis ſicut bonum erit in oculis veſtris: tantum viris iſtis ne faciatis quicquam, eo quod venerunt in umbram tigni mei.

9. Verum dixerunt, Accede huc. Dixerunt præterea, Unus venit ad peregrinandum, & judicabit judicando? nunc magis malefaciemus tibi quam ipſis. Et vim fecerunt in virum ipſum Lot valde: & appropinquaverunt ut frangerent oſtium.

10. At miſerunt viri manum ſuam, & introduxerunt Lot ad ſe in domum, & oſtium clauſerunt.

11. Virosautem qui erant ad oſtium domus, percuſſerunt cæcitate, à minimo uſque ad maximum, & laboraverunt ut invenirent oſtium.

12. Et dixerunt viri ad Lot, Adhuc eſt aliquis tibi hic? generum, & filios tuos, & filias tuas, & omnia quæ ſunt tibi in civitate, educ de loco:

13. Quia diſperdimus nos locum hunc, eo quod crevit clamor eorum coram Jehova, & miſit nos Jehova ad perdendum eum.

14. Et egreſſus eſt Lot, & loquutus eſt ad generos ſuos qui acceperant filias ejus, & dixit, Surgite, egredimini de loco iſto, quia diſperdit Jehova civitatem: & fuit ſicut ludens in oculis generorum ſuorum.

15. Quum vero aurora aſcendiſſet, inſtabant Angeli ipſi Lot, dicendo, Surge, cape uxorem tuam, & duas filias tuas quæ adſunt, ne forte pereas in punitione civitatis.

16. Et tardabat: & apprehenderunt viri manum ejus, & manum uxoris ejus, & manum duarum filiarum ejus, eo quod parceret Jehova ei: & eduxerunt eum, & poſuerunt eum extra urbem.

17. Et fuit, quum eduxiſſent ipſi eos foras, dixit, Evade pro anima tua, ne reſpicias poſt te, nec ſtes in tota planitie: in monte ſerva te, ne forte pereas.

18. Et dixit Lot ad eos, Ne quæſo Domini mei.

19. Ecce, nunc invenit ſervus tuus gratiam in oculis tuis, & magnificaſti miſericordiam tuam quam feciſti mecum, ut vivificares animam meam: at ego non potero ſervare me in monte, ne forte hæreat mihi malum, & moriar.

20. Ecce, nunc civitas iſta propinqua, ut fugiam illuc, & eſt parva, evadam nunc illuc: numquid non parva eſt, & vivet anima mea?

21. Et dixit ad eum, Ecce, ſuſcepi faciem tuam etiam in hoc, ut non ſubvertam civitatem, ut loquutus es.

22. Feſtina, ſerva te illuc: quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc. idcirco vocavit nomen civitatis Sohar.

23. Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Sohar.

24. Et Jehova pluit ſuper Sedom & ſuper Hamorah ſulphur & ignem à Jehova è cœlis:

25. Et ſubvertit civitates iſtas, & omnem planitiem, & omnes habitatores urbium, & germen terræ.

26. Et reſpexit uxor ejus poſt eum, & effecta eſt ſtatua ſalis.

27. Et ſurrexit Abraham mane ad locum ubi ſteterat coram Jehova:

28. Et reſpexit ſuper faciem Sodom & Hamorah, & ſuper omnem faciem terræ planitiei: & vidit & ecce aſcendebat fumus terræ ſicut fumus fornacis.

29. Et fuit, quum diſperderet Deus urbes planitiei, recordatus eſt Deus Abraham: & emiſit Lot è medio ſubverſionis, quando ſubvertit civitates, in quarum una habitabat Lot.

30. Et aſcendit Lot de Sohar, & habitavit in monte, & duæ filiæ ejus cum eo: quia timuit habitare in Sohar: & habitavit in ſpelunca, ipſe & duæ filiæ ejus.

31. Et dixit primogenita ad minorem, Pater noſter ſenex eſt, & vir non eſt in terra, ut ingrediatur ad nos ſecundum morem univerſæ terræ.

32. Veni, potum demus patri noſtro vinum, & dormiamus cum eo, & vivificemus de patre noſtro ſemen.

33. Et potum dederunt patri ſuo vinum, nocte ipſa: & ingreſſa eſt primogenita, & dormivit cum patre ſuo, qui non cognovit quando dormivit ipſa nec quando ſurrexit ipſa.

34. Et fuit poſtridie, dixit primogenita ad minorem, Ecce, dormivi heri ſero cum patre meo: potum demus ei vinum etiam hac nocte, & ingredere, dormi cum eo, & vivificemus de patre noſtro ſemen.

35. Et potum dederunt etiam nocte ipſa patri ſuo vinum: & ſurrexit minor, & dormivit cum eo: nec cognovit quando dormivit ipſa, nec quando ſurrexit ipſa.

36. Et conceperunt duæ filiæ Lot de patre ſuo.

37. Et peperit primogenita filium, & vocavit nomen ejus Moab: ipſe eſt pater Moab uſque ad diem hanc.

38. Et minor etiam ipſa peperit filium, & vocavit nomen ejus Ben-Hammi: ipſe eſt pater filiorum Hammon uſque ad diem hanc.

1. *Et venerunt duo Angeli in Sedom.*] Quæritur cur unus ex tribus Angelis ſubito diſparuerit, duo tantum Sodomam veniant. Judæi (ut ſunt audaces in comminiſcendis fabulis) unum veniſſe nugantur ad perdendum locum; alterum, qui Lot ſervaret. Verum ex contextu Moſis apparet illud eſſe frivolum: quia ambos videbimus liberationis fuiſſe miniſtros. Simplicius eſt quod prius adduxi, hoc fuiſſe Abrahæ peculiaris gratiæ loco conceſſum, ut Deus non modo è media Angelorum turba duos ad eum mitteret, ſed familiarius ſe illi patefaceret in Filio ſuo. Unus enim (ut vidimus) principem locum, ut dignitate ſuperior, obtinuit. Quanquam autem Chriſtus ſemper fuit Mediator, quia tamen magis obſcure ipſi Lot patefactus fuit quam Abrahæ, tantum duo Angeli Sodomam venerunt. Quod Moſes narrat, Lot circa veſperam in porta urbis ſediſſe, multi ex quotidiano more feciſſe contendunt, ut hoſpites ad ſe reciperet. quia tamen cauſam ſubticet Moſes, illud pro certo aſſerere temerarium foret. Fateor quidem non ſediſſe ut ignavi homines ſolent: ſed non minus probabilis eſt conjectura, veniſſe obviam ſuis paſtoribus, ut cogendis pecoribus adeſſet. Hoſpitalem quidem fuiſſe clare demonſtrat tam comis invitatio quæ à Moſe deſcribitur. cur tamen ſubſtiterit tunc in porta urbis, incertum eſt: niſi quod benefaciendi occaſionem prætermittere noluit, quum oblati eſſent hoſpites, quibus impendere officia ſua poſſet. Reliqua petantur ex proximo capite.

2. *Nequaquam, ſed in platea.*] Non ſtatim aſſentiuntur Angeli, quo melius ſancti viri affectum explorent. Neque enim præbendæ tantum cœnæ cauſa domum eos erat ducturus, ſed ut à civium vi & injuriis tuendos ſuſciperet. Perinde ergo agunt Angeli, acſi totum eſſet in via publica dormire: atque ita perditam totius populi nequitiam ſcire ſe diſſimulant. Num ſi ideo claudantur urbium portæ ut ferarum hoſtiumque incurſus arceantur, quam indignum eſt atque abſurdum gravioribus periculis intus eſſe expoſitos qui illic degunt? Ergo ad exaggerandum populi ſcelus ita loquuntur Angeli. Lot autem

autem Angelos cogendo ad se venire, ut à commuoi gentis petulantia eos protegat, melius ostendit quantæ sibi curæ sint hospites, nequid probri aut injuriæ patiantur.

3. *Et fecit eis convivium.*] Hoc verbo & aliis sequentibus notat Moses Angelos solito lautius fuisse tractatos: neque enim sic Lot cum omnibus indifferenter agebat. Sed quum ex dignitate oris & habitus conjiceret homines esse non gregarios, placentas coxit, & liberale paravit convivium. Iterum dicit Moses Angelos comedisse: non quod haberent opus, sed quia cœlestis naturæ manifestandæ nondum maturum erat tempus.

4. *Antequam dormirent.*] Hic in uno facinore Moses vivam Sodomæ effigiem ante oculos proponit. Hinc enim perspicuum est quam diabolicus in omne nefas fuerit eorum consensus; quod tam facile omnes ad teterrimam obscœnitatem conspirant. Quanta fuerit improbitas & protervia, inde patet, quod quasi exercitu collecto, hostiliter ad obsidendam domum Lot insurgunt. Quam cæca & immanis libido, quod sine pudore, brutorum animalium instar concurrant? quanta ferocia & crudelitas quod contumeliose minantur sancto viro & extrema quæque intentant? Hinc etiam colligimus, non uno tantum vitio laborasse, sed projectos fuisse ad omnem peccandi audaciam, ut nullus illis pudor reliquus fuerit. Et Ezechiel (sicut supra retulimus) *Ezec. 16. vers. 49.* scite commemorat à quibus malorum initiis in extremam turpitudinem defluxerint. Eodem etiam *Rom. 1. vers. 18.* pertinet quod dicit Paulus, Deum ultrici hominum impietatem, quum eos in tantam cœcitatem projicit ut per nefandas libidines vagentur, & dedecore afficiant sua corpora. Ubi autem excusso pudore laxatæ sunt frenæ libidini, fœdam & immanem barbariem mox sequi necesse est, ac multas scelerum species simul misceri, ut fiat plusquam deforme chaos. Quod si Sodomitas oppressit tam severa Dei ultio, ut furore excæcati, flagitiis omnibus se prostituerent: nobiscum certe vix mitius agetur, quorum eo minus excusabilis est impietas, quo clarius Dei veritas nobis patefacta fuit.

A puero usque ad senem.] Multa subjicit Moses quæ lectori ultro venire in mentem possunt: quale est quod non meminit à quibus concitata fuerit multitudo. Verisimile autem est quædam fuisse diabella: sed tamen hinc perspicimus quam voluntarii ad patrandum scelus fuerint, qui velut signo dato statim conveoiunt. Ostendit etiam quam nullus fuerit pudor apud eos residuus: quia nec senes retinuit ulla gravitas, nec pueros modestia quæ illam ætatem decet: denique abolitam fuisse omnem honesti curam, perversumque naturæ ordinem significat, quum dicit, à puero usque ad senem convolasse ab extremis urbis partibus.

5. *Ubi sunt viri.*] Tametsi in animo habebant turpiter hospitibus ad præpostcram libidinem abuti, verbo tamen aliud obtenduot. Quasi enim peccaverit Lot, dum homines incognitos in urbem admisit cujus ipse erat ioquilinus, jubent ipsos coram produci. Quidam *cognoscere*, exponunt rem habere: atque ita verterunt Græci ioterpretes. Sed ego alio sensu positum esse hoc verbum arbitror: acsi dicerent, Volumus scire quosnam tu hospites io urbem oostram inducas. Scriptura enim rem pudendam modeste hoc verbo ootare soler. Petulantius ergo de nefando concubitu loquuti essent Sodomitæ: verum tegendæ suæ nequitiæ causa, hic imperiose cum sancto viro expostulant, quod ausus fuerit recipere homines ignotos. Hic tamen oritur quæstio. nam si hoc modo solebant quoslibet hospites vexare Sodomitæ: quid aliis factum fuisse dicemus? Lot enim noo tunc primum hospitalis esse cœperat: illi autem semper fuerant libidinosi. Filias suas probro exponere paratus est Lot, ut hospites eripiat. quoties jam eas prostituere necesse fuerat, si non alio remedio placari poterat eorum rabies, qui viros ad stuprum flagitabant? Jam vero si tale instare periculum Lot novisset, hortandi potius erant hospites ut se mature subducerent. Meo quidem judicio, tametsi Lot urbis mores noverat, minime tamen suspicatus est quod accidit, ut impetum io ædes suas facerent: atque id videtur novum fuisse. Sed oportuit scilicet, quum ad habendum de populo illo examen missi essent Angeli, in hoc detestabile facinus omnes prorumpere. Sic impii postquam diu in malitia sua secure exultarunt, tandem furiose ruendo, exitium suum momento accelerant. Voluit ergo Deus quum ad judicium vocaret Sodomitas, quasi extremum scelerate vitæ actum edere: & spiritu vertiginis eos in scelus impulit, cujus atrocitas loci interitum longius differri non sineret. Quemadmodum enim sancti viri Lot hospitalitas insigni præmio ornata fuit, quod nesciens Angelos hominum loco excepit, & convivas habuit domi suæ: ita Deus graviore pœna ultus est obscœnam aliorum libidinem, qui dum stuprum Angelis inferre conati sunt, non tantum in homines fuerunt injurii, sed sacrilego furore cœlestem Dei gloriam violarunt quantum in se erat.

6. *Et egressus est ad eos Lot.*] Quod Lot foras egreditur, neque periculo opponit, hinc apparet quanta fide coluerit sanctum jus hospitii. Rara sane virtus, quod hospitum salutem & honestatem præfert suæ vitæ, quia semel protegendos suscepit: hæc tamen animi magnitudo requiritur à filiis Dei, ne sibi parcant ubi agitur officiom & fides. Quamvis autem jam graviter obsessa domo sua læsus foret, blanditiis tamen mulcere studet feroces animos, dum suppliciter rogat ut à scelere supersedeant, & fratrum titulo eos dignatur. Apparet autem quam truculenta fuerit illorum immanitas, & quam violentus libi finis furor, dum tanta mansuetudine nihil flectuntur. Huc vero tendit tam belluini furoris descriptio, ut sciamus non ante sumptam fuisse de illis pœnam quam dum ad extremum scelerum progressi essent. Meminerimus autem reprobos, ubi justa Dei vindicta exæcati sunt, ruere quasi devotis animis per quodvis nefas: nec quicquam omittere, donec se Deo & hominibus prorsus exosos & detestabiles reddant.

8. *Mihi sunt duæ filiæ.*] Sicuti non vulgarem laudem meretur constantia Lot, quod caput suum pro hospitum defensione opposuerit: ita nunc admixtum fuisse defectum narrat Moses, qui tantam ejus virtutem aliqua macula aspersit. Consilio enim destitutus (ut io rebus perplexis fieri solet) illicitum remedium excogitat. Filias enim suas ad stuprum prostituere oon dubitat, ut compescat indomitum populi furorem. Atqui mille potius mortes obeundæ erant quam meunda talis ratio. Sic tamen fere sunt sanctorum opera: quia nihil ab ipsis tam absolutum exit, quod non aliqua in parte claudicet. Urgetur quidem Lot extrema necessitate, nec mirum est quod filias suas stuprandas offert, dum videt sibi rem esse cum feris bestiis: inconsiderate tamen mali unius remedium quærit ex altero malo. Quod ejus culpam quidam extenuant, facile patior: reprehensione tamen non caret, quod malum malo compensat. Sed monemur hoc exemplo, ubi Dominus Spiritu invictæ fortitudinis oos instruxit, rogandum etiam esse ut Spirito prudentiæ oos gubernet, nec unquam sanum judicium moderatamque rationem excuti nobis sinat. Tunc enim demum rite in officio pergemus si in rebus turbatis composita mente cernemus quid factu opus sit, quid liceat, quid expediat: & præsenti animo quodvis discrimen subire parati erimus. Noo enim minus periculosum est captandis pravis consiliis capturi huc & illoc mentes nostras, quam tumoltuari metu. Redacti autem in ultimas angustias,

Dominum precari diſcamus ut exitum aliquem aperiat. Alii diverſo prætextu Lot excuſant, quod filias ſuas ſciverit minime expeti. Ego autem non dubito quin effugium quod illi primum occurrit, quærere volens, à via deflexerit. Hoc quidem extra dubium eſt, tametſi nondum diſertis verbis profeſſi erant Sodomitæ quam turpi cupiditate æſtuarent, Lot tamen ex quotidianis eorum flagitiis judicium feciſſe. Siquis abſurdum eſſe objiciat, totum populum duos viros ad ſtuprum captaſſe: reſpondeo, quia crimen illud conſuetudine & uſu ſibi licitum eſſe fingebant, paucis inſtigantibus turbam fuiſſe concitatam; ſicuti contingit ubi nullum habetur recti & injuſti diſcrimen. Quum dicit Lot, *hac de cauſa ſubiſſe tectum ſuum*: ſenſus eſt, ſibi commiſſos eſſe à Domino, ſeque perfidiæ reum fore, niſi protegere eos ſtudeat.

9. *Faceſſe hinc.*] Quod Lot tam dure cum ſuis precibus repellitur, quibus tamen ad ſedandam eorum proterviam nihil aptius adduci poterat: hinc apparet quam indomitus fuerit hujus gentis faſtus. Ac primo quidem minantur, *ſi* intercedere pergat, pejus mulctatum iri quam quos defendit. Deinde exprobrant, quod homo extraneus judicis partes ſibi ſumat. Singulis autem verbis demonſtrant qua turgeant ſuperbia. Unum opponunt multitudini: aſſi dicerent, Quo jure tu ſolus imperium tibi vendicas in totam urbem? Deinde ſe indigenas eſſe gloriantur, illum vero inquilinum. Talis eſt etiam hodie Papiſtarum jactantia contra pios verbi miniſtros: paucitatem eſſim illis probri loco objiciunt, ſe autem numero longe præſtare. Deinde longa ſucceſſione ſuperbiunt: ideoque ferendum non eſſe clamitant ut à novis hominibus arguantur. Verum quamlibet contumaciter luctentur impii, ne ſe rationi ſubjiciant, ſciamus nonniſi in ſuam ruinam efferri.

10. *Et miſerunt viri manum ſuam.*] Iterum viros nominat Moſes, non qui fuerint, ſed quales viſi fuerint, ſignificans: etſi enim cæleſtem ſuam virtutem exercere incipiunt, nondum tamen declarant ſe Angelos eſſe divinitus è cælo miſſos. Hic autem docet Moſes, Dominum, quamvis ad tempus diſſimulet dum in diſcrimine fideles verſantur, nunquam tamen ipſos deſerere quin manum in ipſo (quod aiunt) articulo porrigat. Ita in ſervando Lot auxilium ſuum diſtulit, donec ad extrema ventum foret. Quietis ergo animis locum demus ejus providentiæ: quod vocationis noſtræ proprium eſt, quodque ipſe mandat, intrepide ſequamur: quamvis nos periclitari ſinat, tamen oſtendet ſe nunquam fuiſſe noſtri oblitum. Videmus enim, quia domum ſuam tegendis hoſpitibus Lot clauſerat, vicos illi rependi, quum Angeli non modo aperta rurſus janua eum ad ſe recipiunt, ſed oppoſitis divinæ potentiæ repagulis impios ab acceſſu prohibent. Nec vero (ut nuper attigi) humanum modo officium illi præſtant, ſed armati Dei virtute ad ferendam illi opem accedunt. Quod dicit Moſes *percuſſos fuiſſe homines cæcitate*, non ſic accipias, quaſi oculis privati vel capti fuerint: ſed ita hebetatos eſſe eorum viſus ut nihil diſcernerent. Illuſtrius autem fuit hoc miraculum quam ſi eruti prorſus illis vel confixi fuiſſent oculi: quia apertis oculis non ſecus ac cæci palpant, videndoque non vident. Simul exprimere voluit Moſes quam ferrea fuerit illorum obſtinatio: januam Lot non inveniunt: ſequitur in ea quærenda laboraſſe: atqui hoc modo furioſe cum Deo bellum gerunt. Cæterum non ſemel hoc nec ſolis Sodomitis accidit: ſed in reprobis quotidie impletur, quos Satan faſcinat tanta amentia, ut forti Dei manu percuſſi, ſtupida contumacia contra ire pergant. Atque hujus rei ne longius petamus exemplum, videmus quam tremendis pœnis nitus ſit Deus vagas libidines: nec tamen mundus in certam perniciem quæ ante oculos ingeritur, præfracta audacia ruere deſinit.

12. *Habes hic quempiam.*] Tandem quorſum venerint & quidnam facturi ſint Angeli denunciant. Tanta erat poſtremi actus indignitas, ut Lot ſentire jam deberet tolerabilem Deo non eſſe populum illum. Primo autem dicunt ſe venuſſe ad perdendam urbem: *quia multiplicatus fuerit clamor*. Quibus verbis ſignificant, non uno tantum ſcelere provocatum eſſe Deum: ſed poſtquam diu illis pepercerit, nunc tandem immenſa ſcelerum congerie prope coactum, ad ſumendas pœnas deſcendere. Sic enim habendum eſt, quo plura peccata accumulant homines, eo altius ſurgere eorum malitiam, & propius ad Deum accedere, ut vindictam expoſcat. Quare ſicuti Angeli Deum hactenus fuiſſe longanimem multæque tolerantiæ teſtantur: ita rurſus ſignificant qualis eos omnes exitus maneat qui congeſta ſcelerum mole, quaſi gigantum inſtar, cælum oppugnaturi, majori in dies audacia ſe efferunt. Excidii vero cauſam non tantum ideo commemorant ut Lot juſtitiæ & æquitatis laudem Deo tribuat, ſed ut metu perculſus, ad migrationem magis feſtinet. Nam (quæ carnis noſtræ ignavia eſt) lente & frigide ad effugiendum Dei judicium accingimur, niſi ſerio ejus terrore incitati: ita Noah diluvii metu territus, ad fabricandam arcam ſtudium ſuum applicuit. Interea Angeli in ſpem erigunt ſancti trepidationem, ne trepidet, vel formidine occupatus, & ſaluti ſuæ diffidens, tardior ſit ad exitum. Neque eum eum modo ſalvum fore promittunt, ſed ultro illi condonant ſuorum vitam. Dubitandum vero illi de ſua vita non fuit, quam inſtar auctarii alios quoque gratis ſibi concedi videret. Quæritur tamen cur ſuam gratiam offerre Deus voluerit ingratis hominibus, à quibus repudiatum iri noverat. Eadem de Evangelii prædicatione moveri poteſt quæſtio. neque enim ignorat Deus paucos fore ſalutis compotes, quam promiſcue omnibus offerri jubet: ſed ita magis inexcuſabiles redduntur increduli, quum ſalutis nuncium reſpuunt. Ideo autem præcipue jubetur Lot ſpem liberationis ſuis deferre, quo majore fiducia Dei gratiam amplexus, ſtrenue citoque ſe ad diſceſſum accingat, de ſalute ſua non dubitans. Probabiliter autem colligitur ex hoc loco, nullos illi in urbe fuiſſe tunc filios: nam hortatu Angelorum ſaltem conatus eſſet eos extrahere. Prius legimus, amplam illi fuiſſe & numeroſam ſervorum manum: ſed hic quoniam liberi tantum capita cenſentur, nulla fit eorum mentio. probabile tamen eſt aliquos fuiſſe cum eo egreſſos, qui annonam & aliquid ſupellectilis attulerint. Unde enim filiabus vinum in monte deſerto, quod patri ſuo porrigerent, niſi quædam aſinis, vel camelis, vel plauſtris advecta eſſent, de quibus Moſes nihil meminit? Fieri tamen poteſt ut in magna turba multi cum Sodomitis perire maluerint, quam ad quærendam ſalutem domino ſuo ſocii eſſe & comites. Sed hæc quæ Spiritus Dei non patefecit, in medio relinquere præſtat.

13. *Miſit nos Dominus ut perdamus.*] Docet hic locus, Angelos tam iræ Dei quam gratiæ eſſe miniſtros. Nec obſtat quod alibi propriè ſanctis Angelis tribuitur hoc poſterius: ſicuti quum dicit Apoſtolus ordinatos eſſe in eorum ſalutem quos Deus in filios adoptavit. Et Scriptura paſſim teſtatur mandari illis piorum cuſtodiam: contra vero pronunciat Deum ſua judicia per Angelos reprobos exequi. Tenendum enim eſt iiſdem judiciis Deum præficere electos Angelos quæ per reprobos exercet. Abſurdum enim foret transferri ad diabolos hunc honorem, ut cenſeantur præeſſe Dei judiciis: ſicuti nec voluntarium illi obſequium præſtant, ſed potius contumacia furentes adverſus eum, inviti tamen trahuntur ut fiant ejus carnifices. Sciamus ergo non alienum eſſe ab electis Angelis munus, ut armati ad exequendam Dei vindictam & infligendas pœnas deſcendant. Sic Angelus Domini exercitum Sennacherib, qui Hie-

Hebr. 1. *verſ.* 14. *Pſal.* 91. *verſ.* 11. *Pſal.* 77. *verſ.* 49.

2 *Reg.* 19. *verſ.* 35.

roſo-

roſolymam obſidebat, nocte una delevit: ſic & Angelus exerto gladio viſus eſt à Davide, quum peſtis adverſus populum ſæviret. Supra autem admonui, repetere Angelos quod Abrahæ dixerant de clamore: ut loci deteſtatione Lot magis impellaot ad fugam capeſſendam, & iræ Dei metu ſollicitent ad quærendam ſalutem.

2 Sam. 24. verſ. 16.

14. *Et egreſſus Lot.*] Fides ſancti viri Lot in eo primum enituit quod ſero pertimuit, ac homiliatus eſt ad Dei minas: deinde quod io medio tamen exitio promiſſam ſibi ſalutem apprehendit. Quod autem in ſocietatem generos ſuos invitat, talis ſedulitas decet filios Dei, ut modis omnibus ſuos eripere ſtudeant ab exitio. Quum autem dicit Moſes viſum fuiſſe jocari, ſenſus eſt, contemptum fuiſſe & deriſum pium ſeoem, & pro fabula fuiſſe habitum quod dicebat: quia putarent illi deliriis captum fruſtra ſibi periculom fingere. Non ergo viſus fuit illis Lot ludere ex profeſſo, aut veniſſe augendi cauſa: ſed fabuloſum duxeruot ejus ſermonem: quia ubi non ſubeſt religio & timor Dei, tanquam inane & luſorium evaneſcit quicquid de ſcelerum pœna dicitur. Atque hinc perſpicimus quam exitiale malum ſit ſecuritas, quæ impiorum mentes ſic inebriat, imo faſcinat, ut Deom oon amplius putent ſedere in cælo judicem: atque ita ſtupidi torpent in ſuis malis, donec ſubita ruina opprimantur, quum dicunt, Pax & ſecuritas. Præſertim vero, quo propius inſtat Dei vindicta, magis creſcit & obdureſcit eorum obſtinatio. Nihil quidem impiis magis trepidum eſt ac meticuloſum, ubi Dei manu urgentur: ſed donec vi coacti præſentem ſuum interitum ſentiant, omnes minas vel ſuperbis ludibriis rejiciunt, vel contemptim prætereunt. Atqui eorum ſocordia expergefacere nos debet ad Dei timorem, ut ſemper ſinus ſolliciti: nunc vero maxime ubi ſignum aliquod iræ Dei ſe profert.

15. *Inſtabant Angeli.*] Laudata fide Lot & pietate, Moſes aliquid humani fuiſſe paſſum oſtendit, quia tardantem Angeli inſtigant. Porro cauſa pigritiæ eſſe potuit, quod ſe in exilium abire cogitat: ita multiplices curæ & metus trepidum animum perturbant. Dubitat enim quid profugo futurum ſit, ubi relicta domo & ſupellectile, nudus & inops in deſertum aliquem locum ſe contulerit. Neque interea reputat idem ſibi faciendum eſſe quod naofragis, qui ut ſalvi perveniant ad portum, merces & quicquid habent in mare abjiciunt. Deum quidem vera loquutum eſſe non duhitat, nec reculat, ſicuti juſſus eſt, alio migrare: ſed quaſi fatiſcens ſub ſua infirmitate, multiſque curis implicitus, claudicando lente incedit, qui propere nullaque mora interpoſita excurrere debuerat. Cæterum in ejus perſona tarditatis noſtræ ſpeculum propoſuit Dei Spiritus, ut torpore excuſſo, ſimulac nutibus noſtris inſonuit vox cæleſtis, ad promptam obedientiam diſcamus nos accingere: alioqui præter illam pigritiam, quæ naturaliter nobis inſidet, multas remoras injiciet Satan. Ut autem Angeli melius Lot exſtimulent, metum ingerunt, *ne perdatur in urbis iniquitate*, vel pœna. Nam עון, utrumque ſignificat. Non quod innoxios temere Dominus in eundem cum impiis acervum conjiciat: ſed quia dignus eſt qui pereat qoi ſibi conſulere non vult: imo qui admonitus ut caveat, ſua deſidia ruinæ ſe exponit.

16. *Et tardabat: & apprehenderunt viri.*] Prius verbis inſtabant Angeli: nunc manu & re ipſa quaſi violenter hominem ad migrandum compellunt. Mira ſane hominis tarditas, qui quum certo perſuaſus ſit non fruſtra minari Angelos, nullis verborum ſtimulis incitatur, donec manibus eorum trahatur extra urbem. Dicit Chriſtus, licet ſpiritus promptus ſit, carnem eſſe infirmam: hic deterius vitium notatur, quod ſua ignavia caro ſpiritus alacritatem reſtinguat, ut lenta claudicatione viæ reptare poſſit.

Mat. 26. verſ. 41.

Atque hujus quidem mali ſua cuique experientia teſtis eſt. quo majore ſtudio fideles eniti decet, ut ſe ad Deum ſequendum expediant: cavere etiam ne velut ſurdis auribus diſſimulent ejus minas. Nec vero tam ſtudioſe unquam & acriter ſe urgebunt, quin adhuc plus ſatis in officio cunctentur. Notatu etiam dignum eſt quod dicit Moſes, Dominum ſervi miſertum eſſe, dum apprehenſa ejus manu per Angelos extra urbem eum rapuit. Sic enim neceſſe eſt nos ſæpe violenter trahi unde ſponte oon eximus. ſi cui obſtaculo ſuot vel divitiæ, vel honores, vel alia ejus generis, quominus liber ac ſolutus Deo ſe addicat: ubi continget mioui ſuis fortunis, vel cogi in ordinem, ſciat manum ſuam apprehendi à Domino: quia non ſatis profecerant verba & exhortationes. Non eſt ergo cur ægre feramus ſanari violentis remediis morbos quibus corrigendis non ſatis efficax eſt doctrina. Videtur etiam majus quiddam notare Moſes, nempe Dei clementiam certaſſe cum pigritia Lot. neque enim per eum ſtabat quin cunctando propioquum jam interitum ſibi accerſeret: Dominus tamen non modo illi ignoſcit, ſed quia vult ſalvum eſſe, quaſi reſtitantem adhibita manu trahit.

17. *Evade pro anima tua.*] Hoc additum fuit à Moſe, ot ſciamus non modo ad momentum nobis porrigi manum à Domino, ut ſalutem noſtram inchoet: nec opus ſuum mutilum relinquere, ſed perducere uſque ad exitum. Hoc certe non vulgaris gratiæ erat, prædictam fuiſſe ipſi Lot Sodomæ ruinam ne incautum opprimeret, certam ſpem ſalutis eſſe illi datam per Angelos, denique ex periculo manu eſſe ſublatum. Dominus tamen tot beneficiis non contentus, quid poſthac agendum ſit admonet. ita illi curſus rectorem ſe præber, donec ad ſalutis metum perveoerit. A tergo autem reſpicere vetatur Lot, ut ſentiat peſtiferum ſe domicilium relinquere. Primum, ne quo ejus deſiderio titilletur: deinde, ut melius reputet quam ſingulari Dei beneficio ex inferis emerſerit. Prius retulit Moſes, quam fœcunda eſſet ac opima illa plaoities: inde migrare Lot jubetur, ut ſentiat quaſi è medio oaufragio ſe fuiſſe liberatum. Tametſi autem Sodomæ habitans, cor ſuum aſſidue excruciabat: fieri tamen vix potuit quin ex tam profunda ſcelerum colluvie aliquid ſordis contraheret. nunc itaque à Domino purgandus deliciis privatur, in quibus nimium ſibi placuerat. Nos quoque hinc diſcamus, Deum optime ſaluti ooſtræ coofulere, dum reſcindit quæ ſuperflua ſunt ad carnis delicias: atque ut nimiam indulgentiam corrigat, ex ſuavi jucundaque planitie nos ablegat in deſertum montem.

18. *Dixit Lot ad eos.*] Hic aliud vitium Lot reprehenditur, quod non ſimpliciter paret Deo, nec patitur ſe ejus arbitrio ſervari, ſed novum ſibi modum excogitat. Montem aſſignat Deus, qui futurus ſit loco aſyli: urbem ipſe ſibi potios eligit. Fallnntur ergo qui ejus fidem in hac precatione ſic extollunt ut perfectum ſtatuant probe orandi exemplar. nam Moſis potius conſilium eſt docere, fidem Lot non prorſus fuiſſe ab omnibus vitiis immunem vel puram. Tenendum eſt illud axioma, vitioſas eſſe preces noſtras, niſi in verbo fundatæ ſint. Lot vero ooo tantum verbo deſtituitur, ſed præpoſtere ſibi contra verbum indulget. talis certe importunitas, fidei nihil habet affine. Deinde ſubita pœnitentia, ſtultæ cupiditatis pœna fuit. Sic enim vacillare neceſſe eſt eos omnes qui ſe Deo non ſubjiciuot: ſimolac voto uno potiti ſont, nova ſtatim inquietudo naſcitur, quæ mutare ſententiam cogit. Sic in ſumma habendum eſt, Lot minime culpa vncare, dum ſibi urbem ad habitandum poſtulat. nam & ſe opponit Dei mandato, cui acquieſcere debebat: & in deliciis manere cupit, quibus utile erat eum ſubmoveri. Ideo perinde facit acſi æger vel ſectionem vel potionem amaram detrectet, quam tamen me-

dicus præſcribit. Quanquam non intelligo, precatinnem Lot fide prorſus fuiſſe vacuam: quin potius ſic eum à via deflexiſſe ſentio, ut non modo procul non diſceſſerit, ſed ad eam tenendam mente fuerit intentus. Pendebat enim ſemper à Dei verbo: ſed in ſpecie una decidit, dum locum ſibi negatum dari flagitat. Ita piis ſanctorum deſideriis aliquid ſæpe lutulentum & turbidum admiſtum eſt. Nec me latet, ſingulari interdum Spiritus motu impelli, ut videri poſſint à verbo diſcedere, neque tamen ejus fines tranſiliant. Sed immodicus carnis affectus in Lot ſe prodit, quod deliciis quas fugere debebat, tenetur implicitus. Temeritatis vero teſtis eſt inconſtantia, quod ſibi ipſi mox diſplicet.

19 *Ecce, nunc invenit ſervus tuus gratiam.*] Quum duos videat, ſermonem ad unum dirigit. Unde colligimus, Lot non ſubſtitiſſe in Angelis: quia ſatis perſuaſus erat, neque proprium illis eſſe imperium, nec ſalutem ſuam in eorum manu eſſe poſitam. Eorum vero conſpectu non ſecus ac ſpeculo ad contemplandam Dei faciem utitur. Cæterum Dei beneficia Lot non tam gratitudinis ſuæ teſtandæ cauſa commemorat, quam ut majorem inde fiduciam ſumat plus petendi. Quia enim neque largiendo unquam exhauritur Dei bonitas nec fatigatur: quo magis facilem expetti ſumus, eo nos ad bene ſperandum animoſiores eſſe decet. atque hoc quidem fidei proprium eſt, confirmationem patere in poſterum ex præteritis gratiæ experimentis. Neque errat in eo Lot: tantum perperam ſubſumit, dum extra verbum egreſſus, ſibi indulget. Ideo dixi ejus precationem ex fidei quidem fonte manaſſe, ſed ex luto carnalis affectus traxiſſe aliquid turbulentum. Ergo Dei miſericordia freti, ne dubitemus omnia ab eo ſperare, ſed quæ ipſe pollicitus eſt, oprareque permittit. *Non potero me ſervare in monte.* Non obſtrepit quidem Deo (ut ſolent impii) deſtinata malitia: quia tamen non recumbit in verbum Dei, elabitur & prope effluit. Cur enim cladem metuit in monte, ubi Dei manu protegendus erat: tutam vero ſtationem ſibi fore confidit eo in loco, qui & Sodomæ vicinus erat, & ſimili vindictæ propter impuros pravoſque incolas obnoxius. Verum ea ſcilicet eſt hominum natura, ut ſalutem ſibi locare malint in ipſis inferis quam in cælo, quoties ſenſum proprium ſequuntur. Videmus ergo quantopere Lot erret, qui montem nulla ſcelerum contagione infectum fugiens ac ſuſpectum habens, urbem deligit quæ flagitiis ſcatens, non poterat Deo non eſſe exoſa. Parvam eſſe obtendit, quo facilius exoret. Acſi diceret, Se tantum angulum petere ubi ſalvus deliteat. Recte id quidem: niſi ab aſylo divinitus ſibi conceſſo diſcedens, aliud ſibi propria temeritate fingeret.

21. *Ecce, ſuſcepi faciem tuam.*] Inſcite ratiocinantur quidam precationem Lot Deo placuiſſe: quia roganti annuerit, ac dederit quod petebat. Neque enim novum eſt, concedi interdum per indulgentiam à Domino, quod tamen illi non probatur. Sic autem nunc indulget, ut paulo poſt caſtiget ejus ſtultitiam. Interea tamen quum tam benigne & comitet pravis ſuarum votis morem gerat, quid fiet ſi ad puram Spiritus ejus moderationem rite compoſitæ erunt noſtræ preces, atque ex ejus verbo conceptæ? Poſtquam vero de loco veniam dedit Angelus, iterum ad feſtinationem hortando, ejus pigritiam objurgat.

22. *Non poſſum facere quicq.*] Quia Angelus non tantum vindex miſſus ad perdendam Sodomam erat, ſed mandatum quoque acceperat de ſervando Lot, ideo ſe negat prius illud facturum, niſi hoc poſterius ſimul adjungat: quia non ſit in arbitrio miniſtri dividere quæ ſimul Deus injunxit. Quod tamen alii exponere malunt in Dei perſona, mihi non diſplicet. Quanquam enim in ſpeciem dura eſt loquutio: nihil tamen habet abſurdi, quod Deus reprobos perdere aequeat, quin ſervet ſuos electos. Nec ideo putandum eſt alligatam eſſe ejus virtutem, dum ſibi ipſe eſt neceſſitas: vel aliquid de ejus libertate imperioque diminui, dum ſponte ſe & libere obſtringit. Præſertim vero meminerimus, ſacro nexu conjunctam eſſe ejus potentiam cum gratia & promiſſionum fide. Quo fit ut vere & apte dicatur non poſſe niſi quod vult & pollicitus eſt. Hæc vera eſt atque utilis doctrina. Minus tamen erit ſcrupuli ſi ad Angelos referas, qui certum habebant mandatum, cui vel minimum aliquid detrahere fas non erat.

24. *Et Dominus pluit.*] Succincte hic Moſes, verbiſque admodum ſubmiſſis excidium Sodomæ perſtringit, atque aliarum urbium. Rei atrocitas longe aliam amplitudinem, imo tragicos verborum ſonitus poſcebat: ſed Moſes ſimpliciter more ſuo Dei judicium recitans, quæ verbis ſatis vehementer exprimere non poterat, meditanda lectoribus relinquit. Noſtrum igitur eſt omnes ſenſus in illam horribilem vindictam intendere: quæ quum non ſine ingenti cæli & terræ concuſſione acciderit, merito ad ſolum ejus nomen expavefcimus: ideoque tam frequens ejus mentio in Scripturis occurrit. Noluit autem Dominus ſolo terræ hiatu abſorberi urbes illas: ſed quo illuſtrius eſſet judicii ſui ſpecimen, è cælo ignem & ſulphur jaculatus eſt. Huc pertinet quod dicit Moſes, *Dominum pluiſſe ignem à Domino.* Emphatica enim repetitio eſt, quod non uſitato naturæ ordine tunc Dominus pluerit: ſed tanquam exerta manu palam fulminaverit præter ſolitum morem: ut ſatis conſtaret nullis cauſis naturalibus conflatam fuiſſe pluviam illam ex igne & ſulphure. Verum quidem eſt, nunquam fortuito aërem turbari, ac Deum minimæ cujuſque pluviæ agnoſcendum eſſe auctorem. nec excuſabilis eſt Ariſtotelis profana ſubtilitas, qui quum tam acute in Meteoris diſputet de ſecundis cauſis, Deum alto ſilentio ſepelit. Moſes tamen hic diſerte extraordinarium Dei opus nobis commendat: ut ſciamus non ſine aperto miraculo deletam fuiſſe Sodomam. Quod veteres Chriſti divinitatem hoc teſtimonio probare conati ſunt, minime firmum eſt: ac ſine cauſa, meo judicio, tumultuantur, qui acrius Judæos exagitant, quia non admittant tale probationis genus. Fateor quidem Deum ſemper agere per manum Filii ſui, ac tam memorabili vindictæ exemplo Filium præfuiſſe non dubito: ſed parum ſolide ratiocinari dico qui plures inde perſonas eliciunt, quum Moſis conſilium fuerit, lectorum oculos ad ſpectandam Dei manum erigere & acuere. Quod autem quæri ſolet hoc loco quid meriti fuerint infantes, qui eodem cum parentibus interitu abſorpti ſunt: ſolutio facilis eſt, in manu Dei eſſe humanum genus, ut quos voluerit exitio devoveat, quos autem voluerit miſericordia proſequatur: deinde quicquid judicii noſtri modulo metiri non poſſumus, arcano ejus judicio debere ſubjici. Poſtremo, totum illud ſemen fuiſſe maledictum & execrabile, ut ne minimis quidem jure pepercerit.

26. *Et reſpexit uxor ejus.*] Hic mirabile Dei judicium refert Moſes, quod uxor Lot fuerit in ſtatuam ſalis converſa. Hujus autem hiſtoriæ prætextu, Moſen ſubſannant naſuti & protervi homines. nam quum hæc metamorphoſis nihilo plus coloris habeat quam quas Ovidius confinxit, nihil fidei mereri jactant. Ego vero Satanæ artificio factum eſſe potius arbitror, ut Ovidius fabuloſe nugando, huic tam inſigni divinæ vindictæ documento fidem oblique derogaverit. Sed quid profanis hominibus commiſci libuerit, noſtra nihil refert. Tantum expendere operæpretium eſt, num abſurdum quid vel incredibile contineat Moſis narratio. Ac primum quæro, quum ex nihilo creaverit Deus homines, cur illi non liceat eos, dum viſum eſt, in nihilum redigere? Si hoc conceditur, ut neceſſe eſt, cur non etiam ſi placuerit in lapides convertet? imo iſti boni philoſophi qui

qui Dei potentiæ derogando, acumen ſuum oſtentant, non minora quotidie miracula in naturæ curſu cernunt. Quomodo enim obrigeſcit cryſtallus in ſuam duritiem? & ne rara exempla colligam, quomodo è ſemine mortuo & putrido generatur vivum animal? quomodo ex ovis procreantur aves? Cur ergo ridiculum in uno opere illis miraculum eſt, cujus innumera documenta fateri coguntur: & quibus conſentantem non videtur, corpus mulieris in ſalis maſſam mutatum eſſe, quomodo futurum credant ut reſurrectio cadaver in putredinem collapſum inſtauret? Quod autem dicitur uxor Lot in ſtatuam ſalis converſa eſſe, ne imaginemur animam in ſalis naturam migraſſe. neque enim dubium quin vivat, ut ejuſdem nobiſcum reſurrectionis ſocia ſit, quæ ſoluta mortis ſpecie affecta eſt, ut omnibus foret exemplo. Cæterum nomen ſalis non refero ad ſaporem: ſed quia ſtatua notabile aliquid habuerit quod viatores moneret. Oportuit enim notas aliquas illic eſſe impreſſas, unde omnes colligerent eſſe illud memorabile portentum. Alii ſtatuam ſalis interpretantur incorruptibilem, quæ perpetuo duraret: ſed prior expoſitio magis genuina eſt. Nunc quæritur cur Dominus tam ſevere imprudentiam miſeræ fœminæ ultus ſit. neque enim reſpexit quaſi Sodomam redire cuperet. Forte adhuc dubitans, certius experimentum oculis habere voluit. Fieri etiam poteſt ut pereuntis populi miſerta, oculos in eam partem reflexerit. Moſes certe non exprimit data opera reluctatam eſſe Deo: ſed quemadmodum ejus ac mariti liberatio incomparabile erat miſericordiæ Dei exemplum, ita ejus ingratitudinem puniri æquum fuit. Jam ſi expendamus omnes circumſtantias, certum eſt non fuiſſe leve ejus delictum. Primum reſpiciendi cupiditas ex incredulitate profecta eſt: nulla autem atrocior fieri poteſt Deo injuria quam dum ejus verbo abrogatur fides. Deinde ex verbis Chriſti colligimus pravo aliquo deſiderio fuiſſe titillatam: nec libenter Sodoma relicta properaſſe quo Deus vocabat. ſcimus enim quorſum nos jubeat memores eſſe uxoris Lot, ne ſcilicet à meditatione cæleſtis vitæ, mundi nos illecebræ impediant. Probabile eſt igitur Dei gratia non contentam diffluxiſſe in prava deſideria: cujus etiam rei ſignum fuit tarditas: maritum enim à tergo ſequutum eſſe ſignificat Moſes, quum dicit reſpexiſſe poſt eum. neque enim reſpexit illum verſus: ſed quia lente pergendo, minus progreſſa erat, ut illo eſſet poſterior. Etſi autem de æterna ejus ſalute nihil aſſerere licet, probabile tamen eſt Deum inflicta temporali pœna, ejus animæ peperciſſe: quemadmodum ſæpe ſuos in carne caſtigat, ut ſalva ſit ab æterno interitu anima. Sed quia illud non admodum utile cognitu eſt, ac ſine periculo neſcitur, potius in exemplum intenti ſimus, quod Deus ſeculis omnibus commonere eſſe voluit. Si nos terret pœnæ gravitas, meminerimus non levius bodie peccare eos qui non à Sodoma, ſed ab inferis ipſis liberati, alio quam ad propoſitam ſupernæ vocationis palmam reſpectant.

Luc. 17. *verſ.* 32.

27. *Et ſurrexit Abraham.*] Redit Moſes ad Abraham, ac oſtendit minime ab eo neglectum eſſe quod ex ore Angeli audierat. in locum enim veniſſe narrat, unde judicium Dei ſpectare poſſet. Neque enim ſuſpicandum eſt (quod de uxore Lot nuper diximus) plus fidei habuiſſe ſuis oculis quam Dei verbo: & quia dubitaret, veniſſe explorandi cauſa. Quin potius ex contextu colligimus, ipſum, quum jam perſuaſus eſſet non fruſtra loquutum eſſe Angelum, ex rei ſpectaculo confirmationem petiiſſe, quæ tam illi quam poſteris utilis futura erat. Nec vero dubium eſt quin tota ea nocte graves cruciatus pertulerit de ſalute neptis ſuæ Lot: an certior redditus foret, neſcimus: magis tamen in eam conjecturam inclino, quod de illo anxius fuerit. Et fieri poteſt ut inter ſpem & metum dubius, obviam proceſſerit, viſurus liberatus eſſet nec ne. Etſi autem nihil præter fumum cernit, qui reſiduus eſſe ſolet ex magno incendio: hoc tamen illi ſignum à Domino datum eſt, ut teſtis foret ad poſteros pœnæ tam memorabilis. Deus quidem in ipſo loci aſpectu voluit æternum extare monumentum: ſed quia, ut mundus libenter judicia Dei obſcurat, facile creditum fuiſſet vel talem ab initio fuiſſe loci naturam, vel fortuito acciditſſe: Dominus vindictam ſuam oculis Abrahæ ſubjicere voluit, ut præconis munus apud poſteros obiret.

29. *Recordatus eſt Deus Abrahæ.*] Tametſi non exprimit Moſes patefactam Abrahæ fuiſſe liberationem nepotis: quum tamen dicit in illius gratiam hunc fuiſſe ab interitu ſervatum, probabile eſt non fuiſſe privatum ea conſolatione qua maxime opus habebat: ac ejus beneficii conſcium fuiſſe, pro quo eum gratias agere decebat. Si cui abſurdum eſſe videtur, ſanctum hominem Lot alteri fuiſſe conceſſum, acſi non reſpecta fuiſſet à Domino propria ejus pietas: reſpondeo, hæc duo inter ſe ſatis bene congruere, quod Dominus, ut ſuis omnibus auxiliari ſolet, juſtum Lot quem elegerat, & quem Spiritu ſuo regebat, curæ habuerit: interea tamen teſtari voluit ea ejus vita quantopere diligeret Abraham, cui non modo ſalutem præſtabat, ſed alios etiam dabat incolumes. Cæterum tenere convenit, quod gratuito facit Dominus, nec aliunde inductus quam ſua bonitate, ideo adſcribi hominum pietati vel precibus ut ad Deum colendum & orandum incitemur. Quam ſe miſericordem Deus exhibuerit in ſervando Lot, paulo ante vidimus. nec vero periiſſet, etiamſi non fuiſſet nepos Abrahæ. Dicit tamen Moſes, quod Lot non conſumptus eſt eodem exitio quo Sodoma, id datum fuiſſe Abrahæ. Quod ſi Dominus gratiam, qua ſervum ſuum dignatus eſt, ad nepotem uſque extendit qui jam quaſi extraneus erat ab ejus familia: quanto melius unuſquiſque fidelium ſperare debet, eandem gratiam ſuis domeſticis minime defuturam eſſe? Jam ſi Dominus ubi nobis favet, alios etiam qui nobis conjuncti ſunt, amplectitur noſtra cauſa: quanto major habebitur ab eo noſtri ratio? Quod dicitur Lot habitaſſe in illis urbibus, ſyncdochica eſt loquutio: ſed diſerte id poſitum fuit ad illuſtrandum miraculum: quia nona ab ſingulari Dei providentia factum eſt ut perditis quinque urbibus, unus evaderet.

30. *Aſcendit Lot de Sohar.*] Demonſtrat hæc hiſtoria quod prius attigi, temerariis conſiliis quæ ſibi ex carnis ſenſu fabricant homines, nunquam proſpere ſuccedere: præſertim ubi vana ſpe illecti, vel impulſi pravis votis, à Dei verbo diſcedunt. Etſi enim plerumque inter initia felix videtur temeritas, & propter lætos eventus exultant qui libidine ſua feruntur: Domjous tamen tandem maledicit quicquid non eſt ſuis auſpiciis ſuſceptum: ſemperque impletur illud Jeſaiæ, Væ qui ordiuntur telam, & non ex Spiritu Domini: qui agitant conſilia, & os ejus non interrogant. Lot quum juſſus eſſet ſe recipere in montem, maluit habitare in Sohar. Poſtquam ei conceſſa fuit habitatio ex animi voto, mox ipſum pœnitet ac piget: trepidat enim, ac ſingulis momentis Sodomæ exitium loco vicino, ubi forte regnabat ſimilis impietas ac nequitia, inſtare putat. Cæterum repetant memoria lectores quod dixi, factum fuiſſe mira Dei indulgentia, ut neque ſtatim, neque graviorem pœnam dederit. Dominus enim ad tempus illi ignoſcens, tandem effecit ut ſui peccati judex eſſet. Neque enim vi aut manu hominum expulſus fuit è Sohar, ſed cæca animi anxietas in cavernam eum fugavit ac rapuit, quia carnis ſuæ cupiditatem potius quam Dei mandatum ſequutus erat. Atque ita in caſtigandis fidelibus pœnas mitigat, ut illis cedant in optimam medicinam. Nam ſi præcipitare ageret cum eorum ſtultitia, confuſi prorſus jacerent.

Joſa. 30. *verſ.* 1.

Dat

Dat igitur ſpatium reſipiſcendi, ut ſponte culpam agnoſcant.

31. *Et dixit primogenita.*] Hic prodigium narratur à Moſe, quod lectores merito obſtupefacere debet. Qui enim venire in mentem poterit filiabus Lot inceſtus concubitus, quum adhuc prope in oculis verſetur horribilis Dei vindicta in Sodomitas, cujus præcipuam fuiſſe cauſam ſciebant fœdas nefandaſque libidines? Etſi autem non tam libidinis ardore quam ſtulto propagandæ ſobolis deſiderio impulſæ ſunt ad tale flagitium, nimis tamen cæcus fuit furor, quam natura dictat modeſtiam pudoremque abjicere, & belluino more confundere omne turpis & honeſti diſcrimen. Cæterum quo melius teneamus rei totius ſummam, ſingula ordine tractanda ſunt. Ac primo quod ad conſilium primogenitæ filiæ Lot ſpectat, cui deinde minor obſequuta eſt, ita ſine controverſia ſtatuo, neutram carnis illecebris fuiſſe inductam, ſed tantum de procreanda ſobole cogitaſſe. Qualis enim fuiſſet iſta rabies, patris jam ſenis concubitum appetere? Deinde quod furtim tantum una nocte ſe major inſinuat, ſororem vero ſuam proxima nocte ſupponit, gravidæ in patris amplexum redire non curant: inde colligimus non alio ſpectaſſe niſi ut matres fierent. Neque tamen mihi probatur eorum divinatio, qui dicunt craſſo errore fuiſſe deceptas, quod putarent totum mundum una cum Sodoma abſorptum eſſe. Nuper enim habitaverant in Sohar: deinde ſub oculis patebant amœnæ regiones incolis nequaquam vacuæ: præterea ex patre didicerant ſpecialem pœnam Sodomitis & aliis vicinis inflictam eſſe. Nec vero ignaræ erant unde genus pater duxiſſet, & qualem patruum ſequutus eſſet ex patria. Quid igitur? Nempe quum perſuaſum illis eſſet, domos liberis fulciri, durum illis ac triſte fuit ſteriles manere. Et videri poterat orbitas patre mortuo intolerabilis: quia tunc ſe deſertas fore, omniqueauxilio nudatas cernebant. Hinc ergo præpoſtera cupiditas, hinc cæcus ad inceſtum coitum expetendum impetus, quod ſolitariam vitam metuunt quæ miſeris ærumnis expoſita ſit. Nec dubito quin Moſes referat non quid præmexuerint, ſed quid loquutæ ſint ex vero animi ſenſu. Semen ergo procreare cupiunt, ſecundum conſuetudinem gentium omnium. Ideo enim adducunt totius mundi exemplum, quia iniquum eſſe judicant ut deterior ſua ſit quam aliorum conditio. Ubique, inquiunt, elocantur puellæ, quæ filios ſuſcipiant, & ſuas familias ita ædificent: cur ergo ad perpetuam orbitatem damnatæ eſſemus? Interea tamen non ignorant ſe immane aggredi facinus. Cur enim patrem inebriant, niſi quia ſatis conjiciunt adduci ad conſenſum non poſſe? Si ille ab inceſtu abhorret, neceſſe eſt filias ſimili conſcientia tangi. Nullo igitur modo ſunt excuſabiles, quod ſe ad obſcœnum concubitum proſtituunt, à quo naturaliter gentes omnes abhorrent. Et certe quum vulgaribus quoque peccatis culpam ſuam agnoſcere cogantur homines, quomodo ſe in portentoſo ſcelere abſolverent, quin eos metus aliquis ex Dei judicio pungat? Quare filiæ Lot, repugnante conſcientia, ſe ad facinus hoc præcipitant: nec alia fuit fallendi patris ratio quam notitia turpitudinis, quam ab ipſis damnari neceſſe fuit, quum ſcirent naturæ ordini eſſe contrariam. Verum hinc apparet quo rapiantur homines dum ſequuntur quod placet: nihil ſcilicet tam abſurdum imo belluinum eſt, quo non ruamus, ubi frenum laxamus carni noſtræ. Quare hoc nobis omnium votorum principium ſit, ſciſcitari quid Dominus permittat: ne veniat in mentem quicquam nobis appetere, niſi quod per ejus verbum licet. *Et vir non eſt in terra.* Non intelligunt omnes gentes eſſe extinctas, quemadmodum hallucinati ſunt multi interpretes: ſed quia metu in cavernam compulſæ, deſertam vitam agebant, queruntur ſpe conjugii ſe privatas. Et certe ita ſeorſum degebant à reliquis gentibus, acſi in privatum aliquem mundum eſſent relegatæ. Siquis objiciat, potuiſſe petere à patre maritos: reſpondeo, nihil eſſe mirum ſi pavore oppreſſæ, non aliud quam quod in manu erat, ſuis malis remedium quæſierint. Putabant enim ſe deſerto monte, & cavernæ latebris incluſas, nihil amplius habere cum genere humano commercii. Etſi autem fieri poteſt (quemadmodum prius admonui) ut aliqui ex ſervis ſimul habuerint, imo id veriſimile eſt, quia vix aliter poterat vinum ſuppetere in caverna, niſi plauſtro fuiſſet cum reliqua annona advectum: tamen quia ſervorum nuptiæ aſpernantur, negant ſibi maritos eſſe ſuperſtites. Porro nomen terræ in priore membro, pro plaga illa vel regione poſitum eſſe arbitrorne acſi dicerent, Regio hæc nullos amplius habet viros, qui nos ducant uxores ſecundum morem totius orbis. Eſt enim hic tacita antitheſis inter univerſam terram & certam ejus partem. Sed hoc primum ſceleſte, quod propagandi generis humani ſtudio, ſanctam naturæ legem violant. Deinde perperam & impie, quod non ad ipſum mundi opificem confugiunt, ut orbitati de qua anxiæ ſunt, medeatur. Tertio, ſocordiam ſuam in eo produnt, quod animos habentes in terra defixos, nulla cœleſtis vitæ cura tanguntur. Quanquam autem pro certo aſſerere non audeo quantum temporis effluxerit inter Sodomæ excidium, & inceſtum Lot cum filiabus ſuis: probabile tamen eſt, ſimulac venerunt in cavernam, ſolitudinis horrore perculſas, hoc nefarium conſilium & deteſtabile captaſſe. Nec ſine potuit diuturna eſſe habitatio Lot in caverna, quin cibo & potu deficeretur. Quemadmodum autem patrem ipſum ſubita formido inſtar procellæ abripuerat, ita illum præ impatientia non ſuſtinent ſaltem ad paucos dies, nec Deum invocant, nec queruntur à patre conſilium, ſed bruto ardore præcipites feruntur. Hinc perſpicimus quam repente illis effluxerit memoria tam ſuæ liberationis quam pœnæ Sodomiticæ: quarum utraque perpetuo in earum mentibus reſidere debuerat. Atque utinam hoc non adeo vulgare eſſet inter nos vitium: ſed utroque modo ingratitudinem noſtram nimis aperte prodimus.

33. *Et non cognovit.*] Tametſi Lot non peccavit ſciens: quia tamen illi ebrietas ſtuporis cauſa fuit, levatur quidem utcunque ejus culpa, ſed non tollitur: imo dubium non eſt, Dominum hoc pœnæ genere ultum fuiſſe ejus intemperantiam. Eſt enim hoc rarum & prodigii ſimile, ita potu hebetari omnes hominis ſenſus, ut libidinem quaſi mortuus profundat. Ego quidem ita omnino ſtatuo non tam vino fuiſſe obrutum, quam propter ſuam intemperiem divinitus percuſſum ſpiritu ſtuporis. Quod ſi Deus ſancto Patriarchæ non pepercit, putamus nos fore inultos, ſi eundem ſequamur luxum? Quare diſcamus hoc exemplo, temperantiæ legem nobis præſcribi, ut parce & frugaliter veſcamur. Et tamen impuri quidam homines Lot obtendunt quaſi impietatis ſuæ patronum. Cur non potius conſiderant in quam nefandam turpitudinem prolapſus ſit, quia vino præter modum abuſus erat? Nec ſimpliciter, ut dixi, reputandum eſt quid ferat per ſe ebrietas, & quibus aliis viriis ſit implicita: ſed ad Dei vindictam attendere nos decet, qui hac de cauſa extare & celebrari ſeculis omnibus voluit tragicum hoc facinus, ut abominationi eſſet ebrietas. Quotidie quidem teſtatur Dominus atrocibus pœnis quantopere ſibi diſpliceat hoc vitium: ſed quum videmus Abrahæ nepotem, hoſpitem Angelorum, hominem inſigni ornatum ſanctitatis elogio, inceſto coitu fœdari, quia ſe inebriarit, quid helluonibus & porcis futurum eſt, qui ſe quotidie vino inebriant? Sed hac de re plura diximus in caput nonum, unde petere licebit. Quantum ad verba ſpectat, ubi dicit Moſes Lot non ſenſiſſe dum filia accubuit & ſurrexit: quidam ita expo-

nunt,

nunt, diſcrimen non habuiſſe ioter filiam vel extraneam. verum niſi prorſus fuiſſet ſtupidus mane crapula ſolutus, colligere poterat ſe rem habuiſſe cum filia. Quidam, ut ejus culpam extenuent, non tam largo potu fuiſſe inebriatum dicuot quam mœrore oppreſſum. Ego vero illud retineo, quo excellentioribus doois prædituſ erat, ſeveriore pœna fuiſſe dignum: ideoque ſenſum illi ablatum eſſe, ut inſtar brutæ pecudis ſe ad libidinem projiceret.

35. *Et ſurrexit minor nata, & dormivit cum eo.*] Hic locus docet quam periculoſum ſit ſemel cadere in Satanæ laqueos. nam qui illis captus eſt, magis ac magis intricatur. Lot ſobrium fuiſſe & frugi hominem certum eſt. Sive triſtitia confectum adortæ ſunt filiæ, ſive quovis alio modo pellectus fuit ad immodicum potum, ubi ſemel ad intemperantiam lapſus eſt, poſtridie ſe iterum corrumpi patitur. Ergo principiis ſedulo obſtandum eſt: quia fieri vix poteſt quin ſe vitiis prorſus addicant qui eorum dulcedine ſunt ineſcati. Ideo malorum irritamenta non ſecus ac mortiferæ peſtes, cavenda ſunt: & omnis blanda invitatio ad peccandum non ſecus ac veneficium timenda. Circumſtantiam etiam hanc notare operæpretium eſt. Lot inter Sodomitas in illa ſcelerum colluvie, quæ fere cælum & terram ſuo fœtore infeſtabat, caſtus & ioteger verſatus eſt inſtar cujuſdam Angeli. Unde illi Sodomæ tanta integritas, niſi quia malorum quibus obſidebatur, cognitio ſollicitum & cautum reddebat? nuoc in monte ſecurum novis inſidiis circumvenit Satan. Ergo hoc exemplo nos ad vigilantiam hortari voluit Spiritus: quia nbi minime putamus, ab hoſte invisibili nobis tenduntur retia. Sicuti prius narravit Moſes, in Paradiſo Adam fuiſſe deceptum. Quod ſi nobis ipſi ſuſpecti erimus, id nos contra omnes hoſtis noſtri aſtutias ſatis providos reddet. nemo enim eſt qui non ad ſe fallendum mille Satanæ lenocinia circumferat.

37. *Et peperit primogenita.*] Hæc horrenda fuit execætatio, quod filiæ Lot pudore depoſito, quaſi virtutum ſuarum trophæum erigerent, ſuum dedecus æterno monumento ad poſteros teſtatæ ſunt. Filiis ſuis nomina imponunt, vel potius in eorum perſona duobus populis, unde omnes cognoſcant adulterinam eſſe progeniem, & ex inceſto coitu ortam. Prior jactat filium ſuum eſſe à patre: altera vero ſibi filium ex propinqua cognatione eſſe genitum. ita ambæ facinus impudenter divulgant, cujus pudore abdere ſe potius debuerunt in æternas latebras: nec conteritæ ſeculi ſui infamia, ſcelus ſuum in alias ætates traducunt. Ergo non dubium eſt quin à Satana faſcinatæ, omne turpis & honeſti diſcrimen oblitæ fuerint. Paulus dicit reprobos poſt diuturnam licentiam peccandi, tandem privari doloris ſenſu. Talis ſtupiditas proculdubio puellas iſtas occupaverat, quum eas non puduit inceſtus ſui probrum palam vulgare. Tale porro vindictæ Dei exemplum nobis proditum eſt, ne admiſſo aliquo peccato, ſocordiæ nos dedamus, ſed Dei metu nos excitemus ad pœnitentiam. *Rom. 2. vers. 5.*

Caput XX.

1. POſtea profectus eſt inde Abraham ad terram Meridianam, & habitavit inter Cades & Sur, peregrinatuſque eſt in Gerar.

2. Et dixit Abraham de Sarah uxore ſua, Soror mea eſt. Et miſit Abimelech rex Gerar, & accepit Sarah.

3. Et venit Jehova ad Abimelech in ſomnio noctis, & dixit ei, Ecce es mortuus, propter uxorem quam accepiſti: quum ipſa maritata ſit marito.

4. Abimelech autem non appropinquaverat ad eam: itaque dixit, Jehova, num gentem etiam juſtam occides?

5. Numquid non ipſe dixit mihi, Soror mea eſt: & ipſa etiam dixit, Frater meus eſt? in integritate cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc.

6. Et dixit ad eum Deus in ſomnio, Etiam ego novi quod in integritate cordis tui feciſti hoc, & prohibui etiam ego te ne peccares mihi: idcirco non permiſi tibi ut tangeres eam.

7. Et nunc redde uxorem viro, quia Propheta eſt, & orabit pro te, & vives: quod ſi tu non reddideris, ſcito quod moriendo morieris tu & omne quod eſt tibi.

8. Et ſurrexit Abimelech mane, & vocavit omnes ſervos ſuos, & loquutus eſt omnia verba iſta in auribus eorum, & timuerunt viri valde.

9. Et vocavit Abimelech Abraham, & dixit ei, Quid feciſti nobis? & quid peccavi tibi, quia induxiſti ſuper me & ſuper regnum meum peccatum grande? opera quæ non debent fieri, feciſti mecum.

10. Et dixit Abimelech ad Abraham, Quid vidiſti, quia feciſti rem hanc?

11. Et dixit Abraham, Quia dixi, Vere non eſt timor Dei in loco iſto: & occident me propter uxorem meam.

12. Et etiam vere ſoror mea filia patris mei eſt, veruntamen non filia matris meæ: & fuit mihi in uxorem.

13. Et fuit, quando circumduxerunt me Angeli de domo patris mei, dixi ei, Hæc eſt miſericordia tua quam facies mecum, in omni loco ad quem veniemus, dic de me, Frater meus eſt.

14. Et cepit Abimelech pecudes, & boves, & ſervos, & ancillas, & dedit Abraham: & reſtituit ei Sarah uxorem ejus.

15. Et dixit Abimelech, Ecce, terra mea coram te, in *loco* bono coram oculis tuis habita.

16. Et ad Sarah dixit, Ecce dedi mille argenteos fratri tuo: ecce, eſt tibi operimentum oculorum, omnibus qui ſunt tecum. & in omnibus correcta fuit.

17. Et oravit Abraham ad Deum, & ſanavit Deus Abimelech & uxorem ejus, & ancillas ejus, & pepererunt:

18. Quia claudendo clauſerat Jehova ſuper omnem vulvam domus Abimelech propter Sarah uxorem Abraham.

1. *Et*

1. *Et profectus eſt inde Abraham.*] Quod de Sodomæ exitio narravit Moſes, quaſi παρεμβολὴν fuit: nunc redit ad hiſtoriæ ſuæ contextum, nempe quid actum ſit cum Abraham, quomodo ſe ipſe geſſerit, & eum tutatus ſit Dominus quouſque illi naſceretur promiſſum ſemen, futuræ Eccleſiæ origo. Dicit autem Abraham veniſſe in terram Auſtralem: non quod fines hæreditatis ſibi datæ egreſſus ſit, ſed quin prius hoſpitium relinquens, conceſſit Meridiem verſus. Porro regio quam deſignat, magna ex parte poſtea cecidit in ſortem Tribui Juda. Quod tamen habuerit migrandi conſilium, vel quæ eum neceſſitas ad murandum locum impulerit, neſcitur: niſi quod perſuaſum nobis eſſe debet, non levi de cauſa ſedem alio tranſtuliſſe: præſertim quum illi nuper pollicitus eſſet filium ex Sara, quem ne optare quidem debebat. Divinant quidam triſte ſpectaculum quod illi aſſidue ingerebatur ante oculos, fugiſſe. Planitiem enim quæ nuper aſpectu tam amœna fuerat, & multiplici frugum copia referta, cernebat mutatam in deforme chaos. Et certe fieri poteſt ut ſulphuris odore perfuſi fuerint vicini omnes, aliiſque corruptelis infecti, quo melius ſentirent tam memorabile Dei judicium. Ideo non male quadrat, Abraham, quia maledictus fuerat locus à Domino, ejus deteſtatione alio fuiſſe tractum. Credibile etiam eſt (quod illi ſubinde alias contigit) abactum fuiſſe hoſpitum malitia & injuriis. Nam quo liberalius Dominus ſuam illi gratiam patefecerat, viciſſim ejus tolerantiam exerceri oportuit, ut meditaretur ſe peregrinum eſſe in terra. Et Moſes diligenter exprimit eum habitaſſe tanquam inquilinum in terra Gerar. Ita videmus ſanctam illam domum huc illuc diſpulſam fuiſſe, non ſecus ac quiſquiliæ ſolent, quum impius fixa eſſet ſtatio. Sed prius utile eſt hoc modo inſtabiles eſſe in terra, ne in commoda & quieta habitatione animum figentes, cæli hæreditatem amittant.

2. *Dixit de Sara uxore.*] In hac hiſtoria proponit nobis Spiritus ſanctus illuſtre tam infirmæ humanitatis quam divinæ gratiæ ſpeculum. Proverbium vulgare eſt, Accepto malo ſtultos ſapere, Atqui Abraham ingentis periculi oblitus quod ſibi in Ægypto acciderat, in eundem rurſus lapidem impingit: quum tamen data opera caſtigaſſet eum Dominus, ut in totam vitam utilis eſſet illa admonitio. Ergo in exemplo ſancti Patriarchæ conſpicimus quam facilis obrepat nobis tum pœnarum tum indulgentiæ Dei oblivio. Nam quod illi in mentem non venit ſe Deum ſemel tentaſſe, nec per ſuam culpam ſtetiſſe quin uxor ad alienum virum tranſiret, in eo excuſari nimis craſſa ſocordia non poteſt. Sed ſi penitus nos excutimus, nemo fere reperietur qui non in eodem genere ſæpius ſe delinquere agnoſcat. Adde quod etiam ab ingratitudine immunis non fuit Abraham: quia ſi reputaſſet mirabiliter ſervatam ſibi à Domino uxorem, nunquam ſe rurſus ſciens ac volens conjeciſſet in tale periculum. Gratiam enim priorem divinitus ſibi oblatam, quantum in ſe eſt, irritam facit. Cæterum notanda eſt peccati ſpecies, quam ſupra attigimus. Neque enim (quod impii homines cavillantur) Abraham ut ſibi conſuleret, uxorem ſuam proſtituit. Sed quemadmodum prius de ſervanda vita anxius fuit, donec ſemen divinitus ſibi promiſſum haberet; ira nunc uxorem gravidam videns, ut tanta benedictione potiatur, de uxoris periculo non cogitat. Ergo ſi probe omnia expendimus, infidelitate peccavit, minus Dei providentiæ quam debebat tribuens. Unde etiam monemur quam tutum non ſit propriis conſiliis fidere. Rectus namque eſt Abrahæ affectus, dum ad Dei promiſſionem attendit. ſed quod Dei auxilium patienter non expectans, ad illicitam rationem deflectit, ea in parte reprehenſione dignus eſt. *Et miſit Abimelech.* Non dubium eſt quin Dominus à ſervo ſuo conſilii temere ſuſcepti pœnam exigere voluerit. Ac tales diffidentiæ ſuæ fructus percipiunt quicunque non recumbunt, ut par erat, in Dei providentia. Exagitant quidam protervi homines hunc locum: quia nihil minus conſentaneum videtur quam vetulam ſenio decrepitam à rege expetitam eſſe, ut eam è mariti ſinu raperet. Sed reſpondemus, primum neſciri qualis fuerit ejus forma, niſi quod ſupra teſtatus eſt Moſes ſingulari præſtantia fuiſſe. Fieri autem potuit ut ætate non adeo detrita eſſet. Videmus ſæpenumero fœminas anno quadrageſimo magis rugoſas quam ſint aliæ ſeptuagenariæ. Sed hic aliud conſiderandum, quod inſolita Dei gratia excelleret Saræ venuſtas inter alias ejus dotes. Fieri etiam poteſt, ut rex Abimelech non tam elegantia formæ accenſus fuerit, quam quod matronam eſſe videbat cæteris virtutibus præditam. Poſtremo tenendum eſt, hanc totam rem gubernatam fuiſſe Dei manu, ut juſtam ſtultitiæ ſuæ mercedem ſuſciperet Abraham. Quia autem videmus ut plurimum in Dei judiciis cæcutire qui in naturalibus rerum cauſis nimis acuti ſunt, nobis hoc unum ſufficiat, Abimelech, qui divinæ vindictæ miniſter erat, arcano motu fuiſſe impulſum.

3. *Et venit Deus ad Abimelech noctu per ſomnium.*] Hic oſtendit Moſes Dominum ira ſe medium geſſiſſe, ut pœnam de ſervo ſuo ſumens, paterne tamen illi ignoſceret: quemadmodum ſe quotidie erga nos temperat, ſic nos admonens ſuis ferulis, ut ſeveritatem clementia & bonitas longe ſuperet. Hinc etiam colligimus, majorem piorum curam ipſum gerere quam capiat ſenſus carnis, dum pro dormientibus excubat. Jam & hoc diligenter notandum eſt: quantumvis à mundo ſpernamur, ei tamen nos eſſe pretioſos, in quorum gratiam Reges quoque ipſos corrigit, quemadmodum habetur in Pſalmo. Sed quoniam hæc res plenius duodecimo capite tractata fuit, inde petant lectores quæ nunc data opera omitto. Quod autem veniſſe Deus dicitur, id refertur ad regis ſenſum, cui proculdubio patefacta fuit Dei majeſtas: ut certo ſentiret divinitus ſe coargui, non ludi inani phantaſia. *Ecce mortuus es.* Quanquam Deus in favorem Abrahæ, quem fide & præſidio ſuo tegebat, regem Abimelech aggreditur, ſimul tamen in genere oſtendit quantopere ſibi diſpliceant adulteria. Et certe hic non ſit diferta Abrahæ mendacio: quin potius additur communis ratio ad tuendam conjugii fidem, Morieris quia mulierem rapuiſti quæ viro juncta erat. Diſcamus ergo his verbis datum fuiſſe præceptum humano generi, ne quis alienam uxorem attingat. Et certe quum nihil ſanctius ſit conjugio in hominum vita, non mirum eſt ſi Dominus mutuam inter viros & uxores fidem caſte coli velit, ne ſe vindicem fore denunciet, quoties violatur. Unum quidem hominem tantum nunc alloquitur: ſed vox illa perſonare in omnium auribus debet, adulteros, quamvis ad tempus impune exultent, ſenſuros tandem Deum ultorem: quia conjugiis præſidet.

Pſal. 105. verſ. 14.

Hebr. 13. verſ. 4.

4. *Et Abimelech non appropinquaverat.*] Quum ſe jam viduaſſet Abraham, Dominus mature ſe opponit ut illi integra maneat uxor. Antehac quum à Pharaone abductam narravit Moſes, hoc tacitum prætetiit, læſane an intacta fuiſſet ejus pudicitia. Sed quia tunc quoque ejus vindicem ſe profeſſus eſt Dominus, quam nunc à probro tutatus eſt, dubium eſſe non debet quin utroque tempore ſervata fuerit ejus integritas. Cur enim nunc prohibuiſſet regem Gerar ab ejus concubitu, ſi eam prius ab Ægyptio corrumpi paſſus foret. Videmus autem quum Dominus auxilium ſuum differt, ut fidelibus nonniſi in extremo articulo manum porrigat, clarius oſtendere quam admirabilis ſit ſua providentia. *Num gentem etiam juſtam occides?* Quod quidam ira exponunt quaſi Abimelech tacite ſe cum Sodomitis conferat, nimis forte argutum eſt. Simplicior mihi videtur

tur sensus, Domine, quantumvis acriter adulteria punias, an se ira tua in homines innoxios effundet, qui errore potius lapsi sunt quam scientes ac volentes peccarint? Porro ita se purgare videtur Abimelech quasi nihil sustineat culpæ: Dominus tamen ejus excusationem admittit & probat. Sed videndum est quomodo & quatenus se corde integrum & manibus innocentem jactet. Non enim munditiem sibi arrogat, quæ nulla prorsus macula aspersa sit: sed tantum negat scortandi libidine se per tyrannidem, vel consulto, alterius uxore esse abusum. Scimus quantum interfit inter scelus & delictum: ita non quovis reatu se eximit Abimelech, sed tantum ostendit nullius se conscium fuisse sceleris, ut tam atroci supplicio plectatur. Nec aliud est cordis simplicitas quam ignorantia, quæ malæ conscientiæ opponitur. Manuum vero justitia nihil quam moderatio, dum à vi & injuriis abstinent homines. Cæterum hæc interrogatio qua usus est Abimelech, ex communi pietatis sensu profecta est. nam hoc natura quoque dictat, Deum in pœnis irrogandis servare justum discrimen.

6. *Etiam ego novi.*] Ex hoc Dei responso colligimus (quemadmodum nuper monui) non falso testatum fuisse Abimelech de sua integritate. Interim tamen quod Dominus veram ejus excusationem esse concedens, nihilominus ipsum castigat: hinc discamus non prorsus vacare culpa qui humano modo puri sunt. Nullus enim tam justus & excusabilis censetur error, cui non aliquid deterius admixtum sit. Quare non est quod se quisquam suo judicio absolvat: quin potius discamus opera nostra ad examen Dei exigere. Neque enim frustra dicit Salomon, Rectæ videntur hominibus viæ suæ: sed Domini est ponderare corda. Quod si culpam non effugiunt qui non videntur sibi male conscii, quid nobis fiet si propria conscientia intus constricti tenebimur? *Prov.* 21. *vers.* 2.

Et prohibui ego te.] Hæc ratio significat non modo habitam à Deo fuisse Abrahæ rationem, sed ipsius quoque regis. Nam quia in animo non habuerat stuprum inferre alienæ uxori, Deus illi propitius est. Et hoc sæpe contingit, ut Spiritus sui freno retineat qui errore labuntur: sicuti etiam amentia & spiritu vertiginis præcipites agit qui pravo affectu & libidine scientes peccant. Quemadmodum autem profano regi, quia deliberata malitia non peccabat, remedium in tempore attulit, ne culpam augeret: ita fidum suis custodem se quotidie exhibet, ne ex levibus delictis ad scelera prosiliant.

7. *Et nunc redde uxorem.*] Jam non loquitur Deus de Abraham tanquam de homine quolibet, sed peculiariter sibi charum esse ostendit, ut conjugalem ejus thorum privilegio quodam tuendum suscipiat. Prophetam honoris causa vocat: acsi diceret, magnum & eximiæ præstantiæ virum ab eo læsum esse, ne miretur duriorem sibi inflictam fuisse pœnam. Quanquam autem proprie nomen officii est: latius tamen hic patere existimo, nempe pro homine selecto, & qui Deo familiaris est. Nam quia tunc nulla extabat Scriptura, non modo per somnia & visiones se Deus patefecit: sed sibi etiam delegit raros & præstantes viros, qui pietatis semen spargerent, quo magis inexcusabilis esset mundus. Quia vero Propheta est Abraham, quasi mediator inter Deum & Abimelech statuitur. Erat quidem tunc quoque unicus Mediator Christus: sed hoc non obstabat quominus alii pro aliis deprecari possent. præsertim vero ut quisque sanctimonia pollebat, & Deo erat acceptus: quemadmodum Apostolus docet, multum valere assiduas justi preces. Nec vero nobis negligenda est hodie talis intercessio, modo ne Christi gratiam obscuret, vel ab eo nos abducat. Quod autem hoc prætextu ad mortuorum patrocinium confugiunt Papistæ, insulsum est. Quemadmodum enim hic Dominus non ad Noah, vel ad alium quempiam ex mortuis Patribus amandat regem Gerar, sed ad vivum & præsentem Abraham: ita non aliud habemus præceptum quam ut alii pro aliis vicissim orando, charitatem inter nos colamus. *Jacob.* 5. *vers.* 17.

Quod si tu non reddideris.] Hinc discendum est quorsum spectent minæ & denunciationes quibus homines terret Deus: nempe ut violenter ad pœnitentiam eos compellat qui nimis tardi sunt. Initio præcisè dictum fuerat, Tu mortuus es: nunc additur conditio, Nisi reddideris. Idem tamen utriusque orationis est sensus. sed initio asperius loquitur, quo majori terrore peccatorem urgeat. Nunc postquam subactus est, consilium suum clarius exprimens, spem veniæ & salutis reliquam illi facit. Ita solvitur nodus quo se multi impediunt, dum videnti Deum non semper vel statim exequi quas denuncia vit pœnas: quia id vel mutati consilii signum esse putant, vel Deum aliud verbo simulare, quam apud se decreverit. Ninivitis per Jonam minatus est excidium: deinde pepercit. Non reperiunt imperiti quomodo alterutrum ex duobus absurdis effugiant: nempe quod sententiam suam retractaverit Deus, vel se fácturum finxerit quod in animo non habebat. Atqui si tenemus principium illud, minis omnibus inclusam esse pœnitentiæ doctrinam, soluta erit difficultas. Tametsi enim primo homines aggreditur Deus quasi perditos, ideoque præsentem illis mortis metum incutit: finis tamen spectandus est. Nam si ad pœnitentiam eos invitat, sequitur illis spem veniæ relinqui, modo respiscant. *Jona* 3. 4.

8 *Et surrexit Abimelech mane.*] Docet Moses quam efficax fuerit oraculum. Nam Abimelech Dei voce expavefactus, mane consurgit, non tantum ut celeriter pareat ipse injuncto sibi mandato, sed suos quoque ad idem agendum horretur. Tam promptæ obedientiæ exemplum, quod in rege profano monstratur, omnem torpori nostro excusationem tollit, apud quos tam male Dei objurgationes proficiunt. Apparuit illi Deus per somnium: sed quum per Mosen, Prophetas, & Apostolos, unigenitum denique Filium quotidie in aures nostras clamet, tot testimonia minus valere ac vigere absurdum est quam somnii unius visionem.

9. *Et vocavit Abimelech Abraham.*] Sunt qui putant regem Gerar de Abraham non conqueri: sed potius testari suam pœnitentiam. Si tamen probe expendimus verba, confessio est mista expostulationi. Quamvis queratur injuste fecisse Abraham, in eum tamen non transfert culpam, ut omni se reatu liberet. Ac jure potuit rejicere culpæ partem in Abraham, sicuti facit, modo simul peccatum suum agnosceret. Sciamus ergo regem istum non fecisse quod hypocritæ solent. Nam simulatque culpandis aliis oblatus est prætextus, secure se absolvunt: imo hæc illis videtur esse legitima purgatio, si alios in societatem reatus trahant. Abimelech autem quamvis queratur se fuisse deceptum, & lapsum imprudentia: se tamen interea magni peccati damnare non dubitat, Per te, inquit, non ftetit quin ego me & totum regnum maximo scelere obstrinxerim. Non est ergo cur se quisquam aliunde inductum fuisse obtendens ad peccandum, culpam à se derivet. Notandum vero est, adulterium hic vocari grande peccatum, quod non unum modo hominem, sed totum populum quasi piaculo obligat. Non poterat sane ita loqui rex Gerar quin sacrosanctum agnosceret jus conjugii. Atqui hodie Christianos, saltem qui se hoc nomine venditant, jocose extenuare tantum nefas non pudet, à quo profanus homo tantopere abhorruit. Sciamus tamen Abimelech verum fuisse divini judicii præconem, quod suis cavillis frustra eludere conantur miseri homines. Ac in memoriam subinde recurrat illud Pauli, Nolite falli: propter hæc enim venit ira Dei in contumaces. Quod peccatum facit totius regni 1 *Cor.* 5. *vers.* 9. *Eph.* 5. 6.

regni commune, ratione non caret: nam scelerum impunitas totam regionem quodammodo polluit. præsertim vero in Regis persona iram Dei in totum populi corpus provocari notum est. Quo majore studio & cura rogandus est Deus, ut quos nobis præfecit cum imperio, etiam suo Spiritu gubernet. deinde ut regionem, in qua nobis hospitium concessit, immunem ab omni piaculo, puramque conservet.

10. *Quid vidisti, ut hoc faceres?*] Hac interrogatione prospicit rex in futurum tempus. Cogitat non temere hac simulatione usum fuisse Abraham: quum graviter offensus fuerit Deus, in idem rursus periculum incidere metuit. Ergo tam sollicita inquisitio testatur voluisse incommodo mederi. Jam æqui & mansueti animi non vulgare signum est quod Abrahæ liberam defensionem permittit. Scimus quam præcisè & ferociter expostulent qui se læsos fuisse putant: quo majori laude digna fuit ista regis moderatio erga hominem extraneum & ignotum. Interea discamus ejus exemplo, sic expostulare cum fratribus, si qua nobis facta fit injuria, ut illis posse respondere per nos liceat ac liberum sit.

11. *Et dixit Abraham.*] Duo sunt hujus responsionis capita. Nam primo se metu inductum fuisse fatetur ut conjugium suum tegeret. Deinde excusandi causa se mentitum fuisse negat. Etsi autem merito testatur Abraham, non fraudulento consilio, nec ut cuiquam noceret, tacuisse de suo conjugio: reprehensione tamen dignus fuit, quod timori succumbens, quantum in se erat prostituit uxorem ad stuprum. Quare in ejus excusatione adeo laborandum non est: quia quicquid instaret discriminis ad præstandum mariti officium in asserenda pudicitia uxoris, magis cordatum animosumque esse decuit. Adde quod diffidentiæ signum fuit, illicitam astutiam comminisci. Quod ad suspicionem pertinet, quamvis passim grassari cerneret immanem scelerum licentiam, iniquum tamen fuit tam sinistre judicare de populo uno quem nondum expertus erat: omnes enim fingit homicidas. Sed quia de his rebus satis disserui capite duodecimo, nunc obiter attigisse sufficiat. Interim hæc summa tenenda est, Abraham non disputare an legitimam causam habuerit coram Deo, sed tantum ad placandum Abimelech intentum esse. Cæterum notanda est hæc loquutio: ubicunque non regnat Dei timor, facile ad omne scelerum genus provolvi homines: ut neque parcant humano sanguini, neque à rapinis, violentia & contumeliis sibi temperent. Et certe solus est Dei timor qui nos mutua humanitate devincit, continet in modestia & truculentiam cohibet, ne belluarum instar alii alios voremus. Fiet quidem interdum ut qui timore Dei vacui sunt, æquitatis speciem colant. Deus enim ut servet ab interitu humanum genus, impiorum libidines occulto freno compescit. Sic tamen omnino habendum est, apertam esse quibuslibet injuriis januam ubi evanuit pietas & Dei timor: cujus rei nimis clarum hodie documentum extat in horribili scelerum diluvio, quod totam fere terram occupat. Unde enim tam multiplex fallendi fraudandique varietas, tanta perfidia & crudelitas, nisi quia Dei contemptu oppressa est omnis æquitas? Jam quoties nobis difficile certamen est cum seculi nostri corruptelis, veniat nobis in mentem ætas Abrahæ: quæ quum impietate & aliis sceleribus referta esset, sanctum tamen virum ab officio non abduxit.

12. *Et etiam vere soror mea est.*] Nonnulli Saram putant germanam fuisse Abrahæ sororem, non tamen uterinam, utpote quæ ex secunda uxore nata esset. Quia tamen nomen hoc latius patet apud Hebræos, libenter diversam conjecturam amplector, in secundo gradu sororem illi fuisse: ita verum erit istud, communem habuisse patrem, hoc est, avum, ex quo per fratres germanos descenderant. Porro elevat peccatum suum Abraham, suumque silentium à mendacio discernit: & certe vere profitebatur se fratrem esse Saræ. Verbis quidem non aliud quam quod res erat, simulasse patet: ubi tamen omnia excussa fuerint, vel frivola, vel saltem nimis jejuna fuit defensio. Nam quum data opera præterierit sororis nomen, ne quid de conjugio suspicarentur homines, sophistice errandi occasionem illis præbuit. Quare licet verbis non mentitus fuerit, tamen quoad rem ipsam simulatio fuit mendacio implicita. Nec vero aliud habuit propositum quam testari apud Abimelech nihil se fraudulenter egisse: sed in re trepida, ex prætextu cognationis captasse obliquum mortis effugium.

13. *Quando circumduxerunt me Angeli:*] Quia hic verbum habetur pluralis numeri, libenter de Angelis expono, quod circumduxerint Abraham per varios errores. Quidam nimis argute personarum colligunt Trinitatem: quasi scriptum esset, Dii me fecerunt errare. Fateor quidem nomen אלהים pro Deo passim accipi in Scriptura: sed tunc semper verbi numerus est singularis. Ubi autem accedit verbum plurale, tunc Angelos vel Principes significat. Sunt qui putent Abraham, quia sermo cum rudi & non probe edocto homine erat, ex vulgari gentium more sic loquutum: sed inscite meo judicio. Quid enim attinebat, erectis altaribus palam facere uni se & proprio Deo colendo addictum, si fas deinde fuisset eundem quem coluerat Deum lingua abnegare? Qua de re supra diximus, ut locus ferebat. Cæterum non conqueritur de Angelis Abraham, quod fallaci eorum ductu vagatus fuerit: sed notat qualis fuerit prudem sua conditio, nempe quod relicta patria non modo in terram longinquam migraverit, sed subinde coactus fuerit mutare hospitium. Quare nihil mirum si eum necessitas ad ineunda nova consilia impulerit. Si quis roget, cur peregrinationis suæ Angelos faciat duces? respondeo est in promptu, Quamvis sciret Abraham se unius Dei arbitrio & providentia peregrinari, ad Angelos tamen transferre, quos sibi alibi fatetur datos esse itineris duces. Summa autem sermonis huc tendit, ut sciat Abimelech Abraham cum à malitiosa astutia remotum fuisse, tum mendacii expertem: deinde quia erraticam & inquietam vitam degebat, Saram ex composito semper idem dixisse quod in terra Gerar. Tam misera sancti viri anxietas Abimelech ad misericordiam flectere poterat, ut irasci desineret.

14. *Et cepit Abimelech pecudes.*] Ante in Ægypto quoque peculio & muneribus donatus fuerat Abraham: sed hoc diversum, quod Pharao ipsum alio discedere jusserat, Abimelech vero domicilium in regno suo offert. Utrumque ergo regem non vulgari metu percul sum fuisse constat. Nam quum sentirent se à Domino correptos, quia molesti fuerant Abrahæ: nullam inveniunt ejus placandi rationem, nisi beneficiis illatam sancto viro injuriam compensent. Posterior autem illa diversitas hinc manavit, quod Pharao duriter reprehensus, nihil quam formidinem concepit, ut Abrahæ conspectus illi vix esset tolerabilis. Abimelech vero licet territus fuerit, mox tamen addita consolatione sedatus est: quum dixit illi Dominus, *Propheta est, orabit pro te.* Neque enim aliud pacando timori remedium est, quam dum se Dominus propitium fore declarat. Atqui non magno profectu præstat Deo peccator quantum metus extorquet. Sed hoc vere pœnitentiæ signum est, composito animo, sedataque conscientia morigerum se & docilem Deo præbere. Quod autem permisit Abimelech Abrahæ hospitii locum in ditione sua, hanc ejus humanitatem sequuta est non parva benedictio, quod illic natus est Isaac, sicuti proximo capite videbimus.

16. *Est tibi in operimentum oculorum.*] Quia his verbis subest aliqua obscuritas, varie exponi solet locus.

locus. Principium difficultate caret: Nam quum mille argenteos dediſſet Abimelech, ne ſuſpecta ſit liberalitas, pronunciat ſe Abrahæ dediſſe: & quia tam honorifice acceptus fuerit, non eſſe habendam ſcorti loco ejus uxorem. Sed quod ſequitur magis obſcurum eſt, *Eritibi velum.* Multi interpretes ad munus referunt: quod mihi perperam facere videntur. Hebræi, quia neutro genere carent, fœminini nomen uſurpant ejus vice. Moſes autem maritum hoc loco potius indicat: & ſenſus optime convenit. Docetur enim Sara, maritum cui juncta eſt, inſtar veli eſſe quo ſe tegere debeat, ne expoſita ſit alienis. Pau-
1 Cor. 11. verſ. 10. lus dicit, velum, quod capite geſtat mulier, ſubjectionis eſſe ſymbolum. Id quidem etiam ad cœlibes pertinet: quia in eum finem ordinatus eſt ſexus. ſed hoc aptius, & magis proprie in mulieres viris conjunctas competit: quod ſint ipſo matrimonii ordine quaſi velatæ. Sic ergo interpretor, Tu ſi viro careres, obnoxia eſſes multis periculis: nunc quum tibi pudicitiæ cuſtodem Deus præfecerit, deruit te latere ſub velo illo. Cur igitur te ſponte nudaſti? Hæc legitima objurgatio fuit, quod Sara ſe in matiti poteſtate eſſe diſſimulans, divino præſidio ſe nudaſſet. *Atque ita reprehenſa fuit.* Hoc quoque membrum torquent interpretes. Mihi hæc nativa expoſitio videtur eſſe, quod paſſus fuerit Dominus Saram à profano rege coargui, quo majore verecundia eam afficeret. Loquentis enim perſonam maxime attendit Moſes: quia pudendum fuit matrem fidelium à tali magiſtro reprehendi. Alii putant notari profectum à Moſe, quod tali documento erudita, ſibi aliter poſthac agendum eſſe didicerit. Sed potius notare videtur Moſes quam dixi correctionis ſpeciem, quod ſcilicet humiliata fuerit Sara, quùm in diſciplinam profani hominis tradita fuit.

17. *Et audivit Abraham.*] Utraque in parte mirificus refulſit Dei favor erga Abraham: quod armata manu, ipſius injuriam ultus eſt: & deinde ipſo deprecante, placatus erga domum Abimelech. Id autem teſtatum eſſe oportuit, ſanaram fuiſſe domum Abimelech ad ejus preces, ut tali beneficio devinctos ſibi haberet loci incolas. Cæterum pœnæ genus quod exprimitur, totam domum ſterilem fuiſſe, quæſtionem movere poteſt. Nam ſi poſtquam gravida erat Sara, in terram Gerar conceſſit Abraham: & antequam naſceretur Iſaac, totum hoc quod narravit Moſes impletum eſt: qui fieri poteſt ut tam exiguo tempore appareuerit ſterilitas? Si dicamus judicium Dei modo nobis incognito tunc fuiſſe perfectum, non male quadrabit reſponſio. Neſcio tamen an inverſa fuerit hiſtoriæ ſeries. Et certe hoc forte magis probabile videri queat, jam tunc Abraham in terra Gerar habitaſſe quum illi promiſſus fuit Iſaac: ſed partem hanc quæ prius omiſſa fuerat, à Moſe nunc fuiſſe inſertam. Si quis excipiat, Abraham uſque ad ruinam Sodomæ habitaſſe in Mamre: nihil abſurdi erit, ſi fateamur quod hic demum narrat Moſes, prius contigiſſe. Ego tamen quia ad fidei ædificationem parum facit temporis notatio, utramque opinionem in medio relinquo.

CAPUT XXI.

PORro Jehova viſitavit Sarah quemadmodum dixit: & fecit Jehova ipſi Sarah quemadmodum loquutus erat.

2. Itaque concepit & peperit Sarah ipſi Abraham filium in ſenectute ejus, in tempore quod illi dixerat Deus.

3. Et vocavit Abraham nomen filii ſui qui natus erat ei, quem peperit ei Sarah, Iſhac.

4. Et circumcidit Abraham Iſhac filium ſuum, filium octo dierum, quemadmodum præceperat ei Deus.

5. Abraham autem erat centum annorum quando natus eſt ei Iſhac filius ſuus.

6. Et dixit Sarah, Riſum fecit mihi Deus: omnis qui audierit, ridebit mihi.

7. Et dixit, Quis nunciaſſet Abrahæ lactare filios Sarah? quia peperi filium in ſenectute ejus.

8. Et crevit puer, & ablactatus eſt: & fecit Abraham convivium magnum in die qua ablactatus eſt Iſhac.

9. Et vidit Sarah filium Hagar Ægyptiæ, quem peperit ipſi Abraham, ridentem.

10. Et dixit ad Abraham, Ejice ancillam hanc & filium ejus: quia non hæreditabit filius ancillæ hujus cum filio meo, cum Iſhac.

11. Et diſplicuit res valde in oculis Abraham, propter filium ſuum.

12. Et dixit Deus ad Abraham, Ne diſplicëat in oculis tuis ſuper puero, & ſuper ancilla tua: in omnibus quæ dixerit tibi Sarah, audi vocem ejus: quia in Iſhac vocabitur tibi ſemen.

13. Et etiam filium ancillæ in gentem ponam, quia ſemen tuum eſt.

14. Diluculo igitur ſurrexit Abraham, & tulit panem, & utrem aquæ, & dedit Hagar, & poſuit ſuper humerum: ejus & puerum, & dimiſit eam, & perrexit, & erravit in deſerto Beer-ſebah.

15. Et defecerunt aquæ de utre, & projecit puerum ſubter unam arborum.

16. Et abiit, & ſedit è regione, elongando ſe quantum eſt jactus arcus: quia dixit, Non videbo quando morietur puer: & ſedit è regione, & elevavit vocem ſuam, & flevit.

17. Et audivit Deus vocem pueri: & clamavit Angelus Dei ad Hagar de cœlis, & dixit ei, Quid tibi eſt Hagar? ne timeas: quia audivit Deus vocem pueri *ex loco* ubi eſt.

18. Surge, tolle puerum, & tene manu tua eum: quia in gentem magnam ponam eum.

19. Tunc aperuit Deus oculos ejus, & vidit puteum aquæ, & perrexit, & implevit utrem aqua, & potum dedit puero.

20. Et fuit Deus cum puero, & crevit, habitavitq; in deſerto, & fuit jaculator ſagittarius.

21. Et habitavit in deſerto Param, & accepit ei mater ejus uxorem de terra Ægypti.

22. Deinde fuit tempore illo, dixit Abimelech & Phichol princeps exercitus ejus ad Abraham, dicendo, Deus tecum eſt in omnibus quæ tu facis:

* vel, *si fefelleris*, aut *infideliter egeris.*

23. Nunc itaque jura mihi per Deum hic * si mentitus fueris mihi, & filio meo, & nepoti meo: secundum misericordiam quam feci tecum facies mecum, & cum terra in qua peregrinatus es.

24. Et dixit Abraham, Ego jurabo.

25. Et increpavit Abraham ipsum Abimelech propter puteum aquæ quem rapuerant servi Abimelech.

26. Et dixit Abimelech, Non novi quis fecerit hoc, neque etiam tu indicasti mihi, neque etiam ego audivi præterquam hodie.

27. Et accepit Abraham pecudes & boves, & dedit ipsi Abimelech, & percusserunt ambo fœdus.

28. Et statuit Abraham septem agnas pecorum seorsum.

29. Et dixit Abimelech ad Abraham, Quid sunt septem agnæ istæ quas statuisti seorsum?

30. Et dixit, Quia septem agnas capies è manu mea: ut sit mihi in testimonium quod foderim puteum hunc.

31. Idcirco vocatus est locus ipse Beer-sebah: quia ibi juraverant ambo.

32. Percusserunt ergo fœdus in Beer-sebah: & surrexit Abimelech, & Phichol princeps exercitus ejus, & reversi sunt in terram Philisthim.

33. Et plantavit nemus in Beer-sebah, & invocavit ibi nomen Jehovæ Dei seculi.

34. Et habitavit Abraham in terra Philisthim dies multos.

1. *Et Jehova visitavit Sarah.*] Hoc capite non tantum Isaac nativitas describitur: sed quia in ejus incunabulis vivam Ecclesiæ suæ picturam Deus proposuit, memorabilem quoque hac de re historiam refert Moses. Principio autem dicit Deum visitasse Sarah, sicut promiserat. Quia omnis generatio ex Dei gratia fluit, sicut habetur in Psalmo, Dei beneficium esse fructum ventris: non abs re Dominus eos, quibus sobolem dat & liberos, visitare dicitur. Etsi enim naturaliter videntur gigni fœtus ex suo quisque gencre: nulla tamen animalibus subest fœcunditas, nisi quatenus vim suam Dominus exerit, ut impleatur illud, Crescite, & multiplicamini. In procreatione autem humani generis specialis refulget ejus benedictio: ideo quivis mulieris partus illius visitatio jure censetur. Sed altius respicit hoc loco Moses, nempe quod præter usitatum naturæ ordinem natus fuerit Isaac. Nam communis gignendi ratio, & visilla quam Dominus hominibus indidit, in Abraham & ejus uxore cessaverat. Ergo arcanam & insolitam Dei virtutem, quæ naturæ lege superior est, Moses hic commendat. neque immerito: magnopere enim refert ut sciamus gratuitam Dei bonitatem tam in origine quam in progressu Ecclesiæ regnare: nec aliunde nasci Dei filios quam ex mera ejus misericordia. Atque hæc ratio est cur Abraham non ante patrem fecerit quam prope exaruisset ejus corpus. Ac notandum est quod visitationem, cujus meminit, in promissione fundatam esse dicit Moses, *Visitavit Jehova Saram sicut promiserat.* His verbis effectum annectit suæ causæ: quo magis perspicua sit peculiaris Dei gratia, cujus specimen extat in genitura Isaac. Si tantum dixisset respectam fuisse Saram à Domino, quum filium peperit, investigari poterat altior causa. At nemini dubium est quin gratuita fuerit promissio, qua donatus fuit Isaac patri Abrahæ, quum fructus sit ejus adoptionis quæ nonnisi meræ Dei gratiæ adscribi potest. Ergo qui Dei opus rite & prudenter in generatione Isaac reputare volet, necesse est ut à promissione incipiat. Magnam quoque emphasim continet repetitio, *Egit Jehova cum Sara sicut loquutus fuerat.* Lectores enim quasi injecta manu retinet, ut in considerando tam insigni miraculo insistant. Interea Dei fidem commendat Moses, acsi diceret, nunquam frustra vanis promissis lactare homines: nec minus veracem esse ad præstandum quod promisit, quam ad promittendum liberalis est ac spontaneus.

Psal. 127. *vers.* 3.

2. *Peperit Abrahæ.*] Secundum tritum loquendi morem hoc dictum est: quia mulier neque familiæ caput est, neque proprie sibi parit, sed marito. Sed quod sequitur notatu magis dignum est, *in senectute ejus, & juxta tempus statutum*, quod Deus prædixerat: nam senectus Abrahæ non parum illustrat miraculi gloriam. Et jam tertio ad Dei verbum nos revocat Moses, ut nobis semper occurrat veritatis ejus constantia. Tametsi autem communiter Abrahæ & ejus uxori prædictum fuerat tempus, nominatim tamen hic honor tribuitur sancto viro: quia in ejus præcipue gratiam data fuerat promissio. Quanquam utrumque distincte habetur in contextu.

3. *Et vocavit Abraham nomen.*] Non intelligit primum nominis auctorem fuisse, sed retinuisse quod prius ab Angelo fuerat inditum. Sed hæc obedientia laude digna fuit, quod non modo ratam habuit Dei vocem, sed quod suas partes, quatenus Dei minister erat, exequutus est. Nam quod apud eum deposuerat Angelus, præconio suo apud omnes celebravit.

4. *Et circumcidit.*] Eundem obedientiæ tenorem prosequitur Abraham, dum filio suo non parcit. Quamvis enim durum illi foret, tenerum infantis corpusculum vulnerare, posthabito tamen humano affectu, Dei verbo obtemperat. Fecisse autem narrat Moses sicuti jussus fuerat à Domino: quia nihil pluris est quam sincerum Dei verbum habere pro regula, nec plus sapere quam licet. Hæc præsertim modestia in sacramentis exigitur, ne vel aliqua sibi fabricent homines: vel quæ à Domino mandata sunt, suo arbitrio in quemlibet usum transferant. Videmus autem quam intemperanter hic pruriat hominum libido: innumera enim sacramenta comminisci ausi sunt. Et ne longius petamus exemplum, quum Deus Christianæ Ecclesiæ duo tantum tradiderit, Papistæ septem se habere jactant. Quasi vero sit penes ipsos excudere salutis promissiones, quas signis à se confictis sanciant. Quam multis vero commentis polluta sint apud eos sacramenta, referre supervacuum est. Hoc certe palam est, nihil illis minus esse curæ quam servare quod Dominus præcipit.

5. *Et Abraham erat centum annorum.*] Rursus commemorat Moses Abrahæ ætatem, quo melius ad miraculi considerationem excitet lectorum mentes. Etsi autem solius Abrahæ mentio fit, meminerimus tamen, hoc loco nobis eum proponi, non tanquam libidinosum hominem, sed maritum Sarræ, qui ex ea legitimum semen extremo demum senio procreavit, quum sterilis fuissent in vigore suo. Nam in eo præcipue resplenduit Dei potentia, quod quum ultra sexaginta annos sterile illis fuisset conjugium, effœ-

effœtis jam & semimortuis subito nata est proles. Sara vero, quo dubitationem, qua deliquerat, compenset, nunc magnifice quibus decet elogiis prædicat Dei beneficium. Ac primo dicit datam sibi à Deo esse gaudii materiam: nec vulgaris gaudii, sed de quo sibi gratulentur omnes. Deinde quo magis amplificet, mirantis personam induit, ac interrogat, Quis hoc nunciasset Abrahæ? Quidam istud, *Ridebit mihi*, ita exponunt, quasi cum pudore dicat Sara se fore vulgi fabulam. Sed prior sensus melius quadrat, Quisquis audiet, ridebit mecum, gratulandi scilicet causa.

7. *Quis nunciasset Abraham lactare.*] Futurum verbum loco subjunctivi positum esse interpretor. Sensus autem est, hoc nemini mortalium fuisse venturum unquam in mentem. Unde constituit, solum Deum auctorem esse: & jam seipsum ingratitudinis damnat, quod tarde fidem habuerit narranti Angelo. Quia autem filios nominat in plurali numero, Judæi fabulam suo more fabricant, quod quum rumor sparsus esset, supposititium esse partum, allati sint à vicinis plurimi infantes, quos lactando puerperam se fuisse probaret Sara. Quasi vero non perinde id cognitu facile fuerit quum Isaac pendentem conspiceret ab ejus uberibus: ac non clarior, & in promptu fuerit demonstratio, si lac digitis expressum ante oculos fluxisset. Bis autem inepti sunt ac fatui Judæi, qui non intelligunt hanc loquendi formam perinde valere acsi Sara vocaret se nutricem. Interea notandum quod Sara lactandi munus cum partu conjungit, neque enim Dominus liberis, priusquam nascantur, alimenta in matrum uberibus frustra præparat. Sed quas matrum honore dignatus est, hoc modo nutrices constituit: & quæ fœtus suos alere gravantur, sæcum naturæ vinculum, quantum in se est, abrum punt. Si morbus vel aliud quidpiam impediat, justa est excusatio: sed puerperas sponte & per delicias fugere lactandi molestiam, ut dimidiæ tantum sint matres, turpis est corruptela.

8. *Et crevit puer, & ablactatus.*] Jam narrare incipit Moses quomodo abdicatus fuerit Ismaël ex Abrahæ familia, ut solus Isaac legitimi filii & hæredis locum teneret. Videtur quidem hoc primo aspectu esse frivolum, quod Sara de nihilo succensens, rixam domi excitaverit. Sed Paulus docet sublime hic nobis mysterium proponi de perpetuo Ecclesiæ statu. Et certe si personas reputamus, statuemus non fuisse rem lusoriam, quod fidelium omnium pater filium primogenitum divinitus abdicare jussus est: quod Ismaël, licet ejusdem Circumcisionis particeps, in alienam gentem transiit, ne amplius in semine benedicto censeatur: quod in speciem laceratur Ecclesiæ corpus, ut dimidia tantum pars maneat: quod Sara ancillæ filium domo expellens, uni Isaac hæreditatem in solidum vendicat. Quare si ad hanc historiam legendam afferatur ea quæ debet attentio, sponte se proferet mysterium illud de quo disserit Paulus. *Et fecit Abraham convivium.* Quæritur cur non potius natali vel Circumcisionis die. Quod argute philosophatur Augustinus, celebrari diem ablactationis Isaac, ut discamus ejus exemplo non amplius esse pueri sensu, nimis coactum est. Nihilo etiam magis consentaneum quod alii dicunt, Abraham, ne Gentium mores imitaretur, diem sumpsisse qui tunc in communi usu non erat. Imo fieri potest ut honore & lætitia natalem quoque filii sui prosequutus fuerit. Sed hujus convivii propter aliam causam specialis fit mentio: quia tunc deprehensus fuit risus Ismaël. Neque enim eorum conjecturæ assentior qui putant novam historiam texi, & cum hac molestia luctatam fuisse quotidie Saram: donec tandem ejecto impio derisore, domum suum purgavit. Probabile quidem est aliis quoque diebus simili petulantia elatum fuisse Ismaël: non tamen dubito quin diserte exprimat Moses, ejus ludibria in solenni illo conventu Saræ apparuisse, & ex eo tempore fuisse tradu&ta. Cæterum lautitias convivii non refert Moses in malam partem, sed tanquam de re licita loquitur. Nihil enim prohibet quominus sancti homines amicos ad communem lætitiam invitent, ut Deo simul gratias agentes, solito hilarius epulentur. Colenda est quidem semper temperantia & sobrietas, dandaque opera ut tam apparatus ipse sit frugalis, quam modesti convivæ. Tantum dico non adeo austere Deum nobiscum agere, quin liberalius interdum amicos excipere permittat, vel dum celebrandæ sunt nuptiæ, vel duos liberi nobis nascuntur. Fecit ergo Abraham convivium magnum, hoc est, extraordinarium: quia non solebat quotidie tam splendide instruere mensam: ea tamen fuit copia quæ minime in luxum difflueret. Adde quod pro modo facultatum ita lautus fuit in tractandis amicis, ut ignotis etiam hospitibus sufficeret, quemadmodum prius visum est.

Galat. 4. vers. 22.

9. *Et vidit Sara filium Agar.*] Quemadmodum ridendi verbum bifariam accipitur apud Latinos: ita & Hebræi tam in bonam quam in malam partem verbo suo utuntur: unde participium מְצַחֵק deductum est. Non fuisse puerilem lusum & innoxium, ex indignatione Saræ apparet. Fuit igitur maligna subsannatio, qua protervus adolescens fratrem adhuc infantem præ se contempsit. Ac notandum est, epitheton quod hic Ismaëli datur, & nomen Isaac ab eadem origine descendere. Isaac patri & aliis sancti legitimique risus materia erat: unde & nomen illi fuerat divinitus impositum. Benedictionem Dei, ex qua tale gaudium manabat, in ludibrium convertit Ismaël. Ergo tanquam impius illusor, fratri Isaac opponitur. Ambo (ut ita loquar) sunt filii risus, sed longe diverso sensu. Isaac risum ex utero matris secum attulit: quoniam insculptum gerebat certum gratiæ Dei testimonium. Sic igitur domum patris exhilarat, ut lætitia erumpat in gratiarum actionem: Ismaël autem canino suo risu & profano sanctum illud fidei gaudium abolere conatur. Nec dubium est quin se manifesta illius contra Deum impietas hac subsannatione prodiderit. Ad eam usque ætatem pervenerat ut minime ignarus esset promissæ gratiæ, ob quam tanto gaudio efferebatur pater Abraham: ipse tamen supérbe sibi placens, in fratris persona Deo, & ejus verbo, Abrahæque fidei insultat. Quare non sine causa tam atrociter in eum Sara excanduit, ut juberet in exilium profligari. Nihil enim sancto cordi acerbius quam Dei gratiam videre derisui expositam. Atque hæc ratio est cur Paulus risum vocet persequutionem: Persequebatur (inquit) is qui secundum carnem erat, spiritualem semen. gladione ac manu? imo virulentis linguæ ludibriis, quæ non corpus lædunt, sed vibrantur in ipsam animam. Poterat quidem Moses pluribus verbis exaggerare crimen: sed ego data opera loquutum fuisse puto tam concise, quo magis detestabilem redderet petulantiam qua Dei verbum illuditur.

Gal. 4:29.

10. *Ejice ancillam.*] Non tantum exacerbatur Sara in eum qui peccavit, sed videtur imperiosius agere cum marito quam modestam uxorem deceat. Quod prius Abraham vocavit Dominum, Petrus ostendit non fictæ egisse, dum eam sanctis castisque matronis in exemplum voluntariæ subjectionis proponit. Nunc autem non solum marito in ordinem coacto regnum domi usurpat: sed quem revereri debuerat, suo arbitrio obsequentem esse jubet. Hic quanquam non nego Saram muliebri affectu percitam modum excessisse, non tamen dubito tam arcano Spiritus instinctu gubernatam fuisse ejus linguam & mentem, quam providentia Dei totum hoc negotium direc&tum fuit. Magni quidem & tremendi judicii ministram fuisse, controversia caret. Et Paulus vocem hanc non tanquam futile convitium quod

1 Pet. 3: 6.

irata mulier effutiverit, sed tanquam cæleste oraculum adducit. Etsi autem majorem quam privatæ mulieris personam sustinet, non tamen eripit marito potestatem, sed legitimum electionis præsidem facit.

11. *Displicuit oculis Abrahæ.*] Quanquam multis jam oraculis certior factus erat Abraham, nonnisi ab uno Isaac proditurum semen benedictum: paterno tamen amore captus, non sustinet exscindi Ismaëlem, ut hæreditas penes eum maneat integra, cui divinitus concessa erat: atque ita duas miscendo gentes, discrimen à Deo positum, quoad in se est, confundere cupit. Videri sane hoc absurdum posset, quod Dei minister cæco impulsu fertur. sed Deus non modo ut eum humiliet, sic eum judicio privat: sed etiam ut testatum faciat seculis omnibus, à suo unius arbitrio pendere gratiæ suæ dispensationem. Porro ut æquiore animo ferat sanctus vir filii sui discessum, duplex ei consolatio proponitur. Nam initio Deus promissionem de Isaac factam in memoriam revocat: acsi diceret, satis superque esse quod illi relinquitur Isaac, in quo integra manet spiritualis benedictio. Deinde Ismaëlem quamvis à domo paterna exulet, curæ tamen sibi fore promittit, & orituros ex eo posteros, qui populum unum efficiant. Cæterum quid valeat hæc loquutio, *Vocari in Isaac semen*, supra decimo septimo capite exposui. Et Paulus ad Rom. nono capite, vers. 8. interpretationis loco ponit verbum λογίζεσθαι, hoc est, censeri vel reputari. Atqui certum est hoc modo refectum fuisse ex Abrahæ familia alterum filium, ne amplius nomen haberet inter ejus posteros. Deus enim segregato Ismaële totam Abrahæ progeniem ab uno capite fluxuram esse ostendit. Ismaëli quoque gentem suam fore promittit, sed extraneam ab Ecclesia: ut in eo diversa sit fratrum conditio, quod unus constituitur spiritualis populi pater, alteri datur carnale semen. Unde merito colligit Paulus, non omnes qui semen sunt Abrahæ, veros esse & genuinos filios: sed qui ex Spiritu geniti sunt. Sicut enim gratuita promissione factus est Isaac legitimus filius, ita inter posteros qui sequuti sunt, eadem Dei gratia discrimen statuit. Sed quia de variis Abrahæ filiis differuimus quantum satis erat, supra decimo septimo capite: nunc eam rem parcius attingo.

12. *Quicquid dixerit Sara.*] Dixi nuper, quamvis Saræ ministerio ad tantam rem usus fuerit Deus, potuisse tamen ipsam labi in agendi modo. Nunc jubet Abrahæ morem gerere uxori: non quod probet ejus affectum, sed quia compleri vult opus, cujus ipse est auctor. Atque ita ostendit non debere sua consilia exigi ad communem normam: præsertim ubi de salute Ecclesiæ agitur. Data enim opera usitatum naturæ ordinem invertit, ut se inchoatorem & perfectorem vocationis Isaac esse probet. Quia vero præfatus sum hanc historiam altius à Paulo tractari, summa breviter colligenda est. Primo dicit, allegorice scripta esse quæ hic leguntur: non quod omnes promiscue historias ad sensus allegoricos torqueri velit, quemadmodum Origenes, dum ubique allegorias venatur, totam Scripturam corrumpit: & alii nimis cupide ejus exemplum æmulando, fumum ex luce dederunt. Nec modo viriata fuit Scripturæ simplicitas, sed fides pene labefactata fuit, multisque deliriis aperta janua. Consilium autem Pauli fuit piorum mentes ad considerandum in hac historia Dei arcanum erigere: acsi diceret, ad spiritualem Christi regnum spectare quæ de Abrahæ domo refert Moses: ut certe domus illa viva fuit Ecclesiæ imago. Cæterum hæc allegorica est similitudo quam Paulus commendat. Quum duo geniti sint Abrahæ filii, alter ex ancilla, alter ex libera, duas esse eorum species colligit qui in Ecclesia gignuntur: fideles quos Deus Spiritu adoptionis donat ut hæreditate fruantur: larvatos discipulos qui se simulant esse quod non sunt, nomenque & locum inter Dei filios ad tempus usurpant. Quosdam itaque docet servili modo concipi & nasci: alios autem quasi ex matre ingenua. Deinde prosequitur filios esse Agar qui generantur ex servili Legis doctrina: qui autem gratuitam adoptionem fide amplexi, ex Euangelii doctrina gignuntur, eos esse liberæ matris filios. Tandem ad alteram similitudinem descendit, dum Agar cum monte Sinai comparat, Saram vero cum cælesti Jerosolyma. Etsi autem paucis hic perstringo quæ copiose quarto ad Galatas capite à me explicata reperient lectores: in hac tamen brevitate minime obscurum est quid docere velit Paulus. Scimus ex incorruptibili verbi semine nasci veros Dei filios: sed ubi à Legis & Prophetarum doctrina subducitur Spiritus qui eam vivificat, ut tantum mortua litera supersit, corrumpitur semen illud, ut nonnisi adulterini filii nascantur in servitutem. quia tamen ex Dei verbo, licet corrupto, in speciem nascuntur, unam inter Dei filios speciem constituunt. Interea nulli sunt legitimi hæredes, nisi quos Ecclesia ex liberali Euangelii semine conceptos in libertatem parit. Dixi autem in his duabus personis repræsentari perpetuum Ecclesiæ statum. Nam hypocritæ non tantum filiis Dei permixti sunt in Ecclesia, sed illis contemptis superbe totum jus & honorem sibi vendicant. Ex quemadmodum Ismaël vano primogeniti titulo inflatus, fratrem Isaac suis sannis vexabat: ita isti suo splendore confisi, rectam simplicium fidem contumeliose exagitant & rident: quia sibi omnia arrogando, gratiæ Dei nihil faciunt residuum. Porro hinc monemur, non alios stabiles esse salutis fiduciam, nisi qui gratis vocati totam suam dignitatem in Dei misericordia locant. Rursus piorum conscientias validis & firmis armis instruit Spiritus adversus eorum ferociam qui fallaci Ecclesiæ prætextu se venditant. Videmus non esse novum exemplum, ut primum locum occupent in Ecclesia Dei, qui tamen nonnisi larvæ sunt. Quare dum hodie magnifice exultant Papistæ, non est cur turbemur inani vento-saque eorum jactantia. Quod longa successione gloriantur, tantundem valet acsi Ismaël primogenitum se clamaret. Discernere igitur necesse est inter veram & larvatam Ecclesiam. Notam vero exprimit Paulus, quam suis cavillis nunquam obliterare poterunt. Nam perinde ac exiguo flatu corrumpuntur magnæ ampullæ: ita uno hoc verbo tota illorum gloria extinguitur, filios ancillæ non fore æternos hæredes. Interim patienter ferenda est illorum insolentia, quamdiu eorum tyrannidi frenum Deus laxabit. Quibus enim opprobriis nos hodie gravant, olim etiam à Judæis seculi sui hypocritis oppressi fuerunt Apostoli. Nec aliter de Isaac triumphos suos egit Ismaël, quam si victoria potitus esset. Quare nihil mirum si ætas nostra nos habent Ismaëlitas. Sed ne talis indignitas nos frangat, assidue nobis occurrat hæc consolatio, non semper in Ecclesia mansuros qui in ea eminent.

14. *Et diluculo surrexit Abraham.*] Quam acerbum sancti viri animo vulnus infixerit ejectio primogeniti filii, ex duplici consolatione qua dolorem mitigavit Deus, colligere licet. Filium ergo ablegat, non secus acsi sua ipsius viscera avelleret. Verum assuefactus ad parendum Deo, paternum amorem quem prorsus exuere non potest, subigit. Hæc vera est fidei & pietatis probatio, quum eousque in abnegare coguntur fideles, ut ipsos quoque primæ naturæ affectus, qui per se mali non sunt nec vitiosi, resignent Dei arbitrio. Non dubium est quin variis curis æstuaverit tota nocte, secum varie luctatus fuerit, ac pertulerit ingentes cruciatus: surgit tamen mane, ut orbitatem suam maturet, quoniam ita placere Deo novit. *Et tulit panem & utrem.* Non tantum significat Moses Abraham mandasse custodiæ matris filium suum: sed quasi cessisse jure patrio. nam ipsum alienari oportuit, ne posthac reputaretur

Abrahæ

Abrahæ semen. Quam tenui autem viatico uxorem suam cum filio donat? Lagenam aquæ & panem humero imponit. Cur non asinam saltem onerat mediocri annona? Cur non comitem addit unum ex servis, quorum suppetebat domi copia? Atqui vel oculos illi Deus clausit, ne veniret in mentem quod plusquam libenter facturus erat: vel eo consilio restrinxit viaticum, ut non procul à domo subsisterent. Optasset enim proculdubio habere sibi vicinos, ut quibus opus esset officiis ipsos juvaret. Interim voluit Deus, ut tam dura & tristis esset Ismaëlis abdicatio: ut ejus exemplo terrorem superbis incuteret, qui præsentibus donis ebrii, gratiam ipsam cui debent omnia, suo fastu conculcant. Ideo ad miserabilem exitum eos deduxit. Postquam enim errarunt in deserto, deficiunt aquæ, & mater à filio discedit: quod desperationis signum erat. Hæc merces fuit superbiæ, qua frustra inflati fuerant. Decebat eos gratiam Dei populis omnibus in persona Isaac oblatam, humiliter amplecti: atqui impie spreverunt quem Deus in summum honorem extulerat. Debebat agnitio donorum Dei eos ad modestiam formare. Et quia illis nihil magis optabile erat quam aliquem angulum tenere in domo Abrahæ, nullam subjectionem refugere tanti boni causa debebant: nunc quas sua ingratitudine meriti erant pœnas Deus ab illis exigit.

17. *Audivit autem Deus vocem pueri.*] Dixerat prius Moses Agar flevisse: qui fit ergo ut fletu ejus præterito, solum pueri clamorem Deus audiat? Si dicamus indignam fuisse matrem cujus preces gratiam impetrarent: filius certe nihilo dignior. Nam quod quidam castigatione illa resipuisse putant, incerta est conjectura. Eorum pœnitentiam cujus nullum mihi signum apparet, Dei judicio relinquo. Clamorem vero pueri auditum fuisse interpretor, non quod fide precatus sit, sed quod Deus promissionis suæ memor, ad præstandam illis misericordiam flexus fuerit. Neque enim Moses narrat vota sua & gemitus eos in cælum direxisse: quin potius credibile est sic ploraſſe suas miserias, ut ad Dei opem non confugerent. Verum Deus in illis juvandis non quid à se peterent, sed quid servo suo Abrahæ de Ismaële pollicitus foret, respexit. Hoc sensu videtur dicere Moses exauditam fuisse vocem pueri, quod scilicet filius erat Abrahæ. *Quid tibi est Agar?* Objurgat Angelus ingratitudinem Agar, quod in extremas angustias redacta, non cogitat sibi aliquando in simili discrimine propitium fuisse Deum, ut eum liberatorem experta, rursus se in ejus fidem conferat. Monet tamen Angelus paratum fore ejus ærumnis remedium, si modo quærat. Ergo in particula, *Quid agis?* objurgatio est, quod se confuso ploratu fruſtra excruciet. Postea quum dicit, *Noli timere*, ad spem gratiæ eam invitat & hortatur. Sed quid sibi vult quod addit, *ex loco ubi est?* Videri potest tacita subesse antithesis inter locum illum, & domum Abrahæ: ut statuat Agar, quamvis à Dei sanctuario exulans erret in deserto, non tamen se penitus à Deo relictam, quoniam ipsum habeat exilii ducem. Vel emphatica est loquutio, quod abjectus puer in solitudinem, & pro derelicto habitus, Deum tamen propinquum habeat. Atque ita Angelus, ut anxiæ matris desperationi succurrat, jubet ad eum locum redire ubi filium deposuerat. Mœrore enim (ut fieri solet in rebus deploratis) obtorpuerat: & jacuisset quasi exanimis, nisi voce Angeli foret erecta. Cæterum in hoc exemplo perspicimus quam vere dictum sit, suscipi nos à Domino ubi à patre & matre abjecti sumus.

18. *Tolle puerum.*] Quo plus animi ad filium educandum habeat, confirmat illi Deus quod ante Abrahæ sæpius pollicitus fuerat. Matribus quidem natura præscribit quid filiis debeant: sed, quemadmodum nuper attigi, conciderant omnes sensus Agar, nisi Deus nova fiducia eam recreasset, ut collecto vigore se accingeret ad exequendum maternum munus. Quod ad *fontem* pertinet, quidam existimant repente emersisse. Sed quum dicat Moses apertos fuisse oculos Agar, non autem apertam vel perfossam fuisse terram: in hanc sententiam magis inclino quod prius dolore attonita, quod expositum erat oculis non cernebat: nunc autem demum postquam illi visum restituit Deus, videre incipiat. Atque hoc in primis notatu dignum, ubi nos sua gubernatione destituit, gratiamque suam submovit Deus, subsidiis omnibus etiam quæ ad manum suppetunt, non secus nos privari quam si procul remota essent. Itaque rogandus est non tantum ut nobis largiatur quæ nobis usui sunt, sed simul utendi prudentiam conferat: alioqui claušis oculis tabescere inter medios fontes contingeret.

20. *Et fuit Deus cum puero.*] Pluribus modis dicitur adesse Deus hominibus. Adest enim electis suis quos peculiari Spiritus gratia gubernat: adest etiam interdum quoad externam vitam, non electis modo; sed extraneis, dum eximia aliqua benedictione eos dignatur: quemadmodum Moses hoc loco non vulgarem gratiam commendat, qua testatus est Dominus non irritam esse suam promissionem, dum Ismaëlem favore suo prosequitur quia filius est Abrahæ. Hinc tamen colligitur generalis doctrina: quod adolescunt homines, quod cœli luce & communi spiritu fruuntur, quod terra illis alimenta suppeditat, hoc totum Deo esse tribuendum. Tantum hoc tenendum est, prosperos Ismaëlis successus inde fluxisse, quia in gratiam patris Abrahæ illi terrena benedictio promissa erat. Quod dicitur Agar sumpsisse filio uxorem, ad ordinem politicum spectat. nam quum præcipua pars humanæ vitæ sit conjugium, in eo contrahendo liberos parentibus subesse, & eorum consilio parere æquum est. Hunc ordinem quem natura præscribit ac dictat, videmus à feno homine Ismaël in barbariæ deserti fuisse servatum, ut in ducenda uxore se matri subjiceret. Unde perspicimus quam immane monstrum fuerit Papa, quando sacrum hoc jus naturæ labefactare ausus est. Accessit etiam impudentia, quod impio parentum contemptui se privilegium dare jactavit, in sancti conjugii honorem. Porro uxor Ægyptia quoddam futuri inter Israëlitas & Ismaëlitas dissidii præludium fuit.

22. *Et fuit tempore illo.*] Fœdus hoc inter Abraham & Abimelech fuisse percussum, ideo narrat Moses, ut sciamus post varias agitationes aliquid tandem quietis datum fuisse sancto viro: ultra annos sexaginta vagus & instabilis castra subinde movere coactus fuerat. Tametsi autem Deus eum usque ad mortem peregrinari voluit, sub rege tamen Abimelech concessit illi tranquillam habitationem. Et consilium Mosis est docere quomodo accideritut locum unum diutius solito teneret. Notanda est temporis circumstantia, nempe paulo post quam filium abdicaverat. Videtur enim solatium hoc ingenti tristitiæ succedere, non tantum ut à continuis molestiis aliquid relaxationis habeat, sed quo se alacrius exhilaret, & quietius occupet in educando filiolo Isaac. Quanquam certum est non omni ex parte lætum illi fuisse fœdus: sensit enim obliquis modis se tentari, multosque in ea regione esse quibus gravis & exosus esset. Rex certe illum se habere suspectum aperte profitebatur: fuit tamen hic summus honor quod rex loci ad hominem inquilinum ultro accessit, ut fœdus cum illo sanciret. Quæritur tamen an æquis legibus fœdus hoc percussum fuerit, ut inter socios fieri solet. Ego certe non dubito quin debitum regi honorem libenter deferet Abraham: nec verisimile est, regem habuisse in animo detrahere sibi aliquid, quod in Abraham transferret. Quid igitur? nempe quum liberum illi hospitium permitteret, voluit tamen

jurejurando habere sibi obstrictum. *Deus tecum est in omnibus.* Amica blandaque præfatione utitur: non accusat Abraham, non queritur aliquo se officio fuisse fraudatum: sed ejus se amicitiam expetere dicit: finis tamen est ut sibi ab eo caveat. Sed quæritur, unde illi suspicio vel metus, primum ab homine extraneo, deinde probo & modesto. Primum scimus profanos homines sæpe de nihilo esse anxios, ut etiam rebus quietis trepident. Deinde Abraham vir reverentia dignus erat: numerus servorum illi domi erat instar exigui populi: nec dubium quin suæ illi virtutes multum dignitatis conciliaverint. ita fit ut ejus opes Abimelech suspectas habeat. Sed quum ille privatam sui rationem haberet, Dominus, qui rerum eventus optime moderari novit, hoc modo consuluit servi sui quieti. Cæterum Abrahæ exemplo discamus, siquando nobis apud filios seculi invidiam conflabunt Dei dona, tam modeste nos gerere ut ne quid in nobis desideretur.

23. *Si mentitus fueris mihi.*] Ad verbum est, Si mentieris. est enim defectiva loquutio Hebræis trita in formulis jurandi: quæ sic resolvi debet, Si fefelleris datam mihi fidem, Deum invocabimus, ut medius inter nos judex sedeat, seque ostendat perjurii ultorem. Mentiri autem hic quidam accipiunt pro inique & fraudulenter agere: alii autem pro deficere. Ego simpliciter interpretor acsi dictum foret, Nihil perfide ages mecum, vel eum meis nepotibus. Sua autem beneficia commemorat Abimelech, quo efficacius illum hortetur ad colendam bonam fidem. nam quum humaniter acceptus foret, fœdæ ingratitudinis reum fore denunciat Abimelech, nisi vicissim studeat quæ accepit beneficia pensare. Misericordiam facere cum aliquo, Hebræis significat clementer & benigne eum tractare. Neque enim supplex venit Abimelech ut Abrahæ misericordiam imploret: quin potius sibi jus regium vendicat, ut patebit ex contextu.

24. *Et dixit Abraham, Ego jurabo.*] Quanquam jure potior, tamen nihil recusat quod sit ex officio boni & moderati viri. Et certe quum filios Dei sponte ad quodvis officium propensos esse deceat, nihil magis absurdum est quam se præbere difficiles vel morosos, ubi ab ipsis postulatur quod æquum est. Jurare etiam non abnuit: quia rem licitam esse noverat, sacro Dei nomine interposito pacta inter homines sanxit. In summa, videmus Abraham libenter se submittere vocationis suæ legibus.

25. *Et increpavit Abraham ipsum.*] Videtur injusta querimonia. nam si læsus erat, cur non usus fuit ordinario remedio? Sciebat regem esse humanum, habere etiam aliquod pietatis semen, comiter & honorifice ab illo tractatus fuerat: cur æquum juris sui defensorem fore diffidit? Quod si acceptam injuriam devorare maluerat quam regi molestus esse, cur nunc culpam quasi conscio, illi adscribit? Sed fieri potest ut intellexerit Abraham, factum hoc esse nimia regis tolerantia. Certe non sine causa expostulasse, ea ejus moribus & ingenio colligere licet. atque hinc perspicitur sancti viri moderatio, quod aquæ sua industria & labore repertæ usu privatus, non tumultuatur, ut ferebat injuriæ atrocitas: id enim perinde erat acsi eum loci accolæ strangulare conati essent. Cæterum ut patienter tam gravem injuriam tulit, ita quum illi præter spem sumendæ fiduciæ offertur occasio, in posterum sibi cavet. Videmus etiam, quo tempore paulo commodius habere visus est Abraham, & aliquid levationis nactus est, quam acriter eum Dominus exercuerit. Certe non leve examen fuit, dum pro aqua certare coactus est: nec ea communi, sed cujus puteum effoderat.

27. *Et accepit Abraham pecudes.*] Hinc liquet non fuisse fœdus percussum qualiter solent inter se pacisci æquales: gradum enim suum reputat Abraham, & in symbolum subjectionis, munus offert ex gregibus suis regi Gerar. nam pro eo quod dicunt Latini, Pendere vectigal vel tributum, & Gallice dicimus, *Faire hommage*, Hebræi dicunt, Munera offerre. Nec vero expectat Abraham dum sibi aliquid imperio & vi extorqueatur à rege, sed voluntario honore prævenit quem scit esse loci dominum. Quanta in hominibus grassetur dominandi cupiditas, plus satis notum est: quo plus laudis meretur Abrahæ pudor, qui non tantum alieno abstinet, sed injussus offert quod secum statuit ea officio deberi. Alia tamen suboritur quæstio: quum sibi divinitus traditum sciret terræ dominium, an subjectionem profiteri licuerit qua alterum dominum agnosceret. Verum solutio facilis est, quod possessionis adeundæ nondum advenerat tempus. nam spe tantum dominus, re ipsa peregrinus erat. Quare habitationem merito redemit, donec posteris ejus daretur quod illi promissum fuerat. Sic paulo post videbimus pretium solvisse pro uxoris sepulchro. In summa, priusquam manu Dei locaretur in legitimo terræ dominio, non dubitavit cum incolis loci transigere, ut precarin vel mercede apud ipsos habitaret.

28. *Et statuit Abraham septem agnas pecorum seorsum.*] Recitat Moses aliud caput fœderis, nempe quod nominatim Abraham sibi de puteo caverit, ut liberum haberet aquæ usum. Statuit autem in medium septem agnas: ut rex honorario munere donatus, comprobet ratamque habeat putei fossionem. Controversiam enim movere poterant incolæ quod privato homini & inquilino non liceret puteum fodere: nunc ubi intercessit publica regis auctoritas, consultum est Abrahæ quieti, ut nemo illi negotium faceſſat. Agnas multi accipiunt pro nummis hac forma percussis: sed quum prius facta sit ovium & boum mentio, nunc vero continuo post subjiciat Moses septem agnas seorsum positas, nummos hic fabricare absurdum est.

32. *Idcirco vocatus est locus.*] Jam semel ita nuncupavit Moses: sed secundum prolepsin. Nunc autem declarat quando & qua de causa inditum fuerit nomen: nempe quod illic ambo juraſſent. ideo transfero Puteum jurisjurandi. Alii vertunt Puteum septem. Sed Moses aperte à jurando deducit. nec refert quod à ratione Grammatica paulum discedit pronunciatio, quæ in nominibus propriis adeo curiose non observatur: & certe etymologiam non restringit Moses ad puteum, sed totum fœdus complectitur: quanquam non repugno quin Moses ad septenarium numerum alluserit.

33. *Et plantavit Abraham nemus.*] Hinc apparet plus requietis datum fuisse Abrahæ post initum fœdus quam hactenus habuerat. nunc enim arbores plantare incipit, quod tranquillæ fixæque habitationis signum est: neque enim prius legimus vel arbustum unum plantasse. Quare videmus ut mutata in melius ejus fuerit conditio: quia statariam vitam (ut ita loquar) agere licuit. Quod dicitur, *invocasse nomen Jehovæ*, ita interpretor, de integro instituisse solennem cultum Dei, quo suam gratitudinem testatam faceret. Ergo Deus postquam circumduxerat servum suum per continuas ambages, aliquid relaxationis sub extremum senium illi dedit. Atque ita cum fidelibus suis interdum agit, ut variis procellis jactatos, respirare tandem sinat. Quantum ad Dei invocationem, scimus Abraham quocunque venerat, nunquam cessasse ab hoc pietatis officio. Nec vero periculis deterritus est quin se veri Dei cultorem profiteretur quum hoc nomine vicinis invisus foret. Verum prout aucta illi erat habitandi commoditas, in profitendo Dei cultu animum collegit. Et quia sub regis tutela securius jam degebat, forte ex professo testari voluit hoc se Deo acceptum ferre. Et hac de causa videtur adscriptum epitheton, *Dei æterni*: acsi diceret Abraham, se non transisse in fidem regis terreni,

reni, nec ſe novo fœderi confidere, utà Deo æterno diſcederet. Cur Dei cultum invocationis nomiſſe per ſynecdochen deſignet Moſes, alibi expoſui. Poſtremo hic dicitur peregrinatus eſſe Abraham in ea terra, ubi tamen ſtatum domicilium habebat: ut ſciamus animum ejus non ſic defixum fuiſſe in illa quiete, quin ſemper expenderet quod prius audierat ex ore Dei, ſe fore inquilinum cum poſteris uſque ad annos quadringentos.

CAPUT XXII.

ET fuit, poſthæc Deus tentavit Abraham, & dixit ad eum, Abraham: qui dixit; Ecce ego.

2. Et dixit, Tolle nunc filium tuum, unicum tuum, quem dilexiſti, Ishac, & vade ad terram Moriah, & offer eum ibi in holocauſtum ſuper unum è montibus quem dixero tibi.

3. Et ſurrexit Abraham mane, & ſtravit aſinum ſuum, & cepit duos pueros ſuos ſecum, & Ishac filium ſuum: & ſcidit ligna holocauſti: & ſurrexit, perrexitque ad locum quem dixerat ei Deus.

4. Die tertia levavit Abraham oculos ſuos, & vidit locum procul.

5. Et dixit Abraham ad pueros ſuos, Manete hic cum aſino: & ego & puer pergemus uſque illuc, & adorabimus, revertemurque ad vos.

6. Et accepit Abraham ligna holocauſti, & poſuit ſuper Ishac filium ſuum, & accepit in manu ſua ignem & gladium, & perrexerunt ambo pariter.

7. Dixit autem Ishac ad Abraham patrem ſuum, dixit, inquam, Pater mi. Et dixit, Ecce ego, fili mi. Et dixit, Ecce ignis & ligna, & ubi pecus in holocauſtum?

8. Et dixit Abraham, Deus proſpiciet ſibi pecudem in holocauſtum, fili mi. Itaque perrexerunt ambo pariter.

9. Et venerunt ad locum quem dixerat ei Deus: & ædificavit ibi Abraham altare, & ordinavit ligna, & ligavit Ishac filium ſuum, & poſuit eum ſuper altare ſuper ligna.

10. Et miſit Abraham manum ſuam, & accepit gladium ut jugularet filium ſuum.

11. Et clamavit ad eum Angelus Jehovæ de cælo, & dixit, Abraham, Abraham. Et dixit, Ecce ego.

12. Et dixit, Ne extendas manum tuam in puerum, & ne facias ei quicquam: quia nunc cognovi quod times Deum, nec prohibuiſti filium tuum unicum à me.

13. Tunc levavit Abraham oculos ſuos, & vidit, & ecce aries poſt *eum* detentus in perplexitate *ſpinarum* cornibus ſuis: & perrexit Abraham, & accepit arietem, obtulitque eum in holocauſtum pro filio ſuo.

14. Et vocavit Abraham nomen loci ipſius, Jehova videbit: idcirco dicitur hodie, In monte Jehova videbit.

15. Et clamavit Angelus Jehovæ ad Abraham ſecundo è cælo:

16. Et dixit, Per me juravi, dixit Jehova, certe pro eo quod feciſti rem hanc, & non prohibuiſti filium tuum, unicum tuum:

17. Quod benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt juxta litus maris: & hæreditabit ſemen tuum portam inimicorum ſuorum.

18. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quod obediviſti voci meæ.

19. Poſtea reverſus eſt Abraham ad pueros ſuos, & ſurrexerunt, perrexeruntque pariter in Beer-ſebah: & habitavit Abraham in Beer-ſebah.

20. Et fuit, poſthæc nunciatum fuit ipſi Abraham, dicendo, Ecce peperit Milchah etiam ipſa filios Nachor fratri tuo,

21. Hus primogenitum ſuum, & Buz fratrem ejus, & Cemuel patrem Aram,

22. Et Cheſed, & Hazo, & Pildas, & Idlaph, & Bethuel:

23. Et Bethuel genuit Ribcah: octo iſtos peperit Milchah ipſi Nachor fratri Abraham.

24. Et concubina ejus, cujus nomen Reumah, peperit etiam ipſa Tebah & Gaham, & Thahas, & Mahachah.

1. *Et fuit.*] Caput hoc hiſtoriam in primis memorabilem continet. Quamvis enim toto vitæ curſu mirifica fidei & obedientiæ documenta ediderit Abraham: nullum tamen præſtantius excogitari poteſt quam filii immolatio. Aliæ enim tentationes quibus eum Dominus exercuerat, ad eum mortificandum ſpectabant: hæc autem vulnus morte ipſa longe acerbius inflixit. Quanquam hic nobis aliquid majus & altius paterno dolore & cruciatu conſiderandum eſt, qui ex filii unici morte conceptus, ſanctiviri pectus tranſfodit. Triſte illi fuit unico filio privari: triſtius eripi ſibi violenta morte: longe vero duriſſimum, conſtitui ipſum carnificem qui propria manu eum macta ret. Alias circumſtantias nunc omitto, quas ſuis locis notabimus. Verum hæc omnia ſi cum ſpirituali certamine conſcientiæ, quod ſuſtinuit, conferas, luſus ſunt duntaxat vel umbratiles pugnæ. Neque enim orbitas illi ſua lugenda fuit, quod occidere jubebatur unicum hæredem, ſpem memoriæ & nominis, decus & columen familiæ: ſed quia in ejus perſona extingui & perire videbatur tota mundi ſalus. Nec illi certamen erat cum carnis paſſionibus, ſed quum totum ſe addicere Deo cuperet, ipſa eum pietas & religio huc illuc diſtrahebat. Nam quaſi Deus ſecum ipſe pugnet, puerum ad mortem poſtulat; in quo ſpem æternæ ſalutis propoſuit. Itaque hoc poſterius mandatum quidam erat fidei interitus. Hunc hiſtoriæ præſentis guſtum lectoribus

dari

dari utile fuit, ut reputent quantopere ſedula & aſſidua meditatione digna ſit. *Poſt hæc tentavit Deus Abraham.* Non debet hoc reſtringi ad ultimum viſionem. quin potius varios eventus, quibus ſurſum deorſum jactatus fuerat Abraham: & rurſus paulo quietiorem vitæ ſtatum, quo nuper potiri cœpit effœta jam ſenectute: complecti uno verbo Moſes voluit. Inſtabilem vitam per continua exilia egerat uſque ad annum octogeſimum: multis contumeliis injuriiſque vexatus, ægre in continua trepidatione miſeram ſollicitam vitam toleraverat: ab ea terra in quam ſe Dei juſſu & auſpiciis contulerat, eum in Ægyptum expulerat fames. Bis illi uxor rapta fuerat è ſinu: divulſus fuerat à nepote: eum capitis ſui periculo, quum bello captus eſſet, liberaverat. Sterili viuerat cum uxore, quum tamen tota ejus ſpes à ſobole penderet. Tandem filium adeptus, exhæredare & procul domo expellere coactus fuerat. Reſiduus manebat Iſaac, ſingulare quidem ſed unicum ſolatium. pace domi fruebatur: nunc repente fulminat è cœlo Deus filio mortem denuncians. Senſus eſt igitur, hac tentatione, tanquam extremo actu, longe ſeverius quam antea probatam fuiſſe Abrahæ fidem. *Tentavit Deus Abraham.* Dum negat Jacobus quenquam à Deo tentari, ſacrilegas eorum calumnias refellit, qui ut malorum ſuorum culpam à ſe derivent, Deum ſubſtituere reum conantur. Vere ergo contendit Jacobus non debere alio transferri peccata, quorum radicem habemus in noſtris concupiſcentiis. Nam etſi venenum ſuum inſtillat Satan, & ſuis flabellis pravas in nobis cupiditates inflammat: nun tamen extrinſeco impulſu ferimur ad peccandum: ſed nos caro noſtra ſollicitat, & ejus illecebris ſponte obſequimur. Neque tamen illud obſtat quominus etiam Deus ſuo modo tentare nos dicatur: ſicut Abrahæm tentavit, hoc eſt, adduxit ad ſerium examen, ut fidei experimentum in ſervo ſuo caperet. *Jac.* 1:31.

Dixit ad eum.] Speciem tentationis deſignat Moſes, quod ſcilicet verbi ſui fidem in ſancta unima contrario verbi ſui ariete perculerit. Ideo enim nomine ipſum compellat, ne ambiguus ſit mandati auctor. Niſi enim certa perſuaſus fuiſſet Abraham, vocem eſſe Dei quæ filium Iſaac occidi jubebat, facile ſolutus fuiſſet moleſtia: fretus enim certa Dei promiſſione, quaſi Satanæ fallacium repudiaſſet: ita nullo negotio diſcuſſa tentatio fuiſſet. Nunc omnis ambigendi materia tollitur, ut ſine controverſia agnoſcat oraculum eſſe Dei quod audit. Interea Deus quodammodo duplicem indnit perſonam, ut diſſidii & repugnantiæ ſpecie, quam in verbo ſuo præ ſe fert, diducat & laceret ſancti viri pectus. Hæc enim ad fovendam conſtantiam fidei unica eſt ratio, ſi omnes ſenſus noſtros ad Dei verbum colligamus. Atqui talis fuit tunc verbi diſcrepantia, quæ fidem Abrahæ laceraret. Quare magna ſubeſt emphaſis verbo Loquendi, quod Deus ſcilicet non uſitato modo periculum fecerit de fide Abrahæ, ſed in certamen cum verbo ſuo traxerit. Quicquid tentationum nobis ingeritur, ſcimus in manu nobis eſſe victoriam, quandiu firma inſtructi fide ſumus: aliter vero ad reſiſtendum nos minime pares fore. Si ablato verbi gladio victi ſumus, quid ſi eodem quo nos armare ſolet gladio impetat Deus? id autem contigit Abrahæ. Cæterum quomodo hanc tentationem fide eluctatus ſit Abrahæm, poſtea ſuo loco videbimus.

Reſpondit, Ecce ego.] Hinc apparet ſanctum virum minime ſibi à Satanæ præſtigiis timuiſſe. Neque enim ſic prompti ſunt ad parendum Deo fideles, ut ſtulta eos credulitas ad quamlibet dubiæ viſionis auram circumferat. Quum vero Abrahæ conſtaret à Deo ſe vocari, promptum obſequendi ſtudium hoc reſponſo teſtatus eſt. Perinde enim valet hæc loquutio acſi diceret, quicquid Deo injungere libuerit, ſe ad id exequendum præſto adeſſe. Nec vero expectat dum hoc vel illud diſerte imperet Deus, ſed ſe ad omnia ſimpliciter & ſine exceptione obedientem fore promittit. Atque hæc vera demum eſt ſubjectio, dum prius ad agendum parati ſumus quam cognita ſit nobis Dei voluntas. Omnes quidem videmus idem jactare quod Abraham, ſed ubi ad rem ventum eſt, jugum Dei refugere. Sed ſanctus vir paulo poſt reipſa demonſtrat quam vere & ſerio profeſſus ſit, ſe abſque mora & diſceptatione ſub Dei manu fore.

2. *Tolle nunc filium tuum.*] Jubetur Abraham filium immolare. Si Deus tantum dixiſſet moriturum, pluſquam atrociter animum ejus vulneraſſet hic nuncius. Quicquid enim gratiæ à Deo ſperare potuit, in hac ſola promiſſione ineluſum erat, In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Unde neceſſario colligebat, ſuam & totius humani generis ſalutem perire, niſi Iſaac maneret incolumis. nam eo verbo edoctus erat, Deum ſine Mediatore nun eſſe hominibus propitium. Etſi enim illud Pauli nondum ſcriptum erat, Omnes Dei promiſſiones in Chriſto eſſe Etiam & Amen: erat tamen cordi Abrahæ inſculptum. Unde autem ſperaſſet niſi ex Iſaac? Eo igitur res cecidit ut apparet Deum nihil quam luſiſſe. Atqui nun tantum illi nunciatur mors filii, ſed jubetur eum ſua manu occidere: acſi non modo abjiceret, ſed conſcinderet vel projiceret in ignem ſalutis ſuæ ſyngraphatn: ac nihil ſibi reliquum faceret præter mortem & inferos. Sed quæritur quomodo dnce fide ad filii immolationem deſcenderit, quum illi propoſitum eſſet contra verbum Dei certamen, cui fidem inniti neceſſe eſt. Huic quæſtioni reſpondet Apoſtolus, Hebr. 11. verſ. 19. ideo non fuiſſe à verbo abreptum, quix Deum ſpetavit ex mortuis cineribus promiſſam benedictionem poſſe excitare. Duriter quidem ejus animum quaſſari & violenter percelli oportuit, quum intus confligerent Dei mandatura & promiſſio. Sed poſtquam ſtatuit, Deum, quocum ſibi negotium eſſe certus erat, ipſum ſibi non poſſe adverſari: quamvis non ſtatim modum inveniat tollendæ repugnantiæ, ſpe tamen ſua conciliat cum promiſſione mandatum: quia indubie perſuſus ſua Deum eſſe fidelem, ejus providentiæ relinquit ſueceſſum quem ignorat. Interea quaſi oculis clauſis; pergit quo jubetur. Hunc bonorem meretur Dei veritas, non tantum ut alte emineat ſupra humana media, vel ſola abſque mediis ſufficiat: ſed etiam ut obſtaculis omnibus ſit ſuperior. Hic jam melius perſpicimus ſpeciem tentationis quam notavit Moſes. Difficile ac moleſtum Abrahæ fuit oblivifci ſe eſſe patrem ac maritum, & cauere omnes hominis affectus, ſubire coram mundo fœdæ ſævitiæ infamiam, quod filii carnifex fuiſſet. Sed iſtud alterum longe gravius & magis horribile, quod Deum ſibi ac verbo ſuo adverſum eſſe concipit: deinde quod ſpem promiſſæ benedictionis excuti ſibi cogitat dum ea complexu rapitur Iſaxe. Quid enim illi amplius cum Deo ubi tollitur unicum gratiæ pignus? Sed quemadmodum prius ſemen ex effeto corpore ſuo expectans, ſpe ſua tranſcenderat quod ſperandum videbatur: ita nunc dum in morte filii apprehendit vivificam Dei potentiam, ut benedictionem ſibi ex filii cineribus promittat, ex tentationis labyrintbn emergit. nam ut Deo pareret, mordicus promiſſionem tenere neceſſe fuit, qua collapſa eacidit fides. Promiſſio autem apud eum ſemper viguit: quia & amorem quo ſemel eum Deus complexus fuerat, mordicus retinuit, & ejus potentiæ ſubjecit quæcunque ad turbandum ejus animum erigebat Satan. Promiſſionis vero implendæ modum ſenſu ſuo metiri noluit, quem ſciebat ab incomprehenſibili Dei virtute pendere. Reſtat ut ad ſe unuſquiſque noſtrum, hoc exemplum accommodet. Indulget quidem infirmitati noſtræ Dominus, ut fidem noſtram non ita ſevere & *Cor.* 1. *verſ.* 20.

acri-

acriter examinet: documentum tamen in patre omnium fidelium edere voluit quo nos ad communem fidei probationem vocaret. Nam fidem quæ auro & argento pretiosior est, sine probatione otiosum jacere non decet: & experientia docet, singulos pro fidei suæ modulo à Deo examinari. Simul etiam notemus Deum servos suos tentare, non tantum quum subigit carnis affectus, sed omnes eorum sensus redigit in nihilum, ut ad plenam sui abnegationem eos adducat.

Unicum tuum, quem dilexisti.] Quasi non satis esset filii mactationem uno verbo imperare, velut repetitis ictibus sancti viri animum altius transfigit. Unicum vocando, vulnus refricat nuper infligtum alterius abdicatione: deinde respicit etiam in futurum tempus, quod nulla spes sobolis gignendæ superstes esset. Si primogeniti filii luctuosa mors esse solet, qualis esse debuit Abrahæ luctus? Singula verba quæ sequuntur, emphatica sunt ad exasperandum dolorem. *Occide*, inquit, *quem tu unice amas*: nec paternum modo amorem designat, sed qui ex fide oriebatur. Amabat filium suum Abraham, non tantum ut fert natura, & vulgo solent patres filios habere in deliciis, sed quia in eo paternum Dei amorem intuebatur: denique erat Isaac vitæ æternæ speculum, & bonorum omnium pignus. Quare non tam in paternum Abrahæ amorem videtur Deus impetum facere, quam suam ipsius benevolentiam calcare pedibus. Non minor subest emphasis in nomine Isaac, quo admonebatur Abraham nusquam alibi gaudium sibi restare. Certe quum aufertur qui in materiam lætitiæ datus erat, perinde est acsi Deus ipsum ad æternos cruciatus damnaret. Semper enim memoria tenendum est, non fuisse Isaac ex communi filiorum ordine, sed in cujus persona promissus erat Mediator.

Vade in terram Moriah.] Hac circumstantia non parum crevit doloris acerbitas. Non vult eum Deus statim filii mactatione defungi, sed cogit toto triduo carnificinam istam in animo alere: ut se comparans ad mactandum filium, sensus omnes suos gravius excarnificet. Adde quod neque locum nominat ubi dirum illud sacrificium offerri velit. *Super unum montium* (inquit) *quem tibi ostendam*. Sic prius, quum jubebat ex patria migrare, suspensam ejus mentem tenuit. In hoc autem negotio minus tolerabilis fuit mora, quæ sanctum hominem quasi equuleo impositum sævissime torquebat. Duplex autem suspensionis hujus usus fuit. Nihil magis proclive nobis est quam sapere ultra mensuram. Ergo ut nos sibi Deus vere dociles ac morigeros habeat, destitui nos proprio consilio utile est: & nihil esse residuum nisi ut nos ejus arbitrio circumagendos tradamus. Deinde ad perseverantiam hoc valuit: ne subito tantum motu se obsequentem Deo præberet. Nam dum iter non reflectit, nec varia consilia agitat: hinc apparet studium ejus tali fuisse constantia firmatum ut nulla varietate flecteretur. Terram Moriah Hieronymus exposuit visionis, quasi à verbo ראה deductum esset nomen. Sed hanc sententiam omnes linguæ Hebraicæ periti improbant. Mihi nihilo magis arridet quod quidam interpretantur Myrrham Dei. Et certe hoc plurium consensu receptum est, deduci à verbo ירה quod docere, vel יראה quod timere significat. Adhuc variant interpretes, quod quidam putant Dei doctrinam commendari. Sequamur quod magis probabile est, terram vocari divini cultus, vel quod eam Deus peragendo sacrificio delegerat, ne disputet Abraham cur non potius alibi: vel quod jam illic destinatus erat templo locus. atque hoc secundum libenter amplector, Deum illic præsentem cultum à loco suo Abraham postulare, quia jam arcano suo consilio ibi locare statuerat ordinarium cultum. Merito autem à timore nomen accipiunt sacrificia, quæ Dei reverentiam testantur. Porro minime dubium est quin locus sit ubi postea conditum fuit templum.

3. Et surrexit Abraham mane.] Hæc promptitudo ostendit quanta fuerit Abrahæ fides. Innumeræ cogitationes venire poterant sancto viro in mentem, quarum singulæ ejus animum mole sua obruerent, nisi fide obduruisset. Nec dubium est quin Satan inter noctis tenebras ingentem curarum acervum illi congesserit. Luctando paulatim eas vincere, heroicæ virtutis fuit. Illis vero superatis, statim se accingere ad explendum Dei mandatum, imo mane surgere, ingenti miraculo non caret. Alii tam diro ac terribili nuncio prostrati concidissent, & quasi exanimes obtorpuissent. Abrahæ primum dilueulum ad festinationem vix satis est. Paucis ergo verbis magnifice extollit ejus fidem Moses, quum tam brevi temporis spatio absorptam ab ea tentationem narrat quæ plures secum labyrinthos trahebat.

4. Vidit locum.] Nempe vidit oculis qui prius arcana visione oblensus erat. Cæterum ubi dicitur levasse oculos, non dubium est quin significet Moses, mire anxium fuisse toto triduo. Quod servos suos subsistere jubet, eo consilio facit ne quasi deliro seni & insano manum injiciant. Atque hic se profert animi ejus magnitudo, dum cogitationes tam bene compositas & tranquillas habet, ut nihil tumultuanter agat. Quod tamen se cum puero reversurum dicit, simulatione & mendacio carere non videtur. Quidam putant voeem hanc prophetice ab eo fuisse emissam: sed quia certum est, quod de semine in Isaac suscitando promissum erat, nunquam illi fuisse elapsum: fieri potest ut in Dei providentiam recumbens, superstitem filium in morte ipsa sibi proposuerit: ac sicuti clausis oculis ad occidendum filium pergebat, ita nihil absurdi est si confuse in re obscura loquutum fuisse dicamus.

7. Pater mi.] Hic novum tormentum erigit Deus, quo saucium jam multis vulneribus Abrahæ pectus magis magisque exercuciet. Neque enim dubium est quin linguam Isaac consulto tum ad blandam banc appellationem flexerit Deus, tum ad interrogationem direxerit, ne quid ad extremam doloris atrocitatem deesset. Hunc tamen adhuc impetum sustinet invicto animo sanctus vir: atque adeo non turbatur in proposito cursu, ut ostendat se penitus Deo affixum, nihil admittere quod vel ejus fiduciam sollicitet, vel obsequium impediat. Sed notare operæ pretium est qualiter nodum insolubilem explicet: nempe in asylum confugit divinæ providentiæ, *Deus sibi providebit*. Hoc exemplum nobis ad imitationem proponitur. quoties aliquid præcipit Dominus, multa subinde occurrunt quæ nos debilitent: deficiunt nos media, consilio destituimur, exitus omnes videntur præclusi. Talibus angustiis unicum remedium est, ne despondeamus animos: si successum Deo permittimus, ut viam per invia patefaciat. Nam ut Deo facimus injuriam, nihil ab eo sperantes nisi quod sensus nostri percipiunt: ita non vulgaris illi honos à nobis præstatur, dum in rebus confusis, acquiescimus tamen in ejus providentia.

8. Et perrexerunt ambo.] Hinc tum Abrahæ constantia, tum filii modestia perspicitur. Nam obstaculo illo remisso factus non est Abraham: filius autem in refellendo patris responso non instit it. Promptum enim erat excipere, Quorsum ligna & gladium attulimus sine pecude, si Deus sacrificium sibi fieri mandavit? Sed quia certa aliqua ratione, non oblivione patris omissam esse victimam reputat, quiescit ac silet.

9. Et venerunt ad locum.] Multa consulto præterit Moses, quæ tamen considerandæ sunt lectoribus. Ubi meminit altaris extructi, continuo post addit, ligatum fuisse Isaac. Atqui scimus tunc mediæ fuisse ætatis, ut vel patre esset robustior, vel saltem par ad resistendum si viribus certandum esset. quare vim reluctanti & invito allatam fuisse non arbitror, sed potius ultro ipsum cessisse. Atqui vix fieri

fieri potuit ut se ad mortem offerret, nisi divini oraculi certior jam factus: sed hoc sermone præterito tantum recitat Moses fuisse ligatum. Si quis objiciat supervacuum fuisse ligari, qui voluntarius ad mortem oppetendam foret: respondeo, Sanctum hominem ita obviam iviſſe periculo, ne quid in medio actu accideret. Mira quidem est Mosis in narrando simplicitas, sed quæ plus vehementiæ continet quam si tragice omnia exaggeraret. Summa tamen huc redit, Abraham, ubi ad feriendum filium ventum est, semper fuisse sui similem: tantamque fuisse animi ejus fortitudinem, ut senilis manus ad peragendum sacrificium sufficeret, cujus solo aspectu totum corpus liquefcere ac diffluere potuit.

11. *Et clamavit ad eum Angelus Domini.*] Jam devicta erat interior tentatio, quum Abraham manum intrepide ad cædendum filium sustulit, ac singulari Dei gratia tam insignem victoriam adeptus erat. Nunc vero subjicit Moses, repente præter spem læto eventu mutatam fuisse ejus tristitiam. Poëtæ in suis fabulis, ubi res desperatæ sunt, Deum aliquem inducunt qui subito ex machina apparet. fieri potest ut ejusmodi figmentis miros & stupendos Dei occursus obscurare conatus sit Satan: dum suis ad opem ferendam ex inopinato affullit. Nota certe & celebris omnibus populis esse debebat hæc historia: verum astu Satanæ non modo adulterata fuit Dei veritas & conversa in mendacium, sed etiam tracta ad fabulandi materiam, quo majori ludibrio foret. Nostrum vero est intentis mentibus considerare quam mirabiliter in ipso articulo Deus tum Isaac revocaverit à morte in vitam, tum Abrahæ filium suum quasi è sepulchro emersum restituerit. Exprimit autem Moses vocem Angeli è cælo sonuisse: ut sciret Abraham profectum esse à Deo, ut eadem fidei directione manum retraheret qua extenderat. Neque enim quicquam in tanta re nisi Deo auctore vel suscipere vel relinquere fas fuit. Nos quoque ejus exemplo discamus minime sequi quod nobis esse probabile sensus carnis dictabit: sed Deus solo suo nutu, agendi & cessandi modum nobis præscribat. Nec vero Abraham Deum inconstantiæ insimulat, quia justam exercendæ fidei suæ causam fuisse perpendit.

12. *Nunc cognovi quod times.*] Coacta est Augustini expositio, Feci te cognoscere. Sed quomodo aliquid Deo innotescit cui semper omnia fuerunt præsentia? nempe hominum moribus se conformans, quod experimento probavit, sibi nunc dicit esse cognitum. Neque enim pro immensa sua sapientia, sed pro nostra infirmitate nobiscum loquitur. Simpliciter autem intelligit, Abraham reipsa testatum esse quam ferio Deum timeret. Quæritur tamen annon multa suæ pietatis documenta ante jam dederit. Respondeo, quando hucusque eum progredi volebat Deus, tunc vera demum probatione, quæ in aliis multo levior sufficeret, defunctum esse. Sicuti autem Abraham Deum se timere ostendit, proprio & unigenito filio non parcens: ita ejusdem timoris commune à piis omnibus testimonium exigitur in abnegatione sui. Quia autem continuam militiam nobis injungit Deus, cavendum est ne sibi quisque missionem ante tempus postulet.

13. *Et ecce aries post eum.*] Quod sexto die mundi creatum fuisse hunc arietem Judæi nugantur, simile est aliis eorum commentis. Miraculo quidem oblatum fuisse non est quod dubitemus, sive tunc primum creatus fuerit, sive aliunde adductus. dare enim voluit Deus servo suo unde lætus ipse & hilaris suave sacrificium offerret: & simul admonuit de reddenda gratiarum actione. Porro quod in locum Isaac fubstituitur aries, quasi in speculo nobis ostendit Deus quis sit mortificationis nostræ finis, ut scilicet Spiritu Dei in nobis vigente, nobis mortui, tamen vivæ hostiæ simus. Nec me latet magis subtiles allegorias posse elici: sed quantum firmitatis habeant, non video.

14. *Nomen loci ipsius.*] Non modo gratias agendo in præsentia, agnoscit miraliter sibi à Deo fuisse consultum: sed gratitudinis suæ monumentum etiam posteris relinquit. In ultima anxietate ad Dei providentiam confugerat. id se non frustra feciſſe testatum; neque enim arietem fortuito illic erraſſe, sed divinitus oblatum esse agnoscit. Quod autem successu temporis mutatum fuit loci nomen, data opera, non errore, factum est. Nam qui activum verbum, Videbit, in passivum transtulerunt, docere hoc modo volebant, Deum non tantum suis prospicere, sed manifestum etiam auxilium illis ostendere, ut viciſſim conspicuus sit. Ordine illud est prius, Deum occulta sua providentia statuere & ordinare quod nobis expedit: sed inde alterum pendet, ut manum suam ad nos extendat, seque veris experimentis faciat visibilem.

15. *Et clamavit Angelus Jehovæ ad Abraham.*] Quod pollicitus fuerat Deus Abrahæ ante natum Isaac, nunc iterum confirmat & sancit postquam redivivus surrexit ab altari non secus atque è sepulchro, quo pleniorem agere possit triumphum. Loquitur autem Angelus in persona Dei: quemadmodum ante diximus, quo plus auctoritatis habeat ipsorum legatio, quam ejus nomine perferunt, simul majestatem induere. Videntur tamen hæc duo parum inter se consentanea, nunc in mercedis loco censeri quod ante gratuito promissum erat. Scimus autem gratiæ & mercedis nullum esse consensum. Jam vero quum benedictio, quæ in semine promittitur, spem salutis contineat, sequitur vitam æternam operibus rependi. Ac Papistæ audacter locum hunc & similes arripiunt ut opera meritoria esse probent bonorum omnium quæ nobis confert Deus. Atqui ego hanc machinam aptissime in eos retorqueo. Nam si gratuita ante promissio fuit quæ nunc mercedi adscribitur, constat gratiæ acceptum ferri debere quicquid operibus Deus rependit. Certe priusquam nasceretur Isaac, jam rata erat hæc eadem promissio: nec quicquam nunc præter confirmationem accepit. Si virtute sua promeritus est Abraham tantam compensationem, irrita erit Dei gratia quæ eum prævenit. Ergo ut stabilis sit Dei veritas in gratuita ejus bonitate fundata, statui necesse est vocari operum mercedem quod gratis donatur. Non ut bonitatis suæ laudem obscuret Deus, vel aliqua ex parte minuat, sed tantum ut suos animet ad recte agendi studium, ubi sua officia illi sic placere intelligunt, ut mercede etiam dignetur: nihil tamen quasi debitum solvens, sed mercedi titulum imponens suis beneficiis. atque in eo nihil est discrepantiæ. Bis enim se liberalem ostendit Dominus, dum stimulos ad pie vivendum nobis addere volens, ad opera nostra transfert quod meræ beneficentiæ proprium erat. Perperam igitur Papistæ benignas istas Dei invitationes, quibus torporem nostrum corrigere vult, in diversum finem torquent: ut suis meritis arroget homo quod meram est divinæ liberalitatis munus.

17. *Hæreditabit semen tuum portam inim.*] Significat Abrahæ sobolem hostium suorum victricem fore. nam & in portis erant propugnacula, & in his judicia exercebantur. Quanquam autem sæpe Judæis passus est Deus tyrannice dominari hostes: sic tamen moderatus est suas vindictas, ut superior tandem esset hæc promissio. Porro memoria tenendum est quod de seminis unitate prius ex Paulo disserui. hinc [illegible] colligimus non quibuslibet Abrahæ filiis, sed Christo promitti victoriam & ejus membris, quatenus inter se sub uno capite cohærent. Nisi enim teneamus notam aliquam quæ inter legitimos & degeneres Abrahæ filios discernat, promiscue hæc promissio tam Ismaëlitas & Idumæos, quam populum

lum Iſraël comprehendet: atqui unitas populi à capite dependet. Ideo Prophetæ quoties ratam facere volunt hanc Dei promiſſionem, hoc principium ſumunt, quod ſub Davide coaleſcent in unum corpus qui ſine illo diviſi ſunt. Reliqua ex capite duodecimo petantur.

19. *Et perrexerunt pariter in Beer-ſebah.*] Repetit Moſes, poſtquam dura illa & incredibili tentatione defunctus eſt Abraham, quietam illi fuiſſe ſtationem in Beer-ſebah. Hanc narrationem, & quæ proxime ſequitur de cognatione ejus aucta, ideo inſeruit Moſes, ut ſciamus ſanctum hominem poſtquam reduxeſt ex mortis abyſſis, non uno modo fuiſſe exhilaratum. Sic enim eum Deus reficere voluit, ut eſſet quaſi novus homo. Quanquam alia de cauſa recenſet Moſes progeniem Nachor, quia ſcilicet inde uxorem ſumpturus eſſet Iſaac. Rara enim fit in Scripturis fœminarum mentio: & credibile eſt plures filias fuiſſe genitas ipſi Nachor, ex quibus una tantum Rebecca hic ponitur. Concubinæ filios ab aliis diſtinguit, quia minus ſplendido loco erant: non quod inſtar ſcorti habita fuerit concubina, ſed quia ſecundaria erat uxor, non autem materfamilias, quæ bonorum ſocietatem haberet cum viro. Neque tamen ſi in animo habuit Nachor ſecundam ducere uxorem, ideo legitimam polygamiam effecit: ſed ex aliorum conſuetudine, ſibi licitum eſſe putavit, quod ex peſſima corruptela natum erat.

Caput XXIII.

1. FUit autem vita Sarah centum anni & viginti anni & ſeptem anni: anni vitæ Sarah.

2. Et mortua eſt Sarah in Ciriath-arbah: ipſa eſt Hebron in terra Chenaan. Et venit Abraham ad plangendum ſuper Sarah, & ad lugendum eam.

3. Deinde ſurrexit Abraham à facie mortui ſui, & loquutus eſt ad filios Heth, dicendo,

4. Peregrinus & advena ſum vobiſcum: date mihi hæreditatem ſepulchri vobiſcum, & ſepeliam mortuum meum à facie mea.

5. Et reſponderunt filii Heth ad Abraham, dicendo ei,

6. Audi nos, domine mi, Princeps Dei es in medio noſtri: in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum: nemo è nobis ſepulchrum ſuum prohibebit à te ne ſepelias mortuum tuum.

7. Tunc ſurrexit Abraham, & incurvavit ſe populo terræ, filiis Heth:

8. Et loquutus eſt cum eis, dicendo, Si eſt in animis veſtris ut ſepeliam mortuum meum à facie mea, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Sohar:

9. Ut det mihi ſpeluncam duplicem quæ *eſt* ei in fine agri ſui: argento pleno det eam mihi in medio veſtri in hæreditatem ſepulchri.

10. Et Ephron habitabat in medio filiorum Heth: & reſpondit Ephron Hittæus ad Abraham in auribus filiorum Heth, in *auribus* omnium ingredientium portam civitatis ſuæ, dicendo,

11. Non, domine mi: audi me, Agrum dedi tibi, & ſpeluncam quæ eſt in eo, tibi dedi eam in oculis filiorum populi mei, dedi tibi: ſepeli mortuum tuum.

12. Et incurvavit ſe Abraham coram populo terræ:

13. Et loquutus eſt ad Ephron in auribus populi terræ, dicendo, Veruntamen ſi tu: utinam audias me: dabo argentum agri, cape à me, & ſepeliam mortuum meum ibi.

14. Et reſpondit Ephron ad Abraham, dicendo ei,

15. Domine mi, audi me: Terra quadringentorum ſiclorum argenteorum *eſt* inter me & te, quid eſt? & mortuum tuum ſepeli.

16. Et obedivit Abraham ipſi Ephron: & appendit Abraham ipſi Ephron argentum quod loquutus fuerat in auribus filiorum Heth, quadringentos ſiclos argenteos tranſeuntes per mercatores.

17. Et confirmatus eſt ager Ephron, qui erat in ſpelunca duplici, qui *erat* coram Mamre: ager & ſpelunca quæ erat in eo, & omnis arbor quæ erat in agro, quæ *erat* in omni termino ejus per circuitum:

18. Ipſi Abraham in poſſeſſionem, in *oculis* filiorum Heth, omnium ingredientium portam civitatis ejus.

19. Et poſtea ſepelivit Abraham Sarah uxorem ſuam in ſpelunca agri duplici coram Mamre: hæc eſt Hebron in terra Chenaan.

20. Et confirmatus eſt ager, & ſpelunca quæ erat in eo, ipſi Abraham in hæreditatem ſepulchri à filiis Heth.

1. *Et fuit vita Sarah.*] Mirum eſt cur Moſes, qui uno verbo indicat mortem Saræ, tam multis proſequatur ſepulturam: ſed poſterius non eſſe ſupervacuum, mox videbimus. Mortem ſuo more cur tam breviter attingat, neſcio: niſi quod plus conſiderandum relinquit lectoribus quam exprimat. Videbant ſancti Patres mortem ſibi cum reprobis communem eſſe. Neque tamen fuerunt deterriti quin vitam ærumnis refertam ægre trahentes, ad metam intrepide pergerent. Unde ſequitur, melioris vitæ ſpe animatos, fatigationi non ceſſiſſe. Saram annos centum viginti ſeptem vixiſſe dicit Moſes, quia autem ad ſingulos numeros repetit nomen annorum, fabulantur Judæi hoc ideo factum, quod tam formoſa fuiſſet anno centeſimo quam vigeſimo: in flore autem ætatis tam pudica quam anno ſeptimo. Hoc illis ſolenne eſt, dum in ornanda gente ſua ſe probare volunt argutos, frivolas ineptias comminiſci, quæ pudendam inſitiam prodant: ſicuti hoc loco prorſus ignaros linguæ ſuæ eſſe quis non diceret, in qua trita eſt ejuſmodi repetitio? Quod etiam alii in voce יְתֵר argutantur, minime ſolidum eſt. Cur vitas plurali numero Hebræi pronuncient, ratio non videtur mihi poſſe melior reddi, quam quod Latini

quadrigas dicant non quadrigam. Scio multiplicem esse hominum vitam, quia præter animam vegetativam, deinde præter sensum quem habent cum brutis animalibus communem, mente quoque & intelligentia prædita sunt. Plausibilis quidem argutia, sed quæ nihil habet solidi. Plus coloris habet eorum opinio, qui varios vitæ humanæ eventus notari putant: quæ quum nihil habeat stabile, sed inter assiduas vicissitudines æstuet, merito in plures vitas dividitur. Ego tamen simplici linguæ usu contentus sum, cujus non semper curiose quærenda est ratio.

2. *In Cariath-arbah.*] Ex decimo quinto capite vers. 54. Josue, apparet magis antiquum fuisse urbis nomen, quæ postea Hebron vocari cœpit. Cæterum de etymologia non convenit. Quidam ab urbe quadruplici deductum esse putant nomen: sicut τετράπολιν Græci appellant urbem tribus ordinibus distinctam, & reginnem Decapolim à decem urbibus. Aliis placet nomen esse gigantis Arbah, quem vel tyrannum, vel conditorem urbis fuisse existimant. Alii à quatuor Patribus nomen loco datum fuisse malunt, qui illic cum uxoribus fuerunt sepulti, Adam, Abraham, Isaac & Jacob. Ego de re incerta & non admodum necessaria sententiam libens suspendo. Hoc vero ad præsentem historiam magis interest, quomodo alibi mortua sit Sara quam ubi domicilium habebat Abraham. Siquis excipiat, sedem ambos mutasse, refragantur Mosis verba, qui venisse dicit Abraham ut mortuum suum lugeret. Nam hinc colligere promptum est, morti non interfuisse. nec verisimile est tabernaculis solum fuisse disjunctos, ut lugendi causa decem aut viginti passus conficeret, neglecto potiore officio. Hac de causa suspicantur quidam, peregre tunc fuisse profectum. Mihi vero magis videtur probabile, tunc illis hospitium fuisse in Hebron, vel saltem in valle Mamre, quæ urbi vicina est. Postquam enim exiguum illi tempus ad respirandum datum erat, mox ad solitas peregrinationes redire coactus est. Et quamvis taceat Moses justa mariti officia Abraham præstitisse vivæ adhuc uxori: omitti quod indubium & pro certo habendum erat existimo, & de luctu verba fieri, quoniam res conjuncta erat cum cura sepulturæ. Seorsum quidem habitasse postea videbimus: non quod regionibus diffiti forent, sed quia in propriis tentoriis, licet contiguis, singuli degerent. Neque id dissidii vel rixarum signum fuit, sed familiæ amplitudini magis imputandum est. Nam ut multum negotii habuit Abraham in regendo tot servorum grege, ita uxori nihilo facilius fuit ancillas habere sub casta & honesta custodia. Ipsa igitur copia, quam simul misceri tutum non erat, familiam partiri eos coëgit. Sed quorsum attinuit, lugendi causa ad cadaver accedere? annon, ut dolorem ipsum minime provocaret, satis tristis acerbaque mors uxoris fuit? potius quærendum erat ejus leniendi remedium, quam ut indulgentia foveret atque etiam augeret. Respondeo, si Abrahamad uxorem mortuam venit, ut largiorem fletum eliceret, sibique cor scinderet novis vulneribus, non esse probandum exemplum. Si vero & uxoris mortem privatim deflevit, quantum ferebat humanitas, ac in eo sibi moderatus est: deinde communem humani generis maledictionem prosequutus est voluntario luctu: nihil in utroque esse vitii. Nihil enim tristitiæ ex mortis intuitu sentire, barbaries est magis ac stupor quam animi fortitudo. Cæterum quia homo fuit Abraham, fieri potest ut modum excesserit. Et tamen quod paulo post subjicit Moses, eum surrexisse à mortuo suo, ad laudem moderationis pertinet. idque Ambrosius prudenter expendit, hoc exemplo nos doceri, perverse eos facere qui se in mortuis lugendis nimium occupant. Jam si tunc finem dolori imposuit Abraham, seque cohibuit quum adhuc obscura esset resurrectio: nulla excusatione digni sunt, qui hodie frenum impatientiæ suæ laxant, ex quo nobis in Christi resurrectione tam plena consolatio suppetit.

3. *Loquutus est ad filios Heth.*] Quo ritu sepelierit corpus uxoris Abraham, silet Moses: tantum in recitanda sepulchri emptione prolixe insistit. Qua id de causa, mox videndum erit, ubi pauca de jure sepeliendi attigero. Quanta ejus rei omnibus seculis & apud omnes populos religio fuerit, satis notum est. Dissimiles quidem fuerunt ceremoniæ, & variis superstitionibus certatum fuit: interim commune omnibus fuit sepelire mortuos. Neque id studium vel ex stulta curiositate, vel ex inanis solatii voto, vel ex superstitione profectum est, sed ex naturæ sensu, quem Deus hominum mentibus indidit: neque unquam evanescere passus est, ut sibipsis testes essent futuræ vitæ. Nec credibile est ex animo loquutos esse qui in sepulturæ ludibrium immanes quasdam voces jactarunt. Forti quidem animo sepulturam, non aliter quam divitias, & honores, & reliqua vitæ commoda, contemnere nos oportet, ut privari æqui animo feramus. Negari tamen non potest, quin sepeliendi curam secum ferat religio. Et certe (quemadmodum dixi) divinitus hoc ab initio populis omnibus insculptum fuit, ut mortuos sepelirent: unde & sancta illis fuerunt sepulchra. Fateor non semper venisse profanis hominibus in mentem, superstites esse à morte animas, & spem etiam resurrectionis corporibus relinqui, nec se tam pia meditatione exercuisse quoties mortuos in sepulchris condebant: sed non facit eorum incogitantia, quin eorum oculis subjecta fuerit imago futuræ vitæ, ut essent inexcusabiles. Abraham vero quum spem resurrectionis haberet penitus infixam in corde suo, vigilabile ejus symbolum sedulo, ut decebat, coluit. Quanti autem fecerit, hinc apparet, quod se pollutionis reum fore putavit, si corpus uxoris post mortem cum aliis misceret. Nam in hunc finem speluncam emit, ut sibi ac suis sanctum purumque sepulchrum haberet. Pedem terræ, ubi tentorium figeret, habere non curavit: sepulchri tantum habuit curam. præsertim vero in ea terra peculiare & domesticum sibi esse sepulchrum voluit, quæ in hæreditatem promissa erat: ut testatum posteris faceret, nec sua nec suorum morte extinctam esse Dei promissionem: quin potius tunc vigere, & qui luce Solis & spiritu communi orbati erant, promissæ tamen hæreditatis semper manere consortes. Ipsis enim tacentibus & mutis, clamabat sepulchrum mortem non fuisse obstaculo quominus ejus possessionem adirent. Quæ cogitatio locum habere non potuit, nisi Abraham in cœlum fide suspiceret. Et dum cadaver uxoris *mortuum suum* vocat, tale significat mortis esse divortium, ut aliqua superstit conjunctio. Porro jus mutuæ necessitudinis inter vivos & mortuos non aliud fovet ac conservat quam futura restitutio. Sed præstat singula breviter ordine expendere.

4. *Peregrinus & advena sum.*] Huc tendit præfatio, vel ut suppliciter rogando, facilius impetret quod cupit, vel ut omnem cupiditatis invidiam tollat. Fatetur ergo, quia nonnisi precarium hospitium inter ipsos habet, sibi nullum patere sepulchrum, nisi eorum concessu. Quia autem vivo permiserant in sua ditione habitare: humanitatis erat, sepulchrum non negare mortuis. Si hic sensus arridet; tum sibi ab humilitate favorem conciliat Abraham: tum benigne secum à filiis Heth actum esse prædicans, stimulum illis ex laude addit, ut eadem qua cœperunt liberalitate uti pergant. Alter quoque sensus non male quadrat, quod Abraham, ut emptionis odium avertat, cupere se dicat, non in præsentis vitæ usum, non ambitione vel avaritia, sed tantum ne insepulti jaceant mortui. acsi diceret, Ego apud vos, sicuti hactenus, versari peregrinus non recuso: non inhio vestris prædiis, ut proprium aliquid possidens, de æqua-

æqualitate vobiscum certem: mihi locum habere sufficit ubi spectamur.

6. *Princeps es Dei in medio nostri.*] Offerunt Hethæi gratuitum sepulchrum Abrahæ, ubicunque eligere placuerit. Testantur autem hoc se Abrahæ virtutibus dare. Jam ante vidimus, quicquid excellit, Divinum Hebræis vocari. Ideo principem Dei hoc loco intellige eximium & singulari præstantia. Et merito quem propter virtutes colunt, hoc insignium elogio: ut se Deo uni adscribere testentur quicquid virtutum in hominibus laude & reverentia dignum est. Jam aliquod pietatis semen in eo se profert, quod honore dignantur Abraham Hethæi, quem raris Spiritus Dei donis ornatum esse agnoscunt. Profani enim & feri homines barbaro saltu quamlibet præclara Dei dona, non secus ac margaritas porci, conculcant. Et tamen scimus quam multis vitiis refertæ fuerint illæ gentes: quo fœdior est magisque pudenda nostra ingratitudo, si Dei imaginem, dum ante oculos nostros fulget, nullo honore prosequimur. Sanctitas morum, Abrahæ favorem conciliat apud Hethæos, ut inter se eminere non moleste ferant. quæ igitur excusatio nobis, si virtutes in quibus conspicua est Dei majestas, minore in pretio habemus? Diabolicus vero est eorum furor qui Dei gratias non despiciunt solum, sed etiam ferociter oppugnant.

7. *Et surrexit Abraham.*] Recusat oblatum beneficium ab Hethæis: quod eo consilio factum quidam interpretantur, ne se in re tantula obnoxium redderet. Atqui potius hoc modo testari voluit nullam sibi esse gratuitam ab incolis possessionem, qui Dei manu ejiciendi erant ut in eorum locum succederet. Semper enim omnes sensus habuit in Deum intentos, ut nudam ejus promissionem præsenti terræ dominio longe præferret. Modestiam quoque sancti viri commendat Moses, quum *surrexisse* dicit, *ut adoraret populum terræ.* Quantum ad nomen adorationis pertinet, simpliciter pro reverentia accipitur, quam quis declarat geniculatione vel alio corporis gestu. Eam porro communiter tam hominibus quam Deo deferre licet, sed diverso fine. mutuo homines coram hominibus, vel genu flectunt, vel caput incurvant, nempe politici honoris causa. Idem si religionis causa fiat, sacrilegium est. Religio enim non alium quam unius Dei cultum admittit. Ac pueriliter nugantur qui in vocibus duliæ & latriæ fucum faciunt, quum Scriptura generaliter adorationem ad homines transferri prohibeat. Cæterum ne quis miretur Abraham tam suppliciter & submisse agere, sciendum est id fuisse ex communi more & usu. Orientales enim immodicos fuisse in ceremoniis, notum est. Si Græcos vel Italos conferas nobiscum, fumus illis parciores. Atqui Aristoteles quum de Asiaticis & aliis barbaris loquitur, vitium illud notat quod nimis multas habeant adorationes. Quare non est quod nostris moribus metiamur hunc honorem, quem populo terræ exhibit Abraham.

8. *Si est in animis vestris.*] Eos deprecatores constituit Abraham apud Hephron, ut sibi duplicem speluncam vendat. Quidam speluncam sic fuisse compositam putant, ut altera superior fuerit, altera inferior. Liberum sit cuique sequi quod magis placuerit: ego tamen potius divino, unum fuisse aditum, sed intus medio interstitio divisam fuisse speluncam. Hoc potius ad rem pertinet quod Abraham justum pretium offerens, æquitatem colit ac servat. Quotusquisque reperitur qui in emptionibus & aliis negotiis non suum commodum captet ex aliena jactura? Nam dum venditor duplo majorem quam æquum est, indicaturam facit, ut quam plurimum ab emptore extorqueat: rursus emptor venditorem tergiversando ad vile pretium trahere conatur, nullus est licitandi finis. Quantumvis autem speciosos habeat colores avaritia, facit tamen ut rectitudinis & justitiæ hinc inde obliviscantur qui inter se contrahunt. Hoc etiam deinde notare operæ pretium est, quod sæpius edicit Abraham se agrum emere in sepulturæ usum. Atque in ea re tam verbosus est Moses, ut discamus cum patre nostro Abraham, ad spem resurrectionis mentes nostras erigere. Dimidiam sui partem ablatam esse videbat: sed quia certus erat non exulare uxorem à regno Dei, mortuam in sepulchro recondit, donec simul colligatur.

11. *Audi me.*] Tametsi serio instabat Hephron, ut gratis Abrahæ agrum donaret, manet tamen sanctus vir in suo proposito, ac tandem eum precibus suis ad venditionem agri cogit. Dum se excusat Hephron, magis exiguum esse pretium dicit quam ut contendere debeat Abraham. quadringentis autem siclis æstimat. Jam quum Josephus siclum sanctuarii valuisse dicat quatuor drachmas Atticas, si de illo sermo habetur, ex supputatione Budæi colligimus pretium agri fuisse circiter ducentas & quinquaginta libras Francicæ monetæ: si de communi siclo intelligas, erit dimidia summa. Non tam scrupulosus erat Abraham quin recepturus fuerit majus aliquod donum, nisi certa ratio obstitisset. Amplis enim muneribus tam à rege Ægypti quam à rege Gerar donatus fuit: sed regulam illam tenuit, neque omnia, neque passim, neque ab omnibus sumenda esse. Nusquam autem exposui agrum emisse, ne pedem terræ ullius hominis dono possideret.

16. *Et appendit Abraham.*] Nescio quid Hieronymo venerit in mentem, quum dicit literam unam detractam esse ex nomine Hephron postquam Abrahæ precibus victus, pecuniam pro agro accepit: quia vendito sepulchro truncata fuit vel imminuta ejus virtus: nam & nomen Hephron postea quoque eodem modo quo ante scriptum legitur. Neque hoc ipsi Hephron imputari debuit in peccatum, quod legitimum fundi sui pretium coactus accepit, quum liberaliter dare paratus foret. Siquid in ea re peccatum sit, totam culpam sustinet Abraham. Sed quis justam venditionem damnare audeat in qua utrimque religio, bona fides & æquitas servatur? Atqui sepulchri respectu agrum emebat Abraham. sed an ideo gratis cedere debuit Hephron, ac sepulchri prætextu, jure suo fraudari? Videmus ergo meras esse nugas. Canonistæ tamen, ut præposteri sunt & insulsi, temere arrepto Hieronymi dicto, statuerunt immane fore sacrilegium, si venditantur sepulchra. Interim tamen omnes sacrifici Papales nundinationem istam secure exercent: & quum fateantur coemeterium commune esse sepulchrum, nullum effodi patiuntur nisi soluto pretio. *Argenteos transeuntes per mercatores.* Sic loquitur Moses, quod hic pecuniæ usus, mutua sit inter homines communicatio. Ea autem præcipue versatur in mercibus emendis & vendendis. Quod autem in fine capitis dicit Moses, agrum ab Hethæis Abrahæ stabilitum fuisse in possessionem: sensus est, emptionem fuisse publice consignatam. licet enim privatus homo venderet, populus tamen interfuit, ratumque habuit quod à duobus contractum erat.

Caput XXIV.

ABraham autem senex venit in dies, & Jehova benedixerat Abraham in omnibus.

2. Et dixit Abraham ad servum suum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ erant ei, Pone nunc manum tuam sub fœmore meo:

3. Et adjurabo te per Jehovam Deum cæli, & Deum terræ, quod non capies uxorem filio meo de filiabus Chenaanæi, in cujus medio ego habito:

4. Sed ad terram meam, & ad cognationem meam perges, & capies uxorem filio meo Ishac.

5. Et dixit ad eum servus, Si forsitan noluerit mulier venire post me ad terram hanc, numquid reducendo reducam filium tuum ad terram unde egressus es?

6. Et dixit ad eum Abraham, Cave tibi ne forte reducas filium meum illuc.

7. Jehova Deus cæli, qui tulit me è domo patris mei, & è terra cognationis meæ, & qui loquutus est mihi, & qui juravit mihi, dicendo, Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum ante te, & capies uxorem filio meo inde.

8. Quod si noluerit mulier pergere post te, mundus eris ab adjuratione mea ista: duntaxat filium meum ne reducas illuc.

9. Et posuit servus manum suam sub fœmore Abraham domini sui, & juravit ei super re hac.

10. Et accepit servus decem camelos è camelis domini sui, & perrexit: quia omne bonum domini sui erat in manu ejus: & surrexit & profectus est in Aram-naharaim, ad civitatem Nachor.

11. Et genuflectere fecit camelos extra civitatem ad puteum aquæ, tempore vespertino, tempore quo egrediuntur *mulieres* quæ hauriunt.

12. Et dixit, Jehova Deus domini mei Abraham, occurrere fac nunc coram me hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham.

13. Ecce ego sto juxta fontem aquæ, & filiæ virorum civitatis egrediuntur ad hauriendam aquam.

14. Sit ergo, puella ad quam dixero, Inclina nunc hydriam tuam, & hibam: & dixerit, Bibe, & etiam camelis tuis potum dabo: ipsam præparaveris servo tuo Ishac: & per hoc sciam quod feceris misericordiam cum domino meo.

15. Et fuit, antequam ipse complevisset loqui, ecce Ribca egrediebatur, quæ nata erat Bethuel filio Milchah uxoris Nachor fratris Abraham, & hydria ejus erat super humerum ejus.

16. Puella autem erat pulchra aspectu valde, virgo, & vir non cognoverat eam: quæ descendit ad fontem, & implevit hydriam suam, & ascendit.

17. Itaque cucurrit servus in occursum ejus, & dixit, Potum da mihi nunc parum aquæ ex hydria tua.

18. Et dixit, Bibe domine mi. & festinavit, & demisit hydriam suam super manum suam, & potum dedit ei.

19. Ubi complevit potum dare ei: tunc dixit, Etiam camelis tuis hauriam, donec compleverint bibere.

20. Et festinavit, & effudit hydriam suam in canale, & cucurrit adhuc ad puteum ut hauriret: & hausit omnibus camelis ejus.

21. Porro vir stupebat super ea tacens, ut sciret utrum secundasset Jehova viam suam, an non.

22. Et fuit, quum complevissent cameli bibere, protulit vir inaurem auream, semissis pondus ejus: & duas armillas, & *posuit* super manus ejus: decem aurei pondus earum.

23. Et jam dixerat, Filia, cujus es? indica nunc mihi, numquid est in domo patris tui locus nobis ad pernoctandum?

24. Et dixerat ad eum, Filia Bethuel sum, filii Milchah, quem peperit ipsi Nachor.

25. Et dixit ad eum, Etiam palea, etiam pabulum multum est apud nos, etiam locus ad pernoctandum.

26. Et inclinavit se vir, & incurvavit se Jehovæ.

27. Et dixit, Benedictus Jehova Deus domini mei Abraham, qui non dereliquit misericordiam suam & veritatem suam à domino meo. Ego in via, duxit me Jehova ad domum fratrum domini mei.

28. Et cucurrit puella, Et nunciavit domui matris suæ secundum verba hæc.

29. Et ipsi Ribca erat frater, & nomen ejus Laban: & cucurrit Laban ad virum foras ad fontem.

30. Fuit autem, quum vidisset inaurem & armillas in manibus sororis suæ, & quum audisset ipse verba Ribcah sororis suæ, dicendo, Sic loquutus est ad me vir: venit ad virum, & ecce, stabat juxta camelos, juxta fontem.

31. Et dixit, Ingredere benedicte Jehovæ, utquid manes foris? & ego paravi domum, & locum camelis.

32. Et venit vir ad domum, & solvit camelos, & dedit paleam & pabulum camelis, & aquam ad lavandum pedes ejus, & pedes virorum qui erant cum eo.

33. Et positum est coram eo, ut comederet: & dixit, Non comedam donec loquutus fuero verba mea. Et dixit, Loquere.

34. Dixit

34. Dixit igitur, Servus Abraham ſum.
35. Jehova autem benedixit domino meo valde, & magnificatus eſt, & dedit ei pecudes & boves, & argentum, & aurum, & ſervos, & ancillas, & camelos, & aſinos.
36. Et peperit Sarah uxor domini mei filium domino meo poſt ſenectutem ſuam, & dedit ei omnia quæ ſunt ei.
37. Et jurare fecit me dominus meus, dicendo, Non capies uxorem filio meo de filiabus Chenaanæi, in cujus terra ego habito:
38. Sed ad domum patris mei perges, & ad familiam meam, & capies uxorem filio meo.
39. Et dixi domino meo, Forſitan non perget mulier poſt me.
40. Et dixit ad me; Jehova, in cujus conſpectu ambulavi, mittet Angelum ſuum tecum, & ſecundabit viam tuam: & capies uxorem filio meo de familia mea, & de domo patris mei.
41. Tunc mundus eris ab adjuratione mea, ſi veneris ad familiam meam: & ſi non dederint tibi, eris mundus ab adjuratione mea.
42. Veni igitur hodie ad fontem, & dixi, Jehova Deus domini mei Abraham; ſi tu nunc ſecundas viam meam per quam ego ambulo:
43. Ecce, ego ſto juxta fontem aquæ: itaque ſit, virgo quæ egredietur ad hauriendum, & dixero ei, Da mihi potum nunc parum aquæ ex hydria tua:
44. Et dixerit mihi, Etiam tu bibe, & etiam camelis tuis hauriam: ipſa *ſit* uxor quam præparavit Jehova filio domini mei.
45. Ego antequam complerem loqui in corde meo, ecce Ribca egrediebatur, & hydria ejus erat ſuper humerum ejus, & deſcendit ad fontem, & hauſit: & dixi ad eam, Da mihi potum nunc.
46. Et feſtinavit, & demiſit hydriam ſuam deſuper ſe, & dixit, Bibe, & etiam camelis tuis potum dabo. Et bibi, & etiam camelis dedit potum.
47. Et interrogavi eam, & dixi, Filia cujus es? Et dixit, Filia Bethuel filii Nachor, quem peperit ei Milchah. Et poſui inaurem ſuper nares ejus, & armillas ſuper manus ejus:
48. Et inclinavi me, incurvavique me Jehovæ, & benedixi Jehovæ Deo domini mei Abraham, qui duxit me per viam * veritatis, ut acciperem filiam fratris domini mei filio ejus. * vel, certam, fidam.
49. Et nunc ſi facitis miſericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi: & ſi non, indicate mihi, & vertam me ad dexteram vel ad ſiniſtram.
50. Et reſponderunt Laban & Bethuel, & dixerunt, A Jehova egreſſa eſt res: non poſſumus loqui ad te malum vel bonum.
51. Ecce, Ribca coram te, accipe, & vade: & ſit uxor filio domini tui, quemadmodum loquutus eſt Jehova.
52. Et fuit, quando audivit ſervus Abraham verba eorum, incurvavit ſe ſuper terram Jehovæ.
53. Et protulit ſervus vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes, & dedit ipſi Ribcæ, & pretioſa dedit fratri ejus & matri ejus.
54. Et comederunt, & biberunt, ipſe & viri qui erant cum eo, & pernoctaverunt: & ſurrexerunt mane: & dixit, Dimitte me *ut vadam* ad dominum meum.
55. Et dixit frater ejus & mater ejus, Maneat puella nobiſcum per dies, vel decem; poſtea * ibis. * vel, ibit.
56. Et dixit ad eos, Ne retardetis me, quando Jehova ſecundavit viam meam: dimittite me, & ibo ad dominum meum.
57. Et dixerunt, Vocemus puellam, & interrogemus os ejus.
58. Et vocaverunt Ribcam, & dixerunt ad eam, Numquid ibis cum viro iſto? Et dixit, Ibo.
59. Et dimiſerunt Ribcam ſororem ſuam, & nutricem ejus, & ſervum Abraham, & viros ejus:
60. Et benedixerunt Ribcæ, & dixerunt ei, Soror noſtra es, ſis in millia decem millium, & hæreditet ſemen tuum portam odio habentium illud.
61. Et ſurrexit Ribca & puellæ ejus, & aſcenderunt ſuper camelos, & perrexerunt poſt virum: & tulit ſervus Ribcah, & abiit.
62. Iſhac autem veniebat qua venitur à Puteo viventis videntis me: & ipſe habitabat in terra Meridiana.
63. Et egreſſus erat Iſhac ad orandum in agro, dum declinaret veſpera: & elevavit oculos ſuos, & vidit, & ecce cameli veniebant.
64. Tunc elevavit Ribcah oculos ſuos, & vidit Iſhac, & projecit ſe de camelo.
65. Jam autem dixerat ad ſervum, Quis eſt vir iſte qui ambulat per agrum in occurſum noſtrum? Et dixit ſervus, Ipſe eſt dominus meus: & accepit velum, & operuit ſe.
66. Et narravit ſervus ipſi Iſhac omnia quæ fecerat.
67. Et introduxit eam Iſhac in tabernaculum Sarah matris ſuæ, & accepit Ribcah, fuitque ei in uxorem, & dilexit eam: & conſolatus eſt ſe Iſhac poſt matrem ſuam.

1. *Et Abraham ſenex.*] Tranſit Moſes ad narrandum matrimonium Iſaac: quod ſcilicet Abrahamquum ſe videret ſenio confectum, filio proſpexerit ne uxorem duceret in terra Chanaan. Nam hoc loco diſerte exprimit Moſes, Abraham fuiſſe ſenem, ut ſciamus ipſa ætate fuiſſe admonitum de quærenda filio ſuo uxore. Nam ſenectus ipſa, quæ ut plurimum non procul diſtat à morte, ad ordinandum familiæ noſtræ ſtatum inducere nos debet, ut nobis quoque mortuis inter poſteros ſalva pax maneat, vigeat timor Domini & ordo recte compoſitus. Erat quidem viridis adhuc ſenectus Abrahæ, ut poſtea videbimus: ſed quum annos ſuos ſupputaret, mature duxit conſulendum eſſe filio ſuo. Profani homines partim quia non ſatis honorifice de conjugio ſentiunt, partim quia non expendunt quantum momenti ſuit in conjugio Iſaac, mirantur in rebus tam minutis occupari Moſen, vel potius Dei Spiritum: verum ſi adſit ea quæ debet in ſacris legendis religio, facile erit intelligere nihil hic eſſe ſuperfluum. Nam quia vix ſibi perſuadent homines, Dei providentiam uſque ad conjugia extendi: tanto magis in hunc partem inſiſtit Moſes. præcipue vero docere voluit, Deum ſingulari cura domum Abrahæ dignatum eſſe, quod Eccleſia inde oritura eſſet. Sed præſtabit ſingula ordine ſuo digerere.

2. *Et dixit Abraham ad ſervum ſuum ſeniorem.*] Commune hic quidem patrum officium præſtat Abraham, dum laborat & ſollicitus eſt de eligendæ filio ſuo uxore. Sed aliquanto longius reſpicit: quia enim ſacro fœdere Deus ipſum à Chananæis diviſerat, merito timet ne Iſaac affinitate cum illis ſe implicans, Dei jugum excutiat. Putant alii eo tempore illi diſplicuiſſe pravos gentium illarum mores, ut cenſuerit infelix ſore conjugium filii ſi inde uxorem acciperet. Verum peculiaris fuit illa quam dixi ratio, quod deos ſuum cum Chananæis miſceri noluerit, quos ſciebat divinitus jam eſſe exitio devotos. Imo quum illorum interitu mittendus eſſet in terræ poſſeſſionem, injunctum ei diſſidium fuit quaſi cum perpetuis hoſtibus. Et quamvis apud eos tranquille habitaverit ad tempus, non tamen ſobolem potuit habere cum illis communem quin confunderet quæ Dei mandato diſtincta erant. Ergo integer hac in ſeparatione manere voluit, & ſuos ſervare integros. *Pone manum tuam.* Satis conſtat ſolennem fuiſſe jurisjurandi ritum: ſed an primus eum induxerit Abrahamus, an vero à patribus acceperit, neſcitur. Plerique ex Judæis Abraham fuiſſe auctorem tradunt: quia eorum judicio, tantundem valebat hæc ceremonia, acſi ſervus per ſanctitatem divini fœderis juraſſet: quia in ea corporis parte erat Circumciſio. Chriſtiani vero ſcriptores manum femori impoſitam judicant in honorem benedicti ſeminis: fieri tamen poteſt ut aliud ſpectaverint primi illi Patres. Et ſunt ex Judæis qui aſſerunt fuiſſe hoc ſubjectionis ſymbolum, quum ſuper femur domini ſervus juraret. Eſt quidem illud magis plauſibile, hoc modo juraſſe veteres per Chriſtum: ſed quia non libenter incertas divinationes ſequor, rem in medio relinquo. Quanquam mihi ſimplicius hoc poſtremum videtur, quod ſervi dnm ſe fideles dominis fore jurabant, ſubjectionem hac ceremonia teſtari ſoliti fuerint: præſertim quum dicant in quibuſdam Orientis partibus adhuc ſervari hunc morem. Profanum quidem ritum non fuiſſe, qui Dei gloriæ quicquam detraheret, inde colligimus quod interponitur Dei nomen. Manum quidem admovet ſervus ad femur Abrahæ: ſed hic ſervum adjurat per Deum cœli & terræ creatorem. Atque hæc ſanctis eſt jurandi regula, quum Deus teſtis invocatur & judex. neque enim alio transferri poteſt hic honor ſine Dei contumelia. Porro docemur exemplo Abrahæ, non peccare eos qui juſjurandum legitima de cauſa exigunt. Neque enim hoc inter Abrahæ vitia narratur, ſed in maximam ejus laudem: negotium vero fuiſſe maxime ſerium prius oſtendi, nempe ut in poſteris ratum eſſet Dei fœdus. jam quam ſollicite adhibito jurejurando caveret, juſtis rationibus impulſus fuit. Ea proculdubio indoles, imo virtus relucebat in Iſaac, & præter divitias iis animi & corporis dotibus pollebat, ut multi ejus affinitatem cupide appeterent. Timet igitur pater ne poſt mortem ſuam illum ſuis blanditiis captent terræ incolæ. Jam ut fortiter reſiſtat blandiriis, quarum laqueos pauci effugiunt juvenes, pudore tamen & metu offenſionis vinci poſſe cogitat. Iis & ſimilibus periculis occurrere voluit ſanctus vir, quum jurejurando interpoſito ſervi ſui fidem obſtrinxit: & fieri poteſt ut eum impulerit occulta aliqua neceſſitas.

3. *Quod non accipies uxorem.*] Hinc apparet qualis diſciplina floruerit in domo Abrahæ: Tametſi hic ſervus erat: quia tamen à patrefamilias præfectus erat, non obſtitit illi ſua conditio quin ſecunda à domino illi poteſtas eſſet, ut ipſe quoque Iſaac hæres ac ſucceſſor, ejus imperio ſe ſubmitteret. Tantum valuit Abrahæ auctoritas & reverentia, ut ſervum ſuo loco ſubſtituens, ſolo nutu aut verbo, jus quod ſibi ægre retinent alii patresfamilias, illi acquireret. Perſpicitur etiam modeſtia Iſaac, qui ſe à ſervo regi paſſus eſt. fruſtra enim cum ſervo tranſigeret Abraham, niſi filium ſuum obſequentem & morigerum ſore perſuaſus eſſet. Patet igitur quam reverenter patrem coluerit: quia hic ejus obedientia confiſus, famulum ſecure advocat. Jam hoc exemplum communis regulæ inſtar oobis eſſe debet, non licere filiis familias matrimonium contrahere niſi ex parentum arbitrio. Et certe hoc dictat naturæ æquitas, ut ita re tanta filii à parentum voluntate pendeant: quo magis deteſtanda eſt Papæ barbaries, qui ſacrum hoc vinculum abrumpere auſus eſt. Quare cohibendæ eſt juvenum laſcivia, ne patribus inconſultis, temere ad nuptias convolent.

4. *Sed ad terram meam, & ad cognationem.*] Videtur in loco eligendo, hoc ſequutus eſſe Abraham, quod libentius inde ventura erat uxor filio, quæ gentili vel conterraneo nuberet. Quia autem poſtea ſequitur ſervum veniſſe in Padam Aram, hinc quidam colligunt Meſopotamiam fuiſſe patriam Abrahæ: ſed faciles eſſet hujus nodi ſolutio. Scimus Meſopotamiam non modo eam regionem fuiſſe quæ inter Tigrin & Euphratem continebatur: ſed Chaldææ quoque partem ſub ſe comprehendiſſe. nam Babylon ſæpe à profanis ſcriptoribus in ea locatur. Hebraicum nomen tantundem valet ac Syria fluvialis. Aram vocat Syriam quæ non procul à Judæa incipiens, Armeniam & alias amplas regiones late complexa, fere ad Euxinum pontum extenditur. Quum autem terras proprie delignant quas alluunt vel prætérfluunt Tigris & Euphrates, addunt nomen Padam. Scimus enim Moſen non ſubtiliter, ſed plebeio ſtylo loquutum eſſe. Verum quia poſtea cap. 29. verſ. 4. refert Moſes Charris habitaſſe Laban filium Nachor: mihi veriſimile eſt, hunc qui in Chaldæa ſubſiderat, quia moleſtum foret relinquere natale ſolum, ſucceſſu temporis animum mutaſſe: vel quia eum cogebat pietas adeſſe patri jam decrepito & caduco, vel quia commodam illic non minus quam in patria habitationem eſſe audierat. Certe eos ſimul migraſſe, ex capite undecimo notum eſt.

5. *Et dixit ad eum ſervus.*] Quod de Iſaac nihil objicit, conjicere licet ſic de ejus probitate fuiſſe perſuaſum, ut patri morigerum fore non dubitet. Laudanda autem eſt ejus religio, quod non temere ad jurandum proſiliit: fidei & diligentiæ quæ ex officio ejus erant, fidem jurejurando interpoſito facere licuit. Sed quia ab aliorum voluntate pendebat negotii confectio, hanc exceptionem merito & prudenter adducit, Quid ſi puella nolit ſequi?

6. *Ne forte reducas filium meum illuc.*] Si forte

ex

ex voto non reperietur uxor, ejus rei eventum Domino commendans Abraham, quod præcipuum est mordicus retinet, ne filius Isaac in patriam redeat: quia hoc modo se promissa hæreditate privasset. Malut igitur sub spe inquilinum versari in terra Chanaan, quam inter cognatos in solo natali quiescere. Atque ita videmus in rebus perplexis & confusis nulla curarum agitatione abductum à Dei mandato fuisse animum sancti viri. Ac nos ejus exemplo monemur, per quævis obstacula sequendum esse Deum. Postea tamen declarat se melius sperare. Quibus verbis confirmat spem servi sui, ut eo alacrius prosperum eventum animo præsumens, ad iter se accingat.

7. Jehova Deus cæli.] Duplici argumento colligit prospere cessurum per Dei gratiam quod de filii conjugio deliberat. Primum, quia Deus non frustra ipsum è patria in alienam terram adduxerit: deinde, quia non falso pollicitus fuerit terram in qua peregrinus habitat, daturum ejus semini. Merito autem confidere potuit talem fore consilio suo exitum, quod nonnisi Deo auctore, & quasi ejus auspiciis susceperat. Solus enim Dei intuitus, ejus animum avertit à filiabus Chanaan. Videtur tamen parum scite colligere, Deum uxorem daturum filio ex patria & cognatione cui valedixit. Sed quia nonnisi auctore Deo cognatos reliquit, eorum animos flexurum sperat ut propitii sint ac faventes. Interea ex præteritis Dei beneficiis statuit sibi in præsenti negotio manum ejus non defore: acsi diceret, Ego qui Dei mandato patriam reliqui, & cujus continuum auxilium sum expertus in mea peregrinatione, non dubito eundem fore itineris tui gubernatorem: quia ejus promissione fretus hoc tibi mandatum injungo. Modum juvandi designat, quod Deus Angelum missurus sit: quia sciebat Angelorum opera suis opem ferre, idque jam multis documentis cognoverat. Deum cæli vocando, celebrat ejus potentiam, quæ fiduciæ materiam dabat.

10. Et accepit servus decem camelos.] Camelos secum deducit, qui testentur Abraham hominem esse divitem & copiosum, ut facilius impetret quod cupit. Neque enim ingenua puella facile passa foret in longinquam regionem se abstrahi nisi commoda vitæ ratione proposita. Ipsum per se exilium satis triste est, ut paupertas comes non accedat. Ergo ne metu inopiæ absterreatur puella, quin potius eam liberalis conditio invitet, camelos decem muneribus onerat, ut re ipsa probet in Chaldæa domesticam Abrahæ opulentiam. Quod sequitur, *omnem Abrahæ substantiam fuisse in manu servi*, quidam ea Hebræis male exponunt, servum in tabulis descriptas & cosignatas omnes Abrahæ copias secum tulisse. Est enim causæ redditio, ne cui minus probabile videatur servum sibi sumpsisse tantum potestatis. Ergo quia dixerat Moses servum hominem eum tam lauto & splendido apparatu iter fuisse ingressum, mox subjicit, in ejus arbitrio id fuisse, quod totam Abrahæ substantiam in manu haberet. Quum dicit venisse in urbem Nachor, neque urbis nomen exprimit, nec partem Chaldeæ, vel alterius regionis ubi habitabat: sed tantum dicit generaliter venisse in Syriam fluviorum. de qua voce aliquid supra attigi.

12. Jehova Deus domini mei.] Servus consilio destitutus, ad preces se confert. Neque tamen simpliciter petit consilium à Domino: sed puellam quam destinavit uxorem Isaac, sibi offerri cum certa nota, unde colligat sibi divinitus oblatam esse. Quod in re tam confusa non stupet quasi attonitus, sed in preces collecto animo erumpit, pietatis & fidei signum est. Sed divinatio qua utitur, cum vera orandi regula non satis videtur congruere. Primum, scimus neminem rite precari nisi qui vota sua Deo subjicit. Quare nihil minus consentaneum quam nostro arbitratu quicquam Deo præscribere. Ubi igitur servi religio, qui pro suo desiderio legem Deo imponit? Deinde, nihil in precibus nostris ambiguum esse debet: certitudo autem nonnisi ex verbo petenda. Jam quum sibi divinationem fingat servus, videtur perperam à legitima orandi modestia discedere: quum enim eum deficiat promissio, de re tota nihilominus fieri certus cupit. Atqui Deus votum ejus exaudiens, ipso eventu demonstrat sibi gratum fuisse. Itaque sciendum est, quamvis specialis promissio in promptu non extaret, servum tamen non temere nec pro carnis libidine sic fuisse precatum, sed arcano Spiritus instinctu. Neque enim obstat lex communis qua devincti sunt omnes pii, quin Dominus ubi aliquid extraordinarium dare constituit, illuc quoque servos suos impellat: non quod eos abducat à verbo suo, sed tantum quia in forma orandi singulare aliquid concedit. Summa autem est, Domine, si occurret puella quæ rogata ut potum mihi præbeat, etiam benigne & comiter offerat camelis meis, hanc ego petam uxorem domino meo Isaac, acsi mihi abs te de manu in manum tradita foret. Videtur quidem dubiam conjecturam arripere: sed quia in Dei providentiam recumbit, certo persuasus est sibi indicium illud instar oraculi fore: quia Deus quem habet expeditionis suæ præsidem, eum errare non sinet. Interim hoc notatu dignum, quod signum notitiæ non procul accersit, sed ea repræsenti sumit. nam quæ ignoto hospiti tam humana erit, suo officio specimen dabit probæ naturæ. Hoc ideo observare convenit, ne curiosi homines hoc exemplum ad vana præfagia trahant. In verbis hæc notanda sunt. Deum heri sui Abrahæ compellat: non quod ipse ab ejus cultu sit alienus; sed quia res de qua agitur, à promissione Abrahæ data pendet. Nec sane illi orandi aliunde fiducia quam ex fœdere quod Deus pepigerat cum Abrahæ domo. *Occurrere fac nunc.* Hieronymus vertit, Occurre: sed verbum est transitivum, quo significat Abrahæ servus, sic Dei consilio & manu disponi hominum negotia ut non sint fortuiti rerum eventus: acsi diceret, Domine, frustra huc & illuc circumspiciam, frustra meo labore, industria, & variis artibus successum captabo, nisi tu negotium dirigas. Quum vero continuo post subjicit, *Fac misericordiam cum servo tuo*, significat non alio se jure fretum hoc audere, nisi quia Deus gratiam suam Abrahæ pollicitus fuerat.

15. Antequam ipse complevisset loqui.] Contextus Mosis satis demonstrat non stulte conceptum fuisse votum. Ipsa etiam celeritas raram Dei indulgentiam ostendit, quod hominem non patitur Deus diu cum anxietate luctari. Domo quidem prius exierat Rebecca quam ille precari inciperet: sed tenendum est, Dominum, penes quem & temporum momenta sunt, & hominum gressus, sic ut trimque temperasse omnia, ut providentiam suam clare testatam faceret. nam interdum nostra desideria longius suspendit, ut precando fatigati, videamur tamen operam lusisse. sed in hoc negotio ne obscura esset sua benedictio, repente affulsit. Idem & Danieli contigit, cui ante finem precationis apparuit Angelus. *Dan. 9. vers. 21.* Tametsi autem nostra segnitia sæpe contingit ut Dominus ad præstandum sit tardior, sæpe tamen differri expedit quod petimus. Interim certis exemplis palam & conspicue probavit, quamvis non statim respondeat eventus, nunquam tamen irritas esse suorum preces: imo semper illud impleri, antequam *Isa. 65. vers. 24.* clament, sibi curæ esse eorum necessitates.

21. Et vir stupebat super eam tacens.] Admiratio hæc servi Abrahæ, ostendit fuisse animi dubium. Secum tacitus explorat an iter suum Deus fortunaverit. Nihildum igitur habet certi de illa Dei gubernatione, cujus symbolum vel tesseram sibi ipse sumpserat? Respondeo, nunquam ita numeris omnibus absolutam esse in sanctis fidem, quin multæ dubitationes occurrant. Nihil igitur absurdi, si servus Abrahæ in genere, Dei prnvidentiæ se commit-

mittens, inter multas cogitationes alternet æque æſtuet. Deinde fides, quamvis pacatos & quietos reddat piorum animos, ut patienter Deum expectent, non excutit tamen illis omnem curam: quin neceſſe eſt patientiam ipſam ſollicita expectatione exerceri, donec compleat Dominus quod promiſit. Cæterum quamvis hæſitatio iſta ſervi Abrahæ, vitio non careat, quin manat à fidei infirmitate: ideo tamen excuſabilis eſt, quod non alio deflectit oculos, ſed tantum ab eventu confirmationem petit, ut ſibi Deum adfuiſſe ſentiat.

22. *Protulit vir inaurem.*] Quod pretioſis monilibus ornat puellam, fiduciæ ſignum eſt. Nam quum multis documentis conſtet probum & frugi miniſtrum fuiſſe, non projiceret ſine delectu opes domini ſui. Scit igitur non male collocari munera illa: vel ſaltem bonitate Dei fretus, quaſi futuri conjugii arrham, fideliter diſpenſat. Sed quæritur an Deo probentur ejuſmodi ornamenta, quæ non tam ad munditiem quam ad pompam ſpectant. reſpondeo, non ſempet referri in Scripturis quæ imitari conveniat. Quicquid generaliter præcipit Dominus, pro inflexibili regula habendum eſt. particularibus quidem exemplis inniti, non modo periculoſum eſt, ſed etiam ineptum & abſurdum. Jam in cultu corporis quantopere Deo non faſtus tantum, vel ambitio, ſed omnis luxuries diſpliceat, ſcimus. Ut abſit interior cordis cupiditas: damnat immodicum & ſuperfluum nitorem, qui in ſe multorum vitiorum continet illecebras. Jam vero ubi pura cordis ſinceritas in ſplendido ornatu reperietur? raræ certe hoc eſſe virtutis omnes agnoſcunt. Noſtrum quidem non eſt præciſe quolibet ornatu interdicere: quia tamen pravâ aliqua vanitate corruptum eſt quicquid frugalem uſum excedit: præſertim vero quia hac in parte inexplebilis eſt mulierum cupiditas: non tantum mediocritas colenda eſt, ſed etiam abſtinentia, quoad fieri poteſt. Et clanculum obrepit ambitio, ut ornatus paulo nitidior mox in *ἀσέλγειαν* ebulliat. Quantum ad inaures & armillas Rebeccæ ſpectat, ſicuti non dubito tunc in uſu fuiſſe apud divites, ita ferebat ſeculi integritas ut parce & frugaliter illis uterentur: & tamen vitium non excuſo. Nos quidem nihil juvat exemplum vel ſublevar, ſi pravas libidines, quas etiam ſublatis fomentis reſtinguere pluſquam difficile eſt, titillamus & magis accendimus. quæ auro fulgere appetunt mulieres, corruptelæ ſuæ prætextum quærunt in Rebecca. Cur non igitur ad auſterum illud vitæ genus, & ruſticum laborem ſe perinde conformant? Sed quemadmodum jam dixi, falluntur qui ſanctorum exempla contra communem Dei Legem ſibi poſſe ſuffragari putant. Si quis objiciat, hoc ab honeſtæ caſtæque puellæ verecundia abhorrere, quod ab homine extraneo, & nunquam prius viſo inaures & armillas recepit: primum fieri poteſt ut multos ſermones Moſes prætereat ultro citroque habitos, quibus adductam fuiſſe probabile eſt ut recipere auderet. Poteſt etiam fieri ut priore loco narret quod ordine erat poſterius. Sequitur enim paulo poſt in contextu, ſervum Abrahæ ſciſcitatum, *cujuſnam eſſet filia.* Simul reputanda nobis eſt ſeculi illius integritas. Unde fit ut puellam urbe ſolam egredi probroſum non eſſet, niſi quod tunc mores hominum non adeo ſeveram pudicitiæ cuſtodiam requirebant? Ex contextu quidem apparet, ornatum illi non turpis lenocinii cauſa datum eſſe: ſed quem parentibus proferret, quo faciliot adſponſalia eſſet ingreſſus. De pretio non conſentiunt interpretes. Inaures æſtimat Moſes dimidio ſiclo, armillas decem ſiclis. Hieronymus pro dimidio poſuit duos ſiclos. Ego genuinum ſenſum eſſe exiſtimo, quod armillæ decem ſiclos valuerint: frontale vero vel inaures dimidium, hoc eſt, quinque ſiclos. Nam quum nihil poſt vocem יקח addatur, relatio eſt ad majorem numerum. Alioquin minime concinna eſſet proportio inter armillas & ornatum capitis. Porro ſi pro quatuor Attieis drachmis ſiclum accipimus, leve pretium erit. Itaque pondus auri notari puto, quod multo majorem ſummam conficeret quam nummus.

26. *Et inclinavit ſe vir.*] Quum audit ſervus Abrahæ ſe incidiſſe in filiam Bathuelis, magis ac magis in ſpem bonam erigitur. Neque tamen, ut profani homines ſolent, tanquam occurſu fortuito gaudet: ſed Deo gratias agit, ejus providentiæ acceptum ferens quod recta fuerit tam opportune deductus quo volebat. Non ergo jactat ſecundam fortunam: ſed Deum prædicat clementer & fideliter egiſſe eum Abraham: hoc eſt, miſericordiæ ſuæ cauſa, veracem in promiſſis adimplendis fuiſſe. Transfertur quidem ad homines loquutio: ſicuti paulo poſt verſ. 49. in hoc eodem capite ſequitur, *Si faciturus eſtis miſericordiam & veritatem cum domino meo Abraham, indicate mihi.* Proprie tamen in Deum competit, quod gratuito faveat hominibus, ideoque propenſus ſit ad beneficentiam: deinde, quod eorum ſpem nunquam fruſtrando, fidum ſe ac veracem probet. Docet igitur hæc gratiarum actio, ſemper ante oculos habendam eſſe Dei providentiam, ut illi tribuamus quicquid nobis proſpere ſuccedit.

28. *Nunciavit in domum matris.*] Fieri poteſt ut ſeorſum habitaverit mater Rebeccæ: non quod diviſam haberet familiam à matito: ſed ut filias & ancillas ſub cuſtodia ſua haberet. Simplicius etiam exponere licet, recta veniſſe in cubiculum matris, quia liberius illi quam patri rem geſtam narrare poterat. Probabile autem eſt, quum uxoris relatu factus certior eſſet Bathuel, utriuſque juſſu miſſum fuiſſe filium Laban qui boſpitem addueeret. Reliqua expoſitione non indigent.

33. *Non comedam donec.*] Incipit Moſes oſtendere qualiter adducti fuerint parentes Rebeccæ ut eam nepoti ſuo darent in uxorem. Quod ſervus appoſito cibo veſci recuſat niſi re confecta, in eo perſpicitur ſedulitas ejus & fides. atque hoc inter beneficia quibus Deus ſervum ſuum Abraham dignatus eſt, merito eenſebitur, quod ſervum tam fidelem & officio intentum habuerit. Cæterum quum ſanctæ diſciplinæ hæc fuerit merces, ne miremur pauciſſimos tales inveniri, quando tam male paſſim reguntur. Porro tametſi videtur ſupervacuum texere ſermonem: nihil tamen eſt quod non ad præſentem cauſam valeat. Sciebat hunc affectum ingenitum eſſe parentibus à natura, ut non libenter filias ſuas procul amandent. Primum igitur commemorat Abrahæ divitias, ne dubitent viro locupleti filiam locare. Deinde exponit, Iſaac genitum fuiſſe ex matre vetula: non tantum ut ſciant inſigni Dei miraculo fuiſſe patri donatum, unde conjicere liceat, divinitus ad res magnas & præclaras eſſe ordinatum: ſed ut ab ætate accedat commendatio. Tertio affirmat, Iſaac unicum fore patris hæredem. Quarto refert, ſe jurejurando adactum eſſe ut quæreret hero ſuo Iſaac uxorem è cognatione ſua. Hoc autem ſtudium Abrahæ ad eos movendos valde efficax erat. Quinto refert, Abraham ſperaſſe Deum fore itineris ducem, ut omnia illi ſua negotia committebat. Sexto, in quam formam precatus ſit Deum recitat. Septimo teſtatur, quicquid ſua precatione complexus erat, ſe à Domino impetraſſe: ut appareat conjugium iſtud de quo acturus eſt, placere Deo. Nunc videmus narrationis finem eſſe, ut Rebeccæ parentibus perſuadeat neque fallendi cauſa ſe fuiſſe miſſum, nec ſe aſtute et obliquis artibus quicquam egiſſe, ſed in timore Domini, ut poſtulat conjugii religio. Deinde nihil ſe petere quod non illis utile ſit & honorificum. Denique, Deum fuiſſe totius rei moderatorem. Porro quod ſervus Abrahæ Angelum Dei ſibi expeditionis ducem fore perſuaſus, neque preces ad illum convertit, neque gratiarum actio-

actionem: hinc discamus, Angelos non ideo nobis constitui benedictionum Dei ministros ut à nobis invocentur, vel Dei cultum in se transferant: quemadmodum hæc superstitio fere in toto mundo grassatur, ut homines ab unico bonorum omnium fonte ad rivulos partem fiduciæ suæ derivent. Particulam illam, *Deus in cujus conspectu ambulavi*, quamvis alii ad probitatem & bonam conscientiam Abrahæ referant, ego potius de fiducia interpretor, quod scil. Deum sibi proposuerit vitæ gubernatorem, seque illi curæ esse confisus, ab ejus gratia pependerit. *Si facitis misericordiam.* Nuper dixi quid valeat hæc loquutio, nempe humanitatem præstare, & bona fide agere. Ita modeste & suppliciter rogat ut in conjugium Isaac & Rebeccæ consentiant. Si repulsam ab illis passus fuerit, iturum dicit se vel ad dextram vel ad sinistram, hoc est, alibi sibi prospecturum. De tram enim & siniſtram, rectæ viæ opponit qua deductus ad ipsos fuerat. Futilis autem argutia quam adducunt quidam Hebræi, quod iturus sit ad Lot, vel ad Ismael.

50. *A Jehova egressa est res.*] Quia ex hominis sermone persuasi sunt Deum hujus esse conjugii auctorem, negant sibi fas esse quicquam disceptandi causa loqui. Dicunt autem à Domino rem egressam, quia voluntatem suam claris signis patefecerat. Hinc perspicimus, quamvis partim suffocata esset vera religio, partim vitiosis erroribus infecta, nunquam tamen ita penitus extinctum fuisse Dei metum quin staret hoc axioma, & omnium animis infixum maneret, Deo parendum esse. Quod si miseri idololatræ, qui fere à pietate desciverant, se Deo subjecerunt, quod ab ejus nutu deflectere nefas esset: quanto nos ad obsequium promptiores esse convenit? Ergo simulac comperta nobis est Dei voluntas, non tantum sileant linguæ, sed omnes sensus quiescant: quia sacrilega audacia est ullam cogitationem quæ repugnet, admittere.

52. *Adoravit.*] Iterum repetit Moses, servum Abrahæ gratias egisse Deo: nec abs re hoc pietatis officium toties inculcat: quia quum nihil magis requirat à nobis Deus, plusquam fœda ignavia in hac parte se prodit. Agnitio beneficiorum Dei, sacrificium est optimi odoris: imo cultus omnibus sacrificiis præstantior. Innumeris assidue beneficiis cumulantur homines à Deo. Ergo minime ferenda est ingratitudo, nisi se in illis celebrandis exerceant.

54. *Et surrexerunt mane.*] In hoc sermone accuratius insistit Moses, partim ut fidele servi studium in explendis domini mandatis commendet: partim ut doceat, ejus animum Dei Spiritu fuisse accensum. sic enim ardet ut nullas inducias aliis, nec sibi ullam relaxationem concedat. Tametsi ita se gessit ut probum & frugi servum decebat: non tamen dubium est quin eum Dominus impulerit, in gratiam Isaac. Sic Dominus pro suis dormientibus excubat, absentiom negotia expedit ac conficit: omnes affectus, quoad expedit, flectit ad eos juvandos. Quod dies decem, quibus discessum Rebeccæ differri postulant Laban & mater, quidam accipiunt pro annis vel mensibus, nimis coactum est. Fuit enim mulierbre votum matris, quia ægre ferebat protinus è sinu suo puellam abduci.

57. *Vocemus puellam.*] Quum simpliciter filiam suam prius desponderit Bethuel, nunc parum constanter manere videtur in proposito: verum quod prius sine exceptione filiam suam obtulerunt, intelligi debet, quantum in ipsis erat. Nunc vero docet Moses eos tyrannidem non exercuisse in filiam, ut invitam extruderent, vel cogerent nubere cui nollet: sed liberum ei consensum detulisse. Sacra quidem in hoc negotio parentibus auctoritas esse debet: sed tenenda est media ratio, ut sponte ac mutuo consensu inter se contrahant partes. Quod tam præcise respondet Rebecca, non ita accipere convenit, acsi domum paternam contemneret, vel procax juvencula maritum nimis cupide appeteret: sed quia rem patris auctoritate & matris consensu transactam esse videt, ipsa quoque annuit.

59. *Et dimiserunt Rebcam puellam.*] Primo refert Moses honeste dimissam fuisse Rebeccam: quia adjuncta illi fuit nutrix. Porro mihi dubium non est quin antrices habuerint domesticas quæ ancillæ erant: non quod matres prorsus ab officio cessarent, sed quod educationis curam mandarent uni certæ ancillæ. Dictæ igitur sunt nutrices quæ matres subsidiaria opera juvabant. Postea subjicit, *cognatos illi benedixisse*: quo verbo significat precatos illi esse felicem statum. Scimus solemnem omnibus seculis ac gentibus hunc fuisse ritum, ut fauſtis omnibus conjugia prosequi solerent. Tametsi autem multum degeneravit posteritas à pura & genuina patrum ratione, voluit tamen Deus publicum aliquod extare testimonium, quo admonerentur homines non esse legitimas nuptias, nisi quæ rite consecratæ forent. Jam benedictionis formam, quæ hic refertur, in communi usu fuisse probabile est: quia natura dictat, propagationem sobolis esse proprium conjugii finem. Et sub victoria comprehenditur felix vitæ status. Dominus tamen eorum linguas direxit ad vaticinium quod ipsis ignotum erat. *Portas hostium possidere*, significat imperio potiri: quia in portis exercebantur judicia, & in illis propugnacula urbium erant.

63. *Et egressus erat Isaac.*] Apparet Isaac seorsum à patre habitasse: vel quod nimis copiosa erat familia: vel quod ita ferebat usus. Et forte jam aliam uxorem induxerat Abraham: ut fugiendis jurgiis visum fuerit commodius illum uti proprio domicilio. Sic magnæ opes suis molestiis permixtæ sunt. Certe inter terrenas Dei benedictiones nulla fuisset Abrahæ dulcior quam simul agere cum filio. Ejus quidem consuetudine & usu privatum fuisse minime arbitror. Nam qua pietate fuit Isaac, omnibus procul dubio officiis erga patrem defungi studuit. hoc tantum defuit quod non eodem usi sunt domicilio. Narrat autem Moses quomodo factum sit ut Isaac incideret in uxorem, priusquam illa domum veniret. Dicit enim sub vesperam egressum esse meditandi vel orandi causa. Utroque enim modo verbum Hebraicum שוח exponi potest. Credibile est fecisse id ex more, & secessum precibus fuisse quæsitum, quo mens omnibus avocamentis soluta, liberius Deo vacaret. Sive autem meditationi, sive precibus dare operam voluerit, Dominus lætu isto occursu præsentiæ suæ signum illi dedit.

64. *Et elevavit Rebca oculos suos.*] Conjicere facile licet, Isaac conspectis camelis in eam partem flexisse iter, visendæ sponsæ desiderio. hinc data fuit scisitandi occasio Rebeccæ. Audito vero responso, mox honoris causa ex camelo desilit ut sponsum saluraret. Nam quod metu perculsam decidisse quidam putant, nullo modo convenit. Longius iter confecerat quam ut debuerit multis comitibus protecta, tantopere expavescere ad unius hominis conspectum. Falluntur autem interpretes illi, quia in verbis Mosis non expendunt rationem, postea reddi: ut sit sensus, Rebecca quum vidisset Isaac, descendit ex camelo: quia ex servo quæsierat quisnam esset: ille autem dixerat esse filium domini sui. Neque enim de quolibet homine obvio scisciturus in mentem venisset: sed quia jam admonita fuerat non procul abesse domum Abrahæ, unum saltem quempiam ex domesticis esse suspicatur. Dicit etiam Moses velum sumpsisse: quod pudoris & pudicitiæ signum fuit. Nam & inde nubendi verbum deductum est, quod sponsas maritis velatas dare solebant. Eundem quoque ritum à Patribus servatum fuisse non dubito. Quo turpior & minus excusabilis est seculi nostri lascivia, in quo sponsarum ornatus

tus data opera ad proſtituendum pudorem componitur.

67. *Et introduxit eam Iſhac in tabernaculum.*] Primo deduxit in tabernaculum, deinde accepit in uxorem. qua verborum ſerie legitimum nuptiarum morem à barbarie diſcernit Moſes. Et certe hoc poſtulat coojugii ſanctitas, ne ſe pecudum inſtar miſceant vir ac mulier: ſed fide mutuo data, & invocato Dei nomine ſimul habitent. Præterea notandum eſt, Iſaac non tyrannico patris imperio coactum fuiſſe ad ducendam uxorem: ſed poſtquam animum ad eam adjecit, libere ſompſiſſe, & ex animo fidem conjugalem dediſſe. *Et conſolatus eſt ſe Iſhac.* Quum nunc primum ſedatus fuerit dolor ex obitu matris, colligimus quanta fuerit ejus vehementia. jam enim fatis longum tempus effluxerat. Hinc etiam colligere licet, tenerum fuiſſe & mollem affectum Iſaac: nec vulgariter matrem ſuam amaſſe, cujus mortem tam diuturno luctu proſequutus eſt. Atque hoc utile eſt cognitu, ne ſanctos Patres immani & ferrea duritie fuiſſe fingamus: ſicuti quidam fortitudinem in feritate locant. Tantum danda opera ut mitigetur dolor: ne vel in fremitus impios prorumpat, vel ſpem futuræ reſurrectionis obruat. Nec vero mœrorem Iſaac prorſus excuſo: tantum admoneo, quod eſt humanitatis non debere prorſus damnari. Etſi autem id vitioſum fuit non poſſe dolorem abſtergere ex animo, donec prævaleret oppoſita conjugii lætitia: Moſes tamen hoc in Dei beneficiis numerat, quod qualecunque remedium ſervo ſuo adhibuit.

CAPUT XXV.

ET addidit Abraham, & accepit uxorem, cujus nomen erat Cetura.

2. Et peperit ei Zimram, & Jocſan, & Medan, & Midian, & Isbah, & Suah.

3. Et Jocſan genuit Scba, & Dedan. Filii autem Dedan fuerunt Aſſurim, & Letuſim, & Leummim.

4. Filii vero Midian, Hephah, & Hepher, & Hanoch, & Abidah, & Eldaah: omnes iſti, filii Ceturæ.

5. Porro dedit Abraham omnia quæ ſua erant, ipſi Ishac.

6. Et filiis concubinarum quas habebat Abraham, dedit Abraham dona: & emiſit eos ab Ishac filio ſuo quum adhuc viveret, ad Orientem, ad terram Orientalem.

7. Porro iſti ſunt dies annorum vitæ Abraham quos vixit, centum anni & ſeptuaginta anni & quinque anni.

8. Et obiit, & mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex & ſatur: & congregatus eſt ad populos ſuos.

9. Et ſepelierunt eum Iſaac & Iſmaël filii ejus in ſpelunca duplici, in agro Ephron filii Sohar Hittæi, quæ eſt ante Mamre:

10. *In* agro quem emit Abraham à filiis Heth. ibi ſepultus eſt Abraham & Sarah uxor ejus.

11. Et fuit, poſtquam mortuus eſt Abraham, benedixit Deus Ishac filio ejus: & habitavit Ishae apud Puteum viventis videntis me.

12. Iſtæ autem generationes Iſmaël filii Abraham, quem peperit Hagar Ægyptia ancilla Sarah ipſi Abraham.

13. Et hæc nomina filiorum Iſmaël per nomina ſua, per generationes ſuas: primogenitus Iſmaël, Nebajoth, & Cedar, & Abdeel, & Mibſam,

14. Et Miſmah, & Dumah, & Maſa,

15. Hadar, & Thema, Jetur, Naphis, & Cedmah.

16. Iſti ſunt filii Iſmaël, & iſta nomina eorum per villas ſuas, & per caſtella ſua, duodecim principes per familias ſuas.

17. Et iſti ſunt anni vitæ Iſmaël, centum anni, & triginta anni, & ſeptem anni: & obiit, & mortuus eſt, & congregatus eſt ad populos ſuos.

18. Et habitaverunt ab Havilah uſque ad Sur, quæ eſt ante Ægyptum, dum pergis in Aſſur: coram omnibus fratribus ſuis habitavit.

19. Iſtæ vero ſunt generationes Ishac filii Abraham: Abraham genuit Ishac.

20. Et erat Iſaac quadragenarius, quando accepit Ribcam filiam Bethuel Aramæi de Padan Aram, ſororem Laban Aramæi, ſibi in uxorem.

21. Et oravit Iſaac Jehovam reſpectu uxoris ſuæ, quia ſterilis erat: & exoratus eſt ab ipſo Jehova, & concepit Ribca uxor ejus.

22. Et collidebant ſe filii in utero ejus, & dixit, Si ita, ut quid ego? & ivit ad interrogandum Jehovam.

23. Tunc dixit Jehova ad eam, Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi à viſceribus tuis ſeparabunt ſe: & populus populo robuſtior erit, & major ſervict minori.

24. Et impleti ſunt dies ejus ut pareret, & ecce gemini *erant* in utero ejus.

25. Egreſſus eſt autem prior rufus, totus ipſe ſicut pallium piloſum: & vocaverunt nomen ejus Eſau.

26. Et poſtea egreſſus eſt frater ejus, & manus ejus tenebat calcancum Eſau, & vocarunt nomen Jahacob. Ishac autem erat ſexagenarius, quando peperit eos.

27. Et creverunt pueri: & fuit Eſaü vir peritus venationis, vir agricola: ſed Jahacob erat vir integer, manens in tabernaculis.

28. Et dilexit Ishac Eſau, quia venatio *erat* in ore ejus, & Ribca diligebat Jahacob.

29. Coxit

29. Coxit autem Jahacob coctionem: & venit Eſau ex agro, & erat laſſus.
30. Et dixit Eſau ad Jahacob, Fac me comedere nunc de rufo, rufo iſto: quia laſſus ſum. idcirco vocarunt nomen ejus Edom.
31. Tunc dixit Jahacob, Vende hoc tempore primogenituram tuam mihi.
32. Et dixit Eſau, Ecce ego vado ut moriar, & utquid mihi primogenitura?
33. Dixit itaque Jahacob, Jura mihi hoc tempore. Et juravit ei: & vendidit primogenituram ſuam ipſi Jahacob.
34. Et Jahacob dedit Eſau panem & coctionem lenticularum, & comedit, atque bibit: & ſurrexit, & abiit, contempſitque Eſau primogenituram.

1. *Et addidit Abraham, & accepit.*] Valde abſurdum videtur quod Abraham, qui triginta octo ante Saræ mortem annis emortuo fuiſſe corpore dicitur, ea demum mortua novam uxorem inducat. certe id indignum fuit ejus gravitate. Adde quod Paulus, fidem ejus commendans, non modo effœtam fuiſſe vulvam Saræ dicit quum gignendus eſſet Iſaac: ſed ipſius patris corpus fuiſſe emortuum. Ergo ridiculum fuit factum Abrahæ, ſi poſt viduitatem ſenex pluſquam decrepitus uxorem duxit. Deinde à Pauli verbis diſcrepat, quod anno centeſimo frigidus, & ad generandum impotens, quadraginta poſt annis genuerit complures filios. Multi ut effugiant hoc abſurdum, Ceturam eandem faciunt cum Agar. Sed eorum commentum ſtatim refellitur in contextu: ubi dicit Moſes, Abraham dona dediſſe filiis concubinarum. Et ex 1 Chron. 1. verſ. 32. idem aperte colligitur. Alii conjiciunt vivente adhuc Sara Abraham ſumpſiſſe ſibi novam uxorem. Quod tametſi gravi reprehenſione dignum fuit, non tamen à fide abhorret. Scimus hoc eſſe ordinarium, ut nimia licentiæ uſurpatione audaces reddantur homines. Ita legem conjugii ſemel transgreſſus Abraham, fortaſſis poſt diſſidium Agar polygamiæ finem non fecit. Adhæc veriſimile eſt, divortio quod illum cum Agar facere coëgit Sara, vulneratum fuiſſe ejus animum. Hoc quidem ſanctо Patriarchæ probroſum, vel ſaltem minus decorum fuit. Sed inter omnes conjecturas nulla mihi videtur probabilior. Eam ſi recipimus, alieno loco inſerta erit narratio: ſicuti frequenter ſolet Moſes, quæ tempore præcedunt, in alium ordinem rejicere. Atque ut hæc ratio non urgeat, res tamen ipſa oſtendit eſſe in hac hiſtoria ὑστερον πρότερον. Nonageſimum annum exceſſerat Sara quum peperit filium Iſaac, mortua eſt centeſimo viceſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno: duxit Iſaac uxorem annos quadraginta natus. Ergo fere quadrieennium inter matris obitum & nuptias interceſſit. Si poſtea uxorem duxit Abraham, quid illi in mentem venit, quum jam viduitati plures annos aſſuevifſet? Conjicere ergo licet, Moſen, ubi in ſcribenda Abrahæ vita ad extremum actum ventum eſt, interponere quod omiſerat. Nondum tamen ſolutus eſt nodus. Unde enim novus illi ad muliebrem concubitum vigor, quum teſtetur Paulus jam prius emarcido fuiſſe corpore? Sentit Auguſtinus non exigui modo temporis datum illi fuiſſe robur, quod ad gignendum Iſaac ſufficeret: ſed divina inſtauratione reſtoruiſſe in reliquum vitæ tempus. Quam ego ſententiam, tum quia miraculi gloriam amplificat, tum aliis de cauſis libenter amplector. Nec obſtat quod prius dixi, miraculo genitum fuiſſe Iſaac, quod eſſet ſpirituale ſemen: nam proprie in ejus gratiam reviguit caducum Abrahæ corpus. Quod alii poſtea geniti ſunt, quaſi accidentale fuit. Sic illa Dei benedictio, Creſcite, & multiplicamini, quæ conjugio annexa eſt, ad vagas libidines extenditur. Certe ſi uxorem, ſuperſtite adhuc Sara (quod mihi magis probatur) induxit Abraham, indignus erat cujus adulterino conjugio Deus benediceret. Cæterum etſi nos latet cur hic gratiæ cumulus ad juſtam menſuram acceſſerit: in eo tamen relucet mira Dei providentia, quod quum ex aliis filiis deſcenderint multæ non obſcuræ gentes, penes ſolum Iſaac reſedit ſpirituale fœdus, cujus alii inſigne in carne ſua geſtabant.

Rom. 4. verſ. 19.

6. *Et filiis concubinarum.*] Narrat Moſes, quum propinquus eſſet morti Abraham, conſilium ab eo initum fuiſſe, quo lites à morte ſua inter filios dirimeret: nempe quod Iſaac unicum inſtituens hæredem, reliquos muneribus ornatos à ſe dimiſerit. Dura quidem in ſpeciem & crudelis ablegatio: ſed Dei ordinationi ac decreto reſpondens, ut poſteris Iſaac integra terræ poſſeſſio maneret. Neque enim Abrahæ licebat hæreditatem ſuo arbitrio partiri, qua jam in ſolidum donatus fuerat Iſaac. Quare nihil reſtabat, niſi ut hac illis ratione quæ deſcribitur, conſuleret. Nunc ſiquis unum ex filiis eligens ſibi hæredem, reliquos excludat, faciet ipſis injuriam, ac injuſtæ exhæredationis face pernicioſas lites domi ſuæ accendet. Quare notanda eſt ſpecialis ratio, qua non inductus modo, ſed compulſus fuit Abraham ad filios hæreditate privandos, & procul dimovendos: ne ſcilicet illorum interventu turbari neceſſe foret quod de Iſaac divinitus pronunciatum fuerat. Diximus alibi Hebræis vocari concubinam quæ thori eſt ſocia, non autem bonorum omnium. Idem etiam gentium omnium more receptum, & legibus ſancitum fuit. Sic poſtea videbimus Lea & Rachel primarias fuiſſe uxores: Bilha vero & Zilpha ſecundo fuiſſe gradu, ut ſervilis maneret earum conditio, quamvis in thorum conjugalem receptæ forent. Quum hac lege Hagar & Ceturam uxores Abraham duxiſſet, licitum illi fuiſſe videtur exiguam tantum ex bonis ſuis partem filiis earum erogare: imo ab unico hærede ad eos æquas partes transferre, neque fas, neque æquum fuiſſet. Et forte nulla de ſucceſſione futura lis erat vel contentio: ſed eos procul emittens, illud quod dixi periculum anticipat, ne partem terræ occupent quam Deus ſolis poſteris Iſaac totam deſtinaverat.

7. *Et iſti ſunt dies.*] Deſcendit jam Moſes ad mortem Abrahæ. Ac primo quidem in ejus ætate notandus eſt numerus annorum quibus peregrinatus eſt. Miræ enim & incomparabilis tolerantiæ laus fuit, quod per centum annos oberrans, quum Dominus eum varie circumageret, nuda Dei promiſſione contentus fuit tam in morte quam in vita. Eant nunc quibus anni unius vel paucorum inquietudinem ferre moleſtum eſt: quum Abraham pater fidelium non modo centum annis inquilinus fuerit, ſed etiam inter plurima exilia jactatus. Interea tamen differte exponit Moſes, Dominum quod pollicitus fuerat illi præſtitiſſe, *Morieris in ſenectute bona.* Quanquam vero duram & aſperam militiam certavit: fuit tamen non levis nec exigua conſolatio, quod inter tot ærumnas Deo vitam ſuam curæ eſſe ſciret. Quod ſi unus ille Dei intuitus eum tota vita ſuſtinuit, ne inter graviſſimos fluctus, inter multas dolorum acerbitates, inter curarum æſtus, immenſam denique malorum congeriem deficeret: diſcamus & nos, ne unquam fatigemur, in hanc futuram recumbere, quod Dominus felicem vitæ exitum nobis promiſit: & quidem longe clarius quam patri noſtro Abrahæ.

8. *Et obiit Abrahам.*] Falluntur qui putant hac particula notari ſubitam mortem: quaſi non diutino morbo confectus fuerit, ſed expiraverit ſine dolore. Quin potius intelligit Moſes non exemptum fuiſſe à com-

à communi ſorte fidelium patrem: ne langueſcant nobis animi, quum exterior homo noſter corrumpitur: ſed illam renovationem, quæ in ſpe eſt abſcondita, meditantes, labaſcere fragile hoc tabernaculum æquis animis ſinamus. Non eſt igitur cur exanimet, quominus patris noſtri exemplo læti & alacres ad mortem properemus. Cæterum tametſi commune hoc habuerit Abraham cum genere humano, nempe ſenio concidere, & tandem deficere: paulo poſt Moſes, quod mortis formam, diſcrimen inter ipſum & promiſcuum hominum vulgus ponit, nempe quod *mortuus ſit in ſenectute bona, & vitæ ſatur.* Hujus quidem boni videntur inereduli plerumque eſſe participes: imo conqueritur David hoc quaſi privilegio ipſos excellere: & in libro Job ſimilis habetur querimonia, ipſos feliciter complere tempus ſuum, donec in puncto ad ſepulchrum deſcendant. Sed tenendum eſt memoria quod prius dixi, præcipuam partem bonæ ſenectutis in bona conſcientia, animo ſereno & tranquillo conſiſtere. Unde ſequitur, nonniſi in veros juſtitiæ cultores competere quod Deus Abrahæ promittit. Nam vere non minus quam ſcite dicit Plato, bonam ſpem eſſe γηροτρόφον: ideoque ſenes male ſibi conſcios miſere cruciari, & intus lacerari quaſi perpetua carnificina. Simul vero addendum eſt quod Plato neſcivit, hoc nobis conferre pietatem, ut bona ſenectus nos ad ſepulchrum uſque comitetur: quia tranquillæ mentis cuſtos eſt fides. Eodem fere pertinet quod mox additur, *Saturum fuiſſe dierum*, ut non appeteret vitæ prorogationem. Videmus quam multos conſtringat vitæ cupiditas: imo ut totus fere mundus inter faſtidium præſentis vitæ & inexpiebilem famem langueat. ſingularis ergo Dei gratia vitæ ſaturitas, ut ex ea migrare parati ſimus.

Et congregatus eſt ad populos ſuos.] Libenter amplector eorum ſententiam qui hac loquutione ſtatum futuræ vitæ notari volunt, modo ne ad fideles reſtringas, quod faciunt illi: ſed generis humani ſocietatem intelligas tam in morte quam in vita. Frivolum hoc forte videbitur profanis hominibus, quum David inſtar pecudum colligi dicat reprobos in ſepulchrum: verum ſi propius expendas, non eſtabit hæc collectio, ſi in nihilum rediganturanimæ. Sepulturæ continuo poſt fiet mentio. Nunc dicitur ad patres ſuos collectus eſſe Abraham: quod minime congrueret ſi evaneſcat hominis vita, & in nihilum homines diffluant. quare Scriptura ita loquendo, reſiduum à morte facit alterius vitæ ſtatum, ut migratio è mundo non ſit totius hominis interitus.

9. *Et ſepelierunt eum.*] Hinc apparet, quamvis multo prius abdicatus eſſet Iſmaël, non fuiſſe tamen à patre ſuo alienum, qui in celebrandis mortui exequiis filii officio fungitur. Hoc autem Iſmaël potius quam reliqui, eo quod vicinior erat.

12. *Et iſtæ generationes Iſmaël.*] Non eſt ſupervacua narratio. Initio capitis breviter attigit quid factum eſſet filiis Ceturæ. Hic conſulto prolixior eſt, ut demonſtret ratam conſpicuo effectu fuiſſe Dei promiſſionem, quam decimo ſeptimo capite habuimus. Primo, non vulgaré fuit Dei donum, filios illi duodecim naſci, qui nomen & principatum in totidem familiis tenuerint. Sed quia promiſſioni eventus reſpondet, præcipue reputanda nobis eſt Dei veritas cum ſingulari benevolentia, & honore quo ſervum ſuum Abraham dignatus eſt, quando in adventitiis quoque beneficiis tam benigne ac liberaliter cum ipſo egit. Nam adventitium jure cenſebitur quod ſuperadditum eſt ultra ſpirituale fœdus. Ideo Moſes poſtquam vicos recenſuit in quos diſtributa fuit poſteritas Iſmaëlis, ſepelit in poſterum totam illam gentem, ut ſolida perpetuitas tantum in Eccleſia maneat: juxta illud Pſalmi 102. verſ. 29. Filii filiorum habitabunt. Adhæc, Moſes quaſi digito admirabile Dei conſilium oſtendit, quod regionem à terra Chanaan diſtinctam aſſignans filiis Iſmaël, cum illis proſpexit in futurum tempus, tum vacuam hæreditatem filiis Iſaac ſervavit.

18. *Coram omnibus fratribus ſuis habitavit.*] Major pars interpretum hoc accipit de morte: acſi dixiſſet Moſes breviorem fuiſſe Iſmaëlis vitam quam fratrum, qui diu fuerunt illi ſuperſtites. Sed quia verbum נָפַל refertur ad mortem violentam, Moſes autem teſtatur Iſmaëlem fato ſuo defunctum: probari non poteſt illa expoſitio. Chaldæus paraphraſtes ſubaddit nomen Sortis: atque hunc ſenſum elicit, Sortem illi cecidiſſe ut non procul à fratribus habitaret. Ego etſi in re non multum diſcrepo, non puto tamen ſic torquenda eſſe verba. Verbum נָפַל, jacere interdum, vel quieſcere, & habitare ſignificat. Simplex igitur Moſis ſermo eſt, Iſmaëli datam fuiſſe habitationem eregione fratrum, ut vicinus quidem eſſet, ſuos tamen haberet diſcretos fines. Neque enim dubito quin ad oraculum reſpexerit quod decimo ſexto capite habuimus, ubi inter alia dicebat Angelus matri ejus Hagar, Manebit coram fratribus ſuis, vel figet tabernacula. Cur hoc de Iſmaële potius quam de aliis, niſi quia migrarunt in Orientalem plagam: Iſmaël vero licet gentem haberet diviſam à filiis Abrahæ, propriam tamen habuit ſedem in eorum vicinia? Interim obſervandum quoque eſt Dei conſilium, quod Iſmaël, licet prope fratres ſuos ſubſiſteret, ſubductus tamen fuit in ſuum ſtationem, ne mixtim cum illis ageret, ſed in conſpectu, vel eregione. Porro jacendi vel quieſcendi verbum non reſtringi ad perſonam Iſmaëlis, ſatis clarum eſt.

19. *Et iſtæ generationes Iſaac.*] Quæ velut accidentale erat quod de Iſmaëlitis dixit Moſes, nunc ad præcipuum hiſtoriæ contextum revertitur, ut ſcilicet Eccleſiæ progreſſus nobis deſcribat. Ac primo quidem repetit de uxore, ſumptam fuiſſe ex Meſopotamia. Sororem Laban Syri diſerte vocat: quia futurus erat ſocer Jacob, ac de ea multa dicturus erat. Sed hoc in primis notatu dignum quod refert primis annis ſterilem fuiſſe Rebeccam. Poſtea autem videbimus non tribus vel quatuor, ſed viginti annis duraſſe ejus ſterilitatem, ut concepta ſobolis deſperatio ſubitæ benedictioni plus lucis afferret. Sed nihil minus rationi conſentaneum videtur quam quod Eccleſiæ propagatio tam exigua lentaque fuit. Abraham extremo ſenio jejunum (ut videtur) longæ orbitatis ſolatium accepit, quod ſpem nominis reliquit in uno tantum capite. Iſaac provectæ jam ætatis, imo in ſenium deveæ nondum pater eſt. ubi ſemen illud quod æquabit ſtellas cæli? Quis non illudere Deum putaret, quum inanes & ſolitarias relinquit domos, quæ ſecundum ejus verbum ingenti populo refertæ eſſe debuerant? Verum in Eccleſia oportet impleri quod in Pſalmo habetur, quod lætam habitare faciat multorum filiorum matrem, quæ fuerat ſterilis. Parva enim & contemptibilis origo, lenti & debiles progreſſus, propagationem, quæ poſtea ſpe & opinione major ſequitur, clarius illuſtrant: ut ſciamus cæleſti virtute & gratia, non modis naturalibus Eccleſiam naſci & creſcere. Fieri quidem poteſt ut Deus immodici amoris exceſſum corrigere vel temperare voluerit in Iſaac. ſed illa ratio in primis obſervanda, ſanctum ſemen è cælo donari, non communi naturæ ordine naſci oportuiſſe: ut Eccleſiam non ex hominum induſtria provenire, ſed à ſola Dei gratia manare diſcamus. *Pſal. 112. verſ. 9.*

21. *Et oravit &c. pro uxore ſua.*] Sunt qui vertant *præſente uxore*: ac intelligunt hoc ideo factum, ut ipſa quoque adderet ſuas preces, ut conjunctim Deo ſupplicarent. ſed altera verſio ſimplicior. Porro orandi ſtudium teſtatur, Iſaac ſciviſſe ſe idem liberis privari quod Deus non benedixiſſet. Deinde fœcunditatem peculiare eſſe Dei donum. Tametſi enim

ſparſa

ſparſa & quodammodo effuſa fuit in totum humanum genus gratia gignendæ ſobolis, quum vocem illam protulit Deus, Creſcite, & multiplicamini: ut tamen ſciamus non fortuito naſci homines, varie gignendi gratiam diſtribuit. Iſaac ergo quod in hominum arbitrio poſitum non eſt, à Deo petendum eſſe agnovit. Jam vero non vulgari fidei conſtantia præditum fuiſſe apparet. Quum illi notum eſſet Dei fœdus, cupide, liquis alius, ſemen appetebat. non igitur tunc demum illi in mentem precari venit, quum ſpe ſua per annos fere viginti fruſtratus eſſet. Quanquam ergo Moſes uno tantum verbo dicit precibus à Deo ſoholem impetraſſe: ratio tamen dictat continuas fuiſſe multorum annorum preces. In eo relucet ſancti viri tolerantia, quod dum videtur fruſtra in aërem vota fundere, orandi tamen ardorem non remittit. Sicut autem Iſaac nos ſuo exemplo ad orandi perſeverantiam inſtituit: ſic etiam oſtendit Deus nunquam ſe ad vota fidelium ſurdas babere aures, licet in longum tempus differat.

22. *Et colliděbant ſe.*] Hic nova tentatio repente exurgit, quod ſe infantes in utero matris mutuo collidunt. Conflictus iſte tantum moeroris affert matri ut mortem præoptet. Neque mirum: nam melius ſibi fuiſſe cogitat centies mori quam horribile in ſe illud edi portentum, ut gemini fratres in utero ſuo incluſi, jam inteſtinum bellum gererent. Itaque falluntur qui muliebri impatientiæ tribuunt hanc querimoniam, quæ non tam dolore vel cruciatu extorta ſuit quam monſtri deteſtatione. Senſit enim procul dubio conflictum hunc non moveri naturaliter, ſed monſtroſum eſſe, & qui atrocem ac tragicum aliquem exitum portenderet. Simul vero iræ divinæ metum obrepere neceſſe fuit: ſicuti fideles non ſubſiſtunt in ſenſu præſentis mali, ſed ad cauſam deſcendunt: atque ita apprehenſo Dei judicio, expaveſcunt. Cæterum tametſi initio gravius quam par eſt turbatur, & in fremitum erumpens, modum & temperiem non ſervat: paulo poſt tamen remedium adhibet ac ſolatium dolori ſuo. Atque ita ſuo exemplo nobis præſcribit, dandam eſſe operam ne in rebus anaiis nimium indulgeamus triſtitiæ, vel cæca tormenta intus foventes, corda noſtra uramus. Primos quidem motus cohibere difficile eſt: verum priuſquam impotentius ſe efferant, eos frenare, & in ordinem cogere oportet. Ac in primis à Domino petenda eſt moderatio: ſicut hic refert Moſes iviſſe Rebeccam ut Dominum conſuleret: quia ſcilicet nihil ſedando animo ſuo aptius fore cenſuit, quam ſi de conſilio Dei facta certior, ſeſe ad ejus obedientiam componeret. Quamvis enim triſte reſponſum, vel minus optabile daretur, levamen ſimul aliquod à Deo propitio ſperavit in quo acquieſceret. Sed hic emergit quæſtio, qualiter Rebecca Deum conſulnerit. Multorum conſenſu recepta opinio eſt, ſciſcitatam ex aliquo Propheta eſſe quidnam hoc eſſet monſtri. Et videtur innuere Moſes aliquo profectam eſſe ut oraculum audiret. Sed quoniam divinatio illa nihil habet coloris, magis in diverſam partem inclino, quod ſeceſſu quæſito intentius oraverit, ut revelationem è cælo haberet. Nam eo tempore quoſnam præter maritum & ſocerum Prophetas in mundo, nedum in vicinia, reperiſſet? Deinde video tunc fere Deum voluntatem ſuam patefeciſſe oraculis. Tertio, ſi rei magnitudinem expendimus, arcanum illud ore Dei magis quam hominis teſtimonio manifeſtari decuit. Noſtra ratio diverſa eſt. nam neque talibus miraculis bodie res futuras Deus portendit: & in regendo vitæ curſu abunde nobis ſufficit Legis, & Prophetarum, & Euangelii doctrina, quæ perfectam ſapientiam complectitur.

23. *Duæ gentes.*] Primo reſpondet Deus, quod inter ſe pugnant gemelli fratres, longius patere quam ad eorum perſonas. hoc enim modo oſtendit quod inter eorum poſteros futurum erat diſſidium. Emphatica autem eſt loquutio quum dicit duas eſſe gentes: nam quum fratres eſſent & gemelli, adeoque unus ſanguis, non putabat mater ita disjunctum iri, ut diverſos populos efficerent: Deus tamen inter eos qui conjuncti erant natura, diſceſſionem fore pronunciat. Deinde exprimitur diverſa conditio, quod victoria penes unum populum futura ſit: quandoquidem hinc tumultus, quod pares eſſe non poterant, ſed altero rejecto alter eligebatur. Nam quum ægre cedant reprobi, neceſſe eſt Dei filios pro ſua adoptione multas moleſtias & certamina ſubire. Tertio Dominus affirmat, inverſo naturæ ordine natu minorem, qui inferior erat, fore victorem. Nunc videndum eſt quorſum pertineat hæc victoria. Qui ad terrenas divitias vel opes hoc reſtringunt, frigide nugantur. Neque enim dubium eſt quin hoc oraculo edocti fuerint Iſaac & Rebecca, fœdus ſalutis non fore duobus populis commune: ſed rantum in poſteris Jacob conſervatum iri. Initio generalis erat in ſpeciem promiſſio, quæ totum ſemen comprehenderet: nunc ad partem unam reſtringitur. Hæc ratio conflictus, quod Deus ſemen Jacob, cujus par & eadem videbatur eſſe conditio, dividit, ut partem unam adoptet, alteram abdicet: pars una nomen & jus Eccleſiæ obtineat, reliqui extranei cenſeantur: penes unam partem reſideat benedictio, qua priventur alii: ſicuti poſtea conrigit. Scimus enim Idumæos fuiſſe abſciſſos ab Eccleſiæ corpore: fœdus autem gratiæ in familia Jacob fuiſſe depoſitum. Si cauſa diſcriminis quæritur, non reperietur in natura: nam eadem eſt utriuſque populi origo. Non reperietur in meritis: quia adhuc ambo capita in utero matris incluſa erant quum axortum eſt diſſidium. Quin etiam voluit Deus, ut carnis ſuperbiam humiliaret, detrahere ipſis hominibus omnem fiduciæ & gloriæ materiam. Poterat primrem educere Jacob ex utero: atqui primogenitum alterum conſtituit, qui inferior tandem futurus erat. Cur ita poſitum a ſe ordinem conſulto invertit, niſi ut ſciamus, poſſibabito dignitatis reſpectu, gratuito electum eſſe Jacob, qui promiſſæ benedictionis hæres foret? Summa eſt igitur, quod Deus prætulit Jacob fratri Eſau, ut pater eſſet Eccleſiæ, hoc non fuiſſe redditum ejus meritis, vel induſtria quæſitum, ſed profectum à mera ipſius Dei gratia. Sed quum de toto populo agatur, non arcana, quæ in paucis rara eſt, electio, ſed communis notatur adoptio, quæ tam late patet quam prædicatio externa verbi. Quia hoc tam breviter perſtrictum, obſcurius eſſe poſſet, memoria repetant lectores quod ſupra decimo ſeptimo capite expoſui: nempe Deum adoptionis ſuæ gratia complexum eſſe omnes Abrahæ filios, quia cum omnibus fœdus pepigit, nec fruſtra omnibus promiſcue offerri voluit ſalutis promiſſionem, & Circumciſionis ſymbolo in eorum carne obſignari: cæterum fuiſſe ex populo univerſo ſpeciale aliquod delectum ſemen, & eos demum cenſeri legitimos Abrahæ filios, qui arcano Dei conſilio deſtinati ſunt ad ſalutem. Fides quidem ſpirituales filios à carnalibus diſcernit: ſed nunc de principio diſcretionis, non autem de ſymbolo vel nota quæſtio eſt. Deus ergo totum ſemen Jacob ſine exceptione elegit, ſicuti pluribus locis teſtatur Scriptura: quia omnes pariter iiſdem gratiæ ſuæ teſtimoniis dignatus eſt, verbo nempe & ſacramentis. Sed alia ſemper viguit peculiaris electio, quæ in certo & finito hominum numero continebatur, ut in communi interitu ſervaret Deus quos vellet. Nunc exoritur nobis quæſtio. nam quum de priori electionis ſpecie nunc tractet Moſes, Paulos ad ſecundam tot- *Rom. 9. verſ. 7, 8.*
quet ejus verba. Siquidem dum probare vult non omnes qui origine ſunt Judæi, eſſe vitæ hæredes: nec omnes qui ſecundum carnem ex Jacob deſcendunt, pro veris Iſraelitis haberi: ſed Deum pro ſuo beneplacito quos voluit eligere: teſtimonium hoc adducit, Majot ſervies minori. Qui doctrinam gra-

tuitæ electionis extinguere conantur, perſuadere cuperent Pauli quoque verba nonniſi de externa vocatione debere intelligi: ſed contextus aperte reclamat, ſeque non modo inſulſos, ſed impudentes eſſe oſtendunt, dum tam claræ luci tenebras vel fumum tentant inducere. Ne glorietur in carne Eſau, inquiunt, ad fratrem natu minorem transfertur ejus dignitas: quia nova huic affertur promiſſio. Fateor aliquid eſſe quod dicunt: ſed quod in cauſa præcipuum erat, ab ipſis omitti dico. externa enim vocatione definunt quod hic ſtatuitur diſcrimen. Atqui niſi velint irritum facere Dei fœdus, concedant neceſſe eſt, conſortes externæ vocationis peræque fuiſſe Eſau & Jacob. unde patet, arcano Dei conſilio ſegregari quibus communis erat vocatio. Et ſtatus diſputationis Paulinæ notus eſt, quod quum Judæi inflati Eccleſiæ titulo Euangelium reſpuerent, labaſcebat fides ſimplicium: quia probabile non erat, Chriſtum & ſalutem in eo promiſſam, ab electo populo, gente ſancta, & naturalibus Dei filiis poſſe rejici. Hic contendit Paulus, non omnes qui deſcendunt ex Jacob ſecundum carnem, eſſe veros Iſraëlitas, quia Deus gratuito arbitrio eligat quos habere vult æternæ ſalutis hæredes. Quis non videt Paulum à communi adoptione ad particularem deſcendere: ut ſciamus non omnes qui locum occupant in Eccleſia, pro veris Eccleſiæ membris reputari? Certe palam ab ordine filiorum Dei abdicat ad quos (ſicut alibi dicit) ſpectabat adoptio: unde certo conficitur, ad probandam hanc ſententiam, aptari ab ipſo Moſis teſtimonium, quod Deus ea filiis Abrahæ certos ſibi eligat in quibus ſtabilis ſit & efficax adoptionis gratia. Quomodo igitur Paulum cum Mnſe conciliabimus? Reſpondeo, quamvis Dominus tntum ſemen Jacob à genere Eſau ſeparet, id tamen fieri Eccleſiæ intuitu, quæ in poſteris Jacob incluſa erat. Et certe ad hunc finem referebatur generalis populi electio, ut Deus Eccleſiam haberet ex reliquo mundo ſegregatam. Quid igitur abſurdi ſi Paulus ad ſpecialem electionem Moſis verba accommodat, quibus prædictum eſt Eccleſiam fore ex ſemine Jacob? Atque hujus rei ſpecimen in ipſis capitibus fuit exhibitum. Jacob enim non tantum externa voce à Domino vocatus eſt, ſed præterito fratre hæres vitæ electus. Quod Dei beneplacitum in perſona unius Jacob Moſes commendat, merito Paulus longius trahit: ac nequis putaret poſtquam hoc oraculo diſtinctæ fuerunt duæ gentes, electionem indifferenter ſpectaſſe ad omnes filios Jacob: aliud oraculum opponit Paulus, Miſerebor cujus miſerebor. ubi videmus ſegregari ex promiſcuo genere filiorum Jacob, certum numerum, in quibus ſervandis ſpecialis regnet Dei electio. Unde apparet Dei conſilium prudenter animadverſum fuiſſe à Paulo: quod ſcilicet primogenituræ honorem à majori ad minorem tranſtulerit, ut ſibi Eccleſiam ex ſemine Jacob quam vellet, non bominum meritis, ſed mera gratia deligeret. Tametſi autem colligendæ Eccleſiæ media Deus toti populo communia eſſe voluit: finis tamen in quem reſpexit Paulus, præcipue ſpectandus eſt, ut ſemper ſit aliquod hominum corpus in mundo, quod Deum pura fide invocans, cuſtodiatur uſque in finem. Fixum itaque maneat hoc doctrinæ caput, quod ea hominibus alii pereunt, alii ſalutem conſequuntur, cauſam ex arcano Dei beneplacito pendere. Unde enim fit ut qui ſunt ex Abraham geniti, non in eodem jure conſiſtant? Diſpar certe conditio neque hujus virtuti, neque illius vitio adſcribi poteſt, quia nondum nati erant. Quia hoc reſpuit communis hominum ſenſus, extiterunt omnibus ſeculis acuti homines qui Dei electionem proterve vexarent. Mihi vero nunc propoſitum non eſt ſingulas eorum calumnias refellere, aut diluere: nobis tenere ſufficiat quod ex Pauli interpretatione colligimus, quum eodem interitu dignum ſit humanum genus, & eodem reatu conſtrictum, alios gratuita miſericordia liberari, alios juſte relinqui ſuo exitio: nec ideo alios præferri quos Deus eligit, quia ſanctos Deus prævideat, ſed ut ſancti ſint. Quod ſi prima origo ſanctitatis, Dei electio eſt, fruſtra in hominibus quæritur diſcrimen quod in ſolo Dei arbitrio reſidet. Siquis anagogen deſideret, quia multi hypocritæ in medio Eccleſiæ utero incluſi ad tempus, inani titulo ſuperbiunt, & ſe inſolenter jactando exultant adverſus veros Dei filios: ſubinde exurgunt inteſtini conflictus qui matrem ipſam duriter torquent.

24. *Et impleti ſunt dies.*] Docet Moſes inteſtinum uteri certamen uſque ad partum duraſſe. neque enim fortuito accidit, quod Jacob arrepto fratris talo conatus eſt prior exire. Hoc ſymbolo teſtatus eſt Dominus, non ſtatim electionis ſuæ conſtare effectum: quin potius medium iter multis certaminibus & moleſtiis refertum eſſe. itaque nomen à ſua aſperitate ſortitus eſt Eſau: quod jam à prima infantia virilem in modum formatus eſſet. nomen vero Jacob ſignificat gigantem illum cum robuſto ſuo inſultu, fruſtra luctando fuiſſe devictum.

27. *Et creverunt parvuli.*] Nunc breviter amborum mores nobis Moſes deſcribit. Nec vero Jacob ab eximiis & præclaris dotibus commendat, quæ laude & memoria dignæ ſint, ſed tantum dicit fuiſſe ſimplicem. תם quidem pro integro & ſincero, ut plurimum accipitur: ſed hic referri debet ad antitheſin. poſtquam Eſau robuſtum fuiſſe, & venationi addictum, virumque agreſtem retulit: ingenium Jacob opponit manſuetum, quia domi quietem coleret, ut potuerit videri ignavus: ſicuti Græci ἀπράγμονας appellant, qui domi reſides, induſtriæ ſuæ ſpecimen non proferunt. In ſumma, tantundem valet comparatio acſi Moſes Eſau à ſtrenuitate laudaret; Jacob autem diceret otio domeſtico fuiſſe deditum: talem fuiſſe prioris iodolem, quæ virum animoſum fore promitteret; hujus vero, quæ nihil haberet commendatione dignum. Quum cæleſti decreto ad Jacob delatus jam foret primogenituræ honor, cur illum Deus io tugurio jacere, & inter cineres torpere ſinit? niſi quia electionem ſuam interdum ad tempus vult latere, ne quid ſuis præparationibus tribuant homines.

28. *Et dilexit Iſaac Eſau.*] Quo melius oſtenderet Deus ſatis in ſua electione eſſe firmitatis, ut aliunde nullo adminiculo juvetur, imo ad ſuperanda quævis obſtacula ſatis eſſe validam: paſſus eſt Eſau fratri ſuo patris amore & judicio præferri, ut figura quædam rejectitii hominis in Jacob extaret. Quum ergo tot circumſtantiis clare demonſtret Moſes, in ſolo Dei beneplacito fundatam fuiſſe adoptionem Jacob, minime ferenda eſt eorum improbitas qui eam ſuſpendunt ab hominis arbitrio: vel partem ad media (ut loquuntur) & præparationes tranſcribunt. Sed qui fieri potuit ut pater oraculi non ignarus, propenſior tamen in primogenitum foret, quem divinitus rejectum ſciebat? pietatis enim & modeſtiæ fuiſſet affectum potius ſuum ſubigere, ut Deo pareret. Priores amoris partes ſibi naturaliter primogenitus vendicat: ſed qui in ordinem coactus erat Dei oraculo, eum ſupra fratrem extollere, patri liberum non fuit. Multo etiam magis pudendum, & ſancto Patriarcha indignum, quod mox ſubjicit Moſes, guſtu carnis ferinæ fuiſſe illectum, ut filium Eſau magis amaret. Tantumne valuiſſe apud eum palati delicias, ut oblitus oraculi, contemneret in Jacob Dei gratiam: ad eum vero quem Deus rejecerat, animum præpoſtere applicaret? Eant nunc Judæi, & in carne glorientur: quum Iſaac pluris cibum faciens quam deſtinatam filio hæreditatem, gratuitum Dei fœdus, quantum in ſe erat, perverterit. Nequa enim excuſationi locus eſt, quin cæco, vel ſaltem nimis inconſiderato amore primogeniti filii alterum poſt-

poſtbabuerit: an adverſo vitio laboraverit mater, incertum eſt. Sic enim plerumque videmus ſcindi parentum ſtudia, ut ſi quem ex filiis amari videt uxor à marito: contraria æmulatione in alterum magis inclinet. Amavit Rebecca filium Jacob præ Eſau. ſi vaticinium ſequuta, recte: ſed fieri poteſt ut fuerit etiam incompoſitus amor. Atque hac in parte nimium ſe prodit naturæ corruptela. Nullum ſanctius conjugio vinculum eſt mutui conſenſus: accedunt etiam novi nexus in liberis. atqui diſſidii occaſionem ſæpe præbent. Quia tamen paulo poſt videmus Rebeccam præcipue in Dei benedictionem intentam fuiſſe, probabilis conjectura eſt, Dei auctoritate fuiſſe inductam ut primogenito minorem præferret: interea ſtultus patris amor adoptionis divinæ gratiam magis illuſtrat.

29. *Et coxit Jacob coctionem.*] Parum à luſu puerili differt hæc hiſtoria. Coquit Jacob pulmentum: redit ex venatione frater laſſus ac famelicus, cibum primogenitura redimit. Qualis, obſecro, iſta conventio? Inediæ fratris ultro ſuccurrere debebat Jacob. Quum rogatus negat, quis non inhumanitatis eum damnet? Quod jure primogenituræ cedere cogit, illicita eſſe videtur ac frivola pactio. Sed in re non magni momenti probavit Deus ingenium Eſau: & rurſum ſpecimen extare voluit pietatis Jacob: vel (ut magis proprie loquar) quid lateret in utroque patefecit. Falluntur quidem multi, dum hinc cauſam electionis Jacob ſuſpendunt, quod aliquam in eo dignitatem præviderit Deus: & Eſau ideo reprobatum fuiſſe putant, quod futura ejus impietas Dei adoptione indignum redderit priuſquam naſceretur. Paulus gratuitam electionem ſtatuens, quærendum eſſe diſcrimen negat in hominum perſonis: ac primo quidem illud axioma ſumit, Quum perditum ſit à ſua origine humanum genus & exitio addictum, quicunque ſalvi fiunt, non niſi mera Dei gratia ab ioteritu liberari. Ideoque non præferri alios alus proprio merito: ſed quum peræque omnes gratia indigni ſint, ſervari quos ſuo arbitrio Deus elegit. Deinde altius conſcendit, Quum Deus mundi ſit opifex, ſuo jure ita eſſe vitæ & mortis arbitrum, ut ratio non ſit ab eo exigenda: ſed ejus voluntas ſit cauſa cauſarum, ut ita loquar. Neque vero hoc modo Paulus tyrannidem Deo affingit, ſicuti Sophiſtæ de abſolura ejus poteſtate nugantur. Sed quum habitet lucem inacceſſam, & judicia ejus omnes abyſſos ſuperent, prudenter jubet Paulus in ſolo ejus propoſito acquieſcere: ne ſi homines nimis curioſi eſſe appetant, immenſum illud chaos omnes illorum ſenſus abſorbeat. Stulte ergo ex hoc loco æſtimant quidam, quum ex duobus fratribus alterum Deus elegit altero polthabito, præviſa fuiſſe utriuſque merita. Nam ut differret Jacob ab Eſau, neceſſe fuit ipſum à Deo diſcerni: alioqui fratri non diſſimilis futurus erat. Et ſemper illud Pauli memoria tenendum eſt, neminem præ altero excellere ſua induſtria aut virtute, ſed ſola Dei gratia. Cæterum quamvis pares eſſent natura ambo fratres, in Eſau tamen perſona quaſi in ſpeculo Moſes nobis repræſentat quales ſint omnes reprobi qui ſuo ingenio relicti, à Spiritu Dei non gubernantur. In perſona autem Jacob oſtendit non eſſe otioſam adoptionis gratiam in electis: quia Dominus eam ſua vocatione efficaciter obſignat. Unde ergo fit ut venalem habeat primogenituram Eſau, niſi quia Spiritu Dei privatus, terram duntaxat ſapit? unde fratri Jacob ut ſe proprio victu fraudans, inediam patienter ferat, niſi quia Spiritu ſancto duce ſupra mundum ſe attollit, & ad cæleſtem vitam aſpirat. Proinde diſcamus quoſcunque Spiritus ſui gratia non dignatur Deus, animales eſſe ac brutos, & uſque adeo deditos caducæ vitæ, ut de ſpirituali Dei regno non cogitent: quos vero Deus regendos ſuſcepit, non ira teneri implicitos carnis illecebris quin ſupernæ vocationi intenti ſint. Unde ſequitur, reprobos omnes manere demerſos in corruptelis carnis: electos vero Spiritu ſancto renovari, ut ſint Dei figmentum ad bona opera creati. Siquis excipiat poſſe Deo partem culpæ adſcribi, qui ſuperem & pravas cupiditates reprobis ingenitas non corrigit: ſolutio in promptu eſt, conſcientiæ ipſorum teſtimonio quo damnare ſe coguntur, Deum abſolvi. Quare nihil aliud ſupereſt, niſi ut à facie Domini fileat omnis caro, ac totus mundus ſe obnoxium eſſe confitens ejus judicio, humilietur potius quam ſuperbe litiget.

30. *Fac me comedere nunc de ruſo.*] Quanquam his verbis declarat Eſau, ſe minime appetere lautitias, ſed qualicunque cibo contentum eſſe (utpote qui pultem à colore, ſaporis immemor, contemptim deſignat) conjicere tamen licet, rem ſerio animadverſam fuiſſe à parentibus. neque enim ex re ludicra nomen illi fuiſſet impoſitum. Cæterum quod appetit & rogat, nihilduni in eo reprehenſione dignum admittit: ſed ubi dicit, En ego moriar, ad quid mihi primogenitura? profanam cupiditatem terræque & carni prorſus addictam prodit. Nequa vero dubium eſt quin ex animo teſtetur ſe mortis ſenſu urgeri. Falluntur enim qui ſic accipiunt ejus verba, Ecce morior, acſi diuturnæ vitæ ſe fore negaret, quia venando quotidie ferisobjectus verſatur in diſcrimine. Ergo ut præſentem mortem effugiat, primogenitura cibum redimit: neque ramen ideo deſinit graviter peccare, dum primogeniturum nihili æſtimat, niſi in hac vita profit. Nam hinc fit ut ſpirituale bonum terreno & caduco permutet. Qua ratione vocat eum Apoſtolus profanum: utpote qui in præſenti vita ſubſidens, altius non aſpiret. Atqui hoc demum fuiſſet vere ſapere, centum potius obire mortes quam ſe primogenitura abdicare, quæ adeo uhius ætatis ánguſtiis incluſa non erat, ut cæleſtis vitæ perpetuitatem ad poſteros quoque transmitteret. Nunc vero quia nullam niſi in mundo felicitatem concipit Eſau, anima ejus in pulmento ſepulta eſt. Jam ſibi quiſque noſtrum proſpiciat: quia terreſtre nobis omnibus ingenium eſt, ſi naturam ſequamur ducem, cæleſti hæreditate facile nos abdicabimus. Veniat igitur ſubinde in mentem Apoſtoli exhortatio, Ne ſimus profani quemadmodum Eſau. *Hebr. 12 verſ. 16.*

33. *Jura mihi.*] Non agit crudeliter Jacob cum fratre, quia nihil illi eripit, ſed tantum confirmationem appetit juris ſibi divinitus conceſſi: idque facit pio conſilio, ut electionis ſuæ fidem melius inde ſtabiliat. Interea ſtupor Eſau norandus eſt, qui interpoſito Dei nomine primogenituram vendere non dubitat. Quamvis prius fame, tanquam œſtro percitus, ad pulmentum inconſiderate rueret: ubi exactum eſt jusjurandum, tunc ſaltem aliqua obrepere debuit religio quæ brutam cupiditatem corrigeret. Atqui ventri addictus, ingratitudinis ſuæ teſtem conſtituit Deum ipſum.

34. *Et Jacob dedit.*] Quanquam prima ſpecie frigida & ſupervacua eſſe videtur narratio: magnum tamen ſubeſt pondus. Primo enim commendat Moſes pietatem ſancti Jacob, quod ad cæleſtem vitam aſpirans, cibi appetitum frenare potuerit. Certe non erat ſtipes: cibum, quo famem ſedaret, parando, ſtomachum magis irritaverat. Quare ad tolerandam inediam, ſibi vim facere neceſſe habuit. Carni vero in hunc modum domandæ nunquam par fuiſſet, niſi in eo viguiſſet ſpirituale melioris vitæ deſiderium. Ab altera parte paucis verbis emphatice traducitur mira Eſau fratris ſecuritas, *comedit, bibit, ſurrexit, abiit.* quorſum hæc quatuor ponuntur? Nempe ut ſciamus quod continuo poſt ſequitur, pro nihilo duxiſſe illud incomparabile bonum quo privatus erat. Celebratur ab hiſtoricis Lacedæmonii captivi querimonia. Exercitus diu obſeſſus, propter aquæ inopiam hoſtibus ſe dediderat. Poſtquam è fluvio biberunt, O commilitones (dixit

ille) quantula voluptate inæſtimabile bonum perdidimus! Miſer ille, reſtincta ſiti ad ſe reverſus, amiſſam libertatem gemebat. Eſau ſaturatus, ſe longe præſtantiore bono quam ſint centum vitæ, ſpoliatum non expendit, ut pabulum ſemihoræ redimeret. Ita ſolent profani omnes: alienati cæleſti vita, nihil ſe jacturæ feciſſe ſentiunt, donec è cælo fulminet Deus. Quamdiu potiuntur carnis votis, à tergo illis eſt ira Dei: ita ſit ut ſtupidi pergant in ſuum exitium. Quare diſcamus, ſiquando mundi illecebris decepti, à recta via deflexerimus, celeriter nos expergefacere.

CAPUT XXVI.

DEinde fuit fames in terra præter famem ſuperiorem quæ fuerat in diebus Abraham: & profectus eſt Iſaac ad Abimelech regem Peliſthim in Gerar.

2. Nam viſus eſt ei Jehova, & dixit, Ne deſcendas in Ægyptum: habita in terra quam dicam tibi.

3. Inhabita terram hanc, & ero tecum, & benedicam tibi: quia tibi & ſemini tuo dabo omnes terras iſtas: & ſtatuam juramentum quod juravi ad Abraham patrem tuum.

4. Et multiplicare faciam ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & dabo ſemini tuo omnes terras iſtas: benedicenturque in ſemine tuo omnes gentes terræ:

5. Eo quod obediverit Abraham voci meæ, & cuſtodierit cuſtodiam meam, præcepta mea, ſtatuta mea, & leges meas.

6. Et habitavit Iſhac in Gerar.

7. Et interrogaverunt incolæ regionis de uxore ejus: & dixit, Soror mea eſt. quia timuit dicere, uxor mea eſt: ne forte occiderent me incolæ regionis propter Ribcam, quia pulchra aſpectu erat.

8. Verum fuit, quum protracti eſſent ei ibi dies, aſpexit Abimelech rex Peliſthim per feneſtram, & vidit, & ecce Iſhac ludebat cum Ribca uxore ſua.

9. Tunc vocavit Abimelech Iſhac, & dixit, Vere ecce uxor tua eſt: & quomodo dixiſti, Soror mea eſt? Et dixit ad eum Iſhac, Quia dixi, Ne forte moriar propter eam.

10. Et dixit Abimelech, Quid hoc feciſti nobis? paulum abfuit quin dormierit unus è populo eum uxore tua, & venire feciſſes ſuper nos delictum.

11. Præcepit itaque Abimelech omni populo, dicendo, Qui tetigerit virum hunc, & uxorem ejus, moriendo morietur.

12. Et ſevit Iſhac in terra ipſa, & reperit in anno ipſo centum modios: & benedixit ei Jehova.

13. Et crevit vir, & perrexit pergendo & creſcendo, donec creſceret valde.

14. Et fuit ei poſſeſſio pecudum, & poſſeſſio boum, & proventus multus: & inviderunt ei Peliſthim.

15. Itaque omnes puteos quos foderant ſervi patris ſui in diebus Abraham patris ſui, obturaverunt Peliſthim, & impleverunt eos terra.

16. Et dixit Abimelech ad Iſhac, Abi à nobis: quia longe fortior es nobis.

17. Abiit ergo inde Iſhac, & manſit in valle Gerar, & habitavit ibi.

18. Poſtquam reverſus eſt Iſhac, fodit puteos aquæ quos foderant in diebus Abraham patris ſui: quia obturaverant eos Peliſthim mortuo Abraham: & vocavit eos nominibus ſecundum nomina quibus vocaverat eos pater ſuus.

19. Et foderunt ſervi Iſhac in valle, & invenerunt ibi puteum aquæ vivæ.

20. Sed litigaverunt paſtores Gerar cum paſtoribus Iſhac, dicendo, Noſtra eſt aqua. & vocavit nomen putei Heſech: quia litigaverunt cum eo.

21. Et foderunt puteum alium, & litigaverunt etiam ſuper eo: & vocavit nomen ejus Sitnah.

22. Et tranſtulit ſe inde, & fodit puteum alium, & non litigaverunt ſuper eo: ideo vocavit nomen ejus Rehoboth: & dixit, Quia nunc dilationem fecit Jehova nobis, & crevimus in terra.

23. Et aſcendit inde in Beer-ſebah.

24. Et viſus eſt ei Jehova nocte ipſa, & dixit, Ego ſum Deus Abraham patris tui: ne timeas, quia tecum ſum, & benedicam tibi, & multiplicare faciam ſemen tuum propter Abraham ſervum meum.

25. Tunc ædificavit ibi altare, & invocavit nomen Jehovæ, & tetendit ibi tabernaculum ſuum: & foderunt ibi ſervi Iſhac puteum.

26. Porro Abimelech profectus eſt ad eum ex Gerar, & Ahuzath *qui erat* ex amicis ejus, & Phichol princeps exercitus ejus.

27. Et dixit ad eos Iſhac, Cur veniſtis ad me, & vos odio habuiſtis me, & emiſiſtis me ne eſſem vobiſcum?

28. Et dixerunt, Videndo vidimus quod eſſet Jehova tecum: & diximus, Sit nunc juramentum inter nos, inter nos & inter te, & percutiamus fœdus tecum.

29. Si feceris nobiſcum malum: quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus tecum duntaxat bonum, & dimiſimus te in pace: tu nunc es benedictus Jehovæ.

30. Inſtruxit autem eis convivium, & ederunt, atque biberunt.

31. Et

31. Et surrexerunt mane: & juraverunt alter alteri: & deduxit eos Ishac, & abierunt ab eo in pace.

32. Adhæc fuit, in die ipsa venerunt servi Ishac, & nunciaverunt ei de puteo quem foderant, & dixerunt ei, Invenimus aquam.

33. Et vocavit eum Sibhah: idcirco nomen urbis est Beer-sebah usque ad diem hanc.

34. Erat autem Esau quadragenarius, & accepit uxorem Jehudith filiam Beeri Hittæi, & Bosmath filiam Elon Hittæi:

35. Et irritabant spiritum Ishac & Ribcæ.

1. *Et fuit fames.*] Eodem fere tentationis genere quo probatus bis fuerat Abraham, Isaac quoque filium vexatum fuisse refert Moses. Quam vero durus & violentus fuerit hic insultus, antehac exposui. Molesta jam & aspera erat illa conditio, quod Deus servos suos in terra quam se illis daturum promiserat, hospites volebat esse, qui subinde in novas sedes migrarent: sed hoc minus tolerabile videtur, quod ne illic quidem peregrinari, ac iostabilem, motoriamque (ut ita loquar) vitam agere passus est, sed propemodum fame confecit. Quis non diceret Dominum sui oblitum, ubi filiis suis quos in fidem curamque suam recepit, ne parce quidem & tenuiter alimenta suppeditat? Verum ita sanctos Patres exercuit Deus, ut eorum exemplis edocti, non simus in tentationibus nimis effœminati & molles. Quod ad verba pertinet, quanquam duplex fuit sterilitas tempore Abrahæ, Moses tamen nonnisi unius meminit, cujus recentior erat memoria.

2. *Et visus est ei Dominus.*] Non dubito quin causæ sit redditio cur se potius Isaac in illam regionem contulerit quam profectus sit in Ægyptum, quod forte illi commodius fuisset: sed cælesti oraculo retentum fuisse docet Moses, ut non fuerit libera optio. Nunc quæritur cur Dominus Isaac probibeat ab Ægypti accessu, quo patrem ejus descendere passus fuerat. Tametsi non exprimitur à Mose ratio, conjicere tamen licet, iter illud magis periculosum filio fuisse. Poterat quidem hunc quoque Spiritus sui virtute instruere Dominus, ut patrem ejus Abraham, ne eum Ægypti fœcunditas & deliciæ suis illecebris corrumperent: sed quia eo temperamento fideles suos gubernat, ut non statim corrigat omnia eorum vitia, & in solidum purget: eorum infirmitatibus occurrit, & idoneis remediis mala quibus illaqueari possent, anticipat. Quia igitur plus infirmitatis esse cognovit in Isaac quam in Abraham fuerat, discrimini eum objicere noluit.

1 Cor. 10. vers. 13. Fidelis enim est, qui suos tentari non finit ultra quam sunt ferendo. Sicut autem statuendum est, quamlibet arduæ tentationes & onerosæ nobis incumbant, nunquam auxilium Dei nobis defore ad vires suggerendas: ita vicissim cavere oportet no temere irruamus in pericula: sed sua quemque imbecillitas monere debet ut sollicite & timide se contineat. *Habita in terra.* Jubet subsidere in terra promissa: sed ea lege ut inquilinus in ea versetur. Atque ita significat nondum adesse tempus quo fruatur ejus dominio. Spe quidem hæreditatis promissæ animum ejus sustentat: sed hunc honorem vult haberi verbo suo, ut ioter externas agitationes intus quiescat Isaac. Et certe nunquam melioci fulturæ innitimur, quam dum ab ore Domini suspensi, posthabito rerum præsentium aspectu, benedictionem ejus quæ nondum apparet, fiducia apprehendimus. Cæterum promissionem ante datam rursus inculcat, ut ad parendum alacriot reddatur Isaac. Sic enim ab ignavia servos suos expergefacere solet Dominus, ot strenue sibi militent, dum subinde affirmat non irritum fore eorum laborem. Etsi enim gratuitum & liberale obsequium à nobis, tanquam pater à filiis, exigit, eo tamen usque se demittit ad captum nostrum, ut ostenso præmio nos iovitet atque hortetur.

5. *Eo quod obedierit Abraham.*] Non intelligit Moses Abrahæ obedientiam fuisse causam cur ei firma rataque fuerit Dei promissio: sed supra cap. 22. vers. 18. ubi similem locum habuimus, dictum fuit, quod gratis fidelibus largitur Deus, interdum ipsa præter meritum adscribi, ut suum studium probari Domino scientes, se totos ardentius in ejus cultum addicant & impendant. Ita ounc Abrahæ obedientiam commendat, ut ad ejus imirationem stimuletur Isaac. Tametsi autem nondum erant scriptæ leges, statuta, ritus, præcepta & ceremoniæ: his tamen vocibus usus est Moses, quo melius exprimeret quam sedulo vitam suam composuerit Abraham ad unius Dei arbitrium: quam studiose abstinuerit ab omnibus Gentium inquinamentis, & quam exacto tenuerit rectum pietatis cursum, oe deflecteret ad dexteram vel sinistram. Nam bis elogiis Legem suam sepe Domious celebrat cohibendæ lasciviæ nostræ causa: acsi diceret, nihil illic ad perfectam regulam deesse: sed omnes absolutæ sanctitatis oumeros eam complecti. Sensos est igitur, Abraham vita sua penitus ad Dei nutum formata, in puro ejus cultu ambulasse.

7. *Et interrogaverunt viri loci illius.*] Refert Moses, simili modo quo patrem Abraham, tentatum fuisse Isaac in uxoris raptu. Nec dubium est quin per illius vestigia deductus fuerit, ut similitudine ipsa admooitus, se socium adjungeret ejus fidei. Quanquam hac in parte vitium patris fugere potius debebat quam imitari. Nec enim dubium est quin satisteneret, matris pudicitiam bis fuisse in magno discrimine: & quamvis mirabiliter Dei manu erepta foret, utrumque tamen suæ diffidentiæ pœnas dedisse. Quod ergo nunc Isaac ad eundem impingit lapidem, in eo excusari noo potest ejus socordia. Expressis quidem verbis uxorem non abnegat: sed in eo primum culpandus est, quod servandæ vitæ causa, ad simulationem mendacio non absimilem confugit; deinde quod uxorem à fide conjugii absolvens, alienis prostituit. sed præcipue culpam (ne dixi) exaggerat, quod domesticis exemplis non attendens, sponte illam in manifestum discrimen projicit. Unde apparet quanta sit naturæ nostræ ad diffidentiam propensio, & quam facile sit in rebus perplexis consilio destitui. Quum autem tot pericula nos undique circumstent, rogandus est Dominus ut nos Spiritu suo confirmet, ne mentes nostræ metu & trepidatione diffluant & evaoescant: alioqui subinde perperam aliquid tentare continget, cujus statim, & tamen sero, nos pœnitcat.

8. *Aspexit Abimelech rex Philisthim per fenestram.*] Mira Dei indulgentia, quod non modo duplicem culpam servo suo ignoscere dignatus est, sed manum etiam illi porrexit, & remedio mature adhibito, quod ille sibi accersebat malum, mirabiliter avertit. Non passus est uxorem è gremio ejus rapi, quod bis Abrahæ contigerat: sed excitavit regem profanum, qui stultitiam ejus placide & sine molestia corrigeret. Cæterum quamvis tale suæ benignitatis exemplum proponat Deus, ut fideles, siquando lapsi fuerint, sibi clementem & propitium fore confidant: securitas tamen cavenda est, quando videmus singulari privilegio exemptam à probro fuisse sanctam mulierem, quæ tunc onica Ecclesiæ erat in terris mater. Interea conjicere licet ex judicio Abimelech, quam sancte & pudice versatus fuerit Isaac, in quem frois-

ſtra ſuſpicio cadere non potuit: deinde quanto major tunc viguerit integritas quam noſtro ſeculo. Cur enim non damnat Iſaac ſcortationis? nam probabile erat, aliquid flagitii latere, quum ſororis nomen aſtute obtendens, uxorem eſſe tacite negaret. Ego igitur non dubito quin religio vitæque honeſtas ad tuendam ejus exiſtimationem profuerit. Quo exemplo docemur, ſic colendam eſſe juſtitiam tota vita, ne quid de nobis ſceleſtum vel turpe ſuſpicari poſſint homines. nihil enim eſt quod melius ab omni infamiæ nota vindicet quam vita pudice & temperanter acta. Addendum tamen eſt illud quoque quod poſterius attigi, non ita vulgatas & profuſas illo tempore fuiſſe libidines, ut de hoſpite non improbo obliqua ſuſpicio animum regis ſubiret. Quare ſibi facile perſuadet, Rebeccam uxorem eſſe, non ſcortum. Inde etiam probatur ſeculi illius caſtitas, quod familiarem luſum Iſaac cum Rebecca pro conjugii indicio accepit Abimelech. Non enim de coitu loquitur Moſes, ſed de aliquo liberiore geſtu, qui vel diſſolutæ laſciviæ, vel conjugalis amoris teſtis eſſet. Nunc eo perrupit licentia ut mariti diſſolutos uxorum cum alienis luſus taciti ferre cogantur.

10. *Quid hoc feciſti nobis?*] Non caſtigat Dominus Iſaac ſicut erat promeritus: forte quia non ita ad patientiam inſtructus erat ut pater: quare ne ipſum examinet uxoris raptus, clementer Deus antevertit. Quo tamen plus verecundiæ afferat reprehenſio, magiſtrum & cenſorem illi deſtinat hominem profanum. Adde quod non tam nocendi quam exprobrandi animo, ejus ſtultitiam objurgat Abimelech. Hoc vero penitus animum ſancti viri vulnerare debuit, quum delictum ſuum videret etiam coporum judicio obnoxium eſſe. Quare meminerimus, in luce quam nobis Deus accendit, eſſe ambulandum: ne increduli ipſi qui tenebris ignorantiæ impliciti ſunt, ſtuporem noſtrum coarguant. Et certe quum voci Dei obtemperare negligimus, digni ſumus quos ad boves & aſinos ableget. Non exagitat quidem, nec perſequitur Abimelech totum peccatum Iſaac, ſed unam tantum culpæ partem attingit. Verum leviter uno hoc verbo admonitus debuit ultro ſe damnare, quod ſe & uxorem Deo non commendans, qui ſe utriuſque cuſtodem fore promiſerat, ſua incredulitate ad illicitum remedium delapſus eſſet. Hoc enim proprium habet fides, quod nos intra metas divinitus præſcriptas continet, ne quid tentemus niſi ex ejus mandato vel permiſſu. Unde ſequitur vacillaſſe fidem Iſaac, quum ab officio mariti deflexit. Colligimus præterea ex verbis Abimelech, ſenſum hunc gentium omnium animis infixum fuiſſe, ut ſancti conjugii violationem crimen eſſe ſcirent cæleſti vindicta digoum, ſibique à Dei judicio metuerent. Nam etſi craſſis nebulis obtenebratæ ſunt hominum mentes, ut ſubinde hallucinentur: Deus tamen aliquod juſti & injuſti diſcrimen manere voluit, ut ſuum quiſque reatum circumferat, ſintque omnes inexcuſabiles. Quod ſi incredulos quoque ad ſuum tribunal citat Deus, nec juſtam damnationem effugere patitur: quam horribilis pœna nos manet ſi notitiam quam Deus conſcientiis noſtris inſculpſit, malitia noſtra delere conamur?

11. *Et præcepit Abimelech.*] Quod capitalem pœnam denunciat ſi quis homini inquilino injuriam fecerit, ſingulari privilegio hoc fuiſſe edictum conjicere licet. neque enim cujuslibet injuriæ tam rigide vindicari ſolent. Unde porro hoc ſtudium regi, ut ſanctiorem habeat Iſaac omnibus indigenis, & eum fere ſibi æquiparet, niſi quod in eo reluceret quædam Dei majeſtas quæ talem ei reverentiam conciliat? Deus autem, ut ſervi ſui infirmitatem ſublevet, modis omnibus ad hunc favorem profani hominis inflectit animum. Nec dubium eſt quin regem etiam ejus verecundia impulerit ad eum tam ſollicite tuendum. Nam hominem trepidum eſſe videns, qui propriæ uxoris jactura vitam redimere paratus fuerat, eo propenſiore animo favet ejus periculis, quo tutus in ſua ditione ſecuruſque degat.

12. *Et ſevit Iſaac.*] Hic Moſes narrare pergit quomodo Iſaac manifeſtum fructum perceperit promiſſæ ſibi à Deo benedictionis. Dicit enim quum ſeminaſſet, proventum centuplo fuiſſe majorem: quæ rara eſt etiam in illis terris ubertas. Addit etiam fuiſſe divitem pecoris, habuiſſe amplum famulitium. Horum vero omnium laudem tribuit Dei benedictioni: ſicut etiam habetur in Pſalmo, Dominum ſuis dormientibus affatim ſuggerere quod illis ſufficiat. Quæritur tamen quomodo ferere potuerit Iſaac quem Deus tota vita peregrinari jubebat. Sunt qui putant agrum aliquem emiſſe, & ita vocem אחזה interpretantur Poſſeſſionem: ſed contextus eorum errorem coarguit: quia paulo poſt nulla venditio ſanctum virum morata eſt quominus vaſa alio transferret: deinde quum ejus vocationi, Deique mandato agrorum emptio contraria eſſet, hoc proculdubio tam notabile vitium non præteriiſſet Moſes. Adde quod dum ſtatim ſit expreſſa mentio tabernaculi, hinc colligimus, quocunque veniſſet, hoſpitis more precario habitaſſe. Ergo tenendum eſt, ſationem hanc in agris conductitiis eſſe factam. Quanquam enim pedem non habebat propriæ poſſeſſionis, ut tamen officium boni patrisfamilias præſtaret, familiæ ſuæ victum parare debuit: & forte ejus ſeduliratem ac induſtriam acuit fames, ut ſibi in poſterum diligentius proſpiceret. Memoria tamen repetere convenit quod nuper attigi, abundantiam quam ſuo labore adeptus eſt, Dei gratiæ ferri acceptam. *Pſal. 127. verſ. 2.*

14. *Et invederunt ei Peliſthim.*] Docemur hac hiſtoria benedictiones Dei quæ ad præſentis ac terrenæ vitæ uſum ſpectant, nunquam puras eſſe & liquidas, ſed permixtas aliquibus moleſtiis, ne ſocordiam ex quiete & deliciis contrahant. Quare diſcamus omnes non nimis cupide magnas opes appetere. Si qua inquietudine vexentur divites, ſciant ſe expergefieri à Domino, ne ſuis launtiis indormiant: pauperes hoc ſolatio fruantur, quod inopia ſuis etiam commodis non caret. Neque enim vulgare bonum eſt, extra invidiam, tumultus & rixas vivere. Si quis objiciat, hoc in gratia non eſſe imputandum, quod Deus Iſaac opibus amplificans, invidiæ, contentionibus, & multis turbis eum expoſuit: ſolutio in promptu eſt, moleſtias omnes quibus ſuos Deus exercet, non obſtare quominus quæcunque largitur beneficia, paterni ejus amoris guſtum retineant. Denique ſic temperat quem in hoc mundo favorem declarat filiis ſuis, ut acerbis interea punctionibus eos exſtimulet ad cæleſtis vitæ reſpectum. Cæterum non levis fuit iſta tentatio, quod elementum beſtiis etiam omnibus commune, ſancto Patriarchæ negatum eſt: quo æquius nos ferre decet mediocres injurias. Quod ſi quando indigne læſi effervescimus, ſubeat in memoriam, nondum ſaltem adeo immaniter nobiſcum agi ut cum ſancto Iſaac, qui de aqua certare coactus eſt. Adde quod non ſimpliciter ereptum illi fuit aquæ elementum, ſed obruti ſunt putei, quos ſibi & poſteris foderat Abraham. Extrema igitur fuit iſta crudelitas, hoſpitem non ſolum omni officio fraudare, ſed etiam eripere quod patris ſui labore quæſitum, ſine cujuſquam incommodo poſſidet.

16. *Dixit etiam Abimelech.*] Incertum eſt ſponte ne expulſus fuerit Iſaac à rege Gerar ex ſua ditione, an alio concedere juſſerit, quia videbat populatibus eſſe inviſum. Potuit enim hoc modo amice illi conſulere. Quanquam veriſimile eſt alienatum fuiſſe ejus animum ab Iſaac. nam ſub finem capitis referet Moſes, odioſe de ipſo quoque, ut de aliis, conqueſtum fuiſſe ſanctum hominem. Sed quia de ejus affectu nihil certo afferere poſſumus, tenere ſufficiat quod plus habet momenti: fieri communi hominum malitia, ut vulgo ſuſpecti ſint qui longe ſuper alios

eminent: ſatietas enim ferocitatem parit. Quare nihil magis proclive eſt quam ut ſuperbe ſe jactent divites, ſeque inſolentius quam par ſit efferant, & ſuæ potentiæ nervos intendant aliis opprimendis. Nulla quidem talis ſuſpicio cadere potuit in Iſaac: ſed communis vitii invidiam ſuſtinuit. Unde colligimus quanto utilior nobis ſæpe ſit & magis optabilis mediocris fortuna, quæ ſaltem quietior eſt, nec tam expoſita odiorum procellis, vel ſiniſtris ſuſpicionibus obnoxia. Cæterum quam rara & inſolita ſuerit Dei benedictio in augendo Iſaac, hinc colligitur, quod ejus opes tam regi quam populo formidabiles ſunt. Copioſæ quidem à patre hæreditas illi obvenerat: ſed Moſes oſtendit, ex quo terram illam ingreſſus eſt, ita brevi creviſſe ut incolis viſus fuerit minime tolerabilis.

18. *Et fodit puteos aquæ.*] Primum videmus ſanctum virum tam odioſum ſuiſſe vicinis, ut coactus fuerit ſibi receſſum quærere aquarum inopem. Nulla autem æque moleſta & ad vitæ uſum incommoda habitatio, quam quæ aquarum penuria laborat. Adde quod pecoris copia, & ſervorum amplitudo, inſtar parvi exercitus, aquetione opus habebat. quare videmus miris anguſtiis fuiſſe conſtrictum. Quod autem hæc ultima neceſſitas eum ad tentandam vindictam non inſtigat, ſingularis tolerantiæ ſignum eſt. Scimus enim ut ſæpe humanis & modeſtis hominibus patientiam extorqueant leviores injuriæ. Siquis vires defuiſſe objiciat: fateor quidem bello gerendo parem non fuiſſe: ſed quum pater Abraham quadringentos ſervos armaverit, ipſa quoque certe habuit ſervorum turmam, quæ vim à vicinis illatam facile repelleret. Cæterum ſpes quam ſequutus erat, quum in vallem Gerar concederet, iterum illi repente ebſcinditur. Sciebat patrem Abraham illic propriis puteis & à ſe repertis uſum eſſe. quanquam autem occluſi erant, ſatis tamen erat venas aquarum cognitas habere, ne fodiendo laborem fruſtra impenderet. Porro quod putei poſt Abrahæ diſceſſum obſtructi fuerant, hinc colligitur quam parum gratus fuerit hoſpes incolis. Quamvis enim puteis ipſorum regio melior reddita eſſet, hac tamen utilitate ſe privare malunt quam habere vicinum Abraham. neque enim commoditas ipſum invitet, obductis puteis viam illi quodammodo præcludunt. Mos veteribus fuit, ſi quem volebant extinctum & reſectum ab hominum ſocietate, interdicere aqua & igni: Philiſtini ut è ſua vicinia Abraham ſubmoveant, ei ſubtrahunt aquæ elementum. *Vocavit eos nominibus.* Nova puteis nomina non indidit; ſed quæ impoſita fuerant à patre ſuo Abraham in uſum reſtituit, ut hac memoria vetus poſſeſſio renovaretur. Sed ſuperveniens violentia mutare nomina ipſum cogit, ut ſaltem monumento aliquo teſtatam faciat, ac Philiſtinis exprobret quam fecerant injuriam. Nam quum puteum unum vocat Jurgium vel Rixam, alterum Hoſtilitatem, jure vel honeſto titulo poſſidere negat quod hoſtiliter vel prædonum more rapuerint. Interim reputare convenit, inter iſtas rixas non minus aſperum fuiſſe illi certamen cum ſiti & aquæ inopia, qua illum conficere tentabant Philiſtini. Sic enim texenda eſt hiſtoria. Primum ſuo more breviter perſtringit Moſes rei ſummam, quod ſcilicet Iſaac in animo habuerit puteos olim à patre inventos rurſus ſibi aptare, & quaſi poſtliminio repetere amiſſam poſſeſſionem. Deinde ſuſius exequitur, quum opus aggreſſus foret, ſuo labore inique fraudatum eſſe. Quod autem in tertio puteo gratias Deo agit, & Latitudines ideo appellat quod per Dei gratiam liberior aquæ copia nunc ſuppetat, ſpecimen eſt invictæ patientiæ. Ergo quamlibet duriter vexatus fuerit, quum tamen moleſtiis defunctus tam placide gratias agit Deo, & ejus bonitatem celebrat, ſe inter medias turbas compoſitum & ſedatum animum retinuiſſe oſtendit.

23. *Et aſcendit in Beer-ſchah.*] Sequitur uberior conſolatio, & ad recreandum ſancti viri animum plane efficax. Quod tranquillo puteo fruitur, inde jam agnoſcit propitium ſibi eſſe Deum. Sed quia apud fideles plus habet ponderis una vox Dei, quam bonorum omnium congeries: non dubium eſt quin lætius oraculum hoc exceperit Iſaac, quam ſi mille nectaris rivi fluiſſent. Et certe Moſes conſulto gratiam hanc, quod eum Dominus verbo ſuo erexit, magnifice commendat, quo diſcamus reliquis Dei beneficiis ita ſuum honorem tribuere, ut palmam ſemper obtineat paterni amoris teſtimonium, quod nobis verbo ſuo reddit. Victus, veſtitus, bona valetudo, pax, & alii proſperi ſucceſſus divinæ bonitatis guſtum nobis præbent: ſed quum familiariter nos alloquitur, ac diſerte pronunciat ſe eſſe patrem; illic vero eſt quod nos ad ſatietatem penitus reficiat. Quænam migrandi cauſa fuerit ut Iſaac aſcenderet Beer-ſeba in veteris patris hoſpitium, non explicat Moſes. fieri poteſt ut Philiſtini ſubinde eum laceſſere non deſierint: atque ita ſanctus vir implacabilis eorum malitiæ pertæſus, longius diſceſſerit. Temporis quidem circumſtantia probabile facit, mœſtum & anxium fuiſſe: ex quo appulit in locum illum, prima nocte Deus illi apparet. hic notatur aliqua temporis opportunitas. Porro quoties antehac retulit Moſes Deum apparuiſſe Abrahæ, ſimul docebat ſanctum virum vel gravibus curis torqueri, vel perplexum teneri in aliquo timore, vel demerſum eſſe in triſtitia, vel poſt multas ærumnas quaſi laſſitudine confectum: ut conſtaret tempeſtive, ſicuti poſcebat neceſſitas, manum à Deo illi porrectam, ne malis ſuccumberet. Ita nunc ad Iſaac venire interpretor, ut variis miſeriis defeſſum & ſemifractum inſtauret.

24. *Et viſus eſt ei Jehova.*] Viſio hæc (ſicut alibi diximus) præparatio fuit, ut Deum attentius audiret, ac certior fieret ſibi negotium eſſe cum Deo. ſola enim vox minus habuiſſet energiæ. Apparet ergo Deus ut fidem ac reverentiam verbo ſuo concilet. In ſumma, viſiones fuerunt divinæ præſentiæ quaſi ſymbola, ne dubitarent ſancti Patres Deum eſſe qui verba facturus erat. Siquis objiciat, non ſatis hoc firmum fuiſſe, quum ſimilibus præſtigiis ſæpe illudat Satan, ſitque velut Dei ſimia: tenendum memoria eſt quod alibi diximus, dilucidam & minime ambiguam notam Dei viſionibus fuiſſe inſculptam, unde eas à fallaciis certo diſcernerent fideles, ne fides eorum ſuſpenſa foret. Et certe quum Satan nonniſi in tenebris illudat, ab hoc periculo eximit Deus filios ſuos, vultus ſui ſplendore eorum oculos illuſtrans. Cæterum gloriam ſuam non in ſolidum patefecit Deus ſanctis Patribus, ſed formam induit ex qua eum pro captu ſui modulo agnoſcerent. nam ut immenſa eſt Dei majeſtas, neque humano ſenſu comprehendi poteſt, & ſua magnitudine totum mundum abſorbet. Adde quod ad Dei præſentiam neceſſe eſt homines pro ſua infirmitate non modo liqueſcere, ſed prorſus in nihilum redigi. Quare non ſignificat Moſes viſum fuiſſe Deum qualis & quantus in ſe eſt, ſed prout ejus conſpectum ferre poterat Iſaac. Cæterum quod diximus viſionem divinitatis teſtem fuiſſe, ut fides conſtaret oraculo, ex contextu melius patet. Neque enim mutum ſpectrum fuit: ſed mox ſequutus eſt ſermo, qui fidem adoptionis gratuitæ & ſalutis ſtabiliret in animo Iſaac. *Ego ſum Deus Abrahæ.* Hinc ſpectat præfatio, ut omnium promiſſionum quæ factæ ante fuerant, memoriam renovet, ac mentem Iſaac dirigat ad perpetuum fœdus, quod cum Abraham percuſſum, ad poſteros quaſi per manum transmitti debuit. Præfatur ergo Dominus ſe illum eſſe Deum qui ab initio Abrahæ loquutus eſt: ne hoc oraculum à prioribus ſeparet Iſaac. Quoties enim gratiæ ſuæ teſtimonium repetit apud fideles, novas quidem fulturas ſuppoſuit eorum fidei: ipſum

tamen in primo fœdere quo sibi eos adoptaverat, fundaram manere voluit. Atque hæc nobis ratio tenenda est, ut Dei promissiones, sicut individuo nexu cohærent, colligere discamus. Et principium illud semper occurrat, Deum tam benigne nobis promittere gratiam, quia gratis nos adoptavit. *Ne timeas.* Quoniam hæc verba alibi exposita sunt, nunc ero brevior. Primo notandum est, in hunc finem Deum alloqui fideles ut tranquillet eorum animos. Nam sublato ejus verbo, vel stupidos torpere, vel inquietudine torqueri necesse est. Unde sequitur, non aliunde prodire nobis pacem quam ex ore Domini, dum salutis nostræ præsidem se testatur. non quod tunc immunes simus ab omni metu: sed quia ad sedandas perturbationes satis efficax est fidei securitas. Postea Dominus amorem suum ab effectu demonstrat, quum se benedicturum Isaac promittit.

25. *Et ædificavit ibi.*] Ex aliis locis satis cognoscimus Mosen hic de solenni cultu loqui. Nam interior Dei invocatio neque altari indiget, nec peculiarem habet loci delectum. & certum est sanctos, ubicunque agerent, Deum coluisse. Sed quia pietas testimonium habere debet apud homines, Isaac erecto & consecrato altari profitetur se verum & unicum Deum colere: atque hoc modo à pollutis Gentium sacris se disjungit: nec sibi uni, sed toti familiæ altare erexit, ut illic cum suis omnibus sacrificia perageret. Porro quum ad externa fidei exercitia conditum fuerit altare, invocatio Dei tantundem valet acsi dixisset Moses, Isaac celebrasse Dei nomen, & de sua fide testatum esse. Habet etiam alterum usum visibilis iste Dei cultus, ut scilicet homines pro sua infirmitate ad timorem Dei se exstimulent & exerceant. Adhæc, quum sciamus tunc mandata fuisse sacrificia, tenendum est, Isaac non temere luisse in Deo colendo, sed fidei regulam servasse, ne quid nisi ex Dei verbo susciperet. Unde etiam colligimus quam præpostera sit & erratica Patrum imitatio, nisi Dominus simili mandato nos illis conjungat. Interea clare sonant verba Mosis, quæcunque fideles pietatis exercitia suscipiunt, ad hunc scopum esse destinanda, ut colatur & invocetur Deus. Huc igitur ritus omnes & ceremonias referri oportet. Cæterum quanquam sanctis Patribus ordinarium fuit, quocunque loco tabernacula figebant, altare extruere: colligimus tamen ex serie verborum, postquam Deus servo suo Isaac apparuit, hac de causa extructum fuisse ab eo altare, ut gratitudinis suæ signum daret. *Et foderunt ibi servi Isbac puteum.* Mirum est, quum loco jam impositum esset nomen à puteo, Isaac rursus aquam illic quærere, præsertim quum jus putei Abraham sibi & posteris à rege emisset. Adde quod difficilis & laboriosa fuit effossio. Neque enim frustra dicit Moses, veniſſe postea servos qui nunciarent inventam esse aquam. Ego itaque non dubito quin ubique inter illius regionis homines inita fuerit conspiratio: ut sanctum hominem aquarum inopia expellerent, ut hic quoque puteus Sebà fraude obstructus fuerit. Ostendit etiam contextus, priorem colendi Dei curam fuisse sancto Patriarchæ: quia postquam narravit Moses extructum fuisse altare, de puteo meminit. Jam operæpretium est notare cum quantis molestiis assidue luctati sint sancti illi Patres: quibus vincendis vel ferendis nunquam pares fuissent, nisi longe alieni à nostris lautitiis. Quam enim nobis acerba esset aquæ difficultas, qui sæpe Deo obstrepimus nisi suppetat vini copia? His ergo exemplis ad tolerantiam se assuefaciant fideles: & siquando alimenta & reliqua vitæ subsidia illos deficiunt, oculos convertant in Isaac, qui siticulosus in hæreditate sibi divinitus promissa erravit.

26. *Et Abimelech perrexit ad eum.*] Similem prorsus historiam habuimus capite 21. vers. 22. Ergo Dominus filium Isaac eodem favore prosequutus est quem Abrahæ ostenderat. Hæc enim benedictio est non vulgaris, quod Abimelech ejus amicitiam ultro appetit. Adde quod illi non parva cura & anxietas eximitur, quod vicini, qui tot modis eum infestaverant, nunc sibi ab eo timentes, amicum habere cupiunt. Ergo Dominus insigni honore affecit servum suum; & simul ejus tranquillitati consuluit. Certe arcano Dei instinctu adductum fuisse regem, minime dubium est. Cur enim, si metuit, non alio remedio sibi cavet? cur eo se demittit ut privato homini supplicet? cur saltem potius non accersit, vel mandat pro imperio quid facere ipsum velit? Sed animum ejus Deus perculerat, ut regalis superbiæ oblitus, pacem & fœdus ab homine nec cupido, nec bellicoso, nec magnis copiis instructo, peteret: Itaque hominum animos in Dei manu esse discamus, ut eos non modo ad mansuetudinem flectat qui prius ferocia turgebant, sed terrore humiliet, quotiescunque illi placet.

27. *Cur venistis ad me.*] Non modo de acceptis injuriis expostulat Isaac, sed denunciat in posterum se illis non posse fidem habere, quum expertus sit ipsos in se hostili esse animo. Atque hic locus docet, licere fidelibus de suis adversariis conqueri, ut eos à nocendi libidine, si possunt, revocent, ac prohibeant ipsorum vim, fraudes & injurias. Neque enim libertas patientiæ repugnat: neque hoc à suis requirit Deus, ut quicquid noxæ illatum fuerit, taciti devorent, sed tantum ut animos & manus contineant à vindicta. Quod si puri & compositi erunt animi, neque etiam virulentæ erunt linguæ, ut delicta exprobrent: sed hoc tantum habebunt propositum, ut improbos pudore compescant à malitia. Nam ubi nulla ex querelis spes est profectus, tacendo pacem alere præstat: nisi forte, ut qui sibi in maleficiis placent, reddantur inexcusabiles. Cavendum semper quidem est, ne ulciscendi cupidine ad exprobrandum linguæ prosiliant: & quemadmodum dicit Solomon, odium detegat rixas. *Prov. 10. vers. 12.*

28. *Vidimus Dominum tibi adesse.*] Hoc argumento probant se non insidiose, sed bona side fœdus petere, quia Dei favorem agnoscant erga Isaac. Purganda enim fuit illa suspicio, quod tam comiter se illi offerrent, cui prius sine causa in sensi fuerant. Continet tamen hæc eorum confessio valde utilem doctrinam. Profani homines dum benedictum Domini appellant cui recte & feliciter succedunt omnia, Deum testantur bonorum omnium esse auctorem, à quo solo fluat omnis prosperitas. Nimis itaque pudenda est nostra ingratitudo, si Dei benedictionem clausis oculis præterimus, ubi nobiscum benigne agit. Deinde profani homines ejus amicitiam sibi expetendam ducunt cui Dominus favet: ut certe nulla est melior nec sanctior commendatio quam ex Dei amore. Nimis ergo perverse cæcutiunt, qui non modo negligunt quos Deus sibi charos esse testatur, sed inique etiam vexant. Pronunciat Dominus se fore vindicem, siquis lædat quos sub præsidio suo habet: major pars hac tam horribili denunciatione non movetur, quin scelerate bonos & simplices affligat. Atqui videmus incredulis hoc dictatum fuisse à naturæ sensu, quod ore Dei testatum vix credimus. Sed mirum est cur sibi timeant ab homine innoxio: & juramentum exigant, nequid noxæ vel damni afferat. Debebant quidem ex Dei favore statuere probum esse virum, ideoque nihil instare ab eo periculi: quia tamen ex suo ingenio & moribus eum æstimant, probitati quoque diffidunt. Et talis perturbatio fere incredulos exagitat, ut secum ipsi diffideant, vel saltem inter repugnantes sententias alternent ac æstuent, nec quicquam habeant fixum & æquabile. Principia enim recti judicii quæ exurgunt in eorum animis, mox pravis affectibus suffocantur. ita fit ut evanescat quod probe conceptum est: vel saltem corruptum, non perveniat usque ad bonam frugem.

29. *Quemadmodum non tetigimus te.*] Mala conscien-

scientia eos urget, ut cupiant sibi devinctum & obstrictum habere: ideo jusjurandum postulant, ne noceat. Sciebant enim jure humano posse ulcisci quas perpessus erat molestias: hoc tamen dissimulant, imo mirifice jactant sua beneficia. Fuerat quidem initio non vulgaris regis humanitas: nec hospitaliter modo egerat cum Isaac, sed peculiari honore eum dignatus fuerat: verum ad extremum minime perstitit. Cæterum faciunt ex communi hominum more, quum sua delicta quocunque possunt artificio & colore fucant. Atqui si quid peccavimus, ingenue potius fateri culpam deceret, quam negando, eorum animos qui læsi sunt, magis vulnerare. Isaac tamen quia satis habet pupugisse eorum conscientias, non ulterius eos insequitur. Neque enim extranei nobis ita ut domestici tractandi sunt: sed si nihil proficitur, relinquendi sunt Dei judicio. Quanquam ergo justam ab illis confessionem non extorquet Isaac: ne quid tamen hostile intus alere putetur, ferire cum illis fœdus non recusat. Ita suo exemplo docet, si qui se à nobis alienarunt, non esse repellendos ubi se offerunt. Nam si pacem jubemur persequi, etiam quum videtur à nobis fugere, longe minus difficiles esse convenit dum se ultro inimici reconciliant: præsertim si qua in futurum correctio speratur, etiamsi nondum vera resipiscentia apparet. Et eos convivio excepit, non tantum redimendæ pacis causa, sed simul ut ostenderet se omni offensa deposita, illis esse amicum. *Tu nunc es benedictus Jehovæ.* Vulgo ita exponunt, quasi blanditiis eliciant gratiam, ut blandiri solent qui rogant: sed hoc magis fuisse additum arbitror diverso sensu. Conquestus fuerat Isaac de ipsorum injuriis, quod per invidiam expulsus foret: respondent, non esse cur aliquid doloris residuum maneat in ejus animo, quum tam benigne & pro voto à Domino tractetur: acsi dixissent, Quid tibi vis? annon contentus es præsenti fortuna? ut demus nos bonorum hospitum officio non fuisse functos, benedictio tamen Dei ad delendam temporis illius memoriam abunde sufficit. Forte tamen his verbis iterum confirmant se bona fide cum eo agere, quia sit in Dei tutela.

31. *Et juraverunt alter alteri.*] Jurare non dubitat Isaac, partim ut Philistinos magis pacatos habeat, partim ne sit illis suspectus. Atque hæc legitima est jurandi ratio, dum sese mutuo obligant homines ad pacem colendam. Sufficere quidem deberet simplex promissio: sed quia facit hominum vel simulatio vel inconstantia ut alii aliis diffidant, Dominus nomen suum commodat, ut hæc pactis nostris accedat sanctior confirmatio. nec tantum permittit, sed etiam mandat ut juremus quoties id necessitas exigit. Interim cavendum, ne ejus nomen temere jurando profanetur. *Deut. 6. vers. 13.*

32. *Et fuit in die ipsa.*] Hinc apparet (ut paulo ante dixi) non uno temporis momento repertas fuisse aquas. Si quæritur, unde ei jumentis & familiæ per illos dies aquatio: ego quidem non dubito quin vel pretio emerit, vel longe coactus fuerit petere, si quis humanior repertus est unde precario sumeret. Quod ad nomen spectat, falluntur, meo judicio, qui aliud esse putant quam prius impositum fuisse Abraham. nam quia vox Hebræa ambigua est, Abraham ad fœdus allusit quod cum rege Gerar pepigerat: nunc vero Isaac veterem memoriam repetens, fœdus à se percussum conjungit.

34. *Et erat Esau quadragenarius.*] Multis de causis refert Moses conjugia Esau. Quod enim se miscuit cum terræ incolis, à quibus divisum erat sanctum Abrahæ genus, & affinitates contraxit quæ illum implicitum tenerent, quoddam fuit abdicationis ejus præludium. Hoc etiam mirabili Dei consilio factum est, ut sancto Patriarchæ ejusque uxori graves & molestæ fuerint nurus, ne paulatim se applicarent ad reprobum illum populum. Si placuissent gentis mores, & nacti fuissent probas & morigeras puellas, forte ex eorum consensu inde Isaac quoque duxisset uxorem. Conjugiis autem inter se illigari fas non fuit, quos Deus volebat esse hostes perpetuos. Unde enim Abrahæ posteris terræ hæreditas, nisi ex eorum interitu, apud quos ad tempus peregrinabantur? Ergo inauspicatis istis conjugiis illecebras Deus præcidit, ut positum à se discidium maneret. Hinc vero constat quam paterne dilectus fuerit Esau ab Isaac. Nam etsi sanctus vir filii uxores jure habet odio, & in eas exacerbatus est ejus animus: illum tamen summa benevolentia prosequi non definit, ut postea videbimus. De polygamia alibi dictum est. Sic invaluerat corruptela hæc passim apud multos populos, ut mos, quamvis vitiosus, pro lege esset. Non mirum igitur si homo carni suæ addictus, suæ libidini duas uxores sumendo indulsit.

Caput XXVII.

1. Fuit autem quum senuisset Ishac, & caligassent oculi ejus ita ut non videret, vocavit Esau filium suum majorem, & dixit ad eum, Fili mi. Et dixit ad eum, Ecce adsum.

2. Et dixit, Ecce nunc senui: non novi diem quo moriar.

3. Nunc igitur cape quæso instrumenta tua, pharetram tuam, & arcum tuum, & egredere in agrum, & venare mihi venationem.

4. Et fac mihi cibos sapidos quemadmodum diligo, & affer mihi, & comedam: ut benedicat tibi anima mea antequam moriar.

5. Ribca autem audiebat dum loqueretur Ishac ad Esau filium suum: & perrexit Esau in agrum, ut venaretur venationem, ut afferret.

6. Tunc Ribca dixit ad Jahacob filium suum, dicendo, Ecce, audivi patrem tuum loquentem ad Esau fratrem tuum, dicendo,

7. Affer mihi venationem, & fac mihi cibos, & comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar.

8. Nunc igitur fili mi, obedi voci meæ in eo quod præcipio tibi.

9. Vade nunc ad pecudes, & cape mihi inde duos hædos caprarum bonos, & faciam ex eis escas sapidas patri tuo, quemadmodum diligit.

10. Et afferes patri tuo, & comedet, ut benedicat tibi antequam moriatur.

11. Et dixit Jahacob ad Ribcam matrem suam, Ecce Esau frater meus est vir pilosus, & ego vir lævis:

12. Si forte palpaverit me pater meus, ero in oculis ejus tanquam illusor: & venire faciam super me maledictionem, & non benedictionem.

13. Tunc

13. Tunc dixit ei mater ejus, Super me *ſit* maledictio tua, fili mi: veruntatem obedi voci meæ, & vade, cape mihi.

14. Profectus eſt itaque, & accepit, & attulit matri ſuæ: & fecit mater ejus cibos ſapidos, quemadmodum diligebat pater ejus.

15. Et accepit Ribca veſtes Eſau filii ſui majoris delectabiles, quæ *erant* apud ſe in domo, & induit Jahacob filium ſuum minorem.

16. Et pelles hœdorum caprarum circumdedit manibus ejus, & lævitati colli ejus:

17. Deditque cibos ſapidos & panem, quos paraverat, in manu Jahacob filii ſui.

18. Venit ergo ad patrem ſuum, & dixit, Pater mi. Ille autem reſpondit, Ecce adſum: quis es fili mi?

19. Et dixit Jahacob ad patrem ſuum, Ego ſum Eſau primogenitus tuus, feci quemadmodum loquutus es ad me: ſurge nunc, ſede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.

20. Et dixit Ishac ad filium ſuum, Quid hoc *quod* feſtinaſti ad inveniendum fili mi? Cui reſpondit, Quia occurrere fecit Jehova Deus tuus coram me.

21. Tunc dixit Ishac ad Jahacob, Appropinqua nunc, & palpabo te fili mi, utrum ſis ipſe filius meus Eſau, an non.

22. Et appropinquavit Jahacob Ishac patri ſuo: qui palpavit eum, & dixit, Vox, vox Jahacob eſt: at manus, manus Eſau.

23. Et non agnovit eum: quia erant manus ejus ſicut manus Eſau fratris ſui piloſæ: & benedixit ei.

24. Et dixit, Tu es ipſe filius meus Eſau? Reſpondit, Sum.

25. Tunc dixit, Admove mihi, & comedam de venatione filii mei, ut benedicat tibi anima mea. Et admovit ei, & comedit: attulitque ei vinum, & bibit.

26. Et dixit ad eum Ishac pater ejus, Appropinqua nunc, & oſculare me, fili mi.

27. Et appropinquavit, & oſculatus eſt eum: & odoratus eſt odorem veſtimentorum ejus: & benedixit ei, & dixit, Vide odorem filii mei ſicut odorem agri cui benedixit Jehova.

28. Et det tibi Deus de rore cæli, & *de* pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti & muſti novi.

29. Serviant tibi populi, & incurvent ſe tibi populi: eſto dominus fratribus tuis, & incurvent ſe tibi filii matris tuæ: maledicentes tibi, maledicti erunt: & benedicentes tibi, benedicti.

30. Et fuit, quando complevit Ishac benedicere Jahacob: fuit, inquam, tantum egrediendo egreſſus erat Jahacob à facie Ishac patris ſui, tunc Eſau frater ejus venit à venatione ſua.

31. Et fecit etiam ipſe cibos ſapidos, & attulit patri ſuo: dixitque patri ſuo, Surgat pater meus, & comedat de venatione filii ſui, ut benedicat mihi anima tua.

32. Et dixit ei Ishac pater ejus, Quis es? Ille reſpondit, Ego ſum filius tuus, primogenitus tuus Eſau.

33. Et expavit Ishac pavore magno vehementiſſime, & dixit, Quis *eſt*, & ubi eſt qui venatus eſt venationem, & attulit mihi, & comedi ex omnibus antequam venires, & benedixi ei? etiam benedictus erit.

34. Quum audiſſet Eſau verba patris ſui, clamavit clamore magno, & amaro valde valde, dixitque patri ſuo, Benedic mihi: etiam ego *filius tuus ſum* pater mi.

35. Et dixit, Venit frater tuus doloſe, & accepit benedictionem tuam.

36. Dixit ergo, Vere vocatum eſt nomen ejus Jahacob, quia ſupplantavit me jam duabus vicibus: primogenituram meam accepit, & ecce nunc accepit benedictionem meam. Et dixit, Annon reſervaſti mihi *apud* te benedictionem?

37. Et reſpondit Ishac, & dixit ad Eſau, Ecce dominum poſui eum tibi, & omnes fratres ejus dedi ei in ſervos, frumentumque & vinum addixi ei: & tibi nunc quid faciam fili mi?

38. Tunc dixit Eſau ad patrem ſuum, Numquid benedictio una eſt tibi pater mi? benedic mihi, & etiam ego *filius tuus*, pater mi. & elevavit Eſau vocem ſuam, & flevit.

39. Tunc reſpondit Ishac pater ejus, & dixit ad eum, Ecce, de pinguedinibus terræ erit habitatio tua, & de rore cæli deſuper.

40. Et in gladio tuo vives, & fratri tuo ſervies: & erit, quando dominaberis, franges jugum ejus à collo tuo.

41. Itaque odio habuit Eſau Jahacob propter benedictionem qua benedixerat ei pater ejus: & cogitavit Eſau in corde ſuo, Appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Jahacob frarrem meum.

42. Et nunciata ſunt Ribcæ verba Eſau filii ſui majoris: & miſit, & vocavit Jahacob filium ſuum minorem, & dixit ad eum, Ecce Eſau frater tuus conſolatur ſe ſuper te, ut occidat te.

43. Et

43. Et nunc fili mi obedi voci meæ, & ſurge, & fuge ad Laban fratrem meum in Charan:

44. Et habita cum eo dies aliquot, donec avertatur furor fratris tui à te.

45. Donec avertatur ira fratris tui à te, & obliviſcatur eorum quæ feciſti ei: & mittam, & accipiam te inde. utquid orbabor etiam ambobus vobis die una?

46. Et dixit Ribca ad Iſhac, Anguſtiis affecta ſum in vita mea propter filias Heth: ſi acceperit Jahacob uxorem de filiabus Heth ſicut iſtas de filiabus terræ, utquid eſt mihi vita?

1. *Et fuit quum ſenuiſſet Iſhac.*] In hoc capite hiſtoriam cui non magna videtur ſubeſſe utilitas, multis verbis proſequitur Moſes. Hæc ſumma eſt, Quum patris juſſu egreſſus domo eſſet Eſau ad veoandum, Jacob ſub ejus habitu, matris aſtu furtim inductum fuiſſe ut benedictionem jure naturæ primogenito debitam ſubriperet. Puerilis etiam luſus videtur eſſe quod pro carne ferina patri hœdum porrigit: quod exuviis indutus ſe hirſutum eſſe ſimulat: quod ſub fratris nomine benedictionem mendacio elicit. Atqui ut ſciamus Moſen non fruſtra, ut in re maxime ſeria, inſiſtere: primo notandum eſt, quod benedictus fuit Jacob à patre, hoc ſymbolo confirmatum fuiſſe oraculum quo Dominus eum fratri prætulerat. Benedictio enim de qua hic agitur, non vulgaris fuit precatio, ſed legitima auctoritas divinitus interpoſita, quæ teſtatam faceret electionis gratiam. Promiſerat Deus ſanctis Patribus ſe illorum ſemini perpetuo fore Deum. Illi, ut poſteris certa eſſet ſucceſſio, morituri eos in poſſeſſionem mittebant, quaſi acceptam à Deo gratiam de manu in manum traderent. Sic Abraham benedicendo filium Iſaac, eum ſolenni ritu ſpiritualis vitæ hæredem conſtituit. Eodem nunc conſilio Iſaac, quia ſenio confectus, paulo poſt è vita ſibi migrandum eſſe cogitat, vult primogenito filio benedicere, ut in ſua familia reſideat æternum Dei fœdus. Nec vero hoc vel temere vel privato nomine ſibi Patriarchæ ſumpſerunt: ſed publici fuerunt ac divinitus ordinati teſtes. Huc pertinet illud Apoſtoli ad Hebr. cap. 7. v. 7. qui minor eſt à potiore benedici. Solebant enim jam tunc fideles mutuo charitatis officio alii aliis benedicere: ſed Patriarchis Dominus peculiare hoc munus injunxit, ut fœdus quod cum illis pepigerat, & quod toto vitæ curſu ſervabant, quaſi depoſitum ad poſteros transmitterent. Idem poſtea mandatum ſacerdotibus datum fuit, ſicuti conſtat ex Num. cap. 6. v. 24. & aliis ſimilibus locis. Ergo Iſaac filium benedicendo, aliam quam patris & privati hominis ſuſtinuit perſonam: Dei enim Propheta & interpres fuit, qui ejuſdem quam acceperat, gratiæ filium hæredem nuncuparet. Unde apparet quod jam dixi, Moſen in hac re tractanda non abs re tam prolixum eſſe. Singulas vero circumſtantias ſuis locis expendemus: quarum hæc prima eſt, quod Deus benedictionem Eſau ad Jacob errore patris tranſtulit. ideo dicit Moſes hebetes fuiſſe ejus oculos. Obtuſo etiam viſu fuit Jacob, quum nepotes ſuos Ephraim & Manaſſe benediceret: ſed non obtigit caligo illa quin manus ſuas transverſas prudenter dirigeret. Deus autem paſſus eſt Iſaac decipi, ut oſtenderet non hominum arbitrio Jacob, præter naturæ ordinem, ad jus & honorem primogenituræ extolli.

2. *Ecce, nunc ſenui: non novi diem quo moriar.*] Minime dubium eſt quin Iſaac quotidie filiis ſuis bona precatus ſit tota vita. conſtat ergo extraordinarium fuiſſe hoc benedictionis genus. Porro quod dicit ſe neſcire diem mortis, tantundem valet acſi diciſſet, mortem ſibi decrepito & caduco ſingulis momentis inſtare, ut nihil temporis ſibi promittere auderet. Quemadmodum ſi mulier gravida dicat, quom maturum advenit patiendi tempus, ſibi nullum eſſe jam certum diem. Feruot quidem ſinguli in medio ætatis vigore ſecum mille mortes: imo fœtus adhuc in matrum utero incluſos mors ſibi vindicat, & per ſingulos ætatum gradus comitatur. ſed quo propius ſenes urget, ita eam ſibi aſſidue ante oculos ponere debent: nec ſecus in mundo peregrinari quam ſi alterum jam pedem in ſepulchro haberent. In ſumma, Iſaac morti vicinus vult in filii ſui perſona ſuperſtitem Dei Eccleſiam relinquere.

4. *Ut benedicat tibi anima mea.*] Mire implicita fuit ſancti viri fides: cum ſtulto tamen & inconſiderato carnis affectu, generale in ejus animo fidei principium viget, quum filium benedicens, jus hæreditatis ſibi divinitus promiſſæ duce Spiritu ſancto conſignat. Interim cæcus rapitur in amorem primogeniti filii: ut eum alteri præferat, atque ita cum oraculo Dei luctetur. Neque enim eum latere potuit quid pronunciaſſet Deus antequam naſcerentur. Si quis eum excuſet, quod nullo Dei præcepto juſſus fuerit minorem præferre, atque ita conſuetum mutare naturæ ordinem, facile hoc refellitur; quia quum ſciret repudiatum eſſe primogenitum, in eo amando nimis pertinax fuerit. Deinde quod ab uxore certior factus cæleſtis reſponſi, de ſuo officio inquirere neglexit, minime excuſabilis fuit ejus ignavia. Neque enim ſuæ vocationis prorſus erat neſcius: perverſus ergo filii amor, quædam fuit cæcitatis ſpecies, quæ illi magis obſtitit quam externa oculorum caligo. Hoc tamen vitium, quamvis reprehenſione dignum ſit, benedicendi jure non privavit ſanctum virum, quin & illi ſalva auctoritas maneret, & vis atque efficacia ejus teſtimonio integra conſtaret, perinde acſi loquutus è cælo foret Deus ipſe. qua de re iterum paulo poſt aliquid attingam.

5. *Et Ribca audiebat.*] Nunc fuſius exponit Moſes quo artificio ad benedictionem pervenerit Jacob. Frivolum ſane hoc videtur, quod ſenex mulierbri aſtutia deceptus, per inſcitiam & errorem effutiverit quod nolebat. Et certe vitio non caruit Rebeccæ dolus: quamvis maritum ſano conſilio regere non poſſet, non tamen hæc legitima fuit agendi ratio, ut eum circumveniret tali fallacia. Jam quum per ſe damnabile ſit mendacium, in eo gravius peccavit, quod talibus præſtigiis in re ſacra ludere auſa eſt. Sciebat immutabile eſſe decretum quo electus & adoptatus fuerat Jacob. cur non igitur patienter expectat dum reipſa confirmet Deus, ratumque eſſe oſtendat quod ſemel è cælo pronunciavit? Ergo cæleſte oraculum ſuo mendacio obſcurans, quantum in ſe eſt, promiſſam filio gratiam abolet. Jam ſi reputemus unde illi tantus ſatagendi fervor, ex adverſa parte ſe proferet eximia ejus fides. Nam quod maritum in ſe provocare, hoſtile inter fratres odium accendere, dilectum filium Jacob objicere præſenti mortis periculo, totamque domum turbare non dubitat, hoc certe non aliunde quam ex fide manavit. Animo ejus penitus infixa erat hæreditas à Deo promiſſa: eam ſciebat filio Jacob decretam eſſe. Ergo in fœdus Dei recumbens, & memor accepti oraculi, mundum obliviſcitur. Itaque videmus non recto nec moderato zelo permixtam fuiſſe ejus fidem. Quod diligenter notandum eſt, ut ſciamus non ſemper puram & liquidam notitiam lucere in animis piorum, ut in ſingulis actionibus à Spiritu ſancto regantur: ſed exiguam lucem quæ viam illis monſtrat, variis ignorantiæ & errorum nebulis eſſe implicitam: ut rectum curſum tenentes, & in ſcopum intenti, ſubinde

inde tamen labantur. Denique tam in Iſaac quam in uxore primatum obtinuit generalis fides. Uterque vero particulari ignorantia & aliis vitiis, vel à via paululum deflexit, vel certe impegit in ipſa via. Quod autem nihilominus firma ſtetit Dei electio, imo quod per muliebrem fallaciam conſilium ſuum exequitur, hoc modo gratuitæ ſuæ bonitati totam benedictionis laudem vendicat.

11. *Et dixit Jahacob ad Rebcam.*] Quod Jacob non ſponte ſe patri offert, quin potius metuit ne deprehenſa impoſtura maledictionem reportet, fidei valde contrarium eſt. Nam quum docet Apoſtolus peccatum eſſe quicquid ex fide non eſt, ad hanc ſobrietatem inſtituit filios Dei, ne quid dubia & perplexa conſcientia aggredi ſibi permittant. Hæc certitudo unica eſt bene agendi regula, quum Dei mandato freti, intrepide pergimus quocunque ipſe vocat. Jacob ergo ſecum diſceptans, ſe fide deſtitui oſtendit: & certe quanquam ea non prorſus vacuus erat, hac tamen in parte coarguitur ejus defectus. Verum hoc exemplo rurſus docemur particulari vitio non ſemper extingui fidem. nec tamen ſi Deus interdum ſervis ſuis hucuſque indulget, ut in eorum ſalutem vertat quod perperam ab illis agitur, ideò à nobis ſumenda eſt peccandi licentia. Mirabili Dei miſericordia factum eſt ut non exciderit Jacob à gratia adoptionis. Quis non ſibi potius metuat quam audaciorreddatur? Quum autem dubitatione obtenebratam videmus fuiſſe ejus fidem, diſcamus à Domino petere Spiritum prudentiæ, qui greſſus omnes noſtros gubernet. Acceſſit alterum non leve erratum: cur enim non potius Deum reveretur quam patris iram formidat? cur non illi in mentem venit, turpem ſanctæ Dei adoptioni maculam aſpergi, dum redempta mendacio videtur? Nam quamvis in rectum finem ſpectaret, obliquo tamen iſto cuniculo irrepere non licuit. Interea non dubium eſt quin fides inter iſta impedimenta excelluerit. Quid enim fuit cauſæ cur nuda & in ſpeciem inania patris vota quieti ſuæ qua tunc poticbatur, domeſticis commodis, propriæ denique vitæ præferret? Secundum carnem res imaginaria erat patris benedictio, cujus tam cupidus fuit, ut ſciens & volens ſe projiceret in magna diſcrimina. Quorſum hoc, niſi quia ſimplici Dei verbo fidem adhibens, ſpem abſcooditam pluris fecit quam optabilem ſtatum quo fruebatur? Adde quod iræ paternæ metus ex vero Dei timore oriebatur. Vereri ſe dicit ne ſibi maledictionem accerſat. Atqui non tantopere à verbali increpatione ſibi timeret, niſi pluris faceret depoſitam in manu patris gratiam quam mille vitas. Dei ergo intuitu patrem, qui illius miniſter erat, timuit. Nam quum Dominus videat nos in terra reptare, per hominum manus nos ad ſe deducit.

Rom. 14. verſ. 16.

13. *Super me ſit maledictio tua, fili mi.*] Rurſum hic peccat Rebecca, quod ita præcipiti zelo ardet, ut non expendat, Deo improbari quod male tentatum perſequitur. Secure maledictionis veam ſe facit. Unde autem tam ſupina confidentia? nullo enim Dei mandato inſtructa, conſilium ex ſuo capite ceperat. Nemo tamen zelum hunc, quamvis præpoſterum, tam ex pietate quam ex ſpeciali verbi Dei reverentia profectum eſſe negabit. Nam quum oraculo admonita eſſet potiorem coram Deo eſſe Jacob, arcanæ ejus electioni poſthabuit quicquid viſibile erat in mundo, & quod naturæ ſenſus dictabat. Ergo hoc exemplo docemur, ut modeſte quiſque & ſollicite ambulet in menſura ſuæ vocationis, nec ultra progredi audeat quam Dominus verbo ſuo permittit.

14. *Et perrexit, & accepit.*] Quanquam veriſimile eſt, non ſola matris auctoritate commotum fuiſſe Jacob, ut illi morem gereret, ſed rationibus quoque fuiſſe perſuaſum: peccavit tamen, vocationis ſuæ metas tranſiliens. Quum noxam in ſe ſuſcipe-

ret Rebecca, docuit proculdubio nemini fieri injuriam: quia jus alienum Jacob non ſubriperet, ſed benedictionem peteret cæleſti oraculo ſibi decretam. Fraudis etiam honeſta fuit & probabilis excuſatio, quod Iſaac, niſi deceptus foret, ad labefactandam Dei electionem jam accinctus erat. Ergo Jacob non ſimpliciter ab eo quod rectum eſt deflectit in matris obſequium, ſed potius Dei verbo obtemperat. Interim vitio (ut dixi) non caret particularis error; quis talibus fallaciis adjuvanda non fuit Dei veritas. Paterna quidem benedictio divinæ gratiæ ſignaculum erat. fateor: ſed expectare potius debuit dum è cælo Deus remedium afferret, mutans animum patris Iſaac, & linguam ejus gubernans, quam illicitum aliquid tentare. Nam ſi Balaam qui linguam venalem proſtituerat, cobibitus à Spiritu fuit, ut præter animi ſui ſenſum benediceret electo populo, quem exitio devovere optabat: quanto potentius idem Spiritus linguam ſancti Iſaac flexiſſet, qui mercenarius non erat Propheta, ſed Deo fideliter obſequi cupiens, tantum errore in contrariam partem rapiebatur? Quanquam ergo in ſumma rei, fides præluxit ſancto Jacob, hac tamen in parte temeritatis culpam ſuſtinet, quod Dei providentiæ diffidens, ad benedictionem patris occupandam fraude obrepſit.

Num. 22. verſ. 12.

19. *Ego ſum Eſau.*] Prius timidus & anxius erat Jacob: nunc depoſito metu audacter & ſecure mentitur. Quo exemplo docemur, ubi quis ſemel legitimos officii fines tranſgreſſus eſt, nullum eſſe licentiæ modum. Quare nihil melius quam ut ſe quiſque contineat intra cancellos ſibi divinitus præſcriptos, nec plus tentando quam fas eſt, januam Satanæ aperiat. Quod benedictionem fraude petit, ſeque mendaciter inſinuat, prius admonui quatenus id cum fide pugnet. Neque enim obſtitit hoc particulare vitium & deflexio à recta via, quin tamen fides ex oraculo ſemel concepta curſum utcunque teneret. Quod reditus celeritatem excuſans, feram ſibi à Deo oblatam dicit, appoſite ad regulam pietatis loquitur: peccat nihilominus quod ſacrum Dei nomen ſuis mendaciis permiſcet. Ita, ubi à veritate diſceſſum eſt, quæ Deo in ſpeciem defertur reverentia, nihil aliud eſt quam gloriæ ejus profanatio. Quod proſperum ſucceſſum habuerit venatio, Dei providentiæ tribui æquum eſt, ne quod imaginemur fortuitum bonum: ſed quum ejus boni quod ſibi non contigit, falſo Deum eſſe auctorem obtendit Jacob, idque ad captionem ſuam tegendam, perjurii culpa non caret.

21. *Appropinqua nunc, & palpabo.*] Hinc apparet ſuſpectum fuiſſe fraudem pio viro, ideoque vacillaſſe. Quare videtur irrita benedictio, quæ nullam fidei fulturam habet. Sed ita placuit Deo peragere opus ſuum per manum Iſaac, ut ipſum tamen miniſtrum, conſilii ſui participem non faceret. Nec abſurdum eſt quod inſtar cæci, neſciens, in alium quam putabat benedictionem tranſtulit. Et quiddam ſimile habet ordinaria Paſtorum functio. nam quum Deo homines ex ejus mandato reconcilient, non diſcernunt tamen ad quos perveniat reconciliatio: ita ſemen projiciunt, incerti de fructu. Quare Deus quod illis injungit munus & poteſtatem, minime ad eorum judicium aſtringit. In hunc modum non abolet ignorantia Iſaac cæleſte oraculum: ac Deus ipſe, quamvis deficiant miniſtri ſenſus, implere non deſinit quod ſtatuerat. Atque hic ſatis clare refellitur Papiſtarum figmentum, quod in Sacramento tota vis ab intentione hominis confectionis pendeat: quaſi vero in arbitrio hominis ſit Deum fruſtrari. Cæterum memoria tenendum eſt quod jam aliquoties dixi, quamvis hallucinetur Iſaac in filii perſona, non tamen fruſtra benedicere: quia univerſalis fides in animo ejus reſidet, eumque ex parte gubernat. Quod ex tactu judicium facit, voce poſthabita, fidei naturæ conſentaneum non eſt. Itaque

quod

quod ad perſonam, plane in ejus mente dominatus eſt error. Neque tamen id ſecura negligentia factum eſt: quia ſedulo, imo anxie in omnes partes ſe vertit, ne primogenitum jure ſuo privet. Sed Domino placuit ita hebetare ejus ſenſus, partim ut oſtenderet fruſtra obniti homines ad mutandum quod ſemel decrevit (quia fieri non poteſt quin ſtabile ratumque maneat ejus conſilium vel toto mundo repugnante) partim etiam ut præpoſterum amorem, quo nimis primogenito ſuo affixus erat Iſaac, corriperet hoc caſtigationis genere. Unde enim tam curioſa, inquiſitio, niſi quod immodicus amor Eſau animum ejus prorſus occupaſſet, ab oraculo ipſum avertit? Quia ergo naturæ plus quam par ſit indulget, dignus eſt qui utroque modo cæcutiat. Quo magis cavendum eſt ne in gerendis Dei negotiis frenum humanis noſtris affectibus laxemus.

26. *Appropinqua nunc, & oſculare me.*] Scimus oſculum tunc fuiſſe in uſu, quem hodie quoque multæ gentes retinent. Cæterum profani homines dicerent merum eſſe ludicrum, quod ſenex obtuſo jam ingenio, deinde fatur ac bene potus, vota ſua in comicam perſonam effundit. Sed quia prius Moſes retulit Dei oraculum, quo deſtinata erat minori adoptio, reverenter arcanam Dei providentiam ſuſpicere convenit, cujus nullus eſt reſpectus apud profanos homines. Nec vero cibi & potus illecebris ita captus fuit Iſaac quin ſobria mente reputaret quid ſibi mandatum eſſet divinitus, ac ſerio ex certa ſuæ vocationis fide hoc ipſum aggreſſus ſit, in quo pro carnis ſuæ infirmitate vacillat ac claudicat. Ideo non ab externa ſpecie, ſed ex cæleſti decreto æſtimanda nobis benedictio eſt: ſicuti deinde ex ſucceſſu patuit, neque Deum fruſtra luſiſſe, neque hoc ab hominibus temere profectum. Et ſane ſi eadem nobis adhit religio quæ in corde ſancti Patriarchæ viguit, nihil impediet quominus in hominis infirmitate nobis clarior refulgeat Dei virtus.

27. *Vide odorem filii mei.*] Non diſplicet allegoria quam inducit Ambroſius huic loco. Jacob natu minor ſub perſona fratris primogeniti benedicitur: veſtes, quas à fratre mutuatus eſt, gratum fuavemque patri odorem ſpirant. Ad eum modum nos benedici Ambroſius docet, ubi ſub Chriſti nomine in conſpectum Patris cæleſtis prodimus: veſtem juſtitiæ, quæ nobis odore ſuo favorem conciliet, ab eo ſumimus: deinde ubi ſubſtituimur in ejus locum. Videtur autem Iſaac hic nihil optare filio & vovere niſi terreſtrium. Hæc enim verborum ſumma eſt, ut bene illi ſit in mundo, uberem terræ proventum colligat, fruatur læta pace, & honore inter alios emineat. Cæleſtis regni nulla mentio. Atque hinc factum eſt ut indocti homines, minuſque in vera pietate exercitati, ſanctos illos Patres fingerent non niſi hujus caducæ & fluidæ vitæ intuitu, benedictos fuiſſe à Domino: verum longe aliter eſſe, ex pluribus locis conſtat. Quod autem in terrenis Dei gratiis hic ſubſiſtit Iſaac, facilis eſt ſolutio. Neque enim Dominus ſicuti nos hodie recta ad cælum vocat & extollit, ita olim Patribus eandem ſpem futuræ hæreditatis ſimpliciter poſuit ante oculos, ſed quaſi obliquo circuitu eos deduxit. Sic terram Chanaan cæleſtis hæreditatis ſpeculum & pignus illis eſſe voluit. In omnibus beneficiis ſymbola exhibuit favoris paterni: non quidem ut contenti bonis præſentibus cælum negligerent, umbram taqtum inanem ſectantes, ut quidam delirant: ſed ut pro temporis ratione tallibus adminiculis adjuti, paulatim in cælum aſſurgerent. Quia enim nondum patefactus erat Chriſtus, primitiæ reſurgentium, & æternæ ac incorruptibilis vitæ hypoſtaſis: ſpirituale ejus regnum ſic ſub figuris tantum adumbratum fuit, donec veniret plena temporis maturitas. Sicut autem omnes Dei promiſſiones externis illis ſymbolis implicitæ erant, & quaſi veſtitæ: ita ſanctorum Patrum fides eandem tenuit menſuram, ut per terrena rudimenta ſuos progreſſus in ſublime faceret. Quanquam ergo temporales Dei gratias in medium proponit Iſaac, nihil tamen minus in animo habet quam ſpem filii includere in mundo: quin potius in eandem altitudinem ad quam intentus erat, eum attollit. Cujus rei nonnulla etiam ex verbis probatio elici poteſt, hoc enim eſt præcipuum caput, quod dominium illi in populos aſſignat. Unde autem ſpes tantæ dignitatis, niſi quia genus ſuum electum eſſe à Domino perſuaſus erat: & quidem hac lege, ut jus regni penes unum conſiſteret? Interim illud principium tenere ſufficiat, ſanctum virum, ubi proſperum vitæ curſum filio precatur, Deum illi propitium optare, in cujus paterno favore ſolida & æterna felicitas nobis conſtat.

29. *Maledicentes tibi.*] Memoria tenendum eſt quod prius diximus, non eſſe hæc nuda vota, qualiter ſolent patres bene precari filiis ſuis: ſed promiſſiones Dei ſimul eſſe incluſas. Nam Iſaac legitimus eſt Dei interpres, ac Spiritus ſancti organum: ideoque efficaciter, tanquam ex Dei perſona, maledictos fore pronunciat quicunque filii ſalutem oppugnaverint. Itaque hæc promiſſionis ſanctio eſt, qua Deus fideles in præſidium ſuum recipiens, futurum ſe hoſtem denunciat eorum hoſtibus. Huc ſpectat tota benedictionis ſumma, ut Deus ſervo ſuo Jacob beneficum ſe in omnibus patrem exhibeat, ut illum principem conſtituat & caput ſancti & electi populi, ut eum tueatur ſua virtute ac propugnet, ſalutemque ejus cuſtodiat contra omne genus hoſtium.

30. *Tantum egrediendo egreſſus erat.*] Hic additur quomodo repulſam paſſus fuerit Eſau: quæ circumſtantia ad ſanciendam benedictionem Jacob non parum valuit. Niſi enim repudiatus eſſet Eſau, videri poterat honore nondum privatus quem illi natura dabat. Nunc vero declarat Iſaac, fieri non poſſe quin ratum ſit quod geſſit ex Patriarchæ officio. Hic vero rurſus apparet, gratuiti hoc doni fuiſſe, quod Jacob fratre præterito primogenituram obtinet. Nam ſi utriuſque opera inter ſe conferas, Eſau patri obſequitur, fructum venationis ſuæ affert, ex præda labore ſuo parta cibum patri ſuo coquit, nihil niſi vere affirmat: denique nihil in eo reperies non laude dignum. Jacob domo non egreſſus, hœdum pro ferina carne ſupponit; mendaciis ſe pluribus inſinuat, nihil affert quod eum jure commendet, multis autem in rebus reprehenſionem meretur. Fateri ergo neceſſe eſt cauſam eventus non pendere ex operibus, ſed latere in æterno Dei conſilio. Neque tamen injuria reprobatur Eſau, quia ſuſcipere recto animo nihil poſſunt qui non reguntur Dei Spiritu: tantum illud fixum maneat, quam æqualis ſit omnium conditio, ſi quis alteri præfertur, non proprio merito excellere, ſed quia eum Dominus gratuito elegit.

33. *Et expavit Iſaac.*] Hic jam rurſus emicat fides quæ in corde ſancti viri ſuffocata fuerat, novaſque ſcintillas profert. Nec enim dubium eſt quin timor hic oriatur ex fide. Adde quod non vulgaris à Moſe deſcribitur, ſed qui ſanctum virum prorſus attonitum reddit. Nam quum ſibi probe conſcius ſit ſuæ vocationis, ac ideo perſuaſus ſit injunctas ſibi eſſe divinitus partes nuncupandi hæredis, apud quem fœdus vitæ æternæ deponat: cognito ſuo errore expaveſcit, quod in re tanta & tam ſeria paſſus ſit Deus ipſum errare. Niſi enim reputaſſet Deum fuiſſe hujus actionis præſidem, quid obſtabat quominus ignorantiam prætexeret, atque etiam excandeſceret in Jacob, qui fraude & malis artibus obrepſerat? Verum erroris ſui pudore confuſus, ſimul tamen collecto animo ratam eſſe benedictionem agnoſcit quam protulerat: nec vero dubito quin tunc expergefactus in memoriam revocare cœperit oraculum, cui minus attentus fuerat. Quare ſanctum virum non impulit ambitio ut ſui propoſiti adeo te-

nax esset: ut præfracti homines solent, quod semel, licet stulte, aggressi sunt, ad extremum usque persequi; sed raræ & eximiæ fidei vox ista fuit, Quem benedixi, ille erit benedictus. nam carnis affectui renuncians, Deo jam se totum addicit: & illum benedictionis à se prolatæ auctorem agnoscens, debitam illi gloriam tribuit, ut retractare non audeat. Atque hujus doctrinæ utilitas ad totam Ecclesiam pertinet, ut certo sciamus efficax & stabile fore quicquid Dei mandato nobis promittunt Euangelii præcones: quia non loquuntur ut privati homines, sed tanquam ex Dei ipsius mandato. Neque enim obstat ministri infirmitas quin Dei verbo constet sua fides, vis & effectus. Communibus miseriis & morti obnoxius est qui æternæ felicitatis & vitæ sponsorem se offert: atqui nihilominus efficax est promissio. Peccator est qui nos à peccatis absolvit: at quia munus illi divinitus injunctum est, bujus gratiæ stabilitas in Deo fundata nunquam labascet.

34. *Clamavit clamore magno.*] Tametsi in petenda benedictione perstitit Esau, simul tamen desperationis signum edit: quo fit ut nihil proficiat: quia per fidei januam non ingreditur. Fletus quidem magnosque clamores vera quoque pietas exprimit Dei filiis, sed trepidans Esau, plenusque formidine ejulat: postea fortuito in aerem votum illud emittit, ut ipse quoque benedictionem percipiat. Quibus verbis coarguitur cæca ejus incredulitas: nam quum unica tantum benedictio deposita foret apud patrem, alteram sibi dari postulat, quasi in ejus arbitrio sit promiscue efflare benedictiones præter Dei mandatum. Hic nobis succurrat Apostoli admonitio, quod Esau lacrymis & clamoso ululatu amissam benedictionem reposcens, pœnitentiæ locum non invenerit. Nam qui vocantem Deum sequi negligunt, frustra postea ipsum invocant, ubi terga vertit. Quamdiu nos alloquitur Deus, & invitat, quodammodo aperta est regni cælorum janua. hac opportunitate utendum est, si ingredi cupimus: secundum illud Prophetæ, Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Cujus interpres Paulus, tempus acceptabile & diem salutis esse definit, quum nobis per Euangelium affertur gratia. Qui tempus illud elabi sinunt, sero deinde & sine profectu pulsant: quia Deus eorum socordiam ulciscitur. Timendum ergo ne si præsentem Dei vocem surdis auribus effluere sinimus, ipse vicissim surdus sit ad clamores nostros. Sed quæritur quomodo eum hac repulsa promissio illa conveniat, Simulac ingemuerit peccator, &c. Deinde non videtur congruere Dei clementiæ, rejicere eorum gemitus, qui miseria sua fracti, ad ejus misericordiam confugiunt. Respondeo, pœnitentiam, si modo vera sit ac sincera, intempestivam nunquam fore, quin veniam impetret peccator qui sibi ex animo displicet: sed hoc quoque modo gratiæ suæ contemptum vindicat Deus, quod in animum serio non inducunt ad eum reverti qui obstinate repudiarunt ejus gratiam. Ita fit ut in reprobum sensum dati, nunquam vera pœnitentia tangantur. erumpent quidem in lacrymas hypocritæ, sicuti facit Esau, sed cor intus quasi ferreis vectibus obstructum manebit. Ergo quum fide & pœnitentia vacuus ad peteodam benedictionem Esau prorumpat, nihil mirum est si rejicitur.

Hebr. 12. *vers.* 17.

Jesa. 55. *vers.* 6. 2 *Cor.* 6. *vers.* 17.

Ezec. 18. *vers.* 21.

36. *Vere vocatum est nomen ejus Jahacob.*] Hinc apparet nullo pœnitentiæ sensu tangi animum Esau, quia fratrem accusans, in se nihil culpæ recipit. At qui initium pœnitentiæ est, dolor ex peccato conceptus, & suipsius displicentia. Debuerat in se descendere Esau, ut suus esset judex. Primogenitura vendita, quasi famelicus canis, ad offam & pulmentum provolaverat: nunc quasi nihil peccaverit, tantum fratri irascitur. Deinde si quid ponderis habet benedictio, cur non expendit, non sola hominis fraude, sed Dei providentia se inde fuisse depulsum? Videmus ergo ut palpans quasi cæcus in tenebris, viam non teneat.

37. *Ecce, dominum posui illum tibi.*] Apertius confirmat Isaac quod prius dixi, quum auctor benedictionis sit Deus, irritam fieri non posse vel evanidam. Neque enim hic magnifice jactat suam dignitatem: sed intra ministri fines ac mensuram se continens, sibi liberum esse negat quicquam mutare. Semper enim reputat quod verum est, quum Dei personam sustinuerit, sibi non licere ultra progredi quam ferat mandatum. Hinc scilicet debuit Esau discere unde excidisset sua culpa, ut se humiliaret, fratrique suo potius se adjungeret, benedictionis ejus particeps futurus secundo gradu, quam ut aliquid seorsum appeteret. Sed prava cupiditas eum abripit, ut regni Dei oblitus, nonnisi privatæ suæ commoda sectetur ac curet. Iterum notanda est loquutio, qua suæ benedictioni Isaac certam vim & effectum asserit, acsi in ejus voce inclusum fuisset imperium, frumenti & vini copia, adeoque quicquid Abrahæ Deus promiserat. Sic enim Deus à se uno pendere vult fideles, ut tameo secure in verbum recumbant, quod illis annunciari jubet hominum lingua. Sic remittere peccata dicuntur, qui tantum gratuitæ veniæ nuncii sunt ac interpretes.

38. *Numquid benedictio una est tibi.*] Videtur animum colligere Esau: sed postbabita animæ cura, ad carnis saginam instar porci devolvitur. Audierat nihil patri esse residuum: nempe quia sic residebat in Jacob plena solidaque Dei gratia, ut oulla esset extra ejus domum felicitas. Quare si bene sibi esse optabat Esau, ex illo fonte haurire debuit, seque potius fratri subjicere quam abdicare à felici ejus consortio. Mavult tamen privari spirituali gratia, modo proprium aliquid & separatum possideat, quam domi esse inferior. Quod uoica esset benedictio, qua frater Jacob divini fœderis hæres nuncupatus fuerat, latere eum non potuit. quotidie enim concionabatur Isaac de singulari illo privilegio quo Deus Abraham & ejus posteros dignatus fuerat. Nec tam graviter paulo ante conquestus esset, nisi sensisset incomparabili bono se fuisse privatum. Ergo ab unica benedictione discedens, oblique Deo renunciat, & se ab Ecclesiæ corpore rescindit, tantum caducam banc vitam curans. Atqui satius ei fuisset rerum omnium inopia misere confici in hoc mundo, & languentem spiritum ægre trahere, quam torpere in temporalibus deliciis. Quod postea sequitur, ipsum fleviſſe cum ejulatu, fœvæ ac superbæ indignationis magis quam pœnitentiæ signum est. neque enim quicquam remiserat ex sua ferocia, sed fremebat, quemadmodum solent truces bestiæ. Sic impii, quum urget eos pœna, salutem suam amissam lugent, sed interea non desinunt sibi placere in suis vitiis: adeoque non aspirant ex animo ad Dei justitiam, ut potius cupiant extinctum esse ejus numen. Talis est in ipsis inferis stridor dentium, & fletus, non qui reprobos ad Deum quærendum exstimulet, sed tantum cæcis tormentis eos conficiat.

39. *Ecce, de pinguedinibus terræ.*] Impetrat tandem Esau quod petit. Nam se primogenituræ gradu & honore dejectum videns, maluit extra sanctum populum sibi prospere esse in mundo quam subire minoris fratris jugum. Sed videtur secum pugnare Isaac, qui eovam benedictionem profert: quum ante testatus sit se dedisse filio Jacob quicquid apud se erat depositum. Respondeo, idem boc loco notari quod prius de Ismaele dictum est. Nam Deus, quod ad præceotem vitam spectat, exaudiens Abrahæ preces, mox tamen addita exceptione restringit, quod in Isaac tantum vocandum esset semen. Nec vero dubito quio sanctus vir vernens filium minorem Jacob divinitus ordinatum esse beatæ vitæ hæredem, conatus sit primogenitum Esau in fraternæ

socie-

ſocietatis vinculo retinere, ut ab Eccleſia ſancto-que & electo grege non diſcederet. Nunc ubi videt pertinaciter ipſum alio tendere, pronunciat qualis futura ſit ejus conditio. Interim ſpiritualis benedi-ctio penes unum Jacob integra reſidet: cui ſe ad-jungere Eſau recuſans, ſponte à regno Dei exulat. Videtur tamen huic vaticinio refragari quod dicit Malachias, 1. verſ. 3. Nam duos fratres Eſau & Ja-cob inter ſe comparans, inde odio habitum fuiſſe Eſau docet, quia illi poſſeſſio data ſit in deſertis: at-qui Iſaac pinguem illi promittit terram. Duplex ſolutio eſt: vel quod Propheta comparative loquens, Idumæam merito vocet deſertum præ terra Cha-naan, quæ longe erat uberior: vel quod ætatem ſuam reſpiciat. Tametſi enim horrenda fuerat utriuſque terræ vaſtitas, brevi tameo refloruerat terra Cha-naan, quum regio Edom quaſi perpetuæ ſterilitati damnata, & draconibus addicta foret. Quamvis ergo Deus populi ſui reſpectu ablegaverit Eſau in mon-tes deſertos, illi tamen terram ſatis per ſe fœcundam dedit, ut minime inanis fuerit promiſſio. Nam mon-toſa illa regio tum ſuam habuit pinguedinem, tum cæleſti rore adjuta fuit, ut victum incolis produ-ceret.

40. *Et in gladio tuo vives, & fratri tuo ſervies.*] Notandum eſt hic prædici quæ nunquam impleta ſont in perſona Eſau: ideoque vaticinium eſſe de re-bus procul adhuc remotis. Nam adeo nihil domina-tionis obtinuit Jacob in fratrem, ut reverſus ea Pa-dan Aram, ſupplex ob ſequia illi ſua detulerit: & ſubjectionis excuſſio, cujus hic meminit Iſaac, in longinquum tempus refertur. Denunciat igitur qua-lis poſteros Eſau maneat conditio. Et primum dicit, gladio ſuo victuros: cujus verbi duplex eſſe poteſt ſenſus, vel quod cincti hoſtibus, militarem & in-quietam vitam acturi ſint, vel quod liberi futuri ſint ac ſui juris. Nullum enim jus gladii, ubi nulla eſt libertas. Videtur prior ſenſus magis quadrare, ut promiſſionem ſuam reſtringat Deus, ne ſe Eſau ni-mis efferat: nam pace nihil eſt aptabilius. Manetur quidem & ſanctus populus, ſemper aliquos hoſtes fore qui eum infeſtent. Sed hoc longe aliud eſt quam ſuo gladio vivere: quod tantundem valet ac ſi diſſi-ſet, filios Eſau prædonum more præſidium ſuum in armis & violentia magis quam in jure legitimo habi-turos. Secunda reſtrictio eſt, quod gladio armatus licet, non tamen effugiet fratris ſubjectionem. Nam Idumæi tandem electo populo facti ſunt tributarii. ſed non fuit diuturna ſervitus: quia diviſis regnis conciſa fuit illa potentia, quæ vicinos omnes in offi-cio & ſub metu tenebat. Voluit tamen Dominus vel ad breve tempus in ordinem cogi Idumæos, ut viſi-bile ſpecimen hujus vaticinii proferret. Reliquo tempore vaga & effrenis libertas Eſau omni ſubje-ctione fuit miſerior.

41. *Et odio habuit Eſau Jabacob.*] Hinc clarius patet lacrymas Eſau adeo profectas non fuiſſe à vera pœnitentia, ut furioſæ magis iracundiæ teſtes fue-rint. Neque enim occulto modo odium fovet adver-ſus fratrem, ſed palam in ſceleratas minas erumpit. Atque hinc apparet quam altæ fuerint malitiæ radi-ces, quod ſibi in nefanda fratris cæde indulget. Pro-fana etiam & ſacrilega in eo contumacia ſe prodit, quod ſe ad decretum Dei abolendum gladio compa-rat. Efficiam, inquit, ne promiſſa ſibi hæreditate fruatur. Quid hoc aliud eſt quam vim benedictionis eximere, in qua patrem ſciebat Dei præconem fuiſſe ac miniſtrum? Viva præterea hypocritæ effi-gies nobis proponitur. Mortem patris ſibi luctuo-ſam fore ſimulat: & certe pietatis officium eſt, lu-gere mortuum patrem. Sed quum ad impiam fratris cædem properanti tarda ſit mors patris, & ſimul ejus propinquitate lætetur: mera fictio eſt quod diem lu-ctus nominat. Qua etiam fronte humanum affectum obtendit, qui fraternæ cædi inhians, eodem mo-mento omnia naturæ jura evertere molitur? Fieri etiam poteſt ut ipſe naturæ ſenſus confeſſionem ei extorſerit, qua ſeipſum graviusdamnaret: ſicut Deus impios ſæpe propria voce coarguens, magis inexcu-ſabiles reddit. Quod vero crudelem animum cohi-bet ſola verecundia, neque magnæ laudi tribuen-dum eſt, & ſtupidum brutumque Dei contemptum prodit. Valet quidem interdum etiam apud pios ho-minum reverentia, ſicuti de Jacob proximo capite habuimus: ſed altius mox conſcendunt, ut prævа-leat timor Dei, cujus oblivio ſic occupat impiorum corda, ut in hominibus ſolis ſubſidant. Ergo quiſ-quis hominum metu & pudore à maleficio abſtinet, non multum adhuc profecit. Hoc tamen maxime elogio à Papiſtis ſua confeſſio laudatur, quod multos abſterret à peccando, ne cogantur ſuum dedecus proferre. Longe vero alia eſt pietatis regula, ut conſcientia noſtra ſibi Deum teſtem & arbitrum pro-ponat.

42. *Et nunciata ſunt ipſi Ribcæ.*] Nunc tranſitum facit Moſes ad novam hiſtoriam, quomodo Jacob è domo patris profugus, in Meſopotamiam ſe contu-lerit. Fuit autem haud dubie hæc perquam moleſta duraque tentatio ſanctæ matronæ, dum ex ſuo facto mortis diſcrimen filio inſtare videt. Cæterum fide luctata eſt, ut ſemel partam gratiæ poſſeſſionem re-tineret. Nam ſi muliebri affectu propenſa fuiſſet in amorem minoris filii, hoc certe optimum erat com-pendium, ut primogenitura ad Eſau rediret: ſic enim ſublata fuiſſet æmulatio, & placatus ejus furor, qui dolore amiſſi juris ſui ardebat. Quod ergo non tranſi-git Rebecca, ſed filium ſuum hortatur ad voluntа-rium exilium, & privari mavult ejus præſentia quam ut ille benedictione ſemel recepta cedat: hoc certe raræ fidei ſignum eſt. Jam luſoria videri poterat pa-tris benedictio, ut mirum ſit à Rebecca & Jacob tanti fieri: adeo tamen eos non pœnitet, ut acerbam exilii pœnam non recuſent, modo ſecum auferat Ja-cob prolatam à patre vocem. Porro hoc exemplo doceмur, patienter ferendum eſſe, ſi ſpem melioris vitæ crux ſequitur comes: imo ſi hac lege Dominus nos adoptat regni ſui hæredes, ut inſtabiles in mun-do peregrinemur. Ideo enim extruſus è domo pater-na, ubi quietus vitam finire poterat, in alienam ter-ram migrare cogitur Jacob: quia illi promiſſa eſt Dei benedictio. Sicuti autem acceptæ gratiæ jactura temporalem cum fratre pacem redimere non tenta-vit: ſic nobis cavendum eſt ne ulla carnis commodi-tas, vel muodi illecebræ nos à curſu vocationis abdu-cant: quin potius magno animo feramus varias jactа-tiones, modo ſpei anchora nobis in cælo fixa con-ſiſtat. Quum dicit Rebecca, hanc Eſau conſolationem eſſe, ut fratrem interficiat, ſenſus eſt, non poſſe alio modo placari quam impia cæde.

44. *Habita cum eo dies aliquot.*] Hac circumſtan-tia mitigat exilii acerbitatem. Nam ad levandum in rebus adverſis mœrorem non parum valet temporis brevitas. Et credibile erat non tam pertinax fore odium Eſau, quin illud leniret fratris abſentia. Hebraice ad verbum habetur, Unis diebus. Verum ſignificat Rebecca, ſimulatque ultro ceſſerit Jacob, memoriam offenſæ ex corde Eſau deletum iri: acſi dixiſſet, Tantum pauliſper alin te confer, & mo-mento ſedabimus ejus iracundiam.

45. *Utquid orbabor etiam ambobus vobis die una?*] Cur duplicem orbitatem metuit Rebecca? neque enim periculum erat ut Jacob, tam placido mitique ingenio præditus, adverſus fratrem inſurgeret. Vi-demus ergo ut Rebecca Deum nefandæ cædis fore ultorem ſtatuat. Deinde quamvis ad tempus diſſimu-let Deus, ac judicium ſuſpendat, neceſſe tamen illi fuiſſet ſe à parricida ſubducere. Ea illo itaque na-turæ jure pronunciat ſe penitus orbam fore: quia eum qui ſuperſtes erit, horrere ac deteſtari cogetur. Quod ſi Dei judicium antequam patefieret animo

præsumpsit Rebecca, & homicidam exterminio addixit, quod persuasa esset tantum scelus non fore impunitum: multo minus ad manifesta Dei flagella connivere nos decet.

46. *Dixit Ribca ad Isbac.*] Quum posset clanculum aufugere Jacob, mater tamen illi discessum à patre impetrat. Sic enim ferebat bene compolita œconomiæ ratio & disciplina. Quod autem aliam causam prætexit apud maritum, excusari à mendacio potest, quia neque totum, neque nihil dicit. Minime dubium est quin vere affirmet se cruciari ob nurus Hethæas usque ad vitæ tædium: interius vero malum prudenter celat, ne lethale infligat marito vulnus: deinde ne magis inflammet rabiem Esau: ut sæpe impii, quum detectum est eorum scelus, desperatione magis efferantur. Etsi autem pravis nuruum moribus factum est ut Rebeccæ odiosa sit totius gentis affinitas, in eo tamen rursus enituit mirabilis Dei providentia, quod non immiscuit neque implicuit Jacob cum futuris Ecclesiæ hostibus.

CAPUT XXVIII.

1. VOcavit ergo Ishac Jahacob, & benedixit ei: præcepitque, & dixit ei, Non capies uxorem de filiabus Chenaan.

2. Surge, vade in Padan Aram, ad domum Bethuel patris matris tuæ, & cape tibi inde uxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ.

3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere faciat te, & multiplicare faciat te, & sis in cœtum populorum.

4. Et det tibi benedictionem Abraham, tibi & semini tuo tecum, ut hæreditate accipias terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus ipsi Abraham.

5. Et misit Ishac Jahacob, & profectus est in Padan Aram ad Laban filium Bethuel Aramæi fratris Ribcæ, matris Jahacob & Esau.

6. Et vidit Esau quod benedixisset Ishac Jahacob, & misisset eum in Padan Aram, ut caperet sibi inde uxorem: & benedicendo ei præcepisset ei, dicendo, Non accipies uxorem de filiabus Chenaan:

7. Et obedivisset Jahacob patri suo & matri suæ, & ivisset in Padan Aram.

8. Videns præterea Esau quod malæ filiæ Chenaan in oculis Ishac patris sui:

9. Tunc abiit Esau ad Ismaël, & accepit Mahalath filiam Ismaël filii Abraham, sororem Nebajoth, super uxores suas sibi in uxorem.

10. Jahacob vero egressus est è Beer-sebah, & perrexit in Aram:

11. Et occurrit in locum, & pernoctavit ibi, quia occubuerat sol: & tulit de lapidibus loci, & posuit sub capite suo, & dormivit in loco eodem.

12. Et somniavit, & ecce scala erecta erat super terram, & caput ejus tangebat cælum: & ecce, Angeli Dei ascendebant & descendebant per eam.

13. Et ecce Jehova stabat super eam, & dixit, Ego Jehova Deus Abraham patris tui, & Deus Ishac: terram super quam tu dormis, tibi dabo & semini tuo.

14. Et erit semen tuum sicut pulvis terræ, & multiplicaberis ad Occidentem, & ad Orientem, & ad Aquilonem, & ad Meridiem: & benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in semine tuo.

15. Et ecce sum tecum, & custodiam te quocunque profectus fueris, & redire faciam te ad terram hanc: quia non derelinquam te, donec faciam quod loquutus sum tibi.

16. Deinde expergefactus est Jahacob à somno suo, & dixit, Vere est Jehova in loco isto, & ego nesciebam.

17. Timuit ergo, & dixit, Quam terribilis est locus iste! non est hic nisi domus Dei, & hic est porta cæli.

18. Surrexit autem Jahacob mane, & tulit lapidem quem posuerat sub capite suo, & posuit eum in statuam, & effudit oleum supra summitatem ejus.

19. Et vocavit nomen loci ipsius Beth-el: & quidem Luz erat nomen urbis prius.

20. Adhæc vovit Jahacob votum, dicendo, Si fuerit Jehova Deus mecum, & custodierit me in via ista quam ego ingredior, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad operiendum:

21. Et reversus fuero in pace ad domum patris mei, erit Jehova mihi in Deum.

22. Et lapis iste quem posui in statuam, erit domus Dei: & omne quod dederis mihi, decimando decimabo illud tibi.

1. *Vocavit ergo Ishac Jahacob, & benedixit.*] Quæritur an ideo quod infirma esset prior benedictio, nunc deintegro idem repetat Isaac quod prius dixit. Atqui si Dei erat Propheta ac interpres, stabile ac perpetuum esse oportuit quod semel ex ore ejus prodierat. Respondeo, quamvis per se efficax esset benedictio, tamen fidem Jacob tali subsidio habuisse opus: sicuti Dominus dum easdem subinde promissiones iterat, sibi ac suo verbo nihil derogat, sed potius ejus certitudinem commendat servis suis, nequando in eorum cordibus propter carnis infirmitatem vacillet. Porro memoria tenendum est quod dixi, Isaac precari non ut privatum hominem, sed speciali Dei mandato instructum, ut fœdus apud se depositum in filium suum Jacob transmittat. Magnopere autem interfuit, Jacob nunc demum à patre sciente & volente benedici, ne in posterum tempus ex paterni erroris, ac propriæ fraudis memoria obreperet dubitatio. Nunc igitur Isaac consulto ad filium suum Jacob verba dirigens, jure illi benedictionem deberi pronunciat, ne putetur, quum prius deceptus fuit, frustra sub alieno nomine verba sparsisse.

2. *Surge, vade.*] Priore loco mandat ut accipiat uxorem è genere materno. Poterat per aliquem ex servis accersere, sicuti adducta fuerat illi Rebecca: sed

ſed invidiam forte declinat, ne hoc accipiat Eſau in ſuam contumeliam, quod fratris conjugium magis ſollicite quam ſuum curetur.

3. *Et Deus omnipotens benedicat tibi.*] Jam ſequitur benedictionis forma, quæ verbis aliquantum à priore differt, in eundem tamen ſcopum tendit. Primo optat Jacob à Deo benedici, hoc eſt, augeri & propagari in ſua ſobole, ut creſcat in cœtum populorum, hoc eſt, ut generet multos populos, qui in unum corpus ſub eodem capite coaleſcant: acſi diciſſet, Orientur ex te plures Tribus, quæ unum populum efficient. atque hoc quidem aliqua ex parte impletum fuit, quum Moſes populum in tredecim claſſes diſtribuit. Quanquam altius reſpexit Iſaac, quod ſcil. aggregandi tandem eſſent ex variis gentibus ad domum filii ſui, ut hoc modo ex ingenti & prius diſperſa multitudine fieret cœtus unus. Neque enim dubium eſt quin per manus tradere voluerit quod acceperat: quemadmodum continuo poſt memoriam primi fœderis celebrat, inde velut ex fonte ſuam hanc benedictionem derivans: acſi diciſſet, quicquid habebat juris à patre ſe in eum transferre, ut penes eum maneret viræ hæreditas, ſecundum Dei fœdus cum Abraham percuſſum. Qui hoc per ſimilitudinem dictum eſſe exponunt, quaſi optaret Jacob quæ prius Abrahæ Deus beneficia contulerat, in filium ſuum pariter conferri, ſenſum verborum nimis extenuant. Nam quia Deus hac lege fœdus pepigerat cum Abraham, ut ad poſteros manaret, ab ejus perſona tanquam à radice initium fieri oportuit. Ergo hæredem Abrahæ conſtituit Iſaac filium Jacob, qui depoſitæ apud eum benedictioni, ejuſque ſemini promiſſæ, ſuccedat. Quod etiam clarius patet ex proximo contextu, ubi terræ dominium illi aſſignat, eo quod Abrahæ data fuerit. Porro in hoc membro perſpicimus quanta fidei conſtantia recubuerint ſancti Patres in verbum Domini. nam alias non vulgaris erat tentatio, jactari hoſpites & peregrinos in terra, cujus poſſeſſio jam ante centum annos divinitus illis addicta fuerat. Videmus autem ut in ſuis erroribus & inquieta vita non minoris æſtiment quod Dominus illis pollicitus eſt, quam ſi plena jam conſtaret fruitio. Atque hæc vera eſt fidei probatio, quum ſolo Dei verbo fulti, quamvis agitemur inter mundi fluctus, non aliter perſtamus quam ſi fixa jam nobis eſſet in cœlis ſtatio. Et Iſaac contra hanc tentationem diſerte filium ſuum munit, *terram peregrinationum ejus* vocans cujus eum conſtituit dominum. Nam his verbis admonet, fieri quidem poſſe ut vagetur tota vita: verum id non obſtare quominus rata ſit Dei promiſſio, ut ea una contentus, patienter tempus revelationis expectet. Videtur etiam pluralis numerus majus quiddam exprimere, quod ſcilicet non ſemel duntaxat, ſed diverſis modis & aſſidue futurus ſit peregrinus Jacob. Quia tamen Hebraica phraſis non ſemper habet talem emphaſim, ego hac in re non inſiſto. Hoc magis notandum eſt, ſerio rigidoque examine probari fidem Jacob, dum illi verbo tenus ſolum promittitur terra, unde procul re ipſa ejicitur ob hanc ipſam cauſam. Videtur enim ludibrio haberi, quum jubetur ut potiatur terræ dominio, ea relicta & valere juſſa, in longinquum exilium abire.

6. *Vidit Eſau quod.*] Inſeritur hic brevis narratio de Eſau: quæ ideo cognitu utilis eſt, quia ea ex diſcimus, impios quamvis laſciviant adverſus Deum, & contempta ejus gratia, votis ſuis potiti ſibi plaudunt, non tamen poſſe illam penitus contemnere. Ita nunc Eſau benedictionis deſiderio pungitur, non ut ad illam ſincere & ex animo aſpiret, ſed rem pretioſam eſſe videns, ad eam expetendam invitus compellitur. Accedit alterum vitium, quia non quærit ut oportet: novum enim & alienum modum excogitat, qui ſibi Deum & patrem reconciliet: ideo profectu caret ejus ſtudium. quanquam Deum non ita videtur curare, modo propitium habeat patrem. Atqui ante omnia debuerat profanum ingenium, perverſos mores, & corruptos carnis affectus exuere: deinde placide ferre caſtigationem ſibi impoſitam. nam hunc ſenſum illi dictabat pœnitentiæ ratio, Quia hactenus indignum me primogenitura reddidi, merito fratri ſum poſthabitus. Nihil ergo reſiduum eſt niſi ut me humiliem: & quia ex honore capiris depulſus ſum, mihi ſufficiat unum ſaltem eſſe ex Eccleſiæ membris. Et certe optabilius illi fuiſſet in obſcuro aliquo Eccleſiæ angulo hærere, quam reſectum & avulſum abelecto populo, cum ſuperbo primatu eminere in terra. Nihil tale aggreditur, ſed per ambages neſcio quas patrem utcunque placare conatur. Ac Moſes ſub hoc typo nobis ad vivum depingit omnes hypocritas. Nam quoties ipſos urget Dei judicium, licet vulnerentur pœnarum dolore, non tamen quærunt vera remedia. nam una tantum ſatisfactionis arrepta ſpecie, ſimplex & integra ab illis converſio negligitur: deinde in illa quoque ſpecie nihil quam fucum faciunt. Quum totus reſipiſcere deberet Eſau, nonniſi unum conjugii vitium corrigere tentavit. hoc jam nimis præpoſtere. Sequitur tamen alter defectus: nam uxores quæ parentibus exoſæ erant retinens, ſe defunctum putat tertia inducta. Atqui hoc modo non levatur parentum moleſtia, nec purgatur domus. Jam vero unde ſibi tertiam inducit uxorem? Ex genere Iſmael, quem ſcimus fuiſſe degenerem, & cujus poſteritas à puro Dei cultu deſciverat. Hujus rei inſigne hodie documentum cernitur in fictis ac perfidis mediatoribus, qui religionis diſſidia pulchre ſe componere putant, ſi modo inductis coloribus corruptelæ nimis craſſæ tegantur. Res ipſa fateri eos cogit, adeo fœdos errores atque abuſus in Papatu graſſatos eſſe, ut reformatione omnino ſit opus: ſed fœtorem illius Camarinæ moveri nolunt: tantum igitur emplaſtris cuperent fœditatem occulere: idque etiam coacti faciunt. Nam prius ſuas abominationes vocabant ſacrum Dei cultum: ſed quia verbo Dei in lucem nunc protracti ſunt, ideo deſcendunt ad hæc nova artificia. Sed fruſtra ſibi delicias faciunt, in quibus ſub perſona Eſau hic à Moſe damnantur. Valeat igitur putida, quam ſimulant, reformatio, quæ nihil ſimplex affert nec ſincerum. Porro quia hic morbus humano generi inſitus eſt, ut libenter quiſque aliquo fictitio prætextu eludere Deum tenter, ſciamus nos nihil agere, donec revulſis à radice peccatis, penitus Deo nos addicere ſtudebimus.

10. *Et egreſſus Jahacob.*] In hujus hiſtoriæ contextu hoc in primis notandum eſt, quomodo in unius hominis capite Dominus Eccleſiam ſuam tutatus ſit. Nam Iſaac propter ſenium, inſtar trunci aridi jacebat: & quamvis lateret in ejus corde viva radix, nulla tamen amplius in effœta & ſterili ætate ſpes ſobolis reſtabat. Eſau viridi quidem & florido ramo ſimilis, plurimum oſtentationis & pompæ habebat, ſed momentaneus tantum erat ille vigor. Jacob tanquam exectus ſurculus in terram longe diſtantem transfertur: neque ut illic inſitus vel plantatus robur & magnitudinem acquirat, ſed ut cæleſti irrigatione tinctus, non ſecus atque in aëre pullulet. Mirabiliter enim eum fovet Dominus, & vigorem ei ſuppeditat, donec rurſus eum traducat in domum patris. Interea diligenter obſervent lectores, quod dum ipſe benedictus Dei in exilium ejicitur, data fuit reprobo Eſau gloriandi materia, cui relicta erat vacua poſſeſſio, ut jam ſine æmulo ſecure regnarer: ne turbemur ſiquando impii tanquam votorum compotes, nobis oppreſſis triumphos ſuos efflant. Nomen Beerſeba ponit Moſes, quia quum unus eſſet ex finibus terræ Chanaan, iſque magnum deſertum & Meridiem verſus, ab Orientali plaga in quam

tendebat Jacob, remotior erat. Deinde Charras ſubjicit, ubi Abraham è patria ſua egreſſus, aliquandiu habitaverat. Apparet autem pium ſenem Thare, quum filium ſequutus eſt, vel ſe illi itineris comitem adjunxit, non veniſſe ſolum Charras, ubi mortuus eſt: ſed alterum quoque filium Nachor cum ſuis eodem migraſſe. Nam capite undecimo habuimus, Thare ſumpſiſſe filium ſuum Abraham, & Lot nepotem, & Sarai nurum ſuam. Unde colligimus ſubſtitiſſe tunc Nachor in Chaldæa ſuo natali ſolo. Nunc quum dicat Moſes Laban habitaſſe Charris, inde conjicere licet, ne inhumanus videri poſſet Nachor patrem deſerens, collectis vaſis ad eum poſtea veniſſe. Paucis autem verbis admonet Moſes quam durum ac laboriоſum ſancto viro iter fuerit ob longam diſtantiam: cui etiam additur altera circumſtantia, quod humi ſanctus vir ſub dio cubuit ſine comite, ſine hoſpitio. Sicuti autem breviter hæc tantum attingit Moſes, ita neque ego prolixis verbis utar: res enim per ſe loquitur. Quare ſiquando nobis videmur aſperius tractari, in mentem veniat ſancti viri exemplum, quod lautitias noſtras corrigat.

12. *Et ſomniavit.*] Docet hic Moſes quam opportune ſervo ſuo Dominus, & in ipſo (quod aiunt) temporis articulo ſuccurrerit. Quis enim non dixiſſet ſanctum Jacob à Deo negligi, qui ad incurſum ferarum expoſitus, & obnoxius omnibus cæli terræque injuriis, nihil uſquam auxilii vel ſolatii reperiebat? Verum ubi ita redactus eſt in ultimam neceſſitatem, Dominus repente illi manum porrigit, ejuſque moleſtias præclaro oraculo mirifice ſublevat. Sicuti ergo prius enituit invicta ejus perſeverantia: ſic Dominus nunc paternæ erga fideles ſuos curæ memorabile ſpecimen edit. Tria autem hic ordine notanda ſunt: primo, quod Dominus apparuit ipſi Jacob in ſomnio: deinde ſpecies viſionis, qualis deſcribitur à Moſe: tertio, verba oraculi. Quum ſomnii fit mentio, non dubium eſt notari certum illud revelationis genus, quo Dominus olim erga ſervos ſuos uti ſolebat. Cognovit ergo Jacob hoc ſibi divinitus offerri ſomnium, quod à vulgaribus differret: idque ſonant Moſis verba, quum dicit, apparuiſſe Deum in ſomnio. Deum enim videre non poterat Jacob, vel ſentire præſentem, niſi certis notis diſtincta fuiſſet ejus majeſtas. *Ecce ſcala.* Hic narratur forma viſionis, quæ ad rem maxime pertinet, quod Deus ſe oſtenderit ſcalæ inſidens, cujus extremi fines cælum & terram tangebant, & quæ Angelos vehebat, ut commearent è cælo in terram. Quod à quibuſdam Hebræis ſcala accipitur pro figura divinæ providentiæ, quæ cæli & terræ gubernationem complectitur, quadrare non poteſt: aliud enim ſignum aptius deſiſſet Dominus. Nobis vero qui principium hoc tenemus, in Chriſto fundatum fuiſſe Dei fœdus, & Chriſtum eundem æternam fuiſſe imaginem Patris, in qua ſanctis Patribus ſe patefecit, nihil in hac viſione perplexum eſt vel ambiguum. Nam quum per peccatum alienati ſint homines à Deo, quamvis ipſe omnia impleat ſua virtute & ſuſtineat, à nobis tamen non percipitur illa communicatio, quæ nos viciſſim ad ipſum alliciat: quin potius tale diſſidium eſt, ut eum à nobis averſum eſſe putantes, eum viciſſim fugiamus. Porro Angeli, quibus mandata eſt humani generis cuſtodia, tametſi in ſuum munus ſtrenue incumbunt, non tamen mutuo communicant nobiſcum, ut familiaris ſit & quaſi ſenſibilis eorum propinquitas. Solus ergo Chriſtus eſt qui cælum terræ conjungit: hic ſolus eſt Mediator, qui pertingit à cælo uſque ad terram: ille idem eſt per quem omnium bonorum cæleſtium plenitudo deorſum ad nos fluit, noſque viciſſim ad Deum conſcendimus. Idem quum ſit caput Angelorum, efficit ut membris ſuis terrenis miniſtrent. Itaque (ut legimus Joan. 1. verſ. 51.) hunc ſibi honorem proprie vindicat, quod poſtquam manifeſtatus fuerit mundo, Angeli aſcendent ac deſcendent. Ergo ſi ſcalam dicimus eſſe Chriſti effigiem, hæc expoſitio nihil habet coactum. Nam ſcalæ ſimilitudo optime convenit Mediatori, per quem miniſterium Angelorum, juſtitia & vita, omneſque Spiritus ſancti gratiæ gradatim ad nos deſcendunt. Nos etiam, qui non tantum eramus defixi in terra, & in maledictionis abyſſo, ipſiſque inferis demerſi, ad Deum uſque conſcendimus. Scalæ autem inſidet Deus exercituum: quia in Chriſto habitat plenitudo divinitatis: & hinc etiam fit ut ad cælum uſque pertingat. Tametſi enim humanæ etiam ejus naturæ data eſt à Patre omnis poteſtas, non tamen fidem noſtram vere fulciret, niſi eſſet Deus in carne manifeſtatus. Nec obſtat quod Chriſti corpus finitum eſt, ut cælum & terram minime impleat: quia ubique diffuſa eſt ejus gratia & virtus. Unde & teſte Paulo in cælos aſcendit ut impleret omnia. Qui particulam עד, vertunt Prope, totum ſenſum corrumpunt. Exprimere enim voluit Moſes plenam deitatem reſidere in Mediatoris perſona. Nec vero Chriſtus tantum ad nos acceſſit, ſed induit naturam noſtram, ut nos unum ſecum efficeret. Quod autem ſcala ſymbolum fuerit Chriſti, hæc etiam ratio confirmat, quia nihil magis conſentaneum fuit quam ut Deus in Filio ſuo fœdus æternæ ſalutis ſanciret ſervo ſuo Jacob. Atque hinc ad nos pervenit inæſtimabile gaudium, ubi audimus Chriſtum ita excellere ſupra omnes creaturas, ut ſit tamen nobis conjunctus. Dei quidem majeſtas, quæ ſe hic conſpicuam profert, terrorem incutere debet, ut omne genu coram Chriſto curvetur, eum ſuſpiciant atque adorent omnes creaturæ, & ſileat in conſpectu ejus omnis caro. Sed amica & ſuavis ejus imago ſimul pingitur, ut ſciamus ejus deſcenſu cælum nobis eſſe apertum, & Angelos nobis familiares eſſe redditos. Nam inde nobis fraterna cum ipſis ſocietas; quod commune utriſque caput ſtationem habet in terra.

Num. 12. verſ. 6.

13. *Ego Jehova Deus Abrahami.*] Hoc tertium eſt caput, quod notandum eſſe dixi: frigerent enim mutæ viſiones, itaque verbum Domini quaſi anima eſt quæ eas vivificat. Figura igitur ſcalæ inferior appendix fuit hujus promiſſionis: ficuti externis ſymbolis Deus verbum ſuum illuſtrat & ornat, ut major illi tum claritas tum auctoritas accedat. Unde etiam probamus frivola eſſe ſacramenta in Papatu, quia nulla illic Dei vox auditur quæ animas ædificet. Notemus itaque, Deum, quoties ſe Patribus oſtendit, loquutum eſſe, ne ſuſpenſos teneret muta viſio. Nomine יהוה admonet Deus ſe unicum eſſe mundi opificem, ne alios ſibi deos quærat Jacob. Sed quia per ſe incomprehenſibilis eſt ejus majeſtas, ut ſe ad captum ſervi ſui accommodet, ſtatim addit ſe eſſe Deum Abrahæ & Iſaac. Etſi enim neceſſe eſt tenere, Deum quem colimus, eum eſſe qui ſolus eſt: quia tamen dum ad ejus altitudinem aſpirant ſenſus noſtri, inter prima initia evaneſcunt, colenda nobis ſedulo eſt hæc ſobrietas, ne plus de ipſo ſcire appetamus quam nobis oſtendit: & ipſe pro immenſa ſua bonitate ad noſtrum modulum ſe accommodans, nihil omittit quod expediat in ſalutem noſtram. Quia autem ſpeciale fœdus pepigerat cum Abraham & Iſaac, Deum ſe illorum nominans, ad veram fidei originem revocat ſervum ſuum Jacob, & in perpetuo fœdere eum retinet. Hoc ſacrum eſt pictatis vinculum quo inter ſe cohærent omnes filii Dei, quum à primo ad ultimum eandem ſalutis promiſſionem audiunt, & conſentiunt in ſpem unam. Atque hic fructus eſt ejus benedictionis quam nuper à patre acceperat: quia Deus ore ſuo pronunciat eum fœderis hæredem, ne putetur inane fuiſſe hominis præconium. *Terram in qua dormis.* Terram ejus poſteris fuiſſe datam legimus: ipſe vero non ſolum uſque ad mortem in ea fuit hoſpes, ſed ne mori quidem potuit. Unde col-

colligimus, ſub terræ pignore vel arrha aliquid ei melius & præſtantius fuiſſe datum: ſicuti Abraham ſpiritualis fuit ejus terræ poſſeſſor, ac nudo ejus intuitu contentus, in cælum præcipue ſuſpexit. Notemus autem, ſemen Jacob hic reliquis Abrahæ filiis opponi, qui ſecundum carnem ex eo promiſcue genus ducebant: ſed electi erant à gente ſancta. Ex quo vero ingreſſi ſunt filii Jacob in terram Chanaan, perpetua illis fuit hæreditas uſque ad Chriſtum, cujus adventu renovatus eſt mundus.

14. *Et erit ſemen tuum ſicut pulvis terræ.*] Hue redit ſumma, quicquid Abrahæ pollicitus fuerat Dominus, transmitti ad filios Jacob. Interim ſanctum virum oportuit hoc Dei teſtimonio fretum, contra ſpem ſperare. Quamvis enim ampla & magnifica eſſet hæc promiſſio, quocunque tamen ſe verteret Jacob, nihil bonæ ſpei affulgere tunc potuit. Videbat ſe hominem ſolitarium, nulla tunc conditio exilio melior erat, reditus incertus erat & plenus diſcriminis: ſed ita eum mediis omnibus deſtitui utile fuit, ut à ſolo Dei verbo pendere diſceret. Ita hodie ſi liberaliter omnia nobis promittit Deus, interea vero vacuus ad nos accedere videtur: hoc tamen honoris & reverentiæ ejus verbo nos deferre convenit, ut fide divites ſimus ac pleni. Tandem vero poſt mortem Jacob eventus docuit quam efficax fuerit hæc promiſſio. Quo exemplo docemur, Dominum minime fruſtrari ſuos fideles, quamvis eorum bonorum quæ promittit, effectum poſt eorum mortem uſque differat. *Et benedicent ſe in te omnes fines terræ.* Hoc membrum plus habet ponderis, quod in Jacob & ejus ſemine recuperanda ſit benedictio, à qua in primo parente totum humanum genus excidit. Quid autem ſibi velit hæc loquutio, ſupra expoſui: nempe quod Jacob non tantum futurus ſit exemplar benedictionis, vel formula, ſed fons & cauſa, vel hypoſtaſis. Quanquam enim ſæpe hoc genere loquendi notatur eximia quædam felicitas, in multis tamen Scripturæ locis tantundem valet ac benedictionem ſuam petere ab aliquo, eique acceptam referre: ſicuti benedicere ſe in Deo homines dicuntur qui illum agnoſcunt omnis boni auctorem. Ita nunc fore promittit Deus ut ſe in Jacob & ejus ſemine benedicant omnes gentes, quia nulla uſquam reperietur felicitas niſi ex fonte prodeat. Cæterum quod Chriſti proprium eſt non abſurde transfertur ad Jacob, cujus in lumbis tunc erat Chriſtus. Ergo quatenus eo tempore Chriſti perſonam ſuſtinuit Jacob, in ipſo dicuntur benedicendæ omnes gentes: ſed quia aliunde pendebat tanti boni exhibitio, mox vice expoſitionis additur, *in ſemine.* Nec obſtat (quemadmodum alibi dixi) quod nomen ſeminis eſt collectivum. Nam quia omnes increduli honore & gratia ſe abdicant, & hoc modo extranei cenſentur: ut ſeminis unitas conſtet, ad ipſum caput neceſſe eſt venire. Hoc quiſquis reverenter expendet, facile videbit in hac interpretatione, quæ Pauli eſt, nihil eſſe tortuoſum vel coactum.

15. *Cuſtodiam te.*] Jam tentationi, quæ obrepere poterat ſancto Jacob, mature Deus occurrit. Nam etſi in alienam terram ad tempus extruditur, ſe tamen illi fore cuſtodem pronunciat, donec eum reduxerit. Longius deinde extendit promiſſionem, quod nunquam eum deſeret, uſquedum completa ſint omnia. Duplex autem hujus promiſſionis uſus fuit. Nam & animum ejus retinuit in fide divini fœderis: deinde ut ſciret non aliter ſecum bene agi, niſi promiſſæ hæreditatis compos foret.

16. *Et expergefactus eſt Jacob.*] Iterum confirmat Moſes non vulgare fuiſſe ſomnium. Nam qui expergiſcitur, tunc ſaltem agnoſcit ſe deluſum fuiſſe ſomniando. Deus autem ſignum inſculpſit animo ſervi ſui, ut vigilans cognoſceret cæleſte fuiſſe oraculum quod dormiens audierat. Porro in ſuis verbis ultro ſe accuſat Jacob, ac Dei bonitatem extollit, qui ſe non quærenti offerre dignatus eſt. Putabat enim Jacob ſe illic eſſe ſolum: nunc poſtquam apparuit Deus, miratur, & exclamat ſe plus adeptum eſſe quam ſperare auſus fuiſſet. Nec tamen dubium eſt quin Deum invocaverit Jacob, & confiſus fuerit ſibi ducem eſſe itineris: ſed quia non eo uſque progreſſa erat ejus fides, ut perſuaſus eſſet Deum ſibi eſſe tam propinquum, merito gratiam hanc amplificat. Sic quoties nos antevertit Dominus, & plus præſtat quam conceperint mentes noſtræ, exemplo patris noſtri miremur Deum nobis adfuiſſe. Porro ſi quiſque noſtrum reputet quam exigua ſit fides ſua, ſemper omnibus juſta erit ſic loquendi ratio: quis enim moduln ſuo capit immenſam donorum congeriem, qua nos ſubinde cumulat Deus?

17. *Et timuit ac dixit.*] Mirum eſt cur timuerit Jacob, quum tam ſuaviter loquutus eſſet Deos: cur locum vocet terribilem, ubi incredibili gaudio refertus fuerat. Reſpondeo, quamvis ſervos ſuos exhilaret Deus, ſimul incutere illis metum, ut cum vera humilitate, ſuique abnegatione diſcant ejus gratiam amplecti. Non igitur intelligas formidine attonitum fuiſſe Jacob, qualiter reprobi, ſimulae ſe oſtendit Deus, expaveſcunt: ſed incuſſus fuit illi timor piæ ſummiſſionis magiſter. Appoſite etiam locum illum vocat *portam cæli*, propter Dei manifeſtationem. Nam quia Deo in cælis locatur quaſi regia ſedes, vere prædicat Jacob ſe viſo Deo in cælum penetraſſe. hoc ſenſu Euangelii prædicatio vocatur regnum cælorum, & ſacramenta dici poſſunt cælorum portæ, quia in Dei conſpectum nos admittunt. Inſulſe tamen Papiſtæ hunc locum ad ſua templa detorquent, quaſi in fœtidis lupanaribus habitet Deus. Atque ut demus non eſſe impiis ſuperſtitionibus polluta loca quæ hoc titulo inſigniunt, tamen in nullum locum competit hic honor, ex quo Chriſtus deitatis ſuæ præſentia totum mundum implevit. Tantum fidei adminicula (ut nuper docui) quibus nos ad ſe Deus attollit, cælorum portæ vocari queunt.

18. *Et ſurrexit Jacob.*] Refert Moſes ſanctum Patrem non fuiſſe contentum præſenti gratiarum actione, niſi gratitudinis ſuæ memoriam ad poſteros transmitteret. Ergo monumentum erigens, nomenque loco imponens, dignum eſſe ſignificat tam inſigne Dei beneficium quod ſeculis omnibus celebretur. Ideo Scriptura non tantum fideles jubet canere Deo laudem inter ſuos æquales, ſed illis etiam præcipit ut filios ad officia pietatis erudiant, cultumque Dei propagent ad nepotes. *Et poſuit eum in ſtatuam.* Non intelligit Moſes factum eſſe ex lapide idolum, ſed ut viſionis inſigne *memorem* foret. Utitur quidem Deus hac voce מַצֵּבָה, quum ſtatuas ſibi erigi vetat, Levit. 26. verſ. 1. quia ad venerationem fere proſtabant omnes ſtatuæ, acſi Dei eſſent imagines. ſed aliud fuit conſilium Jacob, nempe ut teſtimonium relinqueret viſionis ſibi exhibitæ, non autem ut Deum ſymbolo illo vel figura repræſentaret. Non ergo poſitus fuit ab eo lapis, ut in craſſam aliquam ſuperſtitionem deprimeret hominum mentes, ſed potius ut ſurſum erigeret. Oleum adhibuit quaſi conſecrationis ſignum: neque immerito. nam quum in mundo nihil ſit niſi profanum abſque Spiritu Dei, nulla eſt etiam pura religio niſi quam cæleſtis unctio ſanctificat. Atque hue ſpectavit ſolennis conſecrandi ritus, quem Deus in Lege ſua præcepit, ut diſcerent fideles nihil ſuum inferre, ne templum ac Dei cultum pollnerent. Etſi autem nulla adhuc tempore Jacob literis tradita erat doctrina, certum tamen eſt illo pietatis principio fuiſſe imbutum quod Deus ab initio piorum cordibus indidit. Quare non eſt ſuperſtitioni tribuendum quod oleum ſuper lapidem effudit: quin potius teſtatus eſt quod dixi, nullum ſine ſanctificatione Spiritus, placere cultum Deo, vel purum eſſe. Alii ſubtilius philoſophan-

ſophantur, lapidem ſymbolum fuiſſe Chriſti, in quem effuſæ ſunt omnes Spiritus gratiæ, ut de ejus plenitudine hauriant omnes. Sed neſcio an Moſi & Jacob venerit tale aliquid in mentem. Mihi ſufficit quod prius retuli, erectum fuiſſe lapidem, ut teſtis eſſet vel memoriale (ut loquuntur) ejus viſionis, cujus utilitas ad omnes ætates pertinet. Quæritur unde oleum ſancto viro in ſolitudine. Qui reſpondent ab urbe vicina fuiſſe emptum, longe, meo judicio, falluntur. Locus enim tunc vacuus incolis fuit, ut mox dicam. Ego vero potius conjicio, pro temporis neceſſitate, quod non ſemper occurrerent hoſpitia, ſecum aliquid tuliſſe viatici. Porro quia ſcitur frequentem in illis partibus olei uſum fuiſſe, nihil mirum ſi olei lagenulam cum pane geſtaverit.

19. *Et vocavit nomen loci ipſius Bethel.*] Abſurdum eſſe videtur, quod Moſes urbem fuiſſe commemorat, ubi paulo ante dixit, Jacob ſub cælo dormiſſe. Cur enim hoſpitium non quærebat, vel ſe abdebat in aliquem tecti angulum? Sed facilis eſt ſolutio, quod urbs nondum extructa tunc fuerit. neque enim ſtatim obtinuit hoc loci nomen quod Jacob impoſuerat, ſed diu ſepultum latuit: imo quum poſtea illic conditum eſſet oppidum, nulla facta eſt mentio Bethel, acſi nunquam illac tranſiſſet Jacob. Neque enim ſciebant incolæ quid illic geſtum eſſet: ſuo igitur arbitrio vocarunt urbem Luz: quæ nomen hoc retinuit uſque dum Iſraëlitæ occupata terra, quaſi poſtliminio prius nomen quod abolitum fuerat, in communem uſum vocarunt. Notandum autem eſt quod quum poſteri ſtulta æmulatione Deum colerent in Bethel, quia id fiebat præter Dei mandatum, ſevere in illum cultum invecti ſunt Prophetæ, ut locum nominarent Bethaven, hoc eſt, Domuni iniquitatis. Unde colligimus, quam turum non ſit inniti Patrum exemplis ſine Dei verbo. Cavendum ergo ſummopere, ubi agitur de cultu Dei, ne in legem trahatur quod ab hominibus ſemel factum eſt: ſed inflexibilis maneat regula, quam Deus ipſe verbo ſuo præſcripſit.

20. *Et vovit Jahacob votum.*] Voti hujus finis fuit, ut ſe gratum & memorem oſtenderet Jacob, ſi Deum expertus eſſet beneficum. Sic pacifica in Lege offerebant, ad teſtandam ſuam gratitudinem. Quum autem gratiarum actio ſacrificium ſit optimi odoris, quæ huc ſpectabant vota, Dominus ſibi placere oſtendit. Itaque huc quoque nobis ſpectandum eſt, ubi quæritur quidnam & quomodo liceat Deo vovere. Nimia enim eſt quorundam moroſitas, qui in totum damnare vota malunt quam januam aperire ſuperſtitionibus. Atqui ſi perverſa eſt eorum temeritas, qui ſine delectu vota profundunt, cavendum eſt ne ſimus illis ſimiles in adverſa parte, vota omnia promiſcue tollendo. Porro ut legitimum ſit votum ac Deo placeat, primo neceſſe eſt ut tendat in rectum finem: deinde ne quid voveant homines niſi quod per ſe Deo probatur, & quod illis dedit in manum. Ubi excuſſæ fuerint ſingulæ hujus voti partes, videbimus ſanctum Jacob ita ſibi moderatum eſſe, ut horum quæ dixi, nihil omitteret. Primo nihil aliud in animo habet quam gratitudinem ſuam teſtari. Deinde ad legitimum Dei cultum reſtringit quicquid facturus eſt. Tertio, non ſuperbe promittit ſupra quam data eſt facultas, ſed decimas ſuorum bonorum in ſacram oblationem deſtinat. Quare facile refellitur Papiſtarum ſtultitia, qui ut conflatam votorum ſuorum farraginem probent, unum vel alterum votum ſobrie conceptum arripiunt: quum interim eorum licentia nullum modum teneat. quicquid in buccam venit, nihil pudet eos Deo obtrudere: hic ſibi cultum fingit in carnis abſtinentia, alter in peregrinatione, ille ſi dies certos vel cilicio vel aliis rebus ſanctificet. Nec Deo tantum vota nuncupant: ſed quoſcunque viſum eſt ex mortuis, admittunt in ſocietatem hujus honoris. Electionem perpetui cælibatus ſibi arrogant. quid talis protervia ſimile habet vel affine exemplo Jacob, ut ſibi inde integumentum captent? Verum ut hæc omnia ad liquidum conſtent, in primis tenenda eſt verborum expoſitio. Videtur abſurdum eſſe quod Jacob cum Deo pacificitur, ſe fore ejus cultorem ſi dederit quod optat: quaſi vero eum gratuito colere in animo non habuerit. Reſpondeo, hoc minime ex diffidentia naſci quod talis conditio interponitur, quaſi dubitet Jacob de aſſiduo Dei præſidio: ſed infirmitati ſuæ hoc modo conſulere, dum ſe voto concepto ad celebrandam Dei bonitatem comparat. Superſtitioſi non ſecus agunt cum Deo atque cum homine mortali: ſuis ergo illecebris eum delinire tentant. Longe diverſum fuit conſilium Jacob, nempe ut ſe magis ſtimularet ad pietatis officia. Sæpius audierat ex ore Dei, Semper tibi adero. Huic promiſſioni votum annectit, ut ſit quaſi appendix. Videtur quidem prima ſpecie quaſi mercenarius ſervilem in modum agere: ſed quia totus pendet à promiſſionibus ſibi datis, & ad illas format ſuos affectus & verba: nihil aliud quam ſe in fidei confirmationem exercet, & admonicula colligit quæ novit infirmitati ſuæ congruere. Itaque quum panis & veſtium meminit, non eſt quod propterea dicamus illum de terreno ſolum victu fuiſſe ſollicitum: quin potius inſtar fortis athletæ, contra violentas tentationes luctatur. Rerum omnium ſe inopem videbat: fames & nuditas mortem illi aſſidue minabantur, ut de innumeris periculis taceam. Ergo ſeſe armat fiducia, ut omne ſubſidii genus in Dei gratia ſibi repoſitum eſſe ſtatuens, per quævis obſtacula & difficultates pergat. Nam extremæ inopiæ confeſſio eſt quum dicit, Si Dominus panem mihi & veſtitum ſuppediter. Quæritur tamen, quum avus Abraham ſervum ſuum miſiſſet cum ſplendido comitatu, cum camelis & pretioſa ſupellectile, cur nunc Iſaac filium ſuum ableget ſine ullo comite, ac prope ſine viatico. Fieri poteſt ſic fuiſſe dimiſſum, ut crudelis Eſau animus tam miſerabili ſpectaculo ad mollitiem flecteretur. Quanquam alia, meo judicio, potior ratio fuit. Nam Abraham veritus ne filius Iſaac maneret cum ſuis cognatis, jusjurandum exegerat à ſervo ne illum pateretur in Meſopotamiam ire. Nunc quia ſanctum Iſaac cogit neceſſitas aliud de filio Jacob decernere, ſaltem hoc cavet ne quid eum moretur quominus tandem ad ſe redeat. Nullis ergo opibus eum inſtruit, vel lautiti is quæ mentem ejus illaqueant: ſed pauperem & vacuum conſulto amandat, quo expeditior ſit ad reditum. Itaque videmus ut domum patris ſui præferat Jacob regnis omnibus, nec ſibi ſtabilem quietem alibi optet.

21. *Erit Jehova mihi in Deum.*] His verbis ſe obſtrinxit Jacob, ne unquam à puro unius Dei cultu deficiſcat. Nec enim dubium eſt quin hic complexus ſit pietatis ſummam. Sed videtur promittere quod longe ſuperat ejus vires. Neque enim vitæ novitas, ſpiritualis juſtitia, integritas cordis, piaque totius vitæ moderatio penes ipſum erant. Reſpondeo, quum vovent ſancti quæ ab illis requirit Deus, & quorum ex pietatis officio debitores ſunt, ſimul amplecti quod de peccatorum remiſſione, & auxilio ſui Spiritus Dei promittit. Ita ſit ut propriis viribus nihil arrogent: deinde ut quicquid exactæ perfectioni deeſt, non vitiet eorum cultum, quia Deus clementer & paterna indulgentia illi ignoſcit.

22. *Et lapis iſte quem poſui in ſtatuam.*] Hæc ceremonia appendix fuit divini cultus. neque enim externi ritus veros faciunt Dei cultores, ſed tantum pietatis ſunt adminicula. Cæterum quia tunc liberum fuit ſanctis Patribus ubique erigere altaria, libamen fudit Jacob ſuper lapidem: quoniam alio ſacrificio tunc carebat. Non quod ſuo arbitrio Deum coluerit (nam directio Spiritus vice Legis ſcriptæ fuit)

fuit) ſed quod propitio & volente Deo licebat, erexit eo in loco lapidem, qui teſtis eſſet viſionis. Porro hæc loquutio metonymica eſt, Quod lapis erit Bethel: ſicuti uſu communi receptum eſt ad externa ſigna transferre quod proprie rebus figuratis convenit. Quam inſcite hoc ſancto pietatis exercitio abuſa fueris poſteritas, nuper attigi. Quod de offerendis decimis proxime ſequitur, non ſimplex eſt ceremonia, ſed charitatis officium annexum habet. tria enim ordine enumerat Jacob, ſpiritualem cultum Dei: deinde externum ritum, quo pietatem ſuam adjuvet, ac ſimul profiteatur apud homines: tertio oblationem, qua ſe ad fratres benigne juvandos exerceat. neque enim dubium eſt quin decimæ in uſum illum cederint.

Caput XXIX.

ET levavit Jahacob pedes ſuos, & perrexit ad terram filiorum Orientalium.

2. Et vidit, & ecce puteus erat in agro, ecce quoque ibi tres greges pecudum qui cubabant juxta illum: quia è puteo ipſo potum dabant gregibus, & lapis magnus erat ſuper os putei.

3. Et congregabant ſe illuc omnes greges, & revolvebant lapidem ab ore putei, potumque dabant pecudibus: & reſtituebant lapidem ſuper os putei in locum ſuum.

4. Dixit ergo ad eos Jahacob, Fratres mei, unde eſtis? Et dixerunt, De Charan ſumus.

5. Tunc dixit ad eos, Numquid noſtis Laban filium Nachor? Et dixerunt, Novimus.

6. Et dixit ad eos, Numquid eſt pax ei? Et dixerunt, Pax: & ecce, Rachel filia ejus veniens cum pecudibus.

7. Tunc dixit, Ecce, adhuc dies magnus: non eſt tempus ut congregetur pecus: potum date pecudibus, & ite, paſcite.

8. Qui dixerunt, Non poſſumus, donec congregentur omnes greges, & revolvant lapidem ab ore putei, & potum demus pecudibus.

9. Adhuc eo loquente cum eis, Rachel venit cum pecudibus quæ erant patris ſui: quia ipſa paſcebat.

10. Fuit autem quando vidit Jahacob Rachel filiam Laban fratris matris ſuæ, & pecudes Laban fratris matris ſuæ, acceſſit Jahacob, & revolvit lapidem ab ore putei, & potum dedit pecudibus Laban fratris matris ſuæ.

11. Et oſculatus eſt Jahacob Rachel, qui elevavit vocem ſuam, & flevit.

12. Et nunciavit Jahacob ipſi Rachel quod frater patris ſui eſſet, & quod filius Ribeæ eſſet: cucurrit itaque, & nunciavit patri ſuo.

13. Et fuit, quum audiſſet Laban * ſermonem Jahacob filii ſororis ſuæ, cucurrit in occurſum ejus, & amplexatus eſt eum, oſculatuſque eſt eum, & deduxit eum ad domum ſuam: & narravit ipſi Laban omnia hæc.

* vel, nunciam.

14. Tunc dixit ei Laban, Profecto os meum & caro mea es. Et habitavit cum eo menſem integrum.

15. Dixit autem Laban ad Jahacob, Num quoniam fratet meus es, ſervies mihi gratis? indica mihi quæ ſit merces tua.

16. Et Laban *erant* duæ filiæ: nomen majoris, Leah; & nomen minoris, Rachel.

17. Oculi autem Leah erant teneri: at Rachel erat pulchra forma, & pulchra aſpectu.

18. Dilexit itaque Jahacob Rachel: & dixit, Serviam tibi ſeptem annos pro Rachel filia tua minore.

19. Tunc dixit Laban, Melius eſt ut dem eam tibi quam dem eam viro alteri: mane mecum.

20. Servivit itaque Jahacob pro Rachel ſeptem annos: & fuerunt in oculis ejus ſicut dies pauci, eo quod diligeret eam.

21. Poſtea dixit Jahacob ad Laban, Da uxorem meam: quia completi ſunt dies mei, & ingrediar ad eam.

22. Et congregavit Laban omnes viros loci, & fecit convivium.

23. Fuit autem veſperi, in veſpera accepit Leah filiam ſuam, & adduxit eam ad illum, & ingreſſus eſt ad eam.

24. Et dedit Laban ei Zilpah ancillam ſuam, Leah filiæ ſuæ ancillam.

25. Et fuit mane, & ecce erat Leah: & dixit ad Laban, Quid hoc feciſti mihi? numquid non pro Rachel ſervivi tibi? & utquid decepiſti me?

26. Tunc dixit Laban, Non fit ita in loco noſtro, ut detur minor ante primogenitam.

27. Comple hebdomadam hujus, & dabimus tibi etiam hanc pro ſervitute quam ſervies mihi adhuc ſeptem annos alios.

28. Fecit ergo Jahacob ſic, & complevit hebdomadam illius: & dedit ei Rachel filiam ſuam in uxorem.

29. Et dedit Laban Rachel filiæ ſuæ Bilhah ancillam ſuam, in ancillam.

30. Et ingreſſus eſt etiam ad Rachel: & dilexit etiam Rachel magis quam Leah: ſervivitque ei adhuc ſeptem annos alios.

31. Vidit autem Jehova quod exoſa eſſet Leah, & aperuit vulvam ejus, & Rachel erat ſterilis.

32. Et concepit Leah, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Reuben: quia dixit, Nempe vidit Jehova afflictionem meam. nunc enim diliget me vir meus.

33. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, Quia audivit Jehova quod exosa essem, dedit mihi etiam hunc. Et vocavit nomen ejus Simeon.

34. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, Nunc vice hac copulabitur vir meus mihi, quia peperi ei tres filios. Idcirco vocavit nomen ejus Levi.

35. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, Vice hac confitebor Jehovæ. Idcirco vocavit nomen ejus Jehudah: & destitit à pariendo.

1. *Et levavit Jahacob pedes suos.*] Refert jam Moses adventum Jacob in Mesopotamiam, & quomodo à Laban avunculo suo exceptus fuerit. Tametsi autem videtur supervacua esse narratio, nihil tamen continet non utile cognitu. Præclarum enim fidei robur commendat in Jacob, quum dicit levasse pedes, ut veniret in terram incognitam. Rursum Dei providentiam vult à nobis expendi, quod inciderit Jacob in pastores Laban, à quibus in hospitium quod quærebat, deductus est. Neque enim hoc fortuito contigit, sed occulta Dei manu in illum locum directus est: & simul divinitus oblati sunt pastores, qui eum docerent ac certiorem redderent de omnibus. Ergo quoties inter perplexos circuitus incerti vagabimur, fidei oculis contemplanda est arcana Dei providentia, quæ nos nostraque negotia gubernans, ad insperatos exitus perducit.

4. *Fratres mei, unde estis?*] In hoc congressu appareat quanta fuerit seculi illius integritas. Etsi enim fraternum nomen sæpe ab improbis & sceleratis per abusum polluitur, non dubium tamen est quin tunc fidelius culta fuerit humana societas. Hinc fit ut Jacob fratres compellet homines ignotos, haud dubie ex recepto usu. Frugalitas autem in eo perspicitur quod Rachel operam suam gregi aliquando impendit. nam quum servis abundet Laban, qui fit ut filiam suam ad vile & sordidum ministerium demittat, nisi quia turpe erat in otio, mollitie, ac deliciis educare liberos? Sicut hodie contra, postquam ambitio, superbia, & mollior cultus mores effœminarunt, vilescit cura rei domesticæ, ut magnam partem officii sui pudeat. Ex eadem morum integritate manavit quod Jacob ad consobrinæ suæ osculum properare ausus est. nam in vita casta & modesta multo major erat libertas. Hodie impuritas & libidinum intemperies facit, ut non modo suspecta sint oscula, sed aspectus quoque metuatur. neque immerito: quando mundus omne genus corruptelis refertus est; tantaque perfidia grassatur ut rari sint virorum & mulierum pudici congressus. Quare antiqua illa simplicitas acerbos gemitus exprimere nobis debet, ut fœda hæc corruptio in quam prolapsus est mundus, nobis displiceat, neque nos ac domos nostras inficiat ejus contagio. Cæterum in contextu Mosis inversa est series. Neque enim prius osculatus est Rachelem Jacob quam docuisset se esse ejus cognatum. Atque hinc etiam ille fletus: quia partim gaudio, partim memoria domus paternæ, humanoque affectu in lacrymas erumpit.

13. *Et narravit ipsi Laban omnia hæc.*] Quum prius vidisset Laban unum ex servis Abrahæ non vulgari opulentia refertum, sinistra de nepote opinio statim illi venire in mentem potuit. Ergo necesse fuit sancto Jacob discessus sui causas exponere, & cur in illo contemptibili habitu dimissus esset. Et credibile est à matre fuisse edoctum, quibus indiciis ac notis fidem suæ cognationis faceret. Ideo exclamat Laban, *Vere os meum & caro mea es*, significans satis sibi esse factum: ac signis minime dubiis persuasum se adduci ut Jacob agnoscat nepotem. Hæc notitia eum ad humanitatem inclinat. Nam hoc dictat naturæ sensus, ut qui sanguine conjuncti sunt, alii alios juvare studeant. Quanquam autem arctius est inter cognatos vinculum, latius tamen patere debet nostra benignitas, ut se ad totum humanum genus diffundat. Quod si inter se ultro citroque conjuncti sunt omnes Adæ filii, multo efficacior esse debet spiritualis cognatio, quam Deus inter fideles conciliat, & qua nullum est sanctius mutuæ benevolentiæ vinculum.

14. *Et habitavit cum eo mensem integrum.*] Quanquam non dubitat Laban quin Jacob suus ex sorore sit nepos, ejus tamen mores unius mensis decursu explorat. Deinde cum eo de mercede transigit. Hinc autem colligitur sancti viri probitas, quod ignavus non fuit apud avunculum, sed se honestis laboribus exercuit, ne gratis in otio alienum panem ederet: ut fateri cogatur Laban, ei præter victum, mercedis aliquid deberi. Quum dicit, *Numquid, quoniam frater meus es, servies mihi gratis?* potest duplex esse sensus: vel quod nimis absurdum sit ac injurium, fraudare justa mercede propinquum, cujus major habenda sit ratio quam extranei cujuslibet: vel quod sub colore propinquitatis nolit gratuitas operas exigere. Hæc secunda expositio melius quadrat: sicuti etiam fere omnium consensu recepta est. Nam uno contextu legunt, *An quia tu frater meus es, ideo servies gratis?* Porro notandum est quorsum hæc narrentur à Mose. Nam primo summa æquitas nobis proponitur in Laban: sicuti hic sensus fere omnium mentibus ingenitus est, Justitiam mutuo colendam esse, donec alio ipsos abstrahit cæca cupiditas. Et Deus æquitatis judicium insculpsit hominum naturæ, ut prorsus excusatione careant quicunque immodico privati commodi studio ab ea regula declinant. Sed paulo post, ubi ad rem ventum est, Laban hujus æquitatis oblitus, tantum quid sibi utile sit cogitat. Notabile certe exemplum, nam raro in generalibus principiis errant homines, ideo fateniur uno ore jus suum cuique reddendum. Simul autem atque ad propria negotia descendunt, excæcat eos perversus sui amor, vel saltem tales nebulas obducit ut in contrariam partem ferantur. Quare discamus frenum nobis injicere, ne propria utilitas ad opprimendam justitiam prævaleat. Atque hinc natum est proverbium, Neminem in sua causa idoneum esse judicem: quia singuli plusquam par est sibi addicti, quid rectum sit obliviscuntur. Quare rogandus Deus ut affectus nostros Spiritu recti judicii temperet ac cohibeat. Quod ex compacto agere vult Laban, ad vitandas lites & querelas valet. Notum est vetus illud dictum, Legitime agendum esse cum amicis, ne legitime agere postea cogamur. Unde enim tot strepitus forenses, nisi quod quisque plus æquo erga se liberalis, in alios est restrictior? ideo certis pactionibus opus est ad concordiam fovendam, quæ iniquitatem hinc inde præveniant.

18. *Serviam tibi septem annos.*] Momento se prodit iniquitas Laban. Turpis enim barbaries est, quod filiam suam mercedis loco permutat eum operis Jacob. Nam hæc quædam est venditionis species. Potius debuerat non modo filiæ dotem consignare, sed liberalius agere cum futuro genero. Atqui affinitatis prætextu laboris eum mercede fraudat, quod prius injustum esse confessus est. Clare ergo perspicimus quod prius attigi, Quamvis ex utero matris generalem justitiæ notitiam habeant homines, simul tamen ac eorum utilitas in medium prodit, reipsa injustos esse, nisi Dominus eos Spiritu suo reformet. Neque enim hic rarum aliquid vel infolitum

litum refert Moſes, ſed quod fere ſemper accidit. Etſi enim filiæ ad quæſtum non proſtant, pleroſque tamen ſic transvehlos agit lucri cupiditas, ut proſtituant honorem ſuum, animaſque vendant. Cæterum quod in amorem Rachel magis propenſus fuit Jacob, ſive quia propter lippitudinem minus formoſa erat Lea, ſive quod ſola oculorum gratia placebat, quum Rachel formæ elegantia omni ex parte excelleret, non eſt penitus vitio tribuendum. Videmus enim ut naturaliter arcanus quidam affectus amores conciliet. Tantum cavenda eſt intemperies, & quidem eo diligentius, quod difficile eſt ejuſmodi affectus frenare, ne ad ſuffocandam rationem laſciviant. Ergo qui formæ elegantia ducetur in appetenda uxore, non ſimpliciter peccabit, modo ſemper emineat ratio quæ in ordinem & obſequium amoris laſciviam cogat. In eo tamen forte peccavit Jacob, quod nimium ſibi indulgens, cum primogenitæ injuria Rachelem natu minorem ſibi dari petiit: imo etiam quod oculos ſuos ſequutus, minoris quam decebat fecit virtutes Leæ. hæc enim nimis vitioſa eſt intemperies, quum ſibi quis uxorem ex formæ tantum intuitu eligit, quum ingenii præſtantia ordine præire debeat. Vehementia autem & fervor amoris in eo ſe profert, quod nullum ſentit laboris tædium per ſeptem annos: ſed caſtitas ſimul conjuncta fuit, quod tam longum tempus patienter & quieto animo inter aſſiduos labores tranſegit. Ac iterum refulget ſeculi illius integritas & continentia, quod quum ſub eodem habitarent tecto, & familiaris uſus intercederet, pudice tamen ſe geſſerit Jacob, & ab omni flagitio abſtinuerit. Ideo poſt exactum tempus dicit, *Da mihi uxorem ut ingrediar ad eam*: quo ſignificat intactam adhuc eſſe virginem.

22. *Et congregavit Laban.*] Non intelligit Moſes inſtructam fuiſſe cœnam toti populo, ſed plurimos vocatos fuiſſe convivas, ut in ſplendidis nuptiis fieri ſolet. Nec dubium eſt quin majore ſtudio incubuerit ad convivium illud ornandum, ut pudore obſtrictum teneret Jacob: ne conjugium in quo deceptus erat, pro nihilo tamen ducere auderet. Hinc autem colligimus, quanta fuerit tunc conjugalis thori religio. Hæc enim occaſio fallendi Jacob fuit, quod ut ſponſarum pudori conſulerent, velatas ducebant in cubiculum: nunc rejecta veteri diſciplina, homines facti ſunt quaſi ſemibeſtiæ.

25. *Et dixit ad Laban.*] Juré expoſtulat Jacob de fraude ſibi facta. Et reſponſio Laban, tametſi habet aliquid coloris, fraudem tamen minime excuſat. Non erat moris elocare filias natu minores, majoribus præteritis: & injuriam feciſſet primogenitæ conſuetum ordinem turbando. ſed non ideo debuit doloſe ſpondere Rachelem, & in locum ejus Leam ſupponere. Potius debuit in tempore monere ipſum Jacob ut animum adjiceret ad Leam, vel ab utroque conjugio deſiſteret. Sed hinc diſcamus improbos & fallaces, ubi ſemel deflexerint, nullum facere peccandi finem: interea fucum ſemper aliquem obtendere, ut culpam à ſe rejiciant. Injuſte prius egerat cum nepote, ſeptem annorum operas pro filia exigendo: injuſte ſine dote filiam mercedis loco proſtituerat: hoc vero longe indignius, ſponſam perfide nepoti furari, pervertere ſacras conjugii leges, nihil integrum vel ſalvum relinquere. Videmus tamen ut tumum ſpargens, honeſtam defenſionem ſe habere putet, quia mos regionis non erat minores præferre majoribus.

27. *Comple hebdomadam hujus.*] Jam occalluit Laban ad maleficia, alteros enim ſeptem annos nepoti extorquet ut illi nubat altera filia. Si decem alias habuiſſet, paratus fuiſſet omnes exponere: imo filiam ultro quaſi venalem obtrudit, ſuſque deque faciens illicitæ nundinationis dedecus, modo inde lucrum reportet. In eo autem graviter peccat, quod non tantum polygamia implicat nepotem ſuum; ſed inceſtis conjugiis ipſum & filias polluit. Si qua uxor à marito non diligitur, eam repudiari præſtat quam altera inducta teneri velut captivam, & mœrore confici. Itaque Dominus per Malachiam, divortium polygamia magis tolerabile eſſe pronunciat. Laban avaritia cæcus, filias inter ſe committit, ut hoſtiliter tota vita diſſideant. Pervertit etiam omnia naturæ jura, dum germanas ſorores in lectum unum conjicit, ut altera ſit alterius pellex. Quum hæc flagitia Iſraëlitis proponat Moſes in generis ſui primordiis, non eſt quod eos inflet ſua nobilitas, ut nimium glorientur ſe ex Patribus ſanctis eſſe genitos. Quantumvis enim excellat Jacob, non tamen illi naſcitur ſoboles niſi ex impura colluvie, dum præter naturam miſcentur uno in lecto duæ ſorores quaſi belluino more, & duæ poſtea concubinæ velut in cumulum accedunt. Vidimus quidem ſupra, hanc licentiam nimis fuiſſe vulgarem inter Orientales: ſed non fuit in hominum arbitrio, legem conjugii divinitus ab initio ſancitam, prava conſuetudine evertere. Itaque modis omnibus inexcuſabilis eſt Laban. Etſi autem culpam Jacob aliquatenus excuſat neceſſitas, non tamen eum prorſus abſolvit. Poterat enim Leam dimittere, quod uxor non eſſet legitima. Conjugium enim facit, mutua maris & fœminæ voluntas & conſenſus: cui nihil magis contrarium eſt quam error. Jacob autem ſic eam uxorem, à qua ſolutus erat ac liber, invitus retinet, ut malum duplicet polygamia, triplicet vero inceſtuoſis nuptiis. Ita videmus eſſe rbuiſſe immodicum amorem Rachelis, qui ſemel in ejus animo accenſus fuerat, ut neque moderatio neque conſilium vigeret. Quod ad verba ſpectat, diverſos ſenſus afferunt interpretes. Quidam pronomen demonſtrativum ad hebdomadem referunt: alii vero ad Leam: quaſi dictum eſſet, non ducturum eſſe Rachelem donec habitaſſet cum ſorore ejus hebdomade una. Ego vero potius de Rachele interpretor, ut conjugium ejus altero ſeptennio redimat: non quod Laban in finem uſque illius temporis diſtulerit nuptias, ſed quia in novam ſervitutem ſe addictre coactus eſt Jacob.

Mal. 2. verſ. 14.

30. *Et dilexit etiam Rachel magis quam Lea.*] Non dubium eſt quin Moſis conſilium fuerit traducere peccata Jacob: ut nobis timere diſcamus, omneſque noſtras actiones ad unicam verbi Dei normam exigere. Nam ſi ita prolapſus eſt ſanctus Patriarcha, quis noſtrum à ſimili ruina ſecurus erit, niſi Dei præſidio ſervetur? Et ſimul apparet quam periculoſa ſit Patrum imitatio, poſthabita Lege Domini. Et tamen in ea ſibi tantopere placent ſtulti Papiſtæ, ut pro Lege ſervandum non dubitent quicquid à Patribus factum legunt. Adde quod ſibi Patres aſciſcunt talibus filiis dignos: ut delirus quilibet monachus pluris ſit apud eos quam omnes Patriarchæ. Quod ſpernitur Lea à marito, non ſine ejus culpa accidit: meritoque eam Dominus caſtigat, quod ipſa quoque paternæ fraudis conſcia, ſorori maritum indigne abduxerat. ſed ejus culpa non excuſat libidinem Jacob.

31. *Et vidit Dominus.*] Hoc loco oſtendit Moſes præpoſterum amorem Jacob fuiſſe correctum à Domino, ut ſolet fidelium affectus, quum nimis bulliunt, ferulis domare. Diligitur Rachel non ſine ſororis injuria, cui non habetur debitus honor. Dominus ergo ſe vindicem interponit, & apto remedio animum Jacob flectit in eam partem à qua nimis averſus erat. Docet autem hic locus, ſobolem peculiare eſſe donum Dei, quum illi diſerte tribuitur hæc poteſtas, quod alteram reddat fœcundam, alterius uterum maledicat. Notandum præterea quod ſobolis procreatio maritos uxoribus magis conciliet. Unde & communes liberos veteres dixerunt pignora: quia ad augendum mutuum amorem & fovendum non parum valeant. Quod Moſes exoſam fuiſſe Leam tradit, ſenſus eſt, non fuiſſe dilectam ut par erat. Neque enim infenſus illi erat Jacob, vel eam odio

odio prosequebatur: sed hoc verbo amplificat Moses vitium illud, quia non præstabat mariti officium, nec satis amice & bonorifice priorem uxorem tractabat. Hoc diligenter notare operæpretium est, quia multi se defunctos putant, modo ne erumpant in odium capitale. Videmus autem ut Spiritius sanctus odio haberi pronunciet qui non satis amantur. Jam scitur, in hunc finem creatos esse homines, ut inter se diligant. Quare nemo ab odii crimine innocens erit coram Deo, nisi qui proximos suos amore complectitur. Non modo obscura simultas in odium reputabitur, sed neglectus fratrum, & frigus charitatis, quod passim regnat in mundo. Cæterum ut singuli propius inter se conjuncti sunt: ita danda illis opera est ut sanctiore amoris nexu inter se cohæreant. Adde quod inter conjuges, etiamsi aperte non dissideant, si tamen minus amanter se colugt, fastidium non procul abest ab odio.

32. *Vocavit nomen ejus Reuben.*] Refert Moses Leam non fuisse Deo ingratam. Nec sane dubito quin tunc melius expensa vulgo fuerint Dei beneficia quam hodie. Profanus enim stupor mentes fere omnium occupat, ut pecudum instar, quæcunque bonitatis suæ documenta profert Deus, ingurgitent. Porro Lea non modo suæ fœcunditatis Deum facit auctorem, sed causam simul assignat, quod afflictio sua respecta fuerit à Domino, & filius fuerit datus, qui mariti affectum ad ipsam convertat. Unde probabile est, quum se videret contemni, ad preces confugisse, ut levamen aliquod è cælo haberet. Nam gratiarum actio documentum est quod se homines ante in precibus exercuerint: sicuti qui nihilà Deo sperarunt, sua socordia obruunt quicquid bonorum in eos contulerit. Insculpit ergo Lea in persona filii *ανάμνησιν*, quo se ad Dei laudes incitet. Docet etiam hic locus respici à Domino qui injuste ab hominibus spernuntur. Unde apprime utilis consolatio redit ad fideles, quos ut plurimum contemptibiles esse in mundo experientia ostendit. ergo quoties duriter ac contumelioſe tractantur, ad hoc asylum confugiant, hac de causa magis propitium esse Deum. Idem sequuta est in secundo filio Lea. Nam abaudito nomen illi imponit, ut sibi in memoriam revocet exauditos à Domino fuisse suos gemitus. Unde conjicimus (quod paulo ante dixi) quo tempore urgebat afflictio, deposuisse suos dolores in sinum Dei. Tertium filium à conjunctione nominat: acsi diceret, jam novam copulam intercedere, ut magis ametur à marito. In quarto suam rursus erga Deum pietatem declarat. nam eum à laude ideo nuncupat quod singulari Dei beneficio datus sit. Jam prius quidem gratias egerat Domino: sed quia uberior laudis materia suppetit, fatetur non semel neque uno modo, sed sæpius se Dei gratia adjutam esse.

CAPUT XXX.

PORRO vidit Rachel quod non pareret ipsi Jahacob: & invidit Rachel sorori suæ, & dixit ad Jahacob, Da mihi filios: sin minus, mortua sum.

2. Et iratus est furor Jahacob in Rachel, & dixit, Numquid pro Deo sum, qui prohibuit à te fructum ventris?

3. Et dixit, Ecce ancilla mea Bilhah, ingredere ad eam, & pariet super genua mea: & erit etiam mihi filius ex ea.

4. Dedit ergo ei Bilhah ancillam suam in uxorem, & ingressus est ad eam Jahacob.

5. Et concepit Bilhah, & peperit ipsi Jahacob filium.

6. Et dixit Rachel, Judicavit me Deus, & etiam audivit vocem meam, & dedit mihi filium. idcirco vocavit nomen ejus Dan.

7. Et concepit adhuc, & peperit Bilhah ancilla Rachel filium secundum ipsi Jahacob.

8. Tunc dixit Rachel, Luctationibus divinis luctata sum cum sorore mea: etiam prævalui. Et vocavit nomen ejus Nepthali.

9. Vidit autem Leah quod cessasset parere, & accepit Zilpah ancillam suam, & dedit eam Jahacob in uxorem.

10. Et peperit Zilpah ancilla Leah ipsi Jahacob filium.

11. Et dixit Leah, Venit turba. & vocavit nomen ejus Gad.

12. Et peperit Zilpah ancilla Leah filium secundum ipsi Jahacob.

13. Et dixit Leah, Ut beata dicar, quia beatam me dicent filiæ. Et vocavit nomen illius Aser.

14. Ivit autem Reuben in diebus messis triticeæ, & reperit mandragoras in agro, & attulit eas Leah matri suæ. Et dixit Rachel ad Leah, Da quæso mihi de mandragoris filii tui.

15. Et dixit ei, Numquid parum est quod abstuleris virum meum, ut auferas etiam mandragoras filii mei? Et dixit Rachel, Idcirco dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.

16. Venit autem Jahacob ex agro vesperi, & egressa est Leah in occursum ejus, & dixit, Ad me ingredieris: quia mercando mercata sum te mandragoris filii mei. Et dormivit cum ea nocte illa.

17. Exaudivit Deus Leah, & concepit, & peperit ipsi Jahacob filium quintum.

18. Tunc dixit Leah, Dedit Deus mercedem meam: quia dedi ancillam meam viro meo. Et vocavit nomen ejus Issachar.

19. Et concepit adhuc Leah, & peperit filium sextum ipsi Jahacob.

20. Dixit ergo Leah, Dotavit me Deus dote bona: vice hac habitabit mecum vir meus: quia peperi ei sex filios. Et vocavit nomen ejus Zebulon.

21. Et postea peperit filiam: & vocavit nomen ejus Dinah.

22. Porro recordatus est Deus Rachel, & exaudivit eam Deus, & aperuit vulvam illius:

23. Et concepit, & peperit filium, & dixit, Amovit Deus probrum meum.

24. Et vocavit nomen ejus Joseph, dicendo, Addat Jehova mihi filium alium.

25. Fuit

25. Fuit autem quum peperiſſet Rachel Joſeph, dixit Jahacob ad Laban, Dimitte me; & ibo ad locum meum, & ad terram meam.

26. Da uxores meas, & liberos meos, propter quas ſervivi tibi, & ibo: tu enim noſti ſervitium meum quo ſervivi tibi.

27. Et dixit ad eum Laban, Si, quæſo, inveni gratiam in oculis tuis (expertus ſum quod benedixit mihi Jehova propter te)

28. Dixit ergo, Indica mercedem tuam mihi, & dabo.

29. Et dixit ad eum, Tu noſti qualiter ſervierim tibi, & quale fuit pecus tuum mecum:

30. Quia puſillum quod fuit tibi ante me, erevit in multitudinem, & benedixit Dominus tibi ad *ingreſſum* pedis mei: & nunc quando faciam etiam ego domui meæ?

31. Et dixit, Quid dabo tibi? Reſpondit Jahacob, Non dabis mihi quicquam, ſi feceris mihi hoc, revertar, paſcam, pecudes tuas cuſtodiam.

32. Tranſibo per omnes pecudes tuas hodie, removendo inde omne pecus parvum punctis parvis reſperſum, & reſperſum maculis latis: & omnem agnum rufum in ovibus, & reſperſum maculis latis, & reſperſum punctis parvis in capris: & erit merces mea.

33. Et teſtificabitur mihi juſtitia mea die craſtino quum venerit ad mercedem meam coram te: quicquid non erit punctis parvis reſperſum, & maculis latis reſperſum in capris, & rufum in ovibus, furto ablatum erit à me.

34. Tunc dixit Laban, Ecce utinam ſit ſecundum verbum tuum.

35. Removit itaque in die illa hircos minores variegatos, & maculis latis reſperſos, & omnes capras punctis parvis reſperſas, & maculis latis reſperſas, omne in quo erat candor, & omne rufum in ovibus, & dedit in manus filiorum ſuorum.

36. Et poſuit viam trium dierum inter ſe & inter Jahacob: & Jahacob paſcebat pecudes Laban reſiduas.

37. Tulit autem ſibi Jahacob virgam populeam viridem, & amygdalinam, & caſtaneam, & decorticavit in eis cortices albos, denudationem candoris qui erat in virgis.

38. Et ſtatuit virgas quas decorticavit, in fluentis, in canalibus aquarum (ad quos veniebant pecudes ad bibendum) è regione pecudum, ut coirent dum venirent ad bibendum.

39. Et coibant pecudes prope virgas, & pariebant pecudes *fœtus* lineis diſtinctos, & punctis parvis reſperſos, & maculis latis reſperſos.

40. Et oves ſeparavit Jahacob, & poſuit facies pecudum ad *fœtus* lineis diſtinctos: & omne rufum in pecudibus *erat* Laban: & poſuit ſibi greges ſeorſum, & non poſuit eos juxta pecudes Laban.

41. Fuit autem, in omni coitu pecudum primitivarum ponebat Jahacob virgas in oculis pecudum in canalibus, ut coirent ad virgas.

42. Ad ſerotinos vero coitus pecudum non ponebat. & erant ſerotina ipſius Laban: primitiva autem ipſius Jahacob.

43. Crevit vir ergo ſupra modum: fueruntque ei pecudes multæ, & ancillæ, & ſervi, & cameli, & aſini.

1. *Et vidit Rachel.*] Hic incipit narrare Moſes domeſticis jurgiis diſtractum fuiſſe Jacob. Quanquam autem Dominus de eo pœnam ſumebat, quod uxores duas, & præcipue ſorores ducendo, non leviter peccaſſet, fuit tamen paterna caſtigatio: & Deus ipſe, ut filiis ſuis clementer igooſcere ſolet, manum quodammodo ſuſtinuit. Unde etiam factum eſt ut non ſtatim reſipuerit, ſed nova delicta addiderit prioribus. Primo autem de Rachele dicendum eſt. Quia ſororis contemptu & dolore exultat, Dominus hanc pravam lætitiam compeſcit, benedictionem ſuam in Leam inclinans, ut æqualis ſit utriuſque conditio. Audit claram ſororis confeſſionem: & quatuor filiorum nominibus monetur, Deum illius miſertum eſſe, ut gratia ſua ſublevaret, quæ indigne ab hominibus deſpecta erat. Invidia tamen uritur, nec ferre poteſt quicquam in ea eſſe uxoriæ dignitatis. Videmus quid faciat ambitio. Dum enim excellere appetit Rachel, ne ſorori quidem parcit: ac parum abeſt quin iracundiam ſuam evomat in Deum, quia fœcunditatis dono eam ornavit. Æmulatio enim non ex injuriis nata eſt: ſed quia ſociam ferre ac parem non ſuſtinet, quæ tamen jure inferior erat. quid faceret provocata, quæ ſorori ſua ſorte contentæ invidet? Porro Moſes huoc morbum in Rachele oſtendens, omnibus infixum eſſe admonet, ut quiſque noſtrum evulſis ejus radicibus, ad ſe purgandum iovigilet. Ut autem medeamur invidiæ, ſuperbiam faceſſere ac noſtri amorem oportet: ſicuti Paulus hoc unum contentionibus remedium præſcribit, ne quid per inanem gloriam fiat. *Phil. 2. verſ. 3.*

2. *Et iratus eſt furor Jahacob.*] Impedit amoris mollities ne uxorem offendat Jacob: rei tamen indignitas tandem eum cogit, quum videt eam petulanter inſurgere, non modo in ſororem, quæ pie ſancteque cum gratiarum actione Dei donis fruebatur: ſed in Deum ipſum, cujus merces eſt fructus ventris, ut habetur Pſalm. 127. verſ. 3. Ergo iraſcitur Jacob quod uxor nihil tribuat Dei providentiæ, ac liberos fortuito naſci fingens, illi generis humani curam ac gubernationem eripiat. Forte jam triſtis erat Jacob ob uxoris ſterilitatem. Nuoc ergo veretur ne ipſius ſtultitia Deum magis exaſperet, ut durioribus flagellis utatur. Hæc ſancta fuit indignatio, quum Deo legitimum honorem afferat Jacob, & uxorem caſtigans, admonet neque temere neque fruſtra accidiſſe quod hactenus fuerit ſterilis. Nam quum affirmat uterum ejus clauſum fuiſſe à Domioo, eam oblique perſtringit ut ſe potius humiliet.

3. *Ecce ancilla mea Bilha.*] Hic vaoitas muliebris ingenii perſpicitur. Neque enim inducitur Rachel ut ad Dominum confugiat, ſed illicitis artibus prorumpit ad victoriam. Itaque ad tertium conjugium rapitur Jacob. Unde colligimus nullum eſſe peccatis finem, ubi ſemel neglecta eſt Dei inſtitutio. Atque

hoc eſt quod dixi, non ſtatim Dei ferulis reductum ad ſanam mentem. Facit quidem hoc uxoris impulſu: ſed an uxor illi pro Deo eſt, à quo ſolo conjugii lex petenda eſt? Atqui ut morigerum ſe uxori præheat, vel ejus importunitati obtemperet, recedere non dubitat à Dei mandato. Parere ſuper genua, nihil aliud eſt quam fœtum alteri educandum tradere. Ancilla erat Bilha. Sibi igitur non peperit, ſed dominæ, quæ fœtum ſibi vendicans, inde matris honorem adepta eſt. Ideo exegetice additur, *filiabor*, vel ædificabor, *ex ea*. nam verbum quo hic utitur Moſes, à filio deducitur: quia liberi ſuni quaſi domus fulcura. Impie vero Rachel, quæ perverſo medio non ſecus ac invito Deo materfamilias fieri appetit.

5. *Et concepit Bilha.*] Mirum eſt quod Deus adulterinum conjugium prolis bonore dignatus fuerit: ſed ita interdum beneficiis certat cum hominum malitia, & indignos ſua gratia proſequitur. Nec vero ſemper æqualiter punit ſuorum delicta: nec torporem eadem celeritate excutit, ſed maturum correctionis tempus expectat. Itaque inter legitimos filios cenſeri voluit qui ex hoc vitioſo conjugio progeniti erant: ſicuti paulo ante Moſes uxorem vocavit Bilha, quæ tamen pellex dici merebatur. Atque hic ceſſat vulgaris regula, Quod ab initio non valuit, nunquam tractu temporis convaleſcere. Quamvis enim irrita eſſet pactio, in quam maritus & uxor perperam contra Dei mandatum, ſanctumque naturæ ordinem deſcenderant, ſit tamen ſingulari privilegio ut conjugii bonorem obtineat quæ per ſe adulterina erat conjunctio. Tandem vero incipit Rachel Deo adſcribere quod ſuum eſt: ſed hæc ejus confeſſio ambitione implicita, nihil ſincerum vel rectum ſpirat. Magnifice prædicat ſuſceptam fuiſſe cauſam ſuam à Domino. Quaſi vero læſa eſſet à ſorore, ut Dei favore erigi debuerit, quaſi etiam non ſe privare tentaverit ejus auxilio. Videmus ergo ut ſub laudis ſpecie, potius injuriam Deo faciat, eum ſuæ cupiditati ſubjiciens. Adde quod hypocritas imitatur, qui in rebus adverſis contra Deum clauſis oculis ruentes, ubi proſperior afflavit fortuna, ventoſa jactantia inſolescunt, acſi omnibus eorum factis & dictis faveret Deus. Non tam ergo Dei bonitatem celebrat Rachel quam ſibi ipſa plaudit. Quare ejus exemplo edocti fideles, abſtineant à ſacro Dei nomine per hypocriſin polluendo.

8. *Luctationibus divinis.*] Alii vertunt, Conjunctionibus Dei conjuncta ſum: ut glorietur ſe recuperaſſe quod perdiderat: vel certe, gradu honoris ſe æquatam fuiſſe ſorori. Alii, Duplicata ſum duplicatinnibus Dei. Utrique vero deducunt nomen & verbum à radice נפל, quod eſt filum retortum. Et prior quidem ſenſus huc redit, quum parem ſortem adepta ſit Rachel, non eſſe jam cur ſoror quicquam ſibi proprium arroget. Alter vero majorem jactantiam exprimit, dum ſe victricem & quaſi duplo ſuperiorem facit. Simplicior tamen ſenſus ab aliis (meo judicio) affertur, quod luctata ſit divinis aut præclaris luctationibus. Nam Hebræi omnem excellentiam Dei nomine ſignificant: quia ut maxime unaquæque res excellit, ita Dei gloria in ea refulget. Atqui perverſa eſt gloriatio qua ſorori inſultat, quum potius veniam ſuppliciter precari debuerit. In Rachele autem nobis depingitur humani ingenii ſuperbia: quia ut plurimum ita ſe efferunt quos Deus ſuis beneficiis ornavit, ut in proximos ſuos contumelioſe ferociant. Adde quod ſtulte ſe præfert in fœcunditate ſorori, qua adhuc eſt inferior. Sed hunc quoque morem habent qui faſtuoſe inflati ſunt, ut præ ſuis opibus, licet exiguis, quæ aliis Dominus contulit dona, maligne extenuent. Forte etiam numeroſam ſobolem, acſi Deum haberet ſibi obnoxium, ſperavit: non qualiter ſolent pii ex acceptis beneficiis ſpem concipere: ſed ſecura carnis præſumptione ſibi ex re ipſa nihil non promiſit. Nullum igitur hactenus piæ modeſtiæ ſignum dedit. Unde hoc, niſi quia temporalis ſterilitas nondum eam probe domuerat? Quo magis cavendum eſt, ſiquando nobis pœnas relaxat Deus, ne ejus benignitate inflati evanelcamus.

9. *Et vidit Leah quod ceſſaſſet parere.*] Redit Moſes ad Leam quæ filiis quatnor non contenta, rationem excogitat qua ſemper retineat ſuperiorem gradum: itaque ancillam quoque ſuam viciſſim ſupponit. Et digna quidem erat Rachel tali perverſi conſilii mercede. nam ſorori palmam eripere cupiens, non reputat, idem quod in eam machinatur, ſibi paulo poſt inſtare. Gravius tamen peccat Lea, quum malis & imprnbis artibus certat. Intra breve tempus experta fuerat miram Dei benedictiooem: nunc quia pauliſper parere deſiit, quaſi nunquam experta eſſet Dei gratiam, in poſterum deſperat. Quod ſi eam ſollicitat deſiderii fervor, cur non ad fontem benedictionis recurrit? Quod igitur obtrudit ancillam, non impatientiæ modo, ſed etiam diffidentiæ ſignum eſt: quia ſimul cum memoria divinæ miſericordiæ extincta eſt in corde ejus fides. Et ſcimus, quicunque in Dominum recumbunt, eos tranquillo ſedatoque eſſe animo, ut patienter quod daturus eſt expectent. Juſta autem infidelitatis pœna eſt, quum quis nimia feſtinatinne impingit. Quo magis cavendi ſunt nobis carnis impetus, ſi cupimus rectam tenere viam. Quanium ad nmen Gad, varie exponitur hic locus ab interpretibus. In hoc quidem conveniunt, idem valere בגד acſi dixiſſet Lea, Venit felicitas: ſed alii גד putant fauſtum eſſe Jovis ſidus: alii Mercurium fingunt: alii ſecundam fortunam. Adducunt Jeſaiæ 65. v. tt. ubi habetur, Offerunt Gad libamen. Sed contextus Prophetæ potius de cæleſti militia, vel falſorum deorum turba hoc debere intelligi oſtendit: quia mox ſequitur, quod ſtellis immolent, menſaſque impleant multitudine deorum. pœna demum ſubjicitur, quod ſicuti ingenrem numerum deorum fabricarunt, ita numerabie eos Dominus. Quod ad præſentem locum ſpectat, nihil minus probabile eſt quam Leam magica ſuperſtitinne extollere Jovis ſidus in Dei locum, quæ ſaltem principium illud retinebat, ab uno Deo fluere propagationem humani generis. Miror etiam interpretes de proſpera fortuna boc accipere, quum Moſes infra, cap. 49. verſ. 19. in contrarium ſenſum nos ducat. Neque enim quadraret alluſio quam ponit, *Exercitus eum invadet*, niſi conſilium Leæ fuiſſet de filiorum turma ſibi gratulari. Nam quum ſe ſquialtera parte ſuperior eſſet, prædicat ſe habere in magna copia liberos. Quod ſe felicem prædicat in ſexto filio, hinc rurſus apparet quanti habita tunc fuerit fœcunditas. Et certe hic rarus eſt honor, quum mortales inſignit Deus ſacro parentum titulo, & per eos humanum genus ad imaginem ſuam conditum propagat.

14. *Et ſurrexit Reuben.*] Videtur in ſpeciem levis & puerilis eſſe narratio, quod puer fructus neſcio quos ex agris domum reportet, eos dono matri ſuæ afferat: inde mater à ſorore redimat noctis unius concubitum. Continet tamen utilem doctrinam. Scimus quam ſtulte ſuperbiant Judæi in extollenda gentis ſuæ origine: vix enim dignantur agnoſcere ſe ex Adam & Noë cum reliquis fuiſſe progenitos. Et certe excellunt Patrum dignitate, ut Paulus teſtatur: ſed *Rom. 9. 5.* hoc non referunt Deo acceptum. Quare data opera voluit Spiritus arrogantiam illam retundere, quum eorum genus deſcripſit à ſun exordio tam bumile & abjectum. Neque enim hic nobile theatrum erigit, in quo ſe oſtentent: ſed eos humilians, gratiam Dei attollit, quod Eccleſiam ſuam eduxerit ex nihilo. Quantum ad ſpeciem fructus pertinet, nihil habeo quod pro certo afferam. Odoriferum quidem fuiſſe, ex Cantic. cap. 7. v. 13. colligitur: quia tamen mandragoras omnes vertunt, ea de re non litigo.

15. *Num.*

15. *Numquid parum eſt quod abſtuleris virum.*] Plus cogitandum lectoribus relinquit Moſes quam verbis exprimat, nempe aſſiduis contentionibus & jurgiis refertam fuiſſe domum illam. Stomachoſe enim loquitur Lea, quod pridem exacerbatus erat animus, ut ſororem ſuam blande & comiter affari non poſſet. Forte non adeo rixoſæ erant naturæ: ſed Deus confligere eas inter ſe paſſus eſt, ut polygamiæ poena ad poſteros extaret. Nec dubium eſt quin ſimultas iſta domeſtica, imo boſtile diſſidium, ſancto viro magnum dolorem & cruciatum attulerit: ſed ideo ſe diſtrahi videt in diverſas partes, quia conjugalis vinculi unitatem præter jus & fas abruperit.

17. *Exaudivit Deus Leam.*] Diſerte poſuit hoc Moſes, ut ſciamus quam indulgenter egerit Dominus cum illa domo. Quis enim puraret, dum odioſe ſorori ſuæ negat Lea fructus à puero collectos, & hoc pretio noctem mariti mercatur, ullum eſſe precibus locum? Admonet igitur Moſes iſtis deliciis venam fuiſſe datam: ut Dominus opus ſuum in tanta infirmitate complere non deſierit. Inſcite vero Lea quod filium ſibi datuor peccati mercedem eſſe jactat. Nam fidem violaverat ſancti conjugii, quum novam pellicem opponeret ſorori ſuæ. Tantum vero abeſt à confeſſione culpæ, ut meritum ſuum prædicet. Fateor aliquid fuiſſe coloris: ſignificat enim non tam libidine ſe ad zelotypiam accendi, quam pudico amore, quia familiam augere, & boneſtæ matrisfamilias officium præſtare cupiat. Sed quamvis ſpecioſus ſit prætextus hic apud homines, Deo tamen placere non poteſt ſancti coojugii profanatio. Errat igitur, non cauſam pro cauſa ſumendo. Idque eo magis notandum eſt, quod vitium hoc in mundo nimis graſſatur, ut gratuita Dei dona ſibi in mercedem hominis deputent: imo etiam jactent ſua merita, ubi Dei verbo damnantur. In ſexto filio purius ac rectius æſtimat Dei bonitatem, quum Deo gratias agit, quod ejus beneficio maritus poſthac futurus ſibi ſit conjunctior. Etſi enim prius cum ea habitabat, Rachelí tamen plus ſatis addictus, magna ex parte alienus erat ab altera. Liberos autem qui in legitimo conjugio naſcuntur, ſociandis parentum animis vincula eſſe, prius dictum eſt.

21. *Et poſtea peperit filiam.*] Neſcitur an alias quoque filias habuerit Jacob. neque enim Scripturæ inſolens eſt quum genealogias recenſet, fœminas omittere, quæ proprium nomen non ſuſtinent, ſed latent ſub virorum umbra. Interea ſiquid memoratu dignum quibuſdam fœminis acciderit, ſpecialis earum fit mentio. quod in Dina propter raptum (de quo poſtea dicetur) locum habet: ſed quoniam poſtea indignum judicant filii Jacob, ut ſoror in alienam gentem abnubat: de aliis autem filiabus Moſes nihil meminit, vel quod elocatæ ſint in terra Chanaan, vel in Ægyptum ductæ: probabile eſt ſolam hanc ei fuiſſe natam.

22. *Et recordatus eſt Deus Rachelis.*] Quum nihil prius vel poſterius ſit coram Deo, nulla in eum oblivio cadit, ut ſucceſſu temporis reminiſci opus habeat: ſed Scriptura Dei præſentiam & memoriam ab effectu nobis deſcribit: quia talem eum concipimus qualis reipſa apparet. Porro an omnium poſtrema conceperit Rachel, certo colligi non poteſt ex verbis Moſis. Qui in hoc loco ὕστερον πρότερον eſſe affirmant, moventur hac ratione, quod ſi natus eſſet Joſeph poſt reliquos fratres, non congrueret ætas quam Moſes notabit capite 41. v. 46. Sed in eo falluntur quod nuptias Rachelis ab altero ſeptennio numerant. Atque ex contextu certo evincitur, quamvis operas ſuas pactus eſſet Jacob pro Rachele, fuiſſe tamen ea mox potitum, quia ab initio erupit æmulatio inter duas ſorores. Certe Moſes hoc loco ſignificat ſeram Dei benedictionem fuiſſe, quum de liberis jam deſperaſſet Rachel, diuque probro habita fuiſſet ejus ſterilitas. Porro fauſti ominis cauſa imponit nomen filio, ſibi ex uno ſpem duorum faciens.

25. *Dimitte me, & ibo.*] Quum propoſita laborum mercede retentus fuerit Jacob, videri poſſet hoc aſtu captaſſe, dum miſſionem petit à ſocero. Ego tamen non dubito quin jam tunc in animo habuerit reverti, & ſuum conſilium ingenue profeſſus ſit. Primo, quia multis modis expertus erat quam iniquus, quamque perfidus & crudelis eſſet Laban, nihil mirum ſi ab eo diſcedere optaverit ſimulac data eſt facultas. Deiode, quum longo temporis ſpatio interpoſito, ſperaret placatum eſſe fratris animum, fieri non potuit quin redire ad parentes magnoperè cuperet: præſertim tot moleſtiarum pertæſus, ut vix deterior alibi timenda eſſet conditio. Sed Dei promiſſio ad reditus deſiderium acerrimus fuit ſtimulus. Neque enim benedictionem abjecerat, quæ illi propria vita fuerat charior. Huc etiam pertinet quod dicit, Vadam ad locum meum, & terram meam: non enim ideo tantum ſic nominat terram Chanaan, quod illic natus eſſet, ſed quia divinitus ſibi datam eſſe noverat. Nam ſi natalis ſoli reſpectu dixiſſet ſe reditum appetere, ludibrio excipi poterat, quod pater ejus erraticam & inſtabilem vitam egiſſet, in varia ſubinde hoſpitia migraos. Sic igitur ſtatuo, quamvis alibi commode habitaſſet, viguiſſe tamen ſemper in ejus animo Dei oraculum, quo terra Chanaan illi deſtinata erat. Quod autem injecta eſt illi ad tempus remora, conſilio diſceſſus non repugnat: nam hoc illi partim extorſit neceſſitas, quia ſe extricare non poterat è ſoceri laqueis: partim etiam voluntarie ceſſit, ut ſibi & familiæ aliquid acquireret, ne inops ac nudus rediret in patriam. Hic vero detegitur immanis ipſius Laban improbitas. Poſtquam nepotem ſoum & generum duris & aſſiduis quatuordecim annorum laboribus fere confecit, nihil tamen mercedis in futurum offert. Evanuit jam illa æquitas, quam initio præ ſe tulerat. Nam quo major fuerat ſancti viri tolerantia, eo plus oſurpat in ipſum licentiæ. Sic piorum facilitate abutitur mundus: & quo ſe placidius gerunt, eo ferocius inſultat. Cæterum quamvis ovium inſtar, luporum violentiæ & injuriis in hoc mundo ſumus expoſiti, metuendum tamen non eſt ne lacerent nos, vel deglutiant, quando nos cæleſtis Paſtor ſuo præſidio tuetur.

27. *Si quæſo invenì gratiam.*] Hinc perſpicimus quam non onoroſus fuerit hoſpes Jacob, quem iſtis blanditiis demulcet Laban, ut moram longiorem ab ipſo impetret. Nam, ut ſordidus & tenax erat, niſi certum ex ejus præſentia lucrum ſenſiſſet, non fuiſſet paſſus momento temporis domi ſuæ hærere. Quod ergo non modo ipſum non extrudit, ſed anxie retinere ſtudet; hinc colligimus ſanctum virum incredibiles labores ſumpſiſſe, qui non modo populoſæ familiæ alimentis ſufficeret, ſed uberem etiam quæſtum afferrent ſocero. Quare non immerito poſtea queretur ſe diei æſtum & noctis frigus pertuliſſe. Quanquam minime dubium eſt quin pluris quibuſvis laboribus fuerit Dei benedictio, ut perſpiceret Laban Jacob eſſe veluti quoddam copiæ cornu. quod etiam ipſe fatetur: neque enim ejus modo fidem & diligentiam commendat, ſed nominatim prædicat quod in ejus gratiam benedictus fuerit à Domino. Apparet igitur ſic creviſſe opes Laban ab adventu Jacob, ut è cælo ſtillaret quaſi viſibilis quæſtus. Porro quia verbum נחש apud Hebræos idem valet atque auguriis vel divinatione cognoſcere, divinant quidam interpretes magicis artibus edoctum fuiſſe Laban, ſibi utilem ac lucroſum ſuiſſe præſentiam Jacob. Alii tamen exponunt ſimplicius, quod experimento probaverit. Mihi videtur eſſe translatio: acſi dixiſſet, non ſecus ſibi perſpectam eſſe Dei benedictionem, acſi vaticinio teſtata foret, vel augurio comperta.

29. *Tu noſti qualiter ſervierim tibi.*] Hæc reſpon-

sio Jacob non eo tendit, ut mercedis suæ pretium augeat: sed expostulans cum Laban, inique & inhumaniter eum facere docet, quod adhuc de tempore prorogando satagit. Neque enim dubium est quin omnibus animi sui votis raperetur in terram Chanaan. Itaque reditus quibuslibet divitiis fuisset illi potior. Interim tamen oblique socerum suum tam doli quam inhumanitatis insimulat, ut aliquid ab eo extorqueat, si diutius manendum sit. Neque enim sperare poterat ut se ultro ad æquitatem demitteret perfidus ille veterator. nec vero simpliciter diligentiam suam laudat Jacob, sed negotium sibi fuisse ostendit cum homine injusto & crudeli. Hoc interea notandum est, quanquam strenue laboraverat, ipsum tamen nihil adscribere labori suo, sed Dei benedictioni hoc ferre acceptum, quod locupletatus fuerit Laban. Etsi enim quum bona fide incumbunt homines in munus suum, non ludunt operam, profectus tamen ex sola Dei gratia pendet. Quod etiam de efficacia doctrinæ Paulus testatur, longius patet, eum qui plantat, & eum qui rigat, nihil esse: sicuti illa similitudo ex generali experientia sumpta est. Duplex autem est hujus doctrinæ usus. quicquid enim aggrediar, vel ad quodcunque opus manus applicem, meum est petere à Domino ut laborem meum benedicat, ne irritus sit ac inanis. Deinde si quid sim adeptus, secundæ partes sunt laudem Deo tribuere, sine cujus gratia frustra homines mane surgunt, se fatigant totum diem, sero eunt cubitum, manducant angustum panem, & pauxillum aquæ gustant cum mœrore. Quod ad verba attinet, quum dicit Jacob, *Exiguum erat quod habebas in conspectu meo*, bene & dexterè transtulit Hieronymus, Antequam venirem. nam faciem Jacob posuit Moses pro ejus adventu & habitatione.

1 Cor. 3. vers. 7.

30. *Nunc quando faciam etiam ego.*] Quum alteri tamdiu impenderit suas operas, iniquum esse ratiocinatur propriam domum negligi. Nam hunc ordinem natura præscribit, ut quisque familiæ sibi commissæ curam gerat. Quo etiam pertinet Solomonis dictum, Bibe aquam ex fontibus tuis, & defluant rivi ad vicinos. Si solus fuisset Jacob, liberalius poterat alienis commodis se totum addicere: nunc quum maritus sit quatuor uxorum, & pater numerosæ sobolis, non debet quos ex Dei manu alendos suscepit oblivisci.

Prov. 5. vers. 15.

31. *Non dabis mihi quicq.*] Notanda est antithesis inter hoc membrum & posterius. Nam Jacob non postulat sibi certum & finitum mercedis pretium: sed hac conditione transigit cum Laban, ut sibi acquirat quicquid ex puris & unius coloris ovibus & capris varium & maculis aspersum nascetur. Porro in verbis aliquid est obscuritas. videtur enim Jacob maculosas oves sibi poscere jam in præsentia mercedis loco. Sed ex tertio versu, qui postea sequitur, alium sensum colligere licet: quod scilicet Jacob segregari passus fuerit quicquid variegatum erat in grege, ac filiis Laban pascendum tradi: ipse autem retinuerit oves & capras nullis aspersas maculis. Et certe absurdum esset, Jacob partem gregis nunc sibi vendicare, quum nuper confessus sit se hactenus nihil fecisse lucri. deinde quæstus fuisset justo uberior: nec spes erat hoc posse impetrari à Laban. Exoritur tamen quæstio, qua spe vel quo consilio inductus fuerit Jacob ut hanc conditionem offerret. Paulo post narrabit Moses astutia ipsum fuisse usum, ut ex puro grege nascerentur varii & maculosi fœtus. sed capite sequenti longe plus exprimet, Jacob divinitus fuisse admonitum. Quanquam ergo credibile non erat pactionem banc utilem sancto viro fore, cælesti tamen oraculo obsequitur, nec aliter dirigere cupit quam ex Dei placito. Tractatus autem fuit Laban pro suo ingenio. eam quod sibi lucrosum fore putabat, libenter arripuit: Deus autem improbam ejus cupiditatem frustratus est.

33. *Et testificabitur mihi justitia mea.*] Ad verbum est, Respondebit in me justitia mea. Sed particula ב tantundem valet ac Mihi, vel pro me. Sensus tamen clarus est, quod Jacob prosperum successum non nisi ex fide & integritate sua expectat. In proximo verbo dissentiunt interpretes. Quidam enim legunt, Quando tu venies ad mercedem meam. Alii vero vertentes in tertia persona, de justitia exponunt, quod scilicet ad mercedem ventura sit, vel ad remunerandum Jacob. Quoquam uterque sensus bene congruit, ego tamen ad justitiam referre malo: quia mox subjicitur, *Coram te.* Esset autem impropria loquutio, Venies coram oculis tuis ad mercedem meam. Nunc satis liquet quid sibi velit Jacob. Testatur enim se à Domino sperare fidei & probitatis suæ testimonium ex felici laboris proventu: acsi dixisset, Dominus qui optimus est justitiæ meæ testis ac vindex, reipsa monstrabit quam sincere & fideliter me hactenus gesserim. Etsi autem sæpe Dominus improbos malis artibus locupletari patitur, & uberem illis quæstum permittit, dum fraudando, aliena bona ad se rapiunt: hoc tamen non obstat quin benedictio ejus, bonæ fidei & æquitatis ordinaria sit comes. Quare hoc fiduciæ suæ fignum merito Jacob dedit, quod laboris sui fructum commisit Domino, ut inde pateret qualis fuisset ejus integritas. Jam clarus est verborum sensus, Justitia mea palam pro me testabitur: quia sponte occurret ad me remunerandum: idque tam manifeste ut ea quoque non lateat. Subest autem tacita exprobratio, sensurum esse Laban quam inique suppresserit sancti viri labores, quam nequiter dissimulaverit se illi debere quantum reipsa brevi Deus ostendet. Est enim subaudienda antithesis inter futurum ac præteritum tempus, quum dicit, Cras mihi respondebit: quia scilicet heri & nudiustertius nihil æquitatis exprimere potuerat ab ipso Labao. *Quicquid non erit punctis parvis respersum.* Obligat sese Jacob ad crimen ac pœnam furti, siquam ovem puram ex grege subduxerit: acsi diceret, Siquid apud me reperias non aspersum maculis, volo mihi in furtum imputari: quia nihil præter maculosam sobolem mihi dari postulo. Alii secus exponunt, Quicquid ex grege tuo desiderabis, à me reposcas, acsi furatus essem. sed hoc mihi videtur nimis coactum.

35. *Et removit in die illo.*] Hinc certius cognoscitur pactionis forma. Separat Laban oves & capras maculis distinctas à puro grege, hoc est, albo vel nigro; & eas filiis suis pascendas committit, interposito tridui itinere, ne ex promiscuo coitu versicolor nascatur soboles. Sequitur ergo io grege quem pascebat Jacob, nihil reliduum fuisse nisi unius coloris. ita exigua spes lucri sancto viro restabat: commodis vero ipsius Laban optime erat consultum. Apparet etiam ex locorum distantia, qua suos greges divisit, non minus suspiciosum fuisse quam avarum, ut solent improbi alios metiri sua ulna: unde fit ut semper diffidant ac trepideot.

37. *Et tulit sibi Jacob virgam populeam.*] Primo intuitu absurda videri posset Moïs narratio. nam vel fraudis damnare voluit sanctum Jacob, vel laudare ejus industriam. Atqui ex contextu patebit astutiam banc vitio non verti. Ergo videndum quomodo sit excusabilis. Si quis obtendat, coactum fuisse multis soceri injuriis, nec aliud quæsisse nisi ut priores jacturas sarciret: aliquid forte coloris habebit defensio: coram Deo tamen nec firma est, nec probabilis. nam quamvis injuste nobiscum agatur, non est tamen certandum pari malitia. Et si singulis propriis injurias olcisci, vel incommoda sarcire permissum foret, nihil opus esset judiciis, indeque emergeret horribilis confusio. Non debuit igitur Jacob ad hanc versutiam confugere, ut degeneros haberet fœtus, sed regulam potius sequi quam Dominus per os Pauli tradit, ut studeant fideles bono malum vin-

Rom. 12. vers. 21.

vincere. Hæc ſimplicitas, fateor, colenda fuit ipſi Jacob, niſi Dominus è cælo aliud mandaſſet. Sed in eo eſt ἔτερον σφάλμα, quod Moſes prius rem geſtam narrat, deinde ſubjiciet Jacob nihil tentaſſe niſi ex Dei præcepto. Quare non eſt quod eum ſibi patronum aſciſcant qui malignis & fraudulentis hominibus ſimiles opponunt fallacias, quia tantum licentiæ ſibi non dedit proprio arbitrio, ut callide circumveniret ſocerum, à quo indigne deceptus fuerat: ſed quod à Domino conceſſum erat ſequutus, intra juſtas metas ſe continuit. Fruſtra etiam, meo judicio, diſputant quidam unde hoc didicerit Jacob, longone uſu an ex Patrum doctrina. nam fieri poteſt ut de re prius incognita ſubito edoctus fuerit. Siquis objiciat, abſurdum eſſe, hanc fallendi artem à Deo ſuggeri: facilis eſt reſponſio, nullius fraudis auctorem eſſe Deum, quum ſervo ſuo manum porrigit. Nihil illi magis proprium, ejuſque juſtitiæ magis conſentaneum, quam ſe vindicem interpoocre, ubi aliquid injuriæ factum eſt. Noſtrum vero non eſt agendi modum illi præſcribere. Paſſus eſt retineri à Laban quod injuſte poſſidebat: ſex vero annis benedictionem ſuam ab eo ſubtractam tranſtulit in ſervum ſuum Jacob. Si terrenus judex furem damnet in duplum, vel quadruplum, nemo obſtrepit: cur per nos Deo minus licebit quam homini mortali & caduco? Habebat alias rationes in manu, ſed arcanam ſuam gratiam conjungere voluit cum ſtudio & induſtria Jacob, ut palam illi mercedem rependeret, qua per longum tempus fraudatus fuerat. Coactus enim fuit Laban aperire oculos, quibus clauſis alienum ſudorem, imo ſanguinem haurire conſueverat. Porro quantum ad phyſicam rationem ſpectat, ſatis notum eſt, aſpectum in coitu ad formam fœtus multum valere. Id quum mulieribus accidat, præcipue in brutis pecudibus locum habet, ubi nulla viget ratio, ſed violentus libidinis impetus graſſatur. Tria autem fecit Jacob. Nam virgas decorticavit, ut aliquam albedinem nudaret corticibus inciſis: & ita varius ac multiplex eſſet color. Deinde tempus elegit quo maſculi & fœminæ aggregabantur. Tertio, poſuit in aquis virgas: quia ſicut potus animalia vegetat, ſic incitat etiam ad coitum. Hoc modo accidit ut virgæ in conſpectu eſſent quum incalescebant. Quod de robuſtis ac debilibus dicit Moſes, ſic intellige, in priore admiſſura, quæ fit ſub initium Veris, Jacob poſuiſſe virgas in canalibus, ut ſibi vernos fœtus acquireret, qui meliores erant: in ſerotina vero admiſſura circa Autumnum, tali artificio uſum non eſſe.

43. *Et crevit vir ſupra modum.*] Hoc ideo addidit Moſes ut ſciamus non ſine miraculo factum eſſe ut tam repente diteſceret. Videbimus poſtea quantæ fuerint ejus opes. Nam inops prorſus majores ſibi copias iotra ſex annos de nihilo conſecit, quam quiſpiam mediocriter dives viginti aut triginta annis poſſet. Nequis fabuloſum ducat quod cum uſitata ratione non congruit, occurrit Moſes, ac dicit extra ordinem auctum fuiſſe ſanctum virum.

CAPUT XXXI.

POſtea audivit verba filiorum Laban, dicentium, Tulit Jahacob omnia quæ erant patris noſtri: & de his quæ erant patris noſtri acquiſivit omnem gloriam hanc.

2. Et vidit Jahacob faciem Laban, & ecce non erat cum eo ſicut heri & nudiustertius.

3. Dixit autem Jehova ad Jahacob, Revertere ad terram patrum tuorum, & ad cognationem tuam, & ero tecum.

4. Et miſit Jahacob, & vocavit Rachel & Leah in agrum ad pecudes ſuas.

5. Qui dixit ad eas, Video faciem patris veſtri quod non ſit erga me ſicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum.

6. Et vos noſtis quod omnibus viribus meis ſervierim patri veſtro.

7. At pater veſter mentitus eſt mihi, & mutavit mercedem meam decem vicibus: ſed non permiſit ei Deus ut malefaceret mihi.

8. Si ita dicebat, Punctis parvis reſperſa, erunt merces tua; pariebant omnes pecudes punctis parvis reſperſa: & ſi ita dicebat, Lineis diſtincta, erunt merces tua; tunc pariebant omnes pecudes lineis diſtincta.

9. Et abſtulit Deus pecus patris veſtri, & dedit mihi.

10. Et fuit, in tempore quo coibant pecudes, levavi oculos meos, & vidi in ſomnio, & ecce hirci majores aſcendebant ſuper capras variegatas, punctis parvis reſperſas, & maculis latis reſperſas.

11. Et dixit ad me Angelus Dei in ſomnio, Jahacob. Et dixi, Ecce adſum.

12. Et dixit, Leva nunc oculos tuos, & vide omnes hircos majores aſcendentes ſuper capras lineis diſtinctas, punctis parvis reſperſas, & maculis latis reſperſas. vidi enim omnia quæ Laban faeit tibi.

13. Ego Deus Bethel, ubi unxiſti ſtatuam, ubi voviſti mihi votum: nunc ſurge, egredere de terra hac, & revertere ad terram cognationis tuæ.

14. Et reſpondit Rachel & Leah, & dixerunt ei, Numquid adhuc eſt nobis pars & hæreditas in domo patris noſtri?

15. Nonne extraneæ reputatæ ſumus ab eo, quod vendidit nos, & conſumpſit etiam conſumendo argentum noſtrum?

16. Quia omnes divitiæ quas abſtulit Deus à patre noſtro, noſtræ ſunt, ac filiorum noſtrorum: nunc igitur omnia quæ dixit Deus ad te, fac.

17. Et ſurrexit Jahacob, & ſuſtulit filios ſuos & uxores ſuas ſuper camelos.

18. Et abduxit omnes pecudes ſuas, & omnem ſubſtantiam ſuam quam acquiſierat, pecudes acquiſitionis ſuæ quas acquiſierat in Padan Aram, ut veniret ad Iſhac patrem ſuum in terram Chenaan.

19. Laban autem profectus erat ad tondendum oves ſuas, & furata eſt Rachel idola quæ erant patri ſuo.

20. Furatus itaque eſt Jahacob cor Laban Aramæi, quia non indicavit ei quod fugeret.
21. Et fugit ipſe, & omnia quæ erant ei: & ſurrexit, & tranſivit flumen, poſuitque faciem ſuam ad montem Gilhad.
22. Et nunciatum fuit ipſi Laban die tertia quod fugeret Jahacob.
23. Tunc ſumpſit fratres ſuos ſecum, ſequutuſque eſt eum itinere ſeptem dierum, & aſſequutus eſt eum in monte Gilhad.
24. Porro venit Deus ad Laban Aramæum in ſomnio noctis, & dixit ei, Cave tibi ne forte loquaris cum Jahacob à bono uſque ad malum.
25. Aſſequutus autem eſt Laban ipſum Jahacob: & Jahacob fixerat tabernaculum ſuum in monte, & Laban fixit cum fratribus ſuis in monte Gilhad.
26. Et dixit Laban ad Jahacob, Quid feciſti, & furatus es cor meum, & abduxiſti filias meas ſicut captivas gladio?
27. Utquid abſcondiſti te ut fugeres? & furatus es me, & non indicaſti mihi, & dimiſiſſem te cum lætitia & canticis, cum tympano & cithara.
28. Et non permiſiſti mihi ut oſculærer filios meos & filias meas: nunc ſtulte egiſti *ſic* faciendo.
29. Eſt fortitudo in manu mea ad inferendum vobis malum: ſed Deus patris veſtri nocte præterita dixit ad me, dicendo, Cave tibi ne loquaris cum Jahacob à bono uſque ad malum.
30. Et nunc cundo iviſti. ſi deſiderando deſiderabas ire ad domum patris tui, utquid furatus es deos meos?
31. Et reſpondit Jahacob, & dixit ad Laban, Quia timui, ſi dixiſſem, ne forte raperes filias tuas à me.
32. Is, cum quo inveneris deos tuos, non vivat coram fratribus noſtris: agnoſce ſi quid eſt apud me *de tuo*, & cape tibi. neſciebat autem Jahacob quod Rachel furata eſſet eos.
33. Et venit Laban in tabernaculum Jahacob, & in tabernaculum Leah, & in tabernaculum ambarum ancillarum, & non invenit: & egreſſus de tabernaculo Leah, venit in tabernaculum Rachel.
34. Rachel autem acceperat idola, & poſuerat ea in clitellis cameli, & ſedebat ſuper ea: & contrectavit Laban totum tabernaculum, & non invenit.
35. Et dixit ad patrem ſuum, Ne ſit ira in oculis domini mei quod non poſſim ſurgere à facie tua: quia conſuetudo mulierum eſt mihi. & ſcrutatus eſt, & non invenit idola.
36. Tunc iratus eſt Jahacob, & jurgatus eſt cum Laban: & reſpondit Jahacob, & dixit ad Laban, Quæ eſt prævarieatio mea, quod peccatum meum, quod perſequutus es me?
37. Quando contrectaſti omnem ſupellectilem meam, quid inveniſti ex omni ſupellectili domus tuæ? pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & declarent inter nos ambos.
38. Jam viginti annos *fui* tecum: oves tuæ & capræ non abortiverunt: & arietes pecudum tuarum non comedi.
39. Raptum non attuli tibi, ego pœnas luebam pro eo: de manu mea requirebas illud quod furto ablatum erat tam die quam nocte.
40. *Ita* fui ut interdiu conſumeret me æſtus, & gelu in nocte, & recedebat ſomnus meus ab oculis meis.
41. Jam mihi *ſunt* viginti anni in domo tua: ſervivi tibi quatuordecim annos pro duabus filiabus tuis, & ſex annos pro pecudibus tuis, & mutaſti mercedem meam decem vicibus.
42. Niſi Deus patris mei, Deus Abraham, & pavor Ishac fuiſſet pro me, certe nunc vacuum dimiſiſſes me: afflictionem meam & laborem manuum mearum vidit Deus, & increpavit *te* nocte præterita.
43. Tunc reſpondit Laban, & dixit ad Jahacob, Filiæ, filiæ meæ ſunt: & filii, filii mei ſunt: & pecudes, pecudes meæ ſunt: & quicquid vides, meum eſt. & filiabus meis quid faciam iſtis hodie, vel filiis earum quos pepererunt?
44. Et nunc, veni, percutiamus fœdus ego & tu, & erit in teſtimonium inter me & inter te.
45. Tulit itaque Jahacob lapidem, & erexit illum in ſtatuam.
46. Et dixit Jahacob fratribus ſuis, Colligite lapides: & tulerunt lapides, & fecerunt cumulum, & comederunt ibi ſuper cumulum.
47. Et vocavit eum Laban Jegar Sahadutha: Jahacob autem vocavit eum Galhed.
48. Et dixit Laban, Cumulus iſte ſit teſtis inter me & te hodie. Idcirco vocavit nomen ejus Galhed,
49. Et Miſpah: quia dixit, Speculetur Jehova inter me & te, quando latebimus alter alterum.
50. Si afflixeris filias meas, & ſi acceperis uxores ſuper filias meas, non eſt quiſquam nobiſcum, vide, Deus eſt teſtis inter me & te.

51. Dixit

51. Dixit ergo Laban ad Jahacob, Ecce cumulus iſte, & ecce ſtatua quam jeci inter me & te.

52. Teſtis cumulus iſte, & teſtis ſtatua quod ego non tranſibo *veniens* ad te cumulum iſtum: & quod tu non tranſibis *veniens* ad me cumulum iſtum, & ſtatuam iſtam, ad malum.

53. Deus Abraham & Deus Nachor judicet inter nos, Deus patris eorum: & juravit Jahacob per pavorem patris ſui Iſhac.

54. Et mactavit Jahacob victimam in monte, & vocavit fratres ſuos ut comederent panem: & comederunt panem, & pernoctaverunt in monte.

55. Et ſurrexit Laban mane, & oſculatus eſt filios ſuos ac filias ſuas, benedixitque eis, & abiit: & reverſus eſt Laban ad locum ſuum.

1. *Et audivit verba.*] Quanquam Jacob flagrabat patriæ deſiderio, ut de reditu aſſidue cogitaret, hinc tamen apparet mira ejus tolerantia, quod animum ſuum ſuſpendit donec nova occaſio ſe offert. Neque tamen virtuti mixtum fuiſſe vitium nego, quod non magis feſtinaverit ad reditum: ſed infixam ejus animo ſemper fuiſſe Dei promiſſionem, paulo poſt conſtabit. Tantum in hac parte aliquid humanum paſſus eſt, quod peculii parandi cauſa, reditum ſuum in ſex annos diſtulit. nam quum ſubinde pacta mutaret Laban, merito potuit illi valedicere. Cæterum vi & metu ſimul fuiſſe retentum, ex clandeſtina fuga colligimus. Nunc ſaltem miſſionis petendæ honeſta cauſa erat, quod filiis Laban graves & odioſæ eſſent ejus divitiæ: non tamen audet libere ab hac invidia ſe eximere, ſed clam fugere cogitur. Quamvis tamen aliquo modo excuſabilis ſit tarditas, pigritiæ conjunctam fuiſſe probabile eſt: ſicuti fideles dum ad Deum conteodunt, non tanto fervore ſæpe properant ut deceret. Quare ſiquando nos retardat carnis ſegnities, diſcamus ardorem ſpiritus ſtabellis accendere. Nec dubium eſt quin ſervi ſui infirmitatem correxerit Deus, eumque lente pergentem ſtimulaverit. Nam ſi benigne & hilariter cum eo egiſſet Laban, inductus fuiſſet ejus animo ſopor: nunc triſti aſpectu expellitur. Sic Dominus ſæpe ſuorum ſaluti melius conſulit, improborum odiis, livori & malevolentiæ eos ſubjiciens, quam ſi blanditiis mulceri ſineret. Longe utilius fuit ſancto Jacob, ſocerum, ejuſque filios habere ſibi iofenſos quam comiter obſequentes ſuis votis: quia illorum favor, Dei benedictione eum privaſſet. Nos quoque plus ſatis experimur quid valeant mundi illecebræ, & quam facile illis affluentibus, booorum cæleſtium oblivio nobis obrepat. Quare ne moleſte feramus expergefieri à Domino, quum rebus adverſis jactamur, vel nobis parum propitius eſt muodus. nam odia, minæ, probra, obtrectationes plus ſæpe nobis afferunt utilitatis quam ſi omoes undique applauderent. Porro notanda eſt inhumanitas filiorum Laban, qui periode queruotur acſi ſpoliati eſſent à Jacob. Sed hoc morbo laborant ſordidi & nimium tenaces, ut ſibi ereptum eſſe putent quicquid non ingurgitant. Nam quum inſatiabilis ſit eorum cupido, neceſſe eſt ut proſpera aliorum fortuna non ſecus eos excruciet acſi hoc modo redacti eſſent ad egeſtatem. Non reſpiciunt jurene an injuris Jacob tantas opes acquiſierit: ſed ideo uruntur & invident, quia rantundem ſibi detractum eſſe interpretantur. Prius confeſſus fuerat Laban ſe ditatum fuiſſe adventu Jacob, imo in ejus gratiam ſe benedictum fuiſſe à Domino: nunc obmurmuraot ejus filii, & ipſe quoque mœrore torquetur, quod ejuſdem benedictionis Jacob ipſe factus ſit particeps. Hinc perſpicimus quam cæca ſit varitia, quæ nullum habet ſatietatis modum. Unde etiam merito radix omnium malorum vocatur à Paulo: quia & perfidos, & crudeles, & ingratos, & modis omoibus iniquos eſſe oportet qui omnia vorare cupiunt. Notandum præterea eſt quod filii Laban pro ætatis fervore dolorem ſuum evomunt: pater, ut callidus veterator, tacet, vultu tamen malitiam ſuam prodit.

3. *Et dixit Jehova ad Jahacob.*] Hiàc clatius perſpicitur ſancti viri timiditas, quod malum ſibi à ſocero inſtare videns, non tamen pedem movere audet, niſi novo oraculo erectus. Dominus autem qui reipſa jam illi oſtenderat moram non eſſe longius trahendam, verbis quoque ſuis eum ſollicitat. Hoc exemplo diſcamus, quamvis Dominus rebus adverſis nos ad officium incitet, parum ramen inde profecturos, niſi accedat verbi ſtimulus. Et videmus quid reprobis contingat: nam vel ſtupent in ſuis malis, vel in rabiem proſiliunt. Quare ut nobis proſint rerum documenta, rogandus eſt Dominus ut nobis verbo ſuo affulgeat. Huc tamen præcipue ſpectat Moſis conſilium, ut ſciamus Jacob Deo duce reverſum eſſe in patriam. Terra vero Chanaan non ideo dicitur eſſe Abrahæ & Iſaac, quod inde oriundi eſſent, ſed quia illis in hæreditatem divinitus promiſſa erat. Quare hac voce admonitus fuit ſanctus vir, quamvis peregrinus eſſet Iſaac, coram Deo tamen hæredem ac dominum eſſe ejus terræ, in qua nihil præter ſepulchrum poſſidebat.

4. *Et miſit Jahacob.*] Uxores ſuas accerſit, ut ſuum illis conſilium exponat, eaſque ad fugæ ſocietatem hortetur. nam probi mariti officium erat, ſecum ipſas abducere: ideo cooſcias fieri oportuit. Neque vero tam cæcus erat quin multa pericula ſecum reputaret. Difficile erat mulieres quæ nunquam paterna domo egreſſæ erant, in longinquam regionem per iter incognitum trahere. quin etiam timeodum erat ne præſidium ſibi quærentes, maritum ſuum boſtibus proderent. Multos in tali perturbatione animus linqueret, ut conjugali fide poſthabita, privatim ſibi conſulerent. Conſtanter ergo Jacob, qui diſcrimen ſubire mavult, quam prohi mariti & patrisfamilias officium deſerat. Si negaſſeot uxores, cogebat Dei vocatio diſcedere. Sed quod longe fuit optabilius, illi Deus conceſſit, ut tota familia uoo conſeoſu ad ſequendum parata foret: quin etiam uxores, quarum mutuis rixis domus antea ſtrepebat, libenter nuoc io exilium conſentiunt. Sic Dominus, ubi officio noſtro bona fide defungimur, nec quicquam ſubterfugimus eorum quæ ipſe mandat, in rebus quoque valde perplexis votorum nos compotes facit. Porro quod uxores ad ſe in agrum evocat Jacob, hinc colligimus quam laborioſa fuerit ejus vita. Certe hæc illi vel prima fuiſſet viræ commoditas, habitare domi cum uxoribus. Senex jam erat, multis laboribus confectus: quo magis egebat illarum miniſterio. tugurio tamen contentus, ut gregi invigilet, ſeorſum ab illis degit. Quod ſi guttà æquitatis in Laban & ejus filiis fuiſſet, nullam habebant invidiæ cauſam.

5. *Video faciem patris.*] Duo ſunt hujus orationis capita. Nam primo de ſua integritate diſſerit, ac de ſoceri perfidia poſtulat. Deinde teſtatur profectionis auctorem ſibi eſſe Deum, quo libentius Rachel & Lea ſe comites adjungant. Quia autem exiguo tempore ad magnas divitias pervenerat, ſiniſtram omnem ſuſpicionem diluit: ſuæ etiam diligentiæ teſtes eas appellat. Quanquam autem non omnia ſigillatim perſequitur Moſes, non tamen dubium eſt quin jam multis documenris perſpecta illis eſſet viri probitas: & rurſum noræ patris injuriæ, fraudes & rapacitas. Quod metecedem decies ſibi mu-

tatam esse conqueritur, probabile est numerum denarium pro multis vicibus poni. Quanquam fieri potest ut intra sex annos toties pacta rescinderit Laban, quum duplex quotannis admissura esset, Veris scilicet ac Autumni, quemadmodum diximus. Cæterum narratio hæc somnii, tametsi posterior est in contextu, ostendit tamen sanctum Jacob nihil tentasse nisi ex Dei præscripto. Prius rem gestam simpliciter retulerat Moses, unde profectum esset consilium subiiciens: sed nunc in persona ipsius Jacob dubitationem tollit. neque enim mentitum fuisse significat, ut hoc artificio eluderet uxores, sed sanctum Dei servum vere & absque fuco profitentem inducit quod res erat. Nam alioqui non absque nefando sacrilegio abusus fuisset Dei nomine, visionem hanc conjungens cum priore illa, in qua vidimus apertam illi cælorum januam fuisse.

13. *Ego Deus Bethel.*] Non mirum est quod Angelus suscipiat Dei personam: vel quia in verbo suo Deus Pater sanctis Patribus tanquam in vivo speculo apparuit, idque sub Angeli specie: vel quia Angeli ex Dei mandato loquentes, merito tanquam ex ejus ore verba concipiunt. Nam & Prophetis hæc loquendi forma usitata est: non ut se extollant in Dei locum, sed tantum ut Dei majestas in ejus verbo, cujus ministri sunt, refulgeat. Nunc quid valeat loquutio hæc, propius expendere convenit. Non ideo se vocat Deum Bethel, quod uniusloci angustiis inclusus sit, sed ut promissionis suæ memoriam servo suo renovet. Neque enim eousque perfectionis conscenderat sanctus Jacob, quin adhuc crassioribus rudimentis opus haberet. Exigua tunc vigebat lux doctrinæ, & ea quidem multis obscuris umbris implicita. Totus fere mundus ad fictitios deos descíverat: regio illa, imo domus soceri, adulterinis superstitionibus referta erat. Ergo inter tot obstacula nihil illi difficilius fuit quam fidem suam uni vero Deo obstrictam devinctamque tenere. Quare in primis pura illi religio commendatur, ut inter vagos mundi errores, in ejus Dei, quem semel cognovit, obedientia & cultu se contineat. Deinde promissio quam prius accepit, deintegro illi confirmatur, ut semper ad peculiare illud fœdus intentus sit quod pepigerat Deus cum Abraham ejusque posteris. Ita dirigitur ad terram Chanaan, quæ propria erat ejus hæreditas: ne temporalis Dei benedictio, quam sensurus erat paulo post, ejus animum in Mesopotamia occupet. Nam quum hoc oraculum prioris illius tantum appendix fuerit, quicquid postea bonorum contulit Deus, referri ad illum primum finem debuit. Conjicere etiam licet ex hoc loco, Jacob prius domi suæ de vero Deo & vera pietate concionatum esse, ut sanctum patremfamilias decebat. Absurde enim effutiret hunc sermonem, nisi jam edoctæ fuissent uxores de magnifica illa visione. Eodem etiam spectabat quod prius dixit, *Deum patris sui opem sibi tulisse.* Perinde enim est acsi palam Deum, quem colit, à deo Laban discerneret. Jam vero quia tanquam de rebus notis familiariter ejusmodi sermonem habet ad uxores, probabilis est conjectura, non stetisse per Jacob quominus ipsas unius Dei notitia sinceraque pietate imbueret. Hoc autem oraculo testatus est Dominus se piorum semper esse memorem, etiam dum projecti ac deserti esse videntur. Quis enim non dixisset miserum Jacob jam omni cælesti auxilio nudatum esse? Et Dominus quidem sero illi apparet, sed præter spem ostendit nunquam se ejus fuisse oblitum. Eundem hodie quoque ipsum erga se sentient omnes fideles, si modo injusta violentia tyrannice oppressi ab improbis, patienter sustineant, donec eos tandem opportuno tempore vindicet.

14. *Et respondit Rachel.*] Hic impletum cernimus quod docet Paulus ad Rom. 8. vers. 28. filiis Dei omnia ad jumenta esse in bonum. Nam quod inique à patre suo tractatæ fuerant uxores Jacob, quod minime ferebat sexus mollities, quum eas maritus abducere vult in longinquam & ignotam regionem, ad sequendum voluntariæ sunt. Ergo si plurimos & acerbissimos dolores haurire coactus est Jacob, optima nunc compensatio eum solatur, quod uxores ejus non retinet nimius paternæ domus amor: quin potius malorum tædio victæ, fugam una cum eo cupide capessunt. Nihil est, inquiunt, quod nos moretur apud patrem: ideo enim adhærent filiæ patribus, quod censentur familiæ membra. Quam vero crudelis hæc fuit abdicatio, quod non tantum sine dote nos prostituit, sed venales etiam habuit, & pretium voravit quo nos vendiderat? Pecuniam accipio pro venditionis pretio. Quer untur enim non saltem dotis loco ad se fructum pervenisse quod à marito injuste extortum fuerat: sed hoc quoque lucrum ab avaro patre suppressum. Ideo interponitur particula ES, quæ amplificat apud Hebræos. Nam hoc indignitatem non parum augebat, quod inexplebilis hic gurges, quæstum ex turpissima nundinatione factum ablorbuerat. Notandum autem est addictas tunc fuisse marito, ideoque liberum illis fuisse à patre discessum: præsertim quum scirent manum sibi à Deo porrigi. Neque enim dubium est, quum persuasæ essent Jacob fidum esse Dei Prophetam, cæleste oraculum ex ejus ore libenter esse amplexas: nam in ipsa clausula non tam ejus voto se subscribere quam Dei mandato ostendunt.

16. *Quia omnes divitiæ quas abstulit Deus.*] Confirmat quidem Rachel & Lea sermonem Jacob, sed tamen profano vulgi more, non vivo & puro pietatis sensu. Quod enim Deus servi sui miseritus, eum peculiari favore dignatus fuerat, obiter attingunt: interim vero rationi patum firmæ insistunt, sibi jure deberi quod auferunt, quia pars hæreditatis ad eas pertineat. Non enim ratiocinantur, quas possident divitias esse suas, quod justo mariti labore quæsitæ fuerint: sed quia non debuerint fraudari sua dote, & nunc legitima hæreditate privari. Hac de causa etiam liberos secum nominant, qui ex sanguine Laban erant progeniti. Hoc modo non solum obscurant benedictionem Dei, sed plus sibi indulgent licentiæ quam æquum sit. Maligne etiam æstimant mariti sui labores, dum illorum fructus se provenire jactant. Quare hinc minime petenda est regula, quomodo suum cuique tueri, vel quod injuste ereptum est, recuperare liceat.

17. *Et surrexit Jabacob.*] Discessum Jacob pluribus exequetur postea Moses: nunc tantum breviter furrexisse dicit: quo significat, simulatque impetrare potuit ab uxoribus ut secum migrarent, nullis amplius obstaculis cessisse. In quo virile animi ejus robur & constantia perspicitur. Multa enim lectoribus cogitanda relinquit Moses, ac præsertim tempus illud intermedium, quo sanctus vir inter multiplices curas haud dubie æstuavit. Crediderat exilium suum exigui fore temporis: per viginti annos parentum & natalis soli conspectu privatus, multa gravia & acerba pertulit, quorum tolerantia potuit obdurescere, vel saltem ita opprimi, ut quod reliduum erat vitæ, illic consumeret. Jam in senium vergebat ætas ejus: senes autem frigus tardiores reddit. Atqui fuga quam parabat, non carebat periculo. Ergo Spiritu fortitudinis illi strui necesse fuit, ut hic vigor de quo loquitur Moses, & alacritas, pedes ejus attolleret. Quum autem legimus furtivum sancti viri discessum, & plenum dedecoris, discamus siquando nos Deus humiliet, ad hæc exempla mentes nostras convertere.

19. *Furata est Rachel.*] Quanquam Hebræi interdum תרפים vocant imagines quæ non prosunt ad cultum; quia tamen nomen hoc fere in malam partem accipitur, non dubito quin fuerint dii penates domus Laban. Et ipse dicit te paulo post vocabit deos suos. Hinc vero apparet quanta sit humani ingenii

genii propensio ad idololatriam: quando seculis omnibus grassatum est hoc vitium, ut sibi homines expeterent visibiles Dei figuras. Nondum à morte Noah elapsi erant anni ducenti: Sem vero paulo ante decesserat: illius doctrina per manus tradita, maxime inter posteros Thare vigere debuerat: quia hanc sibi domum, quasi unicum in terris sacrarium elegerat Dominus, ubi purius coleretur. Vox autem ipsius Sem usque ad mortem Abrahæ personabat in illiorum auribus: atqui jam ab ipso Thare illuc quoque exundaverant communes superstitionum sordes, ipso Patriarcha Sem vivo adhuc & loquente. Quanquam autem minime dubium est, eum qua potuit vehementia conatum fuisse posteros suos reducere ad sanam mentem, videmus tamen quid profecerit. Nec vero credibile est, Bathuelem vocationis Abrahæ prorsus fuisse ignarum: neque tamen ideo retractus est cum suis ab illa vanitate. Non tacuit etiam sanctus Jacob per annos viginti, quin consulendo & monendo crassa illa vitia corrigere studeret: sed frustra, quia violento suo cursu prævaluit superstitio. Ergo idololatriam humanis mentibus fere esse ingenitam, ipsa originis vetustas testis est. Sic autem infixam esse ut vix revelli queat, ostendit obstinatio. Jam vero hoc magis absurdum, quod ne Rachel quidem ab hac contagione sanari potuit tam longo temporis tractu. Maritum sæpe audierat de vero & genuino Dei cultu concionantem: sic tamen addicta est corruptelis, quas à pueritia imbiberat, ut illis terram à Deo electam inficere paret. Deum se fingit ducem sequi cum marito, interim idola quibus ejus cultum pervertat, secum trahit: fieri etiam potest ut nimia indulgentia uxoris nimium dilectæ superstitiones aluerit. Quare discant sancti patresfamilias nihil diligentiæ facere reliquum, ne qua vitiorum macula in suis uxoribus vel filiis hæreat. Quidam parum considerate Rachelem excusant, quod pio furto, patris domum idolis purgare voluerit. Nam si hoc fuisset consilium, cur in transitu Euphratis inquinamenta illa non abjecit? cur non post discessum patris produxit marito quod egerat? Sed nihil opus est conjecturis, quum ex contextu historiæ palam sit, idolis pollutam fuisse domum Jacob usque ad raptum Dinæ. Non ergo pietas Rachelem, sed insanus superstitionis pruritus ad furtum impulit: quia Deum coli non putabat nisi sub idolis. Nam hic morbi fons est, quod homines quum sint carnales, carnalem quoque Deum imaginantur.

20. *Et furatus est Jahakob cor Laban.*] Hebraica loquutio, qua significat Moses Jacob clam vel furtim migrasse, celato socero. Interim quibus angustiis constrictus fuerit Jacob notare voluit, quod nullum nisi in fuga exitum habuit. Laban enim tota vita captivum tenere statuerat, non secus ac si glebæ addictus, vel in metallum damnatus foret. Proinde nos quoque ejus exemplo discamus, ubi Dominus nos vocat, fortiter contra omne genus obstacula eniti? nec miremur si multæ arduæ difficultates se nobis ingerant.

22. *Et nunciatum fuit.*] Tridui spatium Dominus servo suo dedit, donec trajecto Euphrate in fines terræ promissæ ingressus esset. Et forte interea refrixit iracundia Laban, cujus primo fervore sæviores fuissent impetus. Quod autem deinde permisit in medio itinere eum intercipi, voluit hoc modo suum auxilium illustrius reddere. Optabile quidem erat non interpellari ejus cursum, nec hostili soceri adventu mortis terrorem ei incuti: sed quom Laban instar truculentæ feræ nihil quam cædes spiraret, repente à Domino compescitur, hoc ad confirmandam sancti viri fidem longe aptius & utilius fuit. Nam sicuti in ipso juvando clarius enituit Dei potentia: ita ejus præsidio fretus, per reliquas tentationes animosius perrexit. Quo docemur, quæcunque ad tempus molestæ sunt perturbationes, eas tamen in salutem cedere: si modo obedienter nos Dei arbitrio subjicimus, qui ita nos consulto exercet, ut reipsa melius ostendat quam de nobis gerit curam. Triste erat ac miserabile spectaculum, quod Jacob tantam familiam trahens, profugeret quasi sibi male conscius: hoc vero longe acerbius, magisque formidabile quod Laban ejus capiti imminet, exitium intentans. Modus vero liberationis qui describitur à Mose, omnibus triumphis nobilior fuit. Nam Deus è cælo ad opem servo suo ferendam descendens, se medium opponit, ac momento compescit indomitum illum furorem quo ardebat Laban.

23. *Et assequutus est eum itinere septem dierum.*] Quia jam placata, vel saltem frenata erat crudelitas Laban, non audet atrocius minari: sed depositis ferocia, ad fictas & mendaces blanditias descendit. Factam enim sibi injuriam conqueritur, quod celatus fuerit de discessu Jacob, quem solenni gaudio prosequi et signum paterni amoris optasset. Ita hypocritæ, ubi ablata illis est lædendi & nocendi facultas, falsis querimoniis bonos & simplices onerant, quasi penes ipsos resideat culpa. Quare siquando iniqui homines & perfidi, ubi nos improbe vexaverint, prætextum æquitatis à sua parte obtendunt, devoranda est nobis hæc iniquitas: non quod prorsus omittenda sit justa defensio, sed quia effugere non possumus quin perversi homines semper ad maledicendum facundi sint, ac scelerum culpam in nos, qui sumus innoxii, sine pudore retorqueant. Interim prudenter cavendum est ne occasionem, quam captant, ipsis demus.

29. *Est fortitudo in manus mea.*] Diversa est apud Hebræos loquutio, Manus mea est ad robur: sensus tamen clarus est, quod denunciat Laban sibi ultionem esse in promptu. Quidam exponunt, Manus mea est ad Deum: sed ex aliis locis apparet, יד pro virtute accipi. Verum stulta jactantia inflatus Laban, secum ipse pugnat. Nam quum à Deo prohibitus fuerit quicquam tentare adversus Jacob, ubinam erunt illæ vires quas prædicat? Videmus itaque ut cæco impetu se præcipitet, quasi pro sua libidine quidvis invito Deo possit. Deum enim sibi adversum esse sentiens, gloriari tamen de suis viribus non dubitat. quorsum id, nisi tanquam futurus Deo superior? Denique semper incredulitatis comes est superbia: ut incredoli quamvis fracti, contra Deum tamen proterve insurgere non desinant. Accedit deinde aliud malum, quod se à Deo injuste opprimi causantur.

Sed Deus patris vestri.] Cur non etiam fatetur Deum suum, nisi quod prius ejus mentem fascinavit Satan, ut in tenebris errare malit quam se ad oblatam lucem vertere? Velit nolit, cedere cogitur Deo Abrahæ, & tamen debita illum gloria fraudat, commentitias deitates, in quibus detentus fuerat, retinens. Videmus ergo ut impii, licet Dei virtutem experti, non tamen ejus imperio se in solidum subjiciant. Quare ubi se patefecit nobis Deus, simul petendus è cælo est Spiritus mansuetudinis, qui in illius obsequium nos flectat & subigat.

30. *Utquid furatus es deos meos?*] Hoc secundum est accusationis caput quo gravatur Jacob, quod non desiderio patriæ, neque alia justa & probabili causa discesserit: quandoquidem furto se implicuit. Grave & probrosum crimen, à quo tamen procul aberat Jacob. Sed bine discamus neminem tam innoxie posse vivere in mundo, quin probra interdum & dedecoris notas immerito sustineat. Quoties id nobis contigerit, sustentet nos eximia illa promissio, quod Dominus suo tempore innocentiam nostram instar auroræ proferet. Nam hoc artificio nos à studio recte agendi abducere molitur Satan, quum citra culpam nostram falsis calumniis traducimur. Atque ut ingratus est mundus, pessimam sæpe mercedem benefactis rependit. Reperti sunt quidam qui heroica magnitudine siniſtros rumores contemnerent, quia pluris

apud

apud eos esset recta conscientia quam perversa populi opinio. Sed fideles ne unquam eos deficiat conscientia, in Deum respicere convenit. Cæterum videmus ut Laban תרפים vocet deos: non quia deitatem illic putaret esse inclusam, sed quia in honorem deorum imagines illas colebat. Vel potius quod Deo sacra facturus, vertebat se ad illas imagines. Hodie solo vocis discrimine Papistæ se argute elapsos existimant, quia idolis suis non tribuant nomen deorum. Atqui frivolum effugium est, quum sint in re ipsa prorsus similes: nam quicquid bonoris deberi fatentur uni Deo, coram picturis vel statuis profundunt. Veteribus autem idololatris non defuit prætextus, quod metonymice deos vocarent imagines repræsentandi Dei causa confictas.

31. *Et respondit Jabacob.*] Breviter diluit utrumque accusationis caput: de furtivo discessu modeste se ac verecunde excusat, quia veritus fuerit ne spoliaretur uxoribus. Hoc autem modo partem culpæ in se suscipit, quia satis habet à concepta malitia se purgare. Non disputat rhetorice an furtim discedere licuerit, sed in medio relinquit, vitiosusne fuerit ille timor. Hanc modestiam imitari discant omnes filii Dei, ne immodico tuendæ famæ studio ad contentiones prosiliant: sicuti multos videmus de nihilo sæpe tragœdias movere, dum nihil, quantumvis leviculum, sibi objici sustinent. Hac igitur excusatione contentus fuit Jacob, dum se nihil scelerate egisse probat. Sequitur alterius capitis defensio, in qua Jacob fiduciam suam ostendit, morti adjudicans apud quem deprehensum fuerit furtum. Et loquitur quidem ea animo: sed si comperta tunc fuisset veritas, necesse erat ipsum levitatis suæ pudere. Quanquam ergo sibi non male conscius est, nimia tamen festinatione peccat, quod non prius sedulo inquirit quam de re sibi dubia pronunciet. Debuerat tam uxores quam filios vocare, & à singulis sciscitari ut res haberet. Persuasus quidem est tam bene moratam se habere familiam ut nulla in ejus mentem veniat furti suspicio: sed disciplinæ suæ non ita confidere debuit quin metueret, ubi crimen objicitur. Quare discamus de rebus incognitis suspendere judicium: discamus item pro aliis non spondere, ne temeritatis nostræ sero nos pœniteat. Adde quod hinc etiam factum est, ut pollutio, quæ statim exterminari potuit, diutius subsiterit in domo Jacob.

32. *Quod Rachel furata esset deos.*] Narrat Moses quomodo suum furtum occultaverit Rachel, nempe quod insidens idolis, menstrua se pati simulavit. Quæritur autem, pudorene an pertinacia id fecerit. Probrosum erat in furto deprehendi: timebat etiam gravem mariti sententiam. Mihi tamen probabile est, non tam pudorem apud eam valuisse quam obstinatum idololatriæ studium. Nam scimus quantopere mentes hominum dementet superstitio. Ergo quasi incomparabilem thesaurum nacta foret, quidvis sibi potius tentandum esse ducit quam ut eo privetur. Quin etiam patris & mariti offensam mavult incurrere quam abjicere superstitionis materiam. Dolo etiam accedit verborum mendacium, ut multiplici reprehensione digna sit.

36. *Et ira fuit ipsi Jabacob, & jurgatus est.*] Peccat iterum Jacob, litigans cum socero de re non satis comperta, & crimen ei calumniæ perperam impingens. Quamvis enim suos omnes putaret esse extra noxam, sua tamen negligentia deceptus est. Sibi quidem moderatur, quod expostulans cum Laban non certat convitiis: sed in eo excusabilis non est quod suscipit totius familiæ causam, quum extra noxam non esset. Siquis metu retentum fuisse excipiat, quoniam magnam comitum manum secum adduxerat Laban: res ipsa ostendit animi potius sui modestia ita compositum fuisse. Libere enim restitit, nec ullum ostendit formidinis signum: tantum à maledicendi protervia abstinet. deinde subjicit justas sibi causas suppetere cur accuset Laban: non quod recriminandi animo contra socerum velit insurgere, sed quia utile erat cognatos & comites Laban omnium fieri testes, ut ea longa tolerantia Jacob, ejus integritas melius pateret. Commemorata autem Jacob non modo se fidum fuisse gregis custodem, sed laborem quoque suum Dei benedictione prosperum fuisse: addit præterea se multatum fuisse omnibus damnis. In quo Laban magnæ iniquitatis insimulat. neque enim Jacob ultro soceri sui avaritiam & rapacitatem oblatis fomentis accendere debuit, sed coactus cessit ejus injuriis. Quum dicit *somnum suum ab oculis fugisse*, non tantum significat noctes se duxisse insomnes, sed luctatum esse cum ipsa natura, ut debita quiete se fraudaret.

42. *Nisi Deus patris mei.*] Hic Dei gratiæ adscribit Jacob quod domum non redeat prorsus vacuus. quo non solum exaggerat peccatum Laban, sed occurrit objectioni quæ videri poterat ejus querimoniis adversa. Quod ergo dives est, soceri benignitate factum esse negat, sed se à Domino respectum esse testatur. acsi diaisser, Per te non stetit quin mihi ulterius noceres: sed Deus quem habui propitium, tibi obstitit. Jam quum Deus non sit patronus malæ fidei, nec improbos juvare soleat: inde cognoscitur integritas Jacob, quod Deus se ejus vindicem interposuit. Notandum autem est quod Deum Abrahæ nominatim ab omnibus diis fictitiis separans, non alium esse verum Deum admonet quo simul demonstrat se veræ pietatis esse cultorem. Timorem Isaac passive accipe pro Deo quem Isaac reverebatur: sicut, propter reverentiam quæ illi debetur, vocatur timor & tremor populi sui. Et paulo post eodem capite similis loquutio recurret. Pii autem Deum sic timent, ut minime horreant ad ejus conspectum, sicut reprobi: sed trepidantes ad ejus judicium, sollicite coram ipso ambulant.

Afflictionem meam, & laborem manuum mearum.] Hoc dictum est ea pietatis sensu, quod Deus afflicto & fideliter probeque se gerenti opem tulerit. Ergo ut nos favore sun sublevet Dominus, discamus officio nostro rite defungi, non fugiamus legitimos labores, multis etiam molestiis pacem redimere ne detrectemus. Deinde si duriter & inique nos tractent de quibus bene erimus meriti, in spe & silentio feramus crucem nostram, donec succurrat nobis Dominus: neque enim ad extremum usque nos deseret, sicuti toties testatur Scriptura. Diserte vero Jacob socerum suum urget propria confessione. Cur enim eum increpuerat Deus, nisi quia contra jus & fas innoxium hominem persequebatur? nam (sicuti nuper attigi) malis & injustis causis favere à natura Dei abhorret.

43. *Filiæ, filiæ meæ sunt.*] Nunc longe aliter loqui incipit Laban, quam prius. videt se nullam amplius habere litigandi causam. Ergo convictus, sepultis jurgiis ad placidum amicumque sermonem delabitur. Cur ego, inquit, tibi infestus essem, quum sint omnia inter nos communia? An ego in viscera mea sævirem? nam & uxores tuæ, & liberi tui, sanguis meus sunt. quare ita me erga vos affici par est, acsi gererem omnium personam. Perinde jam respondet atque bono æquissimus. Unde autem tam repente illi nata humanitas, qui nuper nullo recti vel pravi delectu in perniciem Jacob rapiebatur, nisi quod agnoscit Jacob bona fide secum egisse, & tandem necessitate fuisse coactum ut consilium hoc furtivi discessus caperet? Atque hoc signum fuit hominis non prorsus desperati: nam multos cernere licet tam perditæ impudentiæ, ut rationibus victi & obruti, stupida tamen contumacia ruere non desinant. Colligimus autem ex hoc loco, licet avaritia perversique alii affectus judicium & sanam mentem eripiant, manere tamen in animis hominum insculptam veri notitiam, quæ scintillas excitata emittit,

tit, nisi in totum malitia dominetur. Si quis prius dixisset, Quid agis Laban? quænam ista feritas, contra viscera tua insurgere? minime fuisset auditus: præcipiti enim furore ardebat. Nunc ultro ipse sibi suggerit, ac prædicat quod ab alio audire noluisset. Constat igitur lucem æquitatis, quæ nunc emergit, fuisse in ejus animo suffocatam. In summa, solus amor nostri nos excæcat, quia recte qui sque nostrum judicat, ubi non sunt intermediæ personæ. Cæterum si contigerit nos ad tempus turbari, danda saltem opera est ut præ valeat tandem ratio & æquitas. Quod si quis ad malitiam se obduret, manebit tamen insculpta illa, quam dixi, interior & occulta notitia, quæ ad eum damnandum sufficiat.

44. *Percutiamus fœdus ego & tu.*] Hic facit Laban quod solent homines male sibi conscii, dum sibi cavet à mutua vindicta. ac talis trepidatio & anxietas justa est maleficiorum merces. Adde quod improbi alios semper æstimant ex proprio ingenio: unde fit ut undique sibi metuant. Quare tale fere exemplum ante narravit Moses, quum Abimelech fœdus cum Isaac percussit. Quo magis studendum est, si animis sedatis esse cupimus, ut sincere & innoxie versemur cum proximis. Interea docet Moses quam placabilis fuerit Jacob, & quanta facilitate passus fuerit se adduci ad concordiam. Plurimas & gravissimas injurias pertulerat: nunc omnium oblitus, manum ad benevolentiam libenter porrigit: & adeo pertinax non est in tuendo jure suo, ut quodammodo præveniat ipsum Laban, lapidem primus statuens. Et sane filios Dei non modo pacem alacriter amplecti decet sed etiam cupide inquirere, sicuti jubemur Psal. 34. v. 15. Quod ad lapidum acervum spectat, semper usu receptum fuit, ceremoniam aliquam adhibere quæ pacta utrimq; sanciret. nunc congeries lapidum extruitur, ut etiam ad posteros vigeat fœderis memoria. Quod has partes occupat Jacob, jam diximus signum esse propensi ad pacem animi. Libere quidem conquestus est, dum ita oportuit: sed ubi ad pacificationem ventum est, demonstrat se nihil alere veneni. Quum mox subjicit Moses, eos *comedisse super acervum*, non observat historiæ seriem. Prius enim utrimque pactæ sunt ac dictæ leges quam celebratum convivium: sed hæc figura (ut prius vidimus) satis usitata est.

47. *Et vocavit eum Laban.*] Eodem sensu uterque nomen ex sua lingua tumulo imponit. Unde apparet Laban usum fuisse lingua Syriaca, quamvis ex genere Heber esset progenitus. Sed non mirum est quod inter Syros habitans, tam linguæ quam moribus gentis assueverit. Et paulo ante bis vocatus est Syrus: acsi Moses degenerem & alienum ab Hebræis dixisset. Sed hoc superiori historiæ minime congruere videtur, ubi legimus filias Laban imposuisse filiis suis Hebraica nomina. Verum solutio non est difficilis: nam quum magna sit istarum linguarum inter se affinitas, facilis fuit unius vocis in alteram inflexio. deinde, si morigeras sibi uxores habuit Jacob, non mirum est si ejus linguam didicerint. Ipse autem proculdubio in hoc incubuit: utpote qui sciebat familiam suam à reliquis gentibus segregatam esse. Quod autem supra usus est Moses nomine Galaad, prolepsis fuit. nam quum ætati suæ scriberet, non dubitavit receptum nomen ponere. Cæterum hinc colligimus, ceremonias & ritus ad id quod inter se constituunt homines, referri debere. Quæ etiam regula in Sacramentis valere debet: quia si tollatur verbum quo nobiscum pacisci tur Deus, inutiles tantum & mortuæ figuræ restabunt.

49. *Speculetur Dominus.*] Judicio Dei vindicandum commendat Laban quicquid alter in alterum absentem peccaverit. quasi diceret, Quamvis ad me usque non perveniat injuriæ notitia, quia procul abero, Dominus tamen qui ubique adest, speculetur. Quam sententiam clarius paulo post exprimit, dicens, Nemo nobiscum est, Deus inter me & te erit testis. Quibus verbis significat, Deum tunc acerrimum fore cujuslibet sceleris vindicem, ubi nullus sedebit in mundo judex. Et certe si qua in nobis viget religio, longe magis nos moveret Dei præsentia quam omnium hominum conspectus: sed fit bruto carnis nostræ stupore ut nonnisi homines revereamur: quasi impune illudere Deo liceat, ubi non coarguimur hominum testimonio. Verum si hoc communis naturæ sensus dictavit ipsi Laban, venturas in Dei judicium fraudes quæ mundo sunt absconditæ: pudeat nos qui in Euangelii luce versamur, latebras fallaciis nostris captare. Hinc etiam collige legitimum jurisjurandi usum, quem etiam Apostolus in Epistola ad Hebræos notat, nempe quod homines finem controversiis suis facturi, ad Dei judicium confugiunt.

50. *Et si acceperis uxores super filias meas.*] Hanc perfidiæ speciem fore intelligit Laban si alias sibi uxores Jacob adjungat. Atqui ipse eum ad polygamiam coëgerat. unde enim plures uxores sancto viro, nisi quod dolose in locum Rachelis supposita fuerat Lea? Sed vitium, cujus perperam auctor fuerat, avaritia sua excæcatus, nunc ex sincero naturæ sensu damnat. Et certe ubi abrumpitur conjugii vinculum, quo nullum inter homines sanctius est, tota humana societas labefactatur. Quare phrenetici homines, qui hodie in tuenda polygamia sibi placent, non alio judice opus habent quam Laban.

53. *Deus Abrahæ.*] Hoc quidem rite fit & ordine quod Laban per Dei nomen adjurat Jacob. Hæc enim fœderum est sanctitas, Deum utrimque advocare, ut inultam perfidiam non sinat. Sed perperam vero Deo idola commiscet, quibuscum nihil illi est commune. Ita scilicet homines superstitionibus implicati, sacra profanis, & puræ deitati hominum figmenta promiscue miscere solent. Cogitur Deo Abrahæ aliquid dare honoris, in suis tamen sordibus demersus jacet: & ne deterior videatur sua religio, antiquitatis fuco eam colorat. Deum enim patris sui appellans, gloriatur sibi à majoribus esse traditum. Interim Jacob superstitiose non jurat. Diserte enim exprimit Moses nonnisi per timorem Isaac juratse, ut sciamus non annuisse socero præposteram formam dictanti: sicuti multi, ut impiorum gratiam captent, eandem sibi religionem cum ipsis esse simulant. Atqui ubi semel innotuit unus Deus, maligne supprimitur à nobis ejus veritas, nisi sua luce omnes errorum nebulas discutiat. Nec dubium est quin jurandi formæ respondent sacrificium, ut scilicet à puro Dei cultu omnia inquinamenta arceret.

54. *Et vocavit fratres suos ut comederent.*] Quod hospitio comiter recipit Jacob affines suos, à quibus male tractatus fuerat, in eo manifestudinem suam testatur. Singulari etiam Dei beneficio factum esse notat Moses, quod post atrocem illam procellam, quæ interitum sancto viro minitabatur, repente enituit placida serenitas. Eodem pertinet quod statim sequitur, Laban amice digressum fuisse: nam hoc modo palam ostendit Dominus se custodem esse servi sui, qui eum velut ovem perditam mirabiliter è lupi faucibus eripuit. Nec vero tantum sedatus fuit furor Laban, sed paternum affectum, quasi mutatus in novum hominem, induit.

55. *Benedixitque eis.*] Notanda est circumstantia personæ, quod scilicet Laban qui à pietate desciverat, & improbis erat ac scelestis moribus, morem tamen benedicendi retinuit. Nam hinc docemur, ne qua impius superstitiosa excusatio ignorantiæ, principia quædam notitiæ Dei hærere in ipsorum cordibus. nam inde mos benedicendi, quod certo persuasi sint homines Deum unum bonorum omnium esse auctorem. Quamvis enim superbe quidvis sibi arrogent, ubi tamen ad seipsos redeunt, velint nolint, sentire coguntur, quicquid bonorum est nonnisi à solo Deo provenire.

Caput XXXII.

CAPUT XXXII.

POstea Jahacob abiit in viam ſuam, & occurrerunt ei Angeli Dei.

2. Et dixit Jahacob quando vidit eos, Caſtra Dei ſunt hæc: & vocavit nomen loci illius Mahanaim.

3. Miſit autem Jahacob nuncios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum ad terram Sehir in regionem Edom:

4. Et præcepit eis, dicendo, Sic dicetis domino meo Eſau, Sic dixit ſervus tuus Jahacob, Cum Laban habitavi & moratus ſum hucuſque.

5. Et ſunt mihi boves & aſini, pecudes & ſervi, & ancillæ, & miſi ut nunciarem domino meo, ut invenirem gratiam in oculis tuis.

6. Reverſi autem ſunt nuncii ad Jahacob, dicendo, Venimus ad fratrem tuum, ad Eſau, & etiam pergit in occurſum tuum, & quadringenti viri cum eo.

7. Et timuit Jahacob valde, & anguſtiis affectus eſt: & diviſit populum qui erat ſecum, & pecudes, & boves, & camelos in duas turmas.

8. Dixit enim, Si venerit Eſau ad turmam unam, & percuſſerit eam, turma quæ remanſerit evadet.

9. Et dixit Jahacob, Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Ishac, Domine, qui dixiſti ad me, Revertere ad terram tuam & cognationem tuam, & benefaciam tibi.

10. Minor ſum cunctis miſericordiis, & omni veritate quam feciſti cum ſervo tuo: quia in baculo meo tranſivi Jordanem hunc, & nunc factus ſum in duas turmas.

11. Erue me nunc de manu fratris mei, de manu Eſau: timeo enim eum, ne forte veniat, & percutiat me, matremque cum filiis.

12. Et tu dixiſti, Benefaciendo benefaciam tibi, & ponam ſemen tuum ſicut arenam maris, quæ non numeratur præ multitudine.

13. Et pernoctavit ibi nocte ipſa, & accepit ex iis quæ occurrebant ad manum ſuam, munus *mittendum* ad Eſau fratrem ſuum.

14. Capras ducentas, & hircos viginti: oves ducentas, & arietes viginti:

15. Camelos lactantes, & pullos earum triginta: vaccas quadraginta, & juvencos decem: aſinas viginti, & pullos decem.

16. Et dedit in manum ſervorum ſuorum, ſingulos greges ſeorſum: dixitque ad ſervos ſuos, Tranſite ante me, & interſtitium ponetis inter gregem & gregem.

17. Et præcepit primo, dicendo, Si occurrerit tibi Eſau frater meus, & interrogaverit te, dicendo, Cujus es, & quo pergis, & cujus ſunt iſta ante te?

18. Dices, Servi tui Jahacob munus eſt, miſſum ad dominum meum Eſau: & ecce etiam ipſe eſt poſt nos.

19. Præcepit etiam ſecundo, etiam tertio, etiam cunctis pergentibus poſt greges, dicendo, Secundum verbum hoc loquemini ad Eſau quando invenietis eum.

20. Et dicetis etiam, Ecce ſervus tuus Jahacob eſt poſt nos. dixit enim, Placabo faciem ejus munere quod vadit ante me, & poſtea videbo faciem ejus, ſi forte ſuſcipiat faciem meam.

21. Tranſivit itaque munus ante eum: & ipſe pernoctavit nocte ipſa cum turma.

22. Et ſurrexit nocte ipſa, & accepit duas uxores ſuas, & duas ancillas ſuas, & undecim liberos ſuos, & tranſivit vadum Jaboc.

23. Et accepit eos, & tranſire fecit eos torrentem, tranſire inquam fecit *omnia* quæ erant ſibi.

24. Porro remanſit Jahacob ſolus ipſe: & luctatus eſt vir cum eo donec aſcendit aurora.

25. Et vidit quod non prævaleret ei, & tetigit palam femoris ejus, & movit ſe pala femoris Jahacob, luctante illo cum eo.

26. Tunc dixit, Dimitte me, quia aſcendit aurora. Cui reſpondit, Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.

27. Et dixit ad eum, Quod eſt nomen tuum? Et ait, Jahacob.

28. Tunc dixit, Non Jahacob dicetur ultra nomen tuum, ſed Iſraël: quia princeps fuiſti cum Deo, & hominibus prævalebis.

29. Et interrogavit Jahacob, & dixit, Indica quæſo nomen tuum. Et dixit, Utquid interrogas de nomine meo? & benedixit ei illic.

30. Vocavit ergo Jahacob nomen loci, Peniel: quia vidi Deum facie ad faciem, & evaſit anima mea.

31. Et ortus eſt ei ſol, quando tranſivit Penuel: & claudicabat in femore ſuo.

32. Idcirco non comedunt filii Iſraël nervum contractionis qui eſt in pala femoris, uſque ad diem hanc: quia tetigit palam femoris Jahacob in nervo contractionis.

1. *Et Jahacob abiit in viam ſuam.*] Poſtquam è ſoceri ſui manibus, hoc eſt, ex præſenti morte elapſus eſt Jacob, nunc in fratrem incidit, cujus æque, vel etiam magis timenda erat atrocitas. nam ejus minis expulſus fuerat à patria: nulla autem melior illi ſpes proponitur. Trepide ergo non ſecus atque ad ma-

ctatio-

ctationem pergit. Cæterum quia fieri vix poterat quin mœrore fractus concideret, tempestive Dominus succurrit, & eum tam ad hoc certamen quam ad alia præparat, ut se fortem in omnibus, invictumque athletam præstet. Ergo ut sciat Dei præsidio se tegi, Angeli, dispositis utrimque castris, obviam ei procedunt. Hebræi interpretes putant ab una parte locata fuisse hostium castra: Angelos autem vel Deum potius ex oppolito stetisse. Atqui multo probabilius est, Angelos fuisse in bina castra distributos à diversis lateribus Jacob, ut agnosceret se undique cinctum ac munitum esse cælestibus copiis: sicuti Psalmo 34. vers. 8. habetur, Angelos, ut Dei cultores servent, castra per circuitum ipsorum metari. Quanquam non displicet eorum sententia qui dualem numerum loco pluralis simpliciter accipiunt, ut fuerit Jacob circumdatus continuo Angelorum exercitu. Porro duplex fuit hujus visionis utilitas. nam quia sanctus vir in futurum tempus valde anxius erat, hunc cruciatum mature illi eximere Dominus voluit, vel saltem levationis aliquid afferre, ne tentationi succumberet. Deinde voluit postquam liberatus esset à fratre, præteriti beneficii memoriam infigere ejus animo, ne quando effilueret. Scimus quam proclivis sit in hominibus beneficiorum Dei oblivio: imo dum manum suam ad eos juvandos extentam habet Deus, vix centesimus quisque oculos sursum attollit. Ideo necesse fuit visibilem Dei tutelam sancto viro statui in conspectu, ut tanquam in illustri theatro cerneret non fortuito se nuper ereptum esse ex manu Laban, sed quod Angelos Dei pro se haberet pugnantes, ut certo speraret contra fratris conatus paratum sibi fore eorum auxilium: denique ut superato discrimine, memor esset ab illis se fuisse protectum. Hæc autem doctrina ad nos omnes extenditur, ut discamus, in manifestis Dei gratiis invisibilem ejus præsentiam intueri. Præcipue tamen sanctum virum novis armis ad subeundum quod instabat certamen instrui necesse fuit. Nescit an mutatus sit frater Esau, an vero factus deterior. Atque huc magis inclinat suspicio, virum sanguinarium nihil nisi hostile moliri. Ergo ad firmandam in futurum tempus ejus fiduciam, non minus quam ad præteritæ gratiæ recordationem apparent Angeli. Fiduciam quoque non parum amplificat numerus. nam etsi satis sit singulos Angelos nobis dari custodes, liberalius tamen agit nobiscum Dominus. Quare maligne extenuant Dei gratiam qui tantum ab uno Angelo quemque nostrum defendi putant. Nec dubium est quin diabolus hoc astu fiduciam nostram aliqua ex parte minuere conatus sit. Gratitudo sancti viri notatur à Mose, dum loco nomen imponit, quasi perpetuæ memoriæ symbolum.

3. *Et misit Jahacob nuncios.*] Jam tunc Dei providentia factum est ut Esau relicto patre versus montem Seir ultro se contulerit: atque ita cesserit ex terra promissa, quo vacua ejus possessio maneret posteris Jacob absque fraterna cæde. Neque enim vel patris imperio coactum credibile est; vel ideo habitationem mutasse, quia fratre inferior haberi vellet. potius conjicio multis opibus locupletatum fuisse, quæ illum ex paterna domo extruderent. Scimus enim profanos, & hujus seculi filios præsentibus commodis tam cupide inhiare, ut quum se aliquid offert eorum cupiditati consentaneum, illuc bruto impetu ferantur. Imperiosus & ferox erat Esau, matri infensus, patris quoque reverentiam excusserat, & se vicissim sciebat illis esse exosum. uxores assiduas pugnas movebant: durum illi ac molestum erat filiifamilias personam servili jam ætate agere. nec enim superbi homines liberi sibi videntur quum quis supra eos eminet. Ergo ut solutus alienis legibus degeret, seorsum à patre degere maluit: ac tali illecebra inescatus est, ut promissæ hæreditatis immemor, locum fratri suo relinqueret. Divinitus autem id factum esse dixi: quemadmodum per Malachiam Deus ipse pronunciat, fuisse hanc quasi relegationis speciem quod in montem Seir deductus est Esau. Etsi enim sponte migravit, arcano tamen Dei consilio terra illa privatus est, quam tantopere appetierat. Præsenti vero dominandi cupidine illectus, in delectu cæcutit, quum terra Seir montosa & aspera, minusque fertilis & amœna esset. Porro celebrem virum fuisse apparet, qui nomen regioni ex suo nomine imposuit: quanquam verisimile est, terram Edom dici per prolepsin à Mose, quæ deinde ita vocari cœpit. Quæritur jam unde resciverit Jacob fratrem suum in illa parte habitare. Quanquam pro certo nihil asserо, probabilis tamen est conjectura fuisse à matre admonitum. neque enim in tanta servorum copia desuit fidelis nuncius. Et facile ex verbis Mosis colligitur, antequam terram ingressus esset Jacob, de novo fratris domicilio sciviſſe id quod erat. Scimus autem multa ejus generis à Mose fuisse omissa quæ lectoribus facile in mentem venire possunt.

Mal. 1. vers. 3.

4. *Sic dicetis domino meo.*] Narrat hic Moses quam anxius fuerit Jacob in placando fratre. Supplex enim ista deprecatio nonnisi ingenti ac diro cruciatu extorta fuit. Sed videtur absurda esse submissio, qua dominium illi defert, pro quo usque ad vitæ discrimen certaverat. Si enim primogenitus est Esau, quid sibi residuum facit Jacob? quorsum attinuit tantum sibi accersere invidiæ, tot subire discrimina, & tandem viginti annorum exilio multari, si nunc se fratri subjicere non recusat? Respondeo, quod dominium temporale concedit, hinc nihil decedere arcanæ benedictionis juri. Scit effectum divinæ promissionis adhuc esse suspensum: ergo spe futuræ hæreditatis contentus, in præsentia non dubitat fratrem sibi honore præferre, ac se profiteri ejus servum. Nec vero in his verbis quicquam fictum fuit, quia paratus erat fratrem humeris portare: modo ne jus futuri temporis, quod adhuc erat absconditum, perderet.

5. *Sunt mihi boves.*] Non jactantiæ causa suas divitias prædicat Jacob, sed ut hoc modo ad humanitatem flectatur Esau. Nimis enim turpe ac pudendum fuisset, qui in longinqua terra per Dei gratiam ditatus fuerat, immaniter fugare. Adde quod futuræ æmulationi ansam præcidit: nam si inanis ac famelicus veniſſet, poterat Esau ex dispendii sui metu novam indignationem concipere. Testatur ergo Jacob se non venire ut patris substantiam sugat, vel diretur cum fratris jactura: acsi dixisset, Salva sit tibi hæreditas terrena: jus enim tuum per me non minuetur: tantum me sinas vivere. Hoc exemplo monemur qualiter fovenda sit nobis pax cum improbis. Non prohibet quidem Dominus quin jus nostrum tueamur, quoad permittent adversarii: sed jure nostro potius cedendum est, quam ut certamen oriatur nostra culpa.

6. *Et reverſi sunt nuncii.*] Esau benevolentiæ causa progreditur obviam fratri suo: sed Jacob reputans immanem ejus ferociam, inflatos spiritus, ac truces minas, nihil humanum ab eo expectat. Et Dominus servi sui animum tali anxietate, licet de nihilo, ad tempus premi voluit, ut precandi fervorem magis accenderet. Scimus enim quale in hac parte frigus generet securitas. Ergo ne fides, nullis stimulis excitata, in nobis torpeat, multa sæpe nos timere patitur Deus quæ timenda non sunt. Nam quamvis vota nostra præveniens occurrat malis nostris, remedia tamen occultat, donec fidem nostram exercuerit. Interea notandum est, filios Dei nunquam pollere tam robusta constantia, quin simul carnis infirmitas in illis se prodat. Nam qui fiduciam imaginantur omni timore vacuam, nunquam gustarunt quidnam sit vera fides. Non enim se in hunc finem Dominus nobis adfore promittit, ut periculo-

rum ſenſu exuat: ſed ne prævaleat metus, & nos deſperatione obruat. Adde quod nunquam omni ex parte ſolida eſt noſtra fiducia, ut pravas dubitationes & vitioſos metus repellat, ſicuti optandum foret.

7. *Et diviſit populum.*] Refert Moſes, Jacobex re præſenti cepiſſe conſilium. Familiam enim in duas turmas dividens, ancillas priore loco ſtatuit, ut primum inſultum, ſi ita neceſſe ſit, ſuſtineant: uxores vero liberas longius à periculo ſubducit. Atque hinc quidem colligimus, non ita expavefactum fuiſſe Jacob quin res ſuas componeret. Scimus ubi panicus terror occupat animos, nihil ſuppetere conſilii, ſed velut exanimes ſtupere qui rebus ſuis proſpicere deberent. Ergo ex hdei Spiritu hoc manavit, quod aliquam diſtantiam interpoſuit Jacob inter duas familiæ ſuæ partes, ne ſi qua inſtaret clades, totum ſaltem intercideret Eccleſiæ ſemen. Nam hoc conſilio dimidiam partem mactationi obtulit, ut ad reliquos ſuperſtites tandem perveniret hæreditas promiſſa.

9. *Deus patris mei Abrahæ.*] Rebus ſuis, ut præſens ſuadebat neceſſitas, diſpoſitis, jam ad preces ſe convertit. Teſtis autem eſt hæc precatio, non fuiſſe tanto metu oppreſſum ſanctum virum, quin victrix emergeret fides. Neque enim dubitanter ſe & ſuos Deo commendat: ſed tam promiſſionibus Dei, quam acceptis beneficiis confiſus, ſuas curas & moleſtias in ejus ſinum rejicit. Diximus autem ſupra, quorſum ſpectent hæc epitheta quæ tribuit Deo, & quid valeant: nempe quum longius diſtent homines à Deo, quam ut ad ejus altitudinem per ſe conſcendant, ipſe ad fideles deſcendit. Ita ſe Deum Abrahæ vocans & Iſaac, filium ipſorum Jacob comiter ad ſe invitat. neque enim ſancto viro difficilis ad domeſticum Deum erat acceſſus. Deinde quia totus mundus in ſuperſtitiones defluxerat, peculiari nota diſcerni voluit Deus ab omnibus idolis, ut populum electum in fœdere ſuo teneret. Ergo Jacob Deum patrum ſuorum nominatim compellans, promiſſiones in illorum perſona ſibi datas, in medium ſibi proponit, ne dubio animo precetur, ſed tuto recumbat in illam fulturam, quod promiſſæ benedictionis hæres, Deum propitium habiturus ſit. Et ſane orandi regula nobis ex verbo petenda eſt, ne temere ad Deum perrumpere tentemus, ſed ad eum pergamus quatenus ſe nobis patefecit. quod ex proximo contextu clarius patet, ubi Jacob Dei mandatum & promiſſionem in memoriam revocans, quaſi duabus columnis innititur. Et certe hæc legitima eſt orandi ratio, ut fideles Deo vocanti reſpondeant: atque ita inter hujus verbum & illorum vota mutuus ſit conſenſus: ſicuti nulla ſuavior vel magis concinna ſymphonia fingi poteſt. Domine, inquit, juſſu tuo redeo: deinde ſalutem reverſo pollicitus es: æquum eſt igitur ut te mihi præbeas itineris ducem. Hæc ſancta eſt præſumptio, quum officio noſtro defuncti, ſecundum Dei vocationem familiariter ab ipſo petimus quicquid promiſit: quando ſe nobis gratis obſtringens, factus eſt quaſi voluntarius debitor. Quiſquis autem nullo Dei mandato aut promiſſione fretus, vota concipit, nihil quam vanas ampullas projicit in aërem. Hic etiam locus certius confirmat quod prius dictum fuit, Jacob non falſo prætexuiſſe apud uxores, Deum ſibi reditus eſſe auctorem. Nam ſi tunc mentitus foret, nulla nunc ſuppeteret bene ſperandi materia. Aequi ad cæleſte tribunal cum hac fiducia prodire non dubitat, ſe manu Dei protectum iri, cujus auſpiciis redire in terram Chanaan auſus eſt.

10. *Minor ſum cunctis miſericordiis.*] Tametſi loquutio hæc dura eſt Latinis auribus, ſenſus tamen obſcurus non eſt. Fatetur Jacob pluribus ſe Dei beneficiis fuiſſe cumulatum quam ſperare auſus foret: ideoque multum abeſſe ut ad impetrandum quod poſtulat, quicquam afferat dignitatis vel meriti. Dicit ergo ſe minorem fuiſſe Dei gratiis: quia indignus erat in quem Dominus tam liberaliter præclara dona conferret. Porro ut melius pateat ſancti Patriarchæ conſilium, notandus eſt Satanæ aſtus. nam ut propriæ indignitatis ſenſu nos ab orando deterreat, cogitationem hanc nobis ſuggerit, Quis tu es, ut in Dei conſpectum prodire audeas? Hanc tentationem mature prævertit Jacob, dum præfatus ſe eſſe indignum ſuperioribus Dei donis, ſimul tamen agnoſcit non eſſe Deum hominibus ſimilem, ut continuandis & augendis beneficiis unquam laſſetur. Interea Jacob ex eo fiduciæ materiam colligit, quia Deum tam beneficum ſæpe jam expertus erat. Ergo in duplicem ſcopum reſpexit: quia & occurrere voluit diffidentiæ, quæ ex ingenti donorum Dei cumulo obrepere poterat, & dona illa in diverſam partem convertit, ut ſibi promitteret eundem erga ſe Deum fore, qui hactenus fuerat. Duas autem voces ponit, Miſerationes & Veritatem, ut ſignificet Deum mera ſua bonitate induci ut nobis benefaciat: & hoc modo fidem ſuam probare. Atque hæc copula miſericordiæ cum veritate paſſim occurrit in Scripturis: ut ſciamus bona omnia nobis ex gratuito Dei favore fluere: eorum vero nos fieri capaces dum ejus promiſſiones fide amplectimur. *Quia in baculo meo.* Non enumerat Jacob ſingulas Dei gratias, ſed ſub una ſpecie alias comprehendit, quod quum inops & ſolitarius viator Jordanem tranſiſſet, nunc dives & multis copiis refertus veniat. Notanda eſt autem antitheſis inter Baculum & duas turmas: in qua priorem ſolitudinem & inopiam cum præſenti abundantia comparat.

11. *Erue me.*] Poſtquam pluribus Dei beneficiis ſe obſtrictum eſſe meminit quam ut ſua merita jactare poſſet, & ſe inde ad ſpem majorem erexit: nunc ſuam neceſſitatem commemorat. acſi diceret, Domine, niſi tot præclara dona in nihilum velis recidere, jam tempus eſt ut mihi ſuccurras, & exitium avertas quod mihi à fratre impendet. Expoſito autem ſuo metu, clauſulam adjungit de benedictione ſibi promiſſa, ut ſe iterum promiſſionibus ſibi datis confirmet. Matrem cum filiis occidere, proverbialiter apud Judæos dictum fuiſſe puto, pro nihil reliquum facere: metaphora ab avibus ſumpta, quum pullos una cum matribus rapiunt aucupes, totumque nidum evacuant.

13. *Et accepit de his quæ ad manum.*] Quod muneribus placare fratrem ſtudet, non facit diffidentia, quaſi Dei præſidio ſe tutum fore dubitet. Hoc quidem inter homines nimis commune eſt vitium, ut Deum precati ſe huc & illuc circumagant, ſibi que vana ſubſidia comminiſcantur: quum hic præcipuus ſit orationis fructus, in ſilentio & quiete expectare Dominum: ſed aliud propoſitum fuit ſancto viro quam fatagere & tumultuari, quaſi unico Dei auxilio contentus non foret. Quamvis enim certo perſuaſus ſit, hoc unum ſibi ſufficere, quod Deum habet propitium, non tamen omittit quæ in manu ſunt media, ſucceſſum in manu Dei reponens. Etſi enim precando curas noſtras rejicimus in Deum, ut pacatis animis, non tamen hæc ſecuritas ignavos reddere nos debet. Nam Dominus quæcunque nobis adminicula porrigit vult in uſum aptari. Multum vero à turbulentis mundi ſtudiis differt piorum ſedulitas: quia mundus à Dei benedictione induſtriam ſuam ſeparans, quid rectum ſit vel liceat non expendit: deinde ſemper trepidat, & fatagendo inquietudinem ſuam magis ac magis ſollicitat. Pii autem non aliunde laboris ſui profectum ſperantes quam ex Dei miſericordia, mentem ſuam quærendis mediis tantum ideo applicant, ne ſuo torpore ſepeliant Dei dona: defuncti ſuo officio, pendent ab eadem Dei gratia: mediis vero deſtituti, nihilominus quieſcunt.

14. *Capras ducentas.*] Hinc perſpicimus quanti promiſſionem ſibi datam æſtimaverit Jacob, dum tantam rerum ſuarum jacturam facere non recuſat.

Scimus

Scimus quæ magno ſudore ac moleſtiis parta ſunt, in majori haberi pretio. Itaque ut plurimum magis reſtricti ſunt ac tenaces qui ſuo labore ditati ſunt. Hæc vero etiam ex magnis opibus non levis fuit diminutio, quadraginta vaccas, triginta camelos cum pullis, hircos viginti, & totidem aſinas cum pullis, capras ducentas, & totidem oves cum viginti arietibus, & totidem hircis, dare. Atqui libenter hanc ſibi mulctam injungit Jacob ut ſecurum in patriam reditum comparet. Certe non difficile fuiſſet angulum aliquem reperire, ubi rebus integris degeret: nec minus commoda alibi fuiſſet habitatio. Sed ne perdat promiſſionis fructum, tanto pretio quietum in terra Chanaan hoſpitium à fratre ſuo redimit. Pudenda eſt igitur noſtra mollities & tarditas, qui pedem maligne reducimus à recto vocationis noſtræ curſu ſimulatque aliquid perdendum eſt. Clara & ſonora voce mandat Dominus quidnam agere nos velit: ſed quia aliis moleſtum eſt farcinas colligere, torpidi jacent: alios deliciæ retinent, alios impediunt vel divitiæ vel honores: denique pauci ſequuntur Deum, quia vix centeſimus quiſque diminui ſuſtinet. Quod diſtinguit ſpatia inter nuncios, & alios aliis diverſo tempore ſubmittit, hoc facit ut paulatim mitiget fratris ferociam: unde iterum colligimus, non ita perculſum fuiſſe metu, quin ſua negotia prudenter diſponeret.

22. *Et ſurrexit nocte ipſa.*] Poſtquam Dominum precatus eſt, rebuſque ſuis conſuluit, jam ſumpta fiducia ſe committit periculo. Quo exemplo docentur fideles, quoties inſtat diſcrimen aliquod, hunc tenendum eſſe ordinem: primo, ut ad Dominum recta confugiant: deinde, ut accommodent in præſentem uſum quæcunque ſe offerunt media: tertio, ut ad quemlibet eventum parati, intrepide pergant quocunque Dominus præcipit. Sic Jacob, ne in ipſo articulo deficiat, tranſitum non formidat quem cernit plenum eſſe periculi: ſed velut clauſis oculis curſum ſuum proſequitur. Ergo ejus exemplo in rebus perplexis ſuperanda eſt anxietas, ne ab officio nos prohibeat vel moretur. Solus manet, præmiſſis uxoribus ac liberis: non ut audita illorum clade effugiat, ſed quia ſolitudo ad precandum erat aptior. Neque enim dubium eſt quin ultima quæque metuens, totus invocandi Dei ardore correptus fuerit.

24. *Et luctatus eſt vir cum eo.*] Quanquam hæc viſio privatim ipſi Jacob apprime utilis fuit, ut præſciret multa ſibi adhuc reſtare certamina, & ſe omnium fore victorem certo ſtatueret: minime tamen dubium eſt quin Dominus in ejus perſona commune ſuis omnibus tentationem, quæ ipſos manent, & aſſidue in hac caduca vita ſubeundæ ſunt, ſpecimen exhiberit. Quare hunc viſionis finem tenere convenit, omnes Dei ſervos in hoc mundo eſſe velut athletas: quia Dominus eos variis luctarum generibus exercet. Porro, non dicitur vel Satan vel mortalis quiſpiam homo cum Jacob luctatus eſſe, ſed ipſe Deus: ut ſciamus ab ipſo probari fidem noſtram: & quoties tentamur, vere nobis eſſe cum eo negotium: non tantum quia militamus ſub ejus auſpiciis: ſed tanquam antagoniſta nobiſcum in arenam deſcendit ut vires noſtras exploret. Hoc quanquam prima ſpecie abſurdum videtur, experientia tamen & ratio verum eſſe docet. Nam ſicuti ex ejus gratia proſperi omnes ſucceſſus manant: ita res adverſæ, vel ferulæ ſunt quibus peccata noſtra caſtigat, vel fidei ac patientiæ documenta. Quum autem nullum ſit tentationis genus quo non examinet Dominus ſuos fideles: apte congruit ſimilitudo, quod velut conſertis manibus congreditur ad luctam. Ergo quod ſub viſibili forma ſemel demonſtratum fuit patri noſtro Jacob, quotidie in ſingulis Eccleſiæ membris impletur, ut cum Deo luctari in tentationibus neceſſe habeant. Alio quidem modo tentare nos dicitur quam Satan: ſed quia ſolus ipſe crucis & afflictionum auctor eſt, luctemque & tenebras (ſicuti apud Jeſaiam dicitur) ſolus creat: tentare dicitur, quatenus probationem fidei noſtræ ſumit. Sed jam quæritur quiſnam contra talem antagoniſtam ſubſiſtere queat, cujus ſolo flatu diſperit & evaneſcit omnis caro, cujus aſpectu liquefcunt montes, cujus voce vel nutu concutitur totus mundus? Itaque vel minimum certamen cum eo tentare, inſana eſſet temeritas. Verum hujus nodi facilis ſolutio eſt. Neque enim adverſus eum pugnamus, niſi & ejus virtute & armis. nos enim ad luctam provocans, ſimul ad reſiſtendum inſtruit, ut contra nos & pro nobis pugnet. Denique talis eſt hujus luctæ partitio, ut nos una manu aggrediens, altera defendat: imo quia plus roboris ſuppeditat nobis ad reſiſtendum quam in nobis oppugnandis explicet, appoſite & proprie dicemus ſiniſtra manu ipſum contra nos luctari, dextera autem pro nobis. Nam leviter nos oppugnans vires in victas ſuppeditat quibus ſuperiores ſimus. Ipſe quidem apud ſe integer manet: ſed aliter exprimi non poteſt duplex illa ratio qua nobiſcum agit, quod humana virga nos percutiens, non exerit plenas vires in tentatione: fidei vero noſtræ concedens victoriam, ſeipſo in nobis fortior eſt. Quanquam autem iſtæ loquendi formæ aſperæ ſunt, durities tamen facile mitigabitur ubi ventum fuerit ad praxin. Nam ſi tentationes ſunt certamina (ſcimus autem non eſſe fortuita, ſed divinitus nobis injungi) hinc ſequitur Deum agere antagoniſtæ perſonam: unde reliqua dependent, quod ſcilicet in ipſa tentatione infirmus apparet contra nos, ut vincat in nobis. Quidam hoc ad unam tentationum ſpeciem reſtringunt, ubi Deus palam & quaſi ex profeſſo adverſarium oſtendit, quaſi in exitium noſtrum armatus. Et certe à vulgaribus luctis differre illam fateor, & præ aliis eximium & quaſi heroicum robur poſtulare. Ego tamen libenter omne genus certamina complector quibus ſuos fideles Deus exercet: quandoquidem in omnibus Deum habent antagoniſtam, licet non ſemper ſe illis infenſum aperte clamet. Quod virum nomirat Moſes quem paulo poſt Deum fuiſſe teſtatur, loquutio eſt ſatis trita. Quia enim ſub hominis ſpecie apparuit Deus, inde nomen mutuatur: ſicuti propter viſibile ſymbolum, Spiritus vocatur columba, & viciſſim nomen Spiritus transfertur ad columbam. Quod autem non citius exhibita fuit hæc viſio ſancto viro, hac ratione factum eſſe interpretor, quod Deus ipſum tanquam robuſtum & bellandi peritum militem ad duriores pugnas vocare ſtatuerat. Sicuti enim tironibus parcitur, nec ſtatim trahuntur juvenci ad aratrum: ita mollius ſuos Dominus exercet, donec viribus collectis magis obduruerint. Ergo Jacob ferendis æruminis aſſuefactus, nunc ad ſeriam militiam producitur. Forte etiam Dominus ad certamen reſpexit quod tunc inſtabat. Sed ego in ipſo terræ promiſſæ ingreſſu admonitum fuiſſe arbitror, non eſſe cur tranquillam vitam ſibi deinde ſperaret. Poterat enim reditus in patriam videri quædam miſſionis ſpecies: ita Jacob inſtar emeriti militis, ad quietem ſe dediſſet. Quare pluſquam utile ei fuit doceri qualis eum maneret conditio. Nos quoque in ejus perſona docemur, toto vitæ curſu bellandum eſſe ne quis ſibi quicquem promittens, ultro ſe decipiat. Atque hæc admonitio valde neceſſaria nobis eſt: videmus enim quam proclives ad deſidiam ſimus. Unde ſit ut non ſolum inducias in continuo bello, ſed in medio conflictu pacem imaginemur, niſi nos Dominus excitet.

25. *Et vidit quod non prævaleret ei.*] Hic nobis deſcribitur victoria Jacob, quam tamen non ſine vulnere adeptus eſt. Quod dicitur Angelus vel Deus luctator velle ex arena diſcedere, quia ſe non fore victorem videt: more humano loquitur Moſes. Scimus enim ut Deus è ſua majeſtate ad nos deſcendens, quæ propria ſunt hominum in ſe transferre ſoleat.

Noverat certe Dominus pugnæ eventum, antequam in arenam descenderet: imo jam statuerat quid facturus esset: verum ejus cognitio pro ipsa rei experientia ponitur. *Tetigit palam.* Quanquam victoria potitur Jacob: percutit tamen eum Angelus in femore, unde illi usque ad vitæ finem durat claudicatio. Etsi autem nocturna visio fuit, Dominus tamen extare vestigium illud diebus omnibus voluit, unde pateret inane non fuisse somnium. Porro hoc signo piis omnibus ostensum est quomodo in tentationibus emergant victores: nempe sic ut interim lædantur ac vulnerentur. Scimus enim Dei virtutem in nostra infirmitate perfici, ut gloriatio nostra cum humilitate ennjuncta sit. nam si starent nobis integræ vires, nullaque esset ex certamine læsio vel luxatio, statim caro insolesceret, & obliviscaremur Dei auxilio nos vicisse. Acceptum autem vulnus, & quæ inde sequitur debilitas, ad modestiam nos cogit.

26. *Dimitte me.*] Deus victoriæ laudem servo suo concedit, & discedere paratus est tanquam virtute impar: non quod inducias petere opus habeat, cujus partes sunt inducias vel pacem dare, quoties ita placuit: sed ut gloriari possit Jacob de gratia sibi collata. Mirabilis triumphandi ratio: ubi Dominus, cujus virtuti tota laus in solidum debetur, infirmum tamen homuncionem quasi victorem vult excellere, & cum insigni elogio in sublime attollit. Simul commendat infractam tolerantiam Jacob, quod longo duroque conflictu perfunctus, strenue tameo pergat. Et certe hic legitimus est certandi modus, ne fatigemur donec ultro Dominus recedat. Petere quidem licet ut consulat nostræ infirmitati, & pro sua paterna indulgentia teneris ac debilibus parcat: sub onere etiam licet gemere, & exitum optare certaminum: interea tamen cavendum est ne lassitudine mollescant animi, vel saltem ne deficiant. quin potius danda opera ut collectis animis & viribus, indefessi in lucta perstemus. Ratio quam assignat Angelus, quod *exorta jam sit aurora*, huc tendit, ut sciat Jacob nocturna visione se divinitus fuisse edoctum. *Non dimittam te, nisi.* Hinc apparet à sancto viro tandem cognitum fuisse antagonistam. neque enim hæc vulgaris precatio est, quod benedici postulat. Qui inferior est, à majore benedicitur: ideo unius Dei proprium est nos benedicere. Nec vero ipsum Jacob benedixerat pater, nisi cælesti mandato, quasi Dei personam sustinens. Tale etiam munus Sacerdotibus erat impositum sub Lege, ut tanquam divinæ gratiæ ministri & interpretes populo benedicerent. Cognovit ergo Jacob athletam illum quocum pugnaverat, Deum esse: quia benedictionem ab eo petit, quam ab homine mortali simpliciter petere non licebat. Sic (meo judicio) intelligi debet Oseæ locus cap. 12. vers. 3. Invaluit Jacob præ Angelo, & roboratus est, flevit & rogavit eum. Significat enim Propheta, postquam victor evaserat Jacob, supplicem tamen fuisse Deo, & cum lacrymis precatum. Cæterum docet hic locus semper nobis expectendam esse Dei benedictionem, quamvis usque ad membrorum luxationem, duram & gravem ejus præsentiam experti simus. Nam filiis Dei longe præstat, mutilos & semifractos à Deo benedici, quam pacem in qua torpescant appetere: vel subducere se à Dei conspectu, ut ipso valere jusso, cum impiis lasciviant.

28. *Non Jabacob dicetur ultra nomen tuum.*] Jacob ab utero nomen adeptus erat, sicuti vidimus: quia fratrem suum arrepta planta pedis conatus fuerat retinere. Nunc Deus novo eum nomine & magis heroico insignit: non ut alterum illud prorsus aboleat, quod symbolum erat memorabilis gratiæ: sed ut altiorem gratiæ suæ progressum testetur. Ex duobus ergo nomioibus priori secundum, tanquam magis honorificum, præfertur. Nomen à verbo שָׂרָה sive שׂוּר deducitur, quod dominari significat, acsi Princeps Dei vocatus foret. Nam paulo ante admonui, Deum fortitudinis suæ laudem transferre in Jacob, ut in ejus persona triumphet. Expositio nominis quæ continuo post annectitur, sic habet ad verbum apud Mosen, Quia dominatus es cum Deo, vel erga Deum, & erga homines, & prævalebis. Sensus tamen ab Hieronymo fideliter redditus esse videtur, quod si Jacob se heroice gessit cum Deo, multo magis superior futurus sit hominibus. Nam certe consilium Dei fuit servum suum tam insignis victoriæ fiducia instructum ad varias pugnas dimittere, ne in posterum vacillaret. Non enim hominum more nomen imponit, sed rem ipsam simul confert: ut certo respondeat eventus.

29. *Indica quæso nomen tuum.*] Videtur hoc pugnare cum superiore doctrina. Nuper enim dixi, quum Jacob benedictionem peteret, signum hoc fuisse submissionis. Cur ergo nunc tanquam animi dubius, de eo inquirit quem prius Deum confessus est? Sed facilis est solutio. Quanquam enim Deum agnoscat Jacob, obscura tamen & humili notitia non contentus, altius conscendere optat. Nec mirum est si sanctus vir in hoc votum prorumpat, cui se Deus patefecerat sub multis involucris, ut nondum familaris esset nec liquida cognitio: imo certum est tali desiderio flagrasse sanctos omnes sub Lege. Talis etiam Manue precatio legitur Judicum 13. vers. 18. cui eadem adjungitur Dei responsio, nisi quod illic Dominus nomen suum pronunciat mirificum esse & arcanum, ne ulterius instet Manue. Summa igitur hæc est, quod Dominus, licet pium sit votum Jacob, non obtemperat, quia nondum maturum erat tempus plenæ revelationis. Nam Patres sortito oportuit in exigua auroræ luce ambulare: & Dominus gradatim se illis patefecit, donec tandem exortus est Sol justitiæ Christus, in quo perfectus apparet fulgor. Hæc ratio est cur se magis conspicuum exhibuerit Mosi, cui tamen datum non est illius gloriam conspicere nisi à tergo. Sed quia inter Patriarchas & Apostolos medius erat, Deum, qui Patribus absconditus fuerat, facie ad faciem vidisse præ illis dicitur. Jam quum ad nos propius accesserit Deus, omnis impia est ac detestanda nostra ingratitudo, nisi ardenti studio tantæ gratiæ obviam currimus: quemadmodum etiam Petrus admonet primo capite prioris Epistolæ. Notandum est, quamvis pie expetat Jacob Deum plenius cognoscere: quia tamen ultra suæ ætatis metum provehitur, repulsam pati. Nam Dominus animi ejus cupiditati præcidens, in sua benedictione acquiescere ipsum jubet. Quod si sancto viro negata fuit mediocris claritas, quam nunc adepti sumus, minime tolerabilis erit nostra curiositas si ultra præscriptam à Deo mensuram perrumpat.

30. *Et vocavit Jabacob nomen loci.*] Laudatur iterum gratitudo patris nostri Jacob, quod *sedulo* curaverit ne unquam intercideret memoria gratiæ Dei. Monumentum ergo posteris relinquit unde cognoscant Deum illic apparuisse: sicuti etiam non erat privata visio, sed ad totam Ecclesiam spectabat. Porro non tantum prædicat Jacob se Dei faciem vidisse, sed simul gratias agit quod à morte fuerit ereptus. Hæc loquutio frequenter occurrit in Scriptura, ac trita fuit in veteri populo. Nec vero ratione caret: nam si à Dei conspectu contremiscit terra, liquefiunt montes, caligo cælis obducitur, quid miseris hominibus accidere necesse est? Imo quum ne ab Angelis quidem capi possit immensa Dei majestas, quin eos potius absorbeat: simulac nobis affulserit ejus gloria, totos evanescere ac in nihilum redigi necesse erit, nisi nos sustentet ac protegat. Quamdiu præsentem non sentimus Deum, superbe nobis placemus. Atque hæc imaginaria est vita quam stulte sibi arrogat caro, ubi deorsum inclinat. Fideles autem, dum se illis Deus ostendit, quolibet fumo se

magis

magis evanidos esse sentiunt: denique ut confusa jaceat carnis superbia, ad Deum venire necesse est. Sic fatetur Jacob singulari Dei indulgentia factum esse ut liberatus sit ab interitu, ubi Deum conspexit. Quæritur tamen, quum tenuem duntaxat gustum perceperit gloriæ Dei, cur jactet se ipsum vidisse faciead faciem. Respondeo, nihil esse absurdi quod Jacob visionem hanc magnifice præ aliis celebrat, in quibus non ita palam apparuerat illi Dominus. Et tamen si comparetur cum splendore Euangelii, imo etiam Legis, erit instar scintillæ vel obscuri radii. Simplex ergo sensus est, quod Deum insolito & extraordinario modo viderit. Jam si Jacob tantopere exultat, sibique gratulatur in illa tenui notitiæ mensura, quid nobis hodie agendum est quibus Christus viva Dei imago per Euangelii speculum ante oculos versatur? Discamus ergo oculos aperire, ne in meridie cæcutiamus, sicuti nos Paulus hortatur secundæ ad Corinthios capite tertio & quarto.

31. *Et claudicabat.*] Probabile est, ac colligere etiam licet ex verbis Mosis, claudicationem fuisse absque doloris sensu, ut clarius pateret miraculum. Nam Deus in carne servi sui spectaculum exhibuit omnibus seculis, ex quo dilcerent fideles, neminem tam robustum esse athletam qui non ex lucta spirituali plagam aliquam referat: quia in omnibus semper hæret infirmitas, ne quis ultra modum sibi placeat. Quod recitat Moses, Judæos abstinuisse à nervo fracto, vel parte illa coxendicis, superstitione factum non est. Scimus enim illud seculum fuisse Ecclesiæ pueritiam. Quare Dominus fideles qui tunc vixerunt, sub pædagogia continuit. Nunc quamvis post Christi adventum liberior sit nostra conditio, vigere apud nos debet ejus rei memoria, in qua Deus veterem populum sub externo ritu exercuit.

Caput XXXIII.

1 Levavit autem Jahacob oculos suos, & vidit, & ecce Esau veniebat, & cum eo erant quadringenti viri: & divisit liberos cum Leah & cum Rachel, & cum ambabus ancillis.

2. Tunc posuit ancillas & liberos earum prius, & Leah & liberos ejus posteriores, Rachel autem & Joseph postremos.

3. Et ipse transivit ante eos, & incurvavit se super terram septem vicibus, donec appropinquaret fratri suo.

4. Cucurrit vero Esau in occursum ejus, & complexus est eum, & jactavit se super collum ejus, & osculatus est eum, & fleverunt.

5. Postea levavit oculos suos, & vidit uxores & liberos, & dixit, Qui isti tibi? Et dixit, Liberi *sunt* quos donavit Deus servo tuo.

6. Et appropinquaverunt ancillæ ipsæ, & liberi earum, & incurvaverunt se.

7. Et appropinquavit etiam Leah, & liberi ejus, & incurvaverunt se: & subinde appropinquavit Joseph & Rachel, & incurvaverunt se.

8. Et dixit, Qui isti? tuane omnis turma illa quam obviam habui? Et dixit, Ut invenirem gratiam in oculis domini mei.

9. Et dixit Esau, Est mihi multum, frater mi, sit tuum quod tuum est.

10. Ait autem Jahacob, Ne quæso: si nunc inveni gratiam in oculis tuis, accipe munus meum è manu mea: quia idcirco vidi faciem tuam acsi viderem faciem Angeli: & propitius eris erga me.

11. Cape quæso benedictionem meam quæ allata est tibi: quia donavit mihi Deus, & quia sunt mihi omnia. Et coëgit eum, & accepit.

12. Tunc dixit, Proficiscamur, & ambulemus, & ambulabo ante te.

13. Sed dixit ad eum, Dominus meus scit quod pueri teneri sunt: & pecudes, & boves fœtæ sunt mihi: & *si* pulsaverint eas die una, morientur omnes pecudes.

14. Transeat quæso dominus meus ante servum suum, & ego ducam me pedetentim ad pedem gregis qui est ante me, & ad pedem puerorum, donec veniam ad dominum meum in Sehir.

15. Et dixit Esau, Stare faciam nunc tecum de populo qui est mecum. Et dixit, Utquid hoc? inveniam gratiam in oculis domini mei.

16. Reversus est itaque in die ipsa Esau per viam suam in Sehir.

17. Jahacob autem profectus est in Suchoth, & ædificavit sibi domum, & pecudibus suis fecit tabernacula: idcirco vocavit nomen loci Suchoth.

18. Et venit Jahacob incolumis in civitatem Seehem quæ erat in terra Chenaan, quando venit ipse de Padan Aram, & mansit ante urbem.

19. Et emit partem agri, in quo tetendit tabernaculum suum, de manu filiorum Hamor patris Sechem, centum nummis.

20. Et statuit ibi altare: & vocavit illud, Fortis Deus Israël.

1. *Et levavit Jahacob oculos suos.*] Diximus quantum sibi à fratre metueret Jacob: nunc vero quum appropinquat ipse Esau, non solum renovatur, sed etiam crescit terror. Nam etsi cordatus animosusque athleta descendit in hoc certamen, non tamen eximitur à periculi sensu: quo fit ut neque anxietate & metu vacuus sit. Viro enim crudeli manebat semper eadem odii causa. Nec probabile erat, ex quo digressus à domo patris vivebat suo ingenio, mitiorem esse redditum. Ergo, ut in re dubia, magnoque discrimine, ea serie distinguit liberos & uxores, ne totum semen intereat siquid hostile tentet Esau, sed pars habeat fugiendi tempus. Unum hoc præpostere videtur ab eo fieri, quod Rachelem ejusque filium Joseph aliis omnibus præfert, quum in Juda eminet benedictionis caput. Sed de Juda excusatio in promptu est, quod nondum patefactum fuerat oraculum, cujus paulo ante mortem certior factus est, ut simul

fieret teſtis ac præco. Interim negandum non eſt quin amori Rachelis nimium indulgeat. Hoc quidem præclaræ virtutis eſt, quod ſemen aliquod ſervare cupiens, turmas anteit, ut ſe quaſi victimam offerat, ſi ita opus ſit & exigat neceſſitas. Neque enim dubium eſt quin Dei promiſſio magiſtra illi ac directrix fuerit ad hoc conſilium: nec vero poterat niſi cæleſtis vitæ fiducia erectus, tam fortiter ad mortem occurrere. Accidit quidem interdum ut pater ſui oblitus, vitam exponat periculo pro filiis: ſed alia fuit ratio ſancti Jacob, cujus animo penitus infixa erat promiſſio Dei, ut neglecta terra in cælum ſuſpiceret. Sed quum Dei verbum ſequatur, affectu tamen carnis paululum à recta via deflectit. Neque enim ſanctis Patribus tam pura omni ex parte conſtitit fides, quin huc vel illuc deflexerint. Cæterum prævaluit ſemper Spiritus, ne eos à ſcopo abduceret carnis infirmitas, ſed curſum ſuum tenerent. Quo magis quiſque noſtrum ſuſpectus ſibi eſſe debet, ne ideo purum ſe omni ex parte eſſe putet, quia in animo habet rectè agere: nam ſancto propoſito ſubinde caro ſe admiſcet, obrepuntque multa vitia & corruptelæ. Deus autem benigne nobiſcum agit, ut ejuſmodi vitia non imputet.

3. *Et incurvavit ſe ſuper terram ſeptem vicibus.*] Id quidem potuit facere honoris cauſa. Scimus enim Orientales populos longe pluribus ceremoniis deditos fuiſſe quam quæ apud nos ſunt in uſu. Mihi tamen magis probabile eſt, non ſimpliciter exhibitum fuiſſe fratri hunc honorem: ſed Jacob Deum adoraſſe, partim ut gratias ageret, partim ut haberet fratrem propitium. dicitur enim ſepties adoraſſe, priuſquam accederet. Ergo priuſquam veniret in fratris conſpectum, jam primum reverentiæ vel cultus ſignum dederat. Unde conjicere licet quod dixi, non homini, ſed Deo tributum fuiſſe hunc honorem. neque tamen hoc obſtat quin ſupplex ad fratrem acceſſerit, ut ſua humilitate manſuefaceret ejus ferociam. Siquis objiciat, hoc modo jus primogenituræ ab eo fuiſſe diminutum: reſponſio facilis eſt, fidei oculis ſanctum virum altius ſpectaſſe. ſciebat enim benedictionis effectum in maturum tempus differri, ideoque nunc eſſe inſtar ſeminis ſub terra putrefacti. Quamvis itaque patrimonio ſpolietur, & contemptibilis ad fratris pedes jaceat: quia tamen ſalvam primogenituram ſibi manere novit, hoc occulto jure contentus, honores & divitias pro nihilo habet, neque refugit in præſentia cenſeri fratre inferior.

4. *Et cucurrit Eſau in occurſum ejus.*] Quod Eſau præter ſpem benevolus & amicus fratri occurrit, ſingulari Dei gratia factum eſt. Itaque hoc modo probavit Deus ſe hominum corda habere in manu, ut duritiem quoties viſum eſt molliat, ac ſævitiam mitiget: denique non ſecus cicuret eos ac domari ſolent feræ beſtiæ: deinde ſe exaudiſſe preces ſervi ſui Jacob. Quare ſiquando nos terrent hoſtium minæ, ad hanc ſacram anchoram confugere diſcamus. Varie quidem operatur Deus, nec ſemper crudeles animos ad humanitatem inflectit, ſed dum ebulliunt, vi ſua compeſcit ne quid noceant: verum ſi ita expediet, non aliter eos nobis placabit quam hic videmus placatum Eſau fuiſſe fratri ſuo Jacob. Fieri etiam poteſt ut ſævitia intus clauſa, prævaluerit temporalis humanitatis ſenſus. Qualiter videmus Ægyptios momento coactos fuiſſe ad humanitatem, quamvis nihilo meliores eſſent redditi: ſicuti teſtis eſt quæ paulo poſt emergit rabies. ita credibile eſt malitiam Eſau nunc fuiſſe quaſi conſtrictam: neque id modo, ſed divinitus tactum fuiſſe ejus animum, ut fraternum affectum induceret. Nam in reprobis quoque viget naturæ ordo à Deo ſancitus, non æquabili quidem tenore, ſed quatenus vincti tenentur, ne omnia cædibus miſceant: idque ad generis humani conſervationem valde neceſſarium eſt. Pauci enim reguntur adoptionis Spiritu ut mutuam inter ſe charitatem tanquam fratres ſincere colant. Quod igitur ſibi viciſſim parcunt, nec furioſe ruunt alii in aliorum perniciem, non aliunde accidit quam arcana Dei providentia, quæ ad ruendum humanum genus invigilat. Atqui Deo magis pretioſa eſt fidelium ſuorum vita, ſicuti peculiari cos cura dignatur. Quare nihil mirum ſi in gratiam ſervi ſui Jacob truculentum animum Eſau ad manſuetudinem compoſuerit.

5. *Et levavit oculos.*] Narrat Moſes colloquium inter fratres habitum. Sicuti autem lacrymis & amplexu teſtatus fuerat Eſau fraternum affectum: ita minime dubium eſt quin de liberis gratulandi animo inquirat. Reſponſio Jacob tam pietatem quam modeſtiam ſpirat: nam quum reſpondet datam ſibi eſſe à Deo tam copioſam ſobolem, agnoſcit & fatetur non ita liberos naturaliter gigni, quin ſemper verum ſit illud, mercedem vel munus Dei eſſe fructum ventris. Et certe quum brutorum animalium fœcunditas Dei ſit donum, quanto magis hoc in hominibus locum habet, qui creantur ad ejus imaginem. Diſcant igitur patres ſingularem Dei gratiam expendere in ſua ſobole ac celebrare. Modeſtiæ eſt, quod ſe nominat Jacob fratris ſui ſervum. Ubi iterum memoria repetere convenit quod nuper attigi, ſanctum virum in primogenitura nihil terreni commodi, vel honoris captaſſe, quod illi abunde ſufficeret arcana Dei gratia uſque ad tempus manifeſtationis. Ac nos quoque ejus exemplo, quamdiu in terra peregrinamur, ab ore Domini pendere decet, ne moleſtum ſit nobis ſub umbra mortis teneri nos incluſos, donec vita noſtra manifeſtetur. Nam etſi in ſpeciem miſera eſt ac maledicta noſtra conditio, Dominus tamen verbo ſuo nos benedicit: atque hoc uno nomine felices pronunciat, quia nos habet pro filiis.

6. *Et appropinquaverunt ancillæ.*] Relicta patria uxores Jacob in longinquam regionem quaſi exules venerant. Nunc primo ingreſſu, mortis terror illis objicitur: & quum ſe proſternunt coram Eſau, neſciunt an adorent ſuum carnificem. Hæc tentatio valde illis acerba fuit, ac duriter cruciavit ſancti viri animum: ſed ita oportuit probari ejus obedientiam, ut nobis omnibus exemplo foret. Cæterum hic nobis illuſtre ſpeculum proponit Spiritus ſanctus, in quo contemplemur Eccleſiæ formam qualis in mundo apparet. Etſi enim multa divini favoris ſigna exſtant in familia Jacob, adeo tamen nulla illic eſt conſpicua dignitas, ut coram homine profano cum indigno contemptui jaceat. Ipſe quoque Jacob præclare ſecum agi putat ſi in ea terra, cujus ea ræres ac dominus, quaſi precario habitare per fratrem liceat. Ergo patienter feramus ſi hodie quoque Eccleſiæ gloria ſordido velamine obtecta, ludibrio ſit impiis.

8. *Qui iſti? tuane omnis turba* &c.] Non interrogat quaſi prorſus ignarus, utpote qui audierat ex ſervis, dono ſibi miſſos eſſe boves, & camelos, & aſinos, ac reliquum pecus; ſed ut munus ſibi oblatum recuſet. nam ubi aliquid nobis non placet, ſolemus quaſi de re incognita, ſciſcitari. Inſtat tamen Jacob, nec finem rogandi facit, donec impetret ut recipiat frater. hoc enim quaſi pignus erat reconciliati animi. Porro ut perſuadeat fratri, teſtatur hoc ſibi fore magni beneficii loco, ſi ille non recuſet acceſſere quod datur. Neque enim libenter accipimus niſi quod certo ſcimus liberaliter & hilari animo nobis offerri. Quia autem fieri non poteſt ut ornemus ex animo, niſi quos diligimus, dicit Jacob ſe non aliter lætatum eſſe fratris conſpectu, quam ſi Deum vel Angelum vidiſſet. quibus verbis ſignificat non modo ſe vere amare fratrem, ſed etiam in pretio habere. Sed videtur Deo facere injuriam, quem reprobo homini comparat. deinde videtur mentiri: quia ſi data fuiſſet optio, nihil magis optaſſet quam vitare fratris occurſum. Utriuſque nodi facilis eſt ſolutio.

lutio. trita Hebræis est loquendi forma, Divinum vocare quicquid excellit. Et certe Esau sic mutatus, non obscura erat gratiæ Dei imago: ut merito dixerit Jacob in illa amici & fraterna receptione se perinde exhilaratum acsi Deum vel Angelum vidisset, hoc est, acsi Deus signum aliquod dedisset suæ præsentiæ. Nec vero hîc loquitur, vel aliud simulat quam habet in animo. Ipse enim omni odio vacuus & purus, in præcipuis votis habebat, quibuscunque posset officiis erga fratrem defungi, modo vicissim ille fratrem se præstaret.

10. *Accipe munus meum à manu mea.*] Potest nomen hoc tam passive quam active sumi. Si active accipias, sensus erit; Accipe munus quo meam erga te benevolentiam testari volui. Si passive exponas, ad Deum referetur: acsi dixisset Jacob, Quæ Dominus mihi per gratiam suam contulit, ego tecum liberaliter communico, ut divinæ quam percepi benedictionis mecum aliqua ex parte fis consors. Cæterum ut in voce non insistamus, continuo post clare profitetur Jacob, quicquid possidet, non esse fructum laboris sui vel industriæ, sed acceptum se referre gratiæ Dei, & hac ratione fratrem adducere conatur ad recipiendum munus: acsi dixisset, Dominus eam in me copiam effudit, cujus pars aliqua sine meo damno ad te exuberet. Quanquam autem præsentis circumstantiæ intuitu sic loquitur Jacob, est tamen ingenua confessio, qua celebrat Dei gratiam. Personant quidem eadem fere verba in omnium linguis: sed pauci sunt qui vere adscribant Deo quod habent: sacrificat enim major pars suæ industriæ. Vix centesimus quisque persuasum habet, fluere quicquid est bonorum ex gratuito favore Dei: & tamen natura hic nobis insculptus est sensus, sed cum ingratitudine nostra delemus. Supra visum est quam laboriosa fuisset vita Jacob: tamen perpessus ingentes molestias, solam Dei misericordiam celebrat.

12. *Proficiscamur.*] Quanquam Esau ad benevolentiam propensus est, dithdit tamen Jacob: non quod timeat insidias, vel quod putet sub amicitiæ prætextu latere perfidiam: sed ut præcaveat novas offensas. superbus enim & ferox homo rursus levibus de causis exulcerari poterat. Quanquam autem non defuit sancto viro justa ratio timendi, non audeo tamen negare quin modum excesserit ejus anxietas. Suspecta illi erat liberalitas Esau: sed cur non sentit Deum stare medium, quem jam clara certaque experientia pro sua salute excubare didicerat? Unde enim tam incredibilis mutatio animi in Esau, nisi quod divinitus ex lupo conversus fuerat in ovem? Discamus igitur hoc exemplo curas nostras frenare: ne ubi Deus nobis prospexit, trepidemus quasi in rebus dubiis.

13. *Dominus meus novit.*] Vera quidem sunt quæ excusandi causa obtendit Jacob, non tamen sine mendacio hos colores induit: nisi forte quia nolebat gravis ac molestus esse fratri. Sed quum alio postea convertat iter, apparet aliud finxisse quam habebat in animo. Dicit se trahere multa impedimenta, ideo fratrem jubet præcedere. *Ego*, inquit, *ducam me ad pedem puerorum.* hoc est, lente progrediar, quoad feret puerorum incessus: ita commode subsequar, donec ad te perveniam in Seir. His verbis promittit quod facturus non erat. nam relicto fratre, in diversum locum profectus est. Atqui Deo magis pretiosa est veritas, quam ut nobis permittat etiam sine noxa mentiri, vel fallere. Ideo cavendum est, ubi timor aliquis periculi mentes nostras occupat, ne ad hæc effugia declinent.

17. *Et Jabacob profectus est in Suchoth.*] In voce Suchoth Moses paulo post prolepsin esse ostendit. Credibile autem est Jacob illic per aliquot dies quievisse, ut familiam & gregem à longæ viæ lassitudine reficeret. nam ad eum usque locum nulla contigerat tranquilla statio. Et ideo tabernacula vocavit locum illum, quia nusquam hactenus pedem figere ausus fuerat. Quamvis enim pluribus aliis locis fixerit tabernacula, in hoc tamen loco divinæ gratiæ memoriam signavit, quod nunc demum in aliquo hospitio manere datum esset. Quia autem habitationi non erat commodus locus, ultra perrexit Jacob, donec veniret in Sichem. Jam quum urbs recens haberet nomen à filio Hemor, pristina etiam appellatione notatur. nam ego interpretibus subscribo, qui Salem proprium nomen esse putant. Quanquam non contendo si quis diversam sententiam malit sequi, Jacob incolumem venisse in Sichem. Cæterum utcunque vocata fuerit hæc urbs Salem, notandum tamen est, aliam fuisse ab ea quæ deinde Hierosolyma dicta est: sicuti etiam urbes duæ, Suchoth vocatæ sunt. Quod ad rem spectat, videtur absurda fuisse emptio, cujus meminit Moses. Nam Abraham nihil tota vita aliud emere voluit quam sepulchrum: & Isaac filius, neglecto præsenti usu agrorum, paterno illo jure contentus fuit. nam & hac lege Deus ipsos constituerat terræ hæredes ac dominos, ut peregrini essent usque ad mortem. Perperam igitur facere videtur Jacob, quod non expectans maturum tempus, agrum pecunia sibi comparat. Respondeo, non exprimi à Mose quæ lectoribus sponte in mentem venire debent. Certe ex pretio colligere promptum est quam non fuerit cupidus sanctus vir. Expendit centum nummos: an latifundia sibi acquirere tam exigua pecunia potuit, ac non potius angulum aliquem, sibi sine molestia degeret? Adde quod diserte narrat Moses, partem illam emisse ubi tetenderat è regione urbis. Ergo neque prata, neque vites, neque terram arabilem possedit. Sed quum ei domicilium non concederent indigenæ prope urbem, placavit eos, pacemque redemit exiguo pretio. Hæc eum necessitas facile excusat, ne dicere quis possit, ab hominibus emisse quod ex gratuito Dei dono sperandum erat: vel quum promissum terræ dominium spe amplecti deberet, ad fruitionem nimis festinasse.

20. *Et statuit ibi altare.*] Locum adeptus Jacob in quo familiam alere posset, solennem erexit Dei cultum: sicuti de Abraham & Isaac supra testatus est Moses. Nam etsi ubique locorum precibus & aliis exercitiis ad purum Dei cultum intenti erant, non tamen ab illis neglecta fuit externa pietatis confessio, ubi Dominus stationem aliquam, in qua manerent, eis concessit. Nam (quemadmodum alibi monui) quoties legimus extructum fuisse altare, finem & usum spectare decet: nempe ut victimas offerrent, & puro ritu invocarent nomen Dei: ut palam hoc modo testata esset eorum religio ac fides. Hoc ideo dico ne quis putet temere ipsos fuisse in Dei cultu. curæ enim illis fuit sua sacrificia ad regulam divinitus præscriptam dirigere, quæ illis à Noë & Sem per manus tradita fuerat. Quare sub altari per synecdochen intelligant lectores externum pietatis testimonium. Porro hinc optime perspicitur quantum divini cultus studium viguerit in sancto viro, quod variis molestiis fractus, non tamen altaris oblivi scitur. Nec privatim solum areano mentis sensu Deum colit: sed in ceremoniis utilibus & à Deo mandatis se exercet. Sciebat enim admiculis egere homines, quamdiu in carne agunt, nec abs re instituta fuisse sacrificia. Aliud etiam propositum habuit, ut tota familia eodem fidei sensu Deum coleret. Pium enim patremfamilias sedulo curare decet, ne profanam haberet domum, sed potius ut illic Deus tanquam in sanctuario regnaret. Adde quod quum regionis illius incolæ ad multas superstitiones delapsi, verum Dei cultum corrumperent, sese ab eis discernere voluit Jacob. Erant certe Sichimitis, & aliis vicinis gentibus sua altaria. Quod ergo Jacob distinctam rationem domi instituit, ita testatur se peculiarem habere Deum, nec

degenerem esse à sanctis Patribus, à quibus profecta erat integra genuinaque religio. Non carebat hoc invidia, quod Sichimitæ & reliqui indigenæ se contemni ferebant: sed quidvis potius sanctus vir eligendum duxit, quam ut se idololatris misceret.

21. *Et vocavit illud, Fortis Deus Israel.*] Videtur altari parum congruere nomen, quod perinde sonat acsi lapidum vel cæspitum congeries visibilis foret Dei statua. Sed alia mens sancti viri fuit. Nam quia altare *monimentum* erat, ac pignus visionum omnium, ac promissionum Dei, hoc titulo ipsum ornat, in hunc finem, ut quoties altare inspexerit, Dei recordetur. Eundem sensum habuit illa Mosis epigraphe, Dominus auxilium meum: item qua Ezechiel novam Hierosolymam insignit, Dominus ibi. Et quidem io istis loquendi formis impropria est translatio, sed quæ ratione non caret. Nam sicuti externis symbolis stulte & perperam affigunt Deum superstitiosi homines, & quasi ex cælesti solio detrahunt, ut subjectum habeant cratis suis figmentis: ita pie & rite fideles à terrenis signis in cælum conscendunt. Hæc summa est, quod testari voluit Jacob non alium se Deum colere, nisi certis oraculis patefactum, ut discernere eum tuto posset ab omnibus idolis. Atque hæc nobis modestia servanda est, ne de mysteriis & gloria Domini secure loquamur, sed ex fidei sensu, quatenus scilicet ex verbo suo nobis cognitus est. Adde quod posteros suos respexit Jacob. nam quia illi Dominus hac lege apparuerat, ut fœdus salutis apud ipsum deponeret, monimentum reliquit, unde post ejus mortem discerent nepotes religionem suam non ex tenebricoso puteo & obscuro, vel ex turbida lacuna, sed ex liquido puroque fonte fluxisse, acsi oracula & visiones quibus edoctus fuerat, altari insculperet.

CAPUT XXXIV.

ET egressa est Dinah filia Leah, quam pepererat ipsi Jahacob, ut videret filias regionis.

2. Et vidit eam Sechem filius Hamor Hiuvæi principis terræ, & tulit eam, & concubuit cum ea, & humiliavit eam.

3. Et adhæsit anima ejus ipsi Dinah filiæ Jahacob, & dilexit puellam: & loquutus est ad cor puellæ.

4. Et dixit Sechem ad Hamor patrem suum, dicendo, Cape mihi puellam hanc in uxorem.

5. Audivit autem Jahacob quod violasset Dinah filiam suam: & filii ejus erant cum pecudibus ejus in agro, & siluit Jahacob donec venirent ipsi.

6. Egressus est autem Hamor pater Sechem ad Jahacob, ut loqueretur cum eo.

7. Porro filii Jahacob venerunt de agro: *qui* quum audierunt ipsi, dolore affecti sunt viri, iratique sunt valde: quia flagitium designasset in Israël, ut coiret cum filia Jahacob. & sic non fier.

8. Et loquutus est Hamor cum eis, dicendo, Sechem filii mei complacuit anima in filia vestra: date quæso eam illi in uxorem.

9. Et affinitatem contrahite nobiscum: filias vestras dabitis nobis, & filias nostras accipietis vobis.

10. Et nobiscum habitabitis, & terra erit coram vobis, habitate, & negotiamini in ea, & possessiones acquirite in ea.

11. Adhæc dixit Sechem ad patrem ejus, & ad fratres ejus, Inveniam gratiam in oculis vestris: & quod dixeritis mihi, dabo.

12. Augete mihi valde dotem, & donum: & dabo quemadmodum dixeritis mihi, & date mihi puellam in uxorem.

13. Et responderunt filii Jahacob ad Sechem & Hamor patrem ejus in dolo, & loquuti sunt, (quia violaverat Dinab sororem suam)

14. Et dixerunt ad eos, Non possumus facere hoc, ut demus sororem nostram viro cui est præputium: quia opprobrium esset nobis.

15. Veruntamen in hoc acquiescemus vobis, si fueritis sicut nos, ut circumcidatur in vobis omnis masculus.

16. Et dabimus filias nostras vobis, & filias vestras capiemus nobis: & habitabimus vobiscum, & erimus in populum unum.

17. Quod si non obedieritis nobis, ut circumcidamini: capiemus filiam nostram, & recedemus.

18. Et placuerunt verba eorum in oculis Hamor, & in oculis Sechem filii Hamor.

19. Nec tardavit juvenis ad perficiendum negotium, quia complacuerat ei in filia Jahacob: & ipse erat honorabilis præ tota domo patris sui.

20. Et venit Hamor & Sechem filius ejus ad portam civitatis suæ, & loquuti sunt ad viros civitatis suæ, dicendo,

21. Viri isti pacati sunt nobiscum, & habitabunt in terra, & negotiabuntur in ea (& terra, ecce, lata est spatiis ante eos) filias eorum accipiemus nobis in uxores, & filias nostras dabimus eis.

22. Veruntamen in hoc acquiescent nobis viri, ut habitent nobiscum, ut sint populus unus, quando circumcisus erit in nobis omnis masculus, quemadmodum ipsi sunt circumcisi.

23. Greges eorum, & substantia eorum, & omnia jumenta eorum, nonne nostra erunt? tantum acquiescamus eis, & habitabunt nobiscum.

24. Et

24. Et assensi sunt Hamor & Sechem filio ejus omnes qui egrediebantur per portam civitatis ejus: & circumciderunt se omnis masculus, omnes egredientes per portam civitatis ejus.

25. Et fuit in die tertia, quum essent ipsi dolore affecti, acceperunt duo filii Jahacob Simhon & Levi fratres Dinah, quisque gladium suum, & venerunt ad civitatem confidenter, & occiderunt omnem masculum.

26. Et Hamor & Sechem filium ejus occiderunt aciegladii, & tulerunt Dinah è domo Sechem, & egressi sunt.

27. Filii Jahacob progressi sunt super occisos, & prædati sunt urbem, quia violaverant sororem suam.

28. Pecudes eorum, & boves eorum, & asinos eorum, & quæ erant in urbe, & quæ in agro, acceperunt.

29. Et omnem substantiam eorum, & omnes parvulos eorum, & uxores eorum captivas duxerunt & prædati sunt, & omnia quæ erant in domo.

30. Et dixit Jahacob ad Simhon & ad Levi, Turbastis me, ut fœtere feceritis me habitatoribus terræ, Chenaanæo, & Perizæo: & ego paucos mecum habeo, & congregabunt se adversum me, & pereutient me, & disperdar ego & domus mea.

31. At dixerunt, Numquid ut cum meretrice aget cum sorore nostra?

1. *Et egressa est Dinah.*] Continet hoc caput durum certamen, quo rursum Deus servum suum exercuit. Quam pretiosa ei fuerit castitas filiæ, ex totius vitæ probitate conjicere promptum est. Quum ergo violatam audit, pluſquam acerbum doloris vulnus hoc dedecus infligit ejus animo. atqui paulo post triplicatur dolor, quum filios ulciscendi cupidine facinus nefandum aggressos esse audit. Sed singula ordine suo expendamus. Rapitur Dina ad stuprum, quod rebicta patris domo, liberius vagata est quam oportuit. Debuerat quieta manere domi, sicuti & Apostolus præcipit, & natura ipsa dictat. nam in puellas etiam competit virtus illa, quam vulgare proverbium mulieribus tribuit, ut sint ἄοικοι, vel domus custodes. Docetur ergo patresfamilias sub arcta disciplina filias suas tenere, si eas ab omni probro immunes habere cupiant. nam si inanis curiusitas tam graviter punita fuit in filia sancti Jacob, non minus hodie periculi infirmis virginibus impendet, si in cœtus publicos audacius & cupidius prodeant, & in se provocent juvenum libidinem. Neque enim dubium est quin flagitii culpam ex parte in ipsam Dinam rejiciat Moses, quum dicit egressam esse ut videret filias regionis, quæ debebat sub matris oculis in tabernaculo latere.

3. *Et adhæsit anima ejus ipsi Dinah.*] Significat Moses, non ita abreptam fuisse ad stuprum, ut ea semel abusus Sichem contempserit: quod vulgaribus scortis accidere solet. Dilexit enim eam uxoris loco: ac ne circumcidi quidem renuit, ut eam haberet in uxorem: sed prævaluerat libidinis fervor, ut dedecus illi prius inferret. Quamvis ergo liberali & honesto amore Dinam complexus sit, in illa tamen intemperie jam graviter peccaverat. Loqui dicitur Sichem ad cor puellæ, hoc est, comiter eam affari, ut blanditiis ad se alliciat: unde sequitur, invitæ & repugnanti vim fuisse allatam.

4. *Et dixit Sechem ad Hamor.*] Clarius hoc loco exprimitur, Sichem optasse Dinam sibi uxorem: non ergo tam effrenis fuit ejus libido, ut stupratam ludibrio haberet. Ostenditur præterea laudabilis modestia, quum patri imperium defert. neque enim suo ipse arbitrio aggreditur quicquam de conjugio paciſci, sed auctoritati patris hoc permittit. Etsi enim præcipiti libidinis ardore turpiter exciderat, nunc tamen ad seipsum rediens, ductum naturæ sequitur. Quo magis sibi juvenes cavere debent ne in lubrica ætate, carnis lascivia eos ad multa flagitia impellat. Plus enim hodie licentiæ passim grassatur, ut nulla moderatio à turpitudine juvenes arceat. Cæterum quum Sichem natura duce & magistra, patrem conjugii sui auctorem esse velit, hinc colligimus jus istud quod habent parentes in filios, esse inviolabile: ut qui id labefactare conantur, cælum terræ misceant. Quare quum Papa in honorem conjugii sacrum illud naturæ vinculum abrumpere ausus sit, satis superque valebit unus hic judex scortator Sichem ad barbariem illam damnandam.

5. *Et Jahacob audivit.*] Inserit versum unum Moses de tacito mœrore Jacob. Scimus eos qui contumeliis assueti non sunt, longe gravius affici si quid probri contingat. Ergo vir cordatus quo magis studuerat domum habere puram omni macula, castam & bene moratam, eo magis vulneratur. Sed quia solus est domi, dissimulat, & intus dolorem suum absorbet, donec redeant filii ex agro. Porro his verbis non intelligit Moses, Jacob vindictam distulisse usque ad illorum seditum: sed quia solus erat, consilio & solatio destitutus, quasi exanimem jacuisse. Sensus ergo est, ingenti dolore fuisse oppressum, ut etiam obmutuerit. Polluendi verbo docet Moses quænam verâ sit hominum mundities, dum scilicet castitas sancte colitur, & quisque vas suum in honore possidet. Quisquis autem corpus suum ad scortationem prostituit, fœde se conspurcat. Quod si polluta dicitur fuisse Dina, cui stuprum per vim intulerat Sichem, quid de voluntariis adulteris & scortatoribus dicendum?

7. *Et filii Jahacob venerunt de agro.*] Incipit narrare Moses tragicum hujus historiæ eventum. Scelestè quidem & impie Sichem egerat: sed hoc longe atrocius & magis nefarium, quod filii Jacob, ut se ulciscantur de privato unius hominis delicto, totum populum trucidant. Levitatem certe & proteruiam juvenis unius minime decebat tot hominum cæde crudeliter sarcire. Deinde quis ipsos judices constituerat, ut audeant suis manibus injuriæ sibi illatæ vindictam exequi? Accessit etiam perfidia, quod sub fœderis prætextu ad patrandum tam immane facinus progressi sunt. In Jacob porro mirabilis tolerantiæ exemplum describitur, qui tot malis afflictus non succubuit. Sed in primis reputanda nobis est Dei misericordia, qua factum est ut fœdus gratiæ maneret in posteris Jacob. Quid enim minus consentaneum, quam ut toto mundo posthabito, pauci homines, in quibus regnat tam belluinus furor cum implacabili malitia, in Dei populo & filiis censeantur? Videmus certe per ipsos non stetisse quominus à Dei regno prorsus desciverint. Unde apparet favorem quo dignatus est ipsos Dominus, gratuitum fuisse, nec fundatum in eorum meritis. Eadem quoque indulgentia nobiscum agi necesse est, qui subinde effluimus, nisi peccatis nostris Deus ignoscat. Est quidem justa offensionis ratio in filiis Jacob: quia non solum privata sua ignominia tanguntur, sed eos excruciat sceleris indignitas, quod ex domo Jacob, quasi ex Dei sanctuario, tracta fuerit soror ad stuprum. Nam hoc præcipue urget, quod in electo & sancto

& ſancto populo tale dedecus admitti nefas fuerit: ſed ipſi odio peccati unius ad plura & minus toleranda ſcelera furioſe proſiliunt. Cavendum ergo eſt ne poſtquam in damnandis aliorum delictis ſeveri fuerimus judices, inconſiderate ruamus. præcipue vero à violentis remediis abſtinendum eſt, quæ malum, quod corrigere cupimus, exuperant. *Et ſic non fiet.* Communiter vertunt interpretes, Non ſic fieri decet: ſed à prius, meo judicio, referuntur hæc ad filios Jacob, quod ſtatuerint apud ſe hanc injuriam minime ferendam. Atqui perperam exigendæ vindictæ jus ſibi rapiunt: cur non potius expendunt, Deus qui in fidem præſidiumque ſuum nos recepit, injuriam hanc non patietur ſoultam: noſtrum interea eſt ſilere, ac pœnam, quæ in manu noſtra poſita non eſt, permittere ejus arbitrio. Hinc diſcamus alienis peccatis ita iraſci, ne quid tamen præter officium noſtrum tentemus.

8. *Loquutus eſt Hamor.*] Quanquam juſte exanduerant filii Jacob, debuit tamen hac tanta comitate Hemor placari eorum indignatio, vel ſaltem aliquatenus mitigari. Quod ſi filios Jacob ipſi Sichem reconciliare non potuit humanitas patris Hemor, ipſe quidem ſenex dignus erat quem benigne exciperent. Videmus quam æquas conditiones offerat: ipſe urbis princeps erat, filii Jacob inquilini. Ergo pluſquam truces animos fuiſſe oportet, qui ad lenitatem flexi non ſunt. Adde quod ſuppliex deprecatio ipſius Sichem hoc merebatur, ut fervido ejus amori veniam darent. Quod ergo implacabiles manent, ſignum eſt valde crudelis ſuperbiæ. Quid hoſtibus ſuis facturi erant, ſiqui ea profeſſo eos læſiſſent: quando ad ejus preces qui cæco amore deceptus, incontinentiæ errore, non maligno conſilio ipſos læſit, non flectuntur?

13. *Et reſpondérunt filii Jabacob.*] Initium perfidiæ narratur. nam quum rabie magis quam ita æeenſi, in totam urbem graſſari vellent, & contra tantum populum viribus eſſent impares, excogitant novam fraudem, ut vulneribus debiles repente adoriantur. Itaque quum miſeris Sichimitis nullus vigor ad reſiſtendum ſuppeteret, trucidatio fuit magis quam cædes: quod ſceleris atrocitatem in filiis Jacob amplificat, quibus nihil penſi eſt, modo ràbiem ſuam explcant. Excuſant, quod quum ſegregati ſint à reliquis gentibus, uxores ex ſuo genere incircumciſis dare non liceat. Quod quidem verum erat, ſi ex animo loquuti forent: atqui falſo obtendunt ſacrum Dei nomen: imo duplex ejus profanatio his ſacrilegos eſſe oſtendit. Neque enim illis curæ eſt Circumciſio: ſed in hoc unum intenti ſunt, quomodo miſeros homines imbelles opprimant. Deinde ſignum perperam divellunt à ſua veritate, acſi quis depoſito præputio, repente in Eccleſiam Dei tranſeat. Atque hoc modo ſpirituale vitæ ſymbolum polluunt, dum ad ejus ſocietatem promiſcue & ſine delectu admittunt homines extraneos. Quia tamen probabilem colorem habet eorum ſimulatio, notandum eſt quod dicunt, probroſum ſibi fore ſi viro non circumciſo dederint ſororem ſuam. Hoc quoque verum eſt, ſi quidem auctores haberet idoneos. nam quia Dei inſigne in carne ſua geſtabant, nefas illis fuit cum incredulis conjugia contrahere. Sic & hodie nos à profanis ſeparat Baptiſmus noſter, ut infamiæ notam ſibi accerſat quiſquis ſe cum illis miſcet.

18. *Et placuerunt verba.*] Proſequitur hiſtoriam Moſes, donec ad Sichimitarum cædem veniat. Quod tam facilem ſe præbuit Hemor, non dubium eſt quin huc precibus filii inductus fuerit. Unde apparet nimia boni ſenis indulgentia. debuerat initio ſevere cõrigere filii delictum: non modo tegit quantum poteſt, ſed quibuslibet ejus votis obſequitur. Laude quidem digna fuiſſet hæc moderatio & æquitas, ſi æquum poſtulaſſet filius: nunc vero quod in filii gratiam ſenex incognitam religionem ſuſcipit, ſibique vulnus in carne ſua patitur infligi, à ſtultitia excuſari non poteſt. Dicitur juvenis non tardaſſe, quia vehementer amabat puellam. & dignitate pollebat inter ſuos ſeives: quia propter honorem principatus facile obtinuit quod volebat. Nihil enim profuiſſet fervor ille amoris, niſi ad manum fuiſſet faculras conficiendi negotii.

21. *Viri iſti pacifici.*] Rationem agendi deſcribit Moſes, qua perſuaſi fuerunt Sichimitæ ad recipiendas leges quas impoſuerant filii Jacob. Difficile fuit adduci totum populum ut paucis homioibus exteris io re maxima ſe ſubjicerent. Scimus enim quantopere diſpliceat religionis mutatio: ſed ab utili ratiocinantur Hemor & Sichem. atque hæc eſt naturalis rhetorica. Quamvis enim magis plauſibilis ſit honeſtas, friget tamen ut plurimum in ſuaſionibus. Utilitas autem apud vulgus quidvis fere impetrat: quia major pars quod ſibi expedire putat, cupide ſectatur. Secundum hoc conſilium, Hemor & Sichem laudant à probitate & tranquillis moribus domum Jacob, ut ſtatuant Sichimitæ utile ſibi eſſe tales recipere hoſpites. Addunt terram ſatis amplam eſſe, ut nulla prioribus incolis jactura timenda ſit. Reliquas deinde commoditates colligunt: interea privatam cauſam aſtute ſubticeot. Unde ſequitur, omnes iſtos prætextus fallaces eſſe. Sed hic nimium vulgaris eſt morbus, ut primarii homioes, qui auctoritate pollent, dum ad rationes ſuas domeſticas omnia referunt, ſimulent tamen ſe in commune proſpicere, & publicæ utilitatis ſtudium obtendant. Et quidem optimos fuiſſe totius populi credibile eſt, ac ſingulari virtute præditos, de quibus hic ſit ſermo. Principem enim Sichimitæ ſibi delegerant Hemor, ut qui eximiis dotibus præſtaret. Videmus tamen ut rectitudinis ſpecie mentiantur ac fallaot. Unde etiam perſpicitur, hypocriſin ita penitus infixam eſſe humanis ingeniis, ut miraculum ſit purum ab ea & vacuum quempiam reperiri, præſertim ubi privatum commodum agitur. Hoc exemplo diſcant qui præſunt, ſinceritatem in publicis conſiliis ſine obliquo ſui reſpectu colere. Viciſſim temperent ſibi populi, ne ſuæ utilitati nimium inhient: quia ſubinde cuotinget eos vana ſpecie ineſcari, non ſecus ac hamo piſces. Nam ut cæcus eſt amor noſtri, ſine judicio ad ſpem lucri trahimur. Et Dominus etiam pravam hanc cupiditatem, ad quam nos plus æquo propenſos eſſe videt, juſte caſtigat, dum fucum nobis fieri ſinit. Dicit Moſes ſermonem habitum in porta urbis, ubi tunc haberi ſolebant publici conventus, & exercerijudicia.

24. *Et aſſenſi ſunt Hamor & Sechem filio ejus.*] In ſpeciem hic aſſenſus modeſtiæ & humanitati adſcribi poſſet. Nam quod comiter obtemperant ſuis Principibus, & benigne hoſpites admittunt ad jus æquum civitatis: in utroque & modeſtos & humanos ſe præbent. Verum ſi reputamus quid valuerit circumciſio, facile patebit ipſos ſibi & propriæ utilitati fuiſſe nimis addictos. Sciunt novo ſacramento ſe traduci ad diverſum Dei cultum. Nondum edocti erant ablutiones & ſacrificia, quibus tota vita aſſueverant, eſſe inutiles nugas. Ergo tam ſecure mutata religio craſſum io ipſis Dei contemptum prodit. Nunquam enim ſuperſtitiooes ſuas tam ſubito abjicerent qui ſerio Deum colunt, niſi ſana doctrina & rationibus convicti. Mala igitur conſcientia Sichimitæ, & ſpe lucri excæcati, tanquam ſemibeſtiæ ad ignotum Deum tranſeuot. Luſtrate inſulas (inquit Propheta) ſitne aliqua gens quæ deſerat ſuos deos, qui tamen non ſunt dii. Hoc Sichimæ factum eſt, quum nullum in receptis ſuperſtitionibus oſtenſum fuiſſet vitium. Quare non eſt quod miretur quiſpiam ſi levitatem iſtam ſequutus eſt triſtis exitus. Quanquam non ideo excuſabiles ſunt Simeoo & Levi, dum ſævitiæ ſuæ indulgent: imo in eo magis deteſtabilis apparet eorum impietas, quod non taotum

contra

contra homines petulanter tuunt, ſed quodammodo inſultant ſacro Dei fœderi, de quo tamen unice gloriabantur. Certe ut ipſis hominibus non parcerent, ſola tamen hæc reverentia cohibere debuit ipſorum ferociam, dum reputarent unde Sichimitis debilitas.

25. *Simbon & Levi fratres Dinah.*] Quia die tertio Moſes editam fuiſſe ſtragem dicit, putant Hebræi tunc ingraveſcere vulneris dolorem. Probatin tamen non ſatis firma eſt: nec vero in eo multum eſt momenti. Quanquam autem duos tantum cædis auctores Moſes nominat, mihi tamen non eſt veriſimile, ipſos veniſſe ſolos, ſed fuiſſe duces turmæ. Habebat enim Jacob amplam familiam. & fieri poteſt ut aliquos etiam è fratribus aſciverint: quia tamen eorum conſilio & ductu res geſta eſt, illis tribuitur, ſicuti à Scipione dicitur Carthago deleta. Vocat etiam Moſes ipſos fratres Dinæ, quia uterini erant. Supra vidimus Dinam fuiſſe filiam Leæ: quare Simeon & Levi quorum germana ab utroque parente erat ſoror, ob violatam ejus pudicitiam magis exardent. Ergo non tam commune ſancti & electi generis probrum ipſos impulit (ut falſo nuper jactabant) quam peculiaris ignominia. Cæterum nullus eſt lectorum qui non per ſe agnoſcat quam immane & execrandum fuerit hoc facinus. Unus tantum peccaverat: injuriam pluribus beneficiis penſare ſtuduit: non ſatiatur crudelitas Simeon & Levi, niſi totius urbis excidio: & ſub prætextu fœderis, contra amicos & hoſpites in media pace moliuntur quod in profeſſo bello contra hoſtes non eſſet ferendum. Hinc perſpicimus quam clementer egerit Deus cum populo illo, dum ex poſteris hominis ſanguinarii, adeoque ſceleſti latronis, Sacerdores ſibi conſtituit. Eant nunc Judæi & nobili ſua origine ſuperbiant. Atqui pluribus documentis gratuitam ſuam miſericordiam aſſeruit Dominus, quam ut eam obſcoret maligna hominum ingratitudo. Hinc vero agnoſcimus Moſen non loquutum ex ſenſu carnis, ſed organum eſſe Spiritus ſancti, cæleſtiſque Judicis præconem. nam quum Levita eſſet, adeo generi ſuo non parcit, ut patrem ſuæ tribus perpetua infamia notare non dubitet. Nec dubium eſt quin Dominus conſulto impuris & profanis hominibus os obſtruere voluerit. Sicuti Lucianici homines fatentur Moſen ſummum fuiſſe virum, raræque præſtantiæ: ſed qui ſibi magni populi imperium aſtu & vafritie compararit. quaſi vero homo acutus & perſpicax non agnoverit ex hoc uno ſcelere plurimum decedere honori ſui generis. Verum nihil aliud habuit propoſitum quam Dei bonitatem erga populum ſuum exmllere: nihil vero minus captaſſe quam ut dominaretur. inde clarius liquet, quod ſacerdotii munus alio transferens, filios ſuos tantum miniſtros eſſe juſſit. Quantum ad Sichimitas ſpectat, licet coram Deo non eſſent innoxii, utpote qui ſua commoda religioni prætulerant, quam putabant eſſe legitimam: Dominus tamen non pro eorum delicto tam atrociter eos puniri voluit: ſed immane exemplum edi paſſus eſt propter unius puellæ raptum, ut ſeculis omnibus teſtatum faceret quantopere exoſas habeat libidines. Adde quod quum à Principe civitatis orta eſſet iniquitas, jure ad totum corpus populi extenditur pœna. Nam quum Deus malis & vitioſis Principibus nonnunquam niſi juſto judicio imperium tradat, nihil mirum ſi illi dum peccant, ſubditos eodem ſecum reatu involvunt. Cæterum hoc exemplo diſcamus, ſicubi impune graſſantur ſcortationes, Deum tandem eo graviores pœnas ſumpturum. Nam ſi unius puellæ ſtuprum horribili totius urbis ſtrage ultus eſt, non dormiet nec ceſſabit, ſi vulgo populus unus ſcortandi licentiam ſibi permittat, & ultro citroque alii ad aliorum nequitiam conniveant. improbe quidem filii Jacob: ſed notandum eſt divinitus ſcortationem hoc modo fuiſſe damnatam.

27. *Filii Jabacob progreſſi ſunt.*] Oſtendit Moſes non contentos ſimplici vindicta ſimul convolaſſe ad prædam. Quod ad verba ſpectat, dicuntur progreſſi eſſe ſuper mortuos, vel quod per ſtragem cadaverum iter ſibi fecerint, vel quod ultra cædem ſe proripuerint ad prædam. Utrovis modo accipias, docet Moſes non fuiſſe ſatiatos priori ſcelere, niſi cumulum hunc adderent. Eſto, in fundendo ſanguine iracundia cæci fuerint, quo tamen jure urbem diripiunt? hoc certe iracundiæ non poteſt adſcribi. Sed hi ſcilicet humanæ intemperantiæ ordinarii ſunt fructus, ut qui ſibi in uno ſcelere patrando frenum laxaverit, in aliud mox prorumpat. ita filii Jacob ex homicidis fiunt etiam prædones, & ad crudelitatem accedit avaritiæ cumulus. Quo magis ſollicitam operam dare convenit cupiditatibus noſtris frenandis, ne alrera ſit alterius flabellum, ut demum ex mutua inflammatione horribile emergat incendium. præſertim vero ab armata violentia cavendum, quæ ſecum trahit multos perverſos & feros impetus. Dicit Moſes hoc feciſſe filios Jacob, quia ſororem ſuam polluerant Sichimitæ. atqui tota urbs minime conſcia fuerat: ſed tantum notat Moſes qualiter affecti fuerint cædis auctores. Tametſi enim videri volunt juſti injuriæ vindices, non tamen reſpiciunt quid ſibi liceat, nec pravis affectibus domandis animum intendunt: ita nullus eſt peccandi modus. Si quis malit ſublimius accipere, ad Dei judicium referri poteſt loquutio, quod tota urbs ſcelere devincta ſit, quia Principis libidini nemo ſe oppoſuerat. forte etiam multi conſenſerant, quod de injuſta hoſpitum contumelia non valde eſſent ſolliciti. Prior tamen ſenſus mihi magis arridet.

30. *Et dixit Jabacob.*] Declarat Moſes damnatum fuiſſe facinus à ſancto viro, ne quis eum conſilii participem fuiſſe putet. Expoſtulat autem cum filiis, quod ipſum apud terræ incolas fœtere fecerint, hoc eſt, tam odioſum reddiderint ut nemo ferre queat: quod ſi inter ſe conſpirent vicinæ gentes, ſe imparem fore ad reſiſtendum, quum exigua ſit præditus hominum manu præ tanto numero. Diſerte etiam Chananæos & Pherezæos nominat, qui nulla injuria laceſſiti, jam natura plus ſatis ad nocendum erant proclives. Sed præpoſtere facere videtur Jacob, quod neglecta Dei offenſa, proprium tantum diſcrimen ſpectat. cur non potius eorum crudelitati iraſcitur? cur non offenditur perfidia? cur rapacitatem non exprobrat? Sed probabile eſt, quum adhuc attonitos recenti ſcelere videret, ad eorum captum verba accommodaſſe. Agit enim tanquam queritur ſe potius ab illis occiſum quam Sichimitas. Scimus enim raro & vix trahi homines ad pœnitentiam, niſi pœnæ metu: præſertim ubi ad fucandum delictum ſuppetit ſpecioſus aliquis color. Deinde neſcimus an Moſes ex longa caſtigatione partem hanc excerpſerit, ut intelligerent lectores tam veſanum fuiſſe furorem Simeonis & Levi, ut ad ſuum totiuſque familiæ exitium magis quam brutæ pecudes obſtupeant. nam hoc clare perſpicitur in eorum reſponſo, quod non modo barbaram feritatem ſpirat, ſed oſtendit eos nihil ſentire. Barbaries eſt, quod excuſant ob unius hominis noxam totum populum à ſe occiſum, & urbem direptam: deinde quod tam præciſe & contumaciter patri reſpondent: tertio quod vindictam temere ſumptam, obſtinate defendunt. Sed prodigioſus eſt ſtupor, quod præſenti ſua, parentum & uxorum, ſoboliſque morte non tanguntur. Ita docemur quantopere homines dementet iræ intemperies. Monemur etiam nequaquam ſufficere, ubi crimen parti adverſæ objicere licet: ſed videndum ſemper eſſa quatenus progredi nobis liceat.

Caput XXXV.

CAPUT XXXV.

DIxit autem Deus ad Jahacob, Surge, aſcende in Bethel, & mane ibi: & fac ibi altare Deo qui viſus eſt tibi dum fugeres à facie Eſau fratris tui.

2. Et dixit Jahacob familiæ ſuæ, & omnibus qui erant ſecum, Removete deos alienos qui ſunt in medio veſtri, & mundate vos, veſtimentaque veſtra mundate.

3. Et ſurgamus, & aſcendamus in Bethel, & faciam illic altare Deo, qui exaudivit me in die anguſtiæ meæ, & fuit mecum in via qua ambulavi.

4. Dederunt ergo ipſi Jahacob omnes deos alienos qui erant in manu ſua, & inaures quæ erant in auribus ſuis, & abſcondit eos Jahacob ſubter quercum quæ erat apud Sechem.

5. Tunc profecti ſunt: & fuit terror Dei ſuper urbes quæ erant in circuitibus eorum, & non perſequuti ſunt filios Jahacob.

6. Et venit Jahacob in Luz, quæ eſt in terra Chenaan, hæc eſt Bethel, ipſe & omnis populus qui erat cum eo.

7. Et ædificavit ibi altare, & vocavit locum El Bethel: quia apparuerant ei Angeli dum fugeret à facie fratris ſui.

8. Mortua eſt autem Deborah nutrix Ribcah, & ſepulta eſt ſuper Bethel ſub quercu: & vocavit nomen ejus Allon Bachuth.

9. Porro viſus fuerat Deus ipſi Jahacob adhuc, dum veniret ipſe de Padan Aram, & benedixerat ei.

10. Atque dixerat ei Deus, Nomen tuum eſt Jahacob: non vocabitur nomen tuum ultra Jahacob, ſed Iſraël erit nomen tuum: & vocavit nomen ejus Iſraël.

11. Et dixit ei Deus, Ego ſum Deus omnipotens, creſce, & multiplicare: gens, & cœtus gentium erit ex te, & reges è lumbis tuis egredientur.

12. Et terram quam dedi Abraham & Ishac, tibi dabo, & ſemini tuo poſt te dabo terram *iſtam*.

13. Et aſcendit ab eo Deus è loco in quo loquutus eſt cum eo.

14. Tunc ſtatuit Jahacob ſtatuam in loco in quo loquutus eſt cum eo, ſtatuam lapideam: & libavit ſuper illam libamen, & effudit ſuper illam oleum.

15. Et vocavit Jahacob nomen loci in quo loquutus eſt cum ipſo Deus, Bethel.

16. Profecti vero ſunt de Bethel: erat autem adhuc ferme milliare terræ ad veniendum in Ephrath, & peperit Rachel, & difficultatem paſſa eſt dum pareret.

17. Fuit autem, ea difficultatem patiente dum pareret, dixit ei obſtetrix, Ne timeas, quia etiam iſte tibi filius.

18. Et fuit, egrediente anima ejus dum moreretur, vocavit nomen ejus Benoni: at pater ejus vocavit eum Benjamin.

19. Mortua eſt itaque Rachel, & ſepulta eſt in via Ephrath, hæc eſt Bethlehem.

20. Et ſtatuit Jahacob titulum ſuper ſepulchrum ejus: hic eſt titulus ſepulchri Rachel uſque ad diem hanc.

21. Et profectus eſt Iſraël, & tetendit tabernaculum ſuum trans turrim Eder.

22. Et fuit, quum habitaret Iſraël in terra ipſa, profectus eſt Reuben, & concubuit cum Bilhah concubina patris ſui: & audivit Iſraël. Fuerunt autem filii Jahacob duodecim.

23. Filii Leah, primogenitus Jahacob Reuben, & Simhon, & Levi, & Jehudah, & Iſſachar, & Zebulun.

24. Filii Rachel, Joſeph & Benjamin.

25. Et filii Bilhah ancillæ Rachel, Dan & Nephthali.

26. Et filii Zilpah ancillæ Leah, Gad & Aſer. Iſti ſunt filii Jahacob qui nati ſunt in Padan Aram.

27. Et venit Jahacob ad Ishac patrem ſuum in Mamre, civitatem Arbah: hæc eſt Hebron, in qua habitavit Abraham & Ishac.

28. Et fuerunt dies Ishac, centum anni & octoginta anni.

29. Et obiit Ishac, & mortuus eſt, & collectus eſt ad populos ſuos, ſenex & ſatur dierum: & ſepelierunt eum Eſau & Jahacob filii ejus.

1. *Et dixit Deus ad Jahacob.*] Narrat Moſes, quum in ultimas anguſtias redactus eſſet Jacob, Deum illi mature & quaſi in ipſo articulo adfuiſſe. Atque ita demonſtrat in perſona unius hominis Deum Eccleſiam ſuam quam ſemel amplexus eſt, nunquam deſerere, quin ſalutem ejus procuret. Series tamen notanda eſt. neque enim Deus ſtatim apparuit ſervo ſuo, ſed paſſus eſt mœrore & curis ingentibus prius torqueri, ut patientiam diſceret, ſolatiumque ad extremam neceſſitatem diſtulit. Certe miſerrimus tunc erat ſtatus Jacob. Nam omnes undique infeſti eſſe poterant, ut quotquot erant vicinæ gentes, totidem mortibus eſſet obſeſſus: ſtupidus vero non erat quin ſua pericula perſpexerit. Inter iſtos curarum æſtus jactari ſanctum virum, adeoque tormentis cruciari paſſus eſt Deus, donec quadam reſur-

reſurrectionis ſpecie quaſi ſemimortuum ſanavit. Quoties hunc locum & ſimiles legimus, nobis in mentem veoiat, providentiam Dei, etiam quum maxime dormire videtur, pro ſalute noſtra excubare. Non dicit Moſes quantum temporis in anxietate detentus fuerit Jacob: ſed ex contextu colligere licet, ſummopere fuiſſe perplexum, quum Dominus eum recreavit. Porro notandum eſt, præcipuam medicinam, qua levatus eſt, ſitam fuiſſe in verbo, Loquutus eſt Dominus. Cur non miraculo eum tranſtulit in aliam partem, ut omni diſcrimine ſtatim eximeret? Cur non etiam abſque verbo manum illi porrexit, & compeſcuit omnium ferociam, ne quis ei nocere tentaret? Sed Moſes non fruſtra in hac parte ioſiſtit. Nam hinc docemur unde ſumma in malis noſtris petenda ſit conſolatio: & ſimul etiam hoc eſſe præcipuum vitæ noſtræ exercitium, pendere ex ore Domioi: ut certo perſuaſi ſimus, ſimulac ſalutem promiſit, optime nobiſcum agi, nec dubitemus per medias mortes incedere. Alia etiam viſionis fuit ratio, ut Jacob non modo reipſa ſentiret Deum eſſe ſuum liberatorem: ſed verbo præmonitus, quicquid poſtea ſequutum eſt, Deo tribuere diſceret. Nam ut tardi ſumus ac hebetes, nuda experientia minime ſufficit ad teſtandam Dei gratiam, niſi accedat fides ex verbo. *Aſcende in Bethel.* Quanquam Dei conſilium eſt ſervum ſuum à morte in vitam erigere, videri tamen potuit ipſum habere ludibrio. nam exceptio in promptu erat, Tu quidem præcipis Domine, ut aſcendam, ſed viæ omoes ſunt obſtructæ. Tantum enim mibi incendium conflarunt filii, ut ne io latebris quidem tutus maneam. Vix digitum movere audeoi quid igitur fiet ſi cum magna turba ounc caſtra movere incipiam? annon meo ſtrepitu nova in me odia provocabo? Sed hoc modo optime probata fuit fides Jacob, quod ſciens Deum ſibi ducem & præſidem itineris eſſe, ejus auſpiciis fretus ſeſe accioxit. Porro non ſimpliciter imperat Dominus quid fieri velit, ſed addita promiſſione ſervum ſuum coofirmat. Nam quum in memoriam reducit ſe eundem eſſe Deum qui prius apparuit quum trepidus fugeret, bis verbis iocluſa eſt promiſſio. Eodem quoque altare ſpectat. nam quum ſignum ſit gratiarum actionis, ſequitur Jacob illuc venturum eſſe incolumem, ut merito Dei gratiam celebret. Aſylum autem in Bethel potius quam alibi eligit & aſſignat Deus, quia ipſe loci aſpectus ad eximeodum terrorem plurimum valebat, quum memoria repeteret viſam illic ſibi fuiſſe Dei gloriam. Porro quum ad gratitudinem Deus ſervum ſuum hortatur, in hunc finem ſe beneficum eſſe fidelibus admonet, ut ipſi viciſſim ejus gratiæ omnia ſe debere agnoſcant, & ſe in ea celebranda exerceant.

2. *Et dixit Jabacob familiæ ſuæ.*] Hic deſcribitur quam prompta fuerit obedientia Jacob. Neque enim audito Deo ambigit, vel ſecum diſputat quidnam facto opus ſit: ſed prout juſſus eſt, ad iter propere ſe comparat. Ut autem oſtendat ſe Deo parere, non tantum vaſa colligit, ſed ſimul purgat domum ſuam idolis. Nam ſi Deum cupimus oobis eſſe propitium, tolleoda ſunt omnia impedimenta quæ ipſum à nobis quodammodo ſubmovent. Cæterum hinc perſpicimus quorſum tenderet furtum Rachelis. neque enim vnluit (ut dictum eſt) patrem à ſuperſtitione retrahere, ſed in ejus vitium ſucceſſit: neque venenum hoc apud ſe cootinuit, ſed ſparſit in totam familiam. Sic peſſima contagiono infecta fuit illa ſancta domus. Unde etiam patet quanta ſit hominum ad impios & vitioſos cultus propenſio, quando domeſtici Jacob, quibus puta religio tradita erat, tam cupide oblata idola arripiunt. Nec vero prorſus inſcius fuit Jacob: ſed credibile eſt oimis fuiſſe uxorium, ut ſua indulgentia peſtem domi tacitus aleret. Et certe una voce tam ſeipſum quam reliquos coarguit ac damnat, idola vocans alienos deos. Unde enim hoc diſcrimen, niſi quia ſciebat uni Deo ſe debere eſſe addictum? Tacita enim ſubeſt relatio inter Deum Abrahæ & alios omnes quos ſibi mundus perperam fingebat: oon quod in arbitrio Abrahæ eſſet ſtatuero quiſnam verus eſſet Deus: ſed quia illi ſe Deus patefecerat, nomen quoque ab ipſo mutuari voluit. Ignaviam ergo ſuam fatetur Jacob, quod idola in domum ſuam admiſerit, quibus divioitus clauſa fuerat janua. Nam ubicunque affulget veri Dei cogoitio, neceſſe eſt quicquid præter purum ejus nntitiam ſibi fabricant homines, procul faceſſere. Sed quum vel uxoris blanditiis ſopitus fuerit Jacob, vel carnis incuria officium ſuum facere neglexerit, nuoc metu periculi expergiſcitur, ut magis iotentus ſit ad Deum pure colendum. Si hoc accidit ſancto Patriarchæ, quanto magis in rebus proſperis metuenda nobis eſt prava carnis ſecuritas? Cæterum ſiquando talis obrepſerit torpor & neglectus, ſaltem excitent oos & ſtimulent paternæ Dei caſtigationes, ut quicquid vitiorum deſidia contractum erit, ſedulo purgemus. Jam hic relucet immenſa Dei bonitas, qui domum Jacob idolis pollutam, pro ſacrario tamen habere dignatus eſt. Quamvis eoim permixti ei eſſent idololatræ, imo uxor idololatriæ magiſtra in ejus ſinu dormiret, grata Deo ſemper fuerunt ejus ſacrificia. Neque tamen tam benigna Dei facilitas io danda venia, vel culpam ſancti viri levat, vel nobis tarditatis occaſio eſſe debet. Etſi enim ſuperſtitiones non probabat Jacob, per ipſum tamen non ſtetit quominus ſenſim obruerent purum Dei cultum. Nam ab una Rachele profecta corruptela, jam longe vagari cœperat. Atque idem docent omnium ætatum exempla. Vix enim unquam ſic obtinet Dei veritas inter homines, quaotumvis ſtrenue io ea aſſerenda laboreot pii doctores, quin aliquid ſuperſtitiooum in vulgi parte refideat. Si accedit diſſimulatio, brevi ſerpit malum, donec totum corpus occupet. Tali fomento invaluit ſuperſtitionum congeries, quæ hodie graſſatur in Papatu. Quare priocipiis acriter obſtandum eſt, oe vera religio Paſtorum deſidia & ſilentio peſſum eat. *Et mundate vos, & mutate veſtimenta.* Exhortatin eſt ad externam profeſſionem pœnitentiæ. Vult enim Jacob ut domeſtici, qui prius ſe polluerant, mutatis veſtibus novam munditiem teſtentur. Eodem etiam conſilio & fine, poſt conflatos aureos vitulos juſſus eſt à Moſe populus ornatum ſuum exuere. In eo tantum diverſa ratio fuit, quod populus depoſito ornatu, ſupplex reatum ſuum lugubri & ſordido habitu confeſſus eſt: in domo autem Jacob mutatæ ſunt veſtes, ut qui contaminati fuerant, quaſi novi homines prodirent. finis tamen (ut dixi) fuit idem, ut hoc externo ritu diſcerent idololatræ quanta eſſet ſceleris ſui atrocitas. Etſi autem virtus interior eſt reſipiſcentia, ac ſedem in corde habet, ceremonia tamen hæc minime ſupervacua fuit. ſcimus enim quam frigide ſibi diſpliceant homines in peccatis, niſi multis ſtimulis pungantur. Deiode hoc quoque iotereſt gloriæ Dei, ut reatum ſuum homines non modo intus reputent, ſed palam etiam ſimul teſtentur. Summa igitur hæc eſt, Quaoquam Deus nihil diſerte mandaverat de purganda domo, quia tamen altare jufferat erigi, Jacob ut purum Deo obſequium præſtaret, tollenda impedimenta curaſſe: atque boc feciſſo, quum ipſa neceſſitas ad quærendum Dei auxilium eum cogeret.

4. *Et dederunt ipſi Jabacob.*] Quanquam ſatis morigeram domum habuit ſanctus vir, quod tamen in abjiciendis idolis ejus imperio tam facile omnes obtemperant, periculi metu factum eſſe non dubito. Unde etiam colligimus quantopere nobis expediat malis expergefieri. Scimus quam pertinax ſit ac rebellis ſuperſtitio. Si in ſtatu pacato & læto tale aliquid juſſiſſet Jacob, major pars dolnſe occultaſſet ſua idola: quidam etiam forte contumaciter negaſſent.

nunc urget ipſos Dei manus, ut promptis animis celeriter reſipiſcant. Et probabile eſt pro temporis circumſtantia concionatum fuiſſe Jacob de juſto Dei judicio, ut metum illis incuteret. Quod enim jubet *ipſos mundari*, perinde eſt acſi dixiſſet, Hactenus fœdati fuiſtis coram Domino: nunc quum tam clementer nos reſpexerit, eluite ſordes iſtas, ne faciem ejus rurſus à nobis avertant. Abſurdum tamen videtur quod Jacob idola defoderit ſub quercu, ac non potius contriverit, ac igne conſumpſerit: quemadmodum de vitulis aureis legimus feciſſe Moſen, & Ezechiam de ſerpente æneo. Neque enim fruſtra locus eximitur: ſed perſtringitur infirmitas Jacob, quia in futurum tempus non ſatis providus fuerit. Et forte Dominus nimiam prioris temporis conniventiam & mollitiem ultus eſt, quod prudentia vel animo eum deſtituit: ejus tamen obedientia, licet aliquid habuerit reſiduum vitii, Deo accepta fuit: quia ſciebat hoc ſancto viro eſſe propoſitum, idola è medio tollere, & in ſignum deteſtationis terra obruere. Inaures minime dubium eſt fuiſſe ſuperſtitionis inſignia: ſicuti hodie in Papatu cernuntur innumeræ nugæ, quibus impietas ſe oſtentat.

Exod. 32. *verſ.* 20. 2 *Reg.* 18. *verſ.* 4.

5. *Et fuit terror Dei ſuper urbes.*] Nunc reipſa apparet non fruſtra promiſſam à Deo ſalutem fuiſſe ſancto viro, quando inter tot hoſtiles gladios non modo tutus, ſed etiam quietus incedit. Excidio Sichemitarum omnes vicini populi in odium familiæ unius exarſerant: nullus tamen ſe ad vindictam commovet. Ratio exponitur à Moſe, quod terror Dei ceciderit ſuper eos, qui comprimeret violentos illorum impetus. Hinc diſcamus in manu Dei eſſe hominum corda, ut fortitudine inſtruat quæ per ſe debilia ſunt: & rurſus, quoties viſum eſt, emolliat ferream duritiem. Patitur quidem interdum multos evomere ſuperbiæ ſuæ ſpumas, quibus deinde ſuum præſidium opponit: ſed metu ſæpe effœminat qui inſtar leonum animoſi erant. ſic videmus gigantes iſtos qui centies vorare poterant ſanctum Jacob, ſubita formidine percelli, ut liqueſcant. Proinde quoties furere impios videmus in noſtram perniciem, ne metu concidant, & deſperatione frangantur corda noſtra, veniat nobis in memoriam hic Dei terror, quo facile domatur quantumvis furioſa totius mundi audacia.

7. *Et ædificavit ibi altare.*] Jam dictum eſt cur oportuerit ſanctos Patres quocunque venirent, proprium ac diſtinctum à reliquis gentibus habere altare: nempe ut teſtatum facerent ſe non colere promiſcuos deos, quibus tunc paſſim addictus erat mundus, ſed ſibi peculiarem eſſe Deum. Nam etſi animo colitur Deus, confeſſio tamen externa, fidei comes individua eſt. deinde quantopere nobis utile ſit adminiculis incitari ad Dei cultum, nemo eſt qui non cogniſcat. Siquis objiciat, nihil in ſpecie diverſum apparuiſſe: reſpondeo, hoc fuiſſe non parvum diſcrimen, quod quum alii diis incognitis temere & zelo inconſiderato altaria extruxerint, Jacob ſemper Dei verbo ſe aſtrinxit. Atqui nullum eſt legitimum altare, niſi verbo conſecratum. nec vero alia nota excelluit cultus Jacob, niſi quod nihil tentavit præter Dei mandatum. Quod loco nomen imponit, Deus Bethel, videtur quidem eſſe nimis craſſum: & tamen hoc quoque elogio laudatur ſancti viri fides: idque jure, quandoquidem ſe intra fines divinitus præſcriptos continet. Stulti funt Papiſtæ, dum ex bruta propemodum modeſtia laudem humilitatis affectant. Fidei vero humilitas laudabilis, dum ſapere non appetit pluſquam Dominus permittat. Sicuti autem quum ad nos deſcendit, quodammodo ſe extenuat & balbutit nobiſcum, ita etiam nos ſecum balbutire vult. Atque hoc eſt vere ſapere, ubi Deum amplectimur, prout ſe ad modulum noſtrum accommodat. In hunc modum Jacob non argute diſputat de eſſentia Dei, ſed ex oraculo percepto familiarem ſibi Deum facit. Quia autem ſenſus ſuos ad revelationem dirigit, grata (ut dixi) balbuties hæc & ſimplicitas Deo eſt. Porro quanquam hodie clarior illuxit Dei notitia, quia tamen Deus in Euangelio quoque nutricis perſonam ſuſcipit, diſcamus mentes noſtras ſubjicere: tantum meminerimus eum deſcendere ad nos, ut ſurſum nos attollat. Neque enim terreno more ideo loquitur ut nos à cælo arceat, ſed potius ut hoc veiiculo nos ſublevet. Interim tenenda eſt regula, quoniam ex cæleſti oraculo impoſitum fuit altari nomen, verum & rite diſpoſitum fuiſſe ædificium fidei. Nam ubi non perſonat viva Dei vox, quicquid pomparum ingeritur, inanibus ſpectris ſimile eſt: ſicuti in Papatu nihil cernere licet præter veſicas vento refertas. Adde quod Jacob continuum fidei ſuæ tenorem oſtendit, ex quo Deus ſe illi manifeſtare cœperat: quia hoc ſibi proponit, quod Angeli apparuerint. Nam quum pluralis ſit verbi numerus, de Angelis libenter interpretor. neque hoc ſuperiori doctrinæ contrarium eſt: etſi enim conſpicua illi tunc fuit Dei majeſtas, quatenus capere poterat, non abs re tamen Angelos commemorat Moſes, quos vidit Jacob aſcendere & deſcendere per ſcalæ gradus. Neque enim ſecus tunc intuitus eſt Dei gloriam in Angelis quam ſolis ſplendor per radios ad nos uſque manat.

8. *Et mortua eſt Deborah.*] Hic brevis inſeritur narratio mortis Deboræ, quam colligere licet ſanctam fuiſſe matronam, & quam domus Jacob non ſecus ac matrem venerata eſt. nam ſepultam fuiſſe raro cum honore, & luctu non vulgari, teſtatur perpetuum loci nomen. Paulo poſt narrabitur mors & ſepultura Rachelis: nullum tamen ad poſteros luctus ſignum fuiſſe transmiſſum dicet Moſes. ergo aviæ loco ab omnibus fuiſſe habitam probabile eſt. Sed quæritur, quomodo tunc fuerit in contubernio Jacob, qui nondum ad patrem pervenerat: ætas autem anus decrepitæ ad longinquam profectionem minime erat idonea. Divinant quidam interpretes, miſſam fuiſſe à Rebecca in occurſum filii Jacob: ſed non video, quid habeat coloris eorum conjectura. Nec tamen habeo quicquam certi quid afferam: niſi forte quod in gratiam alumnæ jam à puero dilexit Jacob, & quum exilii cauſam ſciret, pietatis ſtudio ipſum ſequuta ſit. Moſes certe non fruſtra tam inſigni elogio celebrat ejus mortem.

9. *Et viſus fuerat Deus ipſi Jabacob.*] Poſt quam de morte Deboræ pauca verba interpoſuit Moſes, ſecundam viſionem recitat, qua Jacob poſt reditum confirmatus eſt in Bethel. Semel eo in loco viſus ei fuerat Deus, quum in Meſopotamiam concederet. Interea variis modis, prout uſus tulerat, teſtatus fuerat Deus ſe illi ubique per totam peregrinationem adeſſe: ſed nunc eum in locum reducitur ubi illuſtrius magiſque memorabile oraculum illi datum fuerat, ut novam deintegro fidei confirmationem accipiat. Benedictio Dei hoc loco nihil aliud quam promiſſio eſt. nam ſicuti bona precantur homines alii aliis, ita Deus perfectæ felicitatis ſe fore auctorem denunciat. Porro nihil tunc novum audivit Jacob, ſed eadem illa repetita eſt promiſſio ut poſtliminio in patriam reverſus, collecto novo fidei vigore, animoſius reliquum vitæ curſum conficeret.

10. *Non vocabitur nomen tuum ultra.*] Quis ſit horum verborum ſenſus ante diximus. Neque enim aboletur prius nomen, ſed præfertur alterius dignitas quod poſtea illi inditum eſt. Jacob enim ab utero vocatus fuerat, quod fortis fuiſſet cum fratre luctator: Iſraël autem poſtea vocatus eſt, quod cum Deo antagoniſta congreſſus, victoriam obtinuit. non quod propria virtute prævaluerit (nam & animum, & vires, & arma à ſolo Deo mutuatur eſt) ſed quia gratuito iſto honore Dominus ipſum ornare voluit. Facit igitur comparatio ut nomen Jacob obſcurum

ſit

ſit & ignobile præ nomine Iſraël. Quidam ſubaudiunt, Non tantum vocaberis Jacob, ſed ſimul addetur cognomen Iſraël. ſed altera expoſitio mihi ſimplicior videtur, quod vetus nomen minus in ſe ſplendoris habens, ſecundo ceſſurum ſit. Quod Auguſtinus affert, ſpecioſum eſt magis quam ſolidum, præſentis vitæ intuitu vocatum fuiſſe Jacob: nomen vero Iſraël ad futuram vitam ſpectare. Mancar ergo illud fixum, duplex nomen inditum fuiſſe ſancto viro, quorum poſterius longe excelluit. Videmus enim ut Propbetæ utrumque ſæpe conjungant, gratiæ Dei conſtantiam ab initio uſque ad finem notantes.

11. *Ego ſum Deus omnipotens.*] Fortitudinem ſuam hoc loco, ut alibi, commendat Deus, quo certius in cjus fidem recumbat Jacob. Deinde facturum ſe promittit ut creſcat Jacob, & augeſcat non modo in gentem unam, ſed in congregationem gentium. Quum Gentis memioit, non dubium eſt quin ſignificet adeo numeroſam fore ejus ſobolem, ut magni unius populi corpus & nomen efficiat. Sed quod de Geotibus ſequitur, videri poſſet abſurdum. Nam ſi ad Gentes referre placeat quæ gratuita adoptione inſitæ ſunt in genus Abrahæ, impropria erit loquutio: ſi vero de naturalibus filiis intelligas, maledictio potius erit quam gratia, ſcindi Eccleſiam in plures populos, cujus ſalus unitate conſtat. Mihi vero utramque gratiam videtur complexus fuiſſe Dominus bis verbis. Nam quum ſub Joſue diſtinctus fuit populus in Tribus, quaſi in totidem populos propagatum fuit Abrahæ ſemen: neque tamen eo modo diviſum fuit corpus. ideo vocatur Gentium congregatio, quod in illa diſtinctione vigeret tamen ſacra unitas. Hoc quoque ad Gentes non male extenditur: quæ quum prius diſperſæ forent, in unam congregationem fidei vinculo collectæ ſunt. Etſi autem ſecundum carnem non fuerunt ex Jacob progenitæ: quia tamen fides nova illis fuit naſcendi origo, fœdus autem ſalutis, quod ſpiritualis genituræ ſemen eſt, à Jacob defluxit: merito fideles omnes in ejus filiis cenſentur, ſecundum illud, Patrem multarum gentium conſtitui te. *Et reges è lumbis tuis egredientur.* Huc proprie, meo judicio, ad Davidem ejuſque poſteros referri debet. Nam regnum Saulis Deo probatum non fuit, ideoque non fuit ſtabile: regnum vero Iſraël nibil quam corruptela fuit legitimi regni. Fateor quidem interdum numerari inter Dei beneficia quæ ex malo principio orta ſunt: ſed quia hic mera & liquida Dei benedictio refertur, de ſolis Davidis ſucceſſoribus libenter intelligo. Tandem Jacob conſtituitur terræ dominus, tanquam avi ſui Abrahæ & patris Iſaac unicus hæres. Clare enim abdicat Dominus Eſau à ſancta familia, quum ad ſolos poſteros Jacob hæreditario jure transfertur terræ dominium.

13. *Et aſcendit ab eo Deus.*] Aſcenſus hic Dei analogiam habet cum deſcenſu. Deus enim qui cælum & terram implet, locum non mutando, deſcendere tamen ad nos dicitur quoties aliquod præſentiæ ſuæ ſymbolum exhibet quod parvitati noſtræ reſpondet. Aſcendit ergo à Jacob, quum diſparuit ab ejus oculis, vel finem habuit viſio. Atque hac loquendi forma Deus verbi ſui pretium nobis commendat, quod ſcilicet gratiæ ſuæ teſtimonio nobis propinquus ſit. nam quia inter nos & cæleſtem ejus gloriam longa eſt diſtantia, ipſe per verbum ad nos deſcendit. Hoc vero demum in Chriſti perſona ſolide impletum fuit, qui ſuo in cælum aſcenſu fidem noſtram ita extulit ut ſemper tamen nobiſcum Spiritus ſui virtute habitet.

14. *Et ſtatuit Jabacob ſtatuam.*] Quanquam fieri poteſt ut in memoriam ſecundæ viſionis rurſus ſacrum monumentum exegerit, eorum tamen ſententiæ facile ſubſcribo qui referri putant quod prius geſtum fuerat. Quaſi dicerat Moſes, illud eſſe vetus Dei templum in quo libamen fuderat Jacob. Neque enim eo venire juſſus erat habitandi cauſa, ſed ut recentior loci conſpectus veteris oraculi fidem renovaret, ac melius ſanciret. Alibi legimus extructa fuiſſe à ſanctis Patribus altaria, ubi diutius manere io animo habebant: ſed alia tunc fuit ratio, nam quum ſolenne votum in Betbel nuncupaſſet Jacob, ſi ſoſpes reductus fuiſſet à Domino: nunc gratiarum actio ab eo exigitur, poſtquam reus voti factus eſt, ut confirmatus alio tranſeat.

16. *Et profecti ſunt de Betbel.*] Vidimus quantum doloris vulnus attulerit ſancto Jacob raptus filiæ, quantum terroris incuſſerit crudele facinus duorum filiorum: nunc texentur variæ cruces, quibus ſubinde per totam ſenectutem duriter afflictus fuit, donec in Ægyptum profectus novam lætitiam concepit ex conſpectu filii Joſepb. Sed illa quoque fuit graviſſima tentatio, à terra promiſſa exulare uſque ad mortem. Nunc deſcribitur mors dilectæ uxoris, quam paulo poſt ſequetur inceſtus coitus primogeniti cum uxore Bilhah. Paulo poſt Iſaac pater illi moritur: deinde eripitur filius Joſepb, quem putat à fera beſtia laniatum. Dum perpetuo luctu propemodum tabeſcit, exoritur fames, ut victum petere cogatur ex Ægypto. Illic retinetur in vinculis alter filius, donec etiam privetur ſuo Benjamin, quem unice charum non ſecus à ſe dimiſit quam ſi avulſa illi eſſent ſua viſcera. Videmus itaque quam aſpera militia, & continuo malorum tenore aſſuefactus ad ſpem melioris vitæ fuerit. Quod autem itineris laſſitudine, priuſquam ad boſpitium pertingerent, ex partu mortua eſt Rachel: hæc dolori augendo non parva acceſſio fuit. Cæterum quod orbatus fuit uxore dilectiſſima, probabile eſt idro contigiſſe, quia Dominus amoris intemperaotiam corrigere voluit. Leam Spiritus ſanctus ignominia non notat, quum ſancta eſſet mulier, majorique virtute prædita: Rachelis tamen venuſtas pluris erat apud Jacob. Hoc vitium in ſancto viro amara medicina purgatum eſt, quum illi ablata eſt uxor: ac ſæpe Dominus fideles ita ſpoliat donis ſuis, ut perverſum eorum abuſum caſtiget. Audacius quidem impii dona Dei profanant: ſi diutius connivet Deus, gravior ex ejus tolerantia ipſos manet condemnatio. Suis vero peccandi materiam tollens, ipſorum ſaluti conſulit. Quiſquis ergo diuturnum donorum Dei uſum expetit, diſcat illis non abuti, ſed pure & ſobrie frui.

17. *Dixit ei obſtetrix.*] Scimus veteres ſobolis valde fuiſſe cupidos, ac præſertim maſculæ. Quod ergo Rachel hoc conſolationis genus non admittit, hinc colligimus dolore fuiſſe penitus oppreſſam. Ergo ioter cruciatus mortua eſt, nibil aliud quam triſtem partum & dolores ſuos cogitans: ex quo ſenſu nomen imponit filio. quod tamen vitium poſtea correxit Jacob. Nominis enim mutatio ſatis oſtendit, judicio ejus damnatum fuiſſe mœroris exceſſum in uxore, quæ filio ſioiſtram ac probroſam notam inuſſerat. nam ingratitudine non caret triſtitia, quæ ſenſus noſtros ita occupat in rebus adverſis ut nos Dei beneficia non exhilarent, vel ſaltem aliquid aſpergant dulcedinis ad dolorem mitigandum. Additur deinde ſepultura, cujus tanta apud ſanctos Patres vigere non potuit religio, niſi ob ſpem futuræ reſurrectionis. Quoties ergo legimus de ſepeliendis mortuis ſuis quaſi de raro aliquo officio fuiſſe ſollicitos, venit nobis in mentem finis ille quem dixi: neque enim indicra fuit ceremonia, ſed vivum futuræ reſurrectionis ſymbolum. Fateor quidem profanos ac degeneres homines paſſim tunc in mundo impenſum operam ſepeliendis mortuis temere dediſſe, tantum ad inane luctus ſolatiom: ſed quanquam illi à vera origine in craſſos errores dilapſi erant, fecit tamen Dominus ut integer apud ſuos ritus hic manerct, quin etiam apud incredulos teſtimonium extare voluit, quo inexcuſabiles eſſent reddantur. Nam quum

ſine magiſtro ingenitus fuerit omnibus hic affectus, ut mortuos ſepelire unum eſſet ex pietatis officiis, clare hoc illis dictavit natura, corpus hominis ad immortalitatem eſſe conditum: ideoque ſic conſidere in morte, ut non prorſus intereat. Statua vel monumentum eodem ſpectavit. Nullam arcem extruxit quæ inſigne eſſet gloriæ ſuæ apud poſteros: ſepulchri vero memoriam erigere curæ habuit, quæ omnibus ſeculis teſtis eſſet ſecundæ vitæ magis fuiſſe addictum. & Dei providentia ſuperſtes duravit hæc admonitio, donec ex Ægypto reverſus eſt populus.

22. *Et concubuit cum Bilhah.*] Triſtis nunc, imo tragica hiſtoria refertur de inceſtuoſo concubitu Ruben cum noverca. Vocat quidem Moſes Bilham concubinam Jacob: ſed quanquam non convenerat in manum viri ut eſſet materfamilias ac bonorum ſocia, tamen quoad thorum legitima erat uxor, quem admodum ante vidimus. Si quis extraneus ſancti viri uxorem ſtupraſſet, affectus fuiſſet magno probro: ſed longe atrocius fuit tantam contumeliam à proprio filio pati. Quale vero & quam deteſtabile probrum, quod duarum tribuum mater non modo ſe adulterio contaminat, ſed etiam inceſtu. Quod flagitium ſic à natura abhorret, ut ne inter Gentes quidem tolerabile unquam habitum fuerit. Et certe miro Satanæ artificio penetravit tanta obſcœnitas in ſanctam domum, ut irrita videri poſſet Dei electio. Quihuſcunque poteſt modis Dei gratiam in electis pervertere Satan conatur: id quum efficere nequit, eam vel infamat, vel ſaltem obſcurat. Hinc fit ut turpia ſæpe exempla in Eccleſiam obrepant. Et Domious hoc modo humiliari ſuos patitur, ut ſibi attentius caveant, ut magis ſollicite invigilent ad preces, diſcantque ab ejus miſericordia in totum pendere. Moſes tantum refert, Jacob de ſcelere hoc factum eſſe certiorem: dolorem vero ejus ſubticet, non quod fuerit ἀναίσθητος (neque enim tam erat ſtupidus, ut dolorem ſuum non ſentiret) ſed quia pro rei gravitate exprimi non potuit mœror. Nam hic prorſus videtur ſpectaſſe Moſes quod pictor ille in Iphigeniæ immolatione fecit, qui patris faciem velavit, quum lugentis vultum non poſſet ſatis exprimere. Præter æternum familiæ dedecus erant alia quæ ſancti viri pectus transfigerent. Summa ejus felicitas erat in ſobole, unde etiam toti mundo proditura erat ſalus. quum jam duo fuiſſent perfidi & ſanguinarii latrones, nunc primogenitus ſcelere utrumque ſuperat. Sed hinc illuſtrior apparuit gratuita Dei electio, quia filios Jacob non ex dignitate prætulit toti mundo: deinde quod quum tam fœde lapſi eſſent, firma nihilominus & efficax ſtetit. Talibus exemplis moniti, diſcamus nos contra horrenda ſcandala munire, quibus Satan turbare nos ſtudet. Accommodet etiam hoc quiſque ad privatam fidei ſuæ conſolationem. Ita enim labuntur interdum etiam boni, quaſi à gratia exciderint. Tales ruinas ſtatim excipiat deſperatio neceſſe eſt, niſi Dominus ex oppoſito ſpem veniæ oſtendat. Inſigne hic ſpeculum proponitur in Ruben, qui poſt extremum facinus gradum tamen Patriarchæ in Eccleſia retinuit. quanquam ſimul manendum eſt ſub timoris & vigilantiæ cuſtodia, ne incautos opprimat tentatio, atque ita circumveniant Satanæ inſidiæ. Neque enim fœdæ libidini patronum dare voluit Spiritus ſanctus, ut in concubitus inceſtuoſos quiſque ruat: ſed potius in perſona bonorifica bujus ſceleris turpitudinem traduxit, ut inde magis ſollicite omnes abhorreant. Hic locus etiam Novati errorem refellit. Probe edoctus erat Ruben: ſymbolum divini fœderis à prima infantia in carne ſua geſtabat: imo regenitus erat Dei Spiritu. videmus quale fuerit præcipitium, unde erectus eſt incredibili Dei miſericordia. Non eſt igitur cur lapſis ſpem veniæ præcidant Novatiani, & ſimiles phrenetici: quia non levis Chriſto fit injuria, ſi ab ejus adventu magis reſtrictam eſſe putamus Dei gratiam. *Et fuerunt filii Jacob duodecim.* Recenſet Moſes iterum filios Jacob continua ſerie. Primus inter eos ponitur Ruben, non honoris cauſa, ſed ut majori probro oneretur. nam quo majori quiſque honore ornatus eſt à Domino, eo graviorem ſuſtinet culpam, dum Satanæ poſtea ſe mancipans, locum ſuum deſerit. Videtur autem catalogum hunc texere Moſes ante mortem Iſaac, ut diſcernat progeniem Jacob ab Idumæis, quorum mentio fiet proximo capite. Nam morte Iſaac fons ſancti generis quaſi in duos fluvios ſeorſum fuit diductus: ſed quia Dei adoptio in altera tantum parte ſe continuit, neceſſe fuit alterum genus ab altero diſtingui.

28. *Et fuerunt dies Iſhac.*] Mors Iſaac non narratur ſuo ordine, ut mox patebit ex contextu. ſed alibi vidimus τὸν νόμον Moſi familiare eſſe. Cæterum quum dicitur *mortuus eſſe ſenex ac plenus dierum*, ſenſus eſt, expleto vitæ curſu defunctum eſſe matura morte: itaque hoc ad Dei benedictionem pertinet. quanquam verba iſta non modo ad temporis ſpatium, ſed ſimul ad ſancti viri affectum refero, quod ſcilicet Iſaac vitæ ſatur, libenter & placide conceſſerit è mundo. Quoſdam enim ſenes decrepitos cernere licet, qui tamen non minus vitæ cupidi ſunt quam in flore ætatis: & quum ſint ſilicernia, mortem nihilominus exhorrent. Quanquam ergo inter Dei benedictiones cenſetur longa vita, non tamen ſufficit annorum numerum ſupputare, niſi homines ſe diu viviſſe ſentiant: Deique gratia & ætate ſua contenti, ad migrandum ſe comparent. Porro ut animi compoſiti ſint ad talem moderationem, ſenes ſibi bene conſcios eſſe oportet ut non refugiant Dei conſpectum. nam mala conſcientia impios terrore perſequitur & exagitat. Adjungit etiam Moſes ſepultum fuiſſe Iſaac à duobus filiis. Nam quia tunc minus clare teſtata erat reſurrectio, & ejus primitiæ nondum apparuerant, eo diligentius exerceri decuit ſanctos Patres in externis ceremoniis, ut ita ſpectaculum interitus in morte corrigerent. Quod autem Eſau priorem obtinet locum, hinc rurſus docemur fructum paternæ benedictionis non fuiſſe perceptum à Jacob in hac vita: nam qui jure primogenitus erat, alteri adhuc ſubjicitur poſt mortem patris.

CAPUT XXXVI.

ISTÆ vero ſunt generationes Eſau, hic eſt Edom.

2. Eſau accepit uxores ſuas è filiabus Chenaan, Hadah filiam Elon Hittæi, & Aholibamah filiam Anah, filiam Sibhon Hiuvæi,

3. Et Boſmath filiam Iſmaël, ſororem Nebajoth.

4. Et peperit Hadah ipſi Eſau Eliphaz: & Boſmath peperit Rehuel:

5. Et Aholibamah peperit Jehus, & Jahalam, & Corah. iſti filii Eſau qui nati ſunt ei in terra Chenaan.

6. Et accepit Eſau uxores ſuas, & filios ſuos, & filias ſuas, & omnes animas domus ſuæ, & pecudes ſuas, & omnia jumenta ſua, & omnem acquiſitionem ſuam quam acquiſierat in terra Chenaan: & profectus eſt ad *aliam* terram à facie Jahacob fratris ſui.

7. Erat

7. Erat enim ſubſtantia eorum multa, ita ut nequirent habitare pariter: nec poterat terra peregrinationum eorum ferre eos propter ſubſtantiam eorum.
8. Habitavit itaque Eſau in monte Sehir: Eſau eſt Edom.
9. Ac iſtæ ſunt generationes Eſau patris Edom in monte Sehir.
10. Iſta ſunt nomina filiorum Eſau: Eliphaz filius Hadah uxoris Eſau, Rehuel filius Boſmath uxoris Eſau.
11. Et fuerunt filii Eliphaz, Theman, Omar, Sepho, & Gahatham, & Cenaz.
12. Timnah autem fuit concubina Eliphaz filii Eſau, & peperit ipſi Eliphaz Hamalec. Iſti ſunt filii Hadah uxoris Eſau.
13. Iſti vero ſunt filii Rehuel: Nahath, & Zerach, Sammah, & Mizza. iſti ſunt filii Boſmath uxoris Eſau.
14. Et iſti fuerunt filii Aholibamah filiæ Hanah filiæ Sibhon uxoris Eſau: quos peperit ipſi Eſau: Jehu, & Jahalam, & Corah.
15. Iſti duces filiorum Eſau. Filii Eliphaz primogeniti Eſau, dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenaz,
16. Dux Corah, dux Gahatham, dux Hamalec: iſti ſunt duces Eliphaz in terra Edom. iſti ſunt filii Hadah.
17. Et iſti ſunt filii Rehuel filii Eſau: dux Nahath, dux Zerach, dux Sammah, dux Mizza: iſti ſunt duces Rehuel in terra Edom. iſti ſunt filii Boſmath uxoris Eſau.
18. Iſti autem ſunt filii Aholibamah uxoris Eſau: dux Jehus, dux Jahalam, dux Corah. iſti ſunt duces Aholibamah filiæ Hanah uxoris Eſau.
19. Iſti ſunt filii Eſau, & iſti duces eorum: ipſe eſt Edom.
20. Iſti ſunt filii Sehir Horæi, habitatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sibhon, & Hanah,
21. Et Diſon, & Eſer, & Diſan. Iſti duces Horæorum filiorum Sehir in terra Edom.
22. Et fuerunt filii Lotan, Hori, & Heman: & ſoror Lotan, Thimnah.
23. Et iſti ſunt filii Sobal: Halvan, & Manahath, & Hebal, Sepho, & Onam.
24. Et iſti ſunt filii Sibhon: Ajah & Hanah. hic eſt Hanah qui invenit mulos in deſerto, quum paſceret aſinos Sibhon patris ſui.
25. Et iſti ſunt filii Hanah: Diſan, & Aholibamah filia Hanah.
26. Et iſti ſunt filii Diſan: Hemdan, & Eſban, & Ithran, & Cheran.
27. Iſti ſunt filii Eſer: Bilhan, & Zaavan, & Acan.
28. Iſti ſunt filii Diſan: Us & Aran.
29. Iſti ſunt duces Horæorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sibhon, dux Hanah,
30. Dux Diſon, dux Eſer, dux Diſan. iſti ſunt duces Horæorum, in ducibus eorum, in terra Sehir.
31. Et iſti ſunt reges qui regnaverunt in terra Edom, antequam regnaret rex ſuper filios Iſraël.
32. Nempe regnavit in Edom, Belah filius Behor: & nomen urbis ejus Dinhabah.
33. Et mortuus eſt Belah, & regnavit pro eo Jobab, filius Zerah de Boſrah.
34. Et mortuus eſt Jobab, & regnavit pro eo Huſſam è terra Auſtrali.
35. Et mortuus eſt Huſſam, & regnavit pro eo Hadad filius Bedad, qui percuſſit Midian in agro Moab: & nomen urbis ejus Avith.
36. Et mortuus eſt Hadad, & regnavit pro eo Samlah de Maſrecah.
37. Et mortuus eſt Samlah, & regnavit pro eo Saul de Rehoboth fluminis.
38. Et mortuus eſt Saul, & regnavit pro eo Bahal-hanan filius Hachbor.
39. Et mortuus eſt Bahal-hanan filius Hachbor, & regnavit pro eo Hadar: & nomen civitatis ejus Pahu: nomen autem uxoris ejus Mehetabel filia Matred filiæ Me-zahab.
40. Iſta ergo ſunt nomina ducum Eſau, per familias ſuas, per loca ſua, ſecundum nomina ſua: dux Thimnah, dux Halvah, dux Jetheth,
41. Dux Aholibamah, dux Elah, dux Pinon,
42. Dux Cenaz, dux Theman, dux Mibſar,
43. Dux Magdiel, dux Hiram: iſti ſunt duces Edom per habitationes ſuas, in terra hæreditatis ipſorum. ipſe eſt Eſau pater Edom.

1. *Et iſtæ ſunt generationes Eſau.*] Quanquam extraneus ab Eccleſia fuerit Eſau coram Deo: quia tamen ipſe quoque temporali benedictione aſperſus eſt ut filius Iſaac, hæc ratio eſt cur Moſes celebret ipſius genus, & ſatis longum catalogum gentis ab eo progenitæ conſcribat. Eſt tamen hoc elogium inſtar honorificæ ſepulturæ. Tametſi enim præcellat Eſau cum ſuis poſteris, hæc tamen dignitas bullæ ſimilis eſt, quia ſub figura mundi comprehenditur, quæ cito perit. Quemadmodum ergo prius dictum fuit de aliis profanis gentibus, ita nunc extollitur Eſau in ſublime theatrum. Sed quia nullus eſt diuturnus ſtatus extra regnum Dei, evanidus eſt qui illi tribuitur ſplendor, & quaſi ſubductis aulæo, diſperit tota illa pompa. Teſtari quidem voluit Spiritus ſanctus nun inane fuiſſe vaticinium quod protulerat Iſaac: ſed ſimulac ejus effectum oſtendit, quaſi oppoſito velo, ad conſiderandum genus Jacob oculos noſtros convertit. Jam licet ex tribus conjugiis liberos ſuſtulerit Eſau, in quibus poſtea enituit Dei benedictio, non tamen ideo probatur polygamia, nec excuſatur impura hominis libido: ſed in eo magis admiranda eſt Dei bonitas, quæ malis principiis præter naturæ ordinem bonum exitum dedit.

6. *Et ivit ad aliam terram à facie Jabacob.*] Non intelligit Moſes conſulto profectum fuiſſe Eſau ut fratri

fratri cederet. nam ut ſuperbus erat & ferox, nunquam paſſus eſſet videri inferior. Sed Moſes, poſthabito conſilio Eſau, arcanam Dei providentiam commendat, qua expulſus ille in exilium fuit, ut vacua maneret terræ poſſeſſio uni Jacob. Præſentis utilitatis ſtudio conceſſit Eſau in montem Seir, ſicut alibi dictum eſt. Nihil minus habet propoſitum quam fratri conſulere: ſed Deus cæcum hominem manu ſua direxit, ne locum occuparet in terra quam ſervo ſuo deſtinaverat. Ita ſæpe accidit ut præter animi ſententiam proſint impii electis Dei filiis: & dum præſentibus commodis inhiat præceps eorum cupiditas, æternam eorum ſalutem promoveant quos alioqui cuperent perditos. Diſcamus igitur ex præſenti loco tam in rebus fortuitis (ut loquuntur) quam in pravis hominum conſiliis occultam Dei providentiam, quæ omnes eventus in finem à ſe præfixum convertit, fidei oculis ſpeculari. Nam quum egreſſus ſit Eſau, ut ſeorſum extra patris domum commodius ageret, abiiſſe dicitur à facie fratris ſui: quia Dominus ita ſtatuerat. Dicitur autem indefinite abiiſſe in terram, quia incertus conſilii domicilium in variis locis quæſivit, donec oblatus eſt mons Seir: quemadmodum Gallice dicitur, *Il s'en eſt allé à ſon aventure.*

9. *Et iſtæ ſunt generationes Eſau patris Edom.*] Quanquam binominis fuit Eſau, hoc tamen loco ſecundum nomen refertur ad poſteros, qui vocati ſunt Idumæi. Nam ut appareat quid ei Dominus in gratiam patris Iſaac contulerit, eum diſerte appellat Moſes patrem celebris & famoſi populi. Et certe hoc non parum ad rem interfuit, vim & complementum vaticinii perſpicere in progenie Eſau. Sienim tam potenter viguit Dei promiſſio erga hominem extraneum, quanto ſe potentius exeret erga filios, quorum propria eſt adoptio, & proinde gratiæ hæreditas? Obſcurus homo erat Eſau, & in illa regione hoſpes: unde ergo ſit ut repente ex eo emergant reguli, & magnum populi corpus florcat, niſi quia benedictio ex ore Iſaac profecta, effectu ipſo rata fuit? Neque enim abſque æmulo in ſolitudine regnavit Eſau, quum montem Seir prius incoleret non ignobilis populus. Nam ideo refert Moſes prius ſtrenuos fuiſſe homines qui habitarent in terra illa: ut novo advenæ tantam potentiam acquirere non facile fuerit, niſi divinitus eſſet adjutus.

24. *Hic eſt Hanah qui invenit mulos.*] Mulorum ſoboles adulterina eſt ex admiſſura equi & aſinæ. Ejus auctorem Moſes dicit fuiſſe Ana. Porro hoc in laude induſtriæ non pono. neque enim Dominus fruſtra animalium genera initio diſtinxit. Sed quia filios ſeculi ut plurimum ſollicitat carnis vanitas, ut ingenium ad res ſupervacuas applicent, præpoſterum hoc ſtudium notavit Moſes in Ana, cui non ſatis fuit copiam habere animalium, niſi ex prodigioſo coitu degeneres fœtus acceſſeret. Adde quod hinc cognoſcimus plus eſſe temperantiæ in brutis animalibus ad ſequendam naturæ legem quam in hominibus, qui vitioſas mixturas excogitant.

31. *Reges qui regnaverunt in* &c.] Memoria tenendum eſt quod paulo ante diximus, ſubito excellere reprobos, ut ſtatim concidant: ſicut herba tectorum quæ radice caret, præcocem habet vigorem; ſed citius areſcit. Duobus filiis Iſaac promiſſa fuerat hæc dignitas, quod oriundi eſſent ab ipſis reges: priores incipiunt regnare Idumæi: ita videtur deterior eſſe Iſraëlis conditio. Sed tandem ſucceſſus temporis docuit quanto melius ſit humi reptando, altas agere radices, quam præpoſteram excellentiam momento acquirere, quæ ſtatim evaneſcat. Non eſt ergo cur filiis ſeculi celeres lætitiæ progreſſus invideant: fideles dum ipſi lente pergunt: quia longe pluris eſt ſtabilis illa felicitas quam Dominus ipſis promittit. ſicuti habetur in Pſalmo, Filii filiorum habitabunt, & eorum hæreditas perpetua erit. *Pſal 102. verſ. 29.*

CAPUT XXXVII.

HAbitavit itaque Jahacob in terra peregrinationum patris ſui, in terra Chenaan.

2. Iſtæ ſunt generationes Jahacob. Joſeph filius ſeptendecim annorum paſcebat cum fratribus ſuis pecudes, & erat puer cum filiis Bilhah & cum filiis Zilpah uxorum patris ſui: & retulit Joſeph obloquutionem eorum malam patri eorum.

3. Porro Iſraël diligebat Joſeph præ cunctis filiis ſuis, quia filius ſenectutis erat ei: & fecerat ei tunicam multicolorem.

4. Et viderunt fratres ejus quod eum diligeret pater eorum præ cunctis fratribus ejus, & odio habebant eum, & non poterant alloqui eum pacifice.

5. Somniavit autem Joſeph ſomnium, & nunciavit fratribus ſuis: & addiderunt amplius odio habere eum.

6. Dixit enim ad eos, Audite quæſo ſomnium hoc quod ſomniavi.

7. Ecce enim ligabamus manipulos in medio agri: & ecce ſurrexit manipulus meus, ac etiam ſtabat: & ecce circumdabant manipuli veſtri, & incurvabant ſe manipulo meo.

8. Et dixerunt ei fratres ejus, Num regnando regnabis ſuper nos? num dominando dominaberis nobis? Addiderunt ergo adhuc odio habere eum propter ſomnium ejus, & propter verba ejus.

9. Et ſomniavit adhuc ſomnium alterum, & narravit illud fratribus ſuis, & dixit, Ecce ſomniavi ſomnium adhuc: & ecce, ſol & luna & undecim ſtellæ incurvabant ſe mihi.

10. Et narravit patri ſuo & fratribus ſuis: & increpavit eum pater ejus, & dixit ei, Quid eſt hoc ſomnium quod ſomniaſti? num veniendo veniemus ego & mater tua, & fratres tui, ut incurvemus nos tibi ad terram?

11. Et inviderunt ei fratres ejus: ſed pater ejus obſervabat rem.

12. Profecti autem ſunt fratres ejus ut paſcerent pecudes patris ſui in Sechem.

13. Et dixit Iſraël ad Joſeph, Nonne fratres tui paſcunt in Sechem? veni, & mittam te ad eos. Et dixit ei, Ecce adſum.

14. Et

14. Et ait ei, Vade nunc, vide incolumitatem fratrum tuorum, & incolumitatem pecorum, & refer mihi rem: & misit eum ex valle Hebron: & venit in Sechem.

15. Porro invenit eum vir, & ecce errabat in agro: interrogavit autem eum vir ille, dicendo, Quid quæris?

16. Et dixit, Fratres meos ego quæro: nuncia, obsecro, mihi ubi ipsi pascant.

17. Et dixit vir ille, Profecti sunt hinc: audivi enim eos dicentes, Eamus in Dothan. Et perrexit Joseph post fratres suos, & invenit eos in Dothan.

18. Et viderunt eum è longinquo: & antequam appropinquaret eis, machinati sunt contra eum, ut interimerent eum.

19. Ac dicebat alter alteri, Ecce magister ille somniorum venit.

20. Nunc igitur venite, & occidamus illum, & projiciamus eum in unam è cisternis: & dicemus, Bestia mala devoravit eum: & videbimus quid erunt somnia ejus.

21. Et audivit Reuben, & eripuit eum è manu eorum, & dixit, Ne percutiamus eum *in* anima.

22. Dixit ergo ad eos Reuben, Ne effundatis sanguinem: projicite eum in cisternam hanc quæ est in deserto, & manum ne mittatis in eum: ut eruerat eum è manu eorum, ut reduceret eum ad patrem suum.

23. Et fuit, ut venit Joseph ad fratres suos, exuerunt Joseph tunica sua, tunica multicolore quæ erat super eum.

24. Et tulerunt eum, & projecerunt eum in cisternam: & cisterna erat vacua, non erat in ea aqua.

25. Postea sederunt ut comederent panem, & levaverunt oculos suos, & viderunt, & ecce turba Ismaëlitarum venicbat de Gilhad, & cameli eorum portabant aromata, & resinam, & stacten, iter facientes ut deferrent in Ægyptum.

26. Et dixit Jehudah fratribus suis, Quæ utilitas si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ejus?

27. Venite, & vendamus eum Ismaëlitis, & manus nostra ne sit in eum, quia frater noster, caro nostra est: & paruerunt ei fratres ejus.

28. Et transierunt viri Madianitæ mercatores, & extraxerunt & sustulerunt Joseph è cisterna: & vendiderunt Joseph Ismaëlitis viginti argenteis, qui abduxerunt Joseph in Ægyptum.

29. Deinde reversus est Reuben ad cisternam, & ecce non erat Joseph in cisterna: & scidit vestimenta sua.

30. Et reversus est ad fratres suos, & dixit, Puer non est, & ego quo, ego *quo* ibo?

31. Et tulerunt tunicam Joseph, & jugulaverunt hircum caprarum, & tinxerunt tunicam in sanguine.

32. Et miserunt tunicam multicolorem, & deferri fecerunt ad patrem suum, & dixerunt, Hanc invenimus, agnosce nunc utrum tunica filii tui sit, an non.

33. Et agnovit eam, & dixit, Tunica filii mei est: bestia mala devoravit eum, rapiendo raptus est Joseph.

34. Et scidit Jahacob vestimenta sua, & posuit saccum in lumbis suis, & luxit super filio suo diebus multis.

35. Et surrexerunt omnes filii ejus, & omnes filiæ ejus, ut consolarentur eum, sed noluit consolationem admittere: & dixit, Certe descendam ad filium meum lugens ad sepulchrum. & luxit eum pater ejus.

36. Madianitæ autem vendiderunt eum in Ægypto Potiphar satrapæ Pharaonis, principi satellitum.

1. *Et habitavit Jahacob.*] Confirmat Moses quod prius testatus est, discessu Esau relictam fuisse terram sancto Jacob, ut unicus esset ejus possessor: quanquam in speciem ne gleba quidem illi accessit, sed nudo terræ aspectu contentus, exercuit fidem suam. & Moses nominatim eum patri suo comparat, qui tota vita fuerat in illa terra peregrinus. Quanquam ergo, fratre in aliud domicilium translato, non parum adeptus erat Jacob: Dominus tamen profectum illum ab ejus oculis absconditum esse voluit, ut à promissione totus penderet.

2. *Iſtæ ſunt generationes Jahacob.*] Voce תולדות non tam genealogia intelligi debet quam res gestæ, sicuti ex contextu melius constat. Nam Moses ita præfatus, non enumerat filios & nepotes, sed exponit unde nata sit invidia fratrum contra Joseph, ut facta nefanda conspiratione illum venderent. acsi dixisset, Postquam breviter complexus sum genealogiam Esau, nunc ad seriem meæ historiæ revertor, quid contigerit in familia Jacob. Porro de nefando scelere filiorum Jacob verba facturus Moses, hinc orditur, quod Joseph præ aliis charus esset patri suo, quia eum provecta demum ætate genuerat: teneri etiam amoris signum ponit, quod illum tunica vestiret contexta ex variis coloribus. Atqui nihil mirum fuit, puerum à patre sene in deliciis haberi. nam ita fieri solet: nec invidiæ locus est, quum robustior ætas, natura dictante, hac in parte cedat. Moses vero hanc fuisse odii causam dicit quod magis propensus in eum quam in alios esset patris animus. Odium concipiunt fratres in puerum, quem vident tenerius à patre diligi, quia in ejus senectute natus est. Si amoris socii esse nolunt, cur saltem non indulgent? Hinc ergo perspicitur malignum perversumque eorum ingenium. Quod autem tunica versicolor, & similes nugæ ad machinandam cædem eos inflammant, in eo se prodit detestabilis crudelitas. Dicit etiam Moses inde odium crevisse, quod malos fratrum sermones detulerit Joseph ad patrem.

Quidam verbum Malum exponunt facinus aliquod non ferendum. Sed alii rectius sentiunt, querimoniam fuisse pueri, quia durius eum suis convitiis vexabant fratres. Nam quod sequitur apud Mosen, exegetice additum fuisse interpretor, ut sciamus quanam de causa male & hostiliter tractatus fuerit. Quæritur, cur tantum filios Bilhæ & Zilpæ hic accuset Moses, qui tamen filios Leæ ab eodem crimine postea non eximet. Unus quidem ex filiis, Ruben, reliquis omnibus mitior fuit: proxime ad eum accessit Judas, qui & ipse frater erat uterinus. Sed quid Simeon? quid Levi? Certe quum ætate præcederent, verisimile est duces fuisse. Suspicio probabilis est, quia ex concubinis, non ingenuis uxoribus nati erant, livore citius infectos fuisse eorum animos, quasi genus à matribus servile contemptum ipsis afferret.

5. *Et somniavit Joseph somnium.*] Postquam prima odii semina retulit Moses, nunc altius conscendit, nempe admirabili Dei consilio electum fuisse Joseph ad res maximas: idque somniis fuisse testatum: atque ita fratrum odium in rabiem erupisse. Somnia autem patefecit Deus quid facturus esset, ut postea sciretur nihil contigisse fortuito: fed quod cælesti decreto fixum erat, per flexuosos circuitus demum suo tempore fuisse completum. Prædictum fuerat Abrahæ, semen ejus fore peregrinum extra terram Chanaan. Ut in Ægyptum transeat Jacob, hæc ratio divinitus statuitur, ut Joseph Ægypto præfectus tempore famis, patrem cum tota domo accersat, cisque alimenta suppeditet. Nunc ex principiis quæ narrantur, nemo tale quicquam conjiceret. Filii Jacob in ejus necem conspirant, sine quo salvi esse nequeunt: imo qui illis ordinatus est salutis minister, in fovcam conjectus, vix è faucibus mortis eripitur. Circumactus per easus varios, videtur alienus esse à paterna domo. Postea in carcerem, velut in alterum sepulchrum, dejicitur, ubi per longum tempus fere tabescit. Nihil ergo minus consentaneum quam ut per ejus manum servetur familia Jacob, quando ab ea resectus & procul abductus, ne inter vivos quidem censetur. Neque enim spes ulla restabat liberationis, præsertim ex quo à pinccrna negle&tus fuerat, quin damnatus ad perpetuum carcerem, illic putresceret. Atqui Deus per tales anfra&tus oblique peregit quod statuerat. Quare in hac historia non modo pulcherrimum habebimus divinæ providentiæ exemplum, sed alia quoque duo in primis notatu digna accedent: nempe quod Dominus miris & insolitis modis opus suum peragat: deinde quod Ecclesiæ suæ salutem non ex magnifico splendore producat, sed à morte & sepulchro, quin etiam in persona Joseph viva exprimitur Christi effigies, sicuti melius liquebit ex contextu. Sed quia hæc sæpius repetenda erunt, sequamur filum verborum Mosis. Deus peculiari honore puerum, qui inter duodecim penultimus erat, mera gratia dignatur, primatum illi deferens in fratres. Quo enim merito, vel qua virtute adeptum esse dicemus ut fratrum dominus esset? Suo quidem postea ingenti beneficio visus est hoc acquirere: sed gratuitum fuisse Dei donum, ex somnio intelligimus, quod ex beneficentia Joseph minime pendebat: quin potius mero Dei beneplacito destinatus fuit princeps, ut erga fratres beneficus esset. Porro quum duobus modis tunc solitus fuerit Dominus revelare sua arcana, visionibus & somniis, hic notatur altera species. Nam certe vulgari more sæpius somniaverat Joseph: fed Moses significat divinitus oblatum fuisse somnium, quod vim & pondus haberet oraculi. Scimus ex diurnis cogitationibus sæpe nasci somnia: interdum corporis male affecti signa esse: fed quoties consilium suum innotescere per somnia voluit Deus, simul insculpsit certas notas quæ à fluxis frivolisque imaginationibus illa discernerent, ut solida constaret fides & auctoritas. Ita Joseph certo persuasus fuit non inani spectro se fuisse delusum, ut somnium suum pro cælesti oraculo intrepide proferret. Esi autem sub agresti symbolo promissum est illi imperium, videtur docendo non fuisse appositum. Scimus pecuarios fuisse, non aratores filios Jacob. Quum nulla illis fuerit messis quam colligerent, videtur hoc parum congruere quod adoretur ejus manipulus. Sed forte consulto hanc similitudinem elegit Deus, ut doceret vaticinium hoc non in præsenti fortuna Joseph fundatum esse, nec imperii materiam fore ex his quæ ad manum suppeterent: fed fore adventitium bonum, cujus causa alibi quam domi quærenda foret.

8. *Num regnando regnabis super nos?*] Hic clare nobis ostenditur ut paternus Dei favor erga electos quasi flabellum sit excitandis contra eos mundi odiis. Corrigi hoc modo injustum odium decuit, quum audirent filii Jacob se fruftra Deo obniti. Perinde enim est acsi Deus se medium opponens, eorum furorem compesceret his verbis, Carebit profectu impia vestra conspiratio: nam crepetis licet, hunc ego principem constitui, ad cujus perniciem vos rapit scelesta invidia. Forte etiam hoc solatio sancti adolescentis molestiam levare voluit. Atqui fecit illorum obstinatio ut magis inflammaretur. Discamus igitur non ægre ferre, si quando nobis affulgens Dei gratia, nobis invidiam conflet. Cæterum plus satis acuti sunt somnii interpretes filii Jacob: fed quasi fabulam derident, quia repugnat eorum votis. Ita sæpe contingit eos qui male affecti sunt, protinus capere quid velit Deus: fed quia nulla reverentia tanguntur, contemnere. Huic vero contumaciæ succedit stupor, qui priorem illam perspicaciam delet.

9. *Et somniavit adhuc somnium.*] Idem est hujus somnii scopus. Unum est discrimen, quod Deus, ut plus fidei conciliet oraculo, figuram è cælo proponit. Spreverant fratres Joseph quod de manipulis dictum fuerat: nunc Dominus ad cæli intuitum eos evocat, ubi relucet augusta majestas. Quæritur tamen quomodo hoc conveniat, venturam esse matrem ut adoret, quæ jam mortua erat. Quod Hebræi quidam interpretes ad Bilha referunt, frigidum est. & sine talibus effugiis simplex constat sensus: nam Sol & Luna ùtrumque caput familiæ designant: ita in hac effigie cernit Joseph se adorari à tota paterna domo.

10. *Et increpavit eum pater.*] Si suspicatus esset Jacob ex vana ambitione conceptum esse somnium, jure filium increparet: verum si agnoscit Deum esse somnii auctorem, non est quod expostulet cum filio. Quod autem agnoverit, hinc colligere licet: quia rem serio consideraffe postea dicitur. Moses enim ipsum discernens à filiis, hos nihil præter invidiæ virus spirasse dicit: illum vero secum reputasse quidnam hoc vellet. quod fieri non potuit nisi tactus fuisset reverentia. Sed quum ejus animo insideat quædam religio, quomodo filium objurgat? hoc certe non est suum Deo honoreu ejusque verbo reddere. Venire enim hoc in mentem debuit ipsi Jacob, quamvis ejus imperio subesset Joseph, propheticam tamen personam sustinere. Credibile est, quia filios cernebat tam malevoles, ut occurreret periculo, simulasse quod non erat. neque enim ipse somnio fuit offensus: sed exasperari noluit eorum animos, quibus propter superbiam tolerabilis non erat subjectio. Ego certe placandæ contentioni studentem, filium astute reprehendisse non dubito. Quanquam hæc ratio minime Deo probatur, ut fingamus nos veritati esse adversos, dum studemus eorum iracundiam sedare qui contra insaniunt. Debebat potius ingenue hortari filios ne adversus stimulum calcitrarent. Vel certe hæc tenenda erat moderatio, Si vulgare somnium est, sine stomacho rideatur: si autem à Deo manavit, nefas est obloqui. Potest etiam fieri ut senis animum pupugerit absurditas. Scimus enim

enim quam difficile ſit omnem altitudinem protinus exuere. Sed prior expoſitio melius congruere videtur. Certe quamvis paululum à recta linea declinet Jacob, in eo tamen apparet non vulgaris pietas, quod facile prævaluit oraculi reverentia. Impia vero contumacia in filiis ſe prodit, dum in majus odium prorumpunt. Nam quamvis ſomnium ſpernant, non tamen de nihilo uruntur. Libenter habuiſſent fratrem ludibrio: ſed conſtringit eos occultus quidam divinitatis ſenſus, ut aliquid authenticum, velint nolint, ſentire cogantur. Interea impellit eos cæca ferocia, ut Deo præter animi propoſitum reſiſtant. Ergo ut Deus nos morigeros ſibi habeat, diſcamus abjicere altos ſpiritus: quia docilitatis initium eſt, dum ſuſtinent homines ſe cogi in ordinem. Damnabilis fuit in filiis Jacob hæc contumacia, quod ſubjectionis odio non modo repulerunt Dei oraculum, ſed ejus nuncio & præconi infeſti fuerunt. Nunc quanto minus excuſabilis erit noſtra durities, niſi placide colla ſubjicimus jugo Domini, poſtquam humilitatis doctrina, quæ nos ſubigit, adeoque mortificat, non modo clarius nobis teſtata eſt, ſed pretioſo Chriſti ſanguine ſancita? Cæterum ſi multos videmus hodie refractarios, qui renuant Euangelium amplecti, ſed contra proterve inſurgant, non turbemur quaſi re nova, quum ſuperbiæ morbo laboret totum humanum genus: Euangelio autem in nihilum redigatur tota carnis gloria. quin potius ſciamus præfractos manere omnes, niſi qui à Spiritu Dei ſubacti manſuefcunt.

12. *Et profecti ſunt fratres ejus.*] Antequam de nefando parricidii conſilio tractet Moſes, profectionem Joſeph deſcribens, multis circumſtantiis atrocitatem ſceleris amplificat. Accedit ad eos frater officii gratia, ut fraterne de ipſorum ſtatu inquirat. Venit patris mandato: neque tamen invitus obſequitur, ſicuti ex reſponſo ejus patet. Anxie illos perquirit: & quamvis mutaſſent locum, non tamen parcit labori ac moleſtiæ, donec eos reperiat. Ergo pluſquam immanis eſt eorum crudelitas, quod tam pio & humano fratri necem machinari non exhorrent. Nunc videmus non eſſe ſupervacuum quod dicit Moſes, hominem erranti Joſeph fuiſſe obvium, qui diceret fratres migraſſe in Dothan. Nam quo major fuit ejus ſedulitas & infatigabile ſtudium, eo minus excuſationis merentur à quibus repenſa fuit tam indigna merces.

18. *Et viderunt eum è longinquo.*] Hic rurſus Moſes generis ſui famæ per adulationem minime parcens, ejus principibus inurit æternæ infamiæ notam, odioque & execrationi gentium omnium eos exponit. Siquando inter profanos homines frater fratri cædem intulit, tragœdiis proſciſſa fuit talis impietas, ne in exemplum tranſiret. Quod autem fratres novem ſimul in necem innoxii adoleſcentis conſpirant, & tanquam feræ beſtiæ in ipſum ſanguinarii manibus inſiliunt, nihil tale in profanis hiſtoriis reperietur. Horribilis ergo, imo diabolicus furor invaſit filios Jacob, quum abjecto naturæ ſenſu, ita parati fuerunt in ſanguinem proprium ſævire. Jam vero præter ſcelus impia contra Deum protervia damnatur à Moſe his verbis, *En adeſt ſomniorum magiſter.* Cur enim miſero inſultant, niſi quia in ſpem dignitatis non ſperatæ cæleſti oraculo vocatus fuerat. Adde quod hoc modo ſuum flagitium turpius ipſi traducunt quam ſi quis eos ex profeſſo atrociter lacerare vellet. Hanc ſibi perſequendi fratris fatentur cauſam eſſe, quod ſomniaverit: quaſi vero inexpiabilis ſit offenſa, quod ſi indignantur ſomniis, cur non potius cum Deo bellum gerunt? Neceſſe enim habuit Joſeph quod ſibi divinitus revelatum erat, quaſi pretioſum depoſitum, excipere. Sed quia non audent recta Deum impetere, nebulas ſibi inducunt, ut ſublato Dei reſpectu contra fratrem furere liceat. Si talis cæcitas abripuit Patriarchas, quid reprobis fiet, quos obſtinata malitia transverſos agit, ut Deo ad extremum uſque reſiſtere non dubitent? Ac videmus ut ſe ultro perturbent atque acuant, quoties Dei minis vel caſtigationibus offenſi, vindictæ expetendæ cauſa contra miniſtros inſurgunt. imo idem omnibus nobis ſubinde contingeret, niſi Deus freno injecto nos manſuefaceret. Quantum ad Joſeph ipſum ſpectat, rarus Dei favor oſtenſus ei fuit, ac in ſummam dignitatem evectus eſt, ſed per ſomnium, quod nunc probroſa fratrum ſubſannatione eluditur. Accedit ſimul conſpiratio, ut parum à morte abſit. Ita Dei promiſſio, quæ cum ad cælos extulerat, fere in ſepulchrum demergit. Idem & nos experimur, quibus gratuita Dei adoptio ingreſſus eſt in multas ærumnas. Nam ex quo nos Chriſtus in gregem ſuum colligit, variis modis permittit Deus nos dejici, ut propiores ſimus inferis quam cælo. Ergo animis noſtris inſideat exemplum Joſeph, ne turbemur, quum ex Dei gratia multæ cruces nobis pullulant. Jam enim ſupra admonui, & res ipſa clare teſtatur, adumbratum fuiſſe in Joſeph quod plenius deinde in Chriſto Eccleſiæ capite exhibitum fuit, ut ſingula membra ad imitationem ſe forment.

20. *Projiciamus eum in unam è ciſternis.*] Prætextum jam ante cædem patratam quærunt tegendo apud homines ſceleri. Interea minime illis venit in mentem, non poſſe Dei oculos fugere quod hominibus fuerit abſconditum. Sed ita ſtupida eſt hypocriſis, ut mundi infamiam fugiens, Dei judicium negligat. Interim hic quoque morbus humano ingenio penitus infixus eſt, extremis quibuſque ſceleribus fucum inducere. Nam etſi ſceleratos coarguit interior judex, ſe tamen impudentia confirmant, ne dedecus ſuum apud alios appareat. *Et videbimus quid erunt ſomnia.* Quaſi unius hominis morte abſteri poſſit Dei veritas, voti ſe compotes fore jactant, ubi fratrem occiderint, ne quid proſint ſomnia. Hoc quidem non cogitant ex profeſſo, ſed eo præcipites agit turbulentus livor, ut contra Deum impingant. Quicquid autem moliantur qui ſic in tenebris luctantur cum Deo, irriti demum abeunt eorum conatus. Deus enim per medias abyſſos viam ſemper inveniet, ut quod decrevit exequatur. Quod ſi nos ſuis ludibriis exagitant increduli, ac ſuperbe triumphant fidem nihil nobis profuturam, nè examinemur nos vel debilitet eorum inſolentia quin ſecuri pergamus.

21. *Et audivit Reuben.*] Operæpretium eſt notare, quum alii ad ſanguinem fundendum currerent, cujuſnam opera ſervatus ſit Joſeph. Ruben certe una in re omnium nequiſſimus extiterat, quando fœdaverat patris cubile: & illa tam effrenis libido aliis vitiis implicita, pravæ naturæ ſignum erat. nunc repente ſolus ad pietatem reſpiciens, & fraterni officii memor, impiam conjurationem diſſolvit. Incertum eſt an ſatisfactionem quæſierit, qua rediret cum patre in gratiam. Ejus quidem fuiſſe conſilium teſtatur Moſes, filium patri incolumem reddere: unde probabilis eſt illa, quam dixi, conjectura, vitam fratris putaſſe idoneam mercedem qua ſibi reconciliaret patris animum. Utcunque res habeat, hæc tamen humanitas, quam in fratre liberando præſtitit, teſtis eſt non fuiſſe projectum ad omnia ſcelera. Et Deus forte hoc pœnitentiæ teſtimonio, nonnihil levare voluit priorem ejus infamiam. Quo docemur non eſſe à peccato uno quantumvis atroci æſtimandos homines, ut nobis deſperata ſit eorum ſalus.

22. *Projicite in ciſternam.*] Pia fallacia, ad quam deſcendit Ruben, quantopere exarſerit fratrum rabies, ſatis demonſtrat. Neque enim palam opponere ſe audet, neque à ſcelere dehortari: quia videbat rationibus non eſſe locum ad eos mitigandos. Nec vero eorum truculentiam hoc extenuat, quod con-

consentiunt: quasi ad clementiam flexi fuerint. Nam si alterutrum necesse fuit, præstabat eorum manibus ſtatim occidi quam lenta fame in cisterna perire: quod est crudelissimum supplicii genus. Crassa potius hypocrisis notanda est, quod crimine se fore exemptos putant, modo ne fratrem jugulando, manus intingant sanguine. Quasi vero ad rem quicquam interfit, an fratrem quis gladio confodiat, an suffocando interficiat. Dominus enim quum Judæos accusat per Jesaiam, quod manus habeant plenas sanguine, non intelligit esse sicarios: sed sanguinarios ideo vocat, quia non pepercerint miseris fratribus. Nihilo igitur meliores sunt filii Jacob, dum fratrem adhuc vivum in terram projiciunt, ut sepultus cum morte fruſtra luctetur, & post longos cruciatus intereat: dum cisternam eligunt in deserto, unde nullus mortalium pereuntis clamorem exaudiat, sed gemitus ascendat in cælum usque. Barbara autem ista cogitatio fuit, non percuti ejus animam, vel non percuti eum in anima, si manibus suis sanguinem non hauirirent: quia altera mortis species non minus violenta fuit dum volebant fame necare. Sed Ruben ad brutos eorum affectus sermonem accommodans, satis habuit præsentem illorum impetum quovis artificio reprimere.

23. *Exuerunt Joseph tunica sua.*] Videmus ut fictione & mendacio referti sint homines. Secure fratrem denudant: non exhorrent manibus suis projicere in foveam, ubi ipsum inedia conficiat decem gladiis pejor: quia scelus occultum fore sperant, & allatis exuviis, nulla domi futura sit cædis suspicio: quia scilicet credet pater laniatum fuisse à fera bestia. Ita sceleſtas mentes hebetat Satan, ut frivolis effugiis seipsas implicent. Fons quidem pudoris est conscientia: sed suis illecebris demulcet Satan quos semel laqueis fuis constrinxit: ut ipse verecundiæ sensus qui eos debuerat reos ad tribunal Dei citare, magis obduret. Latebras enim nacti, longe audacius ad peccandum perrumpunt, quasi impune committant quicquid fugit hominum oculos. Hic vere reprobus est sensus, hic spiritus vertiginis & stuporis, solo teneri hominum pudore, calcato autem divini judicii metu, quidvis audere. Quanquam autem non omnes eousque projecti sunt, vitium tamen hoc nimis commune est, plus deferre honoris hominibus quam Deo. In verbis Mosis emphatica est tunicæ repetitio, quod insigne illud paterni amoris, mollire non potuit eorum animos.

25. *Et sederunt ut comederent panem.*] Mira fuit hæc barbaries, fratre quantum in se erat occiso, quiete epulari: nam si qua humanitatis gutta viguisset in eorum animis, saltem quasdam intus punctiones sensissent. imo plerumque deterrimus quisque post facinus peractum expavescit. Quum in tantam socordiam prolapsi sint Patriarchæ, eorum exemplo timere discamus, ne justa Dei vindicta idem lethargus sensus nostros occupet. Interea admirabilem consilii Dei progressum expendere convenit. Jam transierat Joseph per duplicem mortem: nunc quasi tertia morte præter spem è sepulchro eruitur. Quid enim fuit aliud pro mancipio vendi extraneis hominibus, quam è medio tolli? Imo deterior reddita fuit ejus conditio, quia Ruben è cisterna clam eductum patri reduxisset: nunc in diversam orbis partem sine spe reditus trahitur. Sed ille occultus erat flexus, per quem Deus statuerat eum in sublime evehere. Ac ultimo tandem eventu enotuit, quanto satius fuerit procul à suis abduci quam salvum domi mancre. Porro sermo Judæ, quo persuadet fratribus *ut vendatur* Joseph, aliquanto plus habet rationis. Ingenue enim fatetur reos homicidii fore, si in cisterna perire sinant. Quid lucri fecerimus, inquit, obtecto sanguine? manus enim nostræ nihilominus sanguine pollutæ erunt. Jam aliquantulum remiserat furor, ut consilium humanius admitterent. nam quamvis immanis perfidia esset, fratrem hominibus incognitis vendere: aliquid tamen fuit, vivum dimittere, ut saltem pro mancipio aleretur. Illam ergo diabolicæ vesaniæ flammam, qua toti ardebant, sedatam fuisse videmus, dum se nihil proficere agnoscunt celando hominum oculos: quia homicidium in Dei conspectum venire necesse sit. nam primo, non secus omni se reatu solvebant quam si nullus sederet in cælo judex. Valere etiam apud eos incipit naturæ sensus, quem prius deleverat odii crudelitas. Et certe in reprobis etiam, qui videntur humanitatem prorsus exuisse, tempus demonstrat aliquid manere residuum. Quum ebulliunt pravi & violenti affectus, impedit tumultuosus ille fervor ne suas partes agat natura. Sed nullæ sunt tam stupidæ mentes quas non interdum mordeat scelerum suorum reputatio: nam ut inexcusabiles ad Dei judicium veniant homines, à seipsis primum damnari oportet. In hoc à reprobis differunt fanabiles, quos Dominus ad resipiscentiam adducit, quod quum illi contumaciter obruant scelerum suorum notitiam, hi paulatim à peccandi licentia ad rationis obsequium flectuntur. Cæterum quod hic Judas de fratre germano admonet, Dominus per Prophetam ad totum genus humanum extendit. Quoties igitur prava libido ad injustam vim, vel aliam noxam impellit, veniatnobis in mentem sacrum hoc vinculum quo devincta est inter se omnium societas, ut nos à maleficiis cohibeat. Nocere enim non potest homo homini, quin carni suæ insensus, totum naturæ ordinem violet ac pervertat.

28. *Et transierunt viri Madianitæ.*] Putant aliqui Joseph eodem in loco bis fuisse venditum. Certum enim est, quum Abrahæ fuerit filius Madian ex Cetura, distinctos fuisse ejus filios à filiis Ismaël: & Moses non temere diversa nomina posuit. Sed ego ita interpretor, venalem quibuslibet expositum fuisse Joseph. Quum vero à Madianitis neglecta fuisset emptio, fuisse Ismaëlitis venditum. Porro quum merito possent suspectos habere plagii venditores, fecit tamen lucri cupiditas ne inquirerent. Adde quod probabile est, in itinere saltem fuisse scisitatos quisnam esset Joseph. Sed tanti apud eos non fuit commune genus, quin ex eo quæstum cupide facerent. Cæterum docet hic locus quanto præstiterint carnales Abrahæ filii electæ stirpi, in qua tamen spes futuræ Ecclesiæ inclusa erat. Videmus ex duobus filiis Abrahæ sic propagatam esse sobolem, ut inde huc illuc commenti negotiatores: pars autem quam sibi Dominus elegerat, adhuc exigua est. Sed ita hili seculi, perinde ac fructus præcoces, cito ad summas opes & felicitatis culmen perveniunt; quum Ecclesia per maximas difficultates sensim repetando, ad mediocrem statum longo tempore vix perveniat.

30. *Et reversus est Reuben.*] Colligere hinc licet, Ruben, simulato aliquo negotio, furtim elapsum esse à fratribus, ut insciis omnibus fratrem è cisterna eductum patri redderet, ideoque tunc abfuisse quo tempore venditus est Joseph. Nec vero mirum est, ipsum fuisse præventum, quum se in diversum iter vertisset, ut per ambages ad cisternam tenderet. Nunc vero demum Ruben, spe ablata, consilium suum aperit fratribus: quod prius fateri ausus non fuerat, ne statim jugularetur puer.

31. *Et tulerunt tunicam Joseph.*] Redeunt jam ad primum illud commentum. Ne quid de ipsorum crimine suspicetur pater, sanguinolentam tunicam mittunt, unde conjiciat laniatum fuisse ab aliqua bestia. Quanquam autem breviter hoc perstringit Moses, ego tamen existimo aliquos potius missile ex servis, qui sceleris conscii non essent, quam è suo numero. Dicet enim paulo post filios & filias venisse ut aliquid solatii mœrenti afferrent. Quanquam autem in verbis aliqua videtur subesse insultatio, mihi tamen verisimi-

riſimilius eſt hoc mandaſſe, ut ſuſpicionem à ſe averterent. Fingunt enim ſibi confuſum eſſe animum, ut in rebus trepidis fieri ſolet. Quicquid tamen excogitent, huc eos adigit ſuum ſcelus, ut nunc patris animum lethali dolore vulnerent. Hoc ſcilicet proficiunt ſuis integumentis hypocritæ, dum culpam unam effugere volunt, ut coacervent peccatum peccato. Quod ad Jacob ſpectat, poſtquam tot modis tentatus ſemper victor emerſerat, mirum eſt nunc dolori ſuccumbere. Certe mortem filii plus illi mœroris afferre quam inceſtuoſum uxoris ſtuprum, & Sichimæ cladem cum filiæ raptu conjunctam, nimis abſurdum eſt. Ubi invictum illud robur, quo etiam contra Angelum prævaluit? ubi tot patientiæ documenta quibus eum ſubinde exercuerat Deus, ne unquam deficeret? Hic profecto luctus nos admonet, neminem tam heroica virtute inſtructum, in quo non reſideat carnis infirmitas, quæ ſe interdum in rebus non magnis prodit. unde etiam accidit, ut qui longo tractu aſſuefacti ſunt ad crucem, ac tanquam veteraoi milites, quoſvis inſultus fortiter excipere debebant, inſtar tironum labaſcant in levi aliqua pugna. Quis ergo noſtrum ſibi non timeat, ubi videmus ſanctum Jacob poſt innumera patientiæ documenta diffluere?

35. *Et ſurrexerunt omnes filii ejus.*] Clarius hac circumſtantia exprimitur triſtitiæ moles, quod ad eam levandam conveniunt omnes filii & filiæ. Surgendi enim verbo communis deliberatio notatur, quod ex compacto venerint, quia urgebat neceſſitas. Sed hinc patet quam multiplex hominibus ingenita ſit ſimulatio. filii Jacob perſonam ſuſcipiuot minime ſibi congruentem: pietatis enim, à qua alieniſſimi ſunt, officio fuoguntur. Si Deum reſpicerent, agnita culpa, etiamſi nullum occurreret mali remedium, pœnitentia tamen fructum aliquem proferret: nunc inani ſatisfactione non ſecus ac vento, paſcuntur. Hoc exemplo docemur quantopere fugienda ſit nobis ſimulatio, quæ homioes novis ſubinde laqueis implicat.

Et noluit conſolationem admittere.] Quæritur an prorſus à toletantiæ virtute exciderit Jacob: hoc enim videntur ſonare ejus verba. Adde quod gravius peccat, quando ſciens & volens dolori indulget: hoc enim eſt quaſi data opera dolorem, qui plus ſatis eſt rebellis Deo, exacerbare. ſed ego boc ad levationem doloris, quæ poterat humanitus afferri, reſtringo. Nihil enim minus conſentaneum eſt quam ſanctum virum, qui tanta animi manſuetudine jugum Dei tota vita tulerat, nunc inſtar equi indomiti, frenum mordendum arripere, ut dolorem, ſponte alendo, ſe ad indomitam ferociam confirmet. Ego itaque non dubito quin ſe Domino nunc quoque ſubmiſerit, quamvis humana ſolatia reſpuat. Videtur etiam odioſe perſtringere filios, quorum invidiam & malevolum animum erga Joſeph cognoverat, acſi exprobret, pluris ſibi unum hunc eſſe illis omnibus: quia mortui ſepulchrum magis appetat quam frui conſuetudine decem vivorum quos habebat ſuperſtites: nam parvulum Benjamin excipio. interea oon excuſo doloris exceſſum quem nuper damnavi. Et certe obrutum ſe triſtitia demonſtrat, de ſepulchro perinde loquens acſi morte non concederent filii Dei ad meliorem vitam. Atque hinc diſcimus quam cæca ſit doloris intemperies, quæ fidei lumen fere in ſanctis ſuffocat: quo diligentius ad eam frenandam nos eniti convenit. Job excelluit ſumma pietate: videmus tamen, poſtquam magnitudine doloris oppreſſus eſt, quam profano more homines non ſecus ac pecudes io morte permiſceat. Si triſtitia uſque adeo obteoebratæ fuerunt Angelicæ illæ ſanctorum virorum mentes, quanto deoſior caligo nobis incumbet, niſi eam Dominus verbi & Spiritus ſui fulgore diſcutiat, & nos ſollicite ob viam tentationi eamus, antequam nos demergat? Præcipuum vero doloris temperamentum eſt, futuræ vitæ conſolatio, ad quam quiſquis ſe applicat, timendum non eſt ut abſorbeatur doloris exceſſu. Quanquam autem probandus non eſt immodicus dolor Jacob, Moſis tamen conſilium fuit, infamia notare ferream illam duritiem quæ in filiorum cordibus nimis immaniter graſſata eſt. Videbant per ſe non ſtare quin pater dolore confectus miſere periret: denique videbant ſuo ſcelere jam eſſe occiſum. Si vulnus ſanare nequeunt, cur ſaltem non ſtudent dolorem aliquatenus lenire? Pluſquam ergo crudeles ſunt, quibus adeo curæ non eſt patris vita, ut ne verbo quidem mitigationem, quæ in manu erat, afferre dignentur.

36. *Vendiderunt eum in Ægypto.*] Triſte ſpectaculum, quod ita per varias manus circumagitur Joſeph. Hæc enim non parva indignitas ad priorem ejus miſeriam acceſſit, quod tanquam venale mancipium proſtituitur. Dominus tamen interea ejus curam agere non deſtitit. Imo rotari de manu in manum ideo paſſus eſt, ut tandem reipſa conſtaret, mirifice cæleſti ductu veniſſe ad principatum illum qui ſomnio promiſſus fuerat. Putiphar Eunuchus vocatur, non quod caſtratus eſſet: ſed apud Orientales uſitatum fuit Satrapas & aularum principes inſignire hoc nomine. In dignitate, quam illi tribuit Moſes, ne Hebræi quidem conveniunt: nam quidam exponunt lanionum præfectum. quos ſequuti ſunt Græci. ſed ego potius aliis aſſentior, qui dicunt præfectum fuiſſe militum: non quod toti militiæ præeſſet, verum quia regios ſatellites habebat ſub manu ſua & imperio: quales nunc ſuot Capitanei cuſtodiæ, ſi alterum munus conjungas quod exercent præfecti boſpitii. Nam id ex 39. capite colligere licebit.

Caput XXXVIII.

FUit autem tempore illo deſcendit Jehudah à fratribus ſuis, & declinavit ad virum Hadullamitem, & nomen ejus Hirah.

2. Et vidit ibi Jehudah filiam viri Chenaanæi, & nomen ejus Suah: qui accepit eam, & ingreſſus eſt ad eam.

3. Quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Her.

4. Et concepit adhuc, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Onam.

5. Et addidit adhuc, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Selah: erat autem in Chezib, quando hunc ipſa peperit.

6. Et accepit Jehudah uxorem ipſi Her primogenito ſuo, & nomen ejus Thamar.

7. Verum erat Her primogenitus Jehudah malus in oculis Jehovæ, ideo interemit eum Jehova.

8. Et dixit Jehudah ad Onam, Ingredere ad uxorem fratris tui, & affinitatem contrahe cum ea, & ſuſcita ſemen fratri tuo.

9. Et cognovit Onam quod non ſibi futurum eſſet ſemen: & erat quando ingrediebatur ad uxorem fratris ſui, corrumpebat *ſemen* ſuper terram, ne poneret ſemen fratri ſuo.

10. Diſpli-

10. Diſplicuit autem in oculis Jehovæ quod fecit, ideoque mori fecit etiam eum.

11. Et dixit Jehudah ad Thamar nurum ſuam, Mane vidua in domo patris tui, donec creſcat Selah filius meus: dicebat enim, Ne forte moriatur etiam ipſe, ſicut & fratres ejus. & abiit Thamar, & manſit in domo patris ſui.

12. Et multiplicati ſunt dies, & mortua eſt filia Suah uxor Jehudah: & conſolatus eſt ſe Jehudah, & aſcendit ad tonſores ovium ſuarum, ipſe, & Hirah amicus ejus Hadullamita, in Thimnath.

13. Et nunciatum fuit ipſi Thamar, dicendo, Ecce, focer tuus aſcendit in Thimnath ad tondendum oves ſuas.

14. Tunc removit veſtes viduitatis ſuæ à ſe, & operuit ſe velamine, & celavit ſe, manſitque in oſtio Henaim, quod erat juxta viam Thimnath: viderat enim quod creverat Selah, ipſa vero non fuerat data ei in uxorem.

15. Et vidit eam Jehudah, & putavit eam eſſe meretricem: operuerat enim faciem ſuam.

16. Et declinavit ad eam è via: & dixit, Age quæſo, ingrediar ad te. (non enim noverat quod nurus ſua eſſet.) Illa dixit, Quid dabis mihi, ſi ingrediaris ad me?

17. Et ait, Ego mittam hœdum caprarum de pecudibus. Et dixit, Num dabis pignus donec miſeris?

18. Et dixit, Quod pignus vis ut dem tibi? Et dixit, Sigillum tuum, & pallium tuum, & virgam tuam quæ eſt in manu tua. Et dedit ei: & ingreſſus eſt ad eam, & concepit ex eo.

19. Illa ſurrexit, & abiit, & removit velamen ſuum à ſe, & induit ſe veſtibus viduitatis ſuæ.

20. Et miſit Jehudah hœdum caprarum per manum amici ſui Hadullamitæ, ut caperet pignus è manu mulieris: qui non invenit eam.

21. Et interrogavit viros loci illius, dicendo, Ubi eſt meretrix illa in Henaim juxta viam? Et dixerunt, Non fuit hic meretrix.

22. Reverſus eſt ergo ad Jehudah, & dixit, Non inveni eam: & etiam viri illius loci dixerunt, Non fuit hic meretrix.

23. Et dixit Jehudah, Capiat ſibi, ne forte ſimus in probrum: ecce miſi hœdum hunc, & tu non inveniſti eam.

24. Et fuit, circiter poſt tres menſes nunciatum fuit ipſi Jehudah, dicendo, Fornicata eſt Thamar nurus tua, & etiam ecce eſt gravida ex fornicationibus. Et dixit Jehudah, Educite eam, & comburatur.

25. Ipſa, quum educeretur, miſit ad ſocerum ſuum, dicendo, De viro cujus hæc ſunt ſum gravida. Et dixit, Agnoſce quæſo cujus ſint ſigillum, & pallium, & virga iſthæc.

26. Et agnovit Jehudah, & dixit, Juſtior me eſt: idcirco enim *hæc fecit* quod non dedi eam Selah filio meo. Verum non addidit adhuc cognoſcere eam.

27. Et fuit, in tempore quo parturiebat ipſa, ecce, gemini erant in utero ejus.

28. Fuit autem, ea pariente, *unus* dedit manum, & accepit obſtetrix, & ligavit ad manum ejus coccinum, dicendo, Iſte egreſſus eſt prior.

29. Et fuit, quum retraheret manum ſuam, ecce, egreſſus eſt frater ejus: & dixit, Cur rupiſti ſuper te interſtitium? & vocavit nomen ejus Peres.

30. Et poſtea egreſſus eſt frater ejus ad cujus manum erat coccinum: & vocavit nomen ejus Zerah.

1. *In tempore ipſo deſcendit* &c.] Priuſquam ulterius in narranda hiſtoria Joſeph procedat Moſes, inſerit genealogiam Juda: in qua plus operæ ideo impendit, quia inde originem ducturus erat Redemptor. neque enim ſine jactura, continua ejus Tribus ſeries ignorari potuit, unde petenda erat ſalus. Et tamen hic non celebratur glorioſa nobilitas: ſed hujus quoque familiæ ſummum dedecus traducitur. Nihil refert quod filiis Juda animos inflare debeat: ſed potius pudorem incutere. Quanquam autem prima ſpecie talibus probris nonnihil maculari videtur Chriſti dignitas: quia tamen hic quoque ſpectatur illa exinanitio cujus meminit Paulus, potius in ejus gloriam redundat quam ut vel minimum aliquid ex ea detrahat. Primum, Chriſto ſumus injurii, niſi unus ad delendas ignominias nobis ſufficiat, ex quibus increduli arripiunt ſcandali materiam. Deinde ſcimus io eo maxime fulgere divitias gratiæ Dei, quod Chriſtus carnem noſtram induens, in nihilum redigi voluit. Denique probris infame oportuit eſſe ipſius genus, ut eo uno contenti nihil extra eum quæramus: imo ne in ipſo quidem quæramus ſplendorem terrenum, ſicuti carnis ambitio ſemper in eam partem nimis proclivis eſt. Hæc igitur duo notemus, peculiariter honorem haberi Tribui Juda, quæ divinitus electa erat, unde emergeret mundi ſalus: deinde ipſis hominum perſonis minime honorificum eſſe Moſis ſermonem, ne quicquam ſibi vel Patribus arrogent Judæi. Interea meminerimus Chriſtum ob nihil gloriæ mutuari à ſuis majoribus, imo nihil habere gloriæ in carne repoſitum, cujus præcipuus & maxime illuſtris in cruce triumphus fuit. Porro ne maculæ quibus aſperſum fuit ejus genus, nos offendant, ſciamus immenſa ejus puritate non ſecus omnes ipſas elui, ac ſol quicquid fœtoris eſt in terra & aëre abſorbens, mundum purget.

2. *Et vidit ibi Jehudah filium viri Chenaanæi.*] Quod negotiatorem vertunt quidam, mihi non placet. Perverſam enim libidinem Juda inſimulat Moſes, quod uxorem ſibi ſumpſerit ex ea gente cum qua divinitus æternum filiis Abrahæ diſſidium indictum erat. Neque enim vel ipſum, vel alios fratres latebat hac lege ſe peregrinari in terra Chanaan, ut poſtea exciſis ac perditis incolis, promiſſo ejus domi-

nio

nio potirentur. Merito itaque hoc in vitio deputat Moſes, quod ſe vetitæ affinitati implicuit Judas: & Dominus tandem ſoboli Judæ ſuſceptæ maledixit, ne Judæ naſceretur princeps & caput familiæ, ne etiam ex ea Chriſtus deſcenderet. Hoc quoque inter exercitia patientiæ Jacob numerari debet, quod improbus illi nepos ex Juda natus eſt, cujus eum malitia non latuit. Juvenem è medio ſublatum fuiſſe Dei vindicta dicit Moſes. De aliis quos cito mors eripuit in primo ætatis flore, non idem dicitur. Inſignem ergo & omnibus notam malitiam fuiſſe non dubito, cujus pœna in morte apparuit. Quanquam autem ſancto Patriarchæ acerba per ſe fuit tentatio, nihil tamen ejus animum magis cruciavit quam quod vix ſperare poterat ratam fore Dei promiſſionem, ut penes nequam ac perditos homines maneret gratiæ hæreditas. Certe inter humanæ felicitatis partes cenſetur polytecnia. Sed hæc ſancti viri peculiaris erat ratio, quod Deus ſemen illi electum & benedictum promiſerat. nunc vero una cum ſobole augeri videt ac pullulare maledictionis ſemen quod ſperatam gratiam obruat. Dicitur quidem *Her malus fuiſſe coram Domino*, non tamen hominibus obſcura fuit ejus improbitas: ſed intelligit Moſes non laboraſſe tantum communibus vitiis, quin potius ita ſceleribus fuiſſe deditum, ut non fuerit tolerabilis coram Deo.

7. *Et interemit eum Jehova.*] Scimus longam vitam cenſeri inter Dei dona: idque merito. nam quum hic minime ſit ſpernendus honor, creari nos ad imaginem Dei, quo diutius quis in mundo alitur, ut quotidie ſentiat paternam erga ſe Dei curam, hoc liberalius à Domino tractari certum eſt: imo inter tot miſerias quibus referta eſt vita, eminet tamen hæc Dei bonitas, quod nos ad ſe Deus invitat, atque in ſui cognitione exercet: ſimulque tanta dignitate ornat, dum impenſo noſtro ſubjicit quicquid in mundo eſt. Quare nihil mirum quod Deus beneficii loco vitam hominibus prorogat. Unde ſequitur, quum immatura morte tolluntur impii, illis infligi ſcelerum pœnam: perinde enim eſt acſi judicium ferret è cælo Dominus, indignos eſſe quos terra ſuſtineat, indignos qui communi luce fruantur. Diſcamus itaque, quamdiu in mundo nos Deus retinet, meditari ejus beneficia: quo alacrius pro ſe quiſque ſtudeat vitam ab eo acceptam in ejus laudem referre. Quanquam autem hodie quoque mortis celeritas inter Dei flagella deputanda eſt, quia perpetuo viget doctrina illa, Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos: hoc tamen judicium Deus ſub Lege magis exercuit, quum obſcurior adhuc foret futuræ vitæ cognitio. neque enim ex quo reſurrectio nobis in Chriſto patefacta eſt, tantopere mortem horrori eſſe convenit. Atque hoc inter nos & veterem populum diſcrimen alibi notatum eſt: nunquam tamen generalis regula ſtatui potuit, placere domino, vel charos eſſe quorum vita diuturna eſſet: quin potius interdum in pœnæ cumulum protraxit Deus reprobis vitæ tempus. Et ſcimus Cain fratri ſuo Abel pluribus ſeculis fuiſſe ſuperſtitem. Sed quemadmodum temporalibus Dei beneficiis non ſemper, neque in omnibus conſtat perpetuus & æquabilis tenor: ita nec viciſſim temporales pœnas eodem ſemper modo exequitur. Satis eſt, quod ad præſentem vitam ſpectat, quædam pœnarum & præmiorum exempla proponi. Adde quod ſicuti ærumnæ vitæ præſentis, quæ ex naturæ corruptela ſuperveniunt, non extinguunt primam & nativam Dei gratiam: ita viciſſim mors, quum per ſe Dei maledictio ſit, ſupernaturali remedio cedit electis in ſalutem, tantum abeſt ut quicquam noceat. Præſertim hodie, ex quo primitiæ reſurrectionis in Chriſto oblatæ ſunt, nihilo deterior eſt eorum conditio qui cito tolluntur è vita: quia Chriſtus ipſe lucrum eſt tam ad vivendum quam ad moriendum. In morte autem Her clara fuit & notabilis vindicta Dei, ut facile conſtaret quadam velut ſorde purgari terram.

Pſal. 55. verſ. 24.

8. *Ingredere ad uxorem.*] Tametſi de fraternis conjugiis, ut frater ſuperſtes ſemen mortuo ſuſcitaret, nulla adhuc lex perſcripta erat: non tamen mirum eſt ſolo naturæ inſtinctu huc propenſos fuiſſe homines. Nam quum naſcantur ſinguli homines ad totius generis conſervationem, ſi quis moritur ſine liberis, videtur hic quidam naturæ defectus. Humanum igitur eſſe putarunt nomen aliquod acquirere mortuis, ex quo pateret ipſos vixiſſe. Unica autem ratio fuit, liberos ex fratre ſuperſtite genitos adſcribi mortuo, ne quis eſſet in familia aridus ramus: atque hoc modo ſterilitatis ignominiam delebant. Adde quod quum mulier data ſit viro adjutrix, ut quæque in aliquam familiam nupſerat, quodammodo ejus familiæ nomini erat addicta. Secundum hanc rationem Thamar non prorſus erat libera, quin fidem haberet obſtrictam domui Judæ ad procreandum aliquod ſemen. Etſi autem hoc non eſt ex pietatis regula, Dominus tamen tanquam humanitatis officium hominum cordibus indiderat: ſicuti poſtea Judæis in ſua politia mandavit. Hinc colligimus quam malignus fuerit Onam, qui hunc honorem fratri ſuo invidit, ac ſemen corrumpere maluit quam fratri mortuo paternum titulum acquirere: atque hoc totum in commune generis dedecus redundat. Videmus ut multi amicis proprios filios in adoptionem concedant: immanis ergo fuit barbaries, germano fratri negare quod extraneis datur. Adde quod non ſolum fratrem debito jure fraudavit: ſed maluit ſemen in terra putreſcere, quam ſub fratris nomine gignere filium.

10. *Et diſpliciuit in oculis Domini.*] Parum verecunde Judæi de re pudenda garriunt. Breviter attigiſſe mihi ſufficiet quantum pudor eloqui ſinit. Monſtruoſa res eſt voluntaria ſeminis effuſio extra congreſſum viri & mulieris. A coitu autem ſe data opera retrahere ut ſemen in terram decidat, duplex eſt monſtrum: quia hoc eſt ſpem generis extinguere, & filium qui ſperandus eſſet, occidere antequam naſcatur. Hæc maxime impietas damnatur nunc à Spiritu per os Moſis, quod Onam quaſi violento abortu fratris ſui ſobolem ex utero materno avulſam, non minus crudeliter quam fœde in terram projecit. Adde quod hoc modo generis humani partem, quantum in ſe erat, abolere conatus eſt. Si qua mulier fœtum ex utero medicamentis abigat, inexpiabile cenſetur crimen: & merito. eodem piaculi genere ſe obſtrinxit Onam, terram ſuo ſemine inficiens, ne Thamar nominem conciperet futurum terræ incolam.

11. *Et dixit Jehudah ad Thamar.*] Innuit Moſes Thamar non fuiſſe liberam, ut in aliam domum abnuberet, quamdiu ſub jure ſuo eam volebat retinere Judas. Fieri quidem poteſt ut ſe ultro ſubmiſerit arbitrio ſoceri, quum liceret negare: verba tamen ſonare hoc videntur, uſu & moribus fuiſſe receptum ne Thamar in alienam familiam tranſiret, niſi volente ſocero, quamdiu fuit ſucceſſor qui ſemen ex ea ſuſciperet. Quicquid ſit, nimis inique agit Judas, ſibi devinctam tenens quam fraudare decrevit. Nec vero cauſa fuit cur è domo ſua liberam migrare nollet, niſi quod veritus eſt inconſtantiæ notam. Sed tanti non debuit eſſe ambitioſus ille pudor, ut ærga nurum ſuam perfidus eſſet ac crudelis. Adde quod hæc injuria ex pravo judicio orta eſt: quia cauſas mortis filiorum non reputans, falſo ac injuſte culpam transfert in mulierem innoxiam. Infelix credit eſſe conjugium Thamar: cur ergo ut ſibi conſulat, maritumque alibi reperiat, non permittit? Sed illud quoque facit perperam, quod quum filiis cauſa exitii fuerit propria improbitas, ſiniſtre judicat de ipſa Thamar, cui nihil imputari potuit. Nos vero hoc exemplo diſcamus, quoties nobis quicquam contingit adverſi, non alio culpam tranſcribere, nec accerſere

ſere hinc inde dubias ſuſpiciones, ſed peccata noſtra excutere. Cavendum etiam ne tantopere dominetur ſtultus pudor, ut dum famam ſtudemus illæſam tueri apud homines, nobis minori curæ ſit bona conſcientia coram Deo.

13. *Et nunciatum fuit ipſi Thamar.*] Narrat Moſes quomodo injuriam ſibi factam ulta ſit Thamar. Principio dolum non olfecit, ſed longo temporis ſucceſſu. Poſtquam adoleverat Sela, deceptam ſe videns, ad vindictam ſe convertit. Nec vero dubium eſt quin ſecum diu meditata fuerit, & quaſi coxerit hoc conſilium. Nam de profectione Judæ non allatus eſt fortuito nuncius: ſed quia in occaſionem intenta, cuſtudes appoſuerat qui ſingula ejus facta referrent. Quanquam autem turpe & proba fœmina indignum conſilium cepit: crimen ejus hæc circumſtantia aliquatenus levat, quod Judæ congreſſum non appetit, niſi in cælibatu. Sed interim cæco mentis errore in aliud ſcelus adulterii non minus deteſtabile rapitur. Adulterio violata fuiſſet conjugii fides: inceſtuoſo hoc coitu everſa fuit tota oneris honeſtas. Hoc diligenter notandum, ne ad illicita remedia proſiliant qui læſi ſunt. Libido hoc impulit Thamar ut ſe ad ſtuprum proſtitueret. Dolut quidem vetitas ſibi fuiſſe nuptias, ut domi ſterilis maneret: ſed nihil habuit propoſitum, quam ſocero exprobrare fraudem illam qua ipſam deluſerat. interim videmus atrox facinus fuiſſe admiſſum. Hoc accidere ſolet etiam in bonis cauſis, ubi quis pluſquam par eſt carnis ſuæ affectibus indulget. Quod de habitu viduitatis attingit Moſes, ad modeſtiæ legem pertinet. Neque enim viduas decet elegantior veſtitus qui virorum oculos alliciat. Ideoque Paulus uxoribus plus quam illis concedit: quia legitimos habent maritos quibus placere ſtudeant.

14. *Et manſit in oſtio Henaim*] Varie hunc locum exponunt interpretes. Ad verbum eſt, In oſtio fontium vel oculorum. Quidam putant fuiſſe fontem in duos rivos diductum: alii propatulum notari exiſtimant, in quo ſe oculorum intuitus huc illuc varie diffundit. Receptior eſt tertia expoſitio, vocari bivium hac loquutione: quia tunc janua aperitur oculis, ut in duas partes exeant, quos una via in ſe continet. Probabile eſt locum fuiſſe unde conſpici poſſet Thamar: cui tamen propinquus eſſet receſſus, ad quem poſſet divertere Judas, ne in via publica & celebri ſub omnium oculis ſcortaretur. Quod autem dicitur faciem velaſſe, hinc colligimus tunc non fuiſſe tam effrenem ſcortandi licentiam, quam hodie graſſatur multis in locis. Nam ſe ad ſcortorum morem compoſuit, ne quid ſuſpicaretur Judas. Et Dominus hanc verecundiam eorum qui flagitioſe vivebant, cordibus inſculptam manere voluit, ut ſibi teſtes eſſent ſuæ turpitudinis. Nam ſi poſſent homines maculas eluere ſuis peccatis, ſcimus nihil libentius facturos eſſe. Unde ſequitur, dum lucem fugitant, horrore invitos tangi, ut Dei judicium præveniat ipſorum conſcientia. Paulatim quidem major pars ad ſtuporem & impudentiam diffluxit, ut ſua flagitia minus ſollicite occultent: nunquam tamen belluina eorum intemperie qui impune peccare cupiunt, naturæ ſenſum prorſus deleri paſſus eſt Deus, quin ſua obſcœnitas vel improbiſſimos cogat ad pudorem. Putida igitur fuit Cynici illius protervia, qui in flagitio deprehenſus, ſine rubore jactavit ſe plantare hominem. In ſumma, velamen Thamar oſtendit ſcortationem non tantum coram Deo & Angelis turpem & fœtidam rem eſſe, ſed à ſuis quoque auctoribus ſemper fuiſſe damnatam.

15. *Et vidit eam Jehudah.*] Magnum Judæ probrum quod ignotæ mulieris concubitum repente apperit. Senex jam erat: itaque vel in homine laſcivo, ſola tamen ætas debebat intemperantiæ fervorem reſtinguere. Mulierem procul aſpicit, capi formæ venuſtate non poteſt: pruritus tamen non ſecus in eo accenditur quam in equo, qui ad equarum odorem adhinnit. Hinc colligimus, non admodum viguiſſe in ejus corde vel Dei timorem, vel recti ac honeſti ſtudium, qui tam cupide ad ſcortationem prorumpit. Proponitur autem ideo nobis in exemplum, ut diſcamus quam facile ebulliat carnis libido; niſi eam Dominus coërcent: atque ita infirmitatis noſtræ conſcii, continentiæ & moderationis Spiritum à Domino petamus. Cæterum ne eadem nobis obrepat ſecuritas, qua factum eſt ut Judas tam facile ad ſcortandum ſe projiceret: notemus, quod ex inceſtu dedecus ſuſtinuit Judas, pœnam divinitus illi fuiſſe inflictam. Quis jam ſibi in ſcortatione indulgeat, quam ex horribili vindictæ genere tantopere Deo exoſam eſſe agnoſcit?

16. *Quid dabis mihi ſi ingrediaris ad me?*] Nolebat quæſtum ex ſuo corpore facere Thamar, ſed habere certum pignus, ut de ultione injuriæ ſumptæ gloriari poſſet. Nec vero dubium eſt quin Deus Judam excæcaverit, ſicuti dignus erat. Unde enim fit ut non agnoſcat nurus ſuæ vocem, cui familiariter aſſueverat per longum tempus? Deinde ſi dandæ ſuit arrha pro hædo promiſſo, quam ſtulte annulum meretrici tradit? Omitto quod duplicem præterea arrham dare abſurdum erat. Conſtat igitur, omni judicio tunc fuiſſe privatum: nec alia de cauſa ſcribuntur hæc omnia à Moſe, quam ut ſciamus juſto Dei judicio obtenebratam fuiſſe miſeri illius mentem, qui peccata peccatis cumulans, Spiritus lucem ſuffocaverat.

20. *Et miſit Jehudah hædum.*] Mittit per manum amici, ne cui alieno ignominiam ſuam detegat: Hæc eadem ratio eſt cur non audeat de arrhis perditis conqueri, ne ſe ludibrio exponat. Nam quod verba hæc, *Accipiat ſibi, ne ſimus in contemptum*, quidam ita accipiunt, quaſi excuſet Judas ſe præſtitiſſe datam fidem, mihi non probatur. Alter ille ſenſus longe melius quadrat, quod mavult Judas annulum perdere, quam rem longius ſpargendo, materiam præbere vulgi ſermonibus: quia levior ſit pecuniæ quam famæ jactura. Aliud etiam ludibrium timendum fuit, quod tam credulus fuerat. Sed præcipuum ex ſcortatione dedecus veritus eſt. ubi videmus homines qui Dei Spiritu non reguntur, de mundi opinione magis quam Dei judicio ſemper eſſe ſollicitos. Cur enim dum eum titillabat carnis libido, non venit hoc in mentem, Ecce nunc fœtidus ero coram Deo & Angelis? Cur nunc ſaltem poſtquam deferbuit libido, non erubeſcit tacita peccati ſui notitia? ſed ſecurus eſt, modo à publica infamia ſibi caveat. Docet tamen hic locus, quod jam prius admonui, communi hominum ſenſu damnatam fuiſſe ſcortationem, ne quis ex ignorantia excuſationis prætextum quæreret.

24. *Et fuit, circiter tres menſes.*] Poterat Thamar citius detegere facinus: ſed expectavit dum ad capitale ſupplicium poſceretur: nam tunc liberior fuit expoſtulandi locus. Cæterum quod pœnæ tam atroci ſubjicit Judas nurum ſuam, ideo fit quod adulterii ream agat. Nam idem nunc conſuetudine viguiſſe inter homines apparet quod Dominus poſtea Lege ſua ſancivit, ut ſtatim à ſponſalibus puella marito obſtrictam haberet fidem. Nupſerat Thamar in familiam Judæ: tertio filio tunc deſponſa erat. Non vocatur itaque in judicium ſimplex & vulgaris ſcortatio, ſed adulterii crimen, quod jure ſuo perſequitur Judas, quia in filii perſona læſus erat. Porro ſupplicii genus, quantopere ſeculis omnibus diſplicuerit adulterium, documento eſt. Lapidari adulteros Lex Dei jubet. Antequam ſcripto ſancita eſſet pœna, communi omnium conſenſu adultera mulier ad ignem vocata fuit. Hoc divino inſtinctu factum eſſe conſtat, ut natura duce & magiſtra, quaſi firmis cuſtodiis munita eſſet conjugii ſanctitas.

Quan-

Quanquam autem vir noo eſt dominus corporis ſui, ſed mutua eſt inter ipſum & uxorem obligatio, pœnæ tamen capitis obnoxii noo fuerunt mariti, ſi cum innuptis mulieribus ſcortati eſſent: quia non ſolam impudicitiam ulciſci propoſitum fuit, ſed dedecus quod marito irrogat mulier, deinde furtivam ſeminis permixtionem. Quid enim amplius in hominum ſocietate ſalvum manebit, ſi liceat fœtus alienos ſupponere? furari nomen quod ſpuriis tribuatur? ad eoſdem transferre ereptam legitimis hæredibus ſubſtantiam? Non mirum igitur, quod tam ſevere olim aſſerta fuit conjugii fides hac in parte. Quo fœdior hodie minuſque excuſabilis eſt noſtra ſocordia, quæ adulteria impunitate fovet. Durior ſcilicet quam pro delicti modo, videtur pœna capitis. Cur igitur leviora delicta majori rigore plectimus? Satanæ profecto præſtigiis falcinatus mundus fuit, dum legem naturaliter omnibus inſitam paſſus eſt obſolescere. Interea tam craſſæ vesaniæ quæſitus eſt
Joan. 8. vers. 11. color: quia Chriſtus adulteram incolumem dimiſerit. Quaſi vero pœnas exegerit de furibus, homicidis, falſariis, aut veneficis. Perperam igitur ex Chriſti facto petitur regula, qui ab officio terreni judicis conſulto abſtinuit. Quæritur tamen, quum privatus fuerit Judas, qui tam audacter ſibi jus gladii uſurpet. Imo quum inquilinus ſit, unde illi tanta libertas, ut arbiter ſit vitæ & necis? Reſpondeo, non ita debere accipi verba, quaſi pro imperio jubeat nurum ſuam ad mortem rapi: vel quaſi præſto ſint ad ejus nutum lictores: ſed quia deprehenſum erat crimen, ac cognitum, libere accuſator de pœna pronunciat, acſi jam lata eſſet à judicibus ſententia. Equidem non dubito conventus tunc haberi ſolitos in quibus fierent judicia: ideoque ſimpliciter interpretor, Judam mandaſſe Thamar in publicum produci, ut cauſa demum cognita, pro more plecteretur. Sed pœnæ expreſſio huc pertinet, quaſi jam non ſit litigandum: quia Thamar ad nequam citetur, rea peracta ſit.

26. *Et agnovit Jehudah.*] Tam ingenua exprobratio ex vindictæ ardore profecta eſt. Neque enim petit ſoceri colloquium, ut ejus animum mitiget: ſed deliberato mortis contemptu ad ſocietatem eum accerſit. Quod autem ſtatim agnoſcit Judas, probitati tribuendum eſt. Videmus enim quam multis fallaciis obtegere ſua peccata omnes fere ſoleant, donec in lucem protractos omnis inficiandi ratio deficit. Hic quanquam nemo adeſt qui vi aut minis extorqueat confeſſionem, ſponte ad eam deſcendit Judas, & majorem culpæ partem in ſe recipit. Quod tamen peccatum ſuum confeſſus, de pœna tacet, hinc colligimus, qui duriter aliis ſuccenſent, ad dandam ſibi veniam eſſe pluſquam flexibiles. In hoc ergo nobis imitandus eſt, ut ſine carnifice & equuleo tantum valeat apud nos veritas, ne peccata noſtra, quorum Deus nos admonet, coram toto mundo fateri pudeat. Sed fugienda eſt iſta inæqualitas, ne in alios rigidi, nobis clementer parcamus. Hæc etiam hiſtoria teſtis eſt quantopere interſit neminem damnari, niſi prius auditum: non ſolum quia ſatius eſt abſolvi nocentes, quam inſontem quempiam perire; ſed etiam quia defenſio multa in medium profert quæ judicii formam interdum mutare cogunt. *Juſtior me eſt.* Impropria eſt loquutio. neque enim ſimpliciter probat factum Thamar: ſed comparative loquitur, acſi diceret ſe injuſte & ſine cauſa iratum fuiſſe mulieri, à qua potius accuſandus fuerat. Porro ex ſucceſſu apparet quam ſegniter ſe mundus gerat in exigenda ſcelerum pœna, ubi nemo inſiſtit privatus vindex ſuæ offenſæ. Atrox & nefandum facinus admiſſum erat: quamdiu ſe læſum putavit Judas, acriter inſtitit. aperta ergo janua fuit judicio. Nunc ubi accuſatio ceſſat, uterque elabitur. atqui certatim omnes decebat inſurgere: ſed novum non eſt, commune officium à ſingulis negligi. Significat tamen Moſes ſeria pœnitentia tactum fuiſſe Judam: quia nurum ſuam poſtea non attigit. Simulque confirmat quod prius dixi, natura ingenitum eſſe tanti flagitii horrorem. Unde enim fit ut abſtineat à congreſſu Thamar, niſi quia naturaliter judicat, nefas eſſe ſocerum cum nuru ſua congredi? Hoc turpis & honeſti diſcrimen quod natura dictat, quicunque teotaot convellere, Deo palam, gigantum more, bellum inferunt.

27. *Ecce, gèmini erant in utero.*] Quanquam & Judas erroris ſui, & Thamar improbæ machinationis veniam obtinuit, voluit tamen Dominus monſtrum in ipſo partu ad ipſos humiliandos edere. Simile quiddam prius acciderat in Jacob & Eſau; ſed ratione diverſa: quemadmodum ſcimus prodigia nunc in bonam nunc in ſiniſtram partem tendere. Hic vero minime dubium eſt quin gemelli in ipſo partu notas ſecum afferant parentum infamiæ. Nam & ipſis utile fuit renovari ſui pudoris memoriam: & publici etiam exempli interfuit, flagitium illud æterna infamia notari. In verbis obſtetricis ambiguus eſt ſenſus. quidam rupturam pro ſecundinis accipiunt, quibus ruptis egreditur fœtus. Alii rectius, quod miretur obſtetrix quomodo perrupto interſtitio, Phares prior egreſſus fuerit. nam frater ipſum prægreſſus, inſtar muri intermedii oppoſitus erat. Nonnullis videtur eſſe imprecatio: quaſi dictum eſſet, Super te maneat ruptura. Sed Moſes, quantum ego judico, non aliud notare voluit quam monſtrum animadverſum fuiſſe in partu.

CAPUT XXXIX.

JOſeph autem ductus eſt in Ægyptum: & emit eum Potiphar princeps Pharaonis; princeps ſatellitum, vir Ægyptius, è manu Iſmaëlitarum qui deduxerant eum illuc.

2. Et fuit Jehova cum Joſeph: itaquè fuit vir proſpere agens, fuitque in domo domini ſui Ægyptii.

3. Et vidit dominus ejus quod Jehova eſſet cum eo: & omnia quæ ipſe faciebat, Jehova proſperabat in manu ejus.

4. Et invenit Joſeph gratiam in oculis ejus, & miniſtrabat ei: & præpoſuit eum domui ſuæ: & omnia quæ erant ei, dedit in manum ejus.

5. Fuit autem, ex eo tempore quo præpoſuit eum domui ſuæ, & omnibus quæ erant ei, benedixit Jehova domui Ægyptii propter Joſeph: & fuit benedictio Jehovæ in omnibus quæ erant ei in domo & in agro.

6. Reliquit ergo omnia ſua in manu Joſeph, & non cognovit cum eo quicquam, niſi panem quem ipſe comedebat. erat autem Joſeph pulcher forma, & pulcher aſpectu.

7. Et fuit, poſt hæc levavit uxor domini ejus, oculos ſuos ſuper Joſeph, & dixit, Concumbe mecum.

8. Et renuit, & dixit ad uxorem domini ſui, Ecce, dominus meus non cognovit mecum quid ſit in domo: & omnia quæ erant ei, dedit in manum meam.

9. Non est major me in domo hac: & non prohibuit à me quicquam nisi te, eo quod tu sis uxor ejus: & quomodo faciam malum grande hoc, ut peccem contra Deum?

10. Et fuit, quum loqueretur ipsa ad Joseph quotidie, nec ei morem gereret ut cum ea concumberet, & ut esset cum ea:

11. Fuit, inquam, secundum diem hanc ingressus est domum ut faceret opus suum: & non erat quisquam ex viris domus illic in domo:

12. Tunc apprehendit eum per vestimentum ejus, dicendo, Concumbe mecum. Ergo reliquit vestimentum suum in manu ejus, & fugit, egressusque est foras.

13. Et fuit, quum vidisset ipsa quod reliquisset vestimentum suum in manu sua, & fugisset foras:

14. Vocavit viros domus suæ, & dixit ad eos, dicendo, Videte, adduxit nobis virum Hebræum ut illuderet nobis: ingressus est ad me ut concumberet mecum, & clamavi voce magna.

15. Et fuit, quum audisset ipse quod elevassem vocem meam, & clamassem, reliquit vestimentum suum apud me, & fugit, egressusque est foras.

16. Retinuit autem vestimentum ejus apud se, donec veniret dominus ejus ad domum suam.

17. Et loquuta est ad eum secundum verba ista, dicendo, Ingressus est ad me servus Hebræus ut illuderet mihi.

18. Et fuit, quum elevassem vocem meam, & clamassem, reliquit vestimentum suum apud me, & fugit foras.

19. Fuit autem, quum audisset dominus ejus verba uxoris suæ quæ loquuta est ad eum, dicendo, Secundum hæc fecit mihi servus tuus: iratus est furor ejus.

20. Et accepit dominus ipsius Joseph eum, & posuit eum in domo carceris, in loco in quo vincti regis vinciebantur, fuitque illic in domo carceris.

21. Fuit vero Jehova cum Joseph, & inclinavit ad eum misericordiam, & dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris.

22. Et dedit princeps domus carceris in manu Joseph omnes vinctos qui erant in domo carceris: & omnia quæ faciebant illic, ipse faciebat.

23. Neque princeps domus carceris videbat quicquam *ex iis quæ erant* in manu ejus, eo quod Jehova erat cum eo: & quod ipse faciebat, Jehova secundabat.

1. *Et Joseph deductus est.*] Ut reliquam historiæ partem contexat Moses, quod breviter attigerat iterum repetit, venditum fuisse Joseph Putiphari Ægyptio: deinde subjicit Deum fuisse cum Joseph, quia prospere in omnibus ei succederet. Tametsi enim sæpe impiis fluunt omnia ex voto, quos tamen Deus favore suo non prosequitur: vera sententia est ac propria loquutio, nunquam bene esse hominibus, nisi quatenus benignum se illis Dominus exhibet. Nam reprobos quoque quibus merito infensus est, sua benedictione ideo ad tempus dignatur, ut ad pœnitentiam ipsos comiter invitet, imo alliciat, magisque inexcusabiles reddat dum manent obstinati: interea eorum felicitati maledicit. Itaque dum se ad summum fortunæ veniſſe putant, in exitium illis vertitur prosperitas in qua sibi placebant. Porro quoties benedictione sua destituit homines sive extraneos sive domesticos, arescere ipsos necesse est: quia nonnisi ex fonte illo quicquam bonorum fluit. Fingit quidem sibi mundus fortunam, quæ volvat res humanas: vel quisque industriam suam adorat: verum Scriptura ab illa prava imaginatione nos retrahens, res adversas signum esse absentiæ Dei, secundas vero præsentiæ, testatur. Cæterum minime dubium est quin peculiaris & rarus Dei favor erga Joseph apparuerit, ut facile constaret à Deo benedici. Subjicit tamen continuo post Moses, Joseph fuisse *apud dominum suum*, ut sciamus non protinus evectum fuisse in sublime, ut honorifica esset ejus conditio. Libertate nihil tunc fuisset optabilius: atqui censetur inter mancipia, quasi precario vivit, quum domini arbitrio subjecta sit ejus vita. Discamus ergo etiam inter nostras miserias sentire Dei gratiam: nobis que sufficiat, si quid acerbi ferendum est, dulcedine aliqua aspergi, ne Deo ingrati simus, qui hoc modo se nobis adesse declarat.

3. *Et vidit dominus quod.*] Hinc clarius liquet quod nuper attigi, non vulgari nec usitato modo Dei gratiam enituisse in Joseph: quando homini profano, & hac in parte fere cæco conspicua esse potuit. Quo turpior est nostra ingratitudo, nisi lætos omnes successus ad Deum auctorem referimus, quum toties admoneat Scriptura, nihil hominum vel consilia, vel labores, vel quæcunque excogitant media, proficere, nisi quatenus Deus benedicit. Quod autem Putiphar ideo majorem habet rationem Joseph, ut eum domi suæ præficiat: hinc colligimus, religione tangi profanos homines, ut Deo gloriam tribuere cogantur. Rursum tamen se prodit ingratitudo, quum Deum contemnit, cujus dona suo pretio æstimat in persona Joseph. Debuerat saltem inquirere qui snam esset ille Deus, ut se ad legitimum ejus cultum formaret: verum satis habet, quatenus privatim sibi utile esse putat, agnoscere Joseph divinitus gubernari, ut ejus opera cum uberiore fructu utatur. *Quæ ipse faciebat, Jehova prosperabat in manu ejus.* Mira hæc fuit ratio, quod in lucrum Ægyptiis cessit tota illa benedictio qua Dominus paternum suum amorem erga Joseph testari volebat. Nam quum sibi Joseph neque fereret, neque meteret, nihilo redditus fuit locupletior. Sed hoc modo factum est ut humanius eum & liberalius tractaret superbus homo, qui alioqui poterat tanquam vili sordidoque mancipio abuti. Et sæpe Dominus tali sagina improbos manusuescit, ne male accepti, suæ indignationis rabiem adversus pios convertant. Hinc vero perspicimus quam effusa sit Dei gratia erga fideles, quum beneficentiæ suæ partem ab ipsis ad reprobos usque derivet. Docemur etiam quid sit electos Dei filios hospitio recipere, vel se illis adjungere, quos sic comitatur Dei gratia, ut odorem suum ad eos qui vicini sunt diffundat. Sed quia non multum prodesset saturari temporalibus Dei beneficiis, quæ reprobos suffocant atque obruunt: huc votis omnibus tendere convenit, ut nobis propitius sit Deus: Longe enim melius fuit ipsi Joseph in ejus gratiam augeri

augeri Putipharis opes, quam Putiphari amplum quæstum ex eo facere.

6. *Et reliquit omnia quæ erant sibi.*] Hunc fructum divini erga se amoris & beneficentiæ percepit Joseph, quod solatio aliquo servitutis levatus est saltem ad breve tempus. Sed nova eum tentatio paulo post excepit. Nam gratia quam adeptus erat, non modo recidit in nihilum, sed origo & causa fuit durioris fortunæ. Præfectus erat Joseph super totam domum Putipharis. Ex illo honoris gradu abripitur in carcerem, ut repente trahatur ad mortis supplicium. Quid tunc in mentem venire potuit, nisi à Deo relictum se ac proditum, subinde patere novis cladibus? Quin etiam imaginari potuit Deum quasi ex professo sibi infestum esse. Docet igitur hæc historia, singulari perspicacia opus esse, ut fidei oculis pii considerent Dei beneficia quibus mitigat crucis acerbitatem. Nam quum auxilii ferendi causa manum illis portigere visus est, sæpe lux quæ affulserat, momento evanescit, & in ejus locum succedit densior caligo. Atqui hic clare apparet, ut Dominus, licet suos inter adversos fluctus subinde jactet, non tamen eos frustretur, quum mala eorum interdum temperans, respirandi tempus illis concedit. Sic Joseph, quamvis exciderit à sua præfectura, nunquam tamen derelictus est: nec inanis fuit illa relaxatio, qua animum erexit non ad superbiam, sed ad tolerantiam novæ crucis. Et certe in hunc finem miseriis nostris occurrit Deus, ut deinde collectis viribus, quasi recentes melius parati simus ad alios conflictus.

Et erat Joseph pulcher forma.] Quum formæ elegantia sancto Josepho magnæ calamitatis occasio fuerit, discamus non adeo appetere corporis dotes, quæ gratiam apud mundum conciliant, quin sorte sua quisque contentus sit. Videmus quam multis periculis obnoxii sint qui pulchritudine excellunt. rarum enim ac difficile est ut se contineant ab omni lascivia. Quanquam in Joseph ea vigebat religio ut omnem impudicitiam horreret, aliunde tamen illi perniciem molitus est Satan, sicuti ex Dei donis laqueos ad venandas animas conficere solet. Quare sedulo rogandus est Deus, ut inter tot pericula Spiritu suo nos gubernans, puras ab omni macula conservet dotes quibus nos ornavit. Quod uxor Putipharis *levasse oculos* dicitur, hac loquendi forma fœminas omnes Spiritus sanctus admonet, ut si cordi est castitas, sibi modestiam apponant custodem. Nam & ideo velum gestant in capitibus, ut se ab omni prava illecebra cohibeant. non quod mulieri viros aspicere nefas sit: sed impurus & luxurians aspectus hic notatur à Mose. Sæpius antea visus illi fuerat Joseph sine vitio: nunc vero primum oculos injicit, & audacior ac petulantius quam modestam fœminam decet, venustatem ejus observat. Ita oculos videmus fuisse quasi faces inflammandæ cordis libidini. Quo exemplo docemur, nihil magis proclive esse quam ut sensus omnes nostri animum pravis cupiditatibus inficiant, nisi valde intenti simus ad cavendum. Neque enim Satan assidue ingerere desinit quæ nos ad peccandum titillent. Objectam peccandi materiam tum facile concipiunt sensus, tum cupide & celeriter in animum perferunt. Quare sedulo & oculis & auribus & reliquis partibus moderari quisque studeat, nisi totidem Satanæ januas aperire ad intimos cordis affectus velit: præsertim quum tenerrimus sit oculorum sensus, his frenandis adhibenda est non vulgaris cautio.

7. *Concumbe mecum.*] Moses rerum capita & summas breviter tantum delibat. Neque enim dubium est quin variis artibus conata sit impura mulier pium juvenem ad se pellicere, & obliquis blanditiis se insinuaverit, priusquam ad tam pudendum licentiæ genus prorumperet. Sed Moses, aliis omissis, ostendit eousque impulsam fuisse turpi libidine, ut verita non fuerit aperte flagitare coitum Joseph. Sicuti autem hæc obscœnitas insigni documento est quam cæcos & furiosos impetus habeat carnis libido: sic in persona Josephi præclarum fidei & continentiæ speculum nobis proponitur. Fides & integritas in eo constat, quod Joseph eo magis se obstrictum esse agnoscit, quo plus potestatis sibi ab illo permissum est. Hoc quidem habent ingenui homines & cordati, ut quo plus illis fiditur, eo minus fallere sustineant: verum rara est virtus, ut gratis prohibitam colant quibus nocendi est facultas. Quare non immerito laudatur à Mose Joseph, quod auctoritatem sibi à domino permissam freni loco esse ducit, ne officii fines transiliat. Adde quod gratitudinis quoque suæ specimen exhibuit, beneficia heri sui in medium proferens, ne quod illi probrum inferret. Et certe hinc hodie tanta passim confusio, ut homines sint quasi semibestiæ, quod sacrum illud mutuæ societatis vinculum abruptum est. Fatentur quidem omnes, quid beneficii ab altero acceperint, ei se devinctos esse: alii etiam aliis ingratitudinem exprobrant: sed pauci sunt qui sincere sequantur exemplum Joseph. Nec tamen videatur humanitus tantum retineri, simul Dei offensam commemorat. Et certe ad vincendam tentationem nihil magis valuit, quam Dei timor. Sed consulto heri sui humanitatem commendat, ut à scelesto proposito desistat improba mulier. Eodem etiam spectat exceptio ista, cujus meminit: *Te una*, inquit, *excepta, eo quod ejus uxor sis; omnia tradidit harus in manum meam.* Quorsum hoc nisi ut conjugii religio corruptum mulieris animum vulneret, & à vesano illo furore sanet? Ergo non tantum strenue luctatur ut se à pravis illecebris expediat, sed nisi indomita esset mulieris libido, optimum remedium proponit. nos vero sciamus conjugii sanctitatem per os Joseph hic nobis laudari, acti Dominus asserere se fidei conjugalis esse præsidem, ne impune effugiant suam vindictam quicunque alienos thalamos violant. Nam quasi medius esset sponsor inter virum & uxorem, mutuam ab utroque castitatem exigit. Unde sequitur præter injuriam quæ infertur homini, graviter lædi ipsum Deum.

10. *Quum loqueretur ipsa ad Joseph quotidie.*] Hic laudatur constantia Josephi, ex qua apparet solidum in ejus animo Dei timorem regnasse: quo factum est ut non modo unum impetum repulerit, sed ad extremum perstiterit tentationum omnium victor. Scimus quam lubricus sit lapsus, dum aliunde nobis fit bella fuscitat Satan: quia videmur culpa exempti, si ejus partem sustinet qui nos ad flagitium inducit. Eximia igitur fortitudine Spiritus præditum fuisse oportet sanctum Joseph, qui contra omnes impiæ mulieris illecebras invictus ad extremum steterit. Quo magis detestabilis est mulieris improbitas, quæ nec tempore corrigitur, nec compescitur pluribus repulsis. Quum hominem extraneum & pro mancipio venditum tam frugi ac domino suo fidum videt, quum etiam sancte ab eo monetur ne iram Dei provocet: quam indomita est libido quæ nihil verecundiæ admittit? Quia vero hinc perspicimus quorsum prorumpant homines, ubi carnis intemperie suffocata est honestas ratio, rogandus est Dominus, ne Spiritus sui lumen opprimi hoc modo sinat.

11. *Et fuit, secundum diem hanc.*] Hoc est, Temporis successu, quum illa non desisteret stuprum offerre sancto Joseph, tandem accidit ut vim blanditiis adjungeret. Porro hic Moses quasi certaminis epitasin describit. Jam nobile & memoria dignum continentiæ spectaculum ediderat Joseph, quod juvenis toties continuis multorum dierum serie tentatus, eundem servaverat tenorem: & in ea ætate, cui venia dari solet, si intemperantius ebulliat, sibi moderatus fuerat plusquam omnes senes. Sed nunc quum palam insaniat mulier, ac in rabiem versus sit amor: quo magis arduum est certamen, eo plus meretur laudis animi magnitudo, quæ contra hunc insul-

sultum inflexibilis perstat. Subeundum sibi famæ & vitæ discrimen videbat Joseph: famam prostituere mavult, ac vitam potius relinquere paratus est, quam ut scelere se coram Deo obliget. Quum tale in juvene exemplum proponat nobis Dei Spiritus, quid excusationis maturæ ætatis viris ac mulieribus relinquit, si sponte se projiciunt, vel levi impulsu cadunt? Huc ergo eniti nos decet, ut unius Dei respectus ad domandos omnes carnis affectus prævaleat, imo ut pluris sit nobis recta & integra conscientia coram Deo, quam totius mundi applausus. Neque enim quisquam aliter probabit virtutem se ex animo colere, nisi qui uno Deo teste contentus, quævis probra subire non dubitabit potius quam ut ab officio declinet. Et certe quum inter profanos homines volitarint hæc proverbia, Conscientiam esse mille testes, & pulcherrimum theatrum: valde pudendus est stupor noster, nisi apud nos ita eminet Dei tribunal, ut perversa mundi judicia in ordinem cogat. Quare facessant vani illi prætextus, Ego scandalum effugere volui: veritus sum ne in sinistram partem traherent hominum quod recte egissem: quia Deus non satis sibi honoris deferri judicat, nisi quum posthabita famæ cura sequimur quo nos vocat unus ipse. non quod famam simpliciter negligere nos velit, sed quia indignum est ac absurdum non præferri eum hominibus. Procurent ergo, quantum in se est, fideles, ut proximos ædificent probæ vitæ exemplo: atque in hunc finem ab omni sinistra nota prudenter caveant. verum si necesse sit mundi infamiam subire, per hanc quoque tentationem in recto vocationis divinæ cursu pergant.

14. *Adduxit nobis virum Hebræum.*] Hic videmus quid faciat desperatio. Nam ex amore in furias prorumpit fœlerata mulier. Unde clare patet quam belluinos impetus secum trahat libido, ubi laxatæ sunt habenæ. Certe ubi semel regnum occupavit Satan in miseris hominibus, huc illuc raptandis nullum finem faciet, donec eos spiritu vertiginis & amentiæ præcipites agat. Videmus etiam quomodo ad pertinaciam reprobos obduret, quos imperio suo tenet devinctos. Sæpe quidem Deus fœleratis terrorem injicit, ut crimen suum trepidationem prodant. Ac fieri potest ut in vultu & verbis hujus impuræ fœminæ signa malæ conscientiæ apparuerint: ea tamen duritie ipsam confirmat Satan, ut consilium perdendi sancti juvenis audacter capiat, atque ex tempore fraudem excogitet qua insontem opprimat, non secus ac si diu in otio meditata illi foret exitium. Prius secretum captaverat, ne quis adesset testis: nunc advocat domesticos, ut hoc veluti præjudicio sanctum juvenem coram marito condemnet. Adde quod maritum involvit sub reatu, ut pudore cogat de insonte pœnam sumere. Tua (inquit) culpa factum est ut me ludibrio haberet hic alienigena. Quid reliquum facit marito nisi ut clausis oculis purgandi sui causa ad vindictam properet? Quamvis ergo pavidi sint fœlerati omnes, simul tamen callum ex stupore suo contrahunt, ne quis eos impediat metus quominus tuant contumaciter in omne præcipitium, & bonis & simplicibus proterve insultent. Notanda autem nobis est hæc sancti viri probatio, ut nobis curæ sit induere Spiritum fortitudinis, qui ne ferrea quidem impiorum duritie frangatur. Hæc etiam altera tentatio non levis fuit, quod tam indignam humanitatis suæ mercedem reportat. Probrum mulieris silentio texerat, ut integrum esset respicere, si fuisset fanabilis: nunc sibi ex modestia sua creatum mortis discrimen videt. Quod non succubuit, inde cognoscimus sincere illi fuisse propositum gratis Deo servire. Atque idem nobis agendum est, ne qua hominum ingratitudo nos ab officio dimoveat.

19. *Quum audisset dominus ejus verba uxoris suæ.*] Quum tam probabilis esset color, non mirum est tantum valuisse zelotypiam, cujus nimis vehementes ac fervidi sunt motus, ut se tam credulum præbuerit Putiphar uxoris calumniis. Excusari tamen nequit ejus levitas, quod servum, quem frugi & probum esse cognoverat, indicta causa statim in carcerem detrudit. Decebat certe minus esse uxorium. Itaque justam stultæ suæ facilitatis mercedem retulit, quod scortum honorifice aluit uxoris loco, ac propemodum lenonis partibus functus est. Ac commune quidem omnibus est hoc exemplum: docentur tamen præcipue mariti, adhibendam sibi esse prudentiam, ne uxorum arbitrio temere huc illuc ferantur. Et certe quum passim videmus ludibrio haberi qui uxoribus nimis obsequuntur, sciendum est eorum stultitiam justo Dei judicio traduci, ut Spiritum gravitatis & moderationis petere discamus. Nec vero dubium est quin Moses diserte Putipharis condemnet levitatem, quod statim audita uxore, excandescit in Josephum, ac non secus quam si convictus foret, irascundiæ suæ indulget. nam ita excluditur omnis æquitas, nulla admittitur justa defensio, denique veritas & causæ cognitio procul rejicitur. Sed quæritur quomodo zelotypia efferbuerit Putiphar: imo quomodo uxorem habuerit, quem prius dixit Moses fuisse Eunuchum. Facilis solutio est, Eunuchos in Oriente vocari solitos fuisse non modo qui castrati essent, vel natura frigidi, sed quosvis satrapas & magnates. Quare tantum valet hoc nomen acsi dixisset Moses, unum fuisse ex aulæ proceribus.

20. *Et posuit eum in domo carceris.*] Quanquam non exprimit Moses quam duriter initio afflictus fuerit Joseph, colligere tamen promptum est non in libera custodia positum fuisse, sed in obscuram aliquam foveam detrusum. Pollebat auctoritate Putiphar: insularium habebat in manu sua & arbitrio: quid clementiæ ab homine zelotypo & iræ fervore abrepto sperari potuit? Nec dubium est quin per manus traditum à patribus fuerit quod refertur in Psalmo 105. vers. 18. compedibus fuisse inclusum, & ferrum penetrasse in animam ejus. Quale vero innocentiæ præmium? nam secundum carnem probitati suæ acceptum referre potuit quicquid patiebatur: in hac vero tentatione valde perplexum atque anxium coram Deo gemere necesse fuit. Quanquam autem preces ejus non commemorat Moses: quia tamen certum est cruce non fuisse oppressum, neque obmurmurasse, simul probabile est recubuisse in spem divini auxilii. Porro hæc una est fultura quæ nos in malis sustinet: hæc etiam arma nostra sunt, quæ nos invictos præstant, ad Deum confugere.

21. *Et fuit Jehova cum Joseph.*] Hoc non fuisse primo die factum, quo à suis angustiis levatus est Joseph, ex testimonio Prophetæ nuper citato constat. Et Dominus eum consulto ad extrema deduci passus est, ut eum quasi è sepulchro educeret. Scimus autem sicuti Solis lumen clarius in obscuro conspicitur, sic in miseriarum caligine melius splendere Dei gratiam, dum præter spem nobis succurrit. Porro dicit Moses, *Deum adfuisse servo suo Joseph*, quia gratiam suam vel misericordiam ad eum inclinavit: ut sciamus Deum etiam quum nos ab injusta violentia liberat, vel quum nos adjuvat in bona causa, sua tamen bonitate ut hoc faciat, induci. Indigni enim sumus quibus auxilium suum accommodet, nisi causam à seipso peteret, quia misericors est. Certe si in hominibus quæreretur merita quæ Deum obstringant, reperta fuisset in Joseph: testatur tamen Moses gratuito Dei favore fuisse adjutum. Quanquam hoc non obstat quin repensa illi fuerit pietatis suæ merces, quæ facile convenit cum gratuita Dei beneficentia. Modus etiam gratiæ adjungitur, quod Dominus favorem illi dederit apud magistrum carceris. Dubium quidem non est, multis de causis gratiosum fuisse Joseph: nam & virtus sibi favorem conciliat, & antehac ostendit Moses, sanctum virum multis nomi-

nominibus fuiſſe amabilem: ſed quia ſæpe contingit filios Dei non minus inhumaniter premi quam ſi omnium deterrimi forent, nominatim exprimit Moſes humanum tandem fuiſſe magiſtrum carceris: quia animus ejus qui ſponte ad æquitatem propenſus non erat, divinitus flexus eſt. Ergo quod depoſita truculentia, benigne & placide ſe geſſit magiſter carceris, hæc mutatio à Deo profecta eſt, qui corda hominum pro arbitrio ſuo gubernat. Sed mirum eſt non timuiſſe infularium, ne in offenſam Putipharis incurreret: adeoque Putipharem ipſum, quum obſiſtere nullo negotio poſſet, tam benigne & liberaliter tractari paſſum eſſe hominem cui capitaliter infeſtus erat. Vere quidem reſponderi poteſt, divinitus retentam fuiſſe ejus ſævitiam: ſed probabile eſt, ſuſpectam, ac tandem cognitam illi fuiſſe aſtutiam uxoris. Sed quamvis placatus eſſet ſancto Joſeph, noluiſſe tamen cum ſuo dedecore abſolvere. Interea inſignis integritas Joſeph in eo ſe profert, quod quum cuſtos ſit carceris, liberamque gubernationem ſuſtineat, non tamen aufugit, ſed maturum expectat liberationis ſuæ tempus.

Caput XL.

FUit autem, poſt hæc peccaverunt pincerna regis Ægypti, & piſtor, contra dominum ſuum regem Ægypti.

2. Itaque iratus eſt Pharao contra utrumque ſatrapam ſuum, contra principem pincernarum & contra principem piſtorum.

3. Et poſuit illos in cuſtodia domus principis ſatellitum, in domo carceris, in loco in quo Joſeph vinctus erat.

4. Et præpoſuit princeps ſatellitum ipſum Joſeph eis, & miniſtrabat eis: fuerunt autem per annum in cuſtodia.

5. Porro ſomniaverunt ſomnium uterque ipſorum, quiſque ſomnium ſuum nocte eadem, ſinguli ſecundum interpretationem ſomnii ſui: pincerna & piſtor qui fuerant regi Ægypti, qui erant vincti in domo carceris.

6. Et venit ad eos Joſeph mane, & vidit eos, & ecce erant triſtitia affecti.

7. Tunc interrogavit principes Pharaonis, qui erant ſecum in cuſtodia domus domini ſui, dicendo, Cur facies veſtræ ſunt afflictæ hodie?

8. Et dixerunt ad eum, Somnium ſomniavimus, & qui interpretetur illud non eſt. Et dixit ad eos Joſeph, Nonne Dei ſunt interpretationes? narrate quæſo mihi.

9. Et narravit princeps pincernarum ſomnium ſuum ipſi Joſeph, & dixit ei, Me ſomniante, ecce vitis *erat* coram me.

10. Et in vite erant tres rami: & dum floreret aſcendit flos ejus, & maturuerunt botri ejus in uvas.

11. Et calix Pharaonis erat in manu mea: & accipiebam uvas, & exprimebam eas in calicem Pharaonis, & dabam calicem in manu Pharaonis.

12. Et dixit ei Joſeph, Hæc eſt interpretatio ejus, Tres rami, tres dies ſunt.

13. Intra fine trium dierum elevabit Pharao caput tuum, & redire faciet te ad locum tuum, & dabis calicem Pharaoni in manu ejus ſecundum conſuetudinem primam quando eras pincerna ejus.

14. Sed memento mihi tecum quum bene fuerit tibi: & fac quæſo mecum miſericordiam, & mentionem mei fac Pharaoni, & educere fac me è domo hac.

15. Quia furto auferendo, furto ablatus ſum è terra Hebræorum: & etiam hic non feci quicquam ut ponerent me in carcerem.

16. Et vidit princeps piſtorum quod bene interpretatus eſſet, & dixit ad Joſeph, Etiam me ſomniante, ecce tria caniſtra alba ſuper caput meum.

17. Et in caniſtro ſuperiori erat ex omni cibo Pharaonis, opere piſtorio: & aves comedebant illud è caniſtro quod erat ſuper caput meum.

18. Et reſpondit Joſeph, & dixit, Hæc eſt interpretatio ejus, Tria caniſtra, tres dies ſunt.

19. In fine trium dierum auferet Pharao caput tuum à te, & ſuſpendet te in ligno, & comedent aves carnem tuam à te.

20. Et fuit in die tertia, die qua natus fuerat Pharao, fecit convivium omnibus ſervis ſuis, & elevavit caput principis pincernarum & caput principis piſtorum in medio ſervorum ſuorum.

21. Ac redire fecit principem pincernarum ad propinationem ſuam, & dedit calicem in manu Pharaoni:

22. Principem autem piſtorum ſuſpendit, quemadmodum interpretatus fuerat eis Joſeph.

23. Et non eſt recordatus princeps pincernarum ipſius Joſeph, ſed oblitus eſt ejus.

1. *Poſt hæc peccaverunt.*] Jam vidimus, quum eſſet Joſeph in vinculis, habitam fuiſſe ejus curam à Deo. Unde enim relaxatio illa, niſi ex gratia cæleſti? Ergo antequam aperiret Deus januam ſervo ſuo ad exitum, ut eum ope ſua juvaret, penetravit in ipſum carcerem. Verum ſequitur beneficium longe ſplendidius, quod non tantum liberatur à carcere, ſed evehitur in ſummum honoris gradum. Interea ſanctum virum per mirabiles & valde perplexos circuitus deduxit Dei providentia. Mittuntur in carcerem pincerna & piſtor regis: exponit illis Joſeph ſua ſomnia. Quia pincernæ promiſſa fuerat reſtitutio, lux aliqua ſpei affulget ſancto Joſeph; quia receperat ille, poſtquam in ſtatum ſuum reverſus

ſus eſſet, ſe fore ſuffragatorem ad impetrandam veniam. Sed iterum brevi concidit ſpes illa, ubi pincerna de miſero verbum apud regem facere non dignatur. Tunc ergo ſibi vilius eſt Joſeph perpetua obliviõne ſepultus, quoad Dominus lumen ſuffocatum ac fere extinctum denuo repente accendit. Ita quum recta eruere poſſet ex carcere ſanctum virum, per flexuoſas ambages eum circumducere voluit, quo melius probaret ejus patientiam, & exitu ipſo patefaceret miras ſe habere rationes, nobisque abſconditas: ut ſalutem quam nobis promiſit, diſcamus non metiri proprio ſenſu: ſed ſinamus nos verſari huc illuc ejus manu, donec opus ſuum perficiat. Pincernam & piſtorem intellige non quoslibet ex utroque ordine, ſed qui reliquis omnibus præeſſent. nam paulo poſt vocantur Eunuchi vel proceres. Ridiculum vero eſt quod ſuo more fingit nugator Gerundenſis, caſtratos fuiſſe ignominiæ cauſa, quum illis iratus fuiſſet Pharao. Duo igitur erant ex primariis aulicis. Clarius autem jam exprimit Moſes carcerem fuiſſe ſub Putipharis imperio. Unde cognoſcimus quod prius diximus, mitigatam fuiſſe ejus iram, quando nonniſi ea ejus conſenſu tam clementer egit inſularius cum Joſeph. Imo nunc Putiphari tribuit Moſes illas humanitatis partes, quod fidei Joſeph piſtorem & pincernam commiſit. Niſi forte novus tunc ſucceſſor Putiphari datus erat. quod facile refellitur ex contextu, quia paulo poſt dicit Moſes præfectum fuiſſe cuſtodiæ herum Joſeph. Quum dicit Moſes fuiſſe illos per dies in carcere detentos, quidam intelligunt annum integrum: ſed fallunturmeo judicio: potius notatio eſt diuturni, & tamen incerti temporis, quemadmodum ea aliis locis patet.

5. *Et ſomniaverunt ſomnium.*] Quod prius de ſomniis attigi memoria repetendum eſt, multa ſcilicet frivola nobis objici, quæ tranſeunt per portam corneam: quædam tamen vaticinii habere vim & pondus. Hujus generis fuerunt hæc duo ſomnia, quibus Deus occultum rei futuræ eventum patefecit. Niſi enim cæleſtis oraculi inſculpta illis fuiſſet nota, non ita mente conſternati fuiſſent pincerna & piſtor. Fateor quidem vanis & temere conceptis ſomniis vehementer interdum turbari homines, ſed ita ut paulatim reſidcat terror & anxietas: ſed Deus pincernæ ac piſtoris animis aculeum infixerat, qui eos quieſcere non ſineret. Quo fit ut magis attentus ſit uterque ad interpretationem ſomnii ſui. Ideo diſerte exprimit Moſes fuiſſe rei certæ præſagium.

6. *Et venit ad eos Joſeph mane.*] Sicuti nuper ſum præfatus, hic fidei oculis miram Dei providentiam intueri convenit. Tametſi enim certiores de ſuo exitu redditi ſunt pincerna & piſtor, id tamen non tam eorum reſpectu factum eſt quam in gratiam Joſeph, quem Deus hoc modo voluit regi innoteſcere. Ideo arcano inſtinctu triſtes & attonitos reddidit, quaſi manu ipſos dirigeret ad ſervum ſuum Joſeph. Notandum autem eſt, novo Spiritus afflatu donum prophetiæ, quo prius carebat, in carcere fuiſſe adeptum. Quum prius ſomniaret, ſuſpenſus tamen ac divinæ revelationis dubius manebat: nunc aliis certus eſt interpres. Quanquam autem dum ſciſcitatur mœſtitiæ cauſam, de ſomniis forte non cogitat, ea proximo tamen verſu apparet eum accepti Spiritus doni fuiſſe ſibi conſcium: & hac fiducia ipſos hortatur ad referenda ſomnia, quod futurus ſit interpres. *Annon* (inquit) *Dei ſunt interpretationes?* Certe non arrogantia ad ſe transfert quod proprium Dei eſſe fatetur, ſed pro vocationis ſuæ modo illis ſuum officium defert. Hoc ideo notandum eſt, ne quis fortuito plus ſibi uſurpet quam à Deo conceſſum eſſe novit. Nam ideo tam diligenter admonet Paulus varie diſtribui Spiritus dona, & cuique imponi certam perſonam, ne quis ſe cupide ingerat, vel alienum ſuſcipiat munus: quin potius ut ſe intra vocationis ſuæ præſcriptum ſinguli contineant. *1 Cor. 12. verſ. 14.*

Niſi vigeat hæc modeſtia, miſceri omnia neceſſe eſt: quia ſtulta multorum temeritate lacerabitur Dei veritas, turbabitur pax & concordia, nihil denique ordinis ſalvum manebit. Sciamus ergo Joſeph interpretationem ſecure promittere, quoniam hæc gratia divinitus ſe inſtructum & ornatum eſſe noverat. Eodem pertinet quod interrogat de ſomniis. Neque enim ultra quam permittit ſua facultas progredi tentat. non divinat ergo quid ſomniaverint, ſed fatetur ſibi occultum. Alia fuit Danielis ratio, quidivinationis Spiritu præditus erat, ut ſomnium ea poneret regi Babylonio, quod effluxerat ex ejus memoria. Ille ergo fretus ampliore Spiritu, utrumque profiteri non dubitat. Verum Joſeph cui dimidia tantum pars data erat, ſe continet intra legitimam menſuram. Adde quod non tantum ſibi cavet ab audacia: ſed hoc ipſum quod habet, Deo acceptum referens, ingenue teſtatur à ſeipſo nihil ſuppetere. Non ergo ſuum acumen vel perſpicaciam jactat, ſed tantum Dei miniſter vult agnoſci. Hanc regulam ſequantur qui excellunt, ne ſibi plus tribuendo quam par eſt (quod plerumque accidit) Dei gratiam obſcurent. Cohibenda porro eſt iſta vanitas, non modo ut Deus ſolus emineat, nec jure ſuo fraudetur, ſed ut Prophetæ, doctores, & alii quicunque cæleſti gratia pollent, humiliter ſe ſubjiciant directioni Spiritus. Notandum etiam eſt quod dicit Moſes, ſollicitum fuiſſe Joſeph de eorum mœſtitia qui ſecum erant in carcere. Sic enim malis manſuefiunt homines, ne alios miſeros deſpiciant: adeoque communes miſeriæ ſympathiam generant. Quare nihil mirum ſi nos variis ærumnis exercet Dominus, quando nihil nos magis decet quam humanitas erga fratres, qui malis oppreſſi contemptibiles jacent. Eam vero experientia diſcere neceſſe eſt: quia ingenita nobis ferocia rebus proſperis magis ac magis inflatur. *Dan. 2. verſ. 28.*

12. *Tres rami, tres dies.*] Non profert hic Joſeph quod verisimile putavit, tanquam ſua eloquia quiſpiam conjector, ſed aſſerit ea revelatione Spiritus quid ſibi velit ſomnium. Cur enim tribus palmitibus dies potius quam annos notari dicit, niſi quia id ſuggeſſerat Dei Spiritus? Peculiari ergo inſtinctu ſupra naturam conſcendit Joſeph, ut ſomnium exponat: & mox pincernæ ſe commendans, acſi jam reſtitutus foret, quam certa ſit & indubia ſuæ interpretationis fides oſtendit: acſi dixiſſet, Perſuadeas tibi proditum eſſe à Deo quod ex me audis. Ubi etiam oſtendit quam honorifice de oraculis Dei ſentiat, non minus ſecure de futuro effectu pronuncians quam ſi res jam eſſet exhibita. Sed abſurdum eſſe videtur, quod Joſeph prophetiæ ſuæ mercedem exigit. Reſpondeo non ita loquutum eſſe ut venalem proſtitueret Dei gratiam: ſed quia in mentem illi venit, modum liberationis nunc ſibi à Deo eſſe propoſitum, quem reſpuere non liceret. Equidem non dubito ſpem melioris fortunæ divinitus illi fuiſſe factam. Deus enim qui jam à pueritia principatum illi biapromiſerat, inter tot anguſtias non omni prorſus conſolatione eum deſtituit. Hæc autem occaſio non aliunde quam à Deo oblata erat. Quare non mirum eſt ſi Joſeph in eum finem accommodet. Quantum ad verba ſpectat, *tollere caput*, ſignificat erigere aliquem ex humili contemptaque fortuna, ut cenſeatne aliquo loco. Tollet ergo Pharao caput tuum, hoc eſt, educet te ex tenebris carceris, vel jacentem levabit, ut in priſtinum ſtatum reſtituat. ב enim pro loco & ordine ſimpliciter accipio, non autem pro baſi.

14. *Fac quæſo mecum miſericordiam.*] Tametſi modus hic loquendi tritus eſt Hebræis pro humanitatem præſtare: non tamen dubium eſt quin ſimpliciter loquutus ſit Joſeph prout ferebat triſtis & afflicta ejus fortuna, quo magis pincernæ animum ad ferendam ſibi opem flecteret. In hoc tamen præcipue inſiſtit, nullo ſcelere illuc ſe fuiſſe detruſum, ne pincerna homini innoxio patrocipium ſuum recuſet.

ſet. Nam quamvis ut plurimum patronos repetiant qui nequiſſimi ſunt, res tamen per ſe odioſa & infamis eſt, commendatio ambitione elicita, quæ ſceleratum hominem à juſta pœna eripit. Probabile autem eſt, Joſeph expoſuiſſe totam ſuam cauſam, donec pincernæ ſolidam innocentiæ ſuæ fidem faceret.

16. *Et vidit princeps piſtorum.*] Non curat quam dexter & fidus interpres fuerit Joſeph: ſed quia lætum & utilem nuncium ſocio acculerat, ipſe quoque interpretationem appetit, quam ea animi ſententia fore ſperat. Sic permulti ad verbum Dei aſpirant cupidi & alacres, non quia ſimpliciter cupiant regi à Domino, ſibique patefieri quod rectum eſt: ſed quia ſomniant meras delicias. ubi autem eorum affectibus non reſpondet doctrina, triſtes & vulnerati diſcedunt. Quanquam autem ſomnii expoſitio inſuavis & acerba futura erat, Joſeph tamen quod ſibi revelatum eſt, ſine fuco declarans, munus ſibi divinitus injunctum bona fide exequitur. Hæc libertas Prophetis & doctoribus colenda eſt, ne dubitent ſua doctrina vulnus infligere quibus Deus mortem denunciat. Nemo eſt qui non cupiat ſibi fieri delicias. Hinc fit ut major pars doctorum, dum obſequi vult pravis mundi votis, verbum Dei adulteret. Quare nemo ſincerus erit verbi Dei miniſter, niſi qui ſpreta invidia, quoties opus fuerit, in varias offenſas incidere paratus, ſuam docendi rationem ad Dei mandatum formabit. Optaſſet quidem Joſeph utrique bene ominari; ſed quia in ejus arbitrio non eſt dare proſperam cuique fortunam, quod reliquum eſt, ingenue pronunciat quicquid à Domino accepit. Sic olim, quamvis populus Prophetas ſibi optaret qui promitterent vini & olei & frumenti copiam, ac ſanctis Prophetis obſtreperet, quia nihil ſtillarent præter ærumnas: (nam hæc querimonia apud Michæam refertur) tamen ſervos Domini, qui ad denunciandam vindictam miſſi erant, ſevere pergere oportuit, quamvis odia ſibi ac pericula acciverent.

19. *Auferet Pharao caput tuum à te.*] Ambigua abſque adjectione loquutio eſſet, quæ tam in bonam quam in malam partem ſumitur, pro eo quod dicimus Ad aliquem reſpicere, vel Habere ejus rationem: hic eaprimitur Abs te. Videtur tamen eſſe alluſio, acſi dixiſſet Joſeph, Pharao caput tuum levabit ut adimat. Porro quod Moſes narrat, utrique fuiſſe factum ut prædiceret Joſeph: hoc ſymbolo confirmat verum fuiſſe Dei vatem, ſicuti apud Jeremiam habetur. Nam quod interdum pœnam minati ſunt Prophetæ, à quibus Deus abſtiouit, ideo factum eſt, quia talibus vaticiniis annexa erat conditio. Sed quoties præciſe loquitur Dominus per ſervos ſuos, quicquid prædicit, effectu ſanciri neceſſe eſt. Ideo nominatim Moſes cæleſtis oraculi fidem commendat in Joſeph. Quod narrat Moſes; Pharaonem die ſuo natali magnum convivium celebraſſe, ſcimus morem hunc ſemper fuiſſe in uſu, non regibus modo, ſed hominibus quoque plebeiis. Nec mos iſte improbandus eſſet, ſi modo rectum finem tenerent homines, gratiis ſcilicet Deo agendis, à quo creati ſunt & educati, & quem innumeris modis experti ſunt beneficum patrem. Sed ea eſt mundi pravitas, ut quæ probe inſtituta ſunt olim à patribus, in contrarias corruptelas ut plurimum detorqueat. Ita vitioſo uſu receptum fuit ut omnes fere die ſuo natali ad luxum & crapulam ſe projicerent: denique ſic colerent Dei memoriam, ut Deum vitæ ſuæ auctorem, quaſi data opera oblivioni darent.

23. *Et non eſt recordatus princeps pincernarum.*] Hæc fuit graviſſima probatio patientiæ Joſeph, ſicuti prius attigimus. Nam quia ſuffragatorem nactus erat, qui nullo negotio eruere ipſum poſſet ex carcere, præſertim quia divinitus oblata erat hæc occaſio: certa ſalutis fiducia concepta, in ſingulas horas intentus erat. Sed dum ad biennium uſque ſuſpenſus manet, non modo evaneſcit ſpes illa, ſed major quam prius deſperatio incumbit. Ergo in ejus perſona docemur omnes, nihil eſſe magis præpoſterum quam Dei auxilio tempus præſcribere, qui conſulto anxia expectatione ſuos diu ſuſpendit, ut ipſo experimento vere ſciant quid ſit ſperare. Adde quod hoc modo gloriam liberationis Joſeph ſibi palam aſſerere voluit. Nam ſi pincernæ deprecatione data illi eſſet libertas, vulgo creditum fuiſſet hominis beneficium, non Dei, hoc eſſe. Cæterum quod dicit Moſes pincernam oblitum fuiſſe ipſius Joſeph, ſic accipe, quod non auſus eſt ullam ejus mentionem facere, ne quid invidiæ ſubiret, vel moleſtus eſſet ipſi regi. Hoc enim aulicis ſolenne eſt, perfide inſontes prodere, & potius tradere jugulandos quam ut offendant eos à quibus metuunt.

Caput XLI.

VErum fuit, in fine duorum annorum dierum, Pharao ſomniavit, & ecce ſtabat juxta flumen.

2. Ecce autem, è flumine aſcendebant ſeptem vaccæ pulchræ aſpectu, & pingues carne, & paſcebant in carecto.

3. Et ecce, ſeptem vaccæ aliæ aſcendebant poſt eas è flumine, turpes aſpectu, & tenues carne, & ſtabant juxta vaccas *quæ erant* juxta ripam fluminis.

4. Et comederunt vaccæ turpes aſpectu, & tenues carne, ſeptem vaccas pulchras aſpectu & pingues. & expergefactus eſt Pharao.

5. Deinde dormivit, & ſomniavit ſecundo, & ecce ſeptem ſpicæ aſcendebant in culmo uno, pingues & pulchræ.

6. Et ecce, ſeptem ſpicæ tenues & arefactæ Euro, oriebantur poſt eas.

7. Et deglutiverunt ſpicæ tenues, ſeptem ſpicas pingues & plenas. & expergefactus eſt Pharao, & ecce ſomnium.

8. Et fuit, mane conſternatus eſt ſpiritus ejus: miſit igitur, & vocavit omnes magos Ægypti, & omnes ſapientes ejus, & narravit Pharao eis ſomnium ſuum, & non erat ex eis qui interpretaretur ipſi Pharaoni.

9. Et loquutus eſt princeps pincernarum ad Pharaonem, dicendo, Peccata mea ego reduco in memoriam hodie.

10. Pharao iratus eſt contra ſervos ſuos, & poſuit me in cuſtodiam domus principis ſatellitum, me & principem piſtorum.

11. Et ſomniavimus ſomnium nocte eadem, ego & ipſe: uterque ſecundum interpretationem ſomnii ſui ſomniavimus.

12. Ibi autem erat nobiſcum puer Hebræus, ſervus principis ſatellitum, & narravimus ei,

ei, & interpretatus est nobis somnia nostra, utrique secundum somnium suum interpretatus est.

13. Et fuit, quemadmodum interpretatus est nobis, sic fuit: me redire fecit ad locum meum, & ipsum suspendit.

14. Tunc misit Pharao, & accersivit Joseph, & celeriter eduxerunt eum è carcere, & totondit *se*, & mutavit vestes suas, & venit ad Pharaonem.

15. Et dixit Pharao ad Joseph, Somnium somniavi, & qui illud interpretetur non est: ego autem audivi de te dici quod audias somnium ad interpretandum illud.

16. Et respondit Joseph ad Pharaonem, dicendo, Præter me Deus respondebit in pacem Pharaonis.

17. Tunc loquutus est Pharao ad Joseph, Me somnianre, ecce stabam juxta ripam fluminis.

18. Et ecce, è flumine ascendebant septem vaccæ pingues carne, & pulchræ forma, & pascebant in caricto.

19. Ecce vero septem vaccæ aliæ ascendebant post eas tennes, & turpes forma valde, & tenues carne: non vidi similes illis in tota terra Ægypti in turpitudine.

20. Et comederunt vaccæ tenues & turpes, septem vaccas priores pingues.

21. Et venerunt ad interiora earum, & non est cognitum quod venissent ad interiora earum: & adspectus earum turpis quemadmodum in principio. & expergefactus sum.

22. Vidi præterea dum somniarem, & ecce septem spicæ ascendebant in culmo uno, plenæ & pulchræ.

23. Ecce item septem spicæ parvæ & tenues, percussæ Euro, germinabant post eas.

24. Et deglutiverunt spicæ tenues, septem spicas pulchras. & dixi ad magos, & non fuit qui indicaret mihi.

25. Et dixit Joseph ad Pharaonem, Somnium Pharaonis unum est: quæ Deus facit, indicavit Pharaoni.

26. Septem vaccæ pulchræ, septem anni sunt: & septem spicæ pulchræ, septem anni sunt. somnium idem est.

27. Et septem vaccæ vacuæ & turpes, ascendentes post eas, septem anni sunt: & septem spicæ vacuæ, arefactæ Euro, erunt septem anni famis.

28. Hoc est verbum quod loquutus sum ad Pharaonem, Quod Deus facit, videre fecit Pharaonem.

29. Ecce, septem anni veniunt abundantiæ magnæ in omni terra Ægypti.

30. Et surgent septem anni famis post eos: & erit in oblivione omnis abundantia in terra Ægypti, & consumet fames terram.

31. Nec cognoscetur abundantia in terra, propter famem ipsam sequentem: quia gravis erit valde.

32. Propterea vero iteratum est somnium ipsi Pharaoni duabus vicibus, quia firma est res à Deo, & festinat Deus facere eam.

33. Nunc igitur provideat Pharao virum prudentem & sapientem, & constituat illum super terram Ægypti.

34. Faciat Pharao, & præficiat præfectos super terram, & quintam partem sumat à terra Ægypti in septem annis abundantiæ.

35. Et congregent totam annonam horum annorum bonorum qui venient: congregent, inquam, frumentum sub manu Pharaonis, cibum in urbibus, & servent.

36. Et erit cibus in depositum pro terra, pro septem annis famis qui erunt in terra Ægypti: ita non succidetur terra propter famem.

37. Placuit sermo in oculis Pharaonis, & in oculis omnium servorum ejus.

38. Et dixit Pharao ad servos suos, Num inveniemus talem virum in quo sit Spiritus Dei?

39. Dixit ergo Pharao ad Joseph, Postquam cognoscere fecit Deus te totum hoc, non est intelligens & sapiens sicut tu.

40. Tu eris super domum meam, & ad os tuum osculabitur omnis populus meus: tantum solio major ero te.

41. Itaque dixit Pharao ad Joseph, Vide, posui te super totam terram Ægypti.

42. Et removit Pharao annulum suum è manu sua, posuitque illum in manu Joseph: & indui fecit eum vestibus byssinis, & posuit torquem aureum in collo ejus.

43. Et equitare fecit eum in curru secundi, qui erat apud se, clamabantque ante eum, Abrech, *id est, pater tener*: & constituit eum super universam terram Ægypti.

44. Dixit ergo Pharao ad Joseph, Ego Pharao: & sine te non levabit quisquam manum suam & pedem suum in tota terra Ægypti.

45. Et vocavit Pharao nomen Joseph, Saphenath-Paneah, *id est, vir cui abscondita revelata sunt, vel absconditorum expositor*, & dedit ei Asenath filiam Potipherah principis On in uxorem: & egressus est Joseph super terram Ægypti.

46. Joseph

46. Joſeph vero erat vir triginta annorum quando ſterit eorám Pharaone rege Ægypti; & egreſſus eſt Joſeph à facie Pharaonis, & tranſivit per totam terram Ægypti.

47. Et protulit terra ſeptem annis ſaturitatis ad collectiones.

48. Et congregavit de univerſis cibis ſeptem annorum qui fuerunt in terra Ægypti, & poſuit cibum in urbibus: cibum agri civitatis qui erat in circuitu ejus, poſuit in medio ejus.

49. Congregavit itaque Joſeph frumentum, tanquam arenam maris multum valde, adeo ut ceſſaverit numerari, quia non erat numerus.

50. Porro ipſi Joſeph nati ſunt duo filii antequam veniret annus famis, quos peperit ei Aſenath filia Potipherah principis On.

51. Et vocavit Joſeph nomen primogeniti, Menaſſeh: quia *dixit*, Obliviſci fecit me Deus omnis laboris mei, & omnis domus patris mei.

52. Nomen autem ſecundi vocavit Ephraim: quia *dixit*, Creſcere fecit me Deus in terra afflictionis meæ.

53. Et finiti ſunt ſeptem anni ſaturitatis quæ fuit in terra Ægypti.

54. Ineeperunt vero ſeptem anni famis venire, quemadmodum dixerat Joſeph: fuitque fames in omnibus terris. at in tota terra Ægypti erat panis.

55. Poſtea eſuriit tota terra Ægypti, & clamavit populus ad Pharaonem pro pane: & dixit Pharao omnibus Ægyptiis, Ite ad Joſeph, quod dixerit vobis facietis.

56. Et fames erat in omni ſuperficie terræ: & aperuit Joſeph omnia horrea in quibus erant *frumenta*, & vendidit Ægyptiis: & invaluit fames in terra Ægypti.

57. Et omnes habitatores terræ venerunt in Ægyptum ut emerent à Joſeph: quia invaluerat fames in omni terra.

1. *In fine duorum annorum dierum.*] Quanta anxietas interea ſancti viri animum oppreſſerit, quiſque noſtrum ex ſeipſo conjiciat. nam ut teneri ſumus & molles, vix ad breve tempus differri nos patimur. Atqui præter diuturni temporis moram, alio tentationis genere ſervum ſuum exercuit Dominus, quia omnes ſpes humanas ei abſtulerat. Ideo annos dierum ponit Moſes pro integris & plenis. Quo melius reputemus invictum fortitudinis tenorem, notandus quoque eſt ille, quem dixi, flexus divinæ providentiæ, quo circumducitur Joſeph, donec ad regis notitiam emergat. In regis ſomnio hoc primum notatu dignum eſt, quod ioterdum Deus oracula ſua uſque ad incredulos & profanos homines extendere dignatur. Hic certe rarus fuit honor, de futuro quatuordecim annorum eventu doceri. Nec vero ſecus Pharaoni patefacta fuit Dei voluntas quam ſi verbo edoctus foret, niſi quod aliunde petenda eſt interpretatio. Quanquam autem Eccleſiæ ſuæ Deus peculiariter verbum ſuum deſtinat, non tamen videri abſurdum debet, quod alienos etiam interdum in ſcholam ſuam admittit ſub diverſo fine. Doctrina Eccleſiæ propria eſt quæ in ſpem uſque æternæ vitæ deducit: filii autem ſeculi tantum de præſentis vitæ ſtatu obiter docentur. Si notemus hoc diſcrimen, non mirabimur quædam oracula profanis & extraneis hominibus communia eſſe: quamvis ſpiritualem vitæ doctrinam quaſi hæreditatis ſuæ theſaurum poſſideat Eccleſia. Quod priori ſomnio alterum ſucceſſit, duabus de cauſis factum eſt. nam & Pharaonis animum expergefacere voluit Deus, quo majore ſtudio inquireret: deinde obſcuræ viſioni plus lucis addere. Denique eundem in hoc ſomnio quem in quotidiana ratione, progreſſum ſequutus eſt. nam quod ſemel tradidit, ſecundo repetit, ac interdum ſæpius inculcat, non ſolum ut altius in animos peoetret doctrina, magiſque afficiat, ſed etiam ut familiarius innoteſcat mentibus. Quod autem altero ſomnio Deus magis illuſtrare voluerit quod obſcure tantum indicaverat, ex eo patet, quod figura propius ad rem accedit. Vidit primum Pharao pingues vaccas à macilentis vorari. Hoc non tam aperte monſtrabat ſeptem annorum abundantiam, & totidem penuriam in tritico & aliis ſeminibus, quam ſpicarum aſpectus. Similitudo enim melius congruit.

8. *Mane conſternatus eſt ſpiritus ejus.*] Aculeus relictus eſt in corde Pharaonis, ut ſciret cum Deo ſibi eſſe negotium: iſta enim anxietas, quaſi interior fuit Spiritus Dei obſignatio, quæ ſomnio fidem faceret. quanquam dignus eſt Pharao qui fructu revelationis privetur, dum ſe ad magos & ariolos conſert; quibus ſolenne erat Dei veritatem in mendacium convertere. Arcano inſtinctu convictus eſt, ſomnium à Deo profectum aliquid portendere: impoſtores quærit qui accenſam divinitus lucem ſuis fallaciis obtenebrent. Atque hæc eſt humani ingenii vanitas, ſibi erroris duces ac magiſtros accerſere. Non dubium quidem eſt quin veraces eſſe Prophetas crediderit: ſed quia ſponte connivet, ac voluntario errore ad decipulas properat, non ſatis eum excuſat falſa opinio: alioqui homines ocolos claudendo, cum aliqua plauſibili excuſatione Deo impune illuderent. Ac videmus ut ſibi multi patrocinium quærant ex craſſa ignorantia, qua ſcientes ac volentes ſe implicant. Pharao igitur, quantum in ſe erat, vaticinii fructu ſe privavit, magos quærens ejus interpretes. Sicuti videmus quotidie accidere, ut veritas multis evaneſcat, quia propria ſocordia vel nebulas ſibi inducunt; vel nimis cupide arripiunt falſa & adulterina commenta. Verum quia Dominus regnó Ægypti volebat tunc ſuccurrere, Pharaonem ab errore quaſi manu & vi retraxit. *Non erat conjectori ex eis qui interpretaretur.* Hoc remedio Deus occurrit ne ſomnium intercideret. Scimus quam ventoſum & impudens hominum genus fuerint arioli, & quam audacter ſe venditarint. Qui fit ergo ut regi non reſpondeant? licebat enim quidvis nugari apud hominem credulum, & qui ſe deludi libenter paſſus eſſet. Ne igitur ab inquirendi ſtudio deſiſtat, non reperit quod ſperaverat apud ſuos magos. Et Dominus tam improbos fallendi artifices obmutescere cogit, ne quem inducant fucum. Adde quod hoc modo regis cura magis acuitur: quia rem valde ſeriam & arcanam eſſe reputat, quæ magorum acumen fugit. Quo exemplo docemur, optime nobis proſpici, quum decipi voleotibus errorum fomenta Dominus ſubducit: hocque in ſingulari gratiæ reputandum eſſe, quum vel tacent pſeudoprophetæ, vel quovis modo nobis detegitur eorum fatuitas. Cæterum bioc regi promptum fuit colligere quam frivola eſſet ac nugatoria ſapientiæ profeſſio, qua præ aliis turgebant Ægyptii. Divinandi enim ſcientia, quæ cælos ipſos tranſcenderet, pollere ſe jactabant. Nunc quantum

ad

ad eos attinet, rex consilii inops, spemque sua destitutus, angitur: neque tamen seipsum expergefacit, ut à superstitione sua resipiat. Ita videmus homines quamvis admonitos, manere tamen in suo torpore. Unde clare perspicitur quam inexcusabilis sit mundi obstinatio, qui illusiones palam è cœlo stultitiæ damnatas, sectari tamen non desistit.

9. *Et loquutus est princeps pincernarum.*] Quamquam Dominus tunc Ægypti misertus est, non tamen hoc vel in regis, vel in terræ gratiam factum est, sed ut Joseph è carcere tandem emergeret. Deinde ut tempore famis Ecclesiæ suppeteret et alimenta. nam etsi annona non alium in finem reposita fuit, nisi ut prospectum esset regno Ægypti: præcipuam tamen Ecclesiæ suæ curam Deus habuit, quæ apud ipsum pluris est decem mundis. Pincernæ ergo, qui de Joseph silere statuerat, vox exprimitur ad liberandum sanctum hominem. Quod autem dicit, *Peccata mea hodie in memoriam reducam*, ita à quibusdam accipitur, acsi ingratitudinis culpam agnosceret: quia non præstiterat datam fidem. Sed alius est sensus. neque enim de carcere suo loqui poterat, nisi hac præfatione interpolita: ne qua regi obreperet sinistra suspicio, quasi famulus injuriam sibi factam putaret: vel ne qua eum pungeret offensio, quasi non sentiret ille beneficium sibi præstitum. Scimus quam teneri sint regum animi, & homo aulicus hoc longo usu expertus erat. Itaque præfatur, merito se in carcerem fuisse conjectum. Unde sequitur factum fuisse regis clementia, ut rediret ad priorem statum.

14. *Et misit Pharao, & vocavit.*] In persona superbi regis quasi in speculo cernimus quid proficiat necessitas. Quibus res lætæ sunt ac prosperæ, etiam quos existimant Prophetas, audire vix dignantur: tantum abest ut aures præbeant hominibus ignotis. Quare Pharaonis contumaciam prius domari oportuit, ut accerseret Joseph, eumque sibi magistrum ac doctorem præficeret: imo hæc eadem præparatio electis quoque necessaria est, quia nunquam vere dociles essent, nisi subacto carnis fastu. Quoties ergo in graves molestias conjicimur, quæ nos perplexos & anxios tenent, sciamus Deum hoc modo nobis consulere, quo sibi obsequentes reddat. Quod narrat Moses, Joseph, antequam veniret in conspectum regis, vestes mutasse: hinc conjicimus sordide fuisse vestitum. Eodem referri, meo judicio, debet quod de tonsura additur. Nam quum fœminea esset gentis illius mollities, probabile est, qui nitori & elegantiæ studebant, comam potius aluisse. Verum sicuti vestium squalorem exuit Joseph, ita ne quid pædoris habeat residuum, raditur. Sciamus ergo Dei servum in sordibus jacuisse usque ad diem liberationis.

15. *Et dixit Pharao ad Joseph.*] Videmus ut se discipulum offerat Pharao ipsi Joseph, quia ex pincernæ relatu persuasus est esse Dei Prophetam. Coacta est quidem humilitas: sed hoc nobis diserte exprimitur, ne ubi dicendi facultas nobis offertur, Spiritus donis reverenter locum dare pigeat. Quanquam autem dum Pharaonem ablegat Joseph ad Deum, negare videtur se fore interpretem somnii, alio tamen spectat ejus responsio. Nam quia se apud hominem profanum & superstitionibus deditum verba facere sciebat, suam in primis laudem Deo asserere voluit: acsi dixisset, Nihil hac in parte valeo, nec quicquam ex meipso præstabo: sed Deus ipse solus arcani sui erit interpres. Siquis objiciat, quoties hominum opera Deus utitur, conjungi debere illorum ministerium cum ejus mandato: id quidem fateor, sed ita ut in solidum gloria penes Deum resideat: secundum illud Pauli, nihil esse qui plantant, vel rigant. Cæterum Joseph non modo Pharaonem gustu aliquo pietatis afficere cupit, sed interpretationis donum uni Deo adscribens, se destitui fatetur ut ab illo impetret. Quare nos quoque exemplo sancti Joseph discamus, etiam apud incredulos celebrare Dei gratiam: ac si januam præcludant integræ plenæque doctrinæ, danda saltem opera est ut instillemus aliquas pietatis guttas. Hoc quoque nobis in mentem veniat, nihil minus ferendum esse quam ut sibi quicquam proprium arrogent homines. Nam hic primus est sapiendi gradus, nihil sibi arrogare, sed modeste fateri ex fonte gratiæ Dei manare quicquid laude dignum est. Præsertim hoc notatu dignum est, ut cuique Spiritus intelligentiæ datus è cœlo fuerit, idoneum & fidum fore Dei interpretem.

16. *Deus respondebit in pacem Pharaonis.*] Hoc ex animi sui affectu addidit Joseph. nondum enim quale futurum esset oraculum tenebat. Ergo Prophetico nomine fausta & optabile promittere non potuit: sed quemadmodum sincere proferre debuit quod à Domino acceperat, qualecunque id esset, quantumvis triste vel acerbum: ita rursum minime obstitit hæc libertas quin lætum eventum regi optaret. Precatio igitur est, non vaticinium, quod hic de regis pace dicitur.

17. *Me somniante.*] Tota hæc narratio expositione non indiget: tantum enim repetit Pharao quod prius vidimus. nisi quod addit, vaccas macilentas, consumptis pinguibus, nihilo redditas esse meliores. Quo telari voluit Deus, tantam fore sterilitatem, ut congesta frumenti copia non liberaliter alerentur homines, sed famelici ægre vitam traherent. Quod Joseph somnium unum esse respondet, simpliciter intelligit unum & idem duabus figuris ostensum fuisse Pharaoni. Prius vero quam interpretationem suam in medium proferat, non esse evanidum somnium asserit, sed divinum oraculum. Nisi enim à Deo profecta fuisset visio, stultum fuisset anxie inquirere quid portenderet. Nunc autem in scisitando Dei consilio non frustra laborat Pharao. Cæterum notanda est loquendi forma, quia Joseph non tantum dicit, Deum quod aliunde contingeret, prædicere, sed quod ipse facturus esset. Hinc namque colligimus, Deum non otiose speculari fortuitos rerum eventus, sicuti Philosophi plerique garriunt, sed suo arbitrio statuere quid futurum sit. Quare in rerum prædictione non respondet de tabulis fatalibus, sicuti Apollinem suum Poëtæ fingunt earum rerum esse vatem quæ non sunt in ejus manu: sed pronunciat, quicquid eveniet, suum fore opus. Sic Isaias, ut suam uni Deo gloriam asserat, ei utrumque tribuit, res futuras patefacere, & suo imperio moderari omnes rerum eventus. Clamat enim Deum non fallere, nec mentiri, ut solent idola: & illum prædicat unicum esse bonorum & malorum auctorem: per mala, res adversas intelligens. Quare nisi Deum velimus è solio suo dejicere, non minus suam illi in agendo potentiam quam præscientiam relinquere oportet. Atque hic locus ideo observatu dignior est, quia omnibus seculis multi nebulones dimidiam gloriæ suæ partem Deo eripere comati sunt: & nunc (ut dixi) multos Philosophos delectat idem figmentum: quia absurdum esse putant Deo adscribere quicquid rerum in mundo agitur. Quasi vero frustra pronunciet Scriptura, judicia ejus profundam esse abyssum. Sed dum ad cerebri sui censuram Dei opera exigunt, repudiato ejus verbo, malunt de cælestibus mysteriis Platoni credere. Quod Deus, inquiunt, præscius est rerum omnium, nulla inde necessitas inducitur. Quasi vero nudam præscientiam dicamus rerum causam esse: ac non potius hanc copulam teneamus à Mose positam, quæ futura sunt Deum præscire, quoniam ea facere decrevit. Ipse vero inscite ac perperam ab æterno Dei consilio & continua actione ejus providentiam divellunt. Hoc in primis persuasum habere expedit, quoties sterilis est terra, sive gelu, sive uredo, sive grando, sive aliud quid-

Isa. 45. vers. 7.

Psal. 36. vers. 7.

1 Cor. 3. vers. 7.

quidpiam in causa sit, hoc totum Dei consilio gubernari.

32. *Et propterea iteratum est somnium.*] Non intelligit Joseph mutabile esse si quid Deus semel tantum protulerit: sed ne in animo Pharaonis vacillaret rei ostensæ fides. Nam quia nihil nisi ex stabili fixoque suo consilio pronunciat, semel loquutum esse sufficit. Sed nostra tarditas & inconstantia sæpius eadem ipsum repetere cogit, ut cordibus nostris insideat quod certo apud eum decretum est. alioqui quam versatile nobis ingenium est, tam varie sursum deorsum à nobis volvitur quod semel ejus ore audivimus, donec labascat. Porro Joseph non modo firmitudinem cælestis decreti commendat, sed simul prope instare denunciat quod facere Deus constituit, ne Pharao ipse longioris moræ fiducia dormitet. Nam etsi fatemur Dei judicia semper capitibus nostris instare, nisi tamen nos stimulet temporis maturitas, illorum cura & metu frigide afficimur.

33. *Et nunc provideat sibi Pharao.*] Plus præstat Joseph quam fuerat rogatus. neque enim tantum somnii est interpres: sed ut Prophetæ munus impleat, doctrinam & consilium adjungit. Scimus enim veros Dei Prophetas ac legitimos non simpliciter prædicere quid futurum sit, sed malis impendentibus remedia ostendere. Postquam ergo de vicibus quatuordecim annorum vaticinium edidit Joseph, nunc docet quid utile sit factu, & Pharaonem ut partibus suis invigilet hortatur. Atque hæc una fuit notarum quibus Deus Prophetas suos semper à fictitiis vatibus discernit, quod eos instruxit docendi hortandique gratia, ne res futuras inutiliter prædicerent. Demus Apollinis magorumque omnium vaticinia fuisse vera, nec flexiloquis ambagibus intorta: quorsum tamen spectabant, nisi ut perversa fiducia præcipites agerent homines, vel desperatione obruerent? Longe alia prophetandi ratio divinitus præscripta fuit, quæ ad pietatem formaret homines, ad respiscentiam adduceret, metu percussos excitaret ad preces. Porro quia vaticinium hoc (cujus fit mentio) nonnisi ad temporalem caducæ vitæ usum editum erat, non ultra progreditur Joseph, quam ut admoneat in quem finem objectum ei fuerit somnium: acti diceret, Ne te revelationis pœniteat, hunc ejus fructum accipe, ut regni tui penuriæ succurras. Quanquam non dubium est quin Deus linguam ejus gubernaverit, ut provinciam hanc ei mandaret Pharao. Non enim astute se insinuat, nec revelationis dono ad privatum quæstum abutitur: sed illo inscio, quod divinitus ordinatum erat, in suum finem perducitur, nempe ut domus Jacob famelica nutricium præter spem reperiat.

35. *Sub manu Pharaonis.*] Quia res prosperæ ita inebriant homines, ut sibi major pars in posterum non prospiciat, sed abundantiam, quæ ad manum est, sua intemperie absorbeat: admonet Joseph hoc regi curandum esse, ut terra habeat repositam annonam. Adde quod vulgus, quum intelligeret non frustra colligi tantam frumenti copiam à rege, sed insolito malo remedium quæri, se quoque ad frugalitatem composuit. Cæterum quia luxuries semper fere in copia grassatur, & Dei benedictionem dilapidat, necessarium fuit imperii frenum. Hæc ratio est cur horrea sub regis manu constitui præcipiat Joseph, atque illuc frumentum congeri. Concludit tandem somnium fuisse utile, quamvis primo intuitu triste & inauspicatum foret: quia statim post ostensum vulnus, ejus curandi ratio allata erat.

38. *Non invenemus talem virum.*] Videmus quam bona sit magistra necessitas. Si creandi sunt præfecti, vel judices, ut quisque favore pollet, posthabito delectu, ad honorem provehitur. unde fit ut sæpius obrepant qui sunt maxime indigni. Tametsi autem turbari videmus politicum ordinem, multisque incommodis involvi hominum genus, quia malis artibus se temere ingerunt ad res incognitas qui minus apti sunt: ambitio tamen prævalet, æquitatemque subverit. At necessitas sanum judicium extorquet. Nihil dicit Pharao quod non sit naturaliter omnium cordibus insculptum, nonnisi idoneis, & quos Deus necessariis dotibus instruxit, debere honores mandari. Sed experientia plus satis docet, effluere ex memoria hanc naturæ legem, quoties liberum est impune peccare. Ergo utiliter subacta fuit Pharaonis superbia, ut ambitione valere jussa, exterum hominem, & nuper carceri mancipatum, quia virtute excellit, omnibus suis aulicis præferat. Eadem necessitas contiuuit regni proceres, ne suo more contenderent ut ad se quisque primatum traheret. Quanquam autem coacta fuit modestia, quoniam eos pudebat bono publico obstare: dubium tamen non est quin Deus metum illis incusserit, ut uno omnium consensu Joseph toti regno præsset. Nostandum etiam est quod Pharao, quamvis à suis ariolis infatuatus esset, Spiritus tamen dona celebrat in Joseph: nempe quia nunquam sic homines obbrutescere Deus patitur quin virtutem suam in tenebris adhuc palpent. Ita quantumvis impia defectio eos abripiat, manet tamen reliquus Deitatis sensus. Interim nimis frivola est notitia, quæ priorem vesaniam non corrigit. nam Deum quem ore prædicat, contemnit: nec quicquam concipit præter confusum nescio quod numen. Hæc particularis notitia sæpe irradiat profanos homines, ut tamen non resipiscant. Quo monemur quodlibet unum ex principiis, donec solida emergat pietas & vigeat, parvi esse momenti.

40. *Tu eris super domum meam.*] Non tantum Ægypto præficitur Joseph, sed ornatur etiam regiis insignibus, ut reverenter eum omnes colant, pareantque imperio. Annulus signatorius inseritur in ejus digitum ad fancienda decreta. Byssinis vestibus induitur, quæ tunc in deliciis, nec vulgari pretio erant. Locatur in curru, quod maxime erat honorificum. Sed quæritur, an sancto viro fas fuerit eum tam splendida pompa prodire. Respondeo, tametsi vix uriquam à vitio puræ sint lautitiæ, ideoque optima sit in externo cultu frugalitas: non tamen quemlibet splendorem in regibus & aliis mundi principibus damnandum esse, modo ne vel nimis cupide eum appetant, vel superbe ostentent. Colenda quidem semper est mediocritas: sed quia non fuit in arbitrio Joseph modum præscribere, auctoritas vero regia absque usitato ornatu ei concessa non fuisset, liberum ei fuit plus accipere quam optandum erat. Nam si optio detur servis Dei, nihil tutius est quam rescindere quicquid poterunt ex lautitiis. Ubi autem necesse est se accommodare ad publicum morem, cavenda est illis ostentatio & omnis vanitas. Quod attinet ad verba: ubi nos vertimus, *osculabitur totus populus ad os tuum*, alii legere malunt, Armabitur: alii Cibabitur ad nutum vel mandatum tuum. sed quia propria verbi נשק significatio est Osculari, non video cur in alium sensum torqueant interpretes. Neque tamen solenne adorationis symbolum hic notari puto, sed metaphorice potius loquutio esse videtur, quod populus amice excipiet, atque obedienter amplexabitur quicquid profectum erit ab ore Joseph: acsi dixisset Pharao, Quicquid jusserit, uno populi consensu, quasi osculum omnes porrigerent, excipi volo. Currum secundi legunt Hebræi in constructione, pro curru Proregis, qui secundas à rege tenet. Sensus tamen clarus est, Joseph omnibus Ægypti proceribus anteponi. De voce אברך variæ sunt opiniones. Qui Patrem tenerum exponunt, quia tener adhuc annis Joseph, senili dotatus esset gravitate & prudentia, mihi procul accersere videntur quod suo commento respondeat. Qui vertunt Patrem regis, quasi dictio sit ex Hebraico nomine אב, & Arabico ךר composita,

paulo plus habent coloris. Equidem ſi vox ſit Hebraica, mihi videtur magis probabile quod alii aſſerunt, Genu flecte. Sed quia ſuſpicor Ægyptiacas potius voces referri à Moſe, tam hoc loco quam paulo poſt, conſulo lectoribus ne ſe fruſtra torqueant. Et ſane ridicule arguti ſunt qui nomen Hebraicum à rege Ægyptio impoſitum eſſe putant, quod ab illis vertitur vel Mundi redemptor, vel myſteriorum expoſitor. Græcos ſequi malo, qui utrumque nomen intactum relinquendo, ſatis oſtendunt ſibi videri extraoeæ linguæ. Quod ſocerum Joſepb ſacerdotem fuiſſe vulgo exiſtimant, quanquam non refello, vix tamen adducor ut credam. Quum igitur כוהן principem ſignificet ſicuti ſacerdotem, conſentaneum eſſe videtur, onum fuiſſe ex aulæ primoribus, qui etiam Satrapa vel præfectus foret civitatis On.

46. *Erat vir triginta annorum.*] Duas ob cauſas refert Moſes qua ætate proveƈtus fuerit Joſeph ad regni præfecturam. Rarum enim eſt ut ſenes juvenibus ſe regendos tradunt. unde ſingulari Dei dono factum fuiſſe colligitur, ut ſine invidia regnaret Joſeph, ac illi reverentia & majeſtas ſupra annorum numerum conſtaret. Nam ſi periculum fuit ne Timotheum contemptibilem redderet juventus, non minus contemptui obnoxius fuiſſet Joſeph, niſi divinitus parta illi fuiſſet auƈtoritas. Quanquam autem eam propria induſtria ſibi acquirere non potuit, ad eam tamen augendam & confirmandam probabile eſt eximias virtutes, quas in eum contulerat Deus, non parum valuiſſe. Secunda ratio notandæ ætatis eſt, ut ſecum ea pendant lectores diuturnas ejus ærumnas, quibus varie afflictus fuerat. Atque ut humaniter tractatus foret, potuit tamen tredecim annorum exilium graviſſima eſſe tentatio, quod reditus ad paternam domum non tantum vioculo ſervitutis, ſed etiam carcere obſtructus foret. Ergo non niſi longa tolerantia probatus, meliorem ſtatum obtinuit. Subjicit deinde Moſes, ſedulo & exaƈtiſſima fide ſuis partibus eſſe defunƈtum. Nam circuitus iſte, cujus fit mentio, non vulgaris diligentiæ ſignum fuit. Poterat certe aſſumere legatos, in quorum humeros majorem laboris & moleſtiæ partem rejiceret: ſed quia divinitus ſe vocatum eſſe novit, tanquam rationem apud tribunal cæleſte redditurus, nihil oneris reculat. Ac paucis verbis incredibilis illius prudentia à Moſe laudatur, quod repente optimam ſervandi tritici rationem invenerit. Arduus enim fuit labor horrea per ſingulas urbes extruere, quæ integrum unius anni proveotum, & præterea quintam partem caperent. Ipſa autem diſpoſitio non minoris perſpicaciæ documentum fuit, ne cujuſque regionis incolis victus longe petendus eſſet. Paulo poſt adjungitur integritas, quæ non minori laude digna fuit, quod ſcilicet in illa immenſa congerie ab omni licentia abſtinuit, non ſecus acſi modica tantum procuratio injuncta foret. Utriuſque autem virtutis laus eſt, quod poſtquam immenſos acervos collegit, non tamen quicquam remittit ex ſolita diligentia, donec omnes ſuſceptæ provinciæ numeros abſolvat. Satietas (ut in veteri proverbio eſt) faſtidium parit: ac proinde abundantia ut plurimum ignaviæ mater eſt. Unde ergo fit ut æquabilem teneat curſum ſedulitas Joſeph, nec præſentis copiæ aſpeƈtu fiat remiſſior, niſi quia prudenter expendit nullam fore tantam copiam quam ſeptem anni ſteriles non deglutiant? Fidem quoque & raram publicæ ſalutis curam in eo prodidit, quod aſſiduo ſeptem annorum labore defeſſus non eſt, nec unquam quievit, donec in ſeptem alios annos proſpeƈtum eſſet.

50. *Et ipſi Joſeph nati ſunt filii.*] Quanquam aliquid pietatis ſpirant nomina, quæ ex rerum eventu filiis impoſuit Joſeph, quia in illis Dei gratiam celebrat: vix tamen in totum poteſt ea coſiri oblivio paternæ domus, quam ſibi inductam eſſe dicit. Hæc pia eſt ac ſancta gratiarum aƈtio, quod Deus oblivioſci eum fecit priſtinas omnes ærumnas: ſed nullus honor tanti eſſe debuit, ut deſiderium & memoriam paternæ domus ex animo deponeret. Sit licet ſecundus rex Ægypti, infelix tamen eſt ejus conditio quamdiu ab Eccleſia exulat. Quidam ut purgent à culpa ſanƈtum virum, exponunt eum lætari præſenti Dei gratia, ut poſthac illatas ſibi à fratribus injurias non recordetur: ſed hoc (meo judicio) nimis coaƈtum eſt. Nec vero anxie laborandum eſt in excuſando peccato Joſeph: quin potius moneri nos arbitror quantopere cavendum ſit à mundi illecebris, ne mentes noſtras pluſquam par ſit demulceant. Ecce enim Joſepb, quamvis pure Deum colat, bonoris tamen dulcedine captus obnubilatam habet mentem, ut paternæ domus immemor, ſibi in Ægypto placeat. Atqui hoc fere erat à Dei grege diſcedere. Hæc quidem laudabilis modeſtia, quod divinæ erga ſe bonitatis prædicandæ ſtudio, ipſum nun pudet afflictæ fortunæ monimentum ſtatuere in illiorum ominibus. Qui ex obſcuro & ignobili loco traducti ſunt in ſublime, cuperent extinƈtam eſſe originis ſuæ notitiam, quia ſibi probroſam eſſe exiſtimant. Sanƈto itaque Joſeph pluris fuit divinæ gratiæ commendatio, quam fucoſa in futurum tempus nobilitas.

53. *Et finiti ſunt ſeptem anni.*] Jam prius inſueta fertilitas, unde patebat Joſeph verum fuiſſe vatem, nomen illi & famam conciliaverat: atque hoc modo cohibiti fuerant Ægyptii, nequid turbarum in eum moverent. & tamen mirum eſt, io tanto gentis faſtu tuleratum rebus proſperis fuiſſe exteri hominis imperium. Quæ vero ſequuta eſt fames, durius aſperiuſque frenum fuit ad domandos altos & feroces ſpiritus, ut ſe ad obſequium ſubmitterent. Quanquam ubi dicit Moſes fuiſſe annonam in tota Ægypto, quum fame laborarent vicinæ regiones, innuere videtur à privatis quoqoe reconditum fuiſſe triticum. Et certe (ut alibi diximus) fieri non potuit quin de fame ventura vulgatus eſſet rumor, qui metum & ſollicitudinem paſſim injecit, ut ſibi quiſque conſuleret. Neque tamen adeo providi fuerunt ſinguli quin brevi conſumptum ſit quod ſervaverant. Unde apparuit quam dextre & prudeoter ab initio ſenſiſſet Joſeph, non fore ſalvam Ægyptum, niſi publice ſub regis manu congeſta eſſet annona.

55. *Ite ad Joſeph.*] Eſt quidem hoc regibus minime inſuetum, dum extremis malis urgentur ſubditi, deliciis vacare. Sed aliud ſibi vult Moſes. neque enim diſtribuendi frumenti cura ſe ea onerat Pharao, ut immunis ab omni moleſtia quietem colat: ſed quia tantum fidei habet ſaƈto Joſeph, ut libenter omnia ei permittat, nec velit io ſuſcepto munere turbari.

CAPUT XLII.

QUum autem videret Jahacob quod eſſet frumentum in Ægypto, dixit Jahacob filiis ſuis, Utquid aſpicitis vos?

2. Et dixit, Ecce, audivi quod eſt frumentum in Ægypto: deſcendite illuc, & emite nobis inde, & vivemus, nec moriemur.

3. Deſcenderunt ergo fratres Joſeph decem, ut emerent frumentum in Ægypto.

4. (Nam Benjamin fratrem Joſeph non miſit Jahacob cum fratribus ſuis: quia dixit, Ne forte accidat ei mors.)

5. Et

5. Et venerunt filii Iſraël ut emerent in medio venientium: erat enim fames in terra Chenaan.

6. Joſeph autem erat dominus ſuper terram: ipſe vendebat toti populo terræ. venerunt, inquam, fratres Joſeph, & incurvaverunt ſe ei in faciem ſuper terram.

7. Et vidit Joſeph fratres ſuos, & agnovit eos, & alienum ſe oſtendit eis: loquutuſque eſt cum eis dura, & dixit eis, Unde veniſtis? Et dixerunt, De terra Chenaan ad emendum cibum.

8. Agnovit Joſeph fratres ſuos: ipſi autem non agnoverunt eum.

9. Et recordatus eſt Joſeph ſomniorum quæ ſomniaverat de eis, dixitque eis, Exploratores eſtis, ad videndum nuditatem terræ veniſtis.

10. Et dixerunt ad eum, Nequaquam, domine mi: ſed ſervi tui venerunt ad emendum cibum.

11. Omnes nos filii ejuſdem viri ſumus: veraces ſumus, non ſunt ſervi tui exploratores.

12. Et dixit illis, Nequaquam: ſed nuditatem terræ veniſtis ad videndum.

13. Et dixerunt, Duodecim ſervi tui fratres ſumus, filii viri ejuſdem in terra Chenaan: & ecce, minimus eſt cum patre noſtro hodie, & unus non eſt.

14. Tunc dixit ad eos Joſeph, Hoc eſt quod loquutus ſum ad vos, dicendo, Exploratores eſtis.

15. In hoc probabimini: per vitam Pharaonis, ſi egreſſi fueritis hinc, niſi quum venerit frater veſter minimus huc.

16. Mittite ex vobis unum, & accipiat fratrem veſtrum: vos autem vincti eritis, & probabuntur verba veſtra, an veritas ſit penes vos: ſin minus, per vitam Pharaonis, certe exploratores eſtis.

17. Et congregavit eos in cuſtodiam tribus diebus.

18. Dixit autem eis Joſeph die tertio, Hoc facite, & vivetis: Deum ego timeo.

19. Si veraces eſtis, frater veſter unus ligetur in domo cuſtodiæ veſtræ: vos autem ite, auferte alimentum ad abigendam famem è domibus veſtris.

20 Tunc fratrem veſtrum minimum adducetis ad me, & * vera agnoſcentur verba veſtra, & non moriemini. & fecerunt ita. * Hebr. *veriſicabuntur.*

21. Dicebat autem alter alteri, Vere deliquimus contra fratrem noſtrum: quia vidimus angustiam animæ ejus dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit ſuper nos angustia hæc.

22. Et reſpondit Reuben ad eos, dicendo, Nonne dixi vobis, dicendo, Ne peccetis in puerum? & non audiſtis: & etiam ſanguis ejus, ecce, requiritur.

23. Ipſi autem ignorabant quod audiret Joſeph: quia interpres erat inter eos.

24. Et vertit ſe ab eis, & flevit: poſtea reverſus eſt ad eos, loquutuſque eſt eis, & accepit ab eis Simhon, ligavitque eum in oculis eorum.

25. Tunc præcepit Joſeph, & impleverunt vaſa eorum frumento: *præcepit* etiam ut reſtituerent argentum eorum, uniuſcujuſque in ſacco ſuo, & darent eis eſcam ad iter. & fecit eis ſic.

26. Et tulerunt frumentum ſuum ſuper aſinos ſuos, & abierunt inde.

27. Aperuit autem unus ſaccum ſuum, ut daret pabulum aſino ſuo, in hoſpitio: & vidit pecuniam ſuam, & ecce, erat in ore ſacci ſui.

28. Et dixit fratribus ſuis, Reddita eſt pecunia mea, & etiam ecce, eſt in ſacco meo. Et egreſſum eſt cor eorum, & obſtupuerunt alter ad alterum, dicendo, Utquid hoc fecit Deus nobis?

29. Et venerunt ad Jahacob patrem ſuum in terram Chenaan, & annunciaverunt ei omnia quæ acciderant eis, dicendo,

30. Loquutus eſt vir dominus terræ nobiſcum dura, & conſtituit nos tanquam exploratores terræ.

31. Nos vero diximus ad eum, Veraces ſumus, non ſumus exploratores.

32. Duodecim ſumus fratres filii patris noſtri: unus non eſt, & minimus hodie eſt cum patre noſtro in terra Chenaan.

33. Tunc dixit nobis vir dominus terræ, In hoc cognoſcam quod veraces eſtis, Fratrem veſtrum unum relinquite mecum, & *ad expellendam* famem domorum veſtrarum capite, & ite:

34. Et adducite fratrem veſtrum minimum ad me, tunc cognoſcam quod non eſtis exploratores, ſed veraces: fratrem veſtrum dabo vobis, & in terra negotiabimini.

35. Porro fuit, ipſis evacuantibus ſaccos ſuos, ecce, uniuſcujuſque ligatura pecuniæ ſuæ erat in ſacco ſuo: & viderunt ligaturas pecuniarum ſuarum, ipſi, & pater eorum, & timuerunt.

36. Et dixit ad eos Jahacob pater eorum, Me orbaſtis: Joſeph non eſt, & Simhon non eſt, & Benjamin capietis: adverſum me ſunt omnia hæc.

37. Tunc dixit Reuben ad patrem ſuum, dicendo, Duos filios meos mori facias, niſi reduxero eum ad te: da eum in manum meam, & ego reducam eum ad te.

38. Et dixit, Non deſcendet filius meus vobiſcum: quia frater ejus mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit: & accidet ei mors in via per quam ibitis: & deſcendere facietis canitiem meam cum mœrore ad ſepulchrum.

1. *Et vidit Jabacob.*] Incipit hoc capite Moſes tractare quænam occaſio traxerit Jacob cum tota familia in Ægyptum: atque ita nobis conſiderandum relinquit quam occultis modis & inopinatis perficiat Deus quicquid ſtatuit. Quanquam igitur Dei providentia per ſe labyrinthus eſt: ubi tamen rerum exitus cum principiis conjungimus, perſpicue nobis refulget admirabilis illa operandi ratio: quæ ideo non agnoſcitur, quoniam à ſenſu noſtro longius remota eſt. Impedit etiam nos propria ignavia, ne fidei oculis Deum cernamus mundi gubernacula tenentem: quia vel fortunam imaginamur eventuum dominam: vel in propinquis & naturalibus cauſis hærentes, ea earum contextu vela nobis obtendimus. Quum ergo via ulla divinæ providentiæ illuſtriori pictura ea tet quam hæc hiſtoria, probe ſe in ejus meditatione exerceant pii lectores, ut res in ſpeciem fortuitas Dei manu dirigi agnoſcant.

Utquid aſpicitis vos?] Mutuo ſe aſpicere dicuntur homines, dum alius alium expectat, & inopia conſilii nemo quicquam tentare audet. Reprehenditur igitur à Jacob filiorum ceſſatio, quod nemo illorum præſenti neceſſitati occurrere ſtudeat. Dicit autem Moſes profectos fuiſſe in Ægyptum patris juſſu, & quidem abſque Benjamin. quo ſignificat tunc apud eos valuiſſe patris reverentiam: quia non obſtitit invidia, quin relictis uxoribus & liberis longinquum iter arriperent. Addit etiam veniſſe in conſpectu magnæ turbæ: quod laudem Joſeph amplificat, qui toti Ægypto ſuppeditans alimenta, & ad menſuram diſpenſans uſque ad finem ſterilitatis, aliquid etiam vicinis gentibus ſubſidii impertiat.

6. *Et Joſeph erat dominus ſuper terram.*] Conjungit honorem Joſeph cum fide & induſtria. Nam etſi potiebatur ſummo imperio, ſubiit tamen quicquid potuit oneris, non aliter quam ſi mercenarius operam ſuam locaret. Quo exemplo diſcendum eſt, ut quiſque honore præcellit, ſic debere eſſe maxime negotioſum: eos vero qui otium cum dignitate appetunt, ſanctum Dei ordinem penitus corrumpere. Porro intellige venditum fuiſſe frumentum à Joſeph: non quod dimenſus ſit ipſe propriis manibus, vel pecuniam tractaverit, quum in multis regni partibus venale eſſet, nec ſolus ad horreum unum ſufficeret: verum quia tota in eum moles incubuit.

7. *Et alienum ſe oſtendit eis.*] Quæritur quo animo Joſeph fratres ita minis & terrore excruciet. Nam ſi tactus fuit accepta ab illis injuria, excuſari non poteſt vindictæ cupiditas. Atqui probabile eſt, neque iracundia, neque ulciſcendi ſtudio fuiſſe impulſum: ſed duabus juſtis cauſis fuiſſe adductum ut ita faceret. Nam & fratrem Benjamin recuperare optabat, & quaſi adhibita quæſtione excutere volebat quid haberent in animo, reſipuiſſent nec ne: qualis denique ab eo tempore fuiſſet eorum vita. Nam ſi primo colloquio ſe patefeciſſet, timendum erat ne patre celato, deteſtabile quod admiſerant ſcelus tegere volantes, novo ſcelere augerent: ſuberat etiam non vana de fratre Benjamin ſuſpicio, ne quid perfidiæ ac crudelitatis in eum tentaſſent. Operæpretium ergo fuit, propius eos excuti, donec de ſtatu paternæ domus certior factus Joſeph, conſilium ex re ipſa caperet: deinde aliquid caſtigationis ante veniam infligi, quo melius ſceleris ſui atrocitatem ea penderent. Nam quod ſe poſtea tam placabilem humanumque præbuit, non factum eſt quod ſedato animo paulatim ad miſericordiam flexus ſit: quin potius, quum alibi ſubjiciet Moſes receſſum quæſiſſe, quia ſe amplius continere non poterat, ſimul innuet fletum fuiſſe repreſſum, quamdiu ſevero fuit vultu, atque ita eodem ſemper miſericordiæ affectu fuiſſe præditum. Et apparet peculiares fuiſſe inſtinctus ad totam hanc actionem. Neque enim hoc vulgare fuit, quod Joſeph conſpectis tot ſuarum calamitatum auctoribus, non excandnit, neque mutatus eſt, neque in exprobrationes erupit: ſed compoſuit vultum & ſermonem, quaſi diu per otium meditatus foret quod acturus fuit. Sed quæritur rurſum annon culpanda ſit ejus ſimulatio, quæ mendacio conjuncta fuit. Scimus enim quantopere Deo placeat integritas, & quam ſevere à fuco & fallaciis ſuos prohibeat. An Deus ſpeciali motu ſervum ſuum gubernaverit, ut à communi regula diſcederet citra culpam, neſcio: ſicuti interdum pie fideles quædam deſignant quæ in exemplum trahere non licet. Hoc quidem in ſanctorum Patrum factis ſemper cavendum eſt, ne ab ea lege quam Dominus communiter omnibus præſcribit, nos abducant. Ex generali Dei mandato colenda eſt nobis ſinceritas. Quod aliud ſimulavit Joſeph quam res erat, hoc prætextu minime excuſabimur ſiquid ſimile tentamus. Nam, ut veniam obtinuerit libertas privilegio conceſſa, ſiquis privato exemplo fretus Legem Dei evertere non dubitet, ut ſibi licitum faciat quod illic vetatur, merito ſuæ audaciæ pœnas dabit. Et tamen non magnopere ſudandum eſſe arbitror in excuſando Joſeph: quia magis probabile eſt, aliquid humanitus fuiſſe paſſum, quod illi Deus ignovit: ſola enim ejus indulgentia ſimulationem, quæ per ſe vitio non carebat, reatu eximere potuit.

9. *Et recordatus eſt Joſeph ſomniorum.*] Quum de adoratione facta eſſet mentio à puero Joſeph, rei abſurditas fratres ad machinandam nefandam cædem compulerat. Nunc quamvis incognitum adorent, nihil tamen illis melius eſt: imo hæc unica ſalutis ratio eſt, dum ſe ad pedes ejus proſternunt, ſupplices ab eo recipi. Irrita interim fuit eorum conſpiratio, qua cæleſte decretum evertere conati ſunt ne jugum ſubirent. Sic Dominus vi præfractos cogit: non ſecus ac feroces equi & refractarii, quo magis calcitrando luctantur, eo durius & violentius tractari ſolent. Quare nihil melius quam ſe ad manſuetudinem placide componere, ut ſuam quiſque ſortem, licet minus ſplendidam, æqui boni conſulat. Abſurdum tamen videtur quod tunc ſua ſomnia in memoriam revocaverit Joſeph, quaſi intermedio temporis tractu oblitus foret: quod fieri non potuit quin illi exciderint Dei promiſſiones. Reſpondeo, nihil hic referri quod non ſubinde nobis accidat. nam etiamſi cordibus noſtris inſideat verbum Dei, non tamen aſſidue occurrit: quin potius interdum ſuffocatur, ut videri queat extinctum: præſertim ubi afflictionum caligine opprimitur fides. Porro nihil mirum ſi longa malorum congeries quadam oblivione ſepelierat contraria ejus ſomnia. Deus in ſpem magnæ & præclaræ dominationis eum extulerat. In foveam ſepulchro non abſimilem conjicitur. Inde pretio venditur, rapitur in longinquam terram: acſi parum dura pet ſe foret ſervitus, in carcerem occluditur. Et quanquam nonnihil mitigatur ærumna, dum ferreis compedibus eruitur, ſpes tamen exitus vel nulla, vel exigua erat. Neque tamen exiſtimo ſpem ab eo conceptam prorſus deletam eſſe, ſed obductam nebulam, quæ conſolationis lucem ſubduceret. Sequutum eſt diverſum genus tentationis: quia nihil procliviius eſt quam ut ſumma & inſperata felici-

felicitas ſuos alumnos inebriet. Atque ita factum eſſe nuper legimus, ut ſancto viro obreperet paternæ domus oblivio. Non fuit igitur ſomniorum memor quantum decebat. Probabilis etiam alia excuſatio afferri poteſt, quod ſtatim cum rei eventu ſomnia contulerit. Et certe hæc virtus fuit non vulgaris, quod cernebat, mox trahere ad confirmandam divini oraculi fidem. Nam facile colligitur, vetuſtate temporis minime obſoleviſſe ſomnia, quorum tam prompta memoria ſuggeritur. Sic diſcipuli verborum Domini recordati ſunt, poſtquam à morte reſurrexerat: quia ex rei conſpectu plenior notitia affulſit: quum obſcuræ tantum ſcintillæ prius in eorum cordibus micarent.

15. *Per vitam Pharaonis.*] Ex formula quoque jurisjurandi nova quæſtio oritur. nam quod in Lege præcipitur, ne juremus niſi per nomen Dei, jam tunc piorum cordibus inſculptum fuit: quando hunc uni Deo honorem eſſe habendum natura dictat, ut judicium illi deferant homines, ſummumque fidei & veritatis arbitrum & vindicem conſtituant. Si dicamus non ſimplex eſſe jusjurandum, ſed etiam obteſtationis ſpeciem, aliqua ex parte excuſabilis erit ſanctus vir. Qui per Deum jurat, eum vult medium intercedere, ut pœnam exigat perjurii. Qui per vitam ſuam, vel caput jurant, quaſi fidei ſuæ pignus in medium deponunt quod maxime habent pretioſum. Hoc modo non transfertur ad hominem mortalem Dei majeſtas: quia longe aliud eſt eum citare teſtem qui jus habet ulciſcendi, quam per rem maxime charam afferere verum eſſe quod dicimus. Sic Moſes quum cælum & terram in teſtimonium advocat, non adſcribit illis deitatem, ut fabricet nova idola: ſed quo plenior Legi conſtet auctoritas, ſignificat nullam fore mundi partem quæ non apud Dei tribunal de populi ingratitudine clamet, ſi ſalutis doctrinam reſpuat. Quanquam in hac jurandi formula qua utitur Joſeph, aliquid eſſe fateor quod merito culpetur. fuit enim profana adulatio apud Ægyptios, jurare per vitam regis. Sicuti per genium principis Romani jurabant, poſtquam invaluerat ſervitus, ut Cæſares ſuos diis æquarent. Certe jusjurandum hoc à ſincera pietate abhorret. Unde perſpicere licet, nihil eſſe difficilius ſanctis Dei ſervis quam puros verſari inter mundi ſordes, ut nihil inde maculæ contrahant. Nullis quidem aulæ corruptelis ita unquam infectus fuit Joſeph quin purus maneret Dei cultor: videmus tamen dum ſe ad pravam loquendi conſuetudinem accommodat, aliqua labe fuiſſe aſperſum. Repetitio etiam oſtendit, ubi quis ſemel malo aſſuevit, nihil eſſe proclivius quam identidem peccare. Videmus eos qui ſibi temere jurandi licentiam ſemel ſumpſerunt, etiam quum res frivolæ tractantur, tertio quoque verbo jusjurandum aliquod efflare. Quo major adhibenda eſt cautio, ne qua talis indulgentia nos in prava conſuetudine obduret.

17. *Et congregavit eos in cuſtodiam.*] Hic non verbis modo, ut antea, ſed re ipſa fratribus ſe aſperum præbet Joſeph, dum in carcerem omnes concludit, tanquam mox ad ſupplicium rapturus: ac per triduum metu eos cruciat. Diximus autem paulo ante, ex ejus facto non eſſe petendam ſevere ac rigide agendi regulam: quia dubium eſt rectene fecerit an ſecus. Deinde, timendum eſt ne longe abſint ab ejus manſuetudine qui ejus exemplum obtendent: ut non tam veri imitatores futuri ſint quam ſimiæ. Interea plane liquet quorſum ſpectaverit. neque enim pœnam mitigat, acſi triduo placatus foret: verum ut de redimendo fratre, quem ipſe obſidem retinet, magis reddat ſollicitos. Cæterum ne immodicus pavor eos à reditu deterreat, bona fide cum illis ſe acturum promittit: atque ut id perſuadeat, præfatur ſe Deum timere. quæ loquutio obſervatu digna eſt. Loquitur certe ex intimo cordis ſenſu: ſe vero, quia Deum metuit, rectum & veracem fore declarat. Ergo bonæ probæque conſcientiæ, ut cum hominibus fidem & æquitatem colamus, principium & fons eſt Dei timor. Apparet quidem aliqua in Dei contemptoribus probitas: ſed quæ cito in fumum abit, niſi freno illo cohibeantur pravi carnis affectus, metuendum eſſe Deum, quia futurus eſt mundi judex. Nam quiſquis non cogitat reddendam ſibi eſſe rationem, nunquam ita integritati ſtudebit quin ſequatur quod ſibi utile eſſe putat. Quare danda opera eſt, ſi à perfidia, dolo, crudelitate, & omni improbo nocendi ſtudio puri eſſe cupimus, ut inter nos vigeat religio. Quoties autem minus ſincere vel humaniter inter nos agimus, palam ſe prodit impietas. Nam quicquid in mundo eſt rectitudinis ac juſtitiæ, brevi elogio complexus eſt Joſeph, quum dixit ſe Deum timere.

21. *Et dicebat alter alteri.*] Inſignis locus eſt, quod filii Jacob in ultimas angustias redacti, admiſſum ante annos tredecim parricidium revocant in memoriam. Priuſquam urgeret eos afflictio, torpebant. Nuper etiam retulit Moſes de morte Joſeph intrepide loquutos eſſe, acſi male ſibi conſcii non eſſent. Nunc vero quaſi ingredi coguntur in ſuas conſcientias. Videmus itaque ut rebus adverſis examinet Deus homines: & excuſſis blanditiis non modo pungat eorum animos arcano metu, ſed confeſſionem extorqueat quam libenter fugerent. Atque hoc genus examinis pluſquam neceſſarium nobis eſt. Mira eſt hominum hypocriſis ad mala tegenda: quod ſi accedat impunitas, ſocordia duplicatur. Quare nullum remedium ſupereſt, niſi ut afflictionibus & pœnis expergefiant qui torporem ſibi inducunt quamdiu illis parcit Dominus. Aliquid ergo profecit Joſeph, dum fratribus ſuis peccati ſenſum extorſit, in quo ſecure ſibi placebant. Et Dominus eorum miſertus eſt, integumentum auferens quo ſe nimis diu fefellerant: ſicuti quotidie nos manu hominum caſtigans, ad tribunal ſuum reos citat. Quanquam parum prodeſſet exerceri rebus adverſis, niſi intus corda tangeret. videmus enim quam pauci, licet duriſſimis pœnis admoniti, peccata ſua reputent: nemo certe niſi invitus ad hanc notitiam deſcendit. Quare dubium non eſt quin Deus, ut filios Jacob ad pœnitentiam adduceret, tam arcano Spiritus inſtinctu quam externa caſtigatione eos compulerit, ut peccatum nimis diu ſepultum ſentire inciperent. Obſervent etiam lectores, non tantum arripuiſſe filios Jacob quod propinquum erat, ſed veniſſe illis in mentem pœnas divinitus varie peccatoribus infligi. Et certe ut apprehendamus Dei judicia, procul oculos extendere convenit. Deus quidem interdum præſentes de peccatis pœnas exigens, ea velut in theatro ſpectanda locat: ſæpe tamen quaſi aliud agens, obſcure velut ex tenebris peccata noſtra ulciſcitur. Si tantum intuiti eſſent filii Jacob præſentem cauſam, nihil aliud poterant quam obſtrepere & conqueri ſibi fieri injuriam: ſequuta fuiſſet tandem deſperatio. Sed dum expendunt quam longe lateque pateat Dei providentia, omiſſa occaſione quæ ante oculos eſt, ad longinquam cauſam aſcendunt. Porro dubium eſt, dicantne ſe reos fieri ſuper fratre ſuo vel fratris cauſa, an fateantur ſe peccaſſe. nam Hebraicum nomen אשמים ambiguum eſt, quia nunc ad ipſum facinus commiſſum, nunc ad pœnam refertur: ſicuti Latine Piaculum ſcelus & expiationem ſignificat. Ad ſummam rei parum refert utrumvis eligas: peccatum enim agnoſcunt in reatu vel pœna. Sed mibi ſimplicior & magis genuinus videtur hic ſenſus eſſe, quod merito plectantur, quia tam crudeles fuerint adverſus fratrem. *Quia vidimus angustiam animæ ejus.* Juſta Dei ultione fieri agnoſcunt, ut ſupplicter deprecando nihil obtineant, quia inexorabiles fuerint ipſi erga fratrem. Nondum Chriſtus ore ſuo protulerat hanc ſententiam, Qua menſura menſi fueritis, *Matth. 7. verſ. 2.*

ritis, remetientur vobis alii: sed naturaliter tenebant misericordia indignos esse qui fuissent crudeles. quo magis cavere nos decet, ne ad tot Scripturæ minas surdi simus. Horribilis est illa denunciatio, Qui obturaverit aurem suam ad clamorem pauperis, vicissim clamabit ipse, & non exaudietur. Ergo dum tempus est, dilcamus humanitatem colere, compati miseris, supplicibus manum porrigere auxilii ferendi causa. Quod si quando asperius nos tractari ab hominibus contingat, precesque nostras superbe respui, tunc saltem nobis in mentem veniat si quid parum clementer à nobis actum est. nam etsi ante tempus sapere præstaret, est tamen aliquis profectus quoties nos superbe alii despiciunt, reputare annon eandem in nobis duritiem experti sint quibus nobiscum negotium erat. Frater, inquiunt, in ultima necessitate supplex nobis fuit: repudiavimus ejus preces: hæc igitur divina est talio quod nihil impetramus. His verbis testantur divinitus regi hominum corda, ut vel ad æquitatem flectantur, vel inflexibili rigore obdurescant: deinde exosam esse fœvitiam Deo. quia quum ejus bonitas per cælum & terram diffusa sit, & beneficentia non homines modo impleat, sed brutis quoque animalibus expolita sit, ejus naturæ nihil magis est adversum quam ferociter abjicere qui fidem nostram implorant.

22. *Et respondit Reuben.*] Quia conatus fuerat eripere Joseph ex fratrum manibus, ut patri salvum restitueret, culpam eorum exaggerat, quod nullum tunc sanum consilium admiserint: ac verba sic accipio quasi nimis seram pœnitentiam illis exprobret. Quod autem hac confessione nondum contentus est Joseph quin Simeonem detineat in vinculis, & suspensos perplexosque alios dimittat, non fit malevolentia: sed quia de fratre Benjamin & statu paternæ domus securus non est. Jure enim timere potuit ne fraternæ cædis machinatione prodita, ut desperati homines solent, rursus essent aggressi nefandum aliquod facinus, saltem deserto patre in aliam partem fugissent. neque tamen ejus factum pro lege habendum est: quia non semper expedit tam esse austeros: imo cavendum est ne tristitia absorbeatur peccator, nisi mites & faciles ad dandam veniam simus. Ideo Spiritus discretionis è cælo petendus est qui nos moderetur, ne quid vel turbido impetu, vel immodica duritie à nobis fiat. Hoc quidem memoria tenendum est, sub aspero vultu Joseph non lenem modo & mansuetum affectum, sed tenerrimam mollitiem latuisse.

27. *Et aperuit unus saccum suum.*] Quo consilio pretium frumenti occulte in fratrum saccis reponi jusserit Joseph, conjicere facile est. timebat enim ne pater jam exhaustus, ad emendæ rursus annonæ sumptum non sufficeret. Ipsi autem inventa pecunia, quo se vertant nesciunt: nisi quod expavefacti, Dei manum sentiunt sibi esse adversam. Nam valde fuisse attonitos inde apparet quod ultro non redeunt purgandæ innocentiæ suæ causa. promptum enim malo remedium erat, nisi fuissent prorsus excæcati. Quare rogandus est Deus ut in rebus dubiis ac turbulentis non modo fortitudinem, sed etiam consilium suppeditet. Videmus etiam quid valeat magna turba, nisi Dominus præsit. mutuo se cohortari debebant filii Jacob, & in commune dispicere quid facto opus esset: verum cessat omnis deliberatio, nihil vel solatii vel remedii affertur: imo dum quisque alios turbatos videt, mutuo inter se trepidationem augent. Nihil ergo in rebus miseris proderit hominum societas, nisi è cælo nos Dominus confirmet.

28. *Ut quid hoc fecit Deus nobis?*] Non expostulant cum Deo, acsi putarent sibi abs re creatum esse periculum: sed videntes pluribus modis sibi esse infensum, miseriam suam deplorant. Sed cur non potius sensum suum convertunt ad Joseph: prompta enim erat suspicio, fraude id esse factum, quia vellet novas insidias struere. Qui fit igitur ut hominis immemores, recta sibi Deum vindicem proponant? Nempe quia semel eorum animos occupaverat hæc cogitatio, justam & qualem promeriti erant mercedem peccatis suis rependi: quicquid deinde malorum concurrit, eodem referunt. Prius (ut diximus) obtorpuerant: ex quo autem vivo divini judicii metu tangi cœperunt, semper ante oculos se ingerit illius providentia. Sic David, postquam dictante intus Spiritu, didicit è cælo missas esse ferulas quibus castigatur, quanquam sibi aliunde mala palam infligi videt, non tamen hoc illuc distrahitur, sed Deum precatur ut vulneribus velit mederi quæ fecit. Hæc non vulgaris prudentia est, ac peræque etiam utilis, quoties aliquid adversi contigit, ad reputanda Dei judicia nos assuefacere. Videmus ut increduli dum fortuitos casus imaginantur, vel in accusandis suis hostibus defixi sunt, fremendo & tumultuando tantum exasperent dolorem, iramque Dei magis accendant. At vero quisquis se in reputandis peccatis suis exercuit, simulatque affligitur, Deum sibi judicem in conspectu statuens, coram eo se humiliat, & spe veniæ ad patientiam se componit. Sed memineremus non vere agnosci Dei providentiam, nisi conjunctam cum justitia. Nam etsi injusti sæpe sunt homines quorum manu nos castigat, tamen incomprehensibili modo sua judicia per eos exequitur, quibus obloqui vel obstrepere fas non est. Nam & reprobi interdum, licet Dei manu se percuti agnoscant, de ipso tamen conqueri non desinunt: quemadmodum in exemplo Cain docuit Moses. Ego tamen querimoniam hanc non interpretor proferri à filiis Jacob, ut Deum insimulent tyrannicæ violentiæ, sed quia perculsi metu ex pœna iterata non leviter sibi iratum esse colligunt.

29. *Et venerunt ad Jahacob patrem suum.*] Longa est superioris historiæ repetitio, sed non supervacua quia exprimere voluit Moses quam anxie patri excusaverint quod retentus esset Simeon in vinculis, & quam enixe contenderint ut ejus liberandi causa sibi liceret fratrem Benjamin deducere. Hoc enim ad rem non parum facit. Scimus quam acre sit inediæ telum: quum unica esset penuriæ levandæ ratio annonam ex Ægypto advehere, Jacob se & domum confici mavult quam Benjamin dare reliquis comitem. Quid hoc sibi vult, tam præcise negare quod filii necessitate coacti petebant, nisi quia suspectos habebat? quod etiam ex ejus verbis clarius perspicitur, dum illis suam orbitatem imputat. Quamvis enim aliquid coloris haberet quod dixerant, à fera bestia fuisse discerptum: hærebat tamen in ægro corde sancti Patriarchæ occultum ex suspicione ulcus: quia adversus innoxium puerum non minus crudele quam hostile illorum odium plus satis noverat. Porro hoc nobis cognitu utile est: nam hinc apparet quam misera fuerit sancti viri conditio, cujus animam tredecim continuis annis tam dira torsit anxietas. Adde quod ipsa taciturnitas gravius illi tormentum fuit, dum sorbere cogitur quam concepit mœstitiam. Summus vero mali cumulus tentatio fuit quæ ipsum premebat, quasi lusoria inanisque fuisset Dei promissio. Nulla enim illi spes nisi ex promisso semine. atqui diabolos se domi alere videt, à quibus non magis expectanda sit benedictio quam vita ex morte. Extinctum putabat Joseph, restabat unus Benjamin integer: quomodo ex tam vitiosa sobole prodiret mundo salus? Magna igitur constantia instructum fuisse oportet, qui in Dei verbum recumbere non destitit, ac Ecclesiam, cujus nulla fere species relicta erat, se domi fovere certo persuasus, filios toleravit quousque refispiscerent. Hoc exemplum nunc ad se accommodent fideles, ne horrenda vastitate, quæ ubique fere cernitur, labascant eorum animi.

35. *Ipsi evacuantibus saccos suos.*] Hic rursus appa-

apparet quantum in itinere perterriti fuerint, quod ſaltem quiſque ſaccum ſuum ſcrutatus non eſt poſt deprehenſam io uno pecuniam. Hæc vero ſcripta ſunt ut ſciamus ſimulac formidine perculſi ſunt homines, ne guttam quidem conſilii ac ſanæ mentis ſuppetere, quoad eos Dominus tranquillet. Porro non ſatis conſiderate in eo ſe geſſit Joſeph, quod ſummi doloris materiam patri intulit, cujus tamen penuriæ ſuccurrere in animo habebat. Quo docemur, non ſemper vel prudentiſſimos ſibi cavere, quin aliquid ex eorum factis emergat quod oollent.

36. *Me orbaſtis.*] Non exprobrat quidem aperte Jacob filiis ſuis fraternæ cædis crimen: perinde tamen iraſcitur acſi duobus ſublatis jam ad tertium perdendum feſtineot. Dicit enim hæc omnia mala in ſe unum recidere, quia non putat eos affici ut deceret, nec communem illis dolorem eſſe, ſed ſecure ludere in fratrum exitiis, acſi eorum vita ad ipſos nihil pertineat. Quod vero Ruben duos filios patri mactandos offert, niſi Benjamin illi reducat, videtur eſſe pluſquam barbarum. Scilicet Jacob nepotes ſuos occideret: quid autem ſolatii caperet io ſua ipſius viſcera ſævions? Sed hoc eſt quod prius attigi, fuiſſe ſuſpectos, quod perfide ſe geſſiſſent erga Joſeph: unde neceſſe habuit Ruben tam atroci obteſtatione diluere patris ſui timorem: fidemque facere ſe & fratres nihil impium moliri contra Benjamin.

38. *Non deſcendet filius meus vobiſcum.*] Iterum conſpicimus quaſi in viva pictura quanto mœrore conſtrictus fuerit ſanctus Jacob. Videt totam domum famelicam: mavult tamen à vita, quam à filio ſuo divelli. unde colligimus non illi ferreum pectus fuiſſe: ſed eo plus laudis meretur ejus patientia, quod cum carnis infirmitate certaos, non ſuccubuit. Tametſi autem ejus verba Moſes rhetorice non amplificat, facile tamen perſpicimus maximo dolore exæſtuaſſe, quum hoc filiis objiceret, Vos in patrem nimium eſtis crudeles, qui tertium à me filium abripitis poſtquam uno atque altero ſum ſpoliatus.

Caput XLIII.

PORro fames gravis etat in terra.

2. Itaque quum finiſſent edere alimentum quod attulerant ex Ægypto, dixit ad eos pater eorum, Revertimini, emite nobis puſillum cibi.

3. Et dixit ad eum Jehudah, dicendo, Conteſtando conteſtatus eſt nos vir, dicendo, Non videbitis faciem meam niſi fuerit frater veſter vobiſcum.

4. Si miſeris fratrem noſtrum nobiſcum, deſcendemus, & ememus tibi cibum.

5. Quod ſi non miſeris, non deſcendemus: vir enim ille dixit nobis, Non videbitis faciem meam niſi fuerit frater veſter vobiſcum.

6. At dixit Iſraël, Utquid malefeciſtis mihi, ut nunciaretis viro quod adhuc ſrater eſſet vobis.

7. Et dixerunt, Interrogando interrogavit vir ille de nobis & cognatione noſtra, dicendo, Num adhuc pater veſter vivit? num eſt vobis frater? & nunciavimus ei ſecundum verba iſta: numquid ſciendo ſciebamus quod dicturus eſſet, Deſcendere faciatis fratrem veſtrum?

8. Et dixit Jehudah ad Iſraël patrem ſuum, Mitte puerum mecum, & ſurgemus, & proficiſcemur, & vivemus, & non moriemur etiam nos, etiam tu, etiam parvuli noſtri.

9. Ego fidejubeo pro illo, de manu mea requiras eum: niſi reduxero eum ad te, & ſtatuero eum ante te, pœnæ obnoxius ero tibi omnibus diebus.

10. Quia niſi tardaviſſemus, certe nunc reverſi ſuiſſemus jam bis.

11. Et dixit illis Iſraël pater eorum, Si ita nunc *oportet*, hoc facite: tollite de optimis fructibus terræ in vaſis veſtris, & deferte ad virum munus, puſillum reſinæ & puſillum mellis, aromata & ſtacten, pineas, & amygdalas.

12. Et pecuniam duplicem capite in manibus veſtris: & pecuniam repoſitam in ore ſaccorum veſtrorum reponetis in manu veſtra, ſi forte error eſſet.

13. Et fratrem veſtrum capite, & ſurgite, revertimini ad virum.

14. Deus autem omnipotens det vobis miſericordias ante virum, & dimittat vobis fratrem veſtrum alium, & Benjamin. & ego quemadmodum orbatus ſum, orbatus ſum.

15. Et ceperunt viri munus hoc, & duplicem pecuniam ceperunt in manu ſua, & Benjamin: & ſurrexerunt, & deſcenderunt in Ægyptum, & ſteterunt coram Joſeph.

16. Et vidit Joſeph cum eis Benjamin, & dixit præfecto domus ſuæ, Addue viros in domum, & macta, & prepara: quia mecum comedent viri in meridie.

17. Et fecit vir quemadmodum dixit Joſeph: & venire fecit vir homines in domum Joſeph.

18. Et timuerunt viri quod adducti eſſent in domum Joſeph, & dixerunt, Propter pecuniam quæ reddita eſt in ſaccis noſtris in principio, ſumus adducti, ut volvat ſe contra nos, & jactet ſe ſuper nos, & capiat nos in ſervos, & aſinos noſtros.

19. Et acceſſerunt ad virum qui erat ſuper domum Joſeph, & loquuti ſunt ad eum in oſtio domus.

20. Et dixerunt, Quæſumus, domine mi: deſcendendo deſcendimus in principio ad emendum eſcam.

21. Et fuit, quum veniſſemus ad hoſpitium, & aperuiſſemus ſaccos noſtros, ecce pecunia uniuſcujuſque erat in ore ſacci ſui: pecunia noſtra ſecundum pondus ſuum: & retulimus eam in manu noſtra.

22. Et pecuniam aliam detulimus in manu noſtra ad emendum eſcam: neſcimus quis poſuerit pecuniam noſtram in ſaccis noſtris.

23. Et dixit, Pax vobis, ne timeatis, Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis theſaurum in ſaccis veſtris, pecunia veſtra venit ad me: & adduxit ad eos Simhon.

24. Et venire fecit vir ille homines in domum Joſeph: & dedit aquam, & laverunt pedes ſuos, & dedit pabulum aſinis eorum.

25. Paraverunt autem munus, dum veniret Joſeph in meridie: audierunt enim quod ibi comeſturi eſſent panem.

26. Et venit Joſeph ad domum, & attulerunt ei munus quod erat in manu eorum in domum: & incurvaverunt ſe ei ſuper terram.

27. Et interrogavit eos de proſperitate, & dixit, Num ſanus eſt pater veſter ſenex quem dixeratis? Num adhuc vivit?

28. Et dixerunt, Proſpere eſt ſervo tuo patri noſtro, adhuc vivit: & prociderunt, & incurvaverunt ſe.

29. Et levavit oculos ſuos, & vidit Benjamin fratrem ſuum, filium matris ſuæ, & dixit, Num iſte eſt frater veſter minimus quem dixeratis mihi? Et dixit, Deus miſereatur tui, fili mi.

30. Et feſtinavit Joſeph, quia incaluerant miſerationes ejus ſuper fratrem ſuum, & quæſivit ut fleret: ingreſſus eſt itaque cubiculum, & flevit ibi.

31. Et lavit faciem ſuam, & egreſſus eſt, & vim fecit ſibi, & dixit, Apponite panem.

32. Et appoſuerunt ei ſeorſum illiſque ſeorſum: & Ægyptiis qui comedebant cum eo, ſeorſum. non enim poterant Ægyptii comedere cum Hebræis panem: quia abominatio erat Ægyptiis.

33. Et ſederunt coram eo, primogenitus ſecundum primogenituram ſuam, & parvus juxta parvitatem ſuam: & admirati ſunt viri unuſquiſque ad proximum ſuum.

34. Et accepit partes à facie ſua ad illos, & multiplicavit partem Benjamin pluſquam partes omnium illorum: quinque partibus: & biberunt, & inebriaverunt ſe cum eo.

1. *Porro fames gravis erat in terra.*] Hoc capite narratur ſecunda io Ægyptum profectio filiorum Jacob, quum prior annona conſumpta eſſet. Quæri autem poteſt hoc loco quomodo familiam vel ad paucos dies aluerit Jacob tam exiguo tritico. nam ut demus plures à ſingulis ductos fuiſſe aſinos, quid hoc ad paſcendos trecentos homines? Nam quum majore ſervorum numero abundaret Abraham, & de ſervis Iſaac ſupra facta fuerit mentio: non eſt credibile ſic prorſus nudatum fuiſſe Jacob, ut ſervus nullus reſtaret. Si dicamus hominem advenam fame fuiſſe coactum ad omnes vendendos, incerta erit divinatio. Mihi videtur magis conſentaneum, glandibus, berbis, & radicibus victitaſſe. Scimus enim Orientales, præſertim ubi urget aliqua neceſſitas, contentos eſſe tenui & arido victu: & videbimus paulo poſt, io illa tritici penuria, fuiſſe aliorum fructuum proventum. Sic igitur arbitror, non plus emptum fuiſſe tritici quam quod ipſi Jacob liberiſque ac nepotibus in frugalem & reſtrictum cibum ſufficeret: ſervis demenſum aliunde fuiſſe confectum. Nec vero dubium eſt quin tota regio pro ſervorum alimentis ad glandes & hujuſmodi ſubſidia confugere coacta fuerit, ac paois triticeus fuerit divitum lautitiæ. Dura porro fuit hæc tentatio, quod ſanctus Jacob, cujus curam ſuſceperat Deus, inedia propemodum cum ſuis tabeſcit, quod terra cujus conſtitutus erat dominus, ut illic felix rerum omnium copia afflueret, panem etiam peregrino negat. Potuit enim gravis eum dubitatio percellere quid ſibi vellet præclara illa promiſſio, Ego ſum Deus Sadai, creſce & augeſce: ego tibi benedicam. Utile nobis eſt hæc ſanctorum Patrum certamina habere cognita, ut iiſdem quibus vicerunt armis pugnantes, nos quoque invicti ſtemus, quamvis Deus præſeoti auxilio nos deſtituat.

3. *Et dixit ad eum Jehudah.*] Videtur Judas aliquid affingere, ut à patre extorqueat quod ſciebat non libenter daturum: ſed probabile eſt multos ultro citroque habitos fuiſſe ſermones, quos Moſes ſuo loco non recenſuit. Nec mirum eſt, quum tam cupide appeteret Joſeph conſpectum fratris ſui Benjamin, quibuſcunque potuit modis in hoc incubuiſſe. ac fieri poteſt ut teſtificatio, hoc eſt, legitima ſponſio, ſicuti in judiciis fieri ſolet, interceſſerit de ſiſtendo fratre. Hoc vero notatu dignum, referri longam diſceptationem à Moſe, quam habuit cum filiis ſuis Jacob, ut ſciamus quam ægre paſſus ſit à ſe avelli filium ſuum Benjamin. Tametſi enim urgeat fames, non tamen de illo retinendo ſecus contendit quam ſi de totius familiæ ſalute certaret. Unde iterum conjicimus, filios habuiſſe ſuſpectos nefariæ conſpirationis. Qua etiam de cauſa Judas ſponſorem ſe offert. Neque enim de eventu quicquam promittit: ſed tantum ut ſe & fratres purget, hac lege Benjamin recipit in ſuam cuſtodiam, ut ſi quid ei fuerit illatum injuriæ, pœnam ipſe crimeoque ſuſtineat. Porro ab exemplo Jacob tolerantiam diſcamus, ſi ſæpe Domious quaſi adhibitis tormentis multa nos præter animi ſententiam facere cogat. neque enim aliter filium dimittit, quam ſi ad mortem proſtitueret.

11. *Tolliste de fructibus optimis.*] Quanquam fructus quos enumerat Moſes, magna ex parte non erant admodum pretioſi: quia tamen non ea erat conditio ſancti Jacob, ut muous aliquod regium mitteret: prout ferebat mediocris facultas, ratiooem habuit placandi Joſeph. Deinde ſcimus fructus non pretio ſemper æſtimari. Cæterum poſtquam filiis mandavit quod utile eſſe ducebat, tandem convertit ſe ad preces, ut Deus favorem ipſis apud præfectum Ægypti conciliet. Utrumque nobis agendum eſt, quoties in aliquo negotio perplexi ſumus. nam nec quicquam eorum quæ expediunt, vel uſui fore videntur, omittere conveoit: & tamen in Deum recumbere oportet. Nihil enim ignaviæ affine habet fidei tranquillitas: ſed quiſquis proſperos rerum ſuarum ſucceſſus à Domino expectat, ſimul diſpicit quæ in manu ſunt media, applicatque in uſum præſentem. Hanc vero interea modeſtiam ſerveot fideles, ut omnibus ſedulo tentatis, nihil tamen induſtriæ ſuæ tribuant: ſed certo perſuaſi ſint irrita fore quævis ſtudia, niſi Dominus benedicat. Obſervandum quoque in forma precationis eſt, quod Jacob hominum corda Dei arbitrio ſubjicit. Dum nobis negotium eſt cum hominibus, ideo non reſpicimus in Dominum, quia ipſum non agnoſcimus, ut par erat, arcanum eſſe cordium moderatorem. Atqui quantumvis effreni impetu ferantur homines, certum tamen eſt divinitus eorum affectus flecti in utram-

utramvis partem, ut ferociam mitiget quoties visum fuerit: vel ad sævitiam impellat qui prius mansueti fuerant. sic Jacob, quanquam experti erant filii sui austeram duritiem in Joseph, cor tamen ejus in manu Dei fore confidit, ut repente ad humanitatem formetur. Sicuti autem, ubi nobis iniqui sunt homines, sperandа est à Domino, & petenda mutatio in melius: ita rursus tenendum est, non fieri sine Dei consilio, quod se asperius erga nos gerunt.

14. *Et ego quemadmodum orbatus sum.*] Videtur parum sibi constare Jacob. nam si ex fide concepta fuit illa precatio, quam nuper retulit Moses, debebat esse quietior, saltem gratiæ Dei locum dare. Atqui videtur sibi præcidere omnem fiduciæ ansam, ubi nihil præter orbitatem sibi residuum facit. Vox est desperati hominis, Orbus manebo sicuti sum. Quasi vero frustra precatus sit, vel ficte professus remedium esse in manu Dei. Verum si expendimus ad quos dirigat sermonem, facilis est solutio. Dubium certe non est quin firmus steterit in promissione sibi data: ideoque speraverit aliquem precis suæ fructum: pungere tamen suos filios voluit, ut majorem haberent fratris sui curam. Fuit enim hæc non vulgaris commendatio, quum viderent patrem dolore prorsus confectum & fere exanimem, donec filium Benjamin salvum recuperet. Varie tamen hæc verba interpretes exponunt. Quidam putant eum conqueri, quod nunc in totum orbus fiat. Aliis videtur hic esse sensus, nihil posse deterius accidere, ex quo Joseph perdidit, quem omnibus præferebat. Alii volunt duplicem orbitatem notari, acsi dixisset, Careo duobus filiis, nunc eo stertius sequetur. Quid autem si interpretemur, Video quid agatur mecum: ego sum miserrimus senex: domum, quæ nuper populosa erat, fere desertam video: ut in genere deploret se nudari omnibus filiis, non de parte solum loquatur. Consilium porro ejus fuit, injicere filiis sollicitudinem, quo majori fide & studio in suum officium incumberent.

16. *Et dixit præfecto domus suæ.*] Hinc perspicitur fraternus animus Joseph: quanquam incertum est, fueritne plane reconciliatus, sicuti paulo post suo loco attingam. Cæterum etiamsi memor offensæ, fratres suos minus amaverit, longe tamen abfuit à vindicta. Quia autem suspiciosum erat homines exteros & ignobiles à summo regni præfecto amice tanquam notos hospites convivio excipi, novum metum concipiunt filii Jacob, quod velit omnes in vincula conjicere: ideoque pecuniam dolose in saccis fuisse absconditam, ut fingendi criminis esset occasio. Probabile tamen est venisse illis in mentem scelus commissum adversus Joseph, & metum hunc à mala conscientia fuisse profectum. Nisi enim eos torqueret Dei judicium, non erat causa cur metuerent tantam perfidiam. Absurdum videtur, homines ignotos convivio excipi à viro principe, summæque dignitatis. Sed cur non inclinant potius in diversam conjecturam, hoc ideo facere præfectum Ægypti, ut amicis novum & insolitum spectaculum exhibeat, undecim germanos fratres in mensa una sedentes? Fiet quidem interdum ut etiam optimos quosque invadat similis anxietas: sed malo hoc tribuere Dei judicio, quod filii Jacob, qui sibi male conscii erant ob fratrem inhumaniter tractatum, suspicantur eodem modo secum agi: se tamen mature purgant priusquam de furto quæratur. Sponte autem profiteri repertam fuisse in saccis pecuniam, & domo relatam in promptu numerare, magnum innocentiæ signum erat. Porro hoc facere occupant in ipso atrio, quia suspicio suberat, simulac domum ingressi forent, quæstionem habitum iri.

23. *Pax vobis.*] Quia שלום Hebræis non modo pacem, sed prosperum quemvis & optabilem statum lætosque eventus significat, bifariam exponi potest hic locus: vel quod procurator domus Joseph jubeat ipsos placato esse & securo animo: vel quod illis bene & feliciter esse pronunciet. Huc quidem redit summa, non esse timendi causam, quia res ipsorum bene habeant. Quia autem humanitus fieri non poterat, ut pretium tritici quod in saccis fuerat repertum, solvissent, hoc Dei gratiæ adscribit. Quamvis enim tunc in mundo vera religio fere extincta esset, voluit tamen Deus semper in hominum cordibus aliquam bonitatis suæ notitiam hærere, ut essent inexcusabiles. Hinc factum est, ut natura duce Divinum vocabulum increduli omne præstantius bonum. Porro quia sic invalueratcorruptio, ut singulis gentibus liberum esset diversos colere deos: procurator domus Joseph, Deum qui colitur à filiis Jacob, ab idolis Ægyptiis discernit. Probabilis tamen conjectura est, aliquo pietatis gustu hunc hominem fuisse imbutum. Scimus quanta fuerit gentis illius arrogantia, ut totum mundum in deorum cultu despere putaret. Ergo, nisi melius aliquid didicisset, nunquam dignatus foret tanto honore alios quam patriæ suæ deos. Deinde miraculum non adscribit Deo terræ Chanaan, sed patri eorum peculiarem Deum assignat. Ego itaque non dubito quin Joseph, licet palam receptis superstitionibus nihil corrigere licuerit, domi saltem conatus sit erigere verum unius Dei cultum, ac semper infixum tenuerit fœdus illud, de quo puer à patre audiverat. Quod eò magis notandum est, quia sine odio in gente tam superba non potuit sanctus vir vel minimum à communi usu deflectere. Ergo in persona œconomi laudatur virtus Joseph, quia publicam invidiam non veritus, intra privatos parietes vero Deo honorem tribuit. Si quis roget, unde sciverit Jacob esse veri Dei cultorem: in promptu est responsio, Joseph non usque adeo fuisse crudelem, quin Simeonem captivum clementer jusserit tractari. Quanquam pro obsidelicto erat, si tamen creditus fuisset explorator, duriter eum tractasset custos carceris. Mandatum ergo aliquod dari oportuit humanæ vel mediæ tractationis. Unde probabilis elicitur conjectura, Joseph domus suæ præfecto, qui à consiliis interior erat, rem aperuisse.

25. *Donec veniret Joseph meridie.*] Dubium est, fueritne ordinaria hæc prandendi hora Ægyptiis, an citius solito propter convivas accubuerit illo die Joseph. Verisimile tamen est, notari consuetum prandendi morem. Quanquam Orientalibus quoque populis diversa esse potuit victus ratio: non soli tamen Ægypto in usu fuerunt prandia, sed Judææ & aliis vicinis regionibus. Credibile tamen est, fuisse illis cœnarum loco, quod & longæ mensæ forent, nec calidis gentibus tolerabilis fuisset nostra edacitas: præsertim quum solito lautius exciperent hospites: quemadmodum tunc factum esse paulo post constabit. Lotio pedum (ut antea vidimus) hospitalitatis officium fuit, lassitudinis sanandæ causa: & quod in illis partibus facile erat uredinem contrahere, quoties iter pedibus faceremt. Hoc etiam antiquo more fuit magis honorificum, fercula singulis mitti à Joseph, quam à coquo distribui. Verum hæc quia levia sunt, & nihil ad pietatem conferunt, leviter tantum delibo: omitterem etiam prorsus, nisi quod scrupulum eximere imperitis interdum utile est, modo id parce & breviter fiat.

32. *Non enim poterant Ægyptii.*] Moses non posse dicit, quod tanquam illicitum horrebant. Quia enim obstabat religio, constricti fuerunt ne possent quod non audebant. Docet autem hic locus quanta fuerit gentis illius superbia. unde enim factum est ut tantopere detestarentur Hebræos, nisi quia se solos in mundo puros & sanctos, Deoque gratos esse fingunt? Præcipit quidem Deus suis cultoribus ut se ab omnibus Gentium inquinamentis abstineant. Verum ut quis se ab aliis separet, purus sit ipse oportet ac integer. Perperam ergo id ad se trahunt superstitiosi,

tioſi, qui iotus geſtant ſuam immunditiem, & quibus nulla conſtat ſinceritas. Altero quoque morbo laborat ſuperſtitio, quod ſcilicet plena eſt faſtus, ut cunctos homines vitiorum prætextu deſpiciat. Quæritur tamen an ideo ſeparati fuerint Ægyptii à Joſeph quod eum quoque pollutum ducerent: hoc enim videntur Moſis verba innuere. Si hoc recipitur, tanti fuit illis falſa religio, ut præfectum contumeliis afficere non dubitaverint. Potius tamen conjicio, Joſeph honoris cauſa ſeorſum ab illis accubuiſſe: quoniam abſurdum eſſet vocari ab eo convivas, qui communem menſam reſpuerent. Itaque probabile eſt, diſtinctum ipſi Joſeph fuiſſe ordinem, quoniam ita ferebat ejus dignitas: Ægyptiis autem non fuiſſe permixtos filios Jacob, quia illis eſſent abominabiles. Nam etſi nota erat origo Joſeph, tranſierat tamen ad Ægyptios ut eſſet quaſi unus è corpore. Quo etiam conſilio nomen impoſitum à rege fuerat, quum ſummæ præfecturæ inſignibus eum ornaret. Cæterum quum videmus Eccleſiam Dei à profanis hominibus runc adeo ſuperbe fuiſſe deſpectam, non eſt quod miremur talibus hodie probris nos quoque ſubjici. Interim danda opera eſt ut nos à ſordibus mundi puros Domino ſervemus: & ita ſtudium hoc temperandum, ut ſimus à vitiis potius alieni quam ab hominibus. Nam & ideo ſanctificat filios ſuos Deus ut à vitiis infidelium, inter quos verſantur, ſibi caveant: nihilominus in ſocietatem pietatis alliciant, quicunque ſunt ſanabiles. Duo autem hic videnda ſunt: nempe ut nobis probe conſtet fidei noſtræ veritas: deinde ne moroſitas noſtra nimia ſine fructu multos à Domino prorſus alienet, qui alioqui lucri fieri poterant. Neque enim præciſe jubemur abominari impios, ut cuoi illis non veſcamur: ſed ſocietatem fugere quæ nos eodem jugo implicet. Confirmat præterea hic locus quod prius docui, Hebræos non à tranſitu fluminis (ut falſo quidam opinantur) ſed ab atavo ſuo Heber ſic fuiſſe vocatos. Neque enim familiæ unius teouis & procul diſſitæ adeo celebris erat fama in Ægypto, ut publici diſſidii cauſa foret.

33. *Primogenitus ſecundum primogenituram ſuam.*] Quanquam inter filios Jacob quatuor erant ex ancillis nati: quia tamen natu majores ſunt, ordine præcedunt fratres ſuos minores, qui ex matribus ingenuis deſcenderant. Unde apparet aſſuefactos eſſe à patre ad hunc ordinem tenendum. Ubi ergo illud, dicet quiſpiam, Non erit hæres filius ancillæ cum filio matrisfamilias? Equidem exiſtimo, quum cæleſti oraculo per os Saræ abdicatus fuerit Iſmaël, ſicuti poſtea Eſau, Jacob mature edoctum fuiſſe, quoſcunque genuiſſet filios, totidem ſibi promiſcue eſſe hæredes. Hinc iſta æquabilitas ut quiſque pro ætatis gradu, vel primum, vel medium, vel ultimum locum teneret. Huc autem ſpectat conſilium Moſis, licet uſtimus eſſet Benjamin, honore tamen alios omnibus fuiſſe prælatum: quia ſe non continuerit Joſeph quin ſui erga eum amoris præcipuum ſignum daret. Habebat quidem in animo ſe tegere: ſed affectus dominatur, ut præter animi propoſitum io declarationem amoris ſubito erumpat. Ex fine capitis colligimus quod nuper attigi, lautius fuiſſe convivium, in quo large & bilariter præter quotidianum morem excepti fuerint. Hoc enim ſignificat verbum רוה, quod inebriari vertunt: vel quia non ſemper vinum bibere ſolebant, vel quia in menſis hoſpitalibus major erat indulgentia. Neque tamen hic notatur ulla iotemperies (ne vinolenti homines exemplum ſanctorum Patrum ſuo flagitio prætexaot) ſed honeſta modeſtaque liberalitas. Fateor quidem verbum eſſe medium, & quod ſæpe in malam partem capitur: ut ſupra capite 9. verſ. 21. & ſimilibus locis: in loco tamen præſenti clarum eſt Moſis conſilium. Si quis excipiat, frugalem cibi & potus uſum non alium eſſe quam qui alendo corpori ſufficit: reſpondeo, Quamvis alimenta proprie ſubſidia ſint noſtræ neceſſitatis, ulterius tamen progredi legitimum eorum uſum. Neque enim præter vitalem ſuccum fruſtra cibis ioditus eſt ſapor: ſed ut nos cæleſtis Pater ſuis deliciis ſuaviter oblectet. Nec fruſtra Pſal 104. verſ. 15. laudatur ejus benignitas, ubi dicitur vinum creare quod hominis cor exhilaret. Cæterum quo humanius nobia indulget, eo magis ſollicite reſtringere nos decet ad frugalem uſum. Scimus enim quam effrenes ſint carnis appetitus. Unde fit ut in copia fere ſemper laſciviat, penuriæ vero ſit impatiens. Nobis vero tenenda eſt illa Pauli ratio, ut ſciamus eſurire & abundare: hoc eſt, ſollicite cavendum, ſi largior ſupperat copia, ne ad luxuriam nos abripiat: rurſus videndum ut inopiam æquo animo feramus. Dicet forte quiſpiam, plus ſatis ingenioſam eſſe carnem ad fucandum luxum: ideoque nihilo plus eſſe illi dandum quam neceſſitas poſtulat. Et certe fateor, ſedulo quod præſcribit Paulus Rom. 13. verſ. 14. ſervandum eſſe, ne illius curam agamus ad concupiſcentias. Sed quia magnopere iotereſt piotum omnium, tranquillis conſcientiis percipere ex Dei manu ſuum victum, tenere neceſſe eſt quouſque licitus panis & vini uſus ſe extendat.

CAPUT XLIV.

ET præcepit præfecto domus ſuæ, dicendo, Imple ſaccos virorum eſca, quantum potuerint ferre, & pone pecuniam uniuſcujuſque in ore ſacci ſui:

2. Et ſcyphum meum, ſcyphum argenteum, pone in ore ſacci junioris, & pecuniam alimenti ejus. & fecit ſecundum verbum Joſeph quod loquutus fuerat.

3. Mane illuxit, & viri dimiſſi ſunt, ipſi & aſini eorum.

4. Ipſi egreſſi erant urbem, nec longe abierant quum Joſeph dixit præfecto domus ſuæ, Surge, perſequere viros, & apprehende eos, & dices eis, Utquid reddidiſtis malum pro bono?

5. Nonne hic eſt in quo bibit dominus meus: & ipſe augurando auguratur in eo? male feciſtis quod feciſtis.

6. Et apprehendit eos, & loquutus eſt ad eos verba iſta.

7. Et dixerunt ad eum, Utquid loquitur dominus meus ſecundum verba iſta? abſit à ſervis tuis ut faciant ſecundum verbum hoc.

8. Ecce, pecuniam quam invenimus in ore ſaccorum noſtrorum retulimus ad te è terra Chenaan: & quomodo furati eſſemus è modo domini tui argentum vel aurum?

9. Is penes quem inventus fuerit è ſervis tuis, moriatur: & etiam nos erimus domino meo ſervi.

10. Et

10. Et dixit, Etiam nunc secundum verba vestra ita sit: is penes quem inventus fuerit, erit mihi servus, & vos eritis innocentes.

11. Et festinaverunt, & deposuerunt unusquisque saccum suum super terram: & aperuerunt singuli saccum suum.

12. Scrutatus est autem: à maximo incepit, & in minimo finivit: & inventus est scyphus in sacco Benjamin.

13. Et sciderunt vestimenta sua, & oneravit unusquisque asinum suum, & reversi sunt in urbem.

14. Veneruntque Jehudah & fratres ejus ad domum Joseph, & erat adhuc ipse ibi: & prostraverunt se coram eo super terram.

15. Et dixit ad eos Joseph, Quod facinus est hoc quod feci stis? nonne nostis quod augurando auguratur vir qui est sicut ego?

16. Respondit Jehudah, Quid dicemus domino meo? quid loquemur, & in quo justificabimus nos? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: ecce, sumus servi domini mei, etiam nos, etiam ille in cujus manu inventus est scyphus.

17. Ille autem dixit, Absit à me ut faciam hoc: vir in cujus manu inventus est scyphus, ipse erit mihi servus: & vos ascendite in pace ad patrem vestrum.

18. Et accessit ad eum Jehudah, & dixit, Quæso, domine mi: loquatur quæso servus tuus verbum in auribus domini mei, & ne irascatur furor tuus in servum tuum: quia tu sicut Pharao.

19. Dominus meus interrogavit servos suos, dicendo, Numquid est vobis pater vel frater?

20. Et diximus domino meo, Est nobis pater senex, & puer senectutum parvus, frater autem ejus mortuus est: & remansit ipse tantum matris suæ, itaque pater ejus diligit eum.

21. Et dixisti servis tuis, Descendere facite eum ad me, & ponam oculum meum super eum.

22. Respondimus vero domino meo, Non potest puer relinquere patrem suum: & si reliquerit patrem suum, morietur.

23. Tu autem dixisti servis tuis, Nisi descendat frater vester minimus vobiscum, ne addatis ut videatis faciem meam.

24. Fuit igitur, quando ascendimus ad servum tuum patrem meum, & narravimus ei verba domini mei,

25. Dixit pater noster, Revertimini, emite nobis pusillum escæ.

26. Et diximus, Non possumus descendere: si fuerit frater noster minimus nobiscum, descendemus: quia non possumus videre faciem viri illius, fratre nostro minimo non existente nobiscum.

27. Tunc dixit servus tuus pater meus nobis, Vos nostis quod duos pepererit mihi uxor mea.

28. Egressus est unus à me, & dixi, Certe rapiendo raptus est: & non vidi eum hactenus.

29. Et capietis etiam hunc à facie mea, & accidet ei mors, descendereque facietis canitiem meam in malo ad sepulchrum.

30. Nunc ergo quum venero ad servum tuum patrem meum, & puer non fuerit nobiscum, (& anima ejus ligata est cum anima ipsius)

31. Erit sane, quum viderit ipse quod non sit puer, morietur, & descendere facient servi tui canitiem servi tui patris nostri cum dolore ad sepulchrum.

32. Servus enim tuus fidejussit pro puero patri meo, dicendo, Si non reduxero eum ad te, obnoxius ero pœnæ patri meo omnibus diebus.

33. Et nunc maneat quæso servus tuus pro puero servus domino meo, puer autem ascendat cum fratribus suis.

34. Quomodo enim ascendam ad patrem meum, si puer non fuerit mecum? ne forte videam malum quod inveniet patrem meum.

1. *Et præcepit præfecto domus.*] Hic narrat Moses quam astutiam commentus fuerit Joseph ad tentandos fratrum animos. Diximus autem alibi, quum nobis ex Dei mandato colenda sit simplicitas, hoc exemplo & similibus non licere ad obliquas & dolosas artes deflectere. Fieri enim potest ut peculiari Spiritus motu ad hoc consilium impulsus fuerit Joseph: sicuti etiam certa illi nec vulgaris ratio fuit magis exacte inquirendi qualiter affecti fuerint fratres. Charitas suspiciosa non est. Cur ergo tantopere fratribus diffidit, nec sibi quicquam boni persuadet, nisi post rigidum examen habitum? Verum quia plusquam crudeles & perfidos expertus fuerat, excusabilis est ejus suspicio, si mutatos in melius non credit, donec penitus perspectam habeat & cognitam eorum pœnitentiam. Quia autem rara etiam in hac parte & admodum difficilis virtus est, modum tenere: cavendum est ne in austera agendi ratione imitemur exemplum Joseph, nisi deposita omni vindicta, simus ab omni odio puri & immunes. Nam charitas, ut liquida est, & omni turbido impetu caret, optime dicbabit quousque progredi expediat. Quæritur tamen, si facile adducti essent filii Jacob ad prodendam salutem Benjamin, quid facturus fuerit ipse Joseph. Conjicere enim promptum est, exploraſſe eorum fidem, ut si eos comperisset improbos, retento Benjamin, turpiter à se ejiceret. Hoc autem modo depertus fuisset pater, & pessundata Ecclesia Dei. Et certe non sine suo periculo eos examinat: quia fieri vix potuit quin gravius aliquid & aspe-

aſperius in eos ſtatueret, ſi iterum lapſi eſſant. ſingulari ergo Dei gratia factum eſt, ut alios ſe probarint quam timuerat. Duplex interea fuit ejus examinis utilitas: quod fratrum integritas bene cognita magis placavit ejus animum: deinde quod aliqua ſaltem ex parte priorem infamiam, quam ex ſcelere ſuo contraxerant, apud poſteros levavit.

2. *Et ſcyphum meum, ſcyphum argenteum.*] Mirum videri poſſet, in tanta opulentia non potius in aureo calice bibiſſe Joſeph. Certe vel illius ſeculo major adhuc continentia fuit, ac minus ſumptuoſus ſplendor: vel hoc tribuendum eſt homiois temperantiæ, quod in ſumma licentia, mediocri tamen cultu, & nitido potius quam magnifico contentus fuit. Niſi forte propter artificium ſcalpturæ hoc argentum pluris fuit auro: quemadmodum ex profanis hiſtoriis conſtat, ſæpe majoris pretii fuiſſe formam quam materiam. Probabile tamen eſt, Joſeph invidiæ fugiendæ cauſa fuiſſe in ſplendore domeſtico mediocrem. Niſi enim prudenter ſibi caviſſet, ſtatim ex æmulatione natum fuiſſet illi cum aulicis certamen. Porro ſcyphum ineludi jubet in ſacco Benjamin ut furti convictum ſibi addicat, reliquis dimiſſis: omnes tamen pariter accuſat, tanquam inſcius quiſnam eorum crimen deſignaverit. Ac primum quidem exprobrat ingratitudinem, quod tam amice recepti, peſſimam mercedem rependerint. Deinde inexpiabile crimen eſſe contendit: quia rem omnium pretioſiſſimam ablaturi erant, nempe calicem in quo & bibere ſolebat, & augurari. Idque facit per ſuum œconomum, quem in tyrannide & prædonum violentia non exercuerat. Unde colligo, non fuiſſe illi prorſus abſconditum beti conſilium.

5. *Augurando auguratur in eo.*] Varie exponitur hoc membrum. Quidam enim ita accipiunt, quaſi Joſeph conſultos à ſe ariolos ſimulet, ut furem cognoſceret. Alii autem vertunt, In quo tentando tentavit vos, vel rimando rimatur. Alii, quod ſcyphus ſubreptus quaſi ſiniſtrum omen fuerit ipſi Joſeph. Mihi tamen videtur genuinus eſſe ſenſus ille: quod ſcypho ad divinationes & magicas artes uſus fuerit. quod tamen finxiſſe diximus augendæ invidiæ cauſa. Sed exuritur quæſtio, quomodo ſibi permittat Joſeph tale figmentum. Præterquam enim quod auguria profiteri illi nefas fuit, perperam & indigne cæleſtis gratiæ laudem tranſfert ad dæmonia. Prius negabat ſe idoneum fore ſomnii interpretem, niſi quatenus veritatem Deus ſuggereret: nunc totum illud gratiæ Dei elogium obliterat: & quod deterius eſt, magum ſe jactans pro Dei Propheta, impie profanat Spiritus ſancti donum. Certe in hac ſimulatione graviter eum peccaſſe negandum non eſt. Ego tamen ſic ſentio, modis omnibus quoad potuit, inirio conatum eſſe, ſuum aſſerere Deo honorem: ac minime per eum ſtetiſſe quio totum Ægypti regnum cognoſceret, illum non magicis artibus, ſed cæleſti dono excellere tanta ſolertia. Verum quia magorum præſtigiis aſſueti erant Ægyptii, prævaluit vetuſtus error, ut Joſeph alium eſſe crederent. nec dubito quin rumor ille in plebe vagatus ſit: quamvis illo repugnante & invito. Nunc quum ſe extraneum hominem fingat Joſeph, uno contextu multa mendacia involvens, vanam hanc opinionem à vulgo mutuatur, quod auguria captet. Unde colligimus, ubi ſemel quiſpiam à recta linea deflexit, quam proclivis ſit in varia peccata lapſus. Quare hoc exemplo moniti, diſcamus nihil nobis permittere niſi quod ſcimus Deo probari. Præſertim vero cavenda eſt omnis ſimulatio, quæ noxias impoſturas vel parit vel confirmat. Deinde monemur, non ſufficere ſiquis ſe ad tempus opponat exorienti vitio: niſi accedat conſtantia ad reſiſtendum, quantumvis ebulliat. Nimis enim leviter defungitur, qui ſemel teſtatus ſibi diſplicere quod malum erat, poſtea ſuo ſilentio vel conniventia quoddam aſſenſus ſignum præbet.

7. *Et dixerunt ad eum.*] Intrepide excuſant filii Jacob, eo quod bona conſcientia fiduciam illis daret. Utuntur etiam argumento à majore ad minus. relata enim ſponte pecunia, quam in ſnum commodum impune vertere licebat, ſe fidem ſuam probaſſe contendunt, ut credibile non ſit modico lucro fuiſſe excæcatos, quo ſummum dedecus eum præſenti vitæ diſcrimine ſibi acciverent. Itaque quamvis pœnam ſubire parati ſunt, ſi deprehenſum apud eos fuerit furtum. ubi repertus eſt ſcyphus in ſacco Benjamin, nullas eorum querimonias refert Moſes: ſed tantum narrat conſciſſis veſtibus acerbiſſimum mœrorem eſſe teſtatos. Nec vero dubito quin re inopinata perculſi obmutuerint. Neque enim ſola doloris magnitudo eos reddidit attonitos: ſed quod ſe pœnæ obnoxios cernebant, quum ſibi non eſſent male conſcii. Itaque ubi ventum eſt in conſpectum Joſeph, noxam fatentur: non quod agnoſcant objectum ſibi ſcelus, ſed quia excuſando nihil proficerent: acſi dicant, Nihil tergiverſari juvat in re manifeſta. Hoc ſenſu dicunt iniquitatem ſuam à Deo deprehenſam: quia etſi fraudis obſcura ſuberat aliqua ſuſpicio, quod ipſis injuſte gravandis fuiſſet illud excogitatum: cauſam in abſconditum Dei judicium tranſcribere malunt. Quidam interpretes credunt confeſſos fuiſſe ſcelus contra Joſeph perpetratum: verum opinio illa facile refellitur, quia conſtanter dicunt, à ſera fuiſſe diſcerptum, vel fortuito caſu periiſſe. Ergo ſimplicior ſenſus eſt ille quem attuli: etiamſi non extet facti veritas, eos tamen divinitus reos peragi. Nec vero ſimulate loquuntur: ſed aliud non habent turbati & attoniti in re perplexa, niſi quod ſentiunt arcano Dei judicio inflictam ſibi fuiſſe hanc plagam. Atque utinam hue confugerent qui Dei ferulis pereuſſi, cauſas non ſtatim percipiunt; & quum ſine cauſa infeſtos ſibi homines ſentiunt, revocarent in memoriam arcana Dei judicia, quibus humiliari nos decet. Cæterum quod Juda omnium nomine loquitur, hinc colligere licet, jam tunc primatum obtinuiſſe inter fratres. Et Moſes caput ac principem eum conſtituit, diſerte exprimens eum & alios veniſſe. Quanquam enim nondum ſolenni patris judicio delata ad eum eſſet primogenituræ dignitas, erat tamen deſtinata. Certe non occupat loquendi partes quin auctoritas in ejus verbis emineat. In verbis Joſeph iterum memoria repetere convenit quod prius dixi, quanquam initio ſtuduerat Joſeph Deo gloriam tribuere, nunc tamen peccare dum ſe ariolum vel divinum ſimulat. Quidam ut culpam extenuent, non artem augurandi, ſed judicii ſolertiam notari dicunt: ſed nihil opus eſt, excuſandi hominis cauſa, ad coactas expoſitiones confugere. nam ex communi plebis ſenſu loquitur: atque ita ſtulte conceptam opinionem fovet.

16. *Ecce, ſumus ſervi domini mei.*] Prius vocabant ſe ſervos modeſtiæ cauſa: nunc ſe mancipia illi addicunt. Cæterum in perſona Joſeph, pœnæ gravitatem mitigant: atque ita ſpecies eſt deprecationis, ne capitis ſupplicium de illo ſumatur, ſicuti initio pacti fuerant.

17. *Abſit à me.*] Si in animo habuit Joſeph retento uno Benjamin alios dimittere: quantum in ſe erat, peſſimo diſſidio Eccleſiam Dei laceravit. Sed antehac admonui (quod etiam ex contextu elicere promptum eſt) non aliud fuiſſe ejus conſilium quam ut altius penetraret in eorum animos. Offenſa quidem timenda fuit, ſi ſenſiſſet fratrem illis non fuiſſe curæ: ſed Dominus occurrit periculo, dum fecit ut ſollicita Judæ excuſatio non ſolum molliret ejus animum, ſed etiam lacrymas & profuſum fletum exprimeret.

18. *Loquatur quæſo ſervus tuus verbum.*] Supplicitet rogat Juda ut ſibi detur loquendi venia: quoniam

niam prolixa futura erat narratio. Quoniam autem gravantur ac indigne ferunt proceres siquis eos nimis familiariter compellet, præfatur Juda se non esse nescium quanto honore excellat Joseph in Ægypto, ut testetur non protervia se, sed necessitate fieri audacem. Postea recitat quomodo à patre discesserint. Duo autem sunt capita: quod lethalem tristitiam afferrent patri suo si reverti fuerint absque Benjamin: deinde quod ejus reducendi sponsione privatim se obstrinxerit. Quod ad luctum patris spectat, non vulgare pictatis signum est quod substitui mavult in locum Benjamin, ac perpetuum exilium servitutemque obire, quam misero seni afferre exitii causam. Fidem vero suam in eo probat quod vadem se opponit quo fratrem liberet. Quia רעה Hebræis nunc culpam, nunc reatum sonat, quidam vertunt, Peccavero in patrem meum: vel, reus ero peccati. Alii vero, Obnoxius ero: propterea quod promissione mea deceptum se esse queretur. Hic posterior sensus melius quadrat, quod scilicet dedecus ac reatum non effugiet apud patrem, quasi adolescentem fidei suæ commissum impie prodiderit.

Caput XLV.

TUnc non potuit Joseph se comprimere coram omnibus qui stabant juxta se, & clamavit, Educite omnem virum à me. & non stetit quisquam cum eo quando patefecit se Joseph fratribus suis.

2. Et emisit vocem suam cum fletu: & audierunt Ægyptii, audivit & domus Pharaonis.

3. Dixit autem Joseph fratribus suis, Ego sum Joseph. num adhuc vivit pater meus? & non potuerunt fratres ejus respondere ei: quia territi erant à facie ejus.

4. Et dixit Joseph fratribus suis, Accedite quæso ad me. Et accesserunt. Et dixit, Ego sum Joseph frater vester quem vendidistis in Ægyptum.

5. Et nunc ne dolore afficiamini, & ne sit ira in oculis vestris quod vendideritis me huc: nam propter vitam misit me Deus ante vos.

6. Jam enim duo anni famis fuerunt in medio terræ, & adhuc quinque anni sunt in quibus non erit aratio & messis.

7. Et misit me Deus ante vos, ut ponam vobis reliquias in terra: & ut vivificem vos evasione magna.

8. Nunc itaque non vos misistis me huc, sed Deus: & posuit me in patrem Pharaoni, & in dominum toti domui ejus, & dominatorem in tota terra Ægypti.

9. Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicite ei, Sic dicit filius tuus Joseph, Posuit me Deus in dominum toti Ægypto, descende ad me, ne stes.

10. Et habitabis in terra Gosen, & eris propinquus mihi, tu & filii tui, & filii filiorum tuorum, & pecudes tuæ, & boves tui, & omnia quæ sunt tibi.

11. Et alam te ibi, quia adhuc quinque anni famis sunt: ne forte inopia vel egestate conficiaris tu & domus tua, & omne quod est tibi.

12. Et ecce, oculi vestri vident & oculi fratris mei Benjamin quod os meum loquitur ad vos.

13. Nunciate autem patri meo omnem gloriam meam in Ægypto, & omnia quæ vidistis: & festinate, & descendere facite patrem meum huc.

14. Et jactavit se super collum Benjamin fratris sui, & flevit: Benjamin quoque flevit super collum ejus.

15. Et osculatus est omnes fratres suos, & flevit super eos, & postea loquuti sunt fratres ejus cum eo.

16. Et vox audita est in domo Pharaonis, dicendo, Venerunt fratres Joseph: & placuit in oculis Pharaonis, & in oculis servorum ejus.

17. Et dixit Pharao ad Joseph, Dic fratribus tuis, Hoc facite, onerate jumenta vestra, & ite, ingredimini terram Chenaan.

18. Et capite patrem vestrum, & familias vestras, & venite ad me: & dabo vobis bonum terræ Ægypti, & comedetis pinguedinem terræ.

19. Et tu jussus es, Hoc facite, capite vobis de terra Ægypti currus pro parvulis vestris, & pro uxoribus vestris, & tollite patrem vestrum, & venite.

20. Et oculus vester ne parcat supellectili vestræ: quia bonum omnis terræ Ægypti vestrum erit.

21. Fecerunt ergo sic filii Israël, & dedit eis Joseph currus juxta sermonem Pharaonis, & dedit eis escam pro itinere.

22. Omnibus ipsis dedit unicuique mutatorias vestes: & ipsi Benjamin dedit trecentos argenteos, & quinque mutatorias vestes.

23. Patri autem suo misit secundum hoc, decem asinos ferentes de bono Ægypti, & decem asinas ferentes frumentum, & panem, & escam patri suo pro itinere.

24. Et dimisit fratres suos, & abierunt: & dixit ad eos, Ne tumultuemini in via.

25. Et ascenderunt ex Ægypto, & venerunt in terram Chenaan, ad Jahacob patrem suum.

26. Et nunciaverunt ei, dicendo, Adhuc Joseph vivit: & quod ipse dominaretur in omni terra Ægypti. & dissolutum est cor ejus, quia non credebat eis.

27. Et retulerunt ei omnia verba Joſeph quæ loquutus fuerat ad eos: & vidit currus quos miſerat Joſeph ut ferrent eum, & revixit ſpiritus Jahacob patris eorum.

28. Et dixit Iſraël, Sufficit, adhuc Joſeph filius meus vivit: ibo, & videbo eum antequam moriar.

1. *Et non potuit Joſeph ſe continere.*] Narrat hoc capite Moſes quomodo ſe fratribus patefecerit Joſeph. Ac primo docet, ipſum ſibi vim feciſſe quamdiu auſterum ac durum vultum præ ſe tulit. Nunc vis fraterni amoris quem ſuppreſſerat quantiſper ſpirabat atroces minas, majore impetu ſe profundit: unde apparet quam nihil ſævum aut crudele ante fuerit in ejus animo. Jam quod ita erumpit in lacrymas, plus laudis meretur iſta mollities vel teneritudo quam ſi æquabile temperamentum ſervaſſet. Stulte enim Stoici heroicam virtutem eſſe dicunt miſericordia non tangi. Atqui ſi inflexibilis ſtetiſſet Joſeph, quis non pronunciaret vel ſtupidum vel ferreum fuiſſe hominem? Nunc autem violento affectu ſe prodit tam heroica ejus magnanimitas, quam divina moderatio, quod iræ & odii victor fuit: ut tam ardenter amaret qui ſceleſte ad machinandum illi exitium nulla injuria laceſſiti conſpiraverant. Jubet autem omnes abire, non quod eum pudeat ſui generis (neque enim diſſimulat paulo poſt eſſe fratres ſuos, ac libenter patitur in palatium regis famam perferri) ſed eorum pudori conſulit, ne facinus illud deteſtabile multis teſtibus innoteſcat. Atque hæc non ultima pars clementiæ fuit, quod voluit ſepultum eſſe eorum dedecus. Videmus ergo ſubmotos fuiſſe teſtes non alia de cauſa niſi ut liberius fratres confirmaret. Neque enim ſolum illis peperciſſe, eorum facinus non traducens: ſed cum illis ſeorſum incluſus, ab omni verborum acerbitate abſtinuit, ultroque amica conſolatione eos dignatus eſt.

3. *Ego ſum Joſeph.*] Quanquam luculentum manſuetudinis & amoris ſui ſpecimen ediderat, ubi tamen nomen ſuum aperit, non ſecus terrentur fratres quam ſi in eos fulminaret. Nam dum ſecum reputant quid meriti ſint, adeo formidabilis illis eſt potentia Joſeph, ut ſibi nihil proponant niſi mortem: ubi autem metu ita cernit attonitos, jam nihil exprobrat, ſed tantum laborat in ſedanda eorum perturbatione. imo tamdiu blande eos demulcet, donec quietos & hilares reddiderit. Quo exemplo docemur cavendum nobis eſſe ne triſtitia obruantur qui vere & ſerio pudore humiliati ſunt. Quamdiu ad objurgationes ſurdus eſt peccator, vel ſecure ſibi blanditur, vel improbe & contumaciter monitiones repellit, vel per hypocriſin ſe excuſat, major adhibenda eſt ſeveritas: ſed finem habeat rigor oportet, ſimulac proſtratus jacet, peccatique notitia trepidat: ſaltem ſuccedat moderatio quæ ſpe veniæ erigat dejectum. Ergo ut recta ſit ac bene compoſita ſeveritas, in-duendus eſt hic interior affectus Joſeph qui ſuo tempore emergat.

4. *Accedite quæſo ad me.*] Hoc verbis quibuslibet efficacius eſt, quod eos in amplexum comiter invitat. Simul tamen quacunque poteſt verborum dulcedine curam & timorem illis eximit. Sic quidem temperat ſermonem, ut eos modeſte accuſet, ac rurſum ſoletur: longe tamen ſupereminet conſolatio, quia deſperationi propinquos eſſe videbat, niſi mature ſuccurreret. Porro ſe venditum commemorans, non refricat ſceleris memoriam expoſtulandi animo, ſed quia ſemper utile eſt hærere peccati ſenſum, modo ne immodicus terror miſerum hominem poſt agnitam culpam abſorbeat. Quia autem plus ſatis territi erant fratres Joſeph, in ſecunda parte magis inſiſtit, ut vulneri medeatur. Huc pertinet iſta repetitio, quod Deus in eorum ſalutem *ipſum* miſerit: quod ejuſdem Dei conſilio præmiſſus fuerit in Ægyptum, ut eos ſuperſtites conſerveret: quod denique non ab ipſis relegatus fuerit in Ægyptum, ſed adductus Dei manu.

8. *Non vos miſiſtis me huc.*] Locus hic inſignis eſt, quo docemur nunquam ſic turbari rectum ordinem hominum pravitate & malitia, quin Deus confuſos & turbulentos eorum impetus in bonum finem dirigat. Monemur etiam quomodo & in quem uſum nobis conſideranda ſit Dei providentia. Quum de ea curioſi homines diſputant, non modo poſthabito fine miſcent ac pervertunt omnia, ſed quæcunque poſſunt abſurda excogitant, ad fugillandam Dei juſtitiam. Atque hæc protervia facit ut cupiant nonnulli pii & modeſti homines ſepultam eſſe hanc doctrinæ partem. ſimul enim utque hoc in medium profertur, Deum mundi totius gubernacula tenere, ut nihil niſi ejus nutu & imperio geratur: qui parum reverenter ſentiunt de myſteriis Dei, ebulliunt in varias quæſtiones, non frivolas tantum, ſed etiam noxias. Verum ut cohibenda eſt profana iſta intemperies, ita modus tenendus eſt ne craſſam apperamus ignorantiam earum rerum quæ non tantum patefactæ ſunt verbo Dei, ſed apprime cognitu ſunt utiles. Pudet bonos viros fateri, nonniſi volente Deo fieri quicquid ſuſcipiunt homines: ne ſtatim obſtrepant effrenes linguæ, vel Deum eſſe peccati auctorem, vel non eſſe vertendum impiis hominibus vitio quod Dei conſilium exequuntur. Atqui etiamſi refelli non poſſet ſacrilegus ille furor, nobis ſufficiat eum deteſtari: interim quod claris Scripturæ teſtimoniis proditum eſt, tenere convenit, quicquid machinentur homines, tamen inter illorum ſtrepitus Deum è cælo moderari eorum conſilia & conatus: denique per ipſorum manus peragere quod apud ſe decrevit. Boni viri, qui Dei juſtitiam exponere verentur impiorum calumniis, ad diſtinctionem iſtam confugiunt, quod Deus alia fieri velit, alia permittat. Quaſi vero, ipſo ceſſante, quidvis agendi libertas ſit penes homines. Si tantum paſſus eſſet Joſeph in Ægyptum deduci, non eum ordinaſſet ſalutis miniſtrum patri Jacob, & ſiliis ejus: quod nunc ei diſerte tribuitur. Faceſſat igitur inane illud commentum, quod Deus tantum permiſſu, non autem conſilio aut voluntate, mala fiant, quæ ipſe poſtea in bonum finem convertit. Mala intelligo hominum reſpectu, quibus nihil aliud propoſitum eſt quam perverſe agere. Sicuti autem in ipſis refidet vitium, ſic & tota culpa in eos conferri debet: Deus autem mirabiliter per illos operatur, ut ex impuris fæcibus liquidam juſtitiam eliciat. Arcana hæc cagendi ratio eſt, ſenſuque noſtro longe altior. Itaque non mirum ſi carnis laſcivia contra inſurgat. Sed eo diligentius nobis cavendum eſt, ne immenſum iſtam altitudinem reſtringere ad noſtras anguſtias tentemus. Fixa igitur maneat ſententia hæc, dum exultat hominum libido, & ſe intemperanter jactat huc vel illuc, Deum præeſſe, & arcano freno eorum motus dirigere quocunque viſum eſt. Simul tamen hoc quoque tenendum eſt, diſtincte agere Deum: ut nihil in ejus providentia vitii hæreat, nihil ejus decreta affine habeant hominum vitiis. Cujus rei pulcherrimum ſpeculum in hac hiſtoria oculis noſtris ſubjicitur. Venditus fuit Joſeph à fratribus: quorſum, niſi quia perditum quovis modo, extinctumque volebant? Idem opus Deo adſcribitur: ſed longe diverſo fine, ut ſciſſet tempore famis nutricium præter ſpem haberet domus Jacob. Ita brevi temporis ſpatio voluit quaſi occiſum Joſeph, ut repente vitæ auctorem ex ſepulchro educeret. Unde apparet, quamvis idem cum improbis initio agere videatur, longam tamen eſſe diſtantiam inter illorum ſcelus & admirabile ejus judicium. Nunc expendamus verba Joſeph. Videtur in fratrum ſolatium inducere culpæ illorum oblivionem.

Atqui

Atqui ſcimus non eximi reatu homines, quamvis Deus præter ſpem in bonum & felicem exitum transferat quod ipſi perperam tentant. Quid enim Judæ profuit quod ex ſceleratæ ejus perfidiæ prodiit mundi redemptio? Sed Joſeph, quamvis pauliſper fratrum mentes ſubduxerit à ſceleris ſui intuitu, donec ab immodico pavore reſpirent: non tamen culpam in Deum deivat, vel illos plane abſolvit: ſicuti clarius videbimus ultimo capite. Et certe ita habendum eſt, non æſtimanda eſſe hominum facta ex eventu, ſed prout vel ceſſarunt in ſuo officio, vel aliquid tentarunt præter Dei mandatum, & ultra vocationis ſuæ metas egreſſi ſunt. Neglexit aliquis uxorem vel liberos, nec eorum neceſſitatibus ſedulo adfuit: quanquam non moriuntur, niſi volente Deo, nihil tamen hoc prætextu juvatur mariti & patris inhumanitas, qui eos impie deſeruit, quum ſuccurrere deberet. Quare nihil proficiunt qui ſibi male conſcii, tegendis delictis obtendunt Dei providentiam. Sed rurſus quoties Dominus eorum malitiæ occurrit qui nobis nocere ſtudent; neque id modo, ſed prava eorum ſtudia in bonum noſtrum convertit: hoc modo affectus carnis noſtræ temperat, noſque æquiores & magis placabiles reddit. Sic videmus Joſeph dextrum fuiſſe providentiæ Dei interpretem, dum ſode captavit argumentum dandæ fratribus veniæ. Sceleris in ſe commiſſi indignitas eum accendere poterat ut totus vindictæ cupiditate ferveret: atqui dum reputat ſuperatam fuiſſe eorum malitiam mira & inſolita Dei bonitate, oblitus injuriæ, humaniter eos amplectitur, quorum dedecus gratia ſua Deus texerat. Et certe ſepeliendis fratrum peccatis ingenioſa eſt charitas: ideoque in hunc uſum libenter accommodat quæcunque ad iram placandam & ſedandas odia faciunt. Joſeph etiam in alium ſenſum rapitur, quod divinitus electus fuerit ad juvandos fratres. Unde fit ut non modo offenſam illis remittat, ſed cupide injunctis ſibi partibus defungi cupiens, tam à metu & anxietate quam ab inopia ipſos liberet. Hæc ratio eſt cur ſe ordinatum aſſerat ut reliquias illis ponat, hoc eſt, ſemen conſervet reſiduum, vel potius ipſos conſervet ſuperſtites, idque præclara & admirabili evaſione. Quum ſe patrem Pharaonis dicit, non effertut inani jactantia, ut ſolent vani homines: neque opes ſuas ventoſe oſtentat: ſed ex tam magnifico & incredibili eventu probat, non fortuito nec humanitus factum eſſe ut in locum illum pervenerit: quin potius mirabili Dei conſilio erectum ſibi fuiſſe ſublime ſolium unde patri & toti familiæ ſuccurrat.

9. *Sic dixit filius tuus Joſeph.*] In hoc mandato oſtendit ſe potentiam ſuam ideo jactare quo meliore fiducia patrem animet. ſcimus quam tardi ſint ſenes: deinde ſanctum Jacob difficile erat ab hæreditate divinitus promiſſa avellere. Ergo Joſeph propoſita neceſſitate, quam optabile ſubſidium obtulerit Dominus, commemorat. Quæritur tamen quomodo illis in mentem non venerit oraculum, de quo à patribus edocti fuerant: nempe hoſpites fore & ſervos in aliena terra. Videtur enim Joſeph meras delicias hic promittere, quaſi in poſterum nihil adverſi timendum foret. Quanquam à Moſe nihil exprimitur, ego tamen probabili conjectura moveor ut credam Jacob non fuiſſe oraculi immemorem. Niſi enim cæleſti vinculo retentus foret, nunquam poſt tranſactum ſatis tempus ſtetiſſet in Ægypto. Nam illic ſponte manendo, ſpem hæreditatis à Deo promiſſæ abjicere viſus eſſet. Quod ergo ad terram Chanaan reverti non curat, ſed tantum cadaver ſuum illuc deferri jubet: nec filios ſuos ad celerem reditum hortatur, ſed ſolſidere in Ægypto ſinit: non facit ſocordia, vel quod delinitus ſit illecebris Ægypti, vel pertæſus terræ Chanaan: ſed quod ſe & genus ſuum, ad ferendam illam tyrannidem comparat, de qua admonitus fuerat à patre Iſaac. Ideo, quod liberaliter primo adventu excipitur, in lucro deputat: ſed interim animo præſumit quod dictum fuerat Abrahæ.

Gen. 15. verſ. 13.

16. *Et vox audita eſt in domo.*] Quod nunc refert Moſes, ordine præceſſit. Priuſquam enim Joſeph patrem accerſeret, fama de fratrum adventu in palatium pervenerat. Nec vero tam audacter pollicitus fuiſſet Joſeph fratribus ſuis domicilium in Ægypto, niſi regis permiſſu. Quod ergo breviter attigerat Moſes, nunc pluribus exponit: regem propenſo & hilari animo declaraſſe quanti faceret Joſeph, quod ultro patri & fratribus ejus opimam Ægypti partem detulit, quam incolerent. Et ex alio Moſis loco apparet, quamdiu vixit, clementer & benigne tractatos fuiſſe Iſraelitas. Nam primo capite Exodi, verſ. 8. initium tyrannidis & ſævitiæ dicitur factum à ſucceſſore, cui notus non erat Joſeph.

22. *Dedit unicuique mutatorias veſtes.*] Quod viatico fratres inſtruit, non mirum: ſed quorſum attinuit pecunia & veſtibus onerare, qui mox rediturierant? Ego certe non dubito quin patrem ſuum, fratrumque uxores reſpexerit, quo minus moleſtum eſſet terram Chanaan relinquere. Vix enim credibilem fore nuncium ſciebat, niſi manifeſta ſymbola palam geſtarent. Quanquam fieri poteſt ut non ſolum allicere tentaverit abſentes, ſed fratribus etiam magis ac magis voluerit teſtatum facere ſuum amorem. Prior tamen ratio plus apud me habet ponderis, quia ornandi Benjamin major illi fuit cura. Quod pro veſtibus mutatoriis, vel mutationibus veſtium; Hieronymus tranſtulit binas ſtolas: & alii interpretes eum ſequuti, diſſimiles veſtes exponunt: neſcio an firmum ſit. Potius ſentio veſtes fuiſſe elegantes, quibus ad nuptias ac dies ſolennes uterentur. Nam mutationi quotidianum uſum tacite opponi arbitror.

24. *Ne tumultuemini.*] Quidam exponunt, Joſeph rogare fratres ut placido ſint animo, nec ſupervacuo metu ſe turbent. ſed potius ad mutuam pacem eos hortatur. Nam quum verbum רגז, nunc tremere vel expaveſcere, nunc tumultuari ſignificet, poſterior ſenſus melius congruit circumſtantiæ loci. Scimus enim filios Dei non modo eſſe placabiles, ſiquid ipſis injuriæ illatum fuerit, ſed etiam curare ut alii inter ſe concordes agant. Placatus erat Joſeph fratribus, ſimul etiam eos admonet ne quid turbarum moveant. Timendum enim erat ne quiſque ſe purgando, crimen transferre in alios ſtuderet, atque ita ſurgeret contentio. Hæc humanitas Joſeph nobis imitanda eſt, ut obviam eamus quantum in nobis erit, rixis, & verborum certaminibus. Nam Chriſtus à ſuis diſcipulis non tantum exigit ut pacis ſint amantes, ſed etiam ut ſint pacifici. Quare noſtrum eſt, opportune jurgiis omnibus materiam & occaſionem tollere. Præterea ſciendum eſt, quod fratribus præcepit Joſeph, nobis omnibus à Spiritu Dei mandari, ne ſcilicet alii alios exacerbemus. Quia autem accidere fere ſolet in communibus delictis, ut tergiverſando alii alios maligne gravent, diſcamus ſinguli agnoſcere & fateri propriam culpam, ne ex altercationibus efferveant pugnæ.

26. *Et diſſolutum eſt cor ejus.*] Scimus quoſdam ſubita & inopinata lætitia fuiſſe exanimatos. Ideo quidam intelligunt ſuffocatum fuiſſe cor Jacob, quod velut ecſtatico ſtupore correptus fuerit. Sed Moſes aliam cauſam aſſignat: quod fidem non habens filiis, inter ſpem & metum conſtrictus fuerit. Scimus autem, qui audito incredibili nuncio ſuſpenſi hærent, torpere quaſi exanimes. Non fuit ergo ſimplex lætitiæ affectus, ſed mixta quædam perturbatio quæ concuſſit mentem Jacob. Ideo paulo poſt dicit Moſes, revixiſſe ejus ſpiritum, ubi ad ſeipſum reverſus, compoſito animo, verum eſſe credidit quod audierat. Amorem vero ſuum erga Joſeph non elanguiſſe temporis ſpatio oſtendit, quod non aliud ſibi

vivendi pretium statuit quam ut frui liceat ejus conspectu. Prius sibi continuum indixerat mœrorem usque ad sepulchrum: nunc vero lætam sibi fore mortem pronunciat.

CAPUT XLVI.

ITaque profectus est Israël, & quæcunque habebat, & venit in Beer-sebah, & sacrificavit sacrificia Deo patris sui Ishac.

2. Et dixit Deus ad Israël in visionibus noctis, dixit inquam, Jahacob, Jahacob. Ille respondit, Ecce adsum.

3. Et dixit, Ego sum Deus, Deus patris tui: ne timeas descendere in Ægyptum: quia in gentem magnam ponam te ibi.

4. Ego descendam tecum in Ægyptum, & ego ascendere etiam te faciam ascendendo: Joseph quoque ponet manum suam super oculos tuos.

5. Postea surrexit Jahacob de Beer-sebah: & sustulerunt filii Israël Jahacob patrem suum, & parvulos suos, & uxores suas super currus quos miserat Pharao ad ferendum eum.

6. Et ceperunt pecudes suas, & substantiam quam acquisierant in terra Chenaan, veneruntque in Ægyptum Jahacob & omne semen ejus cum ipso:

7. Filii ejus, & filii filiorum ejus cum eo, filiæ ejus, & filiæ filiorum ejus: & omne semen suum deduxit secum in Ægyptum.

8. Hæc sunt autem nomina filiorum Israël qui ingressi sunt in Ægyptum, Jahacob & filii ejus: primogenitus Jahacob, Reuben.

9. Et filii Reuben, Hanoch, & Phallu, & Hesron, & Charmi.

10. Filii vero Simhon, Jemuel, & Jamin, & Ohad, & Jachin, & Sohar, & Saul filius Chenaanitidis.

11. Filii Levi, Gerson, Cehath, & Merari.

12. Filii Jehudah, Her, & Onam, & Selah, & Peres, & Zerah: & mortuus est Her & Onam in terra Chenaan. Fuerunt autem filii Peres, Hesron, & Hamul.

13. Et filii Issachar, Tholah, & Puvah, & Job, & Simron.

14. Filii vero Zebulon, Sered, & Elon, & Jahleel.

15. Isti sunt filii Leah, quos peperit ipsi Jahacob in Padan Aram, & Dinah filiam ejus. omnes animæ filiorum ejus & filiarum ejus fuerunt triginta & tres.

16. Filii autem Gad, Siphion, & Hagghi, Suni & Esbon, Heri, & Arodi, & Areli.

17. Et filii Aser, Imnah, & Isvah, & Isvi, & Berihah, & Serah soror eorum. Filii vero Berihah, Heber & Malchiel.

18. Isti sunt filii Zilpah, quam dedit Laban Leah filiæ suæ, & peperit istos ipsi Jahacob, sedecim animas.

19. Filii Rachel uxoris Jahacob, Joseph & Benjamin.

20. Nati sunt autem ipsi Joseph in terra Ægypti, quos peperit ei Asenath filia Potipherah principis On, Menasseh & Ephraim.

21. Filii vero Benjamin, fuerunt Belah, & Becher, & Asbel, Gera & Naaman, Ehi & Ros, Muppim, & Huppim, & Arde.

22. Isti sunt filii Rachel qui nati sunt ipsi Jahacob: omnes animæ, quatuordecim.

23. Et filii Dan, Hussim.

24. Filii Nephthali, Jahseel, & Guni, & Jeser, & Sillem.

25. Isti sunt filii Bilhah, quam dedit Laban Rachel filiæ suæ, & peperit istos ipsi Jahacob: omnes animæ, septem.

26. Omnes animæ quæ venerunt cum Jahacob in Ægyptum, quæ egressæ sunt de femore ejus, præter uxores filiorum Jahacob, omnes, inquam, animæ fuerunt sexaginta & sex.

27. Et filii Joseph qui nati sunt ei in Ægypto, animæ duæ. Omnes animæ domus Jahacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta.

28. Porro Jehudah misit ante se ad Joseph ad præparandum locum ante se in Gosen, & venerunt in terram Gosen.

29. Et ligavit Joseph currum suum, & ascendit in occursum Israël patris sui in Gosen: & conspectus est ei, & jactavit se ad collum ejus, flevitque super collum ejus adhuc.

30. Et dixit Israël ad Joseph, Moriar hac vice, postquam vidi faciem tuam: adhuc enim tu vivis.

31. Et dixit Joseph fratribus suis & domui patris sui, Ascendam, & nunciabo Pharaoni: & dicam ei, Fratres mei & domus patris mei, qui erant in terra Chenaan, venerunt ad me.

32. Atque viri pastores pecudum sunt: quia viri pecuarii sunt: & pecudes eorum, & boves eorum, & omnia quæ erant eis adduxerunt.

33. Erit ergo quum vocaverit vos Pharao, & dixerit, Quod est opus vestrum?

34. Dicetis, Viri pecuarii fuerunt servi tui à pueritia nostra & usque nunc, etiam nos, etiam patres nostri. ut habitetis in terra Gosen: quia abominatio Ægyptiis est omnis pastor pecudum.

1. Et

1. *Et profectus est Israël.*] Quia relicta terra Chanaan sanctus vir alio migrare cogitur, sacrificium in ipso egressu offert Domino, ut ibi firmum & ratum esse testetur fœdus quod Deus ipse cum patribus pepigerat. Nam quum soleret se exercere in externo Dei cultu, specialis quædam fuit hujus sacrificii ratio. Et certe futuris tunc maxime opus habuit ne labasceret eius fides. Privandus enim erat hæreditate sibi promissa, & ejus terræ conspectu, quæ cœlestis patriæ imago erat & pignus. Annon venire in mentem potuit se hactenus vana spe fuisse delusum? Ergo memoriam divini fœderis renovans, opportunum remedium adhibet, ne à fide excidat: ideoque sacrificat in ipsis terræ finibus, sicuti nuper dixi: ut sciamus aliquid fuisse præter consuetum morem. Et hunc cultum exhibet Deo patris sui, ut testetur, quamvis ab ea terra discedat, in quam vocatus fuerat Abraham, non tamen se descíscere à Deo illo in cujus cultu fuerat educatus. Insignis sane constantia, quod dum fame ejicitur in alienam regionem, ut ne peregrinari quidem in terra liceat cujus legitimus erat dominus: juris tamen absconditi spem animo inclusam retinet. Non sine invidia patrium Deum colendo, dissidium palam habebat à reliquis gentibus. Quid autem proderat distincta ab omnibus religio? Quod ergo eum non pœnitet coluisse Deum patris sui, & in ejus timore ac reverentia nunc quoque perstat: hinc colligimus quam altas in vera pietate radices egisset. sacrificio autem se confirmat, & fidem suam profitetur: quia licet pietas externis symbolis alligata non sit, noluit tamen ea subsidia negligere, quorum usum minime supervacuum esse expertus erat.

2. *Et dixit Deus ad Israël.*] Hoc modo probavit Deus sibi placere sacrificium Jacob, & vicissim manum illi porrexit, ut deinceps fœdus suum sanciret. Visio nocturna ad hoc valuit ut major constaret oraculo majestas. Jacob quidem, ut docilis erat & promptus ad Dei obsequium, vi & terrore minime cogendus fuit: quia tamen homo erat carne circumdatus, utile fuit quasi præsenti Dei gloria affici, ut verbum efficacius in cor ejus penetraret. Cæterum memoria repetere convenit quod prius docui, annexum fuisse verbum: quia nihil, vel parum profuisset muta visio. Scimus ut superstitio libenter nuda spectra arripiat: quo fit ut Deum transformet. Quia autem sine verbo nulla extare potest viva Dei effigies, quoties apparuit Deus servis suis, simul loquutus est. Quare in omnibus signis semper attenti simus ad ejus vocem, nisi velimus Satanæ præstigiis deludi. Quod si visiones in quibus refulsit Dei majestas, verbo animari oportuit: qui signa arbitrio hominum conficta obtrudunt Ecclesiæ, nihil aliud quam inanes profani theatri pompas ostentant. Sicuti in Papatu quæ vocantur Sacramenta, mortuæ sunt larvæ, quæ miseras animas à vero Deo abducunt. Notetur itaque mutua hæc relatio, quod visio præcedit, quæ plus dignitatis verbo conciliet, & verbum quasi visionis anima continuo sequitur. Nec vero dubium est quin ea fuerit visibilis gloriæ Dei species, quæ Jacob suspensum ac vacillantem non relinqueret, sed exempta dubitatione solide eum fulciret, quo secure posset amplecti oraculum.

Jahacob, Jahacob.] Huc spectat repetitio, ut magis attentus reddatur. Nam eum familiariter compellans Deus, se melius insinuat in ejus animum: sicuti etiam in Scriptura comiter nos allicit, ut sibi discipulos præparet. Docilitas etiam sancti viri inde patet, quod simulac perfuasus est Deum loqui, se præsto esse respondet. Nempe ut reverenter excipiat quicquid dictum fuerit, sequatur quocunque fuerit vocatus, mandataque omnia capessat. Subjicitur deinde promissio, qua Deus servi sui fidem confirmat & recreat. Quia tristis erat in Ægyptum descensus, bono & alacri animo esse jubet, eo quod semper futurus sit ejus custos: & postquam illic eum auxerit in gentem magnam, iterum sit reducturus unde nunc exire cogit. Ac præcipua quidem consolatio in hoc cardine versatur, quod non perpetuo vagabitur in diversis exiliis, sed tandem fruetur spera hæreditate. Nam quia divini amoris, bonorum spiritualium, & felicitatis æternæ symbolum erat possessio terræ Chanaan: si ea fraudatus esset sanctus Jacob, nihil aut minimum juvisset divitiis, omnique bonorum & opum genere in Ægypto cumulari. Reditus autem qui promittitur, non debet intelligi de ejus persona, sed ad posteros spectat. Sicuti autem Jacob promissione fretus, intrepide descendere in Ægyptum jubetur: ita piorum omnium est illius exemplo vires ex Dei gratia colligere, ut se ad parendum ejus mandatis accingant. Elogium quo se Deus insignit, superiora oracula obsignat quæ per manus acceperat Jacob à patribus. Cur enim non se potius cæli & terræ opificem nuncupat quam Deum Isaac, vel Abrahæ, nisi quia ex primo fœdere dependet dominium terræ Chanaan, quod iterato nunc promittit? Simul etiam domesticis exemplis animat servum suum, ne in sua vocatione constanter pergere desinat. Minime enim decebat, quum patrem suum Isaac vidisset, avum quoque audisset, quamvis diu per ingentes molestias circumacti essent, nullis unquam tentationibus cessisse, ipsum in eodem stadio lassitudine confici: præsertim quum inter moriendum, tradita posteris suis lampade, fidei lucerni domi suæ superstitem relinquere sedulo curassent. In summa, monetur Jacob, Deum sibi per obliquos & multiplices circuitus non esse quærendum, quem à pueritia didicit præsidem esse domus Abrahæ, modo ne ab ejus pietate degeneret. Cæterum quatenus in hac parte valere debeat Patrum auctoritas, alibi diximus. Neque enim Dei consilium fuit, vel se hominibus subjicere, vel sine delectu probare quicquid à majoribus proditum esset, utpote qui toties damnat in Judæis stultam Patrum imitationem: sed in pura sui notitia tenere Jacob.

4. *Et Joseph ponet manum.*] Clausula hæc addita fuit testandæ majoris indulgentiæ causa. Quanquam enim dum optabat Jacob sibi mortuo claudi oculos manu Joseph, huic voto quædam implicita erat carnis infirmitas: non tamen gravatur Deus morem gerere, ut novi exilii dolorem temperet. Porro scimus vetustissimum fuisse ritum claudendi oculos: atque ut quisque sanguine vel amore erat proximus, fuisse hoc officio defunctum.

5. *Et surrexit Jahacob.*] Surgendi verbo videtur notare Moses, sumpsisse Jacob ex visione novum vigorem. Quanquam enim non exciderant aliæ promissiones, valde tamen opportunum fuit recentis memoriæ subsidium, ut terram Chanaan in corde suo gestans, æquo animo ferret ejus absentiam. Quum autem dicitur secum tulisse quæcunque acquisiverat, vel possederat in terra Chanaan, probabile est una cum pecore venisse servos & ancillas. Atqui in egressu nulla eorum fit mentio: imo paulo post, quum singula familiæ capita enumerat Moses, venisse dicit septuaginta tantum animas. Si quis dicat, Jacob inedia coactum servos manumisisse, vel casu aliquo nobis incognito eos perdidisse, frigida erit divinatio. nihil enim habet coloris, quum industrius esset pater familias, & terrenis Dei benedictionibus floreret, nudatum prorsus fuisse, ut ne servulus quidem ei restaret. Magis probabile est, quum ad serviles operas tracti sunt, servis quoque fuisse spoliatos in Ægypto: saltem non relictam illis fuisse copiam, cujus fiducia quicquam auderent. Quanquam autem in liberationis historia de servis subticet Moses, ex aliis tamen locis elicere promptum est, non absque servis egressos esse.

8. *Hæc sunt autem nomina.*] Recenset filios & nepotes Jacob, donec ad summam numeri perve-

niat. Quod autem ſeptuaginta tantum ponit animas, Stephanus autem Act. 7. verſ. 14. quinque ſuperaddit, librariorum errore factum eſſe non dubito. Infirma enim Auguſtini ſolutio eſt, quod Stephanus per prolepſin eos annumeret qui poſtea nati ſunt in Ægypto: longe enim major catalogus texendus fuiſſet. Deinde rupugnat hoc Spiritus ſancti conſilio, quemadmodum paulo poſt videbimus: quia hic non agitur quantam ſobolem Jacob moriens ſuperſtitem reliquerit, ſed quo die deſcendit in Ægyptum quanta ei fuerit familia. Septuaginta animas à ſe progenitas duxiſſe narratur, vel illic reperiſſe, ut comparatio hujus tam exigui numeri cum immenſa illa multitudine quam Dominus eduxit, mirificam benedictionem magis illuſtret. Quod autem imputandus ſit error librariis, inde conſtat, quia apud Græcos interpretes tantum in unum locum obrepſit: alibi autem cum Hebraica ſupputatione conveniunt. Facile autem fuit, ubi notis ſignantur numeri, corrumpi locum unum. Hinc etiam factum fuiſſe ſuſpicor, quia Hebraicæ linguæ fere ignari erant qui tractabant Scripturam, ut locum in Actis vitiatum eſſe putantes, perperam verum numerum mutarint. Si cui tamen magis placeat, Lucam rudibus & elementariis hoc dediſſe, qui Græcæ lectioni aſſueti erant, non contendo. In verbis quidem Moſis nulla eſt ambiguitas, nec eſt cur nos tantula res torqueat, in qua nihil eſt abſurdi: neque enim mirum eſt, literam unam alterius loco in notulis fuiſſe poſitam. hoc magis ad rem pertinet, quorſum à Moſe referatur tam exiguus numerus, expendere. Nam quo minus conſentaneum eſt, homines ſeptuaginta non ita longo temporis ſucceſſu in tantum populum creviſſe: ita inde clarius Dei gratia relucet. Atque hæc quoque ratio eſt cur numerum hunc ſæpius celebret. Fuit enim hæc minime humana propagandæ Eccleſiæ ratio, quum ſolitarius vixiſſet Abraham uſque ad ſenium, poſt mortem Iſaac reſtaret unus Jacob, auctus vero mediocri familia in angulum Ægypti concluſus foret, repente ſcaturire incredibilem populum ex fonte arido. Quod Saul unus ex filiis Simeonis dicitur natus ex Chananitide, quum aliorum matres non nominet Moſes, non dubito quin conſulto probrum generis notare voluerit. Caverunt enim ſedulo ſancti Patres, ne ſe connubiis miſcerent cum gente illa, à qua cæleſti decreto diviſi erant. Quod Moſes, perſcriptis nominibus filiorum Leæ, in epilogo dicit fuiſſe triginta tres animas, quum tamen non plures triginta duabus poſuerit: ita accipio, Jacob primum in ordine debere cenſeri. Nec obſtat quod dicit totidem illi fuiſſe filios vel filias ex Lea. Etſi enim proprie de filiis habetur ſermo, initium tamen ſumitur à capite. Nam quod Hebræi Jochebed Moſis matrem ſubaudiunt, quia nimis coactum eſt, repudio. De filiabus etiam movetur quæſtio, annon plures habuerit quam duas. Si tantum nominaretur Dina, dici poſſet expreſſam ejus mentionem fieri propter ſingulare facinus quod ei contigerat. Sed quia in progenie Aſer alteram fœminam numerat Moſes, potius conjicio vel eas adhuc fuiſſe innuptas, vel ſolas: nam de uxoribus nulla hic fit mentio.

28. *Et Jehudah miſit ante ſe ad Joſeph.*] Quia regio illa delecta fuerat à Joſeph in hoſpitium patri & fratribus, ideo nunc rogat Jacob, ut locum paratum adveniens reperiat: hoc enim valet loquutio qua Moſes utitur. non quod ſibi ædes extrui & ornari poſtulet: ſed tantum ut ſine moleſtia illic tabernacula figere liceat. Vacuum enim locum illi aſſignari oportuit, ne tumultuandi anſam incolis daret, illorum paſcua vel agros occupans. In congreſſu vero Jacob cum filio Joſeph, Moſes vehementem lætitiæ affectum exprimit, ut ſciamus ſanctos Patres non fuiſſe humanis affectibus exutos. Tenendum autem eſt, licet ex bonis principiis naſcantur affectus, ſemper tamen ex carnis intemperantia aliquid vitii contrahere: maximeque hoc habere vitioſum, quod modum ſemper excedunt: unde ſequitur non tollendos penitus eſſe, ſed temperandos.

31. *Et nunciabo Phar.*] Poſtquam honoris cauſa obviam patri ſuo prodiit Joſeph, utilitati quoque ejus proſpicit. Nam ideo conſilium dat, ut ſe & omnes ſuos dicat eſſe pecuarios, quo locum habitandi à rege impetret in terra Goſen. Quanquam autem hæc continentia laude digna eſt, quod in privatis commodis nihil ſibi imperii uſurpat, ſed perinde acſi unus eſſet è media plebe, regis nutum exſpectat: videtur tamen callide prætextum commiſiſci, quo regem circumveniat. Videmus quid cuperit: quum fœcunda eſſet terra Goſen, & opimis paſcuis nobilis, ea commoditas illexit ejus animum, ut illic patrem locare vellet: nunc vero terræ pinguedinem diſſimulans, alium obtendit colorem, Jacob cum ſuis filiis rejectitios eſſe homines, ideoque ſeceſſum quærere, in quo ſeorſum ab Ægyptiis habitent. Sed ſolutio hujus nodi non admodum difficilis eſt. Regi enim ſatis ſuperque nota erat fertilitas terræ Goſen, ut fraudi vel aſtutiæ non fuerit locus (ut ſæpe reges nimis profuſi ſunt, multaque ſtulte dilapidant, quia neſciunt quid largiantur) imo Pharao ſponte non petentibus detulerat optimum & electiſſimum in regno locum. Hæc itaque ejus largitio doloſe non fuit elicita: quia liberum ei fuit æſtimare quid daret. Et certe Joſeph ut modeſte ageret, neceſſe habuit hoc prætextu habitationem in terra Goſen petere. Abſurdum enim fuiſſet, vel ſaltem nimis ruſticum, homines obſcuros, & novos inquilinos, ſedem in optimo & commodiſſimo loco ſibi petere, quaſi jure in ipſos competeret optio. Suo igitur & patris pudori ut conſulat Joſeph, cauſam aliam adducit, quæ perinde vera erat. Nam quum à paſtorum conſuetudine abhorreant Ægyptii, regem admonet commodum illic fore ſeceſſum. In eo nulla eſt ſimulatio, quia alibi nuſquam quietum hoſpitium patebat. Cæterum tametſi ſanctis Patribus durum fuit ita probroſe rejici, & quaſi fœtere toti populo: hæc tamen ignominia, qua notati ſunt, maxime illis profuit. Nam Ægyptiis permixti, huc illuc diſpergi poterant: nunc quia deteſtabiles ſunt, & indigni reputantur communi conſuetudine, in hoc divortio mutuam inter ſe unitatem melius fovent, nec diſſipatur Eccleſiæ corpus, quod Deus à toto mundo ſegregaverat. Sic Dominus ſæpe nos à mundo contempni vel rejici permittit, ut ab ejus ſordibus liberi & ſoluti, ſanctitatem colamus. Denique non patitur nos illigari terræ vinculis, ut in cælum feramur,

CAPUT XLVII.

ET venit Joſeph, & nunciavit Pharaoni, & dixit, Pater meus, & fratres mei, & pecudes eorum, & boves eorum, & omnia quæ erant eis, venerunt è terra Chenaan: & ecce, ſunt in terra Goſen.

2. Et de extremis fratribus ſuis cepit quinque viros, & ſtatuit eos ante Pharaonem.

3. Tunc dixit Pharao ad fratres ejus, Quæ ſunt opera veſtra? Et dixerunt ad Pharaonem, Paſtores ovium ſunt ſervi tui, etiam nos, etiam patres noſtri.

4. Et dixerunt ad Pharaonem, Ut peregrinaremur in hac terra, venimus, quia non eſt

est pascuum pecudibus quæ sunt servis tuis: gravis enim fames est in terra Chenaan: nunc igitur habitent quæso servi tui in terra Gosen.

5. Et dixit Pharao ad Joseph, dicendo, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.

6. Terra Ægypti coram te est, in optimo terræ hujus habitare fac patrem tuum & fratres tuos, habitent in terra Gosen. Et si cognoveris quod sint inter eos viri robusti, pones eos præfectos pecorum super ea quæ sunt mihi.

7. Postea adduxit Joseph ipsum Jahacob patrem suum, & statuit cum coram Pharaone: & salutavit Jahacob ipsum Pharaonem.

8. Et dixit Pharao ad Jahacob, Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?

9. Et dixit Jahacob ad Pharaonem, Dies annorum peregrinationum mearum sunt triginta & centum anni: pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, & non attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum in diebus peregrinationum suarum.

10. Et salutavit Jahacob ipsum Pharaonem, & egressus est à facie Pharaonis.

11. Et habitare fecit Joseph patrem suum & fratres suos, & dedit eis possessionem in terra Ægypti, in optimo terræ, in terra Rhamesses, quemadmodum præceperat Pharao.

12. Et aluit Joseph patrem suum, & fratres suos, & omnem domum patris sui panes usque ad os parvuli.

13. At panis non erat in omni terra: gravis enim fames erat valde, & elanguit terra Ægypti, & terra Chenaan propter famem.

14. Et collegit Joseph omnem pecuniam quæ inventa est in terra Chenaan pro alimento quod ipsi emebant, & intulit Joseph pecuniam in domum Pharaonis.

15. Et consumpta est pecunia è terra Ægypti, & è terra Chenaan: & venit omnis Ægyptus ad Joseph, dicendo, Da nobis panem: & utquid moriemur coram te? defecit enim pecunia.

16. Tunc dixit Joseph, Date pecudes vestras, & dabo vobis pro pecudibus vestris, si defecit pecunia.

17. Et adduxerunt pecudes suas ad Joseph, & dedit eis Joseph panem pro equis, & pro grege pecudum, & pro armento boum, & pro asinis: & sustentavit eos pane pro omnibus gregibus illorum anno ipso.

18. Finitus vero est annus ipse, & venerunt ad eum anno secundo, & dixerunt ei, Non abscondemus à domino meo, quod integra pecunia, & grex jumentorum apud dominum meum: non remansit coram domino meo præterquam corpus nostrum, & terra nostra.

19. Utquid moriemur in oculis tuis, etiam nos, etiam terra nostra? eme nos, & terram nostram pro pane, & vivemus nos & terra nostra servi Pharaonis: da semen, & vivemus, & non moriemur, & terra non desolabitur.

20. Et emit Joseph omnem terram Ægypti pro Pharaone: vendiderunt enim Ægyptii unusquisque agrum suum, quia invaluerat super eos fames: & fuit terra ipsi Pharaoni.

21. Et populum transire fecit ad urbes, ab extremitate termini Ægypti usque ad extremitatem ejus.

22. Tantummodo terram sacerdotum non emit, quia pars sacerdotibus erat à Pharaone, & comedebant partem suam quam dederat eis Pharao: ideirco non vendiderunt terram suam.

23. Tunc dixit Joseph ad populum, Ecce, emi vos hodie, & terram vestram Pharaoni: ecce vobis semen, & seretis terram.

24. Et erit, è frugibus dabitis quintam partem Pharaoni, & quatuor partes erunt vobis pro semine agri, & pro cibo vestro, & eorum qui sunt in domibus vestris, & ad comedendum pro parvulis vestris.

25. Et dixerunt, Vivificasti nos: inveniamus gratiam in oculis domini mei, & erimus servi Pharaonis.

26. Et posuit illud Joseph in statutum usque ad diem hanc super terram Ægypti Pharaoni pro quinta *parte:* terra tamen sacerdotum duntaxat non fuit Pharaoni.

27. Et habitavit Israël in terra Ægypti, in terra Gosen: & stationem habuerunt in ea, & creverunt, & multiplicati sunt valde.

28. Et vixit Jahacob in terra Ægypti septendecim annos: & fuerunt dies Jahacob, anni vitæ ejus, septem anni & quadraginta & centum anni.

29. Appropinquaverunt autem dies Israël ut moreretur, & vocavit filium suum Joseph, & dixit ei, Si quæso inveni gratiam in oculis tuis, pone quæso manum tuam sub femore meo, & facies mecum misericordiam & veritatem, Ne quæso sepelias me in Ægypto.

30. Et dormiam cum patribus meis: & tolles me ex Ægypto, & sepelies me in sepulchro eorum. Et dixit, Ego faciam secundum verbum tuum.

31. Et dixit, Jura mihi: & juravit ei. & incurvavit se Israël ad caput lecti.

1. *Et venit Joseph.*] Oblique se insinuat Joseph, ut habitationem fratribus suis à rege obtineat in terra Gosen. Hæc tamen modestia (ut diximus) vafritie caret. Nam & Pharao statim agnoscit quid ille cupiat:

cupiat: & liberaliter ei concedit, præfatus terram Goſen bonitate excellere. Unde colligimus, judicio, non ignorantia dediſſe quod dabat: nec ignarum fuiſſe voti Joſeph: quanquam ſimpliciter petere non auderet quod eſſet optimum. Quod ſubſiſtere in ea regione patrem juſſit cum majori fratrum parte, facilis eſt excuſatio. Neque enim pecus ſecum trahere poterant: nec relicto pecore, venire ad regem ſalutandum, donec attributa illis eſſet ſtatio, ubi fixis tabernaculis res ſuas componerent. Fuiſſet enim parum civile, nondum auditu regis permiſſu, locum velut ſibi addictum occupare. Suſpenſi ergo in regione illa hærent, donec cognita regis voluntate, certius conſtituant domum ſuam. Quod Joſeph *quinque ex fratrum extremitate adduxit*, vulgo ita exponunt, qui minus proceræ ſtaturæ erant fuiſſe adductos in conſpectum regis: quia timendum erat ne robuſtiores in militiam traheret. Sed quoniam Hebræis קצה, utramque extremitatem ſonat, principii ſcilicet ac finis, aſſumptos fuiſſe arbitrantur ex primis & ultimis, ut illorum intuitu de omnium ætate judicium rex faceret.

3. *Paſtores ovium.*] Fuit hæc confeſſio parum honorifica filiis Jacob, ac præſertim ipſi Joſeph: cujus ſumma & prope regia dignitas turpi macula notabatur. Erat enim apud Ægyptios (ut diximus) hoc pudendum & infame vitæ genus. Cur ergo Joſeph quod in manu erat conſilium non cepit, ut fratres ſuos vel ad agriculturam, vel ad aliam quamvis honeſtam & liberalem artem traduceret? non enim vitæ paſtoritiæ ſic erant addicti ut eſſent agriculturæ prorſus expertes: vel quin poſſent aſſueſcere ad alias vivendi rationes. Atque ut non ſtatim feciſſent quæſtum, videmus quam parata illis fuerit regis liberalitas. Nec vero difficile erat aulicis muneribus illos ornari. Qui fit ergo ut eos Joſeph ſciens ac volens ignominiæ ſubjiciat, cui adjunctum erat privatum ipſius dedecus: niſi quia non magnopere curat temporalem illum contemptum? Fuiſſet hoc initio plauſibile, ſplendide vivere inter Ægyptios: ſed affixi fuiſſent exitiali nido. Nunc ſordida & contemptibilis vivendi ratio interſtitium eſt quo ſeparantur ab Ægyptiis: imo Joſeph conſulto videtur dare operam ut nobilitas quam ſibi acquiſierat, momento excidat: ne poſteros teneat in Ægypto demerſos, ſed potius coaleſcant in corpus avitæ familiæ. Quod ſi non venit illis hæc ratio in mentem, minime tamen dubium eſt quin eorum linguas gubernaverit Dominus ut occurreret noxiæ mixturæ, purumque & diſcretum retineret Eccleſiæ corpus. Hic quoque locus docet quanto ſatius ſit vel extremum angulum tenere in atrio Domini, quam extra Eccleſiam occupare media palatia. Ideo ne moleſtum nobis ſit mundi contemptu & probris redimere ſacram cum filiis Dei unitatem: ſicuti eam Joſeph omnibus Ægypti lautitiis prætulit. Quod ſi quis aliter pure Deo ſervire non poteſt quam ſi mundo ſe fœtidum reddat, hic omnis faceſſat ambitio. Hoc erat conſilium Dei, ſub infamia concluſos tenere filios Jacob, donec illos in terram Chanaan reſtitueret: quo igitur ſe integros ſervent ad liberationem ſibi promiſſam, ſe pecuarios eſſe non diſſimulant. Cavendum ergo ne inanis honoris cupiditas nos efferat, ubi Dominus non alium ſalutis modum oſtendit quam ſi in ordinem cogamur. Quare libenter ſimus ignobiles ad tempus, ut nos alim Angeli in ſocietatem æternæ ſuæ gloriæ recipiant. Hoc etiam exemplo monentur qui educati ſunt in vilibus opificiis, non eſſe cur illos ſuæ ſortis pudeat. Satis enim ſuperque illis eſſe debet, quod vitæ ratio quam ſequuntur, legitima eſt ac Deo grata. Pudore etiam non vacabat altera confeſſio, ubi dicunt *fame coactos ad peregrinandum venisse*. ſed inde emerſit non pœnitendus fructus. Nam quod pauci & famelici deſcendunt: deinde infamia notati, ut vix quiſquam eos alloqui dignetur: ex iis tenebris illuſtrior deinde refulſit Dei gloria, quum ingentem populum mirabiliter tertio ſeculo eduxit.

5. *Et dixit Pharao ad Joſeph.*] Quod non fuit offenſus Phario, quum ſibi locum ad peregrinandum dari peterent, Dei gratiæ tribuendum eſt. Nam ſcimus nihil reges indignius ferre quam beneficia ſua reſpui. Domicilium perpetuum illis offert Pharao, animum vero potius ad diſceſſum adjicinnt. Si quis hoc modeſtiæ adſcribat, quia ſuperbum fuiſſet petere jus civitatis, ut eodem cum indigenis jure viverent, habet hoc quidem nonnihil coloris, ſed tamen vanum eſt. nam dum ſe poſtulant admitti hoſpites & inquilinos, in tempore ſibi cavent, ne vinculo ſervitutis obſtrictos habeat Pharao. Notum eſt illud Sophoclis, Οστις ὁ κρὶν τύραννος ἐκπεφευγὼς ἔκυρι ἐν δόλοις, κεἰς ἐλευθέρους μόλοι. Operæpretium ergo fuit filiis Jacob, ab ipſo limine teſtari, qua lege habitare cuperent in Ægypto. Ac tanto minus excuſabilis fuit crudelitas, quum adverſus pactum fuerunt tam duriter oppreſſi, nec illis permiſſus exitus, quem diſerte ſtipulati fuerant. Dicit quidem Jeſaias prætextum aliquem fuiſſe Ægyptio regi in hac parte, quia ſponte in ejus ditionem ſe contulerant filii Jacob: ſed per comparationem loquitur, ut gravius accuſet Aſſyrios, qui poſteros Jacob in patria ſua quietos armis invaſerant, atque inde expulerant injuſta violentia. Ergo jus hoſpitale ſceleſte violatum fuit, quum ſerviliter oppreſſi ſunt Iſraëlitæ, & negatus in patriam reditus, de quo tacite pepigerant, quum profeſſi fuerant ſe illic fore hoſpites: nam à rege fides & humanitas præſtanda erat, ſemel in patrocinium ſuum receptis. Itaque ſibi coram Deo caverunt filii Iſraël, ut de Ægyptiis poſſent merito conqueri. Sed quia ſecundum carnem nihil illis profuit data à rege fides, illorum exemplo fideles ſe ad patientiam erudiant. Hoc enim ſolenne eſt, ut quiſquis aulam tyranni ingreditur, neceſſe habeat libertatem in limine deponere.

6. *Terra Ægypti.*] Non tantum hoc refertur ut ſciamus humaniter exceptam fuiſſe domum Jacob, ſed etiam nihil datum fuiſſe à Joſeph niſi regis mandato. Nam quo major erat ejus poteſtas, eo reſtrictior eſſe debuit, ne liberalis de regis ſubſtantia tam ipſum quam populum fraudaret. Atque utinam valeret apud proceres mundi hæc moderatio, ut ſe in privatis negotiis non aliter gererent quam ſi eſſent plebeii: nunc vero nulla illis videtur ſua poteſtas, niſi eam experiantur peccandi licentia. Quanquam autem Joſeph regis permiſſu in optimis paſcuis ſuos locat, non tamen in altera parte utitur regis beneficio, ut præfectos ordinet regii pecoris: non tantum quia hæc utilitas invidiam illis conflaſſet apud multos, ſed quia nolebat tali illecebra implicari.

7. *Et adduxit Joſeph ipſum patrem Jabacob.*] Tametſi uno contextu narrat Moſes adductum fuiſſe Jacob ad regem, non tamen dubito quin aliquid temporis interceſſerit: nempe donec locum in quo ſtaret, adeptus, familiam tutius & magis ſoluto animo rel inqueret, & ſimul ipſe pauliſper refectus foret ex itineris laſſitudine. Quum autem dicitur Pharaoni benedixiſſe, hoc verbo non vulgaris & profana ſalutatio notatur à Moſe, ſed pia ſanctaque ſervi Dei precatio. Salutant enim filii hujus ſeculi reges & principes honoris cauſa, ad Deum vero minime aſſurgunt. Aliter Jacob, qui civili reverentiæ adjunxit pium illud ſtudium, ut regis ſalutem commendaret Deo. Atque hanc regulam præſcribit Judæis Jeremias, ut pro pace Babylonis orent, quamdiu in exilio vivendum erit: quia pax illius terræ & imperii in ſe continet illorum pacem. Si hoc officium miſeris captivis injungitur, quibus per vim extorta fuit libertas, & erepta patria, quanto plus regi tam humano & benefico debuit Jacob? Cæterum qualeſcunque ſint qui dominantur, jubemur publi-

Jer. 29. verſ. 7.

1 Tim. 2. verſ. 1.

publicas pro ipſis preces concipere. Ergo eadem privatim à ſingulis ſubjectio requiritur.

8. *Quot ſunt dies annorum.*] Hæc familiaris interrogatio confirmat, comiter & abſque faſtu exceptum fuiſſe Jacob: ſed reſponſio longe plus habet momenti, quod tempus peregrinationis ſuæ definit centum & triginta annos. Nam hinc colligit Apoſtolus ad Hebræos cap. 11. verſ. 13. 16. memorabilem illam doctrinam, quod Deus non erubuerit vocari ipſorum Pater, quia ſe advenas & hoſpites confeſſi ſunt in terra. Unius quidem hominis duntaxat hic fit mentio: ſed quia ſic imbutus erat à patribus, & eandem filiis diſciplinam per manus tradidit, communiter omnes inſignit Apoſtolus eodem elogio. Ergo ſicuti eos non puduit vagari toto vitæ curſu, & exteros atque inquilinos probroſe vocari quocunque veniſſent: ita Deus incomparabili honore ipſos dignatus eſt, ut cœli eſſent hæredes. Atqui (ut prius dictum fuit) nullis unquam magis propria & hæreditaria fuit in mundo ſedes quam ſanctis patribus terra Chanaan. Dicitur quidem Dominus funiculum jeciſſe, ut ſingulis gentibus ſuos terminos attribueret: ſed æterna poſſeſſio per continuos ætatum gradus nulli unquam genti promiſſa fuit ſicuti poſteris Abrahæ. Quo igitur animo nos mundum incolere oportet, in quo nulla nobis certa quies vel fixa ſtatio promiſſa eſt? Quin potius hæc communis omnium piorum conditio ſub regno Chriſti
1 Cor. 4. verſ. 11. deſcribitur à Paulo, ut ferantur inſtabiles: non quod exiliis ſinguli peræque jactentur, ſed quia Dominus omnes ſuos, ne affixi ſint nidis tettenis, quaſi tubæ ſonitu ad peregrinandum vocat. Ergo ſive in patria quis maneat, ſive locum ſubinde mutare cogatur, in hac meditatione ſe probe exerceat, hoſpitari ſe ad breve tempus in tetra, donec confecto curſu ia cæleſtem patriam migret.

9. *Pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ.*] Videtur maligne conqueri Jacob quod exiguo tempore vixerit, deiode quod iotra exiguum temporis ſpatium multas & graves ærumnas pertulerit: cur non potius ingentes ac multiplices Dei gratias recenſet, quæ ſatis ad malorum omne genus compenſationem valebaot? Adde quod de vitæ brevitate indigna eſt ejus querimonia. Cur enim illi ſeculum unum, & tertia pars alterius non ſufficit? verum ſi quis rite verba expendat, ſuam potius gratitudinem teſtatur, celebrans Dei bonitatem erga patres ſuos. Neque enim tam deplorat ſuum ſenium quam vigorem patribus divinitus collatum extollit. Certe novum & inſolens non erat videre hominem illa ætate fractum & caducum, & jam propinquum ſepulcbro. Quare bæc (ut dixi) comparatio tantum ad laudem Dei ſpectabat, cujus major erga Abraham & Iſaac extiterat benedictio. Cæterum patribus ſe non comparat in miſeriis, quaſi illi iodulgentius tractati fuerint, quos ſcimus omnibus tentationum modis ad extremum fuiſſe probatos: ſed negat ſe ad illorum annos accedere. acſi diceret, Ego quidem ad eos anaos provectus ſum quibus matura ſenectus aliis eſſe ſolet, imo juſtus vitæ terminus completur: atqui patribus meis vitam protogavit Dominus, ut longe exceſſerint. De malis autem diebus ideo meminit, ſignificans noa tam annis ſe fractum eſſe & confectum quam labotibus & moleſtiis: acſi diceret, Poterant adhuc in me vigere integri ſenſus, niſi quod & continuis laboribus, & triſtiſſimis curis, & graviſſimis miſeriis exbauſtæ fuerunt vires. Videmus nuac ut nihil minus in animo habuerit ſanctus vir quam expoſtulare cum Deo. Videtur tamen abſurdum eſſe quod vitam ſuam breviorem faciat quam patrom. Unde enim divinat ſibi tantulum adhuc reſtare, ut non pertingat uſque ad illorum annos? Si quis excipiat eum ex debili & ſemimortuo corpore feciſſe conjecturam, parum firma erit ſolutio. Iſaac enim triginta ante mortem ſuam annis obtuſo jam viſu & tremulis membris erat. Sed nihil abſurdi eſt quod Jacob, acſi ante oculos eſſet ſepulchrum, morti ſe in ſingula momenta deſtinet. Incertum tamen, quantum temporis arcano Dei conſilio ſibi decretum foret. Quare de vita reſidua ſecurus, perinde loquitur acſi poſtridie moriendum foret.

12. *Et aluit &c. uſque ad os parvuli.*] Quidam os parvuli, exponunt, acſi aluiſſet Joſeph patrem & totam familiam, ſicuti pueris in os cibus ingeritur: ac putant emphaticam eſſe loqnutionem, quod in fame non magis ſolliciti fuerint de comparando victu, quam pueri qui ne manum quidem ad cibum extendunt. Alii vertunt Pubem: ſed neſcio quo ſenſu. Alii ſimpliciter accipiunt pro ratione & numero parvulorum. Mihi genuinus eſſe videtur ſenſus, quod omnes à maximo uſque ad minimum paverit. Noa defuit ergo panis univerſæ domui Jacob, quia cura Joſeph proviſum fuit ut ſuppeterent alimenta uſque ad parvulos. Hoc modo commeodat Moſes tam Dei clementiam quam pietatem Joſeph. neque enim vulgare exemplum fuit quod eſutientibus agricolis ſecure paſti fuerunt ſuo demenſo, quibus granum tritici non erat.

13. *Elanguit terra.*] Hoc memorabile fuit Dei judicium, quod tegiones fertiliſſimæ, quæ annonam longinquis & tranmarinis gentibus ſuppeditant, ad tantam inopiam redactæ fuerint, ut fere rabeſcerent. Verbum quidem תלה quo utitur Moſes, duobus modis exponitur. Quidam dicunt præ fame ad inſaniam compulſos fuiſſe: alii uſque adeo cibo fuiſſe deſtitutos ut deficerent. ſed utrovis modo accipere libeat, videmus aliorum nutricios, tunc prorſus famelicos fuiſſe. Itaque non eſt quod ſuæ abundantiæ confidant qui coluat feraces agros, ſed agnoſcant largum proventum non tam emergere ex terræ viſceribus, quam arcana Dei benedictione è cælo ſtillare, vel potius defluere. Nulla eſt enim tanta pinguedo quæ non mox ſterileſcat, ubi ſalem Deus aſperſerit loco pluviæ. Inrerea oculos vertere convenit in iſtud ſingulare Dei beneficium, quod ſuos aluit in media fame, quemadmodum habetut Pſalmo 37. verſ. 19. Cæterum ſi nos inedia probare velit Deus, ſimul rogandus eſt ut nos ad tolerandam æquo & manſueto animo eſuriem formet, ne ſimiles truculentis, imo rabioſis feris, tumultuemur. Quanquam autem credibile eſt, efferbuiſſe graves motus in diuturna penuria (ſicuti fertur veteri provetbio, Ventrem non habere aures) ſimpliciot tamen mihi videtur ſenſus, quod fami ſuccubuerint Ægyptii & Chananæi, atque ita velut exanimes jacuerint. Porro hoc etiam conſilio Moſes famis hiſtoriam proſequitur, ut iode pateat eventu fuiſſe probatum vaticinium Joſeph: & ejus ſolertia & induſtria tam bene ac dextre occurſum fuiſſe maximis periculis, ut merito Ægyptus ſalutis ſuæ auctorem agnoſcere deberet.

14. *Et collegit.*] Primo docet Moſes bene & feliciter ceſſiſſe regi Ægyptio, quod rei frumentariæ procurationem arbitrio unius Joſeph permiſerit. Deinde ſinceram & fidam admiaiſtrationem ipſius Joſeph laudat. Scimus quam pauci regias pecunias attrectent, qui non ſe coinquiaent peculatu. In rantis vero pecuniæ acervis non minor erat prædandi licentia quam difficilis continentia. Moſes vero dicit, quicquid collegerat pecuniæ Joſeph, attuliſſe in domum regis. Rara bæc & incomparabilis fuit integritas, inter tantos acervos puras ſervare manus. Nec vero fieri potuit ut ſe adeo temperantur gereret, niſi frenum illi fuiſſet Dei vocatio. Nam quos ambitio cobibet à furtis & rapacitate, niſi hominum oculos & judicia timerent, ſtatim manus extenderent ad prædam. Joſeph autem ſine teſte peccare potuit: unde ſequitur purum Dei timorem viguiſſe in ejus aoimo. & tamen non deerant plauſibiles & ſatis bene fucati prætextus ad furti excuſationem. Quum tyranno

ranno ſervias, cur non tibi liceat partem aliquam lucri in tuum commodum ſubducere? Quo magis apparet ſolida probitate fuiſſe munitum, quando illecebras omnes repulit, ne ex alieno per fraudem diteſcere cuperet.

15. *Et conſumpta eſt pecunia.*] Non intelligit Moſes, quicquid fuit nummorum in Ægypto, redactum fuiſſe in fiſcos regis: nam multi erant ex aulicis proceribus à fame immunes: ſed ſimplex ſenſus eſt, omnes fere fuiſſe exhauſtos, ut jam vulgo pecunia non ſufficeret ad emendum frumentum: & tandem extrema neceſſitas ad ſecundum remedium, de quo paulo poſt loquetur, Ægyptios compulerit. Porro tametſi videntur deſperatione accenſi, procaciter inſurgere contra Joſeph: contextus tamen oſtendit nihil minus fuiſſe illis propoſitum quam contumacia ſua terrere cujus miſericordiam ſuppliciter implorant. Quare hæc interrogatio, *Cur moriemur coram te?* non alio tendit quam ipſos eſſe perditos, niſi ſubveniat ejus clementia. Sed quæritur quomodo vitam toleraverint Chananæi. Certe dubium non eſt quin gravis peſtilentia inediæ comes multos abſtulerit, niſi ſubventum ſit ab aliis regionibus, vel herbis ac radicibus miſere victitarint. Et forte non tanta illic fuit ſterilitas, quin dimidiam vel tertiam victus ſui partem ex agris colligerent.

16. *Date pecudes veſtras.*] Miſerabile fuit illud ſpectaculum, & quod ferreos animos flectere deberet, videre divites agricolas, qui prius aliis quoque repoſitam habebant in ſuis horreis annonam, nunc victum mendicare. Itaque erudelis videri poſſet Joſeph, quod inopibus & exhauſtis panem gratis non erogat, ſed eos etiam ſpoliat omni pecore, ovibus & aſinis: ſed quia alienum negotium tractat Joſeph, ejus rigorem crudelitatis damnare non audeo. Si per ſeptem annos ferules vi eatortum eſſet frumentum ab invitis, nunc tyrannice pecudes & armenta illis eriperet: ſed quia liberum illis fuit in privatis horreis recondere quod regi vendebant, nunc juſtas ſocordiæ ſuæ pœnas luunt. Nec aliud cernebat Joſeph quam divinitus eos nudari, ut unus rex ditеſceret omnium ſpoliis. Adde quod quum illi fas eſſet venale frumentum exponere, mutare cum pecoribus licuit. regis certe erat frumentum: cur ergo pretium abemptoribus non exigeret? Atqui pauperes erant, ideoque ipſorum inopiæ ſuecurri æquum fuit. Si valeat hæc regula, illicita erit major pars emptionum: nemo enim quod poſſidet, libenter vendit. Quare ſi juſta fuit pecoris æſtimatio, nondum video quid in facto Joſeph reprehenſione dignum ſit: præſertim quum rem propriam non ageret, ſed creatus eſſet rei frumentariæ præfectus, ea lege ut regi, non ſibi, lucrum acquireret. Siquis excipiat, debuiſſe ſaltem hortari regem ut uberrimo pecuniæ quæſtu contentus foret; reſpondeo, ex multis pauca obiter narrari à Moſe. Cuivis autem conjicere promptum eſt, tanti momenti negotium non fuiſſe tranſactum à Joſeph inconſulto rege & inſcio. Quid autem ſi conſiliariis hæc viſa ſit æqua moderatio, ut pro ſuis pecoribus alimenta in totum annum ſumerent agricolæ? Denique quum ſtemus & cadamus unius Dei arbitrio, quod Lex ejus in medio relinquit, damnare noſtrum non eſt.

18. *Et venerunt ad eum anno ſecundo.*] Annum ſecundum Moſes non à fame ſupputat, ſed ex quo defecerat pecunia. Quia vero finem ſterilitati inſtare ex oraculo ſciebant, non in victum modo frumentum ſibi dari poſtulant, ſed inſationem quoque. unde apparet, nimis ſeros eos ſapere, ac neglexiſſe utilem Dei admonitionem, quo tempore ſibi in futurum proſpicere debuerant. Porro non commemorant ſibi deeſſe pecuniam & pecora, ut expoſtulent cum Joſeph, quaſi inique ab eo nudati fuerint: ſed ut admoneant, hoc unum reſtare ut agris ſuis redimant victum & ſemen, ſeque non aliter fore ſalvos niſi ad hanc pactionem deſcendat Joſeph. *Impudentiæ* enim fuiſſet nihil pretii vel compenſationis offerre. Præfantur autem nihil ſibi eſſe ad manum, ideoque actum eſſe de ſua vita, niſi agros emere velit Joſeph: atque ut miſericordiam eliciant, iterum rogant cur fineret ipſos mori, adeoque agros ipſos. Hæc enim eſt mors terræ, quum deſeritur ejus cultura, ut in vaſtitatem redacta, nihil amplius proferat.

20. *Et emit Joſeph omnem terram.*] Hic vero crudelis & inexplebilis avaritiæ cumulum eſſe quiſpiam putaret, quod miſeris agricolis Joſeph agros etiam eripit, ex quorum proventu regnum aluerant. Sed jam prius oſtendi, niſi damnare libeat quodvis emptionum genus, non eſſe cur factum Joſeph culpetur. Siquis dicat abuſum eſſe ipſorum inopia, hoc unum ad excuſationem ſufficit, quod nullæ ejus inſidiæ, nulla circumventio, nulla vis, nullæ minæ ad hanc neceſſitatem compulerint Ægyptios. curavit bona fide, parique induſtria regis negotium: imperio functus eſt ſine violentis edictis. Urgente fame licuit venale exponere triticum tam divitibus quam pauperibus: pecora deinde non minus emere licuit. nunc ad extremum cur fas non eſſet juſto pretio agros regi acquirere? Huc accedit quod nihil extorquet, ſed ex eorum poſtulato cum ipſis tranſigit. Fateor quidem non promiſcue ſumendum eſſe quicquid offertur: nam ſi durior premit neceſſitas, qui eam quovis modo cupit effugere, ad iniquas pactiones deſcendet. Ergo quum quis ad ſe fraudandum nos invitat, non ideo protinus fumus excuſabiles: ſed ego Joſeph non hoc tantum colore defendo, quod ultro illi ſuos agros detulerint Ægyptii, qui vitam quavis mercede redimere parati fuiſſent: hoc dico, ſimul debere expendi, ſervatam ab eo fuiſſe æquitatem, quamvis nihil illis reſiduum fecerit. Durior fuiſſet conditio ſi fuiſſent addicti in perpetuam ſervitutem: nunc libera corpora illis concedit, ac tantum de agris paciſcitur, quos forte major pars populi à pauperibus emerat. Si veſtibus nudaret quos frumento paſcit, hoc eſſet oblique & lente eos jugulare. Quid enim intereſt, famene an frigore hominem mori cogam? Joſeph autem Ægyptiis ita ſuccurrit ut in poſterum liberi ſint, & ſuo labore mediocrem victum comparent. Quamvis enim ſedes permutent, omnes tamen creantur regis villici: neque agros tantum, ſed inſtrumenta quæ emerat, illis remittit Joſeph. Unde apparet, quam potuit clementiam ipſum adhibuiſſe ad eos levandos. Interim caveant qui nimis ad rem ſunt attenti, ne falſo prætexant exemplum Joſeph; quia certum eſt, vitioſos eſſe coram Deo contractus omnes qui ad charitatis regulam non formantur: & æquitate illa, quæ intus nobis arcano naturæ ſenſu dictatur, ſic agendum eſſe cum aliis ut nobiſcum agi volumus.

21. *Et populum tranſire fecit ad urbes.*] Acerba quidem fuit hæc transportatio: verum ſi reputamus quanto ſatius fuerit alio migrare, ut liberi coloni eſſent, quam glebæ affixos ad ſerviles operas mancipari: nemo non fatebitur tolerabile, imo humanum fuiſſe hoc imperium. Si coluiſſet quiſque agrum ſuum ex more, gravis viſa eſſet tributi exactio. Mediam ergo rationem excogitat Joſeph, quæ novum & inſolitum onus mitiget, novos agros, impoſito ttibuto, aſſignans. Exponi etiam aliter poſſet hic locus, quod Joſeph omnes agricolas tranſire in civitates fecerit, ut illic acciperent annonam, & publicas tabulas conficerent. Si placeat hic ſenſus, quod olim diſtincta fuit Ægyptus in provincias, quæ poſtea vocatæ ſunt *νομοὶ*, probabile erit hinc ductam fuiſſe originem. Et certe tam regi privatim quam communiter toti populo damnoſa hæc traductio fuiſſet, quod peritiam & uſum in novas ſedes afferre non poterant. Quia tamen res non eſt magni momenti, & ambigua eſt verbi ſignificatio, in medio relinquo.

22. *Tan-*

22. *Tantummodo terram sacerdotum.*] Excepti à communi lege fuerunt sacerdotes, quod rex illis demensum præberet. Dubium quidem est fueritne præsentis necessitatis hoc subsidium, an solitus fuerit eos suo sumptu alere. sed quia de eorum agris meminit Moses, in illam conjecturam potius inclino, quod quum prius essent locupletes, quia sterilitas illis quoque suum reditum abstulerat, privilegio eos rex ornaverit: hinc factum est ut immunes eorum agri manerent. Quanquam de statu illius terræ multa sine judicio fabulantur veteres historici. Quod tamen dicunt agricolas exigua mercede contentos, regi & sacerdotibus ferere & metere, nescio an ex hac lege Joseph profectum sit: sed illis omissis, magis ad rem pertinet notare quod Moses diserte testatum esse voluit, nempe profano regi singulare fuisse studium divini cultus, dum sacerdotes gratis aluit, ut eorum agris & facultatibus parceret. Nempe hoc nobis speculum ponitur ante oculos, in quo cernamus infixum esse hominibus pietatis sensum, quem prorsus delere nequeunt. Quod tales aluit sacrificos Pharao, qui suis impostoris dementabant populum, non minus pravæ quam stultæ superstitionis fuit: hoc tamen per se consilium laude dignum fuit, quod Dei cultum jacere passus non est: quod brevi futurum erat si fame deficerent sacerdotes. Unde colligimus quam sedulo cavendum sit, ne præpostero zelo quicquam tentemus: quia nihil proclivius est in tanta naturæ humanæ corruptela quam ut religio in frivolas nugas degeneret. Cæterum quia ex recto principio manavit inconsiderata hæc devotio (ut loquuntur) quid nostris principibus agendum est qui Christiani censeri volunt? Quum adeo sollicitus fuerit Pharao de suis sacrificis, ut in suum & totius regni exitium aleret, ne erga fictitios deos esset impius: quantum sacrilegium est, ab his negligi legitimos proboque sacrorum ministros, quorum operam Deo probari, sibique salvificam esse norunt? Sed quæritur an fas fuerit sancto Joseph suscipere hanc provinciam: sic enim fovendis impiis superstitionibus operam suam locabat. Ego vero sicut facile concedo in tam ampla, & ardua, & multiplici functione proclivem in varia delicta fuisse lapsum, ita factum hoc præcise damnare non audeo. Neque tamen inficior quin deliquerit vel hoc ipso, quia non satis cordate superstitionibus restiterit. Sed quoniam nulla illi lege injunctum erat ut fame conficeret sacerdotes, regii autem frumenti non prorsus ad suum arbitrium dispensator foret: si rex gratis cibaria dari sacerdotibus volebat, nihilo magis liberum fuit illis quam aulicis proceribus negare. Itaque tales alumnos non libenter suscepit: sed quum rex invito obtuderet, repellere non potuit, etsi indignos sciebat qui vel fimo boum velcerentur.

23. *Et dixit Joseph ad populum.*] Hic à Mose describitur singularis humanitas Joseph, quæ sicuti tunc compescuit omnes querimonias, ita hodie calumnias merito dicsutit ac refellit: homines nudos & quasi profugos in suas possessiones æquissima lege restituit, ut quintam partem annui reditus regi solvant. Hoc olim jure passim reges fuisse usos notum est, ut decimas exigerent: belli vero tempore vectigal iltud duplicabant. Quid ergo injuriæ dicemus Ægyptiis factum, quod Joseph agros regi suo emptos quinta reditus parte oneravit, præsertim quum longe uberior sit illa regio, ut minore quam alibi molestia fructus colonis ad se alendos provenerit? Si quis excipiat, magis ingenuum fuisse, quintam istam partem regi acquirere: solutio in promptu est, non modo utile fuisse ad exemplum, sed etiam ad quietem populi, obstrui os morosis. Nec certe alio spectavit obliqua ratio, qua vectigal quintæ partis insinuavit Joseph, nisi ut terras suas alacrius ararent Ægyptii, quum persuasi forent clementer secum agi tali pactione. Atque hoc modo expressa confessio illis fuit quæ à Mose refertur. primo enim agnoscunt se vitam ei debere: secundo non recusant esse servi regis. Unde colligimus sanctum virum ita se medium gessisse, ut magnopere regem augeret, neque tamen populum opprimeret tyrannide. Atque utinam ad hanc moderationem se componerent omnes præfecti, ut duntaxat sine populi injuria curandis regum commodis studerent. Celebratur vox Tiberii Cæsaris minime tyrannica, quem tamen & valde sanguinarium & inexplebilem tyrannum fuisse constat, Pastoris esse tonderel pecus, non deglubere. Hodie vero reges se libere dominari non credunt, nisi subditos prorsus devorent, nedum excorient. Nullos vero fere imperiis ornant, nisi qui jurati prodeunt ad lanienam exercendam. Quo plus laudis meretur clementia Joseph, qui sic Ægypti statum temperavit, ut cum immenso regis quæstu conjuncta esset tolerabilis populi conditio.

27. *Et habitavit Jahacob.*] Non intelligit Moses, Jacob & ejus filios proprietarios fuisse ejus agri quem illis habitandum concessit Pharao, sicut reliquæ partes Ægypti incolis in perpetuum κτῆσιν datæ sunt: sed commode illic ad tempus egisse, & sic precarios fuisse possessores, ut simul tranquilli essent: hinc factum est ut tantopere crescerent exiguo temporis spatio. Itaque ad sequentis temporis historiam pertinet quod narratur à Mose: imo nunc redit ad proprium historiæ suæ contextum, in qua illi propositum fuit docere quomodo Ecclesiam suam Deus protexerit à multis mortibus: neque id modo, sed mirabiliter extulerit arcana sua virtute.

28. *Et vixit Jahacob.*] Non vulgaris fuit tentatio sancto seni per tot annos à terra Chanaan exulare. Esto, præsenti fame compulsus illuc se contulit: cur tamen quinquennio transacto reverti non licet? Neque enim stupidus illic torpebat, sed ideo quiescebat, quod liber non pateret egressus. Quare etiam hac in parte non leviter ejus patientiam Deus exercuit. Quamlibet enim suaves essent Ægypti deliciæ, privari tamen ejus terræ aspectu quæ expressa erat cælestis patriæ imago, plusquam miserum fuit. Apud filios quidem seculi præponderant terrena commoda: sed ea fuit sancti viri pietas, ut spiritualis bonijacturam nulla apud eum carnis utilitas penseret. Sed altius vulneratur, ubi videt fibi mortem instare: quia non modo privatur ipse hæreditate sibi promissa, sed filios dubiæ fidei, vel saltem infirmæ, in Ægypto quasi in sepulchro demersos relinquit. Porro ejus exemplum nobis proponitur, ne languescant nobis animi, vel mollescant longæ militiæ tædio: imo quo magis eos in terram deprimere conatur Satan, eo majore vehementia intendant ac nitantur in cælum.

29. *Et vocavit filium suum Joseph.*] Hinc non modo colligitur anxietas Jacob, sed invicta magnanimitas. Quod nullæ opes vel lautitiæ Ægypti eum deliniunt quin susperet ad terram Chanaan, in qua semper asperam & laboriosam vitam traxerat, magnæ virtutis est. Sed hæc fidei constantia longe excelluit, dum cadaver suum in terram Chanaan referri jubens, filios ad spem liberationis hortatus est. Ita factum est ut mortuus, quasi tubæ clangore vivos & superstites animaverit. Quorsum enim tendebat tanta sepulchri cura, nisi ut apud posteros rata esset Dei promissio? Quamvis ergo fluctuata sit ejus fides, adeo tamen naufragium passa non est, ut alios in portum deduxerit. Porro jusjurandum exigit à filio Joseph, non tam diffidentiæ causa, quam ut admoneat rem agi maxime seriam. Noluit certe levi jurejurando profanare Dei nomen: sed quo sanctior erat, magisque solennis promissio, debuit omnibus ejus filiis in mentem venire, magni fuisse momenti referri ejus cadaver in patrum sepulchrum. Probabile etiam est, prudenter cogitasse de levanda filii invidia. Nam Ægyptiis minime gratum fore sciebat sepul-

pulchri delectum, qui contumelioſus erat toti regno: ſcilicet hic alienigena quaſi in tam ſplendida & nobili terra idoneum locum non reperiat ſuo cadaveri, ſepeliri vult in terra Chanaan. Itaque quo liberius hoc à rege petere audeat Joſeph, & facilius impetret, ſacramento ipſum obſtringit. Et certe hoc prætextu poſtea utetur Joſeph, ut offenſionem declinet. Eadem etiam fuit ea ratio cur ſibi dari poſceret à Joſeph quod omnibus filiis commune erat officium. Nam reliquis hoc vix fuiſſet permiſſum: aggredi autem niſi data venia tale facinus auſi non eſſent. Nolla autem penes extraneos & ſordidos homines gratia erat vel auctoritas. Adde quod præ aliis expergefieri neceſſe habuit Joſeph: ne blanditiis Ægypti captus, paulatim à ſuo genere deficiſceret. Sciendum tamen eſt, conſulto interpoſitam fuiſſe ſacramenti reverentiam à Jacob, ut doceret ſe non fruſtra nec temere ſepulchrum appetere in ea terra, ubi parum benignam acceperat, ubi multas ærumnas perpeſſus fuerat, & ex qua tandem fame expulſus profugerat. Quod jubet manum femori ſupponere, quid ſibi voluerit hoc ſymbolum, diximus capite 24. verſ. 2.

30. *Et dormiam cum patribus.*] Patet ex hoc loco, dormiendi verbum quoties ponitur pro mori, non ad animam referri, ſed ad corpus. Quid autem ejus interfuit recondi cum patribus in ſpelunca duplici, niſi ut teſtata fieret eorum ſocietas poſt mortem? Quo autem vinculo ſimul fuerunt conjuncti, niſi quod effectus fidei ipſorum ne morte quidem extingui potuit? quaſi ex eodem ſepulchro ſonaret vox iſta, Nunc quoque nobis eſt communis hæreditas.

31. *Et incurvavit ſe Iſraël ad caput lecti.*] Hac voce iterum confirmat Moſes, Jacob pro ſingulari bono duxiſſe, ſibi promiſſum fuiſſe à Joſeph quod petierat de ſepultura. Nam ad gratias Deo agendas, quo poteſt conatu debile corpus incitat, tanquam potius re maxime optabili. Dicitur enim adoraſſe ad caput lectuli: quia quum plane aſſurgere non poſſet è lecto, in quo jacebat, ſe tamen in formam precantis prono vultu componit. Idem habetur de Davide, primi Regum 2. verſ. 13. quum ſupremi voti compos factus, Dei gratiam celebrat. Græci verterunt, Ad ſummitatem virgæ: quos Apoſtolus ſequutus eſt ad Hebræos, capite 11. verſ. 21. Etſi autem ſimilitudine vocis fuiſſe deceptos apparet, quia apud Hebræos מטה lectum, מטה baculum ſignificat: Apoſtolus tamen ſibi permiſit locum citare qualis tunc erat in communi uſu, ne rudes de nihilo offenderet. Porro qui expoount Jacob adoraſſe ſceptrum filii, nimis inſulſi ſunt. Aliorum expoſitio ſaltem tolerabilis eſt, quod baculo innixus, caput incurvaverit. Sed quum nulla ſit in verbis Moſis ambiguitas, ſufficiat memoria tenere quod dixi, gaudii ſui magnitudinem hac ceremonia palam feciſſe.

CAPUT XLVIII.

ET fuit, poſt hæc dictum fuit ipſi Joſeph, Ecce, pater tuus ægrotat: tunc accepit duos filios ſuos ſecum, Menaſſeh & Ephraim.

2. Et nunciavit ipſi Jahacob, & dixit, Ecce filius tuus Joſeph venit ad te. Et roboravit ſe Iſraël, & ſedit ſuper lectum.

3. Et dixit Jahacob ipſi Joſeph, Deus omnipotens apparuit mihi in Luz in terra Chenaan, & benedixit mihi.

4. Et dixit ad me, Ecce, ego creſcere facio te, & multiplicabo te, & ponam te in cœtum populorum, & dabo terram hanc ſemini tuo poſt te in hæreditatem perpetuam.

5. Et nunc duo filii tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti antequam venirem ad te in Ægyptum, mei ſunt, Ephraim & Menaſſeh, ſicut Reuben & Simhon erunt mei.

6. Verum libери tui quos generabis poſt eos, tui erunt: ſecundum nomen fratrum ſuorum vocabuntur in hæreditate ſua.

7. Porro me venienre è Padan, mortua eſt mihi Rachel in terra Chenaan in via, quum adhuc eſſet milliare terræ ad veniendum in Ephrath: & ſepelivi eam in via Ephrath, ipſa eſt Bethlehem.

8. Et vidit Iſraël filios Joſeph, & dixit, Cujus ſunt iſti?

9. Et dixit Joſeph patri ſuo, Filii mei ſunt quos dedit mihi Deus hic. Et dixit, Duc eos quæſo ad me, & benedicam eis.

10. (Oculi enim Iſraël graves erant propter ſenectutem, nec poterat videre) & accedere fecit eos ad illum, & oſculatus eſt eos, & amplexatus eſt eos.

11. Et dixit Iſraël ad Joſeph, Videre faciem tuam non putabam, & ecce videre fecit me Deus etiam ſemen tuum.

12. Eduxit itaque Joſeph eos à genibus ſuis, & incurvavit ſe in faciem ſuam ſuper terram.

13. Et tulit Joſeph ambos ipſos, Ephraim ad dexteram ſuam, à ſiniſtra Iſraël, & Menaſſeh ad ſiniſtram ſuam, à dextera Iſraël: accedere, inquam, fecit ad eum.

14. Et extendit Iſraël dexteram ſuam, & poſuit ſuper caput Ephraim qui erat minor: & ſiniſtram ſuam ſuper caput Menaſſeh: conſulto dirigens manus ſuas, quum Menaſſeh eſſet primogenitus.

15. Et benedixit ipſi Joſeph, & dixit, Deus in cujus conſpectu ambulaverunt patres mei Abraham & Ishac, Deus qui paſcit me ab ætate mea uſque ad diem hanc,

16. Angelus qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris: & vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abraham & Ishac, & inſtar piſcium ſint in multitudinem in medio terræ.

17. Vidit autem Joſeph quod poneret pater ſuus manum dexteram ſuam ſuper caput Ephraim, & diſplicuit in oculis ejus, & ſuſtentavit manum patris ſui ut removeret eam à capite Ephraim, ſuper caput Menaſſeh.

18. Et dixit Joſeph patri ſuo, Non ſic, pater mi: quia iſte eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput ejus.

19. Verum

19. Verum renuit pater ejus, & dixit, Novi fili mi, novi, etiam ipſe erit in populum, & etiam ipſe creſcet: & tamen frater ejus minor creſcet magis quam ipſe, & ſemen ejus erit plenitudo Gentium.

20. Et benedixit eis in die ipſa, dicendo, In te benedicet Iſraël, dicendo, Ponat te Deus ſicut Ephraim & Menaſſeh. & poſuit Ephraim ante Menaſſeh.

21. Et dixit Iſraël ad Joſeph, Ecce, ego morior: & erit Deus vobiſcum, & redire faciet vos ad terram patrum veſtrorum.

22. Ego autem dedi tibi partem unam ſuper fratres tuos, quam cepi è manu Emoræi gladio meo & arcu meo.

1. *Poſt hæc dixit.*] Tranſit Moſes ad ultimum actum vitæ Jacob, quem videbimus in primis fuiſſe memorabilem. Nam quum ſciret non vulgarem ſibi à Domino impoſitam eſſe perſonam ut patrum Eccleſiæ pater eſſet, Propheticum munus, quod ſimul injunctum erat, de futuro Eccleſiæ ſtatu, ſub mortem implevit. Privati homines teſtamentis res domeſticas conſtituunt: ſed hujus ſancti viri longe diverſa fuit ratio, cum quo Deus fœdus ſuum hac lege pepigerat ut gratiæ ſucceſſio ad poſteros deflueret. Sed antequam ad hanc rem tractandam penitus ingrediar, notanda ſunt hæc duo quæ breviter attingit Moſes: quod Joſeph admonitus de morbo patris, ſtatim iter arripuerit: deinde quod Jacob audito ejus adventu, infirmum ac tremulum corpus attollere conatus ſit honoris cauſa. Certe ideo tam cupidus viſendi patris fuit Joſeph, & promptus ad reliqua pietatis officia, quod plurisduceret eſſe filium Jacob quam centum regnis præeſſe. Nam quod filios ſuos adduxit, perinde eſt acſi ab ea terra in qua nati erant, eos emanciparet, ac reſtitueret ſuæ origini. Neque enim cenſeri poterant in genere Abrahæ quin ſe fœtidos redderent Ægyptiis. Atqui Joſeph quibuslibet opibus & gloriis dedecus iſtud præfert, modo in ſacrum Eccleſiæ corpus coaleſcant: pater tamen ei aſſurgens, beneficium manu ejus acceptum quo decet honore proſequitur. Atque interim paret vaticinio, quod filios prius in rabiem accenderat: ne illis grave ſit ac moleſtum, ſi Ephraim & Manaſſe duarum tribuum capita conſtituat.

3. *Et dixit Jahacob ad Joſeph.*] Conſilium ſancti viri fuit retrahere filium ſuum ab opulentia & honoribus Ægypti, eumque deintegro aggregare ad ſanctum genus, à quo pauliſper diviſus fuerat. Porro nec generis ſui excellentiam, nec præſentes divitias, nec potentiam magnifice jactat demulcendi ejus cauſa, ſed unicum Dei fœdus proponit: ſicuti æquum eſt, ut gratia adoptionis, ſimulac nobis offertur, ſenſus omnes noſtros occupans, quicquid in mundo ſplendidum eſt ac pretioſum abſorbeat. Inſignis certe eſt hic locus. Summus eſt dignitatis ſplendor in Joſeph: futurum videt ut ex nominis ſui memoria ad poſteros tranſeat præclara nobilitas: amplum illis patrimonium relinquere poteſt: nec difficile eſt provehere in regis gratiam, ut inter regni proceres locum obtineant. Talibus illecebris quam facile ſit non modo ineſcari, ſed prorſus faſcinari, nimis multa exempla oſtendunt. Imo major pars experientia ſua cognoſcit, ſimulac minima ſpes à mundo affulget, à Domino nos abripi, & alienari à ſtudio cœleſtis vitæ. Si pauculæ guttæ ita inebriant carnem noſtram, quam periculoſum eſt ex pleno dolio bibere? Atqui omnibus Ægypti divitiis & honoribus Jacob viſionem opponit, in qua ipſum Deus cum ſuo genere in populum adoptaverat. Quoties ergo nos mundi blanditiis irretire tentabit Satan, ut è cœlo abducat, revocemus in memoriam quorſum vocati ſimus, ut præ incomparabili vitæ æternæ theſauro, quicquid alioqui carni optabile eſt, fordeat. Nam ſi tantum honoris olim viſioni obſcuræ habuit ſanctus Joſeph, ut ſolo ejus objectu Ægypti oblitus, ad contemptum Eccleſiæ gregem cupide tranſierit: quam pudenda eſt hodie noſtra amentia, quam fœdus ſtupor, quam deteſtabilis ingratitudo, ſi non peræque ſaltem affi-

cimur, ubi nos cœleſtis Pater aperta regni ſui janua pluſquam ſuaviter ad ſe invitat? Simul tamen notandum eſt, à ſancto Jacob non obtrudi vanas imaginationes quibus filium lactet: ſed certam Dei promiſſionem, in quam tuto recumbat, proferre. Unde docemur, non alibi quam in ſolo Dei verbo rite fundari fidem: ſicuti hæc illi fultura ſatis firma eſt, ne ullis machinis concuſſa unquam labaſcat. Quare diſcamus, quoties ſuis avocamentis huc illuc diducere nos tentat Satan, mentes noſtras ad verbum Dei colligere, & tam ſolide inniti bonis abſconditis, ut quæ caro videt nunc & palpat, alto ſpiritu ſpernamus. Sibi Deum apparuiſſe dicit in terra Chanaan, ut Joſeph ad eam aſpirans, cordis affectu exuleta regno Ægypti. *Et benedixit mihi.* Hoc loco benedicendi verbum non ſonat præſentem effectum vel exhibitionem felicis vitæ, ſicuti plerumque dicitur ſuis benedicere Dominus, dum favorem quo ipſos proſequitur, reipſa declarat, ut palam fiat ipſos eſſe beatos, quia in ejus præſidium recepti ſunt. Sed Jacob ſe benedictum ſentit, quia promiſſam ſibi gratiam amplexus, de effectu non dubitat. Itaque exegetice accipio quod continuo poſt ſequitur, *Faciam te creſcere*, &c. Promiſit autem Dominus ſe facturum ut cœtus populorum ex ipſo deſcenderet: quia tredecim tribus, ex quibus unum gentis corpus conſtabat, quaſi totidem erant populi. Sed quia nonniſi præludium hoc erat ejus amplitudinis quæ poſtea ſequuta eſt, quum Deus ſparſo per totum orbem ſemine, Eccleſiam ſibi ex cunctis gentibus collegit: ſic benedictionem in veteri figura præſtitam agnoſcimus, ut tamen ultra progredi conveniat. Quum ergo excreviſſet populus in tantam multitudinem, & ex duodecim Patriarchis fluxerunt tredecim populoſæ tribus, jam tunc incepit creſcere in cœtum populorum. Sed ex quo ſpiritualis Iſraël per omnes mundi plagas diffuſus eſt, & variæ gentes in unam Eccleſiam aggregatæ ſunt, in ſolidum compleri cœpit multiplicatio. Quare nihil mirum ſi ſanctus Jacob hoc tam præclarum divini favoris ſpecimen tanti æſtimet, niſi quod procul abſcondituma erat à carnis ſenſu: ſed quia Dominus eum jam diu ſuſpenſum tenuerat, dixiſſent profani homines ſcnile hoc eſſe delirium. Et paucos ſimiles Joſeph invenire hodie liceret, qui poſthabita bonorum quæ ad manum ſunt dulcedine, animos ad nudum oraculum prorſus adjicerent. At vero ſicuti Jacob fiducia inviſibilis gratiæ fretus, omne tentationum genus tranſcenderat: ita nunc ejus filius, & verus fidei hæres, reverenter ſentit de oraculis Domini: promiſſionem quam è cœlo fluxiſſe perſuaſus eſt, licet inſtar ſomnii foret, potiorem habens omnibus Ægypti divitiis quibus fruitur. *In hæreditatem perpetuam.* Quid valeat hæc loquutio, alibi diximus: nempe quod futuri eſſent Iſraëlitæ perpetui terræ hæredes uſque ad Chriſti adventum, quo renovatus fuit mundus. Vox Hebraica עולם, à quibuſdam pro diuturno ſolum tempore, ab aliis pro æternitate accipitur: ſed quia gratiam olim Patribus adumbratam Chriſtus uſque ad finem mundi continuat, poſſeſſio ſeculi, meo judicio, tantundem valet atque æterna. Nam veteri populo uſque ad renovationem per Chriſtum inductam, promiſſa fuit illa terræ portio: nunc ex quo totum orbem Dominus populo ſuo dicavit, plenior nobis conſtat hæreditatis fruitio.

5. Nunc duo filii tui.] Jacob singulari privilegio filium suum ornat, ut unus faciat duo capita: hoc est, ut duo ejus filii, acsi hæredes essent in primo gradu, æquo jure cum patruis succedant. Sed quid hoc est quod senex decrepitus tanquam regale patrimonium nepotibus suis assignat sextam ejus terræ partem in qua erravit inquilinus, & ex qua nunc iterum profugus est? quis non fabulari ipsum dixisset? Vulgare proverbium est, neminem dare quod non habet. Quid ergo profuit ipsi Joseph imaginario titulo constitui ejus terræ dominum in qua vix donatori permissum fuit aquam magno suo labore effossam bibere, & ex qua tandem cum fames expulit? Sed hinc apparet quam stabili side innixi fuerint sancti Patres verbo Domini, quibus satius fuit ex ore ejus pendere quam sixam habere sedem in terra. Jacob in Ægypto exul moritur: & interea Ægypti præfectum ex sua dignitate in exilium evocat, ut bene illi sit ac feliciter. Joseph, quia patrem agnoscit Dei Prophetam, qui nihil ex capite suo fabricat, non minoris æstimat oblatum sibi quod nusquam apparet dominium, quam si jam in manu esset. Porro quod Jacob alios filios Joseph, si qui sint, censeri in familiis duorum fratrum jubet, perinde est acsi illos in adoptionem daret duobus quos ipse sibi adoptat.

7. Et me veniente de Padan.] Ideo mortem & sepulturam uxoris suæ Rachel commemorat, ut maternum nomen stimulus sit ad pungendum animum Joseph. Nam quum oriundi essent ex Syria omnes filii Jacob, non parum ad rem interfuit probe illis cognitam esse quam prius habuimus historiam, nempe quod pater Dei jussu & auspiciis in terram Chanaan reversus, secum uxores duxisset. Nam si fœminis grave non fuit, relicta patria in longinquam terram migrare, illarum exemplum non leve incitamentum filiis esse debuit, ut Ægypto valere jussa, eodem Deo jubente ad possidendam terram Chanaan strenue se accingerent.

8. Et vidit Israël Joseph.] Non dubito quin de pueris scisscitatus fuerit, priusquam eos nuncuparet hæredes. Sed in contextu Moses est ἔσχημα σχήματος. Et in responsione Joseph notandum est quod alibi attigimus, fructum ventris non fortuito nasci, sed numerari inter eximia Dei dona. Et hæc quidem confessio passim volitat in omnium linguis: sed pauci sunt qui ex animo semen à se genitum Deo acceptum referant. Unde fit ut major pars sobolis subinde magis magisque degeneret: quia digna est mundi ingratitudo quæ fructum benedictionum Dei non sentiat. Nunc breviter tenendum est Mosis consilium, nempe solenne interpositum fuisse symbolum, quo rata esset adoptio. Manus nepotibus suis imponit Jacob. quorsum? nempe ut confirmet locum se illis dare inter filios: atque ita unus Joseph duo capita efficiat. Non enim votum hoc fuit privati hominis, quemadmodum posteris suis fausta precari solent avi & patres: sed divina suberat auctoritas, sicuti eventu comprobatum posthea fuit. Ideoque prope sibi adduci jubet, ut novum illis honorem conferat, tanquam dispensator à Domino creatus: & Joseph vicissim ab adoratione exordium facit, gratias agens Deo.

12. *Et duxit Joseph eos.*] Latius explicat Moses quod uno verbo perstrinxerat. Joseph autem filios è gremio suo eductos ad patris genua admovit, non modo honoris causa, sed ut Dei Prophetæ benedicendos offerret: quia certo persuasus erat, non vulgari hominum more sanctum Jacob appetere nepotum complexum: sed quatenus erat Dei interpres, depositam apud se gratiam ipsis velle conferre. Quanquam autem in dividenda terra Chanaan æquales illis portiones cum filiis attribuit, altius tamen spectavit manuum impositio: nempe ut duo essent ex Ecclesiæ Patriarchis, & honorificum primatum tenerent in spirituali Dei regno.

14. *Et extendit Israël dexteram suam.*] Quum hebetes senio essent oculi, ut aspectu non discerneret uter natu major esset, consulto tamen manus suas transversas posuit. Ideo dicit Moses quod *intelligere fecerit manus suas*, quia non temere eas projecit, nec palpandi causa huc vel illuc transtulit: sed delectu adhibito, sciens ac volens, manum dexteram direxit ad Ephraim qui minor erat natu: sinistram autem primogenito imposuit. Unde colligimus Spiritum Dei hujus actionis fuisse præsidem, qui arcana sua luce sancti viri mentem irradians, acutius eum videre fecit quam qui valde erant perspicaces. De symbolo plura dicere supersedeo, quia ex aliis locis petere licebit.

15. *Deus in cujus conspectu.*] Etsi Jacob commissam sibi gratiæ Dei dispensationem esse noverat, ut cum effectu benedicereet nepotes: nihil tamen sibi arrogat, sed supplex ad preces descendit, ne vel minimum quid ex Dei gloria delibet. Nam sicuti ipse legitimus erat benedictionis minister, ita Deum unum agnoscit auctorem oportuit. Atque hinc communis sumenda est regula omnibus Ecclesiæ ministris ac pastoribus. Quamvis enim non solum vocentur cælestis gratiæ testes, sed illis donorum spiritualium injuncta sit dispensatio: ubi tamen ad Dei comparationem ventum est, nihil sunt: quia unus ille omnia in se continet. quare discant se ultro in ordinem cogere, ne Dei nomen obscurent. Et certe Dominus minime ea lege sibi ministros constituit ut sibi quicquam abroget: itaque non sine sacrilegio appetit mortalis homo seorsum aliquid à Deo videri. In verbis hoc primo notandum est, quod Deum invocat in cujus conspectu ambulaverunt patres Abraham & Isaac. nam quia à fœdere cum ipsis percusso benedictio pendebat, fidem eorum intervenire necesse fuit. Deus illos sibi & posteros elegerat in populum: sed ideo efficax fuit illa promissio, quia side apprehensa vivam radicem egit. Atque ita factum est, ut jus successionis ad ipsum Jacob transmiserint. Videmus nunc ut patrum fidem non fructus nec intempestive in medium proponat, sine qua non fuisset legitimus gratiæ successor ex Dei fœdere: non quod Abraham & Isaac sibi & posteris acquisierint tantum honorem, vel à sepsis excelluerint: sed quia Dominus side confignat ac sancit quæ nobis promittit beneficia, ne effluant. *Deus qui pascit me.* Jam ad proprium sensum descendit Jacob, quod scilicet usque à pueritia divinum erga se favorem variis modis assidue sit expertus. Nuper benedictionem suam fundavit in Dei notitia ex verbo ejus concepta, & patrum side: nunc alteram confirmationem adjungit ab ipsa experientia: acsi diceret, non inani verborum sonitu se benedictionem effundere, sed cujus fructum tota vita perceperat. Quamvis autem promiscue solem suum super bonos & malos oriri faciat Deus, & incredulos non minus pascat quam fideles: quia tamen his solis peculiarem paterni amoris sui sensum in usu donorum suorum præbet, merito Jacob ad fidei fuæ confirmationem hac ratione utitur, quod semper Dei auxilio protectus fuerit. Pascuntur Dei liberalitate, imo saginantur increduli: sed non secus se ingurgitant ac porci, quibus tametsi ex arboribus decidunt glandes, rostrum tamen habent terræ affixum. Atqui hoc in Dei beneficiis præcipuum est, ut nobis pignora sint, vel tesseræ paterni ejus erga nos amoris. Jacob ergo ex pietatis sensu, quo præditi sunt filii Dei, rite ad gratiæ promissæ probationem accommodat quæcunque in eum Deus contulerat bona: acsi diceret, se luculento exemplo esse quam vere & bona side pepigisset Dominus se Abrahæ filiis fore in patrem. Nos quoque hinc discamus probe expendere & meditari quæcunque ex Dei manu percipimus beneficia, ut totidem admonicula sint ad confirmandam fidem nostram. Hæc optima est ratio quærendi Dei, ubi à verbo incipimus: deinde accedit

dit experimentalis (ut ita loquar) cognitio. Quum autem hic non vulgaris ſancti viri gratitudo refulgeat, ejus tamen laudem auget hæc circumſtantia, quod inter multiplices ærumnarum, quibus prope oppreſſus fuerat, complexus, aſſiduam Dei bonitatem celebrat. Quanquam enim rara & mirifica Dei virtute præter uſitatum morem ereptus fuerat ex pluribus periculis, fuit tamen excelſi fortiſque animi ſuperare tot ac tam ardua obſtacula, ut ad Dei bonitatem fidei alis volaret: nec malorum congerie obrui, quin eandem bonitatem cerneret in denſis tenebris.

16. *Angelus qui redemit me.*] Sic Angelum adjungit Deo, ut eum parem faciat. Certe divinum illi cultum tribuit, eadem ab eo quæ à Deo petens. Si de Angelo quolibet indifferenter accipias, abſurda erit loquutio: quin potius Dei nomen ac perſonam ſuſtinens in benedicendo filio, hac parte Angelis eſt ſuperior. Quare neceſſe eſt Chriſtum intelligi, qui Angeli titulo non temere inſignitur, eo quod perpetuus fuerit mediator. Et Paulus prioris ad Corinthios capite 10. verſ. 4. teſtatur fuiſſe Angelum illum qui dux & præſes itineris fuit veteri populo. Nondum quidem miſſus à Patre erat, ut ſuſcepta carne noſtra propius ad nos accederet: ſed quia ſemper vinculum fuit conjunctionis hominum cum Deo, nec aliter quam per ipſum Deus ſe olim patefecit, merito vocatur Angelus. adde quod Patrum fides in futuram ejus miſſionem intenta erat. Angelus ergo fuit, quod jam tunc radios ſuos funderet, ut ipſo mediatore ſancti Deo appropinquarent. Semper enim longius inter Deum & homines diſſidium fuit quam ut ſine mediatore quicquam communicationis eſſe poſſet. Cæterum quamvis in ſpecie Angeli apparuerit Chriſtus, tenendum tamen eſt quod dicit Apoſtolus ad Hebræos, 2. verſ. 16. non induiſſe naturam Angelicam, ut eſſet unus ex Angelis, ſicuti factus eſt verus homo: nam & quum humana corpora induerunt Angeli, non tamen ideo facti ſunt homines. Quia autem monemur his verbis, proprium Chriſti munus eſſe, nos tueri, & eripere à malis omnibus, cavendum eſt ne impia oblivio hanc gratiam ſepeliat. imo quo nunc clarius nobis exhibita eſt quam olim ſanctis ſub Lege, ex quo palam clamat Chriſtus, ſibi in cuſtodiam eſſe datos fideles, ne quis eorum pereat, eo plus vigere debet in cordibus noſtris, tum ut celebretur magnifice à nobis qua par eſt laude, tum ut ad quærendum illud optimi noſtri cuſtodis præſidium incitet. Idque nobis pluſquam neceſſarium eſt. nam ſi reputamus quot nos pericula circumſtent, nullum fere diem præterimus, niſi ex mille mortibus erepti. unde id, niſi quod curam noſtri gerit Filius Dei, qui ex Patris manu nos tuendos ſuſcepit?

Joan. 17. verſ. 12.

Et vocetur in eis nomen meum.] Hæc nota eſt adoptionis, cujus nuper facta eſt mentio. ſuum enim illis nomen imponit, ut locum obtineant inter Patriarchas. Neque enim aliud ſibi vult phraſis Hebraica quam cenſeri ſub nomine. Sic dicitur invocari nomen mariti ſuper uxorem, Jeſaiæ. 4. verſ. 1. quia uxor à capite cui ſubeſt, nomen mutuatur. Quo magis ridicula eſt Papiſtarum inſcitia, dum binc probant mortuos in precibus eſſe invocandos. Jacob, inquiunt, poſt mortem ſuam invocari vult à poſteris. Quid? an ut rogatus ſuccurrat, ac non potius ut ejuſdem nominis ſocietas Ephraim & Manaſſe Patriarchis accenſeat, ut duas tribus efficiant in ſacro populo? Porro mirum eſt, quum hoc prætextu innumeros ſibi patronos fabricati ſint Papiſtæ, Abraham tamen, Iſaac & Jacob tanquam indignos fuiſſe præteritos. Sed Dominus hoc bruto ſtupore impiam nominis ſui profanationem ultus eſt. Ad promiſſionem quoque refertur quod addit Jacob proximo membro, *ut creſcant in multitudinem.* Summa huc redit, ut Dominus in ipſis compleat quod Patriarchis pollicitus eſt.

17. *Et vidit Joſeph quod.*] Quia complicatis transverſum brachiis manus ita compoſuerat Jacob ut ſiniſtram primogeniti capiti imponeret, hunc ordinem quaſi præpoſterum corrigere voluit Joſeph. Putabat autem hebetudine viſus ipſum errare: ſed arcanum ſequutus erat ducem Spiritum Dei, ut jus bonoris, quod natura primogenito contulerat, in minorem transferret. Nam ſicuti temere ſibi non ſumpſit benedicendi partes: ita nihil illi fas fuit proprio arbitrio tentare. Et tandem eventu patuit dictatum illi è cælo fuiſſe quicquid protulit. Quod indigne fert Joſeph, Manaſſe, qui jure naturæ prior erat, rejici in ſecundum gradum, naſcitur hic affectus ex fide, ſanctaque Prophetici muneris reverentia. Patrem enim in pueruli complexu hallucinari facile paſſus eſſet, niſi quia agnoſcit quatenus divinæ gratiæ miniſter eſt, non agere ludicram fabulam, ſed è terra pronunciare quod Deus ratum habebit in cælo. Fallitur tamen quod Dei gratiam conſueto naturæ ordini alligat: acſi non Dominus ſæpe conſulto jus naturæ mutaret, ut ſciamus in mero ejus arbitrio eſſe poſitum quod gratis nobis confert. Si cuique rependeret Deus quod debitum eſſet, poſſet merito ejus gratiis certa regula præfigi: ſed quum neminî quicquam debeat, jure ſuo in conferendis donis liber eſt. Præſertim vero ne quis in carne glorietur, eos quibus nulla competebat propria dignitas, eligens, gratuitam ſuam miſericordiam data opera illuſtrat. Quid cauſæ eſſe dicemus cur Ephraim ſupra germanum fratrem, cui uſitata lege ceſſurus erat, extulerit? Si quis excipiat occultum fuiſſe aliquod excellentiæ ſemen, non modo futiliter nugatur, ſed impie pervertit Dei conſilium. Nam quum à ſeipſo & ſua liberalitate cauſam Deus ſumpſerit cur ex duobus alterum alteri præferret: minori honorem ideo detulit, ut oſtenderet ſe nullis hominum meritis obſtrictum, libere, prout viſum eſt, dona ſua diſtribuere. Quanquam autem hæc Dei libertas ad omne bonorum genus extenditur, in prima tamen adoptione clarius eminet, ubi ex perdita colluvie quos viſum eſt, in ſalutem prædeſtinat. Quare per nos integra maneat Deo ſua poteſtas, & ſiquando obſtrepit ſenſus carnis noſtræ, ſciamus nullos hic melius ſapere quam qui in mirabilibus Dei judiciis cæcutiunt, ut cauſam diſcriminis non alibi quærant quam in ipſo. Vidimus ſupra obtuſos & bebetes fuiſſe oculos Jacob: ſed præpoſtere brachia complicans ut ſe formet ad Dei electionem, magis eſt perſpicax quam filius Joſeph, qui pro carnis ſenſu nimis acute inquirit. Qui ex operum intuitu judicium factum eſſe delirant, ſatis hoc uno declarant ſe prima fidei rudimenta nnn tenere. Nam vel communis utriuſque adoptio, Manaſſe ſcilicet ac Ephraim, gratuitum fuit donum, vel debita merces. De hoc ſecundo membro omnis ambiguitas tollitur multis Scripturæ locis: ubi Dominus ſuam bonitatem celebrat, quia populum illum gratis dilexit ut eligeret. Jam nemo tam rudis eſt alphabetarius, qui non inde colligat, ex duobus alteri priorem gradum non pro meritis tribui: ſed gratis dari, quoniam ita Domino placuit. Quod ad geſtum ſpectat, ridicula eſt quorundam argutia, qui divinant incluſum in eo fuiſſe crucis myſterium. Neque enim alio reſpexit Dominus, niſi ut converſis dextræ & ſiniſtræ manus uſitatum naturæ ordinem mutaret.

19. *Etiam ipſe erit in populos.*] Non diſputat Jacob uter ſit altero dignior, ſed tantum pronunciat quid Deus apud ſe de utroque decreverit, & quid futurum ſit longo poſt temporis ſucceſſu. Cauſas ergo non aliunde accerſit, ſed hac una contentus eſt, quod multiplicabitur Ephraim præ Manaſſe. Et certe in ſolo Dei conſilio abſcondita eſt noſtra dignitas, donec vocatione ſua palam faciat quid nobis fieri velit. Interim tollitur prava æmulatio, quum Manaſſe ſua ſorte contentum eſſe jubet. Prorſus itaque inſaniunt

qui aridas & perforatas ciſternas effodiunt, ubi cauſas reperiant divinæ adoptionis, quum ubique uno verbo definiat Scriptura, vocari in ſalutem quos *Rom. 8. verſ. 29.* Deus elegit: primum vero electionis fontem, liberum ejus beneplacitum eſſe. Forma benedictionis quæ paulo poſt refertur, melius confirmat quod attigi, commendari in utroque Dei gratiam, ut Manaſſe ſibi plus datum eſſe reputans quam fuerit promeritus, fratri ſuo non invideat. Cæterum iſtud benedicere in Ephraim & Manaſſe non accipitur ut prius, quum dictum eſt, Benedicentur omnes gentes in ſemine tuo: ſed ſimplex ſenſus eſt, conſpicuam in duobus filiis Joſeph Dei gratiam fore, ut populus Iſraël exemplar bene precandi inde ſumpturus ſit.

21. *Et dixit Iſraël ad Joſeph.*] Repetit Jacob quod dixerat. Et certe omnibus ejus filiis, præſertim vero ipſi Joſeph & filiis non una vel ſimplici confirmatione opus fuit, ne ſtationem ſibi figerent in Ægypto, ſed animis habitarent in terra Chanaan. Mortis ſuæ in hunc finem meminit, ut æternam Dei veritatem minime ab hominum vita pendere admoneat: acſi diciſſet, Vita quidem mea ut brevis & caduca fuit, dilabitur: ſed promiſſio Dei, quæ nullum habet finem, me quoque mortuo vigebit. Nulla filiis vifio oſtenſa fuerat, ſed ſanctum ſenem Deus intermedium fœderis ſui ſponſorem ordinaverat. Sedulo itaque injunctum ſibi munus exequitur, mature præcavens ne ſuo interitu vacillet eorum fides. Sic quum Dominus per homines mortales verbum ſuum mundo tradiderit, quamvis illi peracto vitæ curriculo ſecundum carnem mortui ſint, non tamen ſimul extincta eſt vox Domini, ſed nos hodie vivificat: ideo Petrus ſe daturum operam ſcribit, ut poſt *2 Pet. 1. verſ. 15.* ſuum diſceſſum doctrinæ ſibi commiſſæ Eccleſia ſit memor.

Adterram patrum veſtrorum.] Non abs re ſibi & patribus vendicat terræ dominium, in qua ſemper vagati fuerant tanquam exteri. nam quia videri poterat quodammodo intercidiſſe Dei promiſſio, filios erigit in bonam ſpem, & heroico animo pronunciat terram eſſe ſuam, in qua vix tandem ſepulchrum adeptus eſt, idque precario. Unde autem tanta fiducia, niſi ut ad fidem verbo Dei habendam ſuo exemplo aſſuefaciat filios? Hæc autem nobis etiam communis eſt doctrina: quia nunquam ſatis ſolide innitimur Dei verbo quamdiu ſenſibus noſtris fumus affixi. Imo donec eouſque emergat fides ut apprehendat quæ procul remota ſunt, neſcimus quid ſit loquenti Deo ſubſcribere.

22. *Ego dedi tibi partem.*] Hic Jacob ut plus animi faciat filio Joſeph, partem unam ei aſſignat extra ſortem. Secus alii exponunt, quod duplicem ipſum hæredem nuncupans in duobus filiis, ſupra alios una portione ornet. Sed minime dubium eſt quin certam regionem notet. Et Joannes cap. 4. verſ. 5. controverſiam dirimit. nam de agro vicino urbi Sichar, quæ olim Sichima fuerat, loquens, eum eſſe dicit quem Jacob donavit filio Joſeph. Et Joſuæ ultimo capite, verſ. 32. dicitur veniſſe in poſſeſſionem duobus filiis Joſeph. Cæterum in voce שכם, quæ Partem Hebræis ſignificat, alluſio eſt ad nomen proprium loci. Sed hic exoritur quæſtio, quomodo agrum illum ſibi partum dicat gladio & arcu, quem pecunia emerat: ſicut dictum fuit ſupra 33. verſ. 19. & iterum refertur prædicto capite Joſuæ. Sed quia exigua tantum agri portio, ubi tabernacula locaret, empta fuerat, non dubito quin hic longe amplius ſpatium complexus fuerit. Nam ex pretio æſtimare promptum eſt quantulus fuerit fundus ille quem ante excidium urbis poſſederat. Donat ergo nunc filio Joſeph non modo locum ſui tabernaculi, qui centum nummis conſtiterat, ſed agrum qui publicus fuerat urbis Sichimæ. At videndum eſt quomodo partum ſuo gladio fuiſſe dicat, quum incolæ ſceleſte & crudeliter à Simeone & Levi occiſi fuiſſent. quomodo igitur ab illis jure victoriæ eripi potuit quibus bellum injuſte illatum eſt: vel potius in quos ſine bello perfide ſævitum fuit? Hieronymus ad allegoriam confugit, quod vel pecunia, quæ robur vocatur, vel juſtitia partus fuerit. Alii prolepſin eſſe exiſtimant, quaſi de futura acquiſitione loquatur Jacob: quod etſi non repudio, videtur tamen nonnihil coactum. Ego huc potius inclino: primum quod velit teſtari, nihil ſe duobus filiis Simeon & Levi eripere, qui latronum more graſſati, non fuerant legitimi victores, neque unquam potiti fuiſſent uno agri pede poſt ſtragem editam. Adeo enim illis nihil acceſſit, ut patrem fugere coëgerint: nec patuiſſet effugium niſi miraculo fuiſſent erepti. Cæterum ubi inani titulo eos exuit Jacob, jus victoriæ ad ſe transfert, quaſi divinitus ſibi conceſſum. Etſi enim ab eorum ſcelere ſemper abhorruit, & illud proximo capite deteſtabitur: quia tamen armaverant totam ejus domum, quaſi ſub ejus auſpiciis militarunt. Quod libenter feciſſet, conſequi non potuit, ut ſalvi eſſent cives Sichimæ: agrum tamen, eorum interitu vacuum & deſertum, ideo ſuum facit, quia in ejus gratiam homicidis Deus pepercerat.

CAPUT XLIX.

POſtea vocavit Jahacob filios ſuos, & dixit, Congregate vos, & annunciabo vobis quod eventurum eſt vobis in noviſſimo dierum.

2. Congregate vos, & audite filii Jahacob, audite inquam Iſraël patrem veſtrum.

3. Reuben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium roboris mei: excellentia dignitatis, & excellentia roboris.

4. Velocitas *fuit tibi* inſtar aquæ, non excelles: quia aſcendiſti cubile patris tui, tunc polluiſti ſtratum meum, evanuit.

5. Simhon & Levi fratres, arma iniquitatis in habitationibus eorum.

6. In ſecretum eorum non veniat anima mea, in cœtu eorum non uniaris lingua mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & voluntate ſua eradicaverunt murum.

7. Maledictus furor eorum, quia robuſtus: & ira eorum, quia dura eſt: dividam eos in Jahacob, & diſpergam eos in Iſraël.

8. Jehudah *es* tu, laudabunt te fratres tui: manus tua erit in cervice inimicorum tuorum, incurvabunt ſe tibi filii patris tui:

9. Ut catulus leonis Jehudah: è præda, fili mi, aſcendiſti: incurvavit ſe, cubuit ſicut leo, ſicut leo major, quis ſuſcitabit eum?

10. Non recedet ſceptrum ex Jehudah, & Legislator è medio pedum ejus, donec veniat Meſſias: & ei erit aggregatio populorum.

11. Ligans.

11. Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad ramum filium aſinæ ſuæ: lavit in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum operimentum ſuum.
12. Rubicundus oculis à vino, & candidus dentibus à lacte.
13. Zebulon in portu marium habitabit, & erit in portum navium, & terminus ejus uſque ad Sidon.
14. Iſſachar *ut* aſinus oſſeus, cubans inter duas ſarcinas.
15. Et vidit requiem quod eſſet bonum, & terram quod eſſet pulchra, & inclinavit humerum ſuum ad portandum, & fuit tributo ſerviens.
16. Dan judicabit populum ſuum ſicut unus è tribubus Iſraël.
17. Erit Dan *ut* ſerpens juxta viam, *ut* ceraſtes juxta ſemitam, mordens calcaneos equi, & cecidit equitans retrorſum.
18. Salutem tuam expectavi Jehova.
19. Gad, exercitus ſuccidet eum, & ipſe ſuccidet ad extremum.
20. Aſer, erit pinguis panis ejus, & ipſe dabit delicias regis.
21. Naphthali *ut* cerva dimiſſa, dans eloquia pulchritudinis.
22. *Ut* arbor fructificans Joſeph, *ut* ramus creſcens juxta fontem, cujus incedent ſuper murum.
23. Et amaritudine affecerunt eum, & jaculati ſunt, & odio habuerunt eum ſagittarii.
24. Et manſit in fortitudine arcus ejus, & roboraverunt ſe brachia manuum ejus à manibus potentis Jahacob, inde paſtor lapidis Iſraël.
25. A Deo patris tui, & adjuvabit te: & ab Omnipotente, & benedicet tibi benedictionibus cæli ſurſum, benedictionibus abyſſi cubantis deorſum, benedictionibus uberum & vulvæ.
26. Benedictiones patris tui fortiores fuerunt benedictionibus genitorum meorum, uſque ad terminum collium perpetuorum erunt ſuper caput Joſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos.
27. Benjamin *ut* lupus rapiet, manè comedet prædam, & veſperi dividet ſpolia.
28. Omnes iſtæ tribus Iſraël duodecim. Et hoc eſt quod loquutus eſt eis pater eorum, & benedixit eis: unicuique ſecundum benedictionem ſuam, benedixit eis.
29. Et præcepit eis, & dixit ad eos, Ego congregor ad populum meum: ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca quæ eſt in agro Hephron Hittæi,
30. In ſpelunca quæ eſt in agro duplici, quæ eſt ante Mamre, in terra Chenaan: quam emit Abraham cum agro ab Hephron Hittæo in poſſeſſionem ſepulchri.
31. Ibi ſepelierunt Abraham & Sarah uxorem ejus, ibi ſepelierunt Iſhac & Ribcah uxorem ejus, & ibi ſepelivi Leah.
32. Emptio agri & ſpeluncæ quæ eſt in eo, *fuit* à filiis Heth.
33. Et finem fecit Jahacob præcipiendi filiis ſuis: & collegit pedes ſuos in lecto, & obiit, & aggregatus eſt ad populos ſuos.

1. *Et vocavit Jahacob.*] Proximo capite narrata fuit benedictio Ephraim & Manaſſe, quia antequam Jacob de toto gentis ex ſe oriundæ ſtatu diſſereret, duos illos nepotes in corpus filiorum inſeri oportuit. Nunc quaſi ſupra cælos evectus, non in hominis perſona, ſed ex ore Dei, qualis in longum uſque tempus futura ſit omnium conditio, pronunciat. Atque hoc quidem primo notare convenit, quum tredecim tunc haberet filios, eum in ſingulis eorum perſonis totidem gentes vel tribus ſibi proponere. in quo mirus fidei ejus ſplendor conſpicitur. Quia enim ſæpius à Domino audierat ſobolem ſuam multiplicandam eſſe in populoſos cœtus, hoc oraculum ſublimis ſpeculæ vice ei eſt, unde cernat quæ ſenſum humanum procul latebant. Quanquam non ſimplex eſt fidei confeſſio, in qua teſtetur Jacob ſe quicquid à Domino fuit promiſſum, ſperare: ſed exurgit ſupra homines, tanquam interpres ac legatus Dei, qui futurum Eccleſiæ ſtatum ordinet. Porro quia videbant interpretes nobile & magnificum eſſe hoc vaticinium, putarunt non ſatis ornari pro ſua dignitate, niſi nova quædam myſteria excuderent. Ita factum eſt, dum certatim contendunt profundas allegorias eruere, ut diſceſſerint à genuino verborum ſenſu, ſuiſque figmentis corruperint quicquid in ſolidam piorum ædificationem hic proditum erat. Nobis autem ne vileſcat literalis ſenſus, quaſi non ſatis altas ſpeculationes contineat, obſervandum eſt Spiritus ſancti conſilium. Primo, ante tempus certiores redduntur filii Jacob qualis ipſos maneat fortuna, ut agnoſcant peculiarem ſui curam eſſe Deo: & quanquam ejus providentia totus mundus regatur, ſe tamen, ut domeſticos, aliis gentibus præferri. Videtur in ſpeciem hoc humile & contemptum quod tribui Juda promittitur vitifera regio, quæ optimi vini copiam producet: item paſcuorum ubertas, quæ lac ſuppediter. At ſi quis expendat illuſtre in hoc ſuæ electionis teſtimonium Dominum reddere, quod tanquam paterfamilias ad curam victus deſcendit, & in rebus quoque minutis demonſtrat, ſacro fœderis vinculo filiis Abrahæ ſe eſſe devinctum: altius myſterium non requiret. Secundo ſpes hæreditatis promiſſæ deintegro illis renovatur. Atque ideo, quaſi manu eos in poſſeſſionem mitteret Jacob, qualis cuique habitatio contingat, familiariter, non ſecus ac in re præſenti, exponit. An rei tam ſeriæ confirmatio ſanis & prudentibus lectoribus vileſcet? Hoc tamen præcipuum eſt caput, quod propius illis deſignat Jacob unde illis venturus ſit Rex qui plenam felicitatem afferet. Atque hoc modo exponit quod de ſemine benedicto obſcure promiſſum fuerat. His rebus tantum ſubeſt ponderis, ut ſimplex earum tractatio, ſi modo dextri ſimus interpretes, merito nos in admirationem rapere debeat. Atque (ut alia omittam) non vulgaris hujus prophetiæ utilitas hoc uno conſtat, quod impuris & profanis hominibus, qui fidem Moſi libenter detraherent, os obſtruitur, ne amplius obſtrepere auſint, cæleſti inſtinctu

ſtinctu loquutum eſſe. Fingamus Moſen non referre quid olim vaticinatus eſſet Jacob, ſed in ſua perſona loqui: unde tamen divinare potuit quæ multis tandem ſeculis poſtea contingerunt? quale eſt vaticinium de regno Davidis. Nec vero dubium eſt quin Deus ſorte juſſerit dividi terram, ne qua ſubiret ſuſpicio Joſue ex compacto, & ſicuti à magiſtro edoctus erat, partiri inter tribus. Poſtquam terra potiti ſunt Iſraëlitæ, partitio non fit hominum arbitrio. Unde enim fit ut tribui Zabulon obtingat habitatio prope littus maris, tribui vero Aſer frumentaria planities, & ſortito aliis eveniat quod hic habetur: niſi quod Dominus ſua oracula effectu rata eſſe voluit, palamque oſtendit nihil tunc contingere quod non pridem teſtatus eſſet futurum? Jam redeo ad verba Moſis, in quibus inducitur ſanctus Jacob de longinquis rebus differens quod à Spiritu ſancto didicit. Sed oblatrant quidam protervi canes, Unde Moſi notitia ſermonis in obſcuro rugurio ante ducentos annos habiti? Antequam reſpondeam, viciſſim rogo, Unde illi cognitio locorum terræ Chanaan, quæ non ſecus ac peritus dimenſor, in ſingulas tribus aſſignat? Si hæc cæleſtis fuit ſcientia (quod fateri neceſſe eſt) cur negabunt impii illi blaterones divinitus ei fuiſſe revelata quæ Jacob prædixerat? Adde quod inter multa alia quæ ſancti Patres per manus tradiderant, hæc prædictio tunc paſſim nota eſſe potuit. Unde ſit ut populus tyrannice oppreſſus, opem Dei liberatoris inclamet? Unde ſit ut ad ſolum auditum promiſſionis olim datæ, animos in bonam fiduciam erigat: niſi quod divinæ adoptionis quædam adhuc vigebat memoria? Si vulgo celebre fuit Domini fœdus: cujus impudentiæ erit negare, quod de hæreditate promiſſa cognoſci operæpretium fuit, à cæleſtis Dei ſervis exactius fuiſſe obſervatum? Neque enim Dominus oracula ſua protulerat ex ore Jacob, quæ poſt ejus mortem ſubita oblivio deleret, quaſi in aëream ſonitus neſcio quos efflaſſet. Quin potius doctrinam multis ætatibus communem prodidit, ut ſcirent poſteri ex quo fonte ſibi manaret tam redemptio quam terræ hæreditas. Scimus quam cunctanter, imo timide ſuſcipiat Moſes injunctam ſibi provinciam, ubi ad ſuos liberandos accerſitur: quia ſciebat cum gente indocili & præfracta ſibi fore negotium. Certis ergo mandatis inſtructum venire neceſſe fuit, quæ fidem vocationis facerent. Ideo has prædictiones, non ſecus ac publicas tabulas ex ſanctioribus Dei archivis protulit, ne temere ipſum prorumpere quis putaret. *Congregate vos.* Initio ſibi attentionem conciliat Jacob. Graviter enim præfatur, ſibique Prophetæ auctoritatem vendicat: ut filios admoneat ſe minime privatum teſtamentum de rebus domeſticis condere: ſed oracula apud ipſum depoſita jam verbis afferere, donec ſuo tempore ſequatur eventus. Neque enim ſuis votis aurem præbere jubet, ſed in cœtum ipſos cogit ſolenni ritu, ut audiant quæ ſucceſſu temporis ipſis occurrent. Porro non dubito quin iſtam dierum ſucceſſionem de qua loquitur, Ægyptiaco exilio opponat, ut ſuſpenſis animis expectent promiſſum ſibi ſtatum. Jam vero ex ſuperioribus colligere promptum eſt, in hoc vaticinio comprehendi totum tempus ab exitu Ægypti uſque ad Chriſti regnum: non quod ſingula enumeret Jacob: ſed quia in ſummis rerum, quas breviter delibat, conſtituit fixum ordinem ac curſum, donec appareat Chriſtus.

3. *Reuben primogenitus.*] Orditur à primogenito, non honoris cauſa, ut ſuum gradum ei aſſerat, ſed quo plus illi inurat pudoris, eumque juſtis probris humiliet. Nam primogenitura hic dejicitur Ruben: quia inceſto coitu eum noverca paternum cubile polluerat. Senſus autem verborum eſt, Tu quidem natura primogenitus debueras excellere, quum eſſes virtus mea, & principium virilis fortitudinis: ſed quia deſluxiſti inſtar aquæ, non eſt quod amplius tibi quicquam arroges. Nam ab inceſtus tui die abiit & evanuit illa dignitas, quam natali die ex utero attuleras. Nomen רְאוּבֵן quidam pro ſemine, alii pro dolore accipiunt: atque ita vertunt, Tu virtus mea, & principium doloris vel ſeminis. Quibus placet vox Doloris, rationem hanc aſſignant, quia liberi parentibus curam & anxietatem afferant. Atqui ſi hæc ſignificatio probatur, potius eſſet antitheſis inter virtutem & mœſtitiam. Sed quia uno contextu Jacob dignitatis elogia recenſet quæ in primogenitum competunt, non dubito quin principium ſuæ virilitatis nominet. Nam quum homines in filiis quodammodo revigeſcant, merito vigoris principium dicitur primogenitus. Eodem pertinet quod ſtatim ſequitur, quod fuerit excellentia dignitatis, & excellentia roboris, antequam utroque jure ſe privaſſet. Ponit enim Jacob filio Ruben ante oculos priſtinum honorem, quia ei utile eſt probe ſentire unde exciderit. Sic Paulus dicit ſe Corinthiis objicere quibus fœdati ſunt peccata, ut eos pudefaciat. Nam quia nobis in vitiis blandimur, vix aliter ad ſanam mentem retrahitur quiſque noſtrum, poſtquam lapſus eſt, niſi ſuæ turpitudinis ſenſu tangatur. Porro ad nos vulnerandos nihil aptius eſt quam ubi inter gratias quibus nos prævenit Dominus, & pœnas culpa noſtra contractas, ſtatuitur comparatio. Poſtquam nudatus eſt Adam bonis omnibus, acriter ei non abſque ſubſannatione Deus exprobrat, Ecce, Adam quaſi unus ex nobis. Quorſum hoc, niſi ut ſecum reputans quantum ab illo homine diſtet, qui nuper conditus ad imaginem Dei tot præclaris dotibus pollebat, confuſus & proſtratus deploret præſentem miſeriam? Videmus ergo neceſſarias nobis eſſe exprobrationes, quo nos ad vivum magis afficiat ira Domini. Sic enim ſit non tantum ut nobis diſpliceant peccata, quorum jam pœnas ferimus, ſed etiam ut majori curæ ſit, quæ in nobis reſident Dei dona, ſedulo tueri, ne ſocordia noſtra diſpereant. Quia excellentiam dignitatis ad ſacerdotium, virtutis autem ad regnum referunt, nimis arguti, meo judicio, ſunt interpretes. Ego ſimplicius accipio, Si in ſuo gradu ſteriſſet Ruben, primatum omnis excellentiæ futurum fuiſſe penes eum. I Cor. 6. vers. 5.

4. *Levis ut aqua.*] Significat non ſtabilem fuiſſe honorem, ſed evanidum, cui addita non fuit cuſtos bona conſcientia: atque ita primogenitura abdicat. Cauſam exprimit, ne queratur ſe inſontem plecti. nam & hoc valde ad rem intereſt, convinci reum ſui ſceleris, ne pœna careat profectu. Videmus autem Jacob exutum carnis affectu, ſtrenue & magno animo exequi Prophetæ munus. Neque enim iracundiæ tribuendum eſt hoc judicium, quaſi privatim ſe pater ulciſci de filio cupiat: ſed à Spiritu Dei profectum eſt: quia optime quid ſibi impoſitum ſit oneris meminit Jacob. Verbum פַּחַז in clauſula ſententiæ ſignificat abire, vel diffluere, ut fumus aſcendens diſcutitur. Ideo ſenſus eſt, dilapſam eſſe ac extinctam excellentiam Ruben ex quo polluit lectum patris. Nam de lecto exponere, quod deſierit lectus eſſe conjugalis Jacob propter repudium Bilha, nimis frigidum eſt.

5. *Simeon & Levi.*] Duobus filiis Simeon & Levi ſtragem urbis Sichem exprobrat, pœnamque injungit tanti ſceleris. Unde colligimus quantopere exoſa ſit Deo crudelitas, quia pretioſus eſt illi hominum ſanguis. Perinde enim eſt acſi duos iſtos homicidas ad tribunal ſuum citaret, ac vindictam expoſceret, quum ſe putarent jam elapſos. Quæritur tamen an non illis pridem data eſſet venia: quod ſi jam ignoverat Deus, cur ad ſupplicium rurſus eos revocat? Reſpondeo, tum ipſis privatim fuiſſe utile, tum ſpectaſſe ad exemplum, non impunitam manere illam cædem, quamvis ejus veniam adepti forent. Videmus enim prius, quum admoniti eſſent à patre, procul fuiſſe ab ea triſtitia quæ pœnitentiæ initium eſt: & credibile eſt magis deinde ac magis bruto quo-

dam

dam torpore obſtupuiſſe in ſuo maleficio, vel ſaltem amara diſplicentia non fuiſſe ſerio tactos. Timendum etiam erat oe poſteri ad eandem feritatem aſſuefcerent, niſi horror divinitus fuiſſet incuſſus. Ergo Dominus partim ut eos humiliaret, partim ut documentum ſtatueret omnibus ſeculis, æternæ ignominiæ pœnam illis inflixit. Porro hoc modo non retinuit pœnam remiſſa culpa, ut ſtulte Papiſtæ ſomniant: ſed quum vere & in ſolidum placatus eſſet, aptam in futurum tempus correctionem adhibuit. Fingunt Papiſtæ dimidia tantum ex parte peccata ab eo remitti: quia noluit gratis abſolvere peccatores. At Scriptura longe alirer: non exigi ab eo pœnas quæ delicta compenſent, ſed quæ purgent corda hypocriſi, & blandiriis paulatim excuſſis invitent electos ad pœnitentiam, ad ſollicirudinem cavendi excitent, ſub timoris & reverentiæ freno contineant. Unde ſequitur nihil magis eſſe præpoſterum quam ſatisfactionibus redimi quas meriti ſumus pœnas, acſi Deus homano more ſibi ſolvi vellet quod debetur. quin potius optime inter ſe conveniunt, gratuita peœarum remiſſio, & caſtigatoriæ ferulæ, quæ potius occurrunt futuris vitiis, quam perſequantur quæ jam admiſſa ſunt. Ut redeam ad Simeon & Levi: qui fit ut Deus poſt longum tempus pœnam quam diſtulerat infligens, quaſi fugitivos reos ad judicium retrahat: niſi quia impunitas fuiſſet illis damnoſa? & tamen medici potius quam judicis partes ſuſcipit, quia non ideo parcit ut ſanet: nec duobus tantum ægrotis medetur, ſed antidoto prævenit aliorum morbos, ut ſibi à crudelitate caveant. Hoc quoque in primis memoratu dignum eſt, quod Moſes io vulganda gentis ſuæ infamia Dei eſt præco: nec vero commune tantum totius populi dedecus profert, ſed ſpecialem Tribui ex qua natus erat, ignominiam inurit. unde palam apparet, nihil dediſſe carni vel ſanguini, nec gratia vel odio fuiſſe inductum ut quicquam fucarer, vel ab hiſtoriæ fide deflecteret: verum ſicuri electus à Domino erat miniſter ac teſtis, memorem ſuæ vocationis fuiſſe, ut ſincere modo, ſed etiam cordate, os ſuum veritati prorſus dicaret. Hic comparatio ſit non modo inter filios Jacob, ſed etiam inter familias quæ ab ipſis fluxerunt. Hic certe apprime opportunum erat tempus, quo gentis ſuæ nobilitas curæ eſſet Moſi. Adeo autem operam encomiis non impendit, ut ingenue æterno probro infamet gentis ſuæ auctorem, quod in omnes redundet. Lucianici canes, qui Moſis doctrinam arrodere conantur, vafrum fuiſſe hominem obteodunt, qui ſibi apud craſſum vulgus acquiſierit imperium. Sed ſi hoc propoſitum habuit, cur non etiam proſpexit ſuis? Filios quibus in ſublime vehendis operam dare ſuaſiſſet ambitio, ſacerdotii honore abdicans, ad humile & gregarium miniſterium ablegat. Quis non videt divino potius conſilio quam humana prudenria occurſum fuiſſe impiis calumniis? ideoque honore privatos fuiſſe ſummi & ſingularis viri hæredes, ne qua in eo ſiniſtra hæreret ſuſpicio? Verum ut taceam de filiis & nepotibus, quod in perſona Levi totum genus ſuum traducit, in eo agnoſcere licet non hominem, ſed Angelum inſtinctu Spiritus ſancti loquentam, & purum omni carnis affectu. Cæterum priore loco de crimine pronunciat: deinde pœnam ſubjicit. Crimen eſt, quod arma violentiæ fiot in eorum tabernaculis: ideoque teſtatur ſe tam lingua quam corde abhorrere ab eorum conſilio, quia pro ſua libidine urbem una cum incolis exciderint. In verbis diſſentiunt interpretes. Nam מכרותם quidam accipiunt pro gladiis: quaſi dixiſſet Jacob, gladios ipſorum ſcelerate fuiſſe pollutos ſanguine innoxio. ſed rectius ſentiunt qui vertunt Habitationes: acſi dixiſſet, injuſtam vim penes eos habitare, quia adeo ſanguinarii fuerant. Vocem כבד pro lingua poſitam eſſe, ut aliis locis, non dubito. atque ita ſenſus clarus eſt, quod Jacob ex animo deteſtetur patratum à filiis ſcelus, ne ullum aſſenſum lingua præbeat. Quod ideo facit ut ſibi diſplicere incipiant, & alii omnes odio habere diſcant perfidiam cum ſævitia conjunctam. Furor proculdubio perverſum & cæcum iræ impetum ſignificat. Libido autem moderatæ rationi opponitur, quia nullo jure graſſati ſunt. In voce quoque רצון variant interpretes. Quidam Taurum vertunt, ac putant allegorice notari Sichimitas, qui ſaris robuſti & validi erant ad tuendam vitam, niſi eos Simeon & Levi ſua fraude & perfidia enervaſſent. Sed diverſa expoſitio longe eſt aptior, quod murum ſubverterint. Nam ſceleris atrocitatem inde amplificat Jacob, quod oe ædificiis quidem pepercerint filii.

7. *Maledictus furor eorum.*] Tenendum eſt memoria quod dixi, divinitus nos moneri per os ſancti Prophetæ, ut ab omnibus improbis conſiliis alieni ſimus. Væ pronunciat Jacob illorum furori: quorſum hoc, niſi ut frenum ſibi alii injiciant, & ſibi caveant à tali ſævitia? Quanquam (ut nuper attigi) non ſatis fuerit puras ſervare manus, niſi ab omni ſocietate procul ſimus remoti. Etſi enim non ſemper in nobis eſt injuſtam vim arcere, vitioſa tamen eſt diſſimulatio quæ ad conſenſus ſpeciem accedit. Valeat hic conſanguinitas, & quæcunque purum judicium corrumpunt: quando videmus ſanctum patrem Del mandato tam ſevere in filios ronare. Iram Simeon & Levi eo magis deteſtabilem eſſe pronunciat, quia & initio violenta, & uſque in finem implacabilis fuerit. *Dividam eos in Jabacob.* Videri quidem poſſet abſurda hæc ratio, quod Jacob filios ordinans Eccleſiæ Patriarchas, & divini fœderis hæredes nuncupans, maledictionem ipſis denunciet beatæ ſortis loco. Neceſſe tamen fuit à caſtigatione eum incipere, quæ locum faceret gratiæ Dei, quemadmodum in fine captis iterum repetam: pœnam vero mitigat Deus, dum honorificum illis in Eccleſia nomen, juſque integrum relinquit: imo incredibilis ejus bunitas ex inopinato refulſit, dum pœna Levi in Sacerdotii præmium fuit converſa. Diſperſio tribus Leviticæ à crimine patris habuit originem, ne ſibi in perverſa illicitaque vindicta placeret. Atqui Deus, qui initio produxit lucem è tenebris, cauſam aliam invenit cur diſperſi eſſent huc & illuc Levitæ, non tantum abſque probro, ſed etiam cum magno honore: ne quis ſcilicet terræ angulus probis doctoribus careret. Denique ſpeculatores eos & præfectos ſuo nomine in ſingulis partibus conſtituit, acſi æternæ ſalutis ſemen ubique ſpargeret, vel emitteret gratiæ ſuæ miniſtros. Unde colligimus quanto illi magis optabile fuerit caſtigari ad tempus in ſuum bonum quam impunæ in peccato ſuo jacentem putreſcere. Nec vero abſurdum eſt, quum diſtribuitur terra, & Levitis dantor urbes procul inter ſe diſſitæ, hac cauſa ſuppreſſa, diverſam prorſus adduci, quod Dominus ſit ipſorum hæreditas. Nam hoc unum eſſe ex Dei mitaculis nuper dixi, lucem ex tenebris proferre. Si damnatus eſſet Levi in longinquum exilium, hac pœna erat digniſſimus: nunc gradatim Deus illi parcit, dum vitam erraticam in paterna hæreditate aſſignat. Deinde remiſſa ignominiæ nota, poſteros ejus ſub præclaræ legationis titulo in diverſas partes amandat. In Simeone duravit quoddam, licet obſcurum, maledictionit veſtigium: quia filiis ejus non contigit ſorte, propria regio: ſed tribui Judæ fuerunt permixti, ſicuti habetur Joſue 19. verſ. 1. Poſtea profecti in montem Seir, expulſis inde Amalecitis, eorum ditione potiti ſunt, ut ſcriptum eſt 1 Chron. cap. 4. v. 40. Hic etiam perſpicimus quam heroicum fuerit pectus ſancti Jacob, qui decrepitus ſenex & exul, in privato & ignobili lectulo decumbens, tamen quaſi ex ſublimi magni regis ſolio provincias filiis ſuis adjudicat. Hoc autem jure ſuo facit, quia ſciebat apud ſe depoſitum eſſe Dei fœdus, quo nuncupatus erat tetræ hæres ac dominus: & ſimul auctoritatem ſibi vendicat quatenus

personam sustinet Prophetæ Dei. Magnopere enim nostra interest, quum insonat verbum Dei auribus nostris, ejus effectum fide apprehendere, acsi ejus ministris mandata esset eorum quæ pronunciant exequutio. ideo & Jeremiæ dictum fuit, Ecce, constitui te super regna, ut plantes & evellas, ædifices & destruas. Sic passim jubentur Prophetæ obvertere facies suas ad loca quibus minantur, acsi copioso exercitu instructi impetum facerent. *Jer. 1. vers. 10.*

8. *Juda es tu, laudabunt te fratres tui.*] In verbo laudandi allusio est ad nomen Judæ. Sic enim à matre vocatus fuerat quod materia esset laudandi Dei. Novam etymologiam affert pater, quod celebre erit & splendidum ejus nomen inter fratres, ut ab omnibus instar primogeniti colatur. Duplex quidem portio quam nuper attribuit filio Joseph, ex jure primogenituræ pendebat: sed quia translatum fuit regnum ad tribum Juda, merito laudabile fore ejus nomen pronunciat Jacob. Nam dignitas Joseph temporalis fuit. Hic autem de stabili & diuturno imperio agitur, quod penes filios Judæ futurum erat. Hinc colligimus, quum Deus perfectum regiminis statum institueret in suo populo, monarchiam ab eo electam esse. Quod autem regis creatio in Lege, partim hominum libidini, partim cælesti decreto tribuitur, hoc ad regni exordium referri debet: quod ideo inauspicatum fuit, quia antequam veniret in maturum tempus, populus regem sibi dari tumultuose petiit. Itaque fecit illa præpostera festinatio ut regnum in tribu Juda non stabim erectum fuerit, sed prodierit quasi abortivus partus in persona Saulis: tandem vero, Dei auspiciis & legitimo ordine, secundum vaticinium Jacob, emersit principatus tribus Juda in Davide. *Manus tuæ.* His verbis significat, Judam non fore immunem ab hostibus: sed quamvis multi negotium illi facessant, & eum jure suo depellere conentur, victoriam ei promittit. non quod semper hostibus suis prævaluerint filii Davidis (neque enim passa est eorum ingratitudo ut hæc Dei gratia continuum haberet ac æquabilem cursum) sed hac saltem in parte superior fuit Juda, quod in illa tribu stetit regia sedes quam Deus probabat, & quæ fundata erat in ejus verbo. Nam etsi opibus ac populi multitudine magis floruit regnum Israël, quia tamen adulterinum fuit, non habetur ejus ratio: nec vero fucoso suo splendore obruere debuit gloriam divinæ electionis tribui Judæ insculptam. In Davide ergo plane enituit vis & effectus hujus vaticinii: deinde in Solomone: postea quamvis mutilum fuerit regnum, mirabiliter tamen servatum fuit Dei manu: alioqui centies brevi tempore concidisset. Ita factum est ut jugum suis hostibus imposuerint filii Judæ. Quod autem decem Tribus abripuit defectio, ne genu flecterent filiis Davidis, hoc quidem modo turbatum fuit legitimum regimen, & illicita confusio inducta: Dei tamen decretum violari non potuit quin jus maneret penes tribum Juda.

9. *Catulus leonis Juda.*] Similitudo hæc proximam sententiam confirmat, quod hostibus formidabilis futurus sit Juda. Videtur tamen alludere Jacob ad imminutionem quæ contigit ubi major pars populi descivit ad Jeroboam. Tunc enim rex Juda similis esse cœpit leoni dormienti: neque enim erectis jubis terrorem suum late effudit, sed quodammodo accubuit in spelunca. Latuit tamen quædam occulta Dei virtus sub illo sopore, ut eum turbare ausi non fuerint qui maxime optassent perditum, & qui ad inferendam perniciem viribus pollebant. Ergo postquam Jacob imperium detulit uni Judæ super fratres, vice correctionis nunc subjicit, etiamsi ejus potentiam imminui contingat, fore tamen hostibus suis terribilem non secus ac leonem dum in spelunca sua jacet.

10. *Non recedet sceptrum.*] Quanquam obscurus est hic locus, non tamen usque adeo difficile fuisset genuinum sensum elicere, nisi Judæi maligne prò more suo nebulas inducere tentassent. Certum est Messiam hic promitti, qui oriturus erat è tribu Juda. Quum ultro deberent ad eum amplexandum occurrere, data opera quæ vis effugia captarunt, quibus se & alios procul in flexuosas ambages abducerent. Non mirum ergo si amaritudinis & contumaciæ spiritus, rixandique libido ita eos excæcavit ut in clara luce huc illuc turpiter impegerint. In Christianis tametsi pia fuit illustrandæ Christi gloriæ sedulitas, est tamen in eorum fervore aliquid nimium. Nam dum nimis præcise urgent quædam verba, nihil aliud proficiunt nisi quod subsannandi animi præbent Judæis, quos necesse est firmis ac validis cancellis circumdari, unde elabi nequeant. nos ergo talibus exemplis moniti, sine contentione verum loci sensum quæramus. Primo tenendum est Spiritus sancti consilium, quod hactenus non satis animadversum, vel non satis distincte expositum fuit. Postquam tribum Juda ornavit imperio, statim prononciat, Deum tuendo statum regni illius, curam populi habiturum, donec ad summum cumulum perveniat promissa felicitas. Nam sic asseritur dignitas Judæ, ut tamen scopus sit communis populi totius salus. Benedictio semini Abrahæ promissa (ut prius vidimus) nisi ab uno capite flueret, rata esse non poterat. Idem nunc testatur Jacob, venturum esse regem sub quo suis numeris constabit promissa illa felicitas. Hoc ne Judæi quidem negabunt, ubi viguerit mediocris benedictio in tribu Juda, spem melioris & excellentioris status hic dari. Alterum etiam libenter concedent, plenæ & solidæ felicitatis & gloriæ unicum auctorem esse Messiam. Tertium caput, quod ne ipsis quidem repugnantibus fucere licet, nunc addamus, regnum quod incepit à Davide, præludium fuisse quoddam ac umbratile specimen majoris illius gratiæ quæ in adventum Messiæ dilata fuit ac suspensa. Nullum quidem spiritualis regni gustum concipiunt: itaque opes potius sibi fingunt & potentiam, suaveque otium & terrenam amœnitatem sibi proponunt, quam justitiam, vitæ novitatem cum gratuita peccatorum venia. Fatentur nihilominus, quæ sub Messia speranda erat felicitas, veteri suo regno fuisse adumbratam. Nunc redeo ad verba Jacob; *Donec veniat Siloh*, inquit, *residebit sceptrum*, vel dominatio, *in Juda*. Primo videndum est quid significet vox שילוה. Quia Hieronymus vertit, Qui mittendus est: putant nonnulli fraude corruptum esse locum, ac literam ה suppositam fuisse in locum ה. quod licet firmum non sit, veri tamen simile est. Quod ex Judæis quidam locum notari volunt ubi diu reposita fuerat Arca fœderis, quia paulo ante exordium regni Davidis in vastitatem redactus est, ratione prorsus caret. Neque enim hic prædicit Jacob quo tempore ordinandus sit rex David: sed regnum fore stabile in ejus domo, quousque impleat Deus quod pollicitus est de singulari benedictione seminis Abrahæ. Adde quod dura esset ac coacta loquutio, Silo venire: pro, venire ejus finem. Longe rectius & congruentius exponunt alii interpretes, Filium ejus: שילו enim filius Hebraïs dicitur: ה vero positum esse dicunt loco ו relativi. Atque in hunc sensum major pars descendit. Sed iterum à mente Patriarchæ perperam dissident Judæi dum hoc referunt ad Davidem. Nam (sicuti nuper attigi) non promittitur regni origo in Davide, sed absoluta perfectio in Messia. Et certe tam crassa absurditas non longa refutatione indiget. Quid enim hoc sibi vellet, Regnum finem non accipiet in tribu Juda donec erectum fuerit? Certe Recedere nihil aliud est quam desinere. Deinde continuam seriem ponit Jacob, dum Scribam recessurum negat ex pedibus. Nam regem in solio jam locatum esse oportet, ut Scriba sedeat inter ejus pedes. Describitur ergo nobis regnum, quod postquam constitutum fuerit, non desi-

net

nisi quousque succedat perfectior statusa vel quod idem valet, futurum Davidis regnum hoc titulo commendat Jacob, quia tessera ac pignus esset beatæ illius gloriæ quæ jam olim Abrahæ generi destinata erat. In summa, regnum quod transfert in tribum Juda, non fore vulgare pronuncist: quia inde tandem proveniet promissæ benedictionis complementum. Sed hic procaciter insurgunt Judæi, quod eventus nostrum errorem coarguat. Nam regnum ad Christi usque adventum nequaquam duraſſe constat: quio potius ex quo in exilium traductus est populus, sceptrum fuisse confractum. Verum si fidem habeut vaticiniis, antequam illorum objectionem diluo, velim mihi respondeat quomodo hic regnum assignet Jacob filio Juda. nam quum vixdum firma esset ejus possessio, repente laceratum fuisse scimus, totamque fere ejus potentiam occupatam à tribu Ephraim. An Deus secuodum ipsos hic per os Jacob evanidum aliquod regnum promisit? Si excipiat, non ideo fuisse fractum sceptrum, quamvis magna populi parte spoliatus fuit Roboam, hoc cavillo minime effugient: quia differte imperium Judæ ad tribus omnes extenditur, bis verbis, Genu cut vabunt coram te filii matris tuæ. Nihil ergo contra nos afferunt quod non protious in ipsos vicissim retorquere liceat. Nondum tamen soluta est quæstio, fateor: sed hoc præfari libuit, ut Judæi depositio calumniandi studio, rem ipsam discant placide nobiscum expendere. Perpetuam gubernationem io tribu Juda hoc fere modo contexere solent Christiani. Quum ab exilio reversus est populus, loco sceptri regii fuisse dicunt principatum qui usque ad Machabæos duravit. Deinde successisse tertium regiminis modum: quia summa judicandi potestas penes septuagiota fuerit, quos ex genere regio delectos fuisse ea historiis constat. Adeo autem non conciderat illa regii generis auctoritas, ut Herodes ad causam diceodam citatus, via capitale supplicium effugerit: quia contumaciter se subdua erat. Coocludunt igitur nostri, quamvis non resplenduerit regia majestas à Davide usque ad Christum, stetisse tamen aliquem principatum in tribu Juda, atque ita impletum fuisse oraculum. Hæc quanquam vera sunt, major tamen loco probe excutiendo adhibenda est deateritas. Ac primo renendum, tribum Juda jam nunc constitui principem inter alias, ut dignitate emineat, quamvis nondum adepta sit imperium. Et certe primatum ei fuisse ultro concessum à reliquis, ex quo redemptus fuit populus, testis est alibi Moses. Secundo loco tenendum est, b ujus dignitatis specimen magis luculentum in regno proponi quod auspicatus est Deus io Davide. Quanquam autem paulo post sequuta est defectio, ut exigua portio dominationis in tribu Juda steterit: jus tamen divinitus ei collatum minime potuit eripi. ideo quo tempore summa opuleotia refertum erat, altoque fastu turgebat regnum Israel, dicitur tamen accensa fuisse Hierosolymæ lucerna Domini. Pergamus longius: quum regni cladem prædicit Ezechiel, cap. 21. v. 26. satis demonstrat quomodo sceptrum à Domino servaodum fuerit donec in manus Christi veniret. Tolle cidarim (inquit) auser corooam: hæc non erit hæc: perversam, perversam, perversam pono eam, donec veniat cujus est. Videri posser primo aspectu vaticinium Jacob excidisse, dum ornatu regio spoliatur tribus Juda. Sed hinc colligimus non fuisse Deum adstrictum, ut visibilem regni gloriam è sublimi semper ostenderet. Alioqui falsæ essent aliæ promissiooes, quæ solii diruti & lacerati restitutionem prædicunt: Ecce, dies veniunt quibus suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & ædificabo rupturas ejus, & quæ corruerant instaurabo, Amos 9. vers. 11. Quanquam absurdum esset plures citare locos, quum passim occurrat hæc doctrina in Prophetis. Unde colligimus non ita stabilitum fuisse regnum, ut æquabili tenore semper fulgeret: sed quod ad tempus collapsum ac deformo, postea recuperaret amissum splendorem. Videntur quidem Prophetæ ejus ruinis finem facere redirum a b exilio Babylonico: sed quum regoi iostaurationem non aliter quam templi & sacerdotii promittant, ut solida veritas oobis constet, necesse est totum tempus à liberatione usque ad Christi adventum complecti. Perversa igitur non uno taotum die, neque in unn capite, sed diu & variis modis corona fuit, donec eam Deus Christo suo regi legitimo aptaret. Et certe Jesaias Christi originem describit longo ab omni regio splendore alienam: Orietur (ioquit) virga è trunco Isai, & surculus è radicibus ejus ascender. Cur Isai potius quam Davidem nominat, nisi quia ex rustico privati homioris tugurio potius quam illustri palatio proditurus erat Messias? Cur arbore excisa, oibil præter truncum & radices residuum facit, nisi quia ad Christi usque manifestationem fere pedibus calcanda erat regni majestas? Si quis excipiat, aliter sonare verba Jacob: solutio 10 prompta est, quicquid unquam Deus de æterno Ecclesiæ statu promisit, ita fuisse restringendum, ut judicia sua interim exerceret puniendis hominum peccatis, fidemque suorum probaret. Fuit quidem hæc non levis tentatio, quum tribus Juda in tertio successore, majore regni parte nudata fuit. Gravior etiam sequuta est, quum regis filii in patris conspectu jugulati sunt, ipse oculis effossis Babylonem tractus est, totumque regium genus tandem servituti & exilio addictum. Omnium vero gravissima, quum reversus in terram populus, minime cerneret quod speraverat, sed io tristi dissipatione jaceret. Cæterum tu oc sancti fidei oculis sceptrum sub terra absconditum contemplantes, non conciderunt, vel fracti fuerunt animis, ut desisteret à suo cursu. Videbor forte nimis largiri Judæis, quia realem (ut vocant) dominationem continuo tenore oon statuo in tribu Juda. Nostri enim, ut eviocant stulta adhuc Judæos Messiæ expectatione teneri suspensos, in hoc insistunt, à tempore Herodis cessasse imperium illud, de quo vaticinatus erat Jacob. quasi vero quingentis ante aonis tributarii non fuerint: quasi etiam non extincta fuerit regii generis dignitas quamdiu grassata est Antiochi tyrannis: quasi denique Asmooæi sibi non usurpaverint & titulum bonoris & potentiam, donec Romanæ ditionis facti sunt Judæi. Nec vero sufficit quæ obtenditur solutio, disjunctim promitti vel regnum vel mediocre aliquod regimen: ex quo autem deletum fuit regnum, superstites manssisse Scribas. Ego enim, notandi inter legitimum regnum & tyrannidem discriminis causa, adjunctos fuisse consiliarios agnosco, qui publicum statum rite & ordine administrent. Quod ergo ex Judæis quidam exponunt, jus regnandi datum esse tribui Juda, quia nefas fuerit alin transferri, ooo autem quod gloriam coronæ semel erectam perpetuari necesse fuerit, aliqua ex parte huic sententiæ subscribere necesse arbitror. Dico, aliqua ex parte: quia nihil boc cavillo proficiunt Judæi, ad figmentum venturi sui Messiæ trabentes vetustum regni excidium. Tenendum enim memoria est quod prius admooui, dum Jacob usque ad Messiæ adventum sustinere vult fuorum animos, ne longioris moræ tædio deficiant, specimen in temporali regno proponere: acsi diaisset, non esse cut Israëlitæ collapso Davidis regno spes suas buc illuc inclinent: quia non alia succedet mutatio quæ Dei benedictioni respondeat donec appareat Redemptor. Quod duriter aliquot annos aote Christum eahibitum vexata gens fuit, ac ferviliter oppressa, mirabili Dei consilio factum est, ut continuis stimulis ad optandam redemptionem pungerentur. Interea stare oportuit aliquod gentis corpus, in quo vigeret promissio. Nunc quum patria extorres per quindecim fere secula dissipati, absque politia jaceant, qun prætextu somniant

Jesa. 11. vers. 1.

ſomniant ex vaticinio Jacob venturum ſibi redemptorem? Equidem ut eorum calamitati non libenter inſulto: ita niſi ea ſubacti oculos aperiunt, libere pronuncio, dignos eſſe qui millies abſque remedio pereant. Fuit autem hæc continendæ fidei valde apposita ratio, quod Dominus filios Jacob in unam tribum oculos conjicere voluit, ne alibi ſalutem quærerent: ac ne qua eos vaga imaginatio circumageret. Quo etiam fine celebratur hujus familiæ electio, dum ſæpius in Pſalmis confertur cum Ephraim & reliquis, ac præfertur. Nobis etiam ad fidei certitudinem non parum utile eſt, dum Chriſtum duobus annorum millibus, antequam prodiret, audimus non modo promiſſum fuiſſe, ſed deſignata ejus origine, quaſi digito oſtenſum.

Et ei erit aggregatio populorum.] Hic vero non unius tantum populi regem fore pronunciat, ſed cujus auſpiciis colligendæ ſint variæ gentes, ut ſimul coaleſcant. Scio quidem varie ab interpretibus vocem exponi: ſed qui deducunt à radice קהה ut ſit debilitatio, quod de ſalutifero Chriſti principatu dictum erat, perperam & abſurde ad ſanguinariam quæ crepant ſuperbiam detorquent. Si obedientiæ nomen placeat (ut alibi) idem manebit ſenſus cum illo primo quem ſequutus ſum. Nam hæc colligendi ratio eſt, dum in obſequium conſentiunt ſimul qui prius ferebantur in diverſa ſtudia. Etſi autem antehac Tribus ex ſe oriturus Jacob amplificandi gratia vocavit populos, latius tamen extenditur iſta collectio. Nam corpus populi per familias complexus, quum de ordinario principatu Judæ verba faceret, nunc novi regis fines ampliat: acſi diceret, fore ex tribu Juda reges, qui inter fratres emineant, & quos adorent ejuſdem matris filii: ſed tandem ſucceſſurum qui ſibi alios populos ſubjiciat. Hoc autem ſcimus in Chriſtum competere, cui promiſſa fuit mundi hæreditas, ſub cujus jugum redactæ ſunt Gentes, ad cujus nutum aggregati ſunt qui prius fuerant diſperſi. Porro hic memorabile teſtimonium habet Gentium vocatio, quod in fœderis ſocietatem inſerendæ fuerint, ut ſub capite uno fierent unus populus cum naturalibus Abrahæ filiis.

11. *Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad &c.*] Jam de ſitu regionis loquitur quæ ſorte filiis Judæ obtigit. Significat autem tantam illic fore vitium copiam ut paſſim obviæ proſtent non ſecus atque alibi vepres, vel infrugifera arbuſta. Nam quum ad ſepes ligari ſoleant aſini, vites ad hunc contemptibilem uſum deputat. Eodem pertinent quæ ſequuntur hyperbolicæ loquendi formæ, quod Judas lavabit veſtem ſuam in vino, & oculis erit rubicundis. Tantam enim vini abundantiam fore intelligit, ut promiſcue ad lotiones, perinde ut aqua, effundi queat ſine magno diſpendio: aſſiduo autem largioreque illius potu rubedinem contracturi ſint oculi. Sed minime conſentaneum eſſe videtur, profuſam intemperiem vel projectionem in benedictione cenſeri. Reſpondeo, quamvis laudetur ubertas & affluentia, non tamen abuſum permitti. Si liberalius nobiſcum agit Dominus, ne carnis incontinentiam provocent ſua dona, regulam alibi præſcribit pure & frugaliter utendi. Sed hoc loco Jacob quid liceat omittens, copiam celebrat quæ ad luxuriam & exceſſus vitioſos ac perverſos ſufficeret, niſi ultro ſibi temperent filii Juda. Allegoriis quæ nonnullis forent magis plauſibiles ideo abſtineo, quia in tantis Dei myſteriis ludere non placet, ſicuti initio capitis præfatus ſum. Vilis & abjecta reſaltis illis ſpeculatoribus viſa eſt terræ partitio, in qua ſe Deus exeruit, ut Moſi fervo ſuo fidem aſſereret. atqui niſi ad brutum ſtuporem ingrati ſimus, totos in admirationem rapi decet, quod Moſes qui regionem Chanaan nunquam viderat, de ſingulis ejus partibus perinde diſſerit acſi de paucis jugeribus manu ſua excultis verba faceret. Jam ut de vitibus fama ad eum perlata eſſet, Judam non potuit, niſi duce Spiritu, copioſis vindemiis præficere: vel opimis paſcuis, quum dentes ejus lactis potu candidos fore dicit.

13. *Zebulon in portu maritimo.*] Tametſi hæc benedictio nihil rarum vel eximium continet, ſicuti nec aliæ quædam ſequentes: hoc tamen ſatis præclarum nobis eſſe debet, quod perinde tunc valuit acſi Deus ad filios Iſraël liberandos manum è cælo porrigerer, ac ſingulis diſtribuerer ſua domicilia. Antequam ſortis fiat mentio, regio maritima datur tribui Zabulon, quani ſorte poſt annos ducentos adepta eſt. Scimus autem quanti momenti fuerit illa hæreditas, quæ inſtar arrhæ veteri populo ratam ejus adoptionem fecit. Ergo hoc vaticinio animari decuit non modo tribum unam, ſed totum populum, ut alacriter oblatam gratiam, certoque repoſitam capeſſerent. Portio autem Zabulon non ſolum fore maritima dicitur, ſed etiam portuoſa: nam ejus terminum conjungit Jacob agro Sidonio: in quo tractu ſcimus commodos & nobiles fuiſſe portus. Jam non ſolum hoc vaticinio excitare filios Zabulon voluit Deus, quo magis ſtrenue ſe accingerent ad terram adeundam: ſed etiam confirmare, ex quo ſperata ſtatione potiti ſunt, ne fortuito ſibi acciditſe ſortem putarent, ſed Dei arbitrio ſibi diſtinctæ proſpectum & ordinatum fuiſſe hoſpitium.

14. *Iſſachar.*] Hic partim mentio fit hæreditatis, partim indicatur qualis futura ſit hujus familiæ conditio. Quanquam vocatur aſinus bſſeus ob fortitudinem, qua ferendis laboribus ſufficiet, ac præſertim ruſticis: ſimul tamen notatur pigritia. Nam paulo poſt additur, ſervili fore ingenio. Quare ſenſus eſt, filios Iſſachar, licet robore polleant, quietos tamen magis quam cordatos fore, & ferendæ ſervituti paratos non ſecus atque latera ſua clitellis & ſarcinis muli accommodant. Ratio etiam exprimitur, quod fertili & amœno ſuo agro contenti, modo quiete fruantur, non refugient vicinis ſuis pendere tributum. Quanquam autem hæc tolerantia neque laudi, neque vitio palam illis datur, probabile tamen eſt ignaviam exprobrari, quod eos impediet mollities ne in libertate ſibi divinitus conceſſa maneant.

16. *Dan judicabit.*] Alluſio eſt ad nomen: nam quum Hebræis דין judicare ſignificet, Rachel Deo gratias agens, filio ſibi ex ancilla nato inde nomen impoſuerat, quaſi Deum haberet cauſæ ſuæ juriſque vindicem. Nunc rationem nominis alio convertit Jacob, quod filii Dan non vulgarem partem gubernationis habebunt in populo. Nam incite Judæi ad Samſonem reſtringunt, quia unus toti populo præfuerit, quum de perpetuo magis familiæ ſtatu habeatur ſermo. Intelligit ergo Jacob, licet Dan ex concubina ſit natus, unum tamen fore ex judicibus Iſraël: quia non modo penes ejus ſobolem in communi politia pars gubernationis & imperii erit, ut Tribus iſta caput unum efficiat: ſed vexillo præficietur ad ducendum quartum ordinem. Secundo loco verſutum ejus ingenium deſcribitur. Comparat enim Jacob populum hunc ſerpentibus, qui ex latebris furtim adoriuntur incautos, quibus nocere volunt. Senſus ergo eſt, non fore tam animoſum ut ſtrenue & ingenue in apertum certamen deſcendat, ſed aſtu & inſidiis pugnaturum. Interea tamen oſtendit ſuperiorem fore ſuis hoſtibus, quos manibus conſertis aggredi non auderet, ut ſerpentes occulto morſu equum & ſeſſorem dejiciunt. Hoc etiam loco judicium diſerte non interponitur, laudine an probro ducenda ſit aſtutia tribus Dan: huc tamen magis inclinat conjectura, inter vitia referri, vel ſaltem incommoda, quod libero congreſſu hoſtibus ſe non opponens, occultis tantum fraudibus pugnabit.

18. *Salutem tuam expectâvi Domine.*] Quæritur primum quænam occaſio ſanctum virum impulerit ut abrupto ſermonis ſui contextu, ſubito erumperet in hanc vocem. nam quum Meſſiæ adventum nuper pro-

promitteret, opportunior fuisset salutis mentio. Ego quidem eum existimo, quum velut ex alta specula generis sui statum variis inclinationibus subinde obnoxium fore cerneret, imo procellis jactandum, quæ à submersione parum dissarent, sollicitudine & metu fuisse commotum. neque enim paternum affectum exuerat, ut nullam prorsus sanguinis sui curam gereret. Videns igitur multas molestias, multa discrimina, multos insultus, multas etiam clades quæ semini suo totidem minantur exitia, fieri non potest quin condoleat, atque etiam secundum hominem turbetur. Verum ut victrice animi constantia contra omne tentationum genus insurgat, sese ad Dominum transfert, qui pollicitus fuerat se illius populi fore præsidem. Nisi observetur hæc circumstantia, non video cur nunc potius quam principio vel in sine exclamet Jacob, se in salutem Domini sperare. Quum autem se objiceret tristis rerum confusio, non modo ad concutiendam ejus fidem violenta, sed ad animum penitus obruendum plus satis onerosa, optimum remedium fuit clypeum hunc opponere. Neque etiam dubito quin filiis suis consuluerit, ut eos secum in eandem erigeret fiduciam. Porro quia sibi ipse auctor sperandæ salutis esse non poterat, necesse fuit in Dei promissionem recumbere. Eodem etiam modo nobis Ecclesiæ conservatio hodie speranda est. Nam etsi videtur jactari in mari turbulento, ac pene fluctibus demergi, adeoque graviores procellæ in posterum timendæ sunt: tamen inter multiplices interitus speranda est salus in liberatione quam Dominus promisit. Fieri etiam potest ut Jacob Spiritu prævidens quanta in suis posteris futura esset ingratitudo, perfidia & malitia, quibus suffocari posset gratia Dei, contra has tentationes luctatus sit. Quanquam autem non sibi privatim Jacob salutem, sed posteris suis omnibus speravit: hoc tamen notatu dignum est, quod in multa sæcula ostendit salutiferum Dei fœdus, ut se mortuo Deum fore veracem non dubitet. Unde etiam sequitur, inter ultimos spiritus, & quasi in media morte, vitam æternam apprehendisse. Quod si ille in obscuris umbris, redemptione procul ostensa fretus, ad mortem intrepide perrexit: quid nobis agendum est quibus clarus illuxit dies? vel quæ excusatio nos manet, si nobis inter similes agitationes labascit animus?

19. *Gad, turma.*] Alluditetiam Jacob ad nomen Gad. Sic vocatus fuerat quod ex matre ejus Lea numerosam sobolem genuisset Jacob. Nunc admonet pater, etiamsi nomen adeptus sit à multitudine, fore tamen ei negotium cum magno hostium numero, ut ad tempus opprimendus sit. Atque hoc ideo prædicit ne posteri viribus suis confisi superbiant, sed comparent se ad subeundas ærumnas, quibus eos humiliare volet Dominus, & jam decrevit. Cæterum ut eos hortatur ad tolerantiam, ita mox addito solatio erigit & animat, quod tandem ab oppressione emergent, ut de hostibus suis, à quibus victi fuerant ac profligati, triumphum agant: sed id nonnisi in fine. Porro vaticinium hoc ad totam Ecclesiam accommodari potest: quæ non uno tantum die impetitur, sed novis subinde cladibus atteritur, donec ad extremum eam Dominus attollit.

20. *De Aser.*] Tantum hæreditas Aser attingitur, quam optimi frumenti & suavissimi feracem pronunciat fore, ut alieno subsidio non indigeat quoad victum, qui domi suppetet. Regias delicias pro exquisitis posuit. Si quis objiciat, non esse magnum pane sapido & delicato vesci: respondeo, considerandum fuisse finem, quod scilicet inde agnoverint paterna Dei cura se pasci.

21. *Naphtali.*] Putant quidam laudari celeritatem in tribu Nephthali: mihi alius sensus magis probatur, quod se facundia & verborum suavitate magis quam armorum violentia tuebitur ac defendet. Est autem non pœnitenda virtus, humano blandoque sermone mulcere feroces animos, placare iram accensam: si qua excitata est offensio, simili artificio eam sedare. Ergo hoc elogio insignit filios Nephthali, quod humanitati, suavibus verbis, & pacis artibus magis studebunt quam ut se armorum præsidio muniant. Comparat autem eos cervæ dimissæ, quæ venatione capta non occiditur, sed potius fovetur in deliciis.

22. *Ut arbor fructificans.*] Alii vertunt, Filium decoris: & utrumque convenit: sed ideo in priorem sensum magis inclino, quia mihi videtur respicere Jacob ad ejus nomen, quo notatur accessio, vel incrementum. quanquam mihi non displicet similitudinem esse sumptam ab arbore, quæ juxta fontem plantata, ab irrigua terra humorem & succum haurit, quo melius crescat. Summa est, quod ad crescendum sit natus, instar arboris prope fontem sitæ, ut sua pulchritudine & procera statura, propinqua obstacula superet. Neque enim interpretor concursum fore virginum super muros, quas illexerit arboris conspectus: sed continua metaphora, teneros ac minores ramusculos filias vocari existimo. Discurrere autem dicuntur super muros, quum sese alte diffundunt. Porro non simpliciter de tota tribu habetur sermo, nec merum vaticinium est futuri temporis, sed persona Joseph cum suis posteris miscetur. Ita quædam ei proprie conveniunt, alia ad duas Tribus, Ephraim & Manasse, pertinent. Sic quum Joseph provocatum fuisse dicit, peculiariter id referri ad ipsum solet. Quia autem arbori eum contulerat, ita hostes tam fratres quam Putiphar & ejus uxorem vocat sagittarios: postea tamen similitudinem mutat, quia Joseph similem facit strenuo jaculatori, cujus arcus non languescit, & cujus brachia non laxantur, nec quicquam remittunt ex suo vigore. quibus verbis prædicat invictam ejus fortitudinem: quia nullis quamlibet duris infestisque ictibus succubuit. Simul tamen admonet, non propria virtute stetisse ejus brachia, sed roborata fuisse Dei manu: quem insigni elogio nominat fortem Jacob: quia suam fortitudinem præcipue in Ecclesia conspici vult, ac fulgere. Interea declarat auxilium quo adjutus fuit Joseph, inde profectum esse, quia domum illam sibi Deus coopatasset. Nam hoc sollicite curarunt sancti Patres, ut sibi & suis in memoriam veniret gratuitum Dei fœdus, quoties aliquod beneficium ipsis præstitum fuerat. Et certe turpis socordiæ est non inquirere ex quo fonte bibamus aquam. Interea tacite decem filiis suis exprobrat impium & sacrilegum furorem, quod necem fratri suo machinando, gigantum more bellum cum Deo gesserint. simul in posterum admonet, ut Dei potius tutela protegi malint quam eum sibi infensum sentire, quia pariter omnibus auxiliari velit. Hinc autem communiter ad omnes pios manat valde utilis consolatio, dum in medio Ecclesiæ residere audiunt Dei virtutem: modo etiam in ipso uno glorientur: sicuti Psalmus docet, Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus. Cavendum ergo est filiis Jacob, ne viribus suis confisi, se præcipitent, sed potenter ac magnifice se gerant in Domino. Quod proxime sequitur, varias expositiones admittit. Quidam vertunt, *Inde pastor lapis Israël:* acsi diceret Jacob ipsum fuisse nutricium & rupem, vel fulturam domus suæ. Alii legunt, Pastor lapidis, in genitivo casu: quod mihi placet, nisi quod in sensu, meo judicio, errant, dum lapidem accipiunt pro familia. Ego ad Deum refero, qui pastoris munus servo suo injunxit: quemadmodum si quis conductitii hominis opera utitur ad gregem suum pascendum. Unde autem factum est ut gentem suam aleret nisi quia divinæ beneficentiæ erat minister? Porro sub hoc typo depicta est nobis imago Christi, qui antequam emergeret victor mortis & auctor vitæ, positus fuit in scopum contradictio-

Psal. 20. vers. 8.

dictionis, in quem certatim omnes jaculati ſunt: ſicuti nunc quoque ejus exemplo Eccleſiam multis jaculis configi oportet, ut admirabili Dei auxilio ſervetur. Porro ne maligne fratres invideant ſancto Joſeph, amabilem ejus victoriam ipſis reddidit Jacob, ideo liberatum fuiſſe docens, ut eorum nutricius fieret vel paſtor.

25. *A Deo patris tui.*] Iterum plenius confirmat, Joſeph non propria induſtria, ſed Dei gratia ereptum fuiſſe ex morte, & in tantam dignitatem invectum. minime autem dubium eſt quin omnibus piis commendet meram Dei bonitatem, ne quid ſibi arrogent, ſive elapſi ſint ex periculis, ſive conſcenderint ad aliquem honoris gradum. *A Deo patris.* Hoc titulo Deum inſigniens, rurſus ex fœdere, & gratuitæ adoptionis fonte derivat quicquid bonorum percepit Joſeph: acſi dixiſſet, quod paternam Dei curam in te juvando expertus es, volo hoc fœderi quod mecum pepigit, acceptum referas. Interim (ut alibi dictum eſt) Deum illum quem poſteris colendum tradit, ab omnibus fictitiis idolis ſeparat. Poſtquam autem tam in victu quam in ſobole & ejus conſervatione modis omnibus Joſeph benedictum fore teſtatus eſt, propioquam & fere præſentaneam vim hujus ſuæ benedictionis aſſerit, dicens ſe efficacius ei benedicere quam ipſe benedictus fuerit à patribus. Quanquam enim ab initio verax fuerat Deus in ſuis promiſſis, effectum tamen periodo diſtulit, acſi verbis tantum Abraham, Iſaac, & Jacob lactaret. Nam quouſque in Ægypto multiplicati ſunt Patriarchæ: ubi immenſum illud ſemen quod æquaret arenam maris & ſtellas cæli? Non abs re igitur Jacob maturum veniſſe tempus pronunciat quo vis benedictionum emerget, quæ velut in profundo latuerat. Porro hæc comparatio nobis hodie longe plus alacritatis addere deber. nam plena gratiæ Dei ubertas, quæ in Chriſto affluxit, quicquid bonorum percepit & ſenſit Joſeph, centuplo ſuperat. Quod *de extremitate montium* ſubjicitur, quidam ad locorum diſtantiam, alii ad temporis perpetuitatem referri volunt. Nec male convenit uterque ſenſus: vel quod felicitas Joſeph ſe longe lateque ad extremos uſque mundi colles diffundet, vel quod durabit quouſque ſtabunt colles ſeculi, qui ſunt firmiſſima terræ portio. Quanquam certior ac magis genuinus ſenſus ex altero loco, ubi Moſes benedictionem hanc repetit, colligitur: nempe terræ ubertatem diffuſum iri uſque ad montium vertices, montes autem perpetuos vocari quaſi celebertimos. Dicit autem fore ſupra caput ipſius, ne putetur vota ſua in aërem ſpargere. Nam hac voce notatur ſubſiſtentia, ut ita loquar. Tandem vocat Joſeph נזיר inter fratres, vel quia ſit eorum corona, propter communem gloriam quæ ab ipſo in omnes redundat: vel quia propter dignitatem qua excellit, ab omnibus ſit ſegregatus. utroque enim modo ſumi poteſt. Sciendum tamen eſt excellentiam hanc fuiſſe temporalem, quia ipſum ſimul cum aliis in ordinem cogi oportuit, ut ſceptro Judæ ſe ſubmitteret.

27. *Benjamin ut lupus.*] Quidam ex Judæis damnari putant Benjamitas, qui quum ſceleſtas libidines inter ſe graſſari tanquam prædones paſſi forent, demum ob ſtupratam Levitæ uxorem, horrenda clade exciſi ſunt ac fere deleti. Alii, honorificum eſſe encomium volunt, quo oriundus Saul, vel Mardochæus, qui ambo fuerunt ex tribu Benjamin. Noſtri parum apte ad Paulum Apoſtolum torquent, qui ex lupo converſus eſt in diſpenſatorem. Mihi nihil magis videtur probabile quam ingenium ac mores totius gentis deſcribi, quod ex præda victuri ſunt. Ideo dicit, *mane rapturos & voraturos, veſperi diviſuros ſpolia.* quibus verbis notatur prædandi aſſiduitas.

28. *Omnes iſtæ tribus Iſraël, duodecim.*] His verbis docere voluit Moſes, non ſubſiſtere hæc vaticinia in filiis Jacob, ſed patere ad totum eorum genus. Hactenus quidem ſatis clare oſtendimus non de ſolis eorum perſonis verba fieri: ſed hoc addendum fuit, quo magis ad eccleſiam Spiritus majeſtatem attenderent lectores. Videt Jacob filios duodecim. Demus tunc centuplum fuiſſe ſtirpis numerum uſque ad pronepotes. atqui, quid ſexcentis vel mille hominibus futurum ſit, non pronunciat: ſed regiones & populos judicio ſuo ſubjicit: neque ſe temere projecit, quia poſtea eventu compertum eſt, Deum illi certo dictaſſe quod facere apud ſe decreverat. Porro quum fidei oculis intuitus fuerit Jacob quæ non ſolum procul remota erant, ſed prorſus ab humano ſenſu abſcondita: væ noſtræ pravitati, ſi ad ipſum complementum, in quo apparet conſpicua veritas, oculos claudimus. Sed quod dicitur Jacob poſteris benedixiſſe, rationi conſonum minime videtur. Nam Ruben primogenitura abdicatus, nihil lætum vel fauſtum protulit: Simeonem quoque & Levi deteſtatus eſt. Nec vero cauſari licet antiphraſim eſſe in verbo benedicendi: quod ſatis conſtat in bonam non ſiniſtram partem poſitum fuiſſe à Moſe. Ego hæc ita inter ſe concilio, quod pœnæ temporales quibus filios clementer & paterne caſtigavit Jacob, fœdus gratiæ non ſubverterint, ubi ſita erat benedictio: quin potius deletis maculis, illos reſtitueriot in priſtinum honoris gradum, unde exciderant, ſaltem ut Patriarchæ eſſent in populo Dei. Et hoc quotidie Dominus in ſuis probat, pœnas quibus eos onerat, licet pudorem & dedecus infligant, adeo non obſtare eorum felicitati, ut ſint potius adminiculo. Niſi hoc modo purgati forent, timendum erat ne magis ac magis obdureſcerent in ſuis vitiis, & pus occultum noxiæ putredinis materia foret, quæ tandem penetraret ad ipſa viſcera. Videmus quam libenter ſibi indulgeat caro, etiam ubi nos Deus iræ ſuæ ſignis expergefacit. quid igitur, ſi conniveat ſemper, futurum potamus? Quia autem pœnis moniti reſipiſcimus, hic fiois non modo maledictionem, quæ initio ſantitur, abſorbet, ſed etiam facit ut Dominus puniendo magis benedicat quam ſi parceret. Hinc fit ut morbi, paupertas, fames, nuditas, mors etiam ipſa, quatenus ſalutem noſtram promovent, quaſi mutata natura benedictiones merito reputentur: perinde ac ſanguinis miſſio non minus quam alimenta, ad ſanitatem confert. Quum in fine additur, *Juxta ſuam cuique benedictionem*, iterum confirmat Moſes, non tantum filiis bene precatum eſſe Jacob ex paterno voto, ſed protuliſſe quod Deus in ore ejus poſuerat: quia tandem probavit eventus efficaces fuiſſe prophetias.

29. *Et præcepit eis.*] Antehac vidimus Jacob filio Joſeph peculiariter mandaſſe ut funus ſuum in terra Chanaan ſepeliendum curaret. Nunc repetit Moſes idem omnibus filiis datum eſſe mandatum: ut hanc provinciam uno conſenſu obirent, & mutuo alii alios juvarent in præſtando officio. Cur autem tanta illi ſepulchri ſtuerit religio, alibi diximus. quod ſemper tenendum eſt, ne ſancti viri exemplum ſine judicio ad ſuperſtitionem trahatur. Certe in terram Chanaan deferri non optavit, quaſi illic ſepultus, cælo propior eſſet: ſed ut ejus poſſeſſionem mortuus cerneret, quam tota vita nonniſi precario tenuerat: non quod privatim ulla inde ad eum rediret commoditas, qui jam ſuo curſu defunctus erat: ſed quia utile erat renovari hoc ſymbolo promiſſionis memoriam apud filios ſuperſtites, ut ad eam aſpirarent. Interea colligimus non hæſiſſe ejus animum in terra: quia niſi cælum illi fuiſſet hæreditas, ounquam ſperaſſet Deum in gratiam mortui fore erga ſuos tam liberalem. Jam quo plus ponderis habeat mandatum, admonet non ſibi nunc primum hoc veniſſe in mentem, ſed à majoribus ita aſſe edoctum. Abraham, inquit, ſepulchrum illud ſibi & ſuis emit: nos hactenus legem ab ipſo traditam ſancte coluimus. Violanda igitur

tur à vobis non est, ut post mortem quoque nota aliqua gratiæ Dei in nobis maneat.

33. *Et collegit pedes.*] Non est supervacua loquutio: nempe qua exprimere voluit Moses placidam sancti viri mortem: acsi dixisset, sanctum senem tranquillo animi statu membra direxisse quo volebat, qualiter sani & vegeti se ad somnum componere solent. Et certe mirum ei constare mentis vigorem & præsentiam necesse fuit, quum mortem in labris ferens, ita præclare exequutus est injunctum sibi Prophetæ munus. Nec dubium est quin talis se efficacia Spiritus in eo protulerit quæ vaticiniis fidem & reverentiam acquireret apud ejus filios. Simul tamen notare convenit, hunc esse bonæ conscientiæ fructum, quum sine horrore migramus è mundo. Nam quum mors natura sit formidabilis, mira carnificina impios exagitat dum se ad Dei tribunal citari sentiunt. Porro ut nos bona conscientia pacatos & quietos ad sepulchrum deducat, Christi resurrectioni eam initi necesse est. tunc enim voluntarii ad Deum pergimus, si nos melioris vitæ fiducia excipiat: tunc caducum hoc tugurium relinquere grave non erit, si immortale domicilium nobis occurrat.

CAPUT L.

ET jactavit se Joseph super faciem patris sui, & flevit super eum, & osculatus est eum.

2. Et præcepit Joseph servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem suum: & aromatibus condiverunt medici ipsum Israël.

3. Completi autem sunt ei quadraginta dies: sic enim complentur dies *eorum* qui condiuntur aromatibus. & fleverunt eum Ægyptii septuaginta diebus.

4. Transierunt itaque dies luctus ejus: & loquutus est Joseph ad domum Pharaonis, dicendo, Si quæso inveni gratiam in oculis vestris, loquimini quæso in auribus Pharaonis, dicendo,

5. Pater meus adjuravit me, dicendo, Ecce, ego morior: in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chenaan, sepelies me. nunc igitur ascendam obsecro, & sepeliam patrem meum, & revertar.

6. Et dixit Pharao, Ascende, & sepeli patrem tuum, quemadmodum adjuravit te.

7. Ascendit ergo Joseph ut sepeliret patrem suum: ascenderuntque cum eo omnes servi Pharaonis, seniores domus ejus, & omnes seniores terræ Ægypti:

8. Et omnis domus Joseph, & fratres ejus, & domus patris ejus: tantummodo parvulos suos, & pecudes suas, & boves suos reliquerunt in terra Gosen.

9. Et ascenderunt cum eo etiam currus, etiam equites: & fuit turma gravis valde.

10. Porro venerunt usque ad aream Atad, quæ est trans Jordanem: & planxerunt ibi planctu magno & gravi valde: & fecit patri suo luctum septem diebus.

11. Et viderunt habitatores terræ Chenaanæi luctum in area Atad, & dixerunt, Luctus gravis est iste Ægyptiis. idcirco vocatum fuit nomen ejus Abel-Misraim, *id est, luctus Ægyptiorum*, qui est trans Jordanem.

12. Fecerunt ergo filii ejus ei sic, quemadmodum præceperat eis.

13. Quia tulerunt eum filii ejus in terram Chenaan, sepelierunt que eum in spelunca agri duplici, quam emit Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Hephron Hittæo, ante Mamre.

14. Et reversus est Joseph in Ægyptum, ipse & fratres ejus, & omnes qui ascenderant cum eo ad sepeliendum patrem ejus, postquam sepelivit patrem suum.

15. Videntes autem fratres Joseph quod mortuus esset pater eorum, dixerunt, Fortasse odio habebit nos Joseph, & reddendo reddet nobis omne malum quo affecimus eum.

16. Propterea mandarunt ad Joseph, dicendo, Pater tuus præcepit antequam moreretur, dicendo,

17. Sic dicetis Joseph, Obsecro, parce nunc sceleri fratrum tuorum, & peccato eorum: quia malum intulerunt tibi. nunc igitur parce quæso sceleri servorum Dei patris tui. Flevit autem Joseph dum illi loquerentur cum eo.

18. Nam profecti sunt etiam fratres ejus, & prostraverunt se coram eo, & dixerunt, Ecce, sumus tibi servi.

19. Et dixit ad eos Joseph, Ne timeatis: numquid enim loco Dei sum?

20. Vos quidem cogitastis adversum me malum: Deus *autem* cogitavit illud in bonum, ut faceret secundum diem hanc, ut vivificaret populum multum.

21. Nunc itaque ne timeatis, ego alam vos & parvulos vestros. Et consolatus est eos, & loquutus est ad cor eorum.

22. Et habitavit Joseph in Ægypto, ipse & domus patris ejus: & vixit Joseph centum & decem annos.

23. Et vidit Joseph ipsi Ephraim filios tertiæ generationis: etiam filii Machir filii Manasseh educati sunt super genua Joseph.

24. Et dixit Joseph fratribus suis, Ego morior, & Deus visitando visitabit vos, & ascendere faciet vos è terra hac ad terram quam juravit Abraham, Ishac & Jahacob.

25. Et adjuravit Joseph filios Israël, dicendo, Visitando visitabit Deus vos, & tolletis ossa mea hinc.

26. Itaque mortuus est Joseph filius centum & decem annorum: & aromatibus condierunt eum, & positus est in arca in Ægypto.

1. *Et jactavit ſe Joſeph.*] Hoc capite breviter narratur quid contigerit poſt mortem Jacob. Eam vero Moſes duplici luctu celebratam ſuiſſe commemorat, nativo (ut ita loquar) & ceremoniali. Quod Joſeph ſuper faciem ejus procumbens, lachrymas effundit, hoc ea vero puroque affectu manat: quod eundem lugent Ægyptii ſeptuaginta diebus, quia ſit honoris cauſa, idque ea conſuetudine, plus oſtentationis habet ac inanis pompæ quam veri doloris. & tamen ut plurimum hoc modo lugeri ſolent mortui, ut juſta illis ſolvantur. Unde etiam natum eſt proverbium, hæredis luctum ſub larva riſum eſſe. Et quanquam interdum ſerio dolore pungantur animi, aliquid tamen addit pietatis teſtandæ affectatio, ut in conſpectu omnium lachrymis largius indulgeant qui ſine teſtibus & arbitris parcius flerent. Itaque amici qui ſub ſolatii præteatu conveniunt, ſæpe diverſum officium ſequuntur, ut fletum uberiorem eliciant. Quanquam autem ritus lugendi mortuos ex bono principio ortus eſt, ut ſe in meditanda generis humani maledictione exerceant vivi, multis tamen vitiis ſemper ioquinatus fuit: quia neque ad verum ſuum finem directus eſt, neque ad juſtum modum compoſitus. Quantum ad genuinum dolorem ſpectat, quem nobis non accerſimus, ſed qui ea intimo corde erumpit, non eſſet per ſe culpandus, ſi modum teneret. Neque enim hic reprehenditur Joſeph quod triſtitiam fletu declaret: quin potius laudatur ejus pietas. Sed freno & moderatione opus eſt, ne intemperanter dolendo, contra Deum cæco impetu feramur. nam exceſſus doloris ſemper ad contumaciam nos præcipitat. Porro mitigatio præcipue ea ſpe futuræ vitæ ſecundum Pauli doctrinam petenda eſt.

2. *Et præcepit Joſeph ſervis ſuis.*] Quanquam olim plus operæ etiam abſque ſuperſtitione impenſum fuit ſepulturis, quam poſt ſpecimen reſurrectionis in Chriſto exhibitum: ſcimus tamen apud Ægyptios plus ſumptus & pomparum quam apud Judæos fuiſſe. imo hiſtorici veteres hoc inter res illius gentis præcipue memorandas recenſent. Dubium quidem non eſt (ut alibi diximus) quio ritus ſepeliendi mortuos à ſanctis Patribus fluxerit, ut ſpeculum eſſet reſurrectionis futuræ: ſed quemadmodum ſemper in ceremoniis magis operuſi ſunt hypocritæ quam qui ſolidam rerum ſubſtantiam tenent: factum eſt ut qui à vera fide deſciverant, longe plus oſtentationis ſibi aſciverint quam fideles, quibus conſtabat ſymboli veritas & rectus uſus. Si conferimus Judæos nobiſcum, umbratiles illæ ceremoniæ, in quibus eos Dominus occupari voluit, immodicæ hodie forent: quatum tamen præ vicinis gentibus tolerabilis fuit apud eos mediocritas. Quorſum autem tantum laboris ſuſciperent profani homioes, tantumque profunderent pecuniæ, neſciebant. Hinc colligimus quam inanis ac nugatoria res ſit, externis tantum ſignis attendere, ubi non viget ſincera doctrina, quæ germanam originem, legitimumque fioem oſtendat. Sepelire mortuos, pietatis exercitium eſt. Condire aromaticis unguentis cadavera, olim vitioſum non fuit, nempe ut aliquod futuræ incorruptionis ſymbolum palam extaret. Fieri enim non poteſt quin graviter nos percellat mortui hominis conſpectus, acſi unus idemque ioteritus nos una cum btutis pecudibus ſine diſcrimioe abſorbeat. Hodie nobis Chriſti reſurrectio contra hanc tentationem ſatis firma eſt fultura. Veteres autem, quibus nondum illuxerat plenus dies, figuris adjuti fuerunt: ſed quibus ad ſpem melioris vitæ non fuerunt erectæ mentes, nihil aliud quam nugati ſuot, ſtulreqoe æmulati ſanctos Patres. Denique ubi non ſpiravit odor fidei, ut cognoſcerent homines aliquid ſibi à morte eſſe reſiduum, inſipidæ fuerunt omnes condituræ. Imo quum mors illis eſſet æternus corporis interitus, in pretioſam cuſtodiam recondere quod perierat, impia fuit ficræ & utilis ceremoniæ profanatio. Nunc quod Joſeph Ægyptiis ſe conformat, quorum ſuperſtua curioſitas ludibrio non caruit; metu potius quam judicio vel approbatione feciſſe credibile eſt. Et forte perpetam æmulatus eſt Ægyptios, ne deterior eſſet patris ſui quam aliorum conditio. Atqui præſtabat ſe ad frugalem patrum uſum reſtringere. Cæterum, ut ipſe eacuſabilis fuerit, nobis bodie idem non licet. niſi enim velimus Chriſti gloriam obruere, colenda eſt major ſobrietas.

3. *Et completi ſunt ei quadraginta dies.*] Jam admonuimus Moſeo dé ceremoniali luctu verba facere: ideoque legem non præſcribere, vel exemplum ſtatuere quod ſequi nobis liceat. Nam legibus certi quidam dies fuerunt præfixi, ut eſſet aliquod temperamentum: ambitioni tamen aliquid datum eſt. Alia autem cohibendi doloris regula nobis à Domino traditur. Et Joſeph ſe magis ad perverſos Ægyptiorum mores inflexit quam par erat: ut ſibi licitum eſſe fingit mundus quicquid conſuetum eſt: imo quod paſſim invaluit, non ſecus ac violenta exundatio, trahit omnes ſibi obvios. Septuaginta dies quos Moſes præfinit ad ſolennem luctum, Herodotus libro ſecundo condituræ aſſignat. Diodorus vero ſaliturum triginta diebus compleri ſcribit. Condiendi vero modum uterque ſedulo eaequitur. Et quamvis ſucceſſu temporis ſolertiam creviſſe non negem: diſciplinam tamen illam à majoribus fuiſſe traditam, mihi veriſimile eſt. *Et loquutus eſt Joſeph.* Inſeritur brevis narratio de impetrato commeatu, ut Joſeph cum bona regis pace & venia paternum funus in ſepulchrum duplicis ſpeluncæ deferret. Quanquam autem non vulgari gratia pollebat, aulicos tamen adhibet ſuffragatores. Cur id, niſi quia res odioſa erat? Nihil enim (ut alibi diximus) Ægyptiis minus fuit tolerabile quam eorum terram ſperni, de cujus ſanctitate illi in primis gloriabaotur. Itaque Joſeph, ut offenſam alio derivet, neceſſitatem obtendit: acſi diceret, non eſſe ſui arbitrii eligere patris ſepulchrum, quia juramento interpoſito fidem illi ſuam obligaverit. Quare videmus ſervili timore fuiſſe oppreſſum, quominus ſponte & libere fidem ſuam profiteri audetet, quando alterius perſonam ſuſcipere cogitur, ut in mortuum transferat quicquid eſt invidiæ. Quum ſimplicior magiſque integra à filiis Dei requiratur confeſſio, nemo ſe talibus velis occultet: quin potius petere à Domino Spiritum fortitudinis & conſtantiæ diſcamus, qui nos ad teſtandam pietatem dirigat. Quod ſi libera nobis eſt per homines pietatis profeſſio, gratias agamus. Jam quod Joſeph niſi regis permiſſu pedem movere non audet, hinc colligimus, ſplendida illa fortuna, quaſi aureis compedibus fuiſſe devinctum. Et certe talis eſt omnium conditio qui honore & gratia in aulis regum præcellunt, ut ſanis hominibus nihil melius ſit quam privata ſorte contentos eſſe. Alia etiam circumſtantia mitigat Joſeph quam metuit offenſum, quum dicit, non nuper veniſſe in mentem patri ſuo ſepulchtum appetere io terra Chanaao: quia pridem ſibi effoderat. unde ſequitur, non fuiſſe inductum terræ Ægypti faſtidio.

6. *Et dixit Pharao.*] Vidimus ut media via inceſſerit Joſeph. Neque enim volebat prorſus ab officio deficere: prætextum tamen captans ex patris mandato, oon ſatis cordate ſe gerebat. Hac quidem modeſtia flecti potuit Pharao, ut ejus precibus tam facile annueret: neque tamen ideo probatur mollities, nt ſibi in ea indulgeant filii Dei: quia ſi intrepide quo vocat officii ratio ſequantur, eventum qualis optandus eſt, præter ſpem dabit Dominus. Nam etſi humanitus ipſi Joſeph bene ceſſit blanda ſua ſubmiſſio, certum tamen eſt ſuperbum regis animum à Deo ſubactum eſſe, ut tam benigne concederet quod rogatus fuerat. Notandum etiam quantopere viguerit jurisjurandi religio apud cæcos & incredulos. Quamvis enim non juraverit Pharao, neſas tamen ſibi eſſe ducit fidem ab alteto datam ſuo imperio violari. Hodie autem ſic extincta eſt in mundo

mundo Dei reverentia, ut fere pro mero joco ducant homines ultro citroque ſub Dei nomine fallere. Sed tam effrenis licentia Dei judicium non impune effugiet, cujus judex futurus eſt ipſe Pharao.

7. *Et aſcendit Joſeph.*] Proſequitur Moſes totam ſepulturæ hiſtoriam: ubi quod ſcribit de luctu renovato tam à Joſeph & fratribus quam ab Ægyptiis, minime apud nos inſtar regulæ valere debet. Scimus enim quia nunquam ſibi moderatur caro, homines tum dolendo tum gaudendo fere peccare. Nec vero excuſari poteſt tumultuoſus ille clamor, quem mirati ſunt loci incolæ. Et quanquam Joſeph ſeptem continuos lugendo dies rectum finem habuerit propoſitum, vitio tamen non caruit exceſſus. Neque tamen abs re voluit Dominus tam honorifice funus hoc celebrari: magnopere enim interfuit quaſi ſublime trophæum erigi, quod memoriam fidei Jacob ad poſteros uſque transmitteret. Si clam & plebeio more fuiſſet ſepultus, protinus extincta eſſet fama: nunc vero, niſi data opera cæcutiant, aſſidue illis ante oculos vet ſatur nobile ſpectaculum, quod ſpem hæreditatis promiſſæ foveat: vexillum quaſi erectum cernunt futuræ liberationis, ubi completum fuerit tempus. Quare non tam hic ſpectandus eſt bonor mortui quam vivorum utilitas. Imo Ægyptii ignari quid agant, facem præferunt Iſraëlitis ad tenendum vocationis divinæ curſum: idem faciunt Chananæi, dum locum novo nomine illuſtrant. nam hinc factum eſt ut recentior vigeret agnitio fœderis Domini.

14. *Et reverſus eſt Joſeph.*] Quanquam Joſeph & reliqui multa pignora in Ægypto reliquerant, ut reverti neceſſe fuerit, credibile tamen eſt magis Dei oraculo illuc fuiſſe retractos. Neque enim unquam permiſit Deus ſedem arbitrio ſuo eligere: ſed quemadmodum prius Abrahæm, Iſaac & Jacob circumegerat, ita eorum filios in terra Goſen velut cancellis incluſos tenuit. Nec vero dubium eſt quin ſancti Patres oraculum illud, quod cap. 15. verſ. 13. habuimus, fideli cuſtodia ſervatum inſtar pretioſi thesauri filiis reliquerint. Redeunt igitur in Ægyptum, non tantum præſenti neceſſitate coacti, ſed quia jugum Dei manu cervicibus ſuis impoſitum excutere fas non eſt. Quod ſi non omnes Dominus voluntario obſequio devinctos ſibi habuit, mentes tamen continuit occultis habenis, ne ſe alio ſubducerent: neque tamen aliud conjicere licet quam ejus timore fuiſſe tentos, ne de tyrannica oppreſſione admoniti, quæ inſtabat, eam effugere tentarent. Scimus non ita manſueto fuiſſe ingenio, quin ſubinde contra leviora onera calcitrarent. Quare ſpecialis hac in parte eos religio domuit, ut quieti & ſilentes ad ferendam duriſſimam ſervitutem ſe pararent.

15. *Et viderunt fratres Joſeph.*] Hic narrat Moſes filios Jacob poſt mortem patris anxios fuiſſe, ne Joſeph vindictam illatæ ſibi injuriæ repoſceret. Unde autem hic metus, niſi quia ex ſuo ingenio eum æſtimant? Quod tam placabilem experti erant, veræ erga Deum pietati non tribuunt, nec reputant ſingulare eſſe Spiritus donum: quin potius divinant ſolo patris reſpectu hactenus fuiſſe cohibitum, ut tantummodo ultionem differret. Atqui tam perverſo judicio magnam injuriam ei faciunt, qui tam liberaliter eos tractando, animum ſuum omni odio & malevolentia purum teſtatus erat. In Deum etiam redundat pars injuriæ, cujus rara gratia in moderatione Joſeph enituerat. Sed hinc colligimus, cæcis punctionibus turbari malas conſcientias, ut in clara luce impingant. Fratres ſuos reatu abſolverat Joſeph: ipſi autem ſtimulis peccati exagitantur, ut ſibi ſponte infeſti ſint. Neque enim per eos ſtetit quominus pœnam, quæ remiſſa erat, ſibi acciverent: quia merito ulcerari potuit animus Joſeph illorum diffidentia. Quid enim hoc ſibi vult quod vitam bis & ter ejus miſericordiæ debentes, adhuc maligne ſuſpectum habent? Nec tamen dubito quin pridem reſipuiſſent à ſuo ſcelere: ſed quia forte nondum ſatis purgati erant, tali anxietate & moleſtia torqueri paſſus eſt Dominus, ut aliis exemplo eſſent, malam conſcientiam ſibi eſſe carnificem: deinde ut novo culpæ ſuæ ſenſu eos humiliaret. nam quum fratri ſe obnoxios ſiſtant, cæleſte Dei tribunal, niſi pluſquam ſtupidi ſint, oblivi ſci non licet. Quotidie videmus impleri quod dicit Solomon, ut ſcilicet impius, nemine perſequente, fugiat: ſed ita Deus ad reddendam rationem fugitivos cogit. Cuperent ſupino ſuo torpore tam Deo quam hominibus illudere: & obſtinationis callum, quantum in ſe eſt, cordibus ſuis obducunt: interea, velint nolint, trepidant ad ſtrepitum folii cadentis, ne Dei judicium aboleat ſecurus carnis torpor. Nihil tranquilla mente optabilius eſt. hoc ſingulari bono, quod ab omnibus expetitur, dum ſceleratos privat Deus, ad integritatem colendam nos invitat. Præſertim vero, quum Patriarchæ jam ſui ſceleris pœnitentia affecti, poſt longum tamen tempus tam duriter expergefiant, nemo noſtrum ſibi indulgeat: ſed ſe quiſque diligentee examinet, ne hypocriſis arcana iræ Dei ſpicula intus foveat; ſed cordibus noſtris ad liquidum defæcatis affulgeat beata pax, cui locum duplex cor non concedit. Hæc etiam juſta merces eos omnes manet qui ad Deum ſincere & ex animo non accedunt, ut ſe ad hominis mortalis judicium ſiſtere cogantur. Quare non alia eſt ratio, quæ nos inquietudine eximat, niſi ut cum Deo redeamus in gratiam. Hoc remedium quiſquis contemnet, invitus ſibi timebit non tantum ab homine mortali, ſed ab umbra quoque vel flatu.

Prov. 28. verſ. 1.

Levit. 26. verſ. 36.

16. *Et mandarunt.*] Quia pudet ipſos verba facere, pacis interpretes ſubornant, quibus plus fidei adhibeat Joſeph. Sed bic quoque perſpicimus, conſilio & ratione deſtitui qui ſibi male conſcii ſunt. Nam ſi hac de re ſollicitus fuit Jacob, cur non filium, quem habebat tam morigerum, reconciliavit ipſe fratribus? Deinde quorſum nunc attinet per internuncios tentare, quod coram melius poterant? Puerliter ergo eos agere patitur Dominus: ut eorum exemplo edocti, nullum ex frivolis commentis profectum ſperemus. Sed quæritur, unde filiis Jacob oblati fuerint homines, quibus tale mandatum committere auderent. neque enim res vulgaris fuit execrandum illud flagitium exteris detegere. Apud Ægyptios quidem ſubire hanc infamiam nimis fuiſſet abſurdum. Itaque nulla magis probabilis conjectura eſt quam electos fuiſſe domeſticos teſtes ex ſervorum numero: quorum etſi mentio facta non eſt à Moſe, quum narraret Jacob migraſſe in Ægyptum; aliquos tamen abductos fuiſſe, certis rationibus colligere promptum eſt.

17. *Obſecro, parce quæſo.*] Non diſſimulant ſe graviter peccaſſe, adeoque culpam non extenuant, ut ſeipſos ultro gravent multa verborum congerie. Veniam ergo ſibi dari non poſtulant quaſi leve ſit delictum: ſed atrocitati criminis primum auctoritatem patris ſui, deinde ſacrum Dei nomen opponunt. Laude digna fuiſſet hæc confeſſio ſi recta & ſine ambagibus ac figmentis ad placandum fratrem progreſſi eſſent. Jam quum ex pietatis fonte hauſerint, conſentaneum eſſe remitti peccatum Dei ſervis: hinc ſumenda eſt communis exhortatio, ſi ab Eccleſiæ domeſticis læſi fuerimus, ne ſimus ad ignoſcendum nimis rigidi ac difficiles. Hæc quidem humanitas in genere erga omnes nobis præcipitur: ſed ubi accedit religionis ſocietas, pluſquam ferrea eſt noſtra durities, niſi ad miſericordiam flexibiles propenſique ſimus. Ac notandum eſt, quod diſerte exprimunt Deum Jacob: quia peculiaris fides & cultus, quibus à reliquis gentibus diſtincti erant, conjungere ipſos debebant arctiore vinculo: ac ſi Deus, qui familiam illam adoptaverat, reconciliandæ gratiæ ſponſor in medium prodiret.

Dum illi loquerentur.] Non poteſt certo elici ex verbis Moſis, an tunc coram adfuerint fratres Joſeph, ac loquuti ſint quum flevit. Divinant quidam interpretes actam fuiſſe ex compoſito fabulam, ut tentato per alios animo Joſeph, paulo poſt medio ſermoni intervenerint. Ego in diverſam magis ſententiam inclino, quòm ex nunciis cognoſceret eos cruciari, fruſtraque ſibiipſis moleſtos eſſe, ſympathia fuiſſe tactum. Deinde ad ſe accitos omni cura & metu liberaſſe. Fletum ergo expreſſit eorum ſermo quum jam per ſe deprecarentur. Porro quod fratrum mœſtitiæ & anxietati tam amice illachrymat, inſigni documento nos ad miſericordiam inſtituit. Quod ſi nobis eum iracundiæ impetu vel odii pertinacia arduum eſt certamen, petendus à Domino eſt lenitatis Spiritus, cujus vis non minus efficaciter hodie ſe exeret in Chriſti membris quam olim in Joſeph.

19. *Numquid enim loco Dei ſum?*] Quidam putant his verbis repudiatum ab eo fuiſſe honorem: aſi diceret, perperam ſibi deferri, quia nonniſi uni Deo debetur. ſed hoc nihil habet coloris, quum ſæpe alias paſſus ſit hoc modo ſe coli, & longe alium fratribus animum eſſe ſciat quam Dei cultum in hominem mortalem transferre. Mihi etiam nihilo magis probatur alter ſenſus, quod ſe pœnam ſumpturum neget, quia Deus non ſit. Neque enim ita ſibi temperabat à retalianda injuria, ut Deum fore ultorem ſperaret. Alii tertium ſenſum afferunt, quod reſpondeat Joſeph, conſilio Dei non ſuo totum hoc negotium geſtum eſſe: quem etſi non plane rejicio, quia ad verum accedit, non tamen pro vero ampleƈtor. Particula quidem התחת nunc vicem denotat, ut Latinum Pro, nunc ſubjeƈtionem. Itaque niſi obſtaret interrogatio, commode verteretur, Quia ſub Deo ego ſum: ac tunc ſenſus eſſet, Ne metuatis, quia ego ſub Deo ſum: ut admoneat Joſeph, quia Dei imperio ſubeſt, non ſuum eſſe præire, ſed ſequi. Verum quia præfigitur ה interrogationis nota, aliter nequit exponi, quoniam non eſſet conſentaneum ut ſe mortalis homo ad turbandum Dei conſilium ingerat. Porro quoad rei ſummam, nulla ambiguitas. Nam quia Joſeph divinæ providentiæ finem expendit, quaſi injeƈto freno compeſcit ſuos affeƈtus, ne intemperanter exultent. Erat quidem miti humanoque ingenio: ſed nihil eſt ſedandæ ejus iracundiæ melius vel magis appoſitum quamſe Deo regendum ſubmittere. Itaque ubi nos vindiƈtæ cupiditas ſollicitat, huc referendi ſunt omnes ſenſus. Porro, quum hac ratione fratres tranquillos & ſecuros eſſe jubeat, quia legitimum Deo tribuens honorem, libenter ſuſtineat ejus imperio parere: hinc diſcamus, tunc optime nobiſcum agi ubi negotium nobis eſt cum hominibus modeſtis, qui Deum ſibi ducem præficiunt, ejuſque placitis non modo ſubeſſe ſuſtinent, ſed libenter obſequuntur. Nam ſiquis impotenter carnis libidine feratur, mille ab eo nobis timendæ erunt mortes: niſi furorem ejus Dominus violenter frangat. Sicut autem unum hoc eſt ſedandæ iracundiæ remedium, agnoſcere quinam ſimus, & quid juris in nos Deo competat: ſic rurſum ubi penitus inſederit hæc cogitatio, nullus eſt tam furioſus ardor, ad quem mitigandum non ſufficiat.

20. *Et vos cogitaſtis de me.*] Probe (ut diximus) Dei providientiam confiderat Joſeph, ut ſibi non modo dandæ veniæ, ſed etiam exercendæ beneficentiæ legem ac neceſſitatem imponat. Tametſi autem hac de re ſatis multa differuimus cap. 45. nonnihil tamen nunc quoque repetere utile erit. Ac primo quidem notanda eſt ſermonis diverſitas: nam quum illic Joſeph fratrum dolorem lenire & metum levare ſtudens, eorum ſcelus quo poterat artificio tegeret: nunc paulo apertius & liberius eos caſtigat: forte quia eorum aſtutia offenditur. Idem tamen retinet principium, quum arcano Dei conſilio deductus ſit in Ægyptum, ut fratribus vitæ miniſter eſſet, ſibi incumbendum in hoc eſſe, ne Deo reſiſtat: aſi diceret, Quum vitam veſtram Deus apud me depoſuerit, ego bellum cum eo gererem niſi fidelis eſſem ejus gratiæ diſpenſator, quam mihi dedit in manum. Scite interea inter prava hominum conſilia & admirabilem Dei juſtitiam diſtinguit, ſummam rerum omnium guberrationem Deo ita tribuens, ut nullam ex hominum vitiis maculam contrahat. Venditio Joſeph facinus crudelitate & perfidia deteſtabile fuit: atqui venditus non fuit niſi cæleſti decreto. Neque enim ſolum quievit Deus, & ad tempus connivens, frena hominum malitiæ laxavit, ut hac occaſione poſtea uteretur: ſed ordinem agendi, quem volebat certum fixumque eſſe, ſuo arbitrio ſtatuit. ita vere & proprie dicemus ſceleſta fratrum pactione, & arcana Dei providentia venditum fuiſſe Joſeph. Non tamen fecit commune opus ut quicquam Deus conjunƈtum vel affine haberet improbæ eorum cupiditati: quia dum illi machinantur fratri exitium, eorum ſalutem è ſublimi procurat. Unde etiam colligimus, regendi mundi variasilli eſſe rationes. Hoc quidem promiſcue ſtatuendum eſt, nihil niſi eo volente fieri: quia & hominum conſilia moderatur, & voluntates flecƈit, & conatus vertit huc vel illuc, & eventus temperat: verum ſi quid recƈe & juſte ſuſcipiunt homines, intus eos Spiritu ſuo agit ac movet, ut merito feratur illi acceptum quicquid boni eſt. ſi autem Satan & impii ebulliunt, ineffabili modo per eorum manus ita agit, ut penes ipſos reſideat improbitas, & illis culpa imputetur. Neque enim ad peccandum Spiritus impulſus, ſicuti fideles ad recƈe agendum, feruntur, ſed ſibi ipſi auƈtores ſunt, & Satanam ſequuntur ducem. Sic videmus ut in media caligine noſtræ iniquitatis refulgeat Dei juſtitia. Nam neque Deus unquam juſta agendi cauſa deſtituitur, & homines perverſa ſua voluntas reatu conſtringit. Quum audimus Deum fruſtrari ſpes hominum improbas & noxias cupiditates, hinc non vulgaris ad nos redit conſolatio: ſatagant enim ut volent impii, tumultuentur, cælum denique ac terram miſceant, nihil tamen proficient ſuo fervore: nec modo irriti concident eorum impetus, ſed in contrarium ſucceſſum volventur, ut ſalutem noſtram quamvis inviti promoveant. Ita quicquid veneni concipit Satan, Deus in medicinam electis ſuis temperat. Quantum autem hic Deus *in bonum cogitaſſe* dicitur, quia proſperum lætumque ſucceſſum mortiferis principiis ex inopinato attulerat: recte tamen & juſte cibum reprobis in venenum, lucem in tenebras, menſam in laqueum, vitam denique in mortem convertit. Si ad tantam altitudinem non perveniant humanæ mentes, myſteria quæ non capiunt, ſuppliciter potius adorent quam figulina vaſcula ſuperbiant contra ſuum opificem.

Ut vivificaret populum multum.] Finem providentiæ Dei ad ſuum officium accommodat Joſeph. Et hæc ſobrietas adhibenda ſemper eſt, ut quiſquis Deum ex alto mundi gubernacula tenentem fide ſpeculatur, ſe intra vocationis ſuæ metas contineat: imo arcanis Dei judiciis admonitus, in ſeipſum deſcendat, ſeque ad officium hortetur. Quod ſi non protinus apparet ratio, cavendum tamen eſt ne volitemus per confuſos & erraticos circuitus, quemadmodum fanatici homines ſolent. Quod dicit Joſeph ſe divinitus electum eſſe, per quem multus populus ſervetur, quidam ad Ægyptios extendunt: quod tametſi non improbo, reſtringere tamen malo ad domum Jacob. nam Dei bonitatem hac circumſtantia Joſeph amplificat, quod ſua opera ab interitu ereptum fuerit Eccleſiæ ſemen. Et certe in paucis hominibus ingens illa multitudo, quam paulo poſt Deus extulit, vitam adepta eſt, cujus alioqui antequam naſceretur, extinƈtum eſſet ſemen.

21. *Ego alam vos.*] Hoc vero ſolidæ ac non fucatæ recon-

reconciliationis ſignum fuit, non modo abſtinere à maleficio & noxa, ſed etiam vincere bono malum, ſicuti Paulus præcipit. Et certe qui ceſſat in officio, quum juvandi ſuppetat facultas, & rei opem ejus flagitet, hoc ipſo demonſtrat ſe non oblitum eſſe injuriæ. Quod ideo diligenter notandum eſt, quia vulgo nimis jejune major pars ſe remittere offenſas definit, ſi non retaliat: quaſi vero non ſit hoc ulciſci, quum manum retrahimus ab auxilio. Juvares fratrem ſi dignum exiſtimares: opem tuam implorat in neceſſitate, tu deſeris, quia de te male meritus eſt: quid tibi obſtat præter odium? Ergo tunc demum probabimus nobis à malevolentia puros eſſe animos, ſi beneficiis proſequemur hoſtes à quibus indigne tractati ſumus. Dicitur Joſeph *ad cor fratrum loquutus*, quia ſuaviter & amice eos compellans, omnem illis ſcrupulum exemit: quemadmodum prius vidimus Siehem loquutum eſſe ad cor Dinæ, quum blanditiis ſolari conatus eſt, ut illati ſtupri immemor, conjugio animum adjiceret.

Rom. 12. verſ. 18.

22. *Et habitavit Joſeph.*] Non ſine cauſa refert Moſes quamdiu vixerit Joſeph: quia diuturnitas temporis infractam ejus conſtantiam clarius oſtendit. Quamvis enim honore & potentia emineret inter Ægyptios, conjungitur tamen cum domo patris ſui. Unde conjicere promptum eſt, paulatim valedixiſſe aulicis opibus, quia ſibi nihil melius eſſe ducebat quam vileſcere, ne eum terrena dignitas à regno Dei ſepararet. Spreverat ante illecebras omnes quæ ejus mentem occupare poſſent in Ægypto: nunc ulterius progredi neceſſe habet, ut depoſito honore ad ignobilem ſtatum deſcendat, filioſque ſuos à ſpe ſucceſſionis ablactet. Scimus quam anxie laborent alii, tum ne ipſi minuantur, tum ut integram fortunam poſteris relinquant: atqui Joſeph per annos ſexaginta hue tantum omnia ſtudia impendit quomodo ſe & ſuos in ordinem cogeret, ne ſua eos magnitudo à tenui grege Domini arceret. Denique ſerpentes imitatus eſt, qui exuvias ſuas abjiciunt, ut vetuſtate exuti, novum vigorem colligant. Vidit abnepotes ex ſua ſtirpe: cur non una cum liberis creſcit etiam ſollicitudo ut illis proſpiciat? Verum nulla illi vel nobilitas vel opulentia tanti eſt quin malit paſtoritiæ vitæ addictos contemni ab Ægyptiis, ac cenſeri in familia Iſrael. Cæterum in numeroſa ſobole, vivo adhuc & ſuperſtiti Dominus guſtum aliquem ſuæ benedictionis præbuit, unde ſpem liberationis conciperet. Nam inter tot tentationes operæpretium fuit quibuſdam ſubſidiis animari & fulciri, ne ſuccumberet.

24. *Et dixit Joſeph fratribus ſuis.*] Primusne an ultimus fratrum mortuus fuerit Joſeph, an pars aliqua ſupervixerit, incertum eſt. Hic quidem Moſes ſub fratrum nomine non ſolos germanos, ſed cognatos alios complectitur. Quoſdam vero ex ſingulis familiis primarios fuiſſe ejus juſſu vocatos exiſtimo, à quibus tota gens certior deinde fieret. Quanquam autem alios quoque Patriarchas idem mandaſſe credibile eſt, quia omnium oſſa pariter in terram Chanaan delata ſunt: ſpecialis tamen unius Joſeph fit mentio, ob duas cauſas. Nam quum propter ſummam auctoritatem conjecti eſſent in eum omnium oculi, merito debuit illis præire, & ſollicite cavere ne cui remoram injiceret dignitatis ſuæ ſplendor. Secundo, magnopere ad exemplum interfuit, cognoſci à toto populo, eum qui regno Ægypti ſecundus præerat, poſthabito tanto honore, gradu ſuo fuiſſe contentum, ut tantum nudæ promiſſionis hæres foret.

Ego morior.] Perinde valet loquutio acſi juberet fratres ſuos bene ſperare ſe mortuo, quia immortalis ſit Dei veritas. nam eos pendere non vult à ſua vel alterius vita, ut Deo ullum terminum præſcribant: ſed patienter quieſcere, donec opportunum adveniat tempus. Unde autem hæc tanta illi certitudo, ut futuræ redemptionis teſtis ſit ac ſponſor, niſi quod à patre ſic edoctus fuerat? Neque enim Deum ei apparuiſſe legimus, vel oraculum per Angelos è cælo fuiſſe allatum: ſed quia certo perſuaſus erat, Jacob doctorem & Prophetam divinitus fuiſſe creatum qui fœdus ſalutis apud ſe depoſitum ad filios tranſmitteret, non minus ſecure in ejus teſtimonium recumbit quam ſi oblata fuiſſet aliqua viſio, vel Angelos è cælo delapſos vidiſſet. Niſi enim verbi auditus ad fidem nobis ſufficiat, indigni ſumus quibuſcum agat Deus, quem fraudamus ſuo honore. Non quod fides ab hominibus pendeat, ſed quia per os hominum loquentem Deum audit, & externa eorum voce patitur altius ſe deduci. Deus enim quod per homines pronunciat, Spiritu ſuo obſignat in cordibus noſtris. Ita neque alibi quam in ipſo fundata eſt fides: & tamen hominum prædicationi non deeſt ſuum pondus & reverentia. Ita compeſcitur proterva eorum curioſitas qui viſionibus iohiantes ordinarium Eccleſiæ miniſterium contemnunt, acſi abſurdum foret, Deum, qui olim Patribus è cælo ſe oſtendit, vocem è terra emittere. Atqui ſi reputarent quam magnifice io Filii unigeniti perſona ſemel ad nos deſcenderit, non ita improbe appeterent cælum quotidie ſibi aperiri. Ut tamen hoc taceam, quum videant Joſeph, qui patribus hac in re inferior erat, quod nullius oraculi particeps, pietatis doctrina ab ipſis imbutus fuerat, pari fide eum illis certare, nimis ingrati ſunt ac maligni ſi hujus gratiæ ſocietatem faſtidiant.

25. *Viſitando viſitabit Deus vos.*] His verbis innuit quaſi oblivione ſepultos fore, quamdiu manebunt in Ægypto. Et certe perinde fuit illud exilium acſi Deus tergum illis ad tempus obverteret. Joſeph tamen in eum mentis oculos intendere non deſinit: ſicuti habetur apud Prophetam, Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à domo Jacob. Hic etiam locus clare docet quorſum ſpectaverit tam anxia ſepulcbri electio, nempe ut redemptionis ſigillum foret. Poſtquam enim fidelem eſſe Deum aſſeruit, qui præſtabit ſuo tempore quod pollicitus eſt, continuo poſt fratres ſuos adjurat, ut oſſa ſua transferant. Illæ utiles erant reliquiæ, quarum aſpectus clare perſonabat, hominum morte minime extinctum eſſe æternum Dei fœdus, in quo Joſeph tuto quieſcere jubet poſteros. Nam juſjurandum Dei adducere ſatis habet, ut de ſuo exitu nihil dubitent.

Joſu. 8. verſ. 17.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN QUATUOR RELIQUOS LIBROS MOSIS, IN FORMAM HARMONIÆ DIGESTOS.

PRÆFATIO.

NIsi jam ab initio consilii mei in texendo hoc opere rationem expoſuero, in multorum reprehenſiones haud dubie incurret. Neque tantum à malevolis & invidis carpetur: (quod eſſet minime curandum) ſed nonnulli forte reperientur nullo alioqui odio, aut animi pravitate infecti, qui tamen exiſtiment, inconſiderate adeoque temere ordinem, quem Spiritus ſanctus nobis præſcripſit, à me fuiſſe mutatum. Neque enim dubium eſt; quod optimum erat, & in omni utilitatis genere perfectiſſimum, dictatum fuiſſe Moſi. Ego autem quod ille quatuor libris tradidit, ita in hoc Commentario & colligere & digerere ſtatui, ut primo intuitu, re nondum bene perſpecta, videri poſſim melius aliquid tentare: quod ſacrilegæ audaciæ foret. Malignos, quibus propoſitum eſt obtrectandi materiam ex nihilo captare, & occaſionem arripere ſumma voluptas eſt, ſecure prætereo. Hos vero nonniſi errore iniquos, modo quam ſequutus ſum rationem placide audire ſuſtinuerint, placare difficile non erit. Neque enim aliud mihi propoſitum eſt quam hac ſerie dirigere lectores nondum ſatis exercitatos, ut facilius commodiuſque & majore cum fructu in libris Moſis verſentur. Denique quiſquis fructum ex labore noſtro capere optabit, ſciat à lectione cujuſque libri ſe minime abduci: ſed tantum compendio deduci ad certum ſcopum, ne vagetur (ſicuti multis contingere ſolet) propter ignorationem methodi.

Duæ ſunt horum quatuor librorum partes, hiſtoriæ narratio, & doctrina qua inſtituitur Eccleſia in vera pietate (quæ fidem & invocationem in ſe continet) item in timore & cultu Dei: atque ita ſanctè juſteque vivendi regula traditur, & urgetur unuſquiſque ad præſtandum officium. Hanc diſtinctionem non tenet Moſes in ſuis libris, quia nec hiſtoriam uno contextu refert: doctrinam vero ipſam ſparſim tradit prout tulit occaſio. Fateor quidem, quicquid ad vitam formandam ſpectat decem præceptis comprehendi: ſed quia non omnibus datum eſt, quæ extra decem præcepta docentur quorſum tendant prudenter diſcernere, & ſingula referre in ſuam claſſem: nihil eos adjuvare prohibet, ut admoniti de ſancti Prophetæ mente & conſilio, in ejus ſcriptis melius proficiant.

Porro totius quæ in quatuor libris recitatur hiſtoriæ duplex eſt utilitas. Nam liberatio veteris populi illuſtre nobis ſpeculum eſt tam incomparabilis Dei potentiæ quam immenſæ bonitatis in erigenda & quaſi gignenda Eccleſia. Quod autem continuis beneficiis illum eundem populum optimus Pater uſque in finem proſequutus eſt, atque etiam cum ſceleſta impietate, malitia deteſtabili, ſœdaque ingratitudine ſubinde certavit, ut non deſineret erga pravos & ingratos pluſquam liberalis eſſe, inæſtimabilis ejus miſericordiæ luculentum eſt documentum. Quam vero indefeſſus ſit gratiæ ejus tenor in ſovendis, tuendis, ornandis & ſervandis quos ſemel amore complexus eſt, in continua gubernatione cernitur. Hinc nobis haurienda eſt fiduciæ materia: hinc & fiducia precandi elicienda. Jam, ne dubitemus quæ olim experti ſunt Iſraëlitæ gratiæ Dei teſtimonia tam in primo exordio quam per longos progreſſus, hodie quoque ad nos pertinere, cauſam in gratuita adoptione ſtatuit Moſes: quæ nobis cum illis eſt communis, ex quo unigenitus Dei Filius dituta maceria caput noſtrum eſſe voluit. Altera ex parte ad Dei reverentiam nos inſtituunt, ac metum nobis incutiunt horrendæ & memorabiles pœnæ quæ paſſim referuntur: ne peccandi licentia nobis indulgentes, falſo nos eſſe Dei filios gloriemur. Nam quum tam ſevere ultus ſit Deus idololatriam, pravas cupiditates ac libidines, contumaciam, aliaque ſcelera: hinc diſcendum eſt, nuſquam Deum luculentius ſua judicia exercere quam in Eccleſia: ut quod fallacibus Judæis contigit, ad omnes noſtræ ætatis hypocritas accommodemus.

Doctrinæ

Doctrinæ partitio quatuor præcipue membris comprehenditur. Nam ut ad docilitatem animos comparet, multis elogiis commendat Legis auctoritatem. Quæcunque igitur sententiæ occurrent de Legis dignitate, præfationis vice ponuntur, ut justam reverentiam Deus obtineat: ideoque ordine præcedunt Legis præcepta, & in hac prima classe locanda erunt.

Sequuntur decem præcepta, quibus pie justeque vivendi regulam, breviter quidem, sed in solidum complexus est Deus: modo ne separemus quas sparsim interpretationes addidit Legislator. Multa enim extra duas tabulas leguntur, quæ sensu tamen nihil differunt; ideoque adhibenda est prudentia, ut singula annexa suis præceptis Legem integram nobis conficiant.

Tertium caput doctrinæ constat ex appendicibus: qua voce intelligo, prioris quidem tabulæ respectu, cerèmonias & externa pietatis exercitia: deinde secundæ respectu leges politicas: quoniam non alio tendit utraque pars, nisi ut Legis moralis observationem adjuvent. Atque hoc cognitu non parum utile est, nihil ceremonias vel judicialem doctrinam mutare vel detrahere de regula decem verbis tradita: sed tantummodo adminicula esse quæ ad Deum rite colendum, & ad justitiam cum hominibus colendam nos quasi manu ducant. Scimus continuum olim Prophetis fuisse certamen cum populo Judaico, quod ceremoniis strenue incumbens, acsi inclusa illis esset perfecta religio & sanctitas, veram justitiam negligebat. Itaque negat Deus se quicquam de sacrificiis præcepisse: ac omnes externos ritus pro inutilibus nugis ducit, si illis vel minimum pretii seorsum à decem præceptis tribuitur. Unde certius colligimus quod attigi, non esse ex substantia Legis (ut loquuntur) nec per se ad Dei cultum valere, nec eas à Legislatore ipso exigi quasi necessarias, vel etiam utiles, nisi in gradu inferiore subsidant. In summa, accessiones sunt, non quæ Legi vel unum apicem addant, sed quæ pietatis cultores retineant in spirituali cultu, qui fide, pœnitentia, Dei invocatione, & laudibus quæ gratitudinem demonstrant, crucis etiam tolerantia continetur. In politicis omnibus præceptis nihil plane reperietur quod aliquid secundæ tabulæ ad perfectionem addat. Sequitur itaque, ad regulam bene rectèque vivendi, præter decem verba desiderari nihil posse.

Ultima pars finem usumque Legis ostendit: ac proinde ejus utilitas latissime patet. Quid enim nobis prodesset ad juste vivendum institui, nisi culpæ & reatus agnitio nos ad quærendum remedium traheret? Quod ergo promissionibus tam blande & suaviter nos Deus allicit, quod rursum maledictionibus fulminat, partim nos reddit inexcusabiles, partim omni justitiæ fiducia exspoliatos dejicit, ut gratuitum ejus fœdus amplexi, ad Christum Legis finem confugere discamus. Huc spectant promissiones quibus se propitium fore testatur, ut parata sit peccatis venia: deinde Spiritum regenerationis offert. Unde pendet illa sententia, Christum esse finem Legis. Neque tamen hanc classem à superioribus discerno, acsi nihil haberet cum illis commune & promiscuum. Antequam enim eo perventum fuerit, attingere sæpius necesse erit tam miserrimam humani generis cladem, quam peculiare adoptionis beneficium, & continuam seriem paterni favoris, quo Deus suos prosequitur. Neque enim aliud sibi volunt omnes expiationes, quam Deum semper fore misericordem, quoties ad veniæ asylum confugerit peccator. Sed quam necessaria fuerit hæc distributio, melius ex contextu intelligetur. Canticum & mors Mosis, quatuor librorum erit clausula.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN QUATUOR RELIQUOS MOSIS LIBROS, IN FORMAM HARMONIÆ DIGESTOS.

EXODI CAP. I.

HÆc ſunt nomina filiorum Iſraël qui venerunt in Ægyptum cum Jahacob: quiſque cum familia ſua venit.

2. Reuben, Simhon, Levi & Jehudah,

3. Iſſachar, Zebulon & Benjamin,

4. Dan, Nephthali, Gad & Aſer.

5. Fuerunt autem omnes animæ egreſſæ ex femore Jahacob, ſeptuaginta animæ. Joſeph autem erat in Ægypto.

6. Mortuus vero eſt Joſeph, & omnes fratres ejus, & tota ætas illa.

7. Porro creverunt filii Iſraël, & aucti ſunt & multiplicati & roborati quam plurimum: adeo ut plena ipſis eſſet terra.

1. *Hæc ſunt nomina.*] Conſilium quidem Moſis eſt mirificam liberationem populi deſcribere: (unde & nomen à Græcis libro inditum) ſed antequam illuc veniat, breviter admonet quod non vana fuerit promiſſio Abrahæ data, Æquabitur ſemen tuum ad numerum ſtellarum cæli & arenæ maris. Hoc igitur exordium libri eſt: quamvis migratio ex terra Chanaan in Ægyptum, ad tempus viſa fuerit quaſi fœderis Dei interitus & abolitio, eum tamen quod ſervo ſuo pollicitus fuerat de ſobolis incrementis, ſuo tempore large præſtitiſſe. Nominat autem ſolum duodecim Patriarchas qui cum patre ſuo Jacob profecti ſunt: deinde ſummam capitum colligit, cujus aliis duobus locis fit mentio, Deut. 10. & Gen. 46. Atque optime ſupputatio convenit, ſi Jacob inter animas triginta ſex primo catalogo cenſeatur. Nam quod Rabini Jochebed matrem Moſis accerſunt ut numerum expleant, longe petitum eſt: ac minime conſentaneum, mulieri quæ in Ægypto poſtea nata eſt, locum dari inter viros quos ſecum Jacob adduxit. Si quis objiciat ſeptuagiota dici egreſſos ex femore Jacob, facile diluitur repugnantia ex communi uſu ſyoecdoches. Ipſum vero à quo progeniti ſunt reliqui, non excludi, ex verbis Moſis elicimus, In ſeptuagiota quinque animabus ingreſſi ſunt patres tui in Ægyptum: & ecce nunc te multiplicavit Deus. Quinque vero ſuperaddi, (ut legitur in concione Stephaoi apud Lucam) nulla ratio ſinit. Nec mirum eſt, in notulis quæ numeros ſignant, vel io una litera obrepſiſſe hunc errorem. Quod ſi quis contentioſus rixandi anſam captet, meminerimus non fruſtra vetare Spiritum pet os Pauli, ne occupemur circa genealogias.

Gen. 15. verſ. 5.

Deut. 10. verſ. 22.

1 Tim. 1. verſ. 4.

6. *Mortuus vero eſt Joſeph.*] Ioſcite colligunt ex hoc loco Rabini, Joſeph primum ex fratribus mortuum fuiſſe: quia quum ſolus tuoc excelleret, nomen ejus diſerte exprimi honoris cauſa, aliis præteritis, apparet. Quanto tempore fuerint patri ſuperſtites, non narrat Moſes: ſed initium mutationis tantum notat: acſi diceret, humaniter tractatos fuiſſe Iſraëlitas loogo temporis ſpatio, ut tolerabilis fuerit eorum conditio qui deſcenderant cum Jacob, quia ab omni iojuria & tyraonide immunes, hoſpitio ſibi conceſſo traoquille fruebantur. Simul admonet, potuiſſe, ætate illa conſumpta, emori apud poſteros deſiderium & memoriam terræ Chanaan, quam nunquam conſpexerant, niſi violenter ad eam expetendam expergefacti eſſent. Et certe, ut in meditandis Dei beneficiis obliviosis & ſocors erat populus ille, non potuit ejus ſalutimelius conſuli quam ubi Deus crudeliter illum vexari affligique paſſus eſt: alioqui, perinde acſi oriundus eſſet ex Ægypto, perpetuum illic oidum optaſſet: qua deſidia in eorum cordibus obliterata fuiſſet ſpes hæreditatis promiſſæ.

7. *Porro creverunt filii.*] Quouſque excreverint, duodecimo capite narrat Moſes: nempe ad ſexcenta uſque millia, exceptis pueris & mulieribus. Incredibile certe augmentum tam exiguo tempore. Nam quum anni inter fœdus cum Abraham percuſſum & popub exitum numerentur quadringenti etiginta, dimidiam vero partem effluxiſſe conſtet antequam Jacob in Ægyptum deſceoderet: inde conficitur, ducentis tantum annis, vel paulo plus, hoc eſt, aonis decem vel circiter, Iſraëlitas fuiſſe inquilinos illius terræ. Qui ergo fieri potuit, ut tam exiguo tempore excreſceret familia una io tot myriadas? Larga fuiſſet ac inſolita multiplicatio, ſi ex unaquaque tribu prodiiſſent dena millia. Hæc autem quadruplo longe excedit. Itaque Moſis narrationi, quia communem generandi modum transgreditur, quaſi fabuloſæ fidem abrogant naſuti homines, qui Dei virtutem nonniſi ex ſuo ſenſu & experientia æſtimant. Ea enim eſt hominum malignitas, ut vel ſpernendis vel refutandis Dei operibus ſemper occaſionem inveniant: ea etiam improbitas & petulantia, ut acumen ſuum abſque pudore exerceant in obſcuranda ejus gloria. Si ratione comprehendant fieri poſſe quod pro miraculo narratur, naturæ adſcribunt: (ita virtutis ſuæ laude ſpoliatur ac fraudatur Deus) ſi illis incomprehenſibile eſt, quaſi portentum repudiant. Atqui ſi Dei potentiam agnoſcere non ſuſtinent, niſi cujus magoitudine reddantur attoniti, cur ſibi verum eſſe non perſuadent quicquid reſpuit communis ſenſus? Rogaot quomodo id potuerit accidere. Quaſi vero æquum ſit, Dei manum ſic reſtringi ne in ejus arbitrio ſit operari ſupra humani ingenii captum.

pcum. Quin potius quia tam male pro noſtra tarditate in ordinariis ejus operibus proficimus, neceſſe eſt inſolita documenta nobis proponi, quæ in admirationem nos rapiant. Summa ſit, quin non de naturali ſobolis procreatione hic differit Moſes, ſed miraculum prius inauditum celebrat, quo Deus ſuæ promiſſionis fidem ſancivit: quum reverenter ſuſpicere conveniat quod ſenſus omnes noſtros immenſo ſpatio tranſcendit, perverſo de eo & maligne ex rationis noſtræ modulo judicium fieri. Quare potius id in memoriam veniat quod incredulo populo exprobrat Deus apud Jeſaiam. Nam ut probet ſibi non eſſe difficile, ex paucitate ad quam redacti erant Judæi, producere ingentem multitudinem, jubet eos attendere ad cavernam unde excifi erant, nempe ad Abraham & Saram, à quibus traxerant originem, quos ſolitarios & ſteriles multiplicaverat. Rabini quidam ſuo more divinant quaternos fœtus editos fuiſſe. Quoties enim aliqua in re perplexi hærent, libenter confingunt quicquid placuit, deinde ſomnia ſua pro certis teſtimoniis obtrudunt: ſtulte quoque & importune diſputant, ſecundum phyſicam rationem id eſſe probabile. Hos quoque nonnulli ex noſtris parum conſiderate imitati ſunt, dum contendunt experientiæ eſſe conſentaneum quod ſcribit Moſes, quia non multum abſimilis ſit quarundam gentium fœcunditas. Inſigoibus quidem exemplis confirmari interdum cernimus quod in Pſalmo traditur, Deum locare famelicos in deſerto, qui illic ædificent urbes, ſerant vites ac ſeminent triticum, ac multiplicentur valde: ſicuti rurſum terras habitabiles in deſerta convertit & incolis nudat: ſed conſilium Moſis eſt, docere, nullam fuiſſe unquam fœcunditatem quæ non inferior eſſet incrementis populi Iſraël. Atque huc pertinet comparatio inter animas ſeptuaginta, & multitudinem quæ inde profluxit, ut hæc Dei benedictio ab aliis omnibus ſeparetur: deinde verborum congeries, quæ proculdubio ad amplificationem valet, quod fructificaverint, multiplicati ſint, creverint & roborati ſint ſupra modum, ut replerent terram. Nam repetitio adverbii Meod Meod, copiam minime uſitatam notat. Quod in verbo שרץ nonnulli metaphoram eſſe volunt à piſcibus ſumptam, non reprehendo: neſcio tamen an ſatis firmum ſit, quia generaliter pro quavis multiplicatione capitur.

Iſa. 51. verſ. 1.

Pſal. 107. verſ. 37.

8. Surrexit autem rex novus ſuper Ægyptum, qui non noverat Joſeph:

9. Dixitque ad populum ſuum, Ecce, populus filiorum Iſraël multus & robuſtus præ nobis.

10. Agedum, prudenter nos geramus erga illum, ne multiplicetur: ne accidat, ſi obvenerit bellum, jungatur ipſe quoque hoſtibus noſtris, & pugnet contra nos, aſcendatque è terra.

11. Conſtituerunt igitur ſuper illum præfectos vectigalium, ut affligerent illum oneribus ſuis: extruxeruntque urbes * munitas Pharaoni Pithom & Rhameſes.

* vel, *reædificandas annona.*

8. *Surrexit autem rex novus.*] Quum centum anni & plures feliciter tranſacti eſſent in libera quiete, mutari cœpit in deterius electi populi conditio. Exordium autem calamitatum Moſes ab æmulatione & invidia, falſoque Ægyptiorum metu fluxiſſe narrat: quia ſibi periculum à gente extera impendere finxerint, niſi eam mature opprimerent. Verum antequam illuc deſcendit, præfatur, beneficii quod à Joſeph acceperant deletam fuiſſe memoriam: quæ ſi viguiſſet, poterat truculentiam aliquatenus mitigare. Credibile autem eſt, modeſtia Joſeph factum eſſa ut oblivio hæc obruerit gratiam illi debitam: quia ſi magna ſuis privilegia poſtulaſſet atque à tributis & vectigalibus immunitates, multis ſeculis celebris fuiſſet fama, ſalutem ab homine Iſraëlitico regioni fuiſſe allatam. ſed apparet contentum fuiſſe humano boſpitio, ut commode & ſine moleſtia fratres ſui habitarent in terra Goſen: quia ſcilicet inquilinos eſſe voluit donec veniret tempus liberationis. Atque optime eorum ſaluti hoc modo proſpexit, ne talibus illecebris capti, exitiales laqueos induerent. Sed quo mious invidiæ & querimoniis obnoxia fuit ſancti viri moderatio, eo minus excuſabilis eorum ingratitudo, dum paulo poſt ſeculum unum obliviſcuntur rei tam memorabilis: quæ publicis tabulis conſignanda paſſim fuerat, nequaquo intercideret nomen Joſeph. Non ferenda igitur impietas, quod ejus cognatis & poſteris apud ſe peregrinari non concedunt, quibus, poſt Deum, vel ſub Dei manu & auſpiciis, ſuam & tertæ ſalutem adſcribere debuerant. Sed hic morbus ſemper fere in muodo graſſatus eſt. ac nobis certe expedit malam ſemper mercedem ab hominibus rependi beoefactis, ut diſcamus in officiis præſtandis Deum unum reſpicere: quia alioqui vel ad conciliandum nobis favorem & plauſum, vel ad captandas terrenas utilitates plus æquo ſumus addicti. Quanquam non vulgare fuit præmium quod ultra centum anoos liberaliter habiti ſunt in gratiam Joſeph Iſraëlitæ, ut in gente ſuperba, avara & crudeli commode viverent. Cæterum, quicquid accidat, ut non ſolum compenſatione omni fraudemur, ſed conſpirent in noſtram pernicicm multi de quibus bene meriti erimus, nunquam recte feciſſe nos pœniteat. Interea diſcamus nihil efficacius eſſe ad cohibendam nocendi libidinem conjunctionis vinculis, quibus nos Deus mutuo adſtringit. Etſi autem apud omnes evanuerat gratia Joſeph, probrum tamen ac crimen ingratitudinis præcipue in regem confertur: cui pluſquam turpe fuit ignorare cujus induſtria & opera tam uberem quotannis proventum perciperet. Nam quum agrorum fundos emiſſet ſanctus Patriarcha, inde regi annuum tributum acquiſierat quintam frumeoti partem. Verum ita ſolent tyranni quicquid illis penditur ingurgitare, neglecta juris ſui inquiſitione.

9. *Dixitque ad populum.*] Nempe in conventu ſolenni, quales à regibus haberi ſolent, ubi de publico ſtatu conſultandum eſt. Quaſi diceret Moſes cæput hoc deliberationis apud ordines propoſitum à rege fuiſſe: nempe, quia timendum ſit ne filii Iſraël multitudine ſua & robore freti inſurgant, res novas moliantur, ac ſi quid turbatum ſit, excuſſo jugo Ægyptum relinquant, prævenicndos eſſe, ac premendos duris oneribus, ne quid tentare audeant. Hoc vocat Pharao, prudenter ſe gerere. Etſi enim verbum חכם ſæpe in malam partem ſumitur, pro Callide circumvenire: hic tamen honeſto titulo quam ſtatuit inferre iojuriam Pharao præteait: prudenter diſpiciendum eſſe, ne ſua ignavia vel ceſſatione Ægyptii grave ſibi damnum accerſant. Fuit quidem hoc vulgare apud profanas gentes, in capiendis conſiliis pluris eſſe honeſtum quam utile: ſed ubi ad rem ventum eſt, omnes fere ita excæcat cupiditas ut præterito boneſti reſpectu, ad ſua commoda ferantur præcipites. Adde quod ex utili faciunt neceſſarium: deinde ſibi perſuadent, rectum eſſe quicquid ſuſcipere coguntur. In promptu enim occurrit & facile decipit ſpecioſus ille ſed fallax color, ubi aliquid imminet periculi, obviam eundum eſſe. Sceleſtis quidem & deploratis tribuitur apud tragicos Poëtas vox iſta deteſtabilis, occupandum eſſe ſcelus: quia

quia natura dictat id injuſtum eſſe ac præpoſterum. Sed hæc vulgo optima videtur eſſe cavendi ratio, ut neminem providum cenſeant, niſi qui ſecuritati propriæ cum alterius damno, ſi ita res ferat, conſulit. Ex hoc ſoote manant fere bella omnia: quia, dum quiſque Principum ſibi à vicinis metuit, hæc trepidatio impellit eum in horrorem, ut terram humano ſanguine opetire non dubitet. Hinc & inter privatos fraudandi, cædendi, rapiendi, mentiendi licentia: quia nimis ſero repelli injurias putant, niſi dum quiſque antevertit. Atqui hæc nimis improba eſt calliditas (licet fucoſa providentiæ ſpecie tegatur) ut nobis bene ſit, iniquè aliis moleſtos eſſe. Hunc vel illum metuo, quia & facultas nocendi ſuppetit, & de ejus animo ſum incertus: itaque ut ſecurus ſim ab omni noxa, quacunque potero arte illum opprimere conabor. Nempe contemptiſſimus etiam quiſque & maxime imbecillis, ſi ad maleficium inclinet, erit armatus in noſtram perniciem: ac proinde de majori hominum parte dubitabimus. Si ita ſuæ diffidentiæ omnes indulgeant, dum pro ſe quiſque machinabitur dubiis boſtibus aliquid injuriæ, nullus erit ſcelerum modus. Quare immodicis curis & anxietatibus, quæ ab æquitatis ſtudio nos abſtrahunt, opponenda eſt Dei providentia: in quam ſi recumbimus, nullus unquam periculi timor ad iniquum facinus aut vafram conſultationem nos impellet. In verbis Pharaonis omnia contraria: nam ubi admonuit, Iſraëlitas, ſi velint, poſſe damnum inferre, ſuadet vires eorum quovis modo eſſe frangendas. Neque enim quæritur fas ſit nec ne, ubi ſemel ſtatutum eſt proſpicere ſuis commodis, vel otio, vel ſaluti.

Ecce, populus.] Non raro contingit, Dei benedictionibus quaſi aculeis pungi ad æmulationem improborum animos, imo quaſi flabellis eorum rabiem accendi. Neque tamen ideo vel minimum divini favoris teſtimonium minus amabile nobis eſſe debet, quia occaſio ſit improbis in nos gravius ſæviendi. Atque ita conſulto ſuam liberalitatem Deus temperat, ne ſimus terrenæ proſperitati nimium affixi. Ita Jacob ex domo patris & hæreditate promiſſa in exilium ejecit benedictio, ex qua pendebat tota ejus felicitas: ſed hoc uno ſolatio lenivit ſuos dolores, quod ſciret Deum ſibi eſſe propitium. Ita & poſteri, quo Deum magis beneficum experti ſunt, eo inſeſtiores ſenſerunt Ægyptios. Pharao autem, ut eos reddat exoſos vel ſuſpectos, eorum potentiam in medium proferens, eos inſimulat defectionis, cujus nullum ſignum dederant. Neque tamen eos dicit fore rebelles, ut imperium armis occupent: ſed ut alio migrent. Unde conjicere licet, ſpem quam de reditu fecerat Deus, non diſſimulaſſe. Hæc autem viſa eſt plauſibilis excuſatio, minime æquum eſſe, ut qui ſponte conceſſerant in fidem regis, liberi dimitterentur: ſicuti etiam commemorat Jeſaias. Jeſa. 52. verſ. 4.

11. *Conſtituerunt igitur.*] Hoc remedium Ægyptii excogitarunt atterendis paulatim filiis Iſraël. Subditi ſunt: licet igitur vectigalium oneribus eos gravare, ne caput attollant: hæc ſervitus eos debilitabit & imminuet. Verum ſubjectio non eouſque trahenda erat, ut innoxiis hominibus, quibus conceſſa fuerat libera habitatio, nova tributa imponerent. Erat enim primo loco conſiderandum qua lege fuiſſent admiſſi. Fuit igitur jam per ſe iniqua exactio, qua violavit Pharao datam fidem: ſed io fine gravius peccatum, quod lucrum non ſimpliciter quæſivit, ſed voluit affligere onerum gravitate miſerum populum. Nec vero ad pendendum modo tributum coacti ſunt Iſraëlitæ, ſed ad ſerviles operas, ut continuo poſt addit Moſes. Quantum ad duas urbes ſpectat, quo ſenſu vocentur Miſcenoth, dubium eſt. Accipitur hoc nomen interdum pro cellis & horreis, vel reconditoriis omnium rerum quæ ad annonam neceſſariæ ſunt: verum quia aliquando munitiones quoque ſignificat, non male conveniet ſenſus, clauſtra ſuis manibus extruere juſſos eſſe, quæ eos arcerent ab exitu. Nam Rhameſes fuiſſe in illa parte regionis ſitam conſtat ex pluribus locis, & poſtea videbimus filios Iſraël ex Rhameſes profectos eſſe. Gen. 47. verſ. 11. Exod. 12. verſ. 37. Num. 33. verſ. 3.

12. Quo autem magis premebant eum, magis creſcebat & augebatur: & anxietate conſtricti ſunt propter filios Iſraël.

13. Itaque adegerunt in ſervitutem filios Iſraël cum ſævitia.

14. Proinde amara illis fuit vita ipſorum in ſervitute dura, in cæmento, in lateribus, & in omni opere agreſti: quia ſervitium omne eorum quo ſerviebant illis, erat cum ſævitia.

12. *Quo autem magis.*] Conflictum narrat Moſes inter Dei gratiam & crudelitatem regis Ægyptii. Quum ergo tyrannice vexarentur miſeri Iſraëlitæ, Deum illis opitulaturn fuiſſe dicit, & quidem ita potenter ut prævaluerit ejus auxilium. Ita fruſtratus eſt improbum illud & fraudulentum conſilium, quod de Eccleſia delenda inter ſe Ægyptii ceperant. Unde & ſpes nobis concipienda eſt, quicquid in nos moliantur impii, fore irritum, quia ſuperior & victrix erit Dei manus. Sed nobis patienter ferendæ ſunt afflictiones, quia Deus nos contra pondus nobis impoſitum vult eniti & aſſurgere. Quia vero proprium Dei munus eſt ſe opponere injuſtis conſiliis, ut ſucceſſu careant: diſcamus ab omni fraude & violentia nos abſtinere, ne Deum quaſi data opera provocemus. Sed hic locus præcipue ad piorum conſolationem valet, ut æquiore animo ad crucis tolerantiam ſint parati: quia inſtructus eſt Deus ad ferendas ſuppetias, quibus impiorum furorem demum cedere neceſſe erit. Quod dicit ſecunda parte verſus, anxios fuiſſe Ægyptios, ſignificat magis ac magis ſollicitos fuiſſe, quum nihil ſe proficere viderent: quia inopinata multiplicatio majus diſcrimen minitabatur. Nam quum eos prius metuerent quibus nihil fecerant injuriæ, non mirum eſt eos trepidare ne lacceſſiti vicem rependant. Atque hinc utilis colligitur doctrina, dum per horrenda maleficia graſſantur ſcelerati, quo ſibi tranquillitatem acquirant, hanc demum juſtiſſimam illis mercedem divinitus rependi, ut major eos anxietas excruciet. Quidam vertunt, Ægyptios abominatos fuiſſe populum Iſraëliticum: & ita apud Hebræos interdum ſumitur verbum קוץ: verum circumſtantia loci ſenſum quem reduci poſtulat.

13. *Itaque adegerunt in ſervit.*] Docet Moſes adeo metu non fuiſſe ad clementiam flexos, ut magis obduruerint, & ſtimulati fuerint ad majorem immanitatem. Neque enim ſentiunt impii, dum illis infeliciter cedunt perverſi conatus, Deum ſibi eſſe adverſum: &, ſiquando tangantur hac cogitatione, cæcus tamen amentiæ impetus eos raptat? ut non dubitent, vel repugnante Deo, obſtinata libidine perrumpere: ſicut ex hiſtoriæ progreſſu melius liquebit. Rigor exactionum exprimitur, ubi dicit oppreſſis amaram fuiſſe vitam, qua nihil eſt dulcius. Extremas igitur & intolerabiles miſerias fuiſſe apparet, quæ vivendi tædium attulerint. Hoc idem aliis verbis confirmat: ſpecies etiam onerum commemorat, quod miſcendo cæmento, conficiendis lateribus, aliiſque ſimilibus ſervitiis addicti fuerint. Bis autem repetit, fuiſſe tractatos cum ſævitia: quod tantundem valet ac duriter.

15. Dixit

15. Dixit etiam Pharao rex Ægypti ad obſtetrices Hebræas, quarum unius nomen erat Sephera, alterius Puäh.

16. Sic dixit, Quando adjuvabitis ad partum Hebræas, & videbitis in illis quod ſit maſculus, interficite eum: ſi autem ſit fœmina, vivat.

17. Timuerunt vero obſtetrices Deum, nec fecerunt ſicut præceperat illis rex Ægypti: conſervaruntque maſculos in vita.

18. Et vocans Pharao obſtetrices, dixit illis, Quare feciſtis rem hanc, & ſervaſtis maſculos?

19. Reſponderunt obſtetrices Pharaoni, Quia non ſunt Hebrææ mulieres ut Ægyptiæ: ſunt enim vegetæ, & priuſquam veniat ad eas obſtetrix, pariunt.

20. Benefecit ergo Deus obſtetricibus: & multiplicatus eſt populus, & roborati ſunt vehementer.

21. Et factum eſt, quia timuerunt obſtetrices Deum, fecit illis domos.

22. Tunc præcepit Pharao cuncto populo ſuo, dicens, Omnem natum maſculum in flumen projicite: omnem vero fœminam vivam ſervabitis.

15. *Dixit etiam Pharao.*] A vi & truculentia aperta, quæ nihil profuit, nunc deſcendit tyrannus ad occultas fraudes & inſidias. Fœtus enim ex utero prodeuntes jubet clam interfici: atque obſtetricibus mandat ut tam diræ & barbaræ crudelitatis ſint miniſtræ. Nullum tam deteſtabile ſeveritatis exemplum à mundo condito legitur. Contigit, fateor, non ſemel, ut victores urbe aliqua capta, ne pueris quidem & infantibus parcerent: nempe in ipſo pugnæ fervore; & quia nimis pertinax fuerat defenſio, & multos ex ſuis amiſerant, quorum volebant mortem ulciſci. Contigit ut patruus quoque, vel frater, vel tutor, impia regnandi cupiditate ad puerorum cædes impellerentur. Contigit denique in odium tyranni, ut ad delendam familiæ memoriam tota ſoboles interempta fuerit: & eo ſævitiæ quidam progreſſi ſunt contra hoſtes ſuos ut ex uberibus matrum teneros fœtos avellerent. Sed nunquam ab hoſte quantumvis implacabili ita ſævitum fuit contra totam unam gentem, ut in media pace fœtus omnes maſculos extingui juſſerit. Hæc certe fuit tentatio quæ ſummæ conſtantiæ viros graviter concutere poſſet, nedum labefactare debilem populum, quem jam vivere tædebat. Nam primo intuitu putaret quiſque illis fuiſſe utilius & magis optabile, ſubſidere in mediocri vel etiam humili ſtato, quam Dei benedictione provocari in eos tantam hoſtium rabiem. Ac probabile eſt, qua erant animi mollitie, fuiſſe non tantum graviter perculſos, ſed prope obſtupefactos. Hoc enim ſolum reſtabat, ut morientibus viris abſque ſpe ſobolis, paulo poſt intercideret nomen & genus Abrahæ, atque ira omnes Dei promiſſiones in nihilum reciderent. Hodie quia nobis ſimiles fere inſultus ſuſtinendi ſunt, dum objicitur nobis deſperatio, acſi penitus abolenda mox eſſet Eccleſia, opponere inſtar firmi clypei hoc exemplum diſcamus: non eſſe novum ſi propinquus interitus nobis immineat, donec repente & ex inopinato appareat in rebus extremis cæleſte auxilium. Joſephus falſo exiſtimat obſtetrices fuiſſe Ægyptias, quæ ad exploraodum miſſæ fuerint: quum diſerte narret Moſes, miniſtras Hebræis mulieribos & adjutrices fuiſſe ad pariendum. Et ex toto contextu plane refellitur illa divinatio, præſertim quia retentæ fuerunt Dei timore, ne libidini tyranni morem gererent. Unde ſequitur, pietate aliqua fuiſſe ante imbutas. Verum alia quæſtio exoritur, quum ſit veriſimile in tanta multitudine multas fuiſſe obſtetrices, cur duæ tantum nominentur. Duplex afferri poteſt ratio: vel quod duas aggreſſus ſit tyrannus, quæ longius ſpargerent imperii terrorem: vel quod clandeſtina fraude agere inſtituens, duarum animos tentaverit, quarum obſequio ſi potitus eſſet, alias ſperabat eodem facile pertractum iri. Quominus enim palam & omnibus promiſcue mandaret, obſtitit pudor.

17. *Timuerunt Deum.*] Non intelligit Moſes, tunc primum fuiſſe Dei timore tactas: ſed cauſam aſſignat cur non paruerint injuſto mandato, quia ſcilicet pluris apud illas fuit vel prævaluit Dei reverentia. Et certe, ut hoc frenn optime reguntur omnes noſtri affectus, ita & aptiſſimus eſt ad repellendas omnes tentationes clypeus, & firma animorum fultura, ne in periculis vacillent. Porro facinus hoc exhorruerunt non ſolum tanquam crudele & inhumanum: ſed quia vigebat in illarum cordibus ſincerior religio & pietas. Sciebant autem divinitus electum, & reipſa ea pertæ erant benedictum eſſe Abrahæ ſemen: unde ſentire promptum erat, extinguere in ipſo Dei gratiam, ſacrilegæ eſſe impietatis. Jam notanda eſt antitheſis inter timorem Dei & pœnæ formidinem, quæ ipſas ab officio dimovere poterat. Quando non facile patiuntur tyranni contemni ſua imperia, morte ante oculos objecta, puras tamen à ſcelere manus continent. Ita Dei reverentia erectæ & ſuffultæ, Pharaonis mandatum & minas fortiter ſpreverunt. Itaque quos à recto curſu abripit hominum terror, ſua mollitie produnt inexcuſabilem Dei contemptum, ſacroſanctis ejus placitis hominum gratiam præferendo. Latius etiam patet doctrina, multos pluſquam præpoſtere ſapere, dum ſubjectinnis prætextu, præter jus & fas improbæ regum libidini obtemperant, dum alii avaritiæ & rapacitatis, alii crudelitatis ſunt miniſtri: imo, ut caducis mundi regibus gratificentur, Deum pro nihilo ducunt: adeoque puram religionem (quod eſt omnium deterrimum) ferro & ignibus ex profeſſo oppugnant. Quo magis deteſtabilis eſt eorum impudentia, quod dum Chriſtum crucifigunt ſcientes & volentes in ſuis membris, putidam tamen excuſationem obtendunt, ſe ex Dei verbo Principibus ſuis obedire. Quaſi vero Principes ordinando, jus illis ſuum reſignaverit: ac non potius optimo jure in ordinem cogatur terrena quævis poteſtas, ubi in cælum ſe effert. Quando autem hoc tantum captant ut probrum apud homines effugiant ſcelerati obſequii, non longis rationibus coarguendi ſunt, ſed ad mulierum judicium mittendi: quia obſtetricum exemplum abunde ad eorum damnationem ſufficit: præſertim ubi eas ſuo elogio commendat Spiritus, quod regi non obſequutæ ſint quia timebant Deum.

18. *Et vocans Pharao.*] Non æquitate nec clementia ad moderate agendum inductus fuit: ſed quia palam non audebat miſeros & innoxios fœtus ex utero prodeuntes ad trucidationem projicere, ne tanta atrocitas ad ulciſcendi rabiem Iſraelitas accenderet. Clanculum igitur fœminas accerſit, ac interrogat cur non exequutæ ſint quod præceperat de necandis in ipſo partu infantibus. Quanquam non dubium ſeditionis metu fuiſſe cohibitum magis quam pudore. In obſtetricum reſponſo duo vitia notanda ſunt, quia nec ſatis ingenue profeſſæ ſunt ſuam pietatem, & mendacio, quod gravius eſt, elapſæ ſunt. Nam fabula quam excogitant Rabini ad purgandam

carum culpam, repudiandaeſt: non veniſſe in tempore, quia admonuerant omnes mulieres Hebræas de impia regis machinatione: atque ita factum eſſe ut parientibus non adeſſent. Quid enim hac divinatione frigidius? Atqui Moſes ſua narratione mentitus fuiſſe oſtendit. Quidam genus hoc mendacii quod officioſum nominant, volunt reprehenſione carere: quia culpam abeſſe putant ubi nihil fraudis ad nocendum admittitur. Ego autem ſtatuo, quicquid Dei naturæ repugnat vitioſum eſſe: qua ratione damnatur omnis ſimulatio tani in dictis quam in factis, ut ſuſius in Legis explicatione (ſi Dominus tempus conceſſerit) differam. Quare utrumque tenendum eſt, & mentitas fuiſſe duas mulieres, & quia diſpliceat mendacium Deo, peccaſſe. Nam ut in æſtimandis ſanctorum factis dextros humanoſque interpretes eſſe nos decet: ita rurſum in tegendis eorum delictis cavendus eſt ſuperſtitioſus zelus, qui ſæpe in apertam Scripturæ auctoritatem impingit. Neque vero ſiquando lapſi ſunt fideles, fallaci patrocinio levari appetunt, quorum juſtitia in ſimplici & libera culpæ deprecatione conſiſtit. Nec obſtat quod bis laudatur in illis Dei timor, & ipſas Deus remuneratus eſſe dicitur: quia Deus, ut paterne indulget ſiliis ſuis, eorum virtutes, quamvis aliqua ſordium mixtura inquinatas, in pretio nihilominus habet acſi puræ eſſent. Nullum quidem ita abſolutum eſt opus cui non adhæreat aliquid maculæ: ſed in quibuſdam id clarius apparet. Fide impulſa fuit Rachel ut jus primogenituræ transferret in filium Jacob. Pium certe deſiderium, & conſilium laude dignum, ad oraculi effectum ardenter eniti: neque tamen aſſtutiam & dolum laudabimus, quibus vitiari poterat tota actio, niſi gratuita venia interceſſiſſet. Plena eſt talibus exemplis Scriptura, quæ excellentiſſimum quodque opus particulari interdum vitio aſperſum fuiſſe docent. Talibus autem nævis, qui alioqui fœdarent omnes fere virtutes, Deum pro ſua indulgentia ignoſcere mirum non eſt, ac mercede ornare quæ laude atque etiam favore indigna erant opera. Ita quum puſillanimes in ſuis verbis ac nimis timidæ fuerint mulieres, quia tamen reipſa cordate & viriliter egerant, vitium quod merito damnaſſet, in illis toleravit Deus. Hac doctrina additur nobis alacritas ad recte agendi ſtudium, quando tam benigne infirmitatibus noſtris Deus parcit: & ſimul monemur, ſumma attentione cavendum eſſe ne ubi recte agere cupimus, aliquid obrepat vitii quod virtutem obſcuret, adeoque contaminet: ſicuti non raro accidit, ut qui in rectum finem tendunt, claudicent tamen vel impingant, & aberrent à via. Denique quiſquis ſe probe examinabit, in optimo etiam conatu defectum aliquem reperiet. Porro quod Deus præmium rependit, hoc proſpero ſucceſſu ad fiduciam animemur, ne pro officii noſtri fide peritati robis grave ſit. Nec certe nos terrebit ullum diſcrimen, ſi modo hoc penitus cordibus noſtris inſideat, quamvis odium in mundo pariat beneficentia, Deum tamen ſedere in cælo ejus remuneratorem.

21. *Fecit illis domos.*] De mulieribus exponi, mihi nullo modo placet: ac miror in re non dubia tam craſſe hallucinatos fuiſſe multos interpretes. Inter omnes convenit maſculini generis eſſe pronomen: idcoque ſecundum communem uſum referri ad viros debere: ſed quia viciſſim inter ſe mutantur duæ literæ ם & י, uno contextu totum verſum putarunt ad mulieres ſpectare. Atqui nulla cogebat neceſſitas: quando optime fluit oratio, auctos fuiſſe Iſraelitas & valde creviſſe, & quia timuerunt Deum obſtetrices, feciſſe illis domos, nempe Iſraelitis: acſi diceret, mulierum pietate adeptos eſſe felicem propagationem. Et quia nonnulli ex falſa interpretatione vix poſſe commodum ſenſum elici videbant, finxerunt Dei inſpiratione extructas illis fuiſſe domos bene munitas à populo, ubi tutæ eſſent ab hoſtili incurſu. Quo figmento nihil eſt magis puerile. Verum ne in re non admodum perplexa fruſtra ſe torqueant lectores, videndum eſt quid apud Hebræos valeat hæc loquutio, Domum facere. Quum promittit Deus ſe facturum Samueli domum fidelem, non dubium eſt quin firmum Sacerdotii ſtatum deſignet. Quum alibi ſe pronunciat domum ædificaturum Davidi, & paulo poſt in precatione Davidis legitur, Domine, tu in aurem ſervi tui revelaſti quod domum facturus mihi eſſes: certe intelligitur regia dignitas. Atque ita vulgo loquutos fuiſſe, ex ſermone Abigail conſtat, ubi ſe ſcire dicit Deum facturum Davidi certam ac ſtabilem domum. Id certe in ſexum muliebrem non competit, ſicuti neque nomen, ut fœmina caput familiæ efficiat. Unde apparet violenter torqueri verba, ſi dicamus Deum feciſſe obſtetricibus domum. Toti autem populo aptiſſime conveniet, quod à Deo fuerit multiplicatus, ut inſtar perfecti ædificii conſurgeret ad ſuam altitudinem. Summa eſt, quod ſalvi & ſuperſtites fuerunt Iſraelitæ, imo quod floruerunt, id duarum mulierum opera eſſe factum: quo melius eluceat Dei gloria, qui tam mirabiliter per infirma organa ſuos ſervavit, quia minimum abfuerant ab interitu. Ponit autem Moſes domos numero plurali, quia per ſingulas familias prole ſuboleſcente ædificatus eſt populus.

I Sam. 2. verſ. 35. 2 Sam. 7. verſ. 27. 1 Sam. 25. verſ. 28.

22. *Tunc præcepit Pharao.*] Niſi correptus amentia fuiſſet ac cæcitate percuſſus, ſenſiſſet adverſam ſibi eſſe Dei manum. Sed ubi ſemel reprobi in furorem divinitus conjecti ſunt, obſtinate pergunt in ſuis maleficiis: neque id modo, ſed majore audacia, ut vertiginoſi vel phrenetici, adverſus quæ vis obſtacula perrumpunt. Eſt quidem hoc uſitatum ut crudelitas innoxio ſanguine imbuta majorem ſitim colligat, imo in genere, ut ſcelerati homines quaſi ſuo curſu incitati magis ebulliant (ita illis nullus eſt peccandi finis vel modus) ſed hic nobis in tam deſperata rabie conſideranda eſt Dei ultio, quod tyrannum diabolo præcipitandum dederit: deinde tam probandæ ſuorum patientiæ quam virtutis fuæ illuſtrandæ conſilium. Quia inſidiis & occulta fraude nihil profecit, jam excuſſo timore ad vim apertam profilit, & teneros fœtus raptari jubet ab uberibus & ſinu matrum, & flumine ſubmergi. Nec deſint carnifices, omnibus Ægyptiis, quos ſciebat plus ſatis eſſe propenſos, has partes injungit. Fœminis parcit, ut Ægyptiis mancipatæ & addictæ ſervos dominis pariant: quia per eas ſalvum non poterat ſtare genus ac nomen. Hic temporis noſtri ſimilitudinem expendere operæpretium eſt. Antichriſtus enim cum ſuis omnibus ſicariis, eos qui perfido ſilentio Chriſtum abnegant, & parati ſunt ſerviliter omne impietatum genus amplecti, quietos ſinit: nec nunc ſuam crudelitatem, quamvis ſit inſatiabilis, exercet ubi nihil cernit virile: atque ubi effœminatos jacere videt quibus ad fidem profitendam aliquid fuerat animi, quaſi voti compos exultat & triumphat. Atqui nobis ſatius eſt centies interfici, & retinere in morte maſculam virtutem, quam vitam redimere, in qua turpiter diabolo ſervimus.

Caput II.

Caput II.

ABierat autem vir ex domo Levi, & acceperat filiam Levi.

2. Concepit autem mulier illa, & peperit filium: videnſque eum eſſe pulchrum, abſcondit tribus menſibus.

3. Et quia illum abſcondere amplius non poterat, accepit ei arcam arundineam, & oblevit eam bitumine & pice, & repoſuit in ea infantulum; expoſuitque in carecto, juxta ripam fluminis.

4. Stetit vero ſoror ejus eminus, ut cognoſceret quid ei fieret.

5. Porro deſcendit filia Pharaonis ut lavaret ſe in flumine: (deambulabant autem puellæ ejus ſecus ripam fluminis) & videns arculam in medio carecti, miſit ancillam ſuam quæ illam tolleret.

6. Quumque aperuiſſet, vidit ipſum infantulum: & ecce, puer flebat: & miſerta illius, dixit, Hic ex pueris Hebræorum eſt.

7. Tunc dixit ſoror ejus ad filiam Pharaonis, Ibone ut vocem tibi mulierem nutricem ex Hebræis, quæ tibi lactet infantulum?

8. Reſpondit ei filia Pharaonis, Vade. Profecta eſt igitur puella, & vocavit matrem pueri.

9. Cui filia Pharaonis dixit, Tolle infantulum hunc, & lacta eum mihi, & ego dabo tibi mercedem. Tunc accepit mulier infantulum, & lactavit eum.

10. Crevit autem infantulus, & adduxit eum ad filiam Pharaonis, cui factus in filium: & vocavit nomen ejus Moſeh, dicens, Quoniam ex aquis extraxi eum.

1. *Abierat.*] Tempus verbi pluſquam perfectum reddere malui, tollendæ ambiguitatis cauſa. Niſi enim dicamus Mariam & Aharon ex alia matre natos, veriſimile alioqui non eſſet conjugium hoc à promulgatione edicti fuiſſe contractum. Jam ad triennium pervenerat Aharon quum natus eſt Moſes: & palam & ſecure fuiſſe educatum facile conjicitur. Atqui dubium non eſt quin ſævitum atrocius fuerit inter principia. Quare ſi uterini fuerunt fratres, non aliud reſtat niſi ut dicamus κατ' ἔπαρσιν ὑφίστασθαι nunc demum narrari quod ante acciderat. Solius autem Moſis fit mentio, quia tunc primum capitale eſſe cœperat maſculos fœtus alere. Abeundi aut proficiſcendi verbo utuntur Hebræi dum negotium ſerium & majoris momenti ſuſceptum fuiſſe ſignificant, vel dum agitur de re aliqua meditata. Nec ſupervacuum eſt quod narrat Moſes, patrem ſuum duxiſſe uxorem ex tribu ſua: quia duplex conjunctionis vinculum eos debuerat ad ſobolem ſervandam confirmare. Paulo poſt autem videbimus quam timide egerint. Puerum ad tempus breve occultant, rapido amoris impetu magis quam conſtanti affectu. Tribus elapſis menſibus, poſtquam evanuit fervor ille, ut diſcrimen effugiant, puerum fere abjiciunt. Etſi enim ejus lactandi cauſa, ſi illic peroctaſſet, poſtridie forſan ventura erat mater: pro derelicto tamen eum innumeris noxis expoſuerat. Hoc exemplo docemur quanto terrore perculſi fuerint omnium animi, ubi vir & uxor propinqua cognatione inter ſe devincti, communem fœtum, cujus pulchritudo eos ad miſericordiam flexerat, ferarum, cæli, aquæ, & omne genus injuriis objicere maluit quam una cum eo perire. Cæterum de hoc facto diſputatur in utramque partem: ſatiusne fuerit à ſe rejicere pueri curam quam expectare quicquid ex occulta cuſtodia inſtabat diſcriminis. Fateor quidem, ſicuti in rebus perplexis difficile eſt rectum conſilium capere, ita de eo quod captum eſt, diverſa ſolere ferri judicia. Ego tamen timiditatem parentum Moſis, qua illis inducta eſt officii ſui oblivio, perperam dico abſolvi. Tantam videmus divino inſtinctu feris quoque & brutis animalibus inditam ſobolis ſuæ tuendæ & fovendæ ſollicitudinem, ut mater propriam vitam pro fœtus ſui defenſione ſæpe negligat. Quo turpius eſt homines ad imaginem Dei creatos, metu ad eam immanitatem adigi ut liberos fidei ſuæ tutelæque commiſſos deſerant. Qui obtendunt, nihil fuiſſe melius quam in re deſperata recumbere in Dei providentiam: neque nihil, neque totum dicunt. Solatium præcipuum eſt fidelibus, ſollicitudines ſuas exonerare in Dei ſinum: nempe ut interea munus ſuum exequantur, neque fines ſuæ vocationis excedant, neque deflectant à via ſibi propoſita. ſed perverſe obtenditur Dei providentia ceſſationi & ignaviæ. Potius ſperare debuerant in futurum tempus Moſis parentes ſuam & pueri ſalutem Deo fore curæ. Magna ſedulitate confecit mater arcam, & oblevit: quorſum? niſi ut in ea filium ſepeliret? Semper quidem de ipſo eſt ſollicita, fateor, nempe ut ridiculum ſit ejus conſilium, quod profectu caruiſſet, niſi præter opinionem è cælo Deus apparuiſſet deploratæ ſalutis vindex. Neque tamen, ut in rebus tranquillis, judicium tam de patre quam de matre ferendum eſt. Conjicere enim promptum eſt quam acerbo luctu proſequuti ſint infantis funus. Imo (ut verius loquar) vix concipere licet quam diris tormentis cruciati fuerint. Itaque ubi narrat Moſes arculam à matre contextam & aptatam fuiſſe, patrem ita mœrore fuiſſe obrutum ſubindicat ut nullis jam partibus ſufficeret. Hoc modo clarius patefacta fuit Dei virtus, ubi ſola mulier, exoinato marito, in ſe recepit totum onus. Neque enim, ſi commune fuiſſet factum, Moſes ejus laudem matri in ſolidum tribueret. Maritum quidem Apoſtolus ſocium laudis adjungit: & merito, quia veriſimile non eſt niſi eo conſcio & volente educatum fuiſſe puerum. Verum Deus qui ſolet infirma mundi eligere, fœminam potius quam virum Spiritus ſui fortitudine inſtruxit, ut præiret. Eadem etiam ratio valet in puella ſorore, cui mater ſummum & ultimum actum reſignat. Ita dum Maria, quæ ob teneram ætatem exempta eſſe à diſcrimine videbatur, cuſtos præficitur vitæ fratris, utriuſque parentis officium deficere apparet. *Hebr.* 11. *verſ.* 23.

2. *Videnſque eum eſſe pulchrum.*] Non dubium eſt hac forma divinitus fuiſſe inſignitum, quæ animos parentum ad eum ſervandum magis alliceret: ut interdum ſolet Deus ubi ſuos videt eſſe ad officium tardiores, eorum pigritiem blanditiis excitare. Quanquam ex teſtimonio Apoſtoli conſtat, non hanc ſolam illecebram valuiſſe ad provocandam miſericordiam: ſed imbecillæ fidei fuiſſe adminiculum. Fide enim Moſen cuſtoditum fuiſſe docet à parentibus. Siquis objiciat fidem & pulchritudinis reſpectum, res eſſe non tantum longe diverſas, ſed prope contrarias: reſpondeo, mirabili Dei indulgentia factum eſſe ut fidem juvaret impedimentum quod eam obnubi-

nubilare poterat: quando in ſolas promiſſiones intenta & fixa eſſe debet. Ergo ſi pura & liquida luxiſſet fides in eorum cordibus, formam nihil morati eſſent. rurſum, niſi promiſſio viguiſſet, imo primas tenuiſſet, non erat in corporis venuſtate tantum efficaciæ ut eos traheret ad mortem libenter oppetendam. Sequitur ergo, quum bene de redemptione ſibi promiſſa ſperarent, animum illis objecta pulchritudine fuiſſe additum, & ita provocatos ad miſericordiam ut remoras omnes vincerent. Atque ita ſæpe operari ſolet Deus, ut ſuos quaſi cæcos in tenebris manu ducat, ubi deſtituti conſilio & animis liquefacti vacillant. In ſumma, amor ex forma elicitus adeo pars fidei non fuit ut merito ejus laudem obſcuret. Verum Deus, qui pro mirifica ſua ſapientia converteret electis omnia poteſt in bonum, nutantem eorum fidem ſuſtinuit ac firmavit hac fultura.

4. *Stetit vero ſoror ejus.*] Hanc fuiſſe Mariam probabile eſt. Quod autem ſtationem ſibi elegit ad expectandum rei eventum, hinc apparet ſpem aliquam fuiſſe reſiduam parentibus: quanquam ea exigua fuit. Nam quiſquis illuc ex Ægyptiis appuliſſet, futurus haud dubie erat pueri carnifex, tam ex regis edicto, quam ex communi odio gentis adverſus Hebræos. Videtur ergo locata in excubiis fuiſſe Maria à parentibus, magis ut ſpectatrix eſſet fraternæ cædis, quam ut pueri ſaluti conſuleret. Verum quia paulo ante vidimus in tenebris triſtitiæ & deſperationis micuiſſe fidei ſcintillas, mater filiolum in ripa deponens, non abjecit ejus curam, ſed obvii cujuſque miſericordiæ commendare eum voluit: hac de cauſa filiam procul ſtatuit, ut novum conſilium ex eventu caperet. Nam ſi audiſſet ad noctem uſque puerum illic jacere, clam ad eum lactandum veniſſet. Atque hæc quidem deliberatio, ut in rebus perplexis & confuſis, evanida fuit: ſed Deus mirabiliter in ſervando puero manum ſuam exeruit. Nec enim dubium eſt quin occulta providentia filiam regis traxerit ad flumen, quæ puerum alendum ſuſcipere nuderet: atque etiam ad clementiam flexerit ejus animum, ut parceret ejus vitæ: totam denique hanc actionem gubernaverit. Nam quod non inquirit diligentius quibus parentibus progenitus ſit puer, unde nutrix tam ſubito ſe offerat: (quia promptitudo illa merito ſuſpicionem facere poterat) tantæ hujus facilitatis Deum fuiſſe auctorem, pii omnes fatebuntur. Ita quod emeſſit puer ſalvus ex arcula, non ſine pluribus miraculis factum eſt. Fortuito acciditſſe omnia dicerent profani: quia perverſus error mentes eorum occupat, ut ad conſpicua Dei opera cæcutiant, dum putant caſu temere verſari genus humanum. Nobis vero principium illud tenendum eſt, quum Deus ſua providentia cunctos mortales regat, peculiari tamen cura electos ſuos dignari, & ad eos liberandos & fovendos intentum eſſe. Quod ſi prudenter ſingula expendimus, facile ratio dictabit, ejus ductu & auſpiciis, arcanoque Spiritus inſtinctu diſpoſita fuiſſe omnia quæ ad Moſis liberationem facerent. Neque enim minus abſurdum eſt tam concinnam ex vario & multiplici adjumentorum concurſu moderationem fortunæ adſcribere, quam fingere cum Epicuro mundum ex atomis conflatum. Certe Moſen, qui futurus erat populi redemptor, quaſi à ſepulchro eduxit, ut probaret exordium ſalutis Eccleſiæ eſſe veluti creationem ex nihilo. Hoc etiam ad divinæ liberalitatis cumulum acceſſit, quod non modo permiſſum matri fuit impune filium lactare, ſed data etiam fuit merces.

10. *Crevit autem infantulus.*] Hic vero jam renovatur mœror, quod Moſen à ſe iterum abdicare coguntur parentes, atque ita à viſceribus ſuis avelli. Hac enim lege tunc Moſes in gentem Ægyptiacam tranſiit, ut non modo alienus eſſet à gente ſua, ſed uno capite augeret hoſtium numerum. Et certe credibile vix erat poſſe diu tolerari in aula tyranni, & inter ſæviſſimos Iſraëlis inimicos, quin ſe profiteretur ejuſdem odii ſocium. Scimus quibus corruptelis ſcateant aulæ: quanta fuerit Ægyptiorum ſuperbia, ſatis notum eſt: quam proclive ſit optimas etiam qualſque naturas deliciis falcinari, experientia docet: quo magis mirum eſt, Moſen ubi in illos gurgites demerſus fuit, rectum integrumque tamen perſtitiſſe. Certe hic ſpes redemptionis iterum potuit quaſi novam eclipſin pati, quia in contrariam partem averſus erat curſus: ſed ita Dei providentia, quo magis videtur per obliquos flexus ſe circumagere, eo tandem mirabilior apparet, dum à recto fine nunquam aberrat, aut caret ſuo effectu, ubi matura eſt opportunitas. Quanquam Deus quaſi extenta manu ſervum ſuum ad ſe & Eccleſiæ corpus retraxit, ubi in nomine ſuggeſſit originis ſuæ memoriam. Neque enim filia regis ſine præeunte Dei Spiritu nomen hoc indidit: unde cognoſceret Moſes ſe fuiſſe extractum è fluvio ubi mox periturus erat. Quoties ergo nomen ſuum audivit, recordari oportuit ex quo populo eſſet genitus. Acriore etiam ſtimulo pungi debuit, quum omnibus paſſim res nota eſſet. Minime quidem id ſpectavit filia regis, quæ potius ſepultam eſſe generis memoriam optaſſet: verum Deus qui verba dictavit ac formavit aſinæ Balaam, idem impulit linguam hujus fœminæ ut celebri præconio teſtis foret ejus rei quam maluiſſet eſſe incognitam: & quamvis Moſen veller apud ſe retinere, directrix tamen eidem eſſet ac magiſtra ad repetendum genus ſuum. Jam ſi quis miretur quod patris iracundiam non fuerit verita, quaſi monumentum ſtatuendo violatiedicti: facilis reſponſio eſt, nullam tyranno fuiſſe cauſam offenſionis, qui libenter tuliſſet multa ſibi naſci mancipia, abolito Iſraëlis nomine. Quorſum enim fœminis conceſſerat vitam, niſi ut ex ancillis naſcerentur Ægyptii? Et quia Moſen duxit hoc loco, non putavit filiæ facto violatum ſuum edictum: quin potius gaviſus eſt ſic imminui gentem Iſraëliticam ut creſceret Ægyptus numero hominum. Tantum reſtat una quæſtio, qui venerit in mentem filiæ Pharaonis nomen Hebraicum Moſi imponere, quum certum ſit ex Pſalmo magnum inter duas illas linguas fuiſſe diſſidium. Venit populus meus in Ægyptum: linguam quam non noverat, audivit. Adhæc, ſcitur Joſeph interprete fuiſſe uſum apud fratres, dum ſe Ægyptium ſimulabat. Probabilis eſt conjectura, vocem quæ ſignificationi conveniret, petiiſſe à matre Moſis. Niſi magis placeat, redditam fuiſſe Ægyptiacam vocem ſervata etymologia: quod ſecundum magis amplector. Exul deinde Moſes impoſitum à matre nomen recepit.

Pſal. 81. vers. 6.

Gen. 42. vers. 23.

11. Factum autem eſt diebus illis, quum adoleviſſet Moſes, ut egrederetur ad fratres ſuos, & vidit onera ipſorum, viditque virum Ægyptium percutientem quendam Hebræum ex fratribus ſuis.

12. Tunc reſpexit huc & illuc, & videns quod nemo adeſſet, percuſſit Ægyptium, atque abſcondit in arena.

13. Et quum egreſſus eſſet poſtridie, ecce duo viri Hebræi rixabantur: tunc dixit malefico, Quare percutis propinquum tuum?

14. Qui reſpondit, Quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos? an ut me occi-

das

das tu loqueris, ſicut occidiſti Ægyptium? Itaque timuit Moſes, ac dixit, Certe innotuit hæc res.

15. Pharao etiam audito hoc ſermone, quærebat interficere Moſen. Et fugiens Moſes à facie Pharaonis, manſit in terra Madiàn, ſeditque juxta puteum.

11. *Factum autem eſt, quum adoleviſſet.*] Jam ſpecimen illud fidei quod celebrat Apoſtolus, proferre ſe incepit, quum ſpretis aulæ deliciis & opibus maluit Chriſti opprobrium ſubire Moſes, quam extra populi electi ſocietatem cenſeri beatus. Neque enim ſolo gentis ſuæ amore, ſed promiſſionum fide adductus curam hanc ſuſcepit, qua ſciebat exoſum ſe fore cunctis Ægyptiis. Etſi autem non ſtatim ſe abdicavit divitiis, honoris gradu, favore & potentia: fuit tamen quoddam præludium, acſi ſponte fallacibus illecebris ſe exueret. Unde & Apoſtolus dicit noluiſſe cenſeri in regia ſobole. Certe non dubium eſt quin profeſſus ſit reditum ſe ad veram & genuinam cognationem, à qua avulſus fuerat, appetere. Ex contextu etiam colligimus, non veniſſe ad fratres ſuos tantum ut eorum ſortem miſeraretur, ſed ut ſolatii aliquid adferret, adeoque ſe adjungeret ſocium. Neque enim tam propinqua erat aula, ut quotidie quaſi animi gratia ambulando ipſos viſeret. Atqui dicit poſtridie ſe rediiſſe. Ergo furtim ſe ex aula ſubduxit, vel petito commeatu ſubire invidiam maluit, quam non aliquando pium dilectionis erga ſuos affectum detegere. Refert autem ſe vidiſſe illorum onera vel moleſtias, ut merito deberet injuſta oppreſſio eum ad ferendas ſuppetias pungere. Addit alterum ſtimulum, quod Hebræum unum ab Ægyptio percuti viderit. Eſt autem veriſimila, niſi ad opus eſſent eeleres, dure fuiſſe ab exactoribus multatos: deinde, ut erant expoſiti improborum libidini, paſſim quibuslibet data fuit ſimilis violentiæ impunitas.

Hebr. 11. *verſ.* 24.

12. *Tunc reſpexit huc & illuc.*] Hinc clarius patet veniſſe Moſen eo conſilio ut miſeris fratribus ſuccurreret, eoſque levaret ſuo auxilio ac juvaret: quando cæde Ægyptii ultus eſt injuriam uni quidem illatam, ſed totius gentis communem. Quamvis autem ad hoc facinus edendum inſtructus fuerit rara fortitudine Spiritus: ſimul tamen conjuncta fuit infirmitas, quæ arguit, non abſque hæſitatione eum fuiſſe aggreſſum quod tamen ſuæ vocationis eſſe noverat. Nam Stephanus teſtis eſt Moſen non fuiſſe temerario zelo impulſum ut cædem perpetraret: ſed quia noverat ſe divinitus eſſe genti ſuæ deſtinatum vindicem ac miniſtrum ſalutis. Circumſpicit tamen ao quiſpiam adſit ſpectator, nec audet maleficium punire, niſi cæde clandeſtina. Itaque videmus non omni ex parte fuiſſe magnanimum ut decebat, ſed cum ſua timiditate luctatum eſſe. Rurſus ex vacillatione colligitur fidei debilitas: ne putemus ira laudari ab Apoſtolo quaſi nihil ad perfectionem defuerit. Primo igitur tenendum eſt, Moſen non temere arripuiſſe gladium, ſed armatum fuiſſe cæleſti mandato: & conſcium legitimæ vocationis, recto judicio has partes ſuſcepiſſe, quarum habebat Deum auctorem. Unde ſequitur, perperam facturos homines privatos, & illius exemplo minime juvari, ſi vi & manu compeſcant injurias. Hucuſque nos Moſis imitatores eſſe decet, ut præſto ſimus laborantibus & oppreſſis, quoad ſuppetet facultas, nec dubitemus improborum odia in nos provocare, dum eorum audaciæ nos opponimus: gladium vero pro eorum defenſione exerere permittamus judicibus, qui publico imperio præditi ſunt. Si eorum auxilio fraudentur innoxii dum inique læduntur, noſtrum eſt gemere: ſicuti neque Moſi ultra progredi licuiſſet, niſi datus fuiſſet populo vindex & redemptor. Quod ad metum ſpectat, in quo ſignum dedit puſilli animi, necdum bene comparati ad munus ſuum exequendum, diſcamus, ſanctorum obſequia, quæ vitiis permixta ſunt, nihilominus interdum per indulgentiam placere Deo: ac proinde quamvis in officio præſtando nos carnis ignavia retardet, ne tamen obniti deſinamus. Hæc enim fiducia noo parum valere debet ad nos animandos, ubi perſuaſi ſumus, cunctationi noſtræ, modo ne cedamus, paratam eſſe veniam.

Actor. 7. *verſ.* 25.

13. *Ecce, duo viri Hebræi.*] Hæc perſeverantia demonſtrat Moſen firmo conſtantique animi propoſito quæſiiſſe reditum ad fratres, ut aulæ valediceret: ac conſulto repudiaſſe illius ſplendorem, opulentiam ac lautitias: quum tamen minime ignarus eſſet quantis ſe miſeriis objiceret, ac quam dura & aſpera, imo & ignominioſa eum maneret conditio. Quare nihil mirum ſi dicat Apoſtolus, eum maluiſſe ultro Chriſti probra perferendo, affligi una cum populo Dei, quam temporarii peccati commodis frui. Adda quod triſtis aſpectus violentiæ tyrannicæ & onerum quibus premebantur fratres, nihil remoræ attulit quomious pergeret: quia ſpe futuræ remunerationis ad crucis tolerantiam compoſitus, præſentem metum devicit. Cæterum non exequitur, ot antea, judicis partes: ſed officium præſtat quod ab unoquoque exigit charitatis regula, dum pacificator accedit ad litigantes, & utrumque ad concordiam hortatur, præſertim vero maleficum objurgat. Non fuit hoc Moſi peculiare, ſed piis omnibus commune officium eſt ubi vident innoxios violenter premi, ſe offerre patronos, & quantum in ſe eſt intercedere, ne robuſtior prævaleat. Fieri hoc vix poteſt quin exaſperemus eos qui prompti ſunt ad nocendum: ſed nihil tanti eſſe nobis debet ut eorum protervia obruatur æquitas, nobis tacentibus. Nam diſſimulatio in hac parte ſpecies eſt conſenſus. Modice autem & lenibus verbis eum caſtigat Moſes, qui fratri erat injurius: quia non tam exprobrare vult culpæ gravitatem quam remedium quærit ſedandæ ejus ferociæ

Hebr. 11. *v.* 25, 26.

14. *Quis te conſtituit.*] Nihil mirum ſi homo ſceleſtus ac nequam adeo placidam admonitionem contumaciter repellit. Sic enim ſolent quibus jus & fas perrumpere decretum eſt, ſimulatque arguuntur, tumultuari, & convitiis abigere probos monitores. Et certe raræ virtutis eſt culpam agnoſcere, & modeſte admittere correctionem. Quo autem quiſque deterior eſt atque gravius peccavit, eo magis ſuperbit admonitus, & majore licentia jurgatur: ideoque ad hanc indignitatem ferendam paratos eſſe oportet quicunque ad compeſcendos improbos ſe accingunt. Et tamen ex petulantia unius colligere licet quam perverſa fuerint totius fere gentis ingenia. Qua ratione Stephanus dicit Moſen fuiſſe à ſuis rejectum, unde omnes ingratitudinis convincit. Verum ut populo parcatur, docemur hoc exemplo quam iodomabilis ſit eorum natura quos Deus non manſuefecit. Neque enim minus duriter caſtigationes repellit eorum pervicacia, quam ab incude excipitur ictus mallei. Quando igitor ita ſunt præfracti ut decies fracti nunquam tamen corrigantur, nihil mirum ſi Deus in illos aſperius ſæviat: quemadmodum facturum ſe denunciat per os Davidis. Hoc ne experiamur, mature nos ſubmittamus Dei ferulis: & quando non omnibus datum eſt, rogemus ut nos ad veram docilitatem formet. Quid enim proficiemus contra ſtimulum calcitrando? Adde quod talem contumaciam ſequitur comes belluina quædam immanitas, ut in hoc exemplo iterum cernimus. Rogat Moſen vile & abjectum mancipium quis eum conſtituit judicem ſuper Hebræos: acſi non eſſet ipſe cum toto ſuo genere expoſitus

Actor. 7. *verſ.* 35.

Pſal. 28. *verſ.* 27.

positus omnium contumeliis. Colaphum siquis incussisset ex infima plebe Ægyptiaca, non ausus esset mutire; contra blandam admonitionem non minus imperiose protervit acsi ab omni subjectione esset liber. Deterius etiamnum quod sequitur, An vis me occidere, sicut Ægyptium? Debuerat Mosen, ob tale pii studii documentum, non secus ac Dei Angelum amplecti: atqui beneficium in crimen vertens, non modo odiose exprobrat quod laude prosequi æquum erat, sed etiam minatur. Interea dubium non est quin perculsus fuerit sanctus vir impetuosa tentationis machina, ubi in gente sua deprehendit tantam barbariem. Ægyptios quidem sciebat sibi professos fore hostes, si innotuisset facinus: verum à fratribus, quorum miseriæ succurrere voluerat, nunquam expectasset tam indignam mercedem: ideoque incredibilis constantiæ fuit tantum obstaculum superare.

15. *Pharao etiam.*] Timorem fatetur Moses, sed quo retractus non fuit à vocatione sua. Diximus ante, ejus zelum fuisse infirmitati admixtum, sed prævaluisse, ut nihilominus injunctum sibi officium viriliter simul ac timide præstaret. Hæc autem altera est constantiæ probatio, quod eum facti non pœnitet, ut studeat regem placare, sed ad exilium se comparat: neque sic expavescit in tanto discrimine ut attonitus vel consilii inops desideat, sed concedit in terram Madian, ac per deserta mavult errare quam hostibus electi populi reconciliari. Quanquam autem videtur hoc circuitu Deus à consilio liberandi populi deflectere: mirabiliter tamen opus suum promovet. Certe Mosen tam arduis quæ eum manebant certaminibus nondum fuisse maturum, satis jam cognovimus: imo in aula molliter & delicate habitus, nondum ad ingentes & continuas molestias assueverat, quarum fuisse victorem contextus historiæ ostendet. Deus itaque eum quodammodo subduxit, ut paularim obeundæ tantæ provinciæ idoneum ac parem redderet. Usus enim quadraginta annorum in laborioso & austero vitæ genere non parum profuit ad quidvis ferendum: ut merito desertum censeri debeat schola in qua eruditus fuit, donec ad provinciam magis difficilem accerseretur. Quod dicitur sedisse juxta puteum, interpretor ob lassitudinem illic sole ad occasum vergente interquievisse, ut circa vesperam inquireret de hospitio ab incolis, quos ad hauriendam aquam venturos sperabat. Ex quo infausto accessu conjicere promptum est quam commoda habitatio sperari ab eo potuerit.

16. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ: quæ venerunt, & hauserunt, impleveruntque canales, ut potarent oves patris sui.

17. Et venerunt pastores, qui repulerunt eas: & surgens Moses auxiliatus est *ipsis*, potavitque oves illarum.

18. Et quum venissent ad Bethuel patrem suum, dixit ille, Quare hodie tam cito rediistis?

19. Responderunt, Vir Ægyptius liberavit nos è manu pastorum, atque etiam hauriendo hausit nobis, & præbuit potum ovibus.

20. Dixit ille ad filias suas, Et ubi est ille? quare sic dereliquistis virum? convocate eum ut comedat panem.

21. Et consensit Moses habitare cum viro illo: qui dedit Sephoram filiam suam Mosi.

22. Quæ quum peperisset filium, vocavit nomen ejus Gersom, dicens, Peregrinus sum in terra aliena.

16. *Erant autem sacerdoti*] Hunc occursum prosperæ fortunæ adscriberent profani homines: in quo tamen vivam providentiæ suæ imaginem repræsentat nobis Deus, acsi extenta è cælis manu gradus servi sui regeret. Quotidie ad puteum ventitabant puellæ illæ: & Moses quærendi hospitii causa prope aquam substitit, ad quam probabile erat concursum incolarum vesperi fore in regione arida. Quod tamen opportune adest puellis ad ferendas suppetias, & Jethro eum hospitaliter invitat, minime fortuitum est: sed erranti servo suo dux itineris fuit Deus, ut non diurnum modo hospitium, sed ad finem exilii usque tolerabilem habitationem pararet. Nam Jethro (quem ex epitheto constat non vulgari apud suos dignitate præditum) non modo ejus operam conduxit, sed elegit sibi generum. Et quanquam sordidum erat munus pastorale, splendida tamen affinitas non parvo solatio fuit. De voce חותן non convenit inter omnes. Chaldæus paraphrastes male vertit Principem: quia non quadraret ejus filiabus molestos & infestos fuisse loci pastores. Nec magis consentaneum est, virum primarium & opulentum caruisse famulis, ut filias suas cogeretur quotidiams pastorum contumeliis & rixis exponere. Sacrificum ergo fuisse existimo: quæ etiam receptior est sententia. Dubitatur tamen, falsosne deos, an verum & unicum coluerit. Certe probabiles multæ rationes ad hanc conjecturam nos adducunt, non sacrificasse idolis: quia vix unquam persuasus fuisset Moses, non modo ut habitaret in domo fœdis sacrilegiis polluta, sed etiam ut affinitatem contraheret. Et postea in Jethro ipsius sermone multa pietatis indicia se ostendent. Quanquam ut totus fere orbis tunc ad multas corruptelas prolapsus erat, mihi verisimile est vitiatum aliqua ex parte sacerdotium ejus fuisse. Unicus tempore Abrahæ Dei vivi sacerdos fuit Melchisedech. Abraham ipse ex profundo idololatriæ gurgite, in quo demersa erat familia, extractus fuit. Vix itaque fieri potuit ut Madianitæ purum cultum retinuerint: atque adeo ex aliis locis liquet *idolis* fuisse deditos. Quare omnibus probe expensis, mihi nihil magis probabile occurrit quam sub sacerdotio Jethro cultum fuisse unicum Deum ut regula tradita fuerat per manus, non tamen pure: quia tunc ubique contaminata erat religio variis superstitionibus. Est autem discrimen aliquod inter idololatriam & impurum Dei cultum ac degenerem in una parte. Dico igitur unius Dei fuisse cultores, quia non prorsus defeciverant à principiis religionis, quamvis ex errorum qui paulatim obrepserant lacunis nonnihil fœcis hausissent. Agitatur inter interpretes de nomine Jethro alia quæstio. Qui putant Bethuel diversum fuisse à Jethro, nullo negotio refelluntur. Nam proximo capite Mosen de eodem homine loqui, sub vario licet nomine, clare apparet. Neque vero quadraret in conjugio prorsus taceri nomen patris: & violentum est commentum, in tam propinquo contextu duos homines eodem affinitatis gradu censeri. Adde quod si Jethro filius erat Bethuel, easdem ædes inhabitans, membrum fuisset familiæ, non caput, ac proinde non diceretur Moses pavisse ejus gregem. Jam probabile est Hobal (qui postea vocabitur filius Bethuel, Num. cap. 10.) fuisse levirum Mosis, vel uxoris fratrem: unde colligitur Jethro fuisse binominem, quod satis usitatum est. Nam Hobal esse *quem* hic Moses Jethro nominat, absurdum est, & absque ratione

tione fingitur. Veniſſe Jethro in deſertum ut Moſi gratularetur, poſtea videbimus: ſed narratur ibidem, fuiſſe dimiſſum. Et certe non ita humanum fuiſſet, urgere hominem ſenio confectum ut ipſum in expeditione comitaretur. Nam ſi Moſen ætate ſuperabat, vix tum fuiſſet minor nonagenario. Seni autem decrepito promittere laboris mercedem, poſtquam ventum eſſet in terram Chanaan, cujus fuiſſet prudentiæ? Verum tota controverſia uno verbo facile dirimitur, quod ſcribit Moſes Jethro fuiſſe reverſum, Hobal vero perſuaſum fuiſſe ut maneret; ac precibus obtemperaſſe. Optime autem convenit ſenem Bethuel, quia ferendæ longæ peregrinationi & moleſtæ impar erat, domum ſtatim rediiſſe, relicto apud Moſen filio, qui ſpeculator foret ac dux itineris.

18. *Et quum veniſſent ad Bethuel.*] Non arbitror vitio eſſe vertendum filiabus Bethuel quod Moſi non obtulerint hoſpitium: quia & puellas decet modeſtia, & patre inſcio introducere hominem exterum & incognitum, nimiæ audaciæ fuiſſet. Verum Deus inſpirat patris animo gratitudinis affectum, ut jubeat illum accerſi. Ita Moſes à puteo abductus domum reperit in qua & commode habitet, ſuoque labore vivat; & jure affinitatis humaniter tractetur. Et certe medela aliqua opus fuit, quæ multiplices curas & dolores leniret: quando dura erat tentatio, & quæ non modo diros cruciatus pareret, ſed deſperatione centies obrueret ſanctum virum, niſi aliunde fuiſſet ſuffultus, exilium quadraginta annorum perferre. Quantum in tam diuturna mora eſſet tædii, cuivis noſtrum ex proprio ſenſu conjicere promptum eſt: præſertim quum videret florem ætatis defluxiſſe, & jam concidere robur, ut parum idoneus in poſterum eſſet in rebus gerendis. Difficile igitur erat, intentum eſſe ad eam vocationem quæ videri poterat quadraginta annorum ſpatio abrogata vel obſoleta. Mitigantur aliqua ex parte tam graves moleſtiæ & anxietates, non ſic tamen quin recurrant ſubinde multæ cogitationes in diverſam partem. Quo mirabilior eſt Dei gratia, quæ inter tot perturbationes quietum & placidum continuit, ut tempus incognitum expectans, vili & abjecta ſorte contentus foret: & quotidie ad exequendum redemptoris munus, quaſi in procinctu ſtaret. De verbo נָתַן non convenit inter ipſos quoque Hebræos: quia multi conſenſum notari putant duntaxat, alii accipiunt pro jurare. Et forte noluit hoſpiti incognito filiam ſuam dare Bethuel, niſi ſe jurejurando obſtringeret illic habitaturum: quia timendum alioqui erat ne Moſes alio mox uxorem abduceret. Ita conjugii pignus fuit manendi promiſſio. Unde perſpicitur ſeculi illius integritas, quod tanta viguerit jurisjurandi religio ob nominis Dei reverentiam, ut hoc vinculo utrimque contenti fuerint.

22. *Vocavit nomen ejus Gerſon.*] Quod putant gratulatorium eſſe nomen ad levandam exilii moleſtiam, mihi non probatur: quia potius ſentio, Moſen, ut tam ſeipſum quam ſocerum & uxorem commonefaceret, alibi ſe patriam quærere, illic vero eſſe inquilinum, nomen impoſuiſſe filio. Nec obſtat promiſſio habitandi cum ſocero, qua ſe non ita obligavit ut jugum excuteret divinæ vocationis, vel abrumperet. Tantum adhibita fuit cautio in hunc finem ne Moſes domum, ubi fuerat tam comiter exceptus, levitate deſereret. Jam credibile non eſt eum de cauſa exilii ſui tacuiſſe: partim ut malefici ſuſpicionem averteret, ac teſtimonium redderet ſuæ innocentiæ, partim ut præco eſſet ſingularis gratiæ, qua Deus populum Iſraël dignatus erat. Ergo nunc in nomine filii, aſſiduum (ut vocant) memoriale ſibi occurrere voluit, quo excitaretur ad ſpem redemptionis promiſſæ. Terram enim in qua videtur tranquillam ſtationem & jucundum nidum reperiſſe, peregrinam ſibi eſſe pronunciat. Nec vero comparat Madian Ægypto, quia utriuſque terræ perinde erat inquilinus: ſed ubicunque habitet, extraneum ſe eſſe declarat, donec adeptus ſit quam Deus promiſerat hæreditatem. Et ſane abſurdum fuiſſet, reſpectu Ægypti, terram vocare alienam, ubi ſtabile erat domicilium: præſertim quum fide impulſus, teſte Apoſtolo, reliquiſſet terram illam. Denique videmus fovendæ ſimulque teſtandæ ſuæ fidei materiam quæſiviſſe, ubi profeſſus eſt ſe peregrinari in aliena regione. *Hebr. 11. verſ. 27.*

23. Accidit autem diebus illis multis, mortuus eſt rex Ægypti: & ſuſpiraverunt filii Iſraël propter opus, & vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum propter opus *. * vel, à ſervitute.

24. Et audivit Deus clamorem eorum, recordatuſque eſt Deus pacti ſui cum Abraham, Iſaac, & Jacob.

25. Viditque Deus filios Iſraël, & cognovit Deus.

23. *Accidit diebus illis.*] Demonſtrativo pronomine utitur ad notandos quadraginta annos, quibus ſuſpenſum tenuit Deus ſervum ſuum acſi eum abdicaſſet. Addendo Multos, propinquum illius intermedii temporis finem exprimit. Ergo quum ad octogeſimum ætatis annum provectus eſſet, ductaque uxore conſenuiſſet in terra Madian, filiis Iſraël intolerabilis tyrannidis ſævitia novos gemitus & clamores extorſit: non quod tunc primum cœperint dolere & lamentari: ſed quia magis expergefacti fuerunt, & diuturnitas addidit ſtimulos acriores. Scimus dulce miſeriarum condimentum eſſe ſpem lætioris exitus. Ea quodammodo triſtitiam mulcebat afflicti populi, ſi tyranno mortuo ſuccederet quiſpiam humanior. Ubi vero regis mutatio nulla ex parte oppreſſionem levavit, auctus eſt mœror, qui ad clamandum eos ſolito ardentius coëgit. Sic igitur verba Moſis interpretor, mortuo tyranno nihilo clementius vel mitius fuiſſe tractatos filios Iſraël, ideoque vehementius clamaſſe. Quanquam mihi verisimile eſt, Pharaonem illum qui primus gravia onera cum tributis impoſuerat, ac cædi deſtinaverat infantes, non eouſque vixiſſe: quia ſuperaſſet ejus regnum annos octoginta, quod accidere non ſolet. Antequam naſceretur Moſes, jam pluribus annis miſere vexati fuerant Iſraëlitæ. Neque enim primo die ad tantam atrocitatem proſiliit ut juberet maſculos omnes interfici: ſed poſtquam expertus erat ſe nihil proficere aliis imperioſis edictis, hoc extremum tentaverat. Poſt natum Moſen, uſque ad tempus quod hic deſcribitur, prætereunt anni circiter octoginta. Unde conjicere licet, antequam inſtaret liberatio, fuiſſe medium aliquem ſucceſſorem, vel plures. In illa multiplici rerum converſione quum eadem eſſet vel deterior populi conditio, inſolitam lamentationem expreſſit ultima neceſſitas: atque etiam deſperatio eos ad preces compulit: non quod ante nulla penitus eſſet Dei invocandi cura, ſed quia nimis huc & illuc circumſpectabant, donec præciſis omnibus terrenis mediis, in cælos violenter ad quærendum ſerio auxilium tracti ſunt. Quo exemplo docemur, quamvis nos malorum gravitas triſtitia & luctu conficiat, non tamen protinus ad Deum vota noſtra dirigi, ſed noſtram ſegnitiem pluribus ſtimulis opus habere. Admonet etiam Moſes, nihil eſſe mirum ſi Deus ad opitulandum non citius accurrerit, quando in ſuis malis torpebant filii Iſraël. Proinde hoc exemplo diſcamus, ut Deus

gratiam ſuam proferre maturet, ſtatim ad eum confugere.

Aſcenditque clamor.] Commendat Dei clementiam Moſes hac circumſtantia, quod pigritiam eorum non ultus fuerit, ut digna erat, ſed lentis clamoribus ſe præbuerit exorabilem. Ac omnino in hac hiſtoria contemplari licet quod Pſalmo 106. legitur, ſtupidiſſimos etiam quoſque in rebus extremis vota ſua demum ad Deum convertere, & quidem vehementia doloris magis quam rite compoſito fidei affectu. Dicit A ſervitute, quia proprium Dei eſt ſuccurrere oppreſſis, liberare vinctos, & miſeros erigere: atque bas ſibi partes ubique vindicat. Quod addit, Deum recordatum eſſe foederis, cauſæ redditio eſt cur eorum gemitus audierit, nempe ut gratuitam promiſſionem ſanciret datam Abrahæ & poſteris. Tres enim Patriarchas diſerte recenſet, quia fœdus ſuum Deus apud eos depoſuit, ſed quod per continuas ætates vigeret. Et ſane ut Deus meri ſui liberalitate ad nos juvandos propenſus eſt, ita ſe offert noſque ultro invitat: ideoque noſtra fiducia ex ejus promiſſionibus petenda eſt exorandi fiducia. Sic copula in particulam illativam reſolvi debet, quod exaudierit Deus gemitus, quia recordatus eſt foederis. Recordatio quatenus competat in Deum, à contrario diſcendum eſt. Oblivioſci dicitur Deus, ubi reipſa & palam ad auxiliandum non apparet, nec manum exerit: ergo Recordari, præſentem auxilii ſenſum notat: ac proinde utrumque ad effectum refertur. Eodem pertinet Reſpicere, cui opponitur Tergum obvertere: quia tunc demum ſentimus nos reſpici ubi actualiter nobis ſuccurrit.

Caput III.

PAſcebat autem Moſes oves Jethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian, duxitque oves poſt deſertum, & venit ad montem Dei, *nempe* Horeb.

2. Et viſus eſt ei Angelus Jehovæ in flamma ignis è medio rubi: & vidit, & ecce rubus ardebat in igne, & rubus ipſe non conſumebatur.

3. Dixit itaque Moſes, Divertam nunc ut videam viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

4. Et vidit Jehova quod diverteret ad videndum: vocavitque eum Deus è medio rubi, dicens, Moſes, Moſes. Et reſpondit, Ecce ego.

5. Tunc dixit, Ne appropinques huc: ſolve calceamenta è pedibus tuis: quia locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.

1. *Paſcebat autem Moſes.*] Diu paſtoritio munere functum eſſe antequam oblata fuerit viſio (nempe ad annos circiter quadraginta) ante diximus. Ergo laudatur ſancti viri tolerantia in hoc continuo actu. Non quod Moſi propoſitum foerit, jactanter celebrare ſuas virtutes: ſed quod nobis utile erat dictavit Spiritus, & quaſi in os illius ſuggeſſit, ut quæ geſſit & paſſus eſt, exemplo eſſent in omnes ætates. Fuit enim cum tædio longi temporis aſperum certamen, quum inſtaret ſenectus, quæ reddit corpus emarcidum. Pauci enim illo quoque ſeculo vegeti fuerunt poſt annum vitæ octogeſimum. Jam utcunque frugalis eſſet victus, non potuit tamen vel robuſtiſſimum corpus temperies defendere contra tot noxas: quia & ſub dio victitare, & perferre calorem, frigus, inediam, continuas fatigationes, curam pecudum & alia incommoda, fere nullis datum eſt. Ac Deus quidem mirabiliter ſuſtinuit ſanctum virum, ut tam arduo muneri ſufficeret: ſed non ceſſabat interior illa diſceptatio, Cur tamdiu differt ac ſuſpendit Deus quod pridem ſtatuit? Fuit igitur raræ virtutis, hos contrarios occurſus, qui ſubinde novam moleſtiam ingerebant, ſuperare: & interea non ſolum victitare tenuiter, & habitare in tugurio vel caulis, ſed per loca teſca & aſpera ſæpe errare, quum à puericia uſque ad virilem ætatem lautitiis aſſueviſſet: ſicuti nunc refert, deſerto peragrato ſe gregem ductaſſe ad montem Horeb. quod certe fieri non potuit quin humi cubando algeret, quin ſudaret interdiu. Porro appellatio montis Dei [illegible] in poſterum tempus refertur, nempe dum illic promulgata Lex fuit, quæ locum illum conſecravit. Satis notum eſt, Horeb eundem eſſe montem qui Sinai dicitur: niſi quod nomen io diverſis & oppoſitis lateribus mutatur: quia proprie in ſitu orientali dicitur Sinai; qua autem parte vergit ad occaſum, Horeb. Quum ergo illic apparuerit Deus, tot præclara cæleſtis ſuæ gloriæ ſigna dederit, quum fœdus percuſſerit cum populo, regulam perfectæ ſanctitatis prodiderit, ſingularis queſita fuit loco dignitas.

2. *Et viſus eſt ei Angelus.*] Vel, apparuit: quod idem valet. Viſibilem porro formam induere neceſſe fuit, ut conſpiceretur à Moſe non qualis erat in eſſentia, ſed qualem capere poterat humanæ mentis infirmitas. Sic enim tenendum eſt, quoties apparuit Deus olim ſanctis Patribus, deſcendiſſe quodammodo ea ſua altitudine, ut illis ſe patefaceret quatenus utile erat, & ferebat eorum captus. Idem & de Angelis dicendum, qui etſi ſunt ſpiritus inviſibiles: ubi Deo viſum fuit, faciem aliquam ſumpſerunt in qua agnoſcerentur. Videndum tamen quiſnam fuerit hic Angelus: quia paulo poſt non modo ſe Jehovam nominat, ſed gloriam ſibi vendicat æternæ & unicæ divinitatis. Etſi autem excuſabilis eſt illa loquendi ratio, quod Angeli transferant in ſe Dei perſonam quatenus obeunt partes ſibi ab ipſo injunctas: quia tamen notum eſt ea pluribus locis, præſertim ea primo Zachariæ capite, inter Angelos ſtatui unum principem & caput, qui aliis imperat: recte ſenſerunt veteres Eccleſiæ doctores, æternum Dei Filium ita vocari reſpectu perſonæ Mediatoris quam licet vere demum una cum carne ſuſceperit, figuram tamen geſtavit ab initio. Et Paulus hujus myſterii nobis idoneus eſt interpres, qui palam aſſerit Chriſtum fuiſſe ducem populi in deſerto. Quanquam ergo tunc, proprie loquendo, nondum nuncius Patris erat, prædeſtinatio tamen ad officium jam tunc ita urgebat, ut patribus ſub hoc habitu cognoſcendum ſe exhibuerit. Nec ſane alia unquam ſanctis fuit communicatio cum Deo quam per Mediatorem promiſſum. Itaque nihil mirum ſi æternus Dei Sermo, unius cum Patre deitatis & eſſentiæ, nomen Angeli mutuatus ſit futuræ legationis reſpectu. De viſione, magna eſt opinionum varietas. Nimis violenti ſunt Allegoriſtæ, qui ea rubo faciunt corpus Chriſti, quod cæleſtis majeſtas non conſumpſit, quum ſibi elegit pro domicilio. Coacte etiam alii hoc torquent ad præfractum gentis ingenium, quod ſimiles fuerint Iſraëlitæ ſpinis, quæ igni non cedunt. Verum ubi germanus ſenſus in medium prolatus fuerit, alienos refellere non erit neceſſarium. Conveniunt autem optime hæc viſio & altera prior quæ oblata fuerat Abrahæ. Vidit ille lampadem fulgentem in medio fornacis caliginoſæ. Ratio exprimitur, quod Deus populum ſuum in tenebris exiſtentem non ſinet. Eadem analogia reſpondet rubo ſuam integritatem retinenti in media flamma. Rubi ſpecies erat in humili & contempto populo. Igni non abſimilis

1 Cor. 10. verſ. 4

Gen. 15. verſ. 17.

milis erat tyrannica oppreſſio, quæ conſumptionem ſecum traxiſſet, niſi mirabiliter obſtitiſſet Deus. Itaque Dei præſentia rubetum ab incendio incolume
Pſal. 46. evaſit: ſicuti in Pſalmo dicitur, quamvis Eccleſiam impetant turbulenti fluctus, qui naufragium minantur, ipſam tamen non moveri: quia Deus in medio ejus habitat. Sic apte repræſentata fuit populi immaniter afflicti imago, qui totus igne correptus ardorem quidem ſentiebat, ſed abſque clade: quia præſenti Dei auxilio cuſtodiebatur.

3. *Dixit itaque Moſes, Divertam.*] Certum eſt religione tactum fuiſſe Moſis animum, non temere ſed divino inſtinctu. Quanquam nondum viſionibus aſſueverat, agnoſcit tamen non inane eſſe ſpectrum, ſed myſterium aliquod notari ſpectaculo illo, cujus cognitio minime ſibi eſſet negligenda, ad quam divinitus vocabatur. In quo etiam notanda eſt ejus docilitas, ubi propius accedit ad diſcendum. Sæpe enim accidit ut fruſtra Deus nobis occurrat, quia tantam gratiam maligne reſpuimus. Ideo diſcamus Moſis exemplo, quoties ſigno aliquo nos ad ſe Deus invitat, ſedulo attendere, ne ſocordia noſtra lux oblata ſuffocetur. Quum vero Magnam viſionem appellat, inde colligimus, arcana inſpiratione fuiſſe edoctum de altitudine myſterii quod nondum innotuerat. Sed Deus hoc modo ejus animum ad reverentiam paravit, quo celerius proficeret.

4. *Vocavitque eum Deus è medio rubi.*] Primo loco obſervent lectores quod omnibus fere viſionibus commune eſt, non fuiſſe mutum ſpectaculum ſancto viro territando, ſed additam fuiſſe ſimul doctrinam quæ ejus mentem colligeret. Nulla enim ſignorum eſſet utilitas, ſi ſuſpenſos tenerent eorum à quibus cernuntur ſenſus. Cæterum quamvis ſervum ſuum obſtupefacere nolit Deus, reverentiam tamen futuro ſuo ſermoni & auctoritatem conciliat duobus modis: quia Moſen bis nomine compellans, in ejus animum penitus ſe inſinuat, ut tanquam ad Dei tribunal citatus, ſit ad diſcendum attentior: deinde calceos exuere jubens, admiratione & metu ad humilitatem ipſum erudit ac format. Quanquam de hoc poſteriore membro certatur inter multos, quos oblectant allegoriæ. Non referam quid ſinguli proferant, quia ſimplex veri ſenſus expoſitio futiles omnes argutias diſcutiet. Nempe calceos ſolvere juſſus eſt Moſes, ut ipſa pedum nuditas religionem incuteret ejus animo. Nec ſecus de loci ſanctitate fuit admonitus, quod in precibus genuflexio capitiſque detectio nos ad Dei veneirationem excitat. Quod ex ratione mox addita ſatis liquere arbitror, terram in qua ſtabat Moſes, ſanctam eſſe, ideoque non temere vel profano more calcandam: unde colligimus, externo adorationis ſymbolo edoctum fuiſſe, ut trepidus & ſupplex in Dei conſpectum accederet. Dixerat quidem, Ecce ego, (quod docilitatis & paratæ in obſequium mentis teſtimonium erat) acrius tamen utile fuit expergefieri, ut Deum majore metu veneraretur. Quod ſi tali præparatione opus habuit nobiliſſimus Dei Propheta, nihil mirum ſi Deus variis admiculis, ubi de legitimo ejus cultu agitur, noſtram ſegnitiem exerceat. Etſi autem non omnibus idem quod Moſi præcipitur, diſcamus tamen hunc omnium ceremoniarum finem eſſe, ut Dei majeſtas probe & ſerio animis noſtris concepta jus ſuum obtineat, & pro dignitate ſua rite ſuſpiciatur. Sicuti placeat anagoge, non poſſe Deum audiri donec affectus terrenos exuerimus, non repugno: modo præcedat genuinus ille ſenſus, Moſen juberi calceos ſibi detrahere, quo ſeſe ad Deum audiendum majore reverentia accingat. Nunc ſi de loci ſanctitate queritur, facilis reſponſio eſt, ſingulari hoc ornari elogio tantum in gratiam viſionis. Non igitur naturaliter propria aliqua ſanctitate excelluit mons Sinai: ſed quia Deus qui omnia ſanctificat, illic dignatus eſt præſentiæ ſuæ ſignum dare. Sic Bethel præclaro encomio celebratus fuit à Jacob, quod terribilis eſſet locus, Dei ſanctuarium, & porta cæli: nempe quatenus in peculiarem revelationis uſum conſecratus fuerat. Nam ubicunque perſpicimus ſignum aliquod Dei gloriæ, hunc admirationis ſenſum elicit ex cordibus noſtris pietas. Interea, ut ſumus in ſuperſtitionem nimium proclives, duo hic cavenda ſunt vitia: ne craſſa imaginatione Deum velut è cælis detractum affigamus terrenis locis: deinde ne ſanctitatem putemus eſſe perpetuam quæ temporalis eſt. Prioris mali remedium eſt, expendere Dei naturam: ſecundi vero, conſilium ejus obſervare, quatenus & in quem uſum loca ſanctificet. Neque enim, quum ſpiritualis ſit Dei natura, terrenum quicquam de ea vel craſſum imaginari fas eſt: neque ejus immenſitas loco includi patitur. Rurſum ad manifeſtationis finem reſtringenda eſt ſanctitas, ut mons Horeb ſanctus fuit Legis promulgatæ reſpectu, quæ verum Dei cultum præſcribit. Hoc ſi conſideraſſent poſteri Jacob, nunquam oppoſuiſſent Bethel quaſi locum ſacrum Sioni: quia ſicuti Deus ſemel Patriarchæ apparuit, tamen locum illum non elegerat: ideoque quod ſingulare erat, perperam in commune exemplum traxerunt.

Genſ. 28. verſ. 17.

6. Ego Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Et operuit Moſes faciem ſuam, quia timuit aſpicere ad Deum.

7. Et dixit Jehova, Videndo vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto, & clamorem eorum audivi à facie exactorum ejus: certe cognovi * dolores ejus.

* vel, *quia cognovi.*

8. Deſcendi itaque ad liberandum eum è manu Ægyptiorum, & educendum è terra iſta in terram fertilem ac latam, in terram fluentem lacte & melle, in locum Cananæi & Hitthæi & Amorrhæi & Pherezæi & Hivæi & Jebuſæi.

9. Nunc ecce clamor filiorum Iſraël venit ad me: atque etiam vidi afflictionem qua Ægyptii opprimunt eos.

6. *Ego Deus patris tui.*] Non tantum ſe æthereum aliquod numen eſſe pronunciat, nec tantum in genere ſibi vendicat Dei nomen: ſed fœderis ſui olim cum Patribus ſanciti memoriam renovans, proſternit omnia idola & fictitios Deos, & Moſen in recta fide confirmat. Hinc enim certo cognovit ſe non fruſtra ſperaſſe in Deo quem coluerant Abraham & alii Patres, & qui adoptionis privilegio ſegregaverat genus ipſorum à cunctis gentibus. Ac ne longo temporis tractu obſoletum eſſe putet Moſes quod de Abraham traditum per manus fuerat, diſerte fidem ſuam adhuc conſtare exprimit, Deum ſe patris ejus vocando. Quia vero redemptionis ſpem facturus, fœderis memoriam renovat, inde colligitur non obliteratum fuiſſe in corde Moſis: quia abſurdum fuiſſet de re incognita verba facere: nec profuiſſet quicquam objicere promiſſiones, quarum nullius in corde Moſis viguiſſet cognitio. Quoniam ergo à fœdere quod olim pepigerat Deus cum Patriarchis, pendebat ſpes redemptionis electi populi, commemorat non fruſtra ſibi creditum eſſe, quia pactio non erit irrita. Quod Moſes faciem ſuam texit, non tantum reverentiæ fuit ſignum, ſed etiam terroris. Uterque tamen affectus nobis conſiderandus eſt, quod ſubito exhorruerit ad Dei conſpectum, & ejus majeſtatem ſponte veneratus ſit. Religione

vero tangi ac percelli ejus animum operæpretium fuit, ut ad obediendum esset propensior. Velare etiam Angelos faciem suam, quia immensam Dei
Isa.6.2. gloriam non ferunt, legimus apud Jesaiam. Nihil itaque mirum si mortalis homo eam aspicere ausus non fuerit. Dei porro nomen pro visibili specie, qua ejus majestas obtegebatur, positum est.

7. *Et dixit Jehova.*] Antequam partes liberandi populi Deus Mosi injungat, pluribus verbis ad spem victoriæ & prosperi eventus eum erigit. Scimus enim ut dubitatio animos cura & anxietate retardet ac debilitet. Non potuit igitur Moses negotium strenue vel suscipere, vel aggredi, nisi cælestis auxilii fiducia instructus. Ergo Deus se ducem fore profitetur, ut talibus auspicijs fretus ad militandum intrepide se accingat. Unde elicienda nobis est communis doctrina: quantumvis lenti naturaliter ac hæsitabundi ad præstanda Deo obsequia simus, ubi tamen de successu nos reddit certiores, fas non esse quicquam detrectare: quia nullus potest esse acrior stimulus hac promissione, manum ejus semper fore paratam ubi sequimur quo vocat. In hunc finem Deus præfatur antequam vocationis faciat mentionem, ut Moses de felici exitu factus certior, alacriter ad opus descendat. Porro ubi Deus redemptionis fidem in gratuito fœdere, ac proinde in mera sua liberalitate fundavit, nunc alterum argumentum sumit à sua justitia: quia fieri non potest quin mundi judex miseris & calamitosis subvenat, ubi indigne opprimuntur, præsertim ubi opem ejus implorant. Hoc in genere verum est, Deum injustæ cujuslibet crudelitatis fore vindicem: sed peculiare ejus auxilium à fidelibus sperandum est, quos in fidem patrociniumque recepit. Itaque merito, postquam dixit, adoptione populi se moveri ne eum in extrema necessitate deserat, simul adjungit secundam confirmationem, se veniße auxilio ad cohibendam tyrannidem, quia clamorem inopum exaudierit. Hoc quidem semel animandi Mosis causa dictum est: sed non vulgari solatio lenire debet nostros omnium dolores, ubi sub injusto onere gemimus. Neque enim Deus qui tunc oculatus fuit, hodie cæcutit, quin observet omnes injurias ac supplicum misereatur. Quanquam autem Hebraismus est in verbi repetitione, Videndo vidi: significat tamen, ubi pœnam differt ac suspendit, conniventiam hanc non obstare quominus è cælis speculetur hominum facta, ut tandem opportuno tempore judex appareat. Notatur enim continua animadversio: quasi dicerer, se tunc quoque vidisse dum quiescendo visus fuit populi ærumnas negligere. Clamorem se audisse dicens, oblique perstringit populi socordiam: quem non legimus ante clamasse quam rebus extremis ac deploratis coactus fuerit. Itaque nihil mirum si prope contabuerint sub malis suis, antequam subveniretur: quia via post longum tempus exortæ fuerunt preces. Quanquam ne tunc quoque serio precatos esse verisimile est (ut ante dixi) sed Deus clementiæ suæ & fidei majorem habuit rationem quam justæ & solidæ eorum præparationis. His quidem verbis Dei invocationem nobis commendat Spiritus, ne torpeamus in curis & mœroribus, sed recta confugere discamus ad sacram hanc anchoram: sicuti etiam in Psalmo dicitur, Oculi Dei super justos, & aures ejus ad precationem illorum intentæ. *Psal. 34. vers. 16.* Et sicuti alibi testatur se Deum esse qui preces exaudit: ita quoties duriter urgemur, ad hoc remedium quærendum nos sollicitat. Ubi dicit populum suum esse in Ægypto, species repugnantiæ quæ videtur subesse, ad confirmationem non parum valet: quia huc tendit, quod de terra Chanaan possidenda Abrahæ promissum fuit, irritum non fore. Peregrinari enim in Ægypto populum cui data erat alibi hæreditas, non convenit cum Dei veritate: nisi præscripto tempore liberetur. Posset etiam adversative capi, Quamvis populus in Ægypto habitans exulet à terra Chanaan, ideoque ita videatur à me quodammodo remotus, audivi tamen clamorem. Sed probabile est illud, quia indignum sit populum terræ sanctæ hæredem, alibi semper manere inquilinum, brevi Deum redemptorem adfore. In fine versus repetitio est aliis verbis, quod Deus cognoverit dolores: sed cum amplificatione. *Psal. 65. vers. 2.*

8. *Descendi ut liberarem.*] Clarius jam explicat sibi propositum esse non præsenti modo calamitati succurrere, sed præstare datam Abrahæ fidem de possessione terræ Chanaan. Finem ergo redemptionis notat, ut fruantur quiete & hæreditate sibi promissa. Nota est phrasis, Deum ad nos descendere, ubi reipsa virtutem suam profert, seque nobis propinquum ostendit: acsi diceret, palam sensuros Israëlitas sibi auxilium præsto esse. Terra lata videtur opponi angustiis in quas conjecti erant. Nam etsi fertilis & commoda erat terra Gosen, crescenti tamen turbæ vix ad habitationem sufficere poterat: deinde illic serviliter, non secus atque in ergastulo, clausi tenebantur. Tandem iterum confirmat se cum illis benigne acturum, quia gemitus exaudierit, & eorum ærumnas non ignoret, quamvis longo tempore vindictam distulerit.

10. Veni itaque, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israël ex Ægypto.

11. Et dixit Moses ad Deum, Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël ex Ægypto?

12. Et respondit, Quia tecum ero: & hoc tibi signum quod ego miserim te, Quum eduxeris populum ipsum ex Ægypto, coletis Deum prope montem hunc.

13. Et ait Moses ad Deum, Ecce, ubi ego venero ad filios Israël, & dixero eis, Deus Patrum vestrorum misit me ad vos: tunc si dixerint, Quod nomen ejus est? quid dicam illis?

14. Tunc respondit Deus Mosi, Sum qui sum. Et ait, Sic dices ad filios Israël, Sum misit me ad vos.

10. *Veni itaque.*] Postquam servum suum, quo se alacrius ad opus accingeret, promissionibus Deus instruxit, nunc addit mandata, eumque ad munus cui destinatus est obeundum vocat. Atque hæc optima est ad officium animandi ratio, ubi Deus certiores de prospero successu reddit qui dubitatione segnes alioqui essent. Nam etsi simplicibus Dei jussis absque hæsitatione & mora obtemperandum est: tarditati tamen nostræ consulere volens, promittit non vanos fore nec inutiles nostros conatus. Et certe hoc omnibus naturaliter est ingenitum ut fiducia prosperi exitus ad agendum incitentur. Ac proinde, quamvis Deus interdum servos suos, probandæ ipsorum obedientiæ causa, spe destituens, præcise jubeat hoc vel illud facere: sæpius tamen felicem eventum pollicendo, cunctationem eximit. Sic igitur nunc spe redemptionis proposita, Moses ad jussa exequenda erexit. Ideo copula in particulam illativam resolvi debet: quia à promissione haud dubie pendet mandatum & vocatio.

11. *Quis sum ego.*] Quod imbecillitatis suæ conscius, se non esse idoneum respondet, atque ita provinciam

vinciam detrectat, nondum inobedientiæ fieri poteſt, reus. Comparatio ejus cum Pharaone augebat recuſandi prætextum. Modeſtiæ itaque & humilitatis videtur eſſe hæc excuſatio. Ego certe non modo culpa vacare, ſed laude dignam eſſe arbitror. Nec obſtat quod Deum ſibi auctorem ſciebat eſſe tam ardui operis. Miratur enim, quando in Dei manu tot ſunt millia, non alium potius deligi. Sed alia naſcitur quæſtio, cur nunc timide ſufficere ſe neget ad liberandum populum, qui quadraginta ante annis adeo promptus fuerat in occidendo Ægyptio: dum vocatione Dei fretus tam periculoſum facinus auſus eſt. Vigorem ipſius ſenio refriguiſſe (ſicuti naturaliter fervidi ſunt juvenes, ætas autem frigus & cunctationem affert) probabile non videtur. Sed alio virio laboraſſe apparet, quod principio non ſatis ſeipſum excutiens, neque facultates ſuas vel negotii magnitudinem æſtimans, confeſtim properavit. Quanquam autem laude digna eſt talis feſtinatio, ſæpe tamen in medio curſu deficit: quemadmodum fructus præcoces vel ad maturitatem non perveniunt, vel non diu permanent. Quamvis ergo generoſæ indolis ſpecimen præbuerit Moſes, quum Deo ſuam operam feſtinanter impendit: nondum tamen ea conſtantia inſtructus erat quæ eum ad finem uſque fulciret: quia fides quæ in ejus corde florebat, nondum egerat ſatis profundam radicem, nec ipſe penitus examinaverat quid poſſet. Itaque in rem præſentem adductus trepidat, qui difficultate nondum perſpecta fuerat confidentior. Ita quotidie nos, qui extra telorum jactum videmur nobis probe animati, tandem ubi cominus pugnandum eſt expaveſcimus: quia ſentire incipimus pericula quæ nos procul non movebant. Nihil ergo mirum ſi Moſes, qui parum ad obſequium fuerat ante quadraginta annos, ſeque aſſidue exercuerat in hoc ſancto affectu, dum in arenam deſcendere jubetur, novum terrorem concipit.

12. *Et reſpondit, Quia ero tecum.*] Notandum quod ad ſuperandos omnes metus & eximendos omnes ſcrupulos, ſolam opis ſuæ præſentiam Deus opponit: acſi diceret, non referre quis ſit Moſes, vel quid ferant ejus vires, modo ſit ejus ductor. Quibus verbis docemur, juſto eum honore tunc demum à nobis affici, ubi ſolo ejus auxilio contenti, nullam fiduciæ materiam extra ipſum quærimus: & dum nos turbat propria imbecillitas, ſatis tamen habemus à parte noſtra ipſum ſtare. Hinc celebres illæ ſanctorum voces, Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, &c. Item, Dominus mihi adjutor, non timebo: quid faciat mihi caro? Item, Si me circumſteterint millia hoſtium, confidam Item, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ideo ut quiſque optime in fide profecit, ubi ad maximum quodque diſcrimen ventum eſt, Dei virtutem extollens una exurgit, quo toti mundo audacter inſulret. Atque hinc firmus & infatigabilis obedientiæ tenor, ſi vox hæc radicitus infixa ſit cordibus noſtris, Deum nobis adeſſe. Poſtquam autem juſſus eſt Moſes à ſeipſo mentis conſiderationem avertere, ut in promiſſum Dei auxilium omnes ſuos intuitus defigeret: ſigno etiam confirmatur, triduo poſtquam egreſſi fuerint ex Ægypto Iſraëlitæ, ſacrificaturos Deo in monte Horeb. Videtur tamen minime apta eſſe vel opportuna hæc promiſſio, cujus effectus nondum reperta extitit. Coactos ſenſus, quos vitandæ abſurditatis cauſa quidam accerſunt, omitto: quia recte & prudenter alii obſervant, non inutilem eſſe nec vanam confirmationem à ſignis poſterioribus, cujus etiam alibi occurrunt exempla. Davidem ungens Samuel promittit, fore regem populi: atque hoc ſignum fore pronunciat, quod unctio ſit à Deo. Diu & dubiis caſibus bellandum fuit, antequam hoc ſigno frueretur David: neque tamen ſupervacuum cenſebitur, quia ſuo tempore comprobata fuit Dei gratia. De ſolvenda urbis obſidione Jeſaias differens, ſignum adjungit, Comedetis hoc anno quæ ſponte naſcentur: ſecundo anno, quæ ea ſponte naſcentibus pullulaverint: tertio anno ſeminabitis, plantabitis vineas, & comedetis fructum. Dictum fuit Joanni Baptiſtæ, Super quem videris Spiritum deſcendere, hic eſt qui baptizat in Spiritu & igni. Atqui antequam ſignum illud conſpiceret, jam cognoverat Chriſtum eſſe Filium Dei. Neque enim eum latebant utriuſque parentis vaticinia. Sed abſurdum non eſt, fidem quæ in verbo fundata eſt, acceſſione ſigni creſcere. Denique ſuum beneficium Deus amplificat novo alio ſuperveniente, acſi cumulum menſuræ ſuperadderet. Et ſane inſigni documento ſancita fuit vocatio Moſis, quum eodem in loco ubi tunc ſtabat, populus ejus opera manuque eductus ſolenne ſacrificium obtulit. Cæterum Deus medio tempore ſervum ſuum ſuſpendit. acſi diceret, Sine me quod decrevi perficere: ſatis tempeſtive cognoſces non fruſtra te fuiſſe miſſum, ubi populum incolumem huc adduxeris.

Pſal. 23. *verſ.* 4. *Pſal.* 56. *verſ.* 5. *Pſal.* 27. *Rom.* 8. *verſ.* 31.

Iſa. 37. *verſ.* 30.

Joan. 1. *verſ.* 33.

a *Sam.* 16. *verſ.* 13.

13. *Ecce, ubi ego venero ad filios Iſrael.*] Si credimus Moſen loquutum eſſe ea proprio ſenſu, negat ſe poſſe verba rite facere de incognito Deo: quod minime conſentaneum videtur. Quis enim ea iſtimet in ſancto Propheta ſic exinanitum fuiſſe fidem ut veri Dei, quem animo coluerat, oblitus foret? Quin potius in nomine primogeniti filii teſtimonium reddiderat ſeriæ memoriæ, quum ſponte inquilinum ſe profiteretur in terra Madian. Nihilo hoc magis competere videtur in filios Iſraël, quibus ſemper in ore erat fœdus cum Patribus percuſſum. Si dixerimus, fidem tam Moſis quam Iſraëlitarum velut contracta rohigine obſcuram fuiſſe, non erit à probabili ratione alienum. Erat ipſe apud ſocerum, expers omnis doctrinæ quæ in peculiari cultu eum reineret, ac notitia illa quam imbiberat in Ægypto. Totus vero populus longe deflexerat à Patrum imitatione. Nam etſi non in totum obruta erat veræ & antiquæ religionis claritas, vix tameo micabant tennes ſcintillæ. Quamvis autem ſuam ignorantiam tacite fateatur Moſes, quod non ſatis familiariter exercitatus fuerit in doctrina à ſanctis Patriarchis tradita: quia tamen venturus ad populum erat tanquam extraneus quiſpiam, ſe repudiatum iri colligit, niſi notam teſſeram afferat. Narrabo, inquit, quod jubes: me à Deo Patrum eſſe miſſum: ridebunt ac ſperneut legationem, niſi certus aliquod ſymbolum protulero, ex quo diſcant nomen tuum à me non temere prætexi. Nomen ergo quærit quod ad notam diſcriminis valeat: quia non de ſyllabis aut voce agitur, ſed de teſtimonio, quo perſuadeat Iſraëlitis, propter fœdus Patrum fuiſſe ea auditos.

14. *Sum qui ſum.*] Futurum verbi tempus legitur Hebraice, Ero qui ero: ſed quod præſenti æquipollet, niſi quod deſignat perpetuum durationis tenorem. Hoc quidem ſatis liquet, Deum ſibi uni aſſereré divinitatis gloriam, quia ſit à ſeipſo, ideoque æternus: & ita omnibus creaturis det eſſe, vel ſubſiſtere. Neque enim vulgare quicquam, vel commune aliis de ſe prædicat: ſed æternitatem vendicat propriam ſolius Dei, idque ut pro ſua dignitate celebretur. Proinde continuo poſt neglecta ratione Grammaticæ, idem verbum primæ perſonæ loco ſubſtantivi uſurpat, & verbo tertiæ perſonæ annectit: ut admiratio ſubeat animos, quoties incomprehenſibilis eſſentiæ fit mentio. Etſi autem de hac æternitate magnifice differunt Philoſophi, & Plato conſtanter affirmat, Deum proprie eſſe τὸ ὄν: hoc tamen elogium non ſcire, neque ut decet, in ſuum uſum accommodant, nempe ut unicum Eſſe Dei abſorbeat quaſcunque imaginamur eſſentias: deinde ut accedat ſimul ſummum imperium & poteſtas gubernandi omnia. Unde enim falſorum deorum turba, niſi

quod

quod pravis figmentis divifum numen in partes impie lacerarat? Ergo ut ſolide apprehendamus unum Deum, ſcire primum neceſſe eſt, quicquid in cœlis eſt vel in terra, precario ſuam eſſentiam vel ſubſiſtentiam ab uno qui ſolus vere eſt, mutuari. Ex illo autem eſſe naſcitur & poſſe: quia ſi Deus omnia virtute ſuſtinet, arbitrio quoque ſuo regit. Et quid profuiſſet Moſi arcanam Dei eſſentiam quaſi cælo incluſam ſpeculari, niſi de ejus omnipotentia factura certior clypeum fiduciæ ſibi inde feciſſet? Docet ergo Deus ſe unum eſſe ſacroſancto nomine dignum, quod perperam ad alios translatum profanatur: deinde immenſam ſuam virtutem commendat, ne dubitet Moſes ſub ejus auſpiciis ſe fore omnium victorem. De nomine Jehova, quod ex hac radice deductum eſt, videbimus ſexto capite.

15. Et dixit rurſum Deus ad Moſen, Sic dices filiis Iſraël, Jehova Deus Patrum veſtrorum, Deus Abrahæ, Deus Iſaac, & Deus Jacob, miſit me ad vos. Hoc eſt nomen meum in perpetuum, & memoriale meum in ſeculum & ſeculum.

16. Vade & congrega ſeniores Iſraël, & dices illis, Jehova Deus Patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abrahæ, Iſaac & Jacob, dicendo, Recordando recordatus ſum veſtri, & quid vobis factum fuerit in Ægypto.

17. Propterea dixi, Educam vos ex afflictione Ægypti ad terram Chananæi, & Hitthæi, & Amorrhæi, & Phereſæi, & Hivæi, & Jebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle.

15. *Et dixit rurſum.*] Iterum ex fœdere quod pepigerat cum Abraham & ejus poſteris cognomen ſibi Deus aſſumit: ut ſciant Iſraëlitæ ſe non hallucinari in Deo incerto, modo à Patrum pietate non degenerent. & quemadmodum ad vexillum conveniunt milites, ut ordinem ſervent, ita jubet eos reſpicere in peculiarem adoptionis gratiam, ut ſciant electum ſe eſſe divinitus populum, quia ſunt Abrahæ filii: ac, ne in Deo quærendo vagentur, his illos cancellis circumdat. Scimus enim, quicquid de divinitate perſuaſum fuit inter Gentes, non ſolum multis erroribus fuiſſe implicitum, ſed ambiguum quoque: ut ſemper fluctuarent inter receptas opiniones. Aliam religionem exigit Deus à populo ſuo, nempe in cujus certitudine gradum figant. Adhæc longa in Ægypto habitatio quanquam non deleverat notitiam veri Dei, illam tamen manifeſtationis lucem quæ fuerat in Patribus, multum obſcuraverat. Adde quod, dum in tanta malorum abyſſo pridem demerſi, nihil auxilii ſenſerant, videri poterat obſoleta promiſſio: qua ratione haud dubie accepta à Patribus fides refrixerat. Ergo ut in eam recumbere diſcant, nominat ſe Deum Patrum, & teſtatur hoc elogio velle ſe perpetuo celebrari. Neque enim referri placet ad illud magis remotum, quod Deus ſit is qui eſt: neque etiam contextus hoc patitur. Hinc vero colligi debuit incomparabilis Dei amor erga electum populum, quod cunctis terræ gentibus relictis uni ſe addixerit. Cæterum meminerimus, quamvis Abrahæ & Patriarchis honorificum fuerit Deum ab illis cognomen ſibi aſciſcere, hoc tamen præcipue ſpectare ad ſtabiliendam promiſſionis fidem. Videtur tamen non congruere quod dicit, Hoc erit memoriale meum omnibus ſeculis: quia ſucceſſit in Chriſti perſona memoriale longe præſtantius. Reſpondeo, quia Chriſti adventu exhibita fuit veritas fœderis cum Abraham percuſſi, atque ita clare apparuit firmum & ratum, ejus memoriam renovatam fuiſſe magis quam deletam: itaque ſuperſtitem vigere in Euangelio, quia hodie quoque ſub uno capite non deſinit Abraham eſſe fidelium pater. Summa eſt, Deum nolle fieri mentionem ſui in terra, niſi appareat gratuitæ adoptionis effectus, unde probetur fidelis eſſe ac verax.

16. *Vade & congrega.*] Quia nec facile erat totam plebem colligere in unum locum, & in illa ingenti multitudine vix audita fuiſſet legatio, jubetur Moſes incipere à ſenioribus, & apud eos concionari de futura redemptione, ut illi deinde ſua auctoritate turbam ad bene ſperandum adducant. Oportuit enim miſſionem peti à rege nomine publico, & omnium animos parari ad diſceſſum. Niſi autem præmoniti fuiſſent in tempore, nullus ad amplexandam Dei gratiam futurus erat conſenſus. Magnopere ergo interfuit Moſis vocationem probe eſſe cognitam, ut ducem ſibi à Deo præfectum intrepide ſequerentur. Non abs re autem exprimit, Deum qui ſibi viſus eſt, eſſe Deum Abrahæ, Iſaac & Jacob: quia ex antiquo fœdere quod fuerat apud illos depoſitum, pendebat viſio, cui alioqui vix fuiſſet à populo creditum. Ergo ut verbis ſuis fidem conciliet Moſes, commemorat jam olim in manu Abrahæ, Iſaac & Jacob, redemptionem de qua nunc acturus eſt, & cujus creatus eſt à Deo miniſter, fuiſſe promiſſam. Denique quia difficulter admittere ſolemus quod novum eſt ac inſolitum, ideo principium ſumit Moſes à veteribus oraculis quæ dubitatione carebant. Repetit autem quod prius ſibi fuiſſe dictum narravit, ut quod privatim audierat, quo ſuæ vocationis fieret certior, perferat nunc ad alios. Scimus, ubi non ſtatim miſeriis noſtris ſuccurrit Deus, mœrore tabeſcere animos & collabi in deſperationem: quia putamus nullam eſſe noſtri curam Deo. Ergo ne animos deſpondeant Iſraëlitæ, jubetur Moſes illis dicere ſuum eſſe Deo reminiſcendi tempus? & quamvis ad tempus conniveat, non tamen perpetuo ſuorum oblivifci. Ad confirmationem valet quod additur, veniſſe coram Deo in rationem illatas ab Ægyptiis injurias. Nam quia judex eſt mundi, fieri non poteſt quin poſt longam tolerantiam injuſtæ tyrannidis vindex exurgat. Diſcamus nos quoque ex hoc loco, ubi à nobis avertere faciem ſuam videtur Deus auxilium ſuum differendo, patienter expectare, dum nos opportune reſpiciat: quia dum nos hoſtium libidini permittit, nonniſi temporalis eſt ejus oblivio. Quomodo autem intelligi debeant hæ figuræ, alibi admonui: nempe ex æſtimatione ſenſus noſtri Deo tribui quod in eum proprie non competit.

17. *Propterea dixi.*] Hoc verbo admonuit Deus ſe in arcano ſuo conſilio decernere quid factura ſit, ideoque injiciendum eſſe frenum votis noſtris, quæ alioqui nimis properant: ut libere & pro ſuo arbitrio ſtatuat quod factu optimum eſſe cognoſcit; non quod opus habeat tempus ad deliberandum ſumere, ſed ut nos ab ejus providentia pendere diſcamus. Porro hoc decreto edocti fuerunt filii Iſraël, jam adeſſe finem malis ſuis: quia nihil eſt quod Deum ab opere ſuo prohibeat. Breviter autem loquitur tanquam de re nota: quia non prorſus exciderat quod de manu in manum traditum fuerat à Patribus de futura liberatione. Plures autem gentes enumerat, quarum terras illis daturus eſt, ut hac illecebra meliùs eos incitet ad migrandum. Eodem ſenſu affirmat totam illam regionem fluere lacte & melle, ne illius ſterilitas metum incutiat, quoniam fames inde ipſorum Patres expulerat. Cæterum quamvis ſponte fertilis fuerit terra Chanaan, non dubium eſt tamen quin præcipua ejus ubertas fuerit ex Dei benedictione. Summa eſt, amplum illis domicilium paratum fore: quia in illorum gratiam multas gentes Deus expellet, ut omnium ſedes occupent: deinde non eſſe timendam inopiam, quia Deus large victum ſuppeditabit: perinde acſi irrigua eſſet tota illa regio fluviis lactis & mellis.

18. Et

18. Et postquam audierint vocem tuam, ingredieris tu & seniores Israël ad regem Ægypti, dicetisque ei, Jehova Deus Hebræorum occurrit nobis: nunc igitur eamus per iter trium dierum in desertum, & sacrificemus Jehovæ Deo nostro.

19. Ego autem novi quod non permittet vobis rex Ægypti ut eatis, nisi in manu forti.

20. Ideo mittam manum meam, & percutiam Ægyptum cunctis miraculis meis quæ facturus sum in medio ejus: atque ita postea dimittet vos.

21. Et dabo gratiam populo huic in oculis Ægyptiorum: & accidet ut abeundo non abeatis vacui.

22. Et postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita domus suæ, vasa argentea & vasa aurea, & vestes: quæ imponetis filiis vestris & filiabus vestris: & spoliabitis Ægyptum.

18. *Et postquam audierint vocem.*] Ad verbum est, Audient vocem tuam: quod ita multi accipiunt acsi Deus obsequentes fore promitteret. Sed prior sensus videtur melius quadrare, ut priore loco jubeat doceri voce Mosis, deinde comites se adjungere ad exponendum Pharaoni mandatum. Antequam enim illis injungeretur tam difficile negotium, operæpretium fuit Dei auctoritatem illis proponi, ne illud susciperent vacillantibus animis. Summa autem mandati est, ut petant à Pharaone commeatum sacrificandi causa. Porro ne temerario impulsu putentur id facere, jubentur ita præfari, Deum sibi veniſſe obviam, idque jussisse. Nam Occurrendi verbum tantundem valet ac sponte se offerre. Ingemuerant quidem prius, & sæpius imploraverant fidem & misericordiam Dei: vere tamen hic fuit voluntarius occursus, quum præter spem omnium se liberatorem fore professus est. Diximus enim clamasse impetu doloris magis quam exorandi fiducia. Jam suggeritur illis prætextus, quo suspicionem & invidiam à se avertant. Neque enim liberi discessus, unde gravis jactura instabat tyranno, unquam permissa fuisset facultas. Adde quod tam æquum postulatum negando, regio jure imperioque se privavit, quum Deo summo regi suum honorem eriperet. Etsi enim sub ejus ditione erant Israëlitæ, non tamen hac lege in eos dominabatur ut Deum justo cultu fraudaret. Atqui utile fuit nonnisi optima de causa populum invito rege egredi, ne in futurum tempus daretur subditis quibuslibet excutiendi jugi libertas. Aliud quidem suspicatus est Pharao, nempe, meram esse fallaciam quod de sacrificio obtendebant: quia tamen diffidentia hæc ex tyrannide oriebatur, satis in eo convicta fuit ejus ingratitudo, quod sibi male consciius Deum coli vetuit. Jam quicquid illi in mentem venerit, miraculis tamen quæ verbo addita erant edoctus, ignorare non debuit à Deo profectam esse hanc legationem. Si tantum loquuti essent Israëlitæ, nec interposita fuisset ulla sermonis comprobatio, merito forsan sibi à fraude cavisset: verum ubi palam ostendit Deus se hujus profectionis esse auctorem, seque extra Ægypti fines sacrificium exigere, cessat omnis excusationis color: atque ita purgatur à calumnia populi discessio. Siquis objiciat, alienum fuisse à Dei natura astute quicquam obtendere: facilis est responsio, Deum nulla fuisse necessitate obstrictum ut tyranno consilium suum patefaceret. Speciem mendacii his verbis fuisse inclusam falso quidam jactant. Nihil enim simulare populum suum voluit Deus: tantum (quod jure suo poterat) tyrannum celavit quid ultra facturus esset: atque hoc modo impiam ejus pervicaciam detexit, ac in lucem prodidit. Denique certamen pro Israëlitis susceptit Deus, non de terrenis controversiis, sed de religione, cui omnia regum jura cedere oportet. Se autem vocat Jehovam Deum Hebræorum, ut sciat Pharao huic genti peculiarem esse Deum, & formam pietatis ab Ægypti consuetudine diversam: deinde unum illum esse verum Deum, alios omnes commentitios.

19. *Ego autem scio quod rex Ægypti.*] Præmunit suos Deus, ne repulsam primo congressu passi labascant, & desperatione fracti injunctum sibi opus deserant. Durum quidem hoc auditu fuit, frustra se expeditionem suscipere: perinde acsi verba apud stipitem facerent, quia nulla erat spes proficiendi apud aures obstinatas: sed longe hac tentatione durius perculsi fuissent, si ex inopinato deprehensa fuisset in rege contumacia. Prædicit ergo Deus nihil verbis suis effecturos: sed ex adverso denunciat se admirabili virtute fore superiorem. Si cui videtur esse absurdum, supervacuo labore fatigari miseros homines, ut cum ludibrio & contumelia repellantur: respondeo spectasse hoc ad exemplum, & utile fuisse ad illustrandam Dei gloriam, ut rex humaniter rogatus impiam contumaciam proderet: quia nihil justius fuit quam extorqueri ab invito quod injuste negabat. Cæterum de verborum sensu dissentiunt interpretes. quidam enim vertunt sicut Hebraice ad verbum legitur, Neque etiam in manu valida: quasi diceret Deus inexpugnabilem fore regis superbiam, quia nulla vi aut potentia subigeretur: sed contextus alium sensum postulat, quia mox opponitur remedium, Ego vero extendam manum meam: & subjicitur eventus, quod Pharao plagis tandem domitus populum dimittet. Convenit etiam Grammaticæ ratio: quia Hebræi לֹא pro Nisi accipiunt. Quamvis igitur Pharao non statim obtemperet, jubet suos tamen Deus firmos stare & constantes: quia velit rarâ virtutis specimen in ipsis liberandis edere. Interim ad sperandum eos hortatur promisso felici exitu: quia Pharaonem vi coget ad cedendum.

21. *Et dabo populo huic gratiam.*] Hoc etiam liberalitatis cumulo Israëlitas allicit, ut animosius contendant ac nitantur: quia alioqui grave fuisset cum tanta regis duritie confligere. Ergo non modo libertatem, sed opum quoque & pretiosæ supellectilis copiam promittit. Verum quia res erat difficilis creditu, Ægyptios infestissimos populi hostes, tam comes & benignos fore ut quicquam beneficentiæ præstarent, admonet Deus sui arbitrii esse flectere quocunque velit hominum corda. Facturum igitur se pronunciat ut Ægyptii repente ex lupis fiant oves, & qui solebant rapere & vorare, nunc lac ex suis uberibus, & lanam ex tergo suppeditent. Locus autem hic continet uberem amplamque doctrinam: quoties in nos atrociter homines sæviunt, non sine Dei consilio hoc accidere, quia momento manu suefacere eos possit: dare igitur incentiam eorum sævitiæ: quia ad nos castigandos vel humiliandos ita expedit. Rursum hinc colligimus, nullos esse nobis hostes tam inmanes & barbaros, quorum ferociam cicurare Deo facile non sit ac promptum. Hoc si nobis vere persuasum esset, arcano Dei instinctu huc & illuc verti hominum corda, non ita expaveſceremus ad eorum odia, minas & terrores, nec eorum metu tam leviter ab officio deflecteremus. Atque hæc torpiditio justa est incredulitatis merces, ubi in Dei providentia non quiescimus. Etsi autem nostrarum partium est dare operam ut comiter nobis omnium gratiam conciliemus, sciendum tamen est, nostra industria non conciliari favorem, nisi Deus corda inclinet.

22. *Et postulabit mulier.*] Quibus videtur hæc ditandi populi ratio justitiæ Dei parum consentanea, parum

parum ipſi conſiderant quam late pateat juſtitia de qua loquuntur. Fateor ejus eſſe proprium, tueri jus ſuum cuique, prohibere furta, damnare fraudes & rapinas. Sed videamus quidnam ſit cujuſque. Quis ſuum eſſe jactabit niſi quod à Deo datum eſt? & quidem ut precario poſſideant ſinguli quod Deo placet, cui liberum eſt ſingulis momentis auferre quod dedit. Spoliarunt Hebræi Ægyptios: ſi ibi queratur factam ſibi injuriam, expoſtulent cum Deo quod ſua beneficia ab ipſis ad alios tranſtulerit. Audiendane erit hæc querimonia, Deum, in cujus manu ſunt fines terræ, qui pro imperio geotibos fines terminat, qui reges ad inopiam redigit, privaſſe quoſdam bominesſupellectile & vaſis? Affertur à goibuſdam alia defenſio, quod nihil alienum rapuerint Hebræi, ſed debitam ſibi mercedem acceperint: quia inique adacti fuerant ad operas ſerviles, & tenuiter victitaverant de ſuo. Et certe æquum fuit aliquo pretio eorum laborem penſari. Sed nihil opus eſt ex lege communi æſtimare Dei judicium, quando jam viſum eſt ipſius eſſe omnes mundi copias, ut ſinguliseroget quantum libuerit. Neque tamen hoc modo eum facio exlegem. etſi enim ſupra omoes leges eminet ejus poteſtas, quia tamen voluotas ejus certiſſima eſt perfectæ æquitatis regula, rectiſſimum eſt quicquid facit: atque ideo legibus ſolutus eſt, quia ipſe ſibi & omnibus lex eſt. Neque etiam ſimpliciter dico cum Auguſtioo, mandatum Dei eſſe de quo non eſt judicaodum, ſed cui eſt obtemperandum, quia novit quam juſte mandet: ſervi autem eſt obedienter facere quicquid mandat. Vere quidem hoc dicitur, ſed tenendum eſt illud altius principium, quum ſola Dei liberalitate ſinguli poſſideant quod ſuum vocant, nullum eſſe juſtiorem poſſidendi titulum quam ex ejus donatione. Non dicemus ergo prædatas eſſe mulieres Hebræas quod eas ſumere juſſit Deus, & quod illis largiri voluit: quia autem oonniſi de ſuo largitus eſt, injuſtus non eeoſebitur. Ubi verti Hoſpitam, quidam cohabitatricem ponunt: nec magnopere ad rem pertinet, quia ex altera voce colligitur permixtos fuiſſe Hebræis Ægyptios. In fine verſus, quia Hebraice legitur, Ponetis ſuper filios veſtros & ſuper filias veſtras, fere interpretantur omnes Ornare. Ego vero potius arbitror notari magnam opum congeriem: acſi dictum eſſet, Non modo impetrabitis quantum poteritis humeris geſtare, ſed onerabitis etiam filios veſtros & filias.

Caput IV.

TUnc reſpondit Moſes, & dixit, Sed ecce non credent mihi, neque obedient voci meæ: quia dicent, Non apparuit tibi Jehova.

2. Et dixit ad eum Jehova, Quid eſt hoc in manu tua? Et dixit, Baculus.

3. Tunc dixit, Projice eum in terram. Et projecit eum in terram, & factus eſt ſerpens: & fugit Moſes à conſpectu ejus.

4. Et dixit Jehova ad Moſen, Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Et extendit manum ſuam, & apprehendit eum: & factus eſt baculus in manu ejus.

5. Ut credant quod apparuerit tibi Jehova Deus Patrum ipſorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.

6. Et dixit Jehova illi rurſum, Induc nunc manum tuam in ſinum tuum. Et induxit manum ſuam in ſinum ſuum: & ecce manus ejus leproſa quaſi nix.

7. Et ait, Reduc manum tuam ad ſinum tuum. Et reduxit manum ſuam ad ſinum ſuum: & poſtquam extraxit è ſinu ſuo, ecce reverſa eſt ſicut caro ejus.

8. Et erit, ſi non crediderint tibi, neque obedierint voci ſigni prioris, credent voci ſigni poſterioris.

9. Erit autem, ſi non crediderint etiam duobus ſignis iſtis, neque obedierint voci tuæ, tunc accipies ex aquis fluvii, & effundes in aridam: & erunt aquæ quas ſumpſeris è fluvio, erunt *inquam* ſanguis in arida.

1. *Tunc reſpondit.*] Recitat boc capite Moſes quam cunctaoter Deo paruerit, oon pervicacia, ſed timiditate. Neque enim, ut ſoleot refractariæ beſtiæ, jugum excutit, ſed huc illuc declinat, ne ſibi aptetur. Atque hinc melius perſpicere licet quanta infirmitate laboraverit, ut fides ejus prope eſſet ſuffocata. Ab una quidem parte voluotarius fuit ac propenſus ad obſeqoium: ſed quum arduæ difficultates contra obſiſterent, ex hac lucta emergere non potuit, donec tergiverſando effugia omnia tentaſſet. Nec certe eſt cur valde miremur eum ad tempus reſtitaſſe: quum vix ullum cerneret operæ ſuæ pretium. Debuit quidem, fateor, vel clauſis oculis pergere quo jubebat Deus, à cujus ſolo nutu pendere pios omnes convenit: debuit non ex ſuo ſenſu de re incredibili facere judicium, ſed ex Dei voce. Nec certe vel fidem abrogavit loquenti Deo, vel impoſitum ſibi onus rejicere voluit: ſed quum ex altera parte diſcrimioa cerneret quibus explicare ſe non poterat, bioc mens ejus diſtracta fuit io diverſas partes. Nec quiſquam eſt piorum qui non ſæpe in confuſas diſceptationes trahatur, quoties ex intuitu obſtaculorum mentibus offunditur caligo. Fuit igitur in Moſe voluntas & ſtudium, alacritas autem & conſtantia defuit: quia ut erat debilis, ad objectas ſibi remoras ſubſiſtere coactus eſt. Ac prudenter diſcernere oeceſſe eſt inter timiditatem quæ curſum impedit, & recuſandi audaciam, cui adjunctus eſt contemptus. Multi dum moleſtiam fugitant, ſic retrahuntur ab officio ut obdureſcant in ſua ſegnitie. Qui autem recte agere cupiunt, quamvis anxietate vel metu in ſpeciem retrocedant, ſimul tamen aſpirant ad ulteriorem progreſſum: denique ſic alternant ut ſe ounquam prorſus ſubducant Dei imperio. Videtur quidem Moſes obſtrepere ipſi Deo, & cum eo altercari: ſed bæc ſive audacia, ſive ſimplicitas, plus in ſe habuit modeſtiæ quam ſi latebras in ſilentio captaſſet: ſicuti multos diximus tacendo fovere detrectandi licentiam. Hie enim certe fuit ſcopus, ut deinde expeditior eſſet ad pergeodum. Angebat ſanctum virum bæc cura, quod populares ſuos ex pertus fuerat pravos & fere intractabiles: hae cura ſe exooerans in ſioum Dei, nova promiſſione erigi cupit, ut boc impedimento ſolutus alacriter currat.

2. *Quid eſt hoc in manu.*] Ex more linguæ Hebraicæ fuſius nunc explicat Moſes & diſtinctius proſequitur quod prius ſummatim attigerat de ſignis. Porro in ſignis tribus quæ refert, conſideranda nobis eſt analogia. Pedum paſtorale quod io manu geſtabat, projectum in terram, vertitur in ſerpentem: rurſus in manum receptum, naturam ſuam recuperat. Mihi non dubium eſt quio docere voluerit Deus, quamvis

quamvis abjecta & despicabilis esset Mosis conditio, formidolosum tamen fore regi Ægypti. Baculus enim ille, pastoris insigne erat. Quid autem magis contemptibile quam prodire ovium custodem è deserto, & pedum suum, quo vix se & gregem tueri solebat à feris bestiis, opponere sceptro potentissimi regis? Cæterum admonet Deus, quamvis destituatur splendore terreno, opibus & potentia, fore tamen horribilem Pharaoni: quasi diceret, timendum non esse ne hominem rusticanum spernat Pharao, vel pro nihilo ducat: quia baculus in serpentem conversus plus terroris afferet quam mille gladii. Quod dicit Moses se perterritum fugisse, voluit haud dubie Deus percellere metu servum suum, ut melius æstimaret ex animi sui sensu qualis futura esset Dei virtus ad terrendum superbum illum regem. Hic ergo fuit miraculi finis, non esse opus magnis copiis, quia ad conspectum solius baculi expavescet Pharao: neque opus esse baculum agitari & valide concuti, quia proprio motu & jactatione satis incuteret timoris. Altera pars miraculi, quum rediit baculus in pristinam formam, huc tendebat, ut sciret Moses, quod hosti infestum ac damnosum erat, sibi adjumento & præsidio fore. Idem itaque baculus Mosen instruxit fortitudine, hostem vero dejecit ac prostravit. Quod autem Dei voci confestim obtemperans serpentem apprehendere audet, ex obedientia colligitur singularis fides: atque etiam clarius ex subita mutatione, quod virulentum & noxium animal, à cujus conspectu nuper fugerat metu consternatus, provocare non veretur, caudam ejus premendo. Ergo pusillus animus magnæ fiduciæ capax fuit, & alternis vicibus nunc timiditas, nunc pietas fructus suos protulerunt. Atque hoc in primis notatu dignum est, præsentia Dei erectum fuisse Mosen: sed quum ad indomita gentis suæ ingenia & superbam Ægypti dominationem reflecteret oculos, fuisse debilitatum. Nunc quæritur fuerit ne vera & substantialis conversio baculi in serpentem, an exterior forma duntaxat fuerit mutata. Ego, etsi nolim pertinacius contendere de re levis momenti, amplector tamen quod magis probabile est, non modo fuisse objectam imaginem vel spectrum, sed Deum, qui ex nihilo creavit omnia, dedisse baculo novam naturam, & rursus ex serpente feciſſe baculum: quod nihilo fuit difficilius quam uxorem Loth vertere in statuam salis. Hoc quum Dei potentiæ promptum ac facile fit, verisimile mihi non videtur spectris eum lusisse. Quod vero idem imitati sunt magi, de eorum præstigiis dicemus suo loco.

Gen. 19. vers. 26.

5. *Ut credant quod apparuerit.*] Non ergo semel tantum Mosi spectaculum hoc propositum fuit, sed data quoque potestas fuit ejusdem miraculi sæpius edendi: tam ut apud Israëlitas fidem acquireret, quam ut reprimeret Pharaonis audaciam. Quamvis autem abscissa sit oratio, nulla tamen est in sensu ambiguitas: nempe armari Mosen cœlesti potestate, quo certa sit ejus vocatio, nec quisquam dubitet Prophetam esse divinitus missum. Hic de usu miraculorum ex professo differere longum esset: hoc breviter tenere sufficiat, nonnunquam illa valere ad fidei præparationem, aliquando vero ad confirmationem. Utriusque exemplum in baculi conversione cernimus, qua magis animatus & erectus fuit Moses ut robur colligeret, quum jam Dei promisso fidem haberet: Israëlitæ vero, qui & increduli erant & parum dociles, aptati & subacti fuerunt ad credendum. Denique miraculum januam fidei aperuit apud Israëlitas, ut persuasi de Prophetico ejus munere, docerisse sustinerent: ipse autem ad majorem certitudinem & constantiam perductus est. Nam quod altius illud principium repetit de veterum Patrum adoptione, tametsi ad fundandam spem redemptionis spectabat, non tamen ideo sequitur fuisse præparatos ad recipiendum Mosen, donec auctoritas ejus ministerio parta fuit. Quare dixi fidem in illis fuisse miraculo inchoatam.

6. *Induc nunc manum tuam in sinum tuum.*] Hoc signo edoctus fuit Moses, quod maxime vegetum est arescere protinus ad Dei nutum, & rursus quod aridum est restitui pristino vigori: denique comprobata fuit illa Pauli sententia, Deum vocare ea quæ non sunt, tanquam sint. Hæc fuit species lepræ, quum ex aula relegatus fuit Moses in deserta Madian, ubi gregem circumegit per loca tesca & aspera, inter sentes & rubos. Postquam annos quadraginta similis semimortuo transegit, quum nulla esset in eo dignitas, nullum nomen, quasi postliminio recepit quod amiserat. Itaque nunc ei promittit Deus se quod abstulerat mox redditurum. Hæc simplex est signi analogia cum suo effectu, qua contentus erit modestus lector, valere jussis aliorum argutiis. Hoc enim apprime cognitu necessarium fuit, stare & cadere Dei arbitrio cunctos mortales: dum maxime videntur robusti, marcescere repente eorum vires, ac tabescere: deinde simulac Deo visum est, in florentem & nitidum statum ex deformi & caduco redire. Hoc modo didicit sanctus vir, sicuti ad tempus jacuerat obscurus, quia Dei manu abductus fuerat ab hominum consortio, & conjectus in solitudinem, ita non esse desperandum quin eadem manu fieret novus homo. Hæc etiam conditio ad totum populi corpus aliquatenus pertinuit: sed quia melius quadrat Mosis personæ, hunc sensum retinere præstat, ne præsentem duntaxat facultatem æstimans, quia sordidus est pastor, se parem fore diffidat obeundo muneri: sed decus & fortitudinem à Deo expecter. Porro non Mosi tantum privatim consulere voluit Deus (ut dictum est) sed eum afferere à contemptu coram populo, ne exilium quo deformatus fuerat ejus splendor, gratiam & auctoritatem detraheret: sed, quia Dei vocatio instar resurrectionis in sancto viro fulgebat, ut ei simul constaret existimatio & dignitas.

Rom. 4: 6.

8. *Et erit, si non crediderint.*] His verbis Deus ansam dubitandi præcidit Mosi: quasi diceret satis esse instructum & munitum ad vincendam populi pervicaciam. & tamen ut supra justam mensuram emineat cumulus, tertium signum mox superaddit, unde Moses plenam fiduciam concipere debuit, ne quid amplius remoræ pio ejus studio obstaret. Hoc porro insigne est documentum indulgentiæ Dei, quod tam liberaliter signa signis addere dignatus est, ut cum populi malitia certaret, donec torpentes forti manu traheret ad credendum. Certe neglecto primo miraculo, indigni erant quibus Deus alterum potentiæ suæ specimen proponeret. Miræ igitur patientiæ fuit adhuc insistere ad corrigendam eorum socordiam. Æque etiam clementer hodie tarditati nostræ ignoscit: quia ubi minus quam decebat reverenter excipimus testimonia quibus gratiam suam demonstrat, non ulciscitur tam fœdam ingratitudinem, sed nova potius subsidia adjungit, quæ nostræ incredulitati medeantur. Jam vero sicut duobus miraculis ostendit Deus potentiam, quam volebat per manum Mosis exerere, ita hoc tertio docuit qualis erga Ægyptios futurus esset. Ac proinde intus & extra confirmatus fuit Moses cum toto populo. Summa igitur est, ubi Deus manum suam contra Ægyptios extulerit, adeo nihil illis virium ad resistendum fore, ut munitiones quibus confisi superbiebant, sibi adversas esse sentiant ac noxias. Scimus quam multa & varia commoda ex Nilo perciperent. Erat enim regio ab una parte quasi oppositò claustro tuta & inexpugnabilis: multi portus mutuo commeatu ad merces exportandas & importandas gentem ditabant: ex inundatione agrorum fertilitas: denique Ægyptus præcipuam felicitatis suæ partem locabat in Nilo. Nunc autem admonet Deus non modo nihil profuturum Ægyptiis, sed in manu sua esse com-

moditates omnes vertere in noxas: acſi fluvius ipſe, qui terram ſua irrigatione fœcundam reddere ſolebat, eam ſanguine fœdaret atque operiret. Quod attinet ad verba, impropriè vox ſigni ponitur pro demonſtratione potentiæ Dei, qua doceri Iſraëlitas oportuit, Moſen ſibi à Deo liberatorem eſſe miſſum. Quamvis enim baculus in ſerpentem converſus non loqueretur, tamen plusquam ſonora voce clamabat non fore Deo arduum quod prorſus impoſſibile Iſraëlitæ putabant. Alii particulam אות ſic reſolvunt, Si non credent voci propter ſignum: ſed altera interpretatio magis genuina. Ratio tamen loquutionis paulo poſt ſubjicitur, in hac diſtinctione, Si non crediderint ſignis duobus, neque obedierint vocitatæ: quaſi diceret Deus, potentiam ſuam tonare vel clamare in miraculis, ut audientia fiat doctrinæ ſervi ſui.

10. Tunc dixit Moſes ad Jehovam, Obſecro Domine, ego non ſum vir diſertus, neque à die heſterno, neque nudiustertius, neque ex quo loquutus es ſervo tuo: quoniam ore lento & lingua lenta ego ſum.

11. Reſpondit autem illi Jehova, Quis poſuit os in homine? aut quis ſtatuit mutum, vel ſurdum, aut videntem, vel cæcum? annon ego Jehova?

12. Nunc igitur proficiſcere, & ego adero ori tuo, & te docebo quæ loquaris.

13. Et dixit, Obſecro Domine, mitte per manum per quam mittes.

14. Et iratus eſt furor Jehovæ contra Moſen, & dixit, Annon Aharon fratrem tuum Levitam novi, quod loquendo loquuturus ſit ipſe? Atque etiam ecce egredietur in occurſum tuum, & te aſpiciens lætabitur in corde ſuo.

15. Loqueris igitur ad eum, & pones verba in os ejus, & ego ero cum ore tuo & cum ore ejus, & oſtendam vobis quæ ſitis facturi.

16. Et loquetur ipſe pro te ad populum, eritque tibi pro ore, & tu eris illi pro Deo.

17. Et baculum hunc accipies in manu tua, ut facias * per eum ſigna.

* vel, cum o.

10. *Obſecro Domine.*] Omnes tergiverſandi modos captat Moſes, ut onus ſibi impoſitum avertat: non quod imperium detrectare in animo ſit, ſed quia gravitatem formidat. Virium igitur ſuarum diffidentia eum ita lentum ac trepidum reddit. In promptu remedium erat, ſtatuere apud ſe, quum certo ſciret nihil ſe temere aggredi, Deum, cujus mandato parebat, quantum ſatis eſſet virtutis ſuppeditaturum. Hoc ergo vitioſum fuit, non rejicere in Deum omnes curas, & poſthabita ſua infirmitate, ſperare præter ſpem, Abrahæ exemplo, qui non conſideravit corpus ſuum effœtum, nec emortuam vulvam Saræ, ſed Deum poſſe credidit præſtare quod promiſerat. Modeſtiæ quidem fuiſſet hunc quem obtendit defectum reputare, modo tantum ſuppetias à Deo rogaſſet: ſed quum ultra progreditur, ut immunitatem impetret, Deo facit injuriam, acſi ſervis ſuis plus imponeret oneris quam ſint ferendo, vel inconſiderate quidvis mandaret. Merito itaque damnatur hæc ſollicita cautio, quamvis aliquid habeat virturis admixtum: quia quæcunque nobis occurrat difficultas, ſolatium hoc ſufficere debet, formari & inſtrui à Deo qui nullam ad remidonei ſunt, quoties eos eligit miniſtros. Timere quidem licet in rebus perplexis, modo ne parendi ſtudium impediat anxietas: ſed quicquid injungit Deus, recuſare nunquam fas eſt quocunque prætextu. Cæterum videmus ut quæ minime apta videntur inſtrumenta, præcipue in uſum ſuum applicet, quo melius refulgeat ejus potentia. Poterat Moſen, ſi eo volebat legato uti, facundum ab utero creare: ſaltem ubi ad opus mittit, correcta balbutie formare ejus linguam. Videtur ergo per ludibrium balbo mandare loquendi partes: ſed hoc modo (ut dixi) ſe non aliunde adjutum omnia poſſe oſtendens, gloriam ſuam clarius illuſtrat. In verborum ſenſu variant interpretes. hoc membrum, Ex quo loquutus es ad ſervum tuum, quidam amplificandi cauſa additum fuiſſe putant, quaſi poſt viſionem oblatam impeditior eſſe cœperit Moſis lingua: ſed quum particula מן ter repetatur, ſimpliciter interpretor Moſen ab infantia uſque nunquam fuiſſe diſertum, neque etiam nunc donatum nova eloquentia.

Rom. 4. v. 18, 19.

11. *Quis poſuit os in homine?*] Hic cauſa exprimitur cur reprehenſione digna fuerit Moſis cunctatio: nempe quod in propria infirmitate ſubſiſtens non reſpiceret in Deum, qui nullius humanæ opis indigus, per ſe nullo negotio implet quicquid decrevit, & obſtaculis quæ nos terrent ſubactis, adjumenta ſibi pro arbitrio undecunque adſciſcit. Remoram ex ſua balbutie ſibi objicit Moſes: reſpondet Deus, ſe unum eſſe qui linguas hominum, quas creavit, gubernet: itaque quod alii ſunt elingues vel muti, alii autem prompti ad loquendum, diſcrimen eſſe ex mero ſuo beneplacito. Unde ſequitur, ſubjici ejus imperio totam naturam (ut loquuntur) ut media quæ nulla ſunt facile inveniat: contra vero quæcunque repugnant impedimenta longe avertat, vel cogat etiam ſub obſequium. Quanquam non tantum ſibi vim & poteſtatem moderandi vendicat in generali naturæ curſu, ſed docet ex ſpeciali ſua gratia fluere quod alii ſupra alios eloquentia pollent: neque id modo, ſed in manu ſibi eſſe miras converſiones, ut diſertiſſimos quoſque obmuteſcere faciat, mutis autem linguam expediat ad loquendum. Nam & experientia hoc docet, qui linguæ agilitate præſtant, interdum ſermone deſtituì: rurſum balbos aut tardos incredibili dexteritate agere cauſam unam, quum in aliis omnibus deficiat eos facultas. Quum ergo in manu Dei ſit linguas ſingulis momentis vel conſtringere vel ſolvere, perperam Moſes quaſi deprehenſus hæſit; quia non ſuppeteret naturalis facundia: acſi penes auctorem naturæ non eſſet hujus incommodi remedium. Verum ſicuti immenſam Dei potentiam ſupra omnes qui nobis adverſantur obices extollere convenit, ita rurſus cavendum ne promiſcue & ſine delectu hoc illuc eam trahamus, acſi noſtris figmentis ſubjecta eſſet. Videmus enim pleroſque, dum nimis audacter ſuſcipiunt quicquid tulit eorum libido, ne quid eorum impetum moretur, hunc clypeum arripere, in Dei manu eſſe omnia media & eventus. Atqui hac jactantia indigne profanatur Dei virtus: ideoque non poteſt hæc ſententia rite accommodari in legitimum finem, niſi præluceat vocatio & mandatum. Itaque notanda eſt connexio, Proficiſcere quo te mittam: nonne ego ſum Jehova, qui ſermonem, viſum & auditum hominibus largior? Quæ huc tendit, ut Moſes liberalitatis divinæ fiducia ad exequendum munus ſuum ſtrenue incumbat.

13. *Mitte per manum.*] Quod hunc locum interpretantur nonnulli de Chriſto, quaſi diceret Moſes ejus virtute opus eſſe ad tanti operis magnitudinem, coactum eſt & longe petitum, & refellitur proximo contextu: quia ad hanc precationem non tantopere excan-

excanduisset Deus. De Aharone cur alii dictum accipiant non video: nihil enim in eorum conjectura firmum est, quod Moses sibi fratrem prætulerit. Tertius sensus magis est tolerabilis, ut Deus quem ad hoc opus destinavit, velut porrecta manu dirigat: quod tantundem valet atque necessariis dotibus ornare. Sed tunc relativum vertendum esset in genere masculino. Mihi autem, ut tollatur omnis ambiguitas, fœmineum genus magis placet, quemadmodum etiam reddidi. Neque enim dubium est quin Moses onus sibi nimis molestum & grave in alium quemlibet transferre cupiat. perinde acsi dixisset, Quum tibi innumeri sint ad manum quorum opera utaris, ex hac copia delige quem voles, modo illum tibi quæras, ego excusatus maneam. Subest enim inter ipsum Mosen & alios tacita antithesis, ubi se mutilum esse subindicans, alios dexteritate, industria, agilitate prædituos esse dicit. Unde absurdum fore ratiocinatur, si Deus manus ad opus bene formatas & paratas rejiciat.

14. *Et iratus est furor.*] Confirmat hic locus à contrario sententiam illam, nullum esse Deo gratius sacrificium quam obedire voci ejus: quando tam graviter offenditur Deus Moſis tarditate, cui tamen fuberat speciosa excusatio. Sed nihil Deo pluris est quam ut verbo suo consset auctoritas, atque ut hoc freno regi se permittant homines. Veniam Deus servo suo cunctanti & ad officium segni dederat: sed obstinate refragari videns, amplius non parcit. Quo monemur, attente cavendum esse, ne si ad tempus nos Deus tolerat, ipsi nobis indulgeamus, quasi impune abuti liceret ejus patientia. Quanquam hoc signum est paternæ mansuetudinis, Deum eatenus irasci ut objurgatione contentus sit. Quod dicit se novisse Aharon fore Moſis interpretem, dubium est an ab initio statuisset eum adhibere ad hoc munus, an vero hoc tandem concesserit Moſis diffidentiæ. Verum quidem est, Deum nihil agere quod non occulta sua providentia ante mundi creationem decreverit: sed aliquando interveniunt mediæ causæ cur hoc vel illud fiat. Utrumque hic probabile est, vel quod pronunciet Deus Aharon jam à se delectum esse, qui secundas partes obeundo Moſi sit adjutor: vel dicat hoc subsidium se concedere Moſis infirmitati. Hoc secundum mihi magis placet, Aharon cum indignatione adjungi fratri suo comitem, ut pars honoris ad eum transferatur: quando Moses ipse retrocedendo, ex dignitatis suæ gradu decesserit. Sed cur Levitam vocat, acsi de homine incognito ageretur? Respondent quidam, plures fuisse eodem nomine inter Israelitas: mihi autem simplex hæc solutio sufficit, non unum quempiam ex genere Israel socium Moſi promitti, sed fratrem propinquum: nempe qui germanus esset, ut tam arctum cognationis vinculum magis familiarem usum afferret. Nisi forte reſpexerit Deus ad futuram vocationem tribus Leviticæ. Pactum enim suum cum Levi per Malachiam fuisse docet, ut posteri Legis & veritatis custodes essent, ac nuncii Dei exercituum. Ita sensus optime quadraret, quod Deus iræ suæ temperet, dum Moſis detrectatione offensus, sumpturus tamen sit legatum ex tribu illa cui Sacerdotium destinaverat. Porro non vulgaris confirmatio additur, quod Aharon fratri venturus sit obviam in desertum, & eum cum summo gaudio excepturus. Perinde enim hoc valuit acsi Deus una manu servum suum ex terra Madian impellens, alteram manum ex Ægypto porrigeret ad eum trahendum. Visio enim Moſen extrudere debuit ad præceptum Dei exequendum: sed quia ejus pigritiem stimulari necesse erat, emissus fuit Aharon, acsi palam manum suam Deus proferret

1 Sam. 15. vers. 22.

alacritatis excitandæ causa. Neque enim vel animi gratia, vel fortuito, vel inani curiositate in desertum progressus est: sed certo cognovit Moses vexillum sibi divinitus erectum esse ad monstrandam viæ certitudinem. Sic Ananiæ occursui confirmata fuit visio Paulo oblata, ne quidambigeret. Atque hoc quidem Deo extorsit Moſis importunitas; sed ipse pro immensa sua bonitate ex vitio servi sui elicere voluit gratiæ suæ materiam: sicuti solet ex tenebris lucem educere. Gaudium fratris commemorat Moſi Deus ad exprobrandum torporem: acsi diceret, Aharon sponte accurret, teque læto & hilari animo excipiet: tu vero mœrore & animi angustiis constrictus, vel diffidentia attonitus, vix adduceris ut pedem moveas.

Act. 9. vers. 17.

2 Cor. 4. vers. 6.

16. *Et loquetur ipse pro te.*] Immunitatis prætextum discutit, loquendi partes fratri assignando: neque tamen alterum subrogat in ejus locum: imo sibi humaniter temperat, ut servi sui voto morem gerens, invitum tamen honore afficiat. Partitur ergo vices, ut penes Moſen sit auctoritas, Aharon obeat munus interpretis. Ita nullo dignitatis respectu præfertur Moses fratri: quia Dei gratiam in capite non secus ac membris conspicuam fulgere oportuit. quod his verbis exprimitur, Aharon loco oris futurum, Moſen autem loco Dei: quia hujus fuit dictare quod ille fideliter referret, ac præscribere quod ille obedienter sequeretur. Quo exemplo testatus est Deus, se dona Spiritus & simul officia distribuere pro mero suo beneplacito: nec quenquam vel honore vel dotibus excellere nisi pro mensura gratuitæ donationis. Quod autem minori subjicitur primogenitus, & tantum ejus organum in loquendo constituitur, quum ejus manu & opera complere posset Deus quod per Moſen præstare voluit, quia incomprehensibile nobis illius judicium est, ac instar profundæ abyssi, reverenter suspicere discamus. Esse in Deum, tantundem valet ac præsire vel tenere gubernacula, vel summo imperio potiri: sicut etiam Chaldæus Paraphrastes vertit, esse principem vel magistrum. Quod autem Arriani, ut testimonia refellerent quibus probatur Christi divinitas, hoc loco & similibus abuti sunt, nimis infirma fuit calumnia: quia aliud est simpliciter & sine adjectione Deum vocari, quam addita circumstantia. Scimus enim Dei nomen ad quemlibet principatum improprie quidem, sed non sine ratione transferri: ut Diabolus etiam ipse vocetur mundi Deus: sed ubi veræ deitatis sit mentio, sacrum illud nomen Scriptura nunquam profanat.

2 Cor. 4. vers. 3.

17. *Et baculum hunc.*] Non dubium est quin Deus baculum pastoralem virtutis suæ organum esse voluerit, quo magis pudefaceret superbiam Pharaonis. Quid enim præter ignominiam & probrum potuit Moſi afferre, quod pedo suo pastorali præ se tulit hactenus in caulis & tuguriis oves le ductasse? Hoc ergo rustici & contemptibilis officii insigne non sine contumelia oppositum fuit regio Pharaonis sceptro. Laudem vero hac in parte meretur Moſis obedientia, quod eum non puder humili & abjecta specie prodire, sed baculum libenter gestat, quo se in nihilum redigens, Deum glorificet. Itaq; plerumque solet Deus in vasis testaceis incomparabiles suos thesauros recondere, & eligere infirma mundi, ut prosternat quicquid altum est & forte. Quod autem jubetur Moses per baculum miracula edere, hinc colligimus externa symbola sæpe adhiberi à Deo dum manu sua operatur: non ut quicquam deroget suæ virtuti, aut quo ejus laudem obscuret, sed ut palam faciat sibi totum mundum subesse, & quæ nullius alioqui momenti sunt, libere se in usum aptare quemcunque voluerit.

Mal. 2. 4.

18. Profectus est ergo Moses, & reversus est ad Jethro socerum suum: & dixit ad eum, Vadam nunc, & revertar ad fratres meos qui sunt in Ægypto, ut videam an adhuc ipsi vivant. Et dixit Jethro Moſi, Vade in pace.

19. Dixerat autem Jehova ad Moſen in Madian, Vade, revertere in Ægyptum: quia mortui ſunt omnes viri qui quærebant animam tuam.

20. Et accepit Moſes uxorem ſuam, & filios ſuos, & ſuſtulit eos ſuper aſinum: & reverſus eſt in terram Ægypti. Et accepit Moſes baculum Dei in manu ſua.

21. Et ait Jehova ad Moſen, Quum profectus fueris & reverſus in Ægyptum, vide ut omnia ſigna quæ poſui in manu tua, facias illa coram Pharaone. Ego autem conſtringam cor illius, & non dimittet populum.

22. Et dices Pharaoni, Sic dicit Jehova, Filius meus, primogenitus meus Iſraël.

23. Ego autem juſſi te dimittere filium meum ut mihi ſerviret: & renuiſti dimittere eum. Ideo ecce ego occidam filium tuum, primogenitum tuum.

18. *Profectus eſt ergo Moſes.*] Mirum eſt cur viſionem qua maxime flecti poterat ſoceri animus ad dandam miſſionem, ſuppreſſerit Moſes. Humanitus enim loquitur, ſibi eſſe in animo fratres ſuos & cognatos reviſere. Atqui moleſtum fuit ejus ſocero carere ejus opera, ſedulitate & induſtria, unde magnam utilitatem perceperat: minime vero gratum fuit filiam ſuam & nepotes in alienam regionem dimittere. Fueritne à Deo prohibitus, an metu & pudore retentus tacuerit, incertum eſt. in hanc tamen coojecturam magis inclino, non fuiſſe auſum de ſua vocatione loqui, ne res incredibilis eum mendacii & vanitatis ſuſpectum redderet. Quocunque ergo vocationis ſuæ fidem facere difficile erat, humanitatis officium obtendere maluit. Jethro autem Dei magis inſtinctu quam excuſatione illa perſuaſus, flexibilem ſe præbuit. Quanquam non dubito Moſen per quadraginta annos ea ſuæ probitatis dediſſe ſigna quæ omni ſuſpitionis opinionem eum eximerent. Scimus quantum auctoritatis comparet longa experientia: quoniam ergo Moſes tam diu ſe integrum præſtiterat, non potuit ſocer vel à levitate, vel à fraude & dolo ſibi metuere. Quo exemplo docentur fideles, ſemper dandam eſſe operam ut ſibi bonam exiſtimationem comparent: quia nullum tranſigendis omnibus negotiis melius compendium eſt quam continuus rectæ & innoxiæ vitæ tenor. Nam unde tanta moroſitas, dum vult quiſque à ſocio aliquid impetrare: unde tot remoræ, unde tot ultro citroque obtrectationes, niſi quia dum quiſque vult ſibi credi, nemo tamen ſua innocentia hoc aſſequi ſtudet? Etſi autem juſte ſancteque vivendo ſoceri animum ſibi conciliaverat Moſes, in ſua tamen vocatione, tam propeoſa illius facilitate fuit confirmatus. Permiſſio enim plena comitatis & benevolentiæ nullum moleſtiæ vel ægritudinis ſignum continet.

19. *Dixerat autem Jehova.*] Alii ſententiam hanc contexuot cum proxima, acſi Deus ſervum ſuum alloquutus eſſet, poſtquam jam à ſocero data fuerat redeundi libertas: ego vero potius arbitror alieno loco inſeri quod ante omiſſum fuerat. Atque hæc repetitio Scripturis ſatis trita eſt. Hoc ergo ſuperioribus adjungit Moſes, ſibi demptum fuiſſe periculi timorem: quia Deus extinctam eſſe cædis memoriam teſtatus eſt. Fuiſſet enim hæc quaſi in primo limine offenſio, ſi putaſſet Moſes crimen illud ſibi objectum iri: non quod ſibi male conſcius eſſet coram Deo, ſed quia perverſis hominum judiciis repudiatus fuiſſet. Hac igitur etiam in parte ejus timiditati nunc medetur Deus, mortuos eſſe hoſtes qui ejus vitæ inſidias tendebant affirmans. Forte tamen hoc nunc ſeorſum commemorat, quod in commeata petendo potuit tuto exponere. Probabile enim eſt, Jethro, priuſquam viro alienigenæ & incognito filiam locaret, ſciſcitatum fuiſſe de cauſa diſceſſus: quia conjicere promptum erat à patria fuiſſe expulſum qui profugus in deſerto errabat. Quum ergo regis iracundiam ſe fugiſſe confeſſus eſſet, nunc dicit cæleſti oraculo ſe revocari, & promitti felicem reditum. Neque meotitur: quoniam hoc quoque ioter alia pollicitus fuerat Deus, nullum ab notiquis hoſtibus inſtare diſcrimen.

20. *Et accepit Moſes uxorem.*] Uxorem & liberos ſecum ducendo, haud dubio Moſes liberè profeſſus eſt in Ægyptum ſe redire, ut illic habitaret. Aſinus autem cui illos imponit, clare demonſtrat quam tenuis fuerit ejus conditio & quam curta ſupellex. Neque enim credibile eſt, vel pecuniam, vel argentea vaſa, vel pretioſas veſtes reliquiſſe apud ſocerum, ut ſe pauperculum & nudum cognatis oſtenderet. Sed quum ſua inopia & aſpero victu contentus fuiſſet in terra Madian, eandem adhuc ſimplicitatem ſequitur: nec indigne fert vili & probroſo habitu theatrum conſcendere, in quo emineat ejus paupertas, quæ occultata fuerat in deſerto. Notum eſt illud, atque uſu compertum, magis opprobrii verecundia pauperes ad flagitia impelli, quam fame, frigore & aliis incommodis. Ergo contra graviſſimam tentationem obduruit Moſes, ubi pro nihilo duxit rideri ac deſpici, quum nihil terreni ſplendoris ſecum ferret. Cæterum inter baculum Dei & ruſtici deſpectique hominis ſpeciem omni apparatu vacuam tacita ſubeſt antitheſis: acſi diceret, ſibi non fuiſſe moleſtum reliquis omnibus deſtitui, quamdiu ſuppeteret baculus, qui abunde penſabat defectus omnes. Quanquam ergo ſe procerum & vulgi ſubſannationi videbat fore obnoxium, aſinum cum ea quam vidimus ſarcina trahendo: ſatis tamen ſuperque baculo, divinæ virtutis inſtrumento, ornatum ſe putavit, per quem magnifice triumpharet, pompis regalibus valere juſſis. Et certe hoc honoris merentur inſignia quibus æſtimari vult Deus ſervos ſuos, ut nihil ad eorum dignitatem amplius deſideremus. Notandum autem eſt baculi epitheton: quia non Moſis jam ſed Dei appellatur, eo quod non geſtetur, ut antea, ad gregem ductandum, ſed ad exercendas Dei vices. Nam quum pro ſumma Dei poteſtate miracula ediderit, quicquid ad eorum gloriam ſpectat, Deo vere & proprie tribuitur. Alibi quidem Moſis etiam baculos dicitur: nempe quatenus ſua elogia Deus cum miniſtris communicat à ſe delectis & creatis: ſicuti Spiritus ſui efficacia eos inſtruit.

21. *Quum profectus fueris.*] Non recenſuit notehac Moſes numerum ſignorum: verum ex hoc verſu colligimus, quæcunque poſtea legemus acta eſſe, prius fuiſſe à Deo mandata. Non igitur dubium eſt quin Deus jam ab initio eum admonuerit de toto progreſſu: ne ſuperbiſſimi tyranni pertinaciæ cederet, ac duobus vel tribus miraculis fruſtra ediris, baculum ſimul cum munere injuncto abjiceret. Nunc ergo Deus ad conſtantiam eum hortatur: & quamvis poſt tria vel quatuor miracula indomabilem regis contumaciam ſentiat, ut tamen non reflectat curſum, neque animo debilitetur, ſed ad finem uſque perſeveret. Quare huc ſumma redit, ne primos conatus irritos eſſe cernens, laſſitudine deficiat: nec deſinat fortiter pugnare, donec omnes ſuæ vocationis numeros compleverit. Porro ne hoc fortuito accidere putet quod non protinus victoria potiatur, vel abſurdum eſſe ducat impune ab homine mortali eludi miracula, quaſi ſua ferocia contra Deum invictus ſtaret: prædicit ipſe Deus ſe totius hujus certaminis fore moderatorem, imo quicquid populi redemptioni adverſari videbitur, ex arcano ſuo conſilio oriturum.

rum. Ita cauſam oſtendit cur Moſi non ſit ceſſandum, donec miracula omnia peregetit: quia oportet tyrannum magnifice vinci, atque ideo multis ac difficilibus prælüs fraogi & conteri, quo ſplendidior ſit victoria. Interea pronunciat non ſe invito tam præfractum fore Ægypti regem, acſi non poſſet momento uno ipſum in ordinem cogere: ſed potius cor ejus ſe obduraturum, ut inſaniam violenter proſternat. Verbum quo utitur Moſes, nunc apprehendere, nunc vi retinere, nunc roborare ſignificat: ſenſum vero commodiſſime reddere mihi viſus ſum conſtringendi verbo: quia docere haud dubie voluit Deus ſa ita omnium certaminum quæ Moſi ſubeunda erant, agonothetam fore, ut etiam cor hoſtis gubernet, atque ad pertinaciam obduret. Quoniam delicatis auribus aſpera videtur loquutio, eam plurimi molliunt, actum in permiſſionem vertendo Quaſi vero inter agere & pati nihil ſit diſcriminis: aut quaſi patientiam ſuam ac non magis potentiam Deus commendet. Me certe cum Spiritu ſancto loqui non piget: neque amplecti dubito quod toties in Scriptura occurrit, Deum impios conjicere in ſenſum reprobum, tradere cupiditatibus probroſis, excæcare eorum mentes, & corda obdurare. Atqui hoc modo Deum fieri auctorem peccati objiciunt: quæ deteſtabilis eſſet impietas. Reſpondeo, Deum longiſſime removeri à culpa, ubi judicia ſua exercere dicitur. Ergo ſi excæcatio judicium eſt Dei, pœnam infligendo in crimen vocari non debet. Quod ſi ſæpe cauſa nos fugit, meminerimus non abs re Dei judicia vocari abyſſum profundam, atque ita miremur, non obſtrepamus. Qui vero permiſſionem ſubſtituunt in locum actus, non modo Deum ſpoliant ſuis judiciis, ſed pro ſua moroſitate gravi afficiunt contumelia, non plus ei juſtitiæ concedendo, quam ſuo ſenſu capiunt.

22. *Filius meus, primogenitus meus.*] Hac anticipatione repellit exceptionem qua ſe Pharao tueri poterat, ne populo commeatum daret. Nam in ejus ditionem ſponte conceſſerat Jacob cum tota familia: erat ergo libera retinendi ejus populi poteſtas, qui communi gentium jure ſubjectus erat Ægypti imperio. Quod ſi ordines divinitus inſtitutos violare impium eſt, perverſa videri poterat Moſis poſtulatio, ut legitima ſubjectio rege invito aboleretur. Quorſum enim tendebat illud de exitu populi, niſi ut regem cogeret ſe proprio jure abdicare? Deus ergo, ut oſtendat nihil ſe injuſte ac præter rationem detrahere Pharaoni, privilegium opponit, quo ſoluti erant Iſraëlitæ à lege communi. Filios enim ſuos appellans, eos in libertatem vendicat: quia indignum eſt, Deum Ipſum, ſummum terræ & cæli regem filiis ſuis orbari quos adoptare dignatus eſt. Ita oblique Deus patriam ſuam poteſtatem comparat tertenæ dominationi: quia nihil minus conſentaneum eſt, quam ut mortalis homo cedere ſuo & totius mundi opifici recuſet. Neque tamen hoc generaliter ad quoslibet fideles trahendum eſt: acſi nefas eſſet ipſos ſubeſſe regibus, quibus temporalis ſervitus non adimit mundi hæreditatem: ſed tantum hic ſingularis prærogativæ fit mentio, qua dignatus fuerat Deus Abrahæ poſteros, dominium illis dando terræ Chanaan. Itaq; ſimplici filii appellatione non contentus, Iſraëlem nominat primogenitum ſuum. Quo elogio haud dubie reliquis gentibus eum præfert: quaſi diceret eum primogenituræ gradu excellere, & unum in toto orbe eſſe eximium. Itaque poteſt accommodari hic locus ad Gentium vocationem, quas jam in ſocietatem electi populi ſciſcere ſtatuerat Deus, ut tanquam minores natu accederent ſuo primogenito. Fateor quidem totum Adæ genus tunc fuiſſe rejectitium: ſed quia conditus fuerat Adam ad imaginem Dei, poſteri ejus ſemper quodammodo reputati fuerunt inter Dei filios. Eiſi autem facile admitto conferri ſanctam Abrahæ progeniem cum gentibus tunc adhuc profanis, & hoc reſpectu vocari primogenitum, quia in gradu ſuperiori emineat: ut tamen firma ſit adoptio, ad unicum caput Chriſtum venire neceſſe eſt. Tenendum enim eſt illud Pauli, non fuiſſe Abrahæ promiſſam benedictionem in ſeminibus, ſed in ſemine: quia non omnes qui originem traxerunt ex ejus carne, reputati ſunt inter filios, ſed qui vocati ſunt: ſicut Iſaac, Iſmaële rejecto; & ſicut Jacob, præterito Eſau. Vocationis autem radix eſt Chriſtus. Ideo quod apud Oſeam de toto populo ſicut hic prædicatur, Matthæus ad Chriſtum reſtringit: & merito, quoniam in ipſo ſolo fundata eſt adoptionis gratia. *Gal.* 3:16. *Rom.* 9:6. *Oſee* 11. *verſ.* 9. *Matth.* 2. *verſ.* 15.

23. *Ego autem juſſi te dimittere.*] Non fuit hoc legationis exordium, ſed poſtrema clauſula: quoniam omnibus fruſtra tentatis, de filii morte hominem deſperatum admonuit Moſes. Senſus ergo eſt, obſtinationem tyranni non debere obſtaculo eſſe quominus eum ſubinde urgeat uſque ad hunc ultimum actum. Itaque præceptum hoc exhortatio fuit ad perſeverantiam. Idque ex contextu patet, ubi commemorat Deus ſe pœnam exigere de obſtinatione tyranni: quia juſſus populum dimittere, noluerit. Porro quoniam hæc denunciatio valde dura erat, & maxime inflammare poterat rabiem tyranni, ideo matute jubetur Moſes ſe parare, ne in ipſo articulo deficiat.

24. Accidit autem in itinere, in hoſpitio, ut occurreret ei Jehova, & quæreret occidere eum.

25. Et tulit Sephora * *lapidem* acutum, & amputavit præputium filii ſui, & projecit ad pedes ejus: ac dixit, Certe ſponſus ſanguinum tu mihi es. * vel, *gladium.*

26. Et quum diſcederet ab illo, tunc illa dixit, Sponſus ſanguinum, ob circumciſionem.

27. Dixit autem Jehova ad Aharon, Vade in occurſum Moſi in deſertum. Profectus eſt igitur, & occurrit ei in monte Dei, & oſculatus eſt eum.

28. Et indicavit Moſes Aharoni omnia verba Jehovæ qui miſerat eum, & omnia ſigna quæ mandaverat ei.

29. Perrexit igitur Moſes & Aharon: congregaveruntque omnes ſeniores filiorum Iſraël.

30. Et loquutus eſt Aharon omnia verba quæ loquutus fuerat Jehova ad Moſen, fecitque ſigna coram populo.

31. Et credidit populus: quia audierunt quod viſitaſſet Jehova filios Iſraël, & quod reſpexiſſet afflictionem eorum: & ſe incurvando adoraverunt.

24. *Accidit autem in itinere.*] Occurrere hic accipitur in malam partem, provenire ex adverſo, vel hoſtiliter aggredi: quaſi diceret Moſes Dei manum ſibi fuiſſe objectam, quæ iter abrumperet. Qua autem forma apparuerit, neſcitur: niſi quod verba ſatis clare indicant Moſen de ejus ira certiorem fuiſſe factum, ut mortem ſibi propinquam eſſe cognoſceret. Niſi enim oraculo vel per Angelum fuiſſet edoctus, nihil

nihil profuiſſet oſtendi periculum quod inſtabat. Neque tamen cauſa exprimitur cur Deum ſibi tam infeſtum ſenſerit: niſi quod judicium facere ex contextu licet. Cur enim arrepto lapide vel cultro filium circumcidiſſet Sephora, niſi quod ſciebat Deum præputio offenſum eſſe? Stulte ergo divinant quidam Rabini, Moſen hanc in ſe Dei vindictam provocaſſe, quod filios & uxorem ſecum traheret, inutilem ſarcinam, & quæ impedimento futura eſſet. De ipſo etiam flagelli genere nimis audacter pronunciant, gravi ſcilicet morbo fuiſſe affictum, ut de vita periclitaretur. Nobis ſufficiat oblatum fuiſſe terrorem, acſi certa adeſſet pernicies, & ſimul rationem mali fuiſſe oſtenſam, ut de quærendo remedio ſatageret. Nunquam enim (ut ſuper diximus) vel ipſi, vel uxori in mentem veniſſet, placandi Dei cauſa puerum circumcidere. Et paulo poſt iterum liquebit fuiſſe hoc piaculo quaſi litatum: quia Deus manum ſuam retraxit, & ſuſtulit offenſionis ſignum. Ergo ſine controverſia ſtatuo, vindictam fuiſſe ſumptam de negligentia Moſis, quæ majoribus vitiis erat implicita. Neque enim filii circumciſionem vel oblivione, vel inſcitia, vel incuria duntaxat prætermiſit: ſed quod expertus eſſet vel uxori vel ſocero eſſe odioſam. Ergo ne eum uxor rixis vexaret, vel ſocer eſſet moleſtus, illis gratificari maluit, quam diffidus, vel ſimultatibus, vel turbis occaſionem dare. Interea vero in hominum gratiam Deo parere neglexit. Hæc prævaricatio non leve fuit delictum, quia nihil minus tolerabile quam Deum fraudare juſto obſequio, ut mos geratur hominibus. Adjuncta etiam fuit diffidentia & ingratitudo: quia ſi pretium ſuum remiſſet Dei gratia, nullo metu ab hoc officio pietatis fuiſſet prohibitus. Diſcamus itaque ex hoc loco, Sacramentis quæ ſigilla ſunt gratiæ Dei, reverenter uti, ne eorum contemptum ſevere Deus ulciſcatur: ac ſimul meminerimus, externam pietatis & cultus Dei profeſſionem, gratius eſſe Deo ſacrificium quam ut ejus colendæ & teſtandæ curam pro nihilo duci ferat. Non quod moretur ipſe ceremonias, ſed quia gratiæ ſuæ pignoribus, pro utilitate quæ ex illis percipitur, honorem vult deferri. Ob hanc cauſam apud Corinthios (teſte Paulo) quum ſacra Cœna profanaretur, graſſata eſt peſtis: quia tam pretioſum tbeſaurum vilipendi nefas fuit. Notandum autem quod quum duos filios Moſes duceret, hic tantum unius fit mentio: unde probabilis elicitur conjectura, alterum ex duobus fuiſſe circumciſum. Quidam exiſtimant fuiſſe primogenitum Eliezer: quia non auſus fuerit Moſes tam cito religionem ſuam fateri, & ſibi odium accerſere. Ego autem potius exiſtimo, poſtquam in uno expertus fuerat domeſticos ſibi infenſos, in ſecundo ſuperſedifſe, ut ſoceri vel uxoris indignationem vitaret. Nam ſi temporis ſucceſſu redditus fuiſſet animoſior, non dubitaſſet modo priorem defectum corrigere: ſed domeſticis jurgiis fatigatus ab officio tandem diſceſſit. Quo exemplo monemur, quotidiano Dei auxilio nobis eſſe opus ad robur ſuggerendum, ne langueſcant animi, & paulatim refrigeſcat vel flacceſcat zelus ooſter. Multa enim aſſidue molitur Satan, quibus ſtudium noſtrum vel frangat, vel retardet. Ergo quiſquis cupit toto vitæ curſu ſe Deo probare, arma & vires comparet ad obeundam hanc militiam. Nam ſi Moſi defuit conſtantia, nos æque vel etiam magis ad eundem lapſum erimus proclives, niſi Dominus Spiritu ſuo nos fulciat.

25. *Et tulit Sephora lapidem.*] Quia perperam has partes ſibi ſumpſit mulier, divinant quidam ex Rabinis abſente marito id eſſe factum: ſed repugnat contextus: ideoque non dubito quin tumultuarie (ut fieri ſolet in metu & rebus trepidis) arripuerit vel cultrum, vel lapidem. Timor enim mentem ejus excæcaverat, ne quid conſiderate ageret. Moſes etiam potuit præ anxietate jacere attonitus. Certe non rite circumciſus fuit puer: & tamen officium temere ſuſceptum Deo placuiſſe, ex eventu patet: quia continuo poſt additur, Deum à Moſe diſceſſiſſe. Ego enim ſic interpretor, ceſſaſſe vel remotum fuiſſe Dei flagellum: quia tam Moſis quam Sephoræ pœnitentia, quamvis præpoſtera, mitigatus erat. Non quod ſimpliciter Deo probetur mutila obedientia, ſed ſecundum quid, per indulgentiam interdum grata eſt. Sic impio regi Achab, quum ad tempus humiliatus eſſet, propter fictas lachrymas remiſſa fuit pœna. Quum ergo Sephora quæ marito adverſata fuerat, propriis manibus filium circumcideret, quamvis nondum ferio reſipuiſſet, Deus tamen ſubacta illius ſuperbia contentus fuit, ut deſiſteret à Moſe perſequendo. Quanquam hoc in exemplum trahi non debet: quaſi hypocritæ pœnitentiæ ſigna dando, Deum ſemper exorabilem reperiant. Quin potius interdum, quoad pœnam infligendam, clementer ignoſcit indignis, ut hac facilitate nos ad veram & ſinceram pœnitentiam invitet. Teneamus ergo, veniamdatam fuiſſe perturbationi Sephoræ & Moſis ſtupori: dum temere illa ad filium circumcidendum prorupit, non arrogantia, ſed ut Deo pertiniciem minitanti cederet. Quo refellitur eorum inſulſitas, qui hoc colore fucare volunt muliebrem Baptiſmum. Nam ſi mortis impendeat diſcrimen infantibus, ideo contendunt rite à fœminis baptizari poſſe, quia Sephora filium circumcidit. Atqui præſente viro mulierem fore legitimum Baptiſmi miniſtram, ne ipſi quidem concedent. Perverſe igitur ex actu confuſo & turbulento regulam ſtatuunt.

Projecit ad pedes.] Verbum יגע, quod alii vertunt Tenuit, tranſitive rectius accipitur. Etſi enim aliqua ex parte, ut cogebat neceſſitas, ſe Deo ſubjecit Sephora, tamen impetu iracundiæ percita contra maritum exiluit. Odioſe enim exprobrat, ſponſum eſſe ſanguioarium. Unde perſpicitur quam longe à pio obediendi affectu abfuerit: quando non alia de cauſa impotenter fertur contra maritum, & iracundiam ſuam evomit, niſi quia Deus filii circumciſionem ab ea extorſerat. Quidam putant materno dolore impulſam, vel miſericordia, hoc dixiſſe filio: ſed nimis violenter torquent verba. Quare ſatius eſt tenere quod genuinum eſt, ea poſtulaſſe cum marito, quia illius vitam jactura ſanguinis filii ſui redemerat.

1 Cor. 11. verſ. 18.

27. *Dixit autem Jehova ad Aharon.*] Quum ex temporis longitudine colligere poſſet Aharon, fratrem in exilio eſſe mortuum, nunc de vita lætum ex ore Dei nuncium accipit: neque id modo, ſed etiam in ſpem erigitur ſingularis gratiæ. Quanquam enim nos explicat Deus articulate quid facere decreverit ac paret, oraculo tamen ſuo rarum aliquid & inopinatum promittit. Cæterum notanda eſt præciſa jubendi ratio, quia de redemptione verbum non facit Deus, ſed fratris junioris diſcipulum eſſe voluit. Et quamvis ſua promptitudine offenderet ſummum parendi ſtudium & ardorem, Moſi tamen ſenio, dubitanti, vacillanti & prope ignavo æquatus non eſt: ſed ab eo juſſus eſt diſcere conſilium Dei. Tantum ne ambigeret de ſua & fratris vocatione, edoctus viſione cæleſti fuit Deum eſſe totius actionis auctorem: quod ad vocalis doctrinæ commendationem valet. Tametſi enim Aharon Dei legatus & Spiritus ſancti organum fuit, videmus tamen non fuiſſe immunem ab ordinaria ſubjectione, ut ſcilicet Deum mortalis hominis ore loquentem audiret. Itaque ſi quos piget doceri intermedia hominis voce, indigni ſunt quibus ſe Deus doctorem ac magiſtrum præfiet. Nam paulo poſt ſubjicitur, Moſen narraſſe quicquid habebat in mandatis, & quanta virtute ad miracula edenda inſtructus foret. Aharon vero ipſe, licet ætate major, fratrem quem ſciebat Dei eſſe Prophetam, non ſolum veneratus eſt, ſed quaſi Angelum ultro ſibi præfecit. Oſculum ponitur nunquam agnitionis ſignum, quo fidei ſuæ certitudinem teſtatus eſt.

1 Reg. 21. verſ. 29.

29. *Per-*

29. *Perrexit igitur Moſes & Aharon.*] Breviter hic recitatur quanta fide & religione executi ſint duo fratres mandata Dei. Seniores populi convocant, quia immenſa multitudo (ut dictum eſt) in unum locum cogi non poterat. Deinde certare volebat Deus non tumultuoſo & confuſo plebis clamore, ſed miraculis cœleſtem potentiam cum gravi moderatione ſpirantibus. Iterum vero obſervatu dignum eſt, Aharon ſubſtitui qui Moſis vice verba faciat. Nam ſi Moſi obſtabat linguæ tarditas, cur non ad eum dirigitur ſermo? Quorſum hic circuitus, ut promulget apud populum non quod audivit ipſe directe (ut loquuntur) ſed mediate per manum fratris accepit: niſi quod Deum oblectat ordo iſte ad probandam ſuorum fidem? Ut certe vero examine cognita fuit manſuetudo & modeſtia Aharon, dum ex fratris ore pendere gravatus non eſt: deinde ſeniorum etiam docilitas, dum paſſi ſunt de manu io manum ſibi tradi Dei mandata, nec curioſe ſcrutati ſunt cur non recta ipſos alloqueretur Deus, vel è cœlo tonaret. Quanquam adjuti etiam fuerunt miraculis: quia ſic obſtupuerant in ſuis malis ut nihil alioqui momenti haberet apud ipſos nuda prædicatio.

31. *Et credidit populus.*] Vel eſt ſynecdoche in nomine populi, vel ſignificat Moſes, poſtquam vulgata fuit fama, omnes uno conſenſu amplexos fuiſſe miſſum de redemptione ſua nuncium. Prior ſenſus magis arridet, partem pro toto poni: quia mox ſubnectitur ſoleonis adoratio, quæ heri niſi in cœtu non poterat. Cæterum quam fluxa & erratica fuerit hæc fides, ſuo loco poſtea videbimus: certe viva radice caruiſſe, ex incoonſtantia & levitate patuit. Sed novum non eſt, Credendi verbum ad propenſam facilitatem improprie transferri quæ momento evaneſcit. Sicuti etiam Chriſtus fidem io multis temporalem eſſe docet. Credidit ergo populus poſtquam audivit ſuas afflictiones reſpici à Deo: quia ſermo ille fidem & auctoritatem obtinuit. Sed talis fuit credulitas quam facile diſcuteret adverſus quilibet flatus, ſicuti accidit. Docet autem hic locus nihil magni eos præſtare, nec magna laude eſſe dignos qui cupido vel proclivi affectu recipiunt quod Dei oomine propoſitur, niſi fides eorum cordibus peoitus infixa, foriter tentationum ioſultus ſuſtineat. Alii ſecus diſtinguunt, nempe quod populus crediderit, & poſtquam audivit opem ſuis malis paratam eſſe, Deo egerit gratias. Recte tamen copula in particulam expoſitivam reſolvitur, hoc ſenſu, Populus quum audiſſet quod referebat Aharon, credidit. Viſitatio Dei hoc loco effectum io ſe continet: quod ſcilicet Deus ſuppetias ferre veller miſere laborantibus. Adoratio autem teſtimonium fuit gratitudinis: quia oon fatis fuit ſingulos tacite apud ſe reputare Dei beneficium, oiſi palam quoque pietatem ſuam monſtrarent. Non quod magnopere requirat Deus externos ritus, ſed quoniam utilia ſunt infirmitatis noſtræ adminicula: & æquum eſt non animum modo, ſed etiam corpus io Dei cultu exerceri.

Marc. 4. verſ. 15.

CAPUT V.

POſtea venerunt Moſes & Aharon, & dixerunt Pharaoni, Sic dixit Jehova Deus Iſraël, Dimitte populum meum ut feſtum diem celebrent mihi in deſerto.

2. Et dixit Pharao, Quis eſt Jehova, ut obediam voci ejus dimittendo Iſraëlem? Non novi Jehovam, atque etiam Iſraëlem non dimittam.

3. Tunc dixerunt, Deus Hebræorum occurrit nobis. Ergo eamus iter trium dierum in deſertum, ut ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro, ne forte * irruat in nos peſtis vel gladius.

4. Dixit ad eos rex Ægypti, Utquid Moſes & Aharon abſtrahitis populum ab operibus ſuis? Ite ad labores veſtros.

5. Et dixit Pharao, En multi nunc populus terræ, & vos ceſſare facitis eos à laboribus ſuis.

* vel, *pernicies aut gladius occurrat.*

1. *Poſtea venerunt Moſes & Aharon.*] Hic jam expoocre incipit Moſes quot & quam magnifica documenta ſuæ virtutis ediderit Deus in liberando populo. Nam quum in rege indomabilis eſſet ſuperbia, furor & obſtinatio, clauſæ erant omnes viæ, niſi mirabiliter ac variis modis fractus eſſet. Poterat quidem Deus eum ſolo nutu ſtatim profligare, ut etiam ad ſolum Moſis conſpectum exanimis caderet: ſed primo voluit (ut ante attigimus, & poſtea ipſe exprimet) virtutem ſuam clarius patefacere. Nam ſi vel ſponte ceſſiſſet Pharao, vel nullo negotio victus foret, non tam illuſtris fuiſſet victoriæ gloria. Voluit ſecundo hoc monumentum extare rari ſui erga electum populum amoris: quia tam ſæpe ac tam valide cum potentiſſimi regis pertinacia certaodo, quanri Eccleſiam ſuam faceret non obſcure probavit. Tertio voluit ſervos ſuos io omnes ætates aſſuefacere ad tolerantiam, ne liqueſcant animis ſi non protinus eorum votis reſpondeat, vel non ad ſingula momenta ſuccurrat eorum miſeriis. Quarto oſtendere voluit, contra omnes Satanæ conatus & muniones, contra impiorum amentiam & omnia mundi impedimenta maoum ſuam ſemper fore victricem: ne dubitemus, quicquid nobis cootrarium cernimus, tandem ab eo expugnatum iri. Quinto voluit, detectis Satanæ & magorum præſtigiis, Eccleſiam ſuam magis atteotam reddere, ut ſibi à talibus ioſidiis ſedulo caveat, & contra omoeserrorum machinas inexpugnabilis maneat ejus fides. Poſtremo voluit Pharaonem & Ægyptios convincere, ne quo ignorantiæ prætextu excuſabilis eſſet eorum amentia. Simul etiam ſub hoc typo nobis mooſtrare voluit quam horribilis cæcitas occupet reproborum meotes, ubi eas Spiritus ſoi luce deſeruit. Hæc in ſeric narrationis prudenter obſervanda erunt, ſi cupimus ex ea proficere. Ut difficiles ſunt regum acceſſus, nec quemlibet ex vulgo admittere dignantur, oportuit Moſen & Aharon non vulgari confidentia eſſe præditos, quum Pharaonem libere aggreſſi ſunt. Odioſa enim & offenſionis plena erat legatio, ut iter tridui facere extra Ægypti fines populo permitteret: quia dubium non eſt quio obreperit ſuſpicio, qui dimiſſi eſſent non amplius fore ſuæ ditioois, atque ita partem terræ incolis exinaniri. Moſes tamen & Aharon Dei mandatum perferre non verentur: io quo hoc quoque aſperum erat lautis & faſtuoſis regis auribus, quod uni Deo Iſraël aſſerebant deitatis gloriam. Nam ipſum vocando Jehova, deos qui in Ægypto colebantur, fictitios & hominum arbitrio creatos eſſe intelligunt. Quod affirmat Deus ſe populum vocare in deſertum ut feſtum diem celebrent, quanquam non aperit tyranno ſuum conſilium, diximus tamen alibi nullam eſſe ſimulationem in hoc prætextu. Vere enim placebat Deo ſibi offerri in monte Sinai ſacrificium gratiarum actionis, & ita ſeparari à gente polluta cui permixti fuerant. Et certe ſtomachum tyranoo movera voluit, totam Ægyptum ignominiæ damnando, quod puri cultus capax non eſſet. Nulla autem lege aſtrictus fuit ad liberatioocm aperte declarandam: quin

quin potius ut virus impietatis eliceret ex tyranni animo, nihil petiit in populi sui commodum, sed cultum sibi debitum exegit. Verbum quo utitur Moses, proprie diem festum agere significat, sed appendices etiam complectitur: ideoque per synecdochen hic accipitur, ut etiam aliis locis, pro Deum colere solenni ritu.

2. *Et dixit Pharao, Quis est Jehova.*] Tantum dementiæ in homine mortali fuisse vix credibile est, ut Deum tam proterve spernendo, quasi in cælum consPueret. Sed notandum est, tyrannum superstitionibus deditum ita insultasse Deo Israël, ut maxime pium se putaret erga falsos deos. Nam quod nomen Jehova contumelioſe jactat, restringi debet hæc subsannatio ad Mosis sermonem: quasi diceret, Quid mihi opponis spectrum incognitum sub titulo Dei æterni, acsi nullus esset apud nos Deus? Sic Pi-
Joan. 38. vers. 38. latus, quum Christus diceret se & in hoc natum esse & venisse in mundum ut testimonium redderet veritati, ironice nec sine ludibrio interrogat, Quid est veritas? Denique non visus est sibi Pharao facere Deo injuriam, quum numen prodigiosum, ut putabat, faceſſere juberet. Neque tamen ad excusationem valuit error, qui ex furiosa audacia & Dei contemptu oriebatur. Esto, noluit suis idolis quicquam detrahere, atque ita imaginatus est se religione defungi. Atqui tam secure respuere veri Dei nomen, & sannis etiam exagitare, nimis crassa fuit impietas. Similem dementiam animadvertere in omnibus idolatris licet: quia inebriati suis erroribus Deum audacter subsannant, nec dignantur de ipso inquirere. Clamant hodie Papistæ nos obtrudere mundo novum Deum, & sibi plaudentes in crassissimis deliriis, quicquid docemus impietatis damnare non dubitant: non quod persuasi sint rectum se tenere Dei cultum: sed sponte cæcutiunt, ut impune eludant sacram Dei majestatem, stupore obruant conscientias, & mortiferum soporem sibi concilient. Acuti etiam & faceti sibi videntur dum novitatem doctrinæ nostræ suis dicteriis incessunt: quum tamen satis perspicua sit ejus veritas, si modo aperirent oculos. Epicurei etiam (qua labe nunc refertus est mundus) quamvis petulanter despument adversus Deum, semper tamen offundunt aliquas nebulas, sub quibus lateat detestabilis eorum furor. Obtendunt enim, in tanta opinionum varietate vix posse discerni quisnam sit Deus, vel quid jubeat. Summa tamen huc redit, ne quid sit ipsis negotii cum Deo, & tamen jocose dijuant impietatis dedecus: acsi liberum ipsis esset repudiare quod scientes ignorant. Postquam *vero* oblique desiit Mosis legationem quasi rem ludicram, apertius & majore contumelia superbiam suam evomit, se pro nihilo ducere Deum illum cujus nomine eum Moses & Aharon terrebant.

3. *Tunc dixerunt, Deus Hebræorum.*] Pergunt in sua legatione Moses & Aharon, nec tyranni superbia minuit vel debilitat eorum animos, quominus unico Deo qui se peculiariter illis adjunxit, gloriam suam afferant. Et certe hoc fidei proprium est, calcare omnem mundi altitudinem: sicuti Dei veritas omni terrena excellentia superior est. Neque enim magis libere refutare poterant impiam & sacrilegam vocem illam, Non novi Jehovam, quam dum rursus asseverant verum Deum gentis suæ esse præsidem, idque visione certa esse patefactum. Comminatio addita Pharaonem admonet non inultam fore ejus contumaciam, si populum à Dei cultu prohibeat. Nam si vindictam sumpturus erat Deus de populo qui invitus retinebatur, quomodo impune evaderet qui ex professo contra Deum certabat? Quum ergo sibi perniciem instare commemorant nisi vocantem sequantur Deum, Pharaoni subindicant ut sibi caveat à majori clade.

4. *Dixit ad eos rex Ægypti.*] Mirum est regem fastu turgidum non atrocius sæviſſe in servos Dei, quos seditionis auctores esse ducebat. Nec vero dubium est fuisse cohibitum Dei freno ne ad cædem mox prosiliret. Quanti sua referre putet populum in Ægypto manere, pertinacia in exitu negando clarius postea ostendet: qui fit igitur ut verborum objurgatione contentus sanguini parcat, nisi quod oppolito defensionis suæ clypeo Deus servos suos protegit? Duriter quidem eos increpat, & quibus reliquum populum premebat laboribus, eos addicit: sed quum satis notum sit, tyrannis nunquam satisfacere mediocrem rigorem, sub Dei custodia tutam illorum fuisse salutem colligimus, qui alioqui centies perituri erant. Cæterum quod reos facit tumultus, discamus eorum exemplo probra & falsorum criminum objectiones patienter sufferre: modo freti Dei mandato probe nobis conscii simus injuste nos gravari. Proximus versus, ubi dicit multum esse terræ populum, ad crimen exaggerandum pertinet: tum quia graviorem afferant jacturam bono publico, quam si paucos ab opere abstraherent: deinde quod magnum populum concitando, plus creare periculi conentur.

6. Et præcepit die illo Pharao exactoribus qui erant in populo & præfectis ejus, dicens,

7. Non continuabitis in danda palea populo ad conficiendos lateres, sicut heri & nudiustertius: sed ipsi cant, & colligant sibi paleas.

8. Summam vero laterum quam ipsi fecerunt heri & nudiustertius, imponite eis: non minuetis ex ea: nam quia otio remissi sunt, propterea ipsi clamant, dicentes, Eamus, sacrificemus Deo nostro.

9. Aggravetur ergo servitus super viros, in qua se exerceant, & non attendant verbis mendacibus.

10. Tunc egressi sunt exactores populi & præfecti ejus, & dixerunt populo, Sic dicit Pharao, Ego non do vobis paleas.

11. Vos ite, colligite vobis paleas, ubicunque inveneritis: quia non est imminutum quicquam ex opere vestro.

12. Dispersus est ergo populus per totam terram Ægypti, ut colligerent stipulas pro paleis.

13. Et urgebant eos exactores, dicendo, Perficite opera vestra, pensum dici die suo * vel, perinde acsi adessent paleæ *.

14. Et cæsi sunt præfecti filiorum Israël, quos constituerant super ipsos exactores Pharaonis, dicendo, Quare non absolvistis pensum vestrum in lateribus conficiendis, sicut heri & nudiustertius, sicut antea ita hodie?

15. Et venerunt præfecti filiorum Israël, & conquesti sunt apud Pharaonem, dicentes, Cur sic agis cum servis tuis?

16. Palea

sicuti quum erant paleæ.

16. Palea non datur servis tuis, & dicunt nobis, Lateres facite: & ecce, servi tui percutiuntur, & improbe agitur cum populo tuo.

17. Qui ait, Vos otio remissi estis, otio remissi: ideo dicitis, Eamus, sacrificemus Jehovæ.

18. Nunc igitur ite, operamini: & paleæ non dabuntur vobis, & summam laterum reddetis.

6. *Et præcepit.*] Ex serie historiæ certius colligere licebit, hos præfectos & exactores ex filiis Israël fuisse sumptos. Quanquam fuisse quosdam Ægyptios antea legimus: sed ut ingeniosi sunt tyranni in suis commodis, pro sua vafritie cavere voluit Pharao ne qua esset immunitas, sed omnes ad unum vicibus suis ad onus traherentur. Nam Ægyptios in turba latere quidam poterant: ubi vero Israëlitis datum fuit negotium, familiaris notitia eos detexit, ne cui esset immunitas. Porro verisimile est apud hos præfectos depositam fuisse paleam quam per decurias vel singulis distribuerent: onus ergo duplicat hoc modo, quia jubet paleam colligere qua lateres coquantur. Quemadmodum autem ille dicit monosyllaba esse regum edicta, præcisis verbis ostendit Moses tyrannidis violentiam. Cæterum hic locus docet, quum nos respicere inceperit Deus ut malis nostris opem ferat, hac occasione interdum molestias crescere, quæ nos durius premant. Ita quum Israëlitis professus esset se fore redemptorem, gravior illis moles incubuit, dum ad solitas exactiones addidit tyrannus ut colligerent sibi paleam. Sic enim Deo fidem suorum probare libet: & sic eorum animos tetræ nimis affixos in sublime attolli convenit, dum gratiæ sibi promissæ fructum non extemplo percipiunt, imo dum nihil sentiunt aliud ex Dei favore sibi afferri quam ut deterior sit ipsorum conditio. Hoc meditari valde nobis utile est, quo æquius & placidius feramus cruce nos & rebus adversis ad amorem & studium bonorum cælestium stimulari. Hodie multis Euangelium odium conflat, alios privat suis deliciis, aliis abrogat bonorem, aliis jacturam affert bonorum, alios carcere, alios exilio multat, quosdam rapit in vitæ discrimen: deinde quo magis suam potentiam exerit Deus, ex altera parte accenditur Satanæ rabies, & atrocius sæviunt impii. Hoc scandalum nos graviter concuteret, nisi hoc exemplo admoniti sciremus tanti nobis debere esse inæstimabilem gratiam quæ in Christo offertur, ut præ ipsa susque deque nobis sint divitiæ, honores, & quicquid inter mortales expetitur: quælibet etiam incommoda despicere molestum nobis non sit.

9. *Aggravetur ergo servitus.*] Quamvis sciret Pharao immaniter se tractare miseros Israëlitas, qui debuerant benigne & clementer tanquam hospites accipi: tamen otio eos abuti dicit, & ideo tumultuari quia eis nimium indulgeat. Sic postquam tyrannis excidit æquitatis studium, nullus est inique agendi modus, & quæ nonnisi adeo non flectuntur ad misericordiam, ut crudelius insolescant. Et his fabellis eos incitant adulatores, nunquam quietos fore subditos nisi sub onerum gravitate deficiant: optimum hoc esse dominandi compendium, si eos opprimere ut ne hiscere quidem audeant: si fremant vel obmurmurent, durius esse urgendos, ut obdurescant ad servitutem, quasi contracto callo. Itaque nihil injuriis & contumeliis faciunt residuum, donec penitus misera plebs succubuerit. Petulantius deinde insultat, quum se plus onerum dicit imponere, ne confidant verbis mendacibus. Quænam vero illa sunt, nisi quod aspirant ad cultum Dei? Ergo una cum tyrannico fastu impietatem despumat. Neque hoc solum Pharaoni propositum fuit, crepare talem blasphemiam in Deum: sed Satanæ artificio instigatus fuit ad labefactandam Ecclesiæ fidem. Eodem impulsu Rabsaces jactabat Ezechiam verbis inanibus decipere populum, quia jubebat spenre in Deo vivo. Nec desiit Satan eadem machina fideles impetere, perinde acsi fallacia esset & vanitas quicquid promittit Deus. *Iosa. 36. vers. 7.*

12. *Dispersus est ergo populus.*] Hæc circumstantia demonstrat quam inique afflicti fuerint, qui bus labor supra vires fuit impositus. Ut lateres conficerent, oportuit saltem eos in certo loco manere: non suppetit illis palea ad lateres coquendos: coguntur ergo huc & illuc dilabi, & stipulam in remotis Ægypti partibus colligere, qua loco paleæ utantur. Utrumque præstare non poterant: perinde igitur fuit acsi falso prætextu & calumnia, criminis occasionem caperet ad eos damnandos. Qualiter hodie videmus Christi hostes subinde excogitare gravissimas quasque pœnas, quibus cogatur misera Ecclesia ad pietatis abnegationem. Pharaonis enim consilium fuit Mosen & Aharon procul abigere, ne de exitu populi verbum amplius facerent: quo voto potitus, aliquid haud dubie ex tam immani sævitia remisisset. Quia vero non cessabant illi, extorquere per duros cruciatus à populo voluit ut illos abigeret, vel ne aurem præberet Dei mandatis. Etsi autem satis sibi conscius est nullam esse ignaviæ culpam in populo, sed ideo non reddi ad numerum lateres quod miseri, qui prius dimidia laboris parte ægerrime defuncti fuerant, nunc si intendant nervos omnes, non tamen erunt oneri tolerando: atque ita videt eos prorsus succumbere: tamen exprobrat quod otio luxurientur. Nempe ut repudiato Mose, spei divinitus sibi oblatæ valedicant ac renuncient. Et quia acerbius eos torquere non potest nisi occidat, præfectos cædi jubet, ut eorum verberibus totum vulgus magis expaveſcat. Denique quos videbat nimis firmos stare, ultima desperatione frangere voluit. Quicquid excusationum afferant præfecti ipsi, surdo canunt fabulam. Nam quia semel decrevit populum obruere, donec aboleverit omnem Dei memoriam, nihilo major est in eo misericordiæ sensus vel humanitatis quam in lapide.

19. Et viderunt præfecti filiorum Israël ipsos in miseria, dicendo, Non minuetis ex lateribus vestris opus diei die suo.

20. Et occurrerunt Mosi & Aharoni, qui stabant in occursum eorum quum ipsi egrederentur à Pharaone.

21. Dixeruntque ad eos, Videat Jehova super vos, & judicet, qui fœtere feciſtis odorem nostrum in oculis Pharaonis & in oculis servorum ejus, tradendo gladium in manum illorum ad occidendum nos.

22. Tunc reversus est Moses ad Jehovam, & dixit, Domine, cur malum intulisti populo huic? cur misisti me? Nam ex quo veni ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, malo affecit populum hunc: nec liberando liberasti populum tuum.

19. *Et viderunt.*] Quidam vocem Hebraicam pro mœrore accipiunt, referentes tamen ad populum: acsi dictum esset, Viderunt præfecti populum mœstum, vel tristitia dejectum, quum regis man-

mandata exponerent. Verum ſimplicior (meo judicio) ſenſus eſſet, vidiſſe nullum eſſe remedium malis, nec poſſe eximi ab illa dura ſervitute cui addicti erant. Exponunt etiam quidam præfectos ipſos ſenſiſſe ipſo experimento, poſtquam à rege tam inhumaniter repulſi fuerant, quam infelix eſſet ſua conditio. Ego tamen, ſi alterutrum eligere oporteat, magis probarem quod prius retuli, ipſos condoluiſſe publicæ calamitati, nullam tamen ſpem exitus vidiſſe. Niſi forte ſic accipere libeat, quum prodirent in populi conſpectum, fuiſſe triſti vultu, & quaſi torve ipſum intuitos eſſe præ dolore & verecundia, quod crudele illud imperium perferrent de labore duplicando. Et certe hoc libenter amplectör, quum regis imperium coacti promulgarent, præ ſe tuliſſe vultu mœſtitiam: quod neceſſitatem illam effugere non poſſent quin miniſtri eſſent impiæ tyrannidis ac ſævitiæ. Nam continuo poſt adjungit Moſes retuliſſe edictum. Hinc ergo triſtis aſpectus, quod inviti urgerent fratres ſuos, quorum moleſtias levare optaſſent. Huc tendit ſumma, rem fuiſſe penitus deſperatam: quia ipſi quoque præfecti nuncium attulerunt de obſtinato tyranni rigore, & vultus perturbatione teſtatum fecerunt nullam mitigationem poſſe ſperari.

20. *Et occurrerunt Moſi.*] Vertunt quidam, Occurrerunt cum Moſe, & particulam אֵת accipiunt pro Cum: ſed contextus videtur melius fluere, præfectos & partem aliquam ſeniorum vel plebis incidiſſe in Moſen & Aharon quum à Pharaone rediret. Fortuitum enim occurſum deñotat, quo factum eſt ut magis exacerbarentur animi contra Dei ſervos. Deſcribitur autem hic cæcus dolor, qui rabioſo fere impetu egit Iſraëlitas ut injuſte excandeſcerent contra inſontes & nihil tale meritos. Non mirum quidem eſt malorum gravitate fuiſſe hebetatos, ut æquitatis modum non tenerent, imo fuiſſe quodammodo perculſos amentia, ut indignationem ſuam contra ſalutis ſuæ miniſtros præpoſtere evomerent: ſolet enim hoc ſæpe accidere: ſed quamvis hoc nimis ſit commune vitium, non tamen ab ingratitudinis crimine purgantur qui tam inconſiderate feruntur impetuoſo affectu: imo hoc exemplo diſcendum nobis eſt quanta cura dolorem frenare oporteat, cui ſi indulgetur, judicium & humanitatem excutit. Quid enim iniquius, quia tyrannice ſævit Pharao, quam in Moſen & Aharon culpam rejicere? Verum hic exceſſus ex diffidentia manavit: quia gratiam Dei ex præſenti ſucceſſu æſtimant. Nuper de redemptione promiſſa gratias egerant Deo: nunc, quaſi decepti fuerint, Moſen & Aharon accuſant. Unde colligitur quam fluxa fuerit eorum fides, quæ levi de cauſa mox evaneſcit. Niſi miraculis ſancita fuiſſet Moſis vocatio, poterant ex adverſo ſucceſſu occaſionem arripere excandeſcendi: nunc vero, poſtquam experti ſunt Deum eſſe totius actionis auctorem, perverſe & falſo eum temeritatis inſimulant: atque ita non homini tantum mortali, ſed Deo redemptori faciunt injuriam: quæ duplicatur ſacrilego nominis ejus abuſu, ubi eum faciunt malæ cauſæ patronum. Perinde enim eſt ac ſi legem imponerent ſeipſum damnandi. Quo magis cavenda eſt doloris intemperies, quæ dum præcipitanter effundit in homines, ne Deo quidem parcit. Non putarunt quidem illi Deo ſe eſſe contumelioſos, acreſpuere ejus beneficium: nempe quia paſſionum exceſſus ipſos transverſum agebat. Interea origo maſi notanda, quod impatienter tulerint non ſtatim à Deo compleri quod promiſerat, ſed differri ad tempus: deinde quod immunitatem quæſierint ab omni incommodo. Ita malebant in ſuis malis putreſcere, quam ob ſpem gratiæ Dei quicquam moleſtiæ pati. Quæ mollities nobis fere omnibus ingenita eſt, ut malimus nos Dei auxilio deſtitui, quam exerceri ſub cruce, dum gradatim & obliqua etiam interdum via nos ad ſalutem ducit. Nihil quidem dulcius quam audire reſpici à Deo noſtras afflictiones, ut laborantibus opem ferat: verum ſi Dei gratia impiorum furorem in nos concitet, quaslibet promiſſiones abjicere parati erimus, potius quam ſpem illarum tam gravi pretio redimere. Interea, videmus quam humaniter certaverit Deus cum populi ſui intemperantia & pravitate. Nam certe Moſen & Aharon tam duriter increpando, repulerunt Iſraëlitæ (quantum in ſe erat) quem avide prius de redemptione nuncium exceperant: neque tamen deſtitit opus ſuum ad finem uſque perſequi.

22. *Tunc reverſus eſt Moſes.*] Reditus ad Deum hoc loco ſumitur in malam partem pro defectione ab officio. Neque enim dicitur Moſes vel compoſito animo oraſſe, vel ſuppliciter, ut in re perplexa, petiiſſe conſilium: ſed hominibus quibuſcum negotium erat relictis, præ rædio ad Deum rediiſſe, ut miſſionem peteret. Reverſus ergo eſt ad Deum, ut irrita eſſet tota expeditio: perinde acſi nunquam fuiſſet miſſus. Id etiam verba ſonant: quoniam aperte cum Deo expoſtulat quod liberatione promiſſa durius affligi paſſus fuerit populum ſuum. Ac primo quidem intuitu videri poſſet major ejus infania quam totius populi, quod directe & palam Deo exprobrat ab ipſo proficiſci quicquid malorum intulit Pharao. Atqui non dubito quin populi querimonias doluerit detulerit potius quam loquutus ſit ex proprio ſenſu. Quanquam non eſt in totum excuſabilis ejus amarulentia, quando eum vocationis ſuæ pœnitet, ac indignatur ſibi provinciam nullo profectu mandatam eſſe. Quod vero Dei tarditatem in populo redimendo accuſat, inde apparet quam denſæ tenebræ mentem ejus tunc occupaverint. Præmonitus in tempore fuerat de Pharaonis duritie, audierat non ceſſurum donec fractus eſſet manu valida: nunc omnium oblitus, redemptionem nondum completam eſſe miratur. Idem & nobis ſæpe contingit, ut doctrina fidei & ſpei, quæ rebus tranquillis in corde noſtro fulget & in lingua reſonat, ubi ad ſerios conflictus ventum eſt evaneſcat. Quo majore ſtudio in ejus meditationem incumbere oportet, ut in rebus maxime confuſis nostamen ſuſtineat ejus recordatio.

Caput VI.

ET dixit Jehova ad Moſen, Nunc videbis quod facturus ſum Pharaoni: quia in manu robuſta dimittet eos, in manu *inquam* robuſta ejiciet eos è terra ſua.

2. Et loquutus eſt Deus ad Moſen, dixitque illi, Ego Jehova.

3. Apparui quidem Abrahæ, Iſaac & Jacob in Deo omnipotente: in nomine tamen meo Jehova non ſum cognitus illis.

4. Atque etiam erexi pactum meum cum illis, ut darem illis terram Chanaan, terram peregrinationum eorum, in qua peregrinati ſunt.

5. Idcoque ego audivi gemitum filiorum Iſraël, quos Ægyptii ſerviliter opprimunt: & recordatus ſum fœderis mei.

6. Propterea dic filiis Iſraël, Ego Jehova, & educam vos ex oneribus Ægypti, & eruam vos è ſervitute illorum, & redimam vos in brachio extento, & in judiciis magnis.

7. Et

7. Et assumam vos mihi in populum, & ero vobis in Deum, & scietis quod ego sum Jehova Deus vester, dum vos educo ex oneribus Ægypti.

8. Et introducam vos in terram, de qua levavi manum meam ut darem eam Abrahæ, Isaac & Jacob: daboque eam vobis in possessionem. Ego Jehova.

1. *Et dixit Jehova ad Mosen.*] Indignus quidem erat Moses cui tam placide & comiter Deus responderet: sed optimus pater pro immensa sua clementia tam Mosis quam populi vitiis ignovit, ut quod statuerat de redemptione perficeret. Nihil autem novum adducit, sed repetit ac confirmat superiorem sententiam: donec vi coactus fuerit Pharao, non fore obedientem. In verbo Videbis, tacita exprobratio est immodicæ festinationis: quia non expectet Moses promissionis eventum. Subjicitur deinde ratio cur Deus nolit populum suum sponte à tyranno dimitti: quia scilicet volebat opus liberationis esse conspicuum. Notanda etiam exaggeratio est in verbo Ejiciendi: quasi diceret, ubi bellando subactus ac fractus fuerit Pharao, non modo consensurum, sed magni beneficii loco ducturum ut populus quam citissime exeat. Summa est, Qui hodie exitum vobis negat, non tantum liberos emittet, sed etiam extrudet è sua ditione.

2. *Et loquutus est Deus.*] Prosequitur Deus sermonem suum; ut Moses collapsos populi animos rursus erigat. Porro diffidentiam castigat, fœderis sui memoriam renovando: quod si probe infixum fuisset illorum cordibus, longe constantiores fuissent in speranda redemptione. Ostendit ergo nihil novi se nunc protulisse: quia pridem ex Patribus audierant se à Deo electos esse in populum peculiarem, & doctrinam suæ adoptionis fere cum lacte imbiberant. Quo turpior est eorum socordia, & magis convincitur, dum ita turbulente fremunt contra Mosen, acsi commentus ipse esset quod Dei nomine promiserat. Pungit etiam eos obliqua comparatione: quod Abraham, Isaac & Jacob cupide amplexi fuerint promissionem sibi datam, & in ea perseveranter quieverint: isti autem qui gloriabantur ex sancto illo semine se esse progenitos, fastidiose respuant, quia non statim apparet effectus. Atque ut crimen amplificet, ratiocinatur à minori ad majus: quia prout uberior illis offertur manifestatio ac luculentior quam Patribus olim oblata foret, propensiores ad credendum esse conveniat. Unde sequitur omni excusatione carere eorum socordiam, qui Deum familiariter se insinuantem non admittunt. De epitheto Sadai non consentiunt interpretes. Quidam deducunt à verbo שָׁדַד, atque ita literam finalem positam esse volunt pro geminata. Quod si recipimus, tantundem valebit atque Vastator: vel saltem notabitur formidabilis Dei majestas. Aliis magis placet שַׁד, quod mammam significat, esse radicem. Aliis videtur composita esse dictio ex relativo אֲשֶׁר & יַי, quod nomen Hebræis est Sufficientia. Ita Sadai dicetur qui bonorum omnium copia affluit. Certum quidem est hac voce Hebræos tam in bonam quam in malam partem uti. Nam ubi minatur Jesaias Deum fore scelerum ultorem, vocat eum Sadai. Sic & Job. 23. Sadai terruit me. In his locis & similibus haud dubie exprimitur terribilis Dei potentia: ubi vero promittit Abrahæ se fore Deum Sadai, liberalitatem suam commendat. Nunc etiam ubi dicit se apparuisse Patribus in Deo Sadai, non tam ad fortitudinem suam in exercendis judiciis respicit, quam ad plenam perfectamque beneficentiam: quasi diceret se Abrahæ & aliis Patribus manifestasse quanta virtute præditus sit ad suos tuendos & servandos, & ipsos experientia sensisse quam potenter atque efficaciter suos foveat, sustentet ac juvet. Quamvis autem prædicet quæ in illos contulit beneficia, negat tamen se illis fuisse cognitum in nomine suo Jehova: quo significat se nunc posteris illustrius patefacere dignatus fuæ gloriam. De nomine Jehova longum esset referre omnium sententias. Certe quod Judæi nec proferre nec scribere illud audent, sed substituunt nomen Adonai, putida est superstitio. Nihilo etiam magis probabile est quod multi docent, esse ineffabile, quia secundum rationem Grammaticæ non scribitur. Hoc quidem extra controversiam est, deduci à verbo הָיָה vel הָוָה: ideoque recte nomen essentiale Dei à peritis interpretibus dicitur, quum alia sint quasi epitheta. Quum ergo nihil Deo magis sit proprium quam æternitas, vocatur Jehova, quod à seipso habeat esse, & arcana inspiratione omnia sustineat. Nec Grammaticis assentior qui pronunciari nolunt quia non sit regularis inflexio: quando pluris mihi est etymologia, cujus omnes fatentur Deum esse auctorem, quam centum regulæ. Neque tamen Deus hoc loco per Nomen syllabas vel literas intelligit, sed gloriæ & majestatis suæ notitiam, quæ major & amplior refulgeret in Ecclesiæ redemptione quam in ipso fœderis exordio. Minore enim lucis mensura contentus fuit Abraham & reliqui Patres. Unde sequitur minus excusabilem esse culpam in posteris, nisi gratiæ amplitudini respondeat ipsorum fides. Interea Mosi additur alacritas, dum magnificum & singularem illustrandæ suæ gloriæ modum proponit Deus.

Jesa. 13. vers. 9.

4. *Atque etiam erexi pactum.*] Spem liberationis quam olim pollicitus fuerat, & quam speraverant Patres, confirmat ex pacto, sicuti paulo ante dixi, & particula גַּם quæ bis repetitur, priore loco est causalis, secundo illativa: quasi diceret, Quoniam pepigi cum Patribus vestris, ideo nunc in terram Chanaan deducere vos statui. Nisi ita resolvere libeat, Ego idem qui fœdus meum percussi cum Patribus vestris, nunc quoque audivi gemitum. Porro quia in mera gratia fundatum est pactum, redemptionem Deus tam ex suo beneplacito, quam ex constantia sperari jubet. Iterum vero fidem Abrahæ, Isaac & Jacob hac ratione commendat quod patienter sustinuerint hospites esse & peregrini in terra Chanaan, quæ tamen ex fœdere Dei legitima erat ipsorum hæreditas. Fuit enim raræ virtutis, vagari tota vita, nec angulum habere ubi pedem figerent, nisi quod precario ipsis concessum fuit tabernacula erigere, vicinis tamen suis esse obnoxios: ut solent indigenæ præ se despicere exteros. Atque hac comparatione gravius damnatur in posteris socordia & ingratitudo, si possessionem adire ejus terræ detrectent quæ tantopere expetita fuit à sanctis Patribus, & cujus solo aspectu beatos se putarunt, quamvis in ea tantum sint peregrinati.

5. *Ideoque ego audivi gemitum.*] Rationem assignat cur tam diu distulerit fidem datam præstare: quia scilicet volebat suos misere affligi, ut apertius succurreret laborantibus: deinde volebat injuste premi ab Ægyptiis, quò justius à tyrannide ipsos eriperet. Sicuti Abrahæ dixerat, Postquam male tractati fuerint, ego vindex ero. Opportunum ergo ferendi auxilii tempus veniſſe admonet hac circumstantia: quia si humaniter fuissent semper excepti, & jura hospitii erga eos servata essent, nulla fuisset excutiendæ dominationis ratio: nunc vero postquam Ægyptii æquitatis immemores fidem violarunt, æquum fuit audiri à Deo gemitus & clamores populi sui indigne afflicti. Hoc tamen semper diserte affirmat ex fœdere pendere, tum ut agnoscant Judæi non alio quam gratuitæ promissionis respectu sibi obstrictum esse, tum ut persuasi veracem esse in suis promissis, certius liberationem expectent. Recordationem fœderis

Gen. 15. vers. 14.

deris alibi dixi esse demonstrationem effectus. Quod sequitur proximo versu, Dic filiis Israël, Ego Jehova: ad tollendam dubitationem spectat. Res enim erat humano sensu impossibilis, imbellem turbam extorquere sævis tyrannis, non secus atque oves cruere ex faucibus luporum, & incolumes servare, postquam dentibus attritæ & laceratæ fuerint. Præfatur ergo Deus de sua incomparabili virtute, ut doceat nihil sibi fore negotii in re quantumvis incredibili peragenda. Ideo adjungit, se redemptorem fore in brachio extento & judiciis magnis: quasi diceret, Ego documenta edam mirifica excelsæ potentiæ, quæ sensus omnes humanos superent. Per judicia intelligit agendi rationes, quæ tamen simul futura erant testimonia suæ justitiæ. Nam Hebræis nomen hoc quamlibet dispositionem, modum, ordinem & consuetudinem, interdum mensuram significat. Gallice dicimus *façons notables ou estranges.*

7. *Et assumam vos mihi.*] Hic finis liberationis describitur in continuo gratiæ tenore. Parum enim fuisset, populum semel ex Ægypto redimi, nisi redemptus sub tutela & præsidio Dei vixisset. Sicut ergo pridem Circumcisione sanctum Abrahæ semen segregaverat à reliquis gentibus, ita nunc ipsum rursus sanctificat, seque illis in Deum fore promittit. His ergo verbis tam peculiaris electio quam ejus perpetuitas asseritur: quia censeri Dei populum, tantundem valet ac singulari privilegio recipi in favorem, & adoptione vocari in spem æternæ salutis. Futurum vero tempus non temporale fore beneficium docet, quum Deus porrecta manu educet populum ex Ægypto: sed hoc initium duntaxat fore æternæ protectionis. Porro inter nos & Israelitas tenenda est anagoge, vel similitudo: quia semel Deus per unigeniti Filii manum eripuit à Satanæ tyrannide, in hunc finem ut nos semper paterno amore prosequatur. Postea arrham vel pignus adjungit possessionem terræ Chanaan, qua donati fuerunt Israelitæ, ut Deus semper inter ipsos resideret, protegeret ipsos suo auxilio, virtuteque tueretur. Dixi hanc fuisse arrham adoptionis: quia Patrum fides affixa esse non debuit terrenis beneficiis, sed tendere ad altiorem scopum. Interea externo illo symbolo Deus ostendit peculiarem sibi esse populum, cujus habitationi terram delegit in qua coleretur. Quod dicit se levasse manum, ad confirmationem valet: quia jurejurando interposito sancita promissio fuit. Certum quidem est in simplici Dei verbo satis superque esse firmitatis: sed hoc concessit hominum imbecillitati, ut sacrum suum nomen, quasi sponsionis loco, in medio statueret: quo certiore fiducia persuasi essent nihil sibi frustra promitti. Levare manum, jurare significat: similitudine ab hominibus sumpta, qui hoc gestu testantur se coram Deo loqui, ac si testem è cælo ipsum accerserent. Hoc in Deum non competit, qui per seipsum jurat, quia nullus *Hebr. 6:13.* altior est ad quem tollat manum: sed improprie ad ipsum transfertur quod usitatum est inter homines. Quod inferitur, scituros Israelitas ipsum esse Deum postquam educti fuerint, obliquam exprobrationem continet: quia scilicet nimis lenta est cognitio quæ effectum subsequitur. Simul tamen experimento palam se facturum promittit quam verax sit in omnibus suis dictis, ut constantius Israëlitæ redemptionem suam expectent. In clausula repetens se esse Jehovam, invictam suam virtutem, quæ facile superat omnia impedimenta, (sicuti paulo ante) commendat. Quanquam simul veritatis elogium continet hæc loquutio: quasi diceret se unum esse cui tuto creditur, quia & fidelis est in promissis suis, & immensa potentia præditus.

9. Et ita loquutus est Moses ad filios Israël: sed non audierunt Mosen præ angustia spiritus, & præ dura servitute.

10. Loquutus autem est Jehova ad Mosen, dicens,

11. Ingredere & loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israël è terra sua.

12. Tunc loquutus est Moses coram Jehova, dicendo, Ecce filii Israël non audierunt me: & quomodo audiet me Pharao qui sum incircumcisus labiis?

13. Loquutus autem fuerat Jehova ad Mosen & Aharon, dederatque eis mandata ad filios Israël & ad Pharaonem regem Ægypti, ut emitteret filios Israël è terra Ægypti.

9. *Et ita loquutus est Moses.*] Ex hoc versu apparet de secunda legatione agi, quam perferre jussus est Moses. Ante enim magna lætitia & applausu audierant adesse redemptionis tempus, & gratias egerant Deo: nunc refert Moses constrictos fuisse animos, ne admitterent quem perferebat de propinqua gratia nuncium. Ita sæpe miseri aures obstruendo, januam claudunt Dei promissionibus. Quod fere portento simile est. nam quod Dei gratiam respuunt qui saturi sunt atque etiam ebrii sua felicitate, nihil mirum: sed mœrorem, qui famelicos reddere debuerat qui sub malis demersi jacent, obstaculo esse ne solatium recipiant quod ultro Deus offert, id vero naturæ repugnat. Atqui usu tritum est, ut quo magis singuli anguntur, seipsos obdurent ne locum permittant Dei auxilio. Hoc morbo filios Israël laborasse narrat Moses, dum surdis auribus repulsa ab illis fuit tam blanda Dei invitatio, quod anxietas eorum sensus occupavisset. Quia vero naturale est dolore & tristitia nos cootrahi: discamus hoc exemplo, luctandum esse donec animi emergant ex suis angustiis, quo saltem ampleaandæ gratiæ Dei sint capaces. Nulla enim deterior pestis quam hebetes malis ac stupidos reddi, ut obsurdescamus ad Dei promissiones.

10. *Loquutus autem est Jehova ad Mosen.*] Clarius exponit Moses quam indulgenter tulerit Deus malignam populi repulsam: cujus justa fuisset merces, si passus fuisset centies in miseriis suis putrescere, quando obstinatis animis ad interitum suum ruebant. Quod ergo perire volentibus opem ferre non desinit, singularis est misericordiæ. Porro notandum est Mosen fuisse novo boc mandato confirmatum: quia populi desperatione perculsus erat. Fuit autem non leve crimen, callum stuporis ita in malis sibi obducere, ut remedium à se prohiberent. Potuit igitur merito colligere non esse longius pergendum, ne tot molestias cum summo periculo & nullo profectu stulte obiret. Verum huic tentationi occurrit Deus, & cum Pharaonis pervicacia constanter nihilominus certare jubet. Demonstrat autem Moses responsio, ex quo populi mœror viam gratiæ Dei clauserat, legationem hanc fuisse sancto viro rursus injunctam. Nam quum initio populus primo nuncio in spem redemptionis alacriter erectus esset, Mosi ex felicibus exordiis accesserat non vulgaris strenuitas ad exequendum suum munus, quæ nunc tristi eventu merito concidere potuit, donec ad perseverantiam deintegro excitatus fuit. Itaque veniam poscit, ne inutiliter laboret: & ratiocinatur à minori ad majus, quia longe difficilius sit animum Pharaonis inflectere, ut invitus jure suo cedat, quam misefis

ris persuadere ut auxilium divinitus sibi oblatum recipiant. Atqui jam experimento didicerat clausam esse Deo januam apud populum. Quid ergo rupem duriſſimam loco movere tentaret? Etſi autem conſilium ejus non fuit vocationis onus ſibi impoſitum excutere, libenter tamen tergiverſando ſe oblique ſubduxiſſet. Ita videmus cordatiſſimos Dei ſervos interdum in medio curſu fatiſcere: præſertim ubi occurrunt ſalebræ & alia obſtacula, & via opinione aſperior offendit. Quo magis ſollicite rogandus nobis eſt Deus ne unquam inter varios quibus nos exercet conflictus, deſtituat virgutis ſuæ ſubſidio: quin potius pro vehementia certaminum novas ſubinde vires inſpiret. Jam vero quæ ſpes redemptionis ſuperfuit, cujus miniſter tam fracto erat animo vel remiſſo, & quam populus ipſe palam fuerat aſpernatus, niſi Deus per ſe omnia præſtitiſſet? Nec dubium eſt quin tali hominum defectu oſtendere voluerit manum ſuam ſibi ſufficere. Quod ſe Moſes vocat incircumciſum labiis, ad balbutiem refero, quam prius ſibi impedimento eſſe obtenderat: quanquam ſi quis aliter accipere malit, non admodum repugno.

13. *Loquutus autem fuerat Jehova ad Moſen.*] Alii, Loquutus eſt. Verum quia hic ad exordium ſuæ vocationis revertitur, ideo ſenſus commodius reddetur tempore verbi pluſquam perfecto, ſicuti feci. Repetit enim quod jam dixerat, ſe & Aharon fratrem nihil temere aggreſſos eſſe, Dei mandato fuiſſe inſtructos. Summa eſt, quamvis ſæpius interruptum quodammodo fuerit opus, ratum tamen fuiſſe Dei conſilium de populo liberando. De primo autem juſſu ipſum loqui patet, quia ſe & fratrem tam ad filios Iſraël quam ad Pharaonem miſſos fuiſſe refert.

14. Iſta ſunt capita domus patrum ſuorum. Filii Reuben primogeniti Iſraël, Henoch & Phallu, Heſron & Charmi. Hæ cognationes Reuben.

15. Filii Simeon, Jemuël & Jamin, Ohad & Jachin & Sohar, & Saul filius Chananææ. Hæ cognationes Simeon.

16. Et hæc nomina filiorum Levi in generationibus ſuis, Gerſon & Kehath & Merari. Anni autem vitæ Levi triginta ſeptem & centum anni.

17. Filii Gerſon, Libni & Simei, ſecundum cognationes ſuas.

18. Filii Kehath, Amram & Ishar, Hebron & Uziel. Anni autem vitæ Kehath triginta tres & centum anni.

19. Filii vero Merari, Mahli, & Muſi. Hæ familiæ Levi ſecundum generationes ſuas.

20. Accepit autem Amram Jochebed amitam ſuam in uxorem, quæ genuit ei Aharon & Moſen. Porro anni vitæ Amram triginta ſeptem & centum anni.

21. Filii Ishar, Corah & Nepheg & Zichri.

22. Et filii Uziel, Miſaël & Elſaphan & Sithri.

23. Et accepit Aharon Eliſeba filiam Amminadab ſororem Nahaſſon ſibi in uxorem, quæ peperit ei Nadab & Abihu, & Eleazar & Ithamar.

24. Filii Corah, Aſſir & Elcanah & Abiaſaph. Hæ familiæ Corhitarum.

25. Eleazar autem filius Aharon ſumpſit ſibi è filiabus Putiel in uxorem, quæ peperit ei Pinhas. Hæc capita patrum Levitarum ſecundum cognationes ſuas.

26. Hic eſt Aharon & Moſes, ad quos dixit Jehova, Educite filios Iſraël è terra Ægypti per exercitus ſuos.

27. Ipſi ſunt qui loquuti ſunt ad Pharaonem regem Ægypti, ut emitteret filios Iſraël ex Ægypto. Ipſe eſt Moſes & Aharon.

28. Accidit autem quo die loquutus eſt Jehova ad Moſen in terra Ægypti,

29. Quo loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo, Ego Jehova: loquere ad Pharaonem regem Ægypti quæcunque ego loquor ad te.

30. Tunc ait Moſes coram Jehova, Ecce ego incircumciſus ſum labiis, & quomodo audiet me Pharao?

14. *Iſta ſunt capita.*] Hic Moſi propoſitum eſt generis ſui originem teſtatam facere omnibus ſeculis, ne cui dubium ſit in libero populi exitu completam fuiſſe quæ data fuerat Abrahæ promiſſionem. Nam ſi alio duce egreſſi fuiſſent Iſraëlitæ, de præcipuo auctore ambigi poterat: nunc quum ex gente illa & Abrahæ poſteris delectus eſt Moſes, clarius apparet totam rem Dei auſpiciis geri. Quanquam autem non ſolam tribum Levi recenſet, ſed incipit à Reuben primogenito, deinde Simeon adjungit, facile tamen cognoſcitur ſingularem haberi reſpectum tribus Levitiæ. Sed quia familiæ Reuben & Simeon ordine priores erant, ab illis commode tranſitum fecit Moſes ad tertiam. Alias vero non enumerat in præſentia: quia alibi opportunior futurus erat locus. Tenenda igitur eſt ea ratio, delectum fuiſſe ex progenie Abrahæ miniſtrum redemptionis, cujus manu promiſſionis ſuæ fidem Deus fanciret. Et certe videmus Satanam ex oppoſito memorabilem hanc hiſtoriam per ſcriptores profanos multis fabulis obnubilaſſe: ac præſertim ubi genus Abrahæ ſepelire aſtute conatus eſt. Hanc vafritiem cæleſti prudentia prævenit Moſes, capita familiarum nominans, ne obſcura ſint gentis principia.

16. *Et hæc nomina filiorum Levi.*] Quia apprime cognitu utilis erat origo Moſis & Aharon, prolixius hac in parte inſiſtit, ac diſtinctius familias commemorat quæ ex Patriarcha Levi fluxerunt: non ut gentem ſuam præ aliis nobilitet, verum ut certius liqueat, non ab aliquo homine extero eductum fuiſſe populum, ſed ex genuina Abrahæ ſobole divinitus fuiſſe ſumptum qui apud fratres ſuos potentiæ Dei, gratiæ & veritatis teſtis foret. Et certe hoc incomparabile Dei beneficium, ſi ullum aliud, non modo celebrari, ſed etiam aſſeri æquum fuit, ut cum ejus memoria in omnes ætates ſimul vigeret certitudo. Quam vero ab omni ambitione remota fit hæc narratio, ex uno capite colligitur, ubi dicit Moſes ſe natum fuiſſe ex amita patris. Etſi enim nondum Lex illicita conjugia vetuerat, dictabat tamen ipſa natura flagitium eſſe, nepotem cum amita ſua, quæ matris gradum obtinet, miſceri. Ergo ubi fateri non dubitat Moſes ſe ex inceſtuoſo connubio eſſe genitum, ſuæ exiſtimationi vel laudi adeo non conſulit, ut parentum ſuorum dedecus ingenue proferat, illuſtrandæ ſolum Dei gloriæ cauſa. Nec vero excuſabilis ignorantia fuit, quamvis nondum Lex ſcripta eſſet, neglecto turpis & honeſti diſcrimine, humanum

manum pudorem violare. Sed quia plus æquo ſibi homines indulgent, neceſſe fuit diſertis verbis cohiberi fœdas libidines: quarum immodica licentia ſemper fere inter Orientales populos graſſata fuit. Interea diſcamus quam non tuta ſit Patrum imitatio, ubi promiſcue licere nobis putamus quicquid ab illis factum eſt. Quod autem vitæ curſu longe producto Levi, Kehath & Amram paucos tantum liberos genuerint, nempe unus tres, ſecundus quatuor, tertius duos, non ſine Dei conſilio factum eſt, ut in propagatione incredibili quæ mox ſequuta eſt, clarius gratiæ ejus miraculum fulgeret. Quis enim putaſſet heri poſſe ut intra annos ducentos ex illa paucitate immenſa copia emergeret? Nec ſane humanitus factum eſt: ſed poſtquam Deus in exilibus contemptiſque initiis ſuo more ludentis ſpeciem præbuit, ſubita & inſolita multiplicatione illuſtrius patefacta fuit ejus potentia. Alia quibus nihil aut parum videtur ſubeſſe momenti, prætereo.

26. *Hic eſt Aharon & Moſes.*] Non abs re toties inculcat Moſes impoſitum fuiſſe ſibi & fratri hoc munus Dei juſſu, tum ut ſentiant Iſraëlitæ cæleſti gratia ſe fuiſſe ex profundiſſima abyſſo ereptos, tum ut mentes revocent ad antiquum Dei fœdus, & agnoſcant ſpem Patrum non fuiſſe irritam: poſtremo ut in futurum tempus ſe totos Deo addicant. Videtur autem obliqua eſſe antitheſis inter populi exercitus, & duos viles atque abjectos homines. Longe enim tanto oneri ferendo impares fuiſſent, niſi mirabiliter Deus per eorum manum operando ſpem omnium ſuperaſſet. Ideo hanc gratiam alibi commendat Spiritus, quod duxerit Deus quaſi oves populum ſuum ſub duobus his paſtoribus. Quid enim minus probabile, quam ingentem multitudinem, quæ plures efficeret populos, duorum hominum imperio parere, conſilio regi, & opera in unum colligi poſſe, ut potentiſſimo tyranno repugnante in aliam terram migraret? Nam qualis utriuſque fuit auctoritas, ut duodecim exercitus ordinibus ſuis diſtinctos gubernarent? Quod nulli terreni reges opibus, prudentia, terrore & minis conſequi poſſent, nullo negotio Deus per duos homines imbelles, neque uſu peritos, neque fama celebres, præſtitit: quum Moſes ipſe rei magnitudine territus injunctam ſibi legationem ſæpe deprecaretur. Nam in fine capitis, tertio excuſationem illam repetit, quod non eſſet diſertus, ſed linguæ tardæ & impeditæ. In hunc ergo ſcopum tendunt omnia, ut Deo vendicet beneficii ſui laudem, ejuſque gloriam amplificet. In verſu 28. aliqua eſt ambiguitas. Poſſet enim ſeorſum legi, hoc ſenſu, non tantum in deſerto Madian loquutum fuiſſe Deum ut Moſen redimendo populo præficeret, ſed etiam interpoſito temporis progreſſu, in Ægypto. Ita In die tantundem valeret atque poſt aliquod tempus: mihi tamen rectius videtur uno contextu tres verſus ſimul legere. P. 44. 77. verſ. 21.

Caput VII.

ET dixit Jehova ad Moſen, Ecce dedi te Deum Pharaoni, eritque Aharon frater tuus Propheta tuus.

2. Tu loqueris omnia quæ mandavero tibi, & Aharon frater loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Iſraël è terra ſua.

3. Ego autem indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo ſigna mea, atque portenta mea in terra Ægypti.

4. Et non audiet vos Pharao: ſed extendam manum meam ſuper Ægyptum, & educam exercitus meos, & populum meum filios Iſraël è terra Ægypti in judiciis magnis.

5. Et cognoſcent Ægyptii quod ego ſim Jehova, quum extendero manum meam ſuper Ægyptum, & eduxero filios Iſraël è medio eorum.

6. Fecit ergo Moſes & Aharon: ſicuti præceperat Jehova ipſis, ſic fecerunt.

7. Moſes autem filius octoginta annorum fuit, & Aharon filius octoginta trium annorum, quum loquerentur ad Pharaonem.

1. *Et dixit Jehova ad Moſen.*] Recitat iterum Moſes, anxietati ſuæ ſolatium, & diffidentiæ remedium adhibitum fuiſſe: quia & ipſe divina auctoritate ornatus fuit, & datus eſt Aharon comes atque adjutor. Nam conſtitui Pharaoni in Deum, tantundem valet atque inſtrui ſummo imperio & poteſtate, qua tyranni ſuperbiam dejiciat. Nec vero quicquam ſibi detraxit Deus quod in Moſen transferret: quia ſic communicat cum ſervis ſuis quod ſibi proprium eſt ut maneat ſemper integer. Imo quoties partem gloriæ ſuæ videtur miniſtris ſuis reſignare, tantum docet virtutem atque efficaciam Spiritus ſui cum illorum labore fore conjunctam, ne ſit infructuoſus. Fuit igitur Moſes in Deum Pharaoni: quia in ipſo Deus potentiam ſuam exeruit, ut ſuperior eſſet regia altitudine. Hebræis tritum eſt omnem excellentiam Dei titulo ornare, qui ſolus eminet ſupra cælum & terram, & ſuo arbitrio tam Angelos quam homines extollit vel humiliat. Hoc ſolatio (ut dixi) correcta fuit Moſis infirmitas, ut Dei auctoritate fretus intrepide regis ferociam deſpiceret. Subſidium etiam additur in fratre, ne quid obſit balbuties. Ante autem dictum fuit, Moſis ingratitudine factum eſſe ut dimidia pars honoris ad fratrem transiret. Quanquam Deus, ſocium ei adjungens, dignitatem ſic imminuit ut primogenitum ſuum minor natu antecederet. Prophetæ nomen hic pro interprete capitur: quia Propheticum munus nonniſi ab uno Deo manat. Sed quia Deus per unius manum tradebat alteri quod dici aut fieri volebat, non ſecus ac Deo ſubjicitur Aharon Moſi: ſicuti æquum eſt abſque controverſia eos audiri qui Dei perſonam ſuſtinent. Quod etiam melius patet ex ſecundo verſu, ubi Deus imperium illud Moſi datum temperat, ac ſuis finibus circumſcribit. Nam ubi loqui jubet quæcunque mandaverit, in ordinem cogit miniſtrum ſuum, & continet in obſequio, ne quid juri ſuo decedat.

3. *Ego autem indurabo.*] Quoniam aſperior eſt loquutio, in ea mitiganda laborant multi interpretes, ut ante dixi. Hinc factum eſt ut alii conjunctim legerent, Indurabo cor Pharaonis multiplicando ſigna: acſi externas obſtinationis cauſas Deus notaret. Sed alibi jam docuit Moſes, ac poſtea repetet, aliis modis quam miracula edendo obduratum fuiſſe à Deo regis animum. Quantum ad verba ſpectat, non dubito quin Deus priore membro ſervum ſuum armet ad conſtantiam, qua fortiter reſiſtat tyranni contumaciæ: deinde remedium ſibi in promptu eſſe admoneat. Sic igitur vertendum hunc locum exiſtimo, Ego quidem indurabo cor Pharaonis, ſed multiplicabo ſigna: quaſi diceret obſtaculo ſibi non fore duritiem illam, cui frangendæ ſufficient miracula. Eodem ſenſu continuo poſt addit, Quamvis non audiat vos Pharao, extendam tamen manum meam. Sic enim copulæ (meo judicio) in adverſativas reſolvi debent. Quod alii vertunt, Indurabo cor Pharaonis ut multiplicem ſigna: item, Non audiet vos

ut

ut extendam manum meam: non prorsus rejicio. Et certe in hunc finem voluit Deus Pharaonem pertinaciter Mosi reſiſtere, quo illuſtrior eſſet populi redemptio. Quomodo autem Deus reprobos obduret, non eſt neceſſe ſuſius differere quoties occurrit hæc loquutio. Tenendum eſt quod jam admonui, frigidos eſſe ſpeculatores qui in oudam permiſſionem hoc rejiciunt: quia ſi Deus mentes exæcando, vel corda obdurando, juſtas reprobis pœnas infligit, non tantum patitur homines facere quod ipſis libitum eſt, ſed judicium quod rectum eſſe novit re ipſa exercet. Unde etiam ſequitur, non modo gratiam Spiritus ſui eum ſubducere, ſed Satanæ addicere quos cæcitate mentis & cordis obſtinatione dignos eſſe cognoſcit. Interea fateor utriuſque mali culpam reſidere in ipſis hominibus, qui ſponte cæcutiunt, & ſponte uſque ad inſaniam feruntur ad malum, vel ruunt. Quam vero putidi ſint calumniatores qui invidiæ conflandæ cauſa Deum fieri peccati auctorem jactant, breviter etiam oſtenſum eſt: quia ex ſenſu noſtri modulo arcana ejus & incomprehenſibilia judicia æſtimare, nimis perverſum foret. Atque hujus doctrinæ adverſarii ſtulte & inconſiderate res diverſas miſcent, quum durities ſit hominis peccatum, obduratio autem judicium Dei. Judicia magna iterum proponi, quo ſuſpenſis attentiſque animis expectent Iſraëlitæ magnificum & admirabilem agendi modum.

5. *Et cognoſcent Ægyptii.*] Species eſt ironiæ, quod Ægyptii plagis ſubacti, ſero tandem ſentire incipient ſibi cum Deo fuiſſe bellum. Conſilium tamen Dei fuit Moſen fulcire, ne amentia & furore boſtium victus concideret. Ergo quamvis ſtupidi ſint in ſua veſania Ægyptii, propuneiat tamen Deus, ultimo eventu cognituros in ſuam perniciem ſe pugnaſſe, quum cælo bellum intulerint. Subeſt enim antitheſis inter tardam cognitionem & ſocordiam, quæ tunc illis demum excuſſa fuit quum palam contra eos fulminavit è cælo Deus. Scimus enim quam ſecure ferream contumaciam opponant impii cæleſtibus minis, donec violenter cogantur expaveſcere. Non quod humilientur ſub Dei manu: ſed quia fremendo ac tumultuando non poſſe tamen ſe pœnam effugere vident: non ſecus ac ebrii è ſua temulentia expergefacti, libenter æterno ſopore atque etiam veterno mentes obruerent: velint tamen nolint, dolores ſuſtinent ſuæ intemperantiæ. Porro hæc cognitio quæ invitis extorquenda erat, Moſen & alios admonuit ut Dei potentiæ juſtam laudem tribuerent, antequam experientia eſſent convicti. Verum quidem eſt probos quoque Dei cultores pœnis interdum erudiri: (quo pertinet illud Jeſaiæ; Ubi judicia tua exercueris Deus, juſtitiam diſcent habitatores terræ) ſed hic notatur cognitio, quæ reprobos ita proſternit ut non deſinant cornua contra Deum attollere: atque ita ſine profectu eos exanimat. Fuit etiam in populo electo experimentalis cognitio cujus ante ficta eſt mentio, Scietis me Jehovam eſſe Deum veſtrum, poſtquam vos eduxero è terra Ægypti. Sed hæc (proprie loquendo) nihil aliud eſt quam fidei confirmatio, quæ ante rerum eventus ſolo verbo contenta eſt. Vel certe Deus effectu ipſo torporem ſuorum caſtigat, ubi videt in verbo ſuo non ſatis firmam eſſe fulturam. Sic autem Deum cognoſcunt impii ut pudore vel metu attoniti non videant quod vident. *Joſa. 28. verſ. 9.*

6. *Fecit ergo Moſes.*] Non jactantiæ cauſa prædicat Moſes ſuam obedientiam: ſed poſtquam ingenue conſeſſus eſt ſuam tarditatem, jam narrat ſe & fratrem fuiſſe melius animatos ad præſtandum officium. Interim ſe una cum fratre miniſtrum Dei fuiſſe docet, nec quicquam ſe vel induſtriæ, vel ingenii, vel conſilii, vel dexteritatis attuliſſe, ſed tantum paruiſſe Deo. Quanquam ex eorum exemplo diſcendum eſt, ſicuti nihil tentare fas eſt niſi quod præſcribit Deus, ita quicquid jubet, obedienter & ſine exceptione ſequi nos debere. Quod de ætate ſequitur, ad amplificationem valet: quia non vulgare exemplum fuit, quum natura ſegnes & frigidi ſint ſenes, duos homines octogenarios tam arduam provinciam vegetis animis obire. Neque enim eorum opinioni aſſentior qui putant eorum dignitatem commendari ab annis. Venerabilis eſt ſenectus, fateor: ſed longe aliud propoſitum fuit Moſi, nempe excluſis humanis mediis, celebrare Dei gloriam, quod per ſenes ætate jam caducos ac decrepitos inæſtimabile facinus ediderit. Eſſi enim integer adhuc illis conſtabat vigor, ipſos tamen timidos reddere poterat ſenectus, & curam populo injicere, quum duces ſuos non modo proiectæ ſed jam ad mortem inclinatæ ætatis conſpicerent.

8. Et dixit Jehova ad Moſen & Aharon, dicendo,

9. Si loquutus fuerit ad vos Pharao, dicendo, Statuite vobis prodigium: tunc dices ad Aharon, Tolle virgam tuam & projice coram Pharaone, & fiet in ſerpentem.

10. Venit ergo Moſes & Aharon ad Pharaonem, & ita fecerunt ut præceperat Jehova. Et projecit Aharon virgam ſuam coram Pharaone & coram ſervis ejus, & fuit in ſerpentem.

11. Tunc vocavit etiam Pharao ſapientes & incantatores: & fecerunt etiam ipſi magi Ægyptiorum hoc modo ſuis incantationibus.

12. Projecerunt enim ſinguli virgas ſuas, quæ fuerunt in dracones. Devoravit tamen virga Aharon virgas illorum.

13. Et obduruit cor Pharaonis, neque audivit illos: ſicuti loquutus erat Jehova.

8. *Et dixit Jehova.*] Quia rudibus & craſſis ingeniis ſcripſit Moſes, nihil mirum ſi eadem ſæpius repetat. Noſtrum vero eſt, ne faſtidio nobis ſit popularis ſermo, diligenter excutere quam parum nos quoque acuti & ſolertes ſimus ad conſideranda Dei opera. Non dubium eſt hic recitari quod ante audivimus de converſione virgæ in ſerpentem: niſi quod nunc docet, miraculum quod ante in deſerto Madian, & deinde in Ægypto ſub oculis populi editum fuerat, coram Pharaone poſtremo fuiſſe ſimiliter editum. Porro hinc colligimus, rogatu Pharaonis ſervos Dei probaſſa teſtatamque feciſſe vocationem ſuam; quo minus excuſabilis fuit ejus pertinacia, dum virtutem Dei ita conſpicuam contempſit. Nempe hoc incredulis ſolenne eſt, appetere virtutis Dei teſtimonia, quibus fidem abrogent: non quod ex profeſſo Deum ſubſannent, ſed quia occulta impietas ad quærenda ſubterfugia eos ſollicitat. Moleſtus eſt ſuperbo regi atque odii plenus nuncius: quia præciſe non audet Deo negare, ſpecioſum recuſandi colorem excogitat, miraculum petendo: quod ubi exhibitum eſt, remotiores latebras captat, ut paulo poſt videbimus. Quonim ergo certum erat non ultro morigerum fore Dei mandato, nec prius ceſſurum quam miraculo convictus foret, ideo illuſtri certoque virtutis ſuæ documento Deus ſervos ſuos munit. Porro converſio pedi vel baculi paſtoralis in ſerpentem hue ſpectabat, ne deſpectui eſſet ignobilis

bilis & rusticus Mosis habitus. Nam (ut se reges immodice efferre solent) facete eludere poterat Pharao audaciam Mosis & Aharon, qui velut sortis suæ oblíti, cum totius Ægypti potentia confligerent. Cognovit igitur Pharao, quamvis nullo eximio splendore essent terribiles, ac nihil magnificum præ se ferrent, non tamen destitui firmis & validis præsidiis, quum videret ex baculo prodire serpentem. In summa, testatus est Deus sub infirmitate servorum suorum reconditam esse suam potentiam: ut singulis quibusque momentis formidabiles redderet summis Monarchis, qui vasis testaceis alioqui erant similes. Cur Aharon potius quam Moses baculum projicere jubeatur, mihi non constat: nisi forte quod fastuosi tyranni lautitias consulto vilipendere voluit Deus, ubi dignatus non est virtutem suam exerere per manum servi sui primarii, sed minorem tantum adhibuit. Itaque, ministerii respectu, virga Dei & Mosis
Rom. 6. vers. 26. nunc vocatur virga Aharon. Sicuti Paulus de Euan-
2 Tim. 2. vers. 8. gelio suo gloriatur, cujus promulgandi sibi injunctum esse munus sciebat.

10. *Venit ergo Moses.*] Quanquam suæ vocationis jam sibi probe conscii erant, & sciebant cælesti virtute se pollere in edendis miraculis, nunquam tamen accedere ausi fuissent ad crudelem sævumque tyrannum, nisi eos interior vis Spiritus ad constantiam armasset. Hinc igitur ad omnes vincendos terrores magnanimitas, quod Deus supra omnem mundi altitudinem fide ipsos erexit, & hac fultura sustinuit. Veniunt igitur ad conflictum invicto robore, & legationem maxime odiosam miraculo confirmant. Quod moveri quæstio solet an vera fuerit & substantialis (ut loquuntur) conversio: de virga Mosis, id mihi certo persuasum est. Neque enim Deo magis est difficile rerum formas mutare, quam difficile fuit cælum & terram creare ex nihilo. Quanta sit conversionum varietas in natura, non ignorant Philosophi, imo idiotis etiam patet: sed quia insolito more & præter naturæ ordinem baculus in serpentem conversus fuit, idem de hoc miraculo judicium facere
Gen. 19. vers. 26. convenit quod de uxore Loth in statuam salis conversa: nisi quod baculus paulo post ad pristinam naturam redit. In baculis magorum major est ambiguitas, quia probabile est fallacibus eorum præstigiis delusos fuisse impii regis oculos. Nihil tamen absurdi si dicamus tantum licentiæ illis fuisse à Deo permissum, non ut crearent ex uno corpore aliud, sed ut arcanum Dei opus quasi suum proferrent. Nam certe ingenii nostri fines longe superat efficacia erroris,
2 Thess. 2. vers. 11. quam affirmat Paulus Satanæ dari ad puniendos incredulos, ut credant mendacio, quia veritati obtemperare nolunt. Dicit quidem adventum Antichristi fore in signis & prodigiis mendacibus: sed potentiam adjungens, ostendit, fallaciam vel illusionem non tam in externa rerum forma quam in perverso
Mat. 14. vers. 24. signorum abusu sitam fore. Ideo Christus simpliciter pronunciat falsos doctores signa & prodigia magna edituros. Fieri ergo potest ut Deus baculos magorum justa vindicta mutari voluerit in serpentes: sicuti postea videbimus aquas fuisse illorum incantationibus versas in sanguinem, terram coopertam fuisse ranis & pediculis, agros fuisse grandine percussos, & obtenebratum aërem. Tenendum tamen est, ne musæam quidem nisi à solo Deo creari posse: sed quæ arcano Dei judicio fiunt, Satanam rapere ad suas impostúras.

11. *Vocavit etiam Pharao.*] Jam emergit quæ prius in profundo cordis recessu latebat impietas: dum in certamen cum Deo ruere non dubitat tyrannus. Satis enim de admirabili Dei potentia edoctus erat, nisi eum ad desperatum furorem impelleret sua pravitas. Nam signum postulando (ut nuper dixi) putavit justam sibi esse causam spernendi Mosis. Sicuti impii confidunt, impune sibi quidvis licere, nisi palam ad ipsos prohibendos appareat è cælo Deus. Sed quia inflexibilis contumacia penitus corda eorum occupat, conspicuæ Dei virtuti resistere non dubitant. Ita malitia oculos Pharaoni perstrinxit, ut lucem videndo non videret, convictus tamen ad extinguendum lucis conspectum accerseret sibi tenebras. Tam impiæ igitur ac diabolicæ arrogantiæ soluta fuit justa merces, quum magorum suorum fallaciis deceptus fuit. Exemplum in primisutile & notatu dignum, quo primum docemur, impios, quamcunque docilitatem simulent, intus tamen manere præfractos ac Deo rebelles: deinde non modo propensos esse ad errorem, sed cupide toto affectu illuc ferri. Non semper, neque in omnibus conspicitur hoc vitium: sed ubi lucem suam propius admovet Deus, facile detegitur ac se prodit. Quam multi hodie in Papatu simplicitatis prætextu impias superstitiones sequuntur? Quamdiu sub ignorantiæ integumento se & alios fallunt, videntur misericordia digni: verum simulac illucet veritas, palam faciunt se impostúras quibus pereant appetere, & mendaciis oblectari. Certe veritatis dilectionem (ut ait
2 Thess. 2. vers. 10. Paulus) repudiant. Miramur Pharaonem, ut sensum virtutis Dei à se repellat, magos vocare? Quasi vero non multi hodie mercede improbos rabulas conducant, quorum blanditiis fascinat in erroribus obstupeant. Notandum vero quod honorifice per conceptionem sapientes vocantur, qui ad decipiendum artifices, sana doctrina vacui erant. Etsi enim floruit apud eos astrologia, & culta fuerunt liberalium artium studia: ex proximo tamen contextu patet multis inanibus figmentis fuisse deditos, imo totam degenerem eorum scientiam fuisse meram vanitatem. Nam מכשפים & חרטמים superstitiosi farum sunt artium nomina: quorum prius significat præstigiatores, vel qui fascinis oculos sensusque inficiunt: secundum vero pro genethliacis capitur, qui ex horoscopo judicant de cujusque fortuna, & ex positu astrorum hariolantur. Quum ergo ex genuina philosophia prolapsi essent magi Ægyptii, retinuerunt sapientum nomen, ut fidem illusionibus suis acquirerent. Sicuti diabolus, ut ad se rapiat Dei gloriam, vel se transfiguret in Angelum lucis, solet mendaciis speciosos titulos imponere. Nec dubium est quin (ut in re perplexa) certius ex comparatione examen quæsierit: non tamen alia de causa nisi ut impietatem suam novo involucro tegeret. Nomen להט tametsi proprie laminam gladii significat, pro incantatione tamen hic sumitur. Quanquam arbitror eos falli qui rationem assignant, quia gladio, vel simili instrumento exercerent suas præstigias. Potius enim metaphorice versatilem agitationem designat, qua magi aliud pro alio ostentant. proprie enim flammam significat. Porro hæc tam severa gravisque ultio terrorem incutere nobis debet, ne odio veritatis fallacias appetamus. Est enim hoc facrilegium intolerabile, velle data opera pervertere discrimen veri & falsi. Itaque nihil mirum si Deus in profundissimas errorum tenebras demergat qui ad oblatam lucem claudunt oculos, & qui eum magistrum audire detrectant, eos Satanæ tradat discipulos.

12. *Projecerunt enim singuli.*] Non exprimitur numerus magorum: & quum Paulus duos nominat
2 Tim. 3. vers. 8. Jannem & Mambrem, verisimile est non solos fuisse, sed præcipuos & quasi summæ duces. De re tamen dubia non contendo. Magis ad rem pertinet Pauli admonitio: sicut Jannes & Mambres restiterunt Mosi, ita semper fore falsos doctores qui oppugnent veros Christi ministros, & quidem proficiant in pejus. Est enim horribile exemplum, laxatas magis habenas eousque fuisse ut prope æquali æmulatione cum Mose contenderent. Verum digna est mundi ingratitudo quæ nunc eandem excæcationis pœnam
Deut. 13. vers. 1. sustineat. Testatur alibi Deus, quum pseudoprophetis permittit edere miracula ad fallendum, se probare hominum corda. Et sane nisi propria hypocrisis vel

veli instar nobis esset ad tollendum nigri & albi discrimen, nihil Satan ejusmodi artibus ac decipulis proficeret. Sed nos ipsi quasi exitio devoti in plagas libenter nos conjicimus: præsertim vero Deus in reprobos, qui pervicaciter errandi occasionem appetunt, ultimum hoc fulmen vibrat, nempe efficaciam illusionis; & simul eos dementat, ut sibi à manifesta pernicie non caveant. Darent quidem multi Pharaoni veniam, quod à magis suis delusus, ab errore quem effugere non poterat, se non explicuerit. Quid enim fecisset ubi videbat utrimque æqualem conflictum? Sed omnino tenendum est, neminem ita præcipitari nisi qui Deo resistere voluit: præsertim spiritus vertiginis & dementiæ eos occupat qui in sua malitia fuerunt obstinati. Nec vero prætereunda est discriminis nota, quod virga Mosis devoravit virgas magorum. Qui factum est ut non animadverteret Pharao Mosen esse victorem? qui factum est ut potius ad suos impostores deflexerit? qui factum est denique ut servum Dei non agnosceret qui fuerat in certamine superior, nisi quod impii, dum occurrunt manifestæ Dei virtutes, maligne connivent? Certe quisquis ad rectum scopum tendet, nunquam destituetur rectore Deo. Itaque juste culpa in Pharaonem confertur, quod ob cordis duritiem attendere noluerit. Quod Papistæ serpentem jactant vocari Mosis virgam, sicuti panis in Christi carnem transsubstantiatus nomen panis retinet, nimis frivolum est cavillum. Insciteenim res tantopere dissimiles simul confundunt: quia in Cœnæ mysterio durat analogia signi & rei signatæ, in hoc miraculo ratio prorsus contraria. Deinde quia mutatio duntaxat erat temporalis, merito vocavit Moses baculum, cui mox reddenda erat prior forma. Adde quod verum serpentem cum fictitiis conferens, noluit variare in nominibus. Verum ut hæc omnia præteream, donec ostenderint Papistæ transsubstantiari panem in corpus, nihil efficient. Imo quod stulte in nos torquent, licebit in ipsos convertere, panem vocari corpus quamvis maneat panis, non aliter ac serpens qui tunc apparuit, vocatus est baculus.

14. Tunc dixit Jehova ad Mosen, Aggravatum est cor Pharaonis ne dimittat populum.

15. Vade ad Pharaonem mane, ecce egreditur ad aquas, & stes in occursum ejus super ripam fluminis: & virgam quæ versa fuit in serpentem, tolles in manum tuam.

16. Et dices ad eum, Jehova Deus Hebræorum misit me ad te, dicens, Dimitte populum meum ut serviat mihi in deserto: & ecce, non audisti hucusque.

17. Sic dixit Jehova, In hoc scies quod ego sum Jehova: ecce, ego percutiam virga quæ in manu mea est aquam quæ est in flumine, & vertetur in sanguinem.

18. Pisces vero qui sunt in flumine morientur: & fœtebit flumen, & molestia afficientur Ægyptii, bibendo aquas ex flumine.

19. Et dixit Jehova ad Mosen, Dic ad Aharon, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, super flumina eorum, super rivos & stagna eorum, & super omnem collectionem aquarum ipsorum: & sient sanguis, critque sanguis per totam terram Ægypti in vasis ligneis & lapideis.

20. Et ita fecerunt Moses & Aharon sicuti præceperat Jehova. Et elevans baculum, percussit aquas quæ erant in flumine, coram oculis Pharaonis, & coram oculis servorum ejus. Et versæ sunt aquæ omnes quæ erant in flumine, in sanguinem.

21. Pisces etiam qui erant in flumine mortui sunt: & computruit flumen, ut non possent Ægyptii bibere aquas ex flumine: fuitque sanguis per totam terram Ægypti.

22. Sic etiam fecerunt præstigiatores Ægypti incantationibus suis: & obduruit cor Pharaonis, sicut loquutus fuerat Jehova.

23. Et revertens Pharao venit in domum suam: neque adjecit cor suum etiam ad hoc.

24. Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis, ut aquas biberent, quia non poterant bibere ex aquis fluminis.

25. Et completi sunt septem dies ex quo percussit Jehova fluvium.

14. *Tunc dixit Jehova ad Mosen, Aggravatum.*] Jam narrare incipit Moses decem plagas Ægypto fuisse inflictas, antequam ad parendum adductus fuerit Pharao. Etsi autem prodigiosus fuit ille furor, contra Dei manum tam valide urgentem obniti: nobis tamen in unius reprobi persona superbiæ & rebellionis humanæ imago subjicitur, ubi non regitur Spiritu mansuetudinis. Itaque hac narratione admoniti fideles, sedulo caveant ne adversus Deum proterve tumultuando similem in se provocent vindictam. Idem enim qui cor Pharaonis obduravit, perpetuus est impietatis vindex, ut hostes suos spiritu vertiginis percutiens, tam furiosos quam attonitos reddat. Porro ne Moses ad hoc offendiculum impingens, ab incepto cursu desistat, hortatur ad certamen: acsi diceret cum durissimo lapide esse confligendum, donec frangatur. Cor Pharaonis aggravatum esse audiens, poterat labascere nisi aliunde oblensa fuisset spes victoriæ. Sed quoniam indomabilis est illius belluæ pervicacia, novis armis servum suum induit Deus: quasi diceret contendam esse, quando frangi nequit. Etsi autem longius forte quibusdam petita analogia videbitur inter decem plagas & decem Legis præcepta: meo tamen judicio probabile est ac rationi consentaneum, priusquam Legem promulgaret Deus, totidem plagis impios fuisse percussos quot daturus erat populo suo præcepta, ut eorum auctoritatem hoc modo sanciret. Primo autem jubet Mosen tollere baculum, & de recente miraculo admonet, quo majore confidentia se ad novum congressum accingat. Deinde quod breviter attigerat, fusius prosequitur, more Hebraico. Principio enim nulla fit mentio Aharon, sed tantum Mosi Deus mandat quid fieri velit: deinde explicat manum Aharon fuisse interpositam. Jam ergo ubi commemorat Deus virgam nuper fuisse conversam in serpentem, ostendit male nos in operibus suis proficere nisi inde vires colligat fides nostra. Adhæc, ubi denunciat Pharaoni Deus quid facturus sit, magis reddit inexcusabilem, quod minis non tangitur ut resipiscat. Sciebat quidem Deus profectu hoc cariturum: sed quamvis insanabilem morbum cognoscat, non tamen remedia adhibere desinit, non quæ sanitatem conferant, sed quæ occultum eruant ex animis virus. Litigant hic multi cum Deo, quod non tantum cum furdis loquatur, sed etiam frustra monendo vel castigando, magis ac magis exasperet eorum malitiam. Sed nostrum est, ubi nos aliqua absurditatis species conturbat, reverenter suspicere ar-

cana Dei judicia, & ad sobrietatem sapere. Interea eventus docet non irritas cadere Dei minas, sed earum contemptu crimen ac pœnam duplicari.

19. *Et dixit Jehova ad Mosen.*] Hæc illa est prolixior narratio quam dixi. Neque enim aliud à proximo diversum tradit Moses, sed modum agendi in edendo miraculo distinctius explicat: nempe, quod præceperat Deus, opera fratris sui Aharon fuisse completum. Initium vero ab hac plaga non absque ratione factum est: ut scirent Ægyptii nihil sibi esse præsidii ad salutem in opibus quibus maxime superbiebant. Scimus quanta illis ex Nilo fuerit opulentia, munitio, utilitas: inde uberrima piscatio, inde totius regionis fœcunditas, quam irriguam inundatio reddebat, quæ aliis terris damnosa est ac noxia: commodissima erat mercatoribus navigatio, erat etiam bonæ partis regni firmum propugnaculum. Ergo ut à præcipua fiducia dejiciat Ægyptios, aquas vertit in sanguinem. Deinde quoniam aqua alterum est ex duobus elementis quibus constat hominum vita: altera vitæ parte Ægyptios spolians, optimo compendio usus est ad humiliandam eorum ferociam, nisi prorsus fuissent intractabiles. Poterat quidem solo flatu siccare omnes aquarum scaturigines, & ariditate conficere totam gentem: sed hoc casu vel naturaliter accidisse vulgo fuisset creditum, ideoque obscurius prodigium fuisset, ac præterea viam clausisset aliis. Satis igitur fuit objecto mortis terrore ad Dei metum flecti, nisi desperata fuisset rabies. Præter flumen, rivos & stagna & collectionem aquarum recensetMoses: quia per diversos regni tractus tam artificio quam natura Nilus sic diffusus erat ut nulla fere regio tanta aquæ copia ubique afflueret: quasi diceret Deus, Nihil vobis proderit largissimam vim aquarum præsto vobis esse: quia perinde sitietis acsi Nilus ipse exaresceret. Ideo adjungit, Tam in lignis quam in lapidibus: significans, quocunque genere vaforum hauriant, nihil præter sanguinem repertu ros.

20. *Et ita fecerunt Moses & Aharon.*] Repetit, eventu fuisse probatum, quod minatus fuerat Deus de internecione piscium, & fœtore Nili: ut crimen regis exaggeret, qui multiplici Dei potentia tactus non fuit. Quanquam simul adjungit, ejus consiliarios fuisse testes. Unde conjicere licet, eundem stuporem in tota aula fuisse grassatum. Operæpretium etiam fuit, non modo tam memorabile facinus passim cognosci, sed plurimis oculis conspici ejus auctorem. In illa autem turba neminem fuisse qui regis vesaniam corrigere studeret, reprobationis signum fuit in tota gente. Unde etiam apparet ut Deus infatuet mundi sapientiam. nulla enim natio fuit quæ rerum omnium scientia magis gloriaretur: quam illis jactantiam exprobrat Jesaias. Videmus autem pudendum in modum hinc præfractos, illinc cattonitos, minima sanè intelligentiæ scintilla caruisse. *Jesa. 19. vers. 11.*

22. *Sic fecerunt.*] Quæritur quomodo Mosen æmulari potuerint magi, quum nulla materia supperteret. Nam si nullæ in Ægypto reliquæ amplius aquæ erant, nulla fieri potuit mutatio. Ego autem non dubito, ut eorum illusioni locus fieret, brevi momento apparuisse puras & nitidas aquas, & deinde mutatas fuisse in sanguinem. Quia enim nondum opportunus erat certaminum finis, haud dubie viam sibi patefecit Deus, donec ad metam ventum foret. Quod divinat Augustinus magos aquam sumpsisse quæ pura & integra restabat ubi habitabant Israëlitæ, coactum est. Libentius reciperem quod dicit, eodem forte momento percussas fuisse ab illis aquas, ut una in parte virtus Dei enituerit, in altera valuerit eorum fallacia. Quanquam solutio à me posita optime convenit. Verane an imaginaria fuerit mutatio, non audeo afferere: nisi quod magis consentaneum est, Satanæ artificio delusos fuisse impiorum oculos. Neque opus est cum Augustino subtilius philosophari, infusam esse omnibus rebus creatis seminariam rationem, ut una species aliam generet. Quin potius standum est Pauli doctrinæ, Deum mittere efficaciam erroris, ut incredulos mendacio irretiat, quia veritatem amplecti recusant. Et ante ex alio Mosis loco docui, pseudoprophetas justo Dei judicio signa & prodigia edere. Videtur tamen innuere Moses spectrum fuisse duntaxat, ubi adjungit magos idem feciss suis incantationibus: acsi fulgetra volitando ante oculos aciem hebetassent. Hanc enim esse vim nominis docui. Cæterum non dubito quin Deus immunem præstiterit ab hac calamitate populum suum, ut hospites & inquilini aliena fruerentur aqua, cujus nulla gutta ipsis indigenis relicta fuerat. Hinc convicta fuit regis obstinatio: quod non attentior fuit ad considerandum hoc discrimen. Imo bis amentem & furiosum oportet fuisse, qui cum sua & totius regni clade magorum illusiones Dei virtuti oppositurus. Sed hoc reprobis sæpe contingit, dum impetu diabolico contra Deum feruntur, ut in suam perniciem quasi cupide ruant. Fuit tamen hæc non levis tentatio servis Dei, videre Satanæ ministros sibi prope æquari. Nam si volebat Deus redemptioni dare testimonium in prodigiis, quum viderent eadem virtute pollere hostes suos, quomodo firma illis & rata potuit esse sua vocatio? Atque his quidem machinis concussam fuisse eorum fidem probabile est: stetisse tamen, nec gradu suo fuisse motam, pro certo statuo: quia si qua dubitatione perculsus fuisset Moses, eam pro more suo esset confessus. Verum Deus illis aperuit oculos, ut ex alto despicerent fallaces magorum technas: deinde quia jam præluxerat cælestis visio una cum sermone, non mirum est si talibus fulturis innixi, constanter omnes insultus repulerint, vel sustinuerint. *2 Thess. 2. vers. 11.*

23. *Et revertens Pharao.*] His verbis duritiem Pharaonis, cui Deus ipsum addixerat, voluntariam fuisse docet ut crimen in ipso consistat, nec quicquam juvet occulta Dei ordinatio ad levandam ejus culpam. Damnatur enim ejus socordia quod animum ad hoc quoque non adjecerit. Unde sequitur ipsum sibi obstinationis fuisse auctorem, quia superbia & contemptu cæcus, Dei gloriam pro nihilo duxerit. Sic impii, quamvis (ut sunt vasa iræ) divinitus conjiciantur in reprobum sensum, seipsos tamen obdurant: quia scientes & volentes impingunt adversus Deum, atque ita fecuritas, audacia & pravitas, inscitiæ & erroris excusationem illis adimunt. Quare monemur hoc exemplo, non esse torpendum ubi nos Deus excitat: sed attente consideranda esse ejus opera, quæ nos ad ejus reverentiam timoremque erudiant. Quod dicuntur Ægyptii puteos sibi fodisse, ad miraculi certitudinem facit. Eodem pertinet quod de septem diebus additur. nam si momentanea tantum fuisset aquarum tabes, obrepere poterat illusionis suspicio, quæ ex diuturno tam sapore quam conspectu fublata fuit. Ideoque prius dictum fuit Ægyptios ex aquæ penuria molestiam & dolorem capturos. Sic enim interpretor, mœstis & afflictis animis fore, quia potu careremt.

Caput VIII.

Caput VIII.

DIxit autem Jehova ad Moſen, Vade ad Pharaonem, & dic ad eum, Sic dicit Jehova, Dimitte populum meum ut ſerviant mihi.

2. Quod ſi tu renuis dimittere, ecce ego percutio omnes terminos tuos ranis.

3. Et ſcatebit flumen ranis, quæ aſcendent & intrabunt domum tuam, & conclave cubilis tui, & ſuper lectum tuum, & in domum ſervorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in * panaria tua.

* Hebr. *furnus tuus.*

4. Itaque in te, & in populum tuum, & in omnes ſervos aſcendent ranæ.

5. Et ait Jehova ad Moſen, Dic ad Aharon, Extende manum tuam cum virga tua ſuper fluvios, ſuper rivos, & ſuper ſtagna, ut adducas ranas ſuper terram Ægypti.

6. Et extendit Aharon manum ſuam ſuper aquas Ægypti: & aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.

7. Et ſic fecerunt magi incantationibus ſuis: nempe adducendo ranas ſuper terram Ægypti.

1. *Dixit autem Jehova.*] Rurſus quaſi in re integra, poſtulat Deus à Pharaone quod juris ſui proprium eſt: ot ſcil. à populo colatur, ſed extra terram Ægypti, ut peculiaris ſit cultus & purus ab omni inquinamento. Voluit enim (ut prius dictum eſt) populum ſuum ſegregando, damnare Ægyptiacas ſuperſtitiones. Interea tyranno nulla excuſatio fuit, quum ſacrilega audacia inſurgeret ad eripiendum Deo juſtum honorem. Itaque exitum negando non ſolum crudelis, ſed impius etiam cognitus fuit. Additur etiam comminatio, ut ſaltem invitus trahatur ad officium. Sic enim agendum eſt cum præfractis, qui nuoquam niſi metu vel malo coacti officium præſtant. Mioatur quidem etiam Deus interdum ſervis ſuis, ut eorum pigritiem exſtimulet: ſed præcipue erga perverſos & immorigeros aſperior eſt. Sicoti in Pſalmo dicitur cum humanis humaous eſſe, & præfractus cum præfractis. Hæc ratio eſt cur imperium minis ſanciat, dum Pharaonem alloquitur. Porro io hoc ſecundo flagello nobis duo ſunt conſideranda. nam primum Ægyptios antea quaſi precario vitam duxiſſe oſtendit Deus, quia ſingulari beneficio protexerat ab incurſu ranarum. Scimus Ægyptum, ob multas paludes, & lentum ac prope ſtagnantem Nilum, multis ranis & venenatis beſtiis fuiſſe refertam: nunc quum ſubito erumpunt ingentes turmæ, agrorum ſuperficiem obtegunt, penetrant etiam in domos & cubicula, denique in regium palatium conſcendunt; facile apparet fuiſſe ante cohibitas ſula Dei manu, atque ita Deum Hebræorum fuiſſe regni illius præſidem & cuſtodem. Secundo voluit Deus non ſimpliciter pœnam infligere Ægyptiis, ſed ignominiæ cauſa ludibrio exponere. Nec dubium eſt quin hac contumelia valde exacerbatus fuerit eorum dolor, quum viderent ſe non ab aliquo victore exercitu tam male mulctari, ſed à putridis animalculis. Huc acceſſit quod è Nilo, qui tot commoditatibus regionem ditabat, exorta fuit illa pernicies. Nos vero ex hac hiſtoria diſcamus, vitæ noſtræ multas eſſe permixtas mortes: nec aliter eam nobis prorogari niſi quatenus noxas compeſcit Deus, quæ nos undique obſident: deinde ut palam non fulminet è cælo, vel Angelos in cædem hominum armet; ſimul tamen atque annuerit, creaturas omnes præſtu fore ad exercenda ejus judicia: ideoque ejus clementiæ & tolerantiæ eſſe tribuendum quod non ſiogulis momentis pereunt impii. Adhæc liquando probrum & dedecus nobis inurat, ſciamus hoc conſulto fieri, ut pudor ipſe ſuperbiam noſtram proſternat.

Pſal. 18. *verſ.* 26.

5. *Et ait Jehova ad Moſen, Dic ad Aharon.*] Dubium eſt continuone tenore hoc Moſi Deus præceperit, an expectaverit dum Pharao cootumaciter imperium ſperoeret. Veriſimile quidem eſt, poſtquam minas pro nihilo duxerat Pharao, mandatam fuiſſe pœnæ exequutionem. Interea tenendum quod prius dixi, quo contemptius tractetur Pharao, Moſen ne digitum quidem movere, ſed pro imperio partes agendi transferre in ſecundum miniſtrum. Perinde enim hoc fuit acſi ſolo flatu totam regioncm illam obrueret. Quanquam autem hoc modo Deus violentum tyrannum cum turgido ſuo faſtu pedibus illorum calcandum ſubjecit, non tamen ideo quievit. magorum improbitas. Ita ſervos Dei continuis certaminibus ideotidem exerceri oportuit.

8. Tunc vocavit Pharao Moſen & Aharon, ac dixit, Precamini Jehovam ut auferat ranas à me & à populo meo: & dimittam populum ut ſacrificent Jehovæ.

9. Et dixit Moſes Pharaoni, Gloriare ſuper me quando orabo pro te, & pro ſervis tuis, & pro populo tuo, ut exſcindantur ranæ à te, & à domibus tuis: tantum in flumine reſiduæ ſint.

10. Et ait, Cras. Tunc ille dixit, Secundum ſermonem tuum, ut ſcias quod nullus ſit ſicut Jehova Deus noſter.

11. Recedent igitur ranæ abs te, & à domibus tuis, & à ſervis tuis, & à populo tuo: tantum in flumine reſiduæ erunt.

12. Tunc egreſſus eſt Moſes & Aharon à Pharaone. Et clamavit Moſes ad Jehovam ſuper cauſa ranarum, quas immiſerat Pharaoni.

13. Et fecit Jehova ſecundum ſermonem Moſis. Itaque mortuæ ſunt ranæ ex domibus, ex atriis, & ex agris.

14. Et coacervarunt eas turmatim: & computruit terra.

15. Videns autem Pharao quod eſſet relaxatio, aggravavit cor ſuum, neque audivit eos: ſicuti loquutus erat Jehova.

8. *Tunc vocavit Pharao Moſen.*] Miteſcere tandem videtur Pharao, & aliquid ex truculentia ſua deponere: ſed non fuiſſe vere manſuefactum, paulo poſt liquebit. Fieri quidem poteſt ut terrore correptus ſerio confugerit ad petendam veniam: Deo tamen ac ſibi fuiſſe mentitum, ex levitate ipſa apparet: quia

quia simulac concessa fuit relaxatio, ad ingenium rediit, imo reipsa patefecit repressam duntaxat metu fuisse malitiam, quæ se mox iterum effudit. Sic hypocritæ, quum urgentur Dei manu, vel expavescunt ad ejus flagella, blande & suppliciter misericordiam ejus implorant: verum ubi paulisper malum remisit, breves induciæ, quasi æternam pacem adepti essent, illis inflant animos. Hoc Judæis quoque accidisse conqueritur Propheta in Psalmo. Quum affligeret eos Deus, quærebant eum: reversi sunt, & mane properabant ad Deum. Et recordati sunt quod Deus rupes eorum, & Deus excelsus redemptor eorum. Et blanditi sunt ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non fuit rectum coram eo, nec firmi fuerunt in fœdere ejus. Denique hypocritis omnibus hic morbus communis est, ut suam proterviam sibi exitialem experti, quia Dei judicium effugere nequeunt, impetrandæ veniæ causa pœnitentiam simulent: sed ubi se putant elapsos, profiliunt ad eandem superbiam, calcitrant adversus Deum, imo proterve insultant: denique sola eos anxietas humiliat, & quidem ad breve tempus. Etsi autem hoc illi timor extorsit ut deprecatorem quærat, & de placando Deo sit sollicitus: quod tamen, velut pactione interposita, prius à ranis liberari postulat quam dimittat populum, signum est ficti ac duplicis animi. Tantisper ergo recondita latuit impietas in ejus corde, donec impune Deum se non posse lacessere putavit: impunitatis vero confidentia fretus, detexit dolum ac perfidiam. Quod vero Jehovam nunc demisse nominat, quamvis non sincero respiscentiæ affectu sic loquatur, ostendit tamen fractos esse robustos illos spiritus, quorum ante facta fuit mentio, quum per subsannationem quæreret quisnam esset Jehova.

Psal. 78. vers. 34.

9 *Et dixit Moses Pharaoni.*] Locum hunc in diversos sensus trahunt interpretes. Qui exponunt hunc honorem concedi Pharaoni ut tempus præfigat quo velit Mosen orare, nimis sunt arguti. Frigidum etiam illud est, posse Pharaonem gloriari ranas esse morituras. Qui vero exponunt Pharaonem à ranis incolumem fore ut tuto glorietur, neque dicunt nihil, neque totum. Videtur potius mihi tacita esse antithesis inter perversam jactantiam, qua exultaverat Pharao, & piam gloriationem quam appetere debebat ex Dei misericordia: quasi dixisset Moses, Hactenus tua potentia confisus, deinde fascinatus præstigiis, te perperam extulisti: nunc potius gloriare tibi esse deprecatorem & patronum qui Deum exoret. Arrogantiam enim qua perperam evectus fuerat ut cum Deo cogredi auderet, retundi oportuit, ne quid spei esset residuum nisi in sola Dei misericordia. Gloriari vero super Mosen, tantundem valet atque gloriam suam reponere in Mosis patrocinio, & pro summa felicitate ducere quod se interponere dignetur ad ipsum Deo reconciliandum. Nam particula לְךָ sæpe ita capitur. Quanquam minime voluit Moses quicquam ex Dei gloria minuere: sed (quemadmodum nuper dixi) superbi regis fastum dejicere volens, nihil melius ei aut gloriosius esse docuit quam de venia bene sperare, ubi deprecatorem nactus esset servum Dei vivi, cui hostiliter erat infensus. Ranas tantum in flumine affirmat fore residuas: acsi diceret contentas fore solito domicilio & claustris. Scimus enim ranas, etiamsi exiliant interdum in ripam, non procul tamen ab aqua discedere, quia humore pascuntur. Ita subindicat Dei jussu fuisse immissas, ut agros tegerent: deinde in ejus manu esse, si velit, novis subinde copiis invadere agros & domos, & ejus beneficio adscribi debere si se à noxiis contineant, nec extra suos fines grassentur.

10. *Et ait, Cras.*] Si ad Mosen referas, nulla in sensu erit ambiguitas: verum quia probabile est referri Pharaonis verba, eum existimo petere inducias in diem crastinum liberando populo. Nam, qui eum Mosen rogare existimant ut postridie suis precibus ranas abigat, in absurditatem incidunt: quasi Pharao secure dormitum concedens, mali remedium distulerit. Colore igitur hoc caret, Pharaonem, acsi quieto esset tranquilloque animo, petere ut die postero terra purgetur à ranis. Quin potius, si mox levatus fuerit hoc incommodo, promittit populo missionem: quam tamen fallendi causa in posterum diem suspendit. Non enim alia fuit procrastinandi ratio, nisi ut adeptus quod volebat, à pacto discederet, sicuti fecit. Moses autem hac promissione contentus facturum se recipit ut ranas Deus profliget. Quod eodem die completum esse non dubito. nam hinc mutandæ sententiæ causa tyranno fuit, quod nocte interposita timere desiit. Et certe ex verbis sequentibus colligitur ranas paulo post è medio fuisse sublatas: quia dicitur, Mosen & Aharon postquam egressi sunt, orasse: quod minime quadraret si expectatus esset dies crastinus. Quod autem Moses affirmat illum fore voti compotem, non facit temerario impulsu: quia ex successu apparet certum fuisse de consilio Dei. Ita sæpe Prophetæ, quamvis non intercedat vocale præceptum, reguntur tamen arcano Spiritus instinctu. Hac quoque fiducia pronunciat Moses sciturum Pharaonem Deo Israëlis nullum alium posse conferri. Hæc porro est vera Dei cognitio, ubi in ordinem cogitur quicquid se attollit ad obscurandam ejus gloriam, cedituque vel dejicitur omnis altitudo, ut solus ipse emineat.

15. *Videns autem Pharao.*] Hinc apparet, miserum tyrannum, instar flexuosi serpentis, mentem suam agitasse & versasse per varia consilia. Nam quum ad præsentem potentiæ Dei sensum expaveſceret, pertinacius resistere non audebat: tantum petebat aliquantulum temporis ad respirandum: nunc metu solutus in eandem contumaciam revolvitur. Hoc vero signum est perversi & contorti ingenii, non sponte se subjicere, sed temporali solum modestia defungi, ubi urget durior necessitas. Hanc perfidiam in recessu cordis absconditam noverat Deus, & Mosi prædixerat: voluit tamen in lucem extrahere, & ideo pœnam remisit, quæ simulandi erat occasio.

16. Tunc dixit Jehova ad Mosen, Loquere ad Aharon, Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, ut sit in pediculos per totam terram Ægypti.

17. Et fecerunt sic: & extendit Aharon manum suam cum virga sua, & percussit pulverem terræ: & fuit in pediculos in homine & in jumento, totus pulvis terræ fuit in pediculos per universam terram Ægypti.

18. Et sic fecerunt magi incantationibus suis ut producerent pediculos: sed non potuerunt.

19. Tunc dixerunt magi ad Pharaonem, Digitus Dei est hic. Et roboratum fuit cor Pharaonis, nec audivit eos: sicut loquutus erat Jehova.

16. *Tunc dixit Jehova ad Mosen.*] Hoc etiam loco (ut prius) prodire jubetur Aharon Mose inferior, qui pœnam exigat de tyranno: idque majoris ignominiæ causa quam si solus Moses fuisset adhibitus. Species vero tertiæ plagæ apprime est memorabilis: quod Deus non solum per ranas, sed per pediculos Ægyptum infestat. Quanquam enim de כִּנִּם non prorsus convenit inter Hebræos, fatentur tamen animal-

malcula esse, vel insecta, quæ etiam sordidis hominibus pudorem cum molestia afferunt. Videmus ergo quam magnifice superbiam Ægypti calcaverit Deus, vindictam contumeliæ & probri plenam infligendo. Nam etsi miserum fuisset sub potenti & bellicoso hoste cadere, longe tamen tristius fuit à pediculis turpiter confici. Nec dubium est quin hunc maxime exercitum Deus armaverit ut palam faceret sibi facile esse quicquid est terrenæ potentiæ vel roboris per lusum delere. Et certe nisi Ægyptii plusquam stupidi fuissent & amentes, hæc illis comparatio in mentem venire debebat, quid tandem futurum esset si cæli & terræ opifex totis viribus incumberet ad eos perdendos, cujus prope ludicro certamine ad tabem redigi se videbant. Nos vero ex hac historia discamus, omnes creaturas præsto esse ad Dei nutum, quoties illis vult uti ad hostes suos castigandos: deinde nullum esse tam vile aut contemptum animal, cui non satis suppetat facultatis ad nocendum ubi divinitus armatur: postremo reprobos superbiendo hoc tandem consequi, ut vermibus ipsis vel pediculis cum maxima infamia subjaceant.

18. *Et sic fecerunt magi.*] Facere, hic sumitur pro conari. Neque enim illis succesit, quemadmodum mox sequitur. Dicuntur ergo feciſſe quod frustra tentarunt, vel quod aggressi sunt sine effectu. Atque hoc modo Pharaoni eripuit Deus quicquid erat excusationis residuum ex obtentu erroris. Etsi enim prius sibi fallacias asciverat, colore tamen non caruit ejus pertinacia, quum magi ex æquo pugnarent cum Mose. Verum ubi videt eorum artem deficere, ex professo adversus Deum confligit. Quanquam non illius tantum respectu impostores illos cohibuit Deus: sed ridendos omnibus prostituit, ut sibi uni virtutis perfectæ gloriam in solidum asseret. Unde colligimus quam bene pro sua inæstimabili sapientia temperet quam Satanæ ministris licentiam ad tempus permittit. Nam ubi eorum audaciam tolerando satis probavit suorum fidem, quasi ex abrupto subsistere ipsos cogit, ut jaceant confusi, nec proficiant in pejus, sicut ait Paulus, hanc historiam commemorans. *2 Tim. 3. vers. 8.*

19. *Tunc dixerunt magi ad Pharaonem.*] Probabile est duriter fuisse objurgatos quod in æmulatione servorum Dei cessarent. Itaque excusant non esse amplius scientiæ & magicis artibus locum. Unde colligimus, suis præstigiis ita lusisse ut se putarent optimos & laude dignos illusionum artifices. Neque enim alia de causa vulgus sapientes eos censebat nisi quod ipsi ante fiduciam hanc conceperant. Digitum enim Dei opponunt suæ solertiæ & peritiæ: quasi dicerent, non esse jam certamen de artis præstantia; sed quicquid ab astrologis & præstigiarum magistris requiri poterat, extraordinaria Dei virtute in nihilum redigi. Pugnant quidem ipsi secum: nam quorsum attinuit cum Mose & Aharon confligere, nisi ut Deum à sua parte stare jactarent? Quod si res illas gerebant Dei auspiciis, quam ridiculum est quos prius oppugnaverant fateri superiores, ipsisque victoriæ laudem deferre, quia Dei potentia sint instructi? Videmus ergo cum tota sua vafritie fuisse infatuatos. Sed interea tenendum est quod nuper attigi, non modo traxisse alios in errorem, sed etiam fuisse deceptos, quod in fallaciis artis magicæ putarent subesse scientiam. Sicuti hodie videmus genethliacos & similes impostores, qui se astrologos judiciarios nominant, sibi placere in suis deliriis, ut non dubitent gradum sibi præcipuum inter doctores sumere. Denique mera ambitio magos impulit ut Deum per manum Mosis operari dicerent. Pudebat enim fateri, quenquam mortalium scientia præcellere. Verum extorta illis fuit confessio, qua magnifice unius veri Dei gloriam celebrarent, & simul approbarent legitimam Mosis vocationem. Nam si in Mose palam conspicitur Dei potentia, sequitur verum esse & divinum Prophetam. Quod autem se non pariter in illis exerit, sed pervertit eorum conatus, hinc statuere licet Dei esse adversarios. Satis ad refutandam eorum vanitatem id erat, pugnare infeliciter & in medio cursu destitui: sed hoc multo gravius est, quod Deum arti suæ hostem oppönunt. Verum quidem est inconsiderate ita loqui, quia tantum existimationi suæ consulere volebant, & tueri falsum scientiæ suæ honorem: sed Deo placuit ita eos coarguere, ut sentiret Pharao se cum Deo vivo, non autem duobus gregariis hominibus congredi. Quod ad formam loquendi spectat, metaphoricam esse patet. Digitus enim Dei apud Lucam vocatur Spiritus: sicuti multis locis per manum Dei simpliciter idem Spiritus intelligitur. Notanda tamen ratio est, ne quis indoctus ad essentiam referat, quasi Spiritus qui vere æternus Deus est, aliqua esset deitatis portio. Quum autem coacti fuerint magi in miraculo tandem agnoscere Dei potentiam, plusquam turpis socordiæ erit si hæc eadem consideratio apud nos non vigeat. Quanquam duobus modis Dei manum reputare nos decet. Neque enim ubi agit per media (ut loquuntur) sibi quicquam detrahit. Ideoque in toto naturæ cursu fidei oculis conspicienda est ejus manus: verum quia miraculis expergefacit nostram ignaviam, illic magis conspicua refulget. Cæterum quia paulo post videbimus magos à sua dementia non ideo resipuisse, discamus sincere & ex animo nos humiliare sub potenti Dei manu, simulac in medium se protulerit. Quod Pharaoà magis desertus nihil ex sua pervicacia mutat, nobis documento sit, quamvis hinc inde admiricula quærat impietas, intus tamen infixam esse pravitatem quæ Deo per se repugnet. *Luc. 11. vers. 20.*

20. Tunc dixit Jehova ad Mosen, Surge mane, ac te siste in conspectum Pharaonis. Ecce egredictur ad aquas: & dices ad eum, Sic ait Jehova, Dimitte populum meum ut serviant mihi.

21. Quod si tu non dimiseris populum meum, ecce emittam in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas examen insectorum: & replebuntur domus Ægyptiorum insectorum examine, atque etiam terra super quam illa exteritur.

22. Et separabo in die illa terram Gosen, in qua populus meus habitat, ne sit illic examen insectorum: ut scias quod ego sum Jehova in medio terræ.

23. Et ponam redemptionem inter populum meum, & inter populum tuum. Cras erit signum hoc.

24. Et fecit Jehova sic: & venit examen insectorum grave in domum Pharaonis, & domum servorum ejus, & totam terram Ægypti: corrupta fuit terra propter examen insectorum.

25. Tunc vocavit Pharao Mosen & Aharon, & ait, Ite, sacrificate Deo vestro in hac terra.

26. Et dixit Moses, Non convenit facere sic: quia abominationem Ægypti sacrificaremus

remus Jehovæ Deo noſtro. Ecce, ſi ſacrificaremus abominationem Ægyptiorum coram oculis eorum, annon lapidarent nos?

27. Viam trium dierum progrediemur in deſertum, & ſacrificabimus Jehovæ Deo noſtro, quemadmodum præcepit nobis.

20. *Tunc dixit Jehova ad Moſen, Surge mane.*] Sicuti temerario auſu perrumpit Pharao, ſic Deus viciſſim ejus impetum oppoſita defenſione compeſcit. Hoc tandem conſequuntur impii diu multumque pugnando, ut pluribus acceptis vulneribus per varios cruciatus intereant. Quod jubetur Moſes obviam venire Pharaoni, ubi mane animi gratia ad ripam fluminis deſcendet, incertum eſt an velit Deus in publico tyrannum deprehendi, quod difficiles eſſent in palatium aditus. Quanquam mihi veriſimile eſt, quæſitum fuiſſe locum in quo & res eſſet illuſtrior, & vox divini præconis clarius exaudiretur. Ergo ne quid obſcure geratur, Moſes ſub dio coram tota multitudine Dei judicium promulgat, cujus eventus ſtatim ſequutus eſt. Hic autem nulla (ut in ſuperioribus plagis) virgæ fit mentio: quia interdum utitur Deus æternis organis, ut ſciamus creaturas omnes ſub ejus manu eſſe, & flecti ad ejus nutum: interdum vero per ſe agit, ut ſciamus non egere ipſum adminiculis. Hæc inæqualis agendi ratio demonſtrat, ipſum prout vult imperio ſuo ſubjicere omnia, & tamen ſola ſua virtute eſſe contentum. Hæc plaga duabus proximis aliquid affine habet: quoniam cladi adjungitur ignominia quæ tyrannum pudefaciat. ערב Hebræis idem valet quod Latinis examen inſectorum. Multi interpretes exiſtimant diverſas ſpecies fuiſſe permixtas: quod ego non rejicio, quia probabile eſt cullectum fuiſſe multiplicem fœtorem, quo tyrannus prope ſuffocaretur. Qui de urſis, leonibus, tigribus & lupis, aliiſque fœvis animalibus exponunt, ſine ratione diſcedunt à genuino vocis ſenſu.

22. *Et ſeparabo.*] Hoc quamvis nondum fuerit diſerte expoſitum, transferri tamen ad alias plagas debet. Certum enim eſt, quum pœnam de Ægyptiis exigeret Deus, non promiſcue animadvertiſſe in omnes: ideoque electum ejus populum, cui conſultum volebat, immunem fuiſſe ab omni incommodo. Nunc tamen forte primum hujus diſcriminis certior redditur Pharao, quum ante peculiaris illa Dei gratia ipſum lateret. Hinc vero pluſquam manifeſtum fuit, penes unicum Deum Iſraëlis eſſe beneficia & pœnas, ut ſuis parcat, eoſque clementer & paterne tractet, rurſus vindictam contra hoſtes ſuos exerceat. Quamobrem additur, Ut ſcias me eſſe Jehovam in medio terræ. Subeſt enim antitheſis, quæ proſtratis idolis omnibus, ſolum Deum Iſraëlis in ſublimi locat. Cæterum quanquam terra hic pro toto orbe habitabili accipi poteſt, aptè tamen ad Ægyptum reſtringetur, ut affirmet Deus in ipſa Ægypti gremio ſe dominari, vel ubique per totam Ægyptum, quod idem valet. Loquutio quæ ſequitur, quanquam paulo durior eſt, nihil tamen continet ambiguum. Dicitur enim poſuiſſe Deus redemptionem inter populum ſuum & Ægyptios: quia velut interpoſita maceria, vel erectis clauſtris, quum angulum unum ſervaret incolumem, gratiam ſuam à tota circum regione prohibuit. Porro quia verbum פלה ſignificat Admirabile eſſe, vel abſconditum, vertunt quidam interpretes, Admirabilem reddam terram Goſen. Sed ſequi malui quod magis receptum erat, & melius convenire viſum eſt. Poſtremo notandum eſt, iterum tempus pœnitentiæ dari Pharaoni, ut ſi eſſet ſanabilis, pœnam ſibi denunciatam anteverteret. Poterat enim eodem momento Deus beſtiolas illas emittere: ſed ut tyranni malitiam probaret, poſterum diem edixit.

25. *Tunc vocavit Pharao Moſen.*] Videtur ſibi magnum aliquid dare Pharao, ſi liberum ſit Iſraëlitis Deo ſacrificia offerre in Ægypto. Debuerat ipſe cum ſuis omnibus Dei cultum ſupplex amplecti, & ſuperſtitionibus rejectis Moſen appetere ſinceræ pietatis magiſtrum. Nihil de communibus vitiis mutat, non renunciat idolis, non abdicat priſtinos errores: tantum permittit in una ditionis ſuæ parte Deum coli. Sed hoc reprobis tritum eſt, ubi vel tantillum Deo concedunt, putare ſe probe eſſe defunctos. Hinc fit ut victi & coacti non tamen dubitent aliquid de jure Dei minuere: ſed, ſi impune liceat, libenter totum eriperent. Et certe quamdiu arridet fortuna, rebuſque proſperis & integris fruuntur, exinaniunt quantum in ſe eſt totam Dei gloriam: verum ubi eos deficit reſiſtendi facultas, ita ad ſubjectionem deſcendunt, ut Deum fruudent dimidia juſti honoris parte. Juſſerat Deus liberum exitum dari populo: huic mandato non obtemperat, ſed ſatisfacere Deo aliter tentat: nempe ſi populum non vetet ſacrificium in Ægypto offerre. Porro quod ſeculis omnibus commune fuit vitium, hodie nimis clare cernitur. Cuperent noſtri Pharaones Dei gloriam prorſus extinguere, idque furioſe moliuntur: ad extrema autem redacti, ſi jam ex profeſſo pugnare utile non ſit, fictitia (ut vocant) reformatione cultum ejus lacerant ac mutilant. Hinc exorta fuit lucis & tenebrarum miſtura, cui nomen inditum fuit Interim. Nec talibus ludibriis deſinunt veritatis hoſtes vana & nihili piacula Deo obtrudere.

26. *Et dixit Moſes.*] Verbi בזן, quo utitur Moſes, late patet ſignificatio. Hebræi enim non eſſe rectum dicunt quicquid non probant. Ideo in hoc conſentiunt omnes fere interpretes, Pharaonem minime æquum poſtulare: quia ſuorum lapidationi objiciat Iſraëlitas. Si hæc ſententia placet, nno contextu legendum erit, Non eſſe rationi conſentaneum ut ſacrificent Iſraëlitæ in Ægypto alieno more: quia novitas eſſet intolerabilis. Duo ſunt orationis membra: non eſſe rectum ut in Ægypto ſacrificium offerant Deo ipſis indigenis abominabile, vel profanum ſacrificium ex Gentium abominationibus offerant: deinde periculum eſſe ne Iſraëlitæ lapidentur, ſi Ægyptios provocent in ritu illis deteſtabili. Quod ad ſecundum membrum ſpectat, dubium non eſt, abominationem Ægyptiorum active ſumi pro ſacrificiis quæ abominantur. Prioris membri eadem videtur eſſe ratio. Durum enim eſſet eandem loquendi formam paucis verbis interpoſitis varie interpretari. Niſi quod nomen Jehovæ, abominationi oppoſitum, videtur paſſivam ſignificationem poſtulare. Emphatice enim dicit Moſes, non eſſe rectum ſacrificare Jehovæ Deo Iſraëlis abominationem Ægypti. Hoc ſi placet, abominatin erit profanatio veri & puri cultus, qua ſacra Ægyptiorum inquinata erant: quaſi diceret nefas eſſe miſcere veri Dei cultum cum ſacrilegiis. Et certe videtur Moſes duplici argumento pugnare: nempe quod non liceat, deinde quod non expediat. Sit igitur hæc una ratio, non fore legitimum ſacrificium, nec Deo gratum, quod Ægypti abominationibus vitiatum erit. Poſtea ſequetur altera, Ægyptios id non toleraturos: quia ſi mos ſacrificandi receptus violetur, putabunt & ſe & deos ſuos gravi contumelia affici. Hæc interpretatio plenior eſt, atque uberior doctrinæ, ſi Moſes priore loco de honore Dei ſollicitus fuerit, non autem reſpexerit ſolam populi utilitatem. Et in hac ſententia nihil conſtat, nisi rite coli verum Deum niſi ubi ſeparatur ab omnibus idolis. Sed quia eodem fere verſu abominatio Ægyptiorum capitur active: quo melius fluat oratio, commode utroque loco ſic exponere licebit. Tunc prioris membri ſenſus erit, Non eſt conſentaneum proſtituere cultum Dei noſtri probris & ſubſtinationibus

tionibus Gentium. Quod ſieret ſi Ægyptii ritum ſacrificandi quem abominantur, à nobis honorari viderent. Eorum quidem opinioni non aſſentior qui bimembrem eſſe orationem nolunt, ſed uno contextu legunt, non eſſe rectum hoc facere, quia lapidarent Ægyptii Iſraëlitas. Moſes enim non tantum quid conduceret populo, ſed in primis quid Deo placeret ſpectavit, ne ſcilicet profanaretur ſacrum ejus nomen. Quod etiam ad animalia reſtringi ſolet nomen abominationis, non video qua ratione

nitatur: ideo ad totam ſacrificandi rationem extendo.

27. *Viam trium dierum.*] Concluſio eſt, nihil eſſe mutandum ex Dei juſſu, verum ſimpliciter & ſine exceptione obediendum ejus præcepto. Nec vero parvam laudem meretur Moſis conſtantia: qui ſicam tyranni moderationem libere & intrepido animo repudiavit: quia Dei voluntati aliquid detraheret. Negat igitur aliter facturos Iſraëlitas quam præſcripſit Deus.

28. Tunc dixit Pharao, Ego dimittam vos ut ſacrificetis Jehovæ Deo veſtro in deſerto: veruntamen non longius pergetis eundo. orate pro me.

29. Et dixit Moſes, Ecce. ego egredior à te, & rogabo Jehovam ut recedat examen inſectorum à Pharaone, & à ſervis ejus, & à populo ejus cras. Veruntamen non adjiciat Pharao agere fallaciter, non dimittendo populum ut ſacrificet Jehovæ.

30. Tunc egreſſus eſt Moſes à Pharaone, & oravit ad Jehovam.

31. Et fecit Jehova ſecundum verbum Moſis, & receſſit mixtura inſectorum à Pharaone, & à populo ejus: non unum fuit reſiduum.

32. Et aggravavit Pharao cor ſuum etiam hac vice, nec dimiſit populum.

28. *Tunc dixit Pharao, Ego dimittam.*] Ubi ſe nihil proficere videt ſuis cavillis & ambagibus, perfectum obſequium ſimulat. Non quod tunc ei propoſitum fuerit fallere & mentiri, quia metu impediebatur: ſed quia præſenti tantum malorum ſenſu dejectus, non audebat criſtas adverſus Deum erigere. Ergo (ut prius dictum eſt) non tam Moſen fallacibus verbis placare & fruſtrari conſulto voluit quam ſeipſum decepit. Notandum enim eſt (ſi lupum auribus teneret) coactum fuiſſe promittere exitum populo, quem maximo ſuo damno retinebat. Atque huc pertinet quod ſe commendat populi precibus. Urgebat enim neceſſitas ad implorandam Dei pacem & veniam. Quanquam fieri poteſt ut aſtute ſub religionis prætextu animos eorum ſibi devinctos tenere voluerit. Nam anxie ſibi cavendo, diffidentiam ſuam prodit. Denique preces eorum ſtipulando, funem injecit quo eos ad ſe poſt ſacrificium peractum retraheret.

29. *Et dixit Moſes, Ecce ego egredior.*] Huic poſtulationi non reſpondet Moſes, utpote qui ſciebat aliud eſſe Dei conſilium: & jure ſuſpenſum reliquit quem nondum volebat fieri conſcium. Ita non eſt cur malæ fidei inſimuletur qui fideliter injunctas ſibi partes implevit: reticuit autem quod proferre juſſus non erat, imo quod volebat Deus tyranno eſſe abſconditum. Cæterum ſanctus Propheta ob regis perfidiam pia indignatione accenſus, non ſtatim

pœnam remittit, ſed differt in diem poſterum: & ſevere præterea denunciat, ſi mentiri pergat, noxam ejus fraudi paratam fore. Tantam hanc animi magnitudinem ex miraculis collegerat, quibus inſuperabilem Dei potentiam expertus, timendi cauſam non habebat. Raræ enim virtutis fuit, palam & in faciem tyranno exprobrare ſua mendacia, & ſimul minitari pœnam niſi à dolis malis deſiſteret. Diximus vero antea, Moſen non proprio animi motu fuiſſe pollicitum Pharaoni quod rogabat, ſed ſpeciali impulſu tam confidenter loquutum fuiſſe. Nam generalis promiſſio, qua Deus ſervorum ſuorum votis ſe fore propitium affirmat, non debet ad ſingulas ſpecies trahi, ut hoc vel illud certo modo ſe impetraturos confidant, niſi accedat ſingulare aliquod teſtimonium ex verbo & Spiritu Dei.

31. *Et fecit Jehova ſecundum verbum Moſis.*] Verbum hic tam de reſponſo, quam de Moſis precatione poteſt exponi. Prius illud magis arridet, effectu ſcilicet ipſo Deum probaſſe ratum ſe habere quod dixerat Moſes, quem conſtituerat judicii ſui præconem. ſi quis tamen ad precationem referre malit, fruatur ſuo ſenſu. Ubi addit hac etiam vice aggravatum fuiſſe cor regis, crimen obſtinationis exaggerat: eo quod nullus fuerit rebellandi modus in tanta pœnarum congerie, quibus vel ferreum pectus corrigi decebat.

CAPUT IX.

1. TUnc dixit Jehova ad Moſen, Vade ad Pharaonem, & loquere ad eum, Sic dicit Jehova Deus Hebræorum, Dimitte populum meum ut ſerviant mihi.

2. Quod ſi tu renuis eum dimittere, & adhuc tu retines eos:

3. Ecce, manus Jehovæ erit ſuper gregem tuum qui eſt in agro: in equis, in aſinis, in camelis, in armentis & in ovibus peſtis graviſſima.

4. Et diſtinguet Jehova inter pecora Iſraël, & inter pecora Ægypti: ut non moriatur quicquam eorum quæ ſunt apud filios Iſraël.

5. Et ſtatuit Jehova tempus, dicendo, Cras faciet Jehova rem hanc in terra.

6. Fecit itaque Jehova rem hanc poſtero die: & mortuum eſt omne pecus Ægypti: de pecore vero filiorum Iſraël ne unum quidem *animal* mortuum eſt.

7. Et miſit Pharao: & ecce, ex pecore Iſraël ne unum quidem *animal* mortuum erat. Et aggravatum fuit cor Pharaonis, ut non dimitteret populum.

1. *Tunc dixit Jehova.*] Nulla hic refertur Moſis querimonia, vel expoſtulatio: & fieri poteſt ut eo tacente & quieto, proſpexerit Deus quid opus eſſet factu, atque etiam mandaverit quid fieri vellet. Verum quia tantum ſummas rerum perſtringit, probabili ratione exiſtimare poſſumus, prout ingraveſcebat malum, identidem ad remedium confugiſſe. In denunciatione non eſt inanis hæc repetitio, Jehova Deus Hebræorum: ut diſcat Pharao, quem ſe repulſe turgido ſuo faſtu putabat, adhuc capiti ſuo inſtare. Inſultat enim illius ferociæ Deus, & nomine ſuo in medium prolato rabiem ejus contemptim laceſſit. Diximus ante ſacrilegii convinci Pharaonem, quod populum Dei opprimat, & Deum ipſum fraudet juſto

justo honore. Ita his verbis, Dimitte populum meum ut serviant mihi, inest pondus ad crimen aggravandum.

2. *Quod si renuis.*] Pœnæ metu rursus eum ad obsequium impellit Deus: sicuti cum præfractis agere solet. Spatium tamen aliquod temporis (ut prius) concedit ad resipiscentiam, si forte pravum recusandi affectum deponat. Atque hoc nunc distinctius commemorat Moses 5. versu: tum ut ostendat perditam in malitia obstinationem, quod tyrannus derisa patientia Dei suam libidinem sequutus sit: tum etiam ut certius ex temporis circumstantia pateſiat, non casu, sed Dei manu percussa fuisse Ægypti pecora. In adverbio Adhuc subest vesanæ pertinaciæ objurgatio: quasi diceret Moses satis superque provocatum fuisse Deum: ideoque, nisi desistat, novas & atrociores plagas Deo in promptu esse, quibus eum contestar. Pestis appositive vocatur Dei manus: quia à justo ejus judicio proveniat. Causis enim naturalibus, hominum artibus vel consiliis, & casibus fortuitis opponitur hoc nomen: quasi dixisset Moses manum Dei appariturum esse in pestę gravissima, ut sentiat Pharao cælestę numen sibi esse infestum. Porro etsi mitior videtur esse plaga quam superiores: quia tamen longe plus jacturæ in futurum tempus intulit, durior haud dubie & asperior fuit Ægyptiis. Prius ad breve tempus infestis illis fuerat manus Dei, & una cum incommodis ablatus fuerat dolor: nunc vero stragęs pecorum in annos complures damnosa est. Hæc enim quasi gradatio in Dei judiciis consideranda est: sicuti etiam Lex transgressoribus, nisi mature in viam redeant, pœnas septuplo majores denunciat. Quod dicit mortuum esse omne pecus, synecdochica est loquutio. Nam continuo post patebit residuam adhuc fuisse copiam animalium. Sed intelligit pallim armenta peste fuisse consumpta, & greges afflictos: vel (si mavis) pestem fuisse ubique grassatam, quæ jumentis aliisque animalibus insolito modo occisis, Ægyptum redegerit ad penuriam. Denique nota universalis non alio spectat, nisi plagam hanc insigne fuisse documentum iræ Dei: quia lues non pauca tantum animalia (ut fieri solet) corripuerit, sed longe latęque populata sit ingentem ex pecoribus & gregibus numerum.

7. *Et misit Pharao.*] An miserit tunc primum suos inspectores, in medio relinquo: fieri potest ut contumacia sua cæcus discrimen hoc neglexerit, donec à Mose fuit admonitus. Scimus enim ut connivent reprobi ad manifestas iræ Dei notas, sponteque errorem suum foveant. Certe non dubium est quin Pharao, dum se modis omnibus obdurare appetit, libenter præterierit quod maxime cognitu erat utile. Sed quia de signo discretionis inter Ægyptios & Israëlitas certior à Mose redditus fuerat, cogitur, velit nolit, ex intuitu ipso scire quod libenter ignorasset. Fuit autem hæc non obscura paterni ergà electum populum favoris demonstratio, quod regionem in tota Ægypto maxime pecuariam contagio non attigerit quæ totam viciniam in circuitu occupaverat. Quo turpior & magis prodigiosa fuit impii regis socordia, qui ne hoc quidem tam memorabili exemplo commotus fuit. Re enim per suos satellites perspecta & comperta, cor suum retinuisse, ne obtemperaret Deo, horribilis amentiæ fuit.

8. Tunc dixit Jehova ad Mosen & ad Aharon, Tollite vobis plenos pugillos vestros favillæ fornacis, & spargat illam Moses * per cælum coram Pharaone.

* vel, je aërem.

9. Et erit in pulverem super totam terram Ægypti: & erit super hominem & super jumentum ulcus producens tumores in tota terra Ægypti.

10. Tulerunt ergo favillam fornacis, & steterunt coram Pharaone: & sparsit illam Moses * per cælum. Et fuit ulcus tumorem producens in homine & in jumento.

* vel, je aërem.

11. Et non poterant magi stare coram Mose propter ulcus: quia fuit ulcus in magis ut in omnibus Ægyptiis.

12. Et induravit Jehova cor Pharaonis: & non audivit eos: quemadmodum loquutus fuerat Jehova ad Mosen.

8. *Tunc dixit Jehova ad Mosen.*] Hic pœnæ tempus non prorogat Deus, sed plagas continuo tenore ingeminat: neque Pharaoni minatur, sed eo relicto exequitur quod decrevit judicium: nempe quia plus satis jam compertum erat nihil apud eum prodesse admonitiones: deinde ut modis omnibus coarguatur desperata ejus improbitas. Etsi enim paulo ante dixi non omnia recitari quæ gesta sunt, narratio tamen Mosis huc magis inclinat, nihil de ulceribus fuisse prædictum Pharaoni: sed quum nihil tale suspicaretur, projectas fuisse favillas. Quod autem pulvere obnubilatum fuit cælum, & inde exarta lues, non accidit naturaliter. Quomodo enim exigua favilla totus aër operiretur? Sed hoc visibili symbolo edoctus fuit tyrannus, cladem quæ inde sequuta est, à Mose & Aharon fuisse inflictam. Porro insigni & summa potestate servos suos Deus ornavit, dum eos præfecit aëris imperio, ut ipsum obtegerent caligine, & contagione inficerent. Unde colligitur diabolos vocari principes aëris, non quia illic pro libidine dominentur, sed quatenus conceditur vagandi licentia.

11. *Et non poterant magi.*] Quum tunc quoque præsto essent magi, dubium non est eadem qua prius amentia fuisse correptos, ut starent quasi in procinctu, si confligendi facultas daretur. Et certe quemadmodum Satan decies victus, infatigabili tamen pertinacia semper longius rapitur: ita nec ejus ministri, quantumvis experti sint se infeliciter pugnare, à furore tamen suo desinunt. Nuper confessi fuerant præstigiatores isti nihil valere amplius artem suam, se tamen confirmant ad extrema quæque tentanda, donec ulcerum tabes eos cum dedecore expellit. Quare, ne similis audacia nos dementet, discamus, sponte cedendo, integram Deo gloriam præstare. Quod autem Pharao non modo eorum auxilio destitutus, sed nudatus etiam & orbatus præsentia, non flectitur nec mollescit: hinc apparet non tam alienis impositoris fuisse deceptum quam obstupefactum propria malitia & pravitate. Quanquam hoc loco repetit Moses cor ejus fuisse à Deo obdura-tum: nempe quia volebat, quasi opposito aggere, materiam habere illustrandæ suæ virtutis. Atque hic refellitur eorum insciția qui nudam in Deo præscientiam imaginantur. Nam ubi additur, Sicut loquutus fuerat, conjunctim sibi utrumque asserit: nempe tam effectum quam prædictionem. Quæ de re paulo post fusius tractandum erit. Notandum tamen simul à crimine non absolvi tyrannum, cujus voluntaria fuit duritie. Scabies, quæ jumentis communis fuit, testimonio est alia stragę non omnia periisse.

13. Et ait Jehova ad Mosen, Surge mane, & te siste in conspectu Pharaonis, & dices, Sic dicit Jehova Deus Hebrærorum, Dimitte populum meum ut serviant mihi.

14. Quo-

14. Quoniam hac vice ego mittam omnes plagas meas in cor tuum, & in ſervos tuos, & in populum tuum: ut ſcias quod nemo ſit ſimilis mei in tota terra.

15. Nunc enim extendi manum meam, ut percutiam te & populum tuum peſte: & exciderīs è terra.

16. Et certe ideo conſtitui te ut oſtenderem tibi potentiam meam, & ut enarrent nomen meum in univerſa terra.

17. Tu adhuc te extollis in populum meum, ut non dimittas eos?

18. Ecce, ego pluam hoc tempore cras grandinem graviſſimam, cui non fuit ſimilis in Ægypto ab eo die quo fundata fuit hucuſque.

19. Nunc igitur mitte, collige pecus tuum, & quicquid tibi eſt in agro. Omnes homines & jumentum qui inventi fuerint in agro, & non collecti fuerint intra domum, deſcendet ſuper eos grando, & morientur.

20. Qui timuit ad ſermonem Jehovæ ex ſervis Pharaonis, confugere juſſit ſervos ſuos & pecora ſua domum:

21. Qui vero non adjecit cor ſuum ad verbum Jehovæ, reliquit ſervos ſuos & pecora ſua in agro.

22. Tunc dixit Jehova ad Moſen, Extende manum tuam verſus cælum, & erit grando in tota terra Ægypti, ſuper homines & ſuper jumenta, & ſuper cunctam herbam agri in terra Ægypti.

23. Extendit ergo Moſes virgam ſuam verſus cælum, & dedit Jehova tonitrua & grandinem: diſcurritque ignis per terram, & pluit Jehova grandinem ſuper terram Ægypti.

24. Et fuit grando, atque ignis grandine implicitus gravis valde: cui ſimilis nulla fuit in tota terra Ægypti, ex quo fuit in gentem.

25. Et percuſſit grando in tota terra Ægypti quicquid fuit in agro, ab homine uſque ad jumentum. Et percuſſit grando cunctam herbam agri, atque omnes arbores agri confregit.

26. Tantum in terra Goſen, ubi erant filii Iſraël, non fuit grando.

---

13. *Et ait Jehova ad Moſen, Surge.*] Revertitur adhuc Deus ad minas, ut impii regis animum exploret: non quod ſpes ſit aliqua ſanitatis, ſed quo magis ac magis retegatur perdita ejus obſtinatio. Ad exemplum enim pertinuit, palam cognoſci quam furioſe ruant in ſuum exitium qui in ſenſum reprobum conjecti ſunt, & agitantur ſpiritu vertiginis. Incredibile certe eſſet, ullum unquam hominem tam præcipiti amentia tantaque obſtinatione reſtitiſſe Deo, niſi hæc nobis propoſita fuiſſet imago. Quoties juſſus fuit Pharao populum dimittere; & ſingulis vicibus addita fuit ſanctio imperii: ut non minus tonaret è cælo Deus quam è terra loquebatur per os ſervi ſui & præconis? neque tamen ad parendum ſubactus fuit tyranni animus: nempe quia mente alienat Satan quos Dei permiſſu addictos ſibi & mancipatos tenet. Interea magis horribilem ſibi vindictam accumulant impio monitionum contemptu.

14. *Quoniam hac vice.*] Subeſt tacita conditio, niſi Deo morem geſſerit. Significat autem, quamvis hactenus caſtigaverit ejus ſuperbiam, clementer tamen & adhibita moderatione id eſſe factum: nunc vero duriore flagello uſurum eſſe, quia ferulæ nihil profuerint. Sic coarguitur ejus ingratitudo, quod non agnoverit ideo ſibi parci ut levibus tantum damnis perfunctus ad ſanam mentem rediret. Ergo quia ſenſim progreſſus fuerat Deus ad pœnas, nunc minatur ſe uno impetu multas ſimul inflicturum: ſicuti agere ſolet cum præfractis. Qua etiam ratione nos hortatur David, ne ſimus equis & mulis ſimiles qui ob contumaciam camo & freno cohibentur. Unde colligit multos dolores inſtare impiis & rebellibus. Plagas autem fore denunciat, non quæ caput tantum & brachia affligant, ſed quæ penetrent uſque ad cor ipſum, vel lethale vulnus viſceribus infligant. Stupidior enim erat Pharao quam ut ſufficeret latera ejus tundere. In ſumma, niſi velit cum omnibus ſuis perire, horribili quod impendet judicio mature occurrere jubetur. Sub nomine Omnium plagarum complectitur quicquid poſtea caſtigationis additum fuiſſe videbimus: & ideo nomen כל omnes exciPſal. 32. verſ. 9.

dii ſpecies deſignat: quaſi diceret ſe pœnas alias aliis additurum, donec tyrannum profligaverit cum tota gente. Quod poſtea addit, Ut ſcias non eſſe ſimilem mei, ſubindicat Pharaonem hactenus fuiſſe reluctatum, quod vim cæleſtis potentiæ ſerio animi ſenſu non apprehenderet: quia fieri non poteſt quin ubi ſentitur, omnem ferociam coram ſe proſternat. Nec dubium eſt, reprobos, quamvis aliqua ex parte agnoſcant Dei virtutem, poſtea tamen phrenetico impetu ruere, & eorum malitiam ſocordia eſſe implicitam, ut videndo non videant. interea monemur, reprobos ſtupore ſuo hoc tandem conſequi, ut Deus totis copiis adverſus illos congreſſus, ad cognitionem ſuæ virtutis quam fugiunt, invitos cogat & trahat. Ac ne longiores inducias ſperet, proximo verſu affirmat Deus jam extenta manu ſe prodire. Neque enim tolerantiam ſuam commendat Deus in lento progreſſu, ut quibuſdam placet: quin potius admonet exequutionem ſibi in promptu eſſe, quoniam arma induerit & copias inſtruxerit antequam verbum faceret.

16. *Et certe ideo conſtitui te.*] Varie exponitur verbum העמדתיך: proprie quidem ſignificat ſtatuere; itaque ad eminentiam hoc referunt nonnulli, quod Deus in regio ſolio Pharaonem collocaverit, unde ſuam gloriam melius patefaceret. Græcus interpres latius accepit. vertit enim διετηρησα, excitavi te: quaſi diceret arcano Dei conſilio & providentia delectum fuiſſe Pharaonem in quo potentiam ſuam exereret: ſicuti paſſim dicitur excitare quos in medium producit, ut in eos uſus applicet quibus ipſos deſtinavit. Alii ſententiam hanc putant ex ſuperioribus pendere, ac interpretantur, Conſervavi te, vel ſuperſtitem manere volui. Verbum enim Hebraicum, quod tranſitivum eſt in Hiphil, deducitur ab עמד, quod eſt ſtare. Quoniam ergo ſibi moderatus fuerat Deus, nunc tolerantiæ ſuæ cauſam aſſignat, quia ſi uno levi prælio cecidiſſet Pharao, minus cælebris fuiſſet victoriæ gloria. In ſumma, ne ſibi blanditias faciat, vel inani fiducia ſe obduret Pharao, negat Deus ſibi ad eum exemplo perdendum vires defuiſſe, ſed ob alium finem diſtuliſſe ultimas

mas potius: quo ſcilicet lente diſceret Pharao, fruſtra ſe luctari cum incomparabili potentia: atque ita omnibus ſeculis celebraretur tam inſignis hiſtoria. Etſi autem Paulus Græcum interpretem ſequitur, nihil tamen obſtat quominus liberum ſit poſtremum hunc ſenſum amplecti. Scimus enim Apoſtolos non fuiſſe in verbis recitandis admodum anxios, ſed rem potius ſpectaſſe. Jam ut fateamur Dei patientia eousque donaſſe Pharaonem dum omnibus clarum & nobile documentum foret quam veſani ſint atque amentes quicunque Deo reſiſtunt: hoc etiam ad æternam Dei providentiam pertinet. Ideo enim pepercit Pharaoni Deus ut ad tempus ſtaret, quia antequam naſceretur, in hunc uſum prædeſtinatus fuerat. Unde etiam recte Paulus colligit, non eſſe volentis, neque currentis. Sive enim erigat Deus, ſive ſuſtentet reprobos, mirabiliter in illorum pervicacia gloriam ſuam illuſtrat. Quo refellitur eorum inſcitia; qui hoc cavillo æternam Dei prædeſtinationem evertere conantur: quia non dicatur Pharaonem creaſſe hoc conſilio, ſed ad tempus ſuſpendiſſe ſuum judicium. Nam hæc media agendi ratio & continus ſeries ab initio illo manavit, quod Pharao iræ Dei organum erat.

Rom. 9. verſ. 16.

17. *Tu adhuc te extollis.*] Verbum quo utitur Moſes, factum denotat: quod populum calcando ſeſe nimis inſolenter efferret. Deus ergo quaſi per admirationem interrogat quid ſibi velit tam cæcus furor, quod ſperet tyrannus impune ſibi ceſſuras eſſe contumelias quibus indigne populum Dei affligit. Jam enim multis ſignis edoctus fuerat, cauſam populi ſui Deum patrocinii jure ſuſcepiſſe, ut omnium injuriarum vindex eſſet. Interea autem ironice perſtringit tyranni ſtultitiam, qui tot caſtigationibus nondum humiliatus fuerat: acſi diceret, quamvis rebus proſperis ebrius tyrannica & importuna licentia ſæviſſet in miſeros, tamen acceptis tot plagis, ceſſandi ſaltem fuiſſe tempus.

18. *Ecce, ego pluam.*] Nunc Deus pœnæ, ad quam irrogandam erat accinctus, ſpeciem deſignat: nempe quod percutiet grandine tam homines quam jumenta, & partem frugum. Contingit quidem ſæpe grandine corrumpi ſegetes, interdum etiam magnas ſtrages fieri hominum & animalium: imo rari beneficii loco ducitur ſi anni decem vel quindecim à tali noxa immunes prætereant. Sed Deus judicium quod exequi ſtatuerat, certis notis inſignit, quæ demonſtrent grandinem non eſſe natam ex cauſis naturalibus, ſed aërem divinitus armatum manifeſte pugnare. Primum dies craſtinus præfigitur: neque hoc ſatis eſt, additur etiam hora. Quis autem Aſtrologus aut Philoſophus in turbinibus & procellis articulos temporum ſic metiri queat? Tertio ponitur inſolita violentia, qualis nunquam conſpecta fuerat. Quarto continuus tractus ab extremis Ægypti finibus uſque ad alios fines oppoſitos, & ſimul expanſio in totam latitudinem. Vix intra annos viginti tam longe graſſabitur calamitas ut tunc inſtar ſagittæ volitavit, & angustiis ſuis contenta, non ita late ſe diffundet. Poſtremo accedit diſtinctio inter terram Goſen & reliquam Ægyptum. Hinc palam fit grandinem non ferri erroneo impetu, ſed manu Dei ſpargi: deinde non eſſe concretas frigidi humoris guttas in media regione aëris, ſed portentum quod naturæ limites tranſcendit.

19. *Nunc ergo mitte.*] Non dat conſilium quaſi velit parcere hoſti profeſſo, ſed veſanæ ejus confidentiæ inſultat, quod hactenus ſupina ſecuritate contempſerit quicquid pœnarum denunciatum erat. Oblique ergo ſubindicat nunc eſſe metuendi tempus. Secundo, Deum non certare quaſi dubio eventu: quia non tantum aperte provocat eum ad conflictum, ſed confirmat nihil ſibi fore negotii in ipſo profligando. In ſumma, docet neque aſtu neque ullis artibus opus eſſe, ut deprehendat hoſtem ſuum, ſed quamvis modum elabendi concedat, ſe tamen fore victorem.

20. *Qui timuit verbum Jehovæ.*] His verbis oſtendit Moſes, quoſdam experiendo hucuſque fuiſſe edoctos ut non omnino ſpernerent quod ediderat Moſes. Inde enim timor ex denunciatione pœnæ, quia perſuaſi erant Moſen ſervum eſſe Dei ac Prophetam, imo cœleſtis judicii præconem. Quanquam ſimul apparet non ſerio reſipuiſſe ut obedirent Deo, ſed præſenti ac momentaneo terrore impulſos fuiſſe ad cavendum. Sic particularis metus ſæpe reprobos ſollicitat vel ad deprecandam vel ad fugiendam Dei vindictam. Dicit tamen Moſes timorem illis profuiſſe, quia non eandem quam alii magis ſtupidi calamitatem ſenſerint. Hoc modo teſtatus eſt Deus, quo quiſque majore contumacia ipſius judicia contemnit, durius ac gravius affligi: quoſdam vero incredulos aliqua ex parte levari incommodis & mitius caſtigari, quia ſaltem ferociter non exurguot ad deſpiciendam ejus potentiam. Adde quod in hoc diſcrimine clarius enituit Dei judicium, ubi inter Ægyptios, quo quiſque fuit ferocior, certam contemptus ſui mercedem retulit. Docemur tamen hoc exemplo, non multum proficere incredulos ſi trepidis ac ſupplicibus ad breve tempus Deus ignoſcat: quia ſemper manent æternæ morti obnoxii.

22. *Tunc dixit Jehova.*] Nunc rurſus virga Moſis Deus utitur ad movendam procellam, non tam Pharaonis cauſa, quam ut Moſes ipſe ad refidua certamina magis animetur, ubi documentum renovari videt ſuæ vocationis. Interea nobis obſervanda eſt fidei ejus probatio, quod nondum accepto mandato de virga in cælum tollenda, non dubitaverit Pharaoni prædicere horribilem & prodigioſam fore grandinem. Quanquam ſiquis velit eſſe τροπον αφηγησεως, & nunc demum referri quod ordine temporis prius erat, non contendo: ſed hoc mihi magis probatur, & ex contextu etiam recte mihi colligere videor, die illo elapſo mandatum fuiſſe exequutionem, cujus ante incognita fuerat Moſi ipſi ratio. Hinc quidem & Moſes ipſe didicit, & nos hodie diſcere oportet, elementa omnia, quamvis ſenſu careant, præſto tamen eſſe ad quodlibet obſequii genus opifici ſuo præſtandum: quando ad motum baculi turbatus fuit aër incredibili modo, ut grandinis copiam opprimendis jumentis & hominibus vibraret.

27. Tunc miſit Pharao ad vocandum Moſen & Aharon: & dixit ad eos, Peccavi hac vice. Jehova juſtus eſt: ego autem & populus meus ſcelerati.

28. Precamini Jehovam, & * magnum *erit* ſi non ſint tonitrua Dei & grando: & dimittam vos, nec ultra manebitis.

* vel, *multum eſt quod ſint tonitrua.*

29. Tunc dixit Moſes, Ubi egreſſus fuero ex urbe, extendam manus meas ad Jehovam: ceſſabunt tonitrua, & grando non erit amplius, ut ſcias quod Jehovæ ſit terra.

30. Atqui de te & ſervis tuis cognoſco quod nondum timeatis coram facie Jehovæ Dei.

31. Linum & hordeum percuſſa ſunt: nam hordeum matureſcebat, & linum erat in calamo.

32. Triticum vero & zea non ſunt percuſſa, eo quod abſcondita eſſent.

33. Et

33. Et egressus Moses à congressu Pharaonis extra urbem, expandit manus suas ad Jehovam: & cessarunt tonitrua & grando, & pluvia non est effusa super terram.

34. Videns autem Pharao quod cessasset pluvia & grando & tonitrua, adjecit adhuc ad impie agendum, & aggravavit cor suum ipse & servi ejus.

35. Et obduruit cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël: sicut loquutus fuerat Jehova per manum Mosis.

27. *Tunc misit Pharao ad vocandum.*] Confessio hæc si ex animo esset profecta, signum dabat resipiscentiæ: sed statim cognovit Moses timorem in corde impii non esse diuturni officii magistrum: idque melius innotuit ex re ipsa. Quanquam memoria simul tenendum est quod ante attigi, Pharaonem non fuisse consulto mentitum: quia terrore correptus omnes placandi Dei modos captabat: sed paulo post relapsum esse ad mores pristinos. Etsi enim vulpino astu submissionem præ se ferunt impii dum se captos vident, ut effugium à laqueis detur: non tamen in suis blanditiis Deo se verba dare putant. Quin potius ubi urget necessitas, parati sunt quibuscunque modis transigere, ideoque piacula & satisfactiones offerunt: verum dempto metu, quia vi extortum fuerat quicquid sunt polliciti, statim deinde tegro lasciviunt. Simile fere exemplum de Saule narratur. Fatetur cum suo dedecore innocentiam Davidis; neque tamen, simulac effugit discrimen, ac metu solutus est, definit eum crudeliter persequi. Quod si demus fraude id simulasse, Pharaoni major fuit timendi ratio: quia experimento convictus Deum sibi esse adversum, formidine sua ad conditiones quasliber rapiebatur. Primo autem agnoscit se hac vice peccasse: non quod priores excuset, sed quia in tam crasso contemptu magis detestabile erat pertinaciæ crimen. Quod melius liquet ex proximis verbis, ubi Deo justitiam tribuens, suum & populi scelus fatetur. Perinde enim est acsi dixisset se merito pœnas dare, quia Deum justum judicem nimis diu provocaverit. Jam quia verum resipiscentiam verbis præ se fert Pharao, colligere hinc licet non tribui Deo integrum justitiæ honorem à peccatoribus, nisi seipsos damnent. Quod eo diligentius notandum est, quia pauci reputant, dum reatum effugere conantur, se adversus Deum esse contumeliosos. Atqui nisi quisque sibi sit judex, ac ingenue delicta sua fateatur, Dei judicio obstrepere certum est. Tandem ad deprecationem confugit: in qua Moses & Israëlitas sibi patronos esse optat. Non absque dolo, fateor: (quia semper duplici corde fuit hypocritæ) certum tamen est, quia malis erat attonitus, pacem quæsisse cum Deo, ne rebellando novas & graviores pœnas sibi accerseret. Simul autem ac voti compos timere desiit, ex securitate emersit interior malitia, quæ malorum congerie suffocata quodammodo latebat. Quod proxime sequitur, varie exponunt interpretes. Quidam exponunt negative, quod non sint; vel, si non sint tonitrua: & hi quoque inter se dissentiunt. Quidam enim Pharaonem gratulari sibi putant, quod cessarint tonitrua: sed eos nimis crasse hallucinari, ex contextu liquet. Si ergo interponitur negatio, necesse est referri sermonem ad tempus futurum: acsi diceret, præclare secum actum iri si Deus sedare voluit tonitrua. Æque tamen probabilis etiam est diversa sectio, Multum est, vel magnum quod fiat vel fuerint tonitrua. Acsi diceret, satis superque pœnarum se pro stultitia dedisse: vel (quod mihi magis placet) se horrore jam esse subactum, dum continuo fragore tonitrui & impetu grandinis percellitur. Videtur enim suam conversionem probare velle, quia horribili Dei potentia victus sit.

k 1 Sam. 24. vers. 18. & 26. vers. 21.

29. *Tunc dixit Moses.*] In hoc responso oblique subindicat Moses, ut pure & rite Deum invocet, se fugere conspectum Pharaonis; quia sacrificia quodammodo polluat sua incredulitate. Nam sicut ante docuit non posse legitimum cultum à populo præstari nisi extra Ægyptum, sic nunc solitudinem quærit ad precandum: atque ita loci distantia profanum esse locum ostendit ubi habitat Pharao: Diximus autem supra, Mosen nihil promittere temerario impulsu: sed vel Spiritus instinctu, vel certo oraculo edoctum pronunciare auctoritate Prophetica, quid facturus sit Deus. Porro non abs re Moses ex pœnæ remissione Pharaonem sentire jubet, Deum Israëlis esse dominum Ægypti. Nam terræ nomen hic videtur restringi ad Ægyptum. Quanquam non inficior de toto orbe commode posse intelligi: verum, utrumvis eligas, recte colligit Moses, perfecte Dei gloriam & imperium patefieri ubi non tantum pœnas irrogando vindex apparet, sed simul ex opposito demonstrat, elementa omnia suæ beneficentiæ servire. Adhæc, ubi vulneribus quæ inflixit idem Deus medetur, clarius inde innotescit ejus potentia. Ideoque apud Jesaiam, probandæ suæ divinitatis causa, hæc duo conjunctim ponit, juris sui esse & arbitrii tam bene quam male facere.

Jesa. 42. vers. 23. & 45. vers. 7.

30. *Atqui de te & servis tuis cognosco.*] Tam libera objurgatio clare demonstrat quanta animi magnitudine præditus fuerit sanctus Propheta: qui imperiosi & crudelis tyranni furorem pro nihilo ducens, impietatis eum cum tota aula damnare non dubitat. Nec sane dubium est Deum mirabiliter compescuisse tot sævas bestias, dum manus abstinent à Mose: quia temperantiæ vel humanitati tribui non potest quod non centies ipsum interfecerint homines alioqui plusquam sanguinarii; quum eos tam acerbe lacesseret. Cæterum ex hac constantia etiam patet quantopere profecisset posito tirocinio: quia ante longe à telorum jactu in umbra trepidus, nunc in acerrimo conflictu nihil formidat. Merito autem negat Deum timere Ægyptios: quia formido & horror non semper animos format ad reverentiam justumque obsequium. Nam de sincero timore loquitur Moses, qui nos Deo penitus addicit. Qua ratione vocatur sapientia, & caput sapientiæ. Hypocritæ autem quamvis expavescant ad Dei nomen, longissime tamen absunt à voluntario ejus colendi studio. Quare, ne inanis imaginatio nos fallat, discamus sensus omnes nostros probe excutere, & sedulo inquirere in omnes flexuosos recessus, quibus refertæ sunt ac incredibili modo implicitæ humanæ mentes. Quæritur tamen quomodo depræcatoris munus suscipiat, ubi nullam videt resipiscentiam. Respondeo, non ita fuisse facilem ut parceret quasi exoratus, sed modicam intermissionem dedisse, donec se rursus proderet regis impietas, atque ita compleret Deus quod prædixerat de omnibus plagis. Absurdum igitur est quod quidam hoc prætextu volunt ministros verbi & pastores nuda verborum confessione esse contentos: quando non tam ad ignoscendum propensus est Moses quam viam patefacit reliquis Dei judiciis.

Prov. 1. vers. 7. Psal. 111. vers. 10.

31. *Linum & hordeum.*] Narrat quid calamitatis intulerit grando: & docet partem frugum fuisse consumptam, quæ scilicet jam assurrexerat in culmos: semina vero quæ tardius surgunt, fuisse salva. Spem enim refiduam dare voluit Deus, quæ invitaret regem cum suis ad pœnitentiam, si modo sanabilis fuisset eorum malitia.

34. *Videns autem Pharao.*] Iterum suo more Pharao audaciam colligit ex pœnæ mitigatione, sicuti reprobos armat securitas adversus Deum: ipsi vero, simulac pauliper quieverunt Dei flagella, impuni-

tis fiduciam concipiunt, & ex brevibus induciis æternam pacem imaginantur. Pharao igitur cor ſuum, quod flexiſſe viſus fuerat, deintegro obduravit, clade hac perfunctus: acſi non admonitus fuiſſet alias reſtare, imo manum Dei jam eſſe extentam. Itaque in fine capitis culpam amplificat Moſes, ubi addit hoc fuiſſe prædictum per manum ſuam. Aliquoties ante vidimus obduruiſſe impium regem, ſicut Deus ad Moſen loquutus fuerat: nunc plus exprimitur, nempe Moſen fuiſſe præconem hujus indomitæ & perditæ contumaciæ.

Caput X.

ET dixit Jehova ad Moſen, Vade ad Pharaonem: quia ego aggravavi cor ejus, & cor ſervorum ejus, ut ponerem ſigna mea hæc in medio ejus.

2. Et ut narres in auribus filii tui & nepotis tui quæ fecerim in Ægypto, & ſigna mea quæ poſuero inter eos: & ſciatis quod ego ſum Jehova.

3. Venit ergo Moſes & Aharon ad Pharaonem, & dixerunt ei, Sic dicit Jehova Deus Hebræorum, Quouſque renuis humiliari coram facie mea? Dimitte populum meum ut ſerviant mihi.

4. Quod ſi tu renuis dimittere populum meum, ecce ego inducam cras locuſtam in terminos tuos.

5. Et operiet ſuperficiem terræ, ut non poſſit videri terra: & comedet quod reſiduum eſt, quod evaſit, quod relictum eſt vobis à grandine: & comedet omnem arborem quæ fructificat vobis ex agro.

6. Et implebunt domos tuas, & domos omnium ſervorum tuorum, & domos omnium Ægyptiorum: quas non viderunt patres tui, & patres patrum tuorum, à die quo ipſi fuerunt ſuper terram uſque ad diem hunc. Et averſus, egreſſus eſt à Pharaone.

1. *Et dixit Jehova.*] Tranſit Moſes ad aliam plagam, qua perfidiam impii regis & obſtinationem ultus eſt Deus: nempe quod reſidnum anni proventum, cui pepercerat, locuſtis vorandum & exedendum tradiderit. Fuit autem hæc non vulgaris pœna, inedia & fame conficere Ægyptum, quum periiſſent cunctæ ſegetes. Verum antequam eo deſcendat Moſes, iterum recitat ſe hujus plagæ fuiſſe præconem, & rationem ſibi à Deo fuiſſe redditam cur toties in ſuam perniciem reluctatus eſſet Pharao. Dicit ergo Deus ſe obduraſſe cor ejus, ut portenta & virtutis ſuæ documenta ederet. Nam ſi ſtatim humiliatus ceſſiſſet Pharao, ſupervacuum erat certamen. Quorſum enim cum victo & jacente confligere attinet? Ergo tyranni pertinacia, Deum ſæpius laceſſendo, pluribus miraculis viam aperuit: quemadmodum ex colliſione lapidis & ferri ignis elicitur. Quo etiam refellitur frigidum illud commentum, non aliter induratum fuiſſe cor Pharaonis, niſi quod propoſita ſunt miracula coram ejus oculis. Non enim docet Moſes cor ejus divinitus fuiſſe aggravatum ſignorum conſpectu, ſed Deo placuiſſe hoc modo illuſtrare ſuam virtutem. Hinc etiam colligimus, certo Dei conſilio prædeſtinatam fuiſſe quicquid accidit. Voluit enim Deus ſingulari & inſolito modo populum ſuum redimere. Ut hæc redemptio magis conſpicua & nobilior fieret, Pharaonem oppoſuit inſtar ſaxeæ rupis, qui duritie ſua cauſam novis & magis inſignibus miraculis ſubinde daret. Admirabili igitur Dei providentia in hunc finem induratus fuit Pharao, ne obſcura aut vilis eſſet liberationis gratia. Reſpexit enim populum ſuum Deus magis quam Ægyptios, ut mox ſequitur, Narrabis filio tuo & nepoti &c. Longe enim uberior gratiarum actionis, & liberationis celebrandæ oblata fuit materia, quum palam vidiſſent Iſraëlitæ toties ac tam variis prodigiis exertum è cælo Dei brachium. Nam ſi uſitato modo fuiſſent redempti, laus Dei paulo poſt obſoleviſſet. Poſteros ergo ſic à patribus docteri oportuit, ne ambigerent de tam præclari operis auctore. Cæterum hic exigitur à patribus, qui oculati erant ſignorum teſtes, diligentia & ſedulitas in filios docendis: & iis etiam injungitur diſcendi cura & attentio, ut beneficiorum Dei memoria per continuam ætatum ſeriem floreat. praxis hujus doctrinæ conſpicitur Pſal. 44. & 105.

3. *Venit venit Moſes & Aharon.*] Jam refert Moſes ſe Dei mandato tentaſſe Pharaonis animum, an tandem poſt multa experimenta, metu novæ pœnæ quæ inſtabat, flexibilis aſſet ad parendum. Hoc autem examine melius cognita fuit ejus impietas, quod ditionem ſuam parte annonæ privatam videns, quod de altera parte denunciatur à Moſe non metuit. Ideo aſperius eum objurgat, rogans, Quouſque tandem ſuperbe reſiſtes Dei imperio? Natu quum peſſima quoque ingenia frangant plagæ, portenti inſtar fuit, regem octies & quidem diris modis percuſſum nolle adhuc cedere, perinde acſi incolumis & ab omni damno intactus ſtaret. Cæterum ex hoc loco diſcendum eſt, in hunc finem caſtigari nos Dei ferulis ut à cupiditatum noſtrarum laſciviâ redeamus ad illius obſequium. Hoc vocat Moſes (& poſt eum Petrus) humiliari coram Deo, vel *ſub potenti ejus manu*, dum experti formidabilem ejus potentiam nos reverenter ſubjicimus ejus imperio. Unde ſequitur, quaſi ferrea fronte luctari cum Deo qui pœnarum metu non domantur nec flectuntur. Quare nos ad reſipiſcentiam erudiat timor: ac, ne ſuperbo contemptu provocemus ejus vindictam, diſcamus nihil eſſe magis horribile quam incidere in ejus manus. Subindicat etiam Moſes non eſſe bellum Pharaoni cum Iſraëlitis tantum, ſed cum Deo, qui eorum cauſam ſuſcepit. Quare non dubitemus tyrannos, quicunque injuſte Eccleſiam affligunt, cum Deo ipſo confligere; cujus viribus ſe longe impares ſentient. 1 Pet. 5. verſ. 6. Hebr. 10. verſ. 31.

4. *Quod ſi tu renuis.*] Denunciat Moſes ultimam penuriam & famem terræ Ægypti, quia repente ſurgent locuſtæ, quæ penitus conſumant reſiduum anni proventum. Jam enim dimidia pars grandine perierat. Etſi autem teſtantur hiſtoriæ veteres, & noſtro ſeculo contingit, non ſegetes tantum, ſed pratorum quoque herbas à locuſtis vorari: ex circumſtantiis tamen colligitur hoc fuiſſa inuſitatum cæleſtis vindictæ exemplum: quia & diem craſtinum præfigit Moſes, & incredibilem copiam ſubito erupiſſe narrat, & addit nunquam tales viſas fuiſſe: poſtremo nullam domum abearum inſultu immunem fore minatur. Porro genus flagelli iterum notare operæpretium eſt, quod Deus ex vilibus animalculis exercitum colligit & armat, quo contumelioſe indomabilem tyrannum cum omnibus ſuis copiis profliget. Digna etiam hac mercede fuit Ægypti ingratitudo: quia nimis indignum fuit tyrannice opprimi in ea regione poſteros Joſeph, qui eam ſua ſolertia paulo ante ducentos & quinquaginta annos à fame aſſer-

asservaverat. Quod sequitur versu 6. Vertit se, & egressus est, pro indignationis signo ponitur: acsi Moses contumaciæ tyranni pertæsus, repente se alio proriperet, ne vale quidem dicto. Quamvis ergo mansueto alioqui ingenio fuerit, præcisa tamen hæc austeritas adhibenda fuit ad refutandum fastum, quo tyrannus in cælum ipsum conspuebat. *Discant autem & nostri seculi Pharaones, quando purum Dei cultum atrocibus minis impediunt, justo ejus judicio fieri ut in ipsorum ditionibus grassentur, ut locustæ, homines fanatici cum impiis erroribus, ac tabe populos inficiant.

7. Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum, Quousque erit hic nobis in offendiculum? Dimitte homines, ut serviant Jehovæ Deo suo. * An ante scies quod perierit Ægyptus?

8. Et reductus est Moses atque Aharon ad Pharaonem: dixitque ad eos, Ite, & servite Jehovæ Deo vestro. Qui sunt qui abibunt?

9. Et ait Moses, Cum pueris nostris, & cum senioribus nostris ibimus, cum filiis nostris & filiabus nostris, cum ovibus nostris, & cum armentis nostris ibimus: quia festus dies Jehovæ nobis est.

10. Tunc dixit illis, Ita sit Jehova vobiscum, ut vos dimittam, & parvulos vestros. Videte, quia malum est coram vobis.

11. Non sic, Ite nunc viri, & servite Jehovæ: quia vos hoc postulastis. Et ejecit eos a facie Pharaonis.

* vel, *Antequam scies perisse Ægyptum.*

7. *Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum.*] Paulo ante vidimus communem illis fuisse obstinationem cum rege suo: nec dubium est quin serviliter adulando magis ac magis eum excæcaverint: nunc tamen damnis victi, & adhuc deterius aliquid timentes, mitigare ejus furorem student. Non quod redierint ipsi ad sanam mentem, sed quia sentiunt manu Dei se esse victos, nec vires ad rebellandum suppetere. Itaque dicunt Mosen, donec emissus fuerit, fore Ægypto in perpetuam noxam. Vocem פח sive laqueum, sive offendiculum vertas, parum interest: quia metaphorice capitur pro quolibet infortunii vel damni genere. Significant igitur non esse sperandum malorum finem, quamdiu contendet Pharao cum Mose: quia noxæ aliæ alias sequentur. Sed interrogando Quousque, admonent regis pertinaciam plus satis hactenus damnosam fuisse. Unde colligunt nihil fore melius quam ut Mosen expellendo, se à laqueo expediat, vel offendiculum declinet: quia nonnisi infeliciter pugnabit. In secunda parte versus dissentiunt interpretes. Chaldæus paraphrastes negatione interposita vertit, An adhuc nescis, quod perierit Ægyptus? Ad verbum sic legitur, An ante scire? vel, Antequam scire? Verum quia infinitivus interdum pro tempore futuro sumitur, videtur optime sensus quadrare hoc modo, An ante vis cognoscere totius regni interitum, quam ab infausto certamine desistas? acsi diceret, nisi mox iram Dei à se avertat, nimis serum & inutile paulo post fore remedium.

8. *Et reductus est.*] Probabile est, sedata regis iracundia, ex caterva quosdam celeriter fuisse missos, qui Mosen eadem hora retraherent, ne postridie accideret calamitas à Mose denunciata. Nam ex regis verbis colligere licet non prorsus fuisse victum eorum precibus: sed quia nolebat præcise negando omnium animos offendere, passum fuisse revocari Mosen, ut illos obliquo artificio eluderet. Sic enim tyranni specie fallaci assensus invidiam effugiunt. Revolvitur autem ad pristinum consilium, dum media pactione cum Deo decidens, sibi cavere vult de populi reditu. Apparet quidem ipsum quoque fuisse territum, & viam quæsiisse placandi Dei: interea tamen quasi pacisci liberum esset, conditiones proponit sibi commodas: sicut hypocritis mos est velle cum Deo sic transigere, ut dimidia juris sui parte cedere cogatur. Etsi autem astute scicitatur quasi de re dubia, facile tamen detegitur ejus suspicio. Ergo quod de omnibus sibi præcipi non ignorat, ad partem restringit, & tamen simulat se præstare quod æquum est, ac Deo sufficere debet. Tametsi autem suo responso Moses tergiversandi ansam libere præcidit, nec eum flexiloquis ambagibus demulcet: Dei tamen consilium de liberando populo supprimit, non quod fallere velit vel mentiri, sed ut intra vocationis suæ fines se contineat. Ac ne objici possit, hoc modo subduci Israëlitas à legitimo imperio, non dissimulat, quia divinitus sunt adoptati, sub alia ditione non esse. Succo ergo Deus palam reposcit quos semel sibi addixit. Nec vero fraudulenter cum tyranno agere censendus est, quamvis consilium suum ab ipso celet. Armenta & greges ovium secum tracturos Israëlitas dicit, ut sint ad manum victimæ quas offerant Deo. Quantum ad filios & filias, subindicat minimis etiam quibusque celebrandum esse diem festum, quia omnes Deus sibi addixerit ad pietatis cultum.

10. *Ita sit Jehova vobiscum.*] Miror locum per se clarum ab interpretibus violenter torqueri. Quidam sic resolvunt, Vellem Deum non aliter vobis favere, quam vos dimittere mihi in animo est: alii vero ficte loquutum putant, acsi Deo ipsos commendet postquam discesserint. Non referam omnium commenta: neque opus est. Equidem non dubito ironicam esse subsannationem, qua ipsis & Deo simul insultat: quasi diceret, Jactatis Deum à parte vestra stare: id experientia probabit si vos dimisero. Se igitur constituens summum arbitrum ad eos arcendos, & vetandi prohibendique exitus potestatem sibi arrogans, deridet eorum studium, quod liberum egressum petendo, id se Dei auspiciis & mandato facere obtendant: perinde acsi diceret, Tunc merito prætexetis Jehovam itineris ducem vobis esse, nisi vos impediero. Hoc modo proterve lacessit Deum ipsum, & populo ita posse opitulari negat quin resistendo prævaleant suæ vires. Ita reprobi, postquam secum tumultuati sunt, interdum eructant vesanum Dei contemptum ¶ quasi sint contra omnia pericula probe muniti, & Dei auxilium quod suis promisit pro nihilo ducentes, secure rident fidei simplicitatem. In secundo etiam membro versus frustra meo judicio laborant multi. Quidam eliciunt hunc sensum, Malum quod cogitatis occurret vobis, ac in facies vestras vertetur. Alii volunt similitudinem esse à scopo ductam, quod Israëlitæ nonnisi ad maleficium spectent. Ego autem non dubito, postquam Dei potentiæ oppositi Pharao tyrannicas suas prohibitiones, jam incutiendi terroris causa minari. Dicit igitur malum instare Israëlitis, & quasi versari ante eorum oculos, quia suæ temeritatis pœnas mox sunt daturi. Ita significat opem Dei, qua se protegi confidunt, evanidam fore, aut nihil profuturam. Quum autem dicit, Videte, oblique eos perstringit, quod freti Dei auxilio inconsiderate in suam perniciem ruant. Summa est, eos sibi male consulere omnia tentando, stulteque vel minus caute recumbere in Dei patrocinium.

11. *Non sic.*] Simulat illis se dare quod initio postu-

postulaverant, atque ita incoostantiæ eos insimulat, quod non perstet in eadem sententia: quum tamen certum sit hanc pertinaciæ fuisse causam ad repugnandum, quia timebat ne totus populus ex Ægypto migraret. Scivit ergo, quod Dei omine exegit Moses, ad parvulos quoque extendi: quia alioqui non tam fuisset exasperatus. Sed ut culpam in eos derivet, falsa & calumniose exprobrat duplicasse iniqua postulata, se vero summa humanitate perfuogi, quod primo eorum voto annuat. Cæterum noluit patres liberis orbare; sed retinere quasi obsides: quoniam persuasus erat tam charis pignoribus nunquam sponte renunciaturos. Quod additur in fine versus, Ejecit eos à conspectu Pharaonis, indefinite quidam accipiunt, ac subaudiunt quemlibet ex satellitibus: sed quia Hebræis tritum est antecedens omittere, & deinde subjicere loco relativi, non dubito quin Pharao Mosen videns dimidia parte non esse contentum, excanduerit, & novis minis expulerit, quia ejus præsentiam non ferebat.

12. Tunc dixit Jehova Mosi, Extende manum tuam super terram Ægypti pro locusta, ut ascendat super terram Ægypti, & depascat omnem herbam terræ, quicquid à grandine residuum est.

13. Extendit itaque Moses virgam suam super terram Ægypti, & Jehova adduxit ventum orientalem in terram toto illo die & tota nocte, & ubi advenit mane, ventus orientalis excitavit locustam.

14. Et ascenderunt locustæ super totam terram Ægypti, & demisit in omnem terminum Ægypti graves valde: ante illas non fuerunt tales locustæ, nec post illas futuræ sunt tales.

15. Operueruntque superficiem totius regionis: & obscurata fuit terra, comederuntque omnem herbam terræ atque omnem fructum arborum quem reliquerat grando, neque remansit quicquam viride in arboribus & in herbis agri in tota terra Ægypti.

16. Tunc festinavit Pharao vocare Mosen & Aharon, & dixit, Peccavi in Jehovam Deum vestrum & vos.

17. Nunc ergo remitte quæso peccatum meum duntaxat vice hac, & orate Jehovam Deum vestrum, & auferat à me tantum mortem istam.

18. Et egressus est à Pharaone, & oravit Jehovam.

19. Et convertit Jehova ventum occidentalem fortem valde, & sustulit locustas, & dejecit eas in mare Rubrum: non remansit locusta ulla in tota regione Ægypti.

20. Et roboravit Jehova cor Pharaonis, neque dimisit filios Israël.

12. *Tunc dixit Jehova Mosi.*] Quoniam indicta sibi pœna non fuit adductus Pharao ad parendum, exequutio hic narratur. Ac primo quidem jussus est Moses manum extendere ut locustas accerseret, pro jure imperii quo Deus eum ornaverat. Manus enim extensio signum est potestatis. Ideo paulo post subjicit se baculum extendisse, quem ante vidimus loco regii sceptri fuisse ei datum. Perinde igitur est acsi Deus præfectum constituens, subjiceret ei mare, terram, & aërem. Ut tamen subsidat in gradu ministri, non dicit locustas erupisse ad suum mandatum, sed laudem operis vindicat uni Deo. Atque hæc ratio loquendi notatu digna est, ex qua discimus ministros Dei, quamvis nihil ex se afferant, non tameo ludere operam, quia Spiritus efficacia cum eorum voce conjuncta est: neque tameo ideo quicquam delibari ex Dei virtute quod ad ipsos transeat, quando nonnisi organa sunt quæ Dei manu in usum suum applicantur. Sic Moses non frustra nec inaniter extento baculo præcepit locustis ut ascenderent, quia statim apparuit effectus mandati. Neque tameo ipsa creavit locustas, neque baculi agitatione eas attraxit, sed impulsu venti orientalis divinitus suot adductæ. Ipsa autem collectio tam subita præter naturæ ordinem haud dubie accidit. Neque enim si vento has partes mandavit Deus, inde protinus sequitur hoc esse ustatum. Scimus Eurum salubrem ac mitem esse ventum: & quanquam Judææ respectu interdum procellosus est, non tamen probabile videtur, vel impetu ejus vel contagioso flatu Ægyptum naturaliter opertam fuisse locustis. Sed fieri potest ut Deus repentino turbine ingentem locustarum copiam impellens, propinquæ cladis signum dederit Ægyptiis, quo manifestius esset non aliunde quam ex Mosis prædictione eas esse exortas. Quod oullas unquam tales fuisse visas dicit, & tales io posterum unquam fore negat, non adversatur sententiæ Joëlis: qui etiam affirmat tale exemplum nunquam extitisse, ut residuum erucæ comederet locusta, residuum locustæ comederet bruchus, & residuum bruchi comederet hilil. Neque enim illic de una tantum pœna differit, sed de varia & multiplici continuatione.

Joël. 1. vers. 4.

16. *Tunc festinavit Pharao.*] Festinatio hæc ex trepidatione & metu, quia ad extrema usque ventum erat, nec moram patiebatur mali atrocitas. Hoc igitur ardore anxietatem suam prodit Pharao, ubi ad Moseo, quem nuper expulerat, revocandum non modo sponte inclinat, sed celeriter rapitur. Quæ subjicitur confessio, tametsi ex duplici vel fallaci corde manavit, non fuit tameo prorsus ficta. Neque enim dubitandum est quin (ut sibi male conscius erat Pharao) Deus vocem hanc perculso & flagellis coacto extorserit, Peccavi. Tenenda enim est distinctio quam ante posui, inter hypocritas, quibus mentiri & fallere propositum est, vel qui scientes & voleotes hominibus illudunt; & eos qui sibiipsis blanditias faciunt, & sic exhorrent Dei judicium ut interior cordis recessus malitiam & impietatem foveat. Hujus secundæ notæ hypocrita fuit Pharao, qui tametsi ex professo noluit vel Deo vel Mosi illudere, quia tamen seipsum non excussit, non sincere peccatum suum confessus est. Atque id diligenter notandum est, ne quis fucatæ pœnitentiæ indormiat, acsi Deum placaret temporalis metus, vel coacta humilitas. Quod se in Deum & Israëlitas peccasse dicit, ita resolvi debet, fuisse in Deum rebellem, quia injuste afflixerit populum quem ille in curam fidemque suam receperat. Etsi enim non erat à Prophetis edoctus, tenebat tamen principium illud: quia Deus claris & insignibus miraculis ostenderat populum illum sub tutela & protectione sua esse, iniqua & tyrannica illius oppressione factam esse injuriam patrono & custodi. Bis ergo se reum fatetur, quod in populum fuerit crudelis, & Deum impie contempserit. Hoc veræ resipiscentiæ fuisset testimonium si ex puro ingenuoque affectu fluxisset. Nam peccator, sponte se damnando, Dei judicio occurrit. Humilitas etiam in ea parte non mediocris apparet, dum suppliciter veniam precatur à Mose. Raræ enim virtutis fuit, potentissimum regem se ita sub-

submittere homini obſcuro & contempto : quod ſæpe gregarios facere pudet. Sed quia cor occulta pravitate adhuc erat implicitum, fraudulenter ſigna pro re ipſa oſtentat. Quare non immerito David, ubi beatum prædicat hominem cui remiſſa ſunt peccata & cujus tectæ ſunt iniquitates, ſimul exclamat, In cujus ſpiritu non eſt dolus. Itaque ut Deo, cujus proprium eſt corda ſcrutari, probemus noſtram pœnitentiam, diſcamus ſerio & penitus nos examinare, nequa intus hypocriſis lateat. Quod addit, Tantummodo hac vice, ad teſtandam recti animi conſtantiam pertinet : acſi ante ſe perfidum fuiſſe agnoſcens, promitteret ſe bona fide poſthac obtemperaturum Deo. Unde colligimus, reprobos non ideo ſubinde reverti ad ſuos mores & ingenium quod vim & naturam veræ converſionis ignorent, ſed quia ſpiritu rectitudinis vacui, cor habent flexuoſum & contortum. Porro ſibi mortem præſentem auferri duntaxat cupiens, videtur integram cum Deo reconciliationem non admodum curare : ſicuti impiis mos eſt odium vel favorem Dei non morari, ſed manum duntaxat exhorreſcere. Ergo de culpa ſecurus, tantum optat pœnam à ſe procul abigi.

Pſal. 32. verſ. 2.

18. *Et egreſſus eſt.*] Diximus cur ſanctus Propheta orandi cauſa à rege diſceſſerit : quia ſcilicet indignus erat coram quo ſacrum Dei nomen invocaretur. itaque precationem Moſes pro eo non concepit quod putaret ex animo converſum, ſed ut viam Deo pateſaceret ad reliquos conflictus. Equidem ſi data ſanctio viro fuiſſet optio, non dubito pro ſingulari manſuetudine ſic fuiſſe animatum ut libenter conſuleret tyranni ſaluti : ſed quia de perdita ejus obſtinatione oraculum audierat, ſolum ad illuſtrandam Dei potentiam intentus fuit. Nec vero dubium eſt ſingulari Spiritus inſtinctu ipſum oraſſe, donec factus eſt certior de ultimo actu. Et eventus demonſtrat non temere in aërem jactas fuiſſe preces : quia ſtatim purgata fuit terra locuſtis. De vento occidentali idem tenendum quod de contrario nuper diximus. Neque enim exigui temporis flatus ad tantam colluviem profligandam ſufficere poterat : ſed Deus viſibili ſymbolo teſtatum fecit ſe in utramque partem exoratum fuiſſe ſervi ſui votis, atque hac de cauſa ſedatam eſſe cladem. Maris Rubri nomine ſinum Arabicum notari ſatis notum eſt. Hebræis סוּף vocatur, vel à juncis & carectis quibus abundat, vel à turbinibus : quia utroque ſenſu nomen hoc capitur in Scripturis. quod ſi Latine vertere placeat, dicendum erit algoſum & junceum mare vel turbinoſum. Cæterum quia in tam furioſa pertinacia incredibile portentum fuit, diſerte exprimitur cor ejus à Deo fuiſſe obduratum, ut diſcamus ad horribile illud judicium expaveſcere : dum impii ſcilicet ſpiritu vertiginis correpti, Deum, cujus nomen eos exanimat, magis ac magis laceſſere non dubitant.

21. Tunc dixit Jehova ad Moſen, Extende manum tuam in cælum, ut ſint tenebræ ſuper terram Ægypti, * & palpet tenebras.

* vel, & palpentur tenebræ.

22. Et extendit Moſes manum ſuam in cælum : & fuerunt tenebræ caliginoſæ in tota terra Ægypti tribus diebus.

23. Non videbat alter alterum, neque ſurrexerunt quiſque è loco ſuo tribus diebus : at omnibus filiis Iſraël erat lux in habitaculis ſuis.

24. Tunc accerſivit Pharao Moſen, & dixit, Ite, ſervite Jehovæ : tantum pecus veſtrum & armentum veſtrum remanebit : etiam parvuli veſtri ibunt vobiſcum.

25. Dixitque Moſes, Tu quoque dabis in manu noſtra ſacrificia & holocauſta, ut faciamus Jehovæ Deo noſtro.

26. Inſuper pecudes noſtræ ibunt nobiſcum, non remanebit ungula : quia ex eo accipiemus ad colendum Jehovam Deum noſtrum : nos autem neſcimus quo colemus Jehovam, donec pervenerimus illuc.

27. Et roboravit Jehova cor Pharaonis, neque voluit dimittere illos.

28. Et dixit illi Pharao, Recede à me : cave tibi ne amplius videas faciem meam : qua enim die videbis faciem meam, morieris.

29. Reſpondit Moſes, Rectum dixiſti : non videbo ultra faciem tuam.

21. *Tunc dixit Jehova.*] Hic denunciatione omiſſa pœnam Deus infligit : quia fallaciter dicto ſe audientem fore promiſerat. Ergo quum tam ſceleſte abuſus eſſet Dei clementia, novo malo repente corripi oportuit, ut in tenebris ſentiret Dei ultoris manum, quam contemperat. Nec ſane minis territus fuiſſet : ſicuti mox patebit, quum admonitus fuit de morte primogeniti ſui, & ſimili totius regionis ſtrage tam in hominibus quam in beſtiis; non fuiſſe commotum, ſed ſecure Deum provocaſſe acſi nihil audiſſet. Nihil igitur mirum ſi terram prius obruit tenebris Deus quam Pharao tale quicquam ſuſpicari queat. In fine verſus verbum יִמָּשׁ quidam paſſive exponunt : quaſi diceret tenebras fore palpabiles. nam nomen חֹשֶׁךְ ſingulare eſt apud Hebræos. Qui tranſitive accipiunt, quia volunt indefinite eſſe poſitum, ſubaudiunt nomen, hoc ſenſu, Ut quivis palpet. Atqui ſi tranſitiva ſignificatio placeat, mihi ad Pharaonem referetur. Libenter tamen eorum ſententiæ ſubſcribo, qui tenebras ita denſas fore ſcribunt ut manibus palpentur.

22. *Et extendit Moſes.*] His tenebris Deus non ſolum exprobrare voluit Pharaoni mentis cæcitatem, ſed modis omnibus convincere quam veſano furore reſiſteret. Nullum cunctis mortalibus à ſummis uſque ad infimos magis commune bonum quam lucis, quo vulgus ignobile & contemptiſſimi quique non minus quam ſummi reges fruuntur. Solis igitur radiis illuſtrari totum orbem, Ægyptios vero, quamvis oculatos, jacere in tenebris demerſos, horribile Dei judicium fuit. Quid ergo illis dementiùs, dum ſua duritie cum tam formidoloſa Dei manu confligere non deſinunt? Aquæ in ſanguinem converſæ potum illis negaverant, ranæ & alia inſecta oppleverant totam regionem, inter pediculos fere contaburant, puſtulis exarferant eorum membra, grando partem annonæ abſtulerat : plus deinde vaſtitatis attulerant locuſtæ. Talibus exemplis montes & ſaxa metu aliquo tangi decebat. Hæc igitur admonitio valde opportuna fuit, tenebras diffundi per totam Ægyptum, ut ſciirent Deo infeſto in ſe cæleſtes quoque exercitus eſſe armatos. Ac ne obſcura vel ambigua eſſet Dei ultio, non potuit cauſa caliginis in eclipſin aliquam conferri, tum ob denſitatem, tum ob temporis ſpatium. Hæc enim duo à Moſe diſerte notantur, quo certius conſtet ſolem Ægyptiis fuiſſe obſcurum, qui Dei gloriam impio contemptu extinguere conati fuerant. Ex oppoſito magna Iſraëlitis alacritas accedere debuit, quum in ſplendore ſolari agnoſcerent paternum Dei vultum

erga ſe fulgere. Perinde enim ſuo favore tunc eos irradiavit, acſi liberum egreſſum monſtrarent. Ac poterat quidem atronitis hoſtibus ſtatim illos educere: ſed voluit alio modo parare illis exitum, ut videbimus.

24. *Tunc accerſivit Pharao Moſen.*] Hoc ictu graviter expavefactum fuiſſe colligimus: quod ultro (ſicut antea) homines ſibi tam moleſtos & tam atrocium calamitatum auctores ad ſe rurſum vocat, ut de exitu paciſcatur. Quæritur tamen, ſi nemo per triduum è ſuo loco ſurrexit, qui potuerit Pharao Moſen & Aharon accerſere. Si reſpondeamus, caligine jam diſcuſſa miſſos fuiſſe nuncios, in promptu erit exceptio: non videri probabile, ex quo laxatus erat pœnæ rigor, indomabilem belluam fuiſſe tam facilem. Vidimus enim hactenus, quoties manum ſuam retraxit Deus, ſuperbum illum tyrannum abjecto metu ad ſuam ferociam rediiſſe. Equidem exiſtimo, quum adhuc eum urgeret neceſſitas, & ab æterna caligine ſibi metueret, de placando Moſe cepiſſe conſilium. Quum autem hic narratur jacuiſſe omnes ſuo loco, hyperbolice poſitum eſſe interpreror: acſi dictum eſſet ceſſaſſe ab omnibus officiis quæ lucem requirunt. Quamvis autem nox opera exequi non permittat, quibus interdiu ſe exercent homines, non tamen ita conſtrictos tenet quin ſe moveant. Quanquam hyperbole nihil habet abſurdum vel durum, ſic obrutos fuiſſe tenebris Ægyptios ut in ſua quiſque ſtatione quaſi defixus maneret, nec ſe mutuo conſpicerent: quia in obſcuritate tridui ſoliti eos actionibus perfungi Deus veruit. Porro etſi plus aliquid largiri paratus eſt Pharao quam ante, nondum tamen finem tergiverſandi facit. Parvulos exire patitur, modo remaneant pecora: ſive quia ſperabat egeſtaris periculo populum facile poſſe retrahi: ſive ut talibus ſpoliis ditatus leviorem ſaltem jacturam faceret. Nam de hominibus ipſis valde fuiſſe anxium liquet, quod ægerrime concedit ut ſuis opibus nudari ſacrificandi cauſa exeant: quod non adeo moleſte tuliſſet ſi tantum inhiaſſet prædæ. Cæterum docet rurſum hic locus, impios cedere Deo tantum ex parte, ut interea oblectari non deſinant: qualiter ſcelerati, dum obtorto collo eos trahit carnifex, ſequi coguntur, neque tamen ideo magis ſunt obſequentes. Jam & illud notandum, captandis effugiis ſolertes eſſe impios dum manu Dei torquentur, & quaſi multiplici flexu huc & illuc verſare conſilia & mentes, ut ſinceritatem fugitent. Ubi dicit, Etiam parvuli veſtri exibunt, hac amplificandi particula ſpeciem liberalitatis oſtentans, Moſen & Aharon blande emulcet: quaſi dicerer ſe jam illis demum concedere quod præcipue expetere viſi fuerant.

25. *Dixitque Moſes.*] Omnes exceptiones non minus ſevere Moſes repudiat quam ſi pro imperio exigeret à rege quod Deus juſſit. Et certe hoc tam auſtero & præciſo loquendi genere fiduciæ ſpecimen edidit, quo impii tyranni faſtum & audaciam dejiceret. Prætexit quidem opus eſſe victimis, & hoc modo majorem invidiam declinat: ſed interea libere pactiones omnes excludens, ac ne minimum quidem pilum relinquens in regis arbitrio, poteſtatem aſſerit uni Deo in ſolidum, ut ſciat Pharao nihil ſe cavillis proficere. Hæc quidem loquitio, Non relinquetur ungula, acrem objurgationem cum acerbitate & deſpectu continet: acſi data opera pungeret virulentum tyranni animum. Diximus autem antea, nullam fuiſſe ſimulationem in his verbis. Etſi enim ſciebat ſanctus vir longius ſpectare Dei conſilium, ſatis tamen habuit præſcripta ſibi mandata deferre: nec vero fas eſſet Deum obſtringere hac lege ut impios omnium ſuorum operum ſemper conſcios faciat.

27. *Et roboravit Jehova cor Phar.*] Probabilis hinc conjectura elicitur, adventu Moſis aliquid lucis emicuiſſe, ut minus denſa eſſet caligo: quia nunquam auſus fuiſſet Pharao ſine fiducia impunitatis tam ſuperbe ſe jactare. ſed quod initio ſimulavit, à Moſe hic prætermiſſum eſt: unde pendet horribilis pœnæ mitigatio, quæ illum ad deprecationem compulerat. Quamvis autem adhuc trepider, obdurelcit tamen, & ſe potius ad extrema quæque comparat, quam Deo ſimpliciter obtemperet. Hic quoque ſuo more Deum indurationis auctorem Moſes fuiſſe aſſerit: non quod pervicaciam indiderit cordi alioqui ad docilitatem & obedientiam propenſo: ſed quia reprobum hominem & exitio ſuo ſponte devotum Satanæ mancipaverit, ut majore ſubinde pertinacia in ſuam impietatem rueret. Cæterum quum toties hoc verbo uſus fuerit Moſes, miror qua fronte ſophiſtæ quidam, permiſſionis nomen ſubſtituendo, claram adeo ſententiam frivolo cavillo eludere ſibi permittant.

28. *Et dixit illi Pharao.*] Hæc excandeſcentiæ impotentia in rebus tam afflictis, documento eſt quam violento impetu graſſetur Satan in præcipitandis impiis, ubi conjecti ſunt in ſenſum reprobum. Nota quidem ſunt regum imperia, & à veteribus Poëtis notata, Animadverte, & dicto pare. Item, Moriere ſi te ſecundo lumine hic offendero. Nec dubium eſt quin uſitata intemperie Pharao nuncupet ſæpe quoque ad ſævas & atroces minas profiliat. Verum, niſi vertiginis ſpiritu agitaretur, non tam audacter inſurgeret contra Dei ſervum, quem expertus fuerat inſuperabili virtute præditum: adeoque ſub ipſius Dei auſpiciis, ſummo imperio in omnibus elementis dominari. Hinc etiam colligimus, non humanitate, vel modeſtia, vel tolerantia retentum antea fuiſſe quo minus ſæviret in Moſen: quia florente adhuc regni ſtatu ferventior fuiſſet ejus iracundia: ſed arcano freno cohibitum fuiſſe. Reſponſo autem ſuo Moſes oſtendit quam pro nihilo duceret ſpumas illas. Ultro enim inſultat, ac ſe amplius in ejus conſpectum venturum negans, indignum eſſe ſignificat cujus gratia diutius laboret. Cæterum videmus impium regem, dum ſuo furore rapitur, vaticinatum eſſe præter animi ſententiam: quia in ejus caput retorſit Deus quod ipſe alteri minitabatur. Quanquam ſimul tenendum eſt, ex Dei mandato, non autem temere Moſen ſic loquutum: quia niſi certo fuiſſet edoctus adeſſe ultimum actum, ſemper in procinctu ſteriſſet ad exequendas ſuas partes. Sed ex contextu mox parebit, in hac etiam voce certum fuiſſe Dei præconem.

Caput XI.

1 Dixerat autem Jehova ad Moſen, Adhuc plagam unam adducam ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum: poſtea dimittet vos hinc, dimittendo vos perfecte: expellendo expellet vos hinc.

2. Loquere nunc in auribus populi, ut petant quiſque à proximo ſuo, & mulier à proxima ſua, vaſa argentea & vaſa aurea.

3. Et dabit Jehova gratiam populo in oculis Ægyptiorum. Etiam vir Moſes magnus erat valde in terra Ægypti, in oculis ſervorum Pharaonis, & in oculis populi.

4. Et dixit Moſes, Sic dicit Jehova, Circiter dimidium noctis ego egrediar in medium Ægypti:

5. Morie-

5. Morieturque omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui ſedet ſuper ſolium ejus, uſque ad primogenitum ancillæ quæ eſt poſt molam, & omne primogenitum jumenti.

6. Et erit clamor magnus in tota terra Ægypti, qualis nunquam fuit, nec futurus eſt.

7. Apud omnes autem filios Iſraël non movebit canis linguam ſuam, ab homine uſque ad animal: ut ſciatis quod diſtinctionem poſuit Deus inter Ægyptios & inter Iſraël.

8. Deſcendentque omnes hi ſervi tui ad me, & adorabunt me, dicendo, Egredere tu & totus populus qui eſt ſub pedibus tuis: poſtea egrediar. Et egreſſus eſt à Pharaone in ira vehementi.

9. Dixerat autem Jehova ad Moſen, Non audiet vos Pharao, ut multiplicem portenta mea in terra Ægypti.

10. Itaque Moſes & Aharon fecerunt omnia hæc portenta coram Pharaone. Et roboravit Jehova cor Pharaonis, ut non dimitteret filios Iſraël è terra ſua.

1. *Dixerat autem Jehova ad Moſen.*] Recitat nunc, non proprio motu ſe ad illam quam nuper vidimus confidentiam elatum fuiſſe; ſed quia divinitus prædmonitus fuerat jam adeſſe finem certaminum, nec aliud reſtare quàm ut Pharao ultimo vulnere concideret. Cohæret igitur hic verſus cum proximo, & cauſæ redditio eſt: quia non fuiſſet in arbitrio Moſis vocationis ſuæ curſum abrumpere, niſi plane ſciviſſet, ſe pertigiſſe uſque ad metam. Nec vero aliter quadraret quod poſtea ſequetur, Moſen loquutum eſſe Pharaoni, ex quo denunciaverat ſe non amplius ejus oculis appariturum: niſi continuo tenore productus eſſet ſermo. Interponitur autem hæc ſententia per parentheſin, Quantumvis obſtinatus ſit Pharao, nunc tamen veniſſe horam qua Deo ſuccumbat. Cæterum non modo pronunciat Deus mutatum iri cor Pharaonis, ne populi exitum impediat, ſed ejus rei quam pertinaciter negaverat, ultro ſore cupidum. Id enim ſonant verba, Non modo vos dimittet, ſed omnino expellet. Nam eorum præſentiam exhorrens, ſedulo è ſua ditione abegit.

2. *Loquere nunc in auribus populi.*] Iterat de ſpoliandis Ægyptiis mandatum, cujus tertio capite facta fuit mentio. Neque enim ſatis Deo fuit ſuos eripere à ſæva tyrannide, ſub qua vix ſpiritum miſere trahebant in magna penuria & egeſtate, niſi eos opibus large ditaret: acti ex hoſtibus ſubactis referrent præmium victoriæ. Itaque ad ſingulare alioqui beneficium hic cumulus acceſſit, quod ſplendide ornati & pretioſa ſupellectile onuſti abierunt. Quomodo autem Iſraëlitis liceret, ſub prætextu commodato petendi, vaſa aurea & argentea ſecum auferre, ante expoſuimus. Una certe Dei auctoritas à furti & doli mali crimine eos abſolvit. In Dei autem juſſu quicquam carpere vel reprehendere, nemini mortalium fas erit: non modo quia ſupra omnes leges eſt ejus imperium, ſed quia ejus voluntas perfectiſſima eſt legum omnium norma. Neque enim ideo à lege immunis eſt Deus quod eum delectet effrenis poteſtas: ſed quia in perfectione tantæ juſtitiæ nulla lege opus eſt. Etſi autem excuſatio quam afferunt nonnulli, rationis colore non prorſus caret, duriſſimos labores quos tyrannice exegerant Ægyptii, aliqua mercede fuiſſe dignos; & ideo jure Deum ſuis permiſiſſe ut compenſationem exigerent, quæ injuſte alioqui eſſent fraudati: ad hæc tamen argutias confugere neceſſe non eſt: quia ſufficere debet principium illud quod alibi poſuimus, Deum in cujus manu ſunt fines terræ, pro ſuo arbitrio diſſipare & evertere regna, & mutare gentium ditiones, nedum privatas divitias & ſupellectilem ita partiri ut alios locupletet, alios ad inopiam redigat. Dives & pauper (inquit Solomo) mutuo ſibi occurrunt: utrumque Deus creavit. Quibus verbis ſignificat, in diverſa permixtione pauperum & divitum regnare Dei providentiam. Quod ſi furtum ablatio eſt rei alienæ: quæ Deo placuit ad ſuos transferre, aliena cenſeri non debent. Quod ſi jure belli victoribus licet ſpolia ex hoſtibus colligere, cur minus liceat Deo putabimus in Ægyptios, quos decem inſignibus prælüis vicerat, antequam ad deditionem cogeret? Jam de prætextu commodato petendi facilis eſt reſponſio. Neque enim mentitæ ſunt Iſraëlitiæ fœminæ, vaſa in uſum ſacrificandi rogando: quoniam ſic præceperat Deus, in cujus poteſtate fuit illa deinde in alios uſus deſtinare. Et tamen pars Sanctuario dicata fuit, ut alibi videbimus. Nam præter altare, thuribulum & candelabrum, aliaque vaſa ejus generis, ſinguläe tribus phialas & pateras magni pretii obtulerunt. Meminerimus tamen ſingulare exemplum hic narrari, cujus, abſque ſpeciali Dei mandato, perverſa imitatio eſſet.

Prov. 22. verſ. 2.

3. *Et dabit Jehova gratiam.*] Quia nunquam ſperaſſent Iſraëlitæ tam faciles erga ſe & benignos fore Ægyptios, quorum prius rapinis exinaniti fuerant, pronunciat Moſes huc & illuc à Deo flecti hominum corda. Nam ſicuti teſtatur Pſalmus impulſos fuiſſe Ægyptios à Deo in odium populi, ut viam magnificæ liberationi pararet: ita rurſum potuit in contrariam partem inclinare, ut comiter porrigerent quæ prius aſpere negaſſent non ſine minis & verberibus. Doctrina apprime cognitu utilis: quia ubi duriter in nos ſæviunt homines, ad tolerantiam nos erudit, dum ſcimus libidinem improborum non ita graſſari quin per ipſos Deus peccata noſtra caſtiget, noſque exerceat, vel humiliet. Eadem quoque non parvo ſolatio mitigat dolores noſtros, & ad Deum invocandum opportune nos ſollicitat, ut à feritate & ſævitia hoſtium noſtrorum animos ad humanitatem convertat. Hoc piis omnibus ſemper fuiſſe perſuaſum, ex pluribus locis conſtat. Atque ex communi more haud dubie ille ſermo Jacob ad filios, Dabit vobis Deus gratiam in oculis viri illius. Sed quia talibus teſtimoniis referta eſt Scriptura, unum illud citaſſe ſufficiat. Cæterum non ſemper Deus Spiritu regenerationis ad manſuetudinem format homines, ut ex lupis agni reddantur: ſed interdum neſcientes occulto inſtinctu ad breve tempus emollit: ſicuti de Ægyptiis hic legimus. In ſecundo membro verſus, ubi dicitur, Etiam vir ille Moſes &c. notatur inferior & ſubalterna cauſa, quæ tam ad flectendos Ægyptios valuit quam ad Iſraëlitas animandos, ut reverenter utrique illius dictis morem gererent. Etſi enim ſola Dei virtute tota hæc res guberuata fuit, non tamen ſimpliciter egit per ſeipſum: ſed quia Moſen elegerat miniſtrum, aliquas ei partes attribuit. Hinc veneratio quæ tam Ægyptios quam Iſraëlitas reddidit obſequentes, ne vanus eſſet ejus labor. De ſola quidem gente Ægyptiaca loquitur: (poſtquam enim poſuit terram ipſam, ſubnectit duas partes, ſervos Pharaonis, hoc eſt, proceres & aulicos, deinde vulgus promiſcuum. Sic enim interpretor populi nomen præſenti loco) ſed paulo poſt videbimus, apud Iſraëlitas quoque profuiſſe miracula, ut libentius crederent & parerent. Docet autem hic locus, ſæpe in honore & pretio eſſe Dei ſervos, ubi tamen fides non habetur eorum doctrinæ. Quamvis enim Moſen revereantur & magnifi-

Pſal. 105. verſ. 25.

Geneſ. 43. verſ. 14.

gnificant Ægyptii, non ideo ad ſtudium pietatis inclinant. Ita & Deum ipſum particulari affectu ſæpe metuunt impii, neque tamen ſe ejus imperio addicunt.

5. *Et dixit Moſes, Sic dicit Jehova.*] Diu nuper non ante digreſſum fuiſſe Moſen à Pharaone donec ultimæ cladis nuncium pertuliſſet. Hæc igitur denunciatio cum ſuperiore ſermone uno tractu contexta fuit. Unde apparet quam intrepide exceperit Moſes tyranni minas dum ultro occurrit, & ablentis ſe victorem proxima nocte fore gloriatur cæde primogeniti filii. Nec dubium eſt quin terrore obſtupefactus fuerit Pharao, ut tam aſpere repulſus ſalvum dimiſerit Prophetam. Certe ut acerbiſſimum doloris vulnus inflixit tam libera comminatio, ita furioſi tyranni crudelitatem accendere potuit, niſi idem Deus qui ſervum ſuum inſtruxerat admirabili conſtantia, impetum ſævæ beſtiæ fregiſſet. Cæterum cur Deus pœnam de filiis exigens, patres, quorum gravior erat culpa, in aliud tempus diſtulerit: cur etiam vindictam exercens in bruta animalia, pepercerit hominibus: noſtrum non eſt curioſius diſputare: quia Deo, cujus incomprehenſibilis ſapientia ſenſus omnes humanos abſorbet, præſcribere nefas eſt quem in judiciis ſuis tenere debeat modum. Certe pueros & beſtias ad ſupplicium trahendo, palam repræſentavit ſceleſtis potentiæ ſuæ contemptoribus quid ipſi eſſent meriti. In primo gradu pœnæ ſtatuitur Pharaonis primogenitus, qui futurus erat regni ſucceſſor: deinde adjungitur tota plebs ignobilis. Nam ancillæ quæ molas truſatiles verſabant, infimum tenebant locum & contemptiſſimum: ſicuti apparet non ſolum ex veteribus Poëtis, ſed ipſius Scripturæ teſtimonio. Si quibus placeat analogia inter hanc plagam & injuſtam tyrannidem, qua filium Dei primogenitum affligebant Ægyptii, non repugno. Rurſus autem inter Ægyptios & populum ſuum diſcernit Deus, ubi in maximo illorum tumultu hunc quietum & tranquillum fore aſſerit. Huc enim pertinet figura, Non movebit canis linguam ſuam: quia minimos quoſque nocturnos motus ſolent excipere canes ſuo latratu. Porro etſi non ſemper appareat talis diſcretio inter fideles & incredulos, quin potius utroſque ſimul pares involvunt pœnæ, ipſo tamen exitu longa diſtantia ſeparat Deus alios ab aliis. Itaque hæc felicitas excidere nobis nunquam poteſt, quod ſcimus miſerias quaslibet nobis in ſalutem cedere, quos ſemel beneplacito ſuo complexus eſt.

1 Sam. 8. verſ. 16.

8. *Deſcendentque omnes hi ſervi.*] Hactenus verba Dei retulit Moſes: nunc in perſona ſua loqui incipit, ac denunciat, juſſu Pharaonis venturos ea aula nuncios, qui ultro & ſuppliciter poſtulent quod negabat ille de exitu. Hæc tanta verborum aſperitas non leviter fauciavit tyranni animum. Tantundem enim fuit acſi dixiſſet, Hactenus tibi fruſtra ſupplicavi ut populum Dei abire ſineres; nunc, velis nolis, libere eabo, neque tamen niſi abs te & tuis rogatus. Summi enim beneficii loco ducet quod nunc tibi eſt intolerabile. Quod deinde narrat, ſe exiiſſe in excandeſcentia iræ, vel ira vehementi; hinc colligimus Dei ſervos, etiam quum probe & fideliter officium ſuum exercent, ſcelerum indignitate ſic offendi ut minime vacui ſint iracundiæ affectu. Nec vero dubium eſt quin Spiritus impulſu ita efferbuerit Moſes. Verum, ut natura ſumus nimium præcipites ad impetuoſos affectus, diligenter cavendum eſt ne indignatio modum excedat. Zelum hunc cujus fit mentio, accendit Spiritus in corde Moſis, ſed ſimul moderatus eſt, ne qua admiſta eſſet paſſio turbulenta. Quoniam vero fieri poteſt ac ſæpe contingit ut fideles, dum feruntur pio zelo, non ſatis tamen ſibi temperent, nec ſe contineant intra fines, petendus eſt à Deo manſuetudinis & rectitudinis Spiritus, qui omnes excelſus frenet. Documento tamen eſt ira Moſis, Deum nolle nos ſegniter aut frigide exequi quas mandat partes: ideoque nihil magis præpoſterum Cynicis quibuſdam, qui dum jocoſe & per luſum philoſophantur de pietatis doctrina, & ſuis ludibriis proterviſque dicteriis pungunt ſervos Dei, eorum vehementiam deridet, quæ ſummam potius laudem meretur.

9. *Dixerat autem Jehova ad Moſen.*] Videtur eſſe cauſæ redditio cur tantopere exarſerit Moſes: nempe quia præmonitus fuerat negotium ſibi eſſe cum homine perdito ac deſperato. Ergo ubi poſt tot conflictus videt tyranni audacia & furore ſperni Dei imperium, in ultima dimicatione erumpit gravior indignatio: præſertim quia ante oculos verſatur monſtrum illud deteſtabile, tantum audere vas fictile & teſtaceum ut indomita pervicacia Deum laceſſat. Finem vero tam duræ obſtinationis prædixerat Deus Moſi (quemadmodum ante vidimus) ne toties repulſam paſſus, unquam fatiſceret. Poterat enim alioqui obrepere non levis tentatio, cur Deo placeret cum homine mortali fruſtra confligere. Et abſurdum erat non poſſe cæleſti virtute vel domari, vel corrigi, vel frangi humani cordis duritiem. Pronunciat itaque Deus ſe hoc modo conſulere gloriæ ſuæ, quam illuſtrare velit pluribus miraculis. Ideo proximo verſu rurſum ſubjicit, roboratum ab ipſo Deo fuiſſe cor Pharaonis: quo ſignificat, nonniſi Deo ſciente & volente tanta pervicacia reſtitiſſe tyrannum, quo magis eſſet admirabilis liberatio.

EX Cap. XII. EXODI.

21. Vocavit ergo Moſes omnes ſeniores Iſraël, & dixit ad eos, Extrahite & tollite vobis pecudem pro familiis veſtris, & mactate Peſah.

22. Accipietis quoque faſciculum hyſſopi, & intingetis in ſanguine qui erit in pelvi, & projicietis in ſuperliminare & in utrumque poſtem de ſanguine qui erit in vaſe. Vos autem non egrediemini quiſque ex hoſtio domus ſuæ uſque mane.

23. Et tranſibit Jehova ad percutiendam Ægyptum: ubi autem viderit ſanguinem in ſuperliminari & in duobus poſtibus, tunc tranſiliet Jehova januam illam, neque permittet vaſtatorem ingredi domos veſtras ad percutiendum.

24. Obſervabitis ſermonem hunc in edictum, tibi & filiis tuis uſque in ſeculum.

25. Et quum ingreſſi fueritis terram quam dabit Jehova vobis, ſicut pollicitus eſt, tunc obſervabitis cultum hunc.

26. Et erit quum dixerint vobis filii veſtri, Quis eſt cultus hic veſter?

27. Tunc dicetis, Hæc eſt oblatio Peſah Jehovæ, qui tranſivit domos filiorum Iſraël in Ægypto, quum percuteret Ægyptum, & domos noſtras liberavit. Et incurvavit ſe populus, & adoravit.

28. Abierunt itaque & fecerunt filii Iſraël ſicut præceperat Jehova Moſi & Aharoni: ſic, *inquam*, fecerunt.

Quæ

Quæ ab initio capitis hucusque retulit Moses, quia spectabant ad perpetuam Legis doctrinam, nuncomisi: postea inseram suo loco. Etsi autem hic quoque de Paschatis observatione Deus præcipit, contexere tamen in historia visum fuit: quia non simpliciter hic docet Moses quid Deus seculis omnibus à populo suo servari velit, sed quid semel exegerit narrat. Monendi enim sunt lectores, quædam temporalia esse præcepta, quædam vero perpetua, quorum eadem est cum Lege ratio. Cujus rei dilucidum & familiare exemplum in hoc capite perspicere licet. Hactenus enim expositi Moses quæ legitima esset quotannis per omnes ætates Paschatis observatio: nunc vero historice tantum commemorat, nocte qua egressus est populus, populum celebrasse Pascha ex Dei mandato. Itaque leviter perstringam quæ hic secundo loco repetuntur: quia commodior plenæ explicationis locus erit ubi ventum fuerit ad Legis doctrinam. Vox ipsa פסח transitum significat, non populi, (ut falso multi putarunt) sed Dei ipsius, qui domos Israëlitarum immunes præteriit, quum primogenita occideret in tota Ægypto. Quia ergo ira Dei quæ tunc instar diluvii operuit totam Ægyptum, Israëlitas reliquit intactos, memoriale transitus sui instituit, quo salvi & incolumes fteterant in publica totius regionis clade. Transiisse quidem etiam per Ægyptios dicitur, quos primogenitis orbavit: sed diverso modo, quia electis suis pepercit, acsi procul remoti essent, vel tutis latebris protecti.

21. *Et vocavit Moses seniores.*] Dirigitur peculiariter sermo ad seniores, quem deinde in vulgus proferant. Neque enim simul exaudiri poterat in tanta multitudine. Quamvis autem fœda esset populi dissipatio sub dira illa tyrannide, voluit tamen Deus aliquas ordinis reliquias manere, nec passus est omni gubernatione destitui quos sibi adoptaverat. Valuit etiam hæc ratio ad fovendam unitatem, ne electum Abrahæ semen diffluereet. Hic autem tantum differit Moses de sanguinis aspersione: quia de esu agni jam concionatus fuerat. Jubet ergo fasciculos hyssopi intingi sanguine quivasè exceptus fuerit, & ita cujusque superius limen & ambos postes aspergi. Quo signo testatus est Deus se à communi interitu eripere populum, quia sanguinis nota discerneretur ab impiis. Nam Israëlitas commonefieri oportuit, primum sacrificii expiatione se eximi à plaga, & domos suas servari intactas: deinde ita sibi sacrificium prodesse si ejus insigne conspicuum apud ipsos extaret. Alibi videmus agnum Paschalem typum fuisse Christi, qui morte sua Patrem nobis placavit, ne pereamus cum reliquo mundo. Sed jam olim voluit sub Lege veteribus testatum facere, se non aliter illis esse propitium quam victimæ immolatione. Minime vero dubium est quin visibili hoc symbolo mentes eorum extulerit ad verum & cæleste exemplar, quod à Legalibus ceremoniis separare absurdum esset ac nefas. Quid enim magis puerile quam sanguinem pecudis opponere adversus Dei manum, vel inde petere salutis materiam? Ostendit ergo Deus non alio quam sacrificii respectu se Israëlitis parcere. Unde sequitur, sub hoc ritu propositam illis fuisse Christi mortem, quæ sola discrimen statuebat inter ipsos & Ægyptios. Verum simul docuit nullum ex fuso sanguine sperandum esse fructum absque aspersione. Non quod externa & visibilis asperso quicquam utilitatis afferat, sed quia familiari ritu utile fuit rudes quasi in rem præsentem adduci, ut spiritualiter implendum esse sciant quod subjicitur eorum oculis. Sanguine Christi animas nostras per Spiritum aspergi, ex Petro notum est. Hujus rei propositæ fuit imago in fasciculo hyssopi: quæ herba eximia vi purgandi pollet, ideoque & aliis sacrificiis adhibita fuit, ut postea suis locis videbimus. *1 Petr. 1. vers. 2.*

23. *Et transibit Jehova.*] Vetat nocte egredi, ne se permisceant Ægyptiis, sed quieti deliteant sub sanguine. Quo signo admoniti fuerunt se quoque expositos esse exitio, nisi sanguine protecti, ab incredulis se disjungerent. Postea additur promissio, modo se contineant sub custodia sanguinis, transiturum Angelum ne quid noxæ infligat: quia Deus ædes ita signatas pro suis agnoscet. Quo iterum repetitur illud, eos demum salvos fore sanguinis beneficio, qui eo se aspergere non neglexerint: quia sola fides salutem hostiæ mactatione partam nobis confert. Vastator hic indubie vocatur Angelus, quem Deus affligendæ Ægypto præfecerat. Etsi autem sæpe per malos Angelos exequitur sua judicia, colligitur tamen ex aliis locis hunc fuisse unum ex electis, qui & idem sub Christo capite liberationis populi minister fuit.

25. *Quum ingressi fueritis terram.*] Nunc adjungit ritum fore annuum, ne unquam intercidat tam singularis gratiæ memoria. Sed quoniam mandatum datur de continua Sabbathi observatione, ejus explicationem in alium locum magis opportunum differo. Nisi quod in transcursu notandum est, signo annecti beneficii prædicationem: quia alioqui frigida & insulsa fuisset actio. Patres ergo vult Deus præconnes esse apud filios, ut redemptionis cognitio per manus tradita in omnes ætates vigeat. Nomen עבד perperam quidam interpretati sunt Opus, quia potius fumitur pro cultu: sicuti plurimis locis Deo servire tantundem valet atque ipsum colere. Et nos Gallice, quicquid ad pietatis exercitia pertinet, servitium Dei vocamus. Tandem subjicit Moses, populum solenni adoratione professum esse fidem & obedientiam. Hoc quidem jam à principio fecerant, sed parum constanter: quia rebus adversis turbati, ab officio defecerant. Nunc ergo corrigunt illam ingratitudinis culpam. Ideo non tantum capitis gestu declarant, sed re ipsa comprobant serium suum affectum. Diserte enim exprimitur, fedulo fecisse quicquid mandatum erat.

29. Et factum est in medio noctis ut percuteret Jehova omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis sedente super solium ejus, ad primogenitum captivi qui erat in carcere: & omne primogenitum bestiæ.

30. Surrexit ergo Pharao nocte, ipse & omnes servi ejus, & omnes Ægyptii: fuitque clamor magnus in Ægypto, quoniam nulla erat domus ubi non esset mortuus.

31. Vocavitque Mosen & Aharon nocte, & ait, Surgite, & exite è medio populi mei tam vos quam filii Israël: ite, & servite Jehovæ secundum sermonem vestrum.

32. Etiam greges vestros, etiam armenta vestra accipite, sicuti dixistis: & ite, ac benedicite etiam mihi.

33. Et vehementer instabant Ægyptii ergà populum ut festinanter eos emitterent è terra: quia dicebant, Omnes sumus mortui.

34. Tulit ergo populus conspersionem suam antequam fermentaretur, cibos suos ligatos in vestibus super humerum suum.

35. Fecerunt autem filii Israël secundum sermonem Mosis, ut postularent ab Ægyptiis vasa argentea, & vasa aurea, & vestes.

36. Et

36. Et dedit Jehova gratiam populo in oculis Ægyptiorum, & commodaverunt eis: itaque spoliarunt Ægyptios.

37. Profectique sunt filii Israël è Rameses in Sucoth circiter sexcenta millia peditum & *quidem* virorum, præter parvulos.

38. Atque etiam mixtio multa ascendit cum eis, & pecudes & boves, pecus copiosum valde.

39. Et coxerunt conspersionem quam extulerant ex Ægypto, placentas infermentatas: quia non erat fermentatum, eo quod ejecti fuissent ex Ægypto, nec potuissent morari, ideoque cibum non paraverant sibi.

29. *Et factum est in medio noctis.*] Ne obscura sit in hoc miraculo Dei manus tam in servando populo, quam in exercenda contra Ægyptios vindicta, ejus virtutem multis circumstantiis illustrat Moses. Nam & media nocte stragem editam fuisse narrat: quod tempus à Deo fuerat præfixum. Deinde addit, primogenitos omnes fuisse percussos, à filio regis usque ad filium servi qui erat in carcere. Nam proverbiali figura contemptissimos sic vocat, quum prius dixisset, Usque ad filium ancillæ quæ molam versat in pistrino. Fieri enim aliter quam singulari miraculo non potuit ut singulas domos sine exceptione hæc clades affligeret eadem hora, præsertim quum ad pecora usque grassata sit. Tertio commemorat, uno momento expergefactos fuisse omnes Ægyptios, & manifeste convictos esse ut scirent Deum Israëlis sibi esse infestum. Quarto, Pharaonem suppliciter rogasse ut Moses celeriter populum educeret: imo etiam importune coëgisse. Nec tamen claris adeo & solidis documentis cohibita fuit quorundam improbitas & petulantia quin suis mendaciis hoc memorabile Dei opus obruere conati sint. Satis superque notæ sunt calumniæ quas refutat Josephus contra Appionem grammaticum: & apparet ex Justino, passim receptas fuisse. Nec vero mirum est diabolum quibuscunque potuit artificiis incubuisse, ut varias fabulas miscendo, ex animis hominum deleret Ecclesiæ redemptionem. Sed in hoc quoque enituit admirabile Dei consilium, quod facilitas harum nugarum, quamvis nemo coarguat, per se evanescit. Forte non fuit profanis scriptoribus propositum mentiri, quum frivolas ineptias de Judæis retulerunt. Voluit enim haud dubie Strabo veram de origine Circumcisionis historiam tradere, quum stulte fabulatus est & sine colore. Nec vero Cornelius Tacitus, quamvis maligno & virulento animo scriberet, pudorem suum data opera prostituit. Sed quum Satanæ impulsu obscurarent Dei gloriam, cæcitate & amentia percussi sunt, ut à pueris quoque deprehendi queat ridicula ipsorum vanitas. ex qua tamen elicere quasdam veritatis scintillas licet: quia passus non est Deus tam memorabile opus suum prorsus extingui, cujus præcones fuerunt cæci illi, quorum opera ad suffocandam ejus memoriam usus est diabolus.

31. *Vocavitque Mosen.*] Non est probabile servos Dei fuisse accersitos ut rursus venirent in regis conspectum: sed ex prædictionne Mosis petendus est hujus loci sensus. Vocasse igitur dicitur Pharao, quos missis aulicis proceribus, ad discessum compulit. Quod etiam contextus satis probat: quia paulo post subjicitur, violenter coactos fuisse Israëlitas ab Ægyptiis ad subitum discessum. Quamvis ergo Mosen nunquam viderit Pharao ex quo malum minatus fuerat si rursus ad se veniret, nihil tamen absurdi si dicitur ad se vocasse, dum pro imperio suos proceres ad eum ablegavit. Cæterum hominis anxii & trepidi perturbatio ad vivum exprimitur his verbis, Surgite, egredimini, etiam vos, etiam filii vestri, ite, colite Jehovam: etiam pecora vestra, etiam boves vestros accipite, sicut loquuti estis. Neque enim minus attente cavet ne quid remoræ sua conclatione ingerat, quam ante solerat fuerat ad licitandum. Dum ergo festinanter abscindit omnes exceptiones, hinc se prodit hominis mutatio, quia ferreum pectus idem Deus qui antea obduraverat, nunc confregit. Hinc etiam clamor ille desperationis index, Omnes sumus mortui: hinc facilitas in danda ultro supellectile, ut spoliis ornent quos ante expilaverant. Neque enim frustra repetit, à cælesti instinctu manasse hunc favorem: quia nunquam tanta in prædonibus fuisset liberalitas ut ultro proferrent quicquid erat domi pretiosum, & filiis Israël porrigerent jam ad profectionem accinctis, quos sciebant ob tot injurias jure sibi esse infestos. Ut autem ita propensi essent filii Israël ad parendum, qui prius vel tardi, vel inconstantes, vel morosi, vel præfracti fuerant, Spiritus directione factum est, quæ momento corda eorum flexit: ut optime novit Deus omnes opportune agendi articulos.

37. *Profectique sunt.*] Quanquam latius fuisse dispersos credibile est, quum regio illa tantam multitudinem capere non posset, præsertim quum simul habitarent Ægyptii: quia tamen superstes manebat promissionis memoria, unde spes aliqua redemptionis semper apud eos residua erat, non mirum est si cum magno incommodo angustiis constringi maluerint quam alias sedes quærendo discedere à corpore. Proprium quidem hoc fuisse gentis domicilium etiam ex superioribus patet, ubi narravit Moses ad serviles operas fuisse coactos, ut extruerent illic urbes munitas, quæ scilicet eos includerent quasi sub custodia. In numero hominum quem recenset, incredibile gratiæ Dei miraculum commendat in augenda & propaganda sobole. Ita refutatur impiorum protervia, qui sibi ad sublannandi materiam sufficere putant, non potuisse naturaliter tam exiguo tempore ingentem populum emergere ex una domo. Itaque plenis buccis sacrilegos suos risus evomunt. Quasi vero simpliciter narret Moses quid contigerit, ac non potius singularem Dei potentiam extollat in augenda repente Ecclesia. Atqui scimus non magis difficile fuisse totius mundi opifici in una gente multiplicanda superare naturæ ordinem, quam à primo exordio ex viro uno & muliere repente producere multos populos: deinde post diluvium miris incrementis reparare humanum genus. Jam hæc peculiaris Ecclesiæ conditio est, ut in ea gignenda & servanda insolitam virtutem Deus exerat, ut à communi hominum ratione separetur. Etsi enim peregrinatur in terra, cælestis tamen quodammodo ejus natura est, ut clarius in ea refulgeat opus Dei. Itaque nihil mirum si præter usitatum morem quasi ex nihilo emergat, si crescat eodem modo, & continuos faciat progressus. Tale etiam exemplar nobis pingit Paulus 4. ad Rom. capite in Abrahæ persona. Sicuti vero stuporem suum in scelesta audacia produnt impii Dei contemptores, qui ex suo sensu & communi ratione æstimant hoc Dei opus: ita rursum ineptiunt qui studeat Philosophicis rationibus Mosen defendere: cujus longe diversum fuit consilium, nempe ut doceret non fuisse promissiones irritas, Multiplicabo semen tuum instar arenæ maris & stellarum cæli: quarum effectus humano captu superior erat. *Gen. 12. vers. 2. & 15: 5.*

38. *Atque etiam mixtio multa.*] Quamvis multos servos

ſervos poſſederit Abraham, vix tamen probabile eſt Jacob aliam in fame aluiſſe familiam quam proprios liberos: quibus etiam alendis vix ſufficere poterat, ne omnes conficeret inedia. Certe quum Moſes in Ægyptum veniſſe narrans, ſervorum non meminit, conjicere licet non magnam traxiſſe turbam: quia neceſſitas cogebat ſaltem paucis contentum eſſe. Unde colligitur promiſcuum vulgus quod ſe Iſraëlitis adjunxit, vel oriundum fuiſſe ex Ægypto, vel illuc habitandi cauſa migraſſe ex vicinis regionibus. Sicuti fertiles terræ copiæ dulcedine multos advenas ad ſe alliciunt. Idem non legitur Nehemiæ 13. ubi dicitur ſegregatam fuiſſe profanam multitudinem à genuinis Iſraëlitis, ne promiſcue eundem omnes gradum ſibi arrogarent, atque ita confuſo delectu Eccleſia polluëretur. Si cui autem abſordum videtur, profanos homines, nulla ſpe meliore propoſita, ſponte deſeruiſſe commodam & opimam habitationem, ut vagi & palantes novas ſedes quærerent: cogitet tot cladibus tunc afflictam fuiſſe Ægyptum ut ſua deformitate & inopia ſuos accolas facile abigere potuerit. Magna pars peccoris interiërat, fruges omnes erant corruptæ, agri vaſtati, & prope deſerti: non mirum igitur ſi multos inquilinos & aliquos etiam ex indigenis deſperatio in fugam compulerit. Fieri etiam poteſt ut inhumaniter tractati, patefacta ad libertatem via, jugum tyrannidis exeuſſerint. Etſi autem Deus facilem exitum populo ſuo dedit, non tamen exire voluit prorſus abſque omni moleſtia. Neque enim ſaturi vel lante cœnati diſcedunt: ſed coguntur in ſacculis incoctas ſubactæ farinæ maſſas ferre, ut panem uſtulatum vel ſub pruis toſtum in itinere comedant. Quo exemplo docemur, beneficia Dei quibuſdam incommodis ſemper aſpergi, ne piorum animos nimiæ deliciæ corrumpant.

40. Habitatio autem filiorum Iſraël, qua habitaverunt in Ægypto, triginta fuerunt anni & quadringenti anni.

41. Factumque eſt à fine triginta & quadringentorum annorum, ipſa eadem die egreſſi ſunt omnes exercitus Jehovæ è terra Ægypti.

42. Nox * obſervabilis hæc eſt Jehovæ, qua eduxit eos è terra Ægypti: nox *inquam* hæc obſervanda eſt Jehovæ apud omnes filios Iſraël per ætates ſuas.

* *Hebr. obſervationum, vel cuſtodiarum.*

VERSUS L. & LI. CAPITIS XII.

50. Et fecerunt omnes filii Iſraël: ſicuti præceperat Jehova Moſi & Aharon, ſic fecerunt.

51. Et factum eſt ut ipſa eadem die educeret Jehova filios Iſraël è terra Ægypti per exercitus ſuos.

40. *Habitatio autem filiorum Iſraël.*] Initium hujus temporis non ſumitur à deſcenſu Jacob, quia ex aliis locis clare patet, ex quo Jacob Ægyptum ingreſſus eſt, uſque ad exitum, non fluxiſſe ad ſummum ultra annos ducentos & triginta. Hebræi communiter tantum decem recenſent: ſed Moſes tempus etiam illud comprehendit quo Abraham & ejus filii poſſeſſione terræ promiſſæ caruerunt. Senſus eſt igitur, ex quo terræ Chanaan hæreditas Abrahæ data fuerat, ſuſpenſam fuiſſe promiſſionem annis quadringentis, antequam jure ſuo fruerentur ejus poſteri. Nam & Paulus hunc nodum ita expedit 4. ad Galatas capite: ubi dicit, antequam Lex promulgaretur, Deum annis 400 & 30 fœdus ſuum pepigiſſe cum Abraham. Ergo temporis initium ſumit Moſes à peregrinatione Abrahæ, quum tamen dominus eſſet terræ Chanaan juſto donationis titulo. Quod autem Geneſ. 15. capite, omittit Deus triginta annos, in eo nihil eſt repugnantiæ: quia jam pluribus ante annis promiſſa fuerat Abrahæ terra, in qua tamen vix peregrinari licebat, tantum abeſt ut ejus imperium teneret. Admonet igitur Deus, reſtare adhuc quadringentos annos, antequam ejus abnepotes in poſſeſſionem mittat: ideoque non ſufficere ad probationem patientiæ ejus exiguum illud tempus quod tranſegerat, ſed tam ipſi quam poſteris opus eſſe ſingulari conſtantia, ne longioris moræ tædio deficeret. Porro quod exacte annos non numerat, à communi loquendi uſu non diſſidet. Reſtabant quidem plures anni quam quadriogenti, nempe viginti, vel circiter: ſed quia non aliud Deo propoſitum eſt quam ſuos bortari ad tulerantiam, non ſupputat vel definit tempus ad certum annorum numerum: quia ſatis erat quadringentos annos in ſumma illis proponi. Eodem ſenſu additur proximo verſu, A fine triginta & quadringentorum annorum: nempe ex quo cœperat Abraham legitimus eſſe terræ dominus. Docere enim vult Moſes, quantumvis longo tempore diſtulerit promiſſionis ſuæ effectum Deus, tamen ejus veritatem & conſtantiam certo probari, non modo quia fideliter præſtiterit quod pollicitus fuerat, ſed quia tempus præfixum ſervaverit. Honorifico autem elogio populum, licet imbellem, appellat Dei Exercitus, tam ut vim benedictionis in ipſa multiplicatione iterum commendet, quam ut ſuis inſignibus decoret Dei gratiam in regenda & ordinanda illa turba. Quamvis ad obſequium aſſuefacti ſint milites, ac uſu didicerint ordines ſervare, adſint præfecti, tribuni, centuriones, denique eminеant vexilla, tamen difficillimum eſt exercitum viginti aut triginta millium noctu educere, compoſito agmine, & ſine tumultu: quantum igitur miraculum fuit, ſexcenta virorum millia, cum mulieribus, pueris, magna ſupellectile, armentis & gregibus pecudum, aliiſque impedimentis, noctu pergere per medios hoſtes, & omnes ad unum uſque ſalvos egredi? Eadem ratione ultimo hujus capitis verſu repetit Moſes, filios Iſraël Dei manu fuiſſe eductos per ſuos exercitus: quaſi diceret in illa ingenti multitudine nihil fuiſſe confuſum, quia Deus mirifica ſua virtute optimi ducis partes implebat.

42. *Nox obſervabilis.*] Docet, merito fieri ut Iſraëlitæ ſolenni ritu per continuas ætates quotannis ſacrificent Deo, ac celebrent memoriam noctis illius: ideoque inſtitutum Paſcha ut ſuam gratitudinem teſtentur. Fuit autem perquam utilis hæc admonitio, ut Iſraëlitæ legitimum ſolennis & feſti diei uſum tenerent: ne frigeret apud eos ceremonia, ut plerumque fieri ſolet: quin potius utiliter & cum pietatis profectu ſe exercerent in redemptionis ſuæ ſymbolo. Simul tam inæſtimabile beneficium non uno tantum ſeculo celebrandum eſſe docet, vel duobus aut tribus ſeculis: ſed quamdiu ſuperſtes erit populus, æterna recordatione dignum eſſe; &, ne unquam obſolefcat, ſancte colendum eſſe Paſcha. Porro notandum eſt ætates veteris populi Chriſti adventu finitas eſſe: quia renovato Eccleſiæ ſtatu, & exteris gentibus in idem corpus collectis, ceſſarunt Legis umbræ.

50. *Et fecerunt omnes filii.*] Refertur hoc præcipue ad mactationem agni Paſchalis cum ſuis appendicibus. Quanquam non inficior alia etiam notari quæ ad ſubitam profectionem ſpectabant. Porro non tam laudatur eorum promptitudo & alacritas,

quam admirabilis Dei virtus in formandis cordibus ipsorum, manibusque gubernandis, ut in noctis caligine, inter maximos ſtrepitus, in præcipiti feſtinatione, nulla re ſatis parata, tam dextri eſſent & agiles. Interim tamen ex populi obſequio colligit Moſes nihil geſtum eſſe niſi Dei imperio & ductu. Unde certius liquet ipſum fuiſſe unicum liberationis auctorem.

EX Cap. XIII.

17. Factum eſt autem quum emitteret Pharao populum, ut non duceret eos Deus per viam terræ Philiſthim, quia propinqua erat. Nam dixit Deus, Ne forte pœniteat populum quum viderint prælium, & revertantur in Ægyptum.

18. Circumduxit ergo Deus populum per viam deſerti, per mare Rubrum: & diſpoſiti aſcenderunt filii Iſraël è terra Ægypti.

19. Et tulit Moſes oſſa Joſeph ſecum. Adjurando enim adjuraverat filios Iſraël, dicendo, Viſitando viſitabit vos Deus, & tolletis oſſa mea hinc vobiſcum.

20. Itaque profecti ſunt è Suchoth, & caſtrametati ſunt in Ethan, in extremitate deſerti.

21. Jehova autem præcedebat eos interdiu in columna nubis, ut deduceret eos per viam: noctu vero in columna ignis, ut luceret eis, ut ambularent diu & noctu.

22. Non abſtulit columnam nubis interdiu, neque columnam ignis noctu à facie populi.

17. *Factum eſt autem quum emitteret.*] Hic Moſes cauſam aſſignat cur Deus non rectioris viæ compendio populum ſtatim adduxerit in terram Chanaan, quod ei perinde facile erat: ſed per deſertum, itinere longo, difficili & aſpero circumducere maluerit, ne ſcilicet viæ facilitas eorum animos retraheret in Ægyptum, ſi forte eum hoſtibus pugnandum foret. Scimus quanta fuerit populi illius inertia & mollities, ſimulac objectum erat aliquod diſcrimen: quanta levitate ſubinde à Dei imperio deficiverint, quoties plus oneris impoſitum erat quam vellent. Scimus quam ſæpe eos pœnituerit quod Deum ſequuti eſſent ducem: atque ita ſua ingratitudine oblatam ſibi gratiam abjicere parati fuerint. Quum ergo nullo pollerent armorum uſu, ſed prorſus expertes eſſent militaris ſcientiæ, quibus animis congreſſi fuiſſent cum hoſtibus, ſi qui paucis diebus poſt exitum obviam prodiiſſent? Certe nunquam congreſſum unum ſuſtinuiſſent: quin potius Ægyptiis ſe addicere parati fuiſſent, petita ſuppliciter venia. Ergo ne qua redeundi cupiditas eorum cordibus obreperet, voluit Deus aſperitate viæ clauſtra illis opponere poſt tergum. Adde quod, ſi ex Ægypto egreſſi mox incolas terræ Chanaan bello aggreſſi eſſent, difficilior inſtabat moles: quia minime ceſſaſſent Ægyptii, ſed adjuti tot populorum ſubſidiis & copiis, ulciſci ſe tentaſſent, pactiſque hinc inde fœderibus, illaqueati fuiſſent miſeri Iſraëlitæ. Optime ergo illis conſuluit Deus, quod per invia eos trahens, longa fatigatione januam illis clauſit, ne unquam appeterent in Ægyptum redire: deinde paulatim fiduciam illis addidit, antequam ad pugnam ventum eſſet, ac ſubeundi hoſtium impetus. Poterat quidem Deus his etiam omnibus malis aliter occurrere, fateor: ſed quia humanitus ſæpe cum ſuis agere ſolet, rationem ſequi voluit quæ populi infirmitati eſſet commodior. Hoc admirabile ejus conſilium nunc commendat Moſes, ut ſciamus nihil ab eo prætermiſſum quod eſſet ex ſalute vel utilitate populi. Nam iſtud Dicere Dei, cujus meminit, ad providentiam refertur: quaſi diceret tranſitum faciliorem & magis tritum non temere fuiſſe poſthabitum, ſed conſulto obviam itum fuiſſe tentationi, quia Deus ſic expedire noverat.

18. *Et diſpoſiti aſcenderunt.*] Vox חמשים à Quinque deducitur. unde quidam commenti ſunt quinque armorum generibus fuiſſe inſtructos: ſed nimis abſurde. Hebræi, quia nihil melius vel probabilius excogitare poterant, uno fere conſenſu volunt intelligis, armatos fuiſſe ſub quinta coſta. Sed unde Iſraëlitis in promptu tot loricæ militares? Ego vero, repudiato tam coacto & remoto ſenſu, non dubito numerale eſſe nomen: acſi dixiſſet Moſes, quinos diſpoſita ſerie fuiſſe profectos: quia ſi quiſque in turba perrumpere tentaſſet, quiſque fratribus fuiſſet obſtaculo. Ideo vertere placuit Diſpoſitos. Quod de quinta generatione imaginati ſunt Græci, à præſenti narratione longe alienum eſt. In ſenſu autem quem attuli, nihil obſcurum, vel dubium: quia facile apparet Dei gratiam hac quoque parte celebrari, quod populum ſuum ordinate duxerit. Nam etſi tumultuarie egreſſi ſunt ac trepide, Deus tamen quaſi ſub vexillo vel manipulis eos continuit, ne qua accideret perturbatio.

19. *Et tulit Moſes oſſa Joſeph ſecum.*] Hinc apparet, in rebus adverſis populi nunquam tamen excidiſſe memoriam promiſſæ redemptionis. Niſi enim communi omnium ſermone celebris fuiſſet obteſtatio Joſeph, nihil de ea conjicere poterat Moſes. At qui diſerte exprimit, mandato ſanctis Patriarchæ ſe morem geſſiſſe in aſportandis ejus oſſibus. Probabile igitur eſt ſic fuiſſe recondita ut tamen capſulæ vel urnæ aſpectu ſpes populi quotidie renovaretur, acſi ſanctus vir poſt mortem ſuam è ſepulchro liberationis ſignum proferret. Quamvis enim hoc ſymbolo fidem ſuam in corde aluerit, quum voluit etiam mortuus terræ poſſeſſionem adire: non dubium tamen eſt quin magis reſpexerit fratres ſuos & totam poſteritatem ſancti generis. Nam expertus eorum ſegnitiem & imbecillas fidei vires, merito timebat ne longiore temporis tractu magis ac magis flacceſcerent, ac tandem promiſſione contempta, totos ſe darent ad torporem. Et certe hæc diffidentia eum compulit ut ſimplici præcepto non contentus, jurejurando obſtringeret eorum animos. Reliquos etiam undecim filios Jacob videtur Stephanus Actorum 7. aſſerere ſepultos fuiſſe pariter in Sichem. & conjectura verisimilis eſt, exemplo fratris ſui Joſeph inductos fuiſſe ad piam æmulationem. Certe in aridis oſſibus fides mortui Joſeph ſonore ad poſteros concionata eſt de liberatione promiſſa, ne diuturno tædio langueſcerent: & quum eductі tandem ſunt Iſraëlitæ, duodecim Patriarcharum oſſa vel cineres totidem ſuerunt quaſi vexilliferi, qui ſingulas Tribus ad erigendam fiduciam præirent. Quo magis deteſtabilis fuit totius populi ſocordia, qui toties in itinere turpiter terga vertit, quum in conſpectu eſſet tam inſignis fiduciæ materia. Quæ Moſes referens ejus verba, Viſitando viſitabit vos, &c. dictum illud Apoſtoli confirmant, morientem fide mandaſſe de oſſibus ſuis transferendis: quia, ut gentem ſuam horteretur ad amplexandam promiſſionem, quaſi ſponſoris ſuſcipit perſonam & munus. Ab hoc uſu quantum diſcrepet ſtulta Papiſtarum in colondis Sanctorum

Ebr. 11. 22.
verſ.

rum reliquiis superstitio, hinc facile colligiturquod data opera ansas captant quibus longissime abstrahantur à Dei verbo.

21. *Præcedebat eos Jehova.*] Hic alteram Dei gratiam prædicat Moses, quod Deus populo redempto perpetuus fuerit dux ac præses. Sicut etiam Prophetа in Psalmo utrumque distincte commemorat. Ac miræ humanitatis fuit, quod illorum ruditati se accommodans, familiariter versatus sit ante eorum oculos. Poterat quidem alio modo eos ab æstu Solis protegere, & dirigere inter noctis tenebras: sed quo manifestior esset ejus potentia, ocularem ejus præsentiam simul addere voluit, quæ dubitationem omnem eximeret. Etsi autem videntur Mosis verba Deum quodammodo in nube includere, notanda nobis Sacramentalis loquendi ratio, qua Deus nomen suum ad visibiles figuras transfert: non ut illis affigat suam essentiam, vel immensitatem circumscribat, sed tantum ut doceat præsentiæ suæ signa non fallaciter se ingerere hominum oculis, quin simul vere conjuncta sit rei signatæ exhibitio. Quamvis ergo tradat Moses Deum in nube fuisse & columna ignis, non vult tamen è cælo ipsum elicere, neque immensam ejus gloriam subjicere visibilibus signis, quibus constat sua veritas absque locali præsentia. Execrabile vero Serveti delirium, qui nobem hanc increatam fuisse finxit, acsi esset Christi deitas. Nam pro tribus personis hanc unam substituit, quod corporea tunc fuerit deitas, quam vocat Filium figurativum, qui postea factus est caro: non quod carnem induerit, sed quia homo apparucrit ex tribus elementis increatis & semine Davidis constatus. Cæterum paulo post Moses eundem Angelum vocabit, cui nunc adscribit æterni Dei nomen. Et merito: quia nonnisi per manum unigeniti Filii sui tunc Israëlitas duxit cælestis Pater. Jam quum æternus sit Ecclesiæ custos, non minus præsenti virtute hodie nobis vere adest Christus quam olim Patribus conspicuus fuit. Itaque ubi de ejus adventu vaticinatur Jesaias, hanc Dei benedictionem inter alias enumerat, quod Jehova creabit super totam habitationem montis Sion, & super omnem cœtum ejus, nubem & obscuritatem interdiu, noctu vero splendorem ignis flammantis, ut sit obumbratio per diem in umbram ab æstu, in refugium à nimbo & imbre: acsi diceret, solide impletum iri quod tunc sub umbratili symbolo conspectum fuit. Et certe non unius diei sed omnium ætatum est illa promissio, Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Quod ergo dicit Moses, nunquam abiisse columnam nubis per diem, nec columnam ignis per noctem: idem Dei beneficium nobis commune est, excepto duntaxat oculari symbolo, quod temporale fuit, prout ferebat populi infirmitas. Quod autem dicit illis Deum semper apparuisse, ut tam diu quam noctu iter facerent, non intelligit absque ulla quiete assidue progressos, quum jam paulo ante dixerit primam illis stationem fuisse in Sucboth, deinde castrametatos in Etham: sed docet simpliciter continuum fuisse gratiæ Dei tenorem, ut non minus inter noctis tenebras fulgeret favoris ejus ac protectionis signum quam in ipsa meridie.

Psal. 77. vers. 16. & 78:14.

Jesa. 4: 5.

Psal. 121. vers. 6.

CAPUT XIV.

ET loquutus est Jehova ad Mosen, dicendo,

2. Loquere ad filios Israël, ut redeant, & maneant è regione Pihahiroth inter Migdol & inter mare, è regione Baalsephon, contra ipsum castrametentur juxta mare.

3. Dicet enim Pharao de filiis Israël, Irretiti sunt in terra, conclusit illos desertum.

4. Et roborabo cor Pharaonis, ut persequatur eos: & glorificabor in Pharaone, & in universo exercitu ejus: scientque Ægyptii quod ego Jehova. Et fecerunt sic.

5. Nunciatum est autem regi Ægypti quod fugisset populus. Et versum est cor Pharaonis & servorum ejus in populum, & dixerunt, Cur hoc fecimus ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis?

6. Et aptato curru suo populum assumpsit secum.

7. Tulit itaque sexcentos currus electos, omnes currus Ægypti, & duces super quemque illorum.

8. Et roboravit Jehova cor Pharaonis regis Ægypti, & persequutus est filios Israël. Filii autem Israël egressi erant in manu excelsa.

9. Et persequti sunt Ægyptii illos, apprehenderuntque eos quum castra haberent juxta mare, omnis equitatus curruum Pharaonis, & equites ejus, & exercitus ejus, juxta Pihahiroth, è regione Baalsephon.

1. *Et loquutus est Jehova ad Mosen.*] Jam Deus omnes exitus claudendo, ne qua elabi possent Israëlitæ, viam admirabili suæ potentiæ aperuit: & objecta unius momenti desperatione, in longum tempus prospexit Ecclesiæ suæ saluti. Hæc igitur ultima actio maxime illustravit Dei gratiam, ut populus, quantumvis ingratus & malignus, Deum tamen agnosceret suum liberatorem: deinde factum est, non modo attritis opibus Ægypti, sed gente prope deleta, saltem extincto flore, ut nihil inde molestiæ illatum sit populo, donec in terra Chanaan stabilitus esset. Si rege quieto & cessantibus Ægyptiis libere & pacate egredi essent, non satis valuissent priora miracula ad testandam redemptionem: sed ubi inter angustias undique constricti nihil præter mortem cernunt, repente autem ex inspcrato mare dat illis transitum, & hostes eorum à tergo instantes absorbet, fateri coguntur, non tantum ex sepulchro, sed è profundissimis abyssis manu Dei se fuisse erutos. Apparet autem, quum à Mose jussi sunt se conjicere & quasi ingurgitare in angustias quarum fit mentio, fuisse miraculis attonitos, & somniantibus similes, quandoquidem absque difficultate paruerunt: quum tamen horrorem incuteret ipsa loci facies. Neque enim si discrimen apprehendissent, tam prompta fuisset ad parendum alacritas ut mox videbimus. Quare non tam ipsos laudare, quam Dei providentiam, Mosi propositum fuit. Apparet tamen, nisi ob visa tot miracula fere exstatici fuissent, vix potuisse adduci ut se ultro impingerentin speluncas unde nullus erat exitus. Ex voce סגר conjicere licet arcem rupi fuisse impositam ad prohibendos accessus. Quid sibi velit חזרות mihi non satis constat: nec video cur Græci transtulerint Os vallis. Ex oris tamen nomine probabilis conjectura elicitur iter fuisse pylis constrictum. Quia חור speluncam significat vel foramen, nescio an locus ille nomen inde fortitus sit, quasi os foraminum vel spelunca-

rum. Nam literam ן in נ converti usitatum est, & generis enallage in plurali numero Hebræis trita est. Nisi cui forte magis probetur, quum scriptum esset הזרות, literam ה in locum ת obrepsisse propter affinitatem. Quod si recipitur, positum erit fœminino genus pro masculino. Ita esset Os montium. Verum ut etymologia secundi nominis nos lateat, ex nomine Oris certo conficitur spelunçam fuisse rupibus inclusam & angusti ingressus. Quanquam, si in re dubia judicium proferre licet, potius existimo à verbo חור deductum esse, quod sculpere significat, vel exarare: quia scilicet præcisæ rupes erant, quasi malleo sculptæ. A tergo autem cinctus erat locus mari, acsi jam Israëlitæ in sepulchrum conjecti forent.

3. *Dicet enim Pharao.*] Hic consilium suum Mosi exponit Deus: quamvis toties cum Pharaone congressus retulerit insignes victorias, restare tamen ultimum actum, ut in mari ipsum demergat cum exercitu. Dicit igitur hac illecebra captum iri Pharaonem, ut in suum interitum ruat. Nam si populus celeri trajectu venisset in terram Chanaan, non tanta fuisset ejus persequendi facultas. Deus ergo, illustrandæ gloriæ suæ causa, tyrannum incscavit, ut eum caperet non secus ac solent hamo pisces. Vocem נבכים quæ hic ponitur, alii perplexos reddunt, alii vero irretitos: sed commode etiam exponi potest, confusos esse in terra, quia nullum exitum reperient: nempe angustiis undique obseptos, & mari ab alia parte opposito. Atque ubi de consilio Pharaonis loquitur, non sequitur (hominum more) quod verisimile est: sed ut proprium ejus munus est corda scrutari, de absconditotyrannii affectu pronunciat, ut de re sibi bene perspecta. Postea longius progreditur. Neque enim tantum se prævidere significat quid futurum sit: sed iterum repetit quod ante aliquoties vidimus, cor Pharaonis se obduraturum, ut populum persequatur. Unde sequitur, ipsius arbitrio & ductu hoc totum fuisse gubernatum. Cæterum non soli Mosi privatim hoc testatus est, sed omnes mature præmonitos esse voluit, ne subito hostium adventu perculsi desperarent de salute. Quæ tamen admonitio minus valuit quam decebat: quia paulo post deprehensi, non minus turbantur quam si Dei errore & Mosis insciția venissent in discrimen.

5. *Nunciatum est autem regi.*] Non simpliciter intelligit Moses, regem tunc primum audisse de fuga populi, quæ minime occulta fuerat: sed narratas fuisse circumstantias, quæ ad aliquid tentandum stimulos adderent. Ergo ubi audit populum trepide fugisse, existimat potuisse minimo obstaculo retineri. Nec solus ipse tanta amentia laborat, sed omnes aulici proceres desidiæ suæ imputant quod exierit populus. Quærunt apud se cur passi sint filios Israël abire. Quasi vero non conati sint modis omnibus liberum discessum prohibere: quasi non devicta è cælo decies fuerit eorum pertinacia: quasi non tandem extorserit Deus populum suum ab invitis. Sed hic est impiorum stupor ut tantum exhorreant præsentem Dei manum, statim omnium quæ viderunt obliviscantur. Attriti fuerant atrocibus & horrendis pœnis: nunc tanquam integri disputant cur non ad extremum usque restiterint Deo, qui eos maxime reluctantes quiescere tandem coëgit, postquam decies experti fuerant se frustra reniti. Sed tali superbia excæcari reprobos oportet, ut ferantur in foam perniciem, dum persuasi nihil sibi esse arduum, adversus Deum constiguent.

6. *Et aptato curru suo.*] Paucis bellicum apparatum describit Moses, non tantum ut magnitudinem virtutis Dei commendet in liberando populo, sed etiam ut doceat quanto impetu & quam obstinata audacia se projiciant impii, dum pravis & scelestis suis cupiditatibus morem gerunt. Nuper fere examines stupebant Ægyptii, & clamabant de se actum esse: vix dies unus præteriit quum validum exercitum colligunt tanquam ex florente copia. Siquis excipiat, sexcentos currus atque etiam longe plures, quantumvis instructos, fuisse tamen impares sexcentis hominum millibus domandis: respondeo, quum scirent certamen esse cum imbelli turba, cui etiam permixtæ essent mulieres & pueri, hac opinione fretos, speransse nullo negotio persundatum iri ingentem illum numerum: quia & prudentia & ordine careret. Nec vero spes eos fallebat, nisi obviam iwisset Deus. Sed eventu probatum fuit quam vere pronunciet Solomo, non esse sapientiam, neque prudentiam, neque consilium adversus Deum: & quam vere Ecclesiæ hostibus insultet Jesaias, Accingite vos, & confringemini: accingite vos, & confringemini: inite consilium, & dissipabitur: proferte sermonem, & non fiet. Hæc vero confidentia frustratur impios, quod dum effreni impetu feruntur, non putant arcanum esse frenum Deo ad coërcendas eorum libidines. *Prov. 21. vers. 30. Jesa. 8:9.*

8. *Filii autem Israël egressi erant.*] Tacite perstringit Moses nimiam securitatem, quæ absulerat omnem metum & curam: unde & invocandi Dei studium apud eos frigebat, ut semper ignaviam & torporem generat securitas. Hinc factum est ut plus afferret pavoris tam magnum discrimen quod animis non præsumpserant. Sed ex altera parte amplificat Moses gratiam Dei, quod tam opportune, & in ipso (ut aiunt) articulo auxiliatus sit miseris Israëlitis stulta lætitia exultantibus. Repente enim deprehensi, ad primum hostium clamorem ultro alioqui concidissent. Monemur itaque hoc exemplo, dum tuti sumus Dei protectione, metuenda esse quæ accidere possunt discrimina: non ut pavidis animis tumultuemur, sed ut modeste lateamus sub ejus alis, neque inconsideratogaudio efferamur. Proximo versu breviter narrat Moses quam formidabile spectaculum Israëlitis objectum fuerit, quum se viderent ab una parte mari conclusos, à lateribus fere absorptos faucibus pylarum, & simul instare exercitum Pharaonis. Cujus robur verbis amplificat, quo melius ex altera parte refulgeat opis divinitus oblatæ gloriæ.

10. Quumque appliciusset Pharao, levarunt filii Israël oculos suos, & ecce, Ægyptii iter faciebant post eos. Itaque timuerunt valde, & clamaverunt filii Israël ad Jehovam.

11. Et dixerunt ad Mosen, * Numquid, quia non erant sepulchra in Ægypto, tulisti nos ut moreremur in deserto? Quare sic fecisti nobis, ut educeres nos ex Ægypto? * vel; An quia.

12. Nonne hoc est verbum quod diximus tibi in Ægypto, dicentes, Dimitte nos, ut serviamus Ægyptiis. Melius enim nobis erat servire Ægyptiis quam mori in deserto.

13. Et dixit Moses ad populum, Ne timueritis: state, & videte salutem Jehovæ quam hodie faciet vobis. Nam quos vidistis Ægyptios hodie, non estis visuri posthac in seculum.

14. Jehova pugnabit pro vobis, & vos quiescetis.

15. Dixerat autem Jehova ad Mosen, Quid clamas ad me? Alloquere filios Israël ut proficiscantur.

16. Tu

16. Tu vero attolle baculum tuum, & extende manum tuam ſuper mare, & ſcindé illud: & ingrediantur filii Iſraël per medium maris in arida.

17. Et ecce, ego roborabo cor Ægyptiorum, ut ſequantur illos: glorificaborque in Pharaone, & in toto exercitu ejus, in curribus ejus, & in equitibus ejus.

18. Et ſcient Ægyptii quod ego Jehova, quum glorificatus fuero in Pharaone, in quadrigis ejus, & in equitibus ejus.

10. *Quumque appliciſſet Pharao.*] Significat Moſes ex re improviſa plus terroris fuiſſe illatum: quia nullus prævenit nuncius, ut vel pauxillum temporis daretur ad ſe expediendos. Juſta igitur vel fortiſſimis pectoribus fuit timendi cauſa, niſi modum exceſſiſſent. Sed bis peccarunt: quis & cum memoria beneficiorum Dei ſpes cæleſtis auxilii illis excuſſa fuit, & eo prolapſi ſunt ingratitudinis ut contra Deum & Moſen proterve inſurgerent. Quanquam videntur duo contraria hic referri, quod & clamaverint ad Jehovam, & turbas concitaverint in ejus miniſtrum. Sed colligere promptum eſt clamorem illum neque ex fide, neque ex ſerio vel rite compoſito affectu profectum fuiſſe, ſed confuſo impetu fuiſſe extortum: ſicuti naturæ ſenſus cunctos mortales impellit ut promiſcue in rebus miſeris vota ſua ad Deum convertant, tametſi neque miſericordiam ejus amplectantur, neque recumbant in ejus potentiam. Itaque David Pſalmo 107. miſeros omnes dicit ad Deum confugere quoties urget aliqua neceſſitas: quis, ut ſtupidiſſimi quique vel maxime profani magis reddantur inexcuſabiles, Deus naturæ duce & arcano inſtinctu eos ad ſe adducit dum periclitantur. Neque tamen hoc modo ſuum Deo honorem tribuunt, quamvis linguæ ſonitu ſalutem ab eo poſtulent. Mimme ergo mirum eſt ſi in extremam anxietatem redacti Iſraëlitæ preces & vota, Interpoſito Dei nomine, conceperint: præſertim quum paulo ante ſuam illis gloriam patefeciſſet tot miraculis, & haberent ſemper in conſpectu nubem, vel columnam igneam. Sed inſani eorum ſtrepitus contra Moſen claro documento fuerunt, temere velut ecſtaticos prorupiſſe ad invocandum Dei nomen. Nam quod exponunt quidam interpretes, quoſdam pie fuiſſe precatos, & alios ex turba improbe tumultuatos eſſe contra Moſen, ratione caret: quia conjunctim hæc duo recitantur, ut nequeant ad diverſos homines transferri.

11. *Numquid, quia non erant.*] Hic rectior eſt ſenſus: quis duplex negatio pro una ponitur. Amara autem & mordax eſt objurgatio: quia non contenti præferre Ægypti ſepulchra morti quam timebant, ſubſannationem miſcent, quærentes quid in mentem venerit Moſi ut eos traheret in ſolitudinem, acſi terra Ægypti non ſufficeret ad ipſos ſepeliendos. Atqui Deus palam & aperte ſe ducem eſſe exitus probaverat: deinde turpis ſocordiæ fuit obliviſci nuper ſe mortuis fuiſſa ſimiles, ac è ſepulchro fuiſſa mirabiliter eductos. Longius etiam prorumpit eorum furor, quum audacter in memoriam revocant impias blaſphemias, quæ ipſis pudendæ erant ac deteſtabiles. Cujus enim ingratitudinis fuerat rejicere oblatam liberationis gratiam, & Deo venienti januam claudere, ut in ſuis miſeriis putreſcerent? Huic quidem tantæ pravitati ignoverat Deus: ſed ipſorum erat aſſidue gemere, & verecundia quodammodo obrui, ut coram Dei judicio aboleretur crimen illud. Nunc vero, quaſi Deum & Moſen teneant obnoxios, petulanti jactantia exprobrant ſibi non fuiſſe creditum, quum vellent malo prudenter occurrere. Unde docemur quorſum homines rapiat ſuus affectus, dum metu ſpem ſuffocantes, patienter non expectant Dei auxilium.

13. *Et dixit Moſes ad populum.*] Quamvis pro ſua manſuetudine eos ad bene ſperandum comiter hortetur Moſes, non eſt tamen probabile tacite ipſum tuliſſe ſceleſtos illos clamores, quibus videbat Deum atrociter impeti. Functum igitur probi doctoris officio exiſtimo, libere caſtigando petulantiam, quæ minime erat tolerabilis. Deinde quum loquutus ſit Dei Spiritu verba præeunte, dubium non eſt quin ſevere Deus ipſe corripuerit illas blaſphemias, ne eas indulgentia foveret. Sed Moſes omiſſa reprehenſione, tantum docet execrabili populi malitia ſuperiorem fuiſſe Dei clementiam, ut ſolatio eorum dolorem leniret, perturbationemque ſedaret. Porro timere vetans, & ſtare jubens ad videndam ſalutem Domini, his verbis ſignificat, quamdiu mentes occupat timor, cæcas & ſtupore confuſas eſſe, ne Dei auxilium admittant. Verbo Stare vult quietos manere: quaſi diceret nihil opus eſſe ut digitum quiſquam moveat, quia Deus ceſſantes & otioſos ſolus ſervabit. Quod proximo verſu confirmat: ubi promittit Deum, ipſis jacentibus, fore victorem. Neque enim illic ad tranquillitatem, meo judicio, ipſos hortatur: ſed intelligit in uno Deo ſatis fore præſidii ad vincendum, quantumvis torpeant velut avanimes. Jam vero Iſraëlitæ, dum ſervati Dei manu gratiam ſibi collatam, quantum in ſe eſt, repudiant, nobis ſunt exemplo, ut Deus ad perfectam ſalutem nos adducat, multas identidem ſalutes eſſe neceſſarias; quia noſtra ingratitudine exitiamus quicquid conſtulit, & ita ſponte noſtra perimus, niſi noſtram ignaviam corrigeret Spiritus ſui virtute.

15. *Dixerat autem Jehova.*] Præteritum pluſquamperfectum vitandæ ambiguitatis cauſa poſui. Cauſa enim redditur cur tam fidenter populi dubitationem increpuerit Moſes, ac pollicitus ſit præſenti Dei auxilio fore incolumes & ſalvos. Nempe quia jam cæleſti oraculo certior fuerat redditus, Deum velle populo ſuo opitulari, & in promptu habere novum ſervandi modum. Neque enim teſtis & præco ſalutis eſſe poterat niſi accepta promiſſione. Itaque ſuam fiduciam à crimine temeritatis purgat: quia nihil protulit niſi quod ante audierat ex ore ipſius Dei. Hæc verba, Quid clamas ad me? quidam interpretes ad totum populum extendunt, cujus perſonam ſuſtinebat unus Moſes: ſed hoc nimis eſt coactum, & paulo ante admonui vota populi ad Deum minime fuiſſe directa. Itaque non dubito quin ſanctus vir in plebis tumultu ſeorſum precatus ſit. Quod pietatis officium non reprehenditur hoc loco: ſed potius oſtendit Deus eum operam non luſiſſe, nec fruſtra verba fudiſſe in aërem. Senſus ergo eſt, Ne clamando te amplius fatiges, re ipſa ſenties te fuiſſe exauditum. Virgam igitur attollas qua ſcindas mare, ut per medium ejus fundum ſiccis pedibus iter faciant filii Iſrael. Docet hic locus, temere facere qui de particularibus Dei beneficiis, abſque ſpeciali teſtimonio, quicquam ſibi vel aliis promittunt.

17. *Ego roborabo.*] Iterum affirmat Deus, quo virtutem ſuam magis illuſtrat, ſe obduraturum eſſe Ægyptios, ut ſe, tanquam exitio devoti, projiciant in medium mare. Quod certe nunquam facturi erant niſi arcano motu gubernaſſet eorum corda: quia eos non latebat ſingulari dono apertum fuiſſe tranſitum Iſraelitis. unde colligere poterant ſibi cum elementis eſſe bellum. Itaque nunquam mare, quod armatum contra ſe videbant, auſi fuiſſent ingredi, niſi divinitus excæcati eſſent. Unde apparet quam frigidi ſint ſpeculatores qui nudam hic permiſſionem fingunt, ubi Deus potentiam ſuam vult eſſe conſpicuam. Satis quidem fuiſſet, poſtquam in adverſum littus

littus trajecerant Israëlitæ, mari in suum locum reverso, prohiberi Ægyptios: sed voluit Deus geminato miraculo securitati gentis suæ consulere in longum tempus. Quod etiam factum est: quia deleto totius regionis flore, Ægyptiis exercitum reficere non licuit: præsertim quum, extincto ante primogenito, rex ipse demum periisset. Hac ratione dicitur scituros Ægyptios Deum Israëlis esse Jehovam: quia in hoc ultimo actu experti sunt sibi prorsus ablatas esse vires ad rebellandum.

19. Profectus est itaque Angelus Dei qui præcedebat castra Israël, cœpitque ire à tergo ipsorum: & columna nubis quæ præcedebat eos, fuit illis à tergo.

20. Ac ingressus est inter castra Ægyptiorum & inter castra Israël. Et fuit nubes & caligo, & illuminavit noctem: nec appropinquavit alter alteri tota nocte.

21. Porro extendit Moses manum suam super mare: & Jehova fecit mare abire per ventum orientalem vehementem tota nocte: posuitque mare in siccitatem, quia divisæ erant aquæ.

22. Tunc ingressi sunt filii Israël in medium maris in sicco: & aquæ illis erant quasi murus à dextra & sinistra eorum.

23. Et insequuti sunt Ægyptii, & venerunt post illos totus equitatus Pharaonis, currus ejus, & equites ejus ad medium maris.

24. Et factum est custodia matutina ut respiceret Jehova ad castra Ægyptiorum in columna ignis & nube: & turbavit castra Ægyptiorum.

25. Et abstulit rotas curruum ejus, & violenter vexit eum. Unde dixit Ægyptius, Fugiam à facie Israël: quia Jehova pugnat pro eis contra Ægyptios.

19. *Profectus est.*] Hic describitur quæ subito contigit mutatio ad impediendum conflictum. Nam Angelus qui præcedere solebat Israëlitas monstrandæ viæ causa, in diversam partem se convertit, ut medius esset atque oppositus inter utraque castra: & quidem sub forma duplici, quia lucebat columna ignis apud Israëlitas, quæ tenebras noctis discuteret: Ægyptios autem tenebat velut captivos obscura caligo, ut longius penetrandi facultas non esset. Ita Deus tam ipsos prohibuit ab accessu, quam populo suo tota nocte facem prætulit ad continuum progressum. Porro qui ante vocatus est Jehova, hunc jam nomine Angeli designat Moses: non tantum quia Angeli, qui Deum repræsentant, ejus nomen sæpe mutuantur: sed quia dux ille populi, unigenitus erat Dei Filius, qui postea in carne manifestatus fuit, sicuti ex Pauli auctoritate docui. Notandum etiam quod huc & illuc migrasse dicitur, prout virtutis suæ & auxilii signum ostendebat. Jam insigni documento apparet, gloriam Dei, sicut fideles illustrat, sic vicissim tenebras obducere incredulis. Ideoque mirum non est si hodie quoque reprobos excæcat Euangelii claritas. Sed rogandus Deus ut nos reddat aspiciendæ gloriæ suæ compotes.

2 Cor. 10. vers. 4.

21. *Porro extendit Moses.*] Jam diximus nocte liberum fuisse ac commodum trajectum, quum fulgore suo partem illam repleret columna ignis. Et certe non poterat una hora vel duabus tanta multitudo in adversum littus evadere. A crepusculo igitur sub auroram usque Israëlitæ traducti sunt: mox Ægyptii, cognito discessu, ut carperent extremum agmen, sequi properarunt. Etsi autem nullo verborum ornatu ad celebrandum hoc miraculum utitur, nuda tamen narratio satis efficax esse debet: adeoque magis emphatica est quam ulli rhetorici colores & magnifica encomia ad animos permovendos. Quis enim, ut in summam admirationem rapiatur divinæ virtutis, sonoras exclamationes desideret, ubi simpliciter & paucis verbis audit baculo Mosis scissum fuisse mare: spatium quod ad transitum populi sufficeret, fuisse siccum: præaltas aquarum moles hinc inde stetisse velut solidas rupes? Consulto igitur rem ipsam omni verborum splendore nudatam ante oculos explicuit: quanquam & paulo post in cantico pro sua dignitate celebrabitur, & passim apud Prophetas & in Psalmis splendidius extollitur. Hoc loco discamus, non secus acsi in rem præsentem nos adduceret Moses, oculos intendere ad conspectum inæstimabilis Dei potentiæ, quæ nulla verborum copia aut gravitate satis potest exprimi. Diligenter autem cavet Moses ne sibi plus arrogando quam par sit, Dei laudem obscuret. Ante justus fuerat sublato baculo mare secare: nunc loquendi formam mutat, nempe Dei imperio aquas retrocessisse. Ita ministri gradu contentus, Deum solum (ut decebat) miraculi facit auctorem. Etsi autem in Dei ipsius arbitrio erat nullo aëris motu aquas dispellere: ut tamen ostenderet sibi totam naturam parere, & nutu suo regi, ventum orientalem excitare placuit. Interes tenendum est, nullo quantumvis impetuoso flatu potuisse siccari mare, nisi supra naturæ modum arcana vi Spiritus sui operatus esset. Qua de re vide quod supra annotavi capite decimo, versu decimo tertio & decimo nono.

24. *Factum est custodia matutina.*] Mane cœpit Angelus aspicere Ægyptios, non quod prius aspectum ejus laterent: sed ut repentina submersione perderet quos visus fuerat, tanquam nube tectos, omittere. Ac primo quidem oculos aperuit, ut sero viderent quorsum eos projecisset furoris sui impetus: deinde ut sentirent, non tantum cum hominibus, sed cum Deo se bellare: atque ita subita consternatione attoniti non possent mature refugere ad litus. Inde enim fuerunt deprehensi in medio mari, quod omnia apud eos turbaverat formido, dum reputarunt Deum sibi adversum esse. Videbant quidem nihil sibi fore tutius quam retrocedere, quia Deus pro Israële pugnabat: sed quia repleti erant tumultu, nulla progrediendi fuit ratio: quin potius, dum alii alios impediunt, omnes absorbuit mare.

26. Et ait Jehova ad Mosen, Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ super Ægyptium, super currus ejus & equites ejus.

27. Et extendit Moses manum suam super mare, & reversum est mare quum mane illuxisset, secundum vim suam: fugeruntque Ægyptii ad occursum ejus. Et impulit Jehova Ægyptios in medium maris.

28. Et redeuntes aquæ operuerunt quadrigas & equites in toto exercitu Pharaonis, qui ingressi erant post illos in mare: nec unus fuit ex ipsis residuus.

29. Filii autem Israël ambulaverunt in sicco per medium maris: & aquæ erant illis quasi murus à dextra eorum & à sinistra eorum.

30. Libera-

30. Liberavit ergo Jehova in die illa Israëlem à manu Ægyptii. Et vidit Israël Ægyptium mortuum super littus maris.

31. Et vidit Israël potentiam magnam quam fecit Jehova contra Ægyptios. Et timuit populus Jehovam, & crediderunt Jehovæ & Mosi servo ejus.

26. *Et ait Jehova ad Mosen.*] Hic narrat Moses non minus in perdendis Ægyptiis mare paruisse Dei mandato quàm dum nuper transitum populo dederat. Nam sublato baculo Mosis tam reverfæ sunt aquæ in suum locum quam prius collectæ in acervos. Jam Ægyptios pœnituerat præcipitis suæ amentiæ, & statuerant, tanquam victi Dei potentia, relictis filiis Israël, domum redire: sed Deus, qui perdere eos volebat, in ipso articulo exitum clausit. Jam vero ut fciremus conspicuum fuisse miraculum, circumstantiam temporis adscribit Moses. Dicit enim tunc ita illuxisse ut plena lux rem totam ostenderet spectantium oculis. Nocte quidem coacervatæ fuerant aquæ: sed columna ignis quæ fulgebat apud Israëlitas, illisque viam monstrabat, non patiebatur obscurum esse Dei beneficium. In Ægyptiis diversa fuit ratio: itaque interdiu perire oportuit, & ab ipso sole eorum interitum produci ante oculos. Hoc etiam ad testandam Dei potentiam facit, quod dum fugere conati sunt, Deus ipsos palam impulit, acsi data opera se submergerent.

28. *Et redeuntes aquæ.*] Hic quoque duobus versibus persequitur eandem sententiam Moses. Quam putide Manethon & similes de populi exitu fabulari sint, ex Josepho & Eusebio liquet. Etsi autem per eorum mendacia conatus est Satan tenebras inducere sacræ historiæ, tam fatua est tamen eorum vanitas ut refutatione non indigeat. Tempus ipsum quod observant, satis coarguit eorum insitiam. Verum optime Deus nobis consuluit, qui servum suum Mosen liberationis ministrum, voluit eundem rei gestæ esse testem & præconem: & quidem apud eos qui oculis suis omnia inspexerant, & qui pro sua pervicacia, quum tam severus esset contra ipsos censor, nunquam passi essent falsum pro vero jactare. Quum ergo firma ei & indubia constet auctoritas, tantum notemus ejus consilium. Sicuti hoc loco breviter narrat ex ingenti Pharaonis exercitu non fuisse quenquam reliduum, Israëlitas autem omnes ad unum transiisse salvos sicco pede: baculo Mosis aquas naturam mutasse, ut solidæ starent tanquam muris: eodem baculo fuisse rursus liquefactas, ut repente obruerent Ægyptios. Hæc comparatio palam ostendit hoc inusitatum fuisse Dei opus. Nam quod de fluxu & refluxu sinus Arabici nugati sunt quidam profani scriptores, per se concidit. Itaque ex superioribus merito tandem infert, Israëlitas vidisse potentem manum Dei, quæ illic se exeruerat.

31. *Et vidit Israël.*] Postquam dixit Israëlitas vidisse strata in littore cadavera, jam addit, in illo spectaculo apparuisse Dei manum, hoc est, virtutem: quia cognitu difficile non erat iræ & paternj amoris discrimen, quod tam mirabiliter servasset imbellem turbam, & exercitum modis omnibus formidabilem maris gurgite absorptum perdidisset. Non abs re igitur Moses hic tandem concludit, conspicuam fuisse in liberatione populi cælestem potentiam. Postea addit, non sine fructu Israëlitas vidisse Dei manum: quia eum timuerunt, ipsique crediderunt & Mosi servo ejus. Timor hic pro reverentia capitur quæ populum continuit in officio. Neque enim metu solum tacti sunt, sed etiam adducti ut se Deo, cujus bonitatem suaviter & jucunde experti fuerant, addicerent. Etsi autem non dijuturna fuit hæc pietas, saltem in maxima parte, credibile tamen est in paucis quibusdam radices egisse: quia semper reliduum fuit aliquod semen, nec apud omnes penitus extincta fuit beneficii memoria. Verbo Credendi præcipuam timoris partem notari existimo, ac expositive additum interpretor: acsi dictum esset, reveritos fuisse Deum: idque testatum fecisse, quia fide amplexi sint ejus doctrinam, & Mosi obedienter se subjecerint. Hoc affectu passim omnes fuisse præditos interpretor: quia cognitio manus Dei ad obsequium eos flexit, ut magis essent morigeri ac dociles, & ad sequendum Deum magis propensi. Sed hic ardor paulo post in majori parte evanuit, ut solent præsenti tantum intuitu affici. Quanquam retineo quod nuper dixi, in exiguo aliquo numero viguisse Dei metum quem semel ex sensu gratiæ ejus conceperant. Interea discamus ex hoc loco, nunquam vere & rite coli Deum absque fide: quia incredulitas crassum ejus contemptum prodit. Ac quantumvis jactent hypocritæ se omnes species honorum in Deum congerere, gravissimam tamen contumeliam irrogant, fidem ejus oraculis abrogando. Non absre autem conjungitur Deo Moses qui electus fuerat minister ad regendum populum. Etsi enim claris signis se Dei majestas proferebat, medius tamen erat Moses, ex cujus ore volebat Deus verba sua audiri. Ita non potuit despici sanctus vir, quin reſpueretur ipsius Dei auctoritas. Utilis hinc colligitur doctrina, quoties Deus per homines verbum suum nobis proponit, non secus audiendos esse qui fideliter mandata ejus perferunt, acsi palam ipse è cælo descenderet. Hæc ministerii commendatio satis superque valere debet ad refutandam eorum vesaniam qui externam verbi prædicationem pro nihilo ducunt. Hoc ergo principium teneamus, non alios obedire Deo nisi qui Prophetas ab eo missos recipiunt: quia nefas est separare quæ ille conjunxit. Hoc idem clarius expressit Christus his verbis, Qui vos audit, me audit: & qui vos rejicit, me rejicit. Cæterum quod Papa cum fœtido suo clero hoc ad se trahit, quasi audiendus sit ubi obtendit Dei nomen, plusquam insulsum est. Nam (ut multa quæ in medium afferre liceret taceam) ante omnia necesse erit ut se Dei servum probet: à quo utinam non ita esset remotus. Neque enim alia ratione laudatur populi obedientia nisi quod Deo & conjunctim servo ejus credidit.

Matt. 10. vers. 40.

CAPUT XV.

TUnc cecinit Moses & filii Israël canticum hoc Jehovæ, & dixerunt, Cantabo Jehovæ, quoniam se * magnifice extulit: equum & ascensorem ejus projecit in mare.

* Hebr. *magnificando magnificatus est.*

2. Fortitudo mea & canticum Deus, & fuit mihi in salutem. Hic Deus meus, & decorabo eum: Deus patris mei, & extollam eum.

3. Jehova vir bellicosus: Jehova nomen ejus.

4. Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare: & electi duces ejus demersi sunt in mari Suph.

5. Abyssi operuerunt eos: descenderunt in profunda, quasi lapis.

6. Dextera tua Jehova excelluit fortitudine, dextera tua Jehova fregit inimicum.

7. Et in magnitudine magnificentiæ tuæ subvertisti insurgentes contra te. Misisti furorem, consumpsit eos quasi stipulam.

8. Et per flatum narium tuarum coacervatæ sunt aquæ, steterunt fluenta sicuti acervus: coagulatæ sunt voragines in corde maris.

9. Dixerat hostis, Persequar, apprehendam, dividam spolia, implebitur illis anima mea: exeram gladium, perdet eos manus mea.

10. Flavisti vento tuo, operuit eos mare: demersi sunt quasi plumbum in aquis validis.

1. *Tunc cecinit Moses.*] Canticum hoc non tantum in testimonium suæ gratitudinis adjecit Moses, sed etiam ad confirmationem historiæ. Neque enim Israëlitis dictavit quòd canerent de re incognita, sed eos tanquam testes oculatos produxit in medium: ut scirent omnes ætates nihil hactenus fuisse scriptum quod non uno consensu palam declaraverint sexcenta virorum millia, & simul eorum uxores ac filiæ. Prævit ergo Moses pro officii sui ratione, sed populo succinente sequuta est approbatio omni exceptione major. Quibus enim mentiti essent, quum alii aliis essent testes, ad nullos autem exteros perveniret carmen? Ac videtur fiduciam notare Moses Hebraica repetitione, dicendo, Dixerunt. Ac eo plus fidei meretur confessio omnium ore edita, quia paulo post major pars ad ingratitudinem prolapsa est. Unde colligitur nonnisi coactos Deo gloriam dedisse. Etsi autem Moses auctor fuit cantici, non tamen in sua persona dicit Cantabo: sed omnibus præscribit quid quisque seorsum pro sua virili agere debeat.

2. *Fortitudo.*] Hac voce fatentur sibi in Deo satis validam fuisse munitionem: postea addunt, ejus gratiam sibi justam esse materiam laudis. Summa est, fuisse in Deo fortes, non autem proprio Marte hostes vicisse: idcoque nefas esse alibi quam in Deo solo gloriari. Notandum autem est, Dei auxilium conjungi cum ejus laude: quia omnium ejus beneficiorum hic est finis ut acceptam illi feramus nostram salutem. quod etiam tertio loco ponitur. Tantundem enim valet Deum fuisse in salutem, atque populum ejus gratia salvum esse. In secundo membro est antithesis inter verum Deum & omnes fictitios. Emphatica enim est demonstratio, Hic est Deus meus, qua excludit Moses omnem aliam deorum turbam, quæ passim tunc in mundo volebatur. Eodem sensu addit, Deum esse Patris sui: qua voce Abrahæ fides discernitur à cunctis Gentium superstitionibus. Denique pronunciant fideles sibi tutum esse acquiescere in uno Deo, & eum esse dignum cujus laudes celebrentur. Hanc figuram imitatus est Jesaias cap. 25. Ecce, iste est Deus noster: expectavimus eum, & servabit nos. Hic Jehova; expectavimus eum. Eodem pertinet quod sequitur proximo versu, Jehovam esse virum belli. Etsi enim primo intuitu aspera est loquutio, gratia tamen non caret, Deum ornari militari habitu ut confligat cum omnibus hostium copiis. Nomen ergo Jehovæ dicit Moses in ipsum solum competere: quia sufficit ejus manus ad prosternendum quicquid contra insurgit.

4. *Currus Pharaonis.*] His verbis tantum asserere voluit Moses, non obscurum fuisse Dei opus, quod submersus esset Pharao. Itaque rem gestam, quam simpliciter prius narravit, coloribus nunc illustrat: sicuti dum lapidibus & plumbo confert Ægyptios: quasi diceret impulsos fuisse violenta Dei manu in profundum, ut nulla esset enatandi agilitas. Hac ratione bis repetit Dei dextram: acsi diceret non posse tale miraculum vel fortunæ vel hominum industriæ adscribi. Notandum autem est quod paulo post addit, Ægyptios insurrexisse contra Deum, quia ejus populo injuste molesti fuerant. Unde colligimus, Dei numen violari ab impiis quoties impetitur Ecclesia, cujus salutem fide sua & patrocinio tuendam suscepit. Porro hæc duo conjunctim legenda sunt, Misisti furorem, & Per flatum narium tuarum coacervatæ sunt aquæ. Significat enim, Deum nullis adhibitis machinis, sed solo nutu & iræ suæ signo stravisse hostes.

9. *Dixerat hostis.*] Non tantum insultandi causa refert Pharaonis jactantiam, sed ut miraculum amplificet: quia Deus lupum prædæ inhiantem exitio tradiderit. Plus autem ponderis habet oratio, dum Ægyptios inducit loquentes, quam si eorum consilia verbis suis exprimeret. Nam ita melius in animos penetrat mirabilis catastrophe, dum Ægyptii, quasi in theatrum producti, non tantum ebuccinant suam victoriam, sed insolenter fastum suum & crudelitatem efflant. Mox vero ab altera parte producitur Deus, qui solo flatu terribilem illam audaciam discutit. Unde enim tanta Ægyptiis securitas, ut sibi promitterent saturitatem ex spoliis, nec putarent sibi aliud fore negotii in jugulando populo, quam exerendo gladios: nisi quod optime armati erant contra imbellem turbam? Hinc ergo clarius enituit Dei potentia, quod venti impetu eos è medio sustulit.

11. Quis sicut tu in diis, Jehova? quis sicut tu, magnificus in sanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia?

12. Extendisti dexteram tuam, deglutivit eos terra.

13. Duces in tua misericordia populum hunc quem redemisti, duces in fortitudine tua ad habitaculum sanctitatis tuæ.

14. Audient populi & contremiscent: dolor apprehendet habitatores Philisthim.

15. Tunc terrebuntur duces Edom, & robusti Moab: apprehendet eos tremor, dissolventur omnes habitatores Chanaan.

16. Cadet super eos tremor & pavor: in magnitudine brachii tui conticescent quasi lapis, donec pertransierit populus tuus, Jehova: donec pertransierit populus iste quem acquisisti.

17. Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, in loco quem præparasti, Jehova, ut sedeas. Sanctuarium, Domine, stabilierunt manus tuæ.

18. Jehova regnabit in seculum & in perpetuum.

19. Quoniam ingressus est equus Pharaonis cum curribus ejus & equitibus ejus in mare, & reduxit Jehova super eos aquas maris: filii autem Israël ambulaverunt in sicco per medium maris.

20. Sumpsit etiam Maria Prophetissa soror Aharon tympanum in manu sua: & egressæ sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris.

21. Et

21. Et respondebat illis Maria, Cantate Jehovæ, quoniam se magnifice extulit, equum & ascensorem ejus projecit in mare.

Psal. 89. vers. 7.

19. *Quis sicut tu.*] Epiphonemate claudit encomium Moses, quia verba pro rei magnitudine non suppetunt. Plus autem exprimit interrogatio quam si asserendo dixisset nullum posse Deo æquari: quia & admirationem & fiduciam de rei certitudine continet. Nam quasi stupore correptus, exclamat Moses, Quis tibi reperietur æqualis Domine? Quod per nomen Deorum quidam intelligunt Angelos, aliis locis melius quadrat. sicuti in Psalm. Quis in nubibus æquabitur Jehovæ, & assimilabitur inter filios deorum? Quia postea sequitur, Deus formidabilis in consilio sanctorum, qui in circuitu ejus sunt: & similibus. Ac tunc sensus est, quantumvis sit præstantiæ in Angelis, Deum tamen longe altius eminere. Hic autem commodius ad idola referri videtur: quia ex professo Moses (sicuti dictum est) opponit Gentium figmentis unicum Deum, cujus vigebat inter filios Abrahæ religio & cultus. Sanctitas pro gloria accipitur quæ Deum à creaturis omnibus separat: ideoque veluti profanat alias omnes deitates, quas sibi mundus commiserit: quia unius tantum Dei splendida est ac decora majestas. Addit, Terribilem laudibus: quia non potest rite laudari quin rapiantur omnes in stuporem. Seipsum postea exponit Moses, dicens mirabilia esse ejus opera. Alii frigide (meo judicio) terribilem laudibus vocari putant, quia laudandus sit cum timore. Alii etiam coacte, terribilem quoque esse dum laudatur.

13. *Duces in tua misericordia.*] Verbum quidem Hebraicum præteriti est temporis: sed quia ex contextu patet, ex superioribus Dei beneficiis spem concipi eorum quæ restabant, placuit per futurum tempus vertendo sensum clariùs exprimere. Hortatur ergo populum Moses ut forti & alacri animo ad terram sibi promissam contendat: quia Deus opus suum non deseret in medio cursu. Et hac ratione diserte redemptionem celebrat: sicuti diceret non frustra ereptum fuisse populum ex præsenti morte, sed Deum qui cœpit, fore perpetuum ejus ducem. Eodem argumento utitur David Psal. 34. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus verax. Sicuti autem redemptionis ipsius initium ex mera Dei misericordia fluxerat, ita hanc eandem fore causam dicit cur Deus suos perducat usque ad hæreditatem promissam. Sed quia multa obstacula terrorem injicere poterant, simul proponit Dei fortitudinem: quia in solidum laus tribuitur Deo, qui & gratis populo suo fuit beneficus, nec aliunde auxilium mutuatus est, sed contentus sua virtute præstitit quod alioqui incredibile erat.

14. *Audient populi.*] Hic quoque tempora verborum mutare non dubitavi: quia de rebus futuris Moses concionari certum est. Quanquam non inficior quin per verba præteriti temporis rei certitudinem commendet: quod satis est Prophetis tritum. Porro hæc gloriatio dependet ex nomine fortitudinis: quia fieri non poterat ut tot adversis gentibus perrumperent Israëlitæ in terram Chanaan, nisi Deus, quasi prolata è cælo manu, pro ipsis pugnasset. Ergo, ne maximæ difficultates populum debilitent, pronunciat Moses, quantumvis multi & robusti hostes se opponere conentur, injectum iri divinitus pavorem omnibus, ut confusis & attonitis nullæ supetant vires ad resistendum.

16. *Cadet super eos tremor.*] Quidam optandi modo legunt: sed parum apte, meo judicio. Neque enim tam vota & preces fundit Moses, quam animat Israëlitas ad bonam spem, ut certo statuant, Deum finem non facturum, donec cursum gratiæ fuæ compleverit. Quod idem hodie ad nos probe accommodari potest, Deum scilicet vocationem suam continuare in electis, donec ad metam perducti sint. Nam cœlestis hæreditas (ad quam vocamur) monti sanctitatis respondet. Ac iterum repetitur quæ paulo ante exposita fuit ratio, Deum scilicet populo suo non defore ad finem usque: quia eum sibi acquisierit. Minus enim recte convenit quod alii vertunt, Quem possedisti: quia etsi Moses peculiarem hunc esse Dei populum significat, minime tamen dubium est liberationem tanquam plenæ salutis causam poni: acsi diceret, Deo semper curæ fore populum quem semel tuendum suscepit.

17. *Introduces eos.*] Plautandi metaphora firmam stationem denotat: sicuti & Psal. 44. Tu manu tua Gentes expulisti, plantasti illic patres nostros, & fecisti ut mitterent radices. Porro templi commendatione, terræ ejus desiderium quæ Dei sanctuarium futura erat, in populi cordibus excitat Moses, & hac dulcedine pigros allicit ad fruitionem tanti boni expetendam. Ac de monte Sion vaticinatur multis ante seculis quam illic extructum esset templum. Unde colligimus, non hominum arbitrio delectum fuisse, sed æterno Dei consilio & prædestinatione consecratum. Nam in loco ipso, sicut in personis, fulgere oportuit gratuitum Dei favorem. Sicut in Psal. dicitur, Repudiavit tabernaculum Joseph, tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda. Item alibi, Quoniam elegit Dominus Sion, & desideravit pro habitaculo suo: hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam placuit mihi. Simul tamen prædicitur templi stabilitas: sicut alio loco, Manus tua fundavit eam. Et Deus ipse per Jesaiam se passurum negat ut Jerusalem in vastitatem redigatur: quia ab initio formaverit eam. Quanquam autem tota terra Chanaan alibi vocatur Dei requies, & nunquam populus in unam urbem collectus fuit: quia tamen Deus è suo Sanctuario totam gentem & terram benedicebat, ideo specialis fit mentio sancti montis. Hæc autem prophetia ad fulciendos animos valde necessaria fuit: quia sero tandem venit Jerusalem in ditionem populi. Et segniores haud dubie ad eam occupandam posteri fuissent nisi eorum animos stimulasset hæc promissio. Claudula subjicitur de æterno Dei regno, in quo fundata est Ecclesiæ perpetuitas. Sic David, postquam dixit Deum semper manere eundem, & annos ejus non deficere: hinc colligit, Filii servorum tuorum habitabunt, & posteritas eorum coram te stabilietur. Ergo Moses spem populi extendere voluit in omnia secula, eo quod regno Dei nullus esset finis.

Psal. 78. vers. 67.
Psal. 132. vers. 13.
Psal. 87. vers. 1.
Isa. 37. vers. 26.
Psal. 102. vers. 29.

19. *Quoniam ingressus.*] Non videtur hic versus aptus esse cantico: itaque potius existimo historicæ causam adscribi cur Dei laudes tam magnifice Israëlitæ celebraverint. Ac tollendæ ambiguitatis causa forte præstaret ita resolvere, Quia ingressus erat equitatus Pharaonis, & redire fecerat Deus aquas maris, & ambulaverant filii Israël in sicco.

20. *Sumpsit etiam Maria.*] Hic Moses in cantu ponit *dramatice*: quales fuisse olim in usu, constat ex Lyricis poëtis. Deus enim non viros modo præconesque habere voluit tanti miraculi, sed mulieres adjunxit socias: quo res in futurum tempus esset certior. Itaque ubi cantum suum absolverant viri, ordine sequebantur mulieres. Quanquam incertum est fuerintne illis primus versus intercalaris, (sicuti sacra historia testatur, in solenni cantu subinde interpositam fuisse sententiam hanc, Quoniam in seculum misericordia ejus: quæ etiam intercalatur in Psalm. 136.) an vero alternis vicibus teraverint foeminæ quod viri præcinuerant. Utrumvis eligas parum refert, nisi quod prior sententia ad verisimilitudinem propius accedit. Etsi autem prophetisse elogio Mariam insignit Moses, non tamen publicum docendi munus eam sibi sumpsisse narrat, sed tantum

1 Chron. cap. 16. vers. 34.

tantum aliis fuisse ductricem ac magistram in laudando Deo. Multis quidem absurda videri posset tympani pulsatio, sed eam mos gentis excusat: quem
Psal. 68. vers. 26. suo quoque tempore viguisse testis est David, ubi canoribus accensæ puellas tympanistrias, haud dubie communi & recepto usu. Quanquam simul notandum est, musica instrumenta inter Legales cæremonias fuisse, quas abolevit Christus suo adventu: ideoque alia nobis sub Euangelio simplicitas tenenda est.

22. Et eduxit Moses Israëlem è mari Suph: & egressi sunt in desertum Sur: ac quum perrexissent tribus diebus per desertum, non reperiebant aquas.

23. Post venerunt in Marah, nec poterant bibere aquas è Marah: quia amaræ erant. ideo vocatum est nomen ejus Marah.

24. Et populus murmurantes contra Mosen, dixerunt, Quid bibemus?

25. Tunc clamavit ad Jehovam: & indicavit illi Jehova lignum, quod projecit in aquas: & dulces redditæ sunt aquæ. Ibi posuit ei statutum & judicium, ibique tentavit eum.

26. Et dixit, Si obediendo obedieris voci Jehovæ Dei tui, & quod rectum est in oculis ejus feceris, & auscultaveris præceptis ejus, custodierisque omnia statuta ejus, universum languorem quem posui in Ægypto, non ponam super te: quia ego Jehova sanans te.

27. Venerunt autem in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & manserunt ibi juxta aquas.

22. *Et eduxit Moses.*] Jam narrat Moses, ex quo iter fecerunt trajecto mari, laborasse per triduum aquæ penuria: deinde quæ primum repertæ sunt, fuisse amaras, atque inde nomen loco impositum. Fuit quidem hæc non levis tentatio, sitim tribus diebus pati in terra arida, nec usquam occurrere solamen vel remedium. Itaque nihil mirum si anxie gemuissent. sed dolor contumaciæ plenus nullam veniam meretur. Preces ad Deum in tanta necessitate dirigere oportuit. Neglecto precandi studio, tumultuose Mosi obstrepunt, & ab eo potum exigunt, quem sciebant nonnisi à Deo dari posse. Sed quia nondum didicerant Deo fidere, ad ejus opem non confugiunt: nisi quod imperiose in servi persona votis suis obsequi jubent. Hæc enim interrogatio, Quid bibemus? tantundem valet acsi dixissent, Transige cum Deo ut nobis potum suppediter. Recta vero Deum non compellant, cujus auxilio se opus habere sentiunt: quia incredulitas semper est superba.

25. *Tunc clamavit.*] Hinc colligimus solum Mosen rite precatum esse quum populus impetuose contra eum insurgeret: & qui indigni erant communi aëre, dulci aqua fuisse fatiatos. In quo refulsit inæstimabilis Dei misericordia, qui naturam aquarum mutando, tam malignos & præfractos ingratosque homines alere dignatus est. Poterat initio dulcibus aquis eos potare, sed amaris voluit in medium proferre amaritudinem quæ in eorum cordibus latebat. Poterat etiam solo nutu vitium corrigere in aquis, ut sponte dulcescerent. Cur lignum adhibere maluerit, incertum est: nisi ut coargueret impiam eorum socordiam, ostendens multa sibi in promptu esse remedia quibusque malis. De ligno etiam quæstio nascitur, an vim, quæ tunc exerta fuit, habuerit ingenitam. Etsi autem probabiles in utramque partem rationes adduci possunt, magis in hanc sententiam inclino, vim occultam naturaliter in ligno fuisse, & tamen miraculo correctum fuisse aquæ saporem: quia difficile fuisset tantam ligni copiam momento congerere quæ fluvio purgando sufficeret. Neque enim exiguo fonte contenta fuissent sexcenta millia hominum cum uxoribus, liberis, & pecoribus. Quod autem hanc proprietatem ligno prius fuisse inditam existimo, ratione non frivola adducor: quia certam unam speciem Mosi fuisse ostensam patet. Neque id tamen obstat quin major solito efficacia extiterit, ut subitam dulcedinem injecto ligno aquæ acquirerent. Quod sequitur in secunda parte versus, duplicem sensum admittit: nempe, quamvis illic Deus posuisset statutum, tamen fuisse tentatum à populo: vel, quia tentatus fuit Deus à populo, ideo posuisse statutum. Si prior sensus placeat, exaggerabitur crimen à comparatione. Nam eo deterior fuit populi impietas, quod edoctus voce Dei, in eodem tamen loco suæ pervicaciæ frena laxavit. Ego vero posteriorem sensum magis amplector, quod Deus scilicet populi malitiam castigaverit, à quo tentatus fuerat. Genus porro tentationis fuit, quod non solum dubitanter scisciati sunt quis daturus esset aquam: sed hac voce testati sunt suam desperationem. Cæterum, quia uno contextu dicitur, Illic posuit statutum, & illic tentavit eum: videtur in utroque membro subjectum esse nomen Dei; & prædicari de populo, quod statutum acceperit & probatus fuerit. Ita sensus esset, Postquam Deus aquæ penuria examinavit populum suum, verbo quoque simul admonuisse, ut in posterum majori docilitate & obedientia se subjiceret illius imperio.

26. *Si obediendo obedieris.*] Nunc explicat Moses quale fuerit statutum illud vel edictum quod promulgavit Deus. Neque enim hic agitur de tota Lege, quæ deinde data fuit in monte Sinai: sed de speciali admonitione, quæ valuit ad castigandam populi malitiam. Summa autem est, si meminerint ac obsequentes Deo Israëlitæ, ipsum vicissim fore illis beneficum. Ac tacita est exprobratio, ut sciant se accersere suis peccatis quicquid molestiarum sustinent. Ægyptios illis proponit in exemplum, quorum rebellionem viderant tam gravibus & severis pœnis Deum fuisse ultum. Quod mox subjicitur, Ego Deus sanans te, ad confirmationem spectat: acsi diceret obnoxios iisdem plagis esse Israëlitas quæ Ægyptiis inflictæ fuerant, nec alia de causa esse immunes nisi quod Deus medici officium præstat. Et sane quotquot in genere humano grassantur morbi, in totidem speculis perspicere licet nostras miserias: ut sciamus nihil in nobis sanitatis esse, nisi quatenus nobis Deus parcit. Hoc etiam versu docemur, hanc demum esse juste vivendi regulam ubi obtemperamus voci Dei, studemusque ei placere. Quoniam autem paulo post Dei voluntas in Lege patefacienda erat, disertè jubet attentos esse præceptis, & servare statuta. Quod vocem חֻקָּה (quam usitatum est vertere Statuta) quidam à præceptis distinguunt, acsi essent mera placita quibus non est annexa ratio, nescio an satis firmum sit. Sufficiat Legem Dei commendari pluribus verbis, ad tollendum ignorantiæ prætextum.

27. *Venerunt autem in Elim.*] Hic recitat Moses datam fuisse amœniorem stationem populo, quum adductus est in locum irriguum, & palmis etiam consitum, quæ nasci in terra arida non solent. Hoc autem illius infirmitati fuisse concessum, ex superioribus colligimus: quia tam impatienter sitim tulerat.

Cap. XVI.

CAPUT XVI.

PRofectæ autem ab Elim cunctæ turmæ filiorum Iſraël, venerunt in deſertum Sin, quod eſt inter Elim & Sinai, quintodecimo die menſis ſecundi poſt eorum exitum è terra Ægypti.

2. Et murmuraverunt omnes turmæ filiorum Iſraël contra Moſen & contra Aharon in deſerto.

3. Et dixerunt ad eos filii Iſraël, Quis det ut mortui eſſemus per manum Jehovæ in terra Ægypti, quando ſedebamus juxta ollam carnis, & quando comedebamus panem in ſaturitate? Nam eduxiſtis nos in hoc deſertum, ut interficeretis congregationem hanc fame.

4. Tunc ait Jehova ad Moſen, Ecce, ego vobis pluam panem è cælo, & egredietur populus, & colligent ſummam diei die ſuo, ut probem eum, ambuletne in Lege mea an non.

5. In die autem ſexto parabunt quod inferant, & erit duplum præ eo quod colligent quotidie.

6. Et dixit Moſes & Aharon ad univerſos filios Iſraël, Veſpere ſcietis quod Jehova eduxerit vos è terra Ægypti:

7. Mane autem videbitis gloriam Jehovæ, quia audivit murmur veſtrum contra Jehovam. Etenim nos quid ſumus, ut murmuretis contra nos?

8. Et dixit Moſes, Quum dederit vobis Jehova veſpere carnem ad comedendum & panem mane ad ſaturitatem, ex quo audivit Jehova murmurationes veſtras, quibus murmuraſtis contra eum. Quid enim? non contra nos murmuraſtis, ſed contra Jehovam.

1. *Profectæ autem.*] Narrat Moſes, tranſacto uno menſe populum veniſſe in deſertum Sin propinquum monti Sinai, & quum cibus deficeret tumultuatum eſſe contra Deum & Moſen, donec Man novum & inſolitum cibi genus è cælo datum eſt. Quibus autem alimentis ſe interea ſuſtentaverint, incertum eſt. Divinant quidam ſecum ex Ægypto tantum farinæ tuliſſe quod ad victum ſufficeret. Mihi autem magis probabile eſt alios etiam cibos fuiſſe adjumento. Neque enim tanta erat regionum per quas tranſierunt ariditas, quin fructus ſaltem & herbas proferrent. Imo ex prælio in quo devictos fuiſſe Amalecitas paulo poſt narrabitur, conjicere promptum eſt non procul abfuiſſe à terra habitabili. Sed ex quo longius in ſolitudinem abſtracti ſunt, quia nullum amplius cum incolis erat commercium, cœpit eos omnis annona deficere. Hinc aucta ſeditio, quia fames ſolito magis urgebat. Eſt enim mox ex contextu colligere licebit aliquem ante fuiſſe in caſtris fremitum, fames tamen quæ demum magis urgere eos cœpit, (quia in terris incultis & ſqualidis terrebat eos undique vaſtitas) accendit impetum & clamores.

2. *Et murmuraverunt.*] Non dicit Moſes tantum aliquos è populo murmuraſſe: ſed turmatim fuiſſe collectos tanquam conſpiratione facta; vel certe, ut erant diſtributi in centurias & chiliadas, uno conſenſu murmuraſſe. Quanquam nota univerſalis exceptionem admittit: ne putemus omnes ad unum in hac impia & ſceleſta factione fuiſſe comprehenſos. Optimum ad ſedandam eſuriem remedium erat Deum precari, quem experti erant patrem modis omnibus beneficum, & quem audierant olim Patribus ſuis mirabiliter proſpexiſſe, quum Ægyptii & incolæ terræ Chanaan in locis tam fertilibus & opimis fame tabeſcerent. Si tantum perſuaſi fuiſſent, terram Dei benedictione fœcundam eſſe, ſimul etiam veniſſet in mentem, proprium ejuſdem eſſe munus paſcere famelicos, ac proinde vota ſua ad eum direxiſſent: nunc ex turbulento ſtrepitu detegitur eorum incredulitas. Eſt quidem hoc prodigioſum, miſeros homines, quos humiliare debuerat neceſſitas, proterve adversus Deum inſurgere; & fatuem adeo non flectere animos ad manſuetudinem, ut potius ſit ferociæ ſtimulus. Sed impiis hoc nimis vulgare eſt (quia Deum ſibi propitium eſſe non confidunt) neglectis precibus confuſe vociferari, maledicta evomere, & tanquam rabioſos canes huc illuc impetuoſe ruere. Hoc Iſraëlitis contigit in deſerto Sin. Objecta rerum omnium inopia eos ad ſe Deus invitat, ut ſentiant ejus virtutem, qua ex nihilo mundum creavit, non egere alienis ſubſidiis ad homines alendos. Atqui deſperatio vacuos fide animos occupat, ut ejus opem & beneficentiam rejiciant. Neque id ſolum, ſed malignitas quoque & ingratitudo ad litigandum cum Moſe inſtigat. Hæc querimoniæ ſumma eſt, quod abſtracti fuerint à copia panis & carnium, ut fame perirent in deſerto. Itaque Moſen & Aharon, quorum manu & opera liberati fuerant, ſuos vocant interfectores.

4. *Tunc ait Jehova ad Moſen.*] Credibile eſt multa ſubticere à Moſe: quia conſentaneum non eſt, ne uno quidem verbo caſtigatam fuiſſe populi intemperiem. Etſi enim Deus ſingulari indulgentia cibum tam improbis & pravis hominibus largitus eſt, qui luce Solis & communi ſpiritu indigni erant, ſoluit tamen haud dubie ſilentio fovere eorum malitiam: ſed quum ignoſceret eorum ingratitudini, acriter compeſcuit eorum petulantiam. Moſes autem, hac parte omiſſa, ad hiſtoriam tranſilit memoratu apprime dignam: quod ſcilicet cœleſti pane aluerit Deus miſerum illum populum, dum Man inſtar roris è nubibus ſtillare fecit. Panem cœleſtem voco cum Propheta, qui hoc tam magnifico elogio celebrat & extollit Dei beneficentiam erga populum, acſi ad menſas Angelicas fuiſſet adhibitus. Nam diverſo ſenſu Man ſpiritualis cibus dicitur à Paulo: quia ſcilicet typus erat carnis Chriſti, quæ animas noſtras in ſpem æternæ vitæ paſcit. Propheta autem myſterium illud non attingit, ſed hac circumſtantia traducit populi crimen, quod non modo cibos è terra genitos reſpuerit, ſed faſtidio etiam habuerit panem illum, cujus cauſa videbat cælos quodammodo eſſe apertos. Sed de hac re paulo poſt aliquid repetendum erit. Nunc pronunciat Deus ſe daturum in dies ſingulos quaſi demenſum, ut hoc modo probet obedientiam populi ſui. Quanquam de hoc poſtremo non conſentiunt interpretes: quia nonnulli perinde accipiunt acſi Deus benigne paſcendo Iſraëlitas, liberalitate ſua ad obſequium eos aſtringeret: quaſi diceret, Experiar ſintne prorſus indociles, an morigeri: quia nihil decerit ad ipſos in officio continendos. Alii vero roſtringunt ad cibum quotidianum: quia hæc timoris & reverentiæ fuit probatio, non plus appetere quam dabatur, ſed diurnis cibariis contentos eſſe, atque ita pendere à Dei providentia.

Pſal. 78. 24.

1 Cor. 10. 3.

Mihi

Mihi prior sensus magis arridet, quem melius exprimere conatus sum quam ex aliis queat intelligi. Porro de nomine Legis movere controversiam supervacuum est: quia Lex (ut paulo post videbimus) accipitur pro modo aut regula pie justeque vivendi. Cognaturum ergo se dicit an habeant in animo ipsum colere, seque subjicere ejus imperio. Siquis tamen amplecti malit alterum sensum, fruatur per me suo judicio.

5. *In die autem sexto.*] Quia mox subjicitur Sabbathi mentio, quidam ad ejus observationem restringunt quod dictum est de Lege: atque hunc sensum eliciunt, Deum fecisse periculum an populus quietem septimo quoque die præceptam fideliter coleret. quod jejunum est. Postquam autem Deus diurnum victum suis promisit, nunc addit exceptionem: nempe ut die sexto summam duplicem colligant, ac dimidiam partem reponant in usum Sabbathi. Ita reipsa dies septimus consecratus fuit ante Legem promulgatam. Quanquam incertum est an quies jam ante à Patribus observata fuerit: quod probabile videtur. de quo tamen pugnare nolim.

6. *Et dixit Moses & Aharon.*] Quod populum dicunt cogniturum, Dei esse opus exitum suum è terra Ægypti, impiæ exprobrationi opponitur, qua conquestus fuerat se proditum fuisse à Mose & Aharon, quando in desertum adductus fuerat. Respondent ergo, Deum palam facturum se auctorem esse liberationis, ne amplius obstreperi sint contra ejus ministros. Etsi autem subest acris objurgatio, conjuncta est tamen cum promissione continuæ gratiæ. Admonent enim, hoc effectu probatum iri, Deum fuisse Israëlitis ducem & liberatorem: quia opera manuum suarum mutila non deserit. Continuatio itaque gratiæ ostendit, eundem Deum, qui virtutem suam prosequitur, ab initio cœpisse quod in finem usque perducit. Cognitio vespertina refertur ad coturnices, in quibus specimen edidit Deus virtutis suæ: sed quia luculentius postridie refulsit in Man, dicit Moses mane visuros gloriam Domini. Verum ne hujus gratiæ prætextu seipsos demulceant, sibique adulentur in sua pravitate, admonet non dari hoc eorum peccatis, sed Deum hoc modo certare cum perversa eorum contumacia: acsi diceret apparituram illis Deum, ut in fulgore vultus ejus impietatem suam cernentes, tandem pudefiant, & sentiant sacrilegum fuisse tumultum quo Deum impetere ausi sunt. Ac ne tergiverfentur, quia nonnisi ipsum Mosen & Aharon aggressi fuerant, causam reddit cur ipsos bellum cum Deo gessisse pronunciet: nempe, quia tam ipse quam frater, neque seipsos ingesserint, neque sibi quicquam sumpserint proprium. Hoc enim sonant verba, Quid sumus, ut murmuretis contra nos? acsi negaret sibi quicquam à Deo separatum esse. Cæterum quum hoc testimonio se probet fidelem fuisse Dei servum, colligimus nullos sibi jure vindicare honorem in Ecclesia, ut legitimi Pastores censeantur, nisi qui & divinitus vocati sunt, ut Deum habeant muneris sui auctorem, & ex seipsis nihil proferunt, sed tantum exequuntur quod sibi mandatum est. Sicuti tales sperni nequeunt absque Dei injuria, cujus personam sustinent: ita qui pro libidine imperium exercent, inaniter simplices territant Dei nomine, quum pro veritate fallacem larvam objiciant. Octavus versus nihil præter expositionem ejusdem sententiæ continet: nisi quod conjunctim dicit sensuros esse Israëlitas, postquam vespere saturati fuerint carne, & mane datus fuerit panis, Deum esse suum liberatorem. Deinde antithesin exprimit, Non murmuratis contra nos, sed contra Deum.

Psal. 138. vers. 8.

9. Et dixit Moses ad Aharon, Dic ad universum cœtum filiorum Israël, Accedite in conspectum Jehovæ, quia audivit murmurationes vestras.

10. Et factum est quum loqueretur Aharon ad universum cœtum filiorum Israël, ut respicerent versus desertum: & ecce, gloria Jehovæ apparuit in nube.

11. Loquutus enim fuerat Jehova ad Mosen, dicendo,

12. Audivi murmurationes filiorum Israël: alloquere eos, dicendo, Inter vesperas comedetis carnem, & mane saturabimini pane: itaque scietis quod ego sim Jehova Deus vester.

13. Factum est ergo vespere ut ascenderet coturnix, & operiret castra: mane autem esset descensio roris circum castra.

14. Et quum evanesceret descensio roris, ecce in superficie deserti minutum rotundum, minutum quasi pruina super terram.

15. Et videntes filii Israël, dixerunt quisque ad proximum suum, Est Man. Nesciebant enim quid esset. Et dixit Moses ad eos, Hic est panis quem dedit Jehova vobis comedendum.

16. Hoc est edictum quod mandat Jehova, Colligite ex eo quisque in mensuram victus sui homer, pro summa numeri animarum vestrarum: quisque pro iis qui sunt in tabernaculo suo accipite.

17. Atque ita fecerunt filii Israël: & collegerunt, alii multum, alii exiguum.

18. Et quum metirentur per homer, non excedebat is qui multum collegerat, ne minus habebat qui parum collegerat: quisque ad mensuram victus sui colligebat.

9. *Et dixit Moses ad Aharon, Dic ad universum.*] Non dubium est quin reos citet ad Dei tribunal: acsi diceret eos falli, si existiment occultum esse suum murmur. Interea tamen alludit ad nubem quæ visibile erat symbolum præsentiæ Dei: atque ita exprobrat illis socordiam, quod non dubitaverint Deum tam propinquum, & qui pene illis erat ante oculos, lacessere. Primo igitur notandum est, ipsos è latebris suis quodammodo extrahi, ut frangatur eorum protervia: deinde coargui eorum stuporem, quod Deum præsentem non revereantur. Quod melius liquet ex contextu, ubi dicitur apparuisse Dei gloria versus desertum: quo nomine designari arbitror plagam minus habitabilem. Etsi enim regio undique erat sterilis & incolis vacua, ab una tamen parte vicini erant Amalecitæ, & alii populi, ut paulo post videbimus. Gloriam vero Dei interpretor, non quam cernere quotidie solebant, sed quæ tunc insolito modo patefacta fuit ad incutiendum terrorem: quia ad ordinaria documenta obduruerant.

11. *Loquutus enim fuerat.*] Hic docet Moses nihil se Dei injussu egisse, sed functum esse fideliter & modeste ministri partibus. Et certe, nisi loquutus esset ex ore Dei, temere pollicitus esset quod ante vidimus. Itaque subjicitur quod ordine prius erat: & ideo copulæ loco rationalem particulam posui. Summa est, ut prius Deum fore vindicem suæ gloriæ, cui populus impie obtrectaverat; & beneficaturum indignis, quo nomen suum glorificet: acsi diceret, Ubi convicta fuerit vestra ingratitudo, coget vos res ipsa fateri me esse solum Deum, & simul vobis patrem.

13. *Fa-*

13. *Factum eſt ergo.*] Videbimus poſtea, quum tædio Mannæ carnes expetere cœpiſſent, rurſus datas illis fuiſſe coturnices: ſed quum adhuc in ore eſſent, ſumptam fuiſſe horribilem pœnam de eorum intemperie. Hic quum tantum conqueſti eſſent de alimentorum penuria, ſemel eos ſaturavit Deus carnibus, ut oſteoderet ſibi in manu eſſe quamlibet ciborum copiam ac varietatem. Deinde una tantum ſpecie cootentos eſſe voluit. Quamvis enim conqueſti eſſent ſe privatos eſſe carnibus, ad quarum ollas prius ſedebant, non tamen æquum fuit improbæ eorum cupiditati Deum omni ex parte morem gerere. Quin etiam ipſis utile fuit modum aliquem præfigi, ut à Dei arbitrio penderent.

14. *Et quum evaneſceret.*] Breviter hic deſcribitur figura Man, nempe quod fuerit quaſi ros denſatus in rotunda & exigua grana: ſaporis etiam alibi fiet mentio. Verum hoc loco ſatis fuit oſtendi, fœcunditatem hanc, quæ natura non erat, miraculo inditam fuiſſe nubibus, ut Man quotidie pluereot. Nam quod gatriunt profani quidam homines, naturaliter in quibuſdam regionibus Manna decidere, atque in eo acumen ingenii ſui venditant, acſi Moſen tenereot mendacii convictum, quod magnifice rem oibili extollat, nugatorium eſt ac nullo negotio refellitur. Verum quidem eſt colligi in quibuſdam locis grana alba, quibus nomen Man vulgo fuit impoſitum, quod tamen unus ex Rabinis vult eſſe Arabicum: ſed neque cibus eſt, neque quotidie ſtillat è nubibus, nec quicquam habet cum hoc cibo commune: quem merito Propheta elogio panis Angelici
Pſal. 78. verſ. 24. inſignit, quia Deus, qui in communem hominum victum aperit terræ viſcera, tunc è cælo alimenta populo ſuo deprompſit. Atque ut indubie conſtet mirabiliter & præter naturæ ordioem cibum hunc tunc fuiſſe creatum, hæc conſideranda ſunt. Primo, non ante apparuit in deſerto quam ex mandato Dei hora condicta fuit à Moſe. Secundo, nulla aëris mutatio obſtitit quominus æquabili tenore Man ſtillaret: non gelu, non pluvia, non æſtus, non hyems, non æſtas curſum hujus diſtillationis abrupit. Tertio, copia quæ immenſæ multitudini ſufficeret, ſingulis diebus reperta eſt, quum homer unum acciperent io ſingula capita. Adhæc, die ſexto duplicata fuit copia, ut alterum homer in cibum Sabbathi repunerent. Quinto, ſi quid ſervabant præter juſtum demenſum, putredini obnoxium fuit, quum die Sabbathi integra maneret altera portio. Sexto, quocunque profecti ſunt, ſemper eos comitata eſt hæc Dei benedictio: quum vicinæ gentes frumento veſcerentur, & tantum in caſtris illis Man eſſet cognitum. Septimo, ſimulatque ingreſſi ſunt terram fructuoſam ac tritici feracem, Man ceſſavit. Octavo, quod juſſus eſt Aharon in vaſe recondere non computruit. His probe expenſis, ſatis ſuperque illuſtre erit miraculum, ſuoque fulgore nebulas omnes cavillationum diſcutiet.

15. *Et videntes filii Iſraël.*] Signum aliquod gratitudinis dederunt Iſraelitæ, cibum è cælo ſibi datum, Man vocando: quod nomen tantundem valet ac Paratum. Si cui tamen magis arrideat eorum ſententia qui Partem vel portionem exponunt, non contendo. Quanquam alterum illud rectius eſt. Utrumvis tamen eligas, hac voce confeſſi ſunt, liberaliter ſecum agi, quod Deus cibum abſque labore ipſis offerret: atque ita pravam & malignam ſuam expoſtulationem tacite damnant, quia longe præſtet paratum cibum colligere quam acquirere difficili & moleſta terræ cultura. Etſi autem iocredibili novitate extorta illis fuit confeſſio, propoſitum tamen illis fuit in eo temporis articulo prædicare Dei beneficium. Sed quoniam incredulitas obſcuraverat eorum ſenſus, ut liquido non perſpicerent, dicit Moſes eos neſciſſe quid eſſet. Quibus verbis perſtringit eurum ſocordiam, qui de miraculo admoniti, acſi nihil prius audiſſent, ſtupeſcunt ad conſpectum. Colligimus ergo mediam fuiſſe eorum cognitionem: quia & implicita fuit ignorantiæ tenebris, & tamen coacti ſunt fateri quod non ſatis didicerant. Ideoque non ſine acerbitate coarguitur eorum ſtupor, ubi docet Moſes hunc eſſe cibum à Deo promiſſum. Nam ſi promiſſionis effectum agoovilſent, non opus erat memoriam renovari. Quod ad verba ſpectat, Græcos & Latinos interpretes cauſæ redditio decepit, ut interrogative legerent, Quid hoc? Sed facile tollitur eorum ſcrupulus: quia non ſimpliciter docet Moſes eos de re iocognita ſcifcitatos: ſed miſtam ignoratione notitiam potit: ſicuti res partim dubia, partim conſpicua erat. Oculis enim patebat Dei virtus: velum incredulitatis oppoſitum erat, oe promiſſam ſibi gratiam cernerent.

16. *Hoc eſt edictum.*] Additur exceptio, ut in colligendo victu rationem habeant Sabbathi. Præſcribitur menſura in ſingulos dies: jubentur autem pridie Sabbathi eam duplicem reponere, ut quietem obſervent. Deus autem haud dubie ſuam liberalitatem eo extendit quod ſaturitati ſufficeret. Notum quidem eſt homer fuiſſe decimam partem epha: & forte aliqua proportio cum menſuris apud nos uſitatis iaveniri poſſet. Verum curioſius nolo de re non neceſſaria diſputare: quia ſufficit tenere, non minus fuiſſe datum quam ad amplam copiam ſufficeret.

17. *Atque ita fecerunt.*] Non arbitror magnopere laudari populi obedientiam hoc loco: quando paulo poſt ſubjiciet Moſes, quoſdam juſto demeſo non contentos, pluſquam liceret coacervaſſe: alios etiam tranſgreſſos eſſe quod de Sabbatho præceptum erat. Sed ita orationem reſolvo, Quum omoes operam navaſſeot colligeodo, repertum fuiſſe in congerie quod in ſingula capita homer compleret. Neque enim ſibi quiſque privatim annonam parabat: ſed ubi omnes contulerant operas, tnodem ex communi acervo ſumebant præſcriptam portionem. Ita ut quiſque agilitate præſtabat, abſque ulla jactura magis juvabat propinquum ſuum tardiorem & minus induſtrium. Hoc apte transfert Paulus ad eleemoſynas, dum quiſque de ſuo erogat fratribus egenis: modo ſciamus fieri per anagogen: quia ſicuti aliqua eſt ſimilitudo inter Man & quotidianum victum, ita tenendum eſt diſcrimeo, cujus alibi fiet mentio. Quum ergo Man cibus eſſet à communi diverſus, ac quotidie ſine cultura & labore prope in manus daretur, non mirum eſt ſi Deus æqualiter ſingulos è populo ad eſum illius vocaverit, ac vetuerit quenquam plus aliis ſumere. Victus autem ordinarii alia eſt ratio: quia ad fovendam humanam ſocietatem pertinet, ut quiſque quod ſuum eſt poſſideat: acquirant alii emendo, ad alios fundi hæreditario jure perveniant, ad alios titulo donationis: ut quiſque vel ſolertia polleat, vel corporis viribus, vel aliis dotibus, ita facultates ſuas augeat. Detique politicus ordo flagitat, à quoque teneri quod ſuum eſt. Proinde abſurdum eſſet in victu uſitato legem præſcribere, qualis de Man hic legitur. Et prudenter etiam diſtinguit Paulus, dum æqualitatem ſtatuit non in promiſcuo & confuſo uſu, ſed ut divites ſponte & liberaliter fratrum inediæ ſuccurrant, non autem ex neceſſitate vel triſtitia. Hoc modo admonet, quicquid bonorum nobis ſuppetit, quaſi Man ex Dei liberalitate profluere: ſed quia privatim & ſeorſum ſinguli poſſident quod illis datum eſt, non eandem hodie præfigi legem in mutua bonorum communicatione, qua Deus populum veterem adſtrinxit. Unde apparet, recte aptari eleemoſynis diſtributionem Man quæ à Moſe narratur. Eadem doctrina longe extenditur. Vetat enim Paulus nimium ſollicitos eſſe fideles ne ſe beneficentia exhauriant: quia nemini defuerit annona, quum Man ex Dei mandato participantur inter ſe Iſraelitæ.
2 Cor. 8. verſ. 14.

19. Et ait Moſes ad eos, Nemo relinquat quicquam ex eo uſque mane.

20. Sed non audierunt Moſen: quia quidam reſervarunt ex eo uſque mane. Et ſcatere cœpit vermibus, & computruit: ideoque iratus eſt contra eos Moſes.

21. Itaque collegerunt illud ſingulis diebus mane: quiſque ſecundum menſuram ſuam: & quum Sol incaluerat, liquefiebat.

22. Fuit autem die ſexto ut colligerent panem duplum, duo ſcilicet homer pro uno. Et venientes principes congregationis retulerunt Moſi.

23. Qui dixit eis, Hoc eſt quod loquutus eſt Jehova, Quies Sabbathi ſancti cras eſt Jehovæ: quod coctur eſtis, coquite, & quod elixaturi eſtis, elixate: & quicquid reſiduum erit, reponite vobis uſque mane.

24. Et repoſuerunt illud uſque mane, ſicut præceperat Moſes: & non computruit, nec vermis fuit in eo.

25. Dixitque Moſes, Comedite illud hodie: quia Sabbathum eſt hodie Jehovæ. Hodie non invenietis illud in agro.

26. Sex diebus colligetis illud: die autem ſeptimo eſt Sabbathum, non erit in illo.

27. Accidit autem die ſeptimo ut egrederentur quidam è populo ad colligendum illud: & non invenerunt

28. Tunc ait Jehova ad Moſen, Uſquequo renuitis ſervare præcepta mea & leges meas?

29. Videte quod Jehova poſuerit vobis Sabbathum: ideo ipſe dat vobis die ſexto panem duorum dierum: quiſque apud ſe quieſcat, nec ullus egrediatur è loco ſuo die ſeptimo.

30. Quievit itaque populus die ſeptimo.

19. *Et ait Moſes ad eos, Nemo.*] Hic narrat Moſes, quum ſingulos juſſiſſet non plus quotidiano victu ſumere, & pridie Sabbathi colligere duplex demenſum, in utroque aliquos minime fuiſſe obſequentes. Quod ad prius ſpectat, quum vellet illis Deus cibum non aliter ſuggerere quam infantibus mammæ porrigi ſolent, ſignum perverſæ incredulitatis fuit, non pendere à providentia Dei, ſed annonam expetere in dies complures. Signum vero pervicaciæ fuit, nolle ullis monitionibus fidem habere, donec experientia convicti forent ſe nonniſi fœtorem domi reponere. Neque enim ut ab inexplebili cupiditare deſiſterent adducti ſunt, donec juſtas dediſſent pœnas. Etſi autem non prorſus ſimilis eſt ratio Man & ordinarii panis quo alimur, aliquatenus tamen valet anagoge: quia ſic frumentum & vinum in horreis & cellis reconditum ſervare licet, ut tamen vere omnes panem quotidianum à Deo poſtulent. Id autem fiet ſi non avide ingurgitent divites quicquid contrahere ad ſe poſſunt, ſi non avare hinc inde corradant, ſi non ex pauperum eſurie ſaturi ſint, ſi non ſupprimant quantum in ſe eſt Dei benedictionem, ſi denique non intemperanter accumulent magnos acervos, ſed ex præſenti copia ſint liberales, non ſint in futurum nimis anxii, ac ſe imminui (ſi opus ſit) non ægre ferant: imo animis parati ſint ad ferendam pauperiem: nec glorientur in ſua abundantia, ſed in paternam Dei bonitatem recumbant. Et certe avaris ſæpe videmus quod furtis, rapinis, fraudibus, iniquitatibus, crudelitate vel ſordibus cumulant, tandem illis in fœtorem verti. Ubi addit, Poſtquam viderunt immodicum ardorem carere profectu, acquieviſſe præcepto: ſignificat, non voluntarium, ſed extortum fuiſſe obſequium. Sicuti ſtulti nonniſi malo accepto ſapiunt. Quod autem Man calore Solis liquefiebat, ſtimulus illis fuit ad corrigendam ignaviam, vel pigritiem: quia ſi toto die Man integrum duraſſet, non ita fuiſſent ad officium attenti. Ergo Deus exiguum tempus concedens, ad ſedulitatem eos hortatus eſt.

22. *Fuit autem die ſexto.*] Nondum refertur violatio Sabbathi, ſed tantum oſtenditur ſtupor vel nimis craſſa inſcitia in ipſis ducibus. Quamvis enim audiſſent ex ore Moſis, Deum illo die daturum quod bidui alimentis ſatis eſſet, mirantur tamen, & rem quaſi novam atque incredibilem Moſi nunciant. Facile apparet paruiſſe quidem imperio, ne labori parcerent in colligenda portione duplici: ſed incredulitas & ſtoordia in eo ſe prodit quod obſtupeſcunt, ubi re ipſa præſtari vident quod Deus promiſerat. Cæterum conjicere licet, curioſe obſervaſſe quod eos in admirationem traxit. Unde ſequitur, fidem abrogaſſe Dei verbo, donec effectu probata fuit ejus veritas. Sed admirabili Dei conſilio factum eſt ut maligna eorum pravaque dubitatio tam ad miraculi confirmationem, quam ad Sabbathi obſervationem prodeſſet. Hinc data fuit Moſi occaſio, ut ſecundo illis præciperet quod alioqui forte eſſet neglectum t nempe ut ſanctam quietem die ſeptimo colerent.

27. *Accidit autem die ſeptimo.*] Hæc eſt ſecunda transgreſſio, quod die ſeptimo egreſſi violarunt Sabbathi cultum. Hinc autem præpoſtera illa cupiditas nata eſt, quod non putarunt vere à Moſe dici quod nuper audivimus. Clare enim pronunciaverat Man non reperturos. Mendacii ergo eum inſimulant, dum oculis ſuis volunt credere. Interea pro nihilo ab ipſis ducta fuit Sabbathi religio: imo conati ſunt diem quem ſanctificaverat Deus profanare, ut nihil ab aliis differret. Merito itaque tam acerbe in eos invehitur Deus. Nam Moſen compellans, in ejus perſona præfractam totius populi malitiam accuſat. Non erat certe Moſes unus ex eorum numero qui abnueret ſervare Dei leges: ſed hac generali ſententia vehementius pungitur turba quæ deliquit, & major injungitur Moſi neceſſitas caſtigandi populi, dum pars culpæ in ipſum transfertur. In particula Quouſque, ſubindicat Deus minime tolerabilem eſſe eorum pervicaciam, quod nullum faciant peccandi finem, ſed novis ſceleribus majorem vindictam ſubinde provocando, intractabiles ſe eſſe demonſtrent.

31. Appellavit autem domus Iſraël nomen illius Man: & erat quaſi ſemen coriandri album, & guſtus ejus quaſi placenta mellita.

32. Et dixit Moſes, Hoc eſt verbum quod mandavit Jehova, Imple homer ex eo quod ſervetur in ætates veſtras, ut videant panem quo cibavi vos in deſerto, quando eduxi vos è terra Ægypti.

33. Et

33. Et ait Moſes ad Aharon, Tolle urnam unam, & pone in ea homer integrum Man, & repone illud coram Jehova in cuſtodiam in ætates veſtras.

34. Sicut præceperat Jehova Moſi, repoſuit illud Aharon coram teſtimonio in cuſtodiam.

35. Et comederunt filii Iſraël Man quadraginta annis, donec veniſſent in terram habitandam: Man ipſum comederunt, donec veniſſent ad terminum terræ Chanaan.

36. Porro homer eſt decima pars epha.

31. *Appellavit autem.*] Non abs re iterum repetit Moſes quod ante dixerat, nomen Man fuiſſe impoſitum novo cibo quem Deus ſuggeſſerat, ut improbæ pervicaciæ damnentur quicunque de re adeo teſtata quæſtionem movere audebunt: quando malignis alioqui & ingratis vocem hanc extorſit rei perſpicuitas. Forma ad probandam miraculi certitudinem exprimitur, nempe quod rotunda fuerint grana & ſimilia coriandro: quia nihil ſimile ante viſum fuerat. Sapor ingratitudinem populi coarguit; qui cibum non modo idoneum & ſalubrem, ſed guſtu ipſo ſuaviſſimum reſpuerit.

32. *Et dixit Moſes.*] Non contexit Moſes hiſtoriam ſuo ordine, ſed narratione ex *ὑστερολογίᾳ* interpoſita, melius confirmat ſingulari Dei beneficio creatum tunc fuiſſe populo alimentum: quia Deus in monumentum ſervari voluit homer unum, quod nullo fœtore corruptum, ad poſteros propagavit miraculi gloriam. Ac primo generaliter proponit Dei mandatum, deinde proximo verſu modum deſignat, nempe ut Aharon recondat in phiala, vel urceo, & collocet juxta arcam fœderis. Unde etiam apparet quanti voluerit fieri Deus ſuum illud beneficium, cujus memoriam voluit extare in ſanctuario una cum tabulis fœderis ſui. Quod autem duæ loquutiones eodem ſenſu ponuntur, Coram Jehova, & Coram teſtimonio, ad commendationem Legalis cultus valet: ut ſciret populus virtutem Dei ſibi in ſanctuario propinquam eſſe. Non quod loco incluſus eſſet, aut viſibili ſymbolo affixas eſſe vellet ſuorum mentes: ſed infirmitati eorum conſulere volens, ad ipſos quodammodo deſcendit, quum virtutis ſuæ præſentiam externis ſiguris teſtatus eſt. Deſcendit ergo ad eos, non ut in craſſa ſuperſtitione occuparet eorum mentes, ſed ut ſurſum per gradus ad ſpiritualem cultum attolleret.

CAPUT XVII.

DEinde profectus eſt univerſus cœtus filiorum Iſraël è deſerto Sin per turmas ſuas, ſecundum præceptum Jehovæ: & caſtrametati ſunt in Raphidim, ubi non erat aqua ut biberet populus.

2. Et rixatus eſt populus cum Moſe, ac dixerunt, Date nobis aquam ut bibamus. Dixit autem illis Moſes, Quid rixamini mecum? quid tentatis Jehovam?

3. Sitivit ergo illic populus ab aquis: & murmuravit populus contra Moſen, dicens, Quare ſic nos aſcendere feciſti ex Ægypto, ut interficeres me, & filios meos, & pecora mea, ſiti?

4. Et clamavit Moſes ad Jehovam, dicendo, Quid faciam populo hûic? Adhuc paulum, & lapidabunt me.

5. Et ait Jehova ad Moſen, Tranſi ante populum, & tolle tecum è ſenioribus Iſraël: virgam quoque tuam qua percuſſiſti fluvium, tolle in manu tua, & incede.

6. Ecce, ego ſtabo coram te illic ſuper petram quæ eſt in Oreb. Et tu percuties petram, egredienturque aquæ ex ea, ut bibat populus. Et fecit ſic Moſes coram oculis ſeniorum Iſraël.

7. Vocavitque nomen loci illius * Maſa & Meriba, propter rixam filiorum Iſraël, & quia tentaſſent Jehovam, dicendo, Eſtne Jehova in medio noſtri, an non? * *Tentatio & rixa.*

1. *Deinde profectus.*] Vix ſedata propter cibi penuriam erat populi ſeditio, quum de potu rurſum tumultuantur. Debuerant ſaltem ex Manna cognoſcere, quoties eos premeret neceſſitas, ſuppliciter votis ac precibus implorandam eſſe opem Dei, ac certo ſperandam eſſe. Atqui, pro ſuo ingenio, deſperatione feruntur ad cæcos ſtrepitus, & impetuoſos clamores. Similis fere hiſtoria legitur Numerorum viceſimo capite. Nam quod quidam unam eandemque eſſe putant, facile coarguitur eorum error ex circumſtantia temporis & loci: & capite 33. ſatis aperte patet quantum interfuerit inter hanc ſtationem & alteram. Probabile etiam non viderur quod tradunt quidam ex Rabinis, ſitim hanc non fuiſſe ex naturali appetitu, quod Man non tantum cibus foret, ſed etiam potus vice. Neque enim ulla ratio cogit hoc divinare: & ex textu elicimus, initium murmuris inde ortum eſſe quod tunc primum aquæ deficere cœperunt. Voluit autem Deus duobus modis, & quidem diverſo tempore, probare Iſraëlitarum animos, quo apertius proderent ſibi indomabile eſſe ingenium. Panem & aquam ſimul petendo, magis fuiſſent excuſabiles: poſtquam vero experti ſunt genus edulii ſuave & ſalubre liberaliter ſibi è cœlo datum, eo quod nullas fruges proferret regio, ubi potus non ſuppetit, protinus Deo obſtrepere, pervicacia eſt minime tolerabilis. Porro duplex eorum crimen narratur: quod litem & jurgium intentaverint Deo, deinde quod eum tentaverint. Utrumque ex infidelitate manavit, cujus cauſa fuit ingratitudo. Nam quod Deus illis nuper præſtiterat, voluntaria oblivione tam cito deleri, nimis indignum fuit. Fame laborantibus ſuppetias tulerat: cur ſiti urgente non ad eum confugiunt? Conſtat igitur male apud eos locatam fuiſſe gratiam priorem, quæ eorum ſocordia mox evanuit. Hinc etiam incredulitas, quod à Deo nihil expectant vel poſtulant. Huic conjuncta eſt ſuperbia, quod ad jurgandum prorumpere audent. Atque hoc fere ſemper accidit, ut Deum in certamen provocent, & turbulento impetu contra eum ruant, qui neque pendent ex ejus providentia, neque in promiſſiones recumbunt: quia belluina affectuum intemperies nos ad furorem rapit, niſi perſuaſi ſimus Deum nobis in tempore auxiliatorem fore, & ſubjecti ſimus ejus arbitrio. Cæterum initio capitis breviter indicat Moſes, ſecundum præceptum vel os Dei (ut Hebraice legitur) profectos eſſe Iſraëlitas, acſi lauderet eorum obedientiam. Unde colligimus,

in primo actu satis ad officium fuisse propensos, donec occurrit tentatio, quæ rectum cursum abrumperet. Quo exemplo monemur, ubi quid aggredimur ex Dei jussu, sedulo videndum esse ne quid perseverantiæ nostræ obsistat: & nullos ad recte agendum esse idoneos, nisi qui ad sustinendos tentationum conflictus probe instructi sunt.

2. *Et rixatus est populus cum Mose.*] Hic jam se detegit tum eorum impietas contra Deum, quod eo neglecto ac relicto bellum suscipiunt cum Mose: tum etiam malitia & inhumanitas, quod tot bonorum immemores, petulanter Mosi insultant. Sciebant fontes & fluvios non posse creari ab homine mortali: quorsum igitur cum eo litigant, nec recta Deum invocant, cujus in manu sunt aquæ, ut reliqua elementa? Certe si qua fuisset in eis fidei gutta, ad precationem se vertissent. Itaque merito expostulat Moses quod secum jurgando, Deum ipsum tentent. Quod vero Mosen accusant crudelitatis, quod eos traxisset ex Ægypto, ut cum liberis & pecoribus in deserto interficeret; quantæ socordiæ est? Sed hac de causa præcipue ipsos castigat Moses quod turbulento hoc jurgio tentetur Deus. Ipsa autem tentationis forma in fine exprimitur, quod scilicet dubitaverint effetne Deus in medio ipsorum an non. Unde sequitur, fontem totius mali fuisse diffidentiam: quod neque justam laudem tribuerent Dei potentiæ, neque veracem in suis promissionibus esse crederent. Sufficeret enim eorum curam, & pollicitus fuerat se nunquam illis defuturum: cur ergo nunc, quum res ita exigit, non statuunt præsto sibi fore, nisi quod tam ejus potentiæ quam veritati maligne derogant?

4. *Et clamavit Moses.*] Videtur hic clamor non fuisse compositus ad veram precandi normam, sed confusa querimonia fuisse mixtus, ad quam impulsus fuit Moses gravi animi perturbatione: sicuti interdum sanctos abripit immodicus ardor, ut orando potius fremant quam vota rite & moderate concipiant. Turbulentum enim vel obstreperum aliquid sonant hæc verba, Quid faciam populo huic? acsi Moses indignatione percitus iniquo onere gravari se queratur: quod libenter excuteret, si veniam & manumissionem impetrare posset à Deo. Quod sequitur, varie exponunt interpretes. Quidam ita resolvunt, Nisi mox succurrat Deus, sed paulisper adhuc dissimulet, Mosen lapidatum iri. Alii vero, Parum abest quin prosiliant ad me lapidandum. Sunt etiam qui in præterito tempore legunt: quibus refragatur particula עוד quæ in futurum respicit. Mihi illud magis probatur, Si Deus auxilium suum vel exiguo tempore differat, non posse retineri populi furorem quin Mosen lapident.

5. *Et ait Jehova ad Mosen.*] Prodire in medium jubet, acsi eum objiceret præsenti mortis periculo. sed quia persuasus erat Moses, in ejus arbitrio esse, non minus sedare quamliber sævos hominum impetus quam fluctus & tempestates maris, non trepidat neque refugit. Cæterum ita potentiam suam illustravit Deus, ut tamen populum à propiore conspectu submovens, ignominia notaret. Transit quidem Moses coram omnibus, solos tamen seniores secum ducit, coram quibus aquam ex rupe eliciat, ut oculati sint testes miraculi. Hæc media ratio neque obscuram esse patitur beneficii Dei gloriam, & tamen indignum esse vulgus ostendit quod Deus ad spectandam suam virtutem admittat. Ut persuadeat baculum non fore vacuum efficacia, revocat in memoriam quod jam experti us erat. Neque tamen recenset omnia miracula: sed tantum attingit quod principio vidimus, tactu illius, Nili aquas conversas fuisse in sanguinem. Quod Deus faturum se super rupem pronunciat, ad tollendam dubitationem tendit, ne Moses de eventu anxius sit vel dubius: quia alioqui irrita fuisset ac luforia rupis percussio. Animatur ergo Moses ad fiduciam: quia Deus, quem fidei obedientia ducem sequitur, per manum ejus virtutem suam exeret, ne quicquam frustra vel absque effectu aggrediatur. Interea quamvis interponat servi sui operam, laudem tamen operis sibi vendicat.

7. *Vocavitque nomen loci.*] Potest quidem verbum hoc indefinite accipi, acsi dixisset nomen loco fuisse impositum: sed magis probabile est Mosen Dei mandato sic locum vocasse, quo Israëlitæ crimen suum duplici nota insignitum melius agnoscerent. Quanquam non tantum ejus sensum infigere voluit eorum animis, sed memoriam quoque ad posteros tradere. Eadem postea exprobratio repetita est in Cades, ut videbimus: quia prior notitia apud socordes oblivione sepulta erat. Porro tantundem valuit loci appellatio acsi terra ipsa clamasset, populum pro ingenii sui pravitate, tumultuosum esse & incredulitati deditum. Tentatio autem contentionum mater est: quia quisquis Deo diffidit, quoties res non accidunt ex voto, ad fremendum & litigandum impellitur. Jam, dum refert Moses Israëlitas tentasse Deum, dicendo, Estne Deus in medio nostri? non intelligit palam sic loquutos esse: sed quia huc tendebant eorum fremitus, quum ob aquæ defectum contra Mosen insurgerent, ac clamarent se ab eo fuisse deceptos: acsi penes Deum nulla esset auxiliandi facultas. Etsi autem maligno & perverso populo æternam ignominiæ notam inussit Deus, admirabile tamen bonitatis suæ specimen in eo edidit, quod non tantum potum largitus est reficiendis corporibus, sed animas quoque diguatus est spirituali potu: quemadmodum testatur Paulus petram fuisse Christum, & ideo aquam quæ inde profluxit, calici sacræ Cœnæ comparat. Ita videmus ut supra hominum malitiam exuberet immensa Dei misericordia, & vitia eorum in salutem vertendo, lucem ex tenebris educat: tantum abest ut quod ipsis utile est conferens, mercedem rependat eorum meritis. Sed tenenda est quæ illic inferitur admonitio, nihil profuisse multis quod spirituale potum biberint: quia scilicet tam singulare donum profanaverint suis sceleribus. 1 Cor. 10. vers. 4.

8. Venit autem Amalec, & pugnavit cum Israël in Raphidim.

9. Tunc ait Moses ad Josuah, Elige nobis viros, & egrediens pugna contra Amalec: & cras ego stabo in vertice collis, & baculus Dei erit in manu mea.

10. Et fecit Josuah sicut dixerat ei Moses, pugnando cum Amalec. Moses autem & Aharon & Hur ascenderunt in verticem collis.

11. Et factum est, quum levaret Moses manum suam, prævaluit Israël: & quum demitteret manum suam, prævaluit Amalec.

12. Manus autem Mosis erant graves: itaque tulerunt lapidem & supposuerunt ei, & sedit super illum. Aharon vero & Hur sustentaverunt manus ejus, alter hinc & alter inde. Mansitque manibus suis firmis usque ad occasum Solis.

13. Et fregit Josuah Amalec & populum ejus in ore gladii.

14. Tunc dixit Jehova ad Mosen, Scribe illud pro memoriali in libro, & trade auribus Josuah: quoniam delendo delebo memoriam Amalec de sub cælo.

15. Et

15. Et ædificavit Moses altare: vocavitque nomen ejus, Jehova * miraculum meum.
16. Et dixit, Certe manus super solium Jehovæ: prælium Jehovæ cum Amalec à generatione in generationem.

* vel, exaltatio mea.

8. *Venit autem Amalec.*] Hos Deus primos hostes objecit Israëli, postquam ab Ægyptiis liberatos aliquanto tempore in quiete & otio continuerat. Duabus autem maxime de causis bello tunc impeti voluit: vel quo pœnam exigeret de recenti illorum scelere, vel quo eorum deinceps duriorem corrigeret, ne peccandi esset illecebra. Quemadmodum enim inter milites sæpe ex laborum remissione oritur seditio, ita quo magis huic populo parcebat Deus & indulgebat, eo magis crescebat petulantia. Non mirum igitur si bello expergefacti fuerint, quum ex tranquillo statu lasciviendi occasionem sumerent. Ipsos vero Amalecitas quidam divinant hoc consilio ad arma fuisse impulsos: primum ut paternæ abdicationis ultores essent; deinde quod eos urebat invidia, nec volebant posteros Jacob potiri hæreditate à qua dejectus fuerat Esau, cujus nepos fuerat Amalec gentis auctor. Et certe probabile est memoriam injuriæ quæ patri inflicta fuerat, adhuc duravisse, & à diabolo fuisse instigatos, ut Dei promissio, qua jus primogenituræ ab Esau ad Jacob transferat, irrita esset, carereique suo effectu. Hæc quidem belli audi ratio esse illis potuit: sed aliud spectavit Deus, ut scilicet populum, subacta prius via, magis obsequentem sibi redderet. Et forte ideo subducto Mose ducem præfecit Josuah, ut signum aliquod indignationis daret. Etsi enim non obscure illis spopondit, sed victoriam adepti sunt ejus gratia, & Mosis precibus; voluit tamen eos per Mosis absentiam commonefieri de recenti offensa: ut metu humiliati, suppliciter veniam petendo, ad ejus auxilium attentiore cura confugerent. Delectos viros egredi jubens, partim totum populum animat, & erigit in spem victoriæ, quia non dignetur cunctum exercitum opponere hostibus repellendis: partim consulit imbellis turbæ infirmitati, ne pavore concidat, si hostes in media castra irruant. Neque enim Moses proprio consilio quicquam agit: sed stationem divinitus sibi assignatam occupat in vertice montis, ut procul hostem oppugnet: alios vero committit ad propiorem pugnam, ut manus conferant: quoniam ita Deo placuit aciem ordinare. Ac certum est, non ut sibi caveret conflictum fugisse: sed quia Deus mandaverat alias partes. Idque inde apparet, quod baculum Dei gestando, tanquam dux & signifer felicem belli eventum, de quo factus erat certior, illis promittit. Pluris enim fuit unus ille baculus quam si præeuntibus mille vexillis, in prælium deducti essent. Porro jam ante adnumerat, baculum vocari nunc Dei, nunc Mosis, nunc Aharon, diverso respectu: quia instrumento illo usus est Deus ad exercendam virtutem suam per ministros. Ita nihil laudi suæ derogat Deus, ubi efficaciter operatur per ministros. Quod autem copiis dux præficitur Josuah, præludium fuit futuræ ejus vocationis: de qua videbimus suo loco. Nondum enim in eum gradum conscenderat ut secundus esset à Mose: nisi quod extraordinarium ei imperium divinitus mandatur.

10. *Et fecit Josuah sicut.*] Tametsi nihil detrectat Josuah, sed quod sibi cognoscit mandari ex Dei ore, sedulo exequitur; & probabile est milites, quos sibi comites adjunxerat, probe suis partibus functos esse: differre tamen exprimitur, non fuisse propria virtute, vel conatu, vel industria, vel bellica ulla virtute adeptos victoriam, sed Mosis precibus: quarum fultura tam dux quam exercitus steterunt. Neque tamen hic jactanter commendat Moses suum in orando studium: quin potius infirmitatis suæ publicus est testis ac præco, ut gloria in solidum maneat penes gratuitum Dei favorem. Nec vero dubium est quin hujus quam postea fatetur infirmitatis sibi conscius, socios asciverit Aharon & Hur, qui laboranti suppetias ferrent. Quod in his duobus viris quidam figuram proponi volunt veteris & novi Testamenti, quibus inniti sanctorum preces necesse est; ab iis vero lapidem Mosi in quem recumberet fuisse oblatum docent, quia nonnisi in Christo fides nostra fundata est: argutum magis est quam firmum. Scio quam plausibiles sint ejusmodi allegoriæ: sed quod nuper dixi, mihi sufficit, quum suæ imbecillitati diffideret Moses, duos adjutores quæsiisse. Et certe quum ejus manus attollerent, mentes ipsi quoque habebant sursum erectas, ut communibus votis Deum simul precarentur. Sed de se præcipue loquitur Moses, ut doceat munus hoc sibi à Deo fuisse impositum. Non enim vota solum ex charitatis officio concepit: sed quia eum intercessorem Deus elegerat, qui virgæ extensione & tacito precandi ardore hostes eminus vinceret. Qua in parte typum Christi gessit: quanquam in aliis partibus non quadraret similitudo. Nec tamen dubium est quin defectus ex summa attentione, & singulari zeli vehementia natus sit: ideoque laus cum vitio conjungitur: sicuti dum ingenti conatu feruntur sancti ad precandum, non modo languescit in illis vigor, sed suo ardore fere consumpti deficiunt.

13. *Et fregit Josua Amalec.*] Copula illativæ particulæ loco sumitur: quia hinc superiores hostibus fuisse Israëlitas colligit Moses, quod constanter orando perseveraverit. Et tacita subest antithesis inter manuum firmitatem & debilitationem hostium: ut sciamus non tam gladiis quam virgæ elevatione & sancti viri deprecatione hostes fractos vel contritos fuisse.

14. *Tunc dixit Jehova ad Mosen.*] Hoc præcepto admonuit Deus, rem se gessisse quæ non serinone tantum celebrari debeat, sed apud posteros quoque æternam gloriam mereatur. Ideo enim in libro scribi jubet, ne unquam intercidat ejus memoria. Quod de libro curiosius disputant interpretes, supervacuum mihi videtur: quia simpliciter vult Deus extare omnibus seculis hujus rei monumentum: quod hac narratione præstitit Moses, quia cum perpetua & immortali Legis doctrina hujus gratiæ elogium scripto prodidit usque ad finem mundi. Quanquam non tantum scribi voluit memorabilem hujus pugnæ eventum, sed Josuam de ea commonefieri, ne sub tot, quæ eum manebant, difficultatibus fatisceret. Nihil enim melius eum potuit invicta constantia fulcire quam hujus historiæ recordatio: unde statuere licebat, populum sub Dei auspiciis semper fore victorem. Etsi autem non statim impleta fuit hæc promissio, sed longo post tempore demum à Saule deleti Amalecitæ fuerunt; plurimum tamen ad stimulandum Josuam & populum valuit, quod scirent Amalec, qui primus bellum intulerat, cælesti decreto jam esse damnatum, nec interitum cui addictus erat, posse effugere.

15. *Et ædificavit Moses altare.*] Nempe ut solenni sacrificio testatam faceret suam gratitudinem, non ipse modo, sed totus populus: quod ipsum altaris nomen demonstrat. Neque enim erigere Deo statuam voluit, vel altare ornare. Dei titulo: sed hunc sibi finem esse propositum ostendit, ne prospero successu inflati Israëlitæ vires suas jactarent, sed in solo Deo gloriarentur. Cur vertant quidam Miraculum, non video: quia DJ haud dubie semper pro vexillo capitur. Quanquam non inficior pro exaltatione metaphorice hic poni; acsi dixisset Moses, Deum qui Israëlitas sustinuit, dignum esse qui solus emineat inter ipsos.

16. *Et dixit, Certe manus ſuper.*] Eandem quam nuper ex ore Dei protulit ſententiam, repetitione confirmat: nempe Deum ſemper infenſum Amalecitis fore, donec eos prorſus exciderit. Quid tamen ſibi velit hæc loquutio, Manus ſuper ſolium Jehovæ, non convenit inter interpretes. Quidam formulam jurisjurandi eſſe putant, quod Deus per ſolium ſuum juraverit. Alii per ſolium intelligunt Eccleſiam, quæ eſt requies Dei, in qua ſedere dicitur. Atqui non dubito, quod dictum fuerat de perdenda & extinguenda memoria Amalec, hac ratione confirmari: quod ſicuti Deus eſt omnipotens, ita cum impia illa gente præliabitur. Dicitur ergo manus eſſe ſuper ſolium Dei, quia non otioſus in cælo ſedet, (ſicuti fingunt Epicurei) ſed imperium exercet in mundi gubernatione: acſi dixiſſet, Deus qui potenter dominatur, & qui manu ſua & virtute omnia temperat & moderatur, ſuſtinet atque evertit, quamdiu regnabit in ſolio ſuo, ſumma & formidabili poteſtate prædituſ, nunquam deſinet Amalecitas juſta vindicta perſequi. Ac fieri quidem poteſt ut varias de illis pœnas exegerit: ultima tamen clades uſque ad tempus Saulis dilata fuit.

Caput XVIII.

AUdivit autem Jethro ſacerdos Midian, ſocer Moſis, omnia quæ fecerat Jehova Moſi, & Iſraëli populo ſuo: nempe quod eduxiſſet Jehova Iſraëlem ex Ægypto.

2. Tulit ergo Jethro ſocer Moſis uxorem Moſis, poſtquam miſerat eam.

3. Duos quoque filios ejus: quorum nomen unius erat Gerſon: quia dixerat, Peregrinus fui in terra aliena.

4. Nomen vero ſecundi Eliezer: quia Deus patris mei in auxilium meum, & eripuit me è gladio Pharaonis.

5. Venit itaque Jethro ſocer Moſis, & filii ejus, & uxor ejus ad Moſen in deſertum, ubi caſtra fixerat prope montem Dei.

6. Et dixit ad Moſen, Ego ſocer tuus Jethro venio ad te, & uxor tua, & duo filii ejus cum ea.

7. Egreſſus autem Moſes in occurſum ſoceri ſui, incurvavit ſe atque oſculatus eſt eum: & interrogavit alter alterum de pace, veneruntque in tabernaculum.

8. Et narravit Moſes ſocero ſuo quæcunque fecerat Jehova Pharaoni & Ægyptiis propter Iſraël, & omnem moleſtiam quæ invenerat eos in itinere, unde liberaverat eos Jehova.

9. Et lætatus eſt Jethro ſuper omni beneficentia quam exercuerat Jehova erga Iſraëlem, qui liberaverat eum è manu Pharaonis.

10. Et ait Jethro, Benedictus Jehova, qui liberavit vos è manu Ægyptiorum, & è manu Pharaonis, qui liberavit populum è ſubjectione manus Ægyptiorum.

11. Nunc cognoſco quod magnus Jehova præ omnibus diis: quia ſecundum rationem qua ſuperbe egerunt contra eos.

12. Et accepit Jethro ſocer Moſis holocauſtum & ſacrificia ad Deum. Venitque Aharon & omnes ſeniores Iſraël ad comedendum panem cum ſocero Moſis coram Deo.

1. *Audivit autem.*] Duæ ſunt hujus capitis partes. Initio enim narratur adventus Jethro in caſtra, & gratulatio ob res feliciter à Moſe geſtas, conjuncta cum laude Dei & ſacrificio: deinde exponitur ejus conſilium quoad gubernandi populi formam: quo factum eſt ut eligerentur judices ac præfecti, ne Moſes oneri ſuccumberet. Exiſtimat autem major pars interpretum, Sephoram, quia excanduerat ob circumciſionem filii, ex itinere reverſam, & cum patre habitaſſe: quod mihi probabile non videtur. Nec vero unquam paſſus eſſet Moſes filios ſuos expertes eſſe redemptionis, cujus ipſe erat miniſter: nec conſentaneum fuiſſet, ſacerdotes deinde creari, quorum non fuiſſet Deus redemptor. Adde quod, ſi uxore & liberis in tuto depoſitis, ſolus ſe in certamen obtuliſſet, merito ſuſpectus fuiſſet aſtutiæ, vel nimiæ timiditatis. Itaque non dubito quin ſimul cum familia miſerum illud ſervitutis jugum, quo pridem oppreſſi fuerant, ſubierit; atque hoc documento fidem ſuam probaverit, ut major eſſet vocationi auctoritas. Quod ergo dicitur in ſecundo verſu, Poſtquam miſerat eam, ad Moſen refero, quod ſcilicet è deſerto uxorem ſuam miſerit, quæ patrem inviſeret: ſive hoc conceſſerit muliebri deſiderio, ſive pietatis affectu addoctus ſenem propinqui affinitate devinctum hac obſervantia colere voluerit. Nam quod ſubaudiunt quidam, Poſtenquam dona miſiſſet, frigidum ac coactum eſt. Optime autem fluit hoc modo contextus, Poſtquam miſerat Moſes uxorem, reductam à ſocero fuiſſe, ut mutuam vicem benevolentiæ rependeret.

3. *Duos quoque filios.*] Quam illuſtre non fidei modo ſed magnitudinis animi & conſtantiæ documentum ediderit Moſes hæc filiis nomina imponens, dictum eſt ſuo loco. Odium enim ſibi haud dubie apud affines conflabat, acſi patriam uxoris ſperneret, vocando terram alienam: & nomen filii aſſidue clamabat, quamvis regionem Madian incoleret, animo tamen eſſe inquilinum, & ita ad tempus peregrinari, ut aliam habitationem quæreret. Unde etiam conjicere licet eos potius ſecum duxiſſe in Ægyptum, quam ob ſubitam iracundiam ac jurgium uxoris ablegaſſe duo pietatis ſuæ pignora, quorum nominibus quotidie admonebatur, fœdus Dei terrenis omnibus commodis eſſe præferendum.

5. *Venit itaque Jethro.*] Senem ætate confectum non tam Moſis charitas quam miraculorum fama domo extraxit, ut in deſertum veniret. Nam ambitione non fuiſſe impulſum, mox ex contextu patebit: quia poſtquam obtulit Deo ſacrificium, & ſolenni gratiarum actione teſtatus eſt totam gloriam ſe uni Deo adſcribere, domum eadem qua venerat ſimplicitate reverſus eſt. Et profectionis cauſam, Moſes initio capitis expreſſit. neque enim dixit audiſſe de adventu generi: ſed quam admirabilis fuiſſet Dei bonitas & virtus in liberando Moſe & populo. Eorum ergo quæ audierat voluit aliqua ex parte eſſe ſpectator, ne tam præclara Dei beneficia, domi ſedendo,

dendo, negligeret. Cur montem Oreb Dei nomine inſigniat, prius expoſui. Viſio quidem illic ante Moſi oblata hoc honorifico titulo digna erat: ſed magis hic (ſicuti antea) reſpicitur Legis promulgatio, qua Deus ſibi montem conſecravit.

7. *Egreſſus autem Moſes.*] Primo verſu narravit quod ordine poſterius erat, Jethro dixiſſe, Ecce adſum, & adduco tibi uxorem & liberos: ſed hæc vonverſio Hebræis trita eſt. Nunc ergo addit, Moſen veniſſe obviam honoris cauſa: & ambos humaniter inter ſe congreſſos, & ultro citroque functos eſſe benevolentiæ officiis. Interrogare de pace, tantundem valet ac ſciſcitari an res ſalvæ ſint ac proſperæ. Sed hoc præcipuum caput eſt, Moſen recitaſſe quam beneficus fuiſſet Deus erga populum. Huc autem ſpectabat tota oratio, quum à ſocero diſceſſerat, non fuiſſe levitate impulſum, ſed Dei vocationi obtemperaſſe, quæ deinde ſingularibus auxiliis & cæleſtibus prodigiis probata fuerat.

10. *Et ait Jethro, Benedictus.*] Hinc apparet, quamvis Dei cultus paſſim tunc vitiatus eſſet alienis mixturis, Jethro tamen non ita fuiſſe ſuperſtitionibus deditum quin verum Deum agnoſceret ac coleret. Neque tamen prorſus ab omni errore purum fuiſſe ac vacuum, ſubindicat comparatio quam ſubjicit, Jehovam eſſe majorem diis omnibus. Etſi enim ſæpe ita loquuntur Prophetæ, ſenſu tamen differunt. Interdum enim extollitur Deus ſupra Angelos, ut ſolus emineat, omni etiam cæleſti excellentia in ordinem coacta: interdum autem improprie major vocatur, non quia gradum aliquem teneant ut fictitii, ſed ut in nihilum redigatur quæ illis falſo & ſtulte tribuitur in mundo ſublimitas. Hic autem Jethro ex communi opinione turbam minorum deorum ſubeſſe imaginatur ſummo Deo. Ita, ubi non relocet pura Dei veritas, nunquam liquida eſt & incorrupta religio, ſed aliquid fæcis habet admixtum. Simul tamen videtur Jethro nonnihil profeciſſe: quia nunc ſe Dei potentiam cognoſcere affirmans, ſubindicat ſe rectius quam antea ſapere. Niſi forte de experimentali ſcientia accipere libeat, quæ ipſos quoque fideles confirmat, ut Deo jam ante cognito ſe libentius ſubjiciant. Interea dubium non eſt quin ſub Jehovæ nomine Deum Iſraelis deſignet: quia etſi ubique jactabant ſe Deum æternum colere, *veram tamen deitatem aſſerens uni*, reliquos omnes ſubtus eum locat. Quicquid ſit, fatetur redemptionis hiſtoria edoctum fuiſſe de immenſa virtute Dei qui ſe patefecerat in Iſraël, ut præ ipſo contemnat quicquid deorum alibi colebatur in mundo. Clauſula verſus abrupta eſt: ſic enim legitur, Secundum verbum (vel rationem) in quo violenter ſe geſſerunt contra eos. Ita deeſt verbum principale, quod Deus juſtam crudelitatis mercedem rependerit in Ægyptiis: ſicuti judicium ſine misericordia denunciat omnibus qui proximis ſuperbe & ſine miſericordia inſultant: ſecundum illam Chriſti ſententiam, Qua menſura menſi fueritis &c. Quod autem ita quidam expoſuerunt, Ægyptios mari Rubro ſubmerſos, qui pueros infantes in fluvio ſuffocaverant, videtur nimis eſſe reſtrictum. Itaque ad omnia pœnarum exempla malo extendere. *Jacob. 2. verſ. 8.* *Matth. 7. verſ. 2.*

12. *Et acceperit Jethro.*] Quanquam non arbitror Jethro prius ſacrificaſſe idolis: quia tamen nonniſi implicita & confuſa fide ignotum Deum colebat, apparet hoc primum fuiſſe ſincerum & legitimum ejus ſacrificium, ex quo Deus Iſraël ei propius innotuerat. Rite quidem fuiſſe oblatum, inde colligitur quod Moſes & Aharon & ſeniores ſe conſortes eſſe & ſocios profeſſi ſunt. Neque enim ſimpliciter dicuntur veniſſe ad comedendum panem, ſed Coram Deo: qua voce exprimitur ſacrum & ſolenne epulum, quod pars & acceſſio erat oblationis & divini cultus. Atqui nunquam ſponte in gratiam profani hominis ſe polluiſſent inquinamentis Gentium. Sequitur ergo, hoc pietatis fuiſſe teſtimonium, cujus non dubitaruht fieri participes. Deum quidem præ oculis habere convenit, quoties ejus liberalitate fruimur. ſed loquutionem hanc peculiariter ſacrificiis aptari, ubi ſe in Dei conſpectum ſiſtunt fideles, poſtea videbimus. Neque tamen concedo, jure ſacerdotii quod exercebat Jethro in terra Madian, victimas immolaſſe: ſed quia ante Legem à Deo præſcriptam major erat libertas, ut ſun loco dicetur. Cæterum Man vocari panem abſque controverſia ſtatuo.

23. Accidit autem poſtridie ut ſederet Moſes ad judicandum populum: ſtabatque populus juxta Moſen à mane uſque ad veſperum.

14. Et videns ſocer Moſis omnia quæ faciebat ipſe erga populum, dixit, Quid eſt quod tu facis populo? quare tu ſedes ſolus, & univerſus populus ſtat juxta te à mane uſque ad veſperum?

15. Et reſpondit Moſes ſocero ſuo, Quia venit populus ad me ad quærendum Deum.

16. Quum eſt illis negotium veniunt ad me, & ego judico inter quemque & proximum ejus, & oſtendo ſtatuta Dei & leges ejus.

17. Tunc dixit ſocer Moſis ad eum, Non eſt bonum quod tu facis.

18. Deficiendo deficies tam tu quam populus iſte qui tecum eſt. Nam hæc res gravis eſt ſupra tuas vires: non poteris ergo præſtare ſolus.

19. Nunc audi vocem meam: conſilium tibi dabo, & erit Deus tecum. Eſto tu pro populo coram Deo, ut referas cauſas ad Deum:

20. Docebiſque eos ſtatuta & leges, & oſtendes eis viam in qua ambulent, & opus quod faciant.

21. Tu autem deliges ex toto populo viros fortes, timentes Deum, viros veraces, qui oderint avaritiam: præficiesque eis tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos,

22. Qui judicent populum omni tempore. ſi autem acciderit negotium magnum, ad te referent, omnem vero leviorem cauſam judicabunt ipſi: & tibi levius erit onus, quia ſufferent ipſi tecum.

23. Si hoc feceris, & præceperit tibi Deus, poteris ſtare: atque etiam populus hic ad locum ſuum veniet in pace.

24. Obedivit Moſes voci ſoceri ſui: & fecit omnia quæ ille dixerat.

25. Et elegit Moſes viros fortes ex toto Iſraël, & conſtituit eos capita ſuper populum, principes ſuper mille, centuriones, quinquagenarios, ac decanos.

26. Qui judicabant populum omni tempore: ardua referebant ad Moſen, omnem vero rem parvam judicabant ipſi.

27. Dimiſit autem Moſes ſocerum ſuum, & abiit ad terram ſuam.

13. *Accidit autem.*] Hic res memorabilis & cognitu valde utilis inseritur: in illa gubernationis specie, cui præerat Deus, & quam raro gloriæ suæ fulgore ornabat, aliquid fuisse reprehensione dignum, quod correxit Jethro: deinde Mosen ipsum, summum Prophetam, & cui tunc soli familiaris erat Deus, merito fuisse reprehensum quod se & populum inconsiderate nimio labore consumeret. Fuit hoc præclaræ virtutis & heroici animi, tot subire molestias, tot perferre tædia, nec lassitudine frangi, quin se quotidie novo labori offerret. Fuit etiam hæc nunquam satis laudata magnitudo animi, populo tam maligno & perverso gratis se impendere, nec desistere à proposito, quamvis iniquam mercedem videret rependi suis beneficiis. Videmus enim probris & contumeliis sæpius affectum, jurgiis & minis impetitum fuisse: ut plusquam mirum sit non fuisse alienatum læsa toties patientia. Hic certe multæ virtutes reperientur maximis encomiis dignæ. In illis tamen laudibus vitium deprehendit Jethro. Unde monemur, in excellentissimis quibusque hominum factis semper latere aliquem defectum, ac vix ullum extare ita perfectum omnibus numeris, quin nævo aliquo aspersum sit. Sciant igitur quicunque regendis populis præfecti sunt, quantumvis strenue munus suum exerceant, si tamen ad examen vocetur optima quam tenent ratio, aliquid posse desiderari. Proinde sciant tam reges & magistratus quam Ecclesiæ pastores, ubi nervos omnes intenderint ad præstandum officium, restare tamen semper aliquid quod in melius corrigi queat. Hic etiam notare operæpretium est, neminem unum ex mortalibus, quantiscunque & quamlibet variis dotibus excellat, posse ad omnes partes subeundas sufficere. Quis enim Mosi æquabitur, quem tamen videmus oneri fuisse imparem, quum totam regendi populi curam susciperet? Discant igitur servi Dei probe metiri suas vires, ne cupide nimis multa negotia amplexando, fatiscant. Esse nim nimium vulgaris morbus φιλοπραγμοσύνη, & majore impetu plurimos rapit quam ut statim frenari queat. Ergo, ut se quisque contineat intra suas metas, discamus in genere humano sic temperatum esse divinitus ordinem ut singuli certa tantum donorum mensura prædi sint: unde pendet munerum distributio. Quemadmodum enim non unus Solis radius mundum illustrat, sed omnes in unum quasi operas simul conferunt: ita Deus, ut sacro & insolubili vinculo homines in mutua societate & benevolentia retineat, varie dispensans sua dona, nec quenquam solida perfectione supra modum extollens, alios aliis obligat. Vere ergo scribit Augustinus, Deum in hoc actu humiliasse servum suum: quemadmodum Paulus refert sibi colaphos esse inflictos per Angelum Satan, ne sublimitas revelationum nimis eum extolleret.

2 Cor. 12. vers. 7.

15. *Et respondit Moses socero.*] Ingenue respondet Moses tanquam de re maxime laudanda, ut qui nullius vitii conscius sibi erat. Se enim Dei ministrum, & Spiritus ejus organum esse profiteri. Nec vero in quæstionem venire potuit ejus fides ac integritas. In eo tantum peccabat, quod se immodico labore obruens, neque sibi privatim, nec publice aliis omnibus consuleret. Cæterum ex ejus verbis colligitur utilis doctrina. Dicit litigatores venire ad Deum quærendum, se vero docere leges & statuta Dei. Unde sequitur, huc spectare politicum ordinem, ut erectum sit Deo tribunal in terra, in quo judicis munus exerceat: ne judices & magistratus potentiam sibi arrogent nullis legibus subjectam, ne sibi quicquam pro libidine vel arbitrio decernere permittant, ne denique ad se trahant quod Dei proprium est. Tunc enim demum probe se gerent magistratus, si Dei vicarios se esse meminerint. Religio etiam omnibus privatis injicitur, ne temere fidem vel auxilium judicum implorent, sed sincero affectu illuc accedant tanquam ad Deum quærendum. Quisquis enim aliud appetit quam discere ex ore magistratus quid rectum ac justum sit, sacrilega audacia locum illum Deo dicatum violat.

17. *Tunc dixit socer Mosi.*] Non damnat præcise totam illam rationem quam ante sequutus erat Moses (sicuti morosi homines, vel protervi, vel ambitioli, pusillum nescio quid carpendo, præclara aliorum facta obscurant) sed tantum partem unam corrigens, nihil de justa laude Mosi detrahit, & jus quod Deus contulerat, intactum relinquit. In quo notanda est ejus moderatio, quod prætextu vitii particularis non abutitur ad mutandum rerum ordinem: sed tantum admonet quomodo utiliter exequi possit Moses partes sibi divinitus injunctas.

19. *Consilium tibi dabo.*] Audet quidem Jethro felicem eventum promittere, si consilio suo obtemperet Moses: neque tamen superbe jactat hunc fore prudentiæ suæ fructum: sed Dei benedictioni & gratiæ adscribit, si prospere succedit etiam ubi nihil nisi optima ratione instituitur. Hoc enim sonat loquutio, consilium sibi occurrere, quod si Moses sequatur, Deus benedicet. Neque tamen obtrectat Mosi, quasi pio ejus studio & industriæ hactenus non adfuerit Deus: quin potius subindicat, Deum esse hujus consilii auctorem, quod gratia sua prosequetur. In summa, negat se huc tendere ut vel tantillum diminuat ex Dei gratia quam expertus erat Moses, sed modum ostendere quem Deus effectu comprobabit. Sequitur deinde altera pars quam attigi, nempe quod jure suo non spoliat Mosen, ut Dei vocationem evertat, sed potius ad pergendum hortando, quod semel à Deo mandatum est, vult fixum & inviolabile manere. Hoc etiam diligenter expendere convenit, consilia ex utilitate & rebus natis fic debere capi ut Dei ordinationi nihil decedat: quia nefas est in quæstionem trahere, parendum sit nec ne ejus imperio. Itaque male dictæ sunt deliberationes, quibus aliquid in Dei verbo mutare, vel nos extra vocationis nostræ metas abducere propositum est. Diximus, molem illam qua opprimebatur Moses, non fuisse à Deo impositam: sed tantum populo fuisse ducem præfectum, quoad ferret ejus facultas. Hoc intactum relinquit Jethro, adeoque confirmat acsi cælesti decreto subscriberet. Quia electus erat tanquam interpres, & cum familiariter admittebat Deus ut inter se & populum medius esset, jubet in hac functione insistere. Quia autem summam gubernationis tenere non pugnabat cum Prophetæ officio, majores etiam causas ad eum referri jubet. Sic enim interpretor, statui Mosen è regione Dei in tradenda pietatis regula, & obeundo munere Prophetico: referri autem graviores causas à præfectis ad jus suum cuique reddendum.

21. *Tu autem deliges ex toto.*] Ad verbum, Providebis: quod tantundem valet ac delectu habito dignissimum quemque assumere: ne scilicet obvio cuique tanta provincia temere mandetur. Hoc autem in libero populo maxime consentaneum, non à censu vel divitiis judices legi, sed qui virtute excellerent. Quanquam autem rectum est, primum haberi virtutis respectum, ut si quis in plebe reperiatur præ aliis idoneus, potior sit nobili aut divite: perpetuam tamen legem & necessitatem inducere si quis velit, merito contentiosus censebitur. Enumerat autem Jethro quatuor dotes quæ potissimum in judicibus creandis spectandæ sunt, nempe strenuitatem in rebus agendis, timorem Dei, integritatem, & opum contemptum: non ut alias excludat, quarum primo capite Deuteronomii fit mentio, ut paulo post videbimus: sed ut significet non quoslibet esse idoneos, imo requiri eximias virtutes, quas per synecdochen sub his quatuor designat. Ubi vertimus Viros fortes, Hebraice legitur Viros fortitudinis: quo nomine putant quidam robustos & laboriosos notari.

Sed

ſed potius (meo judicio) deſignat Moſes ſtrenuos & cordatos, quos opponit non tantum ignavis, ſed ſocordibus etiam ac timidis. Verum quia abſque timore Dei evanidus eſt tam animi quam corporis vigor, pietatem adjungit ſecundo loco, ut in munere ſuo verſentur tanquam rationem Deo reddituri. Veritus non fraudibus tantum & craſſis mendaciis, ſed ambitioni, blandis pollicitationibus, aliiſque obliquis artibus, quæ tendunt ad corrumpendas judicia, opponitur. Ultimo exigitur odium avaritiæ: quia nihil magis æquitati contrarium quam lucri cupiditas. Quoniam autem ut plurimum tenduntur inſidiæ judicibus; oblato quæſtu, non ſatis muniti eſſent contra hoc genus corruptelæ, niſi avaritiam ac profeſſo deteſtarentur.

23. *Si hoc ſecerit.*] Quod proxime ſequitur, Præceperit tibi Deus, conjunctim legi poteſt cum initio verſus, idque vice correctionis: quaſi modeſte Jethro exciperet, non aliter ſe capore obtemperari ſuo conſilio niſi Deo probetur. Alii latius extendunt, Si Moſes juſſa Dei in omnibus ſequatur, temperamentum hoc fore utile. Utrovis modo accipias, declarat Jethro nihil velle ſibi concedi quod ſummo Dei imperio deroget: verum nihil obſtare quominus Moſes (ut antea ſolitus erat) Deum ſequatur ducem, & tamen propoſita ſibi ratione utatur. Hanc vero temporalem eſſe ſignificat, quum addit, populum in pace vel proſpere ventorum eſſe in terram Chanaan. Noluit igitur Jethro legem poſteris figere: ſed quoad quietam ſtationem adeptus eſſet populus, remedium præſentibus incommodis, atque (ut vulgo loquuntur) modum promiſſionis oſtendit.

24. *Obedivit Moſis.*] Singulare modeſtiæ exemplum, quod Moſes ſoceri conſilio ſubmittere ſe non gravatur. Etſi enim ætate & affinitatis gradu ſuperior erat Jethro, alias tamen rationibus longe erat inferior. Quod ergo ejus auctoritati cedit Moſes, ſummis quibuſque & præſtantiſſimis doctoribus legem præſcribit, ne parere dedignentur eorum monitionibus quos recta præcipere agnoſcunt: quamvis non tantum dignitate ſint præditi. Vere enim Cyprianus neminem bonum eſſe doctorem pronunciat qui non idem ſit docilis. Quod domum ſtatim rediit ſenex, non contemptu, vel laboris & moleſtiæ tædio, ſed ætatis excuſatione factum eſſe credibile eſt. Filium tamen in caſtris manſiſſe, poſtea ſuo loco videbimus.

Ex Deuter. Capite I.

Repetitio ejuſdem hiſtoriæ.

9. Dixi vobis in tempore illo, dicendo, Non poſſum ſolus ferre vos.

10. Jehova Deus veſter multiplicavit vos, ita ut ſitis hodie ſicut ſtellæ cæli in multitudine.

11. Jehova Deus patrum veſtrorum addat ſuper vos, ſicut eſtis, mille vicibus: & benedicat vobis quemadmodum loquutus eſt vobis.

12. Quomodo feram ſolus laborem veſtrum, & onus veſtrum, & lites veſtras.

13. Date ex vobis viros ſapientes & intelligentes, & peritos è tribubus veſtris, ut præficiam illos vobis.

14. Et reſpondiſtis mihi atque dixiſtis, Bona res eſt quam dixiſti ut faciamus.

15. Tulique principes tribuum veſtrarum, viros ſapientes & peritos, ac conſtitui eos principes ſuper vos, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decuriones, & præfectos tribubus veſtris.

16. Atque præcepi judicibus veſtris tempore illo, dicendo, Audite inter fratres veſtros, & judicate juſte inter virum & fratrem ſuum, & inter peregrinum ejus.

17. Non agnoſcetis faciem in ipſo judicio: ſicut parvum, ſic & magnum audietis: non timebitis à facie cujuſquam, quia judicium Dei eſt: rem autem quæ gravior erit vobis, referetis ad me, & audiam illam.

18. Præcepique vobis tempore illo omnia quæ facere deberetis.

9. *Dixi vobis in tempore.*] Hic non recitat alibinde ſuggeſtum ſibi fuiſſe conſilium de judicibus creandis: fortaſſa quia apud ſuperbos & præfractos nullum proferre nomen auſus eſt, ne rem alioqui optimam odio alienigenæ auctoris reſpuerent. Nec vero dubium eſt quin nunc recenſeat quod prius fuerat geſtum. Ergo, tanquam ex proprio ſenſu, excuſat oneri ſe eſſe imparem ſi ſolus præſit toti populo. Cauſam adducit quod immenſa ſit multitudo, in qua neceſſe ſit ſubinde oriri multas lites & controverſias. Quod autem dicit auctos eſſe, non debet initium temporis ſumi ab egreſſu: ſed rarum & incredibilem Dei gratiam commendat, quod ſub ſæva tyrannide, quum internecioni addicti eſſent, tantopere excreverant. Et precationem adjungit, ut in futurum quoque tempus eadem benedictio vigeat. Quibus tamen verbis admonet, molem gubernandi in dies magis arduam fore & anneroſam: quo facilius perſuadeat, mature decernendum eſſe quod vitari tandem non poſſet.

13. *Date ex vobis.*] Hinc clarius apparet, non unius Moſis arbitrio creatos fuiſſe, ſed populi ſuffragiis electos qui judiciis præeſſent. Atque hæc maxime optabilis eſt libertas, non cogi nos ad parendum quibuslibet, ſi per vim impoſiti fuerint noſtris capitibus: ſed electionem permitti, ut nemo dominetur niſi qui probatus fuerit. Quod ſequenti verſu melius confirmatur, ubi narrat Moſes ſe expectaſſe populi conſenſum, nec quicquam aggreſſum eſſe quod non omnibus placeret. Porro non eaſdem recenſet virtutes, quarum facta eſt mentio Exodi 18. ſed tribus ſolum elogiis judices inſignit, nempe ut ſint prudantes, & intelligentes, & periti: quæ omnia in unum caput recidunt, ut polleant ingenii acumine, & prudentia quæ uſu & exercitatione confirmata ſit. Neque animad regendi munus ſufficeret vel ſumma probitas, vel diligentia, ſi abeſſet ſolertia & ſagacitas. Primum vero nomen quod Hebræi ſæpe in malam partem pro vafris & aſtutis accipiunt, hic acutos & perſpicaces ſignificat. Secundo prudentes vel recto judicio & diſcretione præditos interpretor. Tertium poteſt tam paſſive quam active ſumi. Ideo quidam vertunt notos, vel compertos & exploratos. Præſenti tamen loco activa ſignificatio melius quadrat. Atque ita in judicibus peritia requiritur, & rerum cognitio: quia vix ad res gerendas idonei erunt, niſi qui exercitati fuerint.

16. *Atque præcepi judicibus veſtris.*] Hæc exhortatio

tatio non legitur Exodi 18. ubi non aliud Moſi propoſitum fuit, quam originem novæ mutationis monſtrare. Nunc vero, omiſſa ſocerilaude, tantum reducit Iſraëlitis in memoriam quid cum illis egerit. Summa autem exhortationis eſt, ut judicent ex æquo inter fratres: quod melius exprimitur proximo verſu, ubi vetantur facies accipere. Nulla enim deterior corruptela quam judicare ex perſonæ intuitu, qui ſemper à cauſa mentes hominum abduxit. Unde merito hæc ioter ſe opponit Chriſtus, judicare recte, & ſecundum aſpectum. Hoc etiam viderunt Philoſophi, dum monuerunt, quoad fieri poteſt, certis legibus conſtringendos eſſe judices, ne ſoluti huc & illuc favore vel odio flectantur. Et ſane ubi ſuppetet ingenii dexteritas, ſemper vigebit æquitas & rectitudo, niſi perſonæ judicem ad ſe rapiant. Porro quid ſit agnoſcere perſonas, ex contextu liquet, ubi prohibet ac damnat Moſes diſcrimeo parvi & magni. Etſi autem miſeris & pauperibus judices ſæpe injuriam ob contemptum ioferunt, præcipuum tamen vitium notat Moſes, dum hortatur oe quem metuant: quia ut plurimum contingit juſtos alioqui, & ad æqui rectique ſtudium propenſos, de gradu moveri, dum potentium minas formidant, nec audent viriliter ſe opponere invidiæ. Ergo magnanimitatem io judicibus requirit Moſes, ne dubiteot quævis odia in ſe conflare ut bonas cauſas tueantur. Verum in primis notanda eſt ratio qua metum & trepidationem caſtigat. Nemioem enim mortalium metuendum eſſe dicit, quia judicium Dei eſt. Ubi non ſimpliciter admonet (ſicuti quibuſdam videtur) reddendam eſſe rationem Deo: ſed docet quam abſurdum ſit à recto curſu deflectere hominum metu: quia ita proſtituitur ludibrio Dei majeſtas. acſi diceret prudendum hunc eſſe honorem Deo, cujus perſonam ſuſtinent, ut è ſublimi deſpiciant cunctos homines, atque in inſtabili animi magnitudine compeſcant improborum audacium, ut ſolus Deus eminent. Eodem ſpectant verba Joſaphat: Videte quid agatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Dei. Hoc ſi penitus infixum eſſet tum magiſtratuum quam paſtorum animis, non ita ſubinde vacillarent: quia præſidio Dei freti, ſtarent firmi contra omnes terrores, quibus miſere agitantur. Quare hæ ſe doctrina fulciant quicunque ad publicum aliquod munus vocati ſunt, Dei ſe negotium gerere, qui facile tam à violentia quam inſidiis totius mundi incolumes ipſos præſtabit. Simul tamen docemur his verbis præfecturas omnes Deo ſacratas eſſe, ot quicunque ad eas vocati ſunt, reverenter & ſollicite Deo ſerviant, ac ſemper reputent, ejus eſſe imperium cujus ſunt miniſtri.

Joan. 8. verſ. 7.

2 Chron. cap. 19. verſ. 6.

EXODI CAPUT XIX.

IN menſe tertio poſtquam egreſſi erant filii Iſraël è terra Ægypti, ipſo die venerunt in deſertum Sinai.

2. Profecti ergo è Raphidim venerunt in deſertum Sinai, & caſtrametati ſunt in deſerto: manſitque illic Iſraël è regione montis.

3. Moſes autem aſcendit ad Deum, & vocavit eum Jehova è monte, dicendo, Sic dices domui Jacob, & annunciabis filiis Iſraël,

4. Vos vidiſtis quæ feci Ægyptiis, & ut portaverim vos quaſi ſuper alas aquilarum, & adduxerim vos ad me.

5. Nunc ergo ſi obediendo obedieritis voci meæ, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in * peculium præ omnibus populis, † quia mea eſt univerſa terra.

6. Et vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſraël.

7. Venit itaque Moſes, & vocavit ſeniores populi, & protulit coram ipſis omnes hos ſermones quos præceperat ei Jehova.

8. Reſponderunt autem omnis populus pariter, & dixerunt, Quicquid dixit Jehova, faciemus. Et retulit Moſes verba populi ad Jehovam.

* vel, *theſaurum.*
† vel, *quamvis mea ſit.*

1. *In menſe tertio.*] Caput hoc continet quibus modis populum Deus reddiderit attentum & docilem quum Legem promulgare vellet. Prius quidem juſte pieque vivendi normam tradiderat: ſed Legem io tabulis ſcribendo, deinde expoſitionem addendo, non tantum complexus eſt perfectam pietatis & juſtitiæ doctrinam; ſed, ut apud poſteros ſuperſtes vigeret ejus cognitio, eam ſolenni ritu conſignavit. Atque hoc in populi redemptione maximum & præcipuum celebrant Prophetæ, & in hoc ſpeculo conſiderandam proponunt renaſcentis Eccleſiæ ſpeciem, quod redemptis patefecit Deus ſua teſtimonia, & populum quem acquiſierat novo fœdere ſibi devinxit. Fœdus quidem æternum & inviolabile percuſſerat cum Abrahamo: ſed quia loogo tempore & incuria hominum obſolverat, iterum renovari neceſſe erat. Atque in hunc finem inſculptum fuit tabulis lapideis, & conſcriptus liber, ne unquam obreperet oblivio ſingularis gratiæ, quam Deus generi Abraham contulerat. Initio autem notandum eſt, quamvis Lex teſtimonium ſit gratuitæ adoptionis, & ſalutem fundatam eſſe doceat in Dei miſericordia, hominesque invitet ad Deum certa fide invocandum, hoc tamen habere proprium & peculiare quod ſub conditione paciſcitur. Itaque diſtinguere operæpretium eſt inter generalem doctrinam quæ tradita fuit à Moſe, & inter ſpeciale quod accepit mandatum. Paſſim oblata ſpe veniæ hortatur Moſes ut ſe reconcilient homines Deo: & quoties expiationum ritus præſcribit, non dubium eſt quin miſeros peccatores ad bene ſperandum erigat, Deumque teſtetur illis propitium fore. Interea hoc ſeorſum illi munus impoſitum fuit, perfectam juſtitiam exigere à populo, & quaſi ex compacto mercedem promittere, non aliter quam ſi impleant homines quicqoid præcipitur: minari autem & vindictam denunciare ſiquando à via deflexerint. Certum quidem eſt, idem illud fœdus, cujus miniſter & cuſtos fuerat Abraham, repetitum fuiſſe apud filios per manum Moſis. Et tamen Paulus tradit Legem fuiſſe ſuperadditam transgreſſionum cauſa, eamque promiſſioni Abrahæ datæ opponit, nempe quia de particulari Legis officio, vi & fine differens, à gratuitis promiſſionibus eam ſeparat. Eodem ſeoſu alibi miniſterium mortis vocat, & literam quæ occidit. Alibi etiam tradit iram operari, acſi ex reatu mortiferum vulnus infligens humano generi, nullam ſpem ſalutis reliquam faceret. Ergo in hac præparatione, qua Deus populum erudivit ad reverentiam & timorem, duplex eſt ſpectanda ratio. Quoniam enim partim faſtu & altitudine turgent, partim ſecuritate torpent hominum ingenia: ot cæleſtem doctrinam qua decet obſervan-

Galat. 3. verſ. 19.

2 Cor. 3. verſ. 6, 7. Rom 4. verſ. 15.

tia

tia amplexentur, vel humiliari, vel expergefieri neceſſe eſt. Nec quiſquam aliter formari poteſt ad parendum Deo, quam ſi metu flexuræ ſubactus fuerit. Metuere porro tunc demum incipiunt ubi ad terrorem incutiendum prodit Dei majeſtas. Ita quod Legis auctoritas multis ſignis ac prodigiis ſancita fuit, diſcamus pietatis ac fidei hoc eſſe exordium in filiis Dei. Ideo quoque terram concuſſit Deus ut hominum corda excitaret è ſuo torpore, vel ſuperbiam domando corrigeret. Hæc ratio ad Legem, Prophetas, & Euangelium extenditur, totamque cæleſtis doctrinæ ſummam: cui nunquam juſtus defertur honos, niſi præfulgeat Dei majeſtas, quæ omnem mundi altitudinem proſternat. Sed omitti non debet quod nuper dixi Legi eſſe ſpeciale, implere ſcilicet formidine animos, & horribili maledictione propoſita ipſem ſalutis abſcindere. Nam quum tribus membris conſtet, in eundem finem tendunt ſingula, ut agnoſcant omnes ſe æternæ mortis judicio eſſe obnoxios: quia illic nonniſi judicis perſonam ſuſtinet Deus: qui poſtquam ſevere exegit quod ſibi debetur, nonniſi debitam mercedem promittit, vindictam autem transgreſſoribus minatur. Jam vero quis reperietur perfectus Legis obſervator? imo certum eſt omnes à minimo uſque ad maximum transgreſſionis reos eſſe: unde omnibus ira Dei incumbit. Hoc ſibi vult Paulus, quum ſcribit fideles non iterum accepiſſe Spiritum ſervitutis in timorem, ſed adoptionis, per quem clamant Abba, Pater. Ubi oſtendit quanto potior ſit noſtra quam Patrum conditio: quia Lex eos ſervitute conſtrictos tenuit, nobis Euangelium anxietatem eximit, & tormentis conſcientias liberat. nam trepidare neceſſe eſt omnes, & tandem deſperatione obrui, qui in operibus ſalutem quærunt: pax autem & quies in ſola Dei miſericordia conſiſtit. Quod idem ſubjus proſequitur auctor Epiſtolæ ad Hebræos, his verbis, Non acceſſiſtis ad montem tractabilem, & igoem accenſum, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quæ iotolerabilis erat audientibus: (unde & Moſes dixit, Exterritus ſum & tremefactus) ſed acceſſiſtis ad montem Sion, &c. Antitheſis enim demonſtrat ſeorſum ab Euangelio locari quod Moſi commiſſum fuit: quia Deus, qui vindex apparuit in Lege, ſuaviter nos hodie pro paterna indulgentia ad ſalutem invitat, & trepidas animas tranquillat, oblata peccatorum venia. Porro in hac diverſitate nihil eſſe contrarium docet Paulus: quia populus ne aliunde ſalutem quam ea Chriſti gratia peteret, Lege edoctus fuit, ac convictus de horribili damnatione cui obſtrictus erat, atque ita metu coactus ad implorandam Dei miſericordiam. Nam ut ſibi in malis indulgent homines, remota Lege peccatum non imputatur, ut dicit Paulus: verum qui ſibi in tenebris placent, Legis doctrina trabuntur ad Dei tribunal, ut conſpecta ſua fœditate pudefiant. Ita impletur illud Pauli, vitam Legis eſſe mortem hominum. Nunc tenemus cur Legis promulgatio tot miraculis ſancita fuerit: nempe quia in genere apud tardos & hebetes, vel ſuperbos & immorigeros, cæleſti doctrinæ concilianda fuit auctoritas: deinde quia hominibus blanditias appetentibus Lex propoſita fuit, tanquam maledictionis ſpeculum, ut in ſe perditi, ad veniæ aſylum confugerent. Hæc præfari utile fuit, quæ lectores ad rectum hiſtoriæ quæ hic traditur finem dirigerent. Primo autem narrat Moſes, uno itineris tractu populum veniſſe è Raphidim in terram Sinai. Sic enim interpretor, nullam ſtationem fuiſſe interpoſitam: quia videtur coactum quod diem ipſum accipiunt quidam interpretes pro initio menſis.

Rom. 8. verſ. 15.

Hebr. 12. verſ. 18.

Rom. 5. verſ. 13.

Rom. 7. verſ. 9.

3. *Moſes autem aſcendit.*] Veriſimile eſt Moſen ſeceſſum ex more quæſiiſſe ut Deum conſuleret. Loquitur enim non quaſi de re nova aut inſolita, ſed de uſu prius obſervato: quia nuſquam audebat conſiſtere, vel alio progredi, niſi quatenus ore Dei præſcriptum erat. Porro aſcenſus ad Deum non aliud ſignificat quam castra caſtra egreſſum eſſe, ut procul turba & omni avocamento, in arcana quiete ſciſcitaretur quidnam Deo placeret. Neque enim, (ut ſolent ſuperſtitioſi) locum excelſum elegit, ubi Deo eſſet propior: ſed ab omni tumultu ſe ſubduxit, ut ſenſus omnes ſuos colligeret ad ſtudium diſcendi. Poſtea tamen adjungit, plus ſe adeptum quam ſperaverat: quia Deus, præter uſitatum morem, de renovando ſuo fœdere verba fecit. Atque huc ſpectat præfatio, Sic dices domui Jacob, annunciabis filiis Iſraël. Ubi repetitio & verborum diverſitas emphatica eſt, tanquam de re maxime ſeria differere velit, quo plus attentionis ſibi comparet.

4. *Vos vidiſtis.*] Quo Iſraëlitas blande invitet ad obſequium, primo liberationis beneficium in memoriam revocat, deinde non minora in futurum tempus promittit, ſi ſuum ipſi liberatorem viciſſim qua decet pietate & gratitudine colant. Duas autem beneficentiæ ſuæ partes recenſet: quod formidabilem ſuam potentiam exeruerit contra Ægyptios, deinde quod redemptum populum mirabiliter per mare & vaſtas ſolitudines, quaſi per nubes & aëtem vexerit. Hæc enim inæſtimabilis fuerat gratia, quod bellum ſuſceperat cum rege potentiſſimo, gentem florentiſſimam afflixerat, terram ſumma fertilitate inſignem vaſtaverat, ut contemptis mancipiis opem ferret. Nulla enim primum in alienigenis, deinde ſordidis & pecuariis hominibus, & turpi pudendoque ſervitio addictis foerat dignitas, qua Deus in illorum gratiam provocaretur ad Ægyptios delendos, qui gloria, opibus, terræ fœcunditate, & imperii ſplendore præſtabant. Quare deteſtabilis ingratitudo fuiſſet, non agnoſcere quantopere Deo eſſent obſtricti. Quod ſecundo loco addit, ſe illos geſtaſſe ſicuti ſoleot aquilæ pullos ſuos, ad continuum paternæ curæ tenorem ſpectat. Eadem poſtea ſimilitudine utetur Moſes in cantico: & apud Prophetas ſæpius occurrit. Aquilam vero potius nominat quam alias aves, meo judicio, ut melius difficultates amplificet ad gratiæ ſuæ commendationem. Aquilæ enim fœtus ſuos per ardua extollunt, & aſſuefaciunt ad intuitum Solis. Ita populus non ſecus ac ſupra nubes evectus alis Dei, maxima quæque obſtacula tranſcenderat. Nam quod aquilas quidam volunt diſcerni à reliquis avibus, quia ſolæ pullos alis ſuſtineant, frivolum eſt ac vere Rabinicum commentum.

5. *Nunc ergo.*] Eundem ſe perpetuo fore affirmat Deus, ac conſtanter perſeveraturum, modo ne Iſraëlitæ degenerant, ſed addicti maneant ſuo liberatori. Simul etiam admonet quorſum tam beneficus illis fuerit, ut ſemper ad vocationis ſuæ finem aſpirent. Neque enim uno tantum liberalitatis actu defungi voluerat erga ipſos, ſed ut in peculiarem ſibi populum acquireret. Hanc excellentiam illis propoſuit ſub voce סגולה, quæ pretioſiſſimas quaſque res ſignificat, ut quicquid in theſauro reconditur. Quanquam non male quadrat nomen Peculii, quod reddidit vetus Interpres: quia ex proximo contextu liquet, bujus populi ſeparationem notari ab aliis omnibus. Sequitur enim continuo poſt, Quoniam mea eſt univerſa terra, vel, Quamvis: particula enim כי ſæpe adverſative capitur: nec dubium eſt quin gentem unam cum toto orbe comparans Deus, gratiam ſuam magis extollat. Sicuti in cantico, Quum forte divideret Excelſus gentes, & ſepararet filios hominum, conſtituit terminos populorum ad numerum filiorum Iſraël. Quia portio Jehovæ eſt populus ejus, & funiculus ejus Iſraël. Summa igitur eſt, quum ad imperium Dei pertineat totus orbis, genus tamen Iſraël ab eo eſſe electum, quod præcellat cunctis gentibus. Unde apparet, quum æqualis ſit omnium conditio, non diſcerni aliosab aliis natura, ſed gratuita adoptione. Verum ut in poſſeſſione tanti

tanti boni maneant, mutua erga Deum fides exigitur. Ac primo quidem jubentur audire ejus vocem: (quoniam nullum Deo gratius sacrificium quam obedientia) deinde additur obedientiæ definitio, nempe ut fœdus observent.

1 Sam. 15. vers. 22.

6. *Et vos eritis mihi.*] Clarius & pluribus verbis designat quomodo pretiosi Deo futuri sint Israëlitæ: nempe quia erunt in regnum sacerdotale, & in gentem sanctam. Quibus verbis significat, præditos fore tam sacerdotali quam regio honore: ac si diceret, non modo liberos fore si in fide & obsequio persistent, sed regibus similes: quia nullum optabilius vel felicius regnum est quam nos Deo subjicere. Porro quoniam tunc profana erant mundi imperia, regnum hoc sactum vocat. Genitivus enim vice epitheti capitur, pro communi linguæ usu: ac si diceret, non modo terrena & caduca dominatione fruituros, sed etiam sacra & cælesti. Alii passive accipiunt, Deum illis fore regem, quum aliis gentibus mortales & ut plurimum crudeles tyranni dominarentur. Quod etsi non prorsus rejicio, priorem tamen sensum magis amplector: ad quem etiam nos deducit Petrus. Nam quum Judæi, qui repudiato Christo à fœdere desciverant, adhuc hoc titulo frustra gloriarentur, solis Christi membris honorem hunc asserens, Vos, inquit, estis genus electum, regale sacerdotium, &c. Atqui non quadraret his verbis passivus sensus, fideles subesse Dei sacerdotio. Concinne autem verba transfert Apostolus ad tollendum novitatis odium: quasi diceret, Olim pollicitus est Deus patribus nostris, eos sibi fore in regnum sacerdotale. Hoc elogium falso ad se rapiunt quicunque à Christo capite deficiunt, qui solus nos efficit sacerdotium regale. Interim docet, in illa specie mutationis vere impleri quod dictum fuerat à Mose. Et certe cum regno & sacerdotio prodiit Christus, ut jus utrumque membris suis conferret. Unde sequitur, quicunque ab eo divortium faciunt, utroque honore indignos esse ac merito privari. Gens sancta hic dicitur, non respectu pietatis vel sanctimoniæ, sed quam Deus singulari privilegio ab aliis separavit. Verum ab hac sanctificatione pendet altera, nempe ut sanctitatem colant qui Dei gratia eximii sunt, atque ita vicissim Deum sanctificent.

2 Petr. 2. vers. 9.

8. *Responderunt omnes populus.*] Cur Deus Mosen adhibuerit internuncium, qui ultro citroque mandata & responsa perferret, suo loco videbitur: nunc tantum narrat, quid totus populus responderit, nempe se obedientem in omnibus fore. Non pars aliqua tantum, sed totus populus id promittit. Liberalis autem est responsio, qua sine exceptione quicquid exegit Deus facturos se asserunt. Atqui paulo post ad ingenium relapsi, ne minima quidem ex parte fidem datam servarunt. Nec tamen quicquam eos simulasse credibile est. Sed quamvis in animo non esset Deum fallere, seipsos, præcipiti quodam zelo abrepti, fallebant. Nec vero confilium Mosis fuit, exprobrandi causa dicere illos mentitos fuisse Deo, aut fallaciter aliud ore jactasse quam in cordibus suis sentirent: sed promptos ad obsequium fuisse dicens, omni præterea ignorantiæ in posterum spoliat. Nec dubium est quin Deus ad hanc docilitatem flexerit eorum animos, quo Legis fuæ doctrinam stabiliret. Interea discamus eorum exemplo, non fervido tantum impetu parendum esse verbo Dei: ac nullius momenti esse subitum affectum, nisi accedat perseverandi constantia. Atque ideo discamus probe nos excutere, ne absque serio examine temere profiteamur plus quam simus præstando. Tenendum tamen illud est quod jam dixi, arcano Dei instinctu omnes fuisse voluntarios: quo sibi & aliis testes essent tot signorum, quibus deinde approbata fuit cælestis doctrinæ fides ac veritas.

9. Tunc ait Jehova ad Mosen, Ecce ego venio ad te in densa nube, ut audiat populus quum loquar tecum, atque etiam tibi credant in perpetuum. Indicaverat autem Moses Jehovæ verba populi.

10. Et dixit Jehova ad Mosen, Vade ad populum, & sanctifica eos hodie & cras, lavent-que vestimenta sua.

11. Et sint parati in diem tertium: quoniam die tertio descendet Jehova coram oculis totius populi super montem Sinai.

12. Et præscribes terminum populo per circuitum, dicendo, Cavete vobis ne ascendatis in montem, neque contingatis terminum ejus. Quicunque tetigerit montem, moriendo morietur.

13. Non tanget eum manus, sed lapidando lapidabitur, aut jaculis feretur: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet. quum protraxerit buccina, ipsi ascendent in montem.

14. Descendit autem Moses è monte ad populum, & sanctificavit populum, & laverunt vestimenta sua.

15. Dixitque populo, Sitis parati in diem tertium, & ne accedatis ad uxores.

9. *Tunc ait Jehova ad Mosen.*] Hic pronunciat Deus, illustri gloriæ suæ symbolo palam se facturum, Legem non à Mose prodire, sed eum fideliter tradere per manus quod è cælo accepit. Nam Deus nube, quasi velo, sic obtectus erat, ut certo tamen præsentiæ suæ signo mentes sursum attolleret. In hoc autem fundata fuit Mosis auctoritas, quod doctrinæ cujus erat minister, sciebant Israëlitæ Deum esse auctorem. Quod apprime notatu dignum est: quia inde colligimus non aliam esse rationem probandæ doctrinæ, nisi dum certo tenemus non aliunde quam à solo Deo profectam. Atque ita in ordinem coguntur cuncti mortales, ne quis eorum, quantalibet sapientia polleat, proferre in medium audeat sua commenta. Si enim non alio jure fidem in Ecclesia obtinuit summus Propheta Moses, nisi quia Dei mandata pertulit, & tantum docuit quod audierat: cujus stultitiæ & impudentiæ erit, doctores qui infra ipsum longe subsidunt, velle altius conscendere? In summa, docet hic locus, uni Deo credendum esse: Prophetas tamen, qui ex ejus ore loquuntur, simul esse audiendos. Adde quod non ad breve aliquod tempus voluit Deus fidem adstruere servo suo Mosi, sed ut eandem mortuo quoque reverentiam posteri deferrent. Est enim temporalis quorundam vocatio: & accidere potest ut Spiritum prophetiæ Deus eripiat quibus dedit: sed ita Mosi apparuit, ut fidem doctrinæ ejus sanciret omnibus seculis, & quasi consecraret. Unde sequitur, fulgorem gloriæ Dei, qui veteri populo in densa nube ostensus fuit, non esse hodie extinctum: quia piorum omnium mentes illustrare debet, ut Mosi reverenter se subjiciant. Quod sequitur in fine versus, repetitum est ex proximo. Nullus enim interpositus fuit sermo populi quem Moses referre posset. Verum sensus est, quamvis ultro polliciti essent Israëlitæ se fore

fore in officio, ut alacrius pergerent, confirmationem hanc fuisse illis additam, atque ita currentibus additum fuisse calcar.

10. *Et dixit Jehova ad Mosen.*] Antequam Legem suam proponat Deus, non absre populum sanctificari jubet: ne margaritas projiciat ante porcos, vel sanctum prostituat canibus. Etsi enim jure adoptionis sancti erant quantum ad ipsos spectabat, naturæ immundities eos arcebat à tantæ gratiæ participatione. Porro minime æquum vel rectum erat, inæstimabilem thesaurum fœtidis & sordidis vasis inquinari. Ergo in præcepto sanctificandi ostensa duo fuerunt: sacram Dei doctrinam non tractandam esse illotis manibus, totum vero humanum genus impurum esse & pollutum: ideoque nullos rite accedere ad Dei scholam, nisi qui ante purgati sint à suis sordibus. Et sane quod multi legendo vel audiendo nihil proficiunt in cælesti doctrina, justa est merces indignæ profanationis: quia sine metu aut reverentia quasi ad ludicrum spectaculum irrumpunt. Merito itaque præparatio injungitur, quæ discipulos formet Deo, & ad discendum idoneos reddat. Etsi autem præcipue requiritur interior cordis puritas, non tamen inutilis fuit ceremonia, quæ rudem populum ad meditandam veram sanctitatem assuefaceret. Vestes quidem abluere, & abstinere à thoro conjugali, res per se nihili fuissent: sed dum externi ritus ad legitimum finem referuntur, nempe ut spiritualis cultus sint exercitia, utiliter pietatem adjuvant. Et scimus Deum, pro temporis ratione, ante Christi adventum talibus figuris usum fuisse, quæ nunc in Euangelii claritate locum non habent. Cæterum etsi earum usus obsolevit, manet tamen illa quam dixi veritas: nempe, si cupimus admitti in participationem cælestis doctrinæ, ut mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus. Sed hic nascitur quæstio. nam si fides corda purificat, teste Petro, fidem vero præcedit doctrinæ intelligentia, (quia teste Paulo est ex auditu) sequitur, præposterum ordinem statui, ut ante Legem auditam sanctificetur populus: quia hoc modo tolleretur vera sanctificandi ratio. Respondeo: quamvis fides, quatenus oblatam reconciliationem & Spiritum regenerationis amplectitur, sola nos vere purget, minime tamen id obstare quominus præcedat Dei timor, qui verbo sedem in animis nostris paret. Ac proprie loquendo, pium discendi studium, humilitas & reverentia, fidei initium censeri debet: quia ab his rudimentis incipit Deus, ut fidem per certos progressus in nobis perficiat. Hac ratione jubet Jacobus spiritu mansuetudinis suscipere verbum quod seminatur: quia fastu, contumacia, & profano contemptu auditus præcluditur. Quod ad contextum pertinet, Sanctificari & Lavare vestes non ponuntur tanquam diversa, sed secundum additur tanquam symbolum prioris. Nam ablutionis ritus in Lege veterem populum admonuit, neminem posse aliter placere Deo, nisi & expiationem quærat in Christi sanguine, & carnis sordibus se abstergere studeat. Eodem tendebat abstinentia à concubitu. Nam etsi conjuges non polluit nec contaminat thori societas, monendi tamen fuerunt Israëlitæ, renunciandum esse quoad fieri posset curis omnibus terrenis, & exuendos omnes carnis affectus, ut toti ad Legis auditum intenti essent. Velat quidem & obtegit conjugii sanctitas quicquid est vitiosum in concubitu viri & mulieris: certum tamen est aliquid esse distractionis, ne omnes animæ partes occupet spiritualis affectus, dum vir ad uxorem accedit. Itaque in mutua thori obligatione hoc excipit Paulus, ut precationis & jejunii causa separentur conjuges. Tenenda est tamen quæ divinitus præscripta fuit moderatio. Neque enim perpetuum cælibatum indixit: sed tempora sic partitus est ut terrenis impedimentis soluti Israëlitæ, liberius totum suum studium ad Legem reverenter excipiendam applicarent.

12. *Et præscribes.*] Hoc symbolo admoniti fuerunt Israëlitæ frenandam esse ingenii lasciviam, ut tantum ad sobrietatem saperent: quia Deus Legis suæ doctrina nonnisi parvulos illuminat. Scimus quanta sit ingenita hominibus curiositas, quam perverse appetant penetrare in Dei arcana, quam audacter sibi indulgeant: (quia licentia extinguitur omnis religio, & Dei timor) quare merito Deus modum statuere voluit, & perversam scientiæ illicitæ cupiditatem cohibere. Optassent omnes venire instar Mosis ad familiare Dei colloquium: atqui jubentur intra metas subsistere, ut Deo per interpretem loquenti pareant. Ita probatur modestia & docilitas, ubi non plus affectant quam concessum est, ac se in revelationis modo continent. Quod tunc veteri populo mandatum fuit, ad nos quoque extenditur, ut legendo & audiendo ne transiliamus quas Deus nobis assignat metas: sed doctrinæ forma quam tradit contenti, quæ nobis vult esse abscondita valere sinamus: & quamvis loquatur eminus nobiscum, ne distantia nobis sit fastidio. Neque tamen ab ascensu prohibet populum, quasi propiorem gloriæ suæ aspectum invideat: sed quia superbos & plus æquo arrogantes ad modulum suum redigi expedit, ut imbecillitatis suæ commonefiant. Jam quo magis absterreat homines ipsos, bestias quoque licet innoxias, si fines excesserint, jubet interfici. Quid significet defensus Dei paulo ante exposuimus, nempe demonstrationem virtutis: quoniam ejus essentia, quæ cælum & terram implet, loco non movetur.

13. *Non tanget eum manus.*] Inscite sensum corrumpunt qui particulam כי resolvunt in adversativam. Alioquin: acsi vetaret Moses manu tangere montem, denunciando lapidationis pœnam. Procul etiam absunt à vero qui præcipi existimant ne alii alios sequantur, vel ne quis transgressoribus manum porrigat, auxiliandi causa. Prorsus enim aliud spectavit Moses. Nam quo magis detestabiles redderet qui temerario ingressu fines à Deo positos violassent, justit procul interfici lapidibus aut jaculis: acsi labem contraherent quicunque vel digito eos contingerent. Perinde igitur est acsi anathemati devotos juberet vitari, ne alios sua contagione inficerent. Quare antithesis est inter diversas mortis species: nempe gladio ferire, & jaculis configere, & manu ferire. Cæterum ne se rejici existimet populus, atque ita repulsæ ignominia offensus, Legis amorem studiumque abjiciat: conditione interposita ascensum permittit, ubi longius protractus erit tubæ clangor, vel usque ad summum personuerit. Ita non est quod de mediocritate querantur, quam illis temperat Deus in salutem.

1 Cor. 7. vers. 5.

2 Cor. 7:1.

Act. 15:9.

Rom. 10. vers. 16.

Jacob. 1. vers. 8.

16. Et fuit die tertia, quum factum esset mane, facta sunt tonitrua, & fulgura, & nubes densissima super montem, & clangor tubæ intentissimus: expavitque universus populus qui erat in castris.

17. Et eduxit Moses populum in occursum Dei è castris: qui steterunt in inferiore parte montis.

18. Mons autem Sinai fumabat totus, eo quod descendisset super eum Jehova in igne: ascendebatque fumus ejus sicut fumus fornacis, & commotus est universus mons vehementer.

19. Erat prætèrea clangor buccinæ procedens, & invalescebat valde: Moses loquebatur, & Deus respondebat ei in voce.

20. Descenderat autem Jehova supra montem Sinai, super verticem montis: & vocavit Jehova Mosen ad verticem montis, ascenditque Moses.

26. *Et fuit die tertia.*] Id tenendum memoria est quod ante admonui, in hoc formidabili speculo partim subjectam oculis fuisse Dei præsentiam, ut ejus majestas spectatores ad obsequium cogeret, doctrinamque asseret à contemptu; partim vero expressam fuisse naturam Legis, quæ per se nihil aliud quam meros terrores generat. Tonitru & fulguribus & tubæ sonitu aër turbatus fuit, fumo & caligine mons obrutus, nempe ut suppliciter populus coram Deo se prosterneret, fœdusque sibi propositum sancte amplexaretur: quia nunquam penetrat in animos religio, ut serio Dei verbum recipiant, donec purgatis ac correctis vitiis probe subacti fuerint. Atque hic timor Evangelio quoque est communis: quia sicuti in Lege promulganda terram concussit Deus, ita de Christi adventu & instauratione Ecclesiæ per Prophetam disserens, Adhuc paulisper, inquit, & movebo cælum & terram. Itaque David, ubi ostendere vult Deum fuisse Ecclesiæ suæ vindicem, hac imagine eum depingit. Neque enim dubium est, quum dicit Psal. 18. Mota est & contremuit terra, montes concussi sunt, ascendit fumus in facie ejus, ignis ex ore ejus voravit, inclinavit cælos, & descendit caligo sub pedibus ejus: quin ad historiam quæ à Mose narratur, alludat. Clarius etiam Habacuc. 3. Deus de Theman veniet, sanctusque de monte Pharan. Interea manet alterum illud membrum, horrenda prodigia, ad quæ ea pavescere populum necesse fuit, tanquam sigilla fuisse addita ad Legis promulgationem: quia Lex data fuit quæ sopitas conscientias ad tribunal citaret, ut metu æternæ mortis ad Dei misericordiam confugerent.

Agg. 2. vers. 7.

17. *Et eduxit Moses populum.*] Docemur his verbis, non edita fuisse prodigia quæ populum fugarent à Dei conspectu, nec timorem fuisse incussum qui exacerbaret animos in odium doctrinæ: sed fœdus Dei non minus fuisse amabile quam metuendum. Jubentur enim obviam ire Deo, ut prompto affectu se ad obtemperandum sistant. Hoc autem fieri non poterat nisi aliud in Lege audirent quam præcepta & minas. In fumo tamen & igne, aliisque signis, permixtus fuit aliquis timor ex Legis officio: quia nunquam veniæ capax erit peccator, donec reatus sui conscius trepidare discat, imo horrore confusus ad Dei tribunal jaceat fere exanimis. Duobus proximis versibus explicat Moses quod breviter attigerat de occursu Dei. Deum enim propinquum fuisse docet, quoniam apparebat ejus majestas in vertice montis Sinai. Addit tamen, stetisse intra limites: quia solus ipse ascendebat, & quidem vocatus. Nam discrete exprimens, non sponte, sed vocantis mandato transgressum fuisse vulgi metas, temeritatis crimen à se avertit. Porro inversum esse narrationis ordinem ex contextu ipso apparet: quod dum vetus Interpres non observat, sensum pervertit. Responsio Dei in voce, tantundem valet atque sonora aut vocalis: nempe quam exaudiret populus: sicut postea videbitur ex 4. Deut. cap.

21. Dixitque Jehova ad Mosen, Descende: contestare populum ne perrumpat ad Jehovam videndi causa, & cadat ex eis multitudo.

22. Quin etiam Sacerdotes qui appropinquant ad Jehovam sanctificent se, ne forte rupturam in illis faciat Jehova.

23. Et ait Moses ad Jehovam, Non poterit populus ascendere in montem Sinai: quia tu nos contestatus es, dicendo, Distermina montem, & sanctifica illum.

24. Et dixit ei Jehova, Vade, descende, & ascendes tu & Aharon tecum: Sacerdotes autem & populus non perrumpant ut ascendant ad Jehovam, ne forte rupturam in illis faciat.

25. Descendit itaque Moses ad populum, & loquutus est apud eos.

21. *Dixitque Jehova ad Mosen.*] Iteratur Dei mandatu eadem prohibitio, ne populus fines transcendat, haud dubie quia non satis fuisset semel vetuisse: quod ex Mosis responso colligitur. Putabat enim, quum admoniti essent omnes, nihil opus esse novo interdicto. Atqui vehementius iostat Deus, & iterum minis adhibitis denunciari jubet ut sibi attente caveant. Nempe sciebat cum præfractis sibi esse negotium: quibus domandis acrior pœnæ metus necessarius foret. Jam quum nihilo simus meliores, ne miremur si pluribus exhortationum stimulis subinde nos Deus pungat, minasque ingeminet: alioqui facile obreperet omnium quæ semel præcepit, oblivio. Confirmat etiam hic locus, quantopere displiceat Deo quæ humana ingenia titillat curiositas. Diserte enim edicit, ne perrumpant ad videndum: non quod occultum aut absconditum esse vellet quicquid erat utile cognitu: sed quia sobria esse debet inquisitio. & hic est legitimus sapiendi modus, humiliter discere ex ore Dei quod sponte doces, nec præcurrere nimio ardore cupiditatis, sed præeuntem ipsum sequi.

23. *Et ait Moses ad Jehovam.*] Quia persuasus erat Moses obsequentem fore populum, excipit sufficere decretum illud quod semel patefactum erat, & repetitionem quodammodo esse supervacuam. Nam quod populum transcendere posse negat, tantundem valet acsi omnium nomine sponsorem se interponeret. Atque hoc quidem pro studio & ex regula charitatis: eum tamen falli, dum alios metitur ex suo affectu, patet ex Dei responsi. Porro dum sine fastidio partes sibi injunctas exequitur, inde apparet, pluris fecisse Dei imperium quam à se conceptam opinionem: atque ita suo exemplo docuit, quæcunque nobis in mentem veniunt cogitationes, sub hoc jugum esse cogendas, ut sola Dei auctoritas emineat. Quod Sacerdotes nominat, posset oriri dubitatio: quia nondum munus sacerdotale Levitis mandatum erat. Itaque quidam intelligunt omnes primogenitos: quia vetusto consensu receptum est, sacerdotii honore semper fuisse ornatos. Ego autem, quamvis facile admittam ex primogenitis fuisse delectos, non tameo probabile esse judico, in illa immensa multitudine singulis domibus proprios fuisse Sacerdotes. Interea conjicere licet, quum nullæ tunc gentes profanæ sacerdotibus caruerint, in electo populo non minus saltem fuisse ordinis. Quod enim cæcis dictabat communis sensus, purior certa religio certius monstravit, cultum Dei à sacerdotio separandum non esse.

Ex

Ex Cap. Exodi XX.

18. Omnis populus videbant tonitrua, & lampades, & clamorem buccinæ, & montem fumantem: vidit *inquam* populus, & commoti sunt, steteruntque procul.

19. Atque dixerunt Mosi, Loquere tu nobiscum, & obsequemur: & ne loquatur nobiscum Deus, ne forte moriamur.

20. Respondit autem Moses populo, Ne timeatis: quia ut tentaret vos venit Deus, & ut sit timor ejus ante conspectum vestrum, ut non peccetis.

21. Stetit igitur populus procul, Moses autem appropinquavit ad caliginem, in qua erat Deus.

10. *Omnis populus videbant tonitrua.*] Quia secundo loco fusius prosequitur Moses quæ hic tantum breviter attingit, ego quoque plenam expositionem eousque differam. Si fuisset solus gloriæ Dei spectator, levior futura erat testimonii fides. Postquam ergo decem verba recitavit, quæ Deus audiente populo, ipse sacro suo ore protulit: simul adjungit palam fulsisse lampades, montem fumasse, personuisse buccinas, edita tonitrua. Unde sequitur, conspicuis & insignibus gloriæ Dei notis sanctam fuisse Legem apud totum vulgus, à maximo ad minimum usque. Accedit totius populi confessio: ubi terrore perculsus, deprecatur ne Deus amplius loqui pergat. Neque enim hominis vocem jam despicere fas fuit, quem ultro postularunt sibi dari internuncium, ne formidabili voce Dei consumerentur. Finem demonstrat, cur signa illa ad metum incutiendum apparuerint, quo scilicet Deus eos ad obsequium subigeret. Tegiti ergo fuerunt, non ut attoniti deficerent, sed tantum ut humiliati se Deo subjicerent. Atque hoc fit singulari privilegio, ut Dei majestas, coram qua terra & cælum contremiscunt, filios ejus non examinet, sed tantum examinet.

Recitatio hujus historiæ ex Deut. V.

22. Verba hæc loquutus est Jehova ad cunctam congregationem vestram in monte è medio ignis, nubis & caliginis, voce magna: & non addidit: scripsitque illa in duabus tabulis lapideis, & dedit illa mihi.

23. Fuit autem quum audivissetis vocem è medio tenebrarum, (mons enim ardebat igne) accessistis ad me omnes duces tribuum vestrarum, & seniores vestri.

24. Et dixistis, Ecce ostendit nobis Jehova Deus noster gloriam suam, & magnitudinem suam, & vocem ejus audivimus è medio ignis: hodie vidimus quod loquutus est Deus cum homine, & vixit.

25. Nunc igitur quare moriemur? consumet enim nos ignis magnus iste: si iterum audierimus vocem Dei nostri, moriemur.

26. Nam quæ ulla fuit caro, ut audiat vocem Dei viventis, loquentis è medio ignis, sicut nos, & vivat?

27. Accede tu, & audi omnia quæ dixerit Jehova Deus noster: tu autem loqueris ad nos quæcunque dixerit Jehova Deus noster tibi, & audiemus atque faciemus.

28. Audivitque Jehova vocem verborum vestrorum quum loqueremini ad me. Et dixit Jehova mihi, Audivi vocem verborum populi hujus quæ dixerunt tibi: bene dixerunt quæcunque loquuti sunt.

29. Quis det ut sit cor eorum istud illis, ut timeant me, & custodiant omnia præcepta mea omnibus diebus, ut bene sit illis & filiis eorum in seculum?

30. Vade, dic eis, Revertimini in tabernacula vestra.

31. Tu vero hic sta apud me, & proferam tibi omnia præcepta & statuta & judicia, quæ illos docebis, ut faciant in terra quam ego do illis possidendam.

22. *Verba hæc loquutus.*] Ne ambigua sit Legis auctoritas, aut vilipendatur à populo, reducit Moses in memoriam certis signis conspicuam fuisse loquentis Dei præsentiam. Huc enim spectant ignis, nubes, & caligo, quibus insignita fuit vox Dei, ne obscura esset ejus origo. Addit, vocem illam fuisse magnam, nempe quæ ultra solitum modum longe lateque penetraverat. Nec paucos citat testes, sed ingentem illam multitudinem, quæ magna ex parte propensior fuisset ad extinguendam Dei gloriam, nisi claris experimentis fuisset illic cognita. Summa est, minime dubium esse Legislatorem, cujus majestas tunc tremendis prodigiis patefacta, & immensæ multitudinis oculis repræsentata. De duabus tabulis opportunius alibi dicetur. Quod refert Moses Deum nihil adjecisse, eo perfectam vitæ regulam decem verbis comprehendi significat, ac eorum scientia probe percepta absolvi omnes sapientiæ numeros, ne quid ultra scire appetat populus: sed ubi finem loquendi fecit Deus, metam inquirendi sibi præfigat.

23. *Fuit autem quum audissetis.*] Occurrit Moses, ne suam doctrinam minoris æstiment Israelitæ, quia interpositus à Deo fuerat minister: quandoquidem id eorum rogatu ac postulatione factum erat. Scimus quam proterve soliti fuissent eum respuere: acsi in eo nihil nisi terrestre ac humanum cernerent. Deum igitur ipsum verba facere necesse fuit, ut servum suum à contemptu assereret in posterum. Nam populus ipse stulti & præposteri voti convictus, nullo deinde prætextu rejicere Mosen potuit, acsi fidem vocationis suæ non fecisset. Atque hic se prodidit mira pravitas, quod sancto Prophetæ, postquam tot miraculis probatus fuerat, fidem abrogare illum non puduit. Certe si integri & æqui fuissent judices, satis notum & compertum illis fuisset, Mosen non à seipso nec proprio instinctu loqui, sed Spiritus esse organum. Verum superbis & perversis morosis fastidio fuit Dei doctrina, quia per manum hominis mortalis afferebatur. Deum ergo importunis votis è cælo eliciunt, ut loquatur ipse. Atqui terror statim occupat eorum mentes, ut Dei vocem refugiant. Sic experien-

perientia docuit, nihil esse utilius quam Deum per os Mosis loquentem audire: & mercede suæ temeritatis edocti sunt, docendi modum quem spreverant, eligere atque optare. Ita enim se impiæ contumaciæ damnarunt, si fidem Mosi in posterum detraherent vel abrogarent, quem sibi postulaverant à Deo internuncium dari. quod nunc illis exprobrat. Plusquam enim indignum fuisset, ubi Deus morem gesserat eorum precibus, beneficium quod expetiverant, rejicere. Hac ratione commemorat, postquam oculati fuerant testes formidabilis Dei potentiæ, rogasse ultro ne loqui pergeret. Ac ne objicerent id à paucis vel inconsulte, vel per tumultum actum esse, mandata hæc diserte testatur perlata fuisse à capitibus tribuum & senioribus.

24. *En ostendit nobis Jehova.*] Propria confessione urgentur, ne posthac audeant de ministerio Mosis controversiam movere. Nam dum se fatentur vidisse gloriam Dei & magnitudinem, nisi ex professo velint Deo bellum inferre, obediendi necessitate se obstringunt. In fine versus, ubi dicunt Deum loquutum esse cum homine, &c. non modo intelligunt esse homines in terra superstites qui Dei vocem è cælo delapsam auribus perceperint: sed cum admiratione prædicant quod fere incredibile erat. Etsi enim satis apud eos vulgatum erat Deum olim cum patribus loquutum: quia tamen præterierat longum tempus ex quo cessaverant oracula, quasi ad rem novam obstupescunt. Videmus etiam ut longo post tempore, quoties apparuit servis suis Deus, metu mortis fuerint correpti. Fuit enim hoc illis instar proverbii, Moriemur, quia Deum vidimus. Merito autem hoc singulare privilegium celebrant, quod non fuerint absorpti à Dei gloria. Nam si conspectu ejus montes liquescunt, & quicquid durissimum est solvitur, quicquid robustissimum est, fractum concidit: quomodo staret homo, quo nihil magis fluxum aut fragile? Si arcanu ejus nutu concussus aër non animalia modo, sed arbores & rupes tremefacit: quid fier ubi non modo virtutem suam in elementis profert Deus, sed è cælo descendens vocem ore suo emittit? Non absre igitur pru miraculo ducuot Israëlitæ, se, audita voce Dei, non fuisse in nihilum redactos. Quo suam vesaniam oblique perstringunt: quia inconsiderato voto interirum sibi accersiverant, nisi subventum esset Dei misericordia. Sed videntur duobus proximis versibus secum pugnare. Nam quum experti essent non semper extingui vel perire quibus Deus apparet, cur se morituros dicunt si continuet sermonem? Videntur quidem ita loquendo sibi parum constare: sed non frustra periculum, à quo mirabili Dei indulgentia elapsi fuerant, in futurum tempus metuunt. Perinde igitur est acsi dicerent, Semel Deum in nos provocasse plus satis est: quod hactenus ignovit, inæstimabilis est ejus clementiæ: cavendum interea nobis est, nisi mature corrigimus nostram stultitiam, ne graviores pervicaciæ pœnas demus. Hinc sumenda utilis admonitio. Quamvis enim non personuerit vox Dei nobis audientibus, experientia tamen veteris populi sufficere nobis debet, ut certo persuasi simus, quum Deus nobis doctores præficit, optime saluti nostræ consulere: quia si è cælo ipse tonaret, nobis intolerabilis esset ejus majestas. Quod valere debet ad sedandum exitialem eorum pruritum qui Deum è cælo quotidie descendere cuperent, vel saltem oracula sua per Angelos proferre: atque ita quos ex grege mortalium adhiber ministros fastidiunt. Denique hæc historia illustre documentum est, Ecclesiam externa verbi prædicatione divinitus regi, quia ita expedit.

Jud. 13. vers. 22.

26. *Nam quæ ulla fuit caro.*] Carnis nomen contemptim (ut sæpe alias) pro genere humano sumitur. quanquam enim ex corpore & anima constamus, ubi tamen notatur hominum fragilitas, & caduca evanidaque conditio, Scriptura eos vocat carnem. Hoc sensu jubet Zacharias silere omnem carnem à facie Domini, Jesaias ait omnem carnem esse fœnum: ut alibi dicit, Ægyptiorum equos carnem esse, non spiritum. Ergo in his verbis causæ redditio est, cur mirentur Israëlitæ se non fuisse morte consumptos post auditam Dei vocem. Neque tamen eos latebat Deum prius loquutum fuisse ex rubo ardenti: sed metu constricti non reputant quid ante acciderit; tantum ex sensu sun pronunciant, mortiferam carni esse Dei vocem, nisi interposito remedio mitigetur. Nam quod Rabini fingunt, Prophetas non censeri in numero hominum, frivoluta est: nisi quod Spiritu suo eos fulcit Deus ac roborat, & recipiendis visionibus pares sint. Sciebant certe Israëlitæ ipsum quoque Mosen unum esse ex numero mortalium: sed quia sciebant electum esse à Deo interpretem, non dubitant cælesti virtute præditum fore, ut Deum loquentem sustineat. Nec dubium est quin hæc confessio illis fuerit expressa, ut tandem in suo gradu subsistere discerent, seque Mosi subjicere, cui toties rebelles fuerant. Discrimini ergo quod ante non patiebantur nunc libenter subscribunt. Quod se omnia quæ jusserit Deus facturos promittunt, non dubium est quin ex zeli fervore prodierit. Itaque paulo post eorum responsum laudat Deus ipse. Ac tantundem sonant verba acsi dixissent, sibi non minore in pretio fore quicquid attulerit Moses quam si horribili voce tonaret Deus. Interea quoad ipsos, levitas & inconstantia mox deprehensa fuit. Ita sæpe homines, quamvis ex professo fallere non appetant, neglecto virium suarum examine, temere ad dandam fidem prosiliunt, cui præstandæ sunt impares. Rectum ergo pronunciat Deus quod dixerunt, nempe se Mosi fore obsequentes, ac ejus doctrina contentos. Quæ sententia ad nos etiam pertinet, qui jubemur audire Mosen & Prophetas, præcipue vero unicum Dei Filium: ne vagæ speculationes altius quam par est nos rapiant.

Zach. 2. vers. 13. Jesa. 40. vers. 6. & 31: 3.

29. *Quis det ut sit cor eorum.*] Significat Deus non ita constantes & firmos in servandis promissis fore ut fuerunt faciles & propensi: atque ita non penitus excussam vel abstersam esse hypocrisin ex eorum animis. Porro humanum affectum improprie suscipit: quia frustra & absurde optaret quod in ejus arbitrio est conferre. Certa penes ipsum est flectere & dirigere corda quocunque placuerit. Cur ergo aliunde dari optat ut populum semper contineat in officio: nisi quod sub hominis persona optandum magis quam sperandum esse docet ut continuo tenore populus fidem colat? Quare inscite hoc loco & similibus abusi sunt quidam ad stabiliendum in homine liberum arbitrium. Perinde accipiunt hæc verba acti flexibilis esset in utramque partem hominis voluntas, & recte agendi facultas suppeteret, Deus autem in otio eventum specularetur. Quasi vero hic agatur de arcano Dei consilio, ac non potius de fine & usu externæ doctrinæ. Nos vero innumeris Scripturæ testimoniis edocti, tenemus unius Dei esse proprium dare quod hic postulat. Sicuti continuo post optare se dicit ut bene sit Israëlitis & filiis eorum: nempe quia per homines stare certum est quominus beati sint & felices, quoties Deus illos invitat, quando gratiam sibi oblatam repudiant. Neque tamen inde sequitur, positum esse in libero cujusque arbitrio sibi felicitatem acquirere. Sed hic nobis considerandus est Dei voluntas qualis in verbo ostenditur, non autem quæ penes ipsum latet. Nam quum omnes verbo promiscue invitet ad vitam, arcana inspiratione nonnisi quos elegit vivificat. In summa, Deus, quamvis approbet populi responsum, plus difficultatis in præstando fore dicit quam ut eventus respondeat.

30. *Vade, dic eis.*] Populi votis clarius adjungit Dei consensum: acsi diceret, quod postulaverant, Dei scitu ratum fuisse. unde sequitur, si Mosi pa-

rere

rere abnuant, non modo perversæ levitatis reos esse, sed violare cæleste decretum. Ante admonui cur Legis doctrinam variis nominibus Deus insigniat, nempe quo libentius in ea acquiescant Israëlitæ. Cæterum ne sibi præscribi existiment quod exiguo tantum tempore vigeat ac servandum sit, nominatim de Legis perpetuitate differit. hoc enim sonant verba, ubi se docere pronunciat quid facturi sint in terra quam daturus est eis.

PRÆFATIO IN LEGEM.

Ex Exodi XX.

ET loquutus est Deus omnia verba hæc, dicendo,
2. Ego Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti, è domo servorum.

Ex Deut. V. *Repetitio.*

1. Vocavitque Moses universum Israëlem, & dixit eis, Audi Israël statuta & judicia quæ ego hodie loquor in auribus vestris, ut discatis ea & custodiatis ad præstandum.
2. Jehova Deus noster percussit nobiscum fœdus in Horeb.
3. Non cum patribus nostris percussit Deus fœdus hoc, sed nobiscum, qui ipsi hodie omnes vivimus.
4. Facie ad faciem loquutus est Jehova nobiscum in monte,
5. (Ego stabam inter Jehovam & inter vos tempore illo ad annunciandum vobis sermonem Jehovæ: quia timuistis à facie ignis, & non ascendistis in montem) dicendo,
6. Ego Jehova Deus tuus qui eduxi te è terra Ægypti, è domo servorum.

Deut. IV.

20. Vos autem tulit Jehova, & eduxit vos è fornace ferrea ex Ægypto, ut sitis ei in populum hæreditatis, sicut die hac.

Exodi 20. 1. *Et loquutus est.*] Multorum consensu receptum esse scio ut hic & proximus versus uno contextu legantur, atque ita simul primum ex decem præceptis efficiant. Alii separatim legentes, affirmationem unius integri præcepti loco esse volunt. Atqui quum nihil jubeat hic Deus aut vetet, sed tantum prodeat cum suo imperio in medium, ut sibi populum addicat, & quam meretur auctoritatem vendicet, quod autem dicit extendatur ad omnes Legis partes: non dubito quin generalis sit præfatio, qua præparat populi animos ad obsequium. Et certe oportuit ante omnia jus Legislatoris sanciri, ne sperneretur vel contemptim exciperetur quod volebat mandare. His ergo verbis reverentiam sibi conciliat Deus antequam pie justeque vivendi regulam præscribat. Porro non modo se Jehovam & unicum Deum esse pronunciat, qui jure creationis homines sibi teneat obstrictos, quibus esse dedit, & quorum vitam tuetur, imo qui omnium est vita: sed addit se peculiarem esse Deum Israëlitis: quia operæpretium fuit, non tantum terreri populum Dei majestate, sed suaviter etiam allici, ut Lex pretiosa esset super aurum & argentum, & simul melle dulcior. Neque enim sufficeret metu servili cogi homines ad subeundum jugum, nisi dulcedine quoque adducti, libenter illud subirent. Postea commemorat singulare illud beneficium quo populum dignatus fuerat, & quo testatus fuerat non frustra fuisse à se electum. Redemptio enim certum erat adoptionis pignus: sed quo melius populum sibi devinciat, simul admonet qualis fuerit ejus conditio. Ægyptus enim tanquam servile ergastulum fuerat, unde liberati fuerant Israëlitæ. Quare non jam sui juris erant, quum eos sibi Deus acquisisset. Hoc quidem in nos proprie non competit: sed sanctiore vinculo sibi nos obligavit per manum unigeniti Filii: quem ideo mortuum esse & resurrexisse Paulus docet ut vivis dominetur & mortuis. Ita non unius tantum populi nunc est Deus, sed gentium omnium, quas in Ecclesiam suam communi adoptione vocavit.

Psal. 119. *vers.* 103.

Rom. 14. *vers.* 9.

Deut. 5. 1. *Vocavitque Moses universum.*] Quia poscebat docendi ratio quam tenere proposui, & series, ut hæc eadem præfatio, sicuti totidem verbis in Deuteronomio repetita est, conjunctim hic etiam legeretur: quinque versus qui in eo loco præcedunt, quia ad eandem summam pertinent, simul inserere placuit. Primo versu hortatur Moses populum, ut audiat quæ proponit Dei judicia & statuta. Finem quoque tradit, ut observent ad faciendum: ac si diceret se non inanes speculationes proferre, quas mente concipere, & de quibus loqui sufficiat: sed regulam formandæ vitæ in sua doctrina comprehendi. Itaque seriam meditationem flagitat.

2. *Jehova Deus noster.*] His verbis Legem commendat: quia singularis beneficii summique honoris loco ducendum sit, recipi à Deo in fœdus. Ergo ut cupide se ad Legem amplexandam accingant, ultro illis offerri dicit quod summopere expetendum erat, ut fœdere conjuncti sint cum Deo. Proximo autem versu magnitudinem hujus boni addita comparatione amplificat: quod plus ipsis contulerit Deus quam patribus. Quo illis tollitur omnis excusatio, nisi testandæ gratitudinis causa, totos se Deo tradant, ac quem experti sunt tam beneficum patrem vicissim colant sincero affectu. Qui subaudiunt in hac sententia, Non tantum cum patribus nostris, sed etiam nobiscum: rectum sensum pervertunt. Inde autem illis errandi occasio, quia Deus olim fœdus pepigerat cum Abraham, Isaac & Jacob. Sed refutatio facilis est: quia ad illos non refertur nomen patrum: sed eos qui ducentis annis superioribus mortui erant in Ægypto intelligit: quibus merito præfert populum superstitem, cum quo renovatum fuerat antiquum fœdus. Porro hæc temporis circumstantia non leviter eos ad parendum stimulare & accendere debuit: quia turpe & flagitiosum fuisset, non agnoscere se insigni privi-

privilegio patres antecellere, ut eos in Deo colendo ſtudii ardore præcurrerent. Eodem argumento Chriſtus apud diſcipulos utitur, Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ auditis. Multi reges & Prophetæ hoc optarunt, &c. Summa eſt, quo liberalius agit nobiſcum Deus, eo gravius & minus tolerabile eſſe ingratitudinis crimen, niſi vocanti ultro prodimus obviam, ejuſque doctrinæ nos ſubjicimus.

Mat. 13. *verſ.* 16. *Luc.* 10. *verſ.* 3.

4. *Facie ad faciem.*] Iterum à certitudine Legem commendat: quia ubi ſe Deus palam oſtendit, ambigi non poteſt à quo auctore ſit profecta. Facie ad faciem loqui, tantundem valet ac coram & familiariter ſermonem conferre. Et certe ita cum illis loquutus eſt Deus, acſi mortales inter ſe, & ſocii ultro citroque contraherent. Porro ne qua dubitatio reſtaret, Deus illuſtre gloriæ ſuæ documentum ante oculos in igne ſtatuit. Neque enim alterius quam ipſius Dei vox potuit ex igne prodire. Proximo verſu additur moderationis ſpecies, dum ſe interpretem fuiſſe dicit, qui accepta à Deo mandata illis exponeret. Atque ita conciliat quæ videntur primo intuitu pugnare, quod Deus coram loquutus ſit, & tamen per internuncium: quia ipſi audita Dei voce præ metu deprecati ſunt ne eodem modo loqui pergeret. Unde ſequitur, cæleſtis gloriæ & majeſtatis ſenſu fuiſſe convictos, ut de Legis auctoritate dubitare fas non eſſet. Sed hoc quia ſuſius narratum fuit, leviter tantum nunc perſtringo.

Deut. 4. 20. *Vos autem.*] Ex quo redempti ſunt, Deo prorſus eſſe obſtrictos ratiocinatur, quia eos ſibi in peculium acquiſierit. Unde ſequitur, ſub jure ejus eſſe & imperio: quia ſceleſtæ & fœdæ ingratitudinis eſſet, jugum ſui redemptoris excutere. Quo autem ſanctior ſit obligatio, magnitudinem gratiæ extollit, quia nihil ipſis miſerius quum Deus porrexit manum ad eos liberandos. Itaque ſervitus illa metaphoricè vocatur fornax & quidem ferrea. Deinde confertur longe diverſus ſtatus, quia hæc ſolida & maximè expetenda fuit felicitas, tranſire in Dei peculium.

Levit. XIX.

36. —— Ego Jehova Deus veſter, qui eduxi vos è terra Ægypti.

37. Cuſtodite igitur omnia ſtatuta mea, & omnia judicia mea, & facite illa: ego Jehova.

Levit. XX.

8. Cuſtodite ſtatuta mea, & facite ea. Ego Jehova ſanctificans vos.

Levit. XXII.

31. Obſervate præcepta mea, & facite ea: ego Jehova.

32. Et ne polluatis nomen ſanctum meum, ſed ſanctificer in medio Iſraël. Ego Jehova ſanctificans vos.

33. Qui eduxi vos è terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum: ego Jehova.

Deut. IV.

1. Et nunc Iſraël audi ſtatuta & judicia, quæ ego doceo vos, ut faciatis: ut vivatis, atque ingrediamini, & poſſideatis terram quam Jehova Deus patrum veſtrorum dat vobis.

2. Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque minuetis ex eo, ut cuſtodiatis præcepta Jehovæ Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.

Deut. V.

32. Cuſtodite ergo ut faciatis quemadmodum præcepit Jehova Deus veſter vobis: ne declinetis ad dextram aut ad ſiniſtram.

33. Per omnem viam quam præcepit Jehova Deus veſter vobis, ambulabitis, ut vivatis, & bene ſit vobis, & prorogetis dies in terra quam poſſidebitis.

Deut. XIII.

18. Quia audies vocem Jehovæ Dei tui, ut cuſtodias omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod rectum eſt in oculis Jehovæ Dei tui.

Levit. 19. 36. *Ego Jehova.*] Idem agit his quatuor primis locis quod in præfatione vidimus. Nam partim ab auctoritate Dei ratiocinatur, Legi obedienter parendum eſſe, quia merito ſummum imperium ſibi vindicet cæli & terræ conditor: partim vero beneficium redemptionis proponit, ut libenter ſe ſubjiciant ejus Legi, à quo ſalutem adepti ſunt. Quoties enim ſe Jehovam nominat, occurrere debet ejus majeſtas, quæ omnes in ordinem cogat. Redemptio autem ipſa voluntariam ſubjectionem elicere debet. Initio repetit eadem verba quibus nuper uſus fuerat: hinc hortatur ut cuſtodiant ſtatuta ſua & judicia, hoc eſt, in animos ſuos diligenter reponant. deinde admonet quorſum ad ſervandam Legem debeant attendere, nempe ut operibus præſtent quæ illic Deus exigit. Nec vero abs re in fine ſecundi verſus iterum pronunciat ſe eſſe Jehovam: quia nec præfractos animos ſubigere facile eſt, nec vagos retinere in Dei timore. Proximo verſu adjicitur epitheton, Sanctificans vos, ut gratitudinem ſuam Deo probare ſtudeant, qui ſingulari privilegio eos è communi numero exemit.

Levit. 22. 32. *Et ne polluatis.*] Aliis verbis eandem ſententiam confirmat, quum vetat nomen ſuum pollui. quibus verbis cultus ejus ab omnibus corruptelis aſſeritur, ut purus & integer vigeat. Eodem ſpectat oppoſitum membrum quod mox ſequitur. Sanctificant enim Dei nomen qui non deflectunt à recto & ſincero ejus cultu. Atque hoc ſedulo notandum eſt, quæcunque homines figmenta excogitant, totidem eſſe nominis Dei profanationes. Quantumvis enim ſibi placeant in ſuis commentis ſuperſtitioſi, tota eorum religio ſacrilegiis referta eſt, quibus Deus ſanctitatem ſuam pollui conqueritur. Notanda etiam eſt mutua relatio, ubi ſe Deus ſanctificari poſtulat, ſicuti ſanctificat ipſe populum. Nihil enim magis indi-

indignum quam ſi Iſraëlitæ eum idolis permiſceant, cujus beneficio excellunt ſupra omnes gentes. Perinde enim eſt acſi reputare juberet unde egregii ſint, ut ſuæ præſtantiæ auctori gratiam rependant. In ſumma, quemadmodum à profanis gentibus illos ſegregaverat, ita omnes impias mixturas damnat, quibus vitiatur pietatis integritas, ut ſolus emineat repudiaris omnibus idolis.

Deut. 4. 1. *Et nunc Iſraël.*] Docilitatem à populo requirit; ex qua diſcant Deo ſervire. Nam bene rectèque vivendi initium eſt, tenere quid Deo placeat. Ideo hinc orditur Moſes, dum attentos eſſe jubet ad regulam ex Lege petendam. Deinde admonet ut tota vita probent rite ſe in Lege profeciſſe. Promiſſio quæ inſeritur, tantum eos ſpe hæreditatis ad liberale obſequium invitat. Præcipuum caput eſt, ne quid addant vel detrahant puræ Legis doctrinæ: quod fieri non poteſt quin ſe homines primum abdicent proprio ſenſu, deinde alienis omnibus commentis aures claudant. Neque enim alii cenſentur Legis diſcipuli, niſi qui ex ea tantum ſapiunt. Perinde ergo eſt acſi juberet Deus ſuis præceptis contentos eſſe: quia non aliter Legem cuſtodient, quam ſi prorſus ejus doctrinæ ſint addicti. Unde ſequitur, eos demum obedire Deo, qui tantum ab ejus auctoritate pendent: ac Legi deferre ſuum honorem qui nihil à genuino ejus ſenſu extraneum admittunt. Inſignis locus, quo aperte damnatur quicquid hominum ingenio excogitari poteſt ad cultum Dei.

Deut. 5. 32. *Cuſtodite ergo.*] Hoc quoque verſu rurſus non tantum hortatur populum ad Legem amplexandam, ſed ſimul contentos eſſe jubet ſimplici ejus doctrina. Et certe dimidia tantum pars obedientiæ eſt, tanquam rectum & æquum ſuſcipere quicquid Deus præcipit, niſi accedat hæc ſobrietas, ne quid ultra ſibi acceſſant homines. Itaque alio quoque loco quem adjunxi, non minus ſevere prohibet Deus ne quid addatur, quam ne quid detrahatur. Atque hæc apprime obſervatu digna eſt ſententia: quoniam præpoſtera laſcivia rapitur totus fere mundus ad cultus fictitios, qui tamen præciſe uno verbo damnantur, ubi Deus ita jubet ſuos acquieſcere poſitæ Legi, ne juſtiores eſſe appetant quam illic docentur. Similis eſt locus Deut. 12. verſu ultimo: ſed quia annexus eſt propriæ circumſtantiæ, & ex ſuperiore ſententia pendet, illic commodius reponetur. Tandem ſubjicit, non aliter Legi ſatisfacturos, quam ſi intra metas ſe continent; &, quo ſint magis proclives ad parendum, adjuncta promiſſione blande eos allicit.

Deut. 13. 18. *Quia audies.*] Quanquam hæc ſententia aliunde pendet, (ut licet videre ſuo loco) generalis tamen eſt, & extenditur ad totius Legis commendationem. Primo autem docet Moſes, regulam pie vivendi ex ore Dei petendam eſſe: deinde adjungit parendum eſſe non ex parte, ſed in ſolidum. Confirmat etiam quod de obedientia dixi, quia non aliter placent homines Deo, quam ubi voci ejus auſcultant. Porro notanda eſt loquutio, ubi Moſes ſibi partes miniſtri duntaxat ſumens, ſoli Deo poteſtatem vendicat. Dicit enim ſe præcipere, ſed diſerte exſpirit Dei eſſe quæcunque affert præcepta.

Ex Deut. IV.

5. Videte, docui vos ſtatuta & judicia, ſicut præcepit mihi Jehova Deus meus, ut ſic faciatis in medio terræ, ad quam vos ingredimini ut poſſideatis eam.

6. Cuſtodietis itaque, & facietis: quia hæc eſt ſapientia veſtra & intelligentia veſtra coram populis: qui dum audierint omnia ſtatuta hæc, dicent, Certe populus hic ſapiens & intelligens eſt, gens hæc magna.

7. Quæ enim gens tam magna eſt cui ſic appropinquent dii, ſicut Jehova Deus noſter in quibuſcunque invocamus eum?

8. Et quæ gens eſt tam magna cui ſint ſtatuta & judicia juſta, ſicut eſt univerſa hæc Lex quam ego propono hodie coram oculis veſtris?

9. Veruntamen cave tibi, & cuſtodi animam tuam ſollicite, ne obliviſcaris rerum quas viderunt oculi tui, neve recedant à corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ, & docebis ea filios tuos & filios filiorum tuorum.

10. Die quo ſtetiſti coram Jehova Deo tuo in Horeb, quum diceret Jehova mihi, Congrega mihi populum, ut retenſeam illis verba mea, quæ diſcent, ut timeant me omnibus diebus quibus vixerint ſuper terram, & filios ſuos docerant.

11. Itaque acceſſiſtis, & ſtetiſtis ſub monte: (mons autem ille ardebat igni uſque ad medium cæli, tenebræ, nubes, & caligo)

12. Et loquutus eſt Jehova ad vos è medio ignis: vocem verborum vos audiebatis, at imaginem ullam non videbatis præter vocem.

13. Et renunciavit vobis pactum ſuum quod præcepit vobis ut faceretis, decem verba, & ſcripſit illa in duabus tabulis lapideis.

14. Mihi quoque præcepit Jehova eodem tempore ut docerem vos ſtatuta & judicia, ut faceretis ea in terra ad quam tranſitis ut poſſideatis eam.

6. *Cuſtodietis itaque.*] Quo alacrius ſe accingant ad ſervandam Legem, & in hoc ſtudio conſtantius pergant, nihil illis eſſe melius vel magis optabile admonet. Neque enim rite colitur Deus, niſi propenſis animis & voluntario obſequio: quod dulcedine magis elicitur, quam extorquetur vi & rigore. Jam quum omnes excellere appetant, hanc fore Iſraëlis maximam præſtantiam dicit, Deum habere Legislatorem & magiſtrum. Si quis objiciat, duobus argumentis refelli quod dicit: nempe quia cunctis profanis gentibus incognita fuit Dei Lex: deinde quod præſcripta illic colendi Dei forma, totaque Judaica religio non modo contemptui, ſed etiam odio fuit: reſpondeo, hic alios populos non ſtatui ſimpliciter judices vel arbitros, ſed verba ita eſſe reſolvenda, Si ad juſtam cognitionem ventum fuerit, nullus erit populus ſub cælo qui ſe vobis æquare, nedum præferre audeat. Nam ex ipſa comparatione agnoſcent in quam altum dignitatis gradum vos Deus extulerit. Quamvis ergo neglecta jacuerit Legis doctrina, imo etiam deteſtatus ſit totus fere orbis: vere tamen prædicat Moſes, quum normam vivendi Judæis Deus tradere dignatus eſt, theatrum in quo conſpicua eſſet unius populi nobilitas, erectum fuiſſe coram aliis gentibus. Neque enim cæcorum inſcitia, Dei claritatem

ritatem extingui vel obſcurari æquum fuit. Colligitur autem ex hoc loco tunc nos vere demum ſapere ubi pendemus ab ore Dei, ſenſuſque noſtros ejus verbo addicimus. Ubi reddidi, Certe populus hic, particula כי Hebraice legitur, quæ ſæpe excluſiva eſt: ideo commode transferri poſſet, Tantummodo populus hic, &c. Dubium quidem non eſt quin ob gratiæ privilegium eximia notetur populi conditio.

7. *Quæ enim gens tam magna.*] Quod in aliorum perſona retulerat Moſes, nunc ſuo nomine iterat, acſi addita ratione oſtenderet, non temere celebres fore Judæos in toto mundo: quia reipſa appareat nullos illis eſſe pares. Quanquam duo membra hic recenſet: primo quod præſto ſit illis Deus ad ſereodum auxilium quoties eum implorant: deinde quod eos docuerit perfectam juſtitiam, ultra quam nihil deſiderari queat. Nam quum dicit Deum propinquum eſſe, ad præſentiam virtutis refero, quæ multis miraculis ſatis ſuperque cognita fuerat. Tale præſidium in diis ſuis merito negat Gentes unquam ſenſiſſe, quæ vota & clamores ad ſurda & mortua idola dirigebant.

9. *Veruntamen cave tibi.*] Eadem eſt particula רק de qua nuper dixi: quæ tantundem hoc loco valet acſi dixiſſet Moſes, hoc tantum reſtare, niſi magis placeat, Veruntamen. Poſtea ad verbum legitur, Cuſtodi te, vel tibi, & cuſtodi animam tuam: ubi gradatim procedit Moſes, non vulgari obſervatione eſſe opus, ſed intima vigilantia & ſedulitate cavendum illis eſſe ne per ignaviam deficiant. Talibus enim ſtimulis excitanda eſt carnis noſtræ tarditas, & ſimul firmanda mollities, & inconſtantiæ obviam eundum: quia nihil magis proclive quam ut ſubita oblivione concidat totus fervor, vel paulatim langueſcat. Apud gratos & memores, quantum opus erat, Deus ſtabilierat fidem Legis ſuæ: quæ tamen eſt hominum incuria, non abs re poſtulat ut populus recordetur. Nec tantum eos recordari jubet qui oculati fuerint teſtes, ſed filiis etiam & nepotibus tradere, ut rerum tam inſignium memoria propagetur.

10. *Die quo ſteteris.*] Poſſet etiam legi Diem, accuſandi caſu, ut ſit appoſitio. Certe fuſius exponi liquet quæ brevius attigerat. Populum enim citat tanquam oculatum teſtem: ne forte excipiat, ſibi non conſtare unde hauſerit Moſes quod profitetur ſibi à Deo injunctum. Sciebant enim omnes nihil eum tentaſſe niſi manifeſto Dei juſſu. Deinde à fine ipſo & ſumma doctrinæ confirmat, Deum eſſe auctorem, quoniam non alio ſpectet, niſi ut pure colatur Deus ipſe, & populum habeat ſibi obſequentem, quo nihil rectius aut æquius fingi poteſt.

11. *Itaque acceſſiſtis, & ſteteſtis.*] Hæc quoque exegetica narratio ad ejuſdem rei probationem valet, nempe Moſen nonniſi Dei præconem & miniſtrum fuiſſe: quia toto populo ſpectante mons exarſerit, ut palam fieret Deum è medio igne loqui. Quod dicit, vocem tantum audiſſe, nullam vidiſſe effigiem, poteſt vice conceſſionis accipi. Ita adverſative legenda eſſent hæc duo membra, Quamvis nulla effigies apparuerit, vox tamen penetravit ad veſtras uſque aures. Sed hoc diſerte expreſſum fuiſſe interpretor, quo certius teſtatum fieret illam fuiſſe Dei vocem, quæ ab homine mortali emiſſa non fuerat. Nullo enim artificio ſe occultaſſet quiſquam hominum, quin os loquentis conſpicerent, qui videbant abſque externo organo vocem ex igne prodire.

Ex Deut. IV.

32. Interroga agedum de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex quo die creavit Deus hominem ſuper terram, & ab extremo cæli uſque ad extremum cæli, an acciderit unquam aliquid ſecundum hanc rem magnam, vel auditum fuerit ſimile.

33. An audierit populus vocem Dei loquentis è medio ignis, ſicut tu audiſti, & fuerit ſuperſtes.

34. Vel an tentaverit Deus ut veniret ad gentem ſibi aſſumendam è medio gentis, per probationes, ſigna & prodigia, prælia, manum fortem, brachium extenſum, & viſiones magnas, ſecundum omnia quæ vobiſcum egit Jehova Deus veſter in Ægypto coram oculis veſtris.

35. Tibi oſtenſum eſt ut cognoſceres quod Jehova ipſe eſt Deus, nec ullus præter ipſum.

36. E cælis audire te fecit vocem ſuam, ut erudiret te: & in terra oſtendit tibi ignem ſuum magnum, & verba ejus audiſti è medio ignis.

37. Et quia dilexit patres tuos, elegit ſemen eorum poſt eos, & eduxit te coram facie ſua, in virtute ſua magna, ex Ægypto:

38. Ut expelleret gentes magnas à facie tua, & robuſtiores te, ac te introduceret ad dandam tibi terram earum in hæreditatem, ſicut dies hæc demonſtrat.

39. Itaque ſcito hodie, & reduc ad cor tuum, quod Jehova eſt Deus in cælis ſurſum & ſuper terram deorſum, nec alius ultra.

40. Proinde obſervabis ſtatuta ejus & præcepta ejus quæ mando tibi hodie, ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te, utque prolonges dies ſuper terram quam Jehova Deus tuus dat tibi omnibus diebus.

32. *Interroga agedum.*] Vehementius hic celebrat & magnificis elogiis extollit Moſes quæ ſimplicius ante narravit edita fuiſſe miracula in promulgatione Legis, quo ſanctior eſſet Legis dignitas. Porro comparatione amplificat teſtimonia, quibus ſancita fuerat Legis fides, vel certitudo: quia ſcilicet nihil unquam ſimile acciderat. Nam ſi extitiſſet tale aliquod exemplum, aliquid detractum fuiſſet ex pretio vel honore. Sed quum ſemel tantum ab exordio mundi tam illuſtre virtutis ſuæ documentum protulerit Deus, hinc gravior Legis approbatio. Addit etiam, ſi totum orbem perluſtrent, nihil ſimile uſquam reperturos. Nam quod ſubtilius hoc membrum quidam exponunt, acſi diceret creaturas omnes ſurſum & deorſum teſtes fore nunquam tot & tam inſignibus miraculis conſpicuam fuiſſe Dei virtutem, mihi non probatur: ſicuti nimis reſtrictum videtur quod per dies antiquos alii intelligunt annales, vel diaria: quia non dubito quin ſimpliciter jubeat Moſes inquirere & ſciſcitari an à mundi creatione, vel in remotiſſima aliqua plaga, tale quid contigerit.

33. *An audierit.*] Magnitudinem & ſingularem præſtantiam rei cujus proxime meminit, apertius deſignat: nempe quod audierint vocem Dei ex igne loqueo-

loquentis. Verum quidem eſt multis olim ſpectris confirmatas fuiſſe Gentium ſuperſtitiones: ſed inter portenta quæ ultro ad ſe decipiendos fioxerunt miſeri homines, nihil eſt quod ad hoc miraculum accedat. Mentiti ſunt ſeorſum complures, temere creditum fuit ſermonibus quos effutiverant: hic autem non agitur de rumoribus leviter ſparſis, nec de unius hominis ſomnio, ſed plures ſeptingentis millibus teſtes oculatos producit Moſes, quibus certo clareque apparuit Dei gloria. Et ideo ſubjicit, Deum nunquam idem tentaſſe: quia hoc unicum ſpecimen ediderit ad illuſtrandam omnibus ſeculis Legem ſuam. Quanquam hoc verſu non tantum promulgationem Legis attingit, ſed totum liberationis curſum: quia in genere probationes & ſigna nominat. Dicit ſe aſſumpſiſſe gentem è medio gentis: quia poſteros Abrahæ, qui per Ægyptum diſperſi, & quaſi in ejus viſceribus incluſi, pars obſcura duntaxat & ignobilis erant celeberrimi populi, incomparabili potentia eripuit: quale exemplum nuſquam reperitur.

35. *Tibi oſtenſum eſt.*] Primo dicit miraculis & prodigiis Deum ita probaſſe deitatem ſuam, ut certo ſcirent Iſraëlitæ ipſum eſſe Deum. Unde etiam colligit ipſum eſſe ſolum: quia etſi laceratur ſacrum Dei nomen variis opinionibus, dum proprios ſibi deos quiſque fabricat, manet tamen illud fixum, potentiam & imperium Dei non poſſe diſtrahi, ſed reſidere in unico ſubjecto, ut loquuntur. Itaque eſſentia unius Dei alias omnes deitates, quas oobis ſtulta comminiſcimur, evertit atque abolet. Quod diligenter notandum eſt, quia ſeculis omnibus commune fuit vitium ut expeterent plurium deorum mixturam: quum præ fulgore veri Dei figmenta omnia evaneſcere debeant. Sequenti verſu hanc ſententiam confirmat, quod Deus populum è cælo & ex igne erudierit. Quæritur tamen quomodo hæc duo conveniant, quæ videntur pugnare, vocem Dei fuiſſe auditam è cælo & è medio ignis. Reſpondeo, ſimpliciter Moſen docere, vocem quæ ex igne manavit ad aures populi, certis notis fuiſſe inſignitam, ut conſtaret cæleſtem eſſe.

37. *Et quia dilexit.*] Verba duplicem ſenſum admittunt. nam initio verſus ponitur copula, Et quia dilexit patres tuos: deinde ſecundo repetitur, Et elegit ſemen eorum. Ita uno contextu poſſet eſſe cauſæ redditio, ſuperioris ſententiæ reſpectu: tot miracula fuiſſe edita, quoniam Deus elegerat Abrahæm & ſemen ejus. Alii ſecus accipiunt, populum hunc tot beneficiis ornatum fuiſſe à Deo, quoniam patres eorum dilexerat. Itaque copulam in medio verſu omittunt: quod ſæpe fieri ſolet. In ſumma rei parum eſt diſcriminis: quia docere vult Moſes, quicquid bonorum contulit Deus populo, fuiſſe gratuitum. quæ circumſtantia magis commendat Dei gratiam. Dixerat, inſolito privilegio aſſumptam fuiſſe gentem è medio gentis: nunc addit, non alia de cauſa id factum, niſi quia Deus amore ſui complexus fuerit Abraham, Iſaac, & Jacob, & eundem amorem erga poſteros proſequutus fuerit. Notandum vero eſt, amoris nomine exprimi favorem qui ex mera liberalitate fluit, ut excludatur omnis perſonæ dignitas: ſicuti ex aliis locis apertius colligitur, ut cap. 7. v. 8. & Pſalm. 78. v. 68. Idque facile patet ex verborum contextu, ubi electionem populi deducit ex amore quo Deus patres ipſos dignatus fuerat. Si quis objiciat, electionem Dei eſſe æternam: ſolutio in promptu eſt, ſemen Abrahæ ſegregatum fuiſſe à cunctis gentibus, quia Deus gratis patrem adoptaverat. Tenemus nunc conſilium Moſis, liberationem populi nonniſi Dei bonitati adſcribi poſſe. Alia deinde circumſtantia amplificat hoc beneficium, quod Deus magnis & robuſtis gentibus prætulerit ignobilem populum, cui non poterat ulla propria dignitas favorem acquirere.

39. *Itaque ſcito hodie.*] Inculcat rurſum quod nuper diximus, miraculis probatam fuiſſe gloriam unius veri Dei: ſed per modum exhortationis. Quod animum Deus monſtravit, ſedulo & attente expendere jubet: quia in re tam manifeſta, nulla ſit erroris vel inſcitiæ excuſatio. Infert ergo ex ſuperioribus, cavendum eſſe ne populus ad claras virtutis Dei oſtenſiones conniveat: idcirco jubet repetere memoria, quia ad oblivionem nimis propenſi eſt hominum ingratitudo. Poſtea admonet quorſum velit cognoſci Deus: nempe ut Legem ejus obſervent, & pareant ſtatutis. Summa eſt, inexcuſabiles fore, niſi obedienter Legem recipiant quam ſciunt eſſe à Deo profectam: quia pluſquam ſtupidos eſſe oportet, niſi apud eos reverentiam ſibi conciliet Dei majeſtas, tot documentis cognita & perſpecta. Ac, ne minoris doctrinam æſtiment quæ ab homine mortali producitur, fatetur quidem diſerte ſe eſſe miniſtrum, ſed nihil proponere niſi quod à Deo accepit.

Ex Deut. VII.

6. Nam populus ſanctus es Jehovæ Deo tuo: te elegit Jehova Deus tuus, ut ſis illi populus peculiaris ex omnibus populis qui ſunt in ſuperficie terræ.

7. Non quia plures eſſetis præ omnibus populis, amavit vos Jehova, & elegit vos: (vos enim eratis pauciores omnibus populis)

8. Sed quia diligebat vos Jehova, & cuſtodire volebat juramentum quod juraverat patribus veſtris, eduxit vos Jehova in manu forti, & redemit vos è domo ſervorum, è manu Pharaonis regis Ægypti.

Ex Deut. X.

14. Ecce, Jehovæ Dei tui ſunt cæli, & cæli cælorum, terra & omnia quæ in ea ſunt.

15. Tantummodo in patribus tuis beneplacitum eſt Jehovæ, ut diligeret eos: & elegit ſemen eorum poſt eos, *nempe* vos, ex omnibus populis, ſicut hodie.

16. Circumcidite igitur præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis ultra.

17. Jehova enim Deus veſter, eſt Deus deorum & Dominus dominorum, Deus magnus, potens & terribilis.

Deut. 7. 6. *Nam populus ſanctus.*] Diſtinctius explicat quod nuper vidimus de gratuito amore. Nam paucorum hominum comparatio cum toto orbe & cunctis gentibus, magnitudinem gratiæ non parum illuſtrat, cui accedit major verborum copia. Eadem fere ſententia repetetur & paulo poſt, & demum in cantico: ſed illic per modum exprobrationis, hic autem in alium ſcopum dirigitur, ſicut ex contextu patet: nempe ut tanto beneficio devincti, ſe & ſua obſequia Deo addicant. Principio de electionis fine differit, quod Deus eos tam ſingulari bonore dignatus ſit ut ſibi populum acquirerat ſanctum & pu-

& purum ab inquinamentis omnibus: deinde addita quam dixi circumſtantia, beneficii præſtantiam extollit. Quod à dignitate ratiocinatur decere eos ſanctitati dare operam: hinc colligimus, quo uberiore quiſque gratia ornatus eſt, eo ſanctius obſtringi ad pie juſteque vivendum. Neque enim dona quæ apud nos locat Deus, inutilia jacere vult, ſed fructus ſuos proferre: præſertim tenendum eſt, dum nos ſibi adoptat & in Eccleſiam colligit, non ad immundiciem nos vocari, ſed ad vitæ puritatem, atque ut virtutes enarremus ejus qui nos ex tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum. Nomen Hebraicum סגלה (quod nos peculiarem vertimus) quidam pro theſauro accipiunt, vel re pretioſa & deſiderabili: ſicut dictum fuit Exodi 19. Certe ex pluribus locis conſtat hac voce deſignari aurum, argentum, margaritas, & ſimilia. De rei tamen ſumma convenit, hoc elogium electo populo tribui, quod Deus in eo ſe oblectet: in quo refulget incomparabilis ejus bonitas, quod miſeros & nullius pretii homuncionea tanti æſtimat. Unde etiam apparet, ſancta ſua vocatione ipſum quaſi ex nihilo creare quæ non ſunt, ut omnem terrenam eſſentiam ſuperent.

1 Theſſ. 4. verſ. 7.
1 Petr. 2. verſ. 9.

7. *Non quia plures eſſetis.*] Gratuiti favoris eſſe probat quod illos extulerit Deus in tantum honorem: quia præteritis cunctis gentibus, eos ſolos amplecti dignatus ſit. Nam dona Dei fere apud nos obſcurat æqualis largitio: quemadmodum Solis lumen, communis victus, & alia quibus ex æquo fruuntur omnes, aut vileſcunt, aut certe juſtam gloriam non obtinent: quod autem ſingulare eſt, magis eſt conſpicuum. Porro pro confeſſo ſumit Moſes, naturaliter nihil fuiſſe in populo illo, quo potior eſſet ejus conditio vel nobilior: ex quo infert Deo non aliam fuiſſe cauſam cur ipſos deligeret quam meram dilectionem. Alibi autem diximus, hoc amore excludi vel eximaniri quicquid à ſeipſis afferre vellent homines. Unde ſequitur, nunquam ſatis gratos Deo fore Iſraelitas, qui præter meritum tam liberaliter ab eo ſunt tractati.

Deut. 7. 8. *Cuſtodire volebat juramentum.*] Amorem Dei à filiis ad patres deducit. Suæ enim ætatis homines alloquebatur, quum diceret ideo thеſaurum eſſe Dei quia ipſos dilexerat: nunc addit non cœpiſſe nunc primum eos diligi, ſed origioem amoris à patribus fluxiſſe, ex quo Deus Abraham, Iſaac & Jacob adoptare voluit. Quanquam autem inde clarius evincit, poſteros Abrahæ nihil tale eſſe promeritos, quia tantum jure hæreditario fiat Dei peculium: ſimul tamen notandum eſt, non alia cauſa adductum fuiſſe Deum quam mera liberalitate, ut Abrahæ eſſet propitius. Ideo paulo poſt dicet, eos qui tunc erant ſuperſtites, charos eſſe Deo, quia jampridem dilexerat eorum patres. Sed nunc beneficentiam Dei ex eo magis commendat, quod fœdus ſuum à patribus ad filios transmiſerit, ut ſe in promiſſis fidum ac veracem oſtenderet. In fine verſus liberationem populi, gratiæ illius & effectum & teſtimonium eſſe docet.

Deut. 10. 14. *Ecce, Jehovæ.*] Gratiam qua vidimus populum Deo eſſe devinctum rurſus inculcat: quia hæc maxime efficax erat obſervatio ad ipſos movendos, ut ſe redemptori ſubjicerent, cui ſe totos & omnia ſua debere admonebantur. Primo igitur admonet, eos non propria dignitate aut generis præſtantia à reliquis differre, ſed quia Deo placuerit eos præferre, quum ex æquo omnibus dominaretur. Ad verbum eſt, Concupivit Jehova ad amandum patres veſtros: qua loquutione haud dubie notatur propenſus in amorem affectus: quod ex pluribus etiam locis colligere licet. Itaque non ſatis apte Hieronymus verbum Adhærendi poſuit. Atque hoc deſiderium quo libere & liberaliter inductus fuit Deus, opponit Moſes aliis omnibus cauſis, ne quid Iſrael ſibi vel patribus arroget. Notanda eſt etiam minoris & majoris comparatio. Hæc enim inæſtimabilis fuit dignatio, cælo, terra, eorum ornatu & copiis omnibus quodammodo præteritis, animum adjicere ad paucos & obſcuros homines. Atque huc pertinet reſtrictio, quod præ omnibus populis ſolum Abrahæ ſemen elegerit. Nam רק hoc loco eſt excluſiva, ideo reddidi per Tantummodo: niſi forte traoſferre libeat Atqui, vel Ex tamen. Senſus quidem clarus eſt, Deum, poſtbabitis omnibus terræ populis, adoptaſſe gratis Abraham cum ejus genere. Neque enim patres tantum dilectos fuiſſe dicit, ſed totam ſobolem in eorum perſonis: quia alioqui non quadraret quæ ſequitur exhortatio.

Deut. 10. 16. *Circumcidite igitur.*] Ex illatione apparet quorſum adoptionis facta fuerit mentio: nempe ut ſanctius & majore ſtudio Deum colerent Judæi, quem tam beneficum experti erant. Exigit ergo mutuum amorem. Nihil enim turpius quam non teſtari gratitudinem pie juſteque vivendo. Sed quia natura minime propenſi ſunt aut formati homines ad Dei obſequium, hortatur eos Moſes ad ſui abnegationem, atque ad domandos & corrigendos carnis affectus. Nam cor circumcidere, tantundem valet ac purgare pravis cupiditatibus. Interea caſtigat ſuperiorem eorum contumaciam, ubi vetat amplius, vel in poſterum, duram eſſe cervice: acſi diceret, tandem exuendam eſſe illam pravitatem ingenii, io qua nimis diu obduruerant. Tenemus ounc conſilium Moſis. Vult ſuos populares morigeros eſſe Deo & obedientes, à quo tam benigne provocati fuerant. Sed quia hactenus iniquam rependebant gratiam illius beneficiis, ſimul jubet mores in melius mutare. Priore autem membro alludit ad ritum Legalem. Circumciſio enim quaſi ſolennis conſecratio erat, qua initiabantur Abrahæ filii in Dei cultum & veram pietatem, & ſimul à profanis gentibus ſegregabantur, ut eſſent ſanctum peculium. Atque his quidem rudimentis à pueritia imbutos eſſe oportuit, ut ex ſigno illo viſibili diſcerent carnis & mundi inquinamentis renunciandum eſſe. Erant & alii Circumciſionis fines: verum hic tantum de vitæ novitate agitur, aut reſipiſcentia. Quare ſumma eſt, quum illos ſibi Deus elegerit in populum, & externo ſymbolo eos ſibi addixerit ad colendam ſanctitatem, debere illos ſincere & reipſa probare ſe differre à profanis gentibus: quia ſpiritualiter non minus quam in carne circumciſi erant. Eos enim vere demum Judæos eſſe Paulus definit qui intus ſunt circumciſi, & io abſconditn, ut loquitur: non autem qui tantum gloriantur Circumciſionis litera. Itaque ſæpius Prophetæ hypocritis & Legis transgreſſoribus exprobrant præputium, & incircumciſos vocant, quamvis ſignum viſibile in carne geſtarent. In ſumma, dum hortari vult ut ſe Deo ſanctificent, ratiocinatur à natura & uſu ſymboli, quo profitebantur ſe electum Dei populum. In ſecundo membro elegans eſt translatio à bobus ſumpta, quæ paſſim occurrit. Nam quia boves dum colla jugo placide ſubmittunt, probe ad obſequium ſunt ſubacti, duræ cervicis vocantur qui feroci & præfracto ſuoi ingenio.

Rom. 2. verſ. 28.

Deut. 10. 17. *Jehova enim Deus veſter.*] Ne doctrinam hanc vilipendant, terribile Dei imperium illis proponit: quia hinc contemptus aut negligentia, dum majeſtas Dei non ſemper juſtam venerationem obtinet. Itaque incuſſo metu, ab indulgentia vel torpore eos deterret.

Ex

Ex Deut. XXVII.

9. Et loquutus est Moses & Sacerdotes Levitæ ad omnem Israël, dicendo, Auscultа & audi Israël, hodie factus es in populum Jehovæ Deo tuo.

10. Audias ergo vocem Dei tui, & facias præcepta ejus & statuta ejus quæ ego præcipio tibi hodie.

Iterum exhortandi argumentum sumitur à singulari adoptionis gratia, qua Deus Abraham dignatus fuerat. Nihil enim ad obsequium præstandum acrius stimulare eos debuit quam amor ille plusquam paternus & gratuita benevolentia qua ipsos prævenerat. Quanquam simul his verbis fuerunt admoniti in quem finem segregati essent à reliquis gentibus. Colligit enim, quia recepti sunt à Deo in populum, obstringi ad servanda ejus statuta: sicuti clarius docet Paulus, nos redemptos esse ab omni iniquitate, ut Christus mundaret sibi populum peculiarem, studiosum bonorum operum. Porro quia jam creati erant Sacerdotes in quorum labiis peteretur Legis doctrina: nunc ipsius Dei nomine prodeunt in medium, ac stipulantur, ut Deo liberaliter invitanti respondeat populus: neque id modo, sed ejus ministris pareant. Tit. 2:14.

Ex Deut. XXVI.

16. Hodie Jehova Deus tuus præcepit tibi ut facias statuta hæc & judicia: custodias ergo & facias ea toto corde tuo, & tota anima tua.

17. Jehovam exaltasti hodie, quod tibi sit in Deum, & ambules in viis ejus, & custodias statuta ejus, & præcepta ejus, & judicia ejus, & obedias voci ejus.

18. Jehova quoque exaltavit te hodie quod sis ei in populum peculiarem, quemadmodum loquutus est tibi, & quod custodias omnia præcepta ejus.

19. Et ponat te superiorem omnibus gentibus quas fecit, ad laudem, & nomen, & gloriam: & ut sis populus sanctus Jehovæ Deo tuo, quemadmodum dixit.

16. *Hodie Jehova.*] Rursus Deum commemorat Legis esse auctorem, quo magis eos permoveat ejus majestas: neque id modo, sed quoniam peculiariter Lex illis tradita fuerat, ejus quoque observationem injunctam esse. Hinc hortatur ut diligenter animum adjiciant ad ea quæ Deus injunxit servanda: quia scilicet torpent homines in officio, nisi sæpius excitentur. Nam certe Deus, obsequium toties exigendo, obliqne perstringit populi segnitiem. Per totam vero animam intelligitur seria apprehensio & cura, deinde sinceritas pura omni fuco & simulatione. Nihil enim Deo magis displicet quam hypocrisis, quia cor intuetur. Si quis objiciat frustra requiri quod mortalium nemo præstare potest, nempe ut toto corde Lex servetur: respondeo totum cor opponi duplici, vel bipertito, atque ita tantundem valere atque integrum, vel minime fallax. Quanquam (ut postea videbimus) absurdum non est, scopum proponi fidelibus ad quem contendant, non autem pertingant, quantisper eos moratur carnis infirmitas.

17. *Jehovam exaltasti.*] Ab effectu ostendit nihil ipsis esse melius nec magis optabile, quam Legem Dei amplecti: nihil enim nobis magis honorificum quam Deo jus suum asserere, & in sublime attollere ejus gloriam ut emineat. Admonet autem Moses, si se Israëlitæ Legi subjiciant, perinde id fore acsi eum locarent in justo imperii sui gradu: fructum vero reditурum esse promittit, quia vicissim eos extollet Deus, ut præ cunctis gentibus longe excellant. sicuti apud Jesaiam dicitur, Sanctificate Deum exercituum, & ipse erit arx vestra. Nec aliter glorificari à nobis postulat, quam ut mutuo nos faciat gloriæ suæ consortes. atque ita blande eos allicit ad suscipiendam Legem, quia solida eorum felicitas sita sit in hoc pietatis officio, si Deo penitus ad parendum se addicant. Porro hæc Ecclesiæ præstantia tametsi in mundo refulget, cæcis tamen est abscondita: atque ut spiritualis est, nonnisi eorum Deo & Angelis laudem suam obtinet.

Ex Deut. VI.

20. Quum interrogaverit te filius tuus cras, dicendo, Quid sibi volunt testimonia & statuta & judicia quæ præcepit Jehova Deus noster vobis?

21. Tunc dices filio tuo, Servi fuimus Pharaoni in Ægypto, & eduxit nos Jehova ex Ægypto in manu forti.

22. Deditque Jehova signa & portenta magna & pessima in Ægypto in Pharaonem, & in totam domum ejus, in oculis nostris.

23. Atque nos eduxit inde, ut introduceret nos, ac daret nobis terram de qua juravit Patribus nostris.

24. Itaque præcepit nobis Jehova ut faciamus omnia statuta ista, ut timeamus Jehovam Deum nostrum in bonum nostrum omnibus diebus, ut conservaret nos in vita, ut in hac die.

25. Et justitia erit nobis, quum custodierimus ut faciamus omne præceptum istud coram Jehova Deo nostro, quemadmodum præcepit nobis.

20. *Quum interrogaverit.*] His verbis hoc unum agit Moses ut Legi parendo gratitudinem suam populus testetur, ac eadem religio ad posteros transeat, quos à patribus doceri jubet. Summa est, merito servanda esse omnia Legis præcepta, quibus Deus, post redemptum populum, beneficii laudem sibi asseruit. Itaque hoc etiam loco à redemptionis memoria Legem commendat, ut libentius & propensiore studio eam revereatur populus. Plus enim auctoritatis meretur, quia non ante imposita fuit quam sibi Deus populum devinxisset. Et nimis absurdum ac turpe fuisset, populum non amplecti Deum Legislatorem, à quo sciebat se fuisse acquisitum. Secundo loco admonet, in eundem finem creatos fuisse hæredes terræ Chanaan, ut Deum tantæ gratiæ auctorem colerent. Ita duplici vinculo obstrictos esse colligitur: quia non semel modo Deus sibi ipsos addixit, sed in continua terræ possessione confirmavit sibi imperium. Quod autem terram dicit jurejurando Patribus fuisse promissam antequam Lex daretur, in eo

eo nihil eſt abſurdi. Etſi enim gratis munus hoc contulit, jure tamen exegit gratitudinis teſtimonium. Quamadmodum mera quidem liberalitate nos hodie ad ſpem æternæ hæreditatis invitat, ſcopus tamen noſtræ vocationis eſt ut viciſſim tota vita celebremus ejus gloriam. Quum dicit verſu 24., Ut timeamus Jehovam, ſummam Legis breviter notat. Neque enim ſufficeret præſtare quicquid illic jubetur, niſi referatur obſervatio ad Dei timorem & cultum. Deum quidem delectat integritas & rectitudo: ſed nemo dicet rite compoſitam eſſe hominum vitam, ſi æquitatem inter ſe colendo, Deum jure ſuo fraudent. Porro Timoris nomine legitimum honorem & cultum comprehendi, ſatis notum eſt. Paulo poſt ab utilitate Legem commendat: quia eorum ſaluti conſuluerit Deus, pie juſteque vivendi regulam tradendo. Quibus verbis docet, eos bis ingratos fore ſi reſpuant quod illis prodeſſe Deus voluit. Nam tantundem valet hæc particula, In bonum nobis, acſi dixiſſet, Deum non modo juris ſui curam habuiſſe & reſpectum in ferenda Lege, ſed ſimul reſpexiſſe quid utile ipſis foret. quod ſequenti verſu clarius exprimit, docendo, hanc ipſorum fore juſtitiam ſi Legem obſervent: acſi diceret, præſcriptam fuiſſe juſte vivendi formam quæ Deo placeret: quo nihil expeti poteſt melius. Quomodo autem Legis obſervatio ſit juſtitia per ſe, & tamen ex Lege nemo juſtificetur, alibi ſuſius dicetur. Nam quod Lex iram & maledictionem duntaxat affert, non oritur ex defectu aut vitio doctrinæ, ſed culpæ noſtræ imputandum eſt, qui à juſtitia quam continet ſumus procul remoti, imo alieni.

Ex Numer. XV.

37. Dixit Jehova ad Moſen, dicendo,
38. Alloquere filios Iſraël, & dic eis ut faciant ſibi fimbrias in angulis veſtimentorum ſuorum, per generationes ſuas, & ponant in fimbria anguli ſilum hyacinthinum.
39. Et erit vobis inſtar fimbriarum, videbitiſque eam, & recordabimini omnium præceptorum Jehovæ, ut faciatis ea: & non aſpicietis poſt cor veſtrum & oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini.
40. Ut recordemini, *inquam*, & faciatis omnia præcepta, & ſitis ſancti Deo veſtro.
41. Ego Jehova Deus veſter, qui eduxi vos è terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum: ego, *inquam*, Jehova Deus veſter.

Repetitio ejuſdem ſententiæ ex Deut. VI.

6. Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.
* vel, *acuto.* 7. Et * iterabis ea filiis tuis, & differes de ipſis ſedens domi tuæ, iter faciens, jacens in lecto, & ſurgens.
8. Et ligabis ea in ſignum in manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos.
9. Scribes quoque ea in poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.

Altera repetitio ex Deut. XI.

18. Ponite verba mea hæc in corde veſtro, & animo veſtro, atque ea ligate in ſignum in manu veſtra, ſintque in frontalia inter oculos veſtros.
19. Et docete ea filios veſtros, & loquamini de eis quum ſedebis domi tuæ, & quum ambulabis per viam: quumque jacebis in lecto, & quum ſurges.
20. Scribes quoque ea in poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.

Ex Exodi XXIII.

13. In omnibus quæ præcepi vobis, cauti eritis.

Num. 15. 38. *Alloquere filios Iſrael.*] Paulo poſt fuſius exponam hujus præcepti finem. Quanquam ex proximo verſu liquet, non alio ſpectare Deum niſi ut Judæos exerceat in aſſidua Legis meditatione. Neque enim religio in fimbriis ſita fuit, vel externa illa textura ullius per ſe fuit pretii: ſed quum in ſtudio pietatis pigri ſint & oblivioſi homines, voluit hoc adminiculo Deus eorum infirmitati conſulere. Nam quum dicit aſpectu admonitum iri ut recordentur, ſubindicat opus habere craſſis rudimentis, quæ externos quoque ſenſus feriant: deinde, niſi excitetur eorum memoria, nihil magis proclive fore quam ut obrepat oblivio. Mox autem addit, Deum nihil morari frigidam notitiam: ſed ſerium affectum & praxin exigere. In ſecunda autem parte verſus alteram neceſſitatem oſtendit: quia ſcilicet non modo ſtimulanda ſit eorum pigrities, ſed cohibenda ſimul protervia. Nam quum dicit, Non aſpicietis poſt cor veſtrum, ſignificat, niſi Deus arceat vagos ipſorum ſenſus, ad omne ſuperſtitionum & errorum genius nimium fore propenſos. Ac primo quidem corda & oculos hominum Legi ſuæ opponens, una quam præſcribit regula populum ſuum vult eſſe contentum, ne quid ex propriis figmentis admiſceat: deinde vanitatis damnat quicquid apud ſe fabricant homines: & quantumvis arrideat ipſis carnis ratio, eam tamen reſpuit ac condemnat. Quod etiam ultima voce clarius exprimit, ubi dicit fornicari homines quamdiu propriis conſiliis reguntur. Sententia aperprime notatu digna: quod dum ſibi valde placent qui arbitrio ſuo Deum colunt, ſuaque ſtudia optima & rectiſſima eſſe judicant, nihil aliud quam ſpiritualibus adulteriis ſe contaminant. Nam quæ coram mundo cenſetur ſanctiſſima devotio, eam Deus ore ſuo pronunciat ſcortationem eſſe. Per Oculos haud dubie intelligit quicquid perſpicaciæ ineſt hominibus.

41. *Ego Jehova.*] Quia in fine verſus proximi juſſerat ſanctos eſſe Deo, ratione confirmat: quod ſcilicet in hunc finem eos redemit ut eſſet ipſis in Deum, hoc eſt, ut ſancte coleretur. Jus ergo ſuum aſſerit Deo ex beneficio liberationis: quod male lætatum fuiſſet, niſi ejus imperio ſe addicerent. Repetitio quæ mox additur, ad confirmationem valet.

Deut. 6. 6. *Erunt verba hæc.*] His quatuor proximis verſibus commendat rurſus (ut nuper) Deus Legis ſuæ ſtudium. Ac primum quidem vult eam cordibus infixam eſſe, ne ſcilicet unquam obrepat oblivio.

vio. Nempe Cordis nomine memoriam & alias animæ partes designat: acsi diceret, tanti esse hunc thesaurum, ut merito eum recondere in cordibus suis debeant, vel penitus doctrinam hanc defigere in animis suis, ne unquam effluat. Postea jubet continuum de illa fieri sermonem apud filios, ut patres sedulo attenti sint & incumbant ad docendi officium. Verbum שנן quo uritur Moses, proprie significat acuere: interpretes metaphotice positum existimant pro iterare, vel jugiter narrare: quia dum inculcatur cælestis doctrina, vix tunc quoque probe cordibus insidet. Verum quia hic sumitur in conjugatione Piel, posset transitiva esse significatio: nempe ut eam penetrare faciat in animos, acsi eos pungerent acumine gladii. Neque enim consentanea videtur illa translatio. Ne quem tamen offenderet novitas, mihi satis fuit quid sentirem exponere. Deinde ut populi segnitiem excitet, hortatur ut se publice & privatim in ejus meditatione exerceat. Etsi autem videtur hyperbolice loqui, si quis tamen prudenter expendat quam tardi sint ac frigidi homines ad discendum, & ubi visi sunt nonnihil profeciſſe, quam sint oblivioſi, facile agnoscet Mosen non absre tam acriter insistere: sed summa necessitate suisse adactum ut tam rigidus esset exactor. Hac ratione Propheta Psalmo 1. felices esse prædicat qui in Lege Dei meditantur die ac nocte. Nullum ergo tempus vacuum reliquit à Legis meditatione, sive sint domi, sive peregrinentur, sive dum cubitum eunt, vel mane surgunt è lecto. Atque ad hoc præceptum videtur alludere Propheta Psalmo 119. ubi dicit, Media nocte surgam ad confitendum tibi super judiciis tuis. Item, Prævenerunt oculi mei vigilias, ut loquerer de sermonibus tuis. Neque enim loquendi verbo ad variam loquacitatem, ad quam plus æquo multi proclives sunt, populum exstimulat Moses: sed ut scipsos singuli confirment, & alii aliis sint doctores. Diversas autem actiones enumerat, ne hæc varietas qua distrahi solent ingenia, à recto cursu pios abducat: acsi juberet, quicquid negotiorum gerant, in hunc unum scopum præcipue intendere. Eadem ratione jubet brachialia ex Legis præceptis & frontalia confici: haud dubie ornatum hunc spiritualem auteis monilibus opponens: acsi diceret, ea pia Legis recordatione rectius oblectationem capturos quam ex pomparum nugis, quæ hominum sensus ad se rapiunt. Hoc dum crasse intelligunt Judæi, sanctimoniæ partem in externa illa ostentatione locarunt, ut putarent se fere defunctos si Legem in frontibus & brachiis gestarent. Deinde longius etiam progressa est cacozelia, ut quo quisque censeri volebat aliis præstantior, latius dilatatet sua phylacteria. sic enim fimbrias vestium vocabant, in quibus perscriptæ erant sententiæ aliquæ Legis: quasi Custodias. Quod vitium Christus severe exagitat in Scribis & Phatisæis: quia metum erat ludibrium hujus admonitionis, & doctrinæ profanatio. Et ex loco Exodi quem subjeci, satis patet Dei consilium, ubi simplicitet attendere jubentur ad Legis observationem. Sedulitas autem merito requiritur, non tantum ut in re maxime seria, sed quia pro nostra vanitate proclive est alio delabi, nisi excitetur nostra segnities. *Mat.* 23. *vers.* 5.

Deut. 11. 18. *Ponite verba mea hæc.*] Iterum seriam attentionem requirit, ne si leviter tantum & neglectim excepta fuerit quam proponit doctrina, paulo post effluat. Ponere enim in corde, vel super cor, tantundem valet ac penitus recondere. Quanquam ubi nomen animæ adjungitur, cordis nomen ad mentem refertur, vel est intelligentiæ facultas. In summa, jubet non tantum in mente defixam habere Legem, sed sincero quoque animi affectu amplecti. Secundo commendat illud quod nuper vidimus memoriæ adminiculum: nempe ut in brachiis & frontibus gestent præcepta: acsi Deus illis assidue occurreret, ad excitandos eorum sensus. Neque enim (ut dictum est) ligaturas Deus moratus est: sed in alium finem voluit eas in brachiis & frontibus spectari: nempe ut pietatis curam suggererent & renovarent. Deinde eas in ornatus locum substituit, ut assuesceret populus præcipuam ex Legis meditatione oblectationem capere. Unde satis refellitur stulta illa ambitio, quod hypocritæ ea fimbriis & similibus nugis famam sanctitatis captarunt: crassus etiam error totius vulgi, quod externo habitu se erga Deum defungi putavit. Eodem pertinet quod postea sequitur, ut scribantur præcepta in portis urbium & in privatis ædibus. Diximus enim, ut propensæ sunt ad vanitatem hominum mentes, & innumeris illecebris subinde distrahuntur, talibus retinaculis opus habere. Atque hic finis clare exprimitur, dum singulos jubet de præceptis Legis differere, sive quiescant domi, sive peregrinentur, sive dormitum eant, sive surgant: quia nisi accedat sedula exercitatio, fere statim evanescere contingit quicquid semel hominis didicerint. Addit præterea alium hujus diligentiæ fructum: nempe ut non tantum privatim singuli sibi consulant, sed erudiant etiam suos filios, quo Lex Dei perpetua successione semper vigeat.

Ex Deut. XXVII.

1. Et præcepit Moses & seniores Israëlis populo, dicendo, Custodi omnia præcepta quæ ego præcipio vobis hodie.

2. Erit, quo die transieritis Jordanem ad terram quam Jehova Deus tuus dat tibi, statues tibi lapides magnos, & lines calce.

3. Et scribes in illis omnia verba Legis hujus, quum transieris ut venias in terram quam Jehova Deus tuus dat tibi, terram fluentem lacte & melle: sicut loquutus est Jehova Deus patrum tuorum tibi.

4. Erit ergo quum transieritis Jordanem, statuetis lapides istos de quibus ego præcipio vobis hodie, & lines eos calce.

Ex eodem Capite.

8. Et scribes in lapidibus omnia verba Legis hujus * distincte explicando.

* ad verbum, *bene.*

1. *Et præcepit.*] Eodem pertinet hoc præceptum quo alia superiora. Nam sicut voluit Deus in ædium postibus scribi sua præcepta, & in vestium fimbriis, ut oculis assidue occurrerent: ita voluit in ipso tetræ ingressu extare monumentum, ex quo disceret populus in ea se habitare ut pure Deum coleret. Ergo ne unquam incuria populi obscura jaceret Legis cognitio, aut ullo modo obliterari posset, voluit Deus in sublimi conspici illius summam. Unde colligitur similitudo quam dixi, inter privatas singulorum domos & totam terram. Quum in foribus scripta essent præcepta, admonitus quisque fuit domum suam sacram esse Deo. Similis totius terræ fuit ratio, ut scirent quicunque illuc ingrediebantur, quasi sa-

crarium esse cœlestis doctrinæ: atque ita incitarentur omnium studia ad purum Dei cultum. Apta autem & concinna Scripturæ expressio cujus mentio fit octavo versu, ad tollendam ignorationem facit.

Ex Deut. XXXI.

10. Et præcepit Levitis Moses, dicendo, Septimo quoque anno, tempore anni remissionis, in solennitate tabernaculorum,

11. Quum venerit universus Israël ut appareat coram Jehova Deo, in loco quem elegerit, leges Legem istam coram universo Israële, in auribus eorum:

12. Congregando populum, viros, & mulieres, parvulos & peregrinos qui sunt intra portas tuas, ut audiant, & discant, timeantque Jehovam Deum vestrum, & custodiant faciendo omnia verba Legis hujus.

13. Et filii eorum qui non noverunt audiant, & discant timere Jehovam Deum vestrum, omnibus diebus quibus victuri estis super terram, ad quam transmisso Jordane pergitis ut possideatis.

10. *Et præcepit Levitis Moses.*] Eadem hujus præcepti ratio quæ proximi. voluit ante oculos repræsentari & assidue versari: nunc eam septimo quoque anno recitari jubet, ne unquam intercidat ejus cognitio. Sed ordinem verborum sequamur. Primo dicit Legem se scripsisse. Antea vocalis tantum fuerat pietatis doctrina: quia tradebant patres filiis quasi per manus quod cælitus patefactum fuerat. Ita religio & fides populi in Ægypto nonnisi in veteribus oraculis & patrum traditione fundata erat. Verum quia nihil proclivius est quam ut hominum mentes, pro sua vanitate, protinus veræ doctrinæ obliviscantur, & se multis erroribus involvant: huic malo volens Deus occurrere, publicis tabulis consignavit pietatis regulam: ut, si ab ea deflecterent posteri, nullus esset insciliæ prætextus. Et scribendæ Legis ratio, ut continua ætatum serie testata esset Dei veritas. Noo intelligit sic depositam fuisse Legem apud Levitas ut eam supprimerent, vel soli essent ejus custodes: verum si indifferenter omnes hortatus esset ad eam legendam, vix quisquam applicasset suum studium. Sic enim fieri solet ut quod in genere omnibus mandatur, singuli negligant. Ergo nomophylaces creantur Levitæ, qui in aliorum contemptu vel negligentia sedulo advigilent ne intercidat Dei cognitio. Nec dubium est quin ideo tradita fuerit Lex in eorum manus ut
Mal. 2: 7. essent ejus interpretes. Quo pertinet illud Malachiæ, Labia sacerdotis custodient sciantiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia nuncius Dei exercituum est. Nam quod continuo post subjicitur, ut septimo quoque anno Legem recitent; non ita accipere convenit acsi reliquo tempore maneret apud ipsos abscondita. Voluit enim Deus quotidianos esse doctores, & populum officii sui assidue monere. Sed ne hæc exercitatio obsoleseceret, tam fastidio populi, quam sacerdotum ignavia: solennis ritus adjunctus fuit: ut septenis quibusque annis, ubi celeberrimus erat populi conventus, renovaretur Legis promulgatio. Unde apparet, nihil esse tam sanctum & omni cautione munitum quod non perfringat ac violet hominum malitia. Nam quum adeo præcise Levitis injuncta esset Legis recitatio, prodigium
2 *Reg.* 22. *vers.* 8. fuit & quidem detestabile, tempore Josiæ fuisse repertam, & omnes novitate fuisse expergefactos, acsi oibil unquam audissent. Non idem prorsus contigit in Paparu, sed quum tyrannice dominari vellent larvati Episcopi, hoc artificio usi sunt, de Scripturæ mysteriis fas non esse inquirere. Hinc factum est ut ipsi quidem secure ludicris ineptiis operam dederint: monachi autem eorum emissarii impune fabulati sint quicquid ipsis poterat venire in buccam. Porro consilium Dei fuit, septimo quoque anno populum monere ut Legem assidue meditaretur.

12. *Congregando populum.*] Ad verbum, Congregare, in modo infinitivo: qui tametsi interdum pro imperativo capitur, hoc tamen loco perperam vertunt quidam, Congrega populum: acsi Mosi præciperet hæc mandata semel ad homines sui seculi deferre: quum potius eandem sententiam contexat Moses. Cohæret igitur hic versus cum superioribus: nempe ut Lex deintegro promulgetur quo anno indicere oportuit celeberrimum conventum: quia tunc clangore tubarum ad jubileum voratus fuit populus. Denique verbum Congregandi extenditur ad septennes conventus, quorum alibi fiet mentio. Nec certe tempori Mosu quadraret quod dicitur de populo qui habitat intra portas, quæ tunc nullæ erant. Fusius ergo exponit Moses cur septimum annum designaverit: quia scilicet tunc totus populus se in Dei conspectum sistebat. Mulieres & parvulos diserte nominat, nequa sit sexus vel ætatis excusatio. Quo fœdior est eorum improbitas qui non pueros modo sed mulieres arcent à pietatis doctrina: quando omnes à minimo usque ad maximum Deus ad scholam suam invitat, vultque suos esse discipulos. Quantum ad peregrinos spectat, eos intellige non qui negotiandi causa venirent in terram Chanaan mox domum redituri, sed qui domicilium illic elegerant, & longa habitatione coaluerant in idem corpus cum Israelitis. Additur fructus & utilitas, ut audiendo discant timere Deum. Unde colligimus, ex cognitione religionem veram nasci, & quicquid pietatis ostentant homines Dei verbo non edocti, meram esse simulationem. Custodire ad faciendum, tantundem valet ac serio applicare suum studium ad parendum Legis præceptis.

13. *Et filii eorum qui non noverunt.*] Iterum videmus non agi de præsenti convocatione, sed quæ repetenda erat singulis septenniis, ut posteritas contineretur in officio. Alter ergo usus recitationis monstratur: quia multi, qui per ætatem primæ promulgationis testes esse non potuerunt, inde discent quomodo colendus sit Deus. Ac terræ possessio rursus illis proponitur, ut Dei beneficentia eos ad obsequium alliciat.

Ex Deut. VI.

10. Erit autem quum introduxerit te Jehova Deus tuus in terram de qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac & Jacob, se daturum tibi eam, & urbes magnas & pulchras quas non ædificasti:

11. Et domus plenas omni bono, quas non replesti; & cisternas effossas, quas non effodisti: vineas & oliveta, quæ non plantasti: & comederis, & saturatus fueris:

12. Cave tibi ne obliviscaris Jehovæ, qui eduxit te è terra Ægypti, è domo servorum.

10. *Erit*

10. *Erit autem quum introduxerit.*] Quoniam proſperitas & opulentia ut plurimum excæcat hominum mentes ne ad modeſtiam & moderationem ſatis attendant, ſed potius laſciviant in ſuis concupiſcentiis, ac ſe deliciis inebrient: huic vitio per anticipationem medetur Deus. Neque enim fruſtra admonet cavendum eſſe ne Dei obliviſcantur, ubi latge & laute ab eo tractati fuerint, ſed quia ſciebat commune hoc eſſe vitium ut ſatietas pariat ferociam: quemadmodum poſtea dicet in cantico, Saginatus Iſraël recalcitravit: pinguedine obductus eſt, dereliquit Deum factorem ſuum, & pro nihilo habuit Deum ſalutis ſuæ. Principio autem, quam turpis & indigna futura ſit eorum ingratitudo, oſtendit, ſi tot prædaris Dei beneficiis onuſti ejus memoriam abjiciant. Nam ut inæſtimabilis fuit Dei bonitas, urbes illis tradere alienis manibus conditas, & quæcunque alii ſua induſtria magniſque laboribus paraverant, in illos transferre: ita eo magis deteſtabilis erat impietas, ipſum negligere, quum ſe quotidie in illa multiplici bonorum congerie repræſentaret. Diſcamus itaque ex hoc loco liberalitate Dei nos invitari ad ejus cultum: & quoties benigne nobiſcum agit, gloriam ſuam ante oculos nobis ſtatuere. Sed ex oppoſito meminerimus, quæ debebant nobis eſſe vehicula ad mentes noſtras ſurſum tollendas, vitio noſtro converti in remoras & obſtacula: quo ſcilicet magis ad cavendum attenti ſimus. In fine verſus 12. alia circumſtantia eorum dementiam coarguit, ſi repente ditati intemperanter inſultent: acſi diceret, minime tolerabilem hanc eſſe ſocordiam, ſi Dei beneficentia ornati non cogitent de ſua origine: quia nihil magis ad humilitatem eos flectere debuit quam miſera illa ſervitus unde erepti fuerant. Ergo ámplæ dominationi, in quam illos Deus extulerat, opponit domum ſervorum, ut priſtinæ ſortis recordatio proterviam omnem compeſcat.

Ex Deut. IX.

1. Audì Iſraël, Tu tranſis hodie Jordanem, ut ingrediaris ad poſſidendum gentes magnas & robuſtas præ te, urbes magnas & munitas uſque ad cælum:

2. Populum magnum & procerum, filios Enacim, quos tu noſti, & de quibus tu audiſti, Quis conſiſtet coram filiis Enac?

3. Scito itaque hodie quod Jehova Deus tuus ipſe eſt qui tranſit ante te, ignis conſumens: ipſe delebit eos, ac humiliabit eos coram te, ut expellas eos perdaſque eos cito, quemadmodum dixit Jehova tibi.

4. Ne dicas in corde tuo, quum expulerit Jehova Deus tuus illos à facie tua, dicendo, Propter juſtitiam meam introduxit me Jehova ut poſſideam terram hanc: quum propter iniquitatem gentium iſtarum Jehova expellat eas à facie tua.

5. Non propter juſtitiam tuam & rectitudinem cordis tui tu ingredieris ad poſſidendam terram eorum, ſed propter impietatem gentium iſtarum Jehova Deus tuus expellit eas à facie tua: ut confirmet verbum quod juravit ipſe Jehova patribus tuis, Abrahæ, Iſaac, & Jacob.

6. Scito itaque quod non propter juſtitiam tuam Jehova Deus tuus dat tibi terram iſtam optimam, ut poſſideas eam: ſiquidem populus duræ cervicis es.

1. *Tu tranſis hodie Jordanem.*] Totus hic locus elogium continet gratuitæ Dei liberalitatis, qua ſibi populum devinxit ad Legis obſequium. Debuit autem (ut jam viſum eſt) acerrimus hic eſſe ſtimulus ad pungendos Iſraëlitas, ut penitus raperentur ad colendum & amandum Deum, cui tantopere obſtricti erant. Conſilium ergo Moſis fuit docere, nullis meritis Iſraëlitas, ſed ſingulari Dei beneficio hæredes fore terræ Chanaan: idque totum manare ex fœdere & adoptione gratuita: ut viciſſim perſtarent in fideli obſervatione fœderis, atque ita magis propenſi eſſent ad ejus cultum. Nimis enim indignum eſſet non occurrere Deo voluntarios ad ſubeundum ejus imperium quos ſua gratia prævenit. Porro ne ſibi quicquam arrogent, magnitudinem potentiæ Dei in eo commendat quod tot gentium victores eſſe nequeant, niſi mirabiliter è cælo adjuti. Hac ratione dicit gentes illas multitudine & numero, deinde fortitudine bellica præcellere. Addit, eorum urbes eſſe magnas & inexpugnabiles: poſtremo in illis eſſe filios gigantum procerâ ſtatura formidabiles. Nam Enac (ut narratur Joſue 15. capite) famoſus gigas fuit, cujus poſteri vocati ſunt Enacim. Et quo tollatur eis dubitatio, citat ipſos teſtes, quod illorum conſpectu fuerint exterriti ut vellent curſum retroflectere. Nunc tenemus quorſum tendant omnes circumſtantiæ, nempe ut in victoriis populi & felici ſucceſſu refulgeat Dei gloria. Hæc verba, Quos tu noſti, & de quibus audiſti, ad exploratores referenda ſunt. Neque enim gigantes illi adhuc populo coram innotuerant. ſed ad omnes transfert quod paucorum erat: quia ex eorum relatu paſſim graſſatus erat terror per caſtra, acſi jam veniſſent ad conflictum. Quia ergo perſuaſi fuerant ſe hoſtibus fore impares, & exanimati fuerant ad rumorem, Moſes eos proprio teſtimonio coarguit: ne forte poſtea laudem uni Deo debitam ad ſe rapiant. Docemur autem ex his verbis eam eſſe hominum ingratitudinem ut Dei beneficia quantum in ſe eſt obſcurent, neque unquam cedant, niſi convicti.

3. *Scito itaque hodie.*] Colligit ex ſuperioribus, nimis malignos fore Iſraëlitas niſi agnoſcant Dei manu profligatos eſſe hoſtes. Et quo magis illuſtret miraculum, ſimilitudine utitur, Deum igni comparans, qui inſolito modo & incredibili tot populos conſumet. Perinde enim eſt acſi dixiſſet, humanitus fieri non poſſe, nec uſitatis rationibus, ut tot populi & tam bellicoſi cito pereant. Alibi vocatur Deus ignis conſumens, diverſo ſenſu, ut iram ejus ac potentiam metuamus. Sed hic tantum intelligit Moſes admirabile fore ejus opus diſſipationem gentium Chanaan.

4. *Ne dicas in corde tuo.*] Nunc apertius admonet populum ne ſe faſtu & ſtulta gloriatione efferat. Niſi tam pravo & maligno fuiſſet ingenio, ſatis erat uno verbo gratiam Dei oſtendi: ſed non potuit aliter eos Moſes ad gratitudinem adducere niſi correcta & dejecta ſuperbia. Obſtaculum igitur illud tollit, quo conſpicua ſit apud eos Dei liberalitas. Dicere in corde, tantundem valet ac reputare, vel opinionem concipere. Quare non tantum caſtigat Moſes linguæ jactantiam, ſed occultum faſtum quò ſeipſos inflant homines, Dei laudem ad ſe trahendo. Porro non tantum vetat fuæ virtuti adſcribere quod profligatis hoſtibus terra potiti ſint, ſed etiam imaginari hanc meritis ſuis redditam fuiſſe mercedem. Neque enim gloria ſua minus fraudatur Deus dum juſtitiam ſuam ejus liberalitati opponunt, quam

quum gloriantur quicquid habent bonorum ſua induſtria partum eſſe. Ut hoc apertius ſit, iterum repetam. Non vetat Moſes ne exiſtimet populus terram abſque Deo ſe acquiſiiſſe: imo ſumit pro confeſſo ipſos ægnituros Dei auxilio ſe fuiſſe victores. Sed non contentus eſt hac dimidia gratitudine: niſi agnoſcant ſimul nihil ſe tale fuiſſe promeritos, ideoque merum eſſe & gratuitum beneficium. In ſecundo membro non videtur ſatis firma eſſe ratio, quod ſcilicet gentes propter ſuam impietatem expulſæ ſint. Fieri enim poteſt ut quod Deus ſceleratis abſtulerit ac reprobis, ad digniores transferat. Sed videtur tacita eſſe admonitio, ut ſe Iſraëlitæ gentibus comparent: quia inde colligere promptum erat ſe non fuiſſe adeptos ſua juſtitia alienam terram, à qua ipſi indigenæ ejecti fuerant. Quod etiam clarius exprimitur duobus proximis verſibus.

5. *Non propter juſtitiam.*] Primum vult ut pœna gentibus inflicta Iſraëlitas ad timorem erudiat, atque ita nihil ſibi arrogent: quia Dei conſilium fuerit non ipſorum merita remunerari, ſed judicii ſui ſeveritatem oſtendere. Deinde hoc duobus argumentis confirmat: nempe quod præſtiterit Deus quod pollicitus fuerat Abrahæ: (fœdus autem illud, ut jam ante viſum eſt, in mera gratia fundatum erat) deinde quia populus ipſe perverſo eſſet ac indomito ingenio. Hinc ſatis apparet, nullum eſſe meritis locum, quibus aboleretur fœdus Dei, & quæ nulla reperiri poterant in gente tam prava & contumaci. Adde quod fœdus ſuum pepigerat Deus cum Abraham, quatuor fere ſeculis antequam nati eſſent. Unde ſequitur beneficium ex alio fonte manare. Verum ſuperbiam magis retundit, exprobrando cervicis duritiem: quia nimiæ dementiæ fuiſſet, Deum, quem ſuis ſceleribus provocare non ceſſabant, fingere ſibi obſtrictum, acſi probe officio defuncti eſſent. Hæc vero metaphora à bobus ſumpta eſt, quorum nullus eſt uſus, donec aſſuefacti fuerint ad flectendam cervicem. Perinde igitur eſt acſi diceret, non tantum eſſe indociles, ſed pervicacia ſua jugum excutere. Quod tertio inculcat, Iſraëlitas terram non fuiſſe promeritos ſua juſtitia, hinc diſcamus nihil eſſe difficilius quam homines exuere cæco faſtu, ne ex Dei beneficiis partem laudis ad ſe trahant. Jam quum in terrena hæreditate tantopere commendet Deus ſuam miſericordiam, quid de cæleſti credendum eſt? Quod terram Chanaan poſſident filii Iſraël, ſibi uni acceptum referri vult; quanto igitur minus feret obtrudi ſibi hominum merita ut cælum acquirant? Nec eſt quod obtendant Papiſtæ, primas ſe tribuere Dei liberalitati: quia ſibi in ſolidum vendicat quod ipſi cum ipſo partiri volunt. Si quis autem objiciat, dictum id fuiſſe tantum veteri populo, reſpondeo nos non eſſe meliores. Deſcendat quiſque in ſeipſum, & duritiem cervicis ſuæ non excuſabit. Qui vero regeniti ſunt Dei Spiritu, ſciunt non naturaliter ſe ad obſequium formatos eſſe: atque ita ſolam eſſe Dei miſericordiam quæ ipſos à peſſimis diſcernit.

Ex Deut. X.

21. Jehova eſt laus tua, & ipſe eſt Deus qui fecit tecum magna & terribilia iſta quæ viderunt oculi tui.

22. Cum ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum: nunc autem poſuit te Jehova Deus tuus ſicut ſtellas cæli in multitudinem.

Ex Deut. XI.

1. Dilige igitur Jehovam Deum tuum, & cuſtodi cuſtodiam ejus, & ſtatuta ejus, & judicia ejus, & præcepta ejus omnibus diebus.

2. Et ſcitote hodie. non enim cum filiis veſtris loquor, qui non noverunt, neque viderunt eruditionem Jehovæ Dei veſtri, magnitudinem ejus, manum ejus validam, & brachium ejus extentum.

3. Et ſigna ejus, & opera ejus quæ fecit in medio Ægypti, ipſi Pharaoni regi Ægypti, & univerſæ terræ ejus.

4. Et quæ fecit exercitui Ægyptiorum, equis ejus & curribus ejus: qui inundare fecit aquas maris Rubri ſuper facies eorum, dum vos perſequerentur: & perdidit eos Jehova uſque in hanc diem.

5. Quæ præterea fecit vobis in deſerto donec veniretis uſque ad locum iſtum.

6. Et quæ fecit Dathan & Abiram filiis Eliab filii Ruben, quando aperuit terra os ſuum, & deglutivit eos, domoſque eorum ac tabernacula eorum, atque univerſam ſubſtantiam quæ erat in pedibus eorum, in medio totius Iſraëlis.

7. Quandoquidem oculi veſtri viderunt omnia opera Jehovæ magna quæ fecit.

Deut. 10. 21. *Jehova eſt laus tua.*] Quo facilius perſuadeat ſuis popularibus Moſes nihil eſſe melius aut magis optabile quam ſe addicere imperio Dei, admonet nihil extra eum eſſe in quo glorientur: acſi diceret, felices hoc uno eſſe quod eos Deus in fidem ſuam receperit; hac autem gloria ablata, miſeros eſſe & perditos. Laus enim populi ſui vocatur Deus, quaſi decus & ornamentum. Unde ſequitur, ſi vera & ſolida beatitudine frui cupiant, dandam eſſe operam ut ſe contineant ſub ejus cuſtodia: qua ſi nudati ſint, nihil præter ignominiam & pudorem reſtabit. Eodem ſenſu adjicit, eſſe Deum ipſorum: quia nihil magis perverſum & abſurdum quam ipſum mundi opificem non admittere, ubi ſe ultro in Deum offert. Subnectitur probatio, quod multis miraculis virtutem ſuam exeruit in ſalutem populi. Et quo magis inexcuſabiles reddantur, eorum oculos tot virtutum quæ editæ fuerant in ipſorum favorem, teſtes citat. Deinde altius conſcendit, brevi tempore mirabiliter auctum fuiſſe ipſorum genus: unde conſtaret, præter naturæ modum, cæleſti virture ſic fuiſſe incredibili ratione propagatum. Nam in eo certe refulſit ſingularis Dei benedictio, quod progenita ſunt ſepties centena hominum millia intra ducentos quinquaginta annos. Hoc non viderant oculis ſuis qui tunc erant ſuperſtites. Sed Moſes ab origine repetit Dei gratiam, quo certius agnoſcant, quicquid experti fuerunt pendere ex adoptione illa quæ ipſos effecerat Dei populum.

Deut. 11. 1. *Dilige itaque Jehovam Deum tuum.*] Ad hunc ſcopum dirigitur tota oratio, ut populus ſua obedientia gratitudinem teſtetur, atque ita beneficiis

neficiis Dei allectus Legem ejus reverenter amplexetur. Qua etiam de causa, antequam de Legis ipsius observatione præcipiat, exigit amorem Dei. Etsi enim pro imperio ac minaciter jubere poterat, maluit comiter, proposita gratiæ suæ dulcedine, populum ad obsequium adducere. In summa, hortatur ut Deum, cujus amore provocati sunt, mutuo redament. Interea notare convenit, principium vel caput Legis rite servandæ esse liberalem affectum: quia non potest Deo placere quod vi aut metu servili expressum est. Præcepta Legis pluribus verbis designat, quo attentius studia sua applicent ad audiendum Deum, qui ad formandam eorum vitam nihil omisit. Hæc enim verborum distinctione significat, Deum familiariter & solide docuisse quicquid opus erat. De tribus aliis vocibus, Statutis, judiciis & præceptis, vide quid dixerim in Genesin & Psalmos. Nomen משמרת seu Custodiæ, quod primo loco hic ponitur, Legem hinc commendat, quod velut cancellis circumscribat vitam nostram, ne ad dextram & sinistram erroribus sit obnoxia. In fine versus ad perseverandum hortatur: quia fas non erat liberationis memoriam unquam intercidere.

2. *Et scitote hodie, non enim cum filiis.*] Confirmat rursus superiorem sententiam: quia satis superque præclaris Dei operibus edocti fuerint qualis esset ejus potentia, & quam singularis erga ipsos misericordia. Porro duplex esse potest verborum sensus. Quidam enim ita contexunt, Cognoscite hodie eruditionem Jehovæ. & parentbesi includunt, Neque enim cum filiis vestris loquor, qui non noverunt, neque viderunt. Alii autem verbum hortandi Cognoscite, seorsum & sine adjectione legunt. quod posterius mihi magis arridet. Quanquam ad summam rei nihil fere interest utramvis expositionem sequamur. Admonet enim Moses, si modo attenti sint ad opera Dei, luculentam illic conspici ejus gloriam, quæ ad ejus timorem ipsos erudiat. Quo autem vehementius illos urgeat, addit se non loqui cum posteris, ad quos perferenda erat miraculorum fama, sed verbâ facere apud oculatos testes, qui nulla probatione indigeant, quum certa experientia sint convicti. Pluribus autem elogiis insignit miracula illa quibus virtutem suam Deus ac bonitatem testatus apud ipsos fuerat: ne leviter prætereant quæ digna erant maximo studio & assidua meditatione. De reliquis quæ alibi exposita sunt, nunc dicere supersedeo. Nomen מוסר, quod primo loco ponit, generale est, & ad omnes species extenditur. Itaque perperam verterunt multi Castigationem. Quod in fine versus proxime sequentis dicit perditos fuisse Ægyptios ad illum diem, intellige, fructum cladis qua Deus illos consumpsit, quasi præsentem adhuc sentiri.

5. *Quæ præterea fecit vobis Jehova.*] De his suo loco dicetur ut feret historiæ series, à qua hic pauxillum deflectere me coëgit docendi ratio. Nam Moses, ut sanctior esset Legis auctoritas, summatim quæcunque contigerant in deserto, suis in medium proposuit: ut partim metum incuterent suo rigore Dei judicia, partim beneficia animos sua dulcedine allicerent. Tandem concludit, se non loqui de rebus incognitis, sed revocare tantum in memoriam Dei opera, quorum ipsi fuerunt spectatores.

Ex Deut. VIII.

1. Omne præceptum quod ego præcipio tibi hodie, custodietis ut faciatis, ut vivatis & multiplicemini, & ingrediamini ut possideatis terram de qua juravit Jehova patribus vestris.

2. Memineriſque totius viæ per quam deduxit te Jehova Deus tuus jam quadraginta annis in deserto, ut affligeret te ac tentaret te, ut sciret quid haberes in corde tuo, utrum observaturus esses præcepta ejus, an non.

3. Et afflixit te, ac esurire te fecit, postea pavit te Man, quod non noveras, neque noverant patres tui: ut scire faceret te quod non in pane solo vivet homo, sed omni eo quod egreditur ex ore Jehovæ vivet homo.

4. Vestimentum tuum nequaquam veteravit super te, neque pes tuus intumuit jam quadraginta annis.

5. Sciasque in corde tuo quod quemadmodum erudit homo filium suum, sic Jehova Deus tuus erudit te.

6. Et custodies præcepta Jehovæ Dei tui, ut ambules per vias ejus, & timeas eum.

Ex Deut. XI.

8. Custodite ergo omne præceptum quod ego præcipio vobis hodie, ut roboremini, & ingrediamini possideatisque terram ad quam vos transitis ut possideatis eam:

9. Atque ut prolongetis dies super terram quam juravit Jehova patribus vestris se daturum illis & semini eorum, terram fluentem lacte & melle.

1. *Omne præceptum.*] Quamvis primus versus inter promissiones referri possit, quibus postea videbimus sanctam fuisse Legem à Mose, quia spe mercedis proposita Israëlitas ad officium hortatur & impellit: opportuno tamen loco hic eum inferere mihi visus sum: quando consilium Mosis non aliud fuit, quam promissæ hæreditatis dulcedine eos allicere ad recipiendam Legis doctrinam. Merito itaque hæc sententia inter alias numerari potest, quibus præparati fuerunt animi eorum, ut Deo se, qua decebat mansuetudine & docilitate subjicerent: acsi dixisset, Quia non procul jam à vobis distat terra Chanaan, vicinitas ipsa animare vos debet ad subeundum alacrius Dei jugum. Nam idem Deus qui Legem vobis hodie statuit, ad fruitionem ejus terræ vos invitat quam jurejurando pollicitus est patribus vestris. Et certe ex hac clausula versus patet, Mosen non simpliciter illis mercedem promittere, si Legem servaverint: sed potius superiorem gratiam, qua Deus ultro illos prævenerat, in medium proferre, ut vicissim gratos se præstent. Præcepta vero sua vocat (ut jam ante vidimus) non quæ ipse pro arbitrio commentus sit, sed quæ ore Dei ipsius dictata fideliter tradit, quasi de manu in manum. Hoc etiam ex versu proximè sequenti colligere melius licet, ubi superioris temporis beneficia commemorat: & simul in memoriam reducit, quot & quam variis documentis eos Deus erudierit, ut assuefaceret & formaret ad obsequium. Ac primo quidem in genere operum Dei, quæ per quadraginta annos viderunt, recordari jubet: mox tamen ad species descendit, nempe afflictionibus Deum probasse quid in eorum cordibus lateret. Sic

enim reſolvi debet oratio, Ut affligendo tentaret te, ac ſciret. Quibus verbis admoneat non ſine optima cauſa fuiſſe multis ærumnis & incommodis duriter exercitatos: quia opus eſſet tali examine. Simul tamen oblique perſtringit eorum pervicaciam, quæ tunc detecta fuit: quum alioqui illis facile eſſet rebus proſpere fluentibus ſimulare magnum Dei timorem, qui tamen nullus erat, ſicut reipſa compertum eſt.

3. *Et afflixit te, ac eſurire te fecit.*] Quod aliquandiu fuerint in deſerto famelici, ejus penuriæ utilitatem demonſtrat, quia inde cognoverint non pane tantum & vino, ſed arcana Dei virtute ali genus humanum. Etſi enim fatentur omnes Dei beneficentia terram eſſe fertilem, ſic tamen potui & cibo affixi ſunt eorum ſenſus, ut non conſcendant altius, nec Deum agnoſcant patrem & nutricium, ſed potius eum alligent externis mediis quibus ſunt addicti; acſi ejus manus per ſe & abſque inſtrumentis quicquam efficere & præſtare non poſſet. Deinde quod à Deo ſentiunt procreari terræ fructus, frigida eorum imaginatio eſt, quæ ſtatim effluit, nec hæret in memoria. Lucet quidem ſatis clare in uſu, qui naturaliter ex creaturis percipitur, tam potentia Dei quam bonitas. Sed facit pravitas humani ingenii, ut quæ teſtimonia erant, quaſi vela obſcurent claram lucem. Adhæc, major pars Deum procul ſubducit & in otium relegat: acſi partes ſuas reſignaſſet cælo & terræ. Hinc fit ut præſenti copia & opibus confiſi, Dei gratiam non implorent, imo præterearit quaſi ſupervacuam: deſtituti autem conſuetis ſubſidiis prorſus deſperent, acſi ad ſuccurrendum non ſufficeret ſola Dei manus. Ergo quoniam non ſatis proficiunt homines natura duce & magiſtra, quin potius in operum Dei intuitu cæcutiunt: documentum ſemel in miraculo hoc ſtatui oportuit, unde palam fieret, non ſolum Dei beneficentia paſci homines dum veſcuntur pane & vino, ſed etiam ſi deficiat omnis annona. Quamvis aliqua in verbis ſit aſperitas, planus tamen eſt ſenſus, non conſiſtere hominum vitam in alimentis, ſed inſpirationem Dei ſufficere ut vivant. Ac teneodum eſt, non de æterna animæ vita hic agi, ſed tantum ſimpliciter doceri, quamvis abſit panis & vinum, ſuſtentari & vegetari poſſe corpora ſolo Dei nutu. Ita fixum maneat, perperam, licet argute, hoc ad vitam ſpiritualem trahi, & relationem fingi doctrinæ ad fidem: quaſi gratia quæ promiſſionibus offertur, & fide recipitur, animas vivificet: quia ſimpliciter vigor, qui diffuſus à ſpiritu Dei nos ſuſtinet, dicitur egredi ex ore ejus. Ac omnino repetitur Pſalmo 104. quod prius dictum fuerat à Moſe, Emittis ſpiritum tuum, & creantur, & renovas faciem terræ. Videtur autem diſerte addita fuiſſe particula Non in ſolo: ne, ſi panem qui nobis ad victum deſtinatus eſt, prorſus excluderet Moſes, Deo faceret injuriam. Sic ergo verba temperat, quamvis hominum vitam ſuſtineat panis, hanc tamen futuram nimis fore debilem, niſi præcipuas partes occupet interior Dei virtus: deinde ſufficere vim intrinſecam (ut loquuntur) quam à ſe ſpirat, ut deſint alia adminicula. Atque hæc doctrina primum nos ad gratitudinem incitat, ut acceptum Deo feramus quicquid ſuppeditat nobis per creaturas ad vitam fovendam ac tuendam: deinde ſiquando nos deſtituant omnia mundi adjumenta, ut diſcamus tamen ab eo ſolo vitam ſperare. Quod utrumque tenere non vulgaris ſapientiæ eſt. Hunc locum Chriſtus ad veram & genuinam praxin optime aperit. Nam quum ſuaderet diabolus ut ſedandæ famis cauſa juberet lapides in panes converti, reſpondit, Scriptum eſt, Non in pane ſolo vivit homo, &c. Acſi diceret, aliud eſſe in manu Dei remedium, qui ut victum non ſuppeditet, ſolo nutu poteſt homines vegetare. Verum quia hæc fuſius tractavi in meis Commentariis, quibus Harmoniam Evangelicam expoſui, nunc levius attingo. Eodem fine addit, veſtes eorum non fuiſſe attritas per longum tempus, & calceos manſiſſe integros: nempe ut certo perſuaſi eſſent, quæcunque ſpectant ad vitæ humanæ conſervationem & quotidianos uſus, ſic eſſe in manu Dei poſita, ut non ſolum fruitio ab ejus benedictione pendeat, ſed etiam duratio & ſtatus. *Matth. 4. verſ. 4.*

5. *Sensaſque in corde tuo quod.*] Concludit in continuo progreſſu operum Dei, ex quo educti fuerant Iſraelitæ ex Ægypto, cognoſci poſſe in illis docendis paternam Dei curam. Nimis enim reſtricte à quibuſdam accipitur verbum יסר pro caſtigare, quum omnes rectæ educationis partes comprehendat: acſi dixiſſet, niſi poſthac morigeri ſint, atque ad officium propenſi, pluſquam eſſe indociles, quum probe edocti fuerint & ſub optima diſciplina habiti, nec quicquam omiſerit Deus quod à patrefamilias requiri poſſit. Hinc ſequitur, pridem & multis rudimentis aſſuefactos eſſe ad amplexandam Legis doctrinam, non ſecus ac filios decet paternæ voci obedientes eſſe. Quod etiam proximo verſu clarius explicat, iterum colligens, ſervandam igitur ipſis eſſe Legem, & in præceptis Dei ambulandum. Ubi etiam breviter notandum eſt, caput Legis rite ſervandæ eſſe Dei timorem; qua de re jam alibi. Quod ex undecimo capite Deuteronomii attexui, poſſet etiam referri inter promiſſiones: quia Deus ſpe ſuæ benedictionis populum ad obedientiam allicit. ſed quia proponitur quæ tunc in conſpectu erat terræ poſſeſſio, locus hic non male quadrare viſus eſt: quia non aliud fuit Dei conſilium quam hac commendatione præparare animos populi ad Legem ſervandam.

Ex Deut. XXIX.

2. Vocavitque Moſes univerſum Iſraëlem, & dixit eis, Vos ipſi vidiſtis omnia quæ fecit Jehova in oculis veſtris in terra Ægypti Pharaoni & omnibus ſervis ejus, & univerſæ terræ ejus:

3. Probationes magnas quas viderunt oculi tui, ſigna & portenta illa magna.

4. Neque dedit vobis Jehova cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum uſque in hunc diem.

5. Et deduxi vos quadraginta annis per deſertum: non inveteraverunt veſtimenta veſtra ſuper vos, nec calceamentum veſtrum veteravit ſuper pedem veſtrum.

6. Panem non comediſtis, neque vinum & ſiceram bibiſtis: ut intelligatis quod ego Jehova Deus veſter.

7. Veniſtis tandem ad locum iſtum: egreſſuſque eſt Sehon rex Eſbon, & Og rex Baſan in occurſum noſtrum ad prælium, & percuſſimus eos:

8. Et abſtulimus terram ipſorum, tradidimuſque in hæreditatem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe.

9. Cuſtodiatis ergo verba pacti hujus & facite ea, ut * proſpere agatis in omnibus quæ facturi eſtis.

* vel, intelligatis.

2. *Voca-*

1. *Vocavitque Moſes.*] Hic etiam locus apte Legis præfationi convenit, quia tendit ad ejus commendationem, & populi animos ad docilitatem inſtituit ac comparat. Exordium vero ſumit à Dei beneficiis, quæ experti fuerant tam in exitu quam in peregrinatione quadraginta annorum. Turpiſſimæ enim ingratitudinis fuiſſet, non ſe addicere redemptori, qui adeo liberaliter cum ipſis egerat. Et ſanè quod potentiſſimo regi ſe oppoſuerat in gratiam ſervorum, inæſtimabile paterni erga ipſos amoris ſignum fuit. Porro ne obſcura eſſet redemptio, virtutem quam illic Deus exeruit, magnificis elogiis pro dignitate amplificat.

4. *Neque dedit Jehova.*] Præteriti temporis ſocordiam exprobrando, ad ſtudium intelligendi eos ſtimulat: acſi diceret, nimis diu obſtupuiſſe ad tot miracula: ideoque non eſſe amplius cunctandum quin expergefacti melius ad Deum attendant. non quod prorſus eos latuiſſent Dei opera tanquam attonitos: ſed quia ſtatim effluxerat omnis cognitio. Nam ſicuti ebrius, aut qui veterno morbo laborat, audito clamore pauliſper attollit caput, & oculos aperit, mox vero in ſoporem revolvitur: ita nunquam ſerio ad conſideranda Dei opera mentem applicuit populus: quia ubi miraculo aliquo excitatus fuit, paulo poſt ſequuta eſt oblivio, ut merito craſſum illum torporem variis modis exagiter Moſes. Cæterum non ſimpliciter eos amentiæ damnat, & cæcitatis, & ſtuditatis: ſed amentes, cæcos, & ſurdos fuiſſe pronunciat, quia non fuerint prædicti cæleſti gratia, ut rite in tot documentis proficerent. Unde diſcimus ſingulare eſſe Spiritus donum, recta intelligentia pollere: quia ſemper vel in clara luce cæcutient homines, donec à Deo illuminati fuerint. Quod de Iſraëlitis narrat Moſes, omnibus haud dubie commune eſt. Conſpicua Dei gloria ideo non fuiſſe ad ejus timorem & cultum adductos pronunciat, quia nec mentem, nec oculos, nec aures illis dederit. Atqui homines creando, naturaliter illis mentem indiderat, contulerat etiam aures, & oculos: ſed Moſes ſignificat, quicquid ingenitum eſt nobis lucis, vel ſuffocari vel evaneſcere, ut quod ad præceptum ſupientiæ caput ſpectat, ſenſus omnes noſtri jaceant inutiles. In naturæ quidem corruptione lux adhuc in tenebris lucet, verum quæ mox obtenebreſcit. Itaque tota intelligentia, & rationis facultas, in qua ſibi placent & gloriantur homines, mera eſt caligo, vel fumus. Ideo non abs re poſtulat David illuminari ſibi oculos, ut conſideret arcana Legis. Quanquam minime nos à culpa eximit hic defectus: quia (ut inquit) nulli ſapiunt niſi quibus datum eſt à Patre luminum: proprio tamen vitio deſipimus. Et propria conſcientia quiſque ſatis ſuperque arguitur, ſuperbia & torpore implicitum eſſe ignorantiam, ac proinde voluntariam eſſe. Nomen Cordis hoc loco non pro ſede affectuum capitur, ſed pro mente ipſa, quæ eſt intellectiva animæ facultas. *Pſal. 119. verſ. 18.*

5. *Et dedaxi vos.*] Deſcendit ad beneficia quibus populum ſuum continuo quadraginta annorum progreſſu proſequutus eſt. Neque tamen omnia recenſet: paucis & quidem maxime inſignibus exemplis contentus: quod vetuſtate non fuerint attritæ eorum veſtes, & divinitus paſti fuerint, quum nulla ex terræ proventu alimenta ſuppeterent. His teſtimoniis patefactum fuiſſe Dei gloriam admonet, ut ſe ejus imperio ſubjicerent.

7. *Veniſtis tandem.*] Tertia ſpecies, quod hoſtes qui primi ad impediendum tranſitum occurrerant, Deus profligaverit, atque ita jam in ſtatione quieta locare ipſos cœperit. Nam quod illic duæ Tribus & dimidia domicilium elegerant, quaſi in ſpeculo cernere licebat paratam eſſe fruitionem promiſſæ terræ. Hinc ergo colligit Moſes, obſtrictos eſſe ad ſervandam Legem, & ad gratitudinem fideli ſincereque obſequio præſtandam horratur. Ergò finis narrationis eſt, ut doctrinæ ſuæ reverentiam conciliet: quia verbum שמע in Hiphil tam feliciter quam prudenter agere ſignificat. Utramque lectionem poſui, quum optime conveniat uterque ſenſus. Viſum enim fuit capite 4. hanc fore unicam populo ſapientiam, ſi obediat Dei ſtatutis. Nec aliunde ſperanda eſt proſperitas quam ex Dei benedictione, quæ paſſim Iſraëlitis promittitur, ſi Legem cuſtodiant.

Ex Deut. VIII.

7. Quia Jehova Deus tuus introducit te in terram bonam, terram ubi torrentes, aquarum fontes, & abyſſi erumpentes per valles & colles:

8. Terram frumenti, & hordei, vitis, & ficus, & malogranati: terram oleæ oliviferæ, & mellis:

9. Terram in qua non comedes panem in penuria, nec ulla re indigebis: terram cujus lapides ſunt ferrum, & è cujus montibus effodies æs.

10. Comedes igitur, & ſatiaberis: & tunc benedices Jehovæ Deo tuo in terra illa quam dedit tibi.

Repetitio ejuſdem ſententiæ ex Deut. XI.

10. Terra enim quam tu ingrederis ut poſſideas eam, non eſt ſicut terra Ægypti, ex qua egreſſi eſtis, in qua ſeminabas ſemen tuum, & irrigabas pede tuo, ut hortum oleris.

11. At terra ad quam vos tranſibitis ut poſſideatis eam, terra montium & vallium eſt: de pluvia cæli bibes aquam.

12. Eſt terra quam Jehova Deus tuus requirit: ſemper ſunt oculi Jehovæ Dei tui in ea, à principio anni uſque ad extremum anni.

Ex Deut. VI.

1. Iſtud autem eſt præceptum, ſtatuta & judicia quæ præcepit Jehova Deus veſter ut docerem vos, ut faciatis illa in terra ad quam vos tranſitis ut poſſideatis:

2. Ut timeas Jehovam Deum tuum, cuſtodiendo omnia ſtatuta ejus & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, tu & filius tuus, & filius filii tui, omnibus diebus vitæ tuæ: & ut prolongentur dies tui.

3. Audias ergo, ô Iſraël, & cuſtodias ut facias, ut bene tibi ſit, utque multiplicemini valde: quemadmodum dixit Jehova Deus patrum tuorum tibi in terra, quæ fluit lacte & melle.

Ex Deut. VI.

17. Cuſtodiendo cuſtodietis præcepta Jehovæ Dei veſtri, & teſtimonia ejus, & ſtatuta ejus quæ præcepit tibi.

18. Facieſque quod rectum & bonum eſt in oculis Jehovæ, ut bene ſit tibi, & ingrediaris poſſideaſque terram bonam, quam juravit Jehova patribus tuis.

19. Ut expellat omnes hoſtes tuos à facie tua, ſicut loquutus eſt Jehova.

Deut. 8. 7. *Quia Jehova.*] Brevis ſumma eſt verborum & rei. Habitationem opibus & commodis omnibus refertam fere ante oculos illis prnponit, ut illic alacrius Deum colant, & gratitudine ſua penſare ſtudeant tam ſingulare beneficium. Octavo capite bonitatem terræ commendat, quod irrigua ſit, ac per eam fluant aquæ per valles & mnntes, deinde quod omne genus fructuum producat qui ad alimenta ſufficiant: neque id modo, ſed fodinas etiam ferri & æris contineat. Capite autem undecimo idem aliis verbis clarius & magis ſpecialiter explicat: quia accedit comparatio terræ Ægypti: cujus ſecunditas etſi annua Nili inundatione mirabilis eſt, & tanquam inſigne miraculum celebratur, tamen indiget magno labore & cultura: nempe quia ductis ſulcis irrigatur manu & induſtria hominum. Terra autem Chanaan à Dei benedictione pendet, expectatque pluviam è cælo. Atque peculiarem terræ dntem ſplendidis verbis extollit Moſes, terram illam dicens reſpici ſemper à Deo, ut viciſſim Iſraelitæ attente Deum reſpiciant, & quidem aſſidue. Huc enim pertinent verba, Jugiter à principio uſque ad finem anni. Acſi dixiſſet, ingratos fore Deo, niſi aſſidue ad eum ſua ſtudia dirigerent: quia nnn deſinebat qnotidie illis proſpicere. Verum quidem eſt, nullum eſſe orbis angulum benedictionis Dei expertem, & ejus teſtimonium eſſe quod Nilus totam Ægyptum fœcundat: ſed quia ſemel id quotannis accidit, deinde ejus aquæ per ſulcos huc illuc hominum artificio ducuntur: non fruſtra Mnſes inde exhortationis materiam ſumpſit, aſſidue dandam illis eſſe operam meditandæ Legi: quia non tantum ſingulis anni temporibus, ſed prope ſingulis momentis cngat eos neceſſitas implorare opem Dei, quum videant terram ipſam petere ſemper à Deo ariditatis ſuæ remedium. Quæritur tamen quomodo tam magnifice prædicet Moſes opulentiam terræ Chanaan, quæ hodie inter fertiles vix numeratur: adeoque Moſi proterve inſultant profani homines, quoniam ejus encomia refellant omnes qui vel negotiandi cauſa, vel quacunque alia illue profecti ſunt. Ego vero non dubito quin ſemper nobilis fuerit multiplici frugum omninm proventu: ſicuti poſtea ſuo loco videbimus, ex botris probatam fuiſſe ejus fertilitatem. Verum ſimul tenendum eſt, novo & inſolito modo auctas fuiſſe ejus copias, populi adventu: ut oſtenderet Deus ſe regionem illam præ aliis omnibus benedixiſſe, ut liberaliter filios ſuos paſceret. Quamdiu ergo in bæreditatem concella fuit terra illa filiis Abrahæ, reſplenduit in ejus ubertate quod Deus promiſerat per Moſen. Nunc vero magna ex parte deſertam eſſe vel ſterilem, adeo mirari non debemus, ut potius mirum ſit reſtare nbſcura quædam veſtigia antiquæ fœcunditatis: quia impleri oportuit quod ipſe quoque Deus minatus fuerat. Ergo quæ hodie conſpicitur terræ deformitas, adeo nihil derogat teſtimonio Moſis, ut potius demonſtret ante oculos Dei judicium, quod alibi videbimus denunciatum fuiſſe. In ſumma, ſicuti Deus terram prius frugiferam magis locupletavit in gratiam populi ſui: ita, ut ejuſdem populi ſcelera puniret, ſale eam conſperſit, ut triſte ſpectaculum eſſet ſuæ maledictionis.

Deut. 8. 10. *Comedes igitur, & ſatiaberis.*] His verbis admonet, nimis fore ſocordes niſi eos ad obedientiam alliciat tanta Dei liberalitas: quia nihil magis abſurdum, quam ubi bene referti ſumus ac ſaturi, non agnoſcere unde nobis profectus ſit victus. Apte itaque Moſes à populo gratitudinem exigit, ubi & terra ſibi promiſſa & omni bonorum abundantia fruetur.

Deut. 6. 1. *Iſtud autem eſt præceptum.*] Idem his tribus verſibus repetit quod jam alibi pluribus locis viſum eſt: quum Deus tam liberaliter tractet Iſraelitas, nimis fore perverſos niſi eos tanta dulcedo ad Legis amorem alliciat. Tenendum etiam eſt quod attigi: quamvis promiſſiones quibus populum ſtimulavit Moſes ad ſtudium Legis ſervandæ, in alium locum diſtulerim, conſulto tamen ante Legis explicationem locos poſuiſſe, quibus Moſes terram promiſſam tanquam oculis populi ſubjiciens, præparat animos ad obſequium, & imperium tam benefici patris amabile jucundumque teddit. Quum ergo jam creati eſſent terræ bæredes, Moſes ad fruitionem eos invitans, doctrinam cujus cauſa ipſos adoptaverat, propenſis animis amplecti jubet: & Deo, cujus gratuita bonitate præventi erant, ſe viciſſim in obſequium addicere. Sicuti autem octavo & undecimo capite laudavit terræ ubertatem, ita eandem ſententiam nunc confirmat: vel potius, quod breviter dixerat capite ſexto, poſtea fuſius explicat. Conveniunt quidem bæc omnia, felicem vitæ ſtatum qui ante oculos erat, debuiſſe populi gratitudinem accendere, ne periret tam inſignis beneficentia. Itaque Moſes commemnrat ſe Leges & edicta in medium protuliſſe, quibus inſtituerentur in timore Dei: ſimul admonet quam indignum ſit, non rapi ad Dei & Legis amorem terræ deliciis & opulentia. Prætereo quæ alibi expoſui, quod ſcilicet nihil à ſeipſo docuerit, ſed fidelis fuerit Dei interpres: deinde quod doctrinam jubet propagari ad poſteros, & de manu in manum transmitti, ut nunquam intercidat. Idem confirmat alter locus ex fine ejuſdem capitis ſumptus. Unde apparet quam difficile ſit bomines probe formari ad ſervandam Legem, quorum ſegnitiem Deus non fruſtra toties exeitat. Subeſt enim tacita vel ſocordiæ vel levitatis exprobratio, ubi Deus quod ſatis fuerat uno verbo monſtraſſe, flagitare non deſinit. Notanda etiam eſt juſtitiæ definitio, Ut faciant quod in oculis Dei rectum eſt: quod carnis rationi & judicio opponitur.

Ex Deut. VIII.

11. Cave tibi ne obliviſcaris Jehovæ Dei tui, ut non obſerves præcepta ejus, & judicia ejus, & ſtatuta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie.

12. Ne forte comedas & ſatureris, & domos egregias ædifices, atque habites in illis:

13. Et boves tui oveſque tuæ multiplicentur, argentum quoque & aurum multiplicetur tibi: omne *inquam* quod eſt tibi multiplicetur:

14. Tum

14. Tum elevetur cor tuum, & obliviſcaris Jehovæ Dei tui, qui eduxit te è terra Ægypti, è domo ſervorum.

15. Qui deduxit te per deſertum magnum & terribile ſerpentis adurentis, & ſcorpionis, & ſitis, in quo nulla erat aqua: qui eduxit tibi aquam è petra ſilicis.

16. Qui pavit te Man in deſerto, quod non noverant patres tui: ut affligeret te, & probaret te, ut benefaceret tibi in noviſſimo tuo.

17. Ut dicas in corde tuo, Potentia mea & robur manus meæ paravit mihi has opes.

18. Sed memineris Jehovæ Dei tui, quia ipſe dat tibi facultatem ad parandas opes, ut confirmet pactum ſuum quod juravit patribus tuis, ſicut in hac die.

11. *Cave tibi ne.*] Quam neceſſaria fuerit hæc admonitio, ex communi totius humani generis vitio, quod paſſim adhuc nimium graſſatur, æſtimare licet. Vix enim centeſimus quiſque reperietur in quo ferociam non generet ſatietas. Dicet poſtea Moſes in cantico de pervicacia illius populi, Dilectus, pinguedine obductus & ſaginatus calcitravit. Neceſſe igitur fuit frenum injici tam refractariis hominibus, imo arctius conſtringi eorum laſciviam in rebus proſperis. Sed ad nos quoque eandem doctrinam extendere licet ac convenit: quia omnes fere inebriat felicitas, ut contra Deum intemperanter laſciviant, ſuique & illius obliviſcantur. Itaque Moſes non tantum vetat Iſraëlitas ingratos eſſe Deo, ſed admonet ut ſe cuſtodiant (hoc enim verbo utitur pro cavere) ab impia illa ingratitudine. Alteram mox cuſtodiam adjungit pro Legis obſervatione. Hæc tamen ſumma eſt, ſumma cura & attentione opus eſſe ad cavendum ne in rebus lætis obrepat Dei oblivio: atque ita excuſſo ejus timore, & abjecto Legis jugo, carnis ſuæ cupiditatibus indulgeant. Nam contemptum Legis docet ingratitudinis ſignum fore: quia ſcilicet fieri non poſſit quin Deo ſe ſubjiciant, Legemque ejus obſervent, ſi modo reputent ſolo ejus beneficio ſe feliciter agere. Quod pluribus verbis Legem deſignat, diximus jam alibi ad perfectæ doctrinæ commendationem valere: acſi diceret, nullam recte vivendi partem illic eſſe omiſſam. Aſſerit etiam hoc loco (ut ſæpe alias) miniſterii ſui fidem, ne tergiverſentur, dum hominis mortalis imperium detrectant, non ſe proptereа Deo rebelles eſſe. Ergo non aliter pietatem eorum Deo placituram dicit niſi Legem à ſe propoſitam obſervent.

12. *Ne forte comedas & ſaturēris.*] Fuſius explicat quod nuper vidimus: fieri ſcilicet poſſe ut longiore temporis tractu à Dei timore & ſtudio Legis deficiant, eoque magis cavendum ne diuturna quies & lætitia callum illis obducat. Cauſa autem defectionis quam exprimit, diligenter notanda: nempe ſuperbia, qua hominum animos inflare ſolent divitiæ & opes. Rarum enim modeſtiæ exemplum eſt in læta fortuna: quin potius, ſimulac ſe florere vident homines, turgere faſtu incipiunt, atque ita ſuam altitudinem mirantur ut Deum quoque ipſum deſpiciant. Hac ratione vetat Paulus divites hujus ſeculi nimis alte ſapere, vel ſperare in bonis incertis. Decebat quidem, quo benignius à Deo tractamur, placidius nos ſubmittere ejus imperio: ſed alio (ut dixi) nos rapit naturæ noſtræ pravitas, ut Dei indulgentia, quæ nos flectere ad manſuetudinem debebat, inſoleſcamus. Quod ſi non protinus contingat, ubi tamen continuo tenore fluit proſperitas, paulatim optimos quoſque corrumpunt delicіæ, ut tandem à ſeipſis degenerent. Ergo ſi rectum curſum tenere cupimus, in hoc tam exitiali ſuperbiæ morbo ſanando eniti nos oportet. Deinde quia Satanæ artificio, continua proſperitas ſuis illecebris nos demulcet, diſcamus non uno tantum die cavere, ſed excubias agere tito vitæ curſu. Superbiæ autem prudenter occurrit Moſes, revocans Iſraëlitis in memoriam qualis fuerit prima eorum conditio. Unde enim fit ut confidentia & faſtu intumeſcant qui ſibi & aliis videntur in mundo beati? niſi quod de origine ſua non cogitant, ſed perinde acſi delapſi eſſent è nubibus, omnia præ ſe deſpiciunt. Pauci enim Codro ſimiles, qui regnum adeptus, ſemper ingenue præ ſe tulit ex quo patre natus eſſet, nempe figulo. Huic vitio (quod nimis paſſim regnat) nunc medetur Deus, dum Iſraëlitis commemorat priſtinum ſtatum, & reputare jubet ſingulari beneficio inde ereptos fuiſſe. Sola enim liberationis memoria in illis arrogantiam domare poterat: quando nihil magis abſurdum quam eos inſoleſcere qui ante mancipia fuerant ſuperbiſſimæ gentis, nec ſibi libertatem acquiſierant propria virtute, ſed præter ſpem & meritum, obtinuerant à mera Dei gratia: deinde profugi erraverant per deſertum, ac tandem Deo duce terram ſibi promiſſam ingreſſi fuerant. In ſumma, perinde agit cum illis Deus, acſi homini, qui repente dives factus ſe intemperanter gereret, exprobretur priſtina inopia & mendicitas. Porro quia tardiores erant quam ut prompto & alacri animo hanc admonitionem ſuſciperent, pluribus verbis amplificat Moſes Dei beneficia quæ experti erant in deſerto. Fuit enim hoc incredibile, non modo inter truculentas beſtias, ſed inter ſcorpiones, & viperas, & quicquid virulentum eſt in genere ſerpentium, turbam illam ex viris, mulieribus, pueris, & ſervis permixtam habitare multis annis. Clarius refulſit Dei bonitas in repentino miraculo, quod ſiticuloſis potum ex rupe ante arida præbuit. Sed quia proximo verſu commemorat Man fuiſſe pro pane vel alimento, hæc duo ſimul conjungam.

16. *Qui pavit te Man in deſerto.*] Dixerat eductam fuiſſe aquam è ſilice quum ſiti laboraſſet populus: nunc alterum addit, Man fuiſſe illis panis loco: quaſi diceret, quum cibus & potus deficerent, pereundum fuiſſe inopia, niſi præter naturam utrumque dediſſet Deus, qui durum ſilicem in aquas fecit defluere, & è nubibus panem produxit. Porro iterum repetit quod ante dixerat, penuria afflictum fuiſſe populum, ut hæc eſſet fidei & patientiæ probatio. Atqui in ipſo examine detecta fuit tam incredulitas populi quam intemperies. Tandem illuſtrata magis fuit Dei bonitas & virtus, quod ingratitudini eorum ignoſcens, nihilominus eorum neceſſitati opem tulit. Nam ſi nullam efuriem paſſi fuiſſent, neglectim acceptum fuiſſet Dei beneficium in quotidiano cibo. Huc pertinet quod in fine ponitur, Ut bene faceret tibi demum extremo tuo tempore. Ex quibus verbis diſcamus etiam nos, ideo ſæpe nos deſtitui neceſſariis ſubſidiis, ut ad auxilium Dei, quod in extremis rebus apparet, cognoſcendum expergefiant ſenſus noſtri. Nam ſicuti rerum copia velum oculis noſtris obducit, vel eorum aſpectum hebetat: ſic rurſum nuditas & inopia hebetudinem purgat & abſtergit, ut oblata Dei beneficia clarius perſpiciant.

1 Tim. 6. verſ. 17.

17. *Ut dicas in corde tuo.*] Speciem ſuperbiæ, de qua nuper loquutus eſt, exprimit: nempe dum ſuæ induſtriæ, vel labori, vel conſilio arrogant homines quod Dei benedictioni ferre accepta debuerant. Dictum quidem fuit, aliis etiam modis extolli corda: ſed hoc præcipuum eſt ſuperbiæ caput, ad nos trahere & rapere quod Dei proprium erat. Nihil enim melius nos in modeſtia & humilitate continet quam gratiæ Dei agnitio: quia criſtas adverſus eum erigere ex quo pendemus, cui nos & noſtra omnia debemus,

bemus, infanæ temeritatis est. Recte ergo Moses humani cordis ex Dei oblivione superbiam coarguit, si putent Marte suo partum esse quod Deus quasi precario largitus est, ut eos sibi devinctos teneret. Dicere in corde, Hebræis significat secum reputare, vel apud se cogitare. Non ergo externa tantum oris profusio exigitur, qua præ se ferant homines Dei liberalitati se esse gratos: (quando sæpe in ea nihil aliud est quam simulatio & vanitas) sed vult serio persuasos esse, à mera ejus beneficentia fluere quicquid possident. Prius dixit, quamvis terram ingressi, pane & aliis cibis vescerentur, Man tamen, quo Deus eos aluerat in deserto, perpetuum fore documentum, non pane solo sustineri vitam hominum, sed arcana Dei virtute, quæ vigorem inspirat. Nunc vero alteram doctrinæ partem addit: quod olim Deus nihil agentes nutrivit gratis & vestivit, hinc doceri, etiam dum strenue laborant ac satagunt, quicquid acquirunt, non tam suæ industriæ præmium esse, quam fructum benedictionis Dei. Neque enim tantum affirmat, primo terræ ingressu fuisse ditatos, quia Deus liberaliter cum ipsis egerit: sed hoc extendit ad totum humanæ vitæ cursum, sua vigilantia & sedulitate nihil consequi homines, nisi quatenus è cælo Deus benedicit. Quod plenius continuo post explicat, ubi jubet revocare subinde in memoriam, Deum esse qui dat facultatem, &c. Etsi enim non vult nos Deus torpere inutiles, quod tamen dicit Paulus de Euangelii prædicatione, in mīnimis etiam rebus valet: nempe & eos qui plantant, & eos qui rigant, nihil esse, sed omnia esse penes Deum, cujus unius virtute terra fructificat. Tenendum igitur est, quamvis hominum desidiam improbet Deus, inopiaque & fame puniat: eos tamen qui ad opus intenti sunt, non propria sedulitate parare opes, sed mera Dei benedictione ditescere. Atque in hac doctrina precatio quam nobis dictavit Christus fundata est, qua nobis petimus dari panem quotidianum. Etsi autem hoc pertinet ad cunctos mortales, Moses tamen ad electum populum peculiariter accommodat, in quo magis refulget Dei benedictio: & simul admonet, quod Deus alimenta illis suppeditat, pendere ex fœdere quo sibi genus Abrahæ adoptavit.

1 Cor. 3. vers. 7.

Ex Exod. XXIII.

20. Ecce, ego mitto Angelum coram te, ut custodiat te in via, & introducat te in locum quem præparavi.

21. Cave * à facie ejus, & obtempera voci ejus, ne exacerbes eum. neque enim parcet transgressioni vestræ: nomen meum intra ipsum.

* ad verbum, *Custodias te*: vel, *Custoditus sit.*

22. Si autem audiendo audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor, inimicus erò inimicis tuis, & affligam affligentes te.

23. Nam præcedet Angelus meus faciem tuam, & introducet te ad Emorrhæum, & Hitthæum, & Perezæum, Chananæum, Hivæum, & Jebusæum: & exterminabo illos.

Ex eodem Capite.

25. Coletis Jehovam Deum vestrum, & benedicet pani tuo, & aquis tuis: auferamque infirmitatem è medio tui.

26. Non erit abortum faciens & sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum complebo.

27. Terrorem meum mittam coram te, & interficiam omnem populum ad quem venies, & dabo omnes hostes tuos tergum.

28. Mittam crabronem ante te, qui expellat Hivæum, Chananæum, & Hitthæum à facie tua.

29. Non ejiciam illum à facie tua anno uno, ne sit terra desolatio, & multiplicetur contra te bestia agri.

30. Paulatim paulatim ejiciam illum à facie tua, donec crescas & hæreditate accipias terram.

31. Ponam autem terminum tuum à mari Rubro usque ad Philistim, & à deserto usque ad fluvium. nam dabo in manus vestras habitatores terræ.

20. *Ecce, ego mitto.*] Hic admonet Deus Israëlitas, sic conjunctam esse eorum salutem cum observatione Legis, ut hanc negligendo illam amittant. Dicit enim se per manum Angeli fore illis ducem: hoc paterni amoris signum. Sed ex opposito non impune illis cessurum minatur, si tanta gratia contempta suas cupiditates sequuti sint: quia non effugient conspectum Angeli, quem illis præfecit custodem. Omnes fere Hebræi doctores (quibus multi subscribunt) putant hoc de Jehosua esse dictum. nimis inconsiderate: quando in ejus personam minime conveniunt quæ paulo post magis expendemus. Sed eorum error satis superque hinc refellitur: primum quod si de Jehosua accipimus, caruisset populus ductore Angelo, quamdiu in deserto peregrinatus est. Deinde quod posteà dictum fuit Mosi, Angelus Jehovæ præcedet te. Item: Ecce, mitto Angelum meum coram te. Et Moses alibi hoc Dei beneficium commendat, quod populum eduxerit per manum Angeli. Sed quid longa disputatione opus est, quum jam ante aliquoties facta fuerit mentio Angeli liberatoris? Jam quia hoc fixum esse debet, non haberi sermonem de homine mortali, memoria tenendum est quod ante diximus, non quemlibet Angelum designari, sed omnium Angelorum principem, qui & idem semper fuit caput Ecclesiæ. In qua re sufficere nobis debet Pauli auctoritas, dum Corinthios admonet ne tentent Christum sicut tentarunt patres in deserto. Et hoc ex magnifico elogio colligitur quod paulo post subjiciet Moses, nomen Dei fore in medio ejus. Quod etsi vulgo leviter prætereunt, ego tamen magni ponderis esse arbitror. Verum notanda sunt singula. Quum pronunciat Deus se Angelum mittere qui custodiat populum in via, voluntariam sibi obedientiam conciliat: quia nimis indignum sit, eum pro nihilo ducere, vel oblivisci, cujus experiuntur paternam erga se curam. Sed proximo versu, injecto terrore, ignaviam eorum excitat, ubi jubet cavere à facie ejus, quia futurus sit vindex scelerum. ubi etiam concinna allusio in ambigua verbi significatione notanda est. Nam quum שמר Hebræis custodire significet: postquam dixit Angelum illis fore

Exod. 32. vers. 34. Exod. 33. vers. 2.

1 Cor. 10. vers. 9.

fore cuſtodem, admonet ut ſe viciſſim cuſtodiant. In quo jam attollitur Angelus ſupra hominum gradum: quia judex ſtatuitur, ſi quid deliquerint Iſraëlitæ: non quomodo Prophetis judicium defertur reſpectu doctrinæ, penes quam ſumma eſt poteſtas, ſed quia nihil eum latebit. Hoc enim uni Deo Scriptura vendicat tanquam proprium, ut ambulemus coram facie ejus. Eodem pertinet quod ſequitur, Ne exacerbes eum: quod paſſim Deo adſcribitur. Verum hoc plurimum momenti (ut nuper dixi) habere mihi videtur, nomen Dei fore intra ipſum, vel in medio ejus: quod tantundem valet acſi dictum eſſet, In ipſo reſidebit majeſtas & gloria mea: ideoque penes ipſum erit tam cordium cognitio, quam imperium & judicii poteſtas. Porro Angeli nomine Chriſtum deſignari, jam ante diximus non eſſe abſurdum: quia etſi nondum erat Mediator carne indutus, quoties tamen apparuit veteri populo, ſpecimen edidit futuræ miſſionis.

22. *Si autem audiendo.*] Terrorem quem ingeſſit mitigat duplici de cauſa, ut ſcilicet ſuaviter eos alliciat potius quam cogat pœnæ metu: deinde, ne ſi Angelum formidabilem ſibi eſſe ducant, anxietas animo concepta guſtum miſericordiæ & favoris obſcuret. Etſi autem promiſſiones, quibus ſancitur Legis obedientia, in alium locum differo: hanc tamen inter exhortationes, vel elogia quibus Legis dignitas commendatur, includere viſum eſt: quia reſpicit in præteritum tempus. Sic enim reſolvi debet oratio, Videte ut Deo reſpondeatis liberaliter vobiſcum agenti. Quod patribus veſtris promiſit de terræ hæreditate, præſtare nunc paratus eſt, niſi pravitas veſtra obſtiterit. Date igitur locum ejus gratiæ, ut per manum Angeli vos ad quietem ſuam adducat. Jam quo acrius eos ſtimulet, neceſſitatem auxilii ſui oſtendit: acſi diceret, nihil illis fore miſerius, niſi contra tot hoſtes ejus defenſione tuti eſſent. Commemorat enim plures robuſtiſſimos populos, quibus minime pares futuri erant niſi ductu Angeli militarent. Dicit ergo, ſi modo pareant Legi ſuæ, non eſſe cur ſibi metuant: quia omnes qui ad reſiſtendum ſurrexerint, ſola ſua virtute proſternet.

25. *Coletis Jehovam Deum veſtrum.*] Hæc quidem promiſſio ad alias proxime accedit, quibus proprium locum deſtinavi: hoc tamen habet diverſum, quod populum invitans ad ſtudium ſervandæ Legis, fœderis jampridem cum patribus initi effectum proponit ante oculos, quo alacrius Legem ſuſcipiant. Itaque non ahs re nuper dixi, quæ in præteritum tempus reſpiciunt promiſſiones proprium locum hic habere, ubi præparantur animi ad Dei obſequium & Legis obſervationem, quia genus Abrahæ Deus ſibi elegerit quod favore ſuo proſequeretur. Ideoque benedictionem ſuam promittit in pane, & aquis, & proſpera valetudine. His enim tribus conſtat præſentis vitæ ſtatus. Addit alia duo, fœcunditatem in ſobole, & vitæ longitudinem. Summa eſt, Dei liberalitate fuiſſe præveotos, ut libenter eum colerent: & jam in promptu eſſe quicquid promiſit, ſi modo ejus gratiæ reſpondeant. Etſi autem magna fuit terræ illius ubertas, & multiplex copia, hic tamen nulla fit vini & olei mentio, ſicut aliis locis, ſed tantum ſimplicis victus: acſi diceret, neceſſaria vitæ ſubſidia illis non defore.

27. *Terrorem meum.*] His verbis facile patet commendari paternum Dei amorem erga populum, ut præparentur animi ad ſubeundum jugum Legis. Ergo non tam hic proponitur illis merces, ſi Legem Dei ſervaverint, quam pudor illis incutitur ſi ingrati fuerint Deo liberatori, qui terræ promiſſæ fruitionem paulo poſt illis daturus erat. Porro dicitur Deus terrorem ſuum immittere, quum arcano inſtinctu corda hominum debilitat. Unde colligimus, tam formidinem quam fortitudinem in manu ejus eſſe. Cujus rei in omnibus hiſtoriis extant non obſcura exempla, ſi modo jus ſuum obtineret Deus apud homines. Sæpe contingit fortium virorum animos pavore concidere, rurſum ignavos & timidos erumpere in ſubitam audaciam. Ubi cauſa non reperitur, profani homines ad cæcum fortunæ imperium confugiunt, vel à Pane & Satyris fingunt attonitas reddi mentes. Nos vero diſcamus, ita in arbitrio Dei eſſe flectere in utramque partem hominum corda, ut tam animoſos terrore dejiciat, quam erigat puſillanimes. Ea hoc loco ſumptum eſt quod legitur Pſal. 44. Tu manu tua gentes expuliſti, & plantaſti patres noſtros: quia non gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum ſalutem non contulit ipſis. Quin etiam Rahab, quæ & meretria erat, & ea gente incredula, hoc tamen agnovit, quum diceret ea oratoribus, Ecce, diſſolutum eſt cor noſtrum: quia Jehova Deus veſter, eſt Deus in cælis ſurſum, & in terra deorſum. Non ea primit quidem quod hic habemus, perculſos fuiſſe divinitus inteſtina formidine, ſed ſolum dicit pavorem ea ſenſu potentiæ Dei venire: cauſam tamen cur ita tremant non eſſe humanam fatetur. Altius conſcendit Moſes, Deum non tantum objecto externo terrore fugare vel profligare hoſtes ſuos, ſed intus quoque operari in eorum animis, ut turbati tumultuanteſque diffugiant: ſicuti ſequitur in fine verſus, Dabo eos tergum: acſi diceret, ſe facturum ut mox terga vertant qui oc conſpectum quidem populi ſuſtinebunt. *Joſue 2. verſ. 11.*

28. *Mittam crabronem.*] Quamvis ad fugam ſatis valeret cæcus ille terror cujus meminit, ſibi tamen ad manum præſto fore alias quoque rationes dicit, quibus hoſtes abigat, ſine ullo diſcrimine, & ſine magna moleſtia populi. Neque tamen ſe magnos bellatores & validos miſſurum denunciat, ſed tantum muſcas & crabrones. Acſi diceret, eouſque Deum populo ſuo fore propitium ut minima quoque animalcula inſtruat & armet ad diſpellendos illius hoſtes. Ita facilitas victoriæ monſtratur: quia ceſſantibus gladiis, ſoli crabrones profligandis & exterminandis hoſtibus ſufficient. Addit tamen exceptionem, ne querantur Iſraëlitæ ſi terra mox vacua & veteribus incolis purgata non pateat: & admonet hoc populo fore utile ut paulatim hoſtes conſumat. Quamvis ergo primo intuitu videri poſſet Deus minus præſtare quam pollicitus fuerat, & ita aliquid ea ſua gratia reſcindere, vel imminuere: docet tamen Moſes hoc quoque modo ipſorum ſaluti conſuli, ne in terram vaſtam & deſertam irrumpant feræ beſtiæ, quæ plus damnarum quam hoſtes afferant. Contigit quidem ignavia populi ut diu hoſtibus ſuis permiatus fuerit, quia minus ſtrenue exequutus fuerat Dei vindictam. Imo tunc impletum eſt quod Deus minatus eſt per Joſue, Si adhæſeritis reliquiis gentium iſtarum, ſciendo ſciatis quod non adjiciet Jehova Deus veſter eas perdere coram facie veſtra: ſed erunt vobis in laqueum & offendiculum, in flagellum lateribus veſtris, & in ſpinas oculis veſtris. Quod ergo tardius & ſub finem demum regni Davidis exterminatæ ſunt impiæ & profanæ gentes, ut populo tranquilla cederet terræ poſſeſſio, eorum culpæ imputandum, quibus diffidentia & ingratitudo torporem induxit, ut ſe in otio tenerent. Verum ſi nulla ſegoities tardaſſet effectum promiſſionis, experti eſſent non longius differri à Deo ultimum gentium excidium quam illis expediret. *Joſue 23. verſ. 13.*

31. *Ponam autem terminum.*] Minime dubium eſt quin fœdus quod pepigerat cum Abraham, paulo aliis verbis confirmet. Brevius Abrahæ dictum fuerat, Dabo ſemini tuo terram hanc à fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem. Hic quatuor numerantur mundi plagæ, & loco Nili ponitur alterum mare, quod opponitur mari Tharſis. Neque enim novum aliquid ſperare jubentur Iſraëlitæ: ſed in memoriam illis revocatur quod quidem ab ipſo uſque Abraham per manus acceperant. Unde *Geneſ. 15. verſ. 18.*

melius

melius perſpicitur quod dixi, fœdus antiquum illis proponi, ut gratuito Dei favori reſpondeant, & eum viciſſim colant ac venerentur, qui jam ipſos anteverterat. Porro quum hac benedictione ſeipſos fraudaſſent, remedium adhibuit Deus eorum vitio, quum novum ſtatum ſub Davide erexit, cui hæc eadem promiſſio fuit repetita, ut habetur Pſalmo 72. Quum ergo ad illud uſque tempus truncata fuiſſet quodammodo hæreditas, renovato ſtatu, ſolida & plena fruitio contigit. Cæterum quia felicitas illa & imperii amplitudo non diuturna fuit, ſed Solomone defuncto collapſa eſt, ac tandem peſſundata regni dignitas: ideo Zacharias de ultima & perfecta inſtauratione differens, iiſdem verbis utitur. Unde colligimus, Chriſti demum adventu hujus vaticinii effectum fuiſſe exhibitum: non quod genus Abrahæ dominari tunc cœperit intra fines hic poſitos: ſed quia Chriſtus ſuo imperio complexus eſt quatuor mundi partes, ab Ortu ſolis uſque ad Occaſum, & à Septentrione uſque ad Meridiem. Interea hujus immenſitatis præludium fuit Davidis potentia, dum ſibi terræ promiſſæ dominium aſſeruit. Abſurdum autem videri non debet, aliquid veteri populo fuiſſe detractum ex hæreditate quæ illis ex fœdere ſperanda erat: quin potius in eo relucet incredibilis Dei bonitas, quod quum ſe prorſus abdicaſſent, Deus tamen cum illorum pravitate certans non deſiterit ſe fidelem re ipſa probare. Idem & in Gentium vocatione cernere licet. nam ſi in fide ſtetiſſent Judæi, conjunctæ illis fuiſſent Gentes: ſicut dictum erat, Apprehendent in illa die decem homines fimbriam viri Judæi. Fecit autem eorum defectio ut tantum primitias Eccleſiæ ſuæ inde collegerit Deus, & poſtea in vacuum locum Gentes ſubſtituerit fuerint. Hoc modo neque gradum ſuum tenuit populus ille, quia à primogenitura excidit: & tamen firma ſtetit Dei veritas: ſicuti fuſius diſputat Paulus 11. ad Rom. capite.

Zach. 8. verſ. 23.

Zach. 9. verſ. 9.

Ex Deut. XXIX.

29. Secreta ſunt Jehovæ Deo noſtro: revelata autem nobis & filiis noſtris uſque in ſeculum, ut faciamus omnia verba Legis hujus.

Ex Deut. XXX.

11. Præceptum hoc quod præcipio tibi hodie, non eſt abſconditum à te, nec procul remotum.

12. Non eſt in cælis, ut dicas, Quis nobis aſcendet in cælum, ut deferat illud ad nos, & annunciet nobis, ut ipſum faciamus?

13. Nec eſt ultra mare, ut dicas, Quis nobis trajiciet mare, ut deferat illud ad nos, & annunciet nobis, ut ipſum faciamus?

14. Certe valde propinquus eſt tibi ſermo, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias ipſum.

Deut. 29. 29. *Secreta ſunt.*] Ambiguum hujus loci ſenſum ſecti conciſa brevitas. Neque tamen ſingulas expoſitiones neceſſe eſt diſcutere: tantum breviter attingam quæ magis receptæ ſunt, ne fallant. Coactum eſt quod afferunt quidam Hebræi, ſcelerum quæ ſunt abſcondita Deum ſolum eſſe vindicem: quæcunque vero in hominum notitiam prodeunt transgreſſiones, eas eſſe puniendas à judicibus terrenis. Neque enim de pœnarum exequutione hic agitur: ſed Moſes ſimpliciter uſum Legis doctrinæ commendat. Probabilior eſſet eorum ſententia qui Legis excellentiam celebrari volunt, quod illic arcana ſua patefecit Deus: niſi obſtaret Grammaticæ ratio. Neque enim uno contextu hæc legenda ſunt, Secreta Dei nobis eſſe revelata: quia id non patitur Tragedia, vel demonſtrativum pronomen quod utrique adjicitur, deinde quæ interponitur copula. Mihi vero dubium non eſt, hic per antitheſin conferri patefactam in Lege doctrinam cum occulto & incomprehenſibili Dei conſilio, de quo ſcifcitari fas non eſt. Quare (meo judicio) copula vice adverſativæ particulæ capitur, acſi dictum eſſet, Deus quidem apud ſe continet ſecreta quæ ſcire noſtra nihil intereſt, neque etiam expedit, & quæ ſenſum noſtrum tranſcendunt: at hæc quæ nobis promulgavit, ad nos & filios noſtros pertinent. Locus inſignis & obſervatu apprime dignus, quo tam audacia & nimia curioſitas damnatur, quam excitantur pixæ animæ ad diſcendi ſtudium. Scimus quam cupide appetant ſcire homines quorum nec cognitio quicquam prodeſt, & inveſtigatio etiam eſt noxia. Vellent omnes eſſe Dei conſiliarii, & in ultima cælorum adyta penetrare: imo libenter excuterent forulos omnes. Unde merito dixit profanus ille poëta, Nil mortalibus arduum eſt: Cœlum ipſum petimus ſtultitia. Interim, quod nobis Deus aperte proponit, & vult familiariter notum eſſe, vel negligitur, vel faſtidio habetur, vel tanquam nimis obſcurum, procul rejicitur. Priore igitur membro breviter caſtigat Moſes & cohibet illam temeritatem, quæ tranſilit metas divinitus fixas. Altero autem hortatur ad amplexandam Legis doctrinam, in qua nobis expoſita eſt Dei voluntas, acſi coram nobiſcum loqueretur. Atque ita occurrit eorum malitiæ qui lucem oblatam refugiunt, & perperam obſcuritatis inſimulant doctrinam, in qua ſe Deus ad modulum ingenii noſtri demiſit. In ſumma pronunciat, Deum omnibus qui ſe diſcipulos ei offerunt optimum eſſe magiſtrum: quia fideliter & clare quicquid utile eſt cognitu, demonſtret: doctrinæ quoque perpetuitas aſſeritur, ne unquam intercidat, aut vetuſtate obſoleſcat. Quatenus autem Lex ſit perpetua, libri 2. Inſtitutionis cap. 11. fuſius differui. Ipſa quidem pie juſteque vivendi regula etiam hodie vigorem ſuum retinet: quanquam jugo ſervitutis & maledictione fumus ſoluti. Ceremoniis autem ſic finem impoſuit Chriſti adventus ut ipſo effectu non inanes vel umbratiles duntaxat fuiſſe certius probaverit. Poſtremo obedientiam à populo flagitat Moſes: ideoque datam eſſe Legem admonet non tantum ut ſciant Iſraëlitæ quid rectum ſit, ſed quicquid præcepit Deus obſervent. Verum quidem eſt non poſſe omnibus ejus præceptis in ſolidum ſatisfieri: ſed perfectio quæ exigitur, ad veniam petendam cogit eos qui ſe alioqui Dei judicio obnoxios ſentiunt: ut mox dicendum erit. Deinde notandum eſt, huc ſpectare doctrinam de tota Lege ſervanda, ne ſeparent homines præceptum unum ab aliis, & ſe aliqua tantum parte defunctos putent: quia tale divortium non admittit Deus, qui non minus furari vetuit quam occidere.

Jacob. 2. verſ. 11.

Deut. 30. 11. *Præceptum hoc quod.*] Hæc ſententia proximæ ſimilis eſt, ac in eundem finem tendit. Legem enim à facilitate commendat Moſes: quia non ambages vel ænigmata illic proponat Deus, ut ſuſpenſos teneat animos, vel diſquiſitione torqueat: ſed pro captu adeoque ruditate populi familiariter doceat quicquid opus eſt. Ideo apud Jeſaiam Judæis exprobrat, quod in tenebris vagati ſint, eorum pravitate & ſocordia factum eſſe: quia non in abſcondito loquutus erat, nec fruſtra dixerat ſemini Jacob,

Jeſa. 45. verſ. 19.

Jacob, Quærite me. Hic autem eos ad diſcendum invitat Moſes: quia facili & clara docendi ratione ante oculos poſita, non ſint perdituri operam. Scimus enim deſidiæ patrocinium inde ut plurimum quæri, ſi in rebus profundis & arduis magnus labor, abſque magno profectu, ſumendus ſit. Ideo negat Moſes Legem eſſe obſcuram, in cujus ſtudio præter modum fatigari oporteat: ſed Deum illic explicite & diſtincte loqui, nec aliud requiri quam ut diligentiam adhibeant. Porro ita illis eripit ignorantiæ prætextum: quia in tanta luce errare nequeant, niſi ſponte cæcutiendo, vel claudendo oculos. Unde etiam colligimus quam impie blaterent Papiſtæ Scripturam deoſis tenebris eſſe obſitam, & quam improbe ab ejus acceſſu, tanquam labyrinthi neſcio cujus, plebem arceant. Certe aut Spiritum ſanctum, qui ejus claritatem tantopere aſſerit, mendacii coarguant oportet, aut illam ſacrilego convitio ioſamant. Quod ſi veteri populo adempta fuit excuſatio, niſi Lege magiſtra & directrice viam teneret, bis & ter damnabilis eſt noſtra ſocordia, niſi in Euangelio, ubi inæſtimabiles omnis ſapientiæ theſauros Deus aperuit, quantum ad ſalutem ſatis eſt, proficimus. Perperam vero & inſcite locum hunc ſophiſtæ arripiunt ad probandum liberum arbitrium. Negat Moſes præcepta Legis eſſe ſupra nos. Quid? An ut eorum obſervatio viribus noſtris ſubjecta ſit? Certe nihil tale ſonant verba: neque ex ejus conſilio rite expenſo elici poteſt hic ſenſus. Tantum enim Judæos animat & alacres eſſe jubet Legis diſcipulos: quia facile intelligent quicquid à Deo illic præcipitur. Atqui longe aliud eſt præſtandi facultas quam intelligentia. Adde quod Paulus locum hunc optima ratione ad Euangelium accommodat: quia doctrinam ipſam mente comprehendere nihil prodeſſet, niſi accederet reverentia, & ſeria obediendi voluntas. Sumit autem pro confeſſo, adeo non eſſe noſtri arbitrii recte velle, ut ne ad cogitandum quidem ſimus idonei. Unde ſequitur, jacere tanquam frivolum & de nihilo dictum quod hic habetur, ſi ſimpliciter accipitur de Lege. Aliud etiam reſpicit Paulus, quia Lex perfectam juſtitiam exigit, à nemine mortalium poſſe cum fructu eam recipi. Nam ut quis Deo parere ſtudeat, longe tamen ſemper à perfectione aberit: ideoque ad Euangelium venire neceſſe eſt, in quo laxatur rigor ille: quia intercedente venia, obediendi voluntas, plenæ obedientiæ inſtar, Deo grata eſt. Inſiſtit enim Paulus in poſtremo verſu, Prope eſſe verbum in ore & corde, ut populus illud præſtet. Jam conſtat corda hominum lapidea eſſe, & contumaciter Legi adverſari: in Lege vero ipſa literam duntaxat mortuam & mortiferam contineri. Quomodo igitur ſedem in corde haberet literalis doctrina? Quod ſi Deus Spiritu regenerationis pravitatem cordis corrigat, ac duritiem molliat, hoc non Legis eſt ſed Euangelii proprium. Deinde quia in filiis Dei, etiam ex quo regeniti ſunt, ſemper manent reſiduæ carnis cupiditates, nemo reperietur mortalium qui Legem faciat. In Euangelio autem paterna indulgentia recipit Deus quod non omni ex parte abſolutum eſt. Tunc igitur demum in corda penetrare incipit verbum Dei, & juſtum fructum in vita proferre, ubi Chriſtus cum Spiritu ſuo & gratuita venia affulget. Itaque veriſſime concludit Paulus hoc eſſe verbum fidei quod in Euangelio prædicatur: quia nec efficaciter Lex adducit Deo homines, & ejus obſervatio propter ſummum rigorem eſt impoſſibilis. Hoc autem novi fœderis peculiare eſt beneficium, Legem ſcribi in cordibus, & viſceribus inſculpi: deinde remitti ſeveram illam exactionem, ne vitia quibus adhuc laborant fideles, obſtaculo ſint quo minus Deo placeat mutila & dimidia eorum obedientia.

Rom. 10. verſ. 8.

Ex Levit. XXVII.

34. Hæc ſunt præcepta quæ præcepit Jehova Moſi ad filios Iſraël in monte Sinai.

Ex Deut. I.

1. Hæc ſunt verba quæ loquutus eſt Moſes ad omnem Iſraëlem trans Jordanem in deſerto, in planitie, è regione Suph, inter Paran & Thophel, & Laban, & Haſeroth, & Dizahab.

2. Undecim dies ſunt ab Horeb, itineris montis Seir, uſque ad Cades Barnea.

3. Fuit autem quadrageſimo anno, undecimo menſe, prima menſis, loquutus eſt Moſes ad filios Iſraël juxta omnia quæ præceperat Jehova ei ad illos.

4. Poſteaquam percuſſerat Sehon regem Emorrhæorum qui habitabat in Hesbon, & Og regem Baſan, qui habitabat in Aſtaroth in Edrei.

5. Trans Jordanem in terra Moab incepit Moſes explanare Legem hanc, dicendo.

Ex Deut. IV.

44. Hæc eſt Lex quam propoſuit Moſes coram filiis Iſraël.

45. Hæc teſtimonia & ſtatuta & judicia quæ pronunciavit Moſes filiis Iſraël, quum egreſſi eſſent ex Ægypto.

46. Trans Jordanem in valle è regione Beth-peor in terra Sehon regis Emorrhæorum, qui habitabat in Hesbon: quem percuſſit Moſes & filii Iſraël, quum egreſſi eſſent ex Ægypto.

47. Et poſſederunt terram ejus, & terram Og regis Baſan, duorum regum Emorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad ortum Solis.

48. Ab Aroër qui erat juxta ripam torrentis Arnon, uſque ad montem Sion qui eſt Hermon.

49. Et univerſam ſolitudinem trans Jordanem ad Orientem uſque ad mare planitiei, ſub effuſionibus aquarum.

Ex Deut. XXIX.

1. Hæc ſunt verba fœderis quæ præcepit Jehova Moſi ut pangeret cum filiis Iſraël in terra Moab, præter fœdus quod pepigerat cum ipſis in Horeb.

Levit. 27. 34. *Hæc ſunt præcepta.*] Prior locus commendat Legem quæ promulgata fuit & ſcripta in duabus tabulis, cum ſententiis quæ ſimul fuerunt annexæ ad Dei mentem clarius explicandam. Neque enim tantum decem verba illic protulit Deus, ſed quod breviter perſtrinxerat, interpretatus eſt. Porro huic doctrinæ fidem conciliat Moſes: primum ab auctoritate, quia divinitus ſit tradita: deinde quod ſibi non ſumpſerit Legislatoris partes, ſed à Deo creatus fuerit, ac vocatus ad hoc munus obeundum. A filiis autem Iſraël reverentiam exigit, quoniam ad eos miſſus fuerit doctor & magiſter.

Deut. 1. 1. *Hæc ſunt verba.*] Hi duo poſteriores loci proprié ad appendices ſpectant, quibus poſtea Deus clarius & magis familiariter illuſtravit Legem priusà ſe datam: comprehendunt quoque exhortationes quibus populi animos ſubegit ad obſequium, & elogia quibus Legem ornavit ac ſtabilivit. Summa eſt, Moſen prodire Dei miniſtrum & præconem, qui ex ipſius ore Iſraëli præſcribat quicquid rectum & juſtum eſt. Cæterum quum dicit, Præter fœdus initum in monte Horeb, non ſignificat quicquam fuiſſe additum, niſi quatenus oportuit decem verba pluribus exponi, ne brevitas obſcuritatem pareret in rudi & tardo populo. Neque enim Deus, ut ſolent terreni reges, experientia admonitus Legem ſuam locupletavit novis præceptis: ſed conſuluit pigro & craſſo populi ingenio. Ergo particula exceptionis non deſignat aliquid adventitium, ſed tantum ſignificat Deum ſecundo iteraſſe fœdus ſuum, quo diſtinctius & certius poſſet intelligi. Qua in re rarum indulgentiæ ſpecimen edidit, quod ſub terræ ingreſſum fœdus ſuum circiter annis quadraginta poſt ejus promulgationem renovavit, luculenta explicatione addita, quia tunc cum nova gente erat negotium. Ideo locus exprimitur, unde & temporis ratio apparet.

Deut. 4. 44. *Hæc eſt Lex.*] Eodem ſpectat hic ultimus locus, Legem ſcilicet deintegro fuiſſe promulgatam, ex quo limen terræ promiſſæ attigerat populus, quo propenſior eſſet ad obſequium: præſertim quum jam duæ tribus & dimidia victis Emorrhæis ſedem adeptæ eſſent ac domicilium. Ideo enim habitationis ſit mentio, quia guſtus percepræ gratiæ acuere debebat eorum ſtudium quo alacrius pergerent. De regione & locorum nominibus alibi videbimus. Nunc tenere ſatis eſt, renovatam fuiſſe Legis memoriam, poſtquam extra ſortem obtigerat ſtatio filiis Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, reliquis autem certa poſſeſſio ante oculos ſubjecta eſſet. Cæterum oſtendit Moſes, quamvis pluribus verbis Legem explicuerit, nihil tamen additum fuiſſe ad eam ſummam quæ initio promulgata fuerat: quin potius ſignificat, quæcunque annis quadraginta docuit, non alio ſpectaſſe quam ut Legem Dei probe exacteque tenerent.

LEX.

PRIMUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

3. NOn erunt tibi dii alieni coram facie mea.

Repetitio ejuſdem Ex Deut. V.

7. Non erunt tibi dii alieni coram facie mea.

3. *Non erunt.*] Hoc præcepto jubet Deus ſe unum duntaxat coli: & purum omni ſuperſtitione cultum requirit. Etſi enim videtur ſimplex prohibitio, tamen affirmativam ex negativa elicere oportet: quemadmodum ex ſequentibus melius patebit. Prodit ergo in medium, ut in eum ſolum reſpiciant Iſraëlitæ: ſibique jus ſuum vendicat, ne alio transferatur. In verborum expoſitione non omnes conſentiunt. Quidam enim פנים accipiunt pro Ira: acſi dictum eſſet, Ne alienos deos tibi accerſas ad iram meam provocandam. Et fateor nomen Hebraicum ſæpe hoc ſenſu poni. Illud tamen alterum mihi rectius videtur, Ne facias tibi deos coram facie mea. Sed adhuc aliqua eſt varietas: quia de particula על non convenit. Sunt enim qui exponant, Ne facias tibi deos præ me, vel quos mihi præferas. Citant locum Deut. 21. ubi vetat Deus, ſicui ſint duæ uxores, & ex utraque liberi, ne primogenituram ad ſecundum transferat coram facie primogeniti. Verum ut demus illic fieri comparationem minoris & majoris, nimis frigidum eſſet, hoc loco non aliud Deum poſtulare quam ne ſuperiorem gradum obtineant dii alieni: quando nec ſibi æquari patitur, vel etiam comites adjungi. Vitiatur enim & adulteratur religio, ſimulac minimum aliquid detrahitur ex Dei gloria. Et ſcimus, quum ſuos Baalim colerent Iſraëlitæ, non ita ipſos ſubrogaſſe in locum Dei, ut eo poſthabito tribuerent illis ſummum imperium. Fuit tamen hæc minime tolerabilis profanatio cultus Dei, ac proinde impia hujus præcepti transgreſſio, patronos ſibi deligere penes quos deitatis pars aliqua reſideret: quia niſi eminet ſolus Deus, tantundem obſcuratur ejus majeſtas. Genuinum eſſe ergo ſenſum exiſtimo, ne quos ſibi deos fingant Iſraëlitæ, quos vero & unico Deo opponant. Nam Hebræis Coram facie, ut plurimum ſignificat E regione. Non vult igitur Deus ſibi obtrudi ſocios, & tanquam in conſpectu ſuo locari. Interea mihi probabile eſt, ipſum alludere ad manifeſtationem quæ populum in ſincera pietate retinere debuerat. Sic enim tradita in Lege fuerat vera puraque religio, ut illic quodammodo luceret Dei facies. Alia Gentium ratio, quæ tametſi falſos deos ſibi temere fingebant, non tamen coram facie Dei, quæ illis erat incognita. Sciamus ergo hos demum cenſeri legitimos Dei cultores, qui ſtigmentis omnibus valere juſſis, ipſi uni adhæreant. Nec vero dubium eſt quin his verbis comprehendatur interior Dei cultus, quando præceptum hoc differt à proximo, ubi externa idololatria damnabitur. Et homines ſibi aliis modis deos facere quam in ſtatuis, aut picturis, aut ulla viſibili ſpecie, ſatis notum eſt. Angelos ſiquis adoret loco Dei, vel arcanum aliud numen ſtulte imaginetur, hac Lege reum teneri nullus negabit. Vendicat ergo Deus ſibi etiam cordium affectus, ut ſpiritualiter ſolus colatur. Atque huc non inepte referri poteſt particula Coram facie mea: quia etſi hominum oculos latet eorum impietas qui ad perverſos cultus clam degenerant, & intus fovent ſuos errores, Dei tamen cognitionem non effugiet eorum hypocriſis & perfidia. Hinc etiam ſequitur, non rite coli unicum Deum niſi ſeparetur ab omnibus ſtigmentis. Quare non ſufficit ejus nomen obtendere, niſi corruptelæ omnes verbo ejus adverſæ faceſſant. Unde emergit diſcrimen veræ religionis à pravis ſuperſtitionibus. Quando enim præſcripſit Deus quomodo velit à nobis coli, ubi vel tantillum deflectimus ab hac regula, deos alienos nobis ſtatuimus, illum in ordinem cogendo.

Loci

Loci ad præcepti hujus expoſitionem ſpectantes.

Ex Deut. VI.

4. Audi Iſraël, Jehova Deus noſter, Deus unus eſt.

Ex Deut. VI.

13. Jehovam Deum tuum timebis, & ipſum ſolum coles.

Item ex Deut. X.

20. Jehovam Deum tuum timebis, eum coles, eique adhærebis.

Item ex Deut. VI.

16. Non tentabitis Jehovam Deum veſtrum, ſicut tentaſtis in Maſa.

Deut. 6. 4. *Audi Iſraël.*] Quod Moſes Deum unum eſſe aſſerit, non ad ſolam ejus eſſentiam, quæ incomprehenſibilis eſt, reſtringitur: ſed intelligi etiam debet de virtute & gloria quæ populo innotuerat. Quaſi diceret, defectionis reos fore niſi in ſolo Deo acquieſcant, qui ſibi eos devinxerat. Ideo non modo Jehovam appellat, ſed ſimul addit Deum illius populi quem alloquitur. Ita omnes aliæ deitates in nihilum rediguntur, & jubetur populus fugere & deteſtari quicquid à pura Dei cognitione mentes abducit: quia etſi relinquitur ei ſuum nomen, majeſtate tamen ſua exuitur, ſimulac miſcetur in turba. Ideo per Ezechielem dicit, Ite, ambulate quiſque poſt idola *Exe. 20. verſ. 39.* veſtra. Quibus verbis non ſolum repudiat omnes mixturas, ſed teſtatur malle ſe pro nullo duci quam non coli in ſolidum. Scite tamen orthodoxi Patres contra Arrium hoc loco uſi ſunt: quia quum paſſim Chriſtus vocetur Deus, haud dubie ille eſt idem Jehova qui ſe unicum Deum proounciat: quod & de Spiritu ſancto eadem ratione aſſeritur.

Deut. 6. 13. *Jehovam Deum tuum timebis.*] Hinc melius liquet quorſum nuper dixerit unum eſſe Deum, nempe ut uous in ſolidum colatur: quia niſi in ipſo ſolo defixæ ſint mentes, diſtrabitur in varias partes religio: quam diſtractionem mox ſequitur errorum labyrinthus. Primo autem reverentiam exigit, deinde cultum qui illam teſtetur ac demonſtret. Porro timor ſubjectionem in ſe continet, dum ſe homines Deo addicunt, quia illos in ordinem cogit formidabilis ejus majeſtas. Hinc naſcitur cultus, pietatis teſtis. Sed notandum eſt, timorem de quo hic præcipitur, voluntarium eſſe, ut nihil magis cupiaot homioes quam obedire Deo. Quum ergo dixi nos à Deo ſubjugum cogi potentiæ & magnitudinis ſuæ ſenſu, non intellexi extorqueri violentum & ſervile obſequium: tantum dicere volui, non ante adduci poſſe homioes ad parendum Deo, quam timore ſubacti fuerint: quia ingenita illis pravitas ſemper religionis contemptum & licentiam ſecum trahit. Itaque apud Jeremiam, ut ad timorem homines hor- *Jerem. 5. verſ. 22.* tetur, terribilem ſuam potentiam proponit io frenando maris impetu: qui tamen metus veros ejus cultores longius adducit. In altero loco quem ex 10. capite Deuter. ſubjecimus, Adhærendi verbum rurſus confirmat, ſimulac vel tantillum à Deo homines deflectunt, vitiari ejus cultum. Huc enim ſpectat conjunctio ad quam ſuos cultores vocat, ut ei quodammodo agglutinati non alio reſpiciant.

Deut. 6. 16. *Non tentabitis Jehovam.*] Quum hæc doctrina haud dubie ad primum præceptum referri debeat, ex ea colligimus, hoc præcipuum eſſe caput pietatis, Deo tribuere quod ſuum eſt, nec quicquam ex jure quod ſibi vindicat, detrahere. Incredulitas (ut ante vidimus) fons & cauſa tentatioois fuit in Maſa: quia quum neque in Dei providentiam recumberet populus, neque in paterno ejus amore acquieſceret, erupit ad impatientiam, atque huc tandem prorupit ut Deum ſibi adeſſe non puraret niſi improbæ ejus cupiditati obſequeretur. Videmus ergo Deum non alirer recte coli niſi ubi propriis virtutibus ornatur. Unde etiam apparet non poſſe à fide divelli veram pietatem: quia ſi in Deo agnoſcimus reſidere quicquid optandum eſt boni, omnia ab eo expectabimus & petemus: patienter etiam & æquis animis feremus nos ejus arbitrio regi: denique nos & vitam ooſtram in ejus manum trademus.

Ex Levit. XIX.

1. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,
2. Loquere ad univerſum cœtum filiorum Iſraël, & dic eis, Sancti eſtote, quia ego ſanctus Jehova Deus veſter.

1. *Loquutus eſt Jehova.*] Huc tendit exhortatio: primum ne Dei cultum metiantur ex ſuo ipſorum ingenio, ſed ex illius potius natura: deinde ut à ſtudio puritatis incipiant. Nihil enim difficilius quam homines exuere affectus carnis ut ſe ad Dei imitationem forment. Adhæc libenter torpent io ſuis ſordibus, & externam pietatis ſpeciem ad eas tegendas obtendunt. Hic ergo ad Dei imiratioonem revocantur, qui eos adoptando, imaginem ſuam geſtare voluit, ſicuti filii probi & oon degeneres patrem referunt. Si quis Deum ſanctitate æquare ſtudeat, veſana erit æmulatio. Sed quanquam ab Angelis quoque longiſſime diſtant vel perfectiſſimi quique, non tamen obſtat minimi cujuſque imbecillitas quomiousad Dei exemplum aſpiret. Atque ad hoc caput pertinent omnes ceremoniæ quibus veterem populum Deus ad ſanctitatem exercuit, ut poſtea videbitur. Etſi autem non ſemel occurrit hæc ſenreotia, quia tamen in illis locis ad confirmationem ſpecialibus præceptis annectitur, doctrinam generalem nunc ex hoc loco tenere ſufficiat.

Ex Deut. VI.

14. Non ambulabitis poſt deos alienos è diis populorum qui undique circum vos ſunt:
15. Quoniam Deus zeloles Jehova Deus tuus in medio tui eſt: ne forte iraſcatur furor Jehovæ Dei tui in te, & diſperdat te è ſuperficie terræ.

14. *Non ambulabitis.*] Hoc loco vetat Moſes populum à ſimplici Dei cultu deflectere, quamvis hinc inde verſentur ob eorum oculos ſuperſtitionum exempla. Erat enim hæc valde noxia tentatio, nuſquam reperiri qui Legis doctrinæ ſubſcriberent: quum apud ſingulas gentes aliqua vigeret religio, aut ſaltem nominaretur. Quoniam ergo varii cultus totidem eſſent diſtractiones à recta via, neceſſe fuit periculo mature occurrere, & ita ſtabilire unius Dei auctoritatem, ut gentium omnium conſenſum vilipendere Judæi auderent. Additur comminatio, in promptu fore vindictam, ſi ad ſuperſtitiones deſciſcant: quoniam Deus ſit zelotes, & inter ipſos reſideat. De priore voce plura dicturus ſum in ſecundum præceptum. Hoc interea teneant lectores, Deum vocari zelotem, quia nullam æmulationem admittit quæ detrahat ejus gloriæ, nec ſuſtinet cultum ſibi uni debitum alio transferri. Quum ſe in medio populi habitare admonet, partim ex præſenti aſpectu terrorem incutit, partim vero oblique perſtringit eorum ingratitudinem, ſi ipſo relicto, deos ſibi è longinquo accerſant.

Ex Deut. XVIII.

9. Quum tu ingreſſus fueris in terram quam Jehova Deus tuus dat tibi, ne diſcas ad faciendum ſecundum abominationes gentium iſtarum.

* ad verbum, *tranſire faciat.*

10. Non invenietur in medio tui qui * traducat filium ſuum, vel filiam ſuam per ignem, qui divinet divinationes, augur, magus, & incantator,

† vel, *ariolus.*

11. Colligans colligationes, conſulens Pythonem, † prognoſtes, & qui ſciſcitatur à mortuis.

12. Abominatio enim eſt Jehovæ quiſquis facit hæc: & propter abominationes iſtas evellit eos Jehova Deus tuus à facie tua.

13. Integer eris cum Jehova Deo tuo.

* vel, *ariolos.*

14. Nam gentes iſtæ quas tu obtinebis, attentæ ſunt ad * prognoſtas & ad divinos: quod ad te, non ita permiſit tibi Jehova Deus tuus.

9. *Quum tu ingreſſus.*] Quam cupide mala exempla arripiat humanum genus, & quam proclive ſit ad eorum imitationem, experientia plus ſatis notum eſt: præſertim qui in alienam terram veniunt, facile aſſueſcunt ad mores & ritus. Hæc ratio eſt cur diſerte Deus cavere jubeat Iſraëlitas ne terram Chanaan ingreſſi, quicquam contagionis ab ejus incolis contrahant. Generalis quidem eſt doctrina: ſed periculo quod propius inſtabat, occurrere neceſſe fuit. Porro dilucide hoc loco exponit Moſes quid ſit habere deos alienos, nempe profanas mixturas involvere cum Dei cultu: cujus puritas hac una ratione aſſeritur, ubi faceſſunt omnes alienæ ſuperſtitiones. Summa igitur eſt, ut abſtineat populus Dei ab omnibus hominum commentis, quibus pura & caſta religio adulteratur. Nam in genere voluit Deus arcere cultores ſuos ab omnibus fallaciis quibus ab initio Satan deluſit ac faſcinavit miſeros homines. Species tamen quaſdam enumerat quæ uſu & conſuetudine magis invalucrant. Verum quo certius nobis pateat Dei conſilium, tenere convenit quid ipſi in his quæ damnat vitiis diſpliceat. Quum naturaliter homines ſcire appetant, etiam in ſuperſtitioſis cupiditas à bono principio ſemper manavit: utpote quam Deus omnium mentibus indidit, quum genus noſtrum à brutis animalibus diſtinctum vellet. Jam & hoc reprehenſione caruit, quod homines ignorantiæ ſuæ conſcii non putarunt aliam ſciendi viam ſibi tenendam eſſe, quam ut Deum conſulerent. Atque hoc unum Gentibus propoſitum fuit, quum magos & ariolos conſulerent, ſcientiam qua ſe deſtitui videbant, è cælo petere. Ita dubium non eſt quin ſe in tenebris demerſos eſſe confeſſi ſint, & lucem intelligentiæ ſingulare eſſe Dei beneficium. Unde & nomen Divinationis: quia perſuaſum illis erat res arcanas non comprehendi humano captu, ſed hanc cognitionem divini eſſe inſtinctus. Verum (ut ſuis artificiis quæ per ſe recta ſunt diabolus pervertit) hæc naturæ quæ diximus ſemina duobus vitiis corrupta ſunt: quia & immodica cupiditas plus ſciendi quam fas eſſet, mentibus obrepſit, & illicitos deinde ſciendi modos captarunt. Ex his fontibus, nempe ſtulta curioſitate, & nimis licentioſa temeritate, vel audacia, profluxit quicquid ſuperſtitionum & errorum in mundo graſſatum fuit. Ideoque duabus his peſtibus occurrit Deus, artes magicas vetando: quæ in hoc perperam excogitatæ ſunt ut eruerent & in lucem proferrent quæ ipſe voluit abſcondita. Optima enim ſciendi ratio eſt ſobrietas, ut ſufficiat cognoſcere quantum expedit. Altius tulit homines ſua libido, ut in profundiſſima quæque arcana penetrare cuperent. Alterum vero quod attigi, multo deterius, quod perverſis modis res occultas exquirere tentarunt. Videbimus paulo poſt, Deum quoque res futuras prædixiſſe per ſervos ſuos: ſed non niſi quatenus expedire noverat, ac tantum eo conſilio, ut palam faceret peculiarem ſe curam Eccleſiæ gerere. Atqui ut infatiabilis eſt hominum curioſitas, non reſpiciunt quid ſibi utile ſit: ſed exemplo Adæ volunt eſſe diis ſimiles, & omnia ſine exceptione ſcire. Quum tam improbis votis non indulgeat Deus, ſe ad diabolum patrem mendacii transferunt: ſub fallaci tamen nominis Dei prætextu, ut dictum eſt. Hæc tot vanitatum origo, quibus ſemper mundus fuit implicitus. Jam ad ſpecies deſcendo.

10. *Non invenietur in medio tui.*] Horribilis hic furor ac omnino prodigioſus, quo dementatæ fuerant Gentes, Judæos quoque poſtea invaſit, ut filios immolarent atque etiam comburerent in honorem deorum quibus ſe addixerant. Quanquam probabile eſt, bonam partem non exarſiſſe tanta veſania: ſed ſuperſtitione levius eſſe defunctos, quum ſciliceet liberos ſuos tantum per flammam trajicerent. Hoc illis fuit luſtrationis genus ad omnes ſordes expiandas. Sed multos ad mactationem uſque impulit crudelis ille zelus, ut ne proprio quidem ſanguini parcerent. In quo tamen Abrahæ exemplum jactabant: acſi quicquam eſſet ſimile inter obedientiam ſancti viri, qui præeunte Dei mandato filium ſuum Iſaac immolare paratus fuit, & inter barbarum populi impetum, qui vetante & reclamante Deo liberos ſuos jugulavit. Cæterum in hoc tam fœdo ſpectaculo videmus quanto ardentius ferantur homines ad impios cultus quos illis dictavit ſua temeritas, quam ad ſtudium rite colendi Dei, ubi palam & diſerte præcipit quid rectum ſit. Hæc quidem prima parentum cura eſſe debet ut liberos ſuos Deo conſecrent: ſed unicus apud Judæos initiandi ritus fuit Circumciſio, quo contentos eſſe oportuit. Recenſet deinde Moſes divinationum ſpecies, quibus profanæ gentes deditæ fuerunt, ut ſtultam pluſquam fas eſſet ſciendi cupiditatem explerent. Quanquam non improbo quod quibuſdam placet, primo loco genus poni, deinde adjungi partes. In quibus explicandis brevis ero: nec refutandis ſingulis opinionibus inſiſtam: etſi quoſdam etiam ex Rabinis craſſe hallucinari certum

tum est. Nomen מעון libenter recipio deductum esse à nubibus: ideoque vel prosaguribus, vel pro astrologis judiciariis accipi consentaneum est. Sunt qui radicem hujus vocis esse malunt מען quod locum Hebræis significat. Atque hæc etymologia non male quadraret fanaticis qui ex astrorum situ omnia divinant: quia tam planetis quam signis zodiaci stationes suas assignant ad mutuos respectus. Hoc quidem probe convenit, tam auguria hoc loco, quam frivolas astrorum observationes damnari: dum scil. homines præpostere curiosi, astris subjiciunt omnes rerum eventus. Nomen מנחש quod sequitur, Divinum vel ariolum significat: quod satis liquet ex 44. capite Geneseos, ubi Joseph se in scypho divinasse simulat, quia vulgo putabant arte vaticinandi præditum. Ac nomen etiam hinc serpentibus inditum propter astutiam. נכשף quidam interpretantur præstigiatorem, qui oculos spectris objectis perstringat, ac deludat. Sequitur quintum, quod vertimus Colligans colligationem: quo nonnulli intelligunt incantatores, qui magicis artibus cogunt serpentes in unum locum. Quod meo judicio frigidum est: itaque aliis potius assentior, qui notari volunt evocationes dæmonum. Verum quia commode verti potest, Colligens, vel committens cœtum, non prorsus repudio quod alii tradunt, referri ad imaginarios conventus: ad quos miseri homines (quos Diabolus fascinavit) se rapi somniant, ut simul epulentur, saltent, & nefandis conspirationibus se obligent. Vulgo synagogas nominant. In sexto nulla est ambiguitas, ubi vetatur populus consulere Pythonem. Sic enim proprie Hebraicum nomen אוב vertere licet post Lucam, fidum & idoneum interpretem, dum narrat spiritum Pythonis Pauli voce ejectum ex puella. Et interdum Scriptura אובות vocat quicunque dæmones eliciunt ad danda responsa: cujus fallaciæ insigne exemplum memoratur in sacra historia de Pythonissa, quæ Samuelem mortuum Sauli ostendit. Pythonem Græci verterunt, quod in primis celebres erant præstigiæ Pythii Apollinis. Septimus ordo est ידעני, qui recte dici possunt gnostæ, vel cognitores. Neque enim dubito quin honorificum hoc nomen fallendi causa obtenderent: quod impostoribus minime novum est. Sic olim Genethliaci & similes pro Mathematicis se venditarunt. Et hic est astus Satanæ, furari honesta virtutum & rerum bonarum nomina, quibus integumentum suis mendaciis faciat: sicuti Ægyptiis & Chaldæis impostoribus nomen Sapientum imposuit. Ergo quum Prophetæ dicantur Videntes, vana falsorum vatum prognostica opposuit, quæ simplices obstupefaceret. Nam quod quidam nomen hoc ab ave deducunt, nimis puerile est figmentum: ac miror in re aperta adeo turpiter delirasse, dum argutiam de nihilo affectant. Ultimo loco damnatur necromantia, hoc est, fallax & delusoria vaticinandi scientia ex mortuorum responsis: quam perperam quidam restringunt ad eos qui dormiunt ad sepulchra, ut mortuos per somnium loquentes audiant: quia pluribus modis stulti homines colloquia cum mortuis captarunt. Porro discamus ex hoc loco, quoties Deus frenum Satanæ laxat, quam prodigiosis ludibriis fascinet miseros homines, & quantam fallendi efficaciam obtineat ille mendacii pater ex justa Dei vindicta, ad excæcandos incredulos. Nam quod à nasutis hæc tanquam fabulosa ridentur, id fit supino contemptu: quia non reputant quam horribili judicio digni sint, qui lucem sponte extinguendo, tenebras sibi accersunt. Pretiosior enim Deo est sua veritas, quam ut eam rejici impune sinat. Certe sacrilega esset audacia, negare unquam in usu fuisse artes magicas: quia hoc modo Deus incogitantiæ arguereturus, acsi Legem tulisset de rebus quæ nullæ erant. Quod objicitur absurditas, sic nimium extolli Satanæ potentiam acsi in ejus manu essent prædictiones, quas Deus uni sibi vendicat: deinde posset miscere vivorum colloquia cum mortuis; & convertere rerum formas: solutio facilis est. Quod ad vaticinia spectat, nihil opus est subtiliter disputare unde res occultas præscitcat Satan (in qua parte nimis anxiè, meo judicio, se torsit Augustinus) quia supervacuus est ille labor, si tenemus justo Dei judicio permitti diabolis aliquam vaticinandi speciem, qua incredulos magis ac magis decipiant: sicut alibi fusius tractandum erit. Interea scimus, omnibus falsorum deorum oraculis per flexiloquas ambages derisos fuisse incredulos, ut sero tandem eventu sentirent se illaqueatos fuisse lethalibus decipulis. Itaque jure apud Jesaiam Deus omnibus idolis abrogat futuri temporis scientiam. Id tamen non obstat quominus Satanæ aperiat quædam abscondita, quorum prædictione, quasi fallaci gustu, deliniat reprobos. Fateor certe Romanos augures, temporis progressu, abjecta augurandi cura, crassis tantum figmentis abusos fuisse ad fallendum vulgus. Verum nisi olim vel maxime perspicaces Satan hoc artificio in errorem traxisset, non totics in præcipuis Cyri laudibus poneret Socraticus Xenophon, augurii fuisse intentum, & ita edoctum à patre. Denique temporum omnium experientia convincit, homines perverse curiosos fæpe à Satana per magos didiciste quod humanitus cognosci non poterat. De operum effectu, sive mortuos excitet, sive fascinet homines & bruta animalia, sive incantationibus novas facies rebus induat, sic habendum est, quæcunque videtur edere miracula, meras esse præstigias. Atque, ut est pater tenebrarum, certum est nihil posse nisi apud incredulos, quorum obtenebratæ sunt mentes, ut album à nigro non discernant. Videmus tamen ante ut magi Pharaonis æmulati sint in miraculis Mosen. Quare nihil mirum si Dei permissu vel elementa turbet, vel morbis & aliis noxis infestet reprobos, vel oculis phantasmata objiciat. Quo magis rogandus est nobis Deus ut hostem compescat tot pestiferis artibus cohirta nos instructum.

Alter.16. vers.16.

1 Sam.28. vers.7.

Jesa. 41. vers. 23.

12. *Abominatio enim est Jehovæ.*] Primum Dei auctoritatem vult esse instar freni ad ipsos regendos, deinde vindictam illis proponit, quam paulo post visuri erant advetsus gentes: imo cujus ipsi exequutores & ministri erant futuri. Quum enim minime obscurum illis esse posset, indigenas terræ Chanaan non evulsum iri ex tranquillis sedibus nisi Dei manu, causam excidii hanc assignat, quod se & terram facrilegis illis & nefandis superstitionibus polluerant. Tam insigni igitur exemplo eos deterret, ne scelera imitentur quæ Deum tam graviter ulcisci eventus ipse monstrabat. Sicuti Paulus fideles admonet, diligenter cavendum esse à peccatis quæ irain Dei concitant contra inobedientes.

Ephes. 5. vers. 6.

13. *Integer eris.*] Respicit ad fidem mutuam sacri fœderis, quo ut se obstrinxerat Judæis, ita vicissim eos sibi devinxerat, ne se idolis prostituerent, vel appeterent alienas religiones, quæ huc illuc abstrahunt mentes hominum. Hæc igitur integritas opponitur omnibus mixturis vel corruptelis quæ à sincero Dei unius cultu nos abducunt: quia simplicitas quæ nos continet in cælestis doctrinæ obedientia, spiritualis est castitas, quam exigit Deus ab Ecclesia sua. Et circumstantia loci hoc satis clare probat, Deum ab omni licentia cohibere Judæos, ut suo imperio addicti non circumspiciant in diversas partes, nec ferantur vana levitate, sed constanter maneant in puro cultu quem illis præscripserat. Hac ratione Paulus se pro Christo zelotypum esse asserit: & quia Corinthios Christo adjunxit, se metuere, ne sicut Evam decepit serpens sua astutia, ita impostorum illecebris inducti, excidant à simplicitate quæ est in Christo.

2 Cor. 11. vers. 2.

14. *Nam gentes istæ.*] Sicuti quam Deus pœnam sumpturus erat de gentibus, nuper proposuit ad

terrorem: ita nunc admonet hac lege vacuam hæreditatem tradi Judæis, ut tanti beneficii memores ab omnibus inquinamentis ſibi caveant: & ideo priſtinis terræ incolis ſuccedere, ut ſint ab illis ſeparati. Quorſum enim illa mutatio niſi ut novum populum ſibi acquireret Deus, terramque omni immunditia purgaret? Porro tametſi duas tantum ſpecies ſuperſtitionum tepetit, per ſynecdochen tamen omnes alias deſignat. Summa eſt, ne gentibus fiat ſimiles in vitiis & corruptelis, quæ illis fuerant exitii cauſa: quando non tantum homines profligaverat Deus, ſed perverſos quoque eorum ritus. Secundam partem verſus quidam in duas ſententias dividunt, Tu autem non ſic facies: deinde, Jehova dat tibi; & ſubaudiunt terram. Ego autem non dubito, quin pronomen תֵּן ſic reſolvi debeat, Quantum vero ad te. Proinde uno contextu legendum ceenſeo, Non ſic tibi permiſit Deus. Nam ſignificatio verbi נָתַן late patet. Summa huc tendit, ut plures ſit illis Dei prohibitio quam gentium exempla.

15. Prophetam è medio tui, ex fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Jehova Deus tuus: illum audietis.

16. Secundum omnia quæ petiiſti à Jehova Deo tuo in Horeb, in die conventus, dicendo, Non adjiciam audire vocem Jehovæ Dei mei, & ignem hunc magnum non videbo amplius, ne moriar.

17. Et dixit Jehova ad me, Bene egerunt in eo quod loquuti ſunt.

18. Prophetam ſuſcitabo illis è medio fratrum ſuorum ſicut te, ponamque verba mea in ore ejus: loqueturque ad eos quæcunque ei mandavero.

15. *Prophetam è medio.*] Hoc per anticipationem additum eſt, ne exciperent Iſraëlitæ, deterius ſecum agi quam cum totius mundi populis. Fuit enim ſemper (& quidem merito) ſingularis boni loco habitum cum Deo communicare, ſicuti nihil eſt optabilius. Invaluerat autem opinio, magicis artibus, Pythonum reſponſis, ſcientia augurandi homines ad Deum propius accedere. Secum ergo male agi conqueſtus fuiſſet populus Iſraël, ſi ab omnibus vaticiniis & reſponſis fuiſſet excluſus. Huic querimoniæ vel objectioni occurrit Moſes, pronuncians non minus familiarem ad Deum acceſſum illis fore, quam ſi palam ipſe deſcenderet è cælo: modo rectam viam teneant, & ratione, quam optimam eſſe cenſuit, contenti ſint. Itaque Propheticam doctrinam pro omnibus Gentium commentis unam apud ipſos vigere jubet. Ita ſignificat, quamvis non palam deſcendat è cælo Deus, illis tamen, quatenus expediet, voluntatem ejus certam & clare notam fore, quia per ſervos ſuos Prophetas fideliter eos erudiet. Qua ratione apud Jeſaiam, ubi falſorum deorum vaticinia derifit, Iſraëlem nominat teſtem ſuum: ut pote apud quem ſua arcana & cæleſtis ſapientiæ theſauros depoſuerat. Videmus jam deſignari modum quo Deus vult populum ſuum ſcifcitari de rebus ad ſalutem neceſſariis: quod ex 8. cap. Jeſaiæ clarius patet, Si dixerint vobis, Inquirite à Pythonibus & divinis: annon populus Deum ſuum conſulet? à vivis ad mortuos? ad Legem & ad teſtimonium. Nec dubium eſt quin ex hoc loco doctrinam illam ſumpſerit Jeſaias: ubi damnatis erroribus quos ſibi excogitant curioſi homines, jubet fideles ſimpliciter ad Legem attendere: & hac diſcendi regula contentos eſſe jubet, niſi velint miſere vagari. Hinc colligimus in nomine Prophetæ eſſe enallagen numeri. Nam quod nonnulli ad Joſue, alii ad Jeremiam reſtringunt, prorſus ioſuſſum eſt: quando hic de continuo regeodæ Eccleſiæ teoore diſſerit Moſes, non autem recitat quid facturus ſit Deus ad breve tempus. Nihilo rectior eſt eorum ſententia qui præciſe de ſolo Chriſto accipiunt. Nam illud quod dixi Dei conſilium tenere convenit, non relinqui Judæis excuſationem ſi ad Pythones vel magos declinent, quia Deus nunquam eos deſtituet Prophetis & doctoribus. Quod ſi ad ſolum Chriſtum eos ablegaſſet, in promptu erat exceptio, durum eſſe per duo annorum millia carere Prophetis & revelationibus. Nec firmæ ſunt duæ illæ rationes quibus inſiſtunt quidam, Prophetam cui teſtimonium reddit Moſes, excellentiorem eſſe ſuo præcone: deinde non poſſe hoc elogium aptari veteribus Prophetis, ſimiles fuiſſe Moſi, quum alibi dicatur nullum ſimilem poſtea ſurreaiſſe. Neque enim quicquam decedit ea ejus dignitate, ſi alios vel pares vel minores commendet, ut audiantur quicunque à Deo miſſi fuerint. Quod ad comparationem ſpectat, non ſemper hac particula Sicut, notatur æqualitas. Verum igitur eſt nullum Prophetam fuiſſe ſicut Moſen, nempe qui par eſſet omnibus modis, vel in quo fulgerent tantæ dotes. ſed non minus verum eſt, fuiſſe omnes ſimiles Moſi: quia Deus continua ſucceſſione doctores Eccleſiæ ſuæ præfecit qui idem munus obirent. Quo pertinet illud, Lex & Propheiæ uſque ad Joannem, &c. ubi videmus Moſi alios ſubſtitui tanquam collegas in guberoanda Eccleſia, uſque ad Chriſti adventum. Quanquam ſcite Petrus & concinna analogia teſtimonium hoc ad Chriſtum accommodat: non ut excludat reliquos Dei ſervos, ſed ut admoneat Judæos, ſi rejicitur Chriſtus, ſimul repudiari hoc inæſtimabile Dei beneficium. Sic enim donum Prophetiæ viguit in populo veteri, & ſubinde alii aliis additi ſunt doctores, ut aote Chriſti adventum quædam fuerit interruptio. Ideo in triſti diſſipatione quæ reditum ab exilio Babylonico ſequuta eſt, queruntur fideles in Pſalmo, ſigna ſua jam non conſpici, nec ea tare amplius Prophetam. Io hunc finem hortatur Malachias populum ut recordetur Legis datæ in Horeb. Et continuo poſt ſubjicit, Ecce, mitto Eliam Prophetam, &c. acſi diceret ioſtare tempus quo perfectior manifeſtetur doctrina, & lux plenior affulgeat. Vere enim dicit Apoſtolus, ſæpe olim Deum & pluribus modis loquutum fuiſſe patribus per Prophetas: tamen extremis diebus loquutum fuiſſe nobis in unigenito Filio. Et certe exoriente Evangelii doctrina completus fuit doctrinæ Propheticæ curſus, quia in ſolidum exhibuit Deus quod hic promittit. Adeoque id paſſim tritum fuit, ut Samaritana quoque mulier diceret ventrum eſſe Meſſiam qui doceret omnia. Quo pertinet quod nuper citavi de tranſitu à Lege & Prophetis ad Evangelium. Unde conficitur, aptiſſime expoſitum fuiſſe à Petro locum hunc de Chriſto. niſi enim Deum mendacii arguere vellent Judæi, neceſſe fuit eos ad Chriſtum reſpicere, per cujus manum promiſſa erat & doctrinæ ſtabilitas, & rerum omnium inſtauratio. Pridem deſtituebantur Prophetis, quos teſtatus fuerat Moſes nunquam ipſis defore, & quos promiſerat legitimos fore miniſtros retinendi in obſequia populi, ne ad ſuperſtitiones deflecterent. Ergo aut nulla ipſis erat religio, aut exſpectandus erat ſummus ille doctor, qui unus impleret omnes numeros Prophetici muneris. Jam notandæ ſunt circumſtantiæ, quibus Judæos in ſobrietate retinet. Fuit hoc non vulgaris indulgentiæ, quod Deus è populo illo Prophetas ſibi ſumpſit, ne opus eſſet longius curſitare ad petenda oracula, & ſimul ut familiariter pro ſuo modulo docerentur.

Jeſa. 43. verſ. 1.

Deut. 34. verſ. 10.

Mat. 11. verſ. 13. Luc. 16. verſ. 16. Act. 3. verſ. 18.

Pſal. 74. verſ. 9.

Mal. 4. verſ. 4.

Hebr. 1:1.

Joan. 4. verſ. 25.

Mat. 11. verſ. 13. Luc. 16. verſ. 16.

Quod

Quod autem alios Prophetas ſibi comparat Moſes, ad commendationem doctrinæ ipſorum valet. Aſſueverant longo uſu ad hanc diſciplinam, ut Deum ore hominis loquentem audirent: & ſt.bilita erat Moſis auctoritas, ut certo perſuaſi eſſent ſe divinitus gubernari, & ſibi patefieri quicquid ad ſalutem ſufficeret.

16. *Secundum omnia quæ petiiſti.*] Ingratitudinis reos agit, niſi Prophetis ſe placide ſubjiciant: quoniam hac in parte eorum voto Deus obtemperet. Nam quo amabilius illis eſſet majoreque in pretio munus Propheticum, ac ne propter aſpectum mortalis hominis vileſceret, hanc illis confeſſionem Deus extorſit, nihil eſſe melius quam ut interpretes ex hominibus eligerent. In Legis promulgatione palam reſplenduit viſibilis Dei majeſtas, cujus ſenſu expaveſacti, ultro Moſen ſibi dari optarunt doctorem, & cæleſtis vocis præconem. Quam utilis fuerit terror ille ad commendationem doctrinæ quæ per homines prædicatur, ante viſum eſt. Vanis ſpeculationibus in ſublime ferri noſtra ingenia, plus ſatis experimur. Ita vellemus Deum, quoties obrepit aliqua dubitatio, è cælis elicere. Convinci ergo ſuæ imbecillitatis Iſraëlitas neceſſe fuit, ne captum ſuum tranſcenderent: ſed quod Dominus illis utile eſſe proviſerat, ſummi beneficii loco expeterent: & ſimul valedicerent ſuperbæ curioſitati, quæ ſemper eos titillaſſet, niſi remedio adhibito mature fuiſſet correcta. Ejus autem doni, quod ſibi optimum eſſe judicarunt, minime excuſabile fuiſſet faſtidium. Summa eſt, Deum ſemel apparuiſſe ut Propheris ſuis fidem & auctoritatem acquireret: ordinem vero regendæ Eccleſiæ, & teſtandæ ſuæ voluntatis inſtituiſſe quem populus ipſe experientia cognoverat ſummopere ſibi eſſe utilem.

17. *Bene egerunt.*] Recitat Moſes judicio & voce Dei fuiſſe comprobatum illud votum. Neque enim ſi ſtulta levitas homines impulerit ad aliquid præpoſtere optandum, ideo ratum id protinus eſſe debet: ſed ubi accedit Dei conſenſus & quaſi ſuffragatio, quod ſibi placere oſtendit, fixum & inviolabile ſtare debet. Unde ſequitur, Deum in mittendis Prophetis, ut maxime expedit, conſulere hominum ſaluti. Porro quod ſurgunt pii doctores qui fideliter viam ſalutis monſtrent, hoc aſſerit ſingulare eſſe favoris ſui teſtimonium: laudemque ſibi vendicat, quum ſecundo repetit, Suſcitabo Prophetam. Sicut & Paulus docet, Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Et ſane, eodem teſte Apoſtolo, ad hanc proviciam nemo reperietur idoneus: ſed facultas recte docendi à Deo eſt. Unde ſequitur, Deum certo præſentiæ ſuæ ſymbolo favorem ergà nos ſuum teſtari quoties Spiritus ſui dotibus illuſtrat, & in medium producit fidos probosque doctores. Poſtea admonet Moſes, Deum ſic gubernare Eccleſiam ſuam hominum manu & opera, ut ſibi nihil deroget. Sibi enim hoc proprium retinet, quaſi in os ſuggerere Prophetis quod loquantur, nec plus illis permittit quam loqui & proferre quæcunque mandaverit. Videmus ergo creatos ab initio fuiſſe Paſtores, non ut dominarentur ipſi, vel ſuis commentis Eccleſiam ſubjicerent: ſed tantum ut Spiritus ſancti eſſent organa. Atque hodie qui plus licentiæ uſurpant, cum ſacrilega ſua tyrannide procul abigendi ſunt.

Rom. 10. *verſ.* 15. 1 *Cor.* 2. *verſ.* 14. & 4: 1.

Ex Deut. XIII.

1. Quum ſurrexerit in medio tui Propheta, vel qui ſomnium ſomniabit, & dederit tibi ſignum vel portentum,

2. Eveneritque tibi ſignum & portentum quod dixerat tibi, dicendo, Eamus poſt deos alienos quos non noſti, & colamus eos:

3. Non obedies verbis Prophetæ illius, aut ſomnium ſomniantis: quia tentat vos Jehova Deus veſter, ut ſciat an diligatis Jehovam Deum veſtrum toto corde veſtro, & tota anima veſtra.

4. Poſt Jehovam Deum veſtrum ambulabitis, illumque timebitis, ac præcepta ejus cuſtodietis: voci ejus obedietis, & eum coletis, eique adhærebitis.

Ex Deut. XVIII.

21. Quia ſi dixeris in corde tuo, Quomodo cognoſcemus verbum quod non loquutus fuerit Jehova?

22. Quando loquetur Propheta in nomine Jehovæ, & non extiterit res illa, neque evenerit: ſermo eſt quem non loquutus eſt Jehova. per ſuperbiam enim loquutus eſt Propheta ille: ne timeas ab eo.

Poſtquam à peregrinis Gentium fallaciis Iſraëlitas retraxit Moſes, nunc etiam vetat, ne, ſi inter ipſos exoriantur falſi doctores, ſe nimis credulos præbeant: ac ſedulo caveant ab omnibus novis commentis, nec ullius impulſu vel tantillum à Lege deflectant. Neque enim à profeſſis ſolum & manifeſtis hoſtibus, vel exteris ſuperſtitionibus periculum eſt: ſed per intelligas quoque fraudes inſidiatur Satan, & ſacro Dei nomine ad fallendum abutitur. Ergo piorum fidem non tantum verbi clauſtris extra muniri & circumdari oportet, ne qua aliunde corruptela obrepat: ſed intus quoque ejuſdem verbi præſidio firmari, ne ſe furtim inſinuent nova commenta, quibus vitietur doctrinæ puritas. Porro ex hac prohibitione colligimus, eam eſſe certitudinem in cæleſti doctrina quæ fidem noſtram labefactari vel concuti non ſinat, modo in ea vivas egerit radices ac probe fundata ſit. Nam fruſtra vetaret Deus falſos doctores admittere, niſi cavendi rationem ſimul oſtenderet. Et certe nihil minus conſentaneum quam ut ambigua ſit religio: cujus regula quum fideliter præſcripta ſit in Lege & expoſita definitio, merito exigit à ſuis Deus ne vacillent, ſed conſtanter perſiſtant in veritate ſibi tradita. Vere enim de Lege prædicat Jeſaias non fruſtra illic dictum eſſe ſemini Jacob ut Deum quæreret. Atqui in Deo quærendo non ſufficeret docere quid rectum ſit, niſi in eo ſtabiliantur animi. Certa igitur & firma ſit religio neceſſe eſt, aut non erit rite compoſita. Nec vero dubium eſt, quod de Evangelio teſtatur Paulus, Legi quoque fuiſſe commune, ut diſcipulos ſuos inſtrueret contra omnium tentationum certamina, ne eſſent pueri fluctuantes & qui circumagerentur quolibet vento doctrinæ per verſutiam hominum, &c. Sed verba propius & ordine expenſa ſummam rei clarius oſtendent.

Joſu. 45. *verſ.* 16.

Epheſ. 4. *verſ.* 14.

Deut. 13. 1. *Quum ſurrexerit in medio tui.*] Jam videmus non de errorum fallaciis agi quas Satan per totum orbem ſparſerat, ſed quæ prodituræ erant ex ipſo Eccleſiæ ſinu. Aſſi diceret, Legem non ideo ſolum datam eſſe quæ Iſraëlitas à profanis gentibus ſeparet, ſed quæ integros cuſtodiat in pura fidei confeſſione. Nam ut hodie Eccleſiam Chriſtus ſibi deſponſat

2 *Cor.* 11. *verſ.* 2.

ſat per Euangelii præcones, ut inſtar pudicæ virginis ſe ſiſtat in ejus obſequium, nec ullis lenociniis ſe abduci ſinat à fidei ſimplicitate: ita olim veterem populum deſponſans ſibi Deus, juſſit aures claudere impoſtoribus: qui ſunt veluti Satanæ lenones ad violandum ſacrum illud & ſpeciale conjugii vinculum, quo Deus vult ſuis conjunctus eſſe. Huic malo cur velit Deus obnoxiam eſſe Eccleſiam, paulo poſt videbimus. Interea utile eſt de periculo admonitos eſſe fideles, ut ſint in aſſiduis excubiis ad cavendas Satanæ inſidias. Neque enim uno tantum ſeculo regnavit hæc peſtis, ſed graſſabitur uſque ad finem mundi: actenendum eſt illud Petri, Sicut olim fuerunt pſeudoprophetæ apud Judæos, ita ſub regno Chriſti fore falſos doctores, qui inducant exitiales ſectas. Cæterum non domeſticos tantum hoſtes Moſes deſignat, ſed qui Prophetico titulo ſe inſignient, quo majore licentia magiſque impune decipiant. Unde colligimus, non ſufficere gradum honoris, vel plauſibile aliud nomen, ſive Paſtoris, ſive Prophetæ, ſive Sacerdotis, niſi conjuncta ſit ſinceritas quæ vocationi reſpondeat. Quos enim hic Deus fugere & abominari jubet? nempe qui Prophetas ſe jactabant: ſed ubi probe examinati fuerint, detracta larva pudefient. Species generi ſubjicitur: quum idem ille vocatur Somniator: quia ſe Deus olim Prophetis nunc per viſiones nunc per ſomnia patefecit. Uterque ergo honorificus prætextus fuit ad conciliandum favorem. Gravior tamen quæ ſequitur tentatio, ſi prædictione aliqua ſe commendaverit. Quis enim vaticinium eventu probatum contemneret? præſertim quum pronunciet Jeſaias uni hoc Deo eſſe proprium. Augetur etiam magis dubitatio, quod Deus poſtea 18. capite hoc ſymbolo diſcernere videtur veros Prophetas à falſis. Reſpondeo, quod ſibi Deus vendicat prædictionis gloriam, id minime obſtare quin interdum Satanæ quoque miniſtris vaticinandi munus in re aliqua concedat. Deterior quovis mercenario præcone fuit Balaam, qui æterna Dei decreta evertere optaſſet: cujus tamen linguam divino Spiritus inſtinctu directam fuiſſe ſcimus, ut ejus gratiæ eſſet præco ad quam extinguendam conductus fuerat. Hæc igitur inter ſe non pugnant, aliquem eſſe perfidum impoſtorem, & tamen particulari vaticinandi dono ſimul eſſe præditum: non ut ſemper vera oracula proferat (ſicut nec Caiaphas, qui ſemel prophetavit, perpetuo fuit verax) ſed quatenus Dei permiſſu hoc vel illud prænoſcere dabitur, ut ſpecies una veritatis multorum errorum ſit integumentum. Recte tamen & aptè alibi per Moſen Deus coarguit vanitatis temerarios ſpiritus, qui promittunt quod non impletur. Spectandum eſt enim ejus conſilium. Multi ſe inſinuant clandeſtinis artibus, & tandem audacter prorumpunt qui gloriantur ſe Prophetas eſſe: dubitat populus an eos admittere debeat. Quia vero ut plurimum contingit talium hominum ſtultitiam divinitus infamia & dedecore notari, dum videt mundus futiliter loqnotos eſſe: merito reſpondet Deus expectandum eſſe eventum, ne promiſcue & abſque judicio quibvis recipiant Iſraëlitæ. Stat ergo principium, loqui in nomine Dei qui prædicuot quod reipſa evenit. Neque enim de rebus homini incognitis quod verum eſt pronunciarent niſi dictante ipſo Deo. Quo etiam pertinet Jeremiæ reſponſum ad Hananiam, Prophetæ qui fuerunt ante nos, loquuti ſunt de bello, fame & peſte: ſiquis de pace loquotus eſt, eventu comprobatum eſt quod miſſus à Deo eſſet in veritate. Polliebatur Hananias proſperum belli ſucceſſum: quia ſciebat Jeremias eum mentiri, experientiam adducit teſtem falſitatis, niſi facta dictis reſpondeant. Hactenus nulla eſt repugnantia, dum vaticinia quæcunque vera ſunt dicuntur à Deo proficiſci, & tamen idem Propheta qui verum prædixit, alia in parte eſt impoſtor. Et in primis tenenda eſt Pauli admonitio,

2 Pet. 2. verſ. 1.

Jeſa. 41. verſ. 21.

Jer. 28. verſ. 5.

Quia reprobi non recipiunt dilectionem veritatis, ut ſalvi fiant, Deum mittere efficaciam illuſionis, ut credant mendacio, ut judicentur qui non crediderunt veritati, ſed approbarunt injuſtitiam. Hinc docemur non tantum laxari Satanæ habenas ad nocendum, ſed armari potentia ut efficaciter ad extremum interitum reprobos trahat. Idem nunc docet Moſes. Nam quod de ſignis diſſentiunt interpretes Hebræi, nulla ratione oritur. Certum eſt adhibita fuiſſe ſigna quæ vaticiniis auctoritatem acquirerent; ut quum Jeſaias nudus inceſſit, Jeremias catenam collo induit. certum quoque eſt magicis incantationibus Satanam ſæpe ludere. Sed ooo dubito quin per ſigoum & portentum intelligat incredibile quidpiam & inopinatum, quod ad præſagiendum valeat. מופתים vocant Hebræi miracula quibus Deus futurum aliquid portendit, acſi è cœlis loqueretur. Generalius eſt nomen אות, quia pro vexillo, vel teſſera, vel ſymbolo interdum capitur. Utrumque hic poſitum eſt pro ſignis inſolitis, quæ teſtantur quaſi præſentem Dei potentiam: quo ſenſu admonet Chriſtus ſuos diſcipulos ut ſibi caveant à ſignis & prodigiis mendacibus. Etſi autem oculos ſpectris perſtringit Satan, ut falſa æmulatione Dei gloriam ad ſe trahat; oſtendimus tamen ex Paulo, & ante narravit Moſes, impoſtores in edendis miraculis eſſe vindictæ Dei miniſtros, ut talibus laqueis capiantur reprobi. Siquis excipiat, ſigna igitur fore inutilia, quæ tam noxiæ poſſunt eſſe decipulæ quam veri confirmationes: reſpondeo, nunquam tantum licentiæ Diabolo concedi quin per medias tenebras tandem emergat lux Dei. Continget ergo, veram Dei potentiam ad tempus obſcurari (quod ante vidimus in hiſtoria magorum) ſed nunquam obruetur. Ita in miraculis quibus Lex fuit ſancita, ſic refulſit gloria Dei ut ſine dubitatione fidem apud pios obtineant. Sic extra controverſiam ſunt miracula quæ fidem Euangelio conciliant: quia notas præ ſe ferunt divinitus inſculptas, quibus omnis fallaciæ ſuſpicio facile tollitur. Et ſane, ut craſſa hebetudine obſitæ ſunt hominum mentes, quemadmodum in ordinario curſu operum Dei cæcutiunt, ita & in miraculis ſemper fere hallucinantur, niſi ad diſcutiendam caliginem verbum Dei præfulgeat. Ergo ut io ſignis rite proficiamus, ſtatuenda eſt inſeparabilis doctrinæ cum ſignis connexio. Recte itaque Moſes eos qui ſignorum prætextu pietatem evertere volent, repudiandos eſſe docet: quia impie & ſcelerate dividunt quæ Deus conjunxit, & ſigna quæ tanquam adminicula rectæ doctrinæ ſubſerviunt, perperam detorquent in contrarium uſum. Poſtquam autem certis & evidentibus ſignis obſignata fuerat religio apud Judæos, adventitiis ſignis attendere fas non erat, nec carebat turpi ingratitudine. Nunc tenemus ſummam hujus loci, perſeverandum ſcilicet eſſe in unius Dei coltu, ut ne oſtenta quidem ad concutiendos populi animos quicquam habeant momenti. Ideo notanda eſt particula, Quos non ooſti: qua ſignificat Moſes, certius teſtatam eſſe Judæis Dei quem colunt gloriam, quam ut deflectendo huc vel illuc, excuſabilis ſit eorum levitas. atque ita opponitur cognitio, quæ infixa eſſe debebat eorum cordibus, & ſolide ſubſiſtere quibuslibet diaboli artificiis, quæ tantum inſtabiles percellunt.

1 Theſſ. 2. verſ. 10.

Jeſa. 20. verſ. 2.

Jer. 28. verſ. 20.

Mat. 24. verſ. 11.

3. *Quis tentat vos Jehova.*] Tentandi verbum quoties Deo tribuitur, non ſonat io malam partem, nec ſumitur pro inſidioſe captare, vel fraudum aucupia tendere ad irretiendos ſimplices, ſed tantum pro examinare. Explorat autem Deus hominum corda, non ut diſcat quod prius fuit incognitum, ſed ut reipſa patefaciat quod latuit. Ita ejus Scire ad experientiam tantum refertur. Frigida quidem eſt ac ſpinoſa Auguſtini ſolutio, Ut ſciat, hoc eſt, ſcire vos faciat. Sed quum ad Deum transferri humanos ſenſus paſſim tritum ſit, quid opus eſt

verba

verba torquere, quæ nihil aliud ſignificant quam Deum explorare, ut reipſa pateat quod dubium eſſe potuit? Sic tentavit Deus Abraham, dum experimentum in re ſeria ſumpſit fidei ejus, vel obedientiæ. Neque tamen huic ſententiæ repugnat quod nuper attigi, & ſæpius legitur, Deum Satanæ & impiorum opera uti ad tentandum: quia ſpectandus eſt finis ad quem probationes ſuas dirigit, unde patebit longe diſtare ejus conſilium à Satanæ malitia & dolis. Notatu autem digna eſt hæc ratio, quæ abſurditatem removet qua terreri facile erat debiles animos. Nihil enim minus conſentaneum quam ut inſultet Deo Satan, & inferos cælo miſceat, vel ad ſe impune rapiat quod Dei proprium eſt. Ergo ne talis diſceptatio bonos torqueat ac fatiget, vel perplexos teneat, mature occurrit Moſes, admonens, Deum interea non jacere otioſum vel ſtertere, depoſita Eccleſiæ ſuæ cura: ſed conſulto vocare ad examen veros cultores pietatis, ut ab hypocritis eos diſcernat. Id autem fit dum adverſus tentationum inſultus conſtanter perſtant in recta fide, neque labuntur è gradu. Idem & de ſectis pronunciat Apoſtolus, neceſſario eas in Eccleſia ſurgere, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Quare non eſt inique ferendum nec obſtrependum Deo, ſi fidei conſtantiam, quæ auro & argento pretioſior eſt, igne fornacis probari velit: ſed juſto ejus conſilio modeſte acquieſcere oportet. Si quis rurſus objiciat, quum plus ſatis nota ſit hominum imbecillitas, parum humaniter Deum facere, dum eos ſubjicit periculoſis tentationibus: in promptu eſt reſponſio. Fateor quidem, ut tener eſt carnis noſtræ ſenſus, durum hoc & à paterna Dei clementia remotum videri. Nam certe ubi ſe ingerit oculis miraculum, difficile eſt non ſuccumbere. Sed quum nullos lædit tentatio, niſi quorum impietas, quæ detegitur, jam ante convicta erat & damnata, ſinceri autem Dei cultores ſervantur immunes à noxa: quam injuſte eripietur Deo hæc libertas, ut perfidæ ſimulationi larvam detrahat? Quiſquis puro corde Deum amat, inexpugnabili cæleſtis Spiritus virtute inſtruitur, ne illaqueetur mendaciis. Hac mercede dignatur Deus ſeriam & non fictam pietatem, ut fideli ejus cuſtodia protecti quicunque recto ſunt corde, nunquam lethale vulnus ſentiant. Cur interea juſto exitio non addiceret qui ſponte appetunt perire? Nec vero mirum quod alibi pronunciat, ſe eſſe qui decipit pſeudoprophetas, nempe ut juſtam ultionem exerceat in reprobos, qui ſibi cupide mortiferas fallacias acceſſunt. Ergo quum certa ſit bonis omnibus victoria, ut inſidiæ Satanæ nihil illis ſint quam virtutis exercitia: cur in crimen trahatur Deus quod Satanæ & impiorum malitia illis materiam coronæ & triumphi parat? Tantum hoc axioma teneamus, Dei protectione ſemper tutos & ſalvos fore quicunque ex animo Deum amant ac reverentur. Eſt quidem ſingulare Dei donum, & electionis arcanæ fructus, cordis integritas. fateor: verum quando reprobos contemptus, vel ſimulationis, vel ſuperbiæ, vel pravitatis coarguit propria conſcientia, culpa defectionis quæ in ipſis reſidet, indigne in Deum transfertur. Satis igitur eſt ad refutandam carnis proterviam, & maledicta omnia, quicunque recto ſunt corde muniri Spiritus auxilio, ne Satan eos ſuis venenis inficiat, nec quenquam perire niſi volentem. Atque ita ſtatuendum eſt eos omnes qui ſalutis doctrinam, quam ſemel viſi fuerant amplecti, poſtea reſpuunt & abnegant, nihil aliud quam fallaci profeſſione fucum feciſſe: quia ſi Deum ſincere diligerent, firmi corde manerent inter quaslibet agitationes. Contingat quidem interdum pios quoque labi in errores, & ab improbis circumveniri: ſed tantum aliqua in parte, & ad tempus: ut ſcilicet nunquam excidant à fundamento, & mox reſipiſcant. Ac tunc quoque notandum eſt, ſuæ negligentiæ aut levitatis dare pœnas: quia non ſatis attenti fuerunt ad Dei ſermonem, vel non ſatis reverenter coluerunt pietatis ſtudium. Hinc præterea colligimus, dum multi tergiverſantur ſe ex profeſſo refugere pietatis doctrinam quia vident multis diſſidiis & contentionibus huc illuc diſtrahi, nihil aliud quam profanum Dei neglectum vel odium inutiliter fucare. Certatur variis opinionibus, fervent etiam pugnæ: verum quiſquis docili & manſueto ſpiritu verum quæret, ac Deo ſe tradet ac ſubjiciet diſcipulum, nunquam Spiritu judicii & diſcretionis privabitur. Sed quia alii faſtidioſe audiunt, alii è ſublimi deſpiciunt, alii extinctum cupiunt Dei verbum, alii vilipendunt, tenendum eſt quod dicit Propheta, Quod perit, pereat: & poſt eum Paulus, Qui ignorat, ignoret. Quando ſemper verum illud fuit, nemini occultam eſſe Dei veritatem, niſi cujus mentem excæcavit deus hujus ſeculi. id vero præcipue locum habet ubi lux affulſit è cælo, quæ errare non patitur niſi qui oculos claudunt. Ideo mox attexitur remedium, Poſt Jehovam ambulabitis: acſi diceret Moſes, ſufficere ad cavendum quod Deum habent rectæ viæ ducem: ſicuti jam eos gratuita liberalitate prævenerat. Verum quia magna pars Deo vocanti non reſpondet, viamque monſtrantem non reſpicit: additur etiam ut illum timeant: quia timor Dei caput eſt ſapientiæ. Tandem rurſus inculcat Moſes, ſi modo propoſitum ſit, hominibus obedire Deo ſatis edoctum iri ejus voce quid factu ſit opus. Adhærendi verbo perſeverantiam denotat: & ita oblique perſtringit eorum inconſtantiam, qui eo relicto & valere juſſo, poſt inania commenta vagantur.

Genes. 22. verſ. 1.

1 Cor. 11. verſ. 19.

Zach. 11. verſ. 9.
1 Cor. 14.
verſ. 38.
2 Cor. 4. verſ. 4.

Pſal. 111. verſ. 10.

Deut. 18. 21. *Quia ſi dixeris in corde tuo.*] Pendet exceptio hæc à prohibitione quam antè recitavimus ex 18. capite Deuter. Prophetas Deus in locum ſuum ſubrogans docendo populo, non vulgari eos auctoritate ornaverat, jubens eorum præceptis acquieſcere. Atqui non ſemper officio ſatisfaciunt quibus docendi partes ſunt impoſitæ. Merito itaque obrepit dubitatio, quomodo ſtatuet populus tanquam ore Dei loqui, ut diſcernat veros à falſis. Itaque non ponitur vocalis interrogatio: ſed prævenit Deus tacitas hæſitationes, quæ ſuſpenſos aliquot tenerent animos. Dicere enim in corde, tantundem valet ac ſecum ambigere, ubi periculum offenditur. Porro ut ſcrupulum eximat, non enumerat omnes diſcretionis notas: quia non doctrinam quidem attingit, ſed duntaxat vaticinia. Cæterum populariter, ut rudes & craſſos homines, jubet attendere an vera prædicant qui ſibi vendicant nomen Prophetiæ. Etſi autem (ut nuper diximus) falſi quoque doctores hac in parte æmulantur Dei ſervos, & in particulari vaticinio veraces deprehenduntur: ſufficit tamen probationis teſſeram apponi, quæ *τὸ τέλος* accidit: ſicuti Deus ipſe eodem ſymbolo vult ab idolis diſtingui & ſeparari. Neque vero affirmative pronunciat Moſes, fidem habendam eſſe vatibus, quoties dictis reſponderit eventus: ſed tantum admonet, ſi attente conſiderent, non poſſe decipi, quia Deus ſtatim pſeudoprophetas ludibrio exponet, eorumque fatuitatem refellet. Ita hunc locum prudenter accommodat Jeremias in uſum ſui temporis, ut reipſa pateat Hananiam temere mentiri dum promittit ſcelerum impunitatem, quamvis impendeat Dei ultio. In ſumma, nihil aliud vult Moſes quam populum non fore obnoxium errandi periculo ſi Deo pure obedire ſtudeat: quia juſto ejus judicio fiet ut appareat temeritas omnium qui ſacrum ejus nomen falſo arripuerint, atque ita larva illis detrahatur.

Jer. 28. verſ. 6.

22. *Per ſuperbiam loquutus eſt.*] Non ſtultitiæ modo & vanitatis damnat qui ſua commenta ingerunt pro Dei mandatis, ſed arrogantiæ: ut ſane hæc impia eſt & non tolerabilis audacia, obtendere pro cæleſti oraculo quod in hominis terreni cerebro natum eſt. Atque hoc nomine deteſtabilis redditur eorum impietas qui revelationum fumos objectant de-

terrendis ſimplicibus. Proinde ſubjicit ut ſibi non metuant ab ejuſmodi Propheta, quia, ut Satanæ miniſtris nihil eſt faſtuoſius, confidenter ſuas jactantias crepant, quibus non moveri difficile eſt, atque adeo concuti, niſi hic ad reſiſtendum clypeus ſuccurreret, terrificos eorum ſonitus poſſe tuto floccipendi. Quæ doctrina valde hodie nobis eſt utilis. Scimus quam inſolenter glorientur Papiſtæ de catholica Eccleſia, de ſede Apoſtolica, quantopere ferociant in Petri nomine, quam impetuoſe per anathemata & diras fulminent: ſed ubi compertum fuerit, quicquid obtrudunt pro Spiritus oraculis, inania eſſe hominum figmenta, facile erit diſcutere illas formidines quæ ex eodem manant ſuperbiæ fonte.

Ex Levit. XVIII.

21. E ſemine tuo non dabis quod trajiciatur coram Moloch: neque profanabis nomen Dei tui. Ego Jehova.

Ex Levit. XIX.

30. Non augurabimini, neque divinationi eritis intenti.

31. Non reſpicietis poſt Pythones, & ariolos non inquiretis, ut polluamini in ipſis. Ego Jehova Deus veſter.

Ex Deut XII.

29. Quum exciderit Jehova Deus tuus gentes ad quas tu venis poſſidendas à facie tua, & eas poſſederis, & habitaveris in terra ipſarum:

30. Cave tibi ne te illaqueces poſt ipſas, poſtquam deletæ fuerint à facie tua: & ne inquiras ad deos earum, dicendo, Quomodo ſervierunt gentes iſtæ diis ſuis, ſic etiam ego faciam.

31. Non facies ſic Jehovæ Deo tuo: quia quicquid abominatio eſt Jehovæ, & quod odit, fecerunt diis ſuis: quin etiam filios ſuos & filias ſuas combuſſerunt igni diis ſuis.

32. Omne igitur verbum quod ego præcipio vobis, obſervabitis ad faciendum: non adjicies ſuper illud, neque minues quicquam ex eo.

Levit. 18. 21. *E ſemine tuo.*] Tribus præceptis levius pegſtringit Moſes quod in Deuteronomio fuſius expoſitum nuper vidimus. Illic enim tam impias oblationes damnavit quam Pythonum reſponſa, artes magicas & incantationes. Nunc priore loco adulterina ſacrificia attingit: præſertim impurum & deteſtabilem cultum in liberis conſecrandis idolo Gentium, quem Moloch vocabant. deinde prohibitionem attexit, ne fictitiis revelationibus attendant. Hic autem in duobus locis Levitici binas tantum ſpecies recenſet, nempe auguriis & divinationibus dare operam: deinde reſponſa petere à ſpiritu Pythonico, & magos vel ariolos conſulere. Comprehendit tamen alias omnes de quibus ante diximus. Ac ne leve delictum eſſe exiſtiment, pollui affirmat quicunque huic curioſitati ſe dedunt. Cæterum ultima confirmatio, quæ nunc in utroque membro additur, ad ſummam primi præcepti ſpectat. Se enim Jehovam & Deum Iſraëlis pronuncians Deus, tam cultum ſibi uni debitum exigit, quam ſuperſtitiones omnes damnat quibus adulteratur pura religio. Ac ſubeſt antitheſis, qua Deus ſe fictitiis omnibus idolis opponit: ideoque licebit verba ſic reſolvere, Quoniam ego Deus ſum æternus, & ab omnibus aliis ſeparatus quos ſibi Gentes ſtulte fabricant, & vos mihi elegi in populum peculiarem, puros & ſeparatos eſſe volo (ut æquum eſt) ab omnibus iniquinamentis.

Deut. 12. 29. *Quum exciderit Jehova.*] Hæc ſententia ſuperiori affinis eſt quam retulimus ex 18. capite Deuteronomii. Quia enim ad Gentium imitationem proclivis fuiſſet lapſus, ut populus falſos deos coleret, in quorum tutela & præſidio eſſe regionem incolæ jactaverant, omnis etiam inquiſitio ſevere interdicitur. Hoc enim eſt idololatriæ principium, ubi cognita eſt genuina cultus Dei ſimplicitas, non illic acquieſcere, ſed curioſius inquirere ſitne aliquid in hominum figmentis fide dignum. Novitatis enim illecebra mox capiuntur mentes: ut quod verbo Dei traditum erat, multiplici fermento inquinent. Nec tantum ab inquirendi ſtudio eos retrahit & prohibet: ſed diſerte edicit ut ſibi caveant, vel ſe cuſtodiant: nempe quia, ut laſciva ſunt hominum ingenia, ſemper illis obrepit curioſitas, cujus dulcedine paſcuntur. Ergo Deus clauſtra populo ſuo circumdat, quibus ſeparetur ab omni noxio ſtudio. Quin etiam ita vult abhorrere à ſuperſtitionum uſu ut auditus quoque contagionem fugiat. In verbis hoc breviter notandum, ubi vertimus Poſſidere gentes, Moſen non intelligere ceſſuras in prædam, ut jure mancipii ſerviant, ſed id referre ad terram. Ideo dicit, Poſſidebis à facie tua: hoc eſt, Vacua erit terræ poſſeſſio illis profligatis. Et hoc verbum in conjugatione Hiphil Expellere ſignificat, ut ante vidimus. Ad quem ſenſum forte alluſit Moſes. Verbum ירש, pro quo Illaqueare reddidi, quidam interpretes accipiunt pro Offendere, alii autem pro Rapi, quod ad ſyntaxin eſſet aptius, Ne rapiaris poſt illas. Nolui tamen à ſententia magis recepta diſcedere, quum optime conveniat illaqueandi metaphora. Aſſi dixiſſet, perverſos omnes Gentium ritus, totidem eſſe Satanæ retia vel decipulas ad circumveniendos homines, ſi propius accedant. Quia mox ſequitur, Poſtquam deletæ fuerint, ſunt etiam qui vertant, Ne pereas poſt illos. Aſſi propoſito interitus illarum exemplo, metum injicere vellet.

31. *Non facies ſic.*] Ex his verbis colligere licet quid ſit non aſciſcere ſibi alienos deos: nempe, ubi hominum commentis valere juſſis, hoc unum attenditur quid Deus præcipiat. Cur enim aliter coli vult Deus ab electo populo quam Gentes ſolitæ ſint colere deos ſuos, niſi quia notabile diſcrimen eſſe oportet, ne confuſa ſit religio? Et certeniſi ſe homines aſtringant verbo Dei, ut certo ſtatuant, nihil aliud ſibi licere quam quod illic docentur: non tantum vacillabunt, ſed quicquid occurret, promiſcue recipient. Itaque tenendum eſt iſtud Non ſic, & hoc freno cohibendæ mentes, ne qua ſe inſinuet vel ingerat ſuperſtitio, quæ Dei cultum inquinet. Addidit, Deum non modo repudiare extraneos illos cultus, ſed etiam abominari: quod ut melius perſuadeat, ſpeciem unam ponit in qua manifeſtior erat abſurditas. Fœda enim barbaries eſt, fœtus inſontes exuri à parentibus.

32. *Omne igitur verbum.*] Hac clauſula breviter docet non alium eſſe legitimum Dei cultum niſi quem ſibi probari verbo ſuo teſtatus eſt, & obedientiam eſſe quaſi pictatis matrem. Aſſi dicet,

ret, præpoſtera eſſe ſtudia quælibet ac ſuperſtitione infecta quæ ad hanc regulam non diriguntur. Unde colligimus, ad primi præcepti obſervationem requiri veri Dei notitiam ex ejus verbo conceptam, quæ cum fide conjuncta eſt. Vetando quicquam addere vel detrahere, quicquid comminiſcuntur homines pro ſuo ingenio, ſimpliciter damnat tanquam adulterinum. Unde ſequitur, alienos deos ſibi fabricare quicunque in Deo colendo aliud ſequuntur quam normam ab ipſo præſcriptam. Ideoque per Jeſaiam horribilem vindictam hujus temeritatis denunciat, Quia hic populus me coluit præceptis hominum, ecce, rem ſtupendam facio. Auferam enim ſapientiam à ſapientibus, &c. Quum vero pompæ omnes cultus Papalis congeries ſit vanarum traditionum, nihil mirum ſi illo quem Deus minatus eſt ſtupore excæcati fuerint præcipui quique duces & magiſtri. *Jeſa. 29. verſ. 14.*

APPENDICES CEREMONIALES PRIMI PRÆCEPTI.

INSTITUTIO PESAH.

Ex Exodi XII.

1. Loquutus eſt Jehova ad Moſen & ad Aharon in terra Ægypti, dicendo,
2. Menſis iſte principium vobis erit menſium, & primus idem vobis in menſibus anni.
3. Loquimini ad totum cœtum Iſraël, dicendo, Decima hujus menſis tollat ſibi quiſque agnum ſecundum domum patrum, agnum domatim.
4. Quod ſi minor fuerit familia quam pro agno, aſſumet ipſe vicinum ſuum qui propinquior fuerit domui ſuæ, pro numero animarum, ſinguli ad menſuram cibi ſui numerabitis pro agno.
5. Agnus erit vobis integer, maſculus, anniculus, quem ex ovibus aut capris tolletis.
6. Et erit vobis in cuſtodia uſque ad decimam quartam diem hujus menſis: mactabitque eum omnis cœtus Iſraël inter veſperas.
7. Et tollent è ſanguine, ponentque ſuper duos poſtes, & in ſuperliminari ad domos in quibus eum comedent.
8. Et comedent carnem in ipſa nocte aſſam igni, & azymos panes: cum amaritudinibus comedent.
9. Non comedetis ex eo crudum, vel coctione coctum in aquis, ſed aſſum igni: caput ejus cum cruribus ejus, & cum inteſtinis ejus.
10. Nec reſiduum facietis quicquam ex eo uſque mane: quod autem reliquum fuerit ex eo uſque mane, comburetis.
11. Sic comedetis illum, lumbis veſtris accincti, & calciamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculus veſter in manu veſtra, & comedetis ipſum cum feſtinatione. Eſt Peſah Jehovæ.
12. Nam tranſibo per terram Ægypti nocte hac, & percutiam omnem primogenitum in terra Ægypti ab homine uſque ad jumentum: & in cunctis diis Ægypti edam judicia: ego Jehova.
13. Et erit ſanguis vobis in ſignum per domos in quibus vos fueritis: & videns ſanguinem ipſum tranſiliam vos: nec erit in vobis plaga interitus, quum percutiam terram Ægypti.
14. Et erit vobis dies iſte in memoriam: & celebrabitis eum feſtum Jehovæ in generationes veſtras: ſtatuto æterno celebrabitis eum.
15. Septem diebus infermentata comedetis: prima die ceſſare facietis fermentum è domibus veſtris.
16. Et in die primo convocatio ſancta, die quoque ſeptimo convocatio ſancta erit vobis: omne opus non fiet in eis: veruntamen quod comedetur ab omni anima, illud tantummodo fiet à vobis.
17. Obſervabitiſque infermentata: quia hac ipſa die eduxi exercitus veſtros è terra Ægypti: obſervabitis, *inquam*, diem iſtum in generationibus veſtris ſtatuto perpetuo.
18. In primo menſe, decimo quarto die menſis, in veſpera comedetis infermentata uſque ad diem viceſimum primum menſis in veſpera.
19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris.
20. Omne fermentum non comedetis: in omnibus habitaculis veſtris comedetis infermentata.

1. *Loquutus eſt Jehova.*] Etſi Paſchatis inſtitutio aliqua ex parte ad quartum præceptum pertinet, ubi de Sabbatho & diebus feſtis agetur: quatenus tamen ſolenne fuit redemptionis ſymbolum, quo populus ſe Deo liberatori obſtrictum eſſe profeſſus eſt, & quodammodo ejus imperio ſe addixit, non dubitavi tanquam appendicem primi præcepti huc inſerere. Diei ipſius obſervatio iterum ſuo loco recurret: nunc tantum notare convenit, quo Deus populum ſibi uni penitus devinctum haberet, ceremoniam hanc mandaſſe, ex qua diſcerent Iſraëlitæ nunquam ab eo deflectere cujus beneficio & manu redempti erant. Hoc enim modo ſibi ipſos acquiſierat in populum peculiarem. Ideoque quoties illis defectionem à puro cultu exprobrat, tantæ gratiæ oblitos eſſe conqueritur, cujus memoria ad eos retinendos ſatis valere debuerat. In ſumma igitur celebratio Paſchatis Iſraëlitas docuit non eſſe fas reſpicere in alium

alium Deum quam in ſuum redemptorem: deinde æquum & rectum eſſe ut ſe in ejus obſequium conſecrarent, qui ipſos à morte in vitam reſtituerat. Itaque velut in ſpeculo, vel tabula picta, repræſentavit eorum oculis ſuam gratiam: & quod ſemel experti fuerant, poſtea quotannis recognoſcere voluit, ne unquam memoria intercideret. Primum definiamus quid ſit Paſcha: utor jam trito & vulgari nomine. In etymologia non eſt ambiguitas, niſi quod tranſitus Dei tantundem valet ac tranſilitio, qua factum eſt ut domus Iſraëlitarum manerent intactæ. Nam Deus de redemptione ſecunda loquens per Jeſaiam, ad hunc locum haud dubie alludit, quum dicit, Tranſiliam ſuper Jeruſalem. Ratio igitur eſt, quod vindicta Dei Iſraëlitas præterierit, ne quid noxæ illis aut læſionis inferret. Quod autem duplicis tranſitus mentio fit apud Moſen, non idem eſt verbum utroque loco: ſed Peſah refertur ad electum populum, Abar autem ad Ægyptios: quaſi dixiſſet, Per medios hoſtes vindicta mea perrumpet, paſſimque graſſabitur: vos autem intactos tranſiliam. Quum ergo parcere vellet Deus Iſraëli ſuo, ad ſpem hujus ſalutis, ſymbolo interpoſito, erexit fidelium animos: deinde perpetuum gratiæ ſuæ monumentum inſtituit, ut liberationis memoriam quotannis Paſcha renovaret. Primum enim Paſcha celebratum fuit in re præſenti, ut pignus eſſet ad trepidas mentes confirmandas. Annua autem repetitio ſacrificium fuit gratiarum actionis, quo poſteri commonefierent ſe redemptionis jure proprios eſſe Dei clientes. Cæterum tam prima inſtitutio quam perpetua Lex altius ſpectavit. Nec vero Deus populum veterem ſemel redemit, ut ſalvus & incolumis maneret in terra, ſed ad hæreditatem uſque vitæ cæleſtis voluit ipſum perducere. Ergo Paſcha non minus ſpiritualis gratiæ ſymbolum fuit quam Circumciſio: ideoque analogiam & ſimilitudinem habet cum ſacra Cœna, quia & eaſdem continuit promiſſiones quas hodie nobis Chriſtus obſignat, & docuit non aliter Deum ſuis eſſe propitium quam ſanguinis expiatione. In ſumma, tam futuræ quam præteritæ redemptionis fuit ſymbolum. Qua ratione ſcribit Paulus Chriſtum Paſcha noſtrum eſſe immolatum: quod non ſtaret ſi veteres illic tantum de temporali beneficio admoniti fuiſſent. Hoc tamen primo ſtatuamus, obſervationem Peſah divinitus mandatam fuiſſe ſub Lege, ut Deus à populo ſuo gratitudinem exigeret, ſibique addiceret ſua virtute & gratia redemptos. Nunc ad ſingula deſcendo. Jubet Deus Iſraëlitas exordium anni facere à menſe quo egreſſi fuerant ex Ægypto, non ſecus acſi dies eſſet natalis: ſicuti exitus ille quædam fuit renaſcentiæ ſpecies. Ergo quum fuiſſent in Ægypto ſepulti, novæ vitæ origo fuit, & novæ lucis exortus, data à Deo libertas. Etſi enim præceſſerat adoptio, quia tamen ex multorum cordibus fere evanuerat medio tempore, neceſſe fuit quodammodo regigni, ut certius cognoſcere inciperent Deum ſibi eſſe in patrem. Qua ratione apud Oſeam dicit, Ego Jehova Deus tuus ex terra Ægypti, & Deum præter me non agnoſces: quia tunc ſcilicet maxime illos ſibi acquiſierat in populum peculiarem. Clarius etiam paulo ante, Quum puer eſſet Iſraël, dilexi eum, atque ex Ægypto vocavi filium meum. Hoc etſi generi Abrahæ commune fuit cum aliis gentibus, annum inchoare menſe Martio: tamen hac in parte diverſa ratio fuit, quod ſoli electo populo ſua reſurrectio quotannis ante oculos poſita fuit. Nam Hebræi ipſi ad illud uſque tempus annum inchoaverant à menſe Septembri, qui vocatur Chaldaice Tiſri, quo exiſtimant multi creatum fuiſſe mundum: quia ſtatim ab ipſa creatione terra maturas fruges produxit, ut tanquam in perfecto ſtatu eſſet ejus fœcunditas. Et hodie duplex manet apud Hebræos annorum ſeries & obſervatio. Nam in negotiis omnibus quæ ſpectant ad communem vitæ uſum, veterem & genuinam ſupputationem retinent, ut primus menſis ſit initium Autumni: in cultu autem Dei & feſtis diebus ſequuntur quod præcepit Moſes. & hic eſt annus Legalis, qui fere Martio noſtro reſpondet, non tamen per omnia: quia nobis in uſu non ſunt veteres embolismi. Nam quum duodecim lunares circuitus non æquarent Solis curſum, intercalabant, ne abſurda, annorum progreſſu, & enormis diverſitas oriretur. Ita fit ut menſis Niſan, quo Paſcha celebrabant, interdum apud Judæos aut ſerius aut citius incipiat, prout moram adfert intercalatio.

Joſa. 31. verſ. 5.

1 Cor. 5. verſ. 7.

Oſea 13. verſ. 4.

Oſea 11. verſ. 1.

3. *Loquimini ad totum.*] Quæritur hoc loco, quum unus tantum agnus in ſacrificium oblatus ſit pro reconciliatione Eccleſiæ, & unius tantum Chriſti ſanguine placatus fuerit Deus: cur in ſingulas domos agnum juſſerit mactari, acſi peculiaria ſeorſum quibuſque eſſent ſacrificia. Sed facilis eſt ſolutio: quia tametſi eodem omnes ſanguine à clade protecti eſſent, & generalis ille ritus omnes ſimul conjungeret in ſocietatem ejuſdem expiationis, non tamen abs re Deus ſpeciali illa (ut ita loquar) applicatione privatim voluit ſingulas domos commonefieri, ut propius ſentirent collatam ſibi gratiam. Sicuti hodie idem nobis omnibus eſt Baptiſmus, quo communiter inſerimur in corpus Chriſti: ſingulis tamen ſuus Baptiſmus confertur, quo certius agnoſcant ſe adoptionis eſſe participes, ideoque Eccleſiæ membra. Noluit ergo Deus, quum ſingulis domibus præciperet agnum mactare, populum ſuum diſtrahere in ſpes diverſas: ſed tantum familiariter oſtendere ſingulas domos ſibi eſſe obſtrictas, nec ſalutem modo totius populi debere ſibi ferri acceptam, ſed in familiis omnibus ſingulare ſuum beneficium lucere. Quod autem vicinos adjungi voluit, ſi numerus capitum in una domo ad Peſah comedendum non ſufficeret, cauſa fuit, ne quid reſiduum maneret. Jam cur totum agnum abſumi oporteurit, hæc inter alias videtur præcipua eſſe ratio, ut ne ſacrum hoc epulum miſcerent cum victu quotidiano; deinde ne ejus dignitas vileſceret aſpectu rancidæ carnis. Forte hoc quoque ſpectavit Deus, ne qua in ſervandis reliquiis obreperet ſuperſtitio: quare & oſſa comburi juſſit.

5. *Agnus erit vobis integer.*] Videbimus alibi, in omnibus ſacrificiis hoc diligenter ex Legis præſcripto fuiſſe cavendum, ne quid maculæ aut vitii eſſet: quo admonitus fuit populus, non eſſe legitimam expiationem niſi ubi adeſſet ſumma perfectio, qualis nunquam in hominibus reperta eſt. Non igitur mirum ſi nunc Deus Peſah exigit unius anni & integrum: ut ſcirent Iſraëlitæ ad Deum propitiandum requiri pretium excellentius quam poſſet inveniri in toto genere humano. Jam quum talis præſtantia multo minus in pecude extaret, illa viſibili agni vel hœdi integritate monſtrata fuit cæleſtis perfectio Chriſti ac puritas. Huc etiam pertinet quod juſſi ſunt à decimo menſis uſque ad decimum quartum diem habere in cuſtodia ſeparatum à reliquo grege. Quod vero ſanguine aſpergi voluit Deus poſtes & ſuperliminare, hoc ſigno clare docuit, nullis prodeſſe ſacrificium niſi qui ejus ſanguine tincti ſunt ac inſigniti. Tantundem enim valuit aſperſio hæc acſi notam ſanguinis ſinguli in fronte geſtarent. Et certe Chriſtus ſanguinem ſuum fundendo non omnes liberavit, ſed fideles tantum qui ſe illo ſanctificant. Ac præcipuas quidem partes obtinet interior aſperſio, quam Petrus fieri docet Spiritus virtute: ſed externo ſymbolo edocti fuerunt Iſraëlitæ ſe non aliter poſſe ab ira Dei protegi quam oppoſito ſanguinis clypeo. Idque reſpondet ſuperiori doctrinæ, unum & idem ſacrificium particulare fuiſſe ſingulis ædibus, ut privata cognitio eos ſerio afficeret quibus generalis fuiſſet frigida vel minus efficax. Cur aſſatam potius quam elixam carnem poſtulet, neſcire malo quam argutias comminiſci non ſatis firmas, qualis illa eſt,

1 Pet. 1. verſ. 2.

Chri-

Chriſtum in cruce fuiſſe quodammodo toſtum. Mibi ad verum potius accedere videtur quod Deus feſtinationem notare voluerit: quia collectis vaſis celerius in veru torretur caro quam in olla coquatur. Quo pertinet quod mox ſequitur præceptum de ratione edendi: ubi tria notanda ſunt, panes azymi, condimentum ex herbis amaris, lumbi accincti, cum reliquo peregrinationis habitu. Panes infermentatos haud dubie confici juſſit Deus propter ſubitum diſceſſum: quia volebat quaſi momento populum ſuum ex Ægypto rapere. Ergo ex farina tumultuarie ſubacta panes azymos coxerunt. Hujus rei memoriam quotannis renovari oportuit, ut ſcirent poſteri liberationem divinitus fuiſſe oblatam, quoniam nullo viatico inſtructi patres trepide fugam arripueraot. Nam major apparatus nonnihil obſcuraſſet cæleſtem gratiam, quæ in annonæ inopia melius refulſit. Herbis amaris contentos eſſe voluit Deus: quia viatoribus, dum properant, & maxime in terra hoſtili, non ſuppetunt lautitiæ, ſed illis obvium quodque condimentum optime ſapit: nec eos offendit amaritudo, ſicuti in copia & otio accidere ſolet. Forte etiam priſtinæ conditionis fuerunt admoniti: quia ſub tam dira tyrannide & acerba nihil ſuave aut jucundum eſſe potuit. Clarius tamen expreſſa fuit feſtinatio, quum calceati, & ſuccincti, inoixique baculis agnum raptim comederent. A cœna tranſitus eſt ad lectum & quietem. Itaque veteres & calceos exuere & diſcumbere ſolebant. Hunc morem invertit populi neceſſitas, quando mox à cœna fugere coactus eſt. Ideo additur ratio, eſſe Peſah Jehovæ: quoniam in trepidatione & ſæviente Dei gladio ſalvi evaſerint. Sed memoria repetere conveoit quod ante diximus, duplicem hujus ſacramenti fuiſſe uſum: quia in recordatione præteriti beneficii populum exercuerit, & ſpem aluerit redemptionis futuræ. Itaque Peſah non tantum quid Deus præſtitiſſet populo ſuo, ſed quid ab eo deinde ſperandum eſſet, admonuit. Proinde dubium non eſt quin debuerint ex hoc ritu Iſraëlitæ diſcere ſe bac lege redemptos eſſe ex tyrannide Ægyptiaca, ut ſalus longe præſtantior adbuc ipſos maneret. Hoc vero ſpirituale myſterium clarius patefactum fuit Chriſti adventu. Ideo Paulus veterem hanc figuram ad nos accommodans, quia Chriſtus Paſcha noſtrum immolatus eſt, jubet nos epulari non in fermento veteri malitiæ & verſutiæ, ſed in panibus azymis, ſinceritatis & veritatis. Voluit igitur olim Deus domos in quibus celebraretur Paſcha, corruptione omni puras eſſe: idque longe magis hodie præſtare nos oportet, ne qua malitiæ fermento ſacrificium quo nos Chriſtus à morte æterna redemit, inquinetur. Eodem pertinent quæ ſequuntur, ne ſimus illecebris mundi dediti, ne voluptatum dulcedine tardetur curſus noſter: ſed in terra peregrinemur, ſemper accincti & expediti ad properandum: & quamvis amara ſit crux Chriſti, non tamen ejus guſtum refugiamus.

x *Cor.* 5. *verſ.* 7.

12. *Nam tranſibo per terram.*] Hoc ad primum Paſcha ſpectat, qua nocte liberandi erant ex Ægypto. Nominatim vero Deus ſe judicem fore pronunciat adverſus falſos deos: quia tunc maxime apparuit quam nihil eſſet in ipſis auxilii, & quam vanus fallaxque eſſet eorum cultus. Frigidum enim & coactum quod nugantur quidam Rabini, idola fuiſſe proſtrata: quia ſolo redemptionis miraculo ſatis magnifice omnes ſuperſtitiones dejectæ ſunt; & quicquid de idolis creditum fuerat, ſtultitiæ & vanitatis damnatum eſt. Ideo affirmat Deus ſe non tantum illius gentis, ſed deorum quoque fore victorem. Forte ad hunc locum alluſit Jeſaias, quum diceret, Ecce, aſcendet Jehova ſuper oubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur idola à facie ejus: quia ſcilicet, quoties populi ſui apparuit ſervator, gloriam ſuam contra omoes impios & vitioſos cultus aſſeruit.

Joſa. 19. *verſ.* 1.

14. *Et erit dies iſte vobis.*] Hoc de annua celebratiooe dicitur, quæ tam monumentum fuit exitus quam ſymbolum futuræ liberationis. Quod autem vocatur ritus vel edictum ſeculi, hac voce notari perpetuitatem fateor, ſed quæ tantum uſque ad renovationem vigere debuit: quæ ratio tam in Circumciſione quam in toto Legali cultu valere debet, qui etſi Chriſti adventu quoad uſum abolitus fuit, tunc demum veram ſoliditatem obtiouit. Quare mutatio qua differimus à populo veteri, nihil ex hoc perpetuo ſtatuto detrahit: ſicuti nec fœdus novum, quod ad ſubſtantiam, interitus eſt veteris, ſed quod ad formam duntaxat. Paulo poſt ubi dicit, Tantum quod comederet, hoc ſolum fiet à vobis, ſenſus eſt, ab omni opere ceſſandum eſſe, niſi ut cibum illius diei ſibi parent. Quæ exceptio diſerte fuit poſita, ne ſibi permitterent in aliis negotiis ſacras ferias violare.

Ex eodem Capite.

* vel, *verbum iſtud.*

24. Obſervabitis itaque * rem iſtam, in ſtatutum tibi & filiis tuis uſque in ſeculum.

25. Et erit quum intraveritis terram quam dabit Jehova vobis, ut pollicitus eſt, tunc obſervabitis hunc cultum.

26. Erit autem quum dixerint vobis filii veſtri, Quis eſt cultus iſte vobis?

27. Tunc dicetis, Eſt ſacrificium Peſah Jehovæ, qui tranſiliit domos filiorum Iſraël in Ægypto quando pereuſſit Ægyptios, & domos noſtras eruit.

Ex eodem Caipte.

43. Et dixit Jehova ad Moſen & Aharon, Statutum Peſah: Nullus alienigena comedet ex eo.

44. Sed omnis ſervus viri pecunia emptus, poſtquam ipſum circumcidetis, comedet ex eo.

45. Advena & mercenarius non comedet ex eo.

46. In eadem domo comedetur: non efferes extra domum foras è carne, & os non confringetis ex eo.

* id eſt, *maſtabunt.*

47. Univerſus cœtus Iſraël * facient ipſum.

48. Quod ſi inquilinus apud te peregrinetur, ut faciat Peſah Jehovæ, circumcidetur ei omnis maſculus, & tunc accedet ad faciendum illud, eritque ſicut indigena terræ: nullus autem incircumciſus veſcatur ex eo.

49. Lex una erit indigenæ & peregrino, qui peregrinatur in medio veſtri.

24. *Obſervabitis itaque.*] Iterum repetit præceptum de annua obſervatione, & diſerte exprimit, quum ingreſſi fuerint terram, quotannis hoc ritu celebrandam eſſe memoriam liberationis. Addit autem

tem quod prius non attigerat, ut filios quoque suos docerent: sine quo adminiculo spectaculum fuisset frigidum & inutile. Doctrina enim merito anima Sacramentorum dici potest, qua remota nullus superest vigor, tantum abest ut nos vivificent. Ergo ne Pesah mortua esset actio, Deus hoc loco mutâm esse vetat. His autem verbis, Quum interrogaverit te filius tuus, non intelligit Moses expectandum esse dum ultro inquirant filii, patrumque studium præveniant: sed tantum ætatem designat discendo idoneam. Quanquam oblique simul pueros, ubi per ætatem cognoscere poterunt quid Pascha significet, ad docilitatem hortatur, & diligenter scisciari jubet de cerimoniæ usu: ut ita religio per manus propagata semper in populo vigeat. Jam quum agnus Paschalis respondeat sacræ Cœnæ, colligere hinc licet, non alios rite ad eam percipiendam admitti nisi qui doctrinæ sunt capaces.

43. *Statutum Pesah: Nullus alienigena.*] Quia Pascha sacrum erat vinculum quo Deus electum populum sibi tenere devinctum volebat, omnes exteros ab ejus participatione arcet: quia promiscua vescendi libertas, indigna fuisset profanatio. Et certe quum appendix sit primi præcepti, ad eos tantum pertinet ad quos dirigitur Legis præfatio, Israël, Jehova Deus tuus, Deus unus est. Scimus apud Gentes nullum ad sacra fuisse admissum nisi qui esset initiatus. Fuit illa præpostera imitatio veri & legitimi ordinis: quia in solam Dei institutionem competit hæc ratio, ne testimonia gratiæ quibus suam Ecclesiam solam dignatur, alieni promiscue usurpent. Adde quod Paschati adjuncta fuit puri & genuini cultus professio, quæ exteris communis non erat. Circumcisio enim tunc fuit instar macteriæ, quæ profanas gentes à sancto genere Abrahæ discerneret. Ergo siquis cum electo populo Pascha celebrare vellet, circumcidi oportuit, ut se vero Deo addiceret. Neque enim signum externum duntaxat spectavit Deus, sed finem, ut sinceræ pietatis studium promitterent qui circumcidebantur. Primo igitur excludit Moses omnes extraneos, nempe qui ob præputium immundi erant. Deinde exceptiones duas addit, nempe ut servi pecunia empti circumcidantur (quod necessitatis fuit) liberi autem & sui juris homines, si velint eundem amplecti cultum, recipiantur ipsi quoque ad Pascha. Unde apparet, non modo peculiarem Dei populo fuisse hunc ritum, sed futuræ liberationis symbolum fuisse. Neque enim testari poterant alienigenæ se consortes fuisse illius redemptionis quæ tantum generi Abrahæ promissa fuerat: ideoque vana & inutilis fuisset apud eos sacri epuli pompa. Nec vero turbam illam solum designat Moses quæ ex Ægypto sequuta fuerat Israëlitas: sed legem de omnibus exteris præscribit, qui postea multis seculis, negotiandi causa venturi erant in terram. Non dubium igitur quin Pesah celebrando aliam redemptionem speraverint: quando ad ipsos non extendebatur quæ jam olim exhibita fuerat filiis Abrahæ. Neque enim ex quo cœperant censeri in populo, terræ portio illis cadebat in sortem, nec portio eorum erat conditio quoad jura terrena: sed tantum ut Ecclesiæ membra essent. Porro ob Cœnæ & Paschatis analogiam hodie quoque durat hujus legis vigor, ne quis pollutus vel impurus ad sacram Cœnam se ingerat, sed recipiantur soli fideles, postquam Christo nomen dederint. Quod etiam notatur his verbis, Eadem erit lex indigenæ & extranei: nempe ut Sacramenti religio ab omnibus sanctè colatur, atque ita pariter oblatam gratiam inter se communicent, & hac in parte æqualis sit omnium conditio, quæ in terræ hæreditate diversa erat.

46. *Et os non confringetis ex eo.*] Cur os nullum frangi voluerit Deus, mihi incertum est: nisi ut huc quoque signum esset festinationis: quia raro ad medullas accedunt convivæ, nisi dum longius epulæ protrahuntur. Nam quod tradunt quidam non imminui Christi virtutem (quæ per ossa designatur) dum vescimur ejus carne, vereor ne sit nimis argutum. Prius autem illud quod attigi, ut simplicius est, ita non male quadrat: quum in procinctu stantes raptim comederent, justos fuisse ossa comburere, ad rumpendam omnem moram. Quod autem de agno præceperat Deus, voluit in Filio suo unigenito palam impleri: ut veritas typo suo, & substantia umbræ respondens, ostenderet non alio quam Christi sanguine reconciliari Deum populo suo. Unde iterum patet veteres sub Lege in agno Paschali de futura redemptione fuisse edoctos: quia non recte alioqui accommodaretur ad Christum hic locus: quem dum Evangelista citat, pro confesso sumit typice fuisse tunc ostensum quod Deus per Filium suum volebat præstare. unde factum est ut nota visibili insignitus fuerit, quæ probaret ipsum esse verum Pascha. Porro ne ullum os in Christo frangeretur, admirabili Dei providentia factum est. Decretum erat militibus ossium fractione mortem Christi accelerare non minus quam latronum. In latronibus exequuntur suum consilium: ne idem in Christo tentent, divinitus retentos esse certum est, ut ossium integritas quoddam esset proximæ redemptionis præsagium. *Jam. 19. vers. 33.*

Ex Exodi XIII.

3. Tunc dixit Moses ad populum, Memento diei hujus quo egressi estis ex Ægypto, è domo servorum: quia in fortitudine manus eduxit vos hinc Jehova: neque comedatur fermentatum.

4. Hodie vos egredimini mense Abib.

5. Quum te introduxerit Jehova in terram Chananæi, Hittæi, & Amorrhæi, & Hivæi, & Jebusæi, de qua juravit patribus tuis se daturum tibi, terram fluentem lacte & melle, tum coles cultum istum in mense isto.

6. Septem diebus comedes infermentata, die autem septimo solennitas erit Jehovæ.

7. Infermentata comedentur septem diebus: nec conspicietur apud te fermentatum, neque apparebit apud te fermentum in universo termino tuo.

8. Annunciabisque filio tuo eo die, dicendo, *Propter hoc quod fecit Jehova mihi quum exirem ex Ægypto.

9. Et erit tibi in signum super manum tuam, & in memoriale inter oculos tuos, ut sit Lex Jehovæ in ore tuo: quia in manu forti eduxit te Jehova ex Ægypto.

10. Observabisque statutum hoc in tempore suo quotannis.

* vel, *Propterea quod hoc fecit.*

3. *Tunc dixit Moses ad populum, Memento.*] Repetit quod de azymis prolixe dixerat capite proximo, non tam docendi quam hortandi causa. Nam rem ipsam satis dilucide tradiderat, ut non alia explicatione opus esset: sed stimulos addere utile fuit, quo majore studio ad præstandum officium incumberent,

rent, maxime vero ne longiore temporis tractu (ut fieri ſolet) paulatim frigeſceret ſtudium. Hortatur ergo ut quod ante maodavit, diligenter obſervent poſtquam venerint in terram. Atque ex hac connexione patet, in eundem finem tendere utrumque præceptum, de offerendis primogenitis, & Peſah celebrando, ut liberatio populum electum contineat in ſpeciali veri Dei cultu.

4. *Hodie vos egredimini.*] Comparat diem exitus cum toto tempore habitationis in terra Chanaan: acſi diceret, non redimi ut ſubita tantum lætitia fruantur, ſed ut omnibus ſeculis beneficii ſint memores. Amplitudinem vero terræ & ubertatem rurſus commendat ob duas maxime cauſas. Prior eſt, ne poſt inſignes victorias ſuperbia occupet eorum animos, & in affluentia bonorum pinguedo eorum oculos hebetet: deinde ut ipſa bonorum magnitudine magis ad gratitudinis officia & Dei cultum animentur. Poterant enim tot gentium victores & tam opimæ latæque terræ domini inſoleſcere, ut ad Deum colendum minus eſſent attenti: niſi admoniti fuiſſent, debere ſe hoc tantum uni Deo, quod multis populis victis, illorum ditione potiti eſſent. Cæterum oſtendit Moſes, quo major fuerit erga ipſos Dei liberalitas, eo minus fore excuſabiles, niſi totis viribus ſtudeant gratos ſe præſtare. Hoc conſilio repetit gentium nomina, quibus profligatis, futuri erant terræ hæredes: deinde addit Terram fluentem lacte & melle, ut larga rerum copia, quæ verſabitur ante oculos, ad pietatem magis ac magis eos incitet. Qui menſem Abib tantundem valere putant atque Ab, qui Julin noſtro reſpondet, longe falluntur. Conſtat enim menſe Niſan circa æquinoctium vernum egreſſos fuiſſe Iſraelitas ex Ægypto: cujus rei minime dubium eſt teſtimonium Paſchatis obſervatio, per manus à patribus tradita. Jam quum Hebræi omnia menſium nomina, quæ illis poſt duo millia annorum in uſu fuerunt, à Chaldæis mutuati ſint, abſurdum eſſet Abib hoc loco tanquam proprium accipere, præſertim quum in Scriptura nullum reperiatur proprium nomen. Quando autem appellative hoc nomen poſitum eſſe ratio demonſtrat, videndum cur tribuatur Martio vel initio Aprilis. Qui Abib vertunt fruges matureſcentes, nihil habent rationis: quum ſimpliciter nomen hoc ſignificet, quicquid adoleſcit. Unde & ad culmos ſegetis transfertur. Quum igitur in calidis illis regionibus æquinoctio verno aſſurgant ſegetes, ab effectu menſis Niſan vocatur culmotum. Probabilis etiam conjectura eſt (ut ante diximus) mutari anni exordium, quo illuſtrior eſſet Eccleſiæ nativitas: acſi tunc renovatus eſſet mundus. Quod putant quidam, eodem menſe Noë egreſſum eſſe ex Arca, ut verna temperies ipſum cum aliis animantibus renaſcentem exciperet, in medio relinquo: ut dixi cap. 8 in Geneſin. Si tamen recipitur illa ſententia, prolepſis erit in numero menſium: quæ tamen abſurda non erit: quia utile fuit populum aſſuefieri ad ritus Legales. Sed de rebus incertis non contendo.

8. *Annunciabisque filio tuo eo die, dicendo.*] Repetit etiam quod ante vidimus, patribus injungi docendi partes, ut cultum Dei ad poſteros transmittant. Proximo capite dictum fuit, Quum interrogaverint te filii &c. nunc brevius jubet prædicari Dei beneficium, quamvis nemo interroget: quia ultro ad liberos in timore Dei educandos propenſi eſſe debent parentes. Repetit etiam quod ante vidimus, renovandam quotannis liberationis memoriam, ne unquam effluat, ut facile negligitur pietas niſi aſſidue in ejus ſtudio exerceantur homines. Similitudine autem utitur, quum dicit fore in ſignum ſuper manum, & memoriale inter oculos. Acſi diceret, non ſecus eorum oculis proponi redemptionem in Paſchate, quam annulus qui in digito geſtatur ſubinde conſpicitur, vel ornamentum quod in fronte ligatur. Qua etiam ratione prius voluit tam in capite quam in manibus & veſtium fimbriis deſcribi Legis præcepta. Summa eſt, in Peſah debere monumentum extare gratiæ Dei, ut nunquam obrepat oblivio: ſicuti ornamenta quæ in fronte & digitis apparent, continuo ſui aſpectu mentes expergefaciunt. Quanquam ſiquis magis probet Moſen ad eos alludere qui tarditatis ſuæ conſcii, ſubſidia memoriæ ſibi conficiunt, non repugno. Quaſi diceret, quoniam obliviosi ſint, utendum eſſe hoc remedio, quod eos ad gratitudinem ſollicitet. Idem paulo poſt repetet in primogenitis offerendis. Quod autem mox ſequitur, apertius confirmat Paſcha ad primum mandatum ſpectare: nempe ut Lex Dei ſit in ore ipſorum. Quibus verbis ſignificat, non ſufficere externo ritu defungi niſi ad finem ſuum referatur, nempe ut Deo ejuſque doctrinæ ſe addicant. Porro Otis meminit, non quod præcipuum hoc ſit, differere aut loqui de Lege (quia ſi in lingua eſſet pietas, optimi Dei cultores eſſent hypocritæ) ſed diſerte flagitat, ubi quiſque ſtudium ſuum privatim contulerit ad diſcendam Legem, ut alii quoque alios mutuo doceant atque hortentur.

Ex Deut. XVI.

3. Non comedes cum illo fermentatum: ſeptem diebus comedes cum illo infermentata, panem afflictionis: quia feſtinanter egreſſus es è terra Ægypti: ut memineris diei quo egreſſus es è terra Ægypti, omnibus diebus vitæ tuæ.

4. Neque conſpicietur apud te fermentum in omni termino tuo ſeptem diebus: neque pernoctabit de carnibus quas ſacrificabis in veſpera die primo uſque mane.

Ex Exodi XXIII.

18. Non immolabis cum fermento ſanguinem victimæ meæ: neque pernoctabit adeps agni mei uſque mane.

Ex Exodi XXXIV.

25. Non immolabis cum fermento ſanguinem ſacrificii mei: neque pernoctabit uſque mane ſacrificium ſolennitatis Peſah.

Deut. 16. 3. *Non comedes cum illo fermentatum.*] Quia hoc ſymbolo admonebantur ſe ex præſenti incendio trepide elapſos eſſe: ideo toties inculcat Moſes prohibitionem fermenti. Atque hæc ratio nunc exprimitur, ut in memoriam revocetur afflictio, ex qua erepti fuerant. Nam quum ne ad panem quidem coquendum ſupperetet tempus, ſummis angustiis fuiſſe coarctatos oportet. Panis ergo azymus vocatur Afflictionis, ut modus liberationis magis illuſtret Dei gratiam. Repetit quod ante vidimus, ne quid in diem proximum maneat reſiduum ex carne agni. In priore loco Exodi, quia generaliter loquitur Moſes, primo intuitu præceptum referri poſſet ad juge ſacrificium. Verum alter locus dubitationem

tollit, ubi diſerte exprimitur Paſcha. Adipem vero poni uno in loco pro tota carne & qualibet parte agni, mirum non eſt: ſive per ſynecdochen id fiat, ſive Deus præcipuam ſanctitatem in adipe commendet, ex quo non licebat veſci, & qui exuebatur in omnibus ſacrificiis.

Ex Numer. IX.

1. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen in deſerto Sinai, anno ſecundo quo egreſſi ſunt è terra Ægypti, menſe primo, dicendo,

2. Facient filii Iſraël Peſah in tempore ſuo.

3. Decimo quarto die menſis hujus inter duas veſperas facietis illud tempore ſuo: ſecundum omnes ritus ſuos, & juxta omnes ceremonias ſuas facietis illud.

4. Alloquutus eſt itaque Moſes filios Iſraël ut facerent Peſah.

5. Fecerunt que Peſah in primo menſe, decimo quarto die ejuſdem inter duas veſperas in deſerto Sinai: ſecundum omnia quæ præceperat Jehova Moſi, ſic fecerunt filii Iſraël.

6. Fuerunt autem quidam immundi ſuper anima hominis, qui non potuerunt facere Peſah die ipſo: tunc acceſſerunt coram Moſe & coram Aharon ipſo die,

7. Dixerunt que homines illi ad eum, Nos immundi ſumus ſuper anima hominis: utquid prohibemur ne offeramus oblationem Jehovæ tempore ſuo in medio filiorum Iſraël?

8. Et dixit ad eos Moſes, State, & audiam quid præcipiat Jehova pro vobis.

9. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

10. Alloquere filios Iſraël, dicendo, Quicunque fuerit immundus ſuper anima, aut fuerit in via remota, ex vobis, vel ex generationibus veſtris, faciet Peſah Jehovæ.

11. Menſe ſecundo, decimo quarto die inter duas veſperas facient illud: cum infermentatis, & herbis amaris comedent illud.

12. Non relinquent *quicquam* ex eo uſque mane, neque os confringent in eo: ſecundum omnes ritus Peſah facient illud.

13. Vir autem qui eſt mundus, aut in via non fuerit, & ceſſaverit facere Peſah, excidetur anima illa è populis ſuis, quia oblationem Jehovæ non obtulit tempore ſuo: peccatum ſuum portabit vir ille.

14. Si vero habitaverit apud vos peregrinus, & fecerit Peſah Jehovæ, juxta ritum Peſah, & juxta ceremonias ejus ſic faciet: ritus unus erit vobis, tam peregrino quam indigenæ terræ.

Numer. 9. 1. *Loquutus eſt autem Jehova.*] Quod Deus ante annum elapſum populo in memoriam reducit celebrationem Paſchatis, quanta fuerit populi incuria inde colligitur, quæ etiam ingratitudinem prodit. Quid enim facturi erant poſt annos quinquaginta, quum periculum fuerit ne oblivio illis tam exiguo tempore obreperet? Nam ſi ultro ad officium ſeduli fuiſſent, ſupervacuum erat iterum repetere quod tam ſevere additis minis injunctum fuerat. Nunc vero admonet Deus, anno ad finem vergente, inſtare diem quem Paſchati præfixerat: quo certius diſceret Iſraëlitæ, quotannis recurrere ſolenne iſtud ſacrificium, atque ita nefas eſſe intermitti. Deinde jubet diligenter ſervari omnes ceremonias, ne quo extraneo fermento puram inſtitutionem corrumpant. Tandem laudatur eorum obedientia, quod nihil Dei mandato addiderint, vel inde quicquam omiſerint.

6. *Fuerunt autem quidam.*] Hic per occaſionem inſeritur quæſtio, ſi quos impediat ſubita immundities ne Paſcha ſimul cum aliis celebrent, quid factu opus ſit: quum è populo ſuo expungat Deus quicunque non coluerint eam redemptionis ſuæ memoriam. Etſi autem hic attingitur hiſtoria, quia tamen præcipuas partes obtinet doctrina quæ ad puram juſtamque Paſchatis obſervationem pertinet, imo locus hic quaſi appendix eſt generalis præcepti, in eundem contextum referre viſum eſt. Dicit Moſes quoſdam repertos fuiſſe immundos ſuper anima hominis: nempe quia vel cadaver attigerant, vel ingreſſi fuerant domum funeſtam, vel interfuerant mortui hominis exequiis. tales enim Lex pollutos cenſebat, ut alibi videbitur. Hinc ſpecies repugnantiæ: quia nec immundis licebat ad ſacrum epulum accedere, & omittere tale pietatis exercitium nefas erat. Et Moſes confeſſus eſt ſe hac in re perplexum eſſe, quum tempus ad Deum conſulendum petiit. In quo perſpicitur ſingularis Prophetæ modeſtia, quod de re dubia pronunciare auſus non eſt, quamvis fuiſſet legislator. Sed hoc modo clarius oſtendit ſe minime ex proprio ſenſu legem tuliſſe, cujus ne interpres quidem eſſe auderet, niſi accepto novo mandato. Ergo Deus ſpeciali exceptione poſita, *κανονίζει* tollit. Nam quos juſta neceſſitas excuſabat, iis aſſignat ſecundum menſem, ut Paſchatis ſint ipſi quoque participes, nec tamen diem ſuo arbitrio mutent. Hoc privilegio non tantum immundos ſublevat, ſed qui procul remoti erant ab hominum contubernio: de quibus eadem moveri poterat quæſtio. Neque enim conſentaneum fuiſſet aliquem ſeorſum Paſcha edere: imo ſi minor erat familia, accerſebantur vicini, ut ad totum agnum edendum numerus ſufficeret. Peregrinus ergo aut viator ſi procul à ſuis abeſſet, opus habebat remedio ne in pœnam incideret. Porro tenendum eſt hoc non dari contemptoribus; neque hac indulgentia foveri profanam incuriam, ſed tantum conſuli eorum neceſſitati qui immunditiem errore contraxerant, vel non potuerant effugere, vel qui præter ſpem in itinere deprehenſi fuerant. Dicuntur enim ultro conqueſti fuiſſe apud Moſen qui propter immunditiem privati fuerant agni Paſchalis eſu. unde colligitur pia eorum ſollicitudo. Talibus ergo permittitur alterum Paſcha: ut ſecundo menſe recuperent quod abſque ſua culpa perdiderant. Interea ſevere mandatur ne quid mutent in toto ritu. Et hac cauſa iterum repetitur quod ante viſum fuit, ut cum herbis amaris comedant, ne os confringant, & ſimilia. Sed ne longius extenderetur libertas, rurſus pœna edicitur ſi quiſpiam, exceptis duabus his cauſis, Paſcha facere neglexerit. Scimus enim, niſi coërceantur homines, nimium ſibi licentiæ concedere ad captandos hinc inde prætextus. Clarius autem hic exprimitur quam antea, agnum Paſchalem fuiſſe victimam. Sic enim dicitur verſu 7. Cur prohibebimur ne offeramus oblationem? Et verſu 13. Quia oblationem Jehovæ non obtulit. Quod ideo admoneo, quia exiſtimant

ſtimaot quidam ſic occiſum fuiſſe agnum Paſchalem ut non eſſet ſacrificii immolatio: quum tamen diſtincte Paulus doceat victimam illic fuiſſe oblatam, & deinde annexum epulum. Sic enim ſonant ejus verba, Chriſtus Paſcha noſtrum immolatus eſt, itaque epulemur. In nomine animæ, quoties pro corpore exanimi capitur, aotiphraſin eſſe exiſtimo linguæ Hebraicæ ſatis frequentem.

Appendix altera de primogenitis conſecrandis.

Ex Exodi XIII.

1. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,
2. Sanctifica mihi omne primogenitum: quicquid aperit vulvam in filiis Iſraël, tam in hominibus quam in jumentis, meum eſt.

Ex eodem Capite.

11. Quumque introduxerit te Jehova in terram Chananæorum, quemadmodum juravit tibi & patribus tuis, & dederit eam tibi.
12. Tunc transferes omnem apertionem vulvæ ad Jehovam: omnem apertionem, *emiſſionem jumenti quod tuum erit: maſcula, Jehovæ erunt. *vel, *fœtum, vel, primogenitum.*
13. Omne autem primogenitum aſini redimes hœdo: quod ſi non redemeris, cervicem franges ei. omne quoque primogenitum hominis in filiis tuis redimes.
14. Quum autem interrogaverit te filius tuus cras, dicendo, Quid hoc? Tum dices ad eum, In fortitudine manus eduxit nos Jehova ex Ægypto è domo ſervorum.
15. Et fuit, quum induraſſet ſe Pharao quominus dimitteret nos, occidit Jehova omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis uſque ad primogenitum animalis: idcirco ego ſacrifico Jehovæ omnem apertionem vulvæ ſexus maſculini, omne autem primogenitum filiorum meorum redimo.
16. Et erit in ſignum ſuper manum tuam, & in frontalia inter oculos tuos: quia in fortitudine manus eduxit nos Dominus ex Ægypto.

Ex Exodi XXII.

29. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.
30. Sic facies de bove tuo, & de pecude tua: ſeptem diebus erit cum matre ſua, die autem octavo dabis eum mihi.

Ex Exodi XXXIV.

19. Quicquid aperit vulvam, meum eſt, & omne pecus tuum quod memorabitur inter primogenita boum & ovium.
20. At primogenitum aſini redimes ove: quod ſi non redemeris, tunc cervicem præcides illi. omne primogenitum filiorum redimes.

Ex Levit. XXVII.

26. Veruntamen primogenitum quod jure primogenituræ debetur Jehovæ inter animalia, nemo conſecrabit: ſive bos, ſive ovis, Jehovæ eſt.

Ex Deut. XV.

19. Omne primogenitum quod naſcetur in armento, aut in grege tuo, maſculum ſanctificabis Jehovæ Deo tuo: non uteris opera primogeniti bovis tui, neque tondebis primogenita gregis tui.
20. Coram Jehova Deo tuo comedes eum annuatim in loco quem elegerit Jehova, tu & familia tua.

Exodi 13. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum.*] Hoc quoque ad primum præceptum reſpicit: quod Deus ſibi jus in primogenitis vendicat, ne unquam intercidat redemptionis memoria. Sic enim admoniti fuerunt Iſraelitæ colendum ſibi eſſe Deum illum cujus gratia ſalvi evaſerant à communi Ægypti clade: deinde ſingulari privilegio ſe ideo fuiſſe ereptos ut ſe liberatori Deo conſecrarent. Nam oblatio quam hic flagitat, nota fuit ſeparationis inter ipſos & profanas gentes. Primus fœtus vocatur Apertio vulvæ, quia principium eſt generationis. Quod autem dicitur, In filiis Iſraël, quum ſermo ſit tam de brutis animalibus quam de progenie & liberis, hac nota feras beſtias à jumentis aliiſque cicuribus ad comeſticis animalibus diſcernit. Etſi autem primogenitos in genere Abrahæ ſibi offerri jubet, non dubium tamen eſt quin hoc ad totius populi ſanctificationem extendi debeat. Primogenita autem dicit ſua eſſe, quia eorum præcipue ſalutem debebant ejus miſericordiæ acceptam ferre: ſed eadem ratione ſignificat omnes eſſe ſuos.

11. *Quumque introduxeris te.*] Proſequitur quod initio capitis attingere coeperat, de conſecrandis primogenitis: ut hoc modo teſtentur ſingulari Dei beneficio ſe eſſe ſalvos, quando primogenitis Ægyptios orbavit. Animalia autem ſibi adduci jubet, ut ſcilicet maſtentur in tabernaculo: trita figura, qua olim dicebantur fideles ſe & ſua dona in conſpectum Dei ſiſtere, quum ad tabernaculum accederent. Quod Exodi 22. jubentur alere ſeptem diebus primogenita, poſitum eſſe interpretor ut obviam fraudibus eatur: quia ſi fœtus teneriores avulſi ab uberibus matrum ſtatim fuiſſent traditi ſacerdotibus, inutilis

fuiſſet oblatio. Quanquam non dubito diem octavum fuiſſe electum, quia Circumciſioni præſcriptus erat. Additur exceptio, ut pro xſioo pretium ſolvatur, cujus immunda fuiſſet oblatio. Quantum ad liberos eorum attinet, ipſos quoque redimi oportuit: quia nec poterant offerri in ſacrificium, nec fieri ſacerdotes.

Exodi 34. 19. *Quicquid aperit vulvam, meum eſt.*] Definit hoc loco qualis debeat eſſe oblatio, nempe ut tam liberos ſuos quam immunda animalia pretio redimant: quod autem in ſacrificium offerri poteſt, id adducant ad tabernaculum. Porro homines ſibi Deus conſecrari noluit, quia tribum Leviticam elegerat, ut alibi videbimus. Liberi ergo & ſui juris manebant maſculi compoſitione pecuniæ. Immunda vero animalia eodem modo accommodari poterant in uſum domeſticum, nempe poſtquam Deo, cujus erant propria, & qui ea ſibi vendicabat, ſolutum fuerat pretium. Si quis tamen non taoti æſtimaret aſinum, vel aliud immundum animal, caput abſcindi Lex juſſit: qoia alioqui ſacrilegium fuiſſet utilitatem pereipere ex Dei peculio, vel (quod idem eſt) aptare in privatum uſum quod Deus ſibi adjudicaverat.

Levit. 27. 26. *Veruntamen primogenitum.*] Hic interponitur una cautio, ne quis offerat quod jam eſt in ipſius Dei mancipio. Nam quia homines ut plurimum ad oſteotationem propenſi ſunt, ac proinde in teſtandæ pietate una fidelia dealbant duos parietes (ut eſt in proverbio) huic vitio occurrit Deus, primogenita ſibi offerri vetans, quæ id erat offerre ex rapina. Summa eſt, ne conſecrando quod jam Deo debetur, fictæ liberalitate alienum & ſacrum furentur. Nec miremur hanc legem fuiſſe latam: quia omnibus fere ingenita eſt hæc ambitio, ut inani donationis ſpecie Deum obſtringere cupiant: ideoque ſibi accerſant diverſos titulos ad jactanda pietatis officia, quæ nulla ſunt. Et certe niſi Judæis injectum fuiſſet frenum, zeli duplicis famam captaſſent ex fallaci oblatione, nec illis religio fuiſſet, dicendi prætextu eripere Deo quod ipſius erat.

Deut. 15. 19. *Omne primogenitum.*] Adjungitur altera cautio, ne quem fructum percipiant ex primogenitis. Poterant enim bovis opera vel ad arandum, vel ad vecturas uti: poterant etiam agnos tondere, & poſtea animal deterius adducere ad tabernaculum. Jubet ergo Deus ſibi bona fide & in ſolidum perſolvi quod debetur. Quod ſi ex malis moribus natæ ſunt bonæ leges: hinc apparet quam audaci cupiditate ſemper rapti fuerint homines ad impium lucrum, quum expreſſo edicto prohiberi neceſſe fuerit ne ex Dei jactura diteſcere appeterent. Quare ſi acuti & ſagaces ſint alii ad alios circumveniendos, nihil mirum, quando minime dubitant malis artibus cum Deo ludere.

Appendix alia de cenſu ſolvendo.

Ex Exodi XXX.

11. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

12. Subduces ſummam filiorum Iſraël, prout numerati fuerint inter eos: dabunt ſinguli redemptionem animæ ſuæ Jehovæ quum numeraveris eos, & non erit in eis plaga quum numeraveris eos.

13. Hoc dabunt quiſque tranſiens inter numeratos, dimidium ſicli ſecundum ſiclum ſanctuarii. Viginti obolorum eſt ſiclus, dimidium ſicli erit oblatio Jehovæ.

14. Dives non augebit, & pauper non diminuet ex dimidio ſiclo, dando oblationem Jehovæ ad expiandas animas veſtras.

15. Accipieſque pecuniam expiationum à filiis Iſraël, & dabis eam in opus tabernaculi teſtimonii: eritque filiis Iſraël in memoriale coram Jehova, ad expiandas animas veſtras.

12. *Subduces ſummam filiorum Iſraël.*] Tributum quod hic in peragendo cenſu populi exigit Deus, optima ratione annectitur primo præcepto. Nam Deus tributarios ſibi faciens, ſuæ ditionis ac imperii eſſe oſtendit: & quia ſibi eos acquiſiverat, pendi ſibi voluit illud agnitionis voluntarium munus. Principes in ſubditis numerandis recenſent vires ſuas: Deus autem, qui hominum opera & auxilio non indiget, voluit Iſraëlitas ſaltem aliquo ſymbolo teſtari ſe degere ſub ejus manu à quo redempti erant. Itaque
2 Sam. 24. vers. 2. quum David populum recenſuit, hæc fuit quædam populi emancipatio à Dei ſubjectione: ideoque hæc ſive ſuperbia, ſive temeritas, ſive ingratitudo tam ſevere punita fuit. Porro quia cenſeri populum & utile & rectum fuit, addita exceptione id permittitur, ut pretium redemptionis in ſingula capita ſolvendo, Deum unicum regem agnoſcat. Quod alii placationem vel expiationem non male vertunt: quia dum ſe fatebantur Deo vitam debere, hoc gratitudinis teſtimonio illis erat propitius. Quanquam poſſet à tegendo deduci: quia quum ultro ſe Deo ſubjicerent, & confugerent ſub umbram alarum ejus, hoc integumento muniti erant ac tuti. Ideo paulo poſt dicitur munus hoc offerri Deo, ad propitiandum ſuper animabus. Et hoc aliis verbis exprimitur, Ne contingat plaga, aut clades: quia in ſola Dei protectione ſita erat eorum ſalus, ne quibuslibet malis obnoxii eſſent. Et quum Pharaonis ſervi eſſent, non fuiſſet legitima eorum libertas niſi Deo auctore & vindice. Quare ne pœna tanquam ſervis fugitivis infligeretur, æquum fuit ſalutem ſuam ſolenni ritu ipſos Deo adſcribere. Parem vero ſummam omnibus indixit, ut ſinguli, cujuſcunque eſſent ordinis, à minimo uſque ad maximum, ſcirent ſe totos illius eſſe. Nec mirum eſt, quum hoc eſſet jus perſonale, (ut vulgo loquuntur) facultates non veniſſe in rationem, ut plus conferret dives quam pauper, ſed idem pro ſingulis capitibus pretium ſolveretur. Valebat autem ſiclus ſanctuarii tetradrachma Atticum, quod Budæus æſtimat quatuordecim ſolidis Gallicis, vel circiter. Nam didrachma ſeptem facit ſolidos, ſicuti draebma ſimplex duos & ſeſquialterum, minus denario turonico. Illud eſt didrachma cujus mentio fit
Mat. 17. vers. 24. apud Matthæum. Nam quum ſubacti à Romanis eſſent Judæi, probabile eſt, quo magis contumelioſa eſſet ſervitus, hoc jus tributi ad victores translatum eſſe. Nam hæc oblatio divinitus præſcripta, quum liberationis eſſet ſymbolum, Judæos ab omni profano imperio eximebat, tanquam liberos, vel uni Deo addictos. Sed quia Dei jugum ſua pervicacia excuſſerant, ſe jure ſuo expoliarı ſponte paſſus eſt Deus ut alienæ tyrannidi eos ſubjiceret. Idque contigit ſub Chriſti adventum, ut ejus deſiderium in eorum animis nova & inſolita oppreſſio magis accenderet. Quanti ſper autem ex Legis mandato cenſus hic ſolutus eſt, admoniti fuerunt Judæi ſe populum eſſe Deo ſacrum.

Ex Num.

Ex Numer. VI.

1. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,
2. Alloquere filios Iſraël, & dic eis, Vir aut mulier quum ſeparaverit ſe vovendo votum Nazaræi, ad ſeparandum ſe Jehovæ,
3. A vino & ſicera ſeparabit ſe: acetum vini, & acetum ſiceræ non bibet, neque ullum liquorem uvarum bibet, nec uvas recentes & ſiccas comedet.
4. Omnibus diebus ſeparationis ſuæ, ex omni quod conficitur ex vite vinifera, ab acinis uſque ad corticem, non comedet.
5. Omnibus diebus voti ſeparationis ſuæ novacula non tranſibit ſuper caput ejus, donec impleti fuerint dies quibus ſeparabit ſe Jehovæ, ſanctus erit, creſcere ſinet cæſariem capitis ſui.
6. Omnibus diebus quibus ſeparabit ſe Jehovæ, ad animam mortui non ingredietur.
7. Super patre ſuo aut ſuper matre ſua, ſuper fratre ſuo aut ſuper ſorore ſua, non polluet ſeſe illis quum mortui fuerint: quia conſecratio Dei ſui eſt ſuper caput ejus.
8. Omnibus diebus ſeparationis ſuæ ſanctus erit Jehovæ.
9. Si autem mortuus fuerit mortuus juxta eum ſtatim mox, & polluerit caput ſeparationis ejus: radet caput ſuum die purificationis ſuæ, die ſeptimo radet illud.
10. Die autem octavo afferet duos turtures, vel duos pullos columbæ ad ſacerdotem, ad oſtium tabernaculi conventionis.
11. Et faciet ſacerdos unum pro peccato, & alterum in holocauſtum: expiabitque illum de eo quod peccavit ſuper cadavere, & ſanctificabit caput ejus die illa.
12. Et ſeparabit Jehovæ dies ſeparationis ſuæ, afferetque agnum anniculum pro delicto: & dies priores erunt irriti, quoniam polluta fuit ſeparatio ejus.
13. Hæc autem eſt lex Nazaræi: die quo completi fuerint dies ſeparationis ejus, conferet ſe ad oſtium tabernaculi conventionis,
14. Offeretque oblationem ſuam Jehovæ, agnum anniculum perfectum unum in holocauſtum, & agnam unam anniculam perfectam in ſacrificium pro peccato, & arietem unum perfectum in hoſtiam proſperitatum:
15. Caniſtrum præterea *panum* infermentatorum, ſimilam placentarum conſperſarum oleo, & lagana infermentata uncta oleo, & minham eorum, & libamina eorum.
16. Et offeret *illa* ſacerdos coram Jehova, facietque ſacrificium pro peccato illius, & holocauſtum illius.
17. Arietem quoque faciet ſacrificium proſperitatum Jehovæ, una cum caniſtro infermentatorum: faciet item ſacerdos minham ejus, & libamen ejus.
18. Tum radet Nazaræus ad oſtium tabernaculi conventionis caput ſeparationis ſuæ, capietque cæſariem capitis ſeparationis ſuæ, & ponet ſuper ignem qui eſt ſubter ſacrificium proſperitatum.
19. Capiet præterea ſacerdos armum coctum de ariete illo, & placentam infermentatam unam è caniſtro, & laganum infermentatum unum, & ponet ſuper manus Nazaræi, poſtquam raſa fuerit ſeparatio ejus.
20. Et elevabit ea ſacerdos elevatione coram Jehova: ſanctitas eſt ſacerdotii ultra pectuſculum elevationis, & ultra armum exaltationis. & poſtea bibat Nazaræus vinum.
21. Hæc eſt lex Nazaræi qui voverit, & oblationis ejus Jehovæ pro ſeparatione ſua, præter id quod attinget manus ejus: ſecundum votum ſuum quod voverit, ſic faciet ſecundum legem ſeparationis ſuæ.

2. *Vir aut mulier quum ſeparaverit.*] Proxime Deus cenſum indixit in ſingula capita, quo Iſraëlitæ agnoſcerent ſe eſſe ejus libertos. Itaque ea profeſſione omnes à minimo uſque ad maximum ſibi obſtrinxit: nunc de arctiore obligationis vinculo differitur. Si quis Deo ad tempus ſponte ſe vovebat, eos vocarunt Nazaræos: quod tantundem valet atque Separatos, vel eximios: quia major erat in illis dignitas & præſtantia quam in communi plebe. Erant enim tanquam Eccleſiæ ornamenta, & Deus volebat in illis ſpeciale gloriæ ſuæ decus fulgere. Dum itaque cum Iſraëlitis expoſtulat Amos quod Prophetas à docendi munere prohibuerint, & Nazaræos corruperint potu vini, amplificandi criminis cauſa dicit ſingulari dote fuiſſe ornatos, quum Deus ex eorum filiis Nazaræos & Prophetas creaſſet. Et Jeremias ubi deplorat Eccleſiæ cladem, in hac deformitate inſiſtit, quod non appareant Nazaræi, ut olim, candidi inſtar nivis, &c. Nec dubium eſt quin Jacob filium Joſeph titulo Nazaræi inter fratres ſuos inſigniens, Spiritu prophetico ad gradum bonoris alluſerit, quo poſtea ſub Lege excelluerunt qui ſe Deo ſeparaverant, quaſi Eccleſiæ lumina. Etſi ergo ad totum populum non pertinuit hæc religio, merito tamen inter pietatis exercitia cenſeri debet: quia Nazaræi tanquam anteſignani erant ad viam aliis monſtrandam. Etſi autem non omnes trahebant ad ſuum exemplum, zeli tamen ipſorum ardor rudibus & infirmis non parum proderat, ut quiſque pro ſui modulo incitaretur. Porro quia fictitios omnes cultus abominatur Deus, licentiam hanc compeſcuit, claram & certam Legem ferendo. Et ex teſtimonio Amos quod nuper citavi, colligitur non alium fuiſſe auctorem Nazaræatus quam Deum ipſum. Tenendum igitur eſt, Nazaræos fulſiſſe in populo Dei quaſi pretioſas gemmas: & quamvis pauci eos imitarentur, fuiſſe tamen quaſi ſigniferos & duces, qui ſtudium colendi Dei in vulgo accenderent. Obiter vero notandum eſt, Samſonem diverſo modo fuiſſe Nazaræum: quia non ad tempus duntaxat votum ſuſcepit, ſed ab utero ſanctificatus fuit in totam vitam, & ſegregatus ab aliorum numero. qua etiam in parte Chriſti fuit typus, & quaſi perſonam geſſit. Et certe quicquid hic docetur, ad unicum ſanctitatis fontem referri

Amos 2. verſ. 11.

Thren. 4. verſ. 7.

Gen. 49. verſ. 26.

referri debet: acſi Judæis Chriſti imago in ſpeculo ante oculos poſita fuiſſet. Nam quo quiſque propius ſub Lege ad Deum acceſſit, io eo magis enituit Chriſtus. Scimus totum Legale ſacerdotium nihil aliud fuiſſe quam ejus effigiem. Similis in Nazaræis ratio, quos puritas & abſtinentia inſigni privilegio ornavit.

3. *A vino & ſicera.*] Primum mandatum ut non ſolum abſtineant à vino, ſed ne uvas guſtent, vel quicquam vinaceum. Simplex obſervatio erat, vinum aut ſiceram quæ inebriat, non bibere: ſed quia perperam aſtuti ſunt homines in quærendis ſubterfugiis, ſpecies exprimere neceſſe fuit, in quibus fraus Legi fieri poterat. Ita vini abſtinentia non caruiſſet deliciis: ſive uvis recentibus, ſive paſſis ſe faturaſſent: ſive aquam permiſcuiſſent uvis, & inde expreſſiſſent liquorem: vel in aliis confectionibus delicatis æquaſſent vini ſuavitatem. Hinc vero apparet quam multiplices receſſus & latebras habeat hominum hypocriſis, dum ſine pudore excogitant eraſſos tergiverſandi modos ad Deum quoque fallendum. Sed notandum ſimul eſt, tolerabilem coram Deo non eſſe ejuſmodi vafriciem, cui nihil æque placet quam ſinceritas. Videbimus etiam alibi, ſacerdotes quum vicibus ſuis peragerent munus ſuum in templo, fuiſſe abuſu vini prohibitos. Hæc ſimilitudo oſtendit quod jam dixi, Nazaræos fuiſſe ita ſegregatos à vulgo ut ad honorem ſacerdotii accederent. Porro vini abſtinentia non modo ad cavendam ebrietatem illis injuncta fuit, ſed ut victus eſſet reſtrictior & magis frugalis: cujus præcipuas lautitias ſcimus eſſe in potu vini. Itaque quicunque abſtemii non ſunt, contenti potius erunt mediocri & vulgari cibi copia quam privari vino ſuſtineant. Colligere tameo ex hac doctrina licet, in victus temperantia ſobrium vini uſum primas partes tenere: ac in omni liguritione & gulæ ingluvie hoc maxime eſſe damnabile, ſi quem nimis oblectet vini ſapor, quo ſe ingurgitet. Itaque mirum eſt, quum Monachi ſub Papatu perfectione Angelica ſe venditent, omnes uno conſenſu refugere vini abſtinentiam. Multis nefas eſt tota vita bubulam vel ſuillam carnem attingere: ac martyres ſe fore gloriantur ſi malint obſtinate mori quam carnem edere, ſi ita neceſſitas poſtulet. Atqui in eorum continentia adeo nihil æquabile eſt ut hæc in cibo auſteritas plus illis licentiæ in potu acquirat: acſi data opera ſe ulciſci vellent. Quare eorum jactantia nihil putidius, quum ſola carnis abſtinentia merum Dei ſit ludibrium.

5. *Novacula non tranſibit.*] Cur Deus voluerit Nazaræos comam alere, certo definiri non poteſt: niſi ut præſenti conſecrationis ſuæ ſymboli magis ac magis de voto ſervando commonefierent. Quidam putant inſigne fuiſſe decoris, acſi coronam in capite geſtarent. In quo pluſquam ridiculi ſuot clerici Papales, qui in circulari raſuræ forma Nazaræis ſe comparant. Mihi vero ſufficit illa ratio, quod Deus ad præſtandam voti fidem viſibili ſigno eos aſſidue exercuerit. Virile eſt tondere caput, idque, teſte Paulo, dictat ſenſus naturæ. Nazaræis ergo in capite conſpicua fuit ſua ſanctitas, ne per incuriam vel oblivionem delinquerent. De mulieribus quæſtio eſt, quibus ſupervacuum videtur hoc præceptum: quæ tamen facile ſolvitur, ideo adſtrictas fuiſſe ad capillum fovendum, ut non tantum ex conſuetudine, ſed etiam ex voto comatæ eſſent. Quanquam ſynecdoche nihil habebit abſurdi, ut dicatur de utroque ſexu quod tantum ad viros pertinet. Hic etiam Diabolus olim ludos ſuos egit, quum Monachos excitavit, (ſicuti refert Auguſtinus) qui prolixa coma ſanctimoniam oſtentarent. Nam quo ſpecioſios eſſet cœlibatus cui nomen dederant, negabant ſe eſſe viros: quia ſe caſtraverant propter regnum cœlorum. Ergo longior capillus erat virginitatis inſigne. Hæc exempla nos à Satanæ impoſturis cavere doceant, ne *ſanctiola* nos ſimias magis veterum quam imitatores faciat.

1 Cor. 11. verſ. 6.

in libro De opere monachorum.

6. *Ad animam mortui.*] Hoc etiam illis commune fuit cum ſummo Sacerdote, ne parentes quidem mortuos lugere. Quanquam duo præcepit Moſes, ne vel ingreſſu funeſtæ domus, vel luctu ſe Nazaræi polluant. Officium quidem humanitatis erat ſepelire mortuos: ſiqui tamen ex plebe mortuum attigerant, vel acceſſerant ad lectum aut feretrum, polluebantur. Plus autem à Nazaræis Deus exigit, ne ſcilicet immunditiem contrahant: quia non ſatis fuit (ut paulo poſt iterum dicetur) communi more ſe purgare, ſed oportuit ab omnibus inquinamentis eſſe procul remotos. Cur autem tactus cadaveris pollutio fuerit, ſuo loco fuſius tractabitur. Nunc uno verbo tenendum eſt, quia in morte repræſentatur Dei maledictio peccati merces, admonitos fuiſſe Iſraëlitas ut ſibi caverent ab operibus mortuis. Luctus alia fuit ratio: ut qui ſpecialem Dei cultum profitebantur, alios incitarent ad magnitudinem animi & conſtantiam. Dolere & flere, dum amicis orbamur, ſi vitioſum eſſet, non fleviſſet Chriſtus ad ſepulchrum Lazari. ſed quia mœrori ſemper adjuncta eſt perturbatio, & in luctu homines ut plurimum ambitioni & pompæ ſtudent, ac ſeipſos ultro & data opera ad exceſſum provocant, acſi non eos jam natura plus æquo illuc raperet: moderationis exemplum dare non poterant Nazaræi, ſi lugentibus ſe miſcuiſſent. Ergo ſicuti lautitiæ prius frenatæ ſunt, ita nunc contrario morbo, nempe triſtitiæ, remedium adhibetur. Etſi autem modum ſibi omnes ſtatuere debent, Nazaræis tamen præſcribitur aliquid majus, ut tanquam ſoluti & exuti terrenis affectibus, reliquo populo antecellant: ſicuti de Sacerdote poſtea videbitur.

Joan. 11. verſ. 35.

9. *Si autem mortuus.*] Hic præcipitur quid opus ſit facto ſi contigerit immundities quæ nulla diligentia præcaveri potuit. Si domum funeſtam ſciens & volens ingreſſus eſſet Nazaræus, vel ad mortuum acceſſiſſet, non abſque ſcelere violata fuiſſet religio: verum in morte repentina excuſabilis erat error, quem tamen Deus expiari jubet. Quicquid enim temporis à voto præterierat, pro nihilo ducit, nec vult in rationem venire. Hæc non levis fuit pœna, ut de integro votum ſolvere inciperet qui nullius culpæ reus erat. Præter temporis jacturam, ſacrificium quoque adjicitur, quo ſe ad novam confecrationem præparet qui pollutus fuit. Sed quia voluntaria erat conſecratio, nemo de immodico rigore conqueri potuit, cui ſe ultro ſubmiſerat. Interea oſtenſum fuit quam pretioſa Deo eſſet cultus ſui puritas. Duæ ponuntur Hebraicæ voces ex diverſis radicibus, quamvis ſint affines ejuſdem ſignificationis: qua loquendi forma melius exprimere voluit Moſes inopinatum mortis caſum. Nam quod prius intelligunt quidam Judæi de cruenta cæde, alterum vero de ſubita interitu, puerile eſt meo judicio.

13. *Hæc eſt autem lex Nazaræi.*] Nonc tandem docet Moſes quomodo poſt completum voti tempus redire debeant Nazaræi ad communem vitam. Ac primo jubet ſe ſiſtere ad oſtium tabernaculi: deinde offerre illic agnum integrum in holocauſtum, ovem in ſacrificium pro peccato, & arietem in hoſtiam proſperitatum, cum placentis oleo conſperſis, laganis, & panibus azymis, oblatione, & libaminibus. Quantum ad hoſtiam proſperitatum, quia erat gratiarum actio, non male quadrabat: neque etiam holocauſtum: quia merito ſibi gratulari poterant & celebrare Dei bonitatem qui perfuncti fuerant illo pietatis officio, quooiam eos dignatus fuerat Deus non vulgari honore. Sed quid ſibi voluerit ſacrificium pro peccato, quæſtio eſt: neque enim puris & ſanctis neceſſaria erat expiatio. Hic certe perſpicimus, quamlibet alacriter & ſtrenue conentur homines to-

tos

tos se offerre Deo, nunquam tamen attingere ad metam perfectionis, neque assequi quod studeant, quin semper obnoxii sint Dei judicio, nisi vitiis ignoscere. Unde apparet quam turpiter desipiant Papistæ, dum operibus supererogationis se Deum placare somniant. Nam si qua unquam supererogatio grata Deo fuit, sanctitas Nazarærum quæ testimonium habuit à Lege, hoc honore digna fuit. Deus tamen, completo voto, reatum fateri jubet: neque illum cultum loco meriti obtrudere patitur, sed sacrificium requirit: ut aliunde mutuentur quod ipsis deest qui videantur omnium perfectissimi.

Ex Deut. XXVI.

1. Quum autem ingressus fueris terram quam Jehova Deus tuus dat tibi in hæreditatem, & possederis eam, & habiteveris in ea,

2. Tunc accipies de primitiis omnium fructuum terræ, quas afferes è terra tua quam Jehova Deus tuus dat tibi, & pones in canistro: ibisque ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus, ut illic habitare faciat nomen suum.

3. Et venies ad sacerdotem qui erit in diebus illis, dicesque illi, Annuncio hodie Jehovæ Deo tuo quod ingressus sum terram quam juravit Jehova patribus nostris se daturum nobis.

4. Capietque sacerdos canistrum è manu tua, & ponet illud coram altari Jehovæ Dei tui.

5. Et loqueris, ac dices coram Jehova Deo tuo, Syrus *ille* inopia laborans pater meus descendit in Ægyptum, & peregrinatus est illic cum viris paucis, & evasit illic in gentem magnam, robustam & multam.

6. Molestia autem nos affecerunt Ægyptii, & afflixerunt nos, imposueruntque nobis servitutem duram.

7. Clamavimus itaque ad Jehovam Deum patrum nostrorum: & exaudivit Jehova vocem nostram, & aspexit afflictionem nostram, & laborem nostrum, & oppressionem nostram.

8. Et eduxit nos ex Ægypto cum manu forti, ac brachio extento, & terrore magno, & signis atque portentis.

9. Et introduxit nos ad locum istum, deditque nobis terram istam, terram fluentem lacte & melle.

10. Nunc igitur ecce, attuli primitias fructus terræ quam dedisti mihi, ô Jehova. & relinques illud coram Jehova Deo tuo, atque adorabis coram Jehova Deo tuo.

11. Et lætaberis in omni bono quod dederit tibi Jehova Deus tuus & domui tuæ, tu & Levita, & peregrinus qui est in medio tui.

Ex Numer. XV.

17. Loquutus est Jehova ad Mosen, dicendo,

18. Alloquere filios Israël, & dicas eis, Quum ingressi fueritis terram ad quam ego introduco vos,

19. Tum fiet, quum incipietis comedere de pane terræ, offeretis oblationem Jehovæ.

20. De primitiis conspersionum vestrarum, placentam offeretis in oblationem: sicut oblationem areæ, sic offeretis illam.

21. De primitiis conspersionum vestrarum dabitis Jehovæ, oblationem per generationes vestras.

Ex Exodi XXII.

29. Plenitudinem tuam & lachrymam tuam non differes.

Ex Exodi XXIII.

19. Primitias frugum novarum terræ tuæ adduces in domum Jehovæ Dei tui.

Ex Exodi XXXIV.

26. Principium primitivorum terræ tuæ inferes in domum Jehovæ Dei tui.

Deut. 26. 1. *Quum ingressus fueris.*] Eodem jure primitias frugum suarum solverejussi sunt Israëlitæ, quo censum in singula capita: nempe ut se & sua omnia Dei esse profiterentur. Hoc tantum fuit discriminis, quod census symbolum manumissionis fuit: ut agnoscerent se esse liberos, quia singulari Dei beneficio redempti essent. Primitiis autem testati sunt vectigalem Deo terram esse, nec alio titulo se ejus esse dominos quam precario: ut directum imperium & proprietas penes Deum unum maneret. Ergo huc tendebant primitiæ, ut quotannis renovarent adoptionis suæ memoriam: quod illis data esset peculiaris hæreditas in terra Chanaan, in qua Deum pie sancteque colerent, simulque reputarent, non promiscuo Gentium more divinitus se ali, sed instar filiorum: unde & sacer cibus. Ac de primitiis quidem alibi rursus agendum erit, quatenus pars fuerunt oblationum: sed hic præcipuum finem inserere necesse fuit, ut sciremus ideo fuisse impositas populo ut victum Deo acceptum referrent, testandæ pietatis causa, ac separati à reliquis gentibus, uni Deo Israël devincti essent.

2. *Tunc accipies de primitiis.*] Scimus in primitiis totum anni proventum fuisse consecratum. Ergo in illis gestavit populus testimonium suæ erga Deum pietatis, quem in victu quotidiano nutricium experieba-

riebatur. Hodie ceſſat quidem umbratilis ille ritus:
1 Cor. 10. verſ. 31. ſed veram obſervationem adhuc manere Paulus docet, ubi nos hortatur ad glorificandum nomen Dei etiam in cibo & potu. Quantum ad locum ſpectat ubi offerri debebant primitiæ, & cur dicatur illic Deus nomen ſuum locaſſe, alibi videbimus, quum ad ſacrificia ventum fuerit. Tantum breviter perſtringo quæ ſunt præſentis inſtituti.

3. *Annuncio hodie.*] His verbis confeſſi ſunt Iſraëlitæ ſe non adeptos eſſe terræ dominium propriis viribus, aut beneficio fortunæ: ſed mera liberalitate Dei, idque ex pacto. Itaque duo ſunt hujus ſententiæ membra, Deum gratuito pollicitum eſſe Abrahæ terram illam, ut cederet in hæreditatem poſteris: deinde fidem ſervaſſe, non modo quum filios Abrahæ in poſſeſſionem adduxerat, ſed quia tranquilla quies erat gratiæ acceſſio. Idem paulo poſt fuſius proſequitur, ubi jubentur Iſraëlitæ narrare quam miſera fuit patrum conditio donec eos Deus favore ſuo complexus eſt, & miſericordia dignatus. Reſpondendi verbum ſimpliciter accipio, ex uſu linguæ Hebraicæ, pro loqui, vel effari: niſi magis placeat teſtificari; quod optime convenit. Deſcribitur enim ſolennis profeſſio, qua ſe Deo quotannis obſtringebant. Porro originis ſuæ principium non ſumunt ab Abraham, ſed à Jacob: in cujus perſona illuſtrior poterat conſpici gratia Dei. Nam ex terra Chanaan profugere coactus, conſumpſerat in Syria bonam partem ætatis: (non enim domum reverſus eſt, niſi ſenex) deinde ruſtus fame & inedia compulſus fuerat migrare in Ægyptum: ubi tandem mortuus fuerat. Ergo neque hæreditario jure, neque ſuo Marte obtigerat illis terra: in qua ne peregrinari quidem conceſſum fuerat patri Jacob. Syrum porro nominant: quia quum uxores duxiſſet apud Laban, & filios genuiſſet, & priuſquam ſe accingeret ad reditum, proveƈtæ jam eſſet ætatis, videri poterat renunciaſſe terræ Chanaan. Quum ergo per multos annos contentus fuiſſet domicilio quod ſibi in Syria elegerat, merito confeſſi ſunt ejus poſteri fuiſſe quaſi advenam & exterum, quia diu fuerat extorris: & ſimili ratione ſe quoque cenſeri poſſe alienigenas. Addunt, patrem ſuum Jacob iterum valedixiſſe terræ Chanaan, quum urgente inopia deſcendit in Ægyptum. Et dum commemorant illic peregrinatum fuiſſe cum paucis, poſtea creviſſe in gentem magnam: hoc modo agnoſcunt ſe eſſe Ægyptios, quum illinc eſſent oriundi, ubi exordium fuerat nominis & gentis. Reliquo contextu melius confirmant ſe in terram Chanaan ductos fuiſſe Dei manu: quia oppreſſi tyrannide ad ipſum clamaverint, ac exauditi fuerint. Signa etiam & portenta celebrare juſſi ſunt, quibus clarius patefacta fuerat redemptio: ne dubitanter gratias Deo agerent, ſed purum ejus cultum opponerent omnibus Gentium figmentis. Alioqui enim frigidum fuiſſet hoc pietatis exercitium. Quod ultimo verſu ſequitur, Et lætaberis, videtur quidem eſſe promiſſio, quaſi Deus propoſita benedictionis ſuæ fiducia, populo ſtimulum adderet ad majorem ſtudii alacritatem: ſed clarior & magis genuinus videtur ſenſus fore ſi copula vertatur in adverbium temporis Tunc. Eſt enim hoc præcipuum in uſu cibi & potus, læta & hilari conſcientia percipere ex Dei manu paterni favoris teſtimonium. Nihil inquietudine miſerius. Ideoque Paulus certitudinem maxime requirit, ne
Rom. 14. verſ. 2. quis cibum ſuſtet abſque fide. Quo igitur promptiores ſint ad officium Iſraëlitæ, admonet Moſes, tunc demum liberum illis fore gaudium in uſu donorum Dei, ſi gratitudine defuncti fuerint, ut mandavit.

Numer. 15. 20. *Deprimitis.*] Hic aliud genus primitiarum indicitur: ut ſacras placentas offerant ex prima conſperſione. Offerebantur ex frugibus & ſpicis: ſed in ipſo pane magis viva fuit repræſentatio. Deus ergo, ſicuti ex area, ita & piſtrino & furno prodire voluit gratitudinis ſymbola, ut in ipſo quoque panis eſu populus eum ante oculos haberet.

Exodi 22. 29. *Plenitudinem tuam.*] Colligere licet ex hoc loco, oblatas fuiſſe primitias ut ſe & ſua Iſraëlitæ Deo addicerent: quia hæc duo conjunƈtim præcipit Moſes, ut mature conſecrent Deo ex copia novarum frugum, & primogenitos fœtus. Scimus autem in offerendis primogenitis repetitam fuiſſe liberationis memoriam, acſi ſalutem gentis ſuæ adeoque pecorum acceptam Deo ferrent. Hoc vero ad redemptionis gratiam fuit additum, quod continuo traƈtu victus etiam illis ſuppeteret. Quod plenitudinem quidam ad vinum reſtringunt, quia largiore copia fluat ex torculari, lachrymam vero de oleo accipiunt, quod parcius diſtillat, mihi non placet. Nec eorum ſententiam probo qui plenitudinem reſtringunt ad fruges aridas. Reƈtius mihi videtur, plenitudinem ſumi pro genere, per lachrymam vero notari liquores: acſi juberet Moſes, non tantum uvas & baccas olearum offerre, ſed guttas ipſas quæ expreſſæ fuerint è fruƈtibus. Altero loco idem confirmat Moſes, ne in primitiis Deum fraudent, atque ita ſpeciant redemptionis beneficium, & in cibo & in potu profaneſcant: quin potius in parte frugum, totius anni victum ſanƈtificent. Nec vero abs re Moſes rem unam minime obſcuram toties inculcat, quum tam multæ admonitiones ſpretæ & vilipenſæ fuerint à Judæis, ſimulac reverſi ſunt ab exilio Babylonico: ſicuti conqueritur Malachias capite tertio.

Ex Levit. XII.

ET loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Loquere ad filios Iſraël, dicendo, Mulier ſi miſſo ſemine conceperit, & pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus: juxta dies ſeparationis morbi fui immunda erit.

3. Porro die octavo circumcidetur caro præputii ejus.

4. Et triginta tribus diebus ſedebit in ſanguine purificationis: nullam rem ſacram tanget, & ad ſanƈtuarium non veniet, donec completi fuerint dies purificationis ſuæ.

5. Quod ſi fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, ſecundum ſeparationem ſuam: & ſexaginta ſex diebus ſedebit in ſanguine purificationis ſuæ.

6. Poſtquam autem impleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio vel pro filia, afferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, aut turturem, in oblationem pro peccato, ad oſtium tabernaculi conventionis ad ſacerdotem.

7. Et offeret ipſum coram Jehova: & expiabit eam, & mundabitur à vena ſanguinis ſui. Hæc eſt lex parientis maſculum vel fœminam.

8. Quod ſi non potuerit offerre agnum, tunc accipiet duos turtures, aut duos pullos columbæ, unum in holocauſtum, & alterum ad oblationem pro peccato: expiabitque eam ſacerdos, & mundabitur.

2. *Mulier ſi miſſo ſemine.*] Hæc ceremonia ſpectavit in duos fines: nam primo admoniti fuerunt Judæi de communi naturæ corruptione, deinde nbſatum illis fuit mali remedium. Immunda cur prononcietur mulier quæ concepit & pepetit, mioime obſcurum eſt. nempe quia totum Adæ genus pollutum eſt, ac ſordibus infectum: ut mater ex ſobole quam utero geſtat jam cootrahat immunditiem, deinde iterum ipſo partu inquinetur. Hinc apparet quam fœda & fœtida coram oculis Dei noſtra ſit cooditio; quando naſcendo, atque etiam nondum nati cootagionem matribus noſtris aſpergimus. Omnium fere conſenſu receptum eſt, hic tantum damnari libidinem io coitu viri & mulieris, ſed nimis craſſo errore: nequa enim exigitur purificatio niſi in progenie. Atque hue pertinet verbum זכר, quod recte exprimi non poteſt niſi per verbum ſeminandi: ideoque non hic damnatur generaliter impuritas in concubitu, ſed io generatione. quod diligenter notandum eſt. Coitus enim viri & mulieris per ſe, abſque ſobolis reſpectu, turpis eſt ac pudendus. Atqui nunc ſobolis procreatio, quæ debuerat obſcœnitatem tollere, pollutionis cenſetur cauſa: quia totum Adæ genus contagione refertum eſt. Unde etiam aperte refellitur error Pelagii, qui peccatum negavit ab Adam propagatum eſſe ad poſteros; & nos imitatione, non origine, peccatum à parentibus trahere finxit. Neque enim immunda eſſet mater ſi puri & integri abomni inquinamento eſſent liberi. Voluit igitur hoc ritu Deus veterem populum docete, cunctos homines maledictos naſci, & corruptionem hæreditariam ſecum afferre, quæ matres ipſas polluat. Siquis objiciat, ſanctum conjugium hoc modo dedecore probroque affici, in promptu eſt reſponſio: quod thorus conjugalis macula caret, id debere adſcribi Dei indulgentiæ. Quod ergo generant maritus & uxor legitime conjuncti, non ſimpliciter licitum eſſe cenſetur, acſi generatio prorſus omni vitio careret, ſed per veniam & ſingulari privilegio: quia conjugii ſanctitas tegit quod alioqui poterat in culpam impotari, & ipſas vitioſæ naturæ ſordes abluit. Unde apparet oulla ignominia notari conjugium, cujus reſpectu legitima eſt ſobolis procreatio. Neque tamen inde ſequitur, liberos qui iode gignuotur, ſanctos eſſe & à labe immunes: quia ſubreatu maledictionis manent quicunque ab incredulis naſcuntur: qui vero à fidelibus ducunt originem, ſupernaturali gratia, & ſpeciali adoptione liberantur à communi interitu. Atque id palam & diſtincte teſtatum eſſe voluit Deus, ſacrificium pro eorum purificatinne exigens. Etſi enim Moſes de ſola matre videtur loqui, Lucas tamen fidus interpres ſobolem ipſam ſimul comprehendit. Si quæratur annnn ad labem naturæ corruptæ abolendam ſufficeret Circumciſio: reſpondeo, hinc melius liquere quanta ſit noſtra immundities, in qoa purganda non fuit Deus uno ſymbolo contentus; ſed ut in continua ejus meditatione ſuos exerceret, alterum ſubſidii loco addidit. idque fecit præſertim, quia ſciebat quam profuoda ſit hominum hypocriſis, quam ſecure ſibi in vitiis blandiantur, quam difficile ſit eorum ſuperbiam bumiliare: & ubi ſuas miſerias agnoſcere coacti ſunt, quam facilis ſubrepat oblivio. Ergo quod expreſſa Circumciſioni fit mentio, per anticipationem dictum eſſe arbitror: ne objicerent Iſraëlitæ, Circumciſionem hac de cauſa ſibi eſſe datam ne qua reſtaret maledictio. ideoque ſignificat Deus, quamvis Circumciſio præcedat, non tamen fore purgationem de qua nunc præcipit, ſupervacuam. Quæ hic de ſemine garriunt Rabioi, cum ridicula ſunt, tum propter ſpurcitiam indigna pudicis auribus: quum ſimpliciter, ut diximus, Moſi propoſitum fuerit, tunc demum purgationis fore ream mulierem ſi ex coitu naſcatur generatio. Porro quia Filius Dei, quamvis non tantum mundus eſſet, ſed ipſa puritas, ſuſtinuit tamen in ſe perſonam generis humani, huic Legi ſe ſubjecit: & (quemadmodum docet Paulus) Legi factus eſt obnoxius, ut eos qui ſub Legis maledictione erant redimeret. Atque hac voluntaria ſubjectione veterem ritum abrogavit: ut bodie neceſſe noo ſit ſiſtere pueros infantes ad tabernaculum viſibile cum ſacrificio, ſed tantum quærenda ſit in ipſo puritas. *Gal. 3. verſ. 13.*

4. *Et triginta tribus duobus.*] Septem dierum immundities in maſculo, & quatuordecim in fœmella, ad fluxum ſanguinis refertur: ſicuti & de fluxu menſtruo alibi videbitur. Reliquo poſtea tempore probibetur à ſacris & acceſſu ſanctuarii (qua voce hic intelligitur atrium) atque ita cenſetur profana: non tantum ut ipſa ſortem ſuam defleat, ſed ut maritus quoque, tali ſpectaculo admonitus, diſcat originale peccatum borrere & deteſtari. Fuit enim hæc ſeria ad pœnitentiam exhortatio, quum in ſobole, in qua alioqui fulget Dei benedictio, ſe contaminari agnoſcerent. Jam quæritur cur tempus purgationis ſit duplicatum in fœmella. Quidam hoc naturali cauſæ adſcribunt, quia fluxus ſanguinis tunc ſit diuturnior. Et certe hæc pars fuit caſtitatis & continentiæ, ne mariti uxores tunc attingerent. Sed quia alius eſt bujus ceremoniæ finis, nempe ut divinæ maledictionis ſpeculum eſſet in totum humanum genus, huc magis attendere convenit. Quod quidam magis io partu fœmellæ matrem ioquinari ſeotiunt, quia in hoc ſexu major ſit vitioſitas, neſcio an firmum ſit. Magis forte probabile eſſet quod alii cauſam fuiſſe exiſtimant: quia mulier initium fuit defectionis, dum à ſerpente decepta mariuum ſecum perdidit, & poſteros ſecum traxit in eandem tuinam. Mihi tamen rectius videtur, Circumciſionis reſpectu levatam vel diminutam fuiſſe pœnam in maſculis. Etſi enim Deus ſymbolo illo utrumque ſexum ſibi conſecrabat, ſingulari tamen gratia dignatus eſt maſculos, fœdus ſuum in eorum carne incidens. Quare & Circumciſionis eorum diſerte meminit: cui adjuncta erat dignitas, ut fœminis præcelleront. In fine capitis pauperum habetur ratio, ne, ſi nimio ſumptu gravati eſſent, tardiores ad Legem ſervandam redderentur. Unde colligimus, Deum externas pompas & opes nihil morari: quum exiguum pauperis ſacrificium pro inopiæ modulo, noo minus quam pingue divitis, gratum ei fuerit.

Ex Deut. XXIV.

8. Obſerva in plaga lepræ, ad obſervandum diligenter & faciendum ſecundum omnia quæ docuerint vos ſacerdotes Levitæ: ſicuti præcepi eis, ita obſervabitis ad faciendum.

9. Recordare quid fecerit Jehova Deus tuus Mariæ in itinere, quum egreſſi eſtis ex Ægypto.

Ex Numer. V.

1. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Præcipe filiis Iſraël ut ejiciant è caſtris omnem leproſum, omnem ſeminifluum, & omnem immundum ſuper anima.

3. Tam maſculum quam fœminam ejicietis: extra caſtra ejicietis eos, ne contaminent caſtra ſua: quia ego habito in medio eorum.

Levit. XIII.

ET loquutus est Jehova ad Mosen & Aharon, dicendo,

2. Homo, quum fuerit in cute carnis ejus tumor, vel scabies, vel alba macula, & in cute carnis ejus fuerit plaga lepræ, ducetur ad Aharon sacerdotem, vel ad unum è filiis ejus sacerdotibus.

3. Tunc videbit sacerdos plagam in cute carnis: quod si pilus in plaga versus fuerit in albedinem, & superficies plagæ profundior fuerit cute carnis ejus, plaga lepræ est: & postquam viderit eum sacerdos, * judicabit illum contaminatum.

* vel, *contaminabit illum.*

4. Quod si macula alba fuerit in cute carnis ejus, & profundior non fuerit aspectus ejus cute, nec pilus ejus versus fuerit in albedinem, includet sacerdos plagam septem diebus.

5. Postea videbit eum sacerdos die septimo: & si plaga fuerit æqualis coram oculis ejus, nec creverit plaga in cute, includet eum sacerdos septem diebus secundo.

6. Tunc inspiciet sacerdos ipsum die septimo iterum: & si * subnigra fuerit plaga, nec creverit plaga in cute, tunc † mundum declarabit eum sacerdos: scabies est: & lavabit vir vestimenta sua, & mundus erit.

* vel, *obscurius contracta.* † vel, *mundabit.*

7. Quod si crescendo creverit scabies in cute postquam ostensus fuerit sacerdoti in purgatione ejus, inspicietur secundo à sacerdote.

8. Ubi autem viderit sacerdos crescere scabiem in cute, immundum judicabit eum sacerdos: lepra est.

9. Quoties plaga lepræ fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem.

10. Et aspiciet sacerdos: & si tumor albus fuerit in cute, & mutaverit pilum in albedinem, & alimentum carnis vivæ in tumore,

11. Lepra inveterata est in cute carnis ejus: ideoque contaminabit eum sacerdos, quia immundus est.

12. Sin germinando germinaverit lepra in cute, & operuerit lepra totam cutem plagæ, à capite ejus usque ad pedes ejus, & totum aspectum oculorum sacerdotis,

13. Tunc inspiciet sacerdos: & si operuerit lepra totam carnem ejus, tunc mundam judicabit plagam: ubi tota versa est in albedinem, * munda est.

* vel, *mundus.*

14. Quo autem die visa fuerit in eo caro viva, immundus erit.

15. Et ubi viderit sacerdos carnem vivam, immundum judicabit ipsum: caro viva immunda est, lepra est.

16. Vel si reversa fuerit caro viva, & conversa in albedinem, tunc venier ad sacerdotem.

17. Et inspiciet sacerdos: & si versa fuerit plaga in albedinem, mundam judicabit sacerdos plagam illam: munda est.

18. Et si fuerit in cute carnis alicujus * ulcus, & illud sanatum fuerit,

* vel, *pustula ardens.*

19. Et extiterit in loco ulceris tumor albus, aut macula alba subrusa, ostendetur sacerdoti.

20. Et quum inspexerit sacerdos, si pilus profundior fuerit cute, & pilus conversus fuerit in albedinem, contaminabit eum sacerdos: quia plaga lepræ est ex ulcere germinans.

21. Et si viderit eam sacerdos, & non fuerit in ea pilus albus, nec fuerit profundior cute, sed fuerit subobscura, tunc includet eum sacerdos septem diebus.

22. Si vero crescendo creverit per cutem, immundum judicabit eum sacerdos: plaga est.

23. Si vero suo loco constiterit macula alba, nec creverit, adustio ulceris est: * mundum judicabit eum sacerdos.

* vel, *mundam.*

24. Quum fuerit caro in cujus cute erit adustio ignis, & in viva carne adustionis macula alba, subrusa, vel alba,

25. Inspiciet eum sacerdos: & si versus fuerit pilus in albedinem in macula illa, & superficies ejus fuerit profundior cute, lepra est in adustione germinans: ideo immundam judicabit eam sacerdos, plaga lepræ est.

26. Quod si inspexerit eam sacerdos, & non fuerit in macula pilus albus, nec profundior cute, sed fuerit subnigra, includet eum sacerdos septem diebus.

27. Postea inspiciet eum sacerdos die septimo: & si crescendo creverit in cute, immundam judicabit eam sacerdos, plaga lepræ est.

28. Quod si in loco suo steterit macula, nec creverit per cutem, & eadem fuerit * contracta, tumor adustionis est: ideoque mundum judicabit eum sacerdos, quia ardor exustionis est.

* vel, *subnigra.*

29. Si viro aut mulieri exorta fuerit plaga in capite, aut in barba,

30. Tunc inspiciet sacerdos plagam: & si superficies ejus profundior erit cute, & fuerit in ea pilus flavus & renuis, immundum judicabit sacerdos: macula nigra est, lepra capitis aut barbæ est.

31. Si autem inspexerit sacerdos plagam maculæ nigræ, & superficies ejus non fuerit pro-

profundior cute, nec pilus niger in ea, includet ſacerdos plagam maculæ nigræ ſeptem diebus.

32. Et quum inſpexerit ſacerdos die ſeptima, ſi non creverit macula illa nigra, nec in ea fuerit pilus flavus, & aſpectus maculæ nigræ non fuerit profundior cute:

33. Tunc radetur, ſed maculam nigram non radet: includetque ſacerdos maculam nigram ſeptem diebus ſecundo.

34. Poſtea inſpiciet ſacerdos maculam nigram die ſeptima: &, ſi non creverit macula nigra in cute, nec ſuperficies ejus profundior fuerit cute, mundum judicabit eum ſacerdos: lavabitque veſtimenta ſua, & mundus erit.

35. Si autem creſcendo creverit macula per cutem poſt purificationem ſuam,

36. Tunc inſpiciet eam ſacerdos: &, ſi creverit macula illa in cute, non requiret ad examen ſacerdos pilum flavum: immundus eſt.

37. Quod ſi in oculis ejus conſtiterit macula, & pilus niger fuerit in ea, ſanata eſt macula illa: mundus eſt, & mundum judicabit eum ſacerdos.

38. Quum in cute carnis viri aut mulieris fuerint maculæ, maculæ *inquam* albæ,

39. Inſpiciet ſacerdos: &, ſi in cute carnis eorum fuerint maculæ albæ, * ſubnigræ, * vel, *contracta.* macula alba eſt quod floret in cute, mundus eſt.

40. Vir quum depilatum fuerit caput ejus, calvus eſt, mundus eſt.

41. Quod ſi ex parte faciei ſuæ caput habuerit depilatum, recalvaſter eſt, mundus eſt.

42. Quod ſi in calvitio ejus aut parte depilata fuerit plaga alba, ſubrufa, lepra germinans eſt in calvitio, vel parte ejus depilata.

43. Aſpiciet ergo eum ſacerdos: &, ſi tumor plagæ albus, rufus in calvitio ejus aut parte depilata, ſicut ſpecies lepræ in cute carnis.

44. Vir leproſus eſt, immundus eſt: contaminando contaminabit illum ſacerdos: in capite ejus eſt plaga ejus.

45. Leproſi autem in quo fuerit plaga illa, veſtimenta erunt ſciſſa, & caput ejus nudum, & pilum labri operiet: & Immundus, immundus ſum, clamabit.

46. Cunctis diebus quibus fuerit plaga in eo, contaminabitur, immundus eſt: ſeorſum habitabit: extra caſtra manſio ejus erit.

47. Si in veſte fuerit plaga lepræ, in veſte lanea, aut in veſte linea,

48. Aut in ſtamine, aut in ſubtegmine ex lino, aut ex lana, aut in pelle, aut in quovis opere pelliceo:

49. Et fuerit plaga illa viridis aut rufa in veſte, aut in pelle, aut in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in quovis opere pelliceo: plaga lepræ eſt, oſtendetur ſacerdoti.

50. Et inſpiciet ſacerdos plagam, includetque plagam illam ſeptem diebus.

51. Poſtea inſpiciet plagam illam die ſeptimo: ſi creverit plaga illa per veſtem, vel per ſubtegmen, vel pellem in omni opere pelliceo, lepra corrodentis plagæ eſt, immunda eſt.

52. Comburetque veſtem, vel ſtamen, vel ſubtegmen ex lana, vel ex lino, vel quodvis opus pelliceum in quo fuerit plaga illa: quia lepra corrodens eſt, igni comburetur.

53. Quod ſi ubi inſpexerit ſacerdos, ecce non creverit plaga illa in veſte, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in quovis opere pelliceo:

54. Tunc præcipiet ſacerdos, & lavabunt id in quo eſt plaga: & recludet illud ſeptem diebus ſecundo.

55. Inſpiciet vero ſacerdos, poſtquam lotum fuerit, plagam illam: &, ſi non mutaverit plaga illa colorem ſuum, nec plaga creverit, immunda eſt, igni combures illud: corroſio eſt in calvitio ejus vel in parte ejus depilata.

56. Quod ſi dum inſpexerit ſacerdos, ecce ſubobſcura fuerit plaga poſtquam lota fuit, abſcindet eam è veſte, vel è pelle, vel è ſtamine, vel è ſubtegmine.

57. Quod ſi conſpecta fuerit ultra in veſte, vel in ſtamine, vel in ſubtegmine, vel in quovis opere pelliceo, lepra germinans eſt: igni combures illud in quo fuerit plaga illa.

58. Veſtis autem, ſive ſtamen, ſive ſubtegmen, aut quodvis opus pelliceum quod laveris, ſi receſſerit ab eis plaga, lavabitur ſecundo, & mundum erit.

59. Hæc eſt lex lepræ veſtimenti lanei, vel linei, vel ſtaminis, vel ſubtegminis, vel cujuſvis operis pellicei, ad judicandum illud mundum vel immundum.

Deut. 24. 8. *Obſerva in plaga lepræ.*] Scio quantopere inter ſe diſſentiant interpretes, & quam varie torqueant quicquid de lepra ſcribit Moſes. Quidam allegoriis nimis cupide ſunt addicti: alii Deum exiſtimant, tanquam providum Legislatorem, ſalubre dediſſe mandatum, ne morbus contagioſus in populo ſerperet. Quæ opinio nimis eſt diluta, & prope inſipida: & breviter à Moſe ipſo refellitur, tam ubi Mariæ exemplum commemorat, quam ubi cauſam aſſignat cur ejici debeant, ne ſcilicet contaminent caſtra in quibus habitat Deus: adhæc ubi ſeminifluos & pollutos ſuper mortuo in eodem gradu cenſet. Quare antequam plenam tractationem aggrederer, vilum eſt, quaſi inſtar præfationis, duos locos proferre, ex quibus melius pateret Dei conſilium. Dum in Deuteronomio jubet populum ſedulo attentum eſſe ſuper plaga lepræ, non dubium eſt quin hoc modo ſanciat quod prolixius antetradiderat in Levitico. Ac primo defert judicium ſacerdotibus, ut quod pronunciaverint, ratum ſit ac firmum: deinde ſacerdotes ipſos, ne temere quod libitum fuerit pronuncient, ſimpliciter ſequi vult quod illis præſcribit,

bit, ut tantum ministri sint, vel præcones, ipse autem quoad summam auctoritatem unicus sit judex. Legem quam posuit, confirmat singulari exemplo: quia ipse Mariam sororem Mosis ejecerit ad tempus, ne ejus immundities, quamdiu leprosa erat, castra pollueret. Nam quod quibusdam videtur populum hortari, ne peccando malum illud sibi accersat, sicut fecerat Maria, alienum est. Illud autem quod dixi optime fluit, imperium Dei quod Mariam prohibuit è castris, perpetuæ legis vim habere & pondus: quia tunc præscripsit quid semper fieri vellet.

Numer. 5. 2. *Præcipe filiis Israël ut ejiciant è castris.*] Clare ostendit hic locus Deum minime functum esse medici officio, ut sanitati populi consuleret, dum voluit leprosos è castris arceri: sed hoc externo ritu & ceremonia populum exercuisse in studio puritatis: quia leprosis seminiſluos & immundos super anima conjungens, simpliciter populum ab omni immunditia remotum esse jubet. Idem confirmat quæ sequitur ratio, Ne castra polluant in quibus habitat Deus. Perinde autem est acsi diceret, omnia domicilia electi populi, sanctuarii sui esse partes, quas indignum sit ullo inquinamento fœdari. Scimus enim quam licentiose Dei cultum vitiare sibi permittant homines, dum sacra miscent profanis, quemadmodum vulgo dicitur. Itaque videmus ut pessimi quique se non ultimos esse jactent inter Dei cultores, nec dubitent manus pollutas ingerere, quantumvis severe illos repudiet Deus. Ergo utile fuit hoc visibili documento veterem populum moneri, eos omnes qui inquinati sunt, Deum non rite colere, quin potius suis sordibus inficere quod aliqui sanctum est, ideoque pietatis exercitiis perperam abuti: deinde non debere tolerari in sancto cœtu, ne ad alios perveniat contagio. Nunc breviter expendamus decimum tertium caput Levitici.

Levit. 13. 2. *Homo, quum fuerit in cute.*] Quoniam non quælibet scabies lepra erat, nec immundum reddebat hominem, Deus judicium sacerdotibus deferens, certis notis scabiem vulgarem à lepra discernit: deinde adjungit discrimen inter diversas lepræ species. Non enim omnis lepra insanabilis fuit, sed quum sanguine prorsus vitiato, cutis ipsa arrosione obdurerat, vel intumuerat ex corruptione. Hoc igitur primo loco notandum, nomen lepræ Græcis & Latinis, & nomen צרעת Hebræis latius patere quam ad morbum insanabilem, qui à medicis vocatur elephantiasis, tam ob duritiem cutis quam ob colorum varietatem: non quod penitus conveniat denſitas cutis in homine & elephanto, sed quia morbus ille cutis ſtuporem inducit. τύλος quæ Græcis dicitur, etsi non est lepræ species, aliquantum tamen accedit. Ita videmus distinctione fuisse opus inter lepram & scabiem: quemadmodum hodie si de prurigine judicandum sit, (quæ vulgo dicitur morbus sancti Menani) spectandæ erunt notæ quibus à lepra differt. Quod vero ad diversas lepræ species attinet, fateor me non esse medicum, ut subtiliter de illis disputem, & ab exacta inquisitione consulto abstineo: quia mihi persuasum est, morbum de quo hic agitur, peculiari modo (qui hodie nobis incognitus est) grassatum fuisse apud Israëlitas. Quænam enim apud nos erit cognitio domus leprosæ? Et probabile est, quum scirent profani scriptores hac tabe laborare populum Judaicum, hinc arripuisse mentiendi licentiam, ut fingerent omnes posteros Abrahæ fuisse scabiosos, & vi expulsos fuisse ab Ægypto, ne reliquos inficerent. Cujus calumniæ vetustos fuisse auctores ex Josepho apparet, tam libro 9. Antiquitatum, quam adversus Appionem: eadem tamen à Cornelio Tacito & Justino repetitur. Quanquam non dubito, Ægyptios, superbissimam gentem, ut dedecoris sui & vindictæ divinitus inflictæ memoriam delerent, fucum fecisse, & crasso mendacio vertisse in populum innoxium quod ipsis contigerat, quum pustulis & ulceribus percussi sunt. Sed videbimus postea inter Dei maledictiones, Deum iisdem poenis quas de Ægyptiis sumpserat, castigasse populi sui scelera: Percutiet te Deus ulcere Ægypti, sanie, ardore, &c. Unde probabili ratione colligitur, Deum singularibus exemplis (quæ hodie nobis abscondita sunt) ultum fuisse populi veteris scelera: sicut postea exorti sunt novi morbi, à quibus immunis fuit antiquitas. Certe clara & solida ratione refellit Josephus illius commenti vanitatem, quod Moses cum turba exulum fugatus fuerit ex Ægypto, ne morbi sui tabe regionem corrumperent: quia si huic malo passim fuissent obnoxii, nunquam de ipsis è communi societate arcendis tam severas tulisset leges. Primum jubet Deus, quoties suborta fuerit suspicio lepræ, hominem se offerre sacerdoti: si quod judicium lepræ apparuerit, jubet occludi ad tempus ad septem dies, donec ex morbi progressu appareat lepram esse incurabilem. Quod Deus sacerdotes, & quidem nonnisi ex primo ordine, judices constituit, documento est spiritualem Dei cultum respici magis quam carnis sanitatem. Si quis roget annon contagiosus sit morbus lepra, ideoque expediat omnes qui ea tacti sunt, prohiberi ab hominum consuetudine: fateor id quidem esse verum, sed nego finem hunc præcipue spectatum esse. Successu enim temporis poterant rectius cognoscere medici ex arte & scientia: atqui Deus solis sacerdotibus injunxit has partes, & discretionis regulam tradidit. Nec præfecit quoslibet Levitas, sed tantum filios Aharon, qui primarii erant, quo major esset judicii auctoritas. Itaque crasso errore, vel potius impudentia, hanc jurisdictionem ad se traxerunt sacrifici Papales. Summis sacerdotibus (inquiunt) sub Lege permissum fuit discernere lepram à lepra: ergo idem juris ad Episcopos translatum est. Apertius deinde ludunt. Sedet Officialis, vicarius Episcopi, tanquam legitimus cognitor: medicos & chirurgos accersit, ex quorum responsis pronunciat quod sibi fatetur esse incognitum. En quam scite ritum Legalem ad nostra tempora accommodent. Porro fœdius ludibrium est quod ad gregarios quoslibet alio sensu extendunt quod dixerunt in solos Episcopos competere. Nam quia peccatum quo laborant omnes, spirituale est lepra: hinc colligunt à cœtu fidelium omnes excludi, donec absolutione mundati ac recepti fuerint. quod munus sacrificis quibuslibet commune esse volunt. Subjicunt postea, non posse ferri judicium nisi causa cognita: unde tandem inferunt, requiri confessionem. Atqui si placeant argutiæ, potius in contrariam partem ratio nos ducet. Neque enim de morbo occulto sacerdotes volunt Deus cognoscere, sed postquam manifesta indicia emerserant. Hinc sequetur, præpostere trahi in judicium occulta peccata, & contra jus & fas ad eorum confessionem miseros homines adigi. Cæterum cavillis valere jussis, tenenda est analogia inter nos & veterem populum. Vetuit Deus olim externam carnis immunditiem tolerari in populo. Christi adventu cessavit umbratilis figura. Ergo docemur sordes omnes, quibus corrumpitur puritas cultus Dei, non esse tolerantia inter nos fovendas. Et certe huic ceremoniæ respondet excommunicatio, qua purgatur Ecclesia, ne passim grassentur corruptelæ; si improbi & scelerati locum in ea promiscue cum bonis occupent. Jam quod morbo adhuc obscuro & dubio jubet Deus morbidum hominem septem diebus includi, moderationem commendat, ne qui adhuc sanabilis est, ante tempus damnetur. Et certe hæc media ratio observanda est, ne judex ignoscendo nimis sit remissus ac solutus, & tamen rigorem æquitate temperet: præsertim vero ne sententiam præcipitet nimis festinando. Ubi vertimus, Mundum vel immundum judicabit, Hebraice legitur, Mundabit vel immundabit eum sacerdos: quo melius sanctitur judicii gravitas, non secus acsi à Deo ipso profe-

ctum eſſet. Et certe nulla medicinæ peritia dictare potuit ſeptimo die incurabilem eſſe lepram, de qua tam exiguo aote tempore dubitatum fuerat, niſi Deus immunditiem ſingulari quodam modo detegeret, ac ſacerdotum oculos regeret ſuo Spiritu.

29. *Si viro aut mulieri.*] Hic non agitur de calvitie, quæ ut plurimum in ſeoio contingit: ſed depilatio quæ naſcitur ex lepra, ab aliis diſcernitur: quarum etſi origo & cauſa eſt ex aliqua intemperie, tamen hominem non contaminant. Verum quia nonnullæ ſpecies à lepra noo ita multum diſtant primo intuitu, (ut eſt ophiaſis & alopecia) ideo diſtinguere neceſſe fuit.

44. *Vir leproſus eſt, immundus eſt.*] Priore membro verſus dicit leproſum debere immundum cenſeri: ſecundo autem jubet ſacerdotem de hac immunditie ſententiam ferre, ne in cœtu feratur. Hac ratione dicit, Plaga ejus ſuper caput ejus: quod tantundem valet ac ſubjici juſtæ ignominiæ. Sumit enim pro confeſſo Moſes, Deum notare publica iofamia quoſcunque lepra percutit, ac proinde admonet mesito & juſte ſuſtinere hanc pœnam. Proximus verſus & tertius formam exequutionis contioent: nempe ut ſciſſuram in veſte geſtet, quæ ſit nota dedecoris, incedat capite aperto, & ore tecto (ſic enim interpretor operimentum labii) adhæc ut ſit ipſe præco ſuæ pollutionis: denique ut habitet extra caſtra, quaſi ablegatus ab hominum conſortio. Ubi Moſes præſentem ſtatum populi reſpicit, quantiſper io deſerto peregrinabatur. Nam ex quo terram incolere cœpit populus, ejecti ſuot leproſi ex urbibus & pagis, ut ſeorſum degerent. Quod os vel labium operire juſſos quidam volunt ne fœtore anhelitus ſanos læderent, neſcio an ſatis firmum ſit. Equidem magis arbitror, quia civiliter mortui erant, ſymbolum quoque mortis geſtaſſe in ore clauſo: ſicut ipſa ſolitudo communi vita eos privabat. Ubi vertimus, Immundus, immundus, clamabit: verbum קרא, indefinite ſumentes, paſſive exponunt Vocabitur: & fateor multis locis tantundem valere acſi pluralis eſſet numerus. Sed quia repetitio nominis Immuodus, eſt emphatica, probabile eſt verbum קרא non ſimpliciter accipi pro Vocare. Itaque in hanc ſententiam magis inclino, ipſos ex Legis præcepto procul ab acceſſu propria voce fugaſſe omnes, ne quis incautus tactu ſe pollueret. Quanquam probabile eſt publica voce promulgatam fuiſſe immunditiem, ut ſe omnes mutuo cohortarentur ad cavendum. Et videtur ad hunc locum alludere Jeremias, ubi de urbis inquinameotis loquens, dicit omnes paſſim clamaſſe, Immuodus, fugite, fugite. *Thren.* 4. *verſ.* 15.

58. *Veſtis autem.*] Hoc genus tabis Deus pro immenſa ſua clementia voluit oobis eſſe incognitum. Tineis quidem laneas & pelliceas veſtes obnoxias reddidit, vaſa multa ruhigini, ferrugini, ærugioi, aliiſque vitiis & corruptelis, denique humanum genus circumdedit putredine, ut omni ex parte oculis ſe ingererent pœnæ peccati: ſed quid ſit lepra in veſtibus, neſcitur. Ejus autem expiatio ſub Lege admonuit veterem populum, ſedulo cavendum eſſe ab externis quoque ſordibus: ut ſe mundarent ab omni carnis & ſpiritus inquinamento. Rei ſummam attingere ſatis mihi viſum eſt, quia in verbis inſiſtere ſupervacuus fere eſſet labor. quanquam damnare nolim eorum diligentiam qui hæc quoque examinant: ſed mihi propoſitum noo eſt fungi Grammatici officio.

Levit. XIV.

ET loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Hæc erit lex leproſi die purgationis ſuæ: *nempe* adducetur ad ſacerdotem.

3. Et egredietur ſacerdos foras extra caſtra, & inſpiciet ſacerdos: & ſi ſanata fuerit lepra à leproſo,

4. Tunc præcipiet ſacerdos ut tollantur ei qui mundatur duæ aves vivæ, mundæ, & lignum cedrinum, & coccus vermiculi, & hyſſopus.

5. Et præcipiet ſacerdos ut mactetur avis una ſuper vas fictile ſuper aquas vivas.

6. Avem vivam tollet, & lignum cedrinum, & coccum vermiculi, & hyſſopum: & tinget illa, & avem vivam in ſanguine avis mactatæ ſuper aquas vivas.

7. Et ſparget ſuper eum qui mundatur à lepra ſeptem vicibus, mundabitque eum: & emittet avem vivam in ſuperficiem agri.

8. Et lavabit qui emundatur veſtimenta ſua, & radet omnem pilum ſuum, lavabitque ſe aqua, & mundus erit: poſtea ingredietur caſtra, habitabitque extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus.

9. Die autem ſeptimo radet omnem pilum ſuum, caput ſuum, & barbam ſuam: & ſupercilia oculorum ſuorum, atque omnem reliquum pilum ſuum radet: lavabit quoque veſtimenta ſua, poſtquam laverit carnem ſuam aqua, & purificabit ſe.

10. Die autem octavo tollet duos agnos immaculatos, & agnam unam anniculam immaculatam, & tres decimas mixturæ pro minha mixta oleo, & ſextarium unum olei.

11. Statuetque ſacerdos qui mundat virum mundandum, & illa coram Jehova ad oſtium tabernaculi conventionis.

12. Tolletque ſacerdos agnum unum quem offert in ſacrificium pro delicto, & ſextarium olei, & agitabit ea agitatione coram Jehova.

13. Mactabitque agnum in loco in quo mactare ſolet oblationem pro peccato, & holocauſtum, *nempe* in loco ſanctitatis: quia ſicut hoſtia pro peccato, *ita* oblatio pro delicto, eſt ſacerdotis: ſanctitas ſanctitatum eſt.

14. Accipietque ſacerdos de ſanguine oblationis pro delicto, & ponet ſuper tenerum auris mundandi dextræ, & ſuper pollicem manus ejus dextræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri.

15. Accipiet præterea ſacerdos de ſextario olei, & fundet in manum ſuam ſiniſtram.

16. Tingetque ipſe digitum ſuum dextrum in oleum quod eſt in manu ſua ſiniſtra, ſpargetque de oleo digito ſuo ſeptem vicibus coram Jehova.

17. De reſiduo vero olei quod eſt in manu ſua, ponet ſacerdos ſuper tenerum auris mundandi

dandi dextræ, & ſuper pollicem manus ejus dextræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri, ultra ſanguinem oblationis pro delicto.

18. Quod autem ſupereſt de oleo quod eſt in manu ejus, ponet ſuper caput mundandi: expiabitque eum ſacerdos coram Jehova.

19. Faciet item ſacerdos oblationem pro peccato, emundabitque mundandum ab immunditia ſua, & poſtea mactabit holocauſtum.

20. Et aſcendere faciet ſacerdos holocauſtum & minham ſuper altare: expiabitque eum ſacerdos, & mundus erit.

21. Si autem pauper fuerit, & manus ejus non poſſit aſſequi, tum accipiet agnum unum in hoſtiam pro delicto in elevationem ad expiandum illum, & decimam partem ſimilæ unam permiſtam oleo pro minha, ſextariumque olei.

22. Duos præterea turtures, aut duos filios columbæ, quodcunque apprehendere poterit manus ejus: eritque unus in hoſtiam pro peccato, & alter pro holocauſto.

23. Afferetque ea octava die purificationis ſuæ ad ſacerdotem, ad oſtium tabernaculi conventionis coram Jehova.

24. Suſcipietque ſacerdos agnum oblationis pro delicto, & ſextarium olei, atque agitabit ea ſacerdos elevatione coram Jehova.

25. Mactabitque agnum oblationis pro delicto, ac tollet ſacerdos de ſanguine oblationis pro delicto, ponetque ſuper tenerum auris mundandi dextræ, & ſuper pollicem manus ejus dextræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri.

26. De oleo quoque fundet ſacerdos in manum ſuam ſiniſtram.

27. Spargetque ſacerdos digito ſuo dextro de oleo quod eſt in manu ſua ſiniſtra, ſeptem vicibus coram Jehova.

28. Ponet quoque ſacerdos de oleo quod eſt in manu ſua, ſuper tenerum auris emundandi dextræ, & ſuper pollicem manus ejus dextræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri, in loco ſanguinis oblationis pro delicto.

29. Quod autem ſupereſt de oleo quod eſt in manu ſacerdotis, ponet ſuper caput emundandi, ad emundandum illum coram Jehova.

30. Faciet item unum de turturibus, vel ex pullis columbarum, ex iis quæ apprehenderit manus ejus.

31. Quod *inquam* apprehenderit manus ejus, faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum cum minha: emundabitque ſacerdos mundandum coram Jehova.

32. Iſta eſt lex ejus in quo fuerat plaga lepræ, cujus manus non poterat apprehendere mundationem ſui.

33. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen & Aharon, dicendo,

34. Quum ingreſſi fueritis terram Chanaan, quam ego do vobis in poſſeſſionem, & poſuero plagam lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ:

35. Veniet ille cujus erit domus, renunciabitque ſacerdoti, dicendo, Tanquam plaga *lepræ* viſa eſt mihi in domo.

36. Tunc præcipiet ſacerdos, & expurgabunt domum antequam ingrediatur ſacerdos ut diſpiciat plagam, ne polluatur quicquam quod ſit in ea domo: & poſtea ingredietur ſacerdos ad contemplandam domum.

37. Tunc conſiderabit plagam ipſam: & ſi quidem in plaga quæ eſt in parietibus domus, fuerint nigredines, flavedines, vel rubedines: & aſpectus earum fuerit depreſſior reliquo pariete:

38. Egredietur ſacerdos è domo ad oſtium domus, & claudet domum ſeptem diebus.

39. Poſtea revertetur ſacerdos die ſeptimo, & contemplabitur: & ſi quidem creverit plaga in parietibus domus,

40. Tunc præcipiet ſacerdos, & eruent lapides in quibus fuerit plaga illa, projicientque illos extra civitatem in locum immundum.

41. Domum autem radere jubebit intrinſecus per circuitum, & effundent pulverem quem abraſerint, extra civitatem in locum immundum.

42. Et accipient lapides alios quos reponent loco lapidum illorum, & lutum aliud capient, & complanabunt domum.

43. Quod ſi reverſa fuerit plaga, & efflloreat in illa domo poſtquam erui fecit lapides, & abradi domum, & poſteaquam obducta fuit:

44. Tunc ingredietur ſacerdos, & conſiderabit: & ſi quidem creverit plaga in domo, lepra corrodens eſt ipſa in domo, immunda eſt.

45. Deſtructque domum, & lapides ejus, & ligna ejus, atque univerſum lutum domus, educetque extra civitatem in locum immundum.

46. Qui autem ingreſſus fuerit domum illam omnibus diebus quibus juſſerit eam claudi, immundus erit uſque ad veſperam.

47. Et qui dormierit in ea domo, lavabit veſtimenta ſua: quique comederit in domo, lavabit veſtimenta ſua.

48. Si

48. Si autem ingrediendo ingressus fuerit sacerdos, contemplatusque viderit non crevisse plagam in ipsa domo, postquam ipsa obducta fuit: mundam judicabit sacerdos domum, quia sanata sit plaga illa.

49. Tollet itaque ad purificandam domum duos passeres, & lignum cedrinum, & coccum vermiculi, & hyssopum.

50. Mactabitque passerem unum super vas fictile, super aquas vivas.

51. Capietque lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum vermiculi, & passerem vivum, & tinget illa in sanguine passeris mactati, & in aqua vivente: aspergetque domum septem vicibus.

52. Purificabitque domum illam sanguine passeris, & aqua viva, & passere vivo, ligno-que cedrino, & hyssopo, & cocco vermiculi.

53. Postea dimittet passerem vivum extra civitatem super faciem agri: purgabitque domum, & mundabit.

54. Ista est lex omnis plagæ lepræ, & maculæ nigræ,

55. Et lepræ vestis, & domus,

56. Et tumoris, & scabiei, & candentis maculæ:

57. Ad docendum quid agendum, quo die immundus & quo die mundus declarandus est.

2. *Hæc erit lex leprosi.*] Nunc disserit Moses quomodo purgari & restitui debeant qui sanati fuerint à lepra. Hactenus docuit quos admittere debeat sacerdos in sacrum cœtum, & inter mundos censere: nunc ritum expiationis præscribit, unde populus discat quantopere abominetur Deus immunditiem, quam solenni piaculo elui jubet: deinde ut agnoscat qui sanatus est, singulari Dei beneficio se esse ex morte ereptum, & in posterum ad studium puritatis sit magis attentus. Nam sacrificii quod hic exigitur, duo fuerunt membra, sordis ablutio, & gratiarum actio. Semper autem tenendus est finis ille quem proximo capite notavi, hac ceremonia edoctos fuisse Israëlitas, caste pureque colendum esse Deum, & procul arcenda esse inquinamenta, ne profanetur religio. Quoniam igitur lepra pollutio quædam erat, qui ab ea sanati erant, eos noluit Deus nisi interposito sacrificio in sanctum cœtum recipi: acsi eos reconciliaret sacerdos postquam excommunicati fuerant. Jam quæ notatu digna sunt excutere convenit. Sacerdoti injungitur purgandi munus: & tamen simul interdicitur ne quos purget nisi qui jam puri & mundi sunt. Ubi Deus ab una parte sibi vendicat laudem sanationis, ne ad homines trahatur: rursus tamen stabilit disciplinam quæ vigere debet in Ecclesia. Ut res clarius patèat, solius Dei est peccata remittere. Quid igitur homini restat nisi ut testis sit ac præco gratiæ divinitus collatæ? Non potest ergo absolvere Dei minister nisi quem ante Deus absolverit. In summa, non est in potestate vel arbitrio hominis, absolutio: sed tantum secundas partes sustinet minister, ut Dei judicio subscribat, vel potius ut promulget Dei sententiam. Hinc illa insignis Jesaiæ sententia, Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, Israël, & nullus præter me. Quo etiam sensu passim apud omnes Prophetas promittit Deus mundum foro populum, ubi ipsum mundaverit. Interea tamen hoc non obstat quominus suo quodam modo sordes populi abluant qui vocati sunt ad docendi munus. Nam quum sola fides corda purificet, quatenus recipit quod ex ore hominis profert Deus testimonium: minister, qui nos Deo reconciliatos esse testatur, merito censetur abolere nostras sordes. Hæc expiatio nunc quoque viget, tametsi pridem defierit ceremonia esse in usu. Quia autem à meris Dei gratia proficiscitur spiritualis quam fide percepimus sanitas, illius gloriæ nihil derogat hominis ministerium. Meminerimus itaque hæc duo inter se optime quadrare, nostræ puritatis unicum esse auctorem Deum: neque tamen ideo modum quo utitur, ad nos purgandos negligendum esse. Atque hoc proprie ad disciplinam spectat, ut qui publica auctoritate semel ejectus est à sacro cœtu, non recipiatur nisi pœnitentiam & vitæ novitatem professus. Ac notandum est, hanc jurisdictionem datam fuisse sacerdotibus, non tantum quatenus gestabant Christi personam, sed etiam ministerii, quod illis nobiscum fuit commune, respectu.

Isa. 43. vers. 25.

3. *Et egredietur sacerdos.*] Hæc est cognitio de qua fusius tractatum fuit proximo capite, sine qua fas non erat eum qui semel ejectus esset recipere. Præceptum cujus continuo post fit mentio, refero ad Levitas: ex quibus unum aliquem comitem fuisse sacerdoti probabile est, ut sacrificium pararet, atque ita primas tantum partes obirent sacerdotes. Summa autem ritus quoad duas aves, huc tendit, purgationem à lepra speciem quandam esse resurrectionis. Aves duæ subjiciebantur ante oculos: unius sanguine redimebatur alterius libertas, quia non exibat nisi prius demersa in sanguine & aqua: hinc aspersio ad hominem purgandum. Repetitio septies fiebat, ut altius infigeret hominum memoriæ assiduam gratiæ meditationem. Scimus enim septenario numero perfectionem sæpe in Scriptura notari. In eundem finem pilum radebat, & se lavabat aqua qui fuerat sanatus. Neque tamen primo die domum ingrediebatur, sed demum octavo die. Interea septimo radebat barbam, supercilium oculorum, & omnes pilos: se & vestes lavabat: hinc transibat ad sacrificium. Adeo est difficile homines assuefacere ad seriam utriusque rei cognitionem, ut odio habeant sua vitia, & pro dignitate æstiment gratiam Dei qua liberantur.

10. *Die autem octavo.*] Sicuti infantes die octavo post ablutam immunditiem quam ex utero attulerant, inferebantur in Ecclesiam, & fiebant ejus membra: ita nunc dies octavus præscribitur ad eos restituendos qui recepta sanitate quasi iterum nascuntur. Nam pro mortuis habiti sunt quos lepra à sacro cœtu abdicabat. Ergo sacrificium instituitur quod Circumcisionem aliqua ex parte de-letam instauret. Porro non omnium quæ hic commemorantur ratio mihi constat, & velim lectores non esse nimis curiosos. Quædam dici possunt probabiliter, sanguine hostiæ tingi auriculam dextram, pollicem manus & pollicem pedis, quia restituitur ad communem vitæ usum & consuetudinem leprosus, ut liberum habeat ingressum, liberas actiones, liberam denique sermonis communicationem: quia in aure mutus est loquendi & audiendi relatio. Inungitur vel abstergitur caput oleo, ne quid in toto corpore impurum resideat. Egenis autem & tenuibus parcit Deus, ne cogantur duos agnos offerre, atque ita præter facultatem graventur. Unde apparet non æstimari pretio sacrificia, sed pio affectu, ubi liberaliter quisque offert prout datum est.

34. *Quum ingressi fueritis terram.*] Hic de alio

lepræ genere differitur, quod nobis hodie esse incognitum, non sine causa gaudemus. Sicuti autem singularibus privilegiis ornaverat Deus populum illum, ita si dona quibus excellebat fœdaret, consentaneum fuit ingratitudinem illam atrocioribus exemplis puniri. Itaque mirum non est pœnas fuisse inflictas, quarum auditus admirationem nobis excitat & horrorem. Fuit triste spectaculum, videre lepram grassantem in humanis corporibus: sed hoc simile portento, domos quoque inquinari lepra, quæ dominos cum familiis ejiceret: quis si illic volentes & scientes subsistitissent, ad eos & vasa omnia serpebat contagio. Quoniam autem eos publica ignominia Deus notabat, quorum domos percutiebat lepra, jubet eos reatum profiteri: nec solum ubi malum invaluerit, sed ubi emergere cœperit suspicio. Porro ex Lege apparet quosdam fuisse leviter castigatos: quia si post inspectionem sacerdotis, septem diebus macula non crescebat abrasis parietibus, possessor in domum suam redibat. Alios gravius mulctabat Deus, quibus necesse erat ædes funditus diruere, quod incurabilis esset pollutio. Etsi autem hæc iræ Dei signa erant, in expiandis tamen sordibus populum illum ad studium puritatis exercuit: quin perinde hoc fuit ac si ab accessu sanctuarii arceret qui è domo immunda prodibant. Summa igitur fuit, sedulo dandam esse operam ut domos suas singuli puras & castas, & ab omni labe intactas servarent. Quod si per Dei misericordiam cessabat plaga, sacrificium gratiarum actionis, sicuti pro hominibus, offerri debuit. Caput proximum, ubi non generaliter de inquinamentis agitur & eorum purgatione, sed tantum attingitur una species quæ ad libidinem carnis refertur, locum forte opportunum haberet sub septimo præcepto: ex contextu tamen mox patebit in hanc classem referri debuisse.

Levit. XV.

1. Loquutus est autem Jehova ad Mosen & Aharon, dicendo,

2. Loquimini ad filios Israël, & dicite eis, Unusquisque quum semen ejus defluet de carne sua, immundus est.

3. Hæc vero erit immunditia ejus in semine ipsius: si emittat caro ejus semen suum, vel elauserit carnem suam semine suo, immunditia ejus est.

4. Omne stratum in quo jacuerit qui patitur fluxum seminis, immundum erit: & omne id super quo sederit, immundum erit.

5. Quicunque item tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.

6. Et qui sederit super aliquid super quo sederit seminifluus, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.

7. Qui vero tetigerit carnem seminiflui, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.

8. Et si despuerit seminifluus super mundum, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.

9. Et omne sagma super quo equitaverit seminifluus, immundum erit.

10. Atque omnis qui tetigerit omne quicquid fuerit subter eum, immundus erit usque ad vesperam: & qui portaverit ea, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.

11. Omnis autem quem tetigerit seminifluus, & manus suas non abluerit aqua, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque vesperam.

12. Et vas fictile quod tetigerit seminifluus, confringetur: omne autem vas ligneum lavabitur aqua.

13. Quum autem mundatus fuerit seminifluus à fluxu suo, numerabit sibi septem dies ab emundatione sua, lavabitque vestimenta sua, posteaquam laverit quoque carnem suam aqua viva: & mundus erit.

14. Die vero octava capiet sibi duos turtures, aut duos pullos columbinos, venietque coram Jehova ad ostium tabernaculi conventionis, & tradet eos sacerdoti.

15. Quos sacrificabit sacerdos, unum pro peccato, & alterum in holocaustum: & emundabit illum sacerdos coram Jehova à fluxu ipsius.

16. Quum autem ex aliquo egressa fuerit effusio seminis, lavabit aqua totam carnem suam: immundus usque erit usque ad vesperam.

17. Et omnis vestis, omnisque pellis super quam fuerit aliquid de effusione seminis, lavabitur aqua: & immunda erit usque ad vesperam.

18. Mulier quoque cum quo dormierit vir patiens effusionem seminis, lavabunt se aqua, & immundi erunt usque ad vesperam.

19. Mulier autem quum fuerit fluens sanguine, & erit fluxus ejus per carnem ejus, septem diebus erit in separatione sua: & omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperam.

20. Et omne super quo jacuerit in separatione sua, immundum erit: omne quoque super quo sederit, immundum erit.

21. Omnis præterea qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua, & lavabit sese aqua: immundus usque erit usque ad vesperam.

22. Omnis etiam qui tetigerit quamcunque sedem super quam sederit, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: immundus usque erit usque ad vesperam.

23. Quod si instrumentum aliquod fuerit super stratum ipsum, vel super sellam super quam sederit: quum tetigerit illud aliquis, immundus erit usque ad vesperam.

24. Quod

24. Quod ſi dormiendo dormierit quis cum ea, & fuerit immunditia ejus ſuper eum, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum ſuper quo dormierit, immundum erit.

25. Mulier autem, quum fluet fluxus ſanguinis ejus diebus multis præter tempus menſtrui ſui, vel quum patietur fluxum ſanguinis ultra menſes ſuos: cunctis diebus fluxus immunditiæ ſuæ erit ſicut diebus menſtrui ſui: immunda eſt.

26. Omne ſtratum in quo dormierit cunctis diebus fluxus ſui, ſicut ſtratum menſtrui ſui erit ei: & omnis ſedes ſuper qua ſederit, immunda erit ſecundum immunditiam menſtrui ſui.

27. Quicunque tetigerit ea, immundus erit, lavabitque veſtimenta ſua, & lavabit ſe aqua: immunduſque erit uſque ad veſperam.

28. Quod ſi mundata fuerit à fluxu ſuo, tunc numerabit ſibi ſeptem dies, & poſtea mundabitur.

29. Die autem octava tollet ſibi duos turtures, aut duos pullos columbinos: afferetque illos ad ſacerdotem ad oſtium tabernaculi conventionis.

30. Et faciet ſacerdos unum in hoſtiam pro peccato, & alterum in holocauſtum: emundabitque illam ſacerdos coram Jehova à fluxu immunditiæ ſuæ.

31. Separabitque filios Iſraël ab immunditiis ſuis, ne moriantur propter immunditias ſuas, dum polluerint tabernaculum meum, quod eſt in medio eorum.

32. Iſta eſt lex patientis fluxum ſeminis, & ejus ex quo egreditur effuſio ſeminis, ut ſit immundus propter illam.

33. Et ægrotantis in fluxu ſuo, & ejus qui profundit fluxum ſuum, ſive ſit maſculus, ſive fœmina, & viri qui dormierit cum immunda.

2. *Unuſquiſque quum ſemen ejus defluet.*] Hic alia genera contaminationum attingit, in quibus requiritur ſolennis purgatio. Ac primò docet viros pollui ſeminis fluxu: qui bifariam contingit, vel quum ſemen ipſum ebullit per ſomnium, vel quum paulatim diſtillat, ex morbo qui Græcis dicitur *πτύσις*. Poſſet quidem aptari hæc appendix (ut dixi) ad ſeptimum præceptum, quia videtur hîc omnis intemperies libidinis damnari; verum ſi propius attendimus, lex generalis eſt de colenda puritate, nec ad ſolam pudicitiam reſtringi debet. Fluxio enim ex morbo & debilitate, niſi contracta ſit ex immodico Veneris uſu, nihil commune habet cum libidine venerea. Jam quod paulo poſt ſubjicitur de menſtruis mulierum, eandem habet rationem cum aliis ſordibus & inquinamentis. Summa igitur eſt, ſeminis ejectionem cenſeri inter pollutiones quæ Iſraëlitas arcebant ab acceſſu tabernaculi, & externo Dei cultu. Ideoque ſemper tenenda eſt regula, vitioſum eſſe quicquid ab homine immundo proficiſcitur, nec quenquam ſe aut ſua poſſe Deo rite offerre, niſi qui anima & carne purus eſt ac integer. Sicuti Paulus finem & uſum hujus cæremoniæ explicat, dum hortatur fideles ut recepti in peculiarem Dei populum, mundent ſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Porro immunditiem contrahi pronunciat, non modo quum ſemen emittitur, verum ſi retentum fuerit: nec hominem ipſum modo reddi immundum, ſed quicquid attigerit: ut ſunt, lectus, ſella, ephippium equi, veſtis ſtragula: ut etiam ad alios perveniat contagio, ſi quis in eodem ſtrato jacuerit, vel equitaverit ſuper iiſdem ephippiis. Ita horrorem incutere voluit Deus, quo magis eſſent ſolliciti ad fugiendas ſordes. Neque enim crimen per ſe deteſtabile fuiſſet, niſi quatenus hoc externo exercitio vel ſymbolo oſtenſa fuit ſpiritualis puritas. Sicuti etiam Pſalmo 24. veritas hujus figuræ deſcribitur, Quis aſcendet in montem Jehovæ? vel quis requieſcet in ſanctuario ejus? Mundus manibus & mundus corde. Ergo qui in ſeminis floxione nullius culpæ ſibi conſcius erat, debuit tamen ſigno illo commonefieri de naturæ ſuæ corruptela: & ſimul aliis eſſe exemplo, ut unuſquiſque diſceret ſedulo ſibi cavere, quia totum humanum genus occupat vitioſitas. In ablutione propoſitum fuit mali remedium: ſicuti nota ignominiæ ad pœnitentiam adduxit. Eum qui labe aliqua infectus eſt, pudefieri expedit, ut ſibi diſpliceat: ſed deſperationem gigneret mali cognitio niſi adjuncta ſpe veniæ. Ergo ſemper ad aquam fuerunt ablegati quibus neceſſaria erat purgatio. Quoties autem fit aquæ mensio, ſubeat in mentem illud Joannis, Chriſtum veniſſe in aqua & ſanguine, ad ſordes omnes purgandas & expiandas. Præter aquam additur ſacrificium ex turturibus, vel duobus pullis columbarum. Quod eodem referri debet: nempe immunditiæ aliunde petendam eſſe purgationem, quam tandem adepti ſumus Chriſti ſacrificio. 1 *Joan.* 5. *verſ.* 6.

a *Cor.* 7. *verſ.* 1.

19. *Mulier autem quum fuerit fluens.*] Nunc de mulieribus agitur quæ duplici fluxu ſanguinis laborant. Nam omnibus fere per ſingulos menſes recurrit (quod menſes & menſtrua) & quædam hæmorrhoidas patiuntur, vel continuum profluvium. Utraſque immundas eſſe pronunciat: ac menſtruoſis quidem præfigitur certum tempus ſeparationis, quo Lex eas arcebat à congreſſu virorum: ſi vero præter morem uſitatum ſanguis fluat, differtur tempus purgationis, quouſque deſiterit. Unde apparet, in omni re pudenda propoſitam fuiſſe Judæis admonitionem ſuarum ſordium: ut hoc modo ad verecundiam conſueſcerent, & ſtuderent puritati. Quod etiam ex fine capitis certius patet, ubi dicitur, Separate filios Iſraël ab immunditiis ſuis, ne moriantur, ſi polluerint tabernaculum meum. Breviter, inquam, conſilium ſuum Deus exponit, ut omnis profanatio longè à populo ceſſet: quia velit in ſuis cultoribus vigere ſinceritatem, nec ferre poſſit tabernaculum ſuum ulla macula fœdari.

Ex. Deut. XXIII.

1. Non ingredietur qui contuſione fractos aut abſciſſos habet teſticulos, in congregationem Jehovæ.

2. Non ingredietur ſpurius congregationem Jehovæ: etiam generatione decima non ingredietur congregationem Jehovæ.

1. *Non ingredietur.*] Quod de mutilis & illegitimis hic traditur, ad eundem finem ſpectat: ne Dei Eccleſia turpibus maculis contaminetur, atque ita reverentiam ſuam amittat religio. Duo genera hominum

minum rejicit Moſes à cœtu fidelium, caſtratos ſcilicet, deinde ſpurios. Sed antequam de re ipſa tractemus, tenenda eſt vocum definitio. Prima quæſtio eſt, quid ſit ingredi in congregationem: altera, quid ſit confractos habere teſticulos: tertia, quinam ממזרים quos vertimus ſpurios. Multi exponunt prohiberi ab Eccleſia utroſque, ne publicum aliquod munus capeſſant: alii, ne uxores ducant ex ſemine Abrahæ: quia neque honeſtum eſſet eas mamzeris proſtitui, & effœminatis nubere abſurdum eſſet quæ ad multiplicandum Dei populum creatæ erant. Sed mihi utraque ſententia frigida videtur. Nam quod poſtea additur de exteris quibuſdam populis, non ita poteſt accipi, ne qua illis præfectura vel dignitas mandetur. Deinde ſatis exprimitur per cœtum Jehovæ, religionis caſtitas & puritas. Non dubito igitur quin arceat Moſes à communicatione ſacrorum qui his duabus maculis fœdati eſſent. Erſi enim communis illis Circumciſio erat cum electo populo, voluit tamen Deus ipſos probri ſui notam geſtare, ut aliis eſſent exemplo, & populus majore ſtudio ab omni pollutione ſibi caveret. Hoc quidem tenendum eſt, privilegium illis negari quod legitimis Iſraëlitis proprium erat, ut eſſent ſacrorum participes ac ſocii. De fractis teſticulis curioſius, meo judicio, diſputant Judæi quam res ferat: & tandem à recto ſenſu diſcedunt. Neque enim aliud voluit Deus, quam excludere à cœtu populi ſui, quoties ſacri conventus agebantur, mutilos & vitiatos in parte genitali. Quanquam per ſynecdochen plus comprehendit. Deinde externum corporis vitium damnando, præſtantiam ſui generis illis commendat, ut meminerint ſe electum eſſe ejus peculium: non ſuperbiendi cauſa, ſed ut tantæ nobilitati vitæ ſanctitas reſpondeat.

2. *Non ingredietur ſpurius.*] Voce ממזר conſentiunt omnes ſpurium notari, qui natus eſt incerto patre. ſed alii aliter accipiunt. Quidam enim extendunt ad omnes nothos, qui ex ſcortatione ſunt geniti: quidam vero de iis ſermonem haberi putant quorum dubia eſt origo: quos appellant Vulgo genitos: quorum ſcilicet matres, paſſim & turpiter ſe proſtituendo, fecerunt ſua effreni libidine ut fœtus illis naſcatur quaſi ex monſtruoſa permixtione. Quæ ſecunda opinio mihi magis placet. Voluit autem hoc ſymbolo Deus ſemen Abrahæ monere quam eximia eſſet illius dignitas, quod ſegregatum eſſet à pollutis gentibus. Interea noluit à ſpe ſalutis in totum miſeros excludere, qui nulla ſua culpa patris nomen ciere non poſſent, ſed tantum pœna temporali eos humiliavit, & eorum exemplum voluit aliis proeſſe.

NUMER. XIX.

LOquutus eſt inſuper Jehova ad Moſen & Aharon, dicendo,

2. Hoc eſt ſtatutum Legis quod præcepit Jehova, dicendo, Alloquere filios Iſraël, ut afferant ad te vaccam rufam perfectam, in qua non ſit macula, ſuper quam non aſcenderit jugum.

3. Et dabitis eam Eleazar ſacerdoti, qui educet eam extra caſtra, & mactandam curabit ante ſe.

4. Capietque Eleazar ſacerdos de ſanguine ejus digito ſuo, & ſpargens regione faciei tabernaculi conventionis de ſanguine ejus ſeptem vicibus.

5. Poſtea comburendam curabit vaccam in oculis ſuis: pellem ejus, & carnem ejus, & ſanguinem ejus una cum fimo ejus comburet.

6. Tunc accipiet ſacerdos lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccum vermiculi, projicietque in medium combuſtionis vaccæ.

7. Et lavabit veſtes ſuas ſacerdos, lavabit quoque carnem ſuam aqua, & poſtea ingredietur caſtra: immunduſque erit ſacerdos uſque ad veſperam.

8. Ille quoque qui combuſſerit eam, lavabit veſtimenta ſua aqua, lavabit & carnem ſuam aqua, immunduſque erit uſque ad veſperam.

9. Colliget autem vir mundus cinerem illius vaccæ, & ponet illum extra caſtra in loco mundo: eritque congregationi filiorum Iſraël in cuſtodiam in aquam ſeparationis: nam expiatio eſt.

10. Et lavabit qui collegerit cinerem vaccæ, veſtimenta ſua, immunduſque erit uſque ad veſpetam: & erit filiis Iſraël & peregrino qui peregrinatur in medio eorum, in ſtatutum perpetuum.

11. Qui tetigerit cadaver omnis animæ hominis, immundus erit ſeptem diebus.

12. Ipſe purificabitur eo die tertia, & die ſeptima mundus erit: quod ſi non purificatus fuerit die tertia, die ſeptima non erit mundus.

13. Quicunque tetigerit mortuum, animam hominis qui mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, tabernaculum Jehovæ polluit: & excidetur anima illa ex Iſraël: quia aqua ſeparationis non fuit aſperſa ſuper eum, immundus erit, adhuc immunditia ejus erit in ipſo.

14. Hæc eſt lex, quum quis mortuus fuerit in tabernaculo: quicunque ingreſſus fuerit tabernaculum, & quicquid fuerit in tabernaculo, immundum erit ſeptem diebus.

15. Omne item vas apertum, ſuper quo non fuerit operculum adjectum, immundum eſt.

16. Quicunque præterea tetigerit in ſuperficie agri occiſum gladio, aut mortuum, aut os hominis, aut ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus.

17. Tollentque pro immundo de pulvere combuſtionis oblationis pro peccato, & ponent ſuper eum aquam vivam in vaſe.

18. Capiet item hyſſopum, & intinget in aquam vir mundus, & ſparget ſuper tabernaculum, & ſuper omnem ſupellectilem, & ſuper animas quæ fuerint ibi, ac ſuper eum qui tetigit os illud, vel occiſum, vel mortuum, vel ſepulchrum.

19. Aſper-

19. Asperget, inquam, mundus super immundum die tertia, & die septima, & mundabit eum die septima: postea lavabit vestimenta sua: lavabit quoque sese aqua, & mundus erit in vespera.

20. Vir autem qui immundus fuerit, & non purificaverit se, excidetur anima illa è medio congregationis, quia sanctuarium Jehovæ polluit: aqua separationis non est asperſa super eum, immundus est.

21. Et erit eis in ſtatutum perpetuum: & qui ſparſerit aquam ſeparationis, lavabit veſtimenta ſua: quique tetigerit aquam ſeparationis, immundus erit uſque ad veſperam.

22. Et quicquid tetigerit immundus, immundum erit: & anima quæ tetigerit ipſum, immunda erit uſque ad veſperam.

2. *Hoc eſt ſtatutum legis.*] Quia fieri non poteſt quin fideles, dum verſantur in mundo, aliquid contagionis ſubinde ex multarum ſordium attactu contrahant, deſcribitur hic aquæ confectio, cujus aſperſione abluant & expient ſuam immunditiem: deinde notantur certa genera pollutionum, quarum purgatio exigitur. Jubet Deus mactari vaccam ruſam, quæ jugum nunquam paſſa ſit, & comburi extra caſtra ſimul cum pelle & excrementis, cineres colligi ab homine mundo, & reponi extra caſtra, ad communes populi uſus. Verum ut vim reconciliandi habeat aqua quæ tincta fuerit hoc cinere, jubet ſimul Deus ſepties coram altari ſpargi ſanguinem digito ſacerdotis. Porro hujus ceremoniæ duplex fuit finis. Voluit enim Deus attentum reddere populum ad ſordes ſuas propius reputandas: atque ut intus puri eſſent, voluit tamen ſedulo circumſpicere, ne aliunde inquinarentur. Deinde quoties infecti eſſent aliqua labe, docuit aliunde petendam eſſe expiationem: nempe à ſacrificio & aſperſione. Atque ita admonuit, fruſtra homines à ſeipſis remedia quærere ad ſe purgandos: quia nulla puritas niſi ex ſanctuario prodiret. Qui ſubtiliter in ſingulis argutantur, quædam parum firma afferunt: fruantur ergo ſuo ſenſu. Nobis vero ſufficiat in genere tenere quorſum Deus ſpectaverit in hac ceremonia, & quæ inde utilitas redierit ad populum. Per colorem ruſum volunt notari peccatum. Interea ne in manifeſtam repugnantiam incurrant, coguntur abſurde interpretari quod ſequitur, integram requiri vaccam & abſque macula: acſi dictum eſſet, ne qua ſit in pilis varietas: quum idem exigat Deus quod in reliquis ſacrificiis, quæ ut vitioſa rejiciebantur, ſi qua in illis extaret deformis nota. Quo ſenſu additur, Quæ nunquam jugum tulerit. Ergo mihi dubium non eſt quin præcipiat Deus eligi puram juvencam, non mutilam vel claudam: &, quo melius appareat integritas, jugi adhuc expertem. Quid ergo ſibi vult rufus color? Primum neſcire malo quam dubium aliquid afferre: deinde probabilis conjectura eſt, electum fuiſſe colorem magis vulgarem & conſuetum, ne quid eſſet nimis conſpicuum, vel in albedine, vel in nigredine. Hoc quidem fixum manere debet, integram & omni vitio puram juvencam debuiſſe offerri, & quæ ad ferendum jugum non fuiſſet manibus hominum ſubacta: ut purgatio nihil haberet humanum. Toti autem populo datur mandatum offerendi: quia, ut ablutionis ſimus participes, neceſſe eſt ut Chriſtum quiſque Patri offerat. Etſi enim ipſe unus, & quidem ſemel, ſeipſum obtulit, quotidiana tamen oblatio, quæ fit per fidem & preces, nobis mandatur: non qualem imaginati ſunt Papiſtæ, à quibus Cœna impie hoc perverſo errore in ſacrificium converſa fuit, quod putabant quotidie immolandum eſſe Chriſtum, ut mors ejus prodeſſet. Verum longe diverſa eſt hæc de qua loquor fidei & precum oblatio, qua tantum nobis applicamus vim & fructum mortis Chriſti.

3. *Et dabitis eam Eleazar.*] Hic clarum ponitur diſcrimen inter duas oblationes: quia populus non permittitur juvencam mactare, ſed hoc munus eſt proprium ſacerdotis. Ita mediate obtulit populus per ſacerdotis manum. quomodo etiam hodie, quamvis Deo placando ante ejus faciem Chriſtum ſiſtamus, neceſſe tamen eſt ipſum intervenire & fungi ſacerdotis partibus. Porro juvencam educi oportuit è caſtris, in ſignum anathematis: quoniam piaculum erat. Qua ratione etiam piaculares victimæ, quarum ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum, cremabantur extra caſtra. Cujus figuræ veritas in Chriſto impleta fuit: qui ideo extra portas urbis paſſus eſt, teſte Apoſtolo. Quia autem hæc quædam erat rejectionis ſpecies: ne minoris pretii eſſet juvenca, aut maledictione pollutam ducerent Iſraëlitæ, ſacrum & grati odoris ejus ſanguinem oſtendit Deus, ſepties altare ipſo aſpergi jubens, quod fas non erat ulla immunditie inquinari. Hoc idem in Chriſto clariſſime perſpicitur. Etſi enim factus eſt pro nobis maledictio: & peccatum vocatur, quia peccata noſtra in cruce maledicta portando, expiatrix fuit victima: nihil tamen ex ejus puritate detractum eſt, quin ejus ſanctitas totius mundi eſſet ſanctificatio. Obtulit enim ſeipſum in ſpiritu, & per ſanguinem proprium intravit in Sancta: & mors ejus vocatur alibi à Paulo ſacrificium ſuaviſſimi odoris. *Hebr. 10. verſ. 14. Epheſ. 5. verſ. 2. Phil. 4. verſ. 18.*

6. *Tunc accipiet ſacerdos lignum cedrinum.*] Ut cum aquæ aſperſione conjuncta ſimul eſſet ſanguinis aſperſio, in ignem conjiciebantur lignum cedrinum, hyſſopus, & coccineum ligamen: ex quibus aſperſorium fieri ſolebat. Niſi enim hoc viſibili ſymbolo admoniti fuiſſent Iſraëlitæ, non ita liquido ſciviſſent ſe non tantum aqua ablui, ſed ſacrificii etiam oblatione deleri ſuas ſordes. Sanguinem vero fundi non ſatis erat, niſi ejus irrigatione mundati eſſent, ut ante viſum fuit. Quum autem ligni cedrini pretioſus ſit odor, in hyſſopo vis ſit purgandi: hinc iterum colligimus, mundam fuiſſe illam victimam, quamvis peccata ſimul cum eorum maledictione & piaculo ſuſtineret. Quomodo autem aſpergamur Chriſti ſanguine, docet Petrus, nempe per Spiritum: imo ſingulas hujus ceremoniæ partes in Chriſto inveniri docet Joannes in ſua Canonica, Chriſtum veniſſe ſcribens in aqua & ſanguine, & Spiritum qui veritas eſt, de eo teſtificari. *1 Pet. 1. verſ. 2. 1 Joan. 5. verſ. 6.*

7. *Et lavabit veſtes ſuas.*] Videntur hæc primo intuitu pugnare, ſacram Deo & puram eſſe juvencam, & tamen polluere ſacerdotem ſuo contactu: quæ tamen optime inter ſe conveniunt. Quod enim tam ſacerdos quam miniſter combuſtionis immundi erant uſque ad veſperam, non leviter populum pungere debuit, ut peccatum magis abominari diſceret. Sed quum cineres colligere nonniſi mundo homini fas eſſet, nec alibi reponere quam in loco mundo: hoc ſymbolo demonſtratum fuit, non ſubſiſtere ullam maculam in ipſo ſacrificio, ſed ab extranea & adventitia labe cenſeri quodammodo impurum: quia abſtergendis ſordibus deſtinatum erat. Unde & aqua in quam conjiciebatur cinis, tam aqua ſeparationis quam expiatio dicta fuit. Hæc enim lectio quam reddidi, genuina eſt: ac perperam vertunt alii, In aquas ſeparationis, & ad expiationem. Vetus interpres, quoad hanc vocem, ſenſum non male reddidit, quod vacca ſit combuſta pro peccato. Sed quoniam Hebræi חטאת tam ſcelus vel peccatum, quam hoſtiam cui imponitur maledictio, ſignificat: melius

lius exprimitur quod voluit Moſes nomine expiationis. Separatio autem ad homines refertur, quos propriæ ſordes arcebant à ſacro cœtu. Quæritur tamen cur ſtatutum hoc commune dicatur tam advenis peregrinantibus in terra Iſraël quam indigenis: quia minime conſentaneum fuiſſet mundari incircumciſos. Solutio facilis eſt, peregrinos intelligi non qui prorſus alieni eſſent à populo, ſed qui oriundi ex gentibus profanis amplexi erant Legem: eos in ſacrificiis & reliquo cultu Deus æquat Abrahæ filiis: ne, ſi diſpar eſſet conditio, ſcinderetur Eccleſia, in cujus corpus inſiti erant.

11. *Qui tetigerit cadaver.*] Nunc ſpecies quædam pollutionum recitat in quibus neceſſaria fuit lotio: omnes tamen ad unum caput redeunt, nempe Contactum cadaveris, oſſium, ſepulchri, contaminare homines. Neque hic diſtinctio ponitur inter hominis occiſi cadaver, & ejus qui in lecto mortuus eſt. Unde ſequitur, mortem hic proponi tanquam maledictionis Dei ſpeculum. Et certe ſi conſideratur ejus origo & cauſa, in quolibet homine mortuo ſe profert naturæ corruptio, qua imago Dei fœdata eſt: quia niſi toti vitioſi eſſemus, non naſceremur ad interitum. Sed alio etiam ſignificandi modo Deus populum docuit, labem contrahi, ubi communicamus operibus infructuoſis tenebrarum. Peccata enim vocat Apoſtolus opera mortua: vel ab effectu, vel quia ſicuti fides eſt vita animæ, ita infidelitas in morte ipſam detinet. Quum ergo cadaver, oſſa, ſepulchrum, deſignent quicquid afferimus ex utero: quia donec ſimus regeniti, & nos ſpiritu ſuo & fide vivificet Deus, vivendo ſumus mortui: non dubium eſt quin admoniti fuerint filii Iſraël, ut ſe puros Deo ſervarent, ab omni corruptione abſtinendum eſſe: quod ſi ex hominis mortui contactu macula infecti eſſent, confugiendum mox eſſe ad ablutionem. Denique non alio ſpectavit ceremonia, niſi ut puri à vitiis carnis ſincere Deum colerent, ſeque exercerent in continua meditatione pœnitentiæ: quod ſi à puritate excidiſſent, Deum, interpoſito ſacrificio & lotione, ſtuderent ſibi placare.

Hebr. 6. verſ. 1.

13. *Quicunque tetigerit mortuum, nec purificatus.*] Gravitas pœnæ capitalis oſtendit quantopere Deo placeat mundities. Poterat quiſpiam, ſi oblitus eſſet die tertio vel ſeptimo ſe aſpergere, temporis jactura redimere ſuam negligentiam: quia tantum protrahebatur in alium diem luſtratio. Sed ingredi cum ſordibus ſanctuarium, capitale erat: quia hoc modo permixta fuiſſent ſacra profanis: imo pollutum fuiſſet altare cum toto Dei cultu. Verum quidem eſt levis momenti fuiſſe tactum cadaveris, nec pro ſcelere nefando fuiſſe habendum: ſed hic externa immundities per ſe non reputatur, acſi labe ex pio officio contracta offenſus eſſet Deus: quin potius finis ceremoniæ ſpectandus eſt, quod Deus talibus rudimentis Iſraëlitas tanquam pueros docere voluit, ſi quis inficeret ſacra ſuis ſordibus, minime in hac audacia eſſe tolerandum. In hoc igitur ſita fuit religio, cultum Dei magis eſſe pretioſum quam ut eum impune contaminari ſinerent Iſraëlitæ. Unde colligimus ſacrilegio irrogatam fuiſſe pœnam. Summa huc redit, Deum non rite coli niſi corde ſincero & puris manibus: ſi quid autem labis contractum ſit, expiatione opus eſſe, antequam liber ad ſacra acceſſus pateat. Notandum vero eſt, quoad contactum, patrem fuiſſe rationem, ſive in agro jaceret cadaver, ſive domi. Verum ſi quis in tabernaculo eſſet mortuus, ſolo ingreſſu homines fuiſſe pollutos: ſimiliter vaſa quæ operculo carerent, fuiſſe polluta.

22. *Et quicquid tetigerit immundus.*] Alii vertunt, Quiſquis tetigerit immundum, immundus erit. Nam quum Hebræi neutro genere careant, poteſt relativum אשר & nomen אסמה tam maſculinum quam neutrum eſſe. & uterque ſenſus non male conveniet: niſi quod ex ſecundo membro colligimus, potius de contagione hic tractari qua immundi tam homines quam veſtes & reliqua vaſa inficiunt. Neque enim ad veſperam uſque duntaxat immundi erant qui tetigerant cadaver, oſſa, vel ſepulchrum, ſed totis ſeptem diebus. Videtur autem addita fuiſſe hæc clauſula, ne fremerent Judæi ob pœnæ atrocitatem: quod Deus leve delictum morte plecteret. Hac igitur ratione demonſtrat Moſes quanto reatu ſe obſtringant qui immundi perrumpunt ad ſanctuarium: quia Dei ſanctitatem, quantum in ſe eſt, non ſine intolerabili contumelia polluunt. Atque hinc videtur ſumpta fuiſſe Prophetæ objurgatio, ubi Judæis exprobrat, eos nihil aliud quam fœdare cultum Dei ſuis ſacrificiis. Proponit enim hanc quæſtionem ſacerdotibus, Si tulerit homo carnem ſanctam in ora veſtis ſuæ, & tetigerit panem, vel pulmentum, vel oleum, vel vinum, vel aliud quidpiam, an ſanctificabitur? Poſtquam hoc negarunt, rurſus interrogat, Si tetigerit pollutus in anima aliquid ex his omnibus, annon contaminabitur? Reſpondent, Contaminabitur. Unde infert Propheta, Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Jehova, & ſic omne opus manuum eorum & quæcunque obtulerint mihi, polluta erunt. Idem locus germanum hujus ceremoniæ uſum demonſtrat, vitioſos & perverſos cultores probro magis quam honore Deum afficere, dum ſacrum ejus nomen ſuis inquinamentis permiſcent.

Malach. 1.

Ex Deut. XXIII.

9. Quum egreſſus fueris in exercitu contra hoſtes tuos, cave ab omni re mala.

10. Si fuerit in te quiſpiam non mundus caſu nocturno, egredietur extra caſtra, nec ingredietur in medium caſtrorum.

11. Quum autem aſperit veſperum, lavabit ſe aqua: & quum occubuerit ſol, ingredietur caſtra.

12. Locus etiam erit tibi extra caſtra, egredieriſque illuc foras.

13. Paxillus item erit tibi inter vaſa tua: & quando deſidebis extra, fodies ipſo, & converſus operies excrementa tua.

14. Jehova enim Deus ambulat per medium caſtrorum tuorum, ut eripiat te, & tradat inimicos tuos coram te. Sit igitur in caſtris tuis ſanctitas, ne videat in te turpitudinem aliquam, & avertatur abs te.

9. *Quum egreſſus fueris in exercitu.*] Quod de ſervanda domi & in otio puritate docuit, nunc extendit etiam ad caſtra bellica: ut in medio ſtrepitu armorum puros ſe ab omni macula conſervent. Scimus, ut plurimum leges in bellis ceſſare, dum omnia impetu magis quam ratione aguntur: & ſcimus multa ſolere militibus permitti, quæ in pace nullo modo toleranda eſſent. Huic malo Deus mederi voluit, idem puritatis ſtudium Iſraëlitis in bello commendans quod in pace. Eſt enim hæc lex ſpecialis, quæ in militia diſſolutos & effrenes eſſe vetat: ſicuti ante in genere omnem immunditiem damnavit. Acſi diceret, nullo prætextu fore excuſabiles ſi intermittant colendæ puritatis exercitia. Neque enim in exercitu

& ca-

& caſtris cautos eſſe jubet, acſi domi impune delinquerent; ſed admonet, Deum minime veniam daturum, quamvis neceſſitatem belli prætexant: multo magis exaggeratur crimen, ſi in otio & compoſita mente ſe coinquinent. Unde colligimus, fruſtra capſari inanes prætextus, dum ulla in parte violantur Dei mandata: quia quantumvis difficile ſit officium præſtare, Deus tamen jus ſuum nunquam reſignat. Porro ſi delicta bellum non excuſat, quod videtur leges ſolvere: multo gravior (ut dictum eſt) cenſebitur eorum culpa qui in tranquillo vitæ ſtatu licentioſe ad peccandum feruntur.

10. *Si fuerit in te quiſpiam.*] Duas pollutionum ſpecies enumerat, ex quibus cognoſcant Iſraëlitæ quid ſibi velit Covere è re mala. Primo eos qui per inſomnium profuderint ſemen, immundos eſſe pronunciat, & ejicit è caſtris, donec veſpere ſe abluerint. Deinde vetat alvi excrementis caſtra inficere: neque id ſolum, ſed etiam quum egreſſi fuerint è caſtris, jubet ſub terram ſua excrementa defodere, nequn fœditas appareat. Probabile autem eſt, per ſynecdochen deſignari quicquid immundos & pollutos reddebat hominem. Sed Moſes, militariter loquendo, ſatis habuit breviter docere, quamvis ad bellum gerendum intenti forent, curandam ſimul eſſe munditiem. Per accidens noctis, omnium conſenſu intelligitur ſeminis profuſio. Unde colligitur quantopere hominem fœdet impudicitia, quum ex turpibus ſomniis labes contrahatur. Quod ad ſecundam partem ſpectat, quidam acuti & dicaces videri appetunt in exagitando Moſe, quod inter ſanctitatis præcepta hoc poſuerit, Ne quis ventrem in caſtris exoneret. Scilicet, inquiunt, ſtercoris egeſtio Dei nares olfactu lædere potuit. Sed facile coarguitur futilis eorum petulantia, quod Deus talibus rudimentis veterem populum in officio continuerit, ne libertas etiam in rebus minimis audaciam pareret. Si permiſſum fuiſſet ſordibus paſſim caſtra inquinare, mox obduruiſſet populus ad quamlibet ſpurcitiem. Injecto itaque freno retenti fuerunt, ut magis ſollicite animos ad ſpiritualem integritatem adjicerent. Falluntur etiam qui putant ſanæ valetudinis haberi rationem, ne morbos gigneret fœtor, ac corporibus eſſet noxius. Clare enim exprimit Moſes, ſe non tantum reſpicere quid ſalubre ſit, vel etiam quid honeſtum coram hominum oculis: ſed potius aſſuefacere populum, ut à ſordibus abhorreat, ſeque ſincerum & impollutum conſervet. Subjicit enim, Deum præſidere caſtris, ut eos à vi & impetu hoſtium protegat: timendum vero eſſe, ſi caſtra contaminent, ne offenſus ſordibus & maculis eos deſerat. Summa eſt, quum opus habeant Dei auxilio, ubi cum hoſtibus bellandum eſt, ſtudium ſanctitatis non debere in ipſa militia omitti vel negligi.

Ex Deut. XXII.

9. Non ſeres vineam tuam diverſis ſpeciebus ſeminum, ne forte polluatur fructus ſeminis quod ſeviſti, & fructus vineæ.

10. Non arabis cum bove & aſino pariter.

11. Non indues te diverſa ſpecie, lana & lino pariter.

Ex Levit. XIX.

19. Statuta mea obſervabitis. Animal tuum non facies coire cum altero ſemine. Agrum tuum non ſeres diverſo ſemine: & veſtis contexta ex lana & lino non aſcendet ſuper te.

Ex eodem Capite.

23. Quum ingreſſi fueritis terram, & plantaveritis omnis generis arborem fructiferam, tunc præputiatum ducetis præputium ejus, fructum ejus: tribus annis erit vobis incircumciſa, non comedetis ejus fructus.

24. Quarto autem anno erit omnis fructus ejus ſanctitas laudum Jehovæ.

25. Anno vero quinto comedetis fructum ejus, ut multiplicet vobis fructum ſuum. Ego Jehova Deus veſter.

Ex eodem Capite.

27. Non attondebitis comam capitis veſtri in circuitu, nec radetis extrema barbæ.

28. Inciſionem pro mortuo non facietis in carne veſtra, neque ſculpturam notæ facietis in vobis. Ego Jehova.

Ex Deut. XIV.

1. Filii eſtis Jehovæ Dei veſtri. Non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuo:

2. Quoniam populus ſanctus es Jehovæ Deo tuo, qui te elegit ut ſis ei in populum peculiarem è cunctis gentibus quæ ſunt in ſuperficie terræ.

Deut. 22. 9. *Non ſeres vineam.*] Hæc quatuor præcepta, quæ omnes adventitias corruptelas damnant, primi appendices eſſe non dubito: & ratio in Deuteronomio addita eo nos dirigit, ubi Deus pollui ſeminis proventum ac vineæ pronunciat, ſi varia ſit mixtura. Unde apparet non aliud exigi niſi ut munditiem colant. Verbum quidem קדש quod uſurpat Moſes, eſt ſanctificare: ſed per antiphraſin pro contaminare accipitur. Eodem pertinet quod ſequitur, ne arent cum bove & aſino. Quæ varietas non alia de cauſa improbata fuit, niſi quod inquinamenti aliquid contrahunt homines ſimulatque à ſimplicitate degenerant. Si quis tamen aliter ſentiat, non contendam vehementius. Poſſet quidem objici, quod Deus admitti vetat promiſcue animalia, ut inter ſe miſceantur quæ ſunt diverſi generis, ad caſtitatem ſpectare: quod autem agrum vetat conſeri diverſis ſeminibus, & texturam fieri ex diverſis materiis, hoc modo fraudibus occurri. Verum ſimplicius eſt populum retineri in puritate, ne aſſuefcat corruptis moribus, & ne hinc inde accerſat ritus alienos, vel mixturas appetat prava curioſitate, quæ tandem perveniunt ad cultum Dei. Nam ſi inter ſe coëant diverſa animalia, vitiatur naturæ integritas, & inde naſcitur

nascitur adulterina soboles, quæ à Dei institutione degenerat: si vero plures seminum species simul essent commixtæ, vel ex lino & lana contexta fuisset vestis, nihil erat à captione & dolo periculi in re conspicua. Ergo probabile est, propositum fuisse Deo quem dixi finem, ut nativam simplicitatem tota vita colendo, puros se & integros ab omni externo vitio
Mat. 16. vers. 12. servarent. Hac ratione fermento Scriptura comparat alienas doctrinas, quæ minuendo vel addendo vitiant sincerum Dei verbum. Atque hæc non parum utilis fuit exercitatio: dum in rebus minimis & prope nihili frenum illis injiciebatur, ne vel tantillum à puritate defle&erent. Exigua res erat, filum magis subtile subtexere crassiori: & forte hæc industria ad communem usum profuisset: in quibusdam etiam agris uberior seges provenit, si semen ex puro tritico & siligine sit compositum. Placuit etiam admissura equi & asinæ: quia inde muli procreantur. Noluit tamen Deus veteri populo id permittere, ne paulatim ad majorem licentiam delapsi, Gentium moribus & institutis tandem se addicerent. Ideo præfatur his verbis, Statuta mea custodite: ex quibuscolligimus, circumdatos fuisse populo cancellos, vel præfixas metas, ne se profanaret externis vitiis, & Gentes à quibus separatus fuerat, imitaretur. Quare hæc summa est, ut in Dei statutis maneant.

Levit. 19. 23. *Quum ingressi fueritis.*] Quin arborum sicuti hominum circumcisio ad primum præceptum pertineat, mihi ambiguum esse non videtur: non solum ut symbolum adoptionis suæ conspicerent Judæi in ipsis arboribus, sed ut discerent non licere nisi solis Dei filiis earum fructu vesci: deinde quicquid terra gignit, prima sua origine quodammodo esse profanum, donec purgetur. Nam certe
1 Tim. 4. vers. 5. hac ceremonia ostensum fuit quod docet Paulus, sanctificari omnia precibus & verbo. non quod per se quicquam sit impurum: sed quia ex corruptione hominis contagionem terra contraxit, merito quoad nos innoxiæ etiam fruges censentur habere immunditiem præputii. In summa, voluit Deus maceceriam interjicere, qua populum suum à Gentibus separaret: ac simul commonefacere, eorum quæ terra producit legitimum usum nonnisi singulari privilegio à filiis Adæ percipi. Sed aptissima fuit præputii ante condictum circumcisionis annum similitudo, ut agnoscerent, eodem jure quo conserati erant in Dei peculium, puros sibi arborum esse fructus. Porro ne gravis sit trium annorum sterilitas, compensationem promittit ex futura Dei benedictione: quja ubi ab immundo fructu abstinuerint, largior proventus in posterum sperandus fuit.

27. *Non attondebitis comam.*] Liquido apparet, non aliud fuisse Dei consilium quam ut interposito obstaculo populum suum à profanis gentibus dirimeret. Nihil enim magis proclive quam ut alii ad aliorum consuetudinem se forment. Ita fit ut inter se ultro citroque communicent sua vitia. Quare in primis cavendum fuit ne populus Israël susciperet exteros ritus, & hac facilitate à genuino Dei cultu deficeret. unde etiam obtinuit vulgaris usus, ut Commune acciperent pro immundo. Severe ergo prohibet Deus ne declinando ad Gentium mores, discrimen à se positum confundant. Notas in facie incidere, comam tondere ad certos gradus vel circulos, & in luctu carnem suam lacerare, vel stigmatibus fœdare, non dubium quin Gentibus usitatum fuerit superstitionis causa. Notum est ut sacrifici Cybeles cultris ac novaculis carnem suam lancinarent, ac vulneribus se totos fœdarent, ostentandi zeli causa. Id aliis etiam commune fuit: sicuti pomparum objectu mundus facile capitur. Quanquam autem erat id per se medium, Deus tamen populo suo noluit liberum esse, ut tanquam pueri ex parvis rudimentis discerent, se non aliter Deo fore gratos nisi exteris & præputiatis essent prorsus dissimiles, ac longissime abessent ab eorum exemplis: præsertim vero ritus omnes fugerent quibus testata fiebat religio. Experientia enim docet quantopere verum Dei cultum obscuret quicquid est adscititium: & quam facile obrepant pravæ superstitiones, ubi Dei verbo assuuntur hominum commenta. Posset quidem pars ista, Super mortuo non incides &c. exponi tanquam immodici luctus correctio; quia scimus quam intemperanter ferantur homines adversus Deum ubi dolori suo habenas laxant: verum quia finis Gentium erat, justa solvere mortuis, & ferales exequias quodam piaculi genere celebrare; probabile est ac meliius convenit, toto contextu damnari præposteros gestus, qui pietatis erant testimonia inter Gentes, in populo autem Dei fuissent inquinamenta. Idem ex loco Deuteronomii, qui proxime sequitur, clarius patet; ubi conjunctim incisuram & calvitium super mortuo damnat Moses, quasi rem unam: & legem confirmat generali ratione, quod se debeant ab omni inquinamento subducere, tanquam filii Dei: quando electi sunt in populum peculiarem. Acsi diceret, irritam fieri Dei gratiam, si nihil ab alienis gentibus differant. Quod electos esse dicit ex cunctis gentibus, non parum illustrat gratuitam Dei misericordiam, qua eos dignatus est solos posthabitis Gentibus, ad spem æternæ salutis vocans. Neque enim vel nobilitas in illis reperta est, vel numero excellebant, vel quavis alia præstantia, cur ipsos toti mundo præferret. Cæterum hoc consilio singulare Dei beneficium commendat Moses, quo magis exhorreant impuram commixtionem, qua se Gentibus æquando, à tanto honore excidebant.

Ex Levit. XX.

25. Vos quoque discrimen facite inter animal mundum & immundum, & inter avem immundum & mundam, & ne abominabiles reddatis animas vestras in animalibus & volatilibus, atque in omni quod reptat in terra, quæ separavi vobis ad immunditiam.

26. Eritis autem sancti mihi: quia sanctus sum ego Jehova, & separavi vos à populis, ut essetis mei.

Levit. XI.

ET loquutus est Jehova ad Mosen & Aharon, dicendo ad eos,

2. Loquimini ad filios Israël, dicendo, Hæc sunt animalia quæ comedetis ex omnibus animalibus quæ sunt super terram:

3. Omne dividens ungulam, & findens fissuram ungularum, & ruminans inter animalia, illud comedetis.

4. Veruntamen hoc non comedetis ex his quæ ruminant, & ex his quæ dividunt ungulam: camelum: quia ruminat, & ungulam ipse non dividit, immundus erit vobis.

5. Et cuniculum: quia ruminat, & ungulam non dividit, immundus erit vobis.

6. Et leporem: quia ruminat, & ungulam non dividit, immundus erit vobis.

7. Suem

7. Suem quoque: quia dividit ungulam, & findit fiſſuram ungulæ, ipſe vero non ruminat, immundus erit vobis.
8. De carne eorum non comedetis, neque cadaver eorum tangetis: immunda erunt vobis.
9. Hoc autem comedetis ex omnibus quæ ſunt in aquis: omnia quibus ſunt pinnæ & ſquamæ in aquis maris, & in fluminibus, illa comedetis.
10. Omnia vero quibus non ſunt pinnæ & ſquamæ in mari, & in fluminibus, tam de omni reptili aquatili, quam de omni anima vivente quæ eſt in aquis: abominatio erunt vobis.
11. Abominatio, inquam, erunt vobis: de carne eorum non comedetis, & cadaver eorum abominabimini.
12. Quicquid non habet pinnas & ſquamas in aquis, abominatio erit vobis.
13. Hæc autem abominabimini ex volatilibus: (non comedentur, quia abominatio ſunt) aquilam, & gryphum, & haliæetum,
14. Et vulturem, & milvum ſecundum ſpeciem ſuam:
15. Et omnem corvum ſecundum ſpeciem ſuam:
16. Et filiam ſtruthionis, & noctuam, & larum, & accipitrem ſecundum ſpeciem ſuam:
17. Et nycticoracem, & mergulum, & ibin,
18. Et porphyrionem, & pellicanum, & cygnum,
19. Et ciconiam, charadrium ſecundum ſpeciem ſuam: & upupam, & veſpertilionem:
20. Omne reptile alatum ambulans ſuper quatuor pedes, abominatio erit vobis.
21. Veruntamen hoc comedetis ex omni reptili alato quod gradietur ſuper quatuor pedes, cui ſunt crura ſuper pedes ſuos, quibus ſaliant ſuper terram.
22. Hæc ex illis comedetis: locuſtam juxta ſpeciem ſuam, & attacum juxta ſpeciem ſuam, & ophiomacum ſecundum ſpeciem ſuam, & bruchum ſecundum ſpeciem ſuam.
23. Omne autem reliquum reptile alatum cui ſunt quatuor pedes, abominatio erit vobis.
24. Et his polluetis vos: quicunque tetigerit cadaver eorum, immundus erit uſque ad veſperam.
25. Et quicunque portaverit cadavera eorum, lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperam.
26. Omne animal quod dividit ungulam, & fiſſuram non findit, & non ruminat, immunda erunt vobis: quicunque tetigerit ea, immundus erit.
27. Et quicquid graditur ſuper volas ſuas inter omnes feras quæ gradiuntur ſuper quatuor pedes, immunda erunt vobis: quicunque tetigerit cadavera eorum, immundus erit uſque ad veſperam.
28. Et qui portaverit cadavera eorum, lavabit veſtimenta ſua, immunduſque erit uſque ad veſperam: immunda erunt vobis.
29. Et hæc vobis immunda erunt inter reptilia quæ reptant ſuper terram: muſtella, & mus, & rubeta ſecundum ſpeciem ſuam:
30. Et mygale, & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa.
31. Iſta immunda ſunt vobis inter omnia reptilia: quicunque tetigerit illa poſtquam mortua fuerint, immundus erit uſque ad veſperam.
32. Et omne ſuper quod ceciderit aliquid ex eis poſtquam mortua fuerint, immundum erit, tam vas lineum quam veſtis, aut pellis, aut ſaccus: omne vas in quo fieri ſolet opus, in aquam mittetur, & immundum erit uſque ad veſperam, & mundabitur.
33. Omne præterea vas teſtaceum intra quod ceciderit aliquid ex eis, quicquid erit in illo immundum erit, & ipſum confringetis.
34. Omnis cibus qui comeditur, ſuper quem venerit aqua, immundus erit: & omnis potus quo potatur in omni vaſe impuro, immundus erit.
35. Et omne ſuper quod ceciderit quicquam de cadavere eorum, immundum erit: clibanus & chytropodes diruentur, immunda ſunt, & immunda erunt vobis.
36. Veruntamen fons & ciſterna congregationis aquarum erit munda: at quod tetigerit cadaver eorum, immundum erit.
37. Præterea ſi ceciderit quicquam de cadavere eorum ſuper aliquod ſemen ſatum, quod ſeminabitur, mundum erit.
38. At quum fuſa fuerit aqua ſuper ſemen, & ceciderit quicquam de cadavere eorum ſuper illud, immundum erit vobis.
39. Quum autem mortuum fuerit aliquod animal quod ſit vobis in cibum, qui tetigerit cadaver ejus, immundus erit uſque ad veſperam.
40. Et qui comederit de cadavere ejus, lavabit veſtimenta ſua, immunduſque erit uſque ad veſperam: is quoque qui extulerit cadaver ejus, lavabit veſtimenta ſua, atque immundus erit uſque ad veſperam.
41. Et omne reptile reptans ſuper terram, abominatio eſt, non comedetur.

42. Quicquid item graditur ſuper pectus, & quicquid incedit ſuper quatuor aut plures pedes inter omnia reptilia quæ reptant ſuper terram, non comedetis: quia abominatio ſunt.

43. Ne impuras reddatis animas veſtras in omni reptili quod reptat, nec polluatis vos in eis, neque coinquinetis vos per ea.

34. Quia ego Jehova Deus veſter: ſanctificate ergo vos, & eſtote ſancti, quia ſanctus ſum: & ne polluatis animas veſtras per aliqua reptilia quæ reptant ſuper terram.

45. Ego enim ſum Jehova, qui eduxi vos è terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum, & eſſetis ſancti, quia ego ſanctus ſum.

46. Hæc eſt lex animalium terreſtrium, & volatilium, atque omnium animalium viventium quæ reptant, & omnium animantium reptantium ſuper terram,

47. Ad diſtinguendum inter immundum & mundum, & inter beſtias quæ comedi poſſunt, & beſtias quæ comedi non poſſunt.

Ex Deut. XIV.

3. Non comedes ullam abominationem.

4. Hæc ſunt animalia quæ comedetis: bovem, agnum ovium, & hœdum caprarum,

5. Cervum, & capream, & bubalum, & hircum ſylveſtrem, & damam, & bovem ſylveſtrem, & capram rupicolam:

6. Omne animal findens ungulam, & findens fiſſuram duarum ungularum, ruminans inter animalia, illud comedetis.

7. Veruntamen hoc non comedetis ex ruminantibus & ex findentibus ungulam diviſam: camelum, & leporem, & cuniculum: quia ruminant, & ungulam non dividunt, immunda ſunt vobis.

8. Et porcum: quia findit ungulam, & non ruminat, immundus eſt vobis: de carne eorum non comedetis, & cadavera eorum non contingetis.

9. Hoc comedetis ex omnibus quæ ſunt in aqua: quicquid habet pinnulam & ſquamam, comedetis.

10. Quicquid vero non habet pinnulam & ſquamam, non comedetis: immundum eſt vobis.

11. Omnem avem mundam comedetis.

12. Hæ autem ſunt ex quibus non comedetis: aquila, & gryphus, & haliæetus,

13. Et ixus, & vultur, & milvus ſecundum ſpeciem ſuam:

14. Et omnis corvus ſecundum ſpeciem ſuam:

15. Et filia ſtruthionis, & noctua, & larus, & accipiter ſecundum ſpeciem ſuam:

16. Et herodius, & ibis, & cygnus,

17. Et pellicanus, & porphyrio, & mergulus,

18. Et ciconia, & charadrius ſecundum ſpeciem ſuam: & upupa, & veſpertilio:

19. Et omne reptile alatum immundum eſt vobis, non comedetur.

20. Omnem avem mundam comedetis.

Levit. 20. 25. *Vos quoque diſcrimen.*] Sententiam hanc pendere à fine ſuperioris verſus mihi dubium non eſt. Etſi enim hac ratione ab inceſtis eos deterret quorum mentionem fecerat, ſimul tamen ad præſentem doctrinam ſpectat, ut ſit quaſi præfationis loco. Denique res duas connectit: quia breviter illic Deus conſilium ſuum demonſtrat, non modo quoad illicitos & fœdos concubitus, ſed etiam cur populum ſuum vetuerit animalibus immundis veſci. Ideo dicit, Ego itaque ſum Deus veſter qui vos ſeparavi à populis. Unde ſequitur, non alia ratione prohibitos fuiſſe ab illorum animalium eſu, niſi ut inde magis diſcerent ſedulo cavere, ac ſe procul ſubducere ab omnibus Gentium inquinamentis. Munditiem ante commendaverat multis ſymbolis: nunc vero eam ad animalia uſque extendit. Atque hæc ratio diligenter notanda eſt, diſcrimen inter cibos illis proponi, ut puritati ſtudeant. Frigidum enim eſſet quicquid hic dicitur, niſi ſciremus in eum finem poſitum fuiſſe interdictum ne ſe promiſcue Gentibus miſcerent. Ideo repetitur ſecundo, ſeparatos fuiſſe ut eſſent Dei hæreditas. Unde infertur, ſanctitatem eſſe ipſis colendam, ut ſe ad Dei ſui exemplum forment. Nunc ambiguum eſſe non poteſt quin ciborum delectus qui præcipitur, appendix ſit primi præcepti, quo regula traditur Dei rite pureque colendi: atque ita religio aſſeritur ab omnibus ſuperſtitionum mixturis.

Levit. 11. 2. *Hæc ſunt animalia quæ comedetis.*] Sciverunt ante Moſen natum ſancti Patres quænam eſſent animalia immunda: cujus rei luculentum ſpecimen edidit Noë, quum ex Dei mandato ſeptena paria mundorum animalium in Arcam induxit, & inde ſumpſit quæ Deo offerret in ſacrificium gratiarum actionis. Certe exequi non poterat Dei imperium niſi vel arcano inſtinctu fuiſſet edoctus, vel traditio hæc à patribus manaſſet. ſed nihil abſurdi eſt ſi Deus traditum per manus delectum confirmare volens, diſcretionis notas appoſuerit, quo ſanctior eſſet obſervatio, ac nequa transgreſſio per inſcitiam obreperet. Nam & Sabbathum Deus ſibi à mundi creatione dicavit, & obſervari voluit à populo ante Legis promulgationem: poſtea tamen peculiaris ejus diei ſanctitas diſtinctius expreſſa fuit. Porro animalia munda hic ab immundis diſtinguuntur tam nominibus quam ſignis. Propria nomina quæ recenſentur, parum nobis hodie conducunt: quia multæ quæ in Oriente viſuntur ſpecies, alibi ſunt incognitæ. Et Judæis quin remotis locis nati erant & vixerant, ballucinari facile fuit: deinde quo audaciores ſunt ad fingendum, eo minus illis fidendum eſt. In multis, fateor, nulla eſt ambiguitas: præſertim in ciceribus, vel quæ paſſim reperiuntur, vel in Scriptura certas habent deſcriptiones. Ergo ex ſignis quæ hic ponuntur, petenda firma cognitio: munda ſcilicet eſſe animalia quibus fiſſuræ ſunt in ungulis, & quæ

& quæ ruminant: quibus autem ex duobus alterum deeſt, immunda eſſe: piſces tam marinos quam fluviatiles, quibus ſunt pinnæ & ſquamæ, eſſe mundos. Avium tale diſcrimen non notatur, ſed tantum nominantur immundæ, quibus veſci religio erat. Tandem reptilium ſit mentio. De ſingulis, ſi quid erit obſervatu dignum, poſtea erit agendi locus. Nunc in genere tenendum eſt quod prius attigi: quum Gentes cibis quibuslibet veſcerentur, veritas fuiſſe Judæis multas carnium ſpecies, ut in ipſo victu diſcerent mundi diem colere: quo ſpectabat ſeparatio à communi more. Unde factum fuit ut verbum חול tam pro Commune, facere quam pro Contaminare acciperent: & חלל pollutum ſignificat, quia ſancto vel ſegregato opponitur. Verum quidem eſt Gentes naturæ inſtinctu ut plurimum abhorruiſſe à quorundam animalium eſu quæ hic prohibentur. Voluit tamen Deus cancellos circumdare populo ſuo, qui eum à vicinis ſepararent. Porro qui exiſtimant rationem habitam eſſe ſanæ valetudinis, aſſi Deus officio medici functus eſſet, profana ſpeculatione pervertunt totam vim & utilitatem hujus legis. Fateor quidem, quos Deus permittit cibos, ſalubres eſſe, & ad victum maxime accommodatos: verum tam ex præfatione, qua Deus admonuit populo quem elegerat colendam eſſe ſanctitatem, quam ex Legis abrogatione ſatis liquet, delectum hunc partem fuiſſe pædagogiæ ſub qua Deus veterem populum continuit. Nemo vos judicet in cibo & potu, inquit Paulus: quia umbra fuit rerum futurarum, corpus autem eſt in Chriſto. Quibus verbis ſignificat, quod ſpirituale erat, fuiſſe adumbratum externo ritu in ciborum abſtinentia. Eodem quoque ſenſu alibi dicit, ſcire ſe ac perſuaſum eſſe in Chriſto Jeſu nihil eſſe immundum: quia ſcilicet morte ſua Chriſtus à ſervili ſubjectione ſuos exemit. Unde ſequitur, inter ceremonias, quæ exercitia erant cultus Dei, numerandam eſſe ciborum prohibitionem. Hic tamen naſcitur quæſtio, quomodo conveniat, jam ab ætate Noë quædam immunda fuiſſe animalia, & tamen eſum quorumlibet ſine exceptione permiſſum. Quod putant quidam, diſcrimen à Deo tunc poſitum paulatim obſoleviſſe, recipere non poſſum: quia Deus ſolum ſanguinem excipiens, deſtinat in alimentum polteris Noë quicquid movetur ſuper terram. Itaque immunditiem, cujus tunc cognitio inſpirata fuit patrum cordibus, ad ſacrificia reſtringo: nec dubito quin Abrahæ & Patriarchis liberum fuerit ſuilla carne perinde ac bubula veſci. Poſtea quum ad cohibendam populi laſciviam jugum Legis impoſuit Deus, aliquid etiam reſcidit ex generali permiſſione: non quod eum ſuæ liberalitatis pœnituerit, ſed quia utile erat rudes fere & indomitos hoc modo cogere ad obſequium. Quum vero ante Legem eadem fuerit ſanctorum conditio quæ noſtra, tenendum eſt quod prius dixi, dictante naturæ ſenſu ſponte refugiſſe quoſdam cibos: ſicuti hodie nemo lupos aut leones venabitur ad carnes eorum edendas: ex ſerpentibus & aliis venenoſis animalibus nemo cibum appetet. Sed alia fuit Legalis mandati ratio, ne promiſcua licentia cum Gentibus communicarent qui ſacrum erant Dei peculium.

Coloſſ. 2. verſ. 16.

Rom. 14. verſ. 14.

3. *Omne dividens ungulam.*] Sicuti vereor ne allegoriis, quibus ſe multi oblectarunt, inſiſtere parum firmum ſit: ita non inſector neque etiam repudio quod traditum fuit à veteribus, per ſciſſuram ungulæ notari prudentiam in dijudicandis Scripturæ myſteriis, per ruminationem vero cæleſtis doctrinæ ſeriam meditationem. Quanquam argutia illa mihi non placet, dum addunt eos recte diſcernere qui norunt è litera elicere myſticos ſenſus: quia inde factum eſt ut quidvis ſibi commiſci permiſerint. Quod ergo ſimplicius eſt amplector, non eſſe ſiſſuram in omnibus qui tantum ſapiunt ex carnis ſenſu: quia ſolus ſpiritualis dijudicat omnia, ut inquit Paulus. Accedat ruminatio oportet, ad ſpirituale cibum probe coquendum & digerendum. Multi enim Scripturam degluriunt abſque profectu: quia neque ſincero affectu in ea proficere cupiunt, neque quærunt, tanquam alimento, animas ſuas reficere: ſed inanibus ſcientiæ deliciis contenti, vitæ formandæ ſtudium pro nihilo ducunt. Ergo ſub priore membro damnatur brutus ſtupor, ſub altero autem curioſorum hominum ambitio & levitas. Immunda quidem animalia Deus Petro in viſione propoſuit tanquam Gentium imagines & figuras: ideoque probabili analogia, quod de animalibus dicitur transferre ad homines licet. Verum cur in ungue biſulco & rumine notas appoſuerit Deus, mihi nihilo magis liquet quam cur vetuerit carnem ſuillam comedere: niſi forte quia unguis continuus ſignum eſt feritatis: quæ autem non ruminant, ſordes & excrementa ut plurimum ſorbent. Scimus hac de cauſa certatum fuiſſe magna contentione ſtatim poſt Euangelii promulgationem, quod ex Judæis quidam nimium Legi addicti, nec tenentes ciborum delectum fuiſſe inter reliquas ceremonias, volebant eadem neceſſitate, quæ impoſita fuerat veteri populo, obſtringi novam Eccleſiam. Tandem Apoſtolorum decreto libertas Gentibus permiſſa fuit veſcendi cibis quibuslibet, excepto tantum ſanguine & ſuffocato: idque ad tempus, vitandæ offenſionis cauſa: quia vix aliter placati fuiſſent Judæi. Nunc poſtquam abrogatum fuit quod Deus ipſe præceperat de carnium delectu, diabolicæ audaciæ fuit humanis legibus conſcientias obligare, ne libertate à Chriſto parta fruerentur. Supereſt una quæſtio, quomodo Deus immundum pronunciet quod creavit: quia ſi rejicitur animal propter immunditiem, pars ignominiæ in ipſum auctorem redundat. Videtur etiam hæc rejectio pugnare cum prima Dei ſententia, dum conſiderando cuncta quæ fecerat, agnovit valde bona. Solutio eſt, nullum unquam animal per ſe fuiſſe immundum, ſed hoc ad uſum referri. Sicuti in arbore ſcientiæ boni & mali naturaliter nihil vitii aut noxæ fuit ut ſua labe hominem inficeret, qui tamen mortem inde contraxit prohibitionis reſpectu. Quare etiam hoc loco non damnat Deus opus ſuum in animalibus, ſed quoad eſum vult cenſeri impura, ut abominetur populus quod ſibi vetitum eſt. Denique ſola eſt transgreſſio quæ inquinat: quia animalia nunquam mutarunt naturam; ſed in Dei arbitrio fuit, quod licitum vel illicitum eſſe vellet, ſtatuere. Ita ſolvitur altera objectio. Pronunciat Chriſtus, quod ingreditur in os hominis non inquinare hominem. Si quis inde colligat, perperam damnari innoxia animalia: reſpondendum eſt, per ſe non cenſeri immunda, ſed in alium finem. Valuit enim ſemper doctrina illa, regnum Dei ſitum non eſſe in cibo & potu: ſed quum Iſraëlitis interdiceret Deus eſum hujus vel illius cibi, hac ceremonia fuerunt admoniti quam abominabilis eſſet interior cordis pollutio. Ac talibus clementis paulatim formati adductique fuerunt ad ſpiritualem doctrinam: ut ſcirent non aliud hominem polluere, quam quod egreditur ex ore ejus. Nunc diverſa eſt fidelium conditio, quibus parta eſt libertas, ex quo Chriſtus, abrogata Lege, chirographum in decretis poſitum cruci affixit.

1 Cor. 2. verſ. 15.

Act. 10. verſ. 12.

Mat. 15. verſ. 11.

Rom. 14. verſ. 17.

Coloſſ. 2. verſ. 14.

4. *Veruntamen hoc non comedetis.*] Clarius exprimit quod ante indicaverat: nempe animal, quamvis ruminet, non protinus eſſe mundum, niſi findat ungulam: atque ex oppoſito, non ſufficere ſciſſam ungulam niſi conjuncta ſit ruminatio. Quibus verbis docuit Moſes, dimidiam munditiem vel mutilam non debere Deo obtrudi. Sicui placeat, rumen ſymbolum eſſe internæ puritatis, fiſſuram vero ungulæ, externæ, probabilis forte erit ſententia. Quoniam mihi in mentem venit hæc diſtinctio, quamvis acu-

tis speculationibus non delecter, in medium proferre voluit, sic tamen ut libera sit electio. Interea certo tenendum est quod nuper dixi, Deum exigere solidam mundi tiem, nec inquinatam ulla mixtura. Fuit autem prohibitio Judæis maxime molesta in suilla carne, quia ad victum apprime commoda est: non modo quia suave condimentum est aliis cibis, sed quia inde minore sumptu aluntur operarii. Ideo in hac parte maxime observata fuit Judaici populi religio. Nam quum Antiochi satellites populum ad crassam Legis abnegationem cogere vellent, tantum urgebant esum carnis porcinæ. Atque hinc celebre Augusti dicterium, Mallem porcus esse Herodis quam filius: quod à suibus abstinens, filiorum esset carnifex. Porro ut major cura hoc interdictum servarent Judæi, tactus etiam ipse vetitus illis fuit: ut non modo carnem porcinam gustare nefas esset, sed etiam manibus tractare, ex quo occisum erat animal. Eadem non fuit ratio carnis bubulæ, aut vervecinæ: quia cibos manibus tractare necesse est.

9. *Hoc autem comedetis ex omnibus quæ sunt in aquis.*] Hic etiam plausibili ratione quidam in pietate minus exercitati contendunt, Deum hic agere partes medici, & discernere cibos salubres à noxiis. Etsi autem satis à medicis ipsis refellitur eorum opinio, ut tamen illis concedam quod postulant, male ratiocinantur. Aliud enim Deo propositum fuit quam populi valetudini consulere: sed quia negotium erat cum rudi populo, notas vulgares delegit, quibus admoniti gradatim altius conscenderent. Infinitum esset persequi quas Ilychius allegorias excogitat: & libenter nugas illas sepelio, nisi quia plerique sic ad curiositatem propensi sunt ut vix placitura sit illis sobrietas, donec vanitas allegoriarum convicta fuerit. De squamis & scillis nihil dicam. Primo intuitu si quibusdam arrideat quod dicit nomina piscium taceri, quoniam Ecclesia nomen in terris non quærit, eam vero designari per pisces: videant quomodo conveniat, Ecclesiam non esse nisi in aquis: deinde aves quæ cælo propiores sunt, excludi ab hoc honore: tertio, munda animalia rejici, acsi ad Ecclesiam non pertineant: postremo censeri inter electos, quorum nomen in cælis scriptum est, eos qui sua contagione inquinant Ecclesiam. Nam certe ex piscibus multi sunt immundi. Qui tam perspicuis rationibus non acquiescent, eos patiar in suo labyrintho errare. Hæc simplicitas modestis ac docilibus sufficiet, pisces ideo non numerari, quia major pars vulgo ignota erat Judæis: quorum terra quum præter Jordanem nullos fere haberet fluvios, multos pisces fluviatiles non gignebat: marini autem non advehebantur nisi in oram finitimam.

13. *Hæc autem abominabimini ex volatilibus.*] Quæ avium & reptilium species vetantur, eas fere communis sensus naturaliter repudiat. Et certe magna ex parte indulgenter egit Deus cum populo suo, ne oneribus nimium molestis eum gravaret. Quia tamen hominum ingluvies monstris interdum oblectatur, voluit Deus etiam in parvis rebus frenum suis injicere, ne se cum hominibus profanis ad intemperantiam projicerent, quæ deinde eos pollueret. Periculum enim erat ne fœda animalia vorando, obdurescerent ad alias quaslibet corruptelas. Additur alia lex, ut non solum abstineant ab esu, verum etiam si quod animal immundum fuerit occisum, ne se contaminent tactu cadaveris: imo si vasa fuissent contacta, ut fictilia quidem frangerent, alia autem abluerent. Videtur fes fuisse minuta: si mus in vase aquario extinctus foret, vas ipsum esse fœdatum. videtur etiam immodicus fuisse rigor, quod jussi sunt Judæi, si quod tale animal in labrum vinarium cecidesset, & illic fuerat mortuum, non modo effundere vinum, sed vas dissipare: si in furno esset suffocatum, vel in foco jacuisset, utrumque diruere: quasi ad res sensu carentes penetraret spiritualis contagio. Verum semper Dei consilium attendere convenit, ex quo discemus non adeo fuisse in rebus leviculis severum exactorem; ut suos affigeret earum rerum observationi: sed exercitia hæc fuisse quibus se assuefacerent ad puritatis studium, quod fere inter homines negligitur aut friget. Hodie quoque jubemur ore Pauli, quicquid agimus, sive edamus, sive bibamus, *1 Cor. 10.* referre ad Dei gloriam: sed in hoc differimus à ve- *vers. 31.* teri populo, quod à puerilibus rudimentis liberi, tantum ad id quod spirituale est dirigimur, cibum & potum divinitus nobis suppeditari, ut vitæ auctorem pure colamus. Judæos autem, ut essent ad hunc finem attentiores, variis modis oportuit stimulari: dum illis Deus præcepit domos suas ab omni sorde puras servare, ac sedulos esse in aqua & vasis omnibus custodiendis: ut assidue illis ante oculos repræsentaret quam diligenter eos incumbere vellet in veram mundi tiem: sicuti sequitur in fine capitis.

43. *Ne impuras reddatis animas vestras.*] Non proponit illis curam valetudinis, nec periculum à morbis denunciat, sed ne se coinquinent. Et subjicitur clarior explicatio, Quia ego Jehova Deus vester, Sanctificate ergo vos, quia sanctus sum. Porro ne putarent summam pietatis inclusam esse in externis cæremoniis, consideranda illis fuit Dei natura. Nam quum spiritus sit, nonnisi spiritualiter coli vult. Ita sanctitas in delectu ciborum mediate accipitur: quia non alio tendebat abstinentia, quam ut se Deo consecrarent. Proinde inexcusabilis fuit superstitio quod substiterunt Judæi in observatione frivola: acsi quis elementorum figuram disceat, neque in usum accommodet, ut legat quod scriptum est. Ac ex eorum exemplo cognoscitur quam cupide arripiant homines quæcunque faciunt ad hypocrisin fovendam. Neque enim tantum ad terrestre suum ingenium traxerunt quæ utilia erant adjumenta ad veram cordis integritatem sectandam: sed illis non contenti, coacervarunt sibi multos supervacuos ritus. Hinc aqua expiatoria vel lustralis semper in usu, quamvis nullius pollutionis sibi conscii essent: hinc anxius labor in lavandis calicibus & patinis: ut facile appareat, semper hominum vitio in abusum torqueri quod Deus optima causa instituit.

Ex Deut. XIV.

21. Non comedetis ullum cadaver: peregrino qui est intra portas tuas dabis illud, & comedet illud, aut vendes alienigenæ: populus enim sanctus es Jehovæ Deo tuo.

Ex Exodi XXII.

31. Viri sancti eritis mihi: carnem in agro raptam non comedetis, cani projicietis eam.

Ex Levit. XVII.

15. Omnis anima quæ comederit cadaver, aut raptum, tam de indigenis quam de peregrinis, lavabit vestimenta sua, ubi laverit se aqua: eritque immundus usque ad vesperam, deinde mundus erit.

16. Quod si non laverit vestes, & carnem non laverit, portabit iniquitatem suam.

Deut. 14. 21. *Non comedetis.*] Cadaverum & carnis à feris diſcerptæ eſus refertur inter pollutiones. Cadaver autem animalis intellige, quod vel fame vel morbo periit: quia ex ſpecie mortis contraxit immunditiem quod per ſe alioqui purum erat. Finis præcepti colligitur ex ratione mox addita, quia ſint populus ſanctus Dei: & ritu ablutionis, de quo tandem in Levitico præcipitur. Secundo loco idem mandatur de carne rapta quod ante de cadavere, quia laceration is fœditas immundities cenſetur. Populi ſanctitas iterum refertur quo diligentius ab inquinamentis caveat. Unde ſequitur contaminatos fuiſſe qui carnem diſcerptam comederent. Itaque tertio loco rurſus confirmat abſtinuiſſe Judæos & prohibitos fuiſſe ab eſu cadaveris vel carnis à beſtia laceratæ, ne ſe polluerent. Nec obſtat quod cadaveris & ſanguinis prohibitio ſimul illic conjungitur: quia ſcimus apud Moſen non ſemper ſervari feriem in præceptis, ſed promiſcue miſceri quæ ad diverſas claſſes pertinent. Ideo diſtinguenda cenſui quæ diverſos habebant fines. Certe diſſimilitudo quæ ex pœna elicitur, palam apparet: Qui comederit ſanguinem, excidetur è populo: qui comederit cadaver, lavabit ſe, & immundus erit uſque ad veſperam. De carne rapta vel laceratà poſſet iterum moveri quæſtio: ſed ex contextu, meo judicio, ſatis patet, carnem à beſtiis laceratam cenſeri inter cibos immundos. Ratio enim legis exprimitur, quia electi in populum ſanctum puros ſe & integros ſervare debeant: nec Deus cibum homini deſtinatum cani projicere juberet, niſi tabe infectum quæ ſanctos pollueret. Quod autem ſuperiore loco jubet dare peregrino, aut vendere alienigenæ ut comedant, probabile non videtur: quia id erat ſuggerere materiam peccandi: perinde acſi quis furioſo gladium porrigat, aut merces illicitas in alios transferat. Sed hujus nodi prompta eſt ſolutio: quia Gentibus licuit veſci indifferenter quibuslibet cibis, quum nullum ipſis poſitum eſſet diſcrimen, ſed potius quorundam ciborum prohibitio, ſeparationis eſſet nota inter ipſos & electum Dei populum. Difficilior emergit quæſtio ex ſpecie repugnantiæ, quia in altero loco Moſes tam peregrinos quam indigenas eadem lege obſtringit, & utroſque immundos eſſe pronunciat ſi cadaver guſtaverint. Verum memoria tenendum eſt, peregrinos vocari interdum à Moſe, qui Legem amplexi erant, ab exteris gentibus oriundi. Circumciſio igitur illos perinde addixit Deo, acſi originem duxiſſent ab Abraham. Alii autem erant peregrini, quos præputium à liliis Abrahæ ſeparabat, tanquam profanos & exleges. Summa eſt, quicunque Dei nomen obtendunt, ſeque jactant eſſe ex ejus populo, vocatos eſſe ad colendam ſanctitatem, ut ab omni labe puros ſe conſervent.

Ex Deut. XXI.

10. Quum egreſſus fueris ad bellum contra inimicos tuos, & dederit eos Jehova Deus tuus in manum tuam, & ex eis captivos abduxeris:

11. Videris autem in captivitate mulierem pulchram forma, & deamaveris eam, & acceperis tibi in uxorem:

12. Introduces eam domum tuam: & radet caput ſuum, ac præcidet ungues ſuos:

13. Deponetque veſtimentum captivitatis ſuæ à ſe, & manebit in domo tua, ac flebit patrem ſuum, & matrem ſuam menſem integrum: & poſtea ingredieris ad eam, eriſque maritus ejus, & erit tibi uxor.

10. *Quum egreſſus fueris ad bellum.*] Idem nunc de uxoribus præcipitur quod nuper de cibis. Quantum attinet ad Chananæos, qui addicti & devoti erant exitio, vidimus Iſraëlitas à mulierum conjugio prohibitos fuiſſe, ne affinitas eſſet peccandi illecebra: nunc vero longius progreditur Moſes, ne Iſraëlitæ victoria potiti contra alias gentes, ex captivis mulieribus uxores ducant niſi ſolenni ritu expiatas. Hæc ergo ſumma eſt, ne profanis conjugiis ſe Iſraëlitæ contaminent, ſed hac etiam in parte puros ſe conſervent & integros: quia ſeparati ſunt à reliquis populis, ut ſint peculiaris Dei populus. Præſtabat quidem in totum abſtinere à talibus conjugiis: ſed difficile fuit eorum libidinem ſic frenare, ne vel minimum à caſtitate deflecterent: deinde ſcimus quantum ſibi licentiæ in bello permittant victores, ut perfectæ moderationi locus non detur. Ergo Deus indulgentiam ſic temperat, ut Iſraëlitæ adoptionis, qua ipſos dignatus fuerat, memores, ſe non proſtituant, ſed in ipſo libidinis fervore aliquod retineant pietatis ſtudium. Porro hic non agitur de illicito raptu, ſed tantum diſſerit Moſes de mulieribus quæ jure belli ceſſerant in prædam. Scimus autem victores illis impune fuiſſe abuſos, quia illas habebant ſub poteſtate & dominio. Sed quia multi blanditiis uxorum capiuntur, remedium adhibet Deus, ut connubium præcedat prioris vitæ abnegatio: neque extraneam uxorem ducere licebat, niſi quæ ſe à propria gente abdicaverit. Huc pertinet ceremonia, ut mulier caput radat, & præcidat ungues, veſtimenta ſua mutet, lugeat patrem ſuum & familiam toto menſe: nempe ut ſuperiori vitæ renunciet, ac tranſeat in alium populum. Quidam ex Rabinis alio verba torquent, acſi deformitate vellet Deus animos virorum abſtrahere ab amore: nam capitis raſura multum ex pulchritudine & venuſtate detrahit in fœminis: & Ungues facere (ſic enim ad verbum legitur) pro nutrire accipiunt: productio autem unguium fœda eſt aſpectu. Sed ex contextu refellitur eorum commentum, ubi jubentur ſe exuere veſtibus captivitatis. Mihi vero dubium non eſt quin Deus menſtruo luctu, raſo capillo, & aliis lignis, renovari ipſis velit, ut aliis moribus aſſuefcant. Atque in eundem finem jubentur lugere parentes tanquam mortuos, ut populo ſuo valedicant. Quo videtur alludere Propheta Pſal. 45. quum dicit, Audi filia, & vide: inclina aurem tuam: obliviſcere populum tuum & domum patris tui. Significat enim, non aliter purum & legitimum fore conjugium alienæ mulieris cum Solomone, quam ſi relictis ſuperſtitionibus, Deo ſe ad pietatis ſtudium devoveat. Nec vero Deus abs re Iſraëlitas ſedulo cavere voluit ne uxores à veræ religionis ſtudio adhuc alienas acciperent: quia experientia plus ſatis docet quam exitialis ſit laqueus. Etſi autem hodie hac obſervatione non tenemur, manet tamen firma ratio, ne ſe viri temere devinciant fœminis impias ſuperſtitiones adhuc colentibus.

Appendices Forenſes.

Ex Deut. XVIII.

19. Erit autem ut ſi quis non audierit verba mea quæ loquetur Propheta in nomine meo, ego requiram ab eo.

Ex Deut. XIII.

5. Propheta autem falſus aut ſomniator interficietur: eo quod defectionem loquutus ſit contra Jehovam Deum veſtrum, qui eduxit te è terra Ægypti, & redemit te è domo ſervorum, ut te depelleret à via quam præcepit tibi Jehova Deus tuus, ut ambules in ea: & exterminabis malum è medio tui.

Hactenus primi præcepti appendices recenſui, quæ ad veteres umbras & Legalem cultum pertinent. Ipſum præceptum ſemper vigebit ad finem uſque mundi: nec ſolis Judæis, ſed nobis communiter datum eſt. Ceremoniis autem uſus eſt Deus olim tanquam temporalibus adminiculis, quarum etſi uſus ceſſavit, manet adhuc tamen utilitas: quia inde melius apparet quomodo rite colatur Deus: & ipſa vis pietatis illic relucet. Ergo in præcepto continetur tota ſubſtantia, in externis vero exercitiis eſt veluti forma, cui nonniſi veterem populum Deus addixit. Nunc ſequuntur appendices politicæ, ubi Deus pœnam ſumi jubet ſi violata fuerit religio. Neque enim leges politicæ tantum feruntur de terrenis negotiis, ut inter ſe homines mutuam colant æquitatem, & quod rectum eſt ſequantur atque obſervent: ſed ut ſe in Dei veneratione exerceant. nam & inde orditur Plato dum legitimum Reip. ſtatum format, Deique timorem vocat legum omnium proœmium. Nec ullus unquam extitit profanus ſcriptor, qui non confeſſus ſit hanc præcipuam eſſe partem civitatis bene compoſitæ, ut Deum revereantur omnes uno conſenſu & colant. In hoc quidem cæca fuit hominum prudentia, quod duxerunt, quæcunque placuiſſet religio, eam jure & pœnis ſanciendam eſſe: rectum tamen fuit illud principium, perverti totum juris ordinem ſi negligitur pietatis cultus. Cæterum, ut Deus religionis curam & ſtudium judicibus commendat, & ejus contemptum jubet publice vindicari: ita rurſum communi vitio occurrit, ne temere ac zelo inconſiderato ad ſeveritatem proſiliant. Quia enim ſtulte ſinguli populi, urbes & regna deos ſibi commiſcuntur, Legem ſuam proponit Deus, à cujus regula nefas ſit deflectere. Prudenter à terrenis legislatoribus cautum eſt, ne quis ſeparatim habeat deos: ſed totum illud eſt evanidum niſi præluceat veri Dei cognitio. Merito itaque Deus populum ſuum revocat ad eam quam ipſe tradidit doctrinam, ut puniatur quiſquis eam contumaciter ſpreverit. Jam, quia non ſufficeret ſemel eſſe ſcripta Lege edoctos de probo Dei cultu, niſi accederet quotidiana prædicatio, diſerte inſtruit Deus Prophetas ſuos auctoritate: ac ſi quis eam violaverit, pœnam denunciat. Prius dixerat ſe excitaturum Prophetas, ne deterior eſſet electi populi conditio quam aliarum gentium. Quoniam ergo apud eos depoſuit veræ pietatis thеſaurum, ut ſint quaſi ejus cuſtodes: nunc ſi quis parere eorum mandatis recuſet, exitium minatur. Neque tamen de quibuslibet qui ſibi Propheticum nomen arrogant, eum loqui, patet ex particula In nomine meo: quæ tantundem valet acſi diceret à ſe profectos, nec quicquam proferre niſi ſuo juſſu. Neque enim, ſi falſo multi obtendunt Dei nomen, protinus in eos competit tam honorificum elogium, niſi Deus ratum habeat: ſed hoc fidis & probis doctoribus vere proprium eſt, ipſos loqui in Dei nomine. Sic dum Chriſtus promittit, ubi duo vel tres convenerint in nomine ſuo, ſe in medio eorum fore, non dignatur tanto honore hypocritas, qui ſacrilega audacia uſurpant ſæpe ejus nomen: ſed de re ipſa loquitur: quod etiam plenius ex oppoſita lege apparet, quæ deinde ſequetur.

Deut. 13. 5. *Propheta autem ille.*] Quia plauſibili integumento decipiunt Satanæ miniſtri, dum ſe pro Dei Prophetis venditant: antehac admonuit Moſes, non indifferenter audiendos eſſe quoslibet doctores, ſed diſcernendos eſſe veros à falſis, ut adhibito judicio fidem demum obtineant qui merentur. Jam & pœnam adjungit, ſi quis ſub titulo Prophetæ obrepſerit, ut populum ad defectionem traheret. Neque enim ob particularem tantum errorem, aut levem, capitali pœnæ ſubjicit qui falſam doctrinam ſparſerint, ſed qui apoſtaſiæ ſunt auctores, atque ita pietatem radicitus convellunt. Obſerva iterum, huic ſeveritati locum non eſſe, niſi poſtquam ſtabilita eſt certa religio: ideoque nominatim exprimitur craſſa impietas, ſi populum abducere tentaverint à veri Dei cultu. Porro ut tollatur omnis excuſatio, dicit Moſes ſatis patefactum eſſe quiſnam ſit Deus, & quomodo ſit colendus: idque tam mirabili redemptionis beneficio quam Legis doctrina. Ergo ut oſtendat Deus juſte tam gravem pœnam ſumi de apoſtatis, certitudinem religionis, quæ vigere debebat apud Iſraëlitas, in medium proponit: acſi diceret, nullam impio contemptui veniam dari poſſe, quum & deitatis ſuæ gloriam ſatis approbaverit redemptionis miraculo, & voluntatem ſuam patefecerit in Lege. Tenendum igitur eſt, non aliter pœnæ obnoxium eſſe impietatis crimen, quam ſi religio non tantum publico conſenſu & hominum ſuffragiis recepta fuerit, ſed firmis quoque indubiiſque teſtimoniis ſubnixa, veritatem ſuam à dubitatione vendicet. Cæterum ut propoſitum eſt eorum feveritas qui ſuperſtitiones gladio tuentur: ita in politia bene conſtituta minime tolerandi ſunt profani homines, à quibus religio convellitur. Hoc ferre nequeunt qui vellent impune ſibi concedi turbandi licentiam: itaque ſanguinarios appellant qui publica auctoritate coërcendos eſſe docent impios errores, quibus labefactatur religio, atque adeo evertitur. Verum quid Deo palam obſtrepentes proficient? Occidi jubet Deus pſeudoprophetas, qui pietatis principia convellunt, & defectionis ſunt magiſtri ac duces. Reclamat neſcio quis nebulo, ſeque vitæ & mortis auctori opponit. Quænam hæc protervia? Quod Dei veritatem negant indigere tali ſubſidio, veriſſimum eſt: ſed quid hoc furoris ſibi vult, Deo legem imponere, ne magiſtratus obſequio hac in parte utatur. Quorſum porro attinet de neceſſitate litigare, quando ita Deo placet? Poſſet carere Deus gladii adminiculo ad religionem tuendam: non vult. Quid autem mirum ſi magiſtratus jubet Deus eſſe gloriæ ſuæ vindices, qui furta, ſcortationes, ebrietates, à pœna eximi non vult nec patitur? In minoribus delictis fas non erit judici ceſſare: ubi violatur Dei cultus & tota pietas, diſſimulando tantum crimen fovebitur? Adulteriis ſtatuetur capitalis pœna: impune cedet Dei contemptoribus, ſalutis doctrinam adulterando, miſeras animas à fide abſtrahere? Nunquam veneficiis dabitur venia, quibus ſolum corpus lædítur: & ludus

ludus erit animas æterno exitio tradere? Denique magistratus, si læsa fuerit ejus auctoritas, ejus contemptum graviter ulciscetur: profanationem sacri Dei nominis inultam sinet? Quid magis prodigiosum? Verum rationibus pugnare supervacuum est, ubi Deus semel pronunciavit quid sibi placeat: cujus inviolabili decreto stare necesse est. Quæritur tamen an hæc lex ad Christi regnum, quod spirituale est ac remotum à terrenis imperiis, pertineat. Et sunt quidam non improbi alioqui homines, quibus videtur absimilis nostra conditio sub Evangelio, quam fuerit veteris populi sub Lege: non tantum quia regnum Christi non est ex hoc mundo, sed quia exordia regni sui Christus noluit gladio adjuvari. Atqui dum promovendo Christi regno consecrant suam operam terreni judices, nego propterea ejus naturam mutari. Quanquam autem adversante totius mundi potentia Euangelium suum voluit Christus promulgari à suis discipulis, eosque sola voce armatos exposuit tanquam oves lupis: non posuit tibi æternam legem, quin tandem reges ipsos in obsequium cogeret, ac manu faceret eorum violentiam, atque ex infestis persequutoribus efficeret Ecclesiæ suæ patronos & custodes. Tyrannidem exercuerunt initio magistratus adversus Ecclesiam: nempe quia nondum venerat tempus quo Filium Dei oscularentur, & deposita violentia, Ecclesiæ quam oppugnave-
Jesa. 49. vers. 6. rant, fierent nutricii, secundum vaticinium Jesaiæ: quod certe ad Christi adventum refertur. Nec vero
1 Tim. 2. vers. 2. fruſtra Paulus, dum precari jubet pro regibus & aliis mundi judicibus, causam addit, ut sub ipsis tranquillam vitam agamus cum omni pietate & honestate. Christus quidem, ut mitis est, ita discipulos suos (fateor) vult esse imitatores suæ lenitatis: verum id non obstat quominus Ecclesiæ saluti & tranquillitati in pietatis defensione consulant pii magistratus: quia hanc partem negligere, summa esset perfidia & crudelitas. Et certe nihil indignius, quam dum videmus miseras animas trahi in æternum interitum ab impiis & sceleratis præfractisque impostoribus, impunitate concessa, illarum salutem pro nihilo ducere. Quod si hoc prætextu grassati sunt superstitiosi ad fundendum innoxium sanguinem: respondeo non debere ullo abusu vel corruptela hominum in nihilum redigi quod semel Deus mandavit. Nam sicut Christi martyres à maleficis in pœnæ similitudine sola causa satis superque discernit: ita non efficient Papæ carnifices injusta sævitia, quin zelus piorum magistratuum in puniendis falsis & noxiis doctoribus Deo placeat. Idque Mosis verbis optime exprimitur, dum ex Lege Dei ferendum esse judicium admonet. Jam dixi rigorem hunc non debere ad particulares errores extendi, sed ubi impietas ad defectionem usque prorumpit. Porro ubi additur, Ut te depellat è via quam te docuit Deus: hinc colligimus, nullos ad pœnam trahendos esse nisi qui manifesto Dei verbo convicti fuerint, ne suo arbitrio judicent homines. Unde etiam liquet, perperam zelum ardere in exerendo gladio, nisi præcesserit legitimum examen.

Ex Deut. XVII.

12. Vir autem qui egerit in superbia ut non audiat sacerdotem qui stat ut illic ministret Jehovæ Deo tuo, aut judicem, morietur vir ille, & exterminabis malum ex Israële.

13. Atque omnes è populo audiant, ut timeant, neque in posterum superbiant.

Similis pœna in eos edicitur, qui contumaciter respuerint sacerdotum judicium. Prius visum fuit, sacerdotio conjunctum fuisse munus Propheticum: quando (teste Malachia) fœdus Dei fuit cum Levi, ut custodes scientiæ essent ejus posteri, & Legis interpretes: sæpe tamen inflicta fuit pœna sacerdotum delidiæ, quum alios populo suo doctores præfecit Deus. Quicquid sit, utrique pro ipso legatione functi sunt. Ergo sicuti nuper sancita fuit Prophetarum auctoritas, idem nunc ad sacerdotes jus transfertur. nec mirum: quia Deum ejus ordinis auctorem spernere, non leve crimen fuit. Tenendum tamen memoria quod alibi admonui, non armari tyrannica potestate sacerdotes, ut quicquid pro libidine sua decreverint, rejicere nefas sit. Neque enim vel se exauctoravit Deus quum illos crearet, vel quibuslibet placitis fine discrimine obstrinxit conscientias: sed tantum injicere frenum voluit eorum proteruiæ, quibus nulla religio est vilipendere legitimum Ecclesiæ regimen. Nam sic habendum est: si promiscue liceat rejicere quicquid statuerint Ecclesiæ præfecti, fœdam & horribilem fore dissipationem. Ac ridiculum esset ad gubernandum vocari quibus nulla suppeteret dignitas: ideoque reverentiam quæ hic exigitur, legitimis omnibus imperiis deberi, ostendit ipse naturæ sensus ac dictat. Auctor sacerdotii erat Deus: idem judices creabat. Quid magis absurdum quam impune contemni ac rideri qui Dei nomine & mandato præsidebant? Verum nunquam eousque extulit mortalem hominem ut se jure suo abdicaret: imo sæpe necesse fuit, intrepide rejicere quod
Mal. 2. vers. 4. mandabant sacerdotes. Profanum altare ad exemplar Damasceni, quod Achaz miserat, erexit Urias
2 Reg. 16. vers. 12. sacerdos, & illic sacrificium obtulit: an necesse fuit Jesaiæ subscribere? Imo detestabilis fuit omnium adulatio, qui decreto sceleſti ac perfidi sacerdotis assensi sunt. Quin etiam videmus Prophetas ut plurimum adeo non fuisse suffragatos sacerdotibus, ut apertum cum illis bellum gesserint. Ac tota hæc causa deciditur ex verbis Mosis: quando non absolute damnat quicunque non paruerint: sed addita speciali nota, legem suam restringit: nempe si contemptus ex superbia vel arrogantia proveniat. Capitale ergo non aliter fuit sacerdoti vel judici non parere, quam si quis per fastum contra ordinem à Deo positum insolesceret. Alioqui frustra exceptio hæc fuisset interposita. Denique obediendum olim fuit sacerdotibus, quatenus publicæ tranquillitatis intererat reverenter coli pastores divinitus ordinatos: sic tamen ut Deo ipsi, unico capiti & principi omnium pastorum, nihil decederet. Quam insulse vero hoc ad se trahant Papistæ, alibi visum fuit.

13. *Atque omnes è populo.*] A fine demonstrat, non esse parcendum superbis contemptoribus: quia ad commune exemplum pœnæ spectant: sicuti rursum impunitas est illecebra peccandi, & effrenis licentiæ nutrix. Et certe dum terrorem incuti jubet toti populo, subindicat, nisi proteruiæ obviam eatur, & improbos atque audaces cohibeat disciplinæ rigor, januam apertam illis esse ad pessundandam Ecclesiam.

Ex Deut. XIII.

6. Si incitaverit te frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor complexus tui, aut amicus tuus qui sit sicut anima tua, clam dicendo, Eamus & colamus deos alienos, quos non noveris neque tu, neque patres tui:

7. E diis populorum qui ſunt in circuitu veſtro, ſive propinqui ſint, ſive remoti à te, ab extremo regionis uſque ad extremum ejus.

8. Non acquieſces ei, neque obedies ei, nec parcet ei oculus tuus, neque miſereberis, neque occultabis eum.

9. Sed occidendo occides eum: manus tua erit in eum prima ad ipſum interficiendum, deinde manus univerſi populi.

10. Et lapidabis eum lapidibus, & morietur: quia quæſivit te abſtrahere à Jehova Deo tuo, qui eduxit te è terra Ægypti, è domo ſervorum.

11. Ut totus Iſraël audiant & timeant, nec addant facere quiequam ſimile huic rei pravæ in medio tui.

6. Si inciteverit te frater.] Pœna quam juſſerat falſis doctoribus infligi, nunc ad ſingulos è populo extenditur. Etſi enim levius eſt in homine privato crimen, alios in errorem ſecum trahere, quia & excuſabilis eſt inſcitia, & eum non gravat profeſſio docendi: defectio tamen à pietate, undecunque proveniat, Deo eſt intolerabilis. Tantum hæc duo capita quæ ante notavimus, tenenda ſunt: non aliter locum eſſe huic judicio, niſi ubi recte conſtituta eſt religio: deiode non eſſe quoslibet indifferenter ad mortem trahendos qui aliqua in parte erraverint, ſed hanc ſeveram animadverſionem in ſolos apoſtatas ſtatui, qui pietatem radicitus convellunt, ut cultus Dei adulteretur, vel aboleatur pura doctrina. Neque ſane jubet Deus linguæ lubricitatem capitaliter puniri, ſi quid inconſiderate ejaciderit: ſed ſceleratum conſilium religionis mutandæ: quemadmodum verba clare ſonant. Cæterum quam ſingularibus modis commendet nobis Deus fovendæ & aſſerendæ pietatis ſtudium, attendere operæpretium eſt. Nam quia leges generales variis exceptionibus eludi ſolent, diſerte eam primit, neque fratri, neque filio, neque uxori, neque intimo cuique amico parcendum eſſe. Oculus autem parcere dicitur, quia plurimum valet aſpectus ipſe ad affectus movendos in utramque partem. Ideo non abs re exigit Deus fortitudinem, quæ nec lachrymis, nec blanditiis, nec ſpectaculi triſtitia ad miſericordiam flectatur. Emphaticæ quoque ſunt loquutiones, Frater tuus qui ex eodem utero prodierit, uxor quæ in ſinu tuo vel complexu dormit, amicus quem non ſecus ac teipſum diligis: ne quo humanitatis affectu laſciveſcat purus zelus, dum videtur ſacrum ejus nomen profanari. Prononciat Chriſtus, neminem eſſe dignum quem agnoſcat pro diſcipulo, niſi qui patrem & matrem & filios neglexerit, ubi fuerit opus. Ita nunc Deus tenerrimos omnes affectus qui à natura ſunt ingeniti, & in quibus optimi quique ſibi interdum indulgent, ſi nos à vindicanda ſua gloria impediant, pronunciat eſſe vitioſos. Uxorem & liberos amare tanquam propria viſcera, pium & laude dignum eſt: fratrem & amicum ſimili amore proſequi, nulla ratio vetat: modo omnibus præferatur Deus, cujus gloriam prodere in hominis favorem nimis præpoſterum eſt. Nam uxorium amorem & quicquid ejuſdem coloris eſt, obtendere, quid aliud eſt quam opponere Deo ejuſque præceptis noſtros affectus? Quare rigorem ad quem nos obdurat, velle inflectere, non ferenda eſt mollities. Jam gravitas pœnæ duas habet juſtiſſimas cauſas: quia & in vindicaodis Dei contumeliis frigemus prope omnes, ubi maxime ardere oportebat: & quemadmodum periculoſis morbis adhibentur acriora remedia, ſic tam noxiæ peſti & prorſus mortiferæ æquum eſt non vulgariter occurri. Quo etiam ſpectat particula Clam vel occulte. Quanquam enim videri poſſet inhumanum, prodere qui publice non deliquit: quia tamen ſectarii lucem fugitantes, clandeſtinis artibus & fallaciis obrepunt, neceſſe eſt eos prohibere ne fraudulenter veneno ſuo inficiant ſingulas domos, ut ſemper accidit. Mature ergo prohiberi vult Deus inſidioſos eorum conatus, ne longius ſerpat contagio.

7. E diis populorum.] Summa huc tendit, acquieſcendum eſſe in veritate cognita, ut clauſæ ſint aures diverſis omnibus figmentis. Vicinitas facere ſolet ut homines inter ſe communicando, alii aliorum moribus ſe conforment. Ita ultro citroque commeant vitia: atque ut ad malum fere ſumus propenſi, qui deteriores ſunt, rectos pervertunt. Quum ergo ab omni parte circumdatus eſſet populus Iſrael idololatris, facile ad imitationem allici poterat, niſi obviam itum eſſet. Ponit autem Circuitum, quia binc ſumi poterat perſuadendi color, quod non tantum ab una gente differret Iſraëlis religio, ſed ab omnibus quæ regioni quaquaverſus oppoſitæ erant. Nam in quaſcunque orbis plagas ſpectarent, objiciebantur eorum oculis exempla quæ ipſos attraherent in novam & extraneam religionis formam. Poſtea amplificat, addendo, Si etiam longinquæ ſint gentes illæ: non enim cum ſolis vicinis erat diſſidium Iſraëlitis, ſed quaſi à toto humano genere ſegregati erant. Erat autem hæc non levis tentatio, non reperire in toto mundo ullos ſocios, vel ullius gentis conſenſum. Adde quod interdum ipſa longioquitas veneration em ignotis conciliat. Siquidem hominum curioſitas, volitando, ſua levitate terras & maria tranſcendit, ut ſub novitatis ſpecie monſtra peſtifera ſibi accerſat. Interea Deus fidem in verbo ſuo fundatam in ſublimi locat, ut omnium gentium mores, inſtituta, ritus, & conſuetudines deſpiciat. Neque enim in pietate vere profecit niſi cui fœtet quicquid alienum eſt.

9. Sed occidendo occides.] Non vult quemque privatim exequi vindictam abſque publico judicio: ſed reſpexit ad communem uſum, quod noxios & damnatos teſtes primi lapidabant, ut alibi videbimus. Optima autem fuit ratio, ut eoſdem Deus vellet eſſe pœnæ exequutores qui crimen detulerant, quo magis cauti eſſent ac moderati in ferendis teſtimoniis. Ratio quæ in fine additur, Quia captavit te abducere à Deo tuo qui te eduxit, crimen iterum exaggerat ab ingratitudine: quæ eo deteſtabiliot erat, quo magis inæſtimabile erat redemptionis beneficium. A Deo cognito deficere, per ſe grave erat ſcelus: ſed gravius, redemptorem ſuum vilipendere. Poſtremo adjungitur utilitas & fructus ſeveritatis: quia dum exigitur de unius maleficio pœna, aliis omnibus incutitur terror: & ita onius interitus, propter exemplum, ſalubris eſt omnibus diſciplina.

Ex Deut. XIII.

12. Si audieris de una urbium tuarum quas Jehova Deus tuus dat tibi ut habites ibi, aliquem dicentem,

13. Egreſſi ſunt quidam homines filii impietatis è medio tui, qui impulerunt habitatores urbis ſuæ, dicendo, Eamus & colamus deos alienos, quos non noſtis:

14. Tunc

14. Tunc inquires, & investigabis, ac interrogabis diligenter: & si quidem veritas sit & rumor verus, quod facta sit abominatio ista in medio tui,

15. Percutiendo percuties habitatores urbis illius ácie gladii, perdendo eam, & quicquid in ea fuerit, & jumenta ejus acie gladii.

16. Atque omnia spolia ejus congregabis in medio plateæ ejus, & combures igni urbem ipsam & omnia spolia ejus prorsus Jehovæ Deo tuo: eritque tumulus perpetuus, non ædificabitur amplius.

17. Neque adhærebit manu tuæ quicquam de anathemate: ut avertatur Jehova ab ira furoris sui, & det tibi misericordias, misereaturque tui, ac te multiplicet quemadmodum juravit patribus tuis.

12. *Si audieris de una.*] Si latius dominetur impietas ac defectio, pronunciat Moses potius delendas esse totas urbes cum suis incolis, quam ut tantum crimen maneat impunitum. Unde melius colligimus quam impura sit eorum mollities qui poenas sumi vetant de violato Dei cultu. Si qua seditio orta fuerit in exercitu aliquis vel populo, & contagio ad totam multitudinem pervenerit, non ultra progredi solet æqui & moderati ducis severitas quam ut de præcipuis auctoribus supplicium sumat: quum ergo sine exceptione omnes jubet Deus è medio tolli, hinc apparet quanta sit criminis atrocitas. Unde etiam monemur, frigere apud nos gloriæ Dei studium, nisi plurimi ex nobis vera religio quam salus unius urbis aut populi. Quod si turmatim ad mortem rapiendi sunt simul tam multi, plusquam detestabilis est impudentia, & misericordia crudelis, ut uni homini parcatur, læsam Dei majestatem pro nihilo ducere. Et sane quando neque in alium finem sumus creati, nec alia de causa vivimus nisi ut Deus glorificetur in nobis: totum mundum perire satius est quam homines terræ alimentis frui, ut eam sceleribus suis contaminent. Ac si hoc zelo flagrassent qui initio professi sunt Christi nomen, non tot corruptelis obruta & fere extincta esset vera pietas. Semper autem tenendum est quod ante dixi: hoc rigore non aliter utendum nisi dum pessundatur religio, non tantum publica auctoritate & omnium suffragiis recepta, sed solide probata: ut certo constet nos esse Dei vindices contra impios.

13. *Egressi sunt filii Belial.*] Ponit Moses quod accidere ut plurimum solet. Non enim omnes simul uno momento ad impietatem prorumpunt, sed quosdam subornat Satan qui aliis incitandis sint flabella. Eorum instigatione turba ad imitationem trahitur. Tales vocat Moses filios Belial: qua voce quidam notari putant præfractos homines: & exponunt, Absque jugo. Rectius tamen videntur sentire qui interpretantur Homines nihili, in quibus nihil probum reperitur, vel laude dignum: & transferunt ad verbum, eos qui non aiscendunt. Ubique accipitur hæc dictio pro sceleratis, improbis & nequam. Ideo & Belial Paulus Christo opponens, designat Satanam impiorum omnium caput. Egressos dicit, quod ausi fuerint prodire in medium, & suam impietatem palam efferre. Cæterum quamvis à paucis auctoribus profecta sit mali origo, non vult tamen in ipsis solis pœnam constistere: acsi ad vulgi excusationem valeret alienus impulsus. Jubet autem diligenter inquiri, duplici de causa: ne scilicet vel conniveant ac segnes sint ac dissoluti, vel nimis fervide profiliant ad ferendum judicium: quia scilicet ut nunquam æquitatem sequimur, nec decernimus quod rectum est in præcipiti ardore; ita negligere tantum crimen, turpis segnities est ac perfidiæ affinis. Ita tam sedulitas quam moderatio commendatur: ut neque torpeant judices, nec statuant quidpiam nisi re bene comperta.

2 Cor. 6. vers. 15.

15. *Percutiendo percuties.*] Ne quem perturbet pœnæ acerbitas, primo notemus non fuisse dandam errori veniam, quia educati in Legis doctrina non poterant nisi volentes decipi: acsi pietatis fastidio, diaboli impostoribus appererent. Hac ratione Deus apud Jeremiam, quo gravius Judæis inconstantiam exprobret, eos ablegat ad insulas & gentes remotas: Ite, inquit, & inquirite an gensulla mutaverit deos suos, qui tamen non sunt dii. Populus autem meus mutavit gloriam suam in eum qui prodesse nequit. Obstupescite cæli super hoc, &c. Merito enim prodigiosa censeri debuit levitas, quod sponte desererent fontem vitæ, ac præpostero novitatis studio ad vanitatem raperentur. Si quispiam excipiat, parvulos saltem fuisse insontes: respondeo, quia Dei judicio obnoxii sunt omnes à minimo usque ad maximum, frustra nos cum eo litigare, etiamsi fœtus ipsos adhuc inclusos in visceribus matrum perdat. Quum Sodoma & vicinæ urbes abhorrere sunt, non dubium est in tanta multitudine simul periisse multos parvulos & mulieres gravidas: hic quia sensus noster reclamat, cælestis tribunal reverenter potius suspicere convenit quam nostris legibus subjicere. Idem & in Babylonis excidio valere debet. Nam Prophetæ exclamans beatos fore qui allident parvulos ejus ad lapidem, commendat verte justam Dei vindictam. Itaque hoc quoque loco si nobis non videtur rationi consentaneum totam impiorum sobolem è mundo exterminari, sciamus Deum jure suo fraudari quamdiu proprio sensu metimur immensam illam altitudinem, quam Angeli ipsi cum admiratione adorant. Quanquam tenendum est, Deum nunquam fuisse pallurum ullos infantes occidi, nisi quos jam reprobassset ac destinasset æternæ morti. Quod si Deo permittimus spe salutis privare quos visum est, cur reprehendetur temporalis pœna; quæ multo levior est? Quin potius ex severitate hujus legis discamus quam detestabile sit crimen falsos & adulterinos cultus erigere: quod non parvulos modo, qui nondum per ætatem conscii sunt, sed jumenta & pecudes, tecta quoque & parietes contaminat. Sequitur enim continuo post:

Jerem. 2. vers. 10.

Psal. 137. vers. 8.

16. *Atque omnia spolia ejus congregabis.*] Jubentur supellectilem omnem, & quicquid in urbe repertum fuerit, comburere: & ratio additur, quia sit anathema. Si qua urbs vi capta fuisset, in prædam cessurum erat quicquid Deus hic vult incendio consumi: quia solo tactu Judæi se polluerent. Fieri quidem potest ut Dei consilium fuerit lucri cupiditati occurrere, ne Judæi cum zelo rapinas suas miscerent: sed præcipua fuit ratio quæ eximitur à Mose, ut populus magis assuefieret ad detestationem criminis quod videbat Deum tam atrociter ulcisci. חרם, quod Anathema Græci verterunt, proprie Occisionem vel abolitionem significat: sed חרם dicitur esse coram Deo quod vult in nihilum redigi, quia ejus conspectum ferre nequit. Ideo hic dicitur, Combures Jehovæ Deo tuo. Nam quod alii reddunt Propter Dominum, paulo remotius est. Summa huc tendit, si à Dei vindicta sibi metuant, cumque cupiant habere propitium, in execratione habeant domos & vasa eorum qui defecerint à Lege. Porro misericordiæ & miserendi vocibus innuit, si summo jure ageret Deus, fœdus unius urbis sufficere ad perdendam totam regionem. Unde colligitur exigi speciem expiationis ad Deum placandum, ubi jubentur urbem funditus excidere, & in ignem conjicere omnes reliquias.

Ex Exodi XXII.

18. Maleficam non patieris vivere.

Ex Levit. XX.

6. Anima quæ reſpexerit ad Pythones & ariolos, ad fornicandum poſt eos, ponam faciem meam contra animam illam, & exterminabo è medio populi ſui.

Ex eodem Capite.

27. Vir ſive mulier in quibus fuerit Python, vel aruſpicum ſpiritus, moriendo morietur: lapidando lapidabunt eos: ſanguis eorum ſuper eos.

Ex Numer. XV.

30. Anima quæ fecerit in manu excelſâ, tam civis quam peregrinus, ut Jehovam contumelia afficiat, excidetur anima illa è medio populi ſui.

31. Quia ſermonem Jehovæ contempſit, & præceptum ejus irritum fecit: excidendo excidetur anima illa: iniquitas ejus in ea.

Ex Levit. XX.

1. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Filiis Iſraël dices, Quicunque è filiis Iſraël, & è peregrinis qui peregrinantur in Iſraël, dederit è ſemine ſuo Moloch, moriendo morietur: populus terræ lapidibus lapidabit eum.

3. Ego etiam ponam faciem meam contra virum illum, & exterminabo eum è medio populi ſui, eo quod dederit è ſemine ſuo Moloch, ut contaminaret ſanctuarium meum, & profanaret nomen ſanctitatis meæ.

4. Quod ſi abſcondendo abſconderit populus terræ oculos ſuos à viro illo quando dabit ex ſemine ſuo Moloch, non interficiendo illum:

5. Tunc ponam ego faciem meam in virum illum & in familiam ejus, & ſuccidam eum & omnes qui ſcortantur poſt ipſum, ut ſcortentur poſt Moloch, è medio populi ſui.

Ex Exodi XII.

15. Quicunque comederit fermentatum à die primo uſque ad diem ſeptimum, excidetur anima illa ex Iſraël.

Ex eodem Capite.

19. ——— Quicunque comederit fermentatum, exterminabitur anima illa è cœtu Iſraël, tam peregrinus quam indigena terræ.

Exodi 22. 18. *Maleficam non.*] His locis pœna ſtatuitur, ſi qua in parte violatus fuerit cultus Dei. Nuper vidimus quam ſevere Deus ultus fuerit defectionem à pietate: nunc autem ſpecies quaſdam attingit, ubi non ex profeſſo religio deſeritur, ſed invehitur aliquid corruptionis, quo inficitur ipſa puritas. Primus locus capitalem pœnam decernit adverſus maleficas: quo nomine ſelegit Moſes incantatrices, vel fagas, quæ magicis artibus dant operam, tam ut faſcinis lædant, quam ut revelationes à diabolo petant: qualis fuit illa quam conſuluit Saul, licet aliter vocetur. Quoniam tales prætigiæ ſceleſtam Dei abnegationem ſecum trahunt, non mirum eſt ſi morte puniri Deus velit. Porro quum hæc peſtis nihilo magis in viro quam in muliere ferenda ſit, probabili ratione exiſtimant legem de mulieribus fuiſſe latam, quia ſexus hic ad ſuperſtitionem propenſior ſit. Certe Deut. 18. idem præcipitur de viris: niſi quod illic non decernitur pœna, ſed tantum vetat Deus ne quis ſit maleficus in populo, vel incantator. Jam vero certum eſt alias omnes ſpecies quæ illic numerantur, nunc ſub una comprehendi: acſi capitali ſupplicio ſubjiceret Deus tam augures, & magos, & pythonicos, & necromantiæ vel magicis artibus deditos, quam incantatores. Idque melius liquet ex ſecundo & tertio loco: ubi Deus ſe fore adverſarium denunciat omnibus qui ſe ad Pythones & ariolos converterint, ut eos exterminet è populo ſuo: deinde lapidibus obrui jubet. Ergo, quia æquum non eſſet viros impune evadere, ubi mulierum infirmitati non parcitur, & in cauſis paribus diſſimile ferri judicium: eadem pœna quæ in fagas & incantatrices ſtatuta fuit, nunc extenditur ad utrumque ſexum & omnes magicas ſuperſtitiones. In verbis etiam, Reſpexerit ad ſcortandum, exprimitur iterum criminis atrocitas, ducta ſimilitudine ab impudicis mulieribus, quæ vago aſpectu feruntur ad ſuam libidinem. Significat ergo Moſes, ſimulac coojicimus oculos huc vel illuc, nec eos tenemus defixos in uno Deo ut ſimus eo contenti, violari ſacrum conjugium quo nos ſibi devinxit.

Num. 15. 30. *Anima quæ fecerit in manu.*] Varie transfertur hic verſus. quidam enim ſic legunt, Anima quæ aliquid fecerit manu ſuperba, contumelia Deum affecit, ideoque exterminabitur: ita eſſent duæ propoſitiones. Nos diverſam ſententiam ſequuti ſumus, uno contextu legentes, Anima quæ manum ſuperbam extulerit in contumeliam Dei, exterminabitur. ad verbum eſt, Anima quæ fecerit in manu excelſa, ex indigena & ex peregrino, Jehovam ipſe blaſphemans, & evelletur anima illa è medio populi ſui. Sed quia utraque verſio probabilis eſt, nec quicquam mutat in ſumma rei, libere mihi permiſi eligere quod ſenſum clarius explicabat. Porro, Facere in manu excelſa, nihil aliud eſt quam tentare vel aggredi per ſuperbiam quod fas non eſt. Nam manus noſtras convenit regi Dei verbo, & quaſi frenari, ne ſe attollant. Etſi autem pluribus modis laſciviunt in audacia hominum manus, ſpecialis tamen

men hic sermo est de profanatione veri ac legitimi cultus Dei, ubi temere aliquid excogitatur ab ejus puritate alienum. Neque enim vel furtis, vel cædibus, vel aliis sceleribus pœna statuitur: sed perversis figmentis, quæ ad pietatem vitiandam spectant. Postea additur ratio, quod vilipenderit fermonem Jehovæ, & pro nihilo duxerit ejus præceptum. Neque enim leve delictum est, fines à Deo positos transgredi. Jam certum est fictitios omnes cultus prodere impium contemptum, acsi homines ex professo Deum vilipenderent, & aspernarentur ejus mandata. Unde colligimus, nihil magis adversum esse integræ sinceræque religioni quam temeritatem, ubi sequitur quisque quod placet. Clausula, ubi dicitur, Iniquitas ejus erit super eum, duobus modis potest exponi: vel ut confirmet Moses justam esse hanc pœnam, & merito infligi: vel ut admoneat, antequam longius serpat impietas, mature esse occurrendum. Utrumque placet.

Levit. 20. 1. *Loquutus est Jehova.*] Hujus superstitionis prohibitio ante suo loco fuit exposita: nunc Deus pœnam exigere jubet, si quis ea se inquinaverit. Et certe detestabile fuit sacrilegium, sobolem quæ Deo genita erat, & quam adoptaverat in semore Abrahæ, idolis mancipare: quia hoc modo non tantum spoliabant Deum jure suo, sed adoptionis gratiam, quantum in se erat, delebant. Quod ergo in genere pronunciavit, nunc ad speciem applicat, ut lapidentur qui semen suum obtulerint Moloch: alioqui enim cavillis effugere tentassent, sibi non esse in animo deficere ad alienos deos. Quemadmodum hodie in Papatu friget ac vilipenditur quicquid profertur ex Scriptura contra impios & vitiosos cultus: quia idololatrias suas fucando, secure in illis sibi indulgent. Postquam autem judicibus mandavit Deus ut severe crimen hoc puniant, simul denunciat, si forte connivendo & parcendo foveant, seipsum fore ultorem, ut longe durius persequatur qui elapsi fuerint è manibus hominum: neque id modo, sed etiam ut conscios omnes eadem damnatione implicet.

Exodi 12. 15. *Quicunque comederit.*] Hæc lex ad observationem Paschatis specialiter refertur. Ante vetuit Deus usum fermenti: nunc vero pœnam edicit, si quis neglecta prohibitione fermentum miscuerit cum Paschate. Porro non absque ratione in hunc locum distulimus quod contexit Moses cum institutione Paschatis. Id enim methodus à nobis proposita flagitat, ut leges politicæ, quæ pœnarum denunciatione sanciunt Dei cultum, proprium ordinem obtineant. Porro ex pœna apparet, quamvis res per se sit levis momenti abstinere à fermento (sicuti Paulus docet in corporalibus exercitiis exiguam esse utilitatem) quatenus tamen in illa ceremonia continebatur populi redemptio, summum scelus fuisse non observare quicquid Deus præscripserat. Ritus enim Legales à suo fine æstimari oportuit. 1 Tim. 4. vers. 8.

Ex Deut. XVII.

14. Quum ingressus fueris terram quam Jehova Deus tuus dat tibi, & possederis eam, & habitaveris in ea, ac dixeris, Constituam super me regem sicut omnes gentes quæ sunt per circuitus meos:

15. Constituendo constitues super te regem quem elegerit Jehova Deus tuus: è medio fratrum tuorum constitues super te regem: non poteris constituere super te virum alienigenam, qui non sit frater tuus.

16. Verum non multiplicabit sibi equos, neque reducet populum in Ægyptum ad multiplicandos equos: quum Jehova dixerit vobis, Non adjicietis reverti per hanc viam amplius.

17. Neque multiplicabit sibi uxores, neque avertetur cor ejus, neque plurimum argentum & aurum sibi cumulabit.

18. Verum quum sederit super solium regni sui, tunc describet sibi exemplar Legis hujus in volumine, à conspectu sacerdotum & Levitarum:

19. Eritque apud eum, & leget in eo cunctis diebus vitæ suæ: ut scilicet discat timere Jehovam Deum suum, & observare omnia verba Legis hujus, atque statuta hæc, ut faciat ea.

20. Ne elevetur cor ejus supra fratres ipsius, neque declinet à præcepto ad dextram aut ad sinistram: ut proroget dies in regno suo, ipse & filii ejus in medio Israëlis.

14. *Quum ingressus fueris.*] Hoc loco Deus commendat regnum sacerdotale cujus alibi fit mentio. Nam quia regii nominis splendor potentat eorum oculos perstringere, ut obliviscerentur Deum inter ipsos tenere summum imperii gradum, mature admonentur, minime æquum esse ut regno hominis mortalis minuatur Dei majestas. In summa, Deo subjicitur regia potestas: & reges ipsi consecrantur in ejus obsequium, ne populus unquam profanescat, qualiscunque contigerit mutatio. Etsi autem sub judicibus religio sæpe fuit pessundata: non tamen abs re lex peculiaris de regibus lata est: quia nihil magis proclive quam ut terrenæ pompæ homines à pietate abducant. Postquam tenemus Dei consilium, nunc singulas partes expendere convenit. Præterit (sicut dixi) totum medium tempus usque ad initium regni, quia hæc novitas plus periculi secum ferebat. Quantisper enim præfuerunt judices, diversa species regiminis eos separabat à profanis gentibus. Omnes undique vicini regibus parebant: Deus judices ex media plebe præficiendo, semper eminebat. Ubi autem cœperunt sibi reges asciscere, sic permixti fuerunt Gentibus ut facilis esset lapsus ad alias corruptelas. Ipsa enim similitudo propius eos conjunxit. Qua ratione diserte exprimitur, Dum constitutes super te regem, instar omnium gentium quæ sunt per circuitus tuos. Significat enim Deus exemplum Gentium, perversam illis fore illecebram, ut regem appetant, atque ita communis sit in posterum conditio, quæ cælesti decreto distincta fuerat. Denique jam oblique damnatur eorum contumacia: quum Deus fore prædicit ut excusso jugo lasciviant. Sicuti etiam contigit: quia repudiato Samuele, tumultuose regem flagitarunt. Qua in re alibi conqueritur Deus se fuisse spretum. Nascitur tamen quæstio, quomodo hæc duo conveniant, reges dominaturos libidine vel stulto desiderio populi, & tamen regnum ipsum esse præcipuum populi decus, singulare gratiæ Dei pignus, adeoque salutis & plenæ felicitatis. Celebre est vaticinium Jacob, Non exibit sceptrum è Juda donec veniat Silo. Unde apparet, regem incomparabilis beneficii loco, filiis Abrahæ fuisse promissum. Gen. 49. vers. 10.

Cur

Cur ergo Deus ſe non facit ejus auctorem? Reſpondeo, quamvis Dei conſilium ab initio fuiſſet effigiem Chriſti in Davide proponere: quia tamen præpoſtera feſtinatio populi ordinem illum turbavit, principium regni adſcribi eorum culpæ quos perverſa æmulatio impulit ut vellent Gentibus eſſe ſimiles. Deinde videtur conſulto Deus eorum pervicaciam notaſſe: acſi dixiſſet, Quamvis regem creando ad Gentes propius accedas, cave tamen ne perverſa cupiditas te prorſus à vera pietate abducat.

15. *Conſtituendo conſtitues ſuper te regem.*] Primum Deus ſibi in creando rege ſummum jus vendicat, nec rem permittit populi ſuffragiis: ut ita caſtiget eorum audaciam qui præcipiti impetu regem poſtulaſſent. deinde ſumi jubet ex ipſo populo, & alienigenas excludit: quia ſi fuiſſent admiſſi, aperta erat defectionis janua. Quiſque enim deos patrios obtrudere conatus eſſet: ac potentia regali, vi & minis oppreſſa fuiſſet vera religio. En cur Deus paſſus non fuerit aliunde peti regem quam ex ipſo Eccleſiæ ſinu: ut purum cultum, quem à puericia imbiberat, foveret ac tueretur.

16. *Verum non multiplicabit ſibi equos.*] Hic certis finibus circumſcribitur regis poteſtas: ne imperii gloria fretus ſe nimis extollat. Scimus enim quam inexplebiles ſint regum cupiditates: quia ſibi quidvis licere fingunt. Quantumvis ergo ſplendida ſit regia dignitas, non vult Deus prætextum eſſe immenſæ potentiæ, ſed eam ad civilem modum reſtringit ac temperat: qua nota rurſum diſcernit reges Iſraëliticos à profanis. לא adverſativa eſt particula, quam alii vertunt Tantummodo: eodem fere ſenſu: quia hæc exceptio addita fuit ad cohibendos regum impetus. Prima prohibitio, ne equorum multitudinem colligat: ſed quia bis repetitur, videndum eſt quo ſenſu. Multi ſic vertunt, Non cumulabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum ut cumulet equos. Quæ loquutio dura eſt atque obſcura. Porro quum particula מן ſignificet Propter, & ad verbum commode vertere liceat, Propter multiplicare equos, vel Propter ad multiplicandum: non dubito quin Deus ab effectu condemnet immodicam equorum turmam: quia poterat regum animos titillare, ut audacter expeditionem ſuſciperent contra Ægyptios. Hunc igitur genuinum eſſe ſenſum exiſtimo, ne rex equos nimia copia ſibi comparet, ac ne, ubi inſtructus fuerit multis equis, exercitum ducat in Ægyptum. Itaque inter alia mala quæ oriri poſſent ex equorum multitudine, hoc commemorat Moſes, quod regis animus inflabitur ſuperbia, ut irrumpat cum equeſtri exercitu in Ægyptum. Jam quæritur cur vetuerit Deus populum illa via redire. Quidam exponunt, equos fuiſſe emptos contra Dei mandatum, qui commercium tale vetuerat: quod non videtur conſentaneum. Alii prohibitum fuiſſe populum exiſtimant à tranſitu deſerti, ne ſua curioſitate ingrati eſſent Deo: quod etiam longe petitum eſt. Mihi autem probabile videtur, ideo vetitum illis fuiſſe iter illud ut liberationis memores contenti eſſent ſuis finibus. Erepti è mille mortibus fuerant: ſi illuc ſponte profecti eſſent ad hoſtem laceſſendum, confidentia ſignum fuiſſet contemptæ ac ſepultæ Dei gratiæ. Ergo ut memoria redemptionis eorum animis maneret penitus infixa, voluit Deus ſuis miraculis hunc honorem tribui ut loca illa tanquam mortis abyſſos fugerent. Niſi forte hæc cauſa probetur, præciſam fuiſſe anſam impiis ſœderibus, quæ videmus ideo fuiſſe audacter contracta, quod reges Iſraëlitici gloriati ſint ſe equorum copia abundare. Sed prior expoſitio melius quadrat. Cæterum ne ab optimis quidem regibus hæc lex ſervata fuit. Unde apparet, vix poſſe ullis frenis regum licentiam acta ſtum comprimi.

17. *Neque multiplicabit ſibi uxores.*] Vulgo tunc obtinuerat polygamia, ut minimus quiſque ex plebe conjugii fidem ſecure violaret. Quo arctiore vinculo reges conſtringi oportuit, ne ſuo exemplo incontinentiæ habenas laxarent. Atque ita nullo negotio refellitur eorum inſcitia, qui colligunt privatis hominibus fuiſſe licitum quod ſpecialiter regibus interdicitur: quum ideo ipſis lex caſtitatis fuerit indicta, quia ſine hoc remedio nullus fuiſſet modus laſciviæ.. Adde quod populus ingenti ſumptu gravatus fuiſſet: quia, ut fert mulierum ambitio, regaliter omnes tractari voluiſſent, & certaſſent etiam lautitiis: ſicuti contigit. Quod hanc legem transgreſſus eſt David, aliqua ex parte fuit excuſabilis propter repudium Michol: apparet tamen libidinem plus apud eum valuiſſe quam præſcriptam à Deo continentiam. Quod ſequitur, quidam ita contexunt acſi ratio eſſet proximæ ſententiæ: hoc ſenſu, non eſſe ducendas à rege plures uxores, ne cor ejus à recto deflectat: quod Solomoni contigit. Nam dum eſt nimium uxorius, illecebris mulierum deceptus, deſcivit ad idololatriam. Et certe vix fieri poteſt, dum plures uxores virum unum obſident, quin ejus animum efferminent, & ſuffocent quicquid in ipſo eſt virilis prudentiæ. Ego tamen ſeorſum accipere malo, cavendum eſſe regibus ne ſanam mentem in ipſis obtenebret dignitatis ſplendor. Nihil enim difficilius quam in magna potentia temperantiæ manere addictum. Non fruſtra ergo præcipit Deus ut conſtanter pergant in officio, nec excidant intelligentia. Vetat deinde ne ſibi theſauros rex accumulet: quia id fieri non poteſt ſine rapinis & violentis exactionibus: & ſimul opulentia illis inflat altos ſpiritus, ut audacius injuſta bella ſuſcipiant: luxuriandi audaciam accendit: tandem eos rapit ad tyrannicos exceſſus. Primum ergo cavere voluit Deus ne reges diteſcendi ſtudio exhauriant ſanguinem populi: & ne pecuniam male partam in ſupervacuos ſumptus profundant, ac ſint ex alieno prodigi: præterea ne ſuperbiant ſuis divitiis ad audendum plus quam liceat.

18. *Verum quum ſederit ſuper ſolium.*] Non ſatis fuiſſet vitia corrigere niſi formati eſſent reges ad Dei timorem, & de ſuo officio probe edocti: nunc ergo additur ratio diſciplinæ, qua eos inſtitui utile fuit ad pietatis & juſtitiæ ſtudium: nempe ut Legem à ſacerdotibus & Levitis ſuſciperent quæ illis eſſet omnium actionum regula. Quia demonſtrativum pronomen exprimitur, quidam exiſtimant notari duntaxat volumen Deuteronomii: ſed parum firma ratione. Ego itaque comprehendi non dubito totam doctrinæ ſummam, quæ tam hic quam in Exodo & Levitico traditur. Etſi autem omnibus promiſcue communis eſſe debuit: quo tamen ad lectionem ejus aſſiduam magis attenti eſſent reges, exemplar illis peculiariter dicatum deſcribi voluit Deus à ſacerdotibus & Levitis, ac ſolenni ritu in manus tradi, ut ſcirent ad regendum populum ſibi majore conſilio & prudentia opus eſſe quam privatis hominibus. Ergo quum ſacerdotes & Levitæ librum offerrent, perinde fuit acſi Deus theſaurum hunc apud regem deponeret. Præcipit deinde ut ſe toto vitæ curſu in Legis doctrina exerceant: quia plerumque libris inſtructi ſunt reges pompæ tantum & oſtentationis cauſa: deinde ubi guſtarunt quod docetur, ſtatim oborto faſtidio, legere deſinunt. Tandem ſubjicitur quorſum pertinet lectio. primum in genere, ut diſcant timere Deum & ſervare ejus præcepta: deinde ne faſtu inflati & ſuperbia elati, fratres ſuos deſpiciant atque opprimant. Et conſulto nomen Fratrum ponitur, ne putent ideo jus fraternæ conjunctionis eſſe abolitum, quia toti populo ſint præfecti: quin potius omnes ſtudeant fovere tanquam membra. Iterum poſtea repetitur, ne deflectant ad dextram vel ſiniſtram: quia in magna licentia nunquam ſatis frenari poteſt hominum cupiditas. Jam ne illis grave ſit in ordinem cogi, admonet poſtremo Deus hanc moderationem illis fore utilem, quia diutius regnabunt: quum inſolentia ſæpe regi-

regibus in exitium cedat: ſicut Lacedæmonius ille reſpondit, quum ægre ferret uxor oppoſitos fuiſſe ei Ephoros, ſe minorem quidem potentiam liberis relinquere, ſed magis diuturnam. Cæterum hic promittitur longa ſucceſſio ex Dei gratia, ſi ultro ſibi temperent.

Ex Deut. XX.

1. Quum egreſſus fueris ad prælium contra hoſtes tuos, ac videris equitatum, currus, & populum majorem te, non metues ab illis: quia Jehova Deus tuus tecum eſt, qui te eduxit è terra Ægypti.

2. Et quum occurreritis ad prælium, accedet ſacerdos ad populum,

3. Ac dicet illis, Audi Iſraël, vos occurritis hodie ad præliandum cum hoſtibus veſtris: ne molleſcat cor veſtrum, neque timeatis, neque terreamini, neque paveatis à facie eorum:

4. Quoniam Jehova Deus veſter incedit vobiſcum ad præliandum pro vobis contra hoſtes veſtros, & ad ſervandum vos.

1. *Quum egreſſus fueris ad prælium.*] Hæc quoque lex, quod ad politicum ordinem ſpectat, appendix eſt primi præcepti, ut bella gerant ſub Dei auſpiciis, ejuſque auxilio confiſi, ducem ſequantur. Hoc enim pietatis teſtimonium reddere ipſos oportuit, ut Deum non minus in bello quam in pace reſpicerent, nec alibi locarent ſalutis ſuæ fidem quam in nominis ejus invocatione. Unde colligimus, in civili & terrena gubernatione minime præteritum fuiſſe Dei cultum. Etſi enim ad eum ſcopum dirigitur, ut mutua ſervetur inter homines æquitas: primum tamen gradum ſemper tenere debet religio. Summa igitur eſt, in ipſo quoque armorum ſtrepitu non ita eſſe tumultuandum quin agnoſcant ſe eſſe ſub Dei cuſtodia, ejuſque virtuti innixi, ſalvos ſe fore confidant. Porro non animat eos ad bella temere movenda, ſed pro confeſſo ſumit, legitimam eſſe bellandi cauſam: quia hoc perperam eſſet abuti Dei nomine, proſperum ab ipſo petere ſucceſſum ubi quicquam præter ejus mandatum tentatur. Vetat autem timere, quamvis hoſtis ſit ſuperior equis, & multitudine, & toto bellico apparatu. Quibus verbis admonet, non ideo fore obnoxios quibuslibet injuriis, quia equorum & curruum copia non erunt inſtructi. Vidimus enim nuper, ne regibus quidem fuiſſe permiſſum ut vires colligerent, quibus profanæ gentes gloriabantur. Ergo ne debilitatis ſuæ conſcii trepident, pronunciat Deus ſatis in ſua virtute fore præſidii. Atque hinc haud dubie ſumptum eſt illud, Hi in curribus, & hi in equis: nos autem *Pſal.* 20. in nomine Dei noſtri invocabimus. Qua ratione ob- *verſ.* 8. jurgat Jeſaias populum, quod contemptis aquis Si- *Jeſa.* 8. loë, appeterit magnos & rapidos fluvios: nempe *verſ.* 6. (ut alibi exponit) quia conſilus fuerit in equitatu & 31: 1. Ægypti. Notandum autem eſt ubi fundetur ſecuritas: quia ſcilicet ſperare debeat populus, eandem Dei potentiam ſibi in finem uſque præſto fore, quam experti fuerant patres quum redempti fuerant ex Ægypto.

2. *Et quum occurreritis.*] Partes exhortandi mandat Deus ſacerdotibus ubi ad conflictum ventum fuerit. Ex verbis autem colligimus pendere hanc ſententiam à primo præcepto, quia nihil aliud continet quam ut ſacerdos animet Iſraëlitas ad fiduciam, cujus materia proponitur Dei auxilium in ſervanda & aſſidue protegenda, quam ſemel redemit, Eccleſia. Porro non uno tantum verbo eos à metu revocat: ſed plura ſimul congerit, Ne molleſcat cor veſtrum, ne metuatis, ne expaveſcatis, ne formidetis. Quo monemur quam difficile ſit vitioſum timorem corrigere, qui variis machinis animos noſtros concutit ac perturbat, ne in Deo quieſcant. Et certe ſinguli experimur, tam variis agitationibus nos vexari ut multiplici remedio opus ſit ad ſtabiliendam fidem noſtram. Notanda etiam eſt familiaris explicatio præſentiæ Dei, quod ſimul incedet cum populo ad eum ſervandum: nempe ſi non ſua culpa, ſed injuſta hoſtium aggreſſione periclitetur.

Ex Numer. X.

1. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Fac tibi duas tubas argenteas: opere ductili facies illas: quæ ſint tibi ad convocationem cœtus, & ad caſtra movenda.

3. Quum clangent illis, congregabuntur ad te omnes cœtus ad oſtium tabernaculi teſtimonii.

4. Si vero una clanxerint, congregabuntur ad te principes, capita millium Iſraëlis.

5. Si vero clanxeritis cum jubilatione, proficiſcentur caſtra eorum qui caſtrametantur ad Orientem.

6. Quum autem clanxeritis cum jubilatione ſecundo, tum proficiſcentur caſtra eorum qui caſtrametantur ad Meridiem: cum jubilatione clangent in profectionibus ſuis.

7. Quando vero congregabitis cœtum, clangetis, ſed abſque jubilatione.

8. Filii autem Aharon ſacerdotes clangent tubis illis: eruntque vobis in ſtatutum perpetuum per ætates veſtras.

9. Et quando venietis ad prælium in terra veſtra contra hoſtem veſtrum qui vos affliget, cum jubilatione clangetis tubis illis: & recordatio veſtri erit coram Jehova Deo veſtro, ut ſervemini ab hoſtibus veſtris.

10. Die quoque lætitiæ veſtræ, & in ſolennitatibus veſtris, & in principiis menſium veſtrorum clangetis tubis illis ſuper holocauſta, & ſuper ſacrificia proſperitatum veſtrarum, ut ſint vobis in recordationem coram Deo veſtro: ego Jehova Deus veſter.

2. *Fac tibi duas tubas.*] Merito ad primum præceptum attexitur locus de tubis argenteis, quæ collectionis ſignum dabant, ut populus ſemper ad Dei vocem & nutum intentus eſſet. Voluit enim Deus eorum clangore moveri Iſraëlitas, quocunque pergendum eſſet, ne quid aggredi auderent tam in bello quam in pace, niſi ductu ſuo, & quaſi auſpiciis. Triplex autem fuit earum uſus: nempe populum

vel duces accerſere ad conventus publicos, armare contra hoſtes, tertio ſacrificiis ac diebus feſtis præcinere. Videri quidem potuit illud abſurdum vel minus decorum, ſacerdotes creare tubicines; quia in hoc officio nullus erat ſplendor vel dignitas? ſed voluit hoc modo magere majori reverentia populi animos: ut cunctis actionibus præiret ſacerdotum auctoritas. Neque enim ſervile illis munus injunctum fuit, ut alieno arbitrio tubas inflarent: ſed potius eos præfecit rebus gerendis, ne plebs cæco impetu, vel feſtinatione, conventus ſuos tumultuarie ageret: quin potius illic gradum ſuum teneret modeſtia, gravitas & moderatio. Scimus in negotiis terrenis ſæpe Deum non reſpici, ſed neglecto ejus verbo confidenter agitari conſilia. Ergo per ſacerdotes teſtatus eſt maledictos eſſe omnes conventus, niſi quibus præeſſet. Habuerunt etiam profanæ gentes ſuos ritus, ut auguria, precationes, aruſpicinam, victimas: quia naturæ ſenſus dictabat, oihil poſſe feliciter abſque ope divina tentari. ſed voluit Deus alio modo populum ſibi obſtrictum tenere, ut ſacrarum tubarum ſonitu quaſi indictione cæleſti vocatus, præſto adeſſet ad ſanctas piaſque conſultationes. Eodem ſpectabat circumſtantia loci. Perinde enim illis erat oſtium tabernaculi acſi in Dei conſpectum ſe ſiſterent. De particula מוּל alibi dicetur. Quamvis condictum tempus vel locum ſignificet, ac cœtum etiam vel concionem populi, libenter conventionem interpretor: quia Deus illic ſolenni more, quaſi apud ſacrum tribunal, populum conteſtatus eſt, vel ex condicto ad paciſcendum proceſſit. Noluit etiam præcipiti impetu, vel ulciſcendi libidine bella ſuſcipi, ſed ſacerdotes fecialium partibus defungi, ut primus ipſe pugnandi auctor eſſet. Feſtorum vero dierum præcones eſſe, & populum citare ad ſanctuarium, ſacerdotibus honorificum fuit. Nuoc quia mentem legislatoris tenemus, pauca de verbis attingam. Diximus ſacerdotes clangendo fuiſſe quaſi Dei organa, vel interpretes, ut ab ejus voce & mandato penderent Iſraëlitæ. Si rantum vocandi eſſeot præfecti, vel chiliarchæ, ſemel tantum clangebant: ſi convocatio erat totius populi, duplicabant ſonitum. Similis in bello obſervata fuit diverſitas, ut diſtinctum ſignum daretur cujus partis turmæ progredi deberent. Quidam utuntur factitio nomine Tararantara, ubi vertimus cum jubilatione: probabile eſt, ſonitum fuiſſe vehementiorem, longiuſque protractum, ſed interciſum. Notanda autem quæ inſeritur promiſſio, Iſraelitas fore in memoriam coram Deo, ut hoſtes eorum profliget: non quod ſalus vel liberatio populi affixa tubis fuerit, ſed quia ad conflictum non prodibant niſi freti Dei auxilio. Nam externo ſymbolo res ipſa coojungitur: nempe ut Deo militent, ducem ipſum ſequantur, totumqne robur ſuum in ejus gratia ſtatuant. Atque huic regulæ fuiſſe addictos omnes ſanctos, ex Pſalmo patet, Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri iovocabimus. Item, Non ſervabitur rex in multitudine exercitus: neque liberabitur fortis multa virtute. Ecce, oculus Jehovæ ſuper timentes eum, & ſuper eos qui expectant clementiam ejus. *Pſal.* 20. *verſ.* 8. *Pſal.* 33. *verſ.* 16.

10. *Die quoque lætitiæ.*] Id perinde fuit acſi Deus palam faceret, nullos ſe probare dies feſtos, nec ſibi placere ſacrificia niſi præeunte ſuo mandato. Neque enim populo bunc vel illum diem eligere fas fuit, ſed auctoritas præſcribendi fuit penes ſacerotum miniſtros. Ac Deus quidem neomenias, ſive novilunia, & reliquas ſolennitates inſtituerat: ſed ne qua mutatio accideret (ut ſemper audaces ſunt homines ad novandum), legitimam obſervationem, tubatum ſonitu voluit ſanciri: acſi per os ſacerdotum ediceret ipſe ſacros cœtus. Sacrificia quæ alii verterunt Pacificorum, non abſque cauſa interpretor proſperitatum. Id enim proprie ſignificat שְׁלָמִים. Sic autem vocarunt ſupplicationes & teſtimonia gratiarum actionis, quum erepti eſſent ex magno diſcrimine, vel inſigni aliquo Dei beneficio affecti. Dicit autem Moſes tubas Iſraëlitis fore in memoriam coram Deo: quia ubi coovenerint ad ſuum edictum, eos reſpiciet, paternoque ſuo favore dignabitur.

SECUNDUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

4. Non facies tibi ſculptile, neque ullam imaginem eorum quæ ſunt in cælo ſurſum, neque eorum quæ in terra deorſum, neque eorum quæ in aquis ſunt ſubter terram.

5. Non adorabis ea, neque coles ea: ego enim Jehova Deus tuus, Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem in his qui me oderunt:

6. Et faciens miſericordiam in mille diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.

Repetitio Ex Deut. V.

8. Non facies tibi ſculptile vel ullam imaginem eorum quæ ſunt in cælo ſurſum, nec eorum quæ ſunt in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.

9. Non adorabis ea, neque coles: ego enim Jehova Deus tuus, Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem in his qui me oderunt:

10. Faciens autem miſericordiam in millia diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.

Exod. 20. 4. *Non facies tibi ſculptile.*] Primo præcepto poſtquam docuerat quiſnam eſſet verus Deus, eum unum coli juſſit: nunc autem definit legitimum ejus cultum. Quoniam autem hæc duo ſunt diſtincta, colligimus diverſa eſſe præcepta, ubi de rebus diverſis agitur. Ordine quidem illud præcedit, ut unico Deo contenti ſint fideles: ſed non ſufficeret nos ad unum colendum inſtinui, niſi etiam ſciremus qualiter coli velit. Summa autem eſt, ſpiritualem eſſe Dei cultum, ut ejus naturæ reſpondeat. Etſi enim tantum de idolis verba facit Moſes, dubium tamen non eſt quin per ſynecdochen (ſicot in tota Lege) omnes fictitios cultus damnet quos pro ſuo ingenio homines excogitant. Hioc enim carnales mixturæ in vitiando Dei cultu, quod ipſum æſtimant ex proprio ſenſu, atque ita quodammodo transformant. Ideo tenere operæpretium eſt qualis ſit Deus, ne quid de ipſo craſſum vel terrenum imaginemur.

Porro

Porro ſimpliciter verba ſonant, perperam homines appetere Dei præſentiam in aliqua viſibili effigie, quia repræſentari oculis non poteſt. Quod autem ſimilitudinem ullam fieri vetat, vel eorum quæ in cælis ſunt, vel quæ in terra, vel quæ in aquis ſub terra, ſumptum eſt ex perverſo uſu qui paſſim invaluerat. Quia ut ſuperſtitio nunquam ſimplex eſt, ſed in varias partes diſtrahitur, alii in forma hominis, alii in forma piſcium, alii in forma avium, alii in forma brutorum animalium putabant Deum repræſentari: præſertim hiſtoriæ commemorant quam pudendis delirijs faſcinata fuerit Ægyptus. Atque hinc etiam detegitur hominum vanitas, qui quocunque vertant oculos, errandi materiam undique captant. Et tamen ubique refulget Dei gloria, & quicquid ſurſum ac deorſum conſpicitur, ad verum Deum nos invitat. Quoniam ergo ſic hallucinantur homines, ut ex rerum omnium intuitu ſibi fabricent erroris materiam, nunc eos Moſes ſupra totum mundi opificium & elementa attollit. Nam per ea quæ in cælis ſunt, non aves ſolum, ſed ſolem quoque, & lunam, omneſque ſtellas deſignat: ut paulo poſt videbitur. Negat igitur in toto mundo reperiri poſſe veram imaginem Dei: ideoque fœdari ejus gloriam, & veritatem corrumpi mendacio, quoties ſub viſibili forma ob oculos ſtatuitur. Jam tenendum eſt duas eſſe mandati partes: priore vetat erigi ſculptile, aut ullam ſimilitudinem: altera autem cultum quem ſibi uni aſſerit Deus, transferri prohibet ad ſpectra illa, vel fallaces pompas. Ergo affingere Deo aliquam imaginem, per ſe impium eſt: quia hac corruptela adulteratur ejus majeſtas, & fingitur ſibi diſſimilis. Quod ſtulte quidam puraruot hic damoari ſculpturas & picturas quaslibet, refutatione non indiget: quando nihil aliud Moſi fuit propoſitum quam eximere Dei gloriam ab omnibus figmentis quæ ad eam corrumpendam tendunt. Et certe hæc nimis indigna eſt deformitas, Deum ſimilem facere ligno vel lapidi. Nam quod ita quidam reſolvunt verba, Non facies tibi ſculptile quod adores: acſi liceret Deum facere viſibilem, modo ne colatur ipſa imago: eorum errorem, quæ poſtea ſequentur expoſitiones, facile refellent. Interea non inficior, conjunctim hæc legenda eſſe, ſicuti colendi ſuperſtitio vix unquam à priore vitio ſeparatur: quia ſimulac quiſpiam ſibi permiſit imaginem Deo attribuere, ſtatim ad falſum cultum delabitur. Et certe quiſquis reverenter & ſobrie de ipſo Deo ſentit & cogitat, ab hac abſurditate remotus eſt: nec unquam obrepit cupido vel audacia transfigurandi Dei, niſi dum mentes occupat craſſa & carnalis imaginatio. Hinc fit ut quicunque deos ex corruptibili materia ſibi fingunt, ſuperſtitioſe adorent manuum ſuarum artificium. Facile igitur patiar iluo hæc, quæ inſeparabilia ſunt, ſimul conjungi, modo teneamus Deo contumeliam inferri, non ſolum ubi transfertur ejus cultus ad idola, ſed ubi externa aliqua ſimilitudine eum exprimere tentamus.

Deut. 5. 9. *Non adorabis ea.*] Hanc ſecundam partem inani cavillo fruſtra eludere conantur idololatræ: quemadmodum in Papatu nugatoria illa diſtinctio jactatur, λατρεία duntaxat, non δουλεία prohiberi. Nam primo generaliter Moſes comprehendit omnes reverentiæ formas & ritus: deinde verbum עבד quod continuo poſt ſubjicit, ſervire proprie ſignificat. Unde colligitur, pueriliter velle eos elabi, dum picturis & ſtatuis nonniſi ſervitutis honorem deferunt. Quanquam ſi detur illis quod poſtulant, ne ſic quidem effugient: quia tantundem valet probibitio acſi negaret Deus ſe velle coli in ligno & lapide, vel alia quavis figura. Neque enim unquam eo amentiæ abrepti fuerunt increduli ut ſtatuas vel picturas ſimpliciter adorarent. Idem prætextus obtendebatur qui hodie per ora Papiſtarum volitat, non imaginem ipſam proprie, ſed quod in ea repræſentatur, coli. Ubique tamen illis exprobrat ſpiritus quod deos ligneos & lapideos adorent: quia carnalem illum cultum repudiat Deus quem offerunt increduli coram ligno & lapide. Si quis eos interrogeret quem colere habeant in animo, protinus reſpondebunt, Deo ſe præſtare quem picturis & ſtatuis honorem deferunt. Sed evaneſcit frivola illa excuſatio: quia idolum erigere coram quo ſe proſternant, id vero eſt abnegare verum Deum. Ideoque nihil mirum ſi pronunciet, lignum & lapidem adorari, dum ſpectra à ſe conficta adorant increduli in ligno & lapide. Et jam diximus, ritus omnes qui à ſpirituali Dei cultu diſcrepant, hic prohiberi: quod ad diſcutiendas tales nebulas ſatis ſuperque valet.

Ego enim Jehova.] Partim minando terret, partim blande promittit, ut eos contineat in officio. Ac primis quidem verbis coarguit eorum ingratitudinem, ſi ad idololatriam ſe proſtituant, quando electi fuerant in peculiarem & ſanctum populum. Poſtea terrorem incutit, pœnam denunciando: tandem ſpe remunerationis eos allicit, ſi obedienter maneant in puro Dei cultu. Nec tantum erga ſingulos ſeverum aut benecum ſe fore affirmat: ſed utrumque ad poſteros extendit, quamvis non æquali modo, ut poſtea videbimus. Deſtinavi quidem alium locum promiſſionibus & minis, quibus ſancitur totius Legis auctoritas: ſed quia hoc membrum annexum eſt ſpeciali præcepto, non potuit commode apelli. Nomen אל quidam appellative vertunt, fortis: ſed quoniam à fortitudine ſic vocatur Deus, hunc ſenſum, quia melius quadrabat, ſequi malui. Quanquam non abs re diverſis nominibus Moſen fuiſſe uſum arbitror: ubi enim priore loco poſuit nomen אלהים, paulo poſt altero elogio Deum inſigniens, potentiam ejus commendat ut timeatur. Qua ratione ſimul Æmulatorem nominat, vel (ut quidam non inepte vertunt) zelotypum. Nam obtrectatoris nomen Deo tribuere (quod auſus eſt neſcio quis) non inſipidum modo, ſed prodigioſum eſt. Atqui ζηλοτυπία hac voce interpretatur Cicero. nempe vitium pravæ æmulationis notans, ubi alter alterius præſtantiæ invidet. Hic vero nobis ſub mariti perſona proponitur Deus, qui rivalem non patitur, vel (ſi latius extendere placeat) juris ſui dicitur aſſertor: ut ejus æmulatio nihil aliud ſit quam retinere quod ſuum eſt, atque ita omnes bonoris æmulos excludere. Cæterum quia nuper facta fuit ſacri fœderis mentio quod eum Judæis pepigerat, videtur alludere Moſes ad ſpiritualis conjugii violationem. Etſi autem à comminatione incipit, miſericordiam tamen rigori ſuo longe præferens, ſuaviter ad obſequium eos potius allicit quam metu cogat. Se enim miſericordem fore teſtatur uſque in mille ætates: pœnam vero non denunciat niſi uſque ad tertios & quartos, (ſic enim ad verbum legitur) hoc eſt, ad nepotes & pronepotes. Quo itaque ſuos cultores melius animet Deus ad pietatis ſtudium, non ipſis modo, ſed eorum poſteris in mille uſque ætates propitium ſe fore denunciat. Hoc vero inæſtimabilis eſt humanitatis, atque etiam indulgentiæ, quod ſervis ſuis, quibus nihil debet, eousque ſe obſtringere non gravatur, ut in eorum gratiam eorum ſemen in populo ſuo agnoſcat. Nam ex remuneratione perperam meritum colligi hinc apparet, quod non fidelem aut juſtum ſe fore dicit erga Legis ſuæ obſervatores, ſed clementem. Prodeat igitur vel perfectiſſimus in medium, nihil expetere melius poterit quam Deum habere pro gratuita liberalitate propitium. חסד enim tantundem valet ac manſuetudo aut beneficentia. Ubi autem Deo tribuitur, ut plurimum ſignificat miſericordiam, vel paternum favorem, & quæ inde manant beneficia. Sicuti dum hic promittit ſe miſericordiam facturum, tantundem valet loquutio ac beneficum fore, vel clementer actum. Unde ſequitur, remunerationis præcipuum eſſe caput gratuitam ejus beneficentiam qua ſuos liberaliter dignatur. Jam quum dicitur, Erga eos

qui diligunt ipſum, exprimitur fons & origo veræ juſtitiæ: quia exterior Legis obſervatio nullius eſſet momenti a niſi inde manaret. Et dilectio laudatur potius quam metus, quia nonniſi voluntario obſequio Deus oblectatur: coactum vero & ſervile repudiat, ſicut iterum alibi videbimus. Verum quia hypocritæ quoque jactant ſe Deum amare, linguæ autem profeſſioni vita non reſpondet, utrumque diſtincte conjungitur, quod veri Dei cultores cum diligant, obſerventque ejus mandata, hoc eſt, effectu probent ſuam pietatem. Hic tamen naſcitur difficilis quæſtio: quia exempla omnium demonſtrant magnam partem ex ſanctorum progenie fuiſſe rejectam ac damnatam, & longe graviora in eos quam exteros maledictionis & vindictæ ſuæ documenta edidit Deus. Sed notandum eſt non promitti his verbis ſigillatim gratiam omnibus ſanctorum poſteris, ut quicunque genus & originem ab ipſis trahunt, Deum habeant ſibi obſtrictum. Multi fuerunt degeneres Abrahæ filii, quibus nihil profuit vocari ſobolem ſancti Patriarchæ. Nec ſane ad ſingulos reſtringitur promiſſio, quia multi qui ſecundum carnem ſunt filii, non ſentiuntur in ſemine: ſed Deus libera electione quos vult adoptat: ſic tamen moderatur ſua judicia, ut reſideat in ſobole piorum paternus ejus favor. Adde quod in temporalibus beneficiis viget promiſſæ hic gratiæ effectus. Itaque quamvis ſevere ultus fuerit Deus ſcelera adverſus filios Abrahæ, & eos tandem, ubi apparuit deſperata ipſorum impietas, abdicaverit: non tamen deſtitit eſſe beneficus in mille ætates. Adde etiam quod externis gratiæ ſuæ teſtimoniis, licet reprobis cedant in exitium, Deus tamen implet ac præſtat quod hic pollicitus eſt. Ita miſericors fuit erga genus Abrahæ, quamdiu Legem, Prophetas, Templum, & alia pietatis exercitia relinquere dignatus eſt. Jam rurſum expendere convenit quam procul abſint etiam ſanctiſſimi quique ab integra obſervatione Legis, & perfecto amore Dei: ideoque nihil mirum ſi defectum hujus gratiæ multis in partibus ſentiant, & exiguo tantum guſtu potiantur. Quicquid ſit, ſemper exuperat Dei bonitas, ut ejus gratia, ſi non pleno fulgore, claris tamen ſcintillis uſque in mille generationes reluceat. Quod ad membrum oppoſitum ſpectat, quando Deus modum vindictæ ſuæ imponit in tertia vel quarta generatione, videmus ut humanis invitationibus ad officium adducere malit homines, quam minaciter terrendo extorquere pluſquam velint: quo ſcilicet longius miſericordiam ſuam quam judicii rigorem extendit. Obſervandum etiam eſt quod transgreſſores Legis inimici Dei vocantur & oſores. Horribilis certe eſt impietas, & prodigio ſimilis, Deum odio habere: ac vix quiſquam reperietur adeo ſceleratus qui Deo ſe palam tanquam hoſtem opponat. Verum non ſine cauſa tam duriter pronunciat Deus de ipſorum impietate. Nam quum a juſtitia ſua ſeparari nequeat, contemptus Legis odium illud coarguit: quia fieri non poteſt quin ſpoliare imperio ſuo Deum cupiat, qui legislatorem & judicem eſſe non patitur. Viſitare iniquitates, tantundem valet atque inquirere, vel ad cognitionem vocare, ut pœna pro ratione delicti ſumatur. Quamdiu enim hominibus parcendo, judicium ſuum ſuſpendit Deus, videtur connivere, vel non attendere. Ergo ubi ſepultum crimen putabunt homines, ejus ſe memorem fore denunciat. Quæritur tamen qui conveniat Deo pœnas a filiis & nepotibus exigere ob patrum delicta: nihil enim minus conſentaneum quam innoxios & ſceleratos eadem pœna involvi. Et clara eſt Prophetæ ſententia, Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filii: ſed anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Difficultas quæ ex Prophetæ verbis oritur, facile ſolvi poteſt: quia impiam populi expoſtulationem illic reſellit Deus, filios qui extra culpam erant, injuſte & crudeliter ad pœnam trahi. Volitabat paſſim illud proverbium, Patres comediſſe uvam acerbam, dentes autem filiorum obſtupeſcere: reſpondet Deus, neminem eorum quibus infenſus & ſeverus erat, immunem eſſe a crimine: ideoque falſam eſſe querimoniam, quum ſinguli propriæ impietatis mercedem reciperent. Et hoc veriſſimum eſt, nunquam Dei ſeveritatem graſſari uſque ad inſontes: & quamvis obſtrepat mundus ejus judiciis, ſemper tamen fore victorem quoties hunc vel illum damnaverit. Nec vero ubi teſtatur Deus ſe rejicere patrum iniquitatem in ſinum filiorum, intelligit ſe vindictam ſumpturum de miſeris qui nihil tale meriti ſint: ſed ſibi eſſe in manu patrum ſcelera perſequi in filiis & nepotibus, ut tamen bi quoque juſte puniantur: quia patrum ſuorum erunt imitatores. Si quis excipiat, hoc nihil eſſe aliud quam cuique rependi ſecundum opera ſua: tenendum eſt, quoties Deus impiorum filios excæcat, conjicit in ſenſum reprobum, & percutit ſpiritu vertiginis aut ſtuporis, ut ſe projiciant in fœdas cupiditates, & præcipitent in ultimum interitum, hoc modo viſitari patrum iniquitatem in filiis. Ubi autem accedunt aliæ pœnæ, tenentur omnes convicti, ut fruſtra Deo obmurmurent. Tunc quoque nihilominus pergit Deus in exequenda quam hic denunciat vindicta: quia dum opus unum dirigere vult in varios fines, miris & abſconditis rationibus utitur. Quum juſſit populus Chanaan interfici, certum eſt dignos fuiſſe tali ſupplicio qui tunc vivebant: quia tamen prædicat Deus, nondum completas eſſe iniquitates illorum, inde colligimus, quam per annos quadringentos pœnam diſtulerat, tunc ſumpſiſſe. Qua ratione Judæos ſui temporis affirmat Chriſtus reos fore ſanguinis qui effuſus erat ab Abel uſque ad Zachariam filium Barachiæ. Quod ſi judicio noſtro non arridet, Deum cuique rependere prout meritus eſt, ſimul tamen repoſcere a filiis patrum ſcelera: meminerimus ejus judicia profundam eſſe abyſſum. Ideoque ſi quid nobis in ejus operibus incomprehenſibile eſt, ſobrie & reverenter ſuſpiciendum eſſe. Sed quia alibi recurret hæc doctrina, breviter hoc loco perſtringere viſum eſt. Reſtat una quæſtio, quomodo conveniat illud Pauli, quintum præceptum eſſe primum cum promiſſione, & huic ſecundo promiſſionem eſſe annexam. Cujus ſolutio plana eſt: quia ſi probe expendas, promiſſio quam nunc explicuimus non eſt peculiariter annexa uni præcepto, ſed toti priori Legis tabulæ communis eſt: atque ita patet ad totum Dei cultum. Ubi autem dicitur, Honora patrem & matrem ut dies tuos proroges, proprie & ſingulariter ſancitur ejus mandati obſervatio.

Exo. 18. *verſ.* 19.

Matt. 23. *verſ.* 35.

Ephſ. 6. *verſ.* 2.

Expoſitio ſecundi præcepti.

Ex Exodi XXXIV.

17. Deos conflatiles non facies tibi.

Ex Levit. XIX.

4. Ne vertatis vos ad idola, neque deos conflatiles faciatis vobis: ego Jehova Deus veſter.

Ex

Ex Levit. XXVI.

1. Non facietis vobis idolum, & ſculptile: ſtatuam non erigetis vobis, nec lapidem politum ponetis in terra veſtra, ut vos incurvetis coram eo: quia ego Jehova Deus veſter.

Ex Exodi XX.

22. Et ait Jehova ad Moſen, Sic dices filiis Iſraël, Vos vidiſtis quod è cælis loquutus ſum vobiſcum.

23. Non facietis mecum deos argenteos, neque deos aureos facietis vobis.

Exod. 34. 17. *Deos conflatiles.*] Deos vocando ſculptilis, ſtatuas, & imagioes, finem & ſummam ſecundi præcepti demonſtrat: nempe ignominia affici Deum, ubi corporea effigie induitur. Porro ex communi loquendi uſu, & prava Gentium opinione, ad idola transfertur Dei nomen: non quod deitatem putarint increduli in materia corruptibili incluſam eſſe, ſed quia ſibi propiorem eſſe imagioabantur, ſi ante oculos extaret terreſtre aliquod præſentiæ ejus ſymbolum. Hoc ſenſu deos vocarunt imagines deorum: quia non putabant ſe conſcendere ad deitatis altitudinem niſi occurrerent terrena hæc media. Porro non dubium eſt quin per ſynecdochen quaſvis effigies deſignet, quum vetat conflare deos fuſiles: quia nihilo magis abomioatur Deus metallum quam lignum, vel lapidem, aut aliam quamvis materiam ex qua ſolent idola fabricari: ſed quia pretio & artificio magis accenditur inſanus ſuperſtitionis ardor, conflatiles deos ſpecialiter damnavit Moſes. Cujus rei dubitationem tollit quartus locus, ubi vetantur Iſraëlitæ facere deos argenteos vel aureos: nempe quia in pretioſiſſimis quibuſque rebus plus licentiæ ſibi indulgeot idololatræ, quorum omnes ſenſus ad ſe rapit externus ſplendor. Eodem ſpectat tertius locus, ubi non tantum ſculptilis fit mentio, ſed adjungitur nomen ſtatuæ & lapidis figurati. Etſi enim voces iſtas quidam de pavimento exponunt, non tamen dubito monumenta omnia comprehendi in quibus ſtulti homines Deum ſe quodammodo viſibilem habere putant, adeoque omnes ſculpturas & picturas quibus corrumpitur ſpiritualis Dei cultus. Conſilium enim Moſis eſt frenum iojicere hominum temeritati, ne Dei gloriam transforment ſuis figmentis: quia mox opponitur alterum membrum, Ego Jehova Deus veſter. Qua admonet Deus ſe juſto honore ſpoliari, quoties aliquid terrenum vel carnale de ipſo comminiſcuntur homines. Ac nomen quidem סמבח aliquaodo ſumitur in bonam partem. Unde ſequitur, non aliam ſtatuam hic damnari, niſi quæ ad Deum repræſentandum erigitur. Eadem lapidis politi ratio: nempe ubi conſecratio interponitur, quæ religione mentes alliget, ut Deum in lapide venerentur. Porro tam ſecundo quam tertio loco docet Moſes, homines, ſimulac craſſum aliquid vel terreſtre in deitate confingunt, à vero Deo prorſus diſcedere. Quod etiam exprimitur voce אלילים, quæ in ſe complectitur tam deos conflatiles quam ſtatuas, lapides, & ſculptilia. Quidam compoſitam eſſe volunt à negativa particula אל, & אל, quod eſt Deus. Alii vero interpretantur res nihili: Græci & Latini verterunt idola. Certe cum dedecoris & ignominiæ nota ſic vocantur falſæ repræſentationes quæ Deum transformant. Sed quia cavillis non deſinunt ſuperſtitioſi ſucare ſuos errores, Deus probroſo illo nomine non contentus, alia etiam adjecit, in quibus ſpecioſior erat excuſatio: ut ſciamus ab eo repudiari quæcunque nos à ſpirituali ejus cultu abducunt, vel quicquam inducunt alienum ab ejus natura. Io quarto loco notanda eſt antitheſis, quæ mox ſuſius explicabitur, dum ſcilicet vetat Deus facere deos ex corruptibili materia, quoniam loquutus ſit è cælo. Quibus verbis ſignificat, perperam facere eos omnes, qui quum in cælos aſſurgere debeant, terrenis elementis tam mentes ſuas quam ipſum affigunt.

Ex Deut. IV.

12. Tunc loquutus eſt Jehova ad vos è medio ignis: vocem verborum audiſtis, at formam non vidiſtis præter vocem.

13. Et expoſuit vobis pactum ſuum quod præcepit vobis ut faceretis: nempe decem verba, quæ ſcripſit ſuper duas tabulas lapideas.

14. Mihi vero præcepit Jehova tempore illo ut docerem vos ſtatuta & judicia, quæ faceretis in terra ad quam tranſitis poſſidendam.

15. Itaque cuſtodiatis vos valde ſuper animabus veſtris: (quoniam non vidiſtis ullam formam illo die quo loquutus eſt Jehova vobiſcum in Horeb è medio ignis)

16. Ne forte corrumpamini, & faciatis vobis ſculptile, formam ullius ſimulachri, effigiem maſculi aut fœminæ:

17. Effigiem cujuſcunque animalis quod eſt in terra: effigiem cujuſcunque volucris alatæ quæ volat per cælos:

18. Effigiem cujuſcunque repentis in terra: effigiem cujuſcunque piſcis qui eſt in aquis ſub terra.

19. Neve attollas oculos tuos in cælum: & quum videris ſolem, lunam, & ſtellas cum univerſo exercitu cælorum, impellaris ut adores atque colas ea, quæ diſtribuit Jehova Deus tuus omnibus populis ſub univerſo cælo.

Ex eodem Capite.

23. Cuſtodite vos, ne forte obliviſcamini fœderis Jehovæ Dei veſtri quod percuſſit vobiſcum, & faciatis vobis ſculptile, quamcunque ſimilitudinem, ſicut præcepit Jehova Deus tuus.

24. Nam Jehova Deus tuus, ignis conſumens eſt, & Deus zelotes.

Ex Exodi XXXIV.

14. Non incurvabis te deo alieno. Nam Jehova zelotes nomen ejus, Deus zelotes eſt.

Ex Deut. XI.

16. Cavete *ergo* vobis ne ſeducatur cor veſtrum, & recedatis, colatiſque deos alienos, & vos incurvetis coram eis:

17. Unde excandeſcat ira Jehovæ in vos, & claudat cælos ne ſit pluvia, ac ne det terra fructum ſuum: pereatiſque celeriter è terra bona quam Jehova dat vobis.

Ex Deut. VIII.

19. Si obliviſcendo oblitus fueris Jehovæ Dei tui, & ambulaveris poſt deos alienos, & colueris eos, & te incurvaveris illis, teſtificor vobis hodie quod pereundo ſitis periturí.

20. Sicut gentes quas Jehova diſperdit à facie veſtra, ſic peribitis: eo quod non obediveritis voci Jehovæ Dei veſtri.

Deut. 4. 12. *Tunc loquutus eſt Jehova.*] Confirmatio eſt ſecundi præcepti, quod Deus voce, non effigie corporea ſe patefecit Iſraëlitis. Unde ſequitur, eos qui voce non contenti, viſibilem ejus formam appetunt, figmenta & ſpectra in ejus locum ſubſtituere. Sed hic exoritur difficilis quæſtio, quia ſæpe aliter innotuit Deus Patribus quam ſola voce. Siquidem Abraham, Iſaac & Jacob non auditu modo eum cognoverunt, ſed etiam ſpectu. Moſes ipſe eum in medio rubi ardentis conſpexit: Prophetis quoque ſe manifeſtavit ſub figuris viſibilibus. Quia ſupervacuum eſſet plures locos congerere, ſufficiat inſignis Jeſaiæ viſio quæ ſexto capite refertur: & Ezechielis, quæ legitur tam primo quam decimo capite. Nec vero fuit oblitus erat Deus, dum ſervis ſuis ita ſe conſpiciendum exhibuit. Quare non videtur valida aut firma eſſe hæc ratio, netas eſſe Deum repræſentari externa effigie, quia ſemel vox ejus audita fuerit ſine aſpectu: quum ea oppoſito ea cipere promptum ſit, ſæpius exhibitas fuiſſe formas viſibiles, quibus teſtatus eſt ſuam præſentiam. Duplex ſolutio eſt: quod tametſi Deus formam aliquam induerit ad ſe patefaciendum, hoc debere cenſeri in ſingularibus ea emplis, non autem habendum eſſe loco perpetuæ regulæ: deinde viſiones Patribus exhibitas, teſtimonia fuiſſe inviſibilis ejus gloriæ, quæ potius ſurſum attollerent mentes hominum quam implicitas tenerent terrenis elementis. Primum igitur in Legis promulgatione præſcripſit Deus quid ſequi debeant fideles: quia videbat hoc optimum eſſe compendium ad retinendos populi animos in vera pietate, & optimum ſimul remedium adverſus idololatriam. Niſi huic Dei conſilio acquieſcamus, non tantum prodemus rixandi libidinem, ſed quaſi tauri cornupetæ, ~~ipſi Deo inſultabimus~~. Neque enim fruſtra principium hoc ſumpſit Moſes, quum Deus ſibi Eccleſiam collegit, quum tradidit certam & inviolabilem pie vivendi normam, non induiſſe aliquod corpus, ſed vivam gloriæ ſuæ effigiem exhibuiſſe in ipſa doctrina. Unde colligere licet, eos omnes qui Deum quærunt in figura viſibili, non tantum deflectere, ſed prorſus deſciſcere à vero pietatis ſtudio. Si quis excipiat, Deum non eſſe ſui diſſimilem, & tamen (ut dictum eſt) formam aliquam viſibilem non ſemel ſumpſiſſe: ſimplex & facilis reſponſio eſt, quoties appatuit Patribus ſub forma viſibili, dediſſe temporale ſymbolum, quod tamen minime adverſaretur huic præcepto. Vidit Jeſaias Deum exercituum in ſolio ſcdentem: atqui fortiter clamat ex ipſius Dei ore, Cui ſimilem me feciſtis? Nec opus eſt recitare quæcunque adverſus idololatras pronunciat. Certe liberius quam omnes Prophetæ, in eorum ſtultitiam, imo amentiam invehitur, qui ſibi aliquam Dei imaginem fabricant: quia hoc modo veritatem convertant in mendacium. denique idem cum Moſe principium ſumit, fallaciis & præſtigiis adulterari veram Dei naturam, ſi corruptibilis materia vocetur ejus imago. Jam ipſa viſio qualis fuit? Seraphim qui circumdabant ſolium Dei, facies ſuas alis obtegendo, ſatis ſuperque docebant non poſſe ejus conſpectum ferri à mortalibus. Quod autem refert Ezechiel, nullus pictor aſſequi poſſet: quia ſemper apparuit Deus ſuis inſignibus, quæ ſuperarent hominum captum, diſtinctus ab omni creaturæ forma. Firma igitur manet hæc ratio, non quadrare Deo imaginem, quia noluit à populo ſuo aliter conſpici quam in voce. Atqui tunc quoque ignis ſymbolum fuit præſentiæ ejus, ſed quo teſtatum faceret incomprehenſibilem eſſe ſuam gloriam, & ita homines arceret à fingendis idolis. Quid ſit Cuſtodire ſe ſuper anima, alibi expoſuimus. Quod vero tam ſollicite hortatur ut ſibi caveant, hinc colligitur quanta ſit ad idololatriam humanæ mentis propenſio. Huc tendit teſtatio quam ex 8. cap. Deuteronomii inſerui. Neque enim tantum minatur Moſes, ſed pro ſolenni judiciorum more & rito, quaſi interpoſitis teſtibus, denunciat perituros, ut hac vehementia plus timoris incutiat. Unde apparet inſanam hanc libidinem non vulgari modo poſſe frenari. Eodem fine corrumpi vel corrumpere ſe dicit qui ſimilitudinem aliquam fabricant. Sicuti & Paulus tradit, hoc modo converti veritatem in mendacium. Jeremias autem & Abacuc falſitatis damnant ſimulacra. Non mirum igitur ſi hominum corruptio vocatur idolum, quod Dei cultum adulterat. Juſtiſſima quoque eſt merces eorum qui ſanam & integram Dei cognitionem vitiant, putredinem inde contrabere quæ eorum animas conſumat. Porro hinc refellitur ſtolida Papiſtarum inſcitia, qui prohibitionem hanc ad veterem populum reſtringunt, ut bodie liberum ſit pingere vel ſculpere. Quaſi vero Judæos compellet Paulus, dum ex communi naturæ principio ratiocinatur, Si ſumus genus Dei, fas non eſſe Deum imaginari ſimilem auro, vel argento, ~~vel corruptibili~~ materiæ. Nihil opus eſt ſingula perſequi. Sed non minus aperte clamat bodie Spiritus, cavendum eſſe ab idolis, quam olim fieri vetuit. Addc quod diabolicus fuit furor, abrogare unum ex decem præceptis, quo impune ad fœdam & deteſtabilem licentiam perrumperent. Obtendunt, Judæos cohibitos olim fuiſſe arctiore freno, quia nimium eſſent idololatriæ dediti. Quaſi vero non multo hac in parte ſint craſſiores. Atque ut hoc omittam, quis non videt ſuperſtitionis vitium, quod ingenitum eſt humanæ menti, hoc remedio fuiſſe correctum? Ergo donec naturam exuerint homines, præceptum hoc illis neceſſarium eſſe colligimus.

Rom. 1. verſ. 25. *Jer. 10. verſ. 15.* *Habac. 2. verſ. 18.* *Act. 17. verſ. 29.* *1 Joan. 5. verſ. 21.* *Joſa. 40. verſ. 25.*

19. *Neve attollas.*] Altius progreditur Moſes, ne deitatem ſomnient Judæi in ſole, & luna & ſtellis. nec tantum ab errore eos revocat quo imbuti fuerunt multi, putantes totidem eſſe deos: ſed alteri quoque ſuperſtitioni occurrit, ne aſtrorum fulgore rapiantur, ut imagines Dei eſſe putent. Atque huc pertinet verbum Impellendi. Quia ſicuti Deus in exercitu cæleſti gloriam ſuam repræſentat, ita fallaci artificio Satan illo prætextu conturbat & attonitas reddit hominum mentes, ut in illis luminibus Deum adorent, atque ita impingant in limine. Ergo quo melius agnoſcerent Iſraelitæ quam præpoſterum ſit Deum quærere in rebus terrenis, vel elementis mundi, vel corruptibili materia, diſerte ea preſſit

ne

ne in cæleſtibus quidem creaturis eſſe ſubſiſtendum: quia Dei majeſtas ſuperior eſt ſole, luna, & ſtellis omnibus. Porro abſurditatem coarguit, ſi cultum Dei transferant ad ſtellas, quæ ex Dei mandato ancillari nobis debent. Nam quod dicit Deum illas Gentibus diſtribuiſſe, ad ordinem ſubjectionis refertur: acſi ſolem dixiſſet miniſtrum, lunam ancillam una cum omnibus ſtellis. Quanquam Diſtribuendi verbo proprie commendatur admirabilis Dei providentia in multiplici poſitu & diſcurſu, diverſiſque officiis. Neque enim ſol eodem momento terras omnes illuſtrat, vel calefacit: deinde nunc à nobis declinat, nunc propius accedit: luna ſuos habet circuitus: ſtellæ nunc oriuntur, nunc occidunt, prout cælum volvitur. Omitto tardiores progreſſus planetarum. Jam pro ſtellarum aſpectu, regio una humidior eſt, altera ſiccior: alia plus caloris ſentit, alia plus frigoris. Hæc varietas apte vocatur à Moſe partitio. Superſtitionis vero crimen exaggerat, ſi Judæi ſtellis ſe addicant, quæ profanis quoque gentibus famulantur. Quid enim indignius quam filios Dei ſolis eſſe cultores qui ſervus eſt totius mundi? Unde iterum ſequitur, quo plus eſt dignitatis ac præſtantiæ in ipſis creaturis, eo turpius ingratos Deo eſſe homines, ſi ejus cultu, tanquam ſpoliis, ipſas exornent, quas eorum utilitati ſervire voluit. Indigna vero relatu eſt inſulſitas in qua ſibi placent quidam Rabini, Deum Gentibus partitum aſtra, quoniam eorum influentiis ſint obnoxiæ, à quibus Judæi ſingulari privilegio ſint immunes. Quaſi vero non fuerit ab initio ſimilis conditio humani generis. Verum ratio quam attuli, clare oſtendit eos à genuino Moſis ſenſu longiſſime diſcedere, adeoque pervertere ejus conſilium: nempe creaturas quæ in uſum noſtrum deſtinatæ ſunt, minime pro Deo eſſe colendas.

23. *Cuſtodite vos ne oblivi ſcamini.*] Quod priore loco in totum vetat fabricare idola, ſecundo autem tantum de cultu & adoratione loquitur, in ſenſu nulla eſt diſcrepantia: quia jam per ſe impius eſt error, Deo tribuere imaginem: & eum ſemper comitatur altera ſuperſtitio, ut in ſymbolo viſibili præpoſtere colatur Deus. Probe autem hic confirmatur quod ante poſui, contrarium eſſe Dei fœderi quicquid ſenſus noſtros in terra moratur ac retinet: ubi nos ad ſe invitans nihil niſi ſpirituale cogitare permittit. ideoque vocem ſuam opponit figmentis omnibus, quibus ſemper deceptæ fuerunt profanæ gentes: quia deſtituebantur doctrinæ luce, quæ ipſas dirigeret ad cæleſtem Dei ipſius altitudinem. Qui vero ex Dei Lege edocti ſunt non modo ipſum ſolum eſſe colendum, ſed nulla viſibili effigie poſſe repræſentari: niſi ſe contineant intra hos fines, merito cenſentur fœdifragi: quia violant ſecundum illud caput, quo jubentur Deum ſpiritualiter colere: & proinde vetantur ſimulacra vel imagines ſibi facere, quibus ejus gloriam deforment atque inquinent. In fine verſus, ubi quidam transferunt, Similitudinem quam prohibuit Deus veſter: quia proprie legitur, Mandavit, vel præcepit, relativum WN, ſicuti pluribus locis, pro adverbio ſimilitudinis capitur. Senſus quidem Moſis minime obſcurus eſt, ſimpliciter parendum eſſe Dei verbo: nec eſſe diſputandum liceat nec ne quod interdixit: nec aliam juris rationem quærendam eſſe quam ut ſequamur quod præſcripſit. Diſputent nunc Papiſtæ ut libuerit, non eſſe tollendas imagines, quæ utiliter populum erudiunt: hæc autem noſtra ſit ſapientia, quia Deus hac de re ſtatuit quod volebat, acquieſcere. Etſi autem quæ additur comminatio, poterat reponi inter ſanctiones de quibus poſtea ſuo loco videbimus: quia tamen ſecundo præcepto annexa eſt, divellere nolui. In Deuteronomio additur confirmatio: quod Deus, ſi exteris gentibus non pepercit, multo minus populo ſuo ignoſcet. quanto ſcilicet gravius eſt crimen, & fœdior ingratitudo, Deum ſemel cognitum deſerere, & abjicere Legis doctrinam, quam errores à majoribus traditos ſequi. Expoſui jam ante quo ſenſu vocetur Deus Zelotes. Cæterum penultimo loco Moſes non ſatis habuit, ſimpliciter hoc epitheto Deum inſignire: ſed amplificandi cauſa, addidit hoc eſſe ejus nomen, ut ſciremus non magis poſſe ſocium vellæmulum ferre ſibi opponi, quam abjicere ſuam deitatem, vel abnegare ſeipſum. Quod autem eum igni nunc comparat, ad terrorem augendum facit. Scimus quam audacter ſibi indulgeat mundus in ſuperſtitionibus. Unde ſit ut tanquam ludibundus Deum transformet, prout tulit libido. Ergo ut ad reverentiam flectat hominum animos, formidabilem Dei vindictam ſub hac figura proponit: quod ipſos non ſecus atque ignis ſtipulam protinus conſumet, ſi aliter quam fas eſt, de ipſo ſentire auſi fuerint.

Deut. 11. 16. *Cavete vobis.*] Quod ſæpius idem inculcat, ut ad cavendum ſint attenti, tacite coarguitur hominum ad ſuperſtitionem propenſio. Quod etiam iterum exprimitur his verbis, Ne decipiatur cor veſtrum: quia ſignificat, niſi diligenter ſibi caveant, nihil fore proclivius quam ut cadant in Satanæ decipulas. Quo minus excuſabilis eſt Papiſtarum impudentia, qui ſecuritate ſuas & aliorum mentes inebriant, ubi Deus ad ſollicitudinem ſubinde hortatur. Sciamus ergo, quum nos undique obſideant multæ impoſturæ & fraudes, pro ingenii noſtri vanitate nos illis fore ſtatim obnoxios, niſi ſedulo nos cuſtodiamus. Verbo Recedendi ſignificat quod ante dictum eſt, impie à vero Deo deficere quicunque ad vitioſos cultus declinant. Id minime putant incredduli, quibus leve delictum eſt excedere in hac parte. Ac ſuis quidem commentis libenter oblinerent Dei oculos: imo nihil eſt tam inſipidum quod non velint ab ipſo probari & ratum haberi. Quod ſi objicitur, meliorem eſſe obedientiam victimis, clypeum opponunt bonæ intentionis: acſi Deo liberum non eſſet repudiare quod ei ſtulte obtrudunt. Certe inconſiderato ſuo zelo pertinaciter indulgent, ut vix levem culpam in eo agnoſcant. Atqui clamat ex oppoſito Deus, apoſtatas eſſe quicunque ſe non continent in ſimplicitate Legis. Additur rurſum comminatio, Deum fore violati ſui cultus ultorem, terramque maledicturum donec fame & inedia eos conficiat: deniique pronunciat perituros ex ea terra quam Deus in hunc finem ipſis promiſerat ut illic pure invocaretur.

Ex Deut. XVI.

22. Non eriges tibi ſtatuam: quod odio habet Jehova Deus tuus.

Ex Exodi XXIII.

24. Non adorabis deos eorum, neque coles eos, neque facies ſecundum opera eorum.

22. *Non eriges.*] Hinc etiam clarius liquet quid ſibi velit & quorſum tendat ſecundum præceptum. Alibi jubet Deus (ut viſum eſt) ſtatuas erigere in terræ finibus, ubi ſcribatur ſumma Legis. Videtur in ſpeciem pugnare hæc prohibitio: & certe pugnaret, niſi ſtatuam accipias pro falſaci Dei effigie, dum homines ipſum ſibi corporeum proponunt: ideoque additur, ipſum tales ſtatuas abominari. Relativum tamen in neutro genere vertere placuit, quo plenior eſſet ſententia: nempe Deo abominationem eſſe, erigere

gere ſtatuas: quia hoc modo detrahitur ejus gloriæ, dum in corpus transfiguratur, vel corporeum aliquid miſcetur ſpirituali ejus naturæ.

24. *Non adorabis deos eorum.*] Repetit Moſes quod ante dictum eſt, cultum Dei ſeparandum eſſe à cunctis Gentium ſuperſtitionibus. Hoc enim vitium paſſim graſſatum fuit, ut increduli detraherent potius ad ſe Deum in terram, quam ſurſum aſcenderent ad ipſum quærendum. Et hoc ſenſu diximus idola vocari deos: quia fieri non poteſt quin corruptibili materiæ Deum affigat quiſquis eum repræſentare vult in ligno & lapide. Et experientia docet impios ſic affixos eſſe ſuis idolis, ut tergiverſando nihil proficiant, dum cauſantur hoc ſubſidium ſuæ ruditati neceſſarium eſſe. Particula quæ ſequitur, Non facies ſecundum opera eorum, ſatis demonſtrat, ſub voce idololatriæ notari vitioſos omnes cultus.

Ex Deut. XII.

4. Non facietis ſic Jehovæ Deo veſtro:

5. Sed locum quem elegerit Jehova Deus veſter è cunctis tribubus veſtris, ut ponat illic nomen ſuum ad habitandum, quæretis, venietiſque illuc.

6. Et afferetis illuc holocauſta veſtra, ſacrificia veſtra, decimas veſtras, levationem manus veſtræ, vota veſtra, ſpontaneas oblationes veſtras, primogenita armentorum veſtrorum, & pecudum veſtrarum.

7. Comedetiſque ibi in conſpectu Jehovæ Dei veſtri, & lætabimini in omni applicatione manus veſtræ, vos & domus veſtræ, quibus benedixerit Jehova Deus tuus.

8. Non facietis ſecundum omnia quæ nos hodie hic facimus, unuſquiſque quod rectum eſt in oculis ſuis.

9. Quia non veniſtis adhuc ad requiem & hæreditatem quam Jehova Deus tuus dat tibi.

10. Quum vero tranſieritis Jordanem, & habitabitis in terra quam Jehova Deus tuus dat tibi poſſidendam, & requiem dederit vobis ab omnibus inimicis veſtris in circuitu, & habitabitis ſecure:

11. Tunc ad locum quem elegerit Jehova Deus veſter, ut in eo habitare faciat nomen ſuum, adducetis omnia quæ ego præcipio vobis, holocauſta veſtra, ſacrificia veſtra, decimas veſtras, elevationem manus veſtræ, & omnem delectum votorum veſtrorum quæ vovebitis.

12. Et lætabimini coram Jehova Deo veſtro, vos & filii veſtri, & filiæ veſtræ, ſervi veſtri & ancillæ veſtræ: Levita quoque qui erit intra portas veſtras: quia non habebit partem & hæreditatem vobiſcum.

13. Cave tibi ne forte offeras holocauſta tua in quovis loco quem conſpexeris:

14. Sed in loco quem elegerit Jehova in una tribuum tuarum, illic offeres holocauſta tua, & illic facies quæ ego præcipio tibi.

Ex eodem Capite.

17. Non poteris comedere in portis tuis decimam frumenti tui, vini tui, & olei tui, neque primogenita armentorum tuorum & pecudum tuarum, & omnia vota tua quæ voveris, & ſpontanea tua, & elevationem manus tuæ:

18. Sed coram Jehova Deo tuo comedes illa in loco quem elegerit Jehova Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, & Levita qui erit intra portas tuas: lætaberiſque coram Jehova Deo tuo in omni applicatione manuum tuarum.

Ex eodem Capite.

26. Sanctificata tua quæ fuerint tibi & vota tua tolles, ut venias ad locum quem elegerit Jehova:

27. Et facies holocauſta tua ex carne & ſanguine ſuper altare Jehovæ Dei tui: ſanguis autem ſacrificiorum tuorum fundetur ſuper altare Dei tui, carnes vero comedes.

4. *Non facietis ſic Jehovæ.*] Hic præcipuum diſcrimen ſtatuitur, quoad externa pietatis exercitia, inter legitimum Dei cultum, & fictitios omnes ritus quos ſibi excogitaverant Gentes: nempe quod Deus nonniſi ſanctuarium unum, & unum altare habere voluerit, quod ſymbolum eſſet diſſidii inter ipſum & omnia idola: atque ita vera religio nihil haberet ſuperſtitionibus affine. Huc ſpectat prohibitio, ne ſe Iſraëlitæ cum Deo gerant ſicut Gentes cum idolis, ſed interpoſita ſit maceria quæ ipſos à toto orbe ſeparet. Tota autem externa cultus Dei profeſſio apte ſecundo præcepto annectitur: quia ex eo dependet, nec alio tendit quam ad ejus obſervationem. Porro de tabernaculo, ſacerdotio & ſacrificiis verba facturus, altum & ſpatioſum mare ingredior: in quo multi interpretes, dum curioſitati ſuæ indulgent, per flexuoſos errores vagati ſunt. Eorum itaque exemplo admonitus vela contraham, & parce tantum libabo quæ ad fidem ædificandam valent. Jam vero rogandi ſunt lectores, non tantum ut mihi condonent quod ab argutis ſpeculationibus abſtineo, ſed ut ipſi quoque intra fines ſimplicitatis libenter ſe contineant. Multis aures pruriunt: & pro ingenita vanitate, maximam hominum partem magis oblectant inanes allegoriæ quam ſolida eruditio. Verum quibus in ſchola Dei proficere animus erit, diſcant perverſum (quod eorum mentes titillat) deſiderium pluſquam expedit ſciendi, frenare. Nunc Moſis verba expendamus.

5. *Sed locum quem elegerit Deus.*] Quæritur cur in uno tantum altari voluerit Deus offerri ſibi ſacrificia. Præter rationem quam nuper attuli, minime dubium eſt quin hoc modo fidelibus conſuluerit, ut conſenſum in fidei unitate inter ipſos foveret. Locus

ergo

ergo omnibus communis inſtar vexilli fuit ad colligendum populum, ne ſcinderetur religio, & ne qua diverſitas obreperet. Porro Deus eligendi jus & arbitrium ſibi vendicans, obedientiam commendat, ex qua etiam pendet cultus puritas. Verum rurſus oritur alia quæſtio: quia ante tempus Davidis nuſquam habuit Arca fixam ſedem, ſed quodammodo peregrinara eſt in variis hoſpitiis: ſi autem electus locus de monte Sion intelligitur, tempore igitur intermedio liberum fuit populo ſacra peragere ubi placeret. Reſpondeo, non ante electum fuiſſe locum quam Arca in Sion locata eſt. Tum enim demum implebatur fuit quod in Pſalmo dicitur, Lætatus ſum cum dicentibus mihi, In domum Jehovæ ibimus. Stabiles erunt pedes noſtri in atriis tuis, Jeruſalem. Quibus verbis ſignificat Propheta, nullam prius fuiſſe ſtationem, quia Deus nondum locum ubi eſſet colendus deſignaverat. Ideo diſerte exprimitur, Ex cunctis tribubus tuis, vel In una tribuum tuarum: ubi ſingulare privilegium notatur, quo tribus una, reliquis poſthabitis, ornanda erat. Atque huc pertinet quod in alio Pſalmo dicitur, Reprobavit tabernaculum Joſeph, tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit. Et exſtruxit quaſi excelſa ſanctuarium ejus, quaſi terram quam fundavit in ſeculum. Eodem ſenſu alibi gratulantur ſibi fideles poſtquam apud Davidem Arca fuit depoſita, Ingrediemur in habitationes Dei: adorabimus ad ſcabellum pedum ejus. Viciſſim etiam pronunciat Spiritus, Quoniam elegit Jehova Sion, dilexit eam in ſedem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum: hic habitabo, quia dilexi eam. Paſſim occurrunt ſimiles ſeoteotiæ, quæ confirmant non ante habitaſſe Arcam in vero domicilio quam dum repoſita fuit in Sion. Et Deus (meo judicio) ut ſpem populi ſuſpenſam teneret, promiſit, quamvis ad tempus locum mutaret Arca, ſe tamen deſtinaſſe perpetuam ſedem in qua quieſceret. Cæterum inde non ſequitur, ad illud uſque tempus datam fuiſſe licentiam populo ubique ſacrificandi. Ubicunque enim fuit ſanctuarium, temporalis quoque fuit loci electio, donec oſtenſa eſſet legitima ſedes. Itaque Deus per Jeremiam ſtultam fiduciam qua turgebant Judæi caſtigans, dicit, Ite in Silo, & aſpicite quale judicium illic exercuerim. Quibus verbis ſignificat, Silo ad tempus excelluiſſe, & tandem honore ſuo fuiſſe privatum: quia indigne illic ſacra polluta fuerant. Etſi ergo ſpecialis eſt hic promiſſio de Sione, non dubium tamen quin Deus interea Iſraëlitas ad ſanctuarium ſuum alliget, ne ſibi quiſque extruat proprium altare, vel urbes ſibi alia atque alia templa ædificent. Jam notatu digna eſt loquutio, Ut ponat nomen ſuum ibi: item, Habitare faciat: quæ craſſis imaginationibus occurrit, ne populus Deum parietibus includat, ut ſolent homines immenſam Dei eſſentiam circumſcribere, vel detrahere è cælo, & ſubjicere terrenis elementis. Atqui nomen Dei habitare dicitur in loco, non ſua natura, ſed hominum reſpectu: dum pro ipſorum ruditate, viſibile præſentiæ ſuæ ſymbolum ſtatuit ante oculos. Hac ratione deſcendere ſæpe dicitur, non quod ſe moveat qui cælum & terram implet, ſed quia familiaris ejus cognitio ipſum hominibus propinquum reddit. Etſi autem patitur ſe in terra invocari, non vult tamen illic ſubſiſtere hominum mentes, ſed potius per gradus ſurſum eas attollit. Itaque per Jeſaiam duriter eos objurgat, quod in vitiis ſuis defixi, putarent nihilominus, quia Templum erat in conſpectu, Deum ſibi eſſe obſtrictum: quum noſtrum ſit fide & ſerio animi affectu ad eum accedere, ubi manum ſuam ad nos extendit. Vocatur quidem ſæpe Arca fœderis, ipſius facies: ſed ne homines craſſum aut terreſtre quicquam concipiant, ſimul vocatur ſanctuarium ſcabellum pedum ejus. Porro enumerat oblationum ſpecies, quarum poſtea videbitur clarior explicatio.

Pſal. 122. *verſ.* 1.

Pſal. 78. *verſ.* 67.

Pſal. 99. *verſ.* 5. & 132:7.

Pſal. 132. *verſ.* 13.

Jerem. 7. *verſ.* 12.

Joſa. 66. *verſ.* 1.

Tantum breviter admoneo, holocauſta comprehendi ſub ſacrificiis tanquam partem ſub toto. Ubi vertimus Levationem manus, Hebraice legitur תרומת, cui ſæpe adjungitur aliud nomen תנופת. Etſi autem utrumque ab elevando dicitur, apparet tamen differre: & linguæ periti ſic diſtinguunt, תרומת attolli ſurſum, & deorſum ſubmitti: תנופת autem ſimul verſari in dextram & ſiniſtram partem: quanquam alii putant circumagi ad quatuor mundi plagas. Inter vota & ſpontanea ſacrificia diſtinctio eſt, quod tametſi votum ab initio ſponte concipitur, poteſt tamen offerri quod non vovimus. De primogenitis jam ante dictum fuit.

7. *Comedetiſque ibi*] Videmus, ſanctuarium in quo ſe Deus manifeſtabat, vocari ejus faciem. Etſi enim fidelibus præcipitur ut ſemper, quocunque in loco habitent, coram Deo ambulent: propius tamen & ſpeciali quodam modo ſiſtebant ſe in ejus conſpectum quum ad ſanctuarium accederent. Atque hac loquendi forma pigritiam vel deſidiam populi excitat Deus, ne moleſtum ſit ſacrificandi cauſa ad Arcam fœderis venire, quia laborem & ſumptum ineris inæſtimabile iſtud bonum compenſet. Alibi autem docui, ubi coram Deo epulari dicuntur homines, hac nota diſcerni ſacras epulas à quotidianis cœnis vel prandiis. Fuit enim hæc ſacrificii acceſſio, quod reſiduum erat ex victima comedere: & hoc modo fiebant convivæ oblationis participes. quem morem imitatæ ſunt etiam profanæ gentes, ſed perperam. Rurſus comiter eos invitat Deus, quum dicit, Lætabimini in omni applicatione manus veſtræ. Pro quo alii reddunt, In omni re ad quam miſeritis manum veſtram. Ad verbum eſt, In emiſſione manus. In ſenſu nulla ambiguitas: quia opera ſignificat quæ motum & applicationem manuum requirunt. Paulo poſt ubi verti, Quibus benedixerit, inſerunt præpoſitionem In, & ſubaudiunt Tibi. Verum optime convenit, Deum benedicere operibus, quanquam & de familiis poteſt intelligi. Quod decimas comedi jubet in loco ſacro, non extendo ad genus ipſum: quia minime conſentaneum fuiſſet, victum eorum qui per diverſas urbes ſparſi erant in alienum locum transferri, ut eſurie perirent: ſed interpretor de ſecundis decimis quas ſeparabant Levitæ ut eſſent ſacra & peculiaris oblatio. Alibi enim videbimus, quod reſiduum erat tranſiſſe in naturam communis proventus: acſi Levitæ ex ſuis poſſeſſionibus pereeptum comederent.

8. *Non facietis ſecundum omnia.*] Jam tunc quidem ritum ſacrificandi à Patribus traditum ſervabant: ſed quia adhuc errabant in deſerto, licuit paſſim altaria extruere, donec eorum peregrinationi impoſitus eſſet finis. Et hoc etiam diſerte explicat Moſes, ratione addita, quod nondum ingreſſi ſint in requiem quam Deus illis promiſerat. Docet igitur, ubi contigerit tranquilla terræ poſſeſſio, non fore amplius excuſationi locum, ſi ubicunque libitum fuerit ſacrificent. Ergo ubi dicitur eos tunc feciſſe ut quiſque rectum putavit, non extenditur ad quælibet figmenta quæ ſibi comminiſcuntur homines in colendo Deo: ſed tantum notatur liberior ratio & forma exercendæ pietatis, antequam oſtenſus eſſet locus ubi figere pedem decebat.

10. *Quum vero tranſieritis Jordanem.*] Confirmat hic verſus quod ante dixi, Judæos obſtringi ad certam regulam, ſimulac conſtiterint in terra promiſſa: & tamen locum in quo perpetua eſſet Arcæ ſtatio, non protinus fore manifeſtum. Quod enim exprimitur in fine verſus, Deum in circuitu pacem daturum ut ſecure habitent, re ipſa non fuit perfecte exhibitum ante tempus Davidis. Voluit tamen Deus, ſimulac terra fruerentur, undique etiam ex remotis finibus ipſos concurrere ad ſanctuarium. Species quaſdam oblationum de quibus nuper loquutus fuerat, omittit, & pro votis ponit electionem vo-

torum:

rum: pro quo alii vertuot electiſſima vota, vel præcipua in votis. quod non repudio: quanquam ſimplicior eſt alter ſenſus, vota omnia comprehendi quæ libero judicio & delectu quiſque ſuſceperat. Paulo poſt mentem ſuam clarius exponit, dum prohibet ne ſuo arbitrio in locis quæ arriſerint, offerant ſacrificia. Nam locum aſpicere, tantundem hic valet atque ſerri oculorum ſenſu, ut pulchritudioi & formæ affigatur religio & ſanctitas.

Deut. 12. 26. *Sanctificata tua.*] Locus hic clarius explicat quid ſibi voluerint ſuperiora præcepta: oempe ut locus unus ſacer eſſet ad peragendos ſacros ritus, ne ſi quiſque offerret prout eſſet libitum, vitiaretur religio, & paulatim diverſa altaria totidem gignerent deos. Jubet ergo victimas omnes ſacrificari ſuper uoum altare, modo ſanguis fundatur.

Ex Deut. XIV.

23. Et comedes coram Jehova Deo tuo in loco quem elegerit ut habitare faciat nomen ſuum ibi, decimam frumenti tui, vini tui, & olei tui, & primogenita boum tuorum, & pecudum tuarum: ut diſcas timere Jehovam Deum tuum omnibus diebus.

24. Quod ſi longior fuerit via quam ut per eam ferre poſſis illas, quod diſtet à te locus ille quem elegerit Jehova Deus tuus ut ponat nomen ſuum ibi, quum benedixerit tibi Jehova Deus tuus:

25. Tunc dabis pro pecunia, & colligabis pecuniam in manu tua, & ibis ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus:

26. Et dabis pecuniam pro omni eo quod deſiderat anima tua, pro bobus, & pro ovibus, & pro vino, & pro ſicera, & pro cunctis denique quæ poſtulaverit à te anima tua: & comedes ibi coram Jehova Deo tuo, & lætaberis tu & domus tua.

23. *Et comedes coram Jehova.*] Iterum victimas afferri jubet ad locum ſanctuarii: quanquam Jeroſolymam deſignat per locum quem elegerit Deus, ſicuti proximo in loco capitis 12. dictum fuit. Arca enim fœderis juſtam ſtationem non habuit uſque ad tempus Davidis, ſed quaſi temporalibus hoſpitiis fuit excepta. Jubet ergo nunc Moſes, ubi locum unum tanto honore dignatus fuerit Deus, & quaſi perpetuam quietem elegerit ubi reſideat nomen ſuum, illuc victimas afferri. Porro eum locum ſcimus fuiſſe Jeroſolymam. Ad uoum vero locum ideo reſtrictæ fuerunt omoes oblatinnes, ne quicquam vitii ex varietate obreperet ad diſſipandam fidei unitatem. Omnia enim extraoca commenta (ut jam ſatis viſum eſt) totidem ſuot cultus Dei profanationes. Cæterum quum 12. capite Moſes promiſcue decimas conjunxerit primitiis, & idem ſtatuerit de utriſque: nunc legem illam addita exceptione mitigat, nempe ſi longior fuerit via, ut permutatione facta, pecuniam ſolvere liceat loco frumenti. Non de ſiliis quidem decimis loquitur, ſed vota & dona voluntaria ſimul permiſcet, imo proprie ipſa reſpicit. Quia tamen de hoc proximo genere nulla eſt quæſtio, tantum expendamus an conſentaneum fuerit decimas uon in loco ſolvi. Levitis in alimentum datæ fueraot, quos ſatis ontum eſt fuiſſe per totam terram diſperſos. Ergo aut habitatio illis Jeroſolymæ danda fuit, aut victu noo fueruot privandi, ubicunque agerent. Abſurdum ergo videtur præceptum, ut decimas omnes totius regionis Jeroſolymam conveherent: quia id nihil aliud erat quam miſeros Levitas inedia eonficere. Hæc abſurditas interpretes compulit ad fabricandam dubiam conjecturam: nempe populum decimas ſponte repoſuiſſe, quas Jeroſolymam perferret diebus feſtis. Sed probabile non eſt tam grave oous fuiſſe impoſitum, ut duntaxat quod reſiduum erat ex quinta parte domi ſervarent. Atqui propius ad veriſimilitudinem accederet, ex vicinis agris, prout ferebat commoditas, Jeroſolymam fuiſſe delatas: quæ autem in locis remotioribus collectæ fuerant, repoſitas illic fuiſſe: Jeroſolymæ autem cenſas, ut ſupputatione facta pro numero familiarum, æqua diſtributio inter Levitas fieret. Certe minime convenit, ſingulos agricolas Jeroſolymam portaſſe quod Levitæ inde acceptum ad familias ſuas alendas referre cogerentur. Quorſum enim illa circumvectatio magni ſumptus & moleſtiæ? Adde quod fruſtra mandatum eſſet Levitis, & quidem gravi comminatione addita, ut ſacerdotibus boos fide ſolverent, ſi apud ſacerdotes ipſos fuiſſent primo loco depoſitæ: qui facile occurrere poterant omnibus dolis, totam frumenti copiam habentes ſub manu. Dubium igitur mihi non eſt quin Levitæ in ſuis quique regionibus decimas collegerint: altera autem decimatio cujus mox mentio fiet, ad ſanctuarium delata fuerit, tanquam oblatio ſacra, & cultus Dei profeſſio. Nuper enim viſum fuit, poſt detractam illam partem, novem alias quæ reſiduæ manebant, Levitis fuiſſe reputatas, acti in eorum agris natæ eſſent. Jam quia querimoniis obnoxia res erat, unum in locum primitias & alteras decimas coacervari: eas ut compeſcat Deus, admonet toti populo utile eſſe, ut victus omnibus ſuppetat qui venient ad celebrandos feſtos dies. Huc enim pertinent verba, Comedes coram Deo tuo: quaſi dictum eſſet, locum illum Deo fore ſacrum ad quem è tota terra conveniant Dei cultores. Interea tamen puram cultus ſui obſervatinnem commendat: oe locorum diverſitas huc illuc populum abſtrahat ad fictitias ſuperſtitiones.

24. *Quod ſi longior fuerit via.*] Ne hanc reſtrictionem de decimis intelligam, impedit quod alibi ſtatuitur, ut ſi quis eas vellet pecunia redimere, quintam partem adderet: quod nunc omittitur: deinde explicatio quæ paulo poſt additur, ut pecuniam loco oblatiooum ſecum ferant, ex qua emant boves & oves, vioum & ſiceram, prout libuerit. Summa eſt, ſi nimis grave fuerit ex ſuis ædibus procul adducere victimas & alia dona, ut Jeroſolymæ emere liceat quicquid offerre viſum fuerit: modo ne alibi quicquam offerant.

Ex Exodi XX.

24. Altare terreum facies mihi, & ſacrificabis ſuper illud holocauſta tua, & ſacrificia proſperitatum tuarum, pecudes tuas, & armenta tua: in omni loco in quo memoriam poſuero nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.

25. Quod ſi altare ex lapidibus feceris mihi, non ædificabis eos exciſos: ſi gladium tuum elevaveris ſuper illos, pollues.

Ex

Ex Deut. XXVII.

5. Ædificabis in monte Ebal altare ex lapidibus Jehovæ Deo tuo: non levabis ſupet eos ferrum.

6. E lapidibus integris ædificabis altare Jehovæ Dei tui: & offeres ſuper illud holocauſta Jehovæ Deo tuo.

7. Et offeres ſacrificia proſperitatum, comedeſque illic, ac lætaberis coram Jehova Deo tuo.

5. *Altare terreum facies.*] Differt hoc præceptum ab altero quod nunc expoſui: quia etſi ad loci delectum pertinet, omiſſa tamen loci mentione, tantum attingit materiam & formam altaris. Jubet igitur Deus altare ſibi extrui vel ex terra, vel ex congerie lapidum qui nullo artificio politi fuerint. Hoc autem de altaribus interpretor, quæ vel in deſerto, vel in aliis locis extruenda erant, donec patefacta eſſet perpetui loci electio. Ea ſibi ex terra voluit Deus extrui, ut ſponte concideret, nec poſt diſceſſum populi maneret aliquod veſtigium. Quod ſi adhiberentur lapides, vetuit aptari ad diuturnam ſtructuram, ſed rudes & impolitos in cumulum conjici, ne ſpecies alliceret poſteros ad ſuperſtitionem. Ac miror interpretes hic ſe torquere in fingendis allegoriis: quum Dei conſilium non aliud fuerit quam offendicula tollere quibus averti poſſent Iſraëlitæ à ſanctuario. Scimus enim ut vetuſtas, & patrum exemplum trahere ſoleant vulgi animos. Si qua ſtetiſſet altaris effigies, ſtatim injecta fuiſſet religio, nuſquam alibi melius nec ſanctius Deum poſſe coli quam in loco jam olim à patribus dicato. Ita ſuborti eſſent degeneres cultus, & contempta ſanctuarii dignitas. Quare huic malo occurritur quum altaria extrui vetat quæ diu ſuperſint: ſed tantum ad uſum præſentem aptari permittit, vel ex terra, vel ex informi cumulo lapidum. Quantum ad ſacrificia proſperitatum ſpectat, alibi cauſam reddidi cur ita verterim Hebraicam vocem שלמים, quæ proſperos omnes & lætos ſucceſſus ſignificat. Nam quod alii transferunt Pacifica, minime convenit. Quod in ſecunda parte verſus additur, In locum ubi poſuero memoriam nominis mei, veniam ad te, inſcite detortum fuit ab interpretibus: atque ita præbuit occaſionem errandi. Legerunt enim uno contextu: acſi Deus in monte quoque Sion ejuſmodi altare fieri vetaret. Atqui potius occurrit dubitationi quæ alioqui titillaſſet populi animos, Annon propitius erit nobis Deus ubi exaudivit patres noſtros? Contra, inquam, objicitur promiſſio, eos probe & rite eſſe litaturos, modo præcepto Dei obtemperent, nec alium locum appetant quam ab ipſo electum. Hac ratione illis dicitur, ubicunque Deo placuerit offerri ſacrificia, illuc ad vos deſcendet, ut ſit vobis propitius.

Deut. 27. 5. *Ædificabis in monte Ebal.*] In primo terræ ingreſſu jubet ſibi Deus offerri ſacrificium gratiarum actionis: quod præſtitit Joſue, quemadmodum refertur capite octavo. Tunc ædificavit Joſue altare Deo Iſraël in monte Ebal, ſicut præceperat Moſes ſervus Jehovæ filiis Iſraël, altare ex lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigerat. Primum ergo hic exigitur teſtimonium gratitudinis: ut filii Iſraël, ſimulac pedem cœperint in terra Chanaan figere, celebrent Dei laudes: deinde vetat omne artificium, quia ſi duraſſet altare, occaſio fuiſſet ſuperſtitionis, & ſingulare exemplum pluris fuiſſet quam Lex Dei perpetua. Hinc tanta iracundia exarſerunt novem tribus & dimidia contra duas Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, propter altare ad ripam Jordanis conſtructum: ut ſtatuerint fratres ſuos prorſus delere, donec ſe purgarunt, quod tantum in monumentum fraternæ conjunctionis illud erexerant, non autem ad ſacrificia. Fuerunt certe illi boni Legis interpretes, qui inexpiabile crimen duxerunt, altare poſteris relinqui, quod populum abſtraheret ab unico ſanctuario, atque ita divelleret fidei conſenſum.

Ex Exodi XXV.

1. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Alloquere filios Iſraël ut tollant mihi levationem: ab omni viro cujus cor voluntarie dederit illam, ſumetis levationem meam.

3. Iſta autem eſt oblatio quam capietis ab eis: aurum, & argentum, & æs,

4. Et hyacinthum, & purpuram, & vermiculum cocci, & byſſum, & pilos caprarum,

5. Et pelles arietum rubricatas, & pelles taxorum, & ligna Sittim:

6. Oleum pro luminari, aromata pro oleo unctionis & pro thymiamate aromatum:

7. Lapides onychinos, & lapides plenitudinum pro Ephod & pro pectorali.

8. Et facient mihi ſanctuarium, ut habitem in medio eorum.

9. Omnino ut ego oſtendam tibi ſimilitudinem habitaculi, & ſimilitudinem omnium vaſorum ejus, ſic facietis.

10. Facient etiam Arcam è lignis Sittim: duorum cubitorum & ſemis erit longitudo ejus, cubitus vero & ſemis latitudo ejus, cubiti item & ſemis altitudo ejus.

11. Operieſque eam auro puro, intrinſecus & extrinſecus: operies, inquam, eam, facieſque ſuper eam coronam auream in circuitu.

12. Fundes quoque ei quatuor annulos aureos, quos pones ad quatuor angulos ejus: duos videlicet annulos in latere ejus uno, & duos annulos in latere ejus altero.

13. Facies præterea vectes ex lignis Sittim, quos cooperies auro.

14. Induceſque vectes in annulos qui erunt in lateribus illius Arcæ, ut illis deferatur Arca.

15. In annulis illius Arcæ erunt vectes, non removebuntur ab ea.

16. Poneſque in Arca teſtimonium quod dabo tibi.

17. Facies & operculum ex auro mundo: duorum cubitorum & dimidii erit longitudo ejus, cubiti vero & dimidii latitudo ejus.

18. Facies

18. Facies etiam duos Cherubim aureos: ductiles facies eos in duabus extremitatibus propitiatorii.

19. Facies autem Cherub unum in extremo hinc, & Cherub alterum in extremo inde: ex propitiatorio facietis Cherubim, duabus extremitatibus ejus.

20. Expandentque Cherubim duas alas superne tegentes alis suis propitiatorium, & se mutuo aspicient: ad propitiatorium erunt facies Cherubim.

21. Pones autem propitiatorium super Arcam superne, & in Arca pones testimonium quod dabo tibi.

22. Conveniamque tecum illuc, & loquar tecum è propitiatorio inter duos Cherubim quod erit super Arcam testimonii, quæcunque præcipiam tibi ad filios Israël.

Ex Exodi XXXV.

4. Dixitque Moses ad universam synagogam filiorum Israël, his verbis, Hoc est verbum quod præcepit Jehova, dicendo,

5. Accipite à vobis oblationem Jehovæ: omnis spontaneus corde suo afferet eam oblationem Jehovæ: aurum, argentum, & æs,

6. Et hyacinthum, & purpuram, & vermiculum cocci, & byssum, & caprarum pilos,

7. Et pelles arietum rubricatas, & pelles taxorum, & ligna Sittim:

8. Et oleum pro luminari, & aromata pro oleo unctionis, & ad suffimentum aromaticum:

9. Et lapides onychinos, & lapides pro Ephod & pro pectorali.

10. Et omnes sapientes corde in vobis venient, & facient quæcunque præcepit Jehova:

11. Tabernaculum, tentorium ejus, & operimentum ejus, & circulos ejus, & tabulas ejus, vectes ejus, columnas ejus, & bases ejus:

12. Arcam & vectes ejus, propitiatorium, & velum tentorii:

13. Mensam, & vectes ipsius, & omnia vasa ejus, & panem facierum:

14. Et candelabrum luminaris & vasa ejus, & lucernas ejus, & oleum luminaris:

15. Et altare suffimenti & vectes ejus, & oleum unctionis, & suffimentum aromaticum, & aulæum ostii pro ostio tabernaculi:

16. Altare holocausti, & cribrum ejus æneum, & vectes ejus, & omnia vasa ejus, & concham & basin ejus:

17. Cortinas ipsius atrii, columnas ejus, & bases ejus, & aulæum portæ atrii,

18. Paxillos tabernaculi, & paxillos atrii, & funiculos eorum:

19. Vestes ministerii ad ministrandum in sanctuario, & vestes sanctas Aharonis sacerdotis, & vestes filiorum ejus ad fungendum sacerdotio.

Exod. 25. 2. *Alloquere filios Israël ut tollant.*] Si quis rixator de tempore cujus historiam huc inferre visum est, quæstionem moveat, etsi pertinacius non contendam, non probabilis modo, sed firma sententiæ meæ ratio mihi constat. Certe enim ex 33. capite Exodi colligere mihi videor, antequam priores tabulas afferret Moses è monte, tabernaculum jam fuisse extructum. Illic enim io signum divortii, ut cognosceret populus se à Deo repudiatum esse, dicitur Moses tulisse tabernaculum, & sibi privatim tetendisse extra castra: non io suum peculiarem usum, quia diserte exprimitur, eum non illic habitasse, sed egressum fuisse è castris quoties volebat Deum consulere: Josue vero fuisse custodem vel æditiuum. Id vero factum esse non ambigitur, antequam secundo ascensu novas tabulas à Deo afferret. Liquet ergo, tunc jam erectum fuisse tabernaculum. Si quis objiciat, non erectum fuisse nisi principio anni secundi, facilis est solutio: tunc demum integro in statione legitima fuisse repositum, ut undique circumdatum à filiis Israël, omnes haberet custodes, secundum duodecim tribus ordine suo digestas: deinde tunc demum locatas fuisse tabulas in Arca fœderis, in quibus se Deus repræsentabat, ut sine illis vacuum quodammodo esset tabernaculum: postremo de solenni dedicatione illic agi, cujus nondum advenerat maturum tempus, donec ad testandam Dei præsentiam, fœdus in Arca reconditum esset pignoris loco. Quo melius tollatur omnis ambiguitas, breviter supputanda est temporis ratio. Tertio mense à suo exitu appulit populus ad montem Sinai. Quoto die Lex fuit data, nusquam dicitur: nisi quod probabili ratione conjicere licet, circiter finem illius mensis latam fuisse. Ita numerandi erunt octo menses usque ad diem quo dedicatum fuit tabernaculum, & tabulæ in Arca fœderis depositæ: sicuti nominatim refert Moses ultimo capite Exodi. Libro autem quarto narrat, secundo mense illius anni populum castra movisse ex illo loco, & migrasse ad Sepulchra concupiscentiæ. Jam quum inter dedicationem tabernaculi, & profectionem unus tantum mensis interceserit, fateri necesse est duos io montem ascensus temporis ordine præcedere. Nunc quæritur, principione quarti mensis vocatus fuerit ad sumendas priores tabulas. Si hoc recipitur, vix ante finem octavi mensis potuit de sanctuarii ædificio præcipere. Nam inter duos ascensus absurdum fuisset tabulas dare paterni favoris, quum dissidii testis esset separatio tabernaculi. Sic igitur constituo, in longo & difficili opere consumptos fuisse totos quatuor menses. Ac certe mirum fuit tam exiguum tempus sufficere: nisi quod incredibilis strenuitas omnium opinionem vicit, quum certatim singuli indefesso labore ad opus accelerandum incumberent. Et probabile est, ex quo Deus fœdus suum pepigerat, statim de tabernaculo, ejusque appendicibus præcepta dedisse: ne externa pietatis exercitia, quæ vidimus fuisse admodum necessaria, populum deficerent. Opere autem completo, jussus est postea rursus Moses accedere ad Deum, cum fratre Nadab, Abiu, & septuaginta senioribus: & post oblata sacrificia, nube objecta receptus est ad familiare colloquium Dei, ubi circiter sesquimensem transegit. Reversus, defectione populi cognita, post editam trium millium stragem, luctum populo indixit. Quam diuturnam traxerit moram, nescitur: probabile tamen est,

eſt, ſaltem unum menſem effluxiſſe antequam revocaretur. Jam habemus ſupra novem menſes: accedat ſeſquimenſis quo retentus fuit in monte, non procul erimus à fine anni. Tunc vero ſe populo reſtituit Deus: atque ita mox ſequuta eſt legitima tabernaculi dedicatio, quæ facta eſt anno ſecundo, initio primi menſis. Celebrato Paſchate, ſignum profectionis tandem datum eſt, idque ſecundo menſe. Reſpondeant nunc velim, ſi qui à me diſſentiunt, qui conveniat detecta populi transgreſſione, Moſen demum cœpiſſe ad ſtructuram eos hortari, quum jo toto ejus ſermone nulla idololatriæ fiat mentio. Certe omnibus probe expenſis, agnoſcere promptum erit, integrum adhuc fuiſſe populum, ubi tam alacriter ſua Deo conſecrat. Sed illo quod citavi Moſis teſtimonio, tota quæſtio ſatis expeditur, antequam Moſes cum prioribus tabulis deſcenderet, fuiſſe tabernaculum: niſi forte excipiant, aliud fuiſſe & diverſum ab eo quod poſtea ex Dei mandato compoſitum fuit. Hoc vero nimis futile eſt cavillum: quia non fuit in arbitrio Moſis, terreſtre domicilium fabricare Deo, & ſacrum nomen imponere, quo ubique ſanctuarium ornatur. Et diſerte narrat, gloriam Dei illic apparuiſſe: quo certius cognoſceret populus ſua immunditie ſe à Deo ſeparatum. qua de re ſuo loco iterum. Deinde verbum לקח ſonat Moſen tuliſſe tabernaculum è caſtris, quod alio transferret. Nuoc ſi quis objiciat, compoſitum fuiſſe tabernaculum ad exemplar quod Moſes viderat in monte: in promptu eſt ſolurio, Moſen non tunc primum in monte fuiſſe edoctum de vero Dei cultu & cæleſtibus myſteriis, quum retentus fuit diebus quadraginra, ſed jam ante Legis promulgationem. Nec dubium eſt, quio eadem tunc oſtenſa fuerint quæ ante didicerat, quo populus ad aſſiduam Legis meditationem magis intentus eſſet. Nam ex ſpatio temporis agnoſcere potetant, nihil fuiſſe prætermiſſum quod illis eſſet utile cognitu. Tametſi enim momento potuit Deus ſervum ſuum ſic inſtituere ut nihil deeſſet, voluit tamen paulatim, & quaſi per otium, ſibi perfectum doctorem formare: idque populi infirmitati conceſſit. Sic enim legitur Exodi decimo nooo, Ecce, venio ad te in denſa nube, ut audiat me populus tecum loquentem, & credat tibi in perpetuum. Item viceſimo, Stetit populus eminus, Moſes autem acceſſit ad caliginem in qua erat Deus. Ex quo patet, nihil abſurdum eſſe, ſi dicamus jam tunc vidiſſe exemplar tabernaculi, in quo volebat coli Deus. Sed ne quis me ſolis conjecturis niti objiciat, Moſes ipſe clare demonſtrat, antequam tabulas acciperet, Deum præcepiſſe de tabernaculi opificio. Bis enim capite vigeſimo quinto legitur, In Arca repones teſtimonium quod dabo tibi. Unde patet nondum datas fuiſſe tabulas, quum totum ædificium ex Dei mandato deſcripſit. Unde rurſum colligimus, jam compoſito tabernaculo mootem aſcendiſſe, ut tabulas afferret quæ in Arca reponerentur. Antequam vero de ſtructura tabernaculi diſſerere incipiat, tributum populo indicit: ut pro ſuis quiſque facultatibus materiam conferat tam io ipſum tabernaculum, quam in omnia vaſa. Levatio autem vel תרומה ſimpliciter hic pro oblatiooe capitur: neque, ut alibi locis, diſtinguitur ab altera ſpecie ſacrificii quæ תנופה vocatur. Simpliciter autem jubentur Iſraëlitæ impendere ſinguli ex ſuis copiis & opibus, quantum ad cultum Dei ſufficiat. Certum quidem eſt omnia noſtra Dei eſſe: & pollui quæcunque nobis largitur, niſi quum in ejus gloriam dicantur. Sed pro ſua indulgentia, liberum nobis omnium uſum permittit: modo teſtemur manere ſub ejus arbitrio, ut patati ſimus erogare proot joſſerit. Sic rite eleemoſynas offerimus, tanquam boni odoris ſacrificia: quamvis ad inopiam uſque ſe non exhauriat qui dives eſt: ſed pauperibus de ſuo ſuccurrens, fruatur bonis quæ poſſidet. In ſumma, quicquid offerimus Deo, ſimile eſt primitiis, quibus teſtamur omnia noſtra ejus gloriæ ſacrata eſſe. Jam quamvis ad tabernaculi ſui ædificium & ornatum nullis populi ſuppetiis egeret, utpote qui ad omnes alendos quotidie Man è cælo pluebat: voluit tamen ſingulos à minimo uſque ad maximum, teſtandæ pietatis cauſa in commune afferre quicquid ad ſacrum opificium neceſſarium erat. Quicquid autem tunc in ſanctuarium viſibile impendi voluit, bodie quoque exigit in ſpiritualis templi ſtructuram. Solus proprie eſt qui Eccleſiam ſuam ædificat: hominum tamen utitur opera, & ſecum plures vult eſſe architectos, ut Eccleſiæ ædificatio aliqua ex parte ex hominum labore ſurgat: ſicuti laudem proſperi ſucceſſus illis adſcribit. Interea nihil offerimus quod non ipſe largitus ſit: quemadmodum Iſraëlitæ nihil dederunt niſi quod ex mera ejus beneficentia provenerat. Ideo ſingulis ad certam menſuram diſtribuit Spiritus ſui dona: ut quo quiſque plus vel minus accepit, ad Eccleſiam ædificandam impendat. Hic autem optimus alacritatis ſtimulus nobis eſſe debet, quod nemo tam egenus eſt, vel tenuis, cujus non grata ſit & ſuavis oblatio quantumvis exigua, & in bominum oculis nullius fere pretii. Porro notandum eſt, tributum non exigi pro imperio: ſed denunciari ut liberaliter ſinguli conferant quod viſum fuerit. Nam ab initio verum fuit illud Pauli, Deum hilarem datorem diligere. Et tota Scriptura docet nonniſi voluntaria obſequia placere Deo. Quiſquis ergo ad ædificandum Dei templum probus cupit eſſe adjutor, nihil afferat ſervile vel extortum. Quanquam enim verbum נדבה varie redditur ab interpretibus: ſumma tamen huc redit, munus cujuſque ex propenſa animi alacritate Deo fore gratum. Vetus interpres habet, Qui offert ultroneus: paraphraſtice magis quam ad verbum. Alii inter ſe diſſentiunt: relativum quidam intelligunt de oblatione, ac transferunt, Cujus cor voluntarie dederit illam: alii, Qui cor ſuum liberale aut voluntarium exhibuerit. Secunda expoſitio recta eſt.

1 *Cor.* 12. *verſ.* 7.

2 *Cor.* 9. *verſ.* 7.

3. *Iſta autem eſt oblatio.*] Hic melius confirmatur quod jam dixi, divitum copia non obrui quod ex ſua tenuitate pauperes offerunt: quando & pilos caprarum cenſere dignatur Deus inter ſacras oblationes, non minus quam aurum, purpuram, & lapides pretioſos. Deinde varia & multiplici contributione oſtendere quaſi in ſpeculo voluit, ad ſpiritualis templi ædificium donorum varietate opus eſſe: quemadmodum differit Paulus 12. ad Romanos, & 1. ad Corinth. 12. Splendidior quidem divitum fuit largitio: verum ſicuti gravati non ſunt aurum ſuum & argentum, byacinthum, purpuram, & lapides pretioſos conjungere æri, ferro, aliiſque vulgaribus materiis: ita bodie qui excellentioribus donis Eccleſiæ ædificationem adjuvant, ſioe contemptu & faſtidio in ſocietatem admittant pauperculos fratres, quibus datum non eſt ipſos æquare.

8. *Et facient mihi ſanctuarium.*] Priore loco Deus propoſita inæſtimabili mercede, populum ad largiendum animat. Etſi enim liberalitas tanquam præſtantiſſima virtus ali omnibus laudatur, nemo tamen libenter è ſuo detrahit quod aliis eroget: quia putant omnes tantundem ſibi perire, niſi compenſatio appareat. Ergo ut ſumptum hilariter faciant, ſe habituturum inter ipſos promittit: quo nihil eſt optabilius. Porro cavendum eſt ne quid imaginemur à Dei natura alienum. Neque enim qui ſupra cælos ſedet, & cujus pedum ſcabellum eſt terra, tabernaculo includi potuit: ſed quia rudis populi infirmitati indulgens, præſentiam gratiæ ſuæ & auxilii teſtari volebat viſibili ſymbolo, vocatur ſanctuarium terreſtre ejus domicilium inter bomines: quia illic non fruſtra invocabatur. Ac memoria tenendum quod nuper vidimus, non immenſam Dei eſſentiam, ſed nomen vel memoriam nominis illic habitaſſe. Hic verborum finis eſt, non debere Iſraëlitas ad exſtruen-

ſtruendum tabernaculum pigros vel lentos eſſe: quia hoc modo inæſtimabile bonum ſibi comparent. Sequitur alterum membrum, ut artifices exemplar Moſi oſtenſum ſequantur, nequid ſcilicet commiſci audeant: quia profanatio fuiſſet, quicquam humanum cum Dei mandatis miſcere. qua de re mox fuſius tractandum erit, ubi in genere de figuris loquar. Nunc deſcribitur Arcæ & operculi ejus forma. Nam tabernaculi & partium ejus compoſitio, quam nunc tantum attingit Moſes, paulo poſt fuſius repetetur ex 32. capite. Etſi autem tabernaculum vocatum fuit domus Dei, magis tamen expreſſa gloriæ ejus imago fuit in Arca fœderis: quia illic Lex erat repoſita, qua Deus ſe populo devinxerat. Materia fuit lignum Sittim, laminis aureis obtectum, vel inductum. De ſpecie arboris ne Hebræi quidem inter ſe conſentiunt. Quanquam fuiſſe exquiſitam & rari pretii, conjicere licet: voluit tamen Deus aurum in tota ſuperficie, atque etiam vectibus fulgere, quo pluris fieret Legis dignitas. Hic tamen moveri poteſt quæſtio quæ ſeeum plures alias trahit, quid ad Dei cultum ſumptuoſus tam Arcæ quam tabernaculi & vaſorum omnium ſplendor contulerit. Certum enim eſt, Deum nunquam voluiſſe coli niſi pro ſua natura. Unde ſequitur, verum ejus cultum ſemper fuiſſe ſpiritualem, ideoque minime ſitum in externis pompis. Jam tot ceremoniarum copia & apparatus adeo nihil ad pietatem profuit, ut vel ſuperſtitionis fuerit occaſio, vel ſtultæ perverſæque confidentiæ. Deinde tot ac tam varii ritus non alio videntur ſpectaſſe quam ad curioſitatem fovendam. Operæpretium ergo erit de his rebus aliquid breviter præfari. Falluntur autem (meo judicio) qui putant magnificis ſpectaculis retentos fuiſſe populi oculos, ne religio apud ipſos vileſceret omni ornatu vacua, quum apud Gentes ad miraculum uſque ſplenderet falſorum deorum cultus: atque ita prava æmulatio pungeret eorum animos, ſi decus tabernaculi non æquaret ſaltem aliorum pompas, acſi Deus quem colebant, idolis eſſet inferior. Simili quoque ratione fingunt oneratos multis obſervationibus: ne ſi parce illos & leviter Deus exercuiſſet, hinc inde, pro ingenita curioſitate, accerſerent profanas nugas. Dicunt quidem aliquid, ſed non totum. Fateor enim hoc veteri populo fuiſſe datum: ut quum tabernaculum conſpiceret tot ornamentis illuſtre, majore reverentia tangeretur. Fateor etiam in multis ceremoniis divinitus mandatis fuiſſe occupatos, ne alienas appeterent. verum ſi hæc tantum propoſita fuiſſet ratio, totus Legalis cultus tantum inanibus & hiſtrionicis pompis ad oſtentationem valuiſſet. Atqui abſurdiſſimum eſt, Deum ita cum populo ſuo luſiſſe. Et videmus quam honoriſice David & Prophetæ loquantur de illis exercitiis. Nefas igitur eſt, ſentire ritus Legales fuiſſe quaſi ludicra ad Gentium imitationem compoſita. Ergo ut illis ſalvus maneat ſuus honor & dignitas, tenendum eſt principium quod nuper attigimus, omnia fuiſſe ad ſpirituale exemplar directa, quod in monte oſtenſum fuerat Moſi. Idque prudenter obſervarunt tam Stephanus quam Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, quum vellent refellere craſſa populi deliria, qui deſixus manebat in externis ceremoniis, acſi illuc ineluſa eſſet pietas. Optimi ergo ſunt interpretes Stephanus & Apoſtolus, nullius momenti eſſe tabernaculum, altare, menſam, Arcam fœderis, niſi quatenus referuntur ad cæleſte exemplar, cujus umbræ ſunt ac imagines. Itaque tota eorum utilitas, atque etiam legitimus uſus à veritate pendet. Bovem enim mactari per ſe nihil prodeſt, imo res eſt frivola: ergo ſacrificia omnia, niſi quatenus figuræ ſunt, pro nihilo ducenda eſſent. Unde colligimus maximum diſcrimen inter ceremonias Legis & profanos Gentium ritus. Differunt enim inter ſe, non modo quatenus illarum Deus auctor eſt, hos autem ſtulte excogitavit hominum temeritas: ſed quia religio apud Gentes ſimpliciter in ſtudiis & vacuis pompis locata fuit. Deus autem rudimentis, quæ populo ſuo mandavit, altius quaſi per gradus evexit pias animas. Ita probe litare ſibi viſæ ſunt Gentes, quum victimas offerrent. Apud Judæos placuerunt Deo ſacrificia, quod exercitia eſſent pœnitentiæ & fidei. Ita Lex Judæos ad ſpiritualem ſolum Dei cultum inſtituit, ſed ceremoniis veſtitum, ut ferebat temporis ratio. Antequam enim patefieret veritas, puerilia Eccleſiæ terrenis elementis regenda fuit. Ac proinde quamvis inter Judæos & Gentes, quoad externam eolendi Dei formam, magna ſit affinitas ac ſimilitudo, finis tamen longe diverſus. Porro ubi quærendum ſit veterum umbrarum corpus vel ſubſtantia ac figurarum veritas, non ex Apoſtolis modo ſed etiam ex Prophetis diſcere licet, qui paſſim ad regium Meſſiæ fideles revocant. Luculentior tamen explicatio ex Euangelio petenda: ubi Chriſtus Sol juſtitiæ affulgens, in ſe uno complementum extare demonſtrat. Etſi autem ſuo adventu ceremonias illas umbratiles quoad uſum aboleverit, ſimul tamen aſſeruit illis juſtam reverentiam: quando non alio jure merentur haberi in pretio niſi quia in Chriſto reperitur earum effectus. Nam ſi ab ipſo ſeparentur, luſorias eſſe patet: eo quod nihil ad Deum placandum, vel animalium ſanguis, vel adipis ſuavitas, vel aromaticus ſuffitus, vel lucernæ, vel ſimilia. Illud quidem tenendum, Judæos non inutiliter ſacris Legalibus operam dediſſe, quibus annexæ erant promiſſiones. Itaque quoties occurrunt hæ ſententiæ, Expiabitur iniquitas, Apparebitis coram facie mea, Exaudiam vos è ſanctuario, monemur vetuſtas omnes figuras certa fuiſſe gratiæ Dei & ſalutis æternæ teſtimonia: ideoque Chriſtum illis fuiſſe repræſentatum: quia omnes Dei promiſſiones in ipſo ſunt Etiam & Amen. Minime tamen inde ſequitur, ſub- 2 Cor. 1. verſ. 20.
eſſe in ſingulis partibus myſteria: ſicuti multi peperam arguti, nullum quantumvis minutum apicem prætereunt ſine allegorica expoſitione: ut hoc loco, Arcæ dimenſiones ſpeculandi materiam illis præbent. Atqui ſanis & ſobriis ſufficiet, Deum Legem ſuam voluiſſe in vaſe præclaro reponi, ut agnoſceretur ejus majeſtas. Arcam vero ipſam vectibus deferri præcepit, ne eam manibus attingerent Levitæ, quo ſanctior eſſet ejus excellentia.

16. *Poneſque in Arca teſtimonium.*] Elogium teſtimonii quod ſæpe Legi tribuitur, ſignificat plus aliquid in Lege comprehendi quam ſancte juſteque vivendi regulam: nempe pactum quo Deus populum ſibi, & viciſſim populo ſe obſtrinxit. ideo poſtea loco teſtimonii ponuntur tabulæ fœderis. Itaque עדות hoc loco & ſimilibus tantundem valet atque Contractus, qui vulgo conventio dicitur. Hoc ſenſu non modo præcepta, ſed quæcunque in ſalutem populi tradidit Deus per manum Moſis, Propheta Pſal. 119. teſtimonia nominat: Pſalmo autem decimo nono expoſitive Legi ſubjicitur teſtimonium, Lex Jehovæ immaculata, teſtimonium fidele. Sicut Jeſa. 8. capite, ubi dicitur, Ad Legem magis & teſtimonium: non res diverſæ notantur, ſed commendatur Legis utilitas, quia contineat quicquid Deus voluit teſtatum eſſe populo ſuo.

Exod. 25. verſ. 40. Actor. 7. verſ. 44. Hebr. 8. verſ. 5.

17. *Facies & operculum.*] Prima radix verbi כפר unde hoc nomen ductum eſt, pro bituminare capitur: ſed in conjugatione Hiphil ſignificat nunc expiare, nunc purgare, nunc ingratiam recipere. unde כפורי eſt expiatio, ut alibi vidimus. כפורת autem proprie tegmen eſt, vel operculum. Quanquam non dubito quin ad metaphoricum ſenſum in hoc nomine alludat Moſes: quia Lex operimento indiget, quod transgreſſiones noſtras tegat. Et probabile eſt quum Paulus vocat Chriſtum ἱλαστήριον, & Joannes ἱλασμὸν, ambos reſpicere ad hanc figuram, quod Legis operimento placatus fuerit Deus erga fideles, ut eorum vota & preces exaudiendo, propitium ſe oſten-

Rom. 3. verſ. 25. 1 Joan. 2. verſ. 2.

oſtenderet. Quamdiu enim Lex prodit in medium ut antè oculos Dei verſetur, iræ & maledictioni nos ſubjicit: ideoque reatus abolitionem intercedere neceſſe eſt, ut Deus nos conveniat. Nec vero absre David, poſtquam celebravit Legis juſtitiam, exclamat, *Pſal. 19. verſ. 13.* Delicta quis intelligit? Unde colligimus, Legem ſine propitiatinne non reddere Deum nobis propinquum, apud quem nos accuſat. Et certe dum omnia expendo, frigidum eſſe mihi videtur, Moſen ſimpliciter de operimento loqui: quum velit ad ipſum verti facies Cherubim, & promittat Deus ſe inde reſponſa daturum. Quibus elogiis extollitur ſupra Arcam.

18. *Facies duos Cherubim.*] De voce Cherub dixi io Geneſin & alibi, diverſas quidem eſſe ſententias: propius tamen ad verum (meo judicio) accedere qui ↄ oon faciunt ſervilem literam, ſed radicalem, & generaliter pro figura qualibet accipiunt. Nam qui ↄ vnlunt eſſe nntam ſimilitudinis, vertunt Quaſi puerum: quod per ſe coactum eſt: deinde re- *Ezech. 1. verſ. 10. & 10: 1.* fellitnr Ezechielis verbis, qui formas vituli, leonis, & aquilæ, non minus vocat Cherubim quam hominis formam. Mibi ſuffieit imagines fuiſſe alatas, quæ Angelos repræſentabant. Itaque Mnſes quum de Angelis loquitur qui appoſiti fuerunt cuſtodes ad hominem ab acceſſu Paradiſi arcendum, eos vocat Cherubim: noo tam illius temporis reſpectu quam ut populum in Legis doctrina contineat. In Angelis vern Deus, per quos imperium ſuum exercet, & qui miniſtri ſunt beneficinrum ejus, ſymbolum præſentiæ ſuæ ſtatuit. Nam quoties per Angelos ſe patefeeit Deus fidelibus, quodammodo manus ad eos extendit. *Pſal. 80. verſ. 2. & 99: 1. Iſaiæ 37. verſ. 16.* Hac ratione David & alii Prophetæ, quo ſe ad precandi fiduciam animent, ſæpius dicunt Deum habitare inter Cherubim: acſi dicerent, apud Judæos familiariter verſari, quoniam ejus virtus in Angelis ſe exerat. Quod extentis alis tegebant operculum Arcæ, non interpretor factum eſſe occultandi cauſa, ſed ut promptitudinem obſequii nntarent. Extenſin enim alarum tantundem valet acſi accincti fuiſſent ad exequendum quicquid Deus mandaſſet. Ideo verſus propitiatorium dirigere facies ſuas dicuntur, quod intenti ſint ad nutum Dei. Parm quia in Chriſtn habitat plenitudo divioitatis, merito pmnunciat ſun in terras deſcenſu cælos eſſe apertos, ut Angeli aſcendant ac deſcendant. Mutuus vero intuitus conſenſum deſignat, quo Angeli ad capeſſenda Dei juſſa inter ſe conjuncti ſunt. Plauſibilis quidem argutia eſt, duos Cherubim eſſe vetus & novum Teſtamentum, quæ ſe ultro citroque reſpieiunt, & propitiatorium circumdant: qnia ſcopus eorum Chriſtus eſt. ſed reclamantibus tnt Scripturæ locis, evaneſcit.

Exod. 35. 5. *Accipite oblationem.*] Locum ex capite 35. inſerui, ubi eadem ſecundn exigit Mnſes qnæ antè præceperat: materias vero plures recenſet, & prolixius de partibus tabernaculi differit. Superinre loco verbum poſnit ubi nunc oomen uſurpat, Liberalis corde ſun, aut vnluntarius. In ſenſu tamen nulla eſt ambiguitas: quia utroque locn requirit Deus alacre ſtudium, ut non large modo, ſed libenter quoque conferant. Diverſo pnſtea loquendi genere ntetur, nffiein functos eſſe quos erexit, vel excitavit cor ſuum: ut à pigris & lentis eos diſcernat.

10. *Omnes ſapientes corde.*] Sic vocat artifices qui ingenii ſnlertia præſtabant. Itaque poſtquam ſingulos ex domeſtica copia erogare juſſit materiam, alios ut induſtriam ſus m conferant formandæ & aptandæ materiæ, bortatur. Partes deinde tabernaculi, quarum lnnginr explicatin cap. 26. videbitur, breviter eommemorat. Eſt igitur quædam epitnme eorum omnium de quibus ante fuſius differuit: quoniam ad ea præſtanda de quibus liquidn edocti fnerant, oovis ſtimulis opus fuit. Scimus enim doctrinam ſine exbortatinnibus ut plurimum frigere. Mirum quidem videri poſſet, unde pnpulo miſere expilato, diuque ad ſerviles nperas coacto, tantæ npes: niſi quod ex abundantia quæ deſcribitur colligi poteſt, præda divinitus illis nblata in diſceſſu, fuiſſe incredibili modn locupletatns. Opulentiſſimum erat regnum Ægypti: & gens illa (ut ſcitur) deliciis & luxuriæ apprime dedita ſemper fuit. Quod ergo ſua rapacitate per multos annos cumulaverant, arcano Dei inſtinctu è maoibus effluxit, quum repente facti fuerunt prodigi. Sicuti autem Ægyptios excæcaverat Deus, ut ſua omnia profunderent: ſic ſuorum mentes & animos direxit, ut tanti beneficii memores libenter ad ſuum mandatum impenderent quod ex mera ejus gratia provenerat.

Ex Exodi XXV.

23. Facies quoque menſam ex lignis Sittim: duorum cubitorum erit longitudo ejus, & cubiti latitudo ejus, cubiti vero & dimidii altitudo ejus.

24. Et teges eam auro puro, facieſque ei coronam auream in circuitu.

25. Facies quoque ei clauſuram latam quatuor digitos in circuitu: facieſque coronam auream clauſuræ illi in circuitu.

26. Facies inſuper ei quatuor annulos aureos, quos pones in quatuor angulis qui ſunt in quatuor pedibus ejus.

27. E regione illius clauſuræ erunt annuli per quos trajicientur vectes ad portandum menſam:

28. Facieſque vectes illos è lignis Sittim: & operies eos auro, & feretur illis menſa.

29. Facies etiam ſcutellas ejus, & eochlearia ejus, & opereula ejus, & crateres ejus quibus libabitur: ex auro mundo facies ea.

30. Et pones ſuper menſam illam panem facierum coram me jugiter.

23. *Facies quoque menſam.*] Merito laudatur veteris cujuſdam Epiſcopi ſententia, qui quum vaſa ſacra tempore famis ad levandam pauperum inopiam venderet, ita ſe Eccleſiæ excuſavit, Deus miſer, quia non comedit nec bibit, patinis & calicibus onn indiget. Atqui minime conſentanea eſſe videtur huic Dei præcepto, nbi panes vult ſibi offerri. Reſponden, ſi prætextu illo ſub Lege ſacram menſam ſpoliaſſet ſuis ornamentis, intempeſtive fuiſſe dicturum, quod ſub Euangelio pie & ſcite dixit: quia Chriſti adventu ceſſarunt Legales umbræ. Tunc vero inter aureas patinas reponi vnluit panes ſibi oblatos, ſimulque adjungi thuribula & cochlearia: nnn qnod eibo vel potu habetet npus, ſed ut populum ſuum menſæ ſocietate dignatus, temperantiæ legem præſcriberet. Quum enim veſcerentur eodem tritico ex quo fiebant ſacri panes, eo ſymboln admoniti fuerunt, petinde ſumendum eſſe eibum & potum, acſi coram Deo ſederent, eſſentque ejus convivæ. Denique edocti fuerunt, alimenta qnibus ſuſtinetur hominum vita, quodammodn ſacra eſſe Deo: ut ita puro & ſnbrio victu enntenti eſſent, nec profanarent quæ ad Dei cultum dicata erant. Quamvis ergo rudis & craſſa videri poſſit hæc oblatio, ſinem

finem tamen rectum habuit, ut Deum agnoſcerent fideles menſarum ſuarum eſſe præſidem: quia totius populi nomine, panes in templo proſtabant ſub Dei conſpectu. Similis primitiarum fuit ratio, in quibus conſecrabatur totius anni proventus: ut inter epulas quoque colerent Dei memoriam, qui eos paſcebat ut pater filios. Panes facierum vocantur à Moſe, quia ſemper apparebant coram Deo: quo etiam ſenſu dixerunt Græci panes ἀφθίτους, quia præſto ſemper erant. Non enim fas erat prioresauferre, donec ſubſtituerentur alii in locum. Pluribus nunc ſuperſedeo, quia paulo poſt quæ nunc omitto tractanda erunt.

Ex eodem Capite.

31. Facies item candelabrum ex auro puro: ductile fiet candelabrum illud: haſtile ejus, & calamus ejus, ſcyphi ejus, ſphærulæ ejus, & flores ejus ex ipſo erunt.

32. Et ſex calami egredientur è lateribus ejus: tres calami candelabri ex latere ejus uno, & tres calami candelabri ex latere ejus altero.

33. Tres calices in ſpeciem nucis amygdalinæ deformati erunt in calamo uno, ſphærula & flos: & tres calices in ſpeciem nucis amygdalinæ deformati in calamo altero, ſphærula & flos: ſic de ſex calamis egredientibus è candelabro.

34. Et in candelabro erunt quatuor calices in ſpeciem nucis amygdalinæ deformati, ſphærulæ ejus, & flores ejus.

35. Eritque ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, ſphærula item ſub duobus calamis ex ipſo, & ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo: ſic ſex calamis egredientibus è candelabro.

36. Sphærulæ eorum & calami eorum ex ipſo erunt: totum ipſum ductile unum, ex auro puro.

37. Facies quoque lucernas ejus ſeptem, quas collocabis in ſublimi, ut luceant ad latus facieiejus.

38. Et forcipes ipſius, & receptacula ejus ex auro puro.

39. Talento auri puri facies illud, & omnia vaſa iſta.

40. Vide autem ut facias juxta ſimilitudinem ſuam, quæ tibi oſtenſa eſt in monte.

31. *Facies item candelabrum.*] Septem lucernas die noctuque accenſas voluit Deus fulgere in tabernaculo. Primum ut ſciret populus ſe divinitus regi ad Deum rite colendum, & lucem quæ omnes errorum tenebras diſcuteret, oculis ſuis eſſe propoſitam: deinde ne obtenebraret ipſum Dei cultum craſſis ſuis figmentis, ſed intentus ad Legis doctrinam, pura & lucida mente, in omnibus ceremoniis Deum quæreret. Notemus ergo inter regulam veræ pietatis & Gentium ſuperſtitiones, diſcrimen eſſe poſitum: quia Gentes ſtultis & cæcis devotionibus (ut loquuntur) abreptæ fuerunt per flexuoſas ambages, ut nihil apud eas rectum fuerit. Niſi enim nobis præluceat cæleſtis doctrina, nihil præter meram vanitatem pariet ſenſus noſter. Sed Iſraëlitis non ſatis fuit monſtrari viam, niſi ad directionem aperti eſſent eorum oculi: quoniam in media quoque luce plerumque cæcutiunt homines. Quod ipſis accidit, quando non tantum ad extraneos & adulterinos cultus prolapſi ſunt, ſed externam Legis formam tenendo, fuerunt nihilominus degeneres, ac religio pravis ſuperſtitionibus vitiata apud eos fuit, quum pro carnis ſuæ ſenſu, pietatem locarent in ceremoniis. Id enim eſt Deum transfigurare, ubi non colitur ſpiritualiter pro ſua natura. Hinc tanta hypocriſis fuit ſecuritas, ut ſuperbe contemnerent omnes Propheticas objurgationes, imo aperte furerent, quoties repudiabantur inanes eorum pompæ. Ergo candelabrum ſeptem lucernis illuſtre, populum admonuit, ut in Deo colendo, ad lucem cæleſtis doctrinæ attente reſpiceret. Cæterum in hujus figuræ intelligentia non parvo nobis adminiculo erit viſio Zachariæ, in qua ſymboli ejus veritas oſtenditur. Promittit illic Deus ſolam Spiritus ſui virtutem ſatis ſuperque valituram ſervandæ Eccleſiæ, quamvis omnibus auxiliis deſtituta ſit. Cujus rei ut fidem faciat, eandem quæ hic deſcribitur effigiem candelabri, additis quibuſdam circumſtantiis, delineat: quo admonet non fuiſſe vanam oſtentationem in lucernis ſplendentibus (ſicuti in theatris luduntur fabulæ) ſed in candelabro fuiſſe repræſentatum quod ſenſuri eſſent fideles reipſa ſibi præſtari. Verum ut clarior ſit comparatio, pauca de præſenti loco dicenda ſunt. Materia candelabri eſt aurum purum, quo rei ſignatæ excellentia notatur. Sed ubi de forma aliquid dictum fuerit, clarior erit vaticinii applicatio. Quædam ſimpliciter ad ornamentum compoſita fuerunt, ut creſceret dignitas ex ipſo aſpectu, ſicuti flores, & globuli, aut ſphærulæ: alia ad uſum, ut calices, vel receptacula, ne facrum oleum in terram decideret. Lucernæ in verticibus poſitæ ſunt, ut ſcirent Iſraëlitæ, homines in terra circumdari tenebris, niſi Deus ſurſum Eccleſiam ſuam illuminaret, idque diu & noctu. Sicuti Jeſaias de regno Chriſti diſſerens, in quo demum exhibita fuit hujus rei veritas, dicit, Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te conſpicua erit. Item, Non lucebit tibi amplius ſol interdiu, neque luna per noctem, ſed erit tibi Jehova in locum ſempiternam. Porro ſicuti Deus vocatur Pater luminum, ita illuminandi gratia penes Spiritum reſidet. Quoniam autem donorum varietas à Spiritu diſtribuitur, ſeptem fuerunt lucernæ, quæ externo aſpectu repræſentarent quod docet Paulus, Unicuique dari manifeſtationem Spiritus in ædificationem: aliis per Spiritum dari ſermonem ſapientiæ, aliis ſermonem ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum, aliis fidem in eodem Spiritu, aliis gratiam ſanitatum, aliis operationem virtutum, aliis prophetiam, aliis diſcretionem ſpirituum, aliis genera linguarum, aliis interpretationem. Hæc autem omnia operari unum & eundem Spiritum, qui dividit ſingulis prout vult. Quanquam in numero ſeptenario quidam fruſtra myſterium fabricarunt. Unde vulgare commentum in Papatu de ſeptiformi Spiritus gratia: quod tam ex loco Pauli nuper citato, quam ex undecimo capite Jeſaiæ refellitur, ubi plures numerantur ſpecies donorum. Potius in ſeptem lucernis notari arbitror perfectionem, ex communi & recepto uſu: acſi teſtatus eſſet Deus, nihil ad ſolidam illuminationem fidelibus defore, qui eam ex unico fonte petent. Deinde Spiritum eſſe ſacrorum omnium præſidem, ubi Eccleſiæ per dona ſua affulget. Jam Propheta docere volens com-

Zach. 4. verſ. 2.

Jeſa. 60. verſ. 2.

Jeſa. 60. verſ. 20.

1 Cor. 12. verſ. 8.

completum iri in reſtitutione Eccleſiæ, quod ſub viſibili figura oſtenſum fuerat, ſeptem infuſoria lucernis adjungit, & duas oleas, ex quibus aſſidue diſtillet oleum: ne metuendum ſit à penuria, vel defectu. Quo ſignificat, multiplicem bonorum copiam Deo ſuppetere, ut Eccleſiam locupletet: atque ita ad Eccleſiæ conſervationem ſufficere virtutem quæ è cælo defluit. Quemadmodum illic in contextu ſubjicitur, Non in exercitu, neque in fortitudine, ſed in Spiritu meo, dicit Jehova. Etſi enim hominum miniſterio, & terrenis mediis pro arbitrio ſuo utitur Deus ad tuendam & fovendam Eccleſiam: vult tamen omnium laudem ſibi adſcribi, ut æquum eſt: deinde vult fideles ſuo præſidio contentos, non tamen debilitari animis, quamvis nullam in mundo fiduciæ cauſam reperiant.

40. *Vide autem ut facias.*] Rurſus inculcat quod vidimus, ut omnia exacte formari curet Moſes ad archetypum vel exemplar in monte viſum. Certum autem eſt, non agi de ſpectro aliquo, ſed externa ſanctuarii ornamenta referri ad ſpiritualem ſuum finem: quemadmodum ex Stephani & Apoſtoli interpretatione liquet. Quare nihil mirum, ſi Propheta Deum palam facturum ſub regno Chriſti dicat, & quidem certo experimento, non fuiſſe inane ſpectaculum, quod Deus veteri populo ſub Lege ediderat.

Ex Exodi XXVII.

20. Tu quoque præcipe filiis Iſraël ut accipiant tibi oleum olivæ purum, contuſum, pro luminari, ut ardere faciant lucernas ſemper.

21. In tabernaculo conventionis extra velum quod eſt ſuper teſtimonium, diſponet illas Aharon & filii ejus à veſpera uſque mane coram Jehova: ſtatutum perpetuum generationibus eorum à filiis Iſraël.

Ex Levit. XXIV.

1. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Præcipe filiis Iſraël ut afferant tibi oleum olivæ purum, contuſum, pro luminari, ad accendendas lucernas ſemper.

3. Extra velum teſtimonii in tabernaculo conventionis diſponet eas Aharon à veſpera uſque mane coram Jehova ſemper: ſtatutum perpetuum erit in generationibus veſtris.

4. Super candelabrum mundum diſponet lucernas coram Jehova ſemper.

Exod. 27. 20. *Tu quoque præcipe filiis.*] Hos duos locos aliunde huc tranſtuli, quoniam ad uſum tabernaculi pertinent. Jubentur enim filii Iſraël tantum olei conferre quantum ſeptem lucernis ſufficiat. Porro quia cæleſte lumen, & Spiritus ſancti gratia (ut vidimus) veritas fuerunt hujus viſibilis ſymboli, purum oleum requirit Deus, hoc eſt, non fæculentum, vel mixtum cum amurca: quia ſi quid fuiſſet vitii, tantundem ex myſterii dignitate fuiſſet detractum. Puritas igitur docuit nihil ſordidum aut vulgare illic ſignificari: ut ipſi quoque Iſraëlitæ puras mentes afferrent, & ad conſiderandam ſpiritualem lucem rite paratas & diſpoſitas. Iterum repetit, opportune & ſuis horis ſuggerendum eſſe oleum, ut ſemper ardeant lucernæ: ut diſcerent filii Iſraël, nihil magis alienum eſſe à cultu Dei, quam obſcuritatem & tenebras: nec variandum eſſe intervallis, quin perpetuo tenore præfulgeat è cælo Spiritus directio. Itaque ſecundo loco ter inculcat particulum Semper: ne qua in parte verum lumen ſuffocetur. Has partes injungit Deus ſacerdotibus: quia lucis miniſtros eſſe oportet dum Legis ſunt interpretes, quæ à Davide vocatur lucerna regendis pedibus, & lumen ſemitis monſtrandis. Sed quid ſibi vult oblatio populi, quum nihil materiæ ſupperat hominibus ad mentes ſuas ſpiritualiter illuſtrandas? Reſpondeo, in Legalibus figuris non adeo ſcrupuloſe ad amuſſim exigendas eſſe ſingulas partes, ut nihil ſit in ſigno externo cui non reſpondeat veritas: deinde quamvis nihil proprium & à ſeipſis afferant homines, quo tamen ſe magis ſtrenue exerceant ad ſtudium colendi Dei, merito ab illis exigi ut ſe ſuaque dedicent in ſacros uſus. In fine ubi additur, Statutum perpetuum, intellige uſque ad ſolidam earum rerum exhibitionem, quarum figura erat candelabrum cum ſuis lucernis. Qua de re in Geneſin diſſerui. Statutum hoc dicitur à filiis Iſraël, quia hanc obſervationem ab illis exigat Deus: niſi placeat cum Hieronymo vertere, Coram filiis Iſraël. Quod alii exponunt, Apud filios Iſraël, vel à patribus ad filios, durius eſt & proſus coactum. *Pſal. 119. verſ. 105.*

Ex Numer. VIII.

1. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Loquere ad Aharon, & dicas illi, Quando accendes lucernam, contra faciem candelabri lucebunt ſeptem lucernæ.

4. Fecitque ita Aharon: contra faciem candelabri accendit lucernas ejus, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

4. Et hoc eſt opus candelabri, ductile aureum uſque ad haſtile ſuum, uſque ad flores ſuos ductile erat: juxta exemplar quod oſtenderat Jehova ipſi Moſi, ſic fecit candelabrum.

2. *Quando accendes lucernam.*] Hoc præceptum inſeritur non ſuo loco, ut pleraque. Declarat autem rurſus Moſes quis fuerit uſus candelabri, & quomodo aptari debuerint lucernæ, ut fulgor ſpargeretur per ſanctuarium, & auri ſplendor ex oppoſito micaret. Ideo enim voluit Deus lucernas accendi contra faciem, vel è regione candelabri, ut ipſa luminis fultura ſuum decus retineret. Porro, ut de re minime ſpernenda, exprimitur, Aharon paruiſſe Dei imperio, ſicuti à Moſe acceperat. Quo etiam pertinet quod proxime ſequitur, compoſitum fuiſſe ad exemplar quod viderat Moſes in monte. Illud autem fuit (ut ante expoſui), Deum eſſe patrem luminum, qui Spiritu ſuo Eccleſiam illuſtrat, ne oberret in tenebris: atque ita quum occupat caligo totum mundum, fidelibus ſuis eſſe pro ſole & luna in lucem perpetuam, ut dicit Jeſaias. *Jeſa. 60. verſ. 19.*

Ex Exodi XXVI.

TAbernaculum vero facies è decem cortinis è byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci: Cherubim opere phrygionico facies.

2. Longitudo cortinæ unius erit octo & viginti cubitorum: & latitudo cortinæ unius, quatuor cubitorum: menſura una erit omnibus cortinis.

3. Quinque cortinæ erunt conjunctæ altera cum altera, & quinque aliæ cortinæ conjunctæ altera cum altera.

4. Facies quoque laqueolos hyacinthinos in ora cortinæ unius in extremo in conjunctione: & ſic facies in ora cortinæ extrema in conjunctione ſecunda.

5. Quinquaginta laqueolos facies in cortina una, & quinquaginta laqueolos facies in extremo cortinæ quæ eſt in conjunctione ſecunda: oppoſiti erunt laqueoli alter alteri.

6. Facies item quinquaginta uncinos aureos, & ita conjunges cortinas alteram cum altera per uncinos: atque ita fiet tabernaculum unum.

7. Facies inſuper cortinas è pilis caprarum in tentorium ſuper tabernaculum: undecim cortinas facies eas.

8. Longitudo cortinæ unius, triginta cubitorum: & latitudo cortinæ unius, quatuor cubitorum: menſura una erit undecim cortinis.

9. Et conjunges quinque cortinas ſeorſum, & ſex cortinas ſeorſum: & conduplicabis cortinam ſextam è regione faciei tentorii.

10. Facies autem quinquaginta laqueolos in ora cortinæ unius in extremo in conjunctione, & quinquaginta laqueolos in ora cortinæ conjunctionis ſecundæ.

11. Facies item uncinos æreos quinquaginta, quos induces in laqueolos, & conjunges tentorium, & erit unum.

12. Superfluitas autem quæ redundat in cortinis tentorii, nempe dimidium cortinæ redundantis, ſuperfluet à tergo tabernaculi.

13. Cubituſque hinc, & cubitus illinc, qui redundat in longitudine cortinarum tentorii, redundabit ſuper latera tabernaculi hinc & inde, ut tegat illud.

14. Facies item operimentum tentorio è pellibus arietum rubefactis: operimentum item è pellibus taxorum ſuperne.

15. Facies & tabulas tabernaculo è lignis Sittim ſtantes.

16. Decem cubitorum longitudo tabulæ: cubiti vero & dimidii latitudo tabulæ unius.

17. Duo cardines erunt tabulæ uni, inſtar graduum ſcalæ diſpoſiti, alter è regione alterius: ſic facies omnibus tabulis tabernaculi.

18. Facies autem tabulas tabernaculo, viginti tabulas ad latus Meridianum ad Auſtrum.

19. Et quadraginta baſes argenteas facies ſub viginti tabulis: duas baſes ſub una tabula, pro duobus cardinibus ejus: & duas baſes ſub tabula altera, pro duobus cardinibus ejus.

20. In latere vero tabernaculi ſecundo ad plagam Aquilonis, viginti tabulas.

21. Et quadraginta baſes earum argenteas: duas baſes ſub una tabula, & duas baſes ſub tabula altera.

22. Porro in latere tabernaculi ad Occidentem facies ſex tabulas.

23. Et duas tabulas facies angulis tabernaculi in latere Occidentali:

24. Quæ erunt quaſi gemellæ inferne, & ſimul erunt quaſi gemellæ in faſtigio ejus in circulum unum: ſic erit de duabus illis: in duobus angulis erunt.

25. Erunt igitur octo tabulæ, & baſes earum argenteæ, ſexdecim baſes: duæ baſes erunt ſub tabula una, & duæ baſes ſub tabula altera.

26. Facies etiam vectes è lignis Sittim, quinque tabulis pro latere tabernaculi uno:

27. Et quinque vectes tabulis pro latere tabernaculi altero: & quinque vectes tabulis pro latere tabernaculi, pro latere *inquam vergente* ad Occidentem.

28. Vectis autem medius per medium tabularum tranſibit ab extremo ad extremum.

29. Tabulas vero teges auro, atque annulos earum facies ex auro, per quos trajicientur vectes, cooperieſque vectes ipſos auro.

30. Et ita eriges tabernaculum ſecundum diſpoſitionem ejus, quæ tibi oſtenſa eſt in monte.

31. Facies & velum ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta: opere phrygionico facies illud cum figuris Cherubim.

32. Et pones illud ſuper quatuor columnas Sittim obductas auro (uncini earum aurei) ſuper quatuor baſes argenteas.

33. Poneſque velum ſub uncinis, & introduces illuc intra velum Arcam teſtimonii: divideque velum illud vobis inter Sanctum & Sanctum ſanctorum.

34. Pones inſuper propitiatorium ſuper Arcam teſtimonii in Sancto ſanctorum.

35. Pones quoque menſam illam extra velum, & candelabrum è regione menſæ in latere tabernaculi ad Meridiem, & menſam pones in latere Aquilonis.

36. Et

36. Et facies velum ad oſtium tabernaculi ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta, opere acupictoris.

37. Velo autem facies quinque columnas ex Sittim; quas teges auro, & uncini earum aurei, fundeſque eis quinque baſes æreas.

1. *Tabernaculum vero facies.*] In tota ſtructura tabernaculi tenendum eſt quod ante vidimus, edoctos fuiſſe Iſraelitas ſub externis figuris, quam pretioſa res eſſet cultus Dei: ideoque ſedulo cavendum eſſe, ne ullis ſordibus inquinaretur. Nam magnifica illa ornatus dignitas ſordibus oppoſita fuit. Admoniti etiam fuerunt, ſi cenſeri vellent puri Dei cultores, cavendum eſſe ab omni immunditie: nam Eccleſiæ imago tabernaculum fuit. Ita per externa ornamenta, ſpiritualium donorum excellentiam fuiſſe
Iſa. 54. verſ. 11. deſignatam certum eſt. Qua ratione Jeſaias de perfecta Eccleſiæ gloria diſſerens, qualis futura erat ſub regno Chriſti, Fundabo, inquit, ſuper carbunculum lapides tuos, fundabo te in ſapphyris, ponam cryſtallum feneſtras tuas, portas tuas igne rutilantes, & omnes terminos tuos lapides pretioſos. Quibus verbis haud dubie ſignificat, Eccleſiam illuſtrem fore cæleſti decore: quoniam in ea fulgebunt omne genus virtutes. Summa tamen ornatus præſtantia referri debuit ad doctrinam, quæ nos ad imaginem Dei reformat. Itaque David, dum pulchritu-
Pſal. 27. verſ. 4. dinem domus Dei commendat, hunc honorem potiſſimum fidei & pietatis exercitiis tribuit: Unum petii à Domino, inquit, hoc idem requiram, ut maneam in domo Domini cunctis diebus vitæ meæ: quo videam pulchritudinem Jehovæ, & luſtrem templum ejus. An ut oculos inanibus picturis, ſumptuoſa materia, & exquiſito operum artificio paſceret? Certe de curioſo aſpectu non loquitur: ſed ita alludit ad viſibile opificium, ut ſpiritualibus fidei oculis conſideret gloriam toto mundo excellentiorem, quæ illic repræſentata fuit. Nec vero quicquam magnificum apparuit in tabernaculo, quod homines aſpectu oblectaret: quin potius tota opulentia & venuſtas pilis caprarum & vili corio obtecta fuit, ut fideles in illa pulchritudine abſcondita aliquid ſenſu carnis altius reputarent. Hæc in genere libaſſe ſufficiat. Nunc ad partes deſcendo, in quibus nè à me expectent lectores argutias quæ aures titillent: quia nihil melius eſt quam intra ædificationis metas ſe continere. Et puerile eſſet, minutias colligere, in quibus plerique philoſophantur: quum Deo minime propoſitum fuerit, ſingulis uncinis & laqueolis includere myſteria. Atque ut nulla pars myſtico ſenſu caruerit (quod tamen nemo ſanus admittet) præſtat inſcitiam fateri quam frivolis divinationibus ludere. Cujus etiam ſobrietatis idoneus nobis eſt magiſter auctor Epiſtolæ ad Hebræos: qui tametſi ex profeſſo analogiam demonſtrat inter umbras Legales & veritatem in Chriſto patefactam, parce tamen quædam duntaxat capita attingit: quem modum tenendo, à nimia diſquiſitione, & altis ſpeculationibus nos retrahit. Primo loco ponuntur cortinæ ex byſſo retorta, hyacintho, purpura, & coccino: quæ ſimul connexæ circuitum faciebant quadraginta cubitorum. Decem enim erant numero, & cujuſque latitudo quatuor cubiti. Per opus artificis, conſentiunt interpretes notari phrygionicam texturam: præcipue quum jubeat Deus Cherubim in illis fieri. Porro nomen Cherubim quidam generali nomine vertunt Picturas. quod tametſi ſecundum Grammaticam non male convenit, quia tamen ante vidimus, hac voce deſignatos fuiſſe Angelos, veriſimilius eſt ubique ſparſas Angelicas effigies: quia ubi ad vivum exprimitur Dei majeſtas à Daniele, dicuntur myriades myriadum aſtare ad ejus tribunal in toto circuitu. Ridiculi vero Papiſtæ, qui inde colligunt, vaſta & deformia eſſe templa, niſi imaginibus ornentur. Nam ut conveniat ſimilitudo, triplici tegumento ſuas imagines occultent neceſſe eſt, ne veniant ſub populi conſpectum. Tunc autem quomodo eſſent idiotarum libri, ſicuti volunt? Jam quum Seraphim, quorum meminit Jeſaias, idem ſignifi-
Iſa. 6. verſ. 6. cent quod Cherubim: dicantur autem duabus alis facies ſuas tegere, & duabus pedes ſuos, velatas eſſe imagines oportet quæ illis reſpondeant. Adhæc præpoſterum eſt (ut dixi) rudimenta quæ nonniſi veteri populo Deus tradidit, ad temporum plenitudinem trahere, poſtquam adolevit Eccleſia, & pueritiam egreſſa eſt. Quam vero longe abfuerint Judæi à colendis Cherubim, profani etiam Poëtæ teſtimonium illis reddunt. De illis enim loquens Juvenalis, dixit,

Qui puras nubes, & cæli numen adorant.

Atque hanc vocem homini impiùs & obſcœnè extorſit Deus, ut omnibus notum eſſet, Legem Moſis ſuos diſcipulos ſurſum attollere. Ponitur deinde triplex tegumentum, interius ex pilis caprarum, alterum ex pellibus arietum rubricatis, ſummum vero ex taxorum pellibus: additur tabulatum, quod intus ſua firmitate tabernaculum ſtabiliat, quia alioqui cortinæ levi motu agitatæ locum mutaſſent. Tabulæ autem ex lignis Sittim confectæ erant, ſed ſuperficie aurea, ſive tantum deauratæ fuerint, ſive laminis obductæ: ſingulæ duabus argenteis baſibus ſuſtultæ erant, inſtar pedum: vectibus autem per aureos circulos transmiſſis, inter ſe compactæ erant. Hoc ſpatio continebatur totum tabernaculum, quod deinde in ſanctuarium prius, & Sanctum ſanctorum diſtinguebatur. Acceſſit tertio loco atrium, in quo populum ſubſiſtere oportuit: quia fas non erat ſanctuarium ingredi, quod ſolis ſacerdotibus patebat, & quidem mundis. Itaque David, poſtquam exclamavit dilecta eſſe tabernacula Dei virtutum, ſubjicit continuo poſt, Concupiſcit & deficit anima mea *Pſal. 84. v. 3, 11.* in atriis Jehovæ. Item, Melior eſt dies una in atriis Jehovæ. Item, Adorate in atrio ſancto ejus. Quam teſtimoniis, quæ plura apud eum occurrunt, in re non dubia opus non eſt. Diſpoſitio tabernaculi iterum verſu triceſimo dicitur in monte oſtenſa, ne populus in viſibili tabernaculo ſubſiſtat, ſed fidei intelligentia penetret in cælum, & ſenſus dirigat in exemplar ſpirituale, cujus umbras cernebat & imagines. Neque tamen hic curioſius philoſophandum. Multorum auribus placebit allegoria, per duas baſes intelligi vetus & novum Teſtamentum, vel duas Chriſti naturas: quia duabus iſtis futuris nituntur fideles. Atqui non minus probabiliter dicere licebit, duas baſes ſingulis tabulis fuiſſe ſuppoſitas: vel quia pietas promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ: vel quia tentationibus, quæ nos à dextris & ſiniſtris impetunt, ab utroque latere reſiſtendum eſt: vel quia fides claudicare non debet, nec deflectere ad dextram & ſiniſtram. ſic nullus erit ludendi modus. Tectum tabernaculi allegorice exponunt fuiſſe contextum ex pelle arietis, quia protegitur Eccleſia Chriſti ſanguine, qui eſt agnus immaculatus. ſed quæro quid ſignificent quæ addduntur taxorum pelles, cur ſubjiciatur tectorium inferius ex pilis caprarum. Quare utilior eſt ſobrietas.

31. *Facies & velum.*] Uno velo obductum fuit adytum interius vel penetrale, altero Sanctum ab atrio fuit diviſum. Utroque admonitus fuit populus, quam reverenter ſuſpicienda eſſet Dei majeſtas, & quanta ſacris adhibenda eſſet religio: ut nonniſi cum timore accederent ad Dei conſpectum, neque audacter perrumperent in ſacrorum myſteria. Præcipue tamen velo deſignata fuit Legalium umbrarum obſcuritas, ut ſcirent Iſraelitæ nondum veniſſe plenè

revelationis tempus, ſed cultum Dei ſpiritualem velo adhuc eſſe implicitum: atque ita fidem ſuam extenderent ad Meſſiam ſibi promiſſum, cujus adventu nuda veritas patefieret. Itaque quum Chriſtus à morte reſurrexit, velum templi à ſummo uſque ad imum in duas partes ſciſſum fuit: ac tunc ceremoniis Legalibus impoſitus fuit finis, quia tunc ſe repræſentavit Deus in viva ſua & expreſſa imagine, & perfecta omnium ceremoniarum veritas fuit exhibita. Nunc ergo in luce Euangelii cernimus facie ad faciem quod tunc ſub involucris procul oſtenſum fuit veteri populo. Etſi autem nunc velum non obtenditur, quominus palam & familiariter Chriſtus nobis appareat: diſcamus tamen ex figura illa, reconditum & incomprehenſibile myſterium eſſe, quod Deus in carne manifeſtatus fuit. Corpus ſuum non abs re Chriſtus ipſe templo comparat, quia in eo habitat plenitudo deitatis. Certo igitur ſcimus, Patrem in Filio, & Filium in Patre eſſe. Verum ſi de modo quæritur, ineffabilis eſt: niſi quod æternus Dei Filius qui ante mundi creationem eadem cum Patre gloria pollebat, nunc idem eſt etiam homo, ut ſit primogenitus inter multos fratres.

Mat. 27. *verſ.* 51.

2 *Cor.* 3. *verſ.* 13.

1 *Tim.* 3. *verſ.* 16. *Joan.* 2. *verſ.* 19. *Joan.* 17. *verſ.* 5. *Rom.* 8. *verſ.* 29.

Ex Exodi XXVII.

1. Facies etiam altare è lignis Sittim: quinque cubitorum erit longitudo, & quinque cubitorum latitudo: quadratum erit altare: & trium cubitorum altitudo ejus.

2. Huic facies cornua in quatuor angulis ejus: ex ipſo erunt cornua ejus, tegeſque illud ære.

3. Facies deinde lebetes ejus ad repurgandum cinerem ejus, & * ſcopas ejus & crateras ejus, & fuſcinulas ejus, & receptacula ejus: omnia vaſa ejus facies ex ære.

* vel, forcipes.

4. Facies etiam illi craticulam opere craticulato æream, & ad rete quatuor annulos, in quatuor extremitatibus ejus.

5. Poneſque illud ſub ambitu altaris inferne, & erit rete illud uſque ad medium altaris.

6. Facies præterea vectes altari, vectes è lignis Sittim, & cooperies eos ære.

7. Et inferentur vectes ejus in illos annulos: & erunt vectes in utroque latere altaris, dum portabitur illud.

8. Cavum tabulis facies illud: quemadmodum oſten di tibi in monte, ſic facient.

1. *Facies etiam altare.*] Hic deſcribitur altare holocauſtorum. quod tamen ſic vocatum fuit per ſynecdochen: quia non tantum integræ victimæ illic exuſtæ ſunt, ſed etiam partes duntaxat, ſicuti in Levitico videbimus. Porro ſacrificiis ignitis nomen impoſitum fuit ab aſcenſu. Quo admoniti fuerunt Iſraëlitæ, purgatione opus eſſe ut ad Deum conſcenderent: ſimul edocti fuerunt, quicquid in carne eſſet corruptionis, non obſtare quominus grata inde & boni odoris ſacrificia Deo eſſent. A primo generis humani exordio ignita fuiſſe ſacrificia liquet, dictante ſcilicet arcano Spiritus Dei inſtinctu, quoniam lex nulla ſcripta erat. Nec dubium eſt quin hoc ſymbolo edocti fuerint, ut ſe rite offerant homines Deo, ſpiritu exurendam eſſe carnem: adeoque ſub typo agnoverint, ut perfecta ad Deum placandum victima eſſet Chriſti caro, id ex cæleſti virtute ſumpturam: ſicuti (teſte Apoſtolo) per Spiritum ſe obtulit. Sed hujus rei alibi fiet amplior mentio. Porro ſic compoſitum erat altare, ut ſuper cratem intrinſecus locatam conjicerentur hoſtiæ, quas ſuperficies tegeret: cinis autem vaſe reciperetur, ne temere in terram caderet pedibus calcandus: ut in ipſis quoque ſactorum reliquiis commendaretur ſanctitas. Ad quatuor cornua quæ prominebant ex quatuor angulis, alligatas fuiſſe victimas, ex Pſalmo patet, Ligate agnum funibus uſque ad cornu altaris. Et hoc quoque in ſpiritualibus hoſtiis juſtæ oblationis principium, omnes carnis laſcivias ſubjici, & quaſi teneri captivas, ut Deo pareant. Quare & Chriſtus, tametſi nihil in ipſo erat niſi recte moderatum, ligatus tamen fuit, ut obedientiam ſuam probaret: ſicuti dixerat, Non voluntas mea fiat, ſed tua. Vectibus geſtatum fuit altare, ne plura fierent. Alioqui enim periculum erat, ne ipſa difficultas tollendi cogeret relinquere quod jam factum eſſet, ſi longum iter ſuſciperent: ita ſemen vel materia ſuperſtitionis fuiſſet: deinde non poterat aliud fabricari quam adulterinum.

Hebr. 9. *verſ.* 14.

Pſal. 118. *verſ.* 22.

Mat. 26. *verſ.* 39.

9. Facies inſuper atrium tabernaculi ad plagam Meridianam auſtralem: cortinæ erunt atrio è byſſo retorta: centum cubitorum erit longitudo angulo uni.

10. Columnæ autem ejus erunt viginti, & baſes earum viginti æreæ: capitella columnarum & fila earum argentea.

11. Et ſic lateri Aquilonari in longitudine erunt cortinæ centum, & columnæ ejus viginti, baſeſque earum viginti æreæ: capitella columnarum & fila earum argentea.

12. Porro in latitudine atrii ad latus Occidentale, erunt cortinæ quinquaginta cubitorum: & columnæ earum erunt decem, & baſes earum decem.

13. In latitudine vero atrii in latere Orientali ad Orientem, quinquaginta cubiti erunt.

14. Quindecim autem cubitorum erunt cortinæ lateri uni: columnæ earum tres, baſeſque earum tres.

15. Lateri vero ſecundo quindecim cortinæ: columnæ earum tres, & baſes earum tres.

16. Et portæ atrii diſponetur aulæum viginti cubitorum ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta, opere acupictoris: columnæ earum quatuor, baſeſque earum quatuor.

17. Omnes columnæ atrii in circuitu cinctæ erunt argento: capitella vero earum erunt argentea, & baſes earum æreæ.

18. Longitudo atrii erit centum cubitorum, & latitudo quinquaginta in quinquaginta, altitudo autem quinque cubitorum: ex byſſo retorta, & baſes earum æreæ.

19. Omnia vaſa tabernaculi in omni miniſterio ejus, & omnes paxilli ejus, & omnes paxilli atrii, ex ære.

9. *Facies*

9. *Facies insuper atrium.*] Duo erant atria à sanctuario divisa, unum sacerdotale, alterum commune totius populi. Priori annexa erant cubicula, in quibus degebant Levitæ tabernaculi custodes. Ideo aliquoties atria ponuntur numero plurali, & maxime in Psalmis. Hic de atrio populi agitur, ubi victimas conficrabant, concipiebant vota, & Deo recolitilibantur. Hoc quidem modo Israelitis oblenta fuit hominum conditio, quum ab ingressu templi prohiberentur: simul tamen admoniti fuerunt, horsines quantumvis indigni & rejectitios, à Deo admitti, modò suppliciter & quà decet humilitate ipsum quærant, indignitatis suæ memores. Hinc solatium illud de quo gloriatur David, Mihi potius est habitare in atriis Domini quam in splendidis tentoriis impiorum. Porro compositum erat atrium ex quatuor cortinis: quarum duæ à lateribus versûs Meridiem & Aquilonem, centenos cubitos longæ erant, & columnis vicenis fulciebantur, quarum bases erant æneæ, capitella cum cincturis argenteæ: ad Orientem vero & Occasum singulæ cortinæ quinquaginta cubitorum erant, & decem columnis sustinebæ. Longitudinem verò intellige, non à terra sursum, sed inter duos angulos oppositos. Atrium enim dimidio longius quam latum erat: sicuti dicitur versu 28. Quod postea duo latera recenset Moses, & cuique assignat quindecim cubitos, speciem haberet repugnantiæ, nisi continuo post subjiceret aulæum, vel cortinam, quæ tegebat portam atrii, cui attribuit viginti cubitos. Ita respondet justa mensura. Optime autem quadrat contextus: postquam enim dixit versu 13. cortinam quæ spectabat versus Orientem, constare quinquaginta cubitis, exegetice adjungit duas fuisse cortinas à lateribus portæ, tertiam fuisse mediam qua tegebatur porta, ut tres efficerent quinquaginta cubitos. Porta autem suo aulæo obtecta erat, ut apud se reputarent Israelitæ, quoties sanctuarium ingrediebantur, non esse profanum vel promiscuum locum: si vero puri & casti illuc venirent, certo perfuasi essent se Dei protectione tutos & salvos esse. Denique & sacrorum majestas sub hac umbra illis ostensa fuit, quo reverenter ad Deum colendum accederent: & de sua indignitate fuerunt admoniti, quo magis se humiliarent coram Deo, & pœnitentiam gigneret metus: & commendata illis fuit sapiendi sobrietas, ne ultra modum essent curiosi. Gentium etiam sacris fuerunt sua adyta in hunc finem: sed longe diversa ratio. Bruta enim fuit religio, cui ex tenebris & ignorantiæ integumentis veneratio quæsita fuit. Deus autem populum suum in modestia & simplicitate continens, Legem simul proposuit, ex qua discerent quantum scire fas & utile erat.

Psal. 65. vers. 5. 84. 2. 92. 14. 96. 8.

Psal. 84. vers. 11.

Ex Exodi XXIX.

36. Juvencum pro peccato facies in singulos dies pro expiationibus: & expiabis altare expiando ipsum, ungesque illud ad ipsum sanctificandum.

37. Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis illud: eritque sanctitas sanctitatum: quicquid tetigerit altare, sanctificabitur.

36. *Juvencum pro peccato.*] Quum vetus altare non minus Christi fuerit figura quam sacerdos, quæri merito potest, quid sibi velit expiatio, actus quid in Christo impurum esset vel pollutum. Sed tenendum est quod prius attigi, nullum simile esse idem. Neque enim tunc in sua perfectione repræsentari potuit umbrarum substantia & veritas. Hæc tamen apta fuit similitudo, non aliter Deum posse generi humano propitiari, quam expiatione per sanguinem facta. Hac ratione non tantum purgari altare, sed in suum usum dicari oportuit, ut inde prodiret reconciliatio; quod Sanctificandi verbo exprimitur: præsertim quia simul additur, Sanctitas sanctitatum erit, ut sanctificet quicquid in eo fuerit repositum. Alii legunt in genere masculino, Qui tetigerit, sanctus erit: ac de sacerdote accipiunt, cui jure unctionis licebat ad altare accedere. sed potius commendat altaris consecrationem ab effectu, quia sanctificet ipsas hostias. Summa est, corpus Christi, quatenus in victimam oblatum fuit, & sanguine consecratum, placuisse Deo: ut ejus sanctitas sordes nostras omnes abluat & aboleat. De unctione paulo post.

Ex Exodi XXX.

1. Facies & altare suffimenti fussitus, ex lignis Sittim facies illud.

2. Cubitus longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, quadratum erit: & duo cubiti altitudo ejus: ex ipso cornua ejus.

3. Teges illud auro puro, tectum ejus vel parietes ejus per circuitum, & cornua ejus: faciesque ei coronam auream per circuitum.

4. Duos etiam annulos aureos facies ei infra coronam ejus, in duobus angulis ejus, in utroque latere ejus: & per illos trajicientur vectes ad illud cum ipsis portandum.

5. Facies autem vectes illos ex lignis Sittim, & teges eos auro.

6. Et pones illud ante velum quod erit juxta Arcam testimonii, ante propitiatorium, quod erit super testimonium, ubi conveniam tecum.

7. Et adolebit super illud Aharon suffitum aromatum singulis matutinis: quando aptabit lucernas, adolebit illum.

8. Et quando accendet Aharon lucernas inter duas vesperas, adolebit suffitum illum jugiter coram Jehova in generationibus vestris.

9. Non offeretis super illud suffitum alium, neque holocaustum, neque minha: sed nec libamen libabitis super illud.

10. Et expiabit Aharon super cornua ejus semel in anno sanguine oblationis pro peccato expiationum: semel in anno expiabit super illud in generationibus vestris. Sanctitas sanctitatum est Jehovæ.

1. *Facies, & altare.*] Nunc præcipit Deus de altari thymiamatis, quo certior redditus fuit populus suavem esse Legalis cultus fragrantiam. Viguit quidem etiam apud Gentes hic ritus: (unde apud profanos scriptores crebra thuris adolendi mentio) sed quorsum tenderet, ipsas latuit. Neque etiam illis curæ

curæ fuit legitimum finem respicere, quum se nudo symbolo defungi putarent. Sed hoc modo animare voluit Deus suos fideles, quum scirent quem præstabant cultum ex ejus mandato, spirare bonum odorem. Interea ipsos admonuit, diligenter cavendum esse, ne qua immundities eorum sacrificia inficeret, sed ut purgata & pura venirent in ejus conspectum. Et David specialiter hanc figuram ad preces accommodat, quum dicit, Ascendat coram te oratio mea sicut suffitus. Ergo sicut altare de quo vidimus, victimis destinatum fuit ad Deum placandum: ita & hoc alterum, suffitus sui odore sacrificia aspersit, ut Deo grata essent. Ideo juxta Arcam testimonii locatum fuit, velo tamen interposito, ut ejus odor, nullo interposito obstaculo, statim ad Deum penetraret. In verbis nulla est ambiguitas, nisi quod per mane & inter duas vesperas, quidam bis idem repeti existimant. alii faciunt diversas oblationes. quod secundum magis probabile est, mane scil. ac vesperi suffitum fuisse oblatum. Postea vetat vel altare transferri in alienos usus, vel genus aliud thymiamatis adoleri: ide quo alibi præcipiet.

Psal. 141. vers. 2.

10. *Et expabit Aharon.*] Hic notanda est mutua symmetria inter utrumque altare. Nam ut admoniti fuerunt Israëlitæ, sacrificia non aliter placere Deo nisi pura & sanctis precibus abstersa esset omnis immundities: ita altare thymiamatis sanguinis aspersione purgatum fuit, ut diceretur preces à sacrificio gratiam mutuari. Id autem tametsi semel in anno fiebat, quotidie tamen revocandum erat in memoriam: ut fide & precibus adoleret mortem Christi: & tamen preces suas scirent non bene olere, nisi quatenus asperſæ erant sanguine expiationis.

Ex Exodi XXX.

34. Et dixit Jehova ad Mosen, Accipe tibi aromata, staeten, & onychen, & galbanum, aromata, & thus purum: ut pondus ponderi respondeat.

35. Et facies ex eo suffimentum aromaticum, opus aromatarii, mistum, purum & sanctum.

36. Et contundes ex eo comminuendo: ponesque ex eo coram testimonio in tabernaculo conventionis, in quo conveniam tecum. Sanctitas sanctitatum erit vobis.

37. Suffimentum quod facies secundum compositionem ejus non facietis vobis: Sanctitas tibi erit Jehovæ.

38. Quisquis fecerit simile ad adolendum illud, excidetur è populis suis.

34. *Accipe tibi aromata.*] Hæc oblatio inter alias numerari poterat: sed quia tantum describitur aromatica confectio, quæ altari thymiamatis conjuncta est, imo est ejus appendix, causam esse non putavi cur separarem. Species ipsas subtilius, si volent, discutiant curiosi: mihi satis est, eas Dei arbitrio esse electas quæ suavissimum odorem conficerent. Nam quod galbanum quidam fingunt esse gravis & fœtidi saporis, an bene conveniat, nescio. Et quia de re incognita divinant, parum fidei merentur. Statuo igitur olfactu fuisse jucundo: quod etiam Mosis verba paulo post confirmant, ubi edicta mortis denunciat, ne quis ad privatas delicias tali suffimento utatur, Quod certe vetare absurdum fuisset, nisi apprime delectabilis fuisset odor. Adde quod non staret analogia inter signum & rem figuratam, nisi suaveolentia testis fuisset Deum precibus suorum maxime oblectari. Porro quo plus reverentiæ haberet sacrum symbolum, mixturam illam in privatos usus transferre fas non fuit: quia ut rudi sunt & crasso ingenio homines, nihil illis proclivius est quam cælum terræ miscere. Ergo ut altius mentes erigerent, suffimentum ab usu communi remotum eligi oportuit, in quo specialis esset unique Deo dicata sanctitas.

Ex Exodi XXX.

17. Loquutus est etiam Jehova ad Mosen, dicendo,

18. Facies & concham æneam, & basin ejus æneam ad lavandum, ponesque illam inter tabernaculum conventionis & altare, & pones aquam in ea.

19. Lavabuntque ex ea Aharon & filii ejus manus suas & pedes suos.

20. Quando ingredientur tabernaculum conventionis lavabunt se aqua, ut non moriantur: aut quum appropinquabunt ad altare, ut ministrent, ut incendant oblationem ignitam Jehovæ.

21. Lavabunt inquam manus suas & pedes suos, ne moriantur: critque illis statutum perpetuum, ei scilicet & semini ejus per generationes suas.

18. *Facies & concham.*] Quanquam hæc ablutio, puritatis quam exegit Deus à suis sacerdotibus, fuit symbolum: quia tamen concha, vel labrum, unde aqua suppetebat, pars fuit aut vas unum sanctuarii, huc inferere visum est quod de ea præcipitur, non modo quoad fabricam, sed quoad usum, qui non poterat commode separari. Nam si nuda tantum labri aut vasis aquarii facta fuisset mentio, nullum inde fructum cepissent lectores. Verum ubi diserte jubet Deus, præsto esse aquam in receptaculo, qua manus & pedes abluant sacerdotes, hinc colligimus quanta reverentia & sanctitate sacra sua coli Deus voluerit. Vulgare quidem etiam apud Gentes proverbium fuit, impietatis reos esse qui sacra tractarent illotis manibus. Ceremonia quoque testati sunt, rite non litari nisi ab omni inquinamento & sorde purgati essent.

——*donec me flumine vivo Abluero,*

inquit ille apud Virgilium: & passim occurrunt tales sententiæ. Interdum etiam visi sunt recte collimare ad ipsum scopum: sicuti dum Poëta impios & sceleratos jubet à sacris facessere, ne ipsa contaminent: sed evanida fuit illa imaginatio, quia eos nulla respiscendi cura tetigit ad Deum placandum. Atque adeo ubi sedulo ablutionibus operam dabant, quid sibi vellet illud, mentes errore obtenebratas latuit. Præcipue tamen admoniti fuerunt Israëlitæ, quam indigni essent qui Deo offerrent sacrificia, quum sacerdotes ad hoc munus delectos arceret tua impuritas, donec aqua mundati essent. Porro manuum & pedum lotio omnes corporis partes notabat sordibus esse infectas. Nam quia Scriptura sæpe manus sumit pro vitæ actionibus, & totum vitæ cursum vitæ aut itineri confert, optime convenit hæc synecdoche, in manibus & pedibus mundari quaslibet sordes. Jam restat anagoge ad Christum, quæ paulo post ex sacrificiis melius cognosci poterit.

Ex

Ex Exodi XXVIII.

TU vero accerſe ad te Aharonem fratrem tuum & filios ejus cum eo, è medio filiorum Iſraël: ut ſacerdotio fungatur mihi Aharon, Nadab, Abihu, Elcazar, & Ithamar filii Aharon.

2. Et facies veſtes ſacras Aharoni fratri tuo, in gloriam & decorem.

3. Tu itaque alloqueris omnes ſapientes corde quos replevi ſpiritu ſapientiæ, ut faciant veſtes Aharon ad ſanctificandum eum, ut ſacerdotio fungatur mihi.

4. Hæ ſunt omnes veſtes quas facient, pectorale & ephod, & pallium & tunicam ocellatam, mitram & baltheum: facient inquam veſtes has ſacras Aharoni fratri tuo & filiis ejus, ut ſacerdotio fungantur mihi.

5. Qui accipient aurum & hyacinthum, & purpuram, & vermiculum cocci, & byſſum.

6. Facient autem ephod ex auro, hyacintho, & purpura, vermiculo cocci, & byſſo retorta, opere phrygionico.

7. Duæ oræ junctæ erunt in duabus extremitatibus ejus, & ita conjungetur.

8. Cingulum autem ipſius ephod ejus quod in eo erit, ſimile erit texturæ ipſius, ex ipſo erit: nempe ex auro, hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta.

9. Accipies quoque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël.

10. Sex è nominibus eorum in lapide uno, & nomina ſex reliqua in lapide altero, ſecundum generationes eorum.

11. Opere artificis lapidum & ſculpturis annuli ſculpes duos illos lapides nominibus filiorum Iſraël: circumdatos palis aureis facies eos.

12. Poneſque duos illos lapides in lateribus ephod, lapides memoriæ pro filiis Iſraël: & feret Aharon nomina eorum coram Jehova in duobus humeris ſuis ad memoriam.

13. Facies itaque palas aureas:

14. Et duas catenas ex auro puro terminatas, facies opere plectili, inſereſque catenas plectiles palis illis.

15. Facies deinde pectorale judicii, opere phrygionico: ſicut opus ephod facies illud, ex auro, & hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta.

16. Quadratum erit & duplicatum: palmus erit longitudo ejus, & palmus latitudo ejus.

17. Et implebis in eo impletione lapidum quatuor ordines lapidum. ordo erit talis: ſardius, topazius, & carbunculus, ordo primus.

18. Ordo vero ſecundus, ſmaragdus, ſapphirus, & jaſpis.

19. Ordo præterea tertius, lyncurius, achates, & amethyſtus.

20. Poſtremo ordo quartus, chryſolithus, onychinus, & beryllus: conſtricti auro erunt in plenitudinibus ſuis.

21. Porro lapides illi erunt juxta nomina filiorum Iſraël, duodecim, ſecundum nomina ipſorum, ſculpturis annuli ſinguli juxta nomen ſuum, erunt duodecim tribubus.

22. Facies & in pectorali catenas termini opere plectili ex auro puro.

23. Facies etiam in pectorali duos annulos aureos, & illos duos annulos pones in duabus extremitatibus pectoralis.

24. Pones item duas catenas aureas in duobus annulis in extremitatibus pectoralis:

25. Et duas extremitates duarum catenarum inferes duabus palis, & pones in lateribus ephod à fronte ipſius.

26. Facies & duos annulos aureos, quos pones in duabus extremitatibus ipſius pectoralis in ora ejus, quæ eſt in latere ipſius ephod intrinſecus.

27. Facies item duos alios annulos aureos, quos pones in duobus lateribus ipſius ephod inferne à fronte ejus, è regione conjunctionis ejus, ſupra baltheum ephod.

28. Ita jungent pectorale annulis ſuis ad annulos ipſius ephod filo hyacinthino, ſupra baltheum ipſius ephod, neque ſeparetur pectorale ab ephod.

29. Itaque feret Aharon nomina filiorum Iſraël in pectorali judicii ſupra cor ſuum, quando ingredietur in ſanctuarium, in memoriam coram Jehova jugiter.

30. Pones autem in pectorali judicii Urim & Thummim, ut ſint ſuper cor Aharon quando ingredietur coram Jehova: geſtabitque Aharon judicium filiorum Iſraël ſuper cor ſuum coram Jehova ſemper.

31. Facies & pallium ipſius ephod totum ex hyacintho.

32. Et erit foramen ſummæ partis ejus in medio ejus: labrum erit foramini illius in circuitu opere textoris, ſicut foramen loricæ erit ei, ne rumpatur.

33. Facies & in fimbriis ejus malogranata ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci: in fimbriis, inquam, ejus per circuitum: & tintinnabula aurea in medio per circuitum.

34. Tintinnabulum aureum unum & malogranatum, tintinnabulum aureum alterum & malogranatum in fimbriis pallii per circuitum.

35. Erit

35. Erit autem Aharon ad miniſtrandum, & audietur ſonus ejus quando ingredietur ſanctuarium coram Jehova, & quando egredietur: & non morietur.

36. Facies inſuper laminam ex auro puro, & ſculpes in ea ſculpturis annuli, Sanctitas ipſi Jehovæ.

37. Quam pones in filo hyacinthino, eritque ſuper cidarim: ex adverſo faciei cidaris erit.

38. Et erit ſupra frontem Aharon, feretque Aharon iniquitatem ſanctificationum quas ſanctificabunt filii Iſraël in omnibus muneribus ſanctificationum ſuarum: erit inquam ſupra frontem ejus jugiter in beneplacitum eis coram Jehova.

39. Et facies opere ocellato tunicam byſſinam, facies item cidarim byſſinam, cingulum quoque facies opere phrygionico.

40. Filiis autem Aharon facies tunicas, facies quoque illis cingula & pileos ad gloriam & decorem.

41. Et veſties illis Aharon fratrem tuum, & filios ejus cum illo, atque unges illos: implebisque manum eorum, & ſanctificabis eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.

42. Fac eis & feminalia linea ad tegendam carnem turpitudinis: à lumbis uſque ad femora erunt.

43. Eruntque ſuper Aharon & ſuper filios ejus quando ingredientur tabernaculum conventionis, aut quum accedent ad altare ut miniſtrent in ſanctuario: & non ferent iniquitatem, neque morientur. Statutum perpetuum illi & ſemini ejus poſt eum.

Nunc deſcendimus ad ſecundam partem cultus Legalis, nempe ad ſacerdotium. Tenendum enim memoria quod diximus, tria conſideranda eſſe, tabernaculum, munus ſacerdotale, & ſacrificia. Et totus quidem ſplendor tabernaculi, de quo diſſeruimus, inanis fuiſſet pompa ſine ſacerdote: qui ſic medius interceſſit, ut Deum hominibus reconciliaret, cælum quodammodo terræ conjungeret. Porro ſacerdotes Leviticos geſtaſſe Chriſti perſonam, minime dubium eſt: quia muneris ſui reſpectu, Angelis quoque ipſis fuerunt præſtantiores: quod minime quadraret, niſi imago ejus fuiſſent qui Angelorum ipſe eſt caput. Fuerunt quidem profanis gentibus ſacrorum antiſtites, ſed tantum fallaces larvæ: quia nulla illic Mediatoris fuit mentio: ut ſciret populus non aliter rite litari Deo, nec aliter preces ab eo exaudiri niſi pacificator medius interveniret. Levitici autem ſacerdotii longe alia ratio: quia edocti fuerunt Iſraëlitæ, indignos ſe eſſe omnes qui ſe coram Deo ſiſterent, atque ita interceſſore opus eſſe qui Deum placaret. Jam quum generalis regula tradita eſſet, omnia exigi & referri debere ad exemplar quod Moſi oſtenſum fuerat in monte, altius attolli oportuit eorum mentes: quod etiam multis rationibus colligere facile erat. Videbat totum vulgus hominem ſibi ſimilem, qui in ſanctuarium ingredi non poſſet propria innocentia fretus, & cujus dignitas erat in rebus adventitiis, nempe unctione & veſtitu. Non igitur illic lucebat ſolida veritas, ſed figura tantum quæ ad veritatem dirigeret: de qua haud dubie admoniti fuerunt, ne in rebus terrenis ſubſiſterent. Adjuncta fuit deinde interpretatio: quia (ut ſcite docet Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos) non ſtaret promiſſio de Sacerdote tandem creando ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi ad Chriſtum accommodetur. Nam certe confertur illic per antitheſin Leviticum ſacerdotium cum altero diverſo. Quum hoc æternum vocatur, ſequitur illud eſſe temporale: quum hoc jurejurando ſancitur, conſtat alteri præcellere. Minime ergo dubium eſt quin David, ut erat fidus Legis interpres, clarius demonſtraverit quod illic obſcure figuratum erat. Hactenus docere volui, creatum fuiſſe Leviticum ſacerdotem, qui umbra eſſet veri Mediatoris. Nunc breviter operæ pretium erit notas attingere, quibus diſtinguendus eſt unicus & perpetuus noſter Sacerdos Filius Dei ab illis veteribus: nam fuſior explicatio ſuis locis poſtea ſequetur. Primum diſcrimen nunc oſtendi, temporalem ſcilicet fuiſſe figuram: quia perpetuitas nonniſi in veritate quærenda eſt. Ex quo diſcimus, munus ſacerdotale non fuiſſe à Moſe inſtitutum quod ſemper manaret, ſed quod populum dirigeret ad ſpem meliorem. Quod autem de re ipſa dixi, ad perſonas etiam transferre convenit. Unus tantum ſub Lege fuit ſummus ſacerdos, ſed cui poſtea ſuccederet unus ex ſuo genere: quia ſcilicet omnes erant mortales. Nemo igitur præter Chriſtum, idoneus unquam fuit ſacerdos: quia perpetuus eſſe nemo potuit. Unde emergit nobis ſecundum diſcrimen. Tertium vero in ipſa Chriſti divinitate: quæ inde probatur, quod ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech principium non habet. Neque enim reperietur origo Melchiſedech: ſed tantum ſemel ac repente producitur in medium, acſi delapſus eſſet è cælo. Quartum eſt in conjunctione regni & ſacerdotii. Deus ſub Lege alios eſſe reges voluit, alios ſacerdotes, nec fas erat munus alterum cum altero miſcere. Atqui regis titulo ornatur qui futurus dicitur ſacerdos inſtar Melchiſedech. Quintum, quod ſacerdos Legalis nonniſi in viſibili ac terreſtri ſanctuario coram Deo apparuit: Chriſtus autem penetravit in cælos, ut Patri nos offerret, non in externis lapidum ſymbolis, ſed re ipſa: quia in ipſo ut in capite noſtro, ad Deum omnes colligimur. Sextum in perfecta Chriſti juſtitia ſitum eſt. Nam Legalis ſacerdos, quum eſſet unus ex peccatoribus, neceſſe habebat pro ſeipſo deprecari: Chriſtus autem ab omni culpa immunis gratiam nobis ſua puritate conciliat. Septimum, quod ab externis figuris mutuatus eſt ſacerdos quæ in Chriſto vere & reipſa ſunt exhibita. Veſtes ſacræ (ut nuper diximus) aliquid pluſquam humanum deſignarunt: unctio etiam, Spiritus qui in Chriſto reſidet, ſymbolum fuit: ideoque non externo & corruptibili oleo conſecratus eſt, ſed omnium donorum plenitudine. Ab uxoris contubernio abſtinuit vetus ſacerdos quum ſanctuarium ingrediebatur. Uxorem, non niſi virginem ducere licuit: perfecta & ſpiritualis Chriſti mundities ſeipſa contenta eſt. Poſtremum diſcrimen in ipſis ſacrificiis, de quibus in præſentia longius differere ſuperſedeo: quia proprium deinde locum habebunt. Hoc nunc tenendum eſt, Chriſtum non pecudum ſanguine, ſed ſuo ipſius expiaſſe mundi peccata. Nunc ad verba Moſis.

Hebr. 7. verſ. 18.

1. *Tu vero accerſe ad te Aharonem.*] Hic ſacerdotio conciliatur pretium & dignitas à Dei vocatione. Quod etiam probe expendit Apoſtolus his verbis, *Hebr. 5.* Nemo ſibi uſurpat honorem, ſed qui vocatus eſt, ut *verſ. 4.* Aharon. Apud gentes profanas ſuffragiis creati ſunt ſacerdotes, ut ſola illic ambitio regnaret. Deus autem eos demum legitimos cenſeri voluit quos ſuo unius arbitrio legiſſet. Ac certe non fuit penes totum huma-

humanum genus obtrudere aliquem Deo, qui ſe ad veniam & pacem impetrandam ingereret: imo ne Chriſtus quidem ad Deum placandum idoneus fuiſſet, niſi munus ſubiiſſet Patris decreto ſibi impoſitum. Quo pertinet celebre illud jusjurandum, quo Pater cæleſtis Sacerdotem ipſum conſtituit. Ac tanto quidem fœdius & magis deteſtabile fuit ſacrilegium quod poſtea graſſatum eſt in gente Judaica, ut ſacerdotium coëmerent poſteri Aharon. Et illa quæ à Joſepho narratur tam indigna nundinatio, horrorem nobis incutere hodie debet, dum videmus ſacrum illum honorem profanarum fuiſſe ab ea familia quæ ad obeundas Chriſti vices divinitus electa erat. Porro utcunque jus omne & fas everterint, ſtetit tamen inviolabile Dei conſilium: ut ſcirent fideles ſacerdotium à Dei auctoritate pendere, ſicuti à mera ejus gratia manat reconciliatio. Nam ut hominibus ſacerdotem creare liceat, neceſſe erit ſuis meritis Deum anrevertere: à quo longiſſime abſunt. In eligendis Eccleſiæ paſtoribus alia eſt ratio: quia poſtquam ordioem ipſum Chriſtus inſtituit, ab Eccleſia juſſit eligi qui doctrina & vitæ integritate ad hoc munus gerendum idonei eſſent. Quanquam hoc modo non reſignat jus ſuum & poteſtatem hominibus: quia non deſinit etiam per ipſos vocare. Ergo ut Deus ſe doceat unicum eſſe ſacerdotii auctorem, præcipit Aharon & ejus filios ſibi ſeparari ex aliorum numero. Interea Moſi partes iſtas mandat, quem tamen pari honore non dignatur. Conſecrat Moſes Aharon, quum tamen nunquam ipſe oleo aut veſtitu inauguratus fuerit ad Dei cultum. Unde perſpicimus, Sacramenta vim ſuam & effectum non à miniſtri virtute, ſed à ſolo Dei mandato habere. Neque enim dediſſet aliis Moſes quod non habebat, niſi ita Deo placuiſſet.

2. *Et faciet veſtes ſacras.*] Ornatus exterior veri & ſpiritualis defectum notavit. Nam ſi omnibus perfectionis numeris abſolutus fuiſſet ſacerdos, ſupervacua erat umbratilis acceſſio. Cæterum oſtendere voluit Deus hoc ſymbolo pluſquam Angelicum virtutum omnium ſplendorem, qui in Chriſto exhibendus erat. Propriis ſordibus inquinatus erat Aharon, ideoque indignus qui ſe in Dei conſpectum iſteret. Ergo ut juſtus eſſet conciliator Dei & hominum, exuus communi habitu, tanquam novus homo prodibat. Sacer itaque veſtitus primum ad vitia tegenda, deinde ad demonſtrandum incomparabilem virtutum ornarum ſpectabat. Atque hoc quidem poſteriusad Eccleſiæ paſtores aliquatenus transferri poteſt. Neque enim abſurda erit analogia, ſi dicamus non alios eſſe tam præclaro honore dignos, niſi in quibus reſplendet virtus exquiſita & minime vulgaris. Sed apprime tenendum eſt quod dixi, in hoc veſtitu deſignatam fuiſſe ſummam Chriſti puritatem, & admirabilem gloriam: acſi Deus promitteret Mediatorem longe auguſtiorem fore quam ferat humana conditio. Ideo fore pronunciat in gloriam & decorem. De artificum ſapientia fuſius dicendum erit quod nunc attingam, imbutos ſcilicet fuiſſe Dei Spiritu omnes qui à mundo condito artes excogitarunt utiles humano generi: ut etiam profani ſcriptores coacti fuerint vocare deorum inventa. Sed quia in hoc opere divino rara & inſolita ſolertia opus erat, ſingulare donum Spiritus exprimitur.

4. *Hæ ſunt omnes veſtes.*] Hic rurſus admonitos volo lectores, ut argutis ſpeculationibus valere juſſis, ſimplicitate conrenti ſint. Poſſem recitare multas plauſibiles allegorias, quæ forte plus apud multos haberenr gratiæ quam ſolida rerum cognitio. Siquis hoc luſus genere delectetur, tantum legat quod ſcripſit Hieronymus ad Fabiolam: ubi collegit quicquid fere aſſequi poterat ex aliorum omnium ſcriptis. Reperiet autem frigidas nugas, quarum inſulſitatem non modo refellere, ſed etiam referre piget. Sciunt qui verſati ſunt in meis ſcriptis, me non libenter inſectari aliorum ſententias: ſed dum repuro quam periculoſus ſit aurium prurirus, quo multi laborant, cogor hoc anridotum opponere. Sex aurem numerantur præcipuæ ornatus partes. Quod Græci λογεῖον verterunt, Larint pectorale, inſtar quadrati thoracis erar alligatum catenulis, ut cohæreret cum ephod: in eo incluſi arant duodecim lapides ad repræſentandas tribus Iſraël: erant quoque annexa Urim & Tbummim. Porro qualis fuerit forma, certo definiri non poteſt ex verbis Moſis: & quoniam ipſi quoque Judæi inter ſe diſſentiunt, ſufficiat nobis thoracis comparatio. Nomen vero à fortitudine aut theſauro deductum eſſe non diſplicet. Verum hoc ſumma atrentione dignum eſt, ſacerdotem filios Abrahæ quaſi in corde geſtaſſe, non tantum ut eos produceret coram Deo, ſed ut eorum eſſet memor, ac de ſalute ipſorum ſollicitus. Quod autem ſymbola duodecim tribuum fuerunt totidem prerioſi lapides, minime data illis fuit ſuperbiendi materia, acſi propria digoitate aur præſtantia taoti æſtimarentur: ſed moniti fuerunt, totum pretium quo fideles apud Deum cenſentur, à ſacerdotii ſanctitate pendere. Itaque ex hac figura diſcamus, utcunque in nobis viles ſimus & abjecti, adeoque prorſus nihili quiſquiliæ: quatenus tamen nos in corpus ſuum inſerere dignatus eſt Chriſtus, in ipſo eſſe lapides pretioſos. Atque huc videtur alludere Jeſaias in loco prius citato, ubi de Eccleſiæ inſtauratione quæ ſub regno Chriſti futura erat, verba faciens, Ecce, inquit, colloco ſuper carbunculum lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris: & ponam cryſtallum feneſtras tuas, & portas tuas lapides igne rutilantes, & omnes fines tuos lapides deſiderabiles. Mox enim ſequitur expoſitio, filios tuos omnes divinitus edoctos. Ergo quod in Chriſto implendum erat, externo ſigno figuratum fuit ſub Lege: oempe quamvis peregrinemur in mundo, fide tamen Chriſto eſſe conjunctos, acſi unum cum ipſo eſſemus: ad hoc, perinde ipſum agere ſalutis noſtræ curam, acſi nos in corde incluſos gereret: denique ubi nos in ipſo reſpicit cæleſtis Pater, pluris facere tota mundi opulentia & ſplendore. Quantum ad Urim & Tbummim ſpectat, mihi probabile eſt, duas inſignes fuiſſe notas in pectorali, quæ nominibus iſtis convenirent. Nam quod divinant ex Judæis quidam, fuiſſe in ſubtegmine repoſitum ineffabile Dei nomen, ſtulta & noxia ſuperſtitione non caret. Ab aliis commentis, quæ peræque frivola ſunt, ſuperſedeo. Neque etiam ſcire laboro, qualis fuerit utriuſque effigies: res ipſa mihi ſufficit. Itaque per Urim, vel ſplendores, non dubito notatam fuiſſe doctrinæ lucem, qua verus Sacerdos fideles omnes irradiat: primo quia unica eſt lux mundi, extra quam omnia tenebris plena ſunt: & quia in ipſo recondiri ſunt omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri. Hinc merito gloriatus eſt Paulus, ſe nihil ſcire præter Jeſum Chriſtum: quia ejus ſacerdotium ſatis ſuperque nos illuminat. Sicut autem admonitus fuit populus oculos ad ſacerdotis ſplendorem eſſe dirigendos, ita hodie diligenter tenendum eſt quod Chriſtus ipſe docet, Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Ex altera parte Tbummim, quod perfectiones ſignificar, ſymbolum fuit integræ ſolidæque puritatis, quæ nonniſi in Chriſto quærenda eſt. Neque enim legitimus fuiſſet Pontifex, niſi integer, purus ab omni macula, & cui ad plenam ſanctitatem nihil deceſſet. Nec inopta eſt diſtinctio: Urim ad doctrinæ lucem, Tbummim vero ad vitam referri. Hoc quidem aliquatenus convenir Eccleſiæ paſtoribus, quos decet tam ſana doctrina quam vitæ inregritate fulgere. Sed conſilium Dei ſuit oſtendere non alibi utrumque eſſe quærendum quam in Chriſto: quia inde nobis & lumeo, & puritas, quum nos utriuſque dignatur facere participes pro menſura gratuitæ donationis. Unde ſequiur, qui vel minimam lucis ſcintillam

Iſa. 54. verſ. 11.

Joan. 9. verſ. 5. Coloſſ. 2. verſ. 3. 1 Cor. 2. verſ. 2.

Joan. 8. verſ. 12.

extra Chriſtum appetunt, vel guttam puritatis, demergere ſe in labyrinthum ubi in tenebris mortalibus vagentur, & peſtiferos falſarum virtutum fumos ſorbere in ſuum interitum. Quod autem Scriptura aliquoties commemorat, per Urim & Thummim petita fuiſſe oracula, id veteris populi ruditati Deus conceſſit. Nondum apparuerat verus Sacerdos, Angelus magni conſilii, cujus Spiritu loquuti ſunt omnes Prophetæ, fons denique omnium revelationum, & expreſſa imago Patris. Ergo ut Dei apud homines internuncius eſſet umbratilis ſacerdos, Chriſti inſignibus veſtiri oportuit. Ita jam tunc ſub figura edocti fuerunt fideles, Chriſtum eſſe viam qua ad Patrem venitur, & eundem ex arcano Patris ſinu proferre quicquid eſt utile cognitu in ſalutem. Hinc refellitur Judaicum illud figmentum, data fuiſſe reſponſa hoc modo: ſi de una tribu ſciſcitabantur, rutilaſſe lapidem qui eam repræſentabat: deinde prout negabat Deus, vel anouebat, mutatos fuiſſe lapidum colores. Nam ut demus Urim & Thummim fuiſſe ipſum ordinem lapidum, prorſus inſipida eſt illa divinatio. Sed (ut dixi) in ipſa forma pectoralis teſtari voluit Deus ſapientiæ & integritatis ſummam cootineri. Qua ratione pectorale vocatur judicii, hoc eſt, exactiſſimæ regulæ, & in qua nihil deſiderari poteſt. Nam ſæpe per nomen משפט Scriptura ſignificat quicquid bene & rite ordinatum eſt. Quod autem alii judicium accipiunt pro diſquiſitione, quia ſacerdos reſponſa non quærebat niſi pectorali, nimis reſtrictum eſt: atque etiam refutatur ex quibuſdam locis. Maneat igitur illud fixum, hoc epitheto commendari rectum & omni vitio purum ordinem. Porro quia pectorale erat quaſi pars ephod, ideo ſub hac voce interdum comprehenditur. Ubi etiam obſervare convenit, aliud fuiſſe ephod iſtud unicum ſummi ſacerdotis ab aliis quorum alibi fit mentio. 1 *Sam* 22. *verſ.* 18 2 *Sam.* 6. *verſ.* 14. Omnes enim ex genere ſacerdotali induebantur ephod in ſacris peragendis. Imo David quum ſaltaret coram Arca, ſuo ephod indutus fuit. quem ritum bodie quoque Judæi, celebres ſuos conventus agendo, retinent. Reliqua mox ſuis locis attexam.

9. *Accipies quoque duos lapides.*] Quo certior eſſet coojunctio ſacerdotis cum populo, non tantum in ipſius pectore locavit Deus duodecim tribuum monumenta, ſed etiam nomina humeris impoſuit. Hinc ſublata fuit occaſio invidiæ, quum populus intelligeret, unum hominem non diſcerni ab aliis privati commodi gratia, ſed in unius perſona omnes eſſe regnum ſacerdotale: quod in Chriſto vere demum fuiſſe impletum docet Petrus. Quemadmodum 1 *Pet.* 2. *verſ.* 5. *Joſa.* 66. *verſ.* 20. *Apoc.* 1. *verſ.* 6. prædixerat Jeſaias, fore Dei ſacerdotes & Levitas qui adducti eſſent ex Gentibus. Quo alludit Joannes in Apocalypſi, ubi dicit, nos omnes in Chriſto eſſe ſacerdotes. Tenenda autem ratio eſt, cur nos dicatur Pontifex noſter in humeris portare. Non enim modo reptamus in terra, ſed demerſi ſumus in profundo mortis gurgite: quomodo igitur aſcendere in cælum liceret, niſi nos ſecum eveheret Filius Dei? Jam quum ad cæleſtem vitam nullus ſit in nobis vigor, ſed omnes animæ & corporis partes proſtratæ jaceant, ſola ejus virtute ſuſtineri neceſſe eſt. Hinc igitur noſtri in cælum aſcenſus fiducia, quod nos Chriſtus ſecum attollit: quemadmodum dicit Pau- *Epheſ.* 2. *verſ.* 6. lus, in cæleſtibus nos conſidere in Chriſto. Jam quamlibet in nobis ſimus debiles, hinc tota noſtra fortitudo, quod ſimus illius onus. Ergo in veteri illa *Epheſ.* 1. *verſ.* 22. figura adumbratum fuit quod docet Paulus, Eccleſiam eſſe corpus Chriſti & ejus plenitudinem. Supereſt ut quiſque noſtrum propriæ infirmitatis conſcius in Chriſtum recumbat: quia ſtulta arrogantia nos efferendo, non patimur ab ipſo attolli, portari, & fulcri ejus virtute. Simamus ergo ſuperbos, ſe in ſublime tollendo, ruere præcipites, ut nos Chriſtus in humeros ſuos ſuſcipiat. Vocatur autem lapides memoriæ, deinde ad memoriam filiis Iſraël: ſicut poſtea idem de lapidibus duodecim repetitur. quod quidem exponunt aliqui, ut Deus ſit memor filiorum Iſraël: alii, ut ſacerdos ipſe memor ſit: alii, ut filii Iſraël ſibi Deum propitiari recordentur, unius Mediatoris gratia. Verum ego ſimpliciter interpretor, monumentum conventionis mutuæ inter Deum & ipſos: acſi viſibili ſigno oſtenderet Deus, ſe eos complecti, & in ſanctuarium ſuum recipere, quoties illo modo oblati eſſeot.

30. *Pones autem in pectorali.*] Ex his verbis quidam colligunt, Urim & Thummim fuiſſe diverſa à toto artificio quod ante deſcriptum eſt. Alii, quoniam nulla deinde fiet mentio Urim & Thummim, ubi narrabit Moſes opus fuiſſe completum, exiſtimant fuiſſe duodecim lapides. Atqui nihil magis conſentaneum (ut aote dixi) quam in ipſo pectorali expreſſam fuiſſe effigiem lucis in doctrina, & io vita ſummæ rectitudinis. Ideo Moſes, poſtquam vocavit pectorale judicii, nominat judicium filiorum Iſraël. Qua voce intelligit certam & definitam rationem, vel abſolutam omoi ex parte regulam, ad quam filii Iſraël ſe dirigere & formare deberent.

31. *Facies & pallium.*] Pallium hoc ſuperius erat oblonga tunica medium inter ipſam & ephod, à cujus extrema ora pendebant tintinnabula cum malogranatis, quæ alternis vicibus commixta eraot. Etſi autem in malogranatis, vel malis punicis, nullus erat odor, rem tamen ipſam ũgura oculis ſubjiciebat: acſi in veſte illa requireret Deus ſuavem fragrantiam cum ſonitu. Et certe nos, qui vitiorum ſordibus fœtemus, non aliter ſuavis odor ſumus Deo quam Chriſti veſte obtecti. Sed tintinnabula reſonare voluit Deus: quia non aliter Chriſti veſtis gratiam nobis coociliat quam per vocem Euangelii, quæ capitis odorem in membra omnia diffundit. In hac allegoria nihil eſt nimis argutum, vel procul quæſitum: quia ſimilitudo odoris & tinnitus ad gratiæ commendationem, & Euangelii prædicationem ſponte nos ducit. Malis igitur punicis, quæ attexta erant veſtis laciniæ, teſtatus eſt Deus ſibi bene olere & gratum eſſe quicquid in ſacerdote erat, modo accederet ſonitus: cujus neceſſitas exprimitur, quum Deus mortem ſacerdoti deounciat, ſi abſque ſonitu ſanctuarium ingreſſus fuerit. Et certe fuit illa communis invitatio, quæ populi mentes, dum ſacra peragebantur, attentas redderet. Quod autem pœna quam Deus minatur, proprie in Chriſtum non competit, nihil in eo eſt abſurdi: quia ſevere ſacerdotibus Levitis præcipere neceſſe fuit, ne omitterent externa illa pietatis exercitia, donec exhibita eſſet veritas. Hoc quidem non inſcite ad Eccleſiæ miniſtros per anagogen deflectunt veteres: quia morte dignus ſacerdos, inquit Gregorius, à quo vox prædicationis non auditur. Sicuti Jeſaias maledicit canes mutos. Sed illud appri- *Joſa.* 56. *verſ.* 10. me tenendum eſt, veſtem Chriſti ſonoram eſſe, quia ſola fides, quæ ex auditu naſcitur, nos ejus juſtitia induit.

36. *Facies inſuper laminam.*] Noo temere hæc inſcriptio in fronte locatur, ut palam emineat. Non enim ſolum illic teſtatus eſt Deus ſibi probari ac gratum eſſe Legale ſacerdotium, quod ipſe verbo ſuo dedicaverat: ſed etiam non aliunde petendam eſſe ſanctitatem. Hæc igitur duo notanda ſunt, placere Deo ſacerdotium cujus ipſe eſt auctor, ideoque ſordere alia omnia, & rejectitia eſſe, quamlibet magnifice jactentur: daiode extra Chriſtum nos pollutos eſſe, omneſque cultus vitioſos: & utcunque præclaræ appareant noſtræ actiones, eſſe tameo impuras & corruptas. Ergo ſic in fronte unici & perpetui Sacerdotis defixi maneant omnes noſtri ſenſus, ut ſciamus ab ipſo uno munditiem in totam Eccleſiam manare. Huc pertinent ejus verba, Propter eos ſan- *Joan.* 17. *verſ.* 19. ctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſancti in veritate. Idem in contextu Moſis exprimitur, Feret Aharon iniquitatem ſanctificationum, &c. Locus certe infigois,

ſignis, quæ docemur nihil à nobis proficiſci quod Deo placeat, niſi interveniente Mediatoris gratia. Nam hic non de manifeſtis & craſſis peccatis agitur, quorum veniam certum eſt non poſſe nos niſi per Chriſtum conſequi: ſed oblationum ſanctarum iniquitas tollenda & purganda fuit per ſacerdotem. Frigidum eſt illud commentum, ſiquid erroris admiſſum eſſet in ceremoniis, remiſſum fuiſſe ſacerdotis precibus. Longius enim reſpicere nos oportet: ideo oblationum iniquitatem deleri à ſacerdote, quia nulla oblatio, quatenus eſt hominis, prorſus omni vitio caret. Dictu hoc aſperum eſt, & fere ἀνοσίωδες, ſanctitates ipſas eſſe immundas ut venia indigeant: ſed tenendum eſt, nihil eſſe tam purum quod non aliquid labis à nobis contrahat. Sicut aqua, quamvis ex limpido fonte nitida hauriatur, ſi tamen per terram lutoſam tranſeat, inficitur, & aliquid turbidi inde trahit: ſic nihil per ſe adeo ſincerum quod non vitiet carnis noſtræ contagio. Nihil Dei cultu præſtantius: & tamen nihil offerre potuit populus, etiam à Lege præſcriptum, niſi intercedente venia: quam nonniſi per ſacerdotem obtinuit. Nullum hodie Deo gratius ſacrificium eſt, neque unquam fuit, nominis ſui invocatione: ſicut ipſe pronunciat, Invoca me in die afflictionis, exaudiam te, & laudem reddes mihi. Atqui ſacrificia laudis Apoſtolus docet tunc demum placere Deo, ubi in Chriſto offeruntur. Diſcamus ergo noſtra obſequia, ubi veniunt in conſpectum Dei, iniquitate permixta eſſe, quæ nos Dei judicio obnoxios reddat, niſi ea Chriſtus ſanctificet. In ſumma, docet hic locus, quicquid honorum operum ſtudemus offerre Deo, adeo nihil mereri mercedis, ut potius reatu nos obſtringant, niſi ſanctitas Chriſti, qua Deus placatur, veniam illis acquireret. Quod continuo poſt rurſus aſſeritur, ubi dicit Moſes, ſacerdotis gratia tolli peccata in ſacris oblationibus in beneplacitum: hoc eſt, ut ſtatuant Iſraëlitæ Deum ſibi placatum eſſe & propitium. De ipſa tiara, quam alii cidarim, alii galerum vocant, non habeo quod dicam: ſicuti nec in baltheo vel cingulo ſubtilius philoſophari libet.

Pſal. 50. verſ. 15.

Hebr. 13. verſ. 15.

40. *Filiis autem Aharon.*] Separantur etiam filii Aharon non tantum à vulgo, ſed etiam à Levitis. Reſidebat tamen in tota familia peculiaris dignitas, ex qua poſtea ſucceſſor petendus erat. Et quia nemo unus ad omnia ſufficere poterat, vices erant inter ipſos diſtributæ. Hinc fit ut tunica, cingulo, & pileo ornentur ad gloriam & decorem. De unctione videbimus capite proximo. Impleri manus dicuntur, dum aptantur ad offerendum. Quamdiu enim profanæ ſunt, etiam in maxima copia vacuæ cenſentur: quia nullum Deo acceptum eſt munus niſi jure ſacerdotii. Ergo plenitudo ex conſecratione, qua fit ut oblationes rite factæ ad Deum perveniant. Notandum vero quod pater Aharon eos non ſanctificat, ſed Moſes: ut vis ipſa vel effectus ſanctificandi maneat penes Deum, neque ad miniſtros tranſeratur. Voluit etiam forte Deus occurrere improborum calumniis: ne quiſpiam poſtea objiceret, Aharon fraude & malis artibus honorem ſibi uni collatum ad filios quoque extendiſſe, atque ita hæreditarium feciſſe præter jus & fas. Ab hoc probro immunis fuit, quum aliunde ad eos pervenit dignitas ſacerdotalis. Jam & hoc modo certius rejecta fuit Moſis poſteritas ab ea ſpe quam concipere poterat ex patris memoria. Ergo Moſes, filios Aharon initiando, ſuos in ordinem coëgit: ne qua eos ambitio in poſterum ſollicitaret, vel ureret eos invidia, quum ſe aliis ſubjici viderent.

42. *Faceis & feminalia.*] Quia homines pro ingenita ſibi levitate & petulantia, minimas quoque offenſiones ad ſpernenda ſacra arripiunt, atque ita facile vileſcit religio: ad cavendum tale periculum, hic de re in ſpeciem levi præcipit Deus, ut femoralibus partes pudendas tegant ſacerdotes. Summa eſt, ut caſte & verecunde ſe gerant: ne ſi quid in ipſis turpe vel minus decorum appareat, majeſtas ſacrorum minuatur. Ideo quidam exponunt particulam, Ut miniſtrent in ſanctitate: acſi dictum eſſet, ut puri ſint ab omni macula, nec Dei cultum profanent. Ego tamen קודש pro ſanctuario accipi arbitror: idque magis eſt genuinum. Additur autem comminatio, non impune laturos ſi hanc obſervationem neglexerint: quia ſcelus in ſe ſuſcipient. Nec mirum: quando omnis incuria & ſecuritas in ſacris peragendis ad contemptum Dei & impietatem accedit. Cæterum quod mox ſequitur de jure vel ſtatuto perpetuo, non bene quidam (meo judicio) ad præceptum de femoralibus reſtringunt: quum aliis quoque ſacerdotii partibus reſpondeat. Generaliter ergo pronuncist Deus, Legem ſe ferre non exigui temporis, ſed quæ ſemper in electo populo vigere debeat. Unde colligimus vocem עולם, quoties de umbris Legalibus agitur, finem accipere in Chriſti adventu. Et certe hæc vera eſt ceremoniarum perpetuitas, ut in Chriſto, qui earum ſolida eſt veritas & ſubſtantia, conſiſtant. Quia enim in Chriſto demum exhibitum eſt quod tunc ſub umbris delineatum fuit, eo ſtabiles ſunt figuræ illæ, quod poſt rerum manifeſtationem uſus earum deſiit. Idque jam olim à Davide prædictum fuiſſe vidimus, ubi Levitico ſacerdotio aliud ſecundum ordinem Melchiſedech ſubrogat. Honore autem translato (ut ſcite docet Apoſtolus) jus quoque & ſtatuta omnia transferri neceſſe eſt. Ceſſant ergo hodie veteres ritus: quia ſpirituali Chriſti ſacerdotio non conveniunt. In quo ſe prodit duplex ſacrilegium Papatus, quando auſi ſuot homines mortales Chriſti ſacerdotio, tanquam caduco, aliud tertium ſubſtituere: & Judæos perperam imitando, ceremonias coacervarunt, quæ directe pugnant cum natura ſacerdotii Chriſti. Excipiunt quidem, manere integrum Chriſti ſacerdotium, quamvis innumeros habeant ſacrificos: ſed ita tergiverſando, fruſtra elabi tentant. Nam ſi in ſacerdotio Legali quicquam mutare vel novare nefas fuit: quanto minus licuit Chriſti ſacerdotium adventitiis figmentis corrumpere, cujus tamen integritas inviolabili Dei jurejurando ſancita eſt? Filium alloquitur Pater, Tu es Sacerdos in æternum; quid nugari juvat, dum innumera turba creatur, Chriſto nihil decedere? Quomodo hæc inter ſe conſentiunt, unctum fuiſſe ut per Spiritum ſe offerret, offerri tamen ab aliis? unica oblatione fuiſſe defunctum ad plenam juſtitiam, & quotidie offerri? Jam ſi nullus hodie legitimus eſt ſacerdos niſi qui in ſe habet quod veteribus figuris oſtenſum fuit, ſacrificos proferant Angelica puritate ornatos, & quaſi ſegregatos ex hominum numero: alioqui repudiare liberum erit quicunque vel minimo vitio inquinati erunt. Hinc etiam ortum eſt ſecundum ſacrilegium: quod ſcilicet Euangelii claritatem novo Judaiſmo obruere auſi ſunt. Deerant illis omnia ad ſuum ſacerdotium probandum. Ergo optimum compendium fuit immenſa ceremoniarum congerie ſuam vanitatem involvere: acſi nebulis lucem obſcurarent. Quo magis cavendum eſt ne fideles à puro Chriſti inſtituto degenerent, ſi eum cupiunt habere unicum & æternum Mediatorem.

Pſal. 110. verſ. 4.

Hebr. 7. verſ. 12.

Ex Exodi XXIX.

HOc quoque facies eis ad ſanctificandum eos, ut ſacerdotio fungantur mihi. Tolle juvencum unum filium bovis, & arietes duos immaculatos.

2. Panes præterea infermentatos, & placentas infermentatas mixtas oleo, & lagana infermentata uncta oleo: ex ſimila triticea facies ea.

3. Poneſque ea in caniſtrum unum, & offeres ea in caniſtro, una cum juvenco, & duobus arietibus.

4. Tum Aharonem & filios ejus accedere facies ad oſtium tabernaculi conventionis, & lavabis eos aqua.

5. Et accipies veſtes, indueſque Aharon tunicam, & pallium ephod, & ephod pectorale, cingeſque eum baltheo ephod.

6. Pones præterea cidarim ſuper caput ejus: coronam autem ſanctitatis pones ſuper cidarim.

7. Poſtremo accipies oleum unctionis, & fundes ſuper caput ejus, & unges eum.

8. Poſt hæc filios ejus accedere facies, & indues eos tunicas.

9. Cingeſque illos baltheo, Aharon & filios ejus, & aptabis eis pileos: & erit eis ſacerdotium in ſtatutum perpetuum, implebiſque manum Aharon, & manum filiorum ejus.

10. Et offeres juvencum coram tabernaculo conventionis, imponentque Aharon & filii ejus manus ſuas ſuper caput juvenci.

11. Tunc mactabis juvencum coram Jehova ad oſtium tabernaculi conventionis.

12. Accipieſque è ſanguine juvenci, & pones ſuper cornua altaris digito tuo: reliquum autem ſanguinem fundes ad fundamentum altaris.

13. Tolleſque omnem adipem operientem inteſtina, & reticulum quod eſt ſuper jecur, & duos renes, & adipem qui eſt ſuper illos, & incendes ea ſuper altare.

14. At carnem juvenci, & pellem ejus, fimumque ejus combures igni extra caſtra: ſacrificium pro peccato eſt.

15. Arietem quoque alterum accipies, & imponent Aharon & filii ejus manus ſuas ſuper caput arietis.

16. Tunc mactabis arietem, accipieſque ſanguinem ejus, & aſperges ſuper altare per circuitum.

17. Arietem autem concides in fruſta ſua, & lavabis inteſtina ejus, cruraque ejus, & pones ſuper fruſta ejus, & ſuper caput ejus.

18. Incendes præterea totum arietem ſuper altare: nam holocauſtum eſt Jehovæ in odorem quietis: oblatio ignita Jehovæ eſt.

19. Accipies inſuper arietem ſecundum, imponentque Aharon & filii ejus manus ſuas ſuper caput arietis.

20. Tunc mactabis arietem, accipieſque de ſanguine ejus, & pones ſuper tenerum auris Aharon, & ſuper tenerum auris filiorum ejus dextræ, & ſuper pollicem manus eorum dextræ, & ſuper pollicem pedis eorum dextri: aſpergeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum.

21. Tolleſque de ſanguine qui erit ſuper altare, & de oleo unctionis: atque aſperges ſuper Aharon, & ſuper veſtes ejus, & ſuper filios ejus, & ſuper veſtes filiorum ejus cum eo.

22. Deinde tolles de ariete adipem, & caudam, & adipem operientem inteſtina, & reticulum jecoris, duoſque renes, atque adipem qui eſt ſuper eos, & armum dextrum: quia aries conſecrationum eſt.

23. Et tortam panis unam, & placentam panis ex oleo unam, & laganum unum è caniſtro infermentatorum qui eſt coram Jehova.

24. Poneſque omnia illa in manibus Aharon, & in manibus filiorum ejus, exaltabiſque illa exaltationem coram Jehova.

25. Accipies autem illa è manu eorum, & incendes ſuper altare, ultra holocauſtum in odorem quietis coram Jehova: oblatio ignita eſt Jehovæ.

26. Accipies item pectus arietis conſecrationum quod eſt ipſi Aharon, & exaltabis illud exaltationem coram Jehova, eritque tibi in partem.

27. Sanctificabis itaque pectus exaltationis, & armum elevationis, quod exaltatum eſt, & qui elevatus eſt de ariete conſecrationum ipſius Aharon & filiorum ejus.

28. Et erit ipſi Aharon & filiis ejus in ſtatutum perpetuum à filiis Iſraël, quia exaltatio eſt: & exaltatio erit à filiis Iſraël de ſacrificiis proſperitatum ſuarum, exaltatio inquam eorum erit Jehovæ.

29. Porro veſtes ſanctæ quæ ſunt ipſius Aharon, erunt filiis ejus poſt eum ad ungendum eos cum eis, & ad conſecrandum cum eis manum eorum.

30. Septem diebus induet eas ſacerdos qui fuerit loco ipſius de filiis ejus, qui ingredietur tabernaculum conventionis ad miniſtrandum in ſanctuario.

31. Arietem

31. Arietem autem consecrationum tolles, & coques carnem ejus in loco sanctitatis.

32. Comedetque Aharon & filii ejus carnem arietis, & panem qui est in canistro, ad ostium tabernaculi conventionis.

33. Comedent inquam illa quibus expiatus fuit ad consecrandum manum eorum, ad sanctificandum eos: & alienigena non comedet, quia sanctificatio sunt.

34. Quod si superfuerit de carne consecrationum, & de pane, usque mane, combures quod supererit igni: non comedetur, quia sanctitas est.

35. Facies igitur ipsi Aharon & filiis ejus sic, juxta omnia quæ præcepi tibi: septem diebus consecrabis manum eorum.

1. *Hoc quoque facies eis.*] Quia hæc, ut leguntur nono capite Levitici, in historia consecrationis tabernaculi iterum repetam & fusius explicabo, nunc breviter attingere satis fuerit summam duntaxat. Neque enim meum est ex altis speculationibus mysteria fabricare, quæ lectores oblectent magis quam solide erudiant. Primo, quia impurum est ac multis sordibus infectum humanum genus, ut omnes ad unum prohibeat sua immundities ab accessu Dei: antequam sacerdotes consecret Moses, aquæ aspersione ipsos lavat, ne amplius censeantur ex communi ordine. Unde colligimus, in Christo solo veram reperiri quæ sub Lege umbratilis fuit puritas & innocentia. Talem vero, inquit Apostolus, decebat esse Pontificem, qui integer & nulla macula inquinatus, pro peccatoribus se coram Deo sisteret. Postquam abluti fuerint, jubet ipsos Deus indui sacerdotali ornatu, secundum cujusque ordinem: ut summus sacerdos gestet ephod cum Urim & Thummim, & cidarim cum lamina aurea, ubi resplendeat sanctitas Jehovæ. tertio addit unctionem. Hæc præparatio fuit ad ipsos initiandos antequam munus sacrificandi obirent. Notandum vero est, quod ad primum sacrificium, partes quæ deinde ad Aharon translatæ sunt, Mosi injungi, acsi esset unicus sacerdos. Et certe adhuc penes ipsum manebat temporalis dignitas, quam fratri resignavit. Quæ de victimæ partitione inserit Moses, commodius alibi exponam, ubi de oblationibus agetur, quod diximus esse tertium membrum in cultu Legali.

Hebr. 7. vers. 26.

Phil. 4. vers. 18.

Psal. 40. vers. 7.

16. *Tunc mactabis arietem.*] Antehac jussus est Moses sumere partes hostiæ ex manibus Aharon, ut Deum illis propitiaret, quo deinde fungi posset ipse & posteri eodem officio: nunc peculiaris ceremonia describitur, ut auriculam ejus dextram, pollicem manus dextræ & pedis, sanguine arietis illinat, tam ipsi quam ejus filiis: deinde ut sanguine qui super altare erat repositus, eos & vestes ipsorum aspergat. Porro hic primo notandum est, ut sibi coram Deo favorem ad intercedendum conciliet sacerdos, tingi sanguine oportere. Ita Christi sacerdotium sanguine dicatum fuit, ut ad nos Deo reconciliandos efficax esset. Nunc quæritur cur tantum dextra auricula & pollices dextri, sanguine tincti fuerint, acsi dimidia tantum ex parte sacri Deo & dicati essent sacerdotes. Respondeo, sub una parte alteram comprehendi: quoniam eadem est utriusque auris, manuum, & pedum ratio, & sic conjuncta sunt officia, ut quod de aure una dicitur, ad alteram pertineat. Rursus quæritur, cur uncta potius fuerit auris, pes & manus, quam pectus & lingua. Mihi vero dubium non est quin per aurem designata fuerit obedientia, per manus & pedes cunctæ actiones & totus vitæ cursus. Nihil fere magis tritum in Scriptura quam istæ metonymiæ, dum puritas manuum pro tota vitæ integritate sumitur; & via aut cursus aut ambulatio, pro directione aut vivendi instituto. Optime igitur convenit, hominis vitam sanguine consecrari. Sed quia recte agendi principium est obedientia, quæ sacrificiis omnibus præfertur, ab auricula jussus est Moses incipere. Et scimus odorem bonæ fragrantiæ in sacrificio Christi fuisse obedientiam. Qua ratione David in spiritu Prophetico ipsum loquentem inducit, Aurem perforasti mihi. Si quis excipiat non minus in lingua esse momenti, quia sacerdos est angelus Dei exercituum: respondeo, hic non attingi docendi munus, sed tantum intercedendi. Quare in tribus illis partibus complexus est Moses quicquid ad expiationem spectabat. Cæterum meminerimus quæ de Christi consecratione dicuntur, non subsistere in ejus persona, sed referri ad totius Ecclesiæ utilitatem. Neque enim sua causa unctus est, neque opus habuit mutuari gratiam à sanguine: sed membra sua respexit, & totum se addixit eorum saluti, sicut ipse testatur, Propter eos sanctifico meipsum.

Joan. 17. vers. 19.

28. *Et erit ipsi Aharon.*] Ne vilesceret sacrarum oblationum dignitas, quæ sanctitas Jehovæ dicuntur, ab earum esu prohibiti sunt extranei. Nam si quibuslibet eas tangere, illisque vesci permissum foret, nullum inter eas & vulgares cibos fuisset discrimen. Ex portione sacerdotum quædam fuerunt totis familiis communia, sed excepta fuerunt sancta, ut sub una specie omnium reverentia commendaretur. Eodem spectat circumstantia loci: quia intra domesticos parietes comedere non licuit quod sanctum erat, ut differret à communi & ordinario victu. Eadem causa comburi oportuit siquid manebat residuum, ne fi carnes fierent rancidæ aut mucidus panis, fœtor & deformitas aliquid ex sacrorum dignitate minuerent. Rudimentis enim puerilibus opus habuit infirmitas veteris populi, sed quæ altius erigerent piorum animos. In eum tamen finem omnia tendebant, ne qua obreperet corruptela quæ Dei cultum inficeret, vel redderet contemptibilem.

Ex Levit. VI.

19. Et loquutus est Jehova ad Mosen, dicendo,

20. Ista sit oblatio Aharon & filiorum ejus, quam offerent Jehovæ die qua ungetur quisque: Decima epha similæ, minha jugiter: dimidium ejus mane, & dimidium vesperi.

21. In craticula oleo fiet, frictam afferes eam: coctiones minhæ frustorum offeres in odorem quietis Jehovæ.

22. Et sacerdos unctus in locum ejus è filiis ejus faciet eam: statutum perpetuum Jehovæ, tota cremabitur.

19. *Et loquutus est.*] Satis notum est sacrificiis fuisse adjunctam oblationem quam vocant minha: sed seorsum quoque fuisse in usu, alibi videbimus. Licuit absque victima vel puram farinam offerre, vel liba, & placentas oleo conditas. Ergo præter sacrificium consecrationis, de quo disseruit Moses, hæc secunda oblatio à sacerdote exigitur, ut placentam frixam in sartagine, & in frusta concisam, pro

ſua inauguratione offerat. Hæc autem videtur fuiſſe ratio, ut legitimus deinde eſſet totius populi miniſter, & aliorum nomine rite offerret, ex quo defunctus fuerat pro ſeipſo. Cæterum diſcrimen ſtatuitur inter munus ſacerdotis & populi, ut totum adoleatur: cujus rei cauſam, quia alibi explicabitur, uno verbo perſtringere nunc latis fuerit. Noluit ſcilicet Deus ſacerdotes vana oſtentatione ſe jactare: quod proclive erat, ſi in ipſorum uſum reverſa fuiſſet oblatio, ſicuti minha popularis penes ipſos manebat.

Ex Numer. VIII.

5. Loquutuſque eſt præterea Jehova ipſi Moſi, dicendo,
6. Cape Levitas è medio filiorum Iſraël, & purifices illos.
7. Sic autem facies illis ut purifices illos: ſparge ſuper eos aquam purificationis, & tranſire faciant novaculam ſuper totam carnem ſuam, laventque veſtimenta ſua, & purificentur.
8. Poſtea capient juvencum filium bovis, & minham ejus ſimilam conſperſam oleo: & juvencum alterum filium bovis capies in ſacrificium pro peccato.
9. Tunc offeres Levitas coram tabernaculo conventionis: & congregabis omnem cœtum filiorum Iſraël.
10. Offeres inquam Levitas coram Jehova, & conjungent filii Iſraël manus ſuas ſuper Levitas.
11. Offeretque Aharon Levitas in oblationem coram Jehova à filiis Iſraël, & miniſtrabunt in miniſterio Jehovæ.
12. Levitæ autem conjungent manus ſuas ſuper caput juvencorum: poſtea facies unum pro peccato, & alterum in holocauſtum Jehovæ ad expiandum Levitas.
13. Stateſque Levitas coram Aharon & coram filiis ejus, & offeres illos oblationem Jehovæ.
14. Ac ſegregabis Levitas è medio filiorum Iſraël: erunt mei Levitæ.
15. Poſtea autem venient Levitæ ad miniſtrandum in tabernaculo conventionis, & expiabis illos, offereſque eos oblationem.
16. Quia dati, dati inquam ſunt mihi è medio filiorum Iſraël pro aperiente omnem vulvam, pro primogenito filiorum Iſraël accepi eos mihi.
17. Meus eſt enim omnis primogenitus in filiis Iſraël tam hominum quam jumentorum: à die quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificavi illa mihi.
18. Cepi autem Levitas pro omni primogenito in filiis Iſraël.
19. Et dedi Levitas dono datos Aharoni & filiis ejus è medio filiorum Iſraël, ut fungantur officio filiorum Iſraël in tabernaculo conventionis, & expient filios Iſraël: neque ſit in filiis Iſraël plaga, quum ipſi appropinquaverint ſanctuario.

Ex eodem Capite.

23. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,
24. Hoc quoque eſt quod ad Levitas pertinet: à viceſimo quinto anno & ſupra ingredientur militare militiam in cultu tabernaculi conventionis.
25. A quinquageſimo autem anno revertetur à militia cultus, nec miniſtrabit ultra:
26. Sed miniſtrabit cum fratribus ſuis in tabernaculo conventionis, ut munere ſuo illi fungantur, & miniſterium non adminiſtrabit. ſic facies de Levitis in cuſtodiis eorum.

5. Loquutus eſt præterea.] Quanquam Levitis ſanctuarium ingredi non licebat, ſed tantum miniſtri erant ſacerdotum, & fere ad ſerviles operas addicti: quia tamen ſanctuarium cum ſacris vaſis geſtabant, parabant victimas, tollebant cineres & alia purgamenta ex altari, eos quoque ſolenni ritu ſibi conſecrari Deus voluit. Nam ſicut totus Iſraël reſpectu Gentium peculiaris erat populus Dei, ſic domus Levi ex ipſo populo in peculium electa fuit, quemadmodum hic dicitur. Verum ne ſibi plus arrogarent quam fas eſſet, eorum inſolentiæ occurrit Deus, primo quum diſtulit eorum conſecrationem in aliud tempus, deinde quum voluit non à Moſe ſed ab Aharon initiari, tertio quum diverſam ceremoniam inſtituit. Nam ſi eodem tempore fuiſſent initiati, hoc prætextu forte cum ipſis de æqualitate certaſſent. Ergo ſacerdotibus à vulgo jam exemptis, ut eorum munus venerari diſcant, manent ipſi adhuc privati. Deinde quia ſi communiter fuiſſent oblati à Moſe, periculum erat ne contra alios omnes ſuperbius ſe efferrent: eorum conſecrationi præficitur Aharon, quo ſe illius auctoritati modeſte ſubjiciant. Jam quia tantum aqua & ſacrificio luſtrati fuerunt, nulla autem adhibita fuit unctio, diſcrimen in ritu externo eos admonuit, non eundem eſſe vel parem honoris gradum.

6. Cape Levitas è medio.] Capere è medio filiorum Iſraël, tantundem valet atque eximere è numero, ne veniant in communem cenſum, ac reputentur una tribus. Hæc igitur ſeparatio (ut clarius paulo poſt exprimet) Levitas Deo addixit in cultum ſanctuarii. Quod autem hoc prætextu immunitatem ſibi vendicat clerus Papalis, ut legibus ſolutus pro libidine vivat, non putidum modo, ſed impii ludibrii plenum eſt cavillum. Nam quum in Chriſto finem acceperit vetus ſacerdotium, ſucceſſio quam obtendunt, Chriſtum ſuo jure ſpoliat, acſi non exhibita in eo fuiſſet plena veritas. Cæterum quando à ſolo Papæ primatu dependent omnia eorum privilegia: ſi rata cenſeri volunt, probent ante omnia oportet, Papam Dei juſſu toti Eccleſiæ caput eſſe impoſitum, adeoque Chriſti eſſe ſucceſſorem. Quod ad Aharon ſpectat, quia miniſter fuit cooptationis, hoc modo præfectus fuit, ut Levitas ſuo arbitrio regeret. Interea ſic miniſterium injungitur homini, ut gratuitum Dei beneplacitum non obſcuret.

7. Sic autem facies illis.] Primum jubetur Aharon ſuper eos ſpargere aquam purificationis, quæ eos

eos mundet à ſordibus: neque id modo, ſed jubentur lavare veſtes ſuas, ut diligenter ſibi caveant circumcirca ab omni labe, unde ad ipſos perveniat contagio. Tertio jubentur novacula radere cutem ſuam, ut carne ſua exuti incipiant novi eſſe homines. Additur poſtea ſacrificium, idque duplex, ad eos expiandos. Qua ratione etiam manuum impoſitio illis mandatur. His peractis Aharon pro jure & honore ſacerdotii jubetur illos offerre, non ſecus ac ſacrum panem vel ſuffitum. Finis autem fuit ut agnoſcerent ſe non amplius eſſe ſui juris, ſed Deo addici, ut ad cultum ſanctuarii operam ſuam impenderent. Quod autem ſimul aliqui è populo jubentur manus imponere, hoc fit in teſtimonium alienationis: acſi omnes tribus hac ceremonia teſtatum facerent, ſuo conſenſu Levitas tranſire in peculium Dei, ut eſſent quaſi pars vel acceſſio ſanctuarii. Solebant enim privati homines (ut poſtea videbimus) ſuis victimis manus imponere: ſed non eadem ratione qua ſacerdotes.

16. *Quia dati, dati.*] Ne querantur aliæ tribus, corpus populi imminui, pronunciat Deus emancipatos eſſe à genere Abrahæ, quoniam ipſos acquiſierit, quum percuſſit omnia primogenita Ægypti. Certum eſt enim tam primogenitos populi, quam fœtus animalium primogenitos mirabiliter ereptos fuiſſe à communi clade. Ergo ſicuti eos ſingulari privilegio Deus liberavit, ita ſibi devinxit redemptionis beneficio. Sed videtur ceſſare ratio, quum Deus pretium redemptionis exigendo, primogenitos dimiſit liberos, ut alibi dictum fuit. Alioqui bis idem poſceret: quod iniqua lege fieret. Verum ſolutio in promptu eſt: quum in primo cenſu numerati fuerunt primogeniti duodecim tribuum, plures Levitis fuiſſe repertos. Tunc facta fuit permutatio: ut omnes primogeniti duodecim tribuum ad viginti & duo millia immunes eſſent à tributo, eorum autem loco Deus Levitas ſibi miniſtros ſumeret. Tantum redempti fuerunt ducenti & ſeptuaginta tres, quia hic numerus ſuperabat. Sic factum eſt, ut Deus æquali jure contentus populum injuſto onere non graveret. Verum hæc compenſatio, quæ ſemel ad unum diem facta eſt, non obſtitit quominus deberent Iſraëlitæ Deo ſuos primogenitos, qui tunc nondum nati erant. Quia igitur quoad poſteros manebat obligatio, lata lex eſt, ut primogenitos ſuos redimerent. Siquis objiciat, rectum non fuiſſe ut quicunque ex Levitis primogeniti eſſent, manerent Deo ſacri: reſpondeo nihil hac in parte fuiſſe fraudis. Nam ex quacunque tribu eſſent primogeniti, jam Deo mancipati erant cum tota ſua ſobole. Non fuit igitur facta deterior populi conditio in permutatione capitum: ideoque optima æquitate in poſterum ſtatuit Deus pretium quo ſuos primogenitos redimerent Iſraëlitæ. Quod autem datos ſibi pronunciat, perinde eſt acſi eos ſibi ex compacto aſſereret. Hoc ſenſu dicit, A die quo percuſſit primogenita Ægypti, ſe acquiſiiſſe primogenita Iſraëlis. Deinde addit, ſe tunc Levitas ſumpſiſſe: nempe ut in præteritum tempus duntaxat tranſigeret cum populo.

19. *Et dedi Levitas.*] Declarat qua conditione ipſos eſſe ſuos velit: nempe ut regantur ab Aharon, ejuſque præceptis obediant. Neque enim donatio intelligenda eſt, qua jus ſuum quiſpiam alteri reſignat & cedit: ſed quum eos addicat Deus miniſterio ſanctuarii, vult illos habere ducem & magiſtrum. In fine verſus hoc fieri in bonum & utilitatem totius populi docet Moſes. Unde ſequitur non eſſe invidiæ locum: niſi forte ægre ferat populus, ſaluti ſuæ divinitus proſpectum eſſe. Ac duplex oſtenditur utilitas: prior, quod futuri ſint interceſſores, vel expiationum miniſtri: (uterque enim ſenſus bene convenit) ſecunda, quod dum ipſi erunt ſanctuarii cuſtodes, impedient ne filii Iſraël temerario acceſſu cladem ſibi accerſant.

24. *Hoc eſt quod ad Levitas.*] Hic ætas præfigitur qua incipiant Levitæ & deſinant munus ſuum exequi. Jubet autem Deus ipſos auſpicari ab anno vicеſimo quinto: vacationem concedit anno quinquageſimo. optima utrumque ratione. Si enim adoleſcentuli fuiſſent admiſſi, poterat eorum protervia ſacrorum veneration multum detrahere: non modo quia intemperanter plerumque lasciviunt qui bus nondum virilis eſt maturitas: ſed quia vel negligetu, vel levitate, vel incogitantia, vel imperitia & errore, perperam multa turbaſſent in cultu Dei. Sicuti autem minime idonei fuerunt ad munus exercendum, donec prudentiam & gravitatem collegiſſent: ita ne ſenio fatiſcerent, tempeſtive illis miſſionem dari æquum fuit. Erat enim (ut ante dikimus) laboriosa provincia, & quæ robur corporis poſceret. Si vero placet anagoge ad Paſtorale munus, in genere tenendum erit, non eſſe quoslibet eligendos, ſed qui jam moderationis ſuæ fidem fecerint: nec urgendos eſſe ultra modum qui alacriter ſe impendunt, nec plus exigendum quam ferat eorum facultas. Stulte enim annos quidam numeraruntt, acſi ante viceſimum quartum annum nefas eſſet Paſtorem eligere, qui tamen alioqui neceſſariis dotibus polleret.

Ex Numer. III.

5. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

6. Appropinquare fac tribum Levi, & ſiſte eam coram Aharone ſacerdote, ut miniſtret ei.

7. Et cuſtodiant cuſtodiam ejus, & cuſtodiam univerſi cœtus coram tabernaculo conventionis, ut exequantur cultum tabernaculi.

8. Cuſtodiant quoque omnia utenſilia tabernaculi conventionis, cuſtodiamque filiorum Iſraël, ut exequantur cultum tabernaculi.

9. Da inquam Levitas ipſi Aharon, & filiis ejus: dati, dati namque ſunt illi ex filiis Iſraël.

10. Aharon autem & filios ejus præficies, cuſtodientque ſacerdotium ſuum: externus enim qui acceſſerit morietur.

5. *Loquutus eſt.*] Continet hic locus duo capita: nempe ut ſeparentur Levitæ in miniſterium ſanctuarii & altaris: deinde ut præcipuis ſacerdotibus ex familia Aharon pareant, nec quicquam agant niſi ex eorum auctoritate & mandato. Jam vero dictum fuit, & iterum poſtea videbimus, in genere tribum Leviticam divinitus electam fuiſſe ad ſacra peragenda: ut ſciret populus neminem tam honorifico munere dignum eſſe, ſed id pendere à gratuita vocatione Dei, cujus eſt omnia creare ex nihilo. Hoc modo non tantum repreſſa fuit eorum temeritas qui honorem ſtulte appeterent: ſed tota Eccleſia edocta fuit, ad Deum rite colendum opus eſſe alieno ſubſidio. Niſi enim medii intercederent Levitæ, alios è populo Lex à Dei acceſſu arcebat, acſi totum humanum genus pollutionis damnaret. Verum quo certius dirigerentur ad unum Mediatorem, ſummum ſacerdotium in ſublimi locatum fuit, & tandem unus

qui ſupra omnes emineret: hac ratione Levitas poſteris Aharon ſubeſſe voluit Deus. Ordini quidem ſimul conſuluit: quia turba niſi à capitibus regatur, ſemper turbulenta erit. Minime tamen dubium eſt quin ſumma Chriſti poteſtas in perſona Aharon repræſentata fuerit. unde refellitur Papiſtarum ioſcitia, qui exemplum hoc ad ſtatum Chriſtianæ Eccleſiæ transferunt, vel potius torquent, ut Presbyteros ſubjiciant Epiſcopis: atque inde conſlent primatum ſedis Romanæ. Atqui ſi bujus figuræ quæritur veritas, potius ratiocinari convenier, quicunque creantur hodie miniſtri & Paſtores Eccleſiæ, Chriſto tradi quaſi ſub manum: ne quid ſibi imperii uſurpeot, ſed modeſte ſe gerant, tanquam rationem reddituri coram ipſo, qui Princeps eſt Paſtorum. Unde colligimus, Papatum nonnili in ſceleſto ſacrilegio fundatum eſſe: quia eripitur Chriſto quod ſuum eſt, ſi alius quiſpiam fingitur ſucceſſor Aharon. Interea non repudianda eſt politica diſtinctio, quam ſenſus ipſe naturæ dictat ad confuſionem tollendam: ſed quæ in eum finem ſpectabit, ſic erit temperata, ut neque Chriſti gloriam obſcuret, neque ambitioni vel tyrannidi ſerviat, nec impediat quominus mutuam inter ſe, pari jure & libertate, fraterotatem colant omnes miniſtri. Hinc etiam ſumpta fuit illa ſententia Apoſtoli, nemini fas eſſe bonorem ſibi ſumere: ſed legitimos eſſe Eccleſiæ miniſtros qui vocati ſunt.

1 Pet. 5. verſ. 4.

Hebr. 5. verſ. 4.

Ex Exodi XXX.

22. Loquutus eſt etiam Jehova ad Moſen, dicendo,

23. Tu ſume tibi aromata optima: myrrhæ fluidæ ad quingentos ſiclos, cinnamomi aromatici dimidium ipſius, ducentos & quinquaginta: & calami aromatici ducentos & quinquaginta:

24. Caſiæ vero quingentos ſiclos, pondere ſanctuarii: & olei olivæ hin.

25. Et facies ex eo oleum unctionis ſanctitatis, unguentum unguenti, opus unguentarii: oleum unctionis ſanctitatis erit.

26. Unges eo tabernaculum conventionis, & Arcam teſtimonii,

27. Et menſam omniaque vaſa ipſius, & candelabrum omniaque vaſa ipſius, & altare ſuffimenti:

28. Altare quoque holocauſti & omnia vaſa ipſius, & concham & baſin ejus.

29. Ita ſanctificabis ea, erunt ſanctitas ſanctitatum: quicquid tetigerit ea, ſanctificabitur.

30. Aharon præterea & filios ejus unges, & ſanctificabis eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.

31. Ad filios autem Iſraël loqueris, dicendo, Oleum unctionis ſanctitatis erit hoc mihi per generationes veſtras.

32. Super carnem hominis non unget: neque compoſitioni ejus facietis ſimiles: ſanctum eſt, ſanctum erit vobis.

33. Quiſquis confecerit unguentum ſimile, & qui poſuerit ex eo ſuper extraneum, ſuccidetur è populis ſuis.

23. *Tu ſume tibi aromata.*] Quanquam oleum de quo agitur, non ſolis ſacerdotibus ungendis, ſed tabernaculo, Arcæ fœderis, altaribus, & vaſis omnibus dicatum fuit: non tamen occurrit ad tractandam ſacram uoctionem commodior locus quam ſi eam ſacerdotio annecterem, ex quo dependet. Primo deſcribitur ejus confectio, ſumptu & odore exquiſita: ut ab ipſa excellentia & pretio diſcant Iſraëlitæ, aliquid non vulgare repræſentari. Vidimus enim jam ſæpius objectum fuiſſe rudi populo ſplendorem in ſacris ſymbolis, qui externos ſenſus afficeret, ut paulatim & quaſi per gradus ad rerum ſpiritualium notitiam attollerentur. Nunc cur tam ſacerdos quam vaſa omnia & aliæ tabernaculi partes opus habuerint unctione, videndum eſt. Extra controverſiam ſtatuo, oleum boc pretioſis odoribus mixtum, figuram fuiſſe Spiritus ſancti. Nam paſſim occurrit ungendi metaphora, ubi vim, effectus, & dona Spiritus commendant Propbetæ. Nec dubium eſt quin Deus reges ongeodo, ſpiritu prudentiæ, fortitudiois, clementiæ, & æquitatis ſe illos donare teſtatus ſit. Hinc facile colligitur, imbotum fuiſſe tabernaculum oleo, ut diſcerent Iſraëlitæ nihil prodeſſe omnia pietatis exercitia abſque arcana operatione Spiritus. Imo aliquid majus oſtenſum fuit, virtutem & gratiam Spiritus vigera & regnare in ipſa umbrarum veritate, & quæcunque inde proveniunt bona ejuſdem Spiritus dono applicari in uſum fidelium. In altari quærenda fuit reconciliatio, ut Deus propitius eſſet. Atqui (teſte Apoſtolo) ſacrificium mortis Chriſti non aliter efficax fuit ad placandum Deum, niſi quia per Spiritum paſſus eſt. Jam quomodo ad nos fructus pervenit, niſi quia ſanguine qui ſemel fuſus eſt, idem Spiritus animas noſtras irrigat? ſicuti docet Petrus. Jam quis preces noſtras confecrat niſi Spiritus à quo dictantur gemitus inenarrabiles, & per quem clamamus Abba pater? Imo unde fides quæ nos in communicationem bonorum Chriſti admittit, niſi ab eodem Spiritu? Sed unctio præcipue in ſacerdote conſideranda fuit, qui ſanctificatus eſt Dei Spiritu ad munus obeuodum. Itaque ſicut Jeſaias in ejus perſona ſpiritu Propbetico ſe unctum fuiſſe docet, & David idem affirmat de ſpiritu regali: ita Daniel optimus nobis interpres eſt ac teſtis quomodo tandem exbibita fuerit ſacerdotalis unctio. Nam quum tempus, quo per mortem Chriſti obſignabitur prophetia, præfixum eſſe dicit ad ungendum ſanctum ſanctorum, clare admonet ſpirituale exemplar eſſe in Chriſto, quod viſibili ſanctuario reſpondeat: ut reipſa feotiant fideles, non inanes fuiſſe umbras illas. Nunc tenemus cur unctus fuerit Abaron, quia Spiritu ſancto conſecratus eſt Chriſtus, ut Mediator eſſet Dei & hominum: cur eodem oleo tinctum fuerit tabernaculum cum ſuis vaſis, quia non aliter participes ſumus ſanctitatis Chriſti quam Spiritus dono & operatione. Iterum maſculinum genus quidam ponunt, ubi de vaſis dicitur, Quicquid tetigerit ea, ſanctificabitur: acſi dictum eſſet, non ab aliis tractari fas eſſe quam à ſacerdotibus. Sed mihi videtur potius alia cauſa notari, quia oblationes ſua ſanctitate imbuat.

1 Pet. 1. verſ. 2. *Rom. 8. verſ. 15.* *Jeſa. 61. verſ. 1.* *Pſal. 46.* *Dan. 9. verſ. 24.*

Hebr. 9. verſ. 14.

25. *Oleum unctionis.*] Quanquam genirivus ponitur loco epitheri, acſi dixiſſet Moſes Oleum ſanctum: ab effectu tamen ſic vocatur, quia ſine ipſo nihil purum cenſeatur. Et certe ideo nos & noſtra omnia ſanctificat Spiritus Dei, quia extra ipſum profani ſumus, & noſtra omoia corrupta. Ceremoniæ uſum

uſum commendat per cunctas ætates veteris populi. Quibus verbis ſubeſt tacita antitheſis novæ Eccleſiæ, quæ poſt exhibitam rerum ſubſtantiam umbris non indiget. Merito enim unigenitus Dei Filius Chriſti nomen obtinet, quando ſuo adventu figuras illas abolevit. Et Simeon quum ulnis ſuis eum amplexus vocaret Chriſtum Domini, externum Legalis olei uſum ceſſaſſe docuit. Quo magis inſipida fuit ſuperſtitio Papatus, dum ſacrificos, altaria, & reliquas nugas ungendo, Judæos imitati ſunt: acſi Chriſtum vellent iterum ſuis unguentis ſepelire. Ergo commentum illud tanquam ſacrilegum deteſtemur, quod metas à Deo præſcriptas evertit. Porro ut myſterium hoc juſta veneratione obſervent, vetat fieri ſimile unguentum. Scimus inter delicias lauti convivii tunc fuiſſe unguenta. Si hoc genus uſurpent, profanatio cenſetur. Et notanda ratio eſt, Ut ſanctum illis ſit quod ſanctum eſt: hoc eſt, ut reverenter colant quod peculiariter dicatum eſt eorum ſaluti. Nam etſi ſacra divinitus inſtituta ſemper retinent ſuam naturam, nec vitiis noſtris vel inquinari vel exinaniri poſſunt: nos tamen ſordibus noſtris, impuro abuſu vel neglectu, ea quantum in nobis eſt polluimus.

Luc. 2. *verſ.* 28.

Ex Levit. VIII.

1. Loquutuſque eſt deinde Jehova ipſi Moſi, dicendo,
2. Tolle Aharon, & filios ejus cum illo, & veſtes, & oleum unctionis, & juvencum ſacrificii pro peccato, & duos arietes, & caniſtrum azymorum.
3. Atque omnem cœtum congrega ad oſtium tabernaculi conventionis.

2. *Tolle Aharon.*] Modum ungendi & veſtiendi ſacerdotes clarius exprimit à loci & teſtium circumſtantia. Jubet enim Eccleſiam edicto vocari ad ſanctuarium: deinde coram illa produci Aharon & ejus filios, ut Deo auctore inaugurentur ad ſuum munus, & totus ſimul populus agnoſcat divinitus creatos eſſe & ordinatos. Quæ uno contextu apud Moſen legitur mandati exequutio, haud dubie ad aliud tempus pertinet, nempe quo peracta eſt ſolennis tabernaculi dedicatio. Ergo quod hic alieno loco narratur, illuc rejicere viſum eſt, ut perpetua fluat hiſtoriæ ſeries: quod ad facilitatem non parum juvabit.

Ex Levit. XXI.

1. Et dixit Jehova ad Moſen, Alloquere ſacerdotes filios Aharon, & dicito eis, Super anima non contaminabit ſe quiſquam veſtrum in populis ſuis.
2. Sed ſuper propinquo ſuo, propinquo ſibi, nempe ſuper matre ſua, & ſuper patre ſuo, & ſuper filio ſuo, & ſuper filia ſua, & ſuper fratre ſuo,
3. Et ſuper ſorore ſua virgine propinqua ſibi, quæ non fuerit viro: ſuper ea contaminabit ſe.
4. Non contaminabit ſe in principe in populis ſuis, ut polluat ſeſe.
5. Non decalvabunt calvitium in capite ſuo, & extremitatem barbæ ſuæ non radent, & in carne ſua non incident ullam inciſuram.
6. Sancti erunt Deo ſuo, neque polluent nomen Dei ſui: quia oblationes ignitas Jehovæ, & panem Dei tui offerunt, proinde erunt ſancti.

Ex eodem Capite.

10. Sacerdos autem præcipuus inter fratres ſuos ſuper cujus caput fuſum fuerit oleum unctionis, & conſecraverit manum ſuam ut induat veſtes, caput ſuum non diſcooperiet, & veſtes ſuas non ſcindet.
11. Et ad omnes animas mortui non ingredietur: ne ſuper patre quidem ſuo, aut matre ſua, contaminabit ſe.
12. Et de ſanctuario non egredietur, neque polluet ſanctuarium Dei ſui: quia corona olei unctionis Dei ſui eſt ſuper eum. Ego Jehova.

1. *Alloquere ſacerdotes.*] Hæc omnia quæ ſequuntur, tendunt in eum finem, ut ſacerdotes à reliquo populo differant inſignibus notis, quaſi ab hominum vulgo ſegregati. Nam eos qui Chriſti perſonam geſtabant decuit ſingularis puritas. Ac de parvis quidem rebus & levis momenti videtur Deus hic præcepta dare: verum alibi diximus, ritus Legales quaſi gradus fuiſſe, quibus Iſraëlitæ conſcenderent ad ſtudium veræ ſanctimoniæ. Valuit quidem ſemper illud Pauli, corporis exercitationes non multum prodeſſe: ſed veterum umbrarum ſub Lege utilitas à ſuo fine æſtimari debuit. Quamvis ergo rerum, de quibus nunc agitur, obſervatio per ſe non magnopere Deo placuerit, quia tamen altius tendebat, eam parvi ducere nefas fuit. Etſi autem admoniti fuerunt ſacerdotes, peculiari ſtudio colendam ſibi eſſe ſanctitatem, ut ferebat officii religio: præcipuum tamen Dei conſilium fuit, imaginem proponere perfectæ ſanctitatis, quæ in Chriſto demum conſpecta fuit. Prima lex prohibitionem continet luctus funebris: ſimpliciter & abſque exceptione quoad ſummum ſacerdotem, quoad filios Aharon reſtrictione addita. Etſi autem alibi generaliter prohibet Deus ne populus in luctu veſano imitetur Gentium morem: hic tamen majus quidpiam à ſacerdotibus exigit, ut etiam à communi & aliis permiſſo luctu abſtineant. Hæc quidem prohibitio poſtea iterum ex re præſenti manavit, ut videbimus. Nam quum Nadab & Abihu qui ſuffitum fecerant igne alieno, conſumpti eſſent igne cæleſti, lugeri ipſos paſſus eſt Deus à toto populo, exceptis ſacerdotibus. Sed hac occaſione perpetua lex deinde integro tunc ſancita fuit, ne ſacerdotes mortuos lugendo ſe polluerent: niſi quod illic in domeſtico etiam funere luctus interdicitur, ut judicio Dei quamlibet triſti ſubſcribant. Nam hoc modo impediebantur à ſuo munere: quia non licuiſſet ſanctuarium ingredi. Itaque mortem illis minitatur Deus, niſi etiam in domeſtico funere dolorem ſuum temperent. Eſt autem rara virtus (ut alibi dictum eſt) noſtros affectus ſic frenare, ubi fratribus & amicis orbamur, ne doloris acerbitas patientiam & tranquillum animi ſtatum nobis excutiat. Itaque hoc modo probata fuit eximia in ſacerdotibus pietas. Adde quod abſtinentia à luctu ſpem oſtendit beatæ reſur-

2 Tim. 4. *verſ.* 8.

reſurrectionis. Ergo in funeribus ſacerdotes à luctu fuerunt immunes: ut ſolatium triſtitiæ ab illis peteret reliquus populus. Hoc in Chriſto vere & ſolide complerum fuit, qui etſi non mœrorem tantum, ſed extremum quoque mortis borrorem pertulit, exemplus tamen fuit ab omni labe, & de morte ipſa magnifice triumphavit: ut ſola crucis ejus memoria, luctu abſterſo, nos exhilaret. Jam quum dicitur, Non polluent oomen Dei ſui: & de ſummo ſacerdote, Non egredietur à ſanctuario: confirmat hæc ratio quod nuper dixi, vetitum illis fuiſſe luctum, quia eos à functione arcebat. Squalor enim ipſe quodammodo fœdaſſet Dei ſanctuarium, ubi nihil deforme conſpici debuit. Et contaminati non poterant ſupplices intercedere pro populo. Puros ergo & ab omni macula integros manere jubet Deus, ne cogantur munos ſuum deſerere, & ſanctuarium relinquere, cujus erant cuſtodes. Porro bujus figuræ complementum eſſe io Chriſto, ex ratione mox addita colligimus, Quia oleum ſanctitatis ſit ſuper caput ſummi ſacerdotis. Quo ſignificat Deus, minime rectum eſſe, ut gloria ipſius & decor ullo vitio profanetur. Quod ad verba ſpectat: primo major libertas conceditur reliquis poſteris Abaron quam ſummo ſacerdoti: ſed tantum ut patrem, matrem, liberos, & fratres germanos lugeaot, ac ſorores adhuc innuptas. Jam ne ambitio eos longius trahat, diſerte vetantur etiam in morte Principis luctum ſuſcipere. Nec dubium eſt quin vitioſi fuerint luctus, quos Deus ſecundum indulgentiam permiſit. Sed habita fuit infirmitatis ratio, ne immodicus rigor eos ad violentam intemperiem abriperet. Sic ergo illis Deus pepercit, ut tamen à vulgo diſcerneret. Contaminare ſe (ut alibi vidimus) tantundem valet ac luctum ſuſcipere ſuper mortuo, celebrare exequias, & funus proſequi: quia in morte bominis ſe profert Dei maledictio, ut cadaver eos contagione inficiat, à quibus attingitur: deinde quia fieri non poteſt, quin ubi accerſitur mœror, & acuitur, ipſa affectatio ad impatientiam erumpat. Quod vetat calvitium facere, ne id quidem reliquis è populo licuit: ſed de ſacerdotibus expreſſe Deus mandat, quo ſub arctiore ipſos freno contineat. De ſacerdote maximo videtur præter exceptiones aliquid majus ſtatui, ne caput diſcooperiat, & veſtes ſcindat: quod tamen filiis Aharon alibi injungitur. Sed hic damnatur in ſummo ſacerdote quod tolerabile eſſet in aliis. Et certe conſentaneum fuit, ut peculiare ſpecimen ederet moderationis & gravitatis. Et ideo revocatur in memoriam ipſa officii dignitas, qua ſupra alios excellit, ut tanto magis ſe obſtrictum agnoſcat. Hæc quidem ſumma eſt, quia ſacerdotium Dei ſanctitas eſt, miſcendum non eſſe cum ullis inquinamentis.

Ex Deut. XXXI.

9. Scripſitque Moſes Legem iſtam, & dedit eam ſacerdotibus filiis Levi portantibus Arcam fœderis Jehovæ, & cunctis ſenioribus Iſraël.

9. *Scripſitque Moſes.*] Legis volomen baud dubie Moſes in cuſtodiam depoſuit apud Levitas, ut illis injungeret docendi munus. Etſi enim ſimpliciter narratur, mandatum fuiſſe ut ſeptimo quoque anoo librum coram populo recitarent: colligere tamen promptum eſt, creatos fuiſſe ejus doctrinæ aſſiduos præcones. Abſurdum enim fuiſſet Legem totis ſeptem annis ſepultam jacere, nec verbum de ejus doctrina fieri: frigida deinde fuiſſet auditio in tanta multitudine: memoria quoque facile evanuiſſet. Denique perquam exiguus fuiſſet ceremoniæ fructus, ſi reliquis tempotibus muti fuiſſent Levitæ, & nihil in tota terra auditum fuiſſet de cultu Dei. Huc itaque ſpectavit ſolennis promulgatio, quæ anno remiſſionis fiebat, ut populus quotidie colendi Dei regulam peteret à Levitis, qui electi fuerant quaſi νομοφύλακες, ut in tempore proferrent quicquid erat utile cognitu. Itaque hic nobis repræſeotatur veluti in ſpeculo, quod dicit Paulus, Eccleſiam Dei eſſe columnam, & ſtabilimentum veritatis: quia ſcilicet doctrinæ puritas, Paſtorum miniſterio in mundo viget iocolumis, atque propagatur: ſicuti rurſum mox intercideret religio, ſi viva doctrinæ prædicatio ceſſaret. Ideo alibi jubet idem Paulus, ſanam doctrinam, cujus fuerat miniſter, à Timotheo commendari fidis hominibus, qui ſiot idonei ad alios docendos. Primo igitur tenendum, volumen Legis apud Levitas tanquam fideicommiſſum fuiſſe, ut quod rectum erat, ab illis populus diſceret. Quod addit ſeniores, non ſupervacaneum eſt. Etſi enim illis mandata non fuit docendi provincia, Levitis tamen adjutores fuerunt additi, ut Legis doctrinam aſſererent, nec paterentur ludibrio haberi. Scimus enim quanta ſit plebis protervia ad repudiandos pios doctores, niſi eam compeſcant qui præſunt: & certe non implent ſuas partes, niſi in ſtudio pietatis contineant bomines ſibi ſubjectos, qui alioqui ad impietatem nimis eſſent proclives. Porro Legem boc loco vocat Moſes, non decem verba ſignata in duabus tabulis, ſed interpretationem quatuor libris comprehenſam. Id autem factum eſt triginta novem annis poſtquam in monte Sinai loquutus fuerat Deus. Sequitur quod alibi expoſui, ut in fine ſeptennii Lex recitetur. Verum quæ ad hujus loci intelligentiam faciunt, repetere non pigebit. Annus ſeptimus electus eſt, quo licebat abſque jactura rei domeſticæ, tam maribus quam fœminis, confluere Jeroſolymam, qoia vacatio erat ab omni opere: noo enim ferebant, neque metebant, ſed tota agrorum cultura ceſſabat. Nihil ergo oegotii obſtabat quominus diem illum feſtum celebrarent, in quo Deus ad vivum repræſentabat quam mirabiliter patres eorum ſervaſſet in deſerto. Ne unquam efflueret tanti beneficii memoria, quotannis quidem ubicunque eſſent, Lex jubebat ex ſuis domiciliis egredi, ut ſub ramis arborum agerent per ſeptem dies. Verum anoo ſabbathario quum omnibus domi eſſet otium, commodius erat undique Jeroſolymam aſcendere, ut in ipſa frequentia meſius teſtatam facerent ſuam gratitudinem. Ideo additur, Quum venerit univerſus Iſraël. Ae notandum eſt, in illo cœtu ſanctius obſtrictam fuiſſe fidem totius populi ad Legem ſervandam, quia inter ſe ultro citroque reſtes erant alii contra alios, ſi deſciſcerent à fœdere ita publice renovato. Hac ratione additur, Congregando viros, & mulieres, & parvulos. Verum ne inane eſſet ſpectaculum, mandatur diſerte legendum eſſe volumen in auribus eorum: qua loquutione exprimitur recitatio, ex qua auditores fructum percipiant. Alioqui fallax & ludicra fuiſſet oſtentatio: ſicuti in Papatu dum pleno gutture Scripturam lingua incognita reboant, nihil aliud quam profanant Dei nomen. Deus ergo in hunc finem reſonare voluit Legis ſuæ doctrinam, ut ſibi diſcipulos acquireret, non autem ut inſipido clamore repleret aures ſine profectu. Et certe quum ſacrificos Papales nonnihil puderet vulgus prorſus arcere ab auditione verbi Dei, excogitata fuit fatua ratio, ut apud ſurdos clamarent: quaſi vero nugatoria bac pompa ſatisfiat Dei mandato, ubi jubet à minimo uſque ad maximum omnes doceri: nam poſtea iterum exprimitur, Ut audiant & diſcant. Uode ſtatuimus perverti legitimum Scripturæ uſum, ubi proferitur obſcurus ſonitus quem nemo intelligat. Verum ſicuti non alia Deo probatur Scripturæ lectio, niſi quæ populum

1 Tim. 3. verſ. 15.

2 Tim. 2. verſ. 2.

eru-

erudiat: ita fructus intelligentiæ requiritur, ut Deum timere discant auditores. Porro dubium non est quin timor Dei fidem in se contineat: imo proprie ex ea nascitur. Sed hac voce significat Moses, ideo datam esse Legem, ut ad pietatem & verum Dei cultum formentur homines. Simul ex hoc quoque loco discendum est, erraticos & adulterinos esse omnes cultus qui Deo absque scientia exhibentur. Sapientiæ caput est Deum timere: atque in eo capite consentiunt omnes, sed deinde quisque ad sua figmenta delabitur, & vagas quas vocant devotiones. Atqui Deus ut frenum injiciat ejusmodi audaciæ, pronunciat se non aliter rite coli quam ubi auditus fuerit. Peregrinos vero, ubi de sacrorum communicatione agitur, alibi admonui non vocari quoslibet advenas, sed qui ex profanis Gentibus oriundi, Deo nomen dederant, & accepta Circumcisione, asciti fuerant in Ecclesiæ corpus: alioqui fas non fuisset eos admittere in cœtum fidelium. quod etiam confirmat adjectio, ubi dicuntur esse intra portas: quæ tantundem valet acsi dixisset Moses, urbium incolas, & qui simul cum populo habitabant. Tandem sub filiorum nomine, de propagatione sanæ doctrinæ agitur, ut purus Dei cultus semper vigeat. Jubet ergo non una tantum ætate recitari Legem, sed quoad durabit status populi. Et certe hanc curam suscipere decet omnes Dei cultores, ut ad posteros transmittant quod didicerunt. Sed notandum est, non promiscue commendari quamlibet doctrinam, quæ à majoribus quasi per manus tradita fuerit: quin potius sibi uni vendicat Deus solidam auctoritatem tam erga patres quam erga filios.

Ex Levit. X.

8. Loquutusque est etiam Jehova ad Aharon, dicendo,

9. Vinum & siceram non bibes tu & filii tui tecum quando intrabitis in tabernaculum conventionis, ne moriamini: statutum perpetuum est in generationibus vestris.

10. Et ut discernatis inter sanctum & profanum, & inter immundum & mundum.

11. Et ut doceatis filios Israël omnia statuta quæ loquutus est Jehova ad eos per manum Mosis.

9. *Vinum & siceram.*] Secunda mundities sacerdotum, ut abstineant à vino & sicera: qua voce dicit Hieronymus comprehendi quicquid inebriare potest. quod verum esse fateor: sed definitio certior est, notari omnes potiones à fructibus expressas, in quarum dulcedine eadem fere est illecebra quæ in vino. Et hodie quoque Orientales populi sibi tam ex dactylis palmarum quam ex aliis fructibus liquores conficiunt apprime suaves & delicatos. Eadem ergo hic sacerdotibus, dum vices suas peragent, regula præscribitur quæ Nazaræis. Liberaliter optimis quibusque cibis vesci permissum utrisque fuit: aqua contentos esse jussit Deus, quia potus restrictior maxime ad frugalem vitam conducit. Pauci enim intemperantes sunt in cibo, qui non iidem vinum appetant, deinde cibi saturitas ingluviem utcunque sedat: potandi nullus est modus ubi regnat vini cupiditas. Ergo vini abstinentia injuncta fuit sacerdotibus, non modo ad ebrietatem cavendam, sed ad temperantiam victus, ne in sua copia luxuriarentur. Sed quia præcipua pars moderati victus est sobrietas, in ea potissimum continuit Deus suos sacerdotes: ne vigor mentis, & judicii rectitudo & integritas potu hebetaretur. Unde apparet quanta sit ad omnes corruptelas hominum propensio. Inter alimenta saluberrimum est vinum: atqui nimia ejus ingurgitatione multi vires suas enervant, mentem suffocant, & fere obstupefaciunt omnes sensus ut jaceant ignavi. Alii etiam degenerant in fœdam & belluinam socordiam, vel in furorem aguntur. Ita oblectatio quæ ipsos ad gratias Deo agendas incitare debuerat, ob vitiosum excessum eripitur: non sine probro, quia Dei beneficiis moderate frui nesciunt. Confirmat postea Deus, se ideo vinum sacerdotibus interdicere quum vicibus suis fungentur, ut discernant inter mundum & immundum, & sani sint ac finceri Legis interpretes. Hac quidem ratione tota vita docebat esse abstemios, quia magistri ad populum docendum semper fuerunt præfecti. Sed ne immodicus rigor tædium gigneret, ut minus essent ad alias officii partes voluntarii: satis habuit Deus illos temporali abstinentia monere, ut in reliquum tempus sobrietati studerent. Sic enim habendum est, nullos esse idoneos doctores qui crapulæ dediti sunt, quæ mentis sanitatem corrumpit, & obruit vigorem. Puerile quidem est illud cavillum Hieronymi, Pinguis venter non gignit sensum tenuem: quia multi reperiuntur succulenti homines vegeto & alacri ingenio, & macies sæpe ex largiore potu contrahitur. Sed qui corpus saginant, nunquam animi agilitate pollebunt ad exequendum docendi munus. Cæterum colligimus ex hoc loco quod dicit Malachias, sacerdotes fuisse Legis interpretes, & nuncios Dei exercituum, non autem mutas larvas. Tametsi enim scripta Lex erat, voluit tamen Deus semper vivam vocem sonare in sua Ecclesia: quemadmodum hodie Scripturæ conjuncta est prædicatio, quasi individuo nexu. *Malach. 2. vers. 7.*

Ex Levit. XXI.

7. Mulierem meretricem aut profanam non accipient, neque mulierem repudiatam à viro suo accipient: quia sanctus est Deo suo.

8. Et sanctificabis eum, quia panem Dei tui offert: sanctus erit tibi, quia sanctus sum ego Jehova sanctificans vos.

De summo Sacerdote.

Ex Levit. XXI.

13. Ipse uxorem in virginitate sua accipiet.

14. Viduam, & repudiatam, & profanam, & meretricem, illas non accipiet: sed virginem è populis suis accipiet uxorem.

15. Neque contaminabit semen suum in populis suis: quia ego Jehova sanctificans eum.

Ex eodem Capite.

9. Filia hominis sacerdotis si cœperit fornicari, patrem suum contaminat, igni comburetur.

7. *Mulierem meretricem.*] Tertia ſpecies puritatis eſt in ipſo conjugio, ut caſta ſit ſacerdotis domus, & immunis ab omni dedecore. Hodie quoque Deus per os Pauli jubet eligi Paſtores, qui bene præſint ſuis familiis, quibus pudicæ ſint uxores & modeſtæ, & liberi bene morati. Eadem valuit ſub Lege ratio: ne ob probra domeſtica viles & abjecti eſſeot qui præfecti erant regendæ Eccleſiæ. Sed maxime reſpexit Deus ad Chriſti ſacerdotium, ne expoſitum eſſet contemptui. Fœminam à viro repudiatam ducere impune quidem licebat: ſed coram Deo illicitum erat tale conjugium. Stupratam ducere privatos homines nulla ratio vetuit: ſed quod vulgo permiſſum erat, in ſacerdotibus damnavit Deus, ut eos eximeret ab omni infamiæ nota. Et hæc etiam cauſa exprimitur, ubi vult ſanctos haberi ſacerdotes, quia ipſos ſibi delegerit. Niſi enim veneratus fuiſſet ipſos populus, contemptibilis tota religio fuiſſet. Ergo ut dignitas ipſis ſalva maneat, diligenter caveodum eſſe præcipit, ne ſe ad ignominiam proſtituant. Porro quo melius commendet ſacri officii reverentiam, admonet ad totius populi ſalutem ſpectare: Ego, inquit, ſum Deus qui vos ſanctifico. His autem verbis ſignificat gratiam adoptionis, qua ſelecti erant in peculium, in ſacerdotio fundatam eſſe.

1 Tim. 3. verſ. 2. Tit. 1. verſ. 6.

13. *Ipſe uxorem.*] Plus à ſummo ſacerdote exigitur: ne ſcilicet viduam ducat, vel aliam quam ex tribu ſua. Quanquam de poſteriore membro poſſet moveri quæſtio, an reſtringi debeat nomen plurale ad tribum unam, quum alibi de omoibus ſumatur. Verum ſi propius expendimus, certum eſt Populos tantundem valere ac Populares. Hic vero nihil ſingulare à ſacerdote exigetur, ſi tantum ex filiis Abrahæ uxor ſumenda ſit. Fateor quidem ſacerdotes primarii ordinis ex populo duxiſſe uxores: ſicuti Elizabeth ex tribu Juda oriunda Zachariæ nupſit. Sed quia hic ab aliis omnibus diſtinguitur ſummus ſacerdos, neſcio an conveniat legem de eo ferri, vel privilegium, quod obſervet tota Aharon poſteritas. Qua de re tamen non litigabo, ſi quis aliter ſentiat. At certe quo magis in eo ſpleodebat figura Chriſti, major etiam & perfectior ſanctitas conſpici debebat. Huc autem ſpectabat adſtrictio, ut uxor non alium virum experta, verecundiam loco illo & gradu ſacri bonoris dignam præ ſe ferret. Si quis objiciat, abſurdum, vel mious decorum fuiſſe vetuli ſacerdotis conjugium cum puella, deinde multis incommodis ſubjectum: reſpondeo, leges ſpeciales ita debere exponi, ne pugnent cum generalibus principiis. Si ſenex decrepitus juveoculam appetat, turpis & pudenda erit libido: deinde fraudabit quam ducet. Hinc tandem naſcetur zelotypia, & miſera anxieras; vel ſtultis ineptiis amorem uxoris fovendo, omnem gravitatis curam abjiciet. Hanc regulam, quæ à natura & ſenſu dictatur, violari noluit Deus, quum ſacerdoti non permiſit niſi virgioem ducere: ſed habita ætatis ratiooe, pudorem & boneſtatem ſervari voluit in coojugio, ut ſi provectæ ætatis eſſet ſacerdos, virginem acciperet ab annis ſuis non nimium remotam: ſi autem caducus eſſet, ac jam propter ſenium minus idoneus conjugio, lex de virgine ducenda, exhortatio eſſet ad cælibatum potius quam ut ſe implicaret multis moleſtiis, & omnium ludibrio exponeret.

9. *Filia hominis ſacerdotis.*] Moderatio & caſtitas ad filiam quoque extenditur: ac per ſyoecdochen ſub uoa ſpecie comprehenditur recta diſciplina, ut ad virtutis ſtudium & honeſtos pudicoſque mores formati ſint liberi. Edicitur autem gravis pœna, ſi filia ſacerdotis ſcortata fuerit: quia cum libidinis flagitio conjuoctum erat ſacrilegium. Porro non leve crimen eſt, ſacrarium Dei violare. Jam ſi tale dedecus toleraſſet ſacerdos in filia, parum ſeverus fuiſſet vindex ejuſdem turpitudinis in extraneis: imo liber non fuiſſet ad punienda ſcelera, niſi à domo ſua initium feciſſet.

Ex eodem Capite.

16. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

17. Loquere ad Aharon, dicendo, Vir è ſemine tuo per ætates ſuas, in quo fuerit macula, non accedet ut offerat panem Dei ſui.

18. Quippe nullus vir in quo fuerit macula, accedet: vir cæcus, vel claudus, aut diminutus, aut ſuperfluus:

19. Aut vir in quo fuerit fractura pedis, vel fractura manus:

20. Aut gibboſus, aut lippus, aut qui habebit maculam in oculo ſuo, aut cui fuerit ſcabies vel impetigo, aut qui contritus fuerit teſticulo.

21. Omnis vir in quo fuerit macula, è ſemine Aharon ſacerdotis, non accedet ad offerendum oblationes ignitas Jehovæ: in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum panem Dei ſui.

22. Panem quidem Dei ſui è ſanctitatibus ſanctitatum & è ſanctis comedet.

23. Atqui intra velum non ingredietur, & ad altare non accedet: quia macula eſt in eo, ne polluat ſanctuaria mea: quoniam ego Jehova qui ſanctifico vos.

24. Loquutus eſt itaque Moſes ad Aharon & filios ejus, & ad omnes filios Iſraël.

17. *Loquere ad Aharon.*] Hic arcentur ab altari ſacerdotes in quibus vitium aliquod corporis fuerit notabile. Non ioquiram ſubtilius de vitiis quæ Moſes commemorat, quoniam eadem bic regula traditur quæ poſtea in ſacrificiis, quæ nulla offerre licuit niſi integra. Nam quicquid vitioſum erat vel mutilum, repudiavit Deus, ut ſcirent Iſraëlitæ nullam expiandis peccatis victimam ſufficere, niſi in qua extaret ſumma perfectio: quæ in ſacerdote merito requiritur, qui mediator Dei & bominum eſſe non potuit niſi ab omni labe exemptus. Porro tenenda eſt anagoge ab externis figuris ad ſpiritualem, quæ in ſolo Chriſto fuit, perfectionem. Defectum nullum ferre potuit Deus in ſacerdotibus. Sequitur ergo, expectandum fuiſſe Angelicæ puritatis hominem, qui Deum mundo reconciliaret. Ita corporis vitia quæ hic numerantur, ad animum transferre coovenit. Oblatio panis per ſynecdochen reliquas complectitur, & totum Legalem cultum, quo vicibus ſolebant defungi ſacerdotes. Idque paulo poſt confirmant Moſis verba, ubi præter panem omnes ignitas oblationes commemorat. Alibi vidimus prohiberi à ſanctuarii acceſſu vulgares quoque homines, qui confractis eſſent teſticulis, ne in atrium quidem pedem inferrent: ſed ſpecialis in ſacerdotibus ratio fuit, ne ſanctuarium ſuis vitiis inquinarent. Hinc apparet quam oeceſſaria ſit nobis Chriſti interceſſio: quia niſi ſordes noſtras ablueret perfecta ejus muodities, nulla oblatio à nobis prodiret oiſi immunda & fœtida. Imo notatu dignum eſt, quolibet defectu aut vitio pollui Dei ſanctuarium. Unde ſequitur, quicquid à ſeipſis obtrudunt bomines Deo,

pro-

profanationis dammari: tantum abest ut Dei ipsius favorem ullo merito sibi concilient.

22. *Panem quidem Dei sui.*] Permittit quidem sacrificiis vesci, quia propter illos naturæ defectus nulla immundities eos à sacris epulis arceat. Tantum vetantur apparere coram Dei conspectu quasi mediatores ad eum placandum. Atque hic se prodit Legalis cultus infirmitas: quia nihil reperiri potuit inter homines quod veritatem penitus exprimeret. Quum ergo hominum vitia res conjunctas, honorem & onus, dividere cogeret, hinc admoniti fuerunt Israëlitæ, alium sacerdotem sibi promitti, cui ad omnes virtutum & perfectionis numeros nihil deesset. Tandem recitat Moses se Dei mandata pertulisse, non modo ad Aharon & ejus filios, sed ad totum simul populum: ut minimus quisque è plebe censor esse posset, si quid sacerdotes delinquerent.

Ex. Levit. XXII.

1. Loquutus est insuper Jehova ad Mosen, dicendo,
2. Loquere ad Aharon, & filios ejus, ut separent sese à sanctificationibus filiorum Israël, & ne polluant nomen sanctitatis meæ in his quæ ipsi sanctificant mihi: ego Jehova.
3. Dic illis, In generationibus vestris omnis vir qui accesserit ex omni semine vestro, ad sanctificationes quas sanctificaverint filii Israël Jehovæ, & immunditia sua fuerit super ipsum, excidetur anima ipsius à facie mea: ego Jehova.
4. Quicunque è semine Aharon fuerit leprosus, vel seminifluus, de sanctificationibus non comedet donec mundet se: & qui tetigerit immundum super morticino, aut vir ex quo egreditur effusio seminis,
5. Aut vir qui tetigerit quodcunque reptile per quod immundus erit, aut hominem propter quem immundus erit, secundum omnem immunditiem ejus:
6. Anima inquam quæ tetigerit illum, immunda erit usque ad vesperam: & non comedet de sanctificationibus nisi laverit carnem suam aqua.
7. Quum autem occubuerit sol, tum erit mundus, & postea comedet de sanctificationibus: quia cibus ejus est.
8. Cadaver & raptum non comedet, ut polluat se in eo: ego Jehova.
9. Et custodiant custodiam meam, & ne portent peccatum propter illud, & moriantur propter illud, quum polluerint illam: ego Jehova sanctificans eos.
10. Omnis autem alienigena non comedet sanctificationem: inquilinus sacerdotis, & mercenarius non comedet sanctificationem.
11. Quod si sacerdos emerit hominem emptione argenti sui, ipse comedet ex ea, & vernaculus ejus: illi comedent de cibo ejus.
12. Filia autem sacerdotis quum fuerit viro alieno, ipsa de oblatione sanctificationum non comedet.
13. Filia vero sacerdotis quum fuerit vidua, aut repudiata, & semen non erit ei, & reversa fuerit ad domum patris sui, sicut in pueritia sua, de cibo patris comedet: omnis autem alienigena non comedet ex eo.
14. Quod si aliquis comederit sanctificationem per imprudentiam, addet quintam partem ejus, & dabit sacerdoti cum sanctificatione.
15. Et non contaminabunt sanctificationes filiorum Israël, quas obtulerint Jehovæ.
16. Neque portare facient eos iniquitatem delicti, dum comederint sanctificationes eorum: ego enim Jehova sanctificans eos.

1. *Loquutus est insuper.*] Hic de accidentibus differit Moses, ex quibus vitium contrahitur, quamvis natura purus sit homo & integer. Qui defectu aliquo naturæ laborarent, eos à munere sacerdotali prohibuit Moses: nunc si quod extrinsecum vitium sacerdotem polluerit, cessare ab officio jubet, donec fuerit purgatus. Jussit antehac quoslibet immundos separari à populo, ne contagio alios inficeret. Videtur ergo supervacuum sacerdotibus præcipere quod aliis omnibus injunctum fuit. Verum quia solent homines in aliquo bonoris gradu locati, gratia Dei abuti ad peccandi licentiam: ne dignitas sacerdotalis ad fovenda vel excusanda flagitia integumentum foret, legem expressam ferre necesse fuit, ne privilegium obtenderent sacerdotes, ut immundi sacrificia comederent, quæ mundis tantum licebat offerre. Et quo magis detestabile sit sacrilegium, mortem denunciat, si quis suas pollutiones sacris Dei misceuerit. Nam pœnæ metu expergefieri oportuit, & quasi violenter cogi ad officium, quibus nulla alioqui religio fuisset, contemptibilem Dei cultum reddere. Jam ipsas pollutionum species commemorat, de quibus ante diximus. Unde apparet sacerdotes hac lege cogi in ordinem, ne se magis solutos existiment quam reliquum vulgus, atque ita secure sibi indulgeant. Quod postea clarius exprimitur, dum admonet Deus ut custodiant custodiam suam, hoc est, ut diligenter observent quicquid mandavit: & quo majori eos honore dignatus est, eo majore studio se contineant in exercitiis pietatis. Nam docet, adeo nihil facere jus sacerdotii ad culpam levandam, ut arctiore vinculo ipsos ad servandam Legem constringat.

10. *Omnis alienigena.*] Hoc quoque addere necesse fuit, ne vilesceret sacrorum majestas. Nam si promiscue omnibus concessum fuisset sacro pane vesci & aliis oblationibus, statim duxisset populus nihil differre à vulgari cibo. Quod nisi obviam itum fuisset sacerdotum avaritiæ, grassata fuisset fœda nundinatio: quia propositæ fuissent venales epulæ, & domus sacerdotis quasi forum cupediarium fuisset. Quod enim alienigenas vetat cibis in sacrificium oblatis vesci, non tam eorum fit respectu quam sacerdotum: qui alioqui ex rebus oblatis uberem quæstum facturi erant, vel suis hospitibus gratificando pessundare non dubitassent verum Dei cultum. Ideo prohibet lex ne vel inquilinus, vel mercenarius comedat: vernaculis tantum, & qui in familiam insiti fuerint, comedere permittit. Quinetiam filias sacerdotum, quæ in aliam tribum abnupserint, alienas

cenſet. Huc tendit ſumma, ut quæcunque dependent ex cultu Dei, ſuam reverentiam obtineant: quod fieri non poteſt, niſi quod in templo oblatum eſt diſcernatur à communi cibo. Quatenus erant ex numero mortalium, licuit illis ſeipſos communi more alere. Neceſſaria tamen fuit diſtinctio, quæ Chriſti ſanctitatem redoleret. Hæc fuit ſacerdotalis mundities quoad cibos.

14. *Quod ſi aliquis comederit.*] Poſſet hic moveri quæſtio, cur Deus ſacerdotibus ſatisfieri jubeat, ſi quis rem oblatam comederit. Pœna enim potius digni erant quam mercede, qui paſſi fuiſſent res ſacras promiſcuo uſu in contemptum trahi. Sed hic eorum multatur error, qui legitimam partem ſacerdoti non ſervaſſent. Portio, ut videbimus, divinitus erat attributa, quam ſeorſum reponere decebat antequam ex victima aliquid guſtarent. Eos ergo qui per incogitantiam lapſi fuerint, jubet Deus ad expiandum delictum, ſacerdoti tantundem reſtituere, & addere quintam partem. Idque in eum quem diximus finem: ne ſi res Deo oblatæ ad communem uſum expoſitæ fuiſſent, profaneſcèret religio. Quod poſtea ſequitur, Et non contaminabunt ſanctificationes, de ipſis ſacerdotibus interpretor. Cohæret enim hæc ſententia cum ſuperioribus, ubi ſermo ad ſolos ſacerdotes directus fuit. Quod melius confirmat proximus verſus, ubi pronunciat totum populum reum fore ſacerdotum culpa, ſi ſacras oblationes polluerint. Sic enim verba accipio, Ne populo imponant iniquitatem, vel pœnam delicti, ſi immundi res Deo oblatas attigerint. Nam ſicuti medius eſt pacificator ſacerdos, ut Deum hominibus reconciliet: ita ejus impietas piaculum eſt commune, quod alios omnes reatu obſtringit. Quod nonnulli vertunt, Ne ſe onerent, latius eſt ac prorſus contortum. Tandem iterum pronunciat Deus, pro magnitudine honoris, quo ipſos dignatus fuerat, gravius fore crimen & minus excuſabile, niſi ſuæ vocationi reſponderent.

Ex Exodi XX.

26. Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne detegatur turpitudo tua juxta illud.

26. *Non aſcendes.*] Quum verecundiam ſacerdotibus præceperit Deus tota vita, & in privatis actionibus, nihil mirum ſi in ſacris peragendis præcipuam honeſti & decori curam requirat. Prius quidem ſacerdotes voluit ſubligaculis vel femoralibus indui dum ingrediebantur ſanctuarium, ad velandas partes pudendas: hoc tamen caſtitatis ſymbolo nondum contentus, vetat per gradus aſcendere ad altare: ne forte ſubligacula ipſa appareant: quia tali conſpectu dignitas ſacrorum & religio minueretur. Modis ergo omnibus adducere Iſraëlitas voluit, ut in cultu pietatis integerrime & caſtiſſime ſe gererent.

Ex Numer. VI.

22. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,
23. Alloquere Aharon & filios ejus, dicendo, Sic benedicetis filiis Iſraël, dicendo eis,
24. Benedicat tibi Jehova, & cuſtodiat te:
25. Lucere faciat Jehova faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui:
26. Attollat Jehova faciem ſuam ad te, & conſtituat tibi pacem.
27. Et ponent nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis.

22. *Et loquutus eſt Jehova.*] Hic pars officii ſacerdotalis breviter exponitur, cujus paſſim in Lege fit mentio. Dicit enim Deus ſe creaſſe ſacerdotes, qui
Pſal. 118. verſ. 26. populo benedicant. Et huc videtur alludere David his verbis, Benedicimus vobis è domo Jehovæ. Quæ doctrina apprime utilis eſt: ut certo ſtatuant fideles, Deum ſibi eſſe propitium, dum teſtes ac præcones ordinat paterni ſui erga eos favoris. Benedicendi verbum ſæpe capitur pro bene precari, quod officium piis omnibus commune eſt. Sed hic ritus (ut paulo poſt videbimus) efficax fuit teſtimonium gratiæ Dei: acſi benedictionis mandatum ex ejus ore perferrent ſacerdotes. Hoc autem vere in Chri-
Luc. 24. verſ. 50. ſto fuiſſe impletum oſtendit Lucas, quum narrat ipſum manus ſuſtuliſſe pro ſolenni Legis ritu, ut diſcipulis benediceret. Ergo his verbis data fuit ſacerdotibus legatio Dei cum populo reconciliandi: idque in Chriſti perſona, qui ſolus gratiæ Dei & benedictionis idoneus eſt ſponſor. Quatenus ergo tunc gerebant typum Chriſti, juſſi ſunt populo benedicere. Sed notatu dignum eſt quod jubentur clare proferre benedictionis formam, non autem obſcuro ſuſurro vota concipere. Unde colligimus prædicatam fuiſſe gratiam quam populus fide apprehenderet.

24. *Benedicat tibi.*] Benedicere Dei, actualis eſt liberalitas: quia ex ejus favore, tanquam ex fonte unico, nobis fluit bonorum omnium copia. Additur ſecundo ut populum cuſtodiat: qua particula ſignificat unicum ſe Eccleſiæ defenſorem, & qui eam præſidio ſuo tuetur. Sed quia præcipua gratiæ Dei utilitas eſt in ipſo ſenſu, ſequitur ut illuſtret faciem ſuam. Nihil enim ad ſummam felicitatis optabilius quam ſerenum Dei vultum conſpicere: ſicuti
Pſal. 4. verſ. 7. in Pſalmo dicitur, Multi dicunt, Quis oſtendet nobis bonum? Leva ſuper nos lumen vultus tui Domine. Sic igitur hanc particulam interpretor, ut ſentiat ac guſtet populus dulcedinem bonitatis Dei, quæ ipſum exhilaret, non ſecus ac Solis ſplendor, dum mundum irradiat ſereno cælo. Sed continuo poſt ad primam cauſam revocatur populus, nempe gratuitam Dei miſericordiam, quæ ſola eum nobis conciliat, qui alioqui merito noſtro exoſi ſumus ac deteſtabiles. Quod poſtea ſequitur, Attollat faciem ſuam ad te, ex communi Scripturæ more poſitum eſt: ut Deus populi ſui recordetur. Non quod in eum cadat oblivio: ſed quia putamus curam noſtri abjeciſſe, niſi reipſa probet ſe de ſalute noſtra eſſe ſollicitum. Tandem ſubjicitur, Ut ſtabiliar populo ſuo pacem: quod alii paulo apertius vertunt, Ponat te in pacem. Cæterum quum hoc nomen non modo quietem & tranquillum ſtatum, ſed omnes proſperos ſucceſſus ſignificet, libenter hunc poſteriorem ſenſum amplector: quamvis non diſpliceat etiam propria ſignificatio.

27. *Et ponent nomen meum.*] Recte quidem vertit Hieronymus, Invocabunt nomen: ſed quia emphatica eſt Hebraica loquutio, eam retinere malui. Nam Deus nomen ſuum apud ſacerdotes deponit, ut in medium quotidie proferant tanquam benevolentiæ, & quæ inde oritur ſalutis pignus. Nam promiſſio quæ tandem ſubjicitur, confirmat non inanem vel irritam fuiſſe hanc ceremoniam ubi ſe populo reipſa benedicturum affirmat. Atque hinc colligimus, quicquid peragunt Eccleſiæ miniſtri ex Dei mandato, vero & ſolido effectu ipſum ſancire: quia nihil

nihil per miniſtros pronunciat quod non præſtet ipſe atque impleat Spiritus ſui virtute. Sed notandum eſt ita benedicendi munus ad ſacerdotes transferre, ut jus illis ſuum non reſignet: quia poſtquam miniſterium illis mandavit, ſibi uni ipſam rei exhibitionem vendicat.

Ex Numer. XXXV.

1. Et loquutus eſt Jehova in campeſtribus Moab juxta Jordanem Jericho, dicendo,
2. Præcipe filiis Iſraël ut dent Levitis de hæreditate poſſeſſionis ſuæ urbes ad habitandum: & ſuburbana urbium ipſarum, per circuitus earum dabitis ipſis Levitis.
3. Eruntque urbes illis ad habitandum; ſuburbana vero earum erunt animalibus eorum, & ſubſtantiæ eorum, & omnibus beſtiis eorum.
4. Et ſuburbana urbium earum quas dabitis Levitis, à pariete urbis, & forinſecus, mille cubitorum erunt per circuitum.
5. Præterea metiemini extra urbem à plaga orientali duo millia cubitorum, & à plaga meridiana duo millia cubitorum, & à plaga occidentali duo millia cubitorum, & à plaga aquilonari duo millia cubitorum: & urbs ipſa erit in medio: iſta menſura erit eis ſuburbanorum urbium.
6. De urbibus autem quas dabitis Levitis, erunt ſex urbes refugii, quas dabitis ut fugiat illuc homicida: & præter illas dabitis quadraginta duas urbes.
7. Omnes urbes quas dabitis Levitis, erunt quadraginta octo urbes: ipſas & ſuburbana earum dabitis.
8. Et urbes quas dabitis de poſſeſſione filiorum Iſraël, ab eo qui plures habuerit, pluresaccipietis: & ab eo qui pauciores, pauciores capietis: ſinguli pro quantitate poſſeſſionis ſuæ quam poſſederint, dabunt ex urbibus ſuis Levitis.

1. *Et loquutus eſt Jehova.*] Quamvis nulla eſſet hæreditas tribui Levi, locum tamen habitationis aſſignari oportuit. Fundus agrorum Levitis datus non eſt ubi ſererent aut meterent: ſed compenſationis loco fuerunt decimæ juſta portio victus, ſubductis etiam decimis quæ ſolebant erogari in pauperes. Nunc autem illis quoad domicilium proſpicitur: ubi diligenter obſervandum eſt, ſic per totam terram diſtribui, ut ſint quaſi diſpoſiti cuſtodes ad conſervandum Dei cultum, ne qua obrepat ſuperſtitio, vel populus in craſſum Dei contemptum labatur. Scimus enim divinitus eſſe electos: non tantum ut ceremoniis darent operam, ſed ut eſſent Legis interpretes, ad foveodam in populo ſinceram pietatem. Jam ſi omoes ſimul in una ſtatione locati forent, periculum erat, ne in tota terra ſtatim Legis doctrina in oblivionem veniret: atque ita reliquæ tribus profaneſcerent. Quare hic enituit incomparabilis Dei bonitas, dum pœna quaſi in virtutis præmium, & ignominia in honorem converſa fuit. Hæc enim diſſipatio Leviticæ tribus prædicta fuerat à ſancto Patriarcha Jacob, ut poſteri in ea terra diſperſi eſſent, quam auctor generis Levi deteſtabili cæde, & ſcelerata perfidia polluerat. Eventu probavit Deus id oraculum à ſe profectum, non irritum excidiſſe. Interea quum merito in ſignum dedecoris huc & illuc relegandi eſſent Levitæ, ſingulis terræ partibus fuerunt præfecti, ot alias tribus retinereot ſub Legisjugo. Jam admirabili Dei providentia potius locati ſunt in propriis & certis ſedibus, quam data libertas ut promiſcue reliquo populo ſe miſcereot. Urbes enim quas illis Deus attribuit, totidem fuerunt ſcholæ, ubi ſe melius & liberius exercerent in Lege diſcenda: ſeque formarent ad obeundum docendi munus. Nam ſi paſſim habitaſſent cum vulgo, proclive erat tum multa vitia contrahere, tum negligere ſtudium Legis. At quum in certas claſſes eſſeot collecti, talis conjunctio eos admonuit à plebe eſſe disjunctos, ut ſe penitus Deo addicerent. Adde quod eorum urbes fuerunt quaſi lucernæ quæ ad extremos uſque angulos fulgerent. Erant ergo tanquam clauſtris muniti, ne tam facile ad eos peoetrarent vulgares corruptelæ. Ipſa quoque ſodalitas ſtimulare eos debuit, ut alii alios mutuo ad contioentiam, mores honeſtos & pudicos, temperantiam, aliaſque virtutes Dei ſervis dignas hortarentur: quod ſi ad licentiam diffluerent, minus excuſabiles fuiſſent. Ergo eorum urbes quaſi ſpeculæ fuerunt, in quibus excubias agerent, ad impietatem è finibus ſanctæ terræ arcendam. Illioc diffuſa fuit lux cæleſtis doctrinæ, illinc ſparſum vitæ ſemeo, illinc petendā fuerunt ſanctæ vitæ & omnis integritatis exempla.

4. *Et ſuburbana urbium earum.*] Hic apparet varietas ex qua oritur quæſtio. Primo enim definit Moſes ſuburbia mille cubitis ab urbe, verſus quemque terminum: poſtea videtur extendere ad duo millia. Quidam hunc nodum ita expediunt, loca urbi magis vicina, tuguriis & bortis fuiſſe deſtinata. Mille autem cubitis vacuum fuiſſe ſpatium armentis vel gregibus paſcendis: quod videntur finxiſſe tantum ut ſubterfugio eluderent objectionem repugnantiæ. Ego vero potius exiſtimo, poſtquam mille undique cubitis eos circumſcripſit Moſes, nunc modum oſtendere dimenſionis, quo lites ooines dirimat, quæ moveri poterant à finitimis. Certe quum idem bis repetat, poſterior verſus tantum prioris explicatio eſt. Abſurdum itaque eſſet, poſtquam mille cubitos poſuit, ſtatim duplicare numerum. Optime vero convenict, dimenſionem hanc ſumi per circuitum. Nam ſi ducas circulum, & à centro lineam trahas ad circumferentiam, totius circumferentiæ ad lineam illam decupla erit portio vel circiter: nunc ſi compares quartam partem lineæ circularis cum recta illa lioea quæ ad centrum tendit, ſeſquialtera parte erit major. Quod ſi urbi relinquas mille cubitos, bis mille cubiti in quatcrnis partibus circumferentiæ, reſpoodebunt mille cubitis ab urbe ad ſingulos terminos verſus. Deinde, pro æquitatis regula præſcribitur, ut minor vel major numerus urbium ſumatur ſecundum amplitudinem ditioois cujuſque tribus. Nam ſicuti in cenſu ac tributo ſpectatur cujuſque facultas, ita rectum fuit tribus ſingulas ex ſua copia æquabili modo conferre. Quod ad urbes refugii, pluribus nunc exponere ſuperſedeo qualis earum conditio fuerit, quia pertinet ea res ad ſextum præceptum: ſolum obſervemus, miſeros exules fidei Levitarum commiſſos eſſe, quo ſanctior eſſet cuſtodia. Deiode probabile fuit, qui ſacrorum crant antiſtites, eos fore probos judices ac ſinceros: ut non ambitioſe oec leviter quoſvis admitterent, ſed cauſa bene perſpecta, tantum inſontes tucreotur.

Ex Numer. XVIII.

1. Et dixit Jehova ad Aharon, Tu & filii tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii: tu quoque & filii tui tecum portabitis iniquitatem sacerdotii vestri.

2. Et etiam fratres tuos, tribum Levi, tribum patris tui, accedere fac ad te, & adhæreant tibi, ministrentque tibi: tu autem & filii tui tecum stabitis coram tabernaculo testimonii.

3. Et custodient custodiam tuam, & custodiam totius tabernaculi: veruntamen ad vasa sanctitatis & ad altare non accedent, ne moriantur tam ipsi quam vos.

4. Et adhærebunt tibi, & custodient custodiam tabernaculi conventionis ad omnem cultum tabernaculi: externus autem non accedet ad vos.

5. Custodietis igitur custodiam sanctuarii, ne sit posthac indignatio contra filios Israël.

6. Ego enim, ecce, sumpsi fratres vestros Levitas è medio filiorum Israël vobis donum datos Jehovæ, ut ministrent in cultu tabernaculi conventionis.

7. Tu autem & filii tui tecum custodietis sacerdotium vestrum in omni ratione altaris, & intra velum exequemini ministerium: munus dedi sacerdotii vobis, itaque extraneus qui accedet, morietur.

Ex eodem Capite.

22. Neque accedent posthac filii Israël ad tabernaculum conventionis, ut portent iniquitatem ad moriendum:

23. Sed ipsi Levitæ facient opus tabernaculi conventionis, & ipsi portabunt iniquitatem suam statuto perpetuo per generationes vestras.

1. *Et dixit Jehova ad Aharon, Tu & filii.*] Hac obtestatione Deus sacerdotes stimulat, ut summa fide & studio in officium incumbant. Prohunciat enim, si quid secus admissum fuerit quam religio postulet, ipsos fore reos. Dicuntur enim iniquitatem sanctuarii portare qui culpam & pœnam pollutionum omnium sustinent. Sanctuarium ab omni macula & vitio purum servari volebat Deus: sacerdotii quoque dignitas caste & pure retinenda erat. Onus ergo grave impositum fuit sacerdotibus, quum ea lege præfecti sunt sacrorum custodes, ut si quid perperam actum esset, pœnæ essent obnoxii, quia residebat in ipsis culpa: perinde acsi Deus vel solam negligentiam sacrilegii instar fore diceret. Ita minime invidiosus esse debuit honor cum tanta difficultate & periculo conjunctus. Cæterum hoc modo admonuit Deus, ritus Legales non levis momenti esse, quum tam severus esset omnium profanationum ultor. Hinc enim colligi facile potuit, aliquid longe excellentius, & omnino cæleste in illis terrenis elementis quærendum esse. Hoc etiam per anagogen recte transfertur ad omnes Pastores: quibus crimen merito imputatur, si vitiata fuerit religio & cultus Dei sanctitas, si puritas doctrinæ fuerit corrupta, si eversa populi salus: quorum omnium cura illis injuncta est.

2. *Et etiam fratres tuos.*] Hic suas Levitis partes attribuit, ut ministrent ipsi quoque, sed quasi sub manu sacerdotum: nempe ut eorum præceptis regantur. Ita auctoritas penes sacerdotes erat, Levitæ autem illis operam suam præstabant. Hac ratione prohibentur ab accessu altaris, & sanctuarii majoris ingressu: denique inferior illis gradus assignatur, & medius inter sacerdotes & populum. Ex quo discebant omnes quam reverenter colenda esset Dei majestas. Etsi enim totum populum adoptaverat Deus, adeo tamen fas non erat quibuslibet è vulgo ad altare penetrare, ut inde Lex arceret Levitas, qui tamen peculiares erant Dei ministri. Porro in hac figura perspicimus quam necessarius sit nobis Mediator, qui nobis gratiam apud Deum conciliet. Nam si sancto & electo Abrahæ semini ad umbratile sacrarium accedere non licuit: quomodo nos, qui extranei eramus, hodie penetraremus in cælum, nisi accessus per Christum nobis patefieret? Cæterum quum vetat externos sacris se miscere, non alienigenas modo intelligit, sed omnes è populo, excepta tribu Levi. Hic enim distinctio ponitur non inter Ecclesiam & profanas gentes, sed inter ministros sanctuarii & reliquum vulgus.

3. *Et custodient custodiam tuam.*] Iterum hortatur sacerdotes ut strenui sint ad munus exequendum, addita pœnæ denunciatione nisi studium & diligentiam adhibuerint. Nec tantum ipsis nunc minatur, sed toti populo: quod tamen cum superiore sententia non pugnat, quia minime ipsos levabat communis omnium culpa. Imo si de plebe innoxia pœnam Deus sumebat ob sanctuarium pollutum, quanto gravior pœna manebat ipsos antistites, quorum culpa malum admissum fuerat, ut jure deberent censeri criminis auctores? Interea discamus ex hoc loco quam sincere nos gerere oporteat in Dei cultu, cujus profanatio ei intolerabilis est. Porro quo alacrius & majori sedulitate se in officio exerceant sacerdotes, non posse per ignaviam cessare ostendit absque turpi ingratitudine: quoniam in tota tribu Levi quodammodo segnent, saltem primatum teneant inter fratres suos. Tacita etiam negligentiæ exprobratio subest nisi probe defuncti fuerint, ubi commemorat Deus se liberaliter illos ornasse sacerdotio. Donum, inquit, posui munus vestrum, hoc est, gratuito in vos contuli quod alioqui nullo jure vestrum erat. Alii secus legunt, nempe, Ministrationem doni posui sacerdotium vestrum: sed quia eodem recidit sensus, nec quicquam ad rem interest, libera sit optio.

22. *Neque accedent posthac.*] Rursus inculcat quod ante dixit, delectos fuisse Levitas ad sacra curanda: quoniam Deus promiscue quoslibet noluit admittere: sicuti ante Legem latam alii ex populo sacrificia offerebant. Sed interea graviter denunciat, ut sint attenti ad obeundum munus: qtia si quid deliquerint, lethale futurum sit crimen. Sic enim accipitur quod dicit, Portabunt iniquitatem suam ad moriendum: sicuti & proximo versu reos fore dicit omnium pollutionum: quia si per incogitantiam vitiatus fuerit Dei cultus, illis imputabitur crimen.

Ex

Ex Numer. IV.

4. Istud erit opus filiorum Cehath in tabernaculo conventionis Sancti sanctorum.
5. Veniet autem Aharon & filii ejus quando transferenda erunt castra, & deponent velum tentorii, & operient illo Arcam testimonii.
6. Ponentque super illam operimentum pellis taxeæ, & expandent pannum totum hyacinthinum desuper, & imponent vectes ejus.
7. Et super mensam panum facierum expandent pannum hyacinthinum, ponentque super eum scutellas, & cochlearia, & crateras, & opercula operimenti: & panis ille jugis super eam erit.
8. Et expandent super illa pannum vermiculi coccini, operientque illa opertorio pellis taxeæ, postea imponent vectes ejus.
9. Tollent præterea pannum hyacinthinum, & operient candelabrum luminaris, & lucernas ejus, & forcipes ejus, & receptacula ejus, & omnia vasa olei ejus quibus ministrabunt ei.
10. Ponentque illud cum omnibus vasis ejus in opertorio pellis taxeæ, & ponent super vectes ejus.
11. Super altare autem aureum expandent pannum hyacinthinum, & operient illum operimento pellis taxeæ, ponentque vectes ejus.
12. Tollent quoque omnia vasa ministerii quibus ministrabunt in sanctuario, & ponent in panno hyacinthino, operientque illa operimento pellis taxeæ, & ponent super vectes.
13. Auferent & cinerem ab altari, & expandent super illud pannum purpureum.
14. Ponentque super illud omnia vasa ejus quibus ministrant, receptacula, fuscinulas, & scopas, & crateras, cuncta vasa altaris: & expandent super illud operimentum pellis taxeæ, & imponent vectes ejus.
15. Quum autem finem fecerit Aharon & filii ejus operiendi sanctuarium, & omnia vasa sanctuarii, quando transferenda erunt castra, tum postea venient filii Cehath ut portent: ne contingant sanctuarium & moriantur: ista sunt onera filiorum Cehath in tabernaculo conventionis.
16. Præfectura autem Eleazar filii Aharon sacerdotis est oleum luminaris, & suffimentum aromaticum, & minha jugis, oleumque unctionis, atque præfectura totius tabernaculi, & omnium quæ sunt in eo, in sanctuario & vasis ejus.
17. Loquutus est autem Jehova ad Mosen & Aharon, dicendo,
18. Ne excidatis tribum familiarum Cehath è medio Levitarum.
19. Sed hoc facite illis, tum vivent & non morientur: quando accesserint ad sanctitatem sanctitatum, Aharon & filii ejus venient, & constituent illos, quemque super opus suum & super onus suum.
20. Ne ingrediantur ut videant quando operient sanctitatem, & moriantur.

Ex eodem Capite.

24. Istud erit opus familiarum Gersonitarum ad ministrandum, & ad portandum.
25. Portabunt cortinas tabernaculi, & tabernaculum conventionis, operimentum ejus, & operimentum pellis taxeæ, quod super illud est superne, & aulæum ostii tabernaculi conventionis:
26. Cortinas item atrii, & aulæum ostii portæ atrii, quod est juxta tabernaculum, & juxta altare per circuitum, & funes eorum, & omnia vasa operis eorum, & quæcunque facta sunt pro illis: & ita ministrabunt.
27. Secundum sermonem Aharon & filiorum ejus erit universum ministerium filiorum Gersonitarum, juxta omnia onera eorum, & juxta omnem cultum eorum: & deponetis apud eos in custodiam universa onera ipsorum.
28. Istud erit ministerium familiarum filiorum Gersonitarum in tabernaculo conventionis: & custodia eorum erit per manum Ithamar filii Aharon sacerdotis.

Ex eodem Capite.

31. Hæc autem erit custodia oneris filiorum Merari, pro ministerio eorum in tabernaculo conventionis, tabulæ tabernaculi, & vectes ejus, & columnæ ejus, & bases ejus:
32. Columnæ item atrii per circuitum, & bases earum, & clavi earum, & funes earum, cum omnibus instrumentis earum, & omne ministerium earum: & per nomina numerabis vasa custodiæ oneris eorum.
33. Hoc erit ministerium familiarum filiorum Merari, juxta omne ministerium eorum in tabernaculo conventionis per manum Ithamar filii Aharon sacerdotis.

4. *Istud erit opus filiorum Cehath.*] Distribuit munera inter Levitas, primum ne promiscua sedulitas confusionem pariat, deinde ne ambitio singulos exstimulet, unde certamina & contentiones emergant.

Scimus quam præpoſtere ſatagant homines, niſi certa illis ratio præſcribatur, ne vaga feſtinatione excurrant. Jam dum quiſque cupit alios anteverte-re, exoritur perverſa æmulatio, quæ poſt in rixas ebullit. Ergo niſi obviam itum fuiſſet, tumultuati fuiſſent ſubinde Levitæ in ſuo officio, & inter ipſos eſſet certatum. Prodit itaque in medium Deus, qui ſua auctoritate ſingulos contineat intra juſtos fines, & ſtultas cupiditates compeſcat. Quod autem filiis Cehath attribuitur magis honorifica functio quam reliquis, ex gratuito Dei favore manat: atque ita in ordinem coacta fuit omnis ſuperbia, ne quis ſuam dexteritatem, vel induſtriam, vel alias dotes jacta-ret. Filiis ergo Cehath mandatur cuſtodia Sancti ſanctorum: non ut attrectent aliquam ejus partem, ſed tantum ut vaſa à ſacerdotibus recondita per iter geſtent. Jubet enim Deus venire filios Aharon qui colligant ſanctuarium, & velum, altare, aliaque ſacra vaſa ſuis operimentis diligenter tegant, ante-quam manus admoveant filii Cehath: nempe ut ma-jor eſſet ſacrorum veneratio apud populum. Deinde quum viderent aliæ tribus Levitas quoque ſubmo-veri à ſanctuarii contactu, fuæ indignitatis admo-nitæ, magis humiliarentur. Adhæc ſublata fuit in-vidiæ materia, quum audirent reliqui Levitæ filiis Cehath periculoſum injungi munus. Minatur enim Deus interitum, ſi quid vetitum attingant: demum ſacerdotes filios Aharon admonet ne ſua incuria fra-tres perdant: quia ſi quid diſcoopertum relinquerent, futuri erant illis cauſa exitii.

24. *Iſtud erit opus familiarum Gerſonitarum.*] Viles in ſpeciem ac moleſtæ fuerunt operæ, quas tam filiis Gerſon quam filiis Merari injungit. Cortinas enim & tabernaculum cum ſuis operimentis ferre, tabulas item, & vectes, & columnas, durus fuit labor, nec mi-nus ſervilis. Verum bine diſcimus nihil in Dei cultu eſſe faſtidiendum, ſed alacriter obeundas eſſe quasli-bet partes: quia nobis abunde ſufficere debet, ubi nos eligere Deus ſanctuarii ſui miniſtros dignatus eſt, ne vel tædium, vel ſuperbia nos in officio impediat.

Ex Levit. XVII.

1. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Loquere ad Aharon, & ad filios ejus, & ad omnes filios Iſraël, & die illis, Hoc eſt verbum quod præcepit Jehova, dicendo,

3. Quicunque de domo Iſraël mactaverit bovem, aut agnum, aut capram in caſtris, aut qui mactaverit extra caſtra:

4. Et ad oſtium tabernaculi conventionis non adduxerit eum, aut offerat oblationem Jehovæ coram tabernaculo Jehovæ: ſanguis imputabitur viro illi: ipſe ſanguinem fudit, excideturque vir ille è medio populi ſui.

5. Ut afferant filii Iſraël ſacrificia ſua quæ mactaturi ſunt in ſuperficie agri: ut afferant, inquam, illa Jehovæ ad oſtium tabernaculi conventionis ad ſacerdotem, & ſacrificent illi ſacrificia proſperitatum Jehovæ.

6. Spargetque ſacerdos ſanguinem ad altare Jehovæ, ad oſtium tabernaculi conventio-nis, & adolebit adipem in odorem quietis Jehovæ.

7. Et non ſacrificabunt ultra ſacrificia ſua dæmonibus cum quibus fornicantur: ſtatu-tum perpetuum erit hoc illis in generationibus eorum.

8. Dices præterea illis, Quicunque è domo Iſraël, aut de peregrinis qui peregrinan-tur in medio veſtri, obtulerit holocauſtum, aut ſacrificium:

9. Et ad oſtium tabernaculi conventionis non adduxerit illud Jehovæ: nunc excidetur vir ille è populis ſuis.

1. *Loquutus eſt Jehova.*] Hoc loco & ſimilibus præficit Deus ſacerdotes offerendis victimis. Quan-quam enim communia totius populi erant ſacrificia, voluit tamen Deus per manum unius, & certo in loco ſibi offerri. Primum ne ſi paſſim altaria extruere permitteret, hac varietate corrumperetur purus & genuinus cultus: deinde ut populum dirigeret ad Mediatorem: quia principium illud fidelibus ſemper te nendum fuit, nullas niſi ejus gratia oblationes eſſe legitimas. Eadem doctrina ſæpius poſthac occurret, ubi de ſacrificiis agetur: ſed quia nunc tractamus munus ſacerdotale, ſemel hoc dictum oportuit, fas non fuiſſe privatis homi nibus quicquam offerre Deo, niſi per manum ſacerdotis, cui injunctum erat mu-nus. Quoniam autem hac in parte mire animos ho-minum titillat ambitio, ſevere minatur ſi quis id aggreſſus fuerit, ſe fore vindicem. Cur ſanctuarium unum elegerit Deus, alibi dictum fuit: nunc pro-nunciat, niſi illuc adductæ fuerint victimæ, profa-nationem illam fore inſtar cædis, acſi homo eſſet occi-ſus. Jubet ergo ſiſti omnes victimas coram altari, etiamſi procul abſint qui eas vovent. Nam ſuperfi-cies agri locorum diſtantiam ſignificat, ne quis excu-ſet moleſtum ſibi eſſe iter. Sacrificia proſperitatum diſerte exprimit: quia illa erat ſpecies qua ſuam pie-tatem privati homines ſolebant teſtari. Sic ergo gra-tum ſibi fore cultum pronunciat Deus, ſi interve-niat ſacerdos qui ſacra pro jure injuncti ſibi muneris peragat. Tandem lex in omnes ætates ſancitur, ne qua tentetur ejus abrogatio. Inferitur tamen ratio, quæ alibi clarius fuit expoſita, locum unum ad quem conveniant præfigi: deinde ſacerdotem præfici qui ritus in Lege traditos obſervet, ut Deum unum pure colant, neque adventitiis ſuperſtitionibus polluant aut adulterent ejus ſacra. Diximus enim ſanctuario alligatum fuiſſe populum veterem: ne pro hominum libidine flexibilis eſſet religio, & ne qua figmenta obreperent, à quibus facilis eſt ad idololatriam defe-ctio. Mandatum ergo quod edidit, ut ſolus ſacerdos beſtias offerat, à ſumma utilitate commendat: quod ſcilicet hoc modo frenum injiciat populo, ne ſe pro-ſtituat dæmonibus. Unde colligitur utilis doctrina, non aliter cohiberi poſſe homines ne ad idololatriam deflectant, quam ſi ex ore Dei petatur una & ſim-plex pietatis regula.

8. *Dices præterea illis.*] Nunc extenditur lex ad peregrinos, non qui profani eſſent, ſed qui ab aliis gentibus oriundi nomen puræ religioni dederant. Nam ſi plus illis fuiſſet permiſſum quam genuinis Abrahæ filiis, ex eorum more ſtatim longius ſparſa fuiſſet corruptela. Noluit igitur Deus ſanctuarium ſuum ab exteris vitiari, ne eorum licentia ad totum populum ſerperet. Cæterum ex hoc ſecundo mem-bro colligitur, Mactandi verbum quod alibi latius extenditur, ad ſacrificia reſtringi: quandoquidem alibi veſcendi libertas datur populo in omnibus ur-bibus & pagis, modo à ſanguine abſtineant. Te-nendum igitur eſt non hic agi de promiſcuo victu, ſed tantum de victimis quarum oblatio ſeparari non debuit à tabernaculo.

Ex

Ex Deut. XVII.

8. Siquid latuerit te in judicio inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, & inter plagam & plagam, in rebus rixarum, intra portas tuas: tunc ſurges, & aſcendes ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus.

9. Et venies ad ſacerdotes, Levitas, & ad judicem qui fuerit in diebus illis, & quæres, & indicabunt tibi verbum judicii.

10. Et facies juxta verbum quod indicaverint tibi è loco illo quem elegerit Jehova, & obſervabis facere ſecundum omnia quæ docuerint te.

11. Secundum legem quam docuerint te, & ſecundum judicium quod dixerint tibi, facies: non declinabis à verbo quod indicaverint tibi, ad dextram aut ad ſiniſtram.

8. *Siquid latuerit.*] Hic ſub una ſpecie præcipuum ſacerdotum munus deſcribitur: nempe ut in rebus ambiguis & obſcuris reſpondeant ex Lege Dei quid rectum ſit. Etſi enim videtur Deus tantum politicas controverſias attingere, non dubium tamen eſt quin per ſynecdochen eos conſtituat doctrinæ Legis interpretes. Verumquo ſanctior per omnia eſſet eorum auctoritas, jubet populum in rebus quoque magis odioſis eorum judicio acquieſcere. Nam ſi eorum reſponſo ſtandum eſt ubi de vita hominis agitur, vel quælibet lites ſunt dirimendæ: in Dei cultu & ſpirituali doctrina multo magis tollitur omnis exceptio. Quanquam enim non ſolos ſacerdotes judiciis hic præfici fateor, ſed collegas illis adjungi ex reliquo populo: maxime tamen extollitur ſacerdotii dignitas. Quod nonnulli per nomen Judicis ſummum Pontificem intelligunt, facile refellitur quia diſtincte enumerat Moſes ſacerdotes, Levitas, & judicem. Probabile tamen eſt enallagen eſſe numeri in nomine Judicis: quia plures 2 *Par.* 19. *verſ.* 8. ſuiſſe creatos apparet ex ſacra hiſtoria: ubi narratur Joſaphat de Levitis & ſacerdotibus, & principibus familiarum Iſraël legiſſe qui Jeroſolymæ præeſſent judiciis. Noluit certe pius rex vel minimum deflectere à Legis norma: & ſtudium ejus laudatur Spiritus ſancti elogio. Sic autem diſtributa fuit ratio, quemadmodum illic paulo poſt ſubjicitur, ut ſummus ſacerdos primatum teneret in rebus divinis, præfectus autem regius civiles cauſas & negotia terrena curaret. Quo iterum confirmatur quod nuper attigi, ſacerdotibus ſcilicet injungi docendi munus, ut de quæſtionibus dubiis reſponſa darent. Suffragatur & verba Joſaphat, ubi dicit, Omnem cau- 2 *Par.* 19. *verſ.* 10. ſam quæ venerit ad vos inter ſanguinem & ſanguinem, inter legem & præceptum, ſtatuta & judicia, admonebitis fratres veſtros, ut non delinquant contra Jehovam. Certe ſicut rerum capitalium cognitio proprie ad judices aliarum tribuum ſpectabat, ſic diſcretio in præceptis & ſtatutis, & totius Legis interpretatio peculiaris fuit ſacerdotibus. Nec dubium *Mal.* 2: 2. eſt quin ex hoc loco ſumptum ſit illud Malachiæ, Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia nuncius Dei exercituum eſt. Nunc, ut ſummam teneamus, ſedem ſummi judicii Deus locat ubi erit ſanctuarium. Etſi autem primo verſu videtur promiſcue tam ſacerdotes quam judices præficere tantum definiendis terrenis litibus, quarto tamen poſtea verſu ſatis demonſtrat, ſacerdotibus ſe alias partes mandare: nempe ut in ſana & pura doctrina contineant populum, exponant quid rectum ſit, denique ſint Eccleſiæ doctores. Porro quod populus amplecti debuit quicquid pronunciaverant, ut oeſas eſſet ad dextram vel ad ſiniſtram declinare, non fuit hoc modo conceſſa illis tyrannica poteſtas: ut ſi pro libidine lucem vertiſſent in tenebras, pro oraculo habendum fuerit quod perverſe definivenant. Eorum interpretatio abſque provocatione rata eſſe debuit: ſed viciſſim illis præſcripta fuit regula, ut tanquam ex ore Dei loquerentur. Ponitur quidem nomen תורה: quod tametſi doctrinam ſonat, haud dubie tamen eam doctrinam ſignificat quæ in Lege comprehenſa eſt, imo tantundem valet ac nomen Legis. Et hujus rei fidelis eſt interpres Joſaphat, qui partes enumerat quibus paſſim Scriptura docet Legem Moſis contineri. Et quanquam מ metaphorice ſumptum, tantundem Hebræis valet ac ſermo: emphatice tamen hic exprimit genuinum reſponſum quod ſumptum fuerit ex pura Legis doctrina. Facere ergo jubentur filii Iſraël quod docuerint ſacerdotes: ſed quomodo? nempe ſecundum reſponſum ex Lege ſumptum. Nec vero dubium eſt quin Deus quos tanta dignitate pollere voluit, ſimul inſtruxerit ſpiritu intelligentiæ & rectitudinis, ne quam perverſam ſententiam proferrent. Quod etiam continet promiſſio, Reſpondebunt tibi verbum judicii: quia abſurdum fuiſſet populum fruſtra & in ſuam peroiciem Deo obedire. Nunc quia unicus nobis ſacerdos præfectus eſt, ac idem magiſter, Chriſtus, væ nobis niſi ſimpliciter nos ſubjicimus ejus verbo, & ad obſequium, qua decet modeſtia & docilitate, ſumus parati.

Ex Numer. V.

9. Omnis oblatio ſanctificationum in filiis Iſraël, ſacerdoti quam offerent erit ipſius.

10. Quod quiſque ſanctificaverit, ſacerdotis erit, & tradetur in manum ejus.

9. *Omnis oblatio.*] Hactenus locos ubi de ſacerdotum officio differit Moſes, collegi, & breviter expoſui: nunc tractare incipiam de ipſorum jure, hoc eſt, quo ipſos honore dignatus fuerit Deus, ut eos haberet promptos & expeditos ad obſequium. Hic autem breviter perſtringit Moſes quæ aliis locis copioſius explicat, ut mox videbimus: nempe ſanctas omnes oblationes ſacerdotibus addicit, quarum ſpecies poſtea recenſebit. Porro bujus legis tres fuerunt præcipuæ rationes: ne quod Deo jam erat dicatum, promiſcuo uſu vileſceret. Nam ut ſacrificiis conſtaret ſua dignitas, cibum ſacrum à profano diſcernere oportuit. Deinde hoc modo cobibita fuit nimia in pompis ambitio. Nam ſi poſt cæſas victimas tota caro ad dominos rediiſſet, vanis hominibus creviſſet ſe oſtentandi cupiditas. Certatim ad plauſum captandum veniſſent divites: laute epulati, venale expoſuiſſent quod erat reſiduum. Ita vano cultus Dei prætextu ad captandum favorem abuſi eſſent. Tertia ratio fuit quæ attingitur à Paulo, 1 *Cor.* 9. quia miniſtros altaris æquum fuit ex altari vivere. *verſ.* 13. Etſi enim Dei ſervos mercede trahi turpe eſt: noluit tamen Deus ſacerdotes, quum liberaliter operam ſuam in cultu ſanctuarii impenderent, eſurie premi, ne minueretur eorum alacritas. Nam ſi probe munus ſuum exequi volebant, totos attendere neceſſe fuit ad res divinas, & curam rei domeſticæ abjicere. Siquis objiciat hæc fuiſſe avaritiæ fomenta, & uberem opimumque quæſtum ſacerdotibus fuiſſe propoſitum, in promptu eſt ſolutio: quicquid illis ceſſit

in partem, quum ad victum restringeretur, justum modum non excessisse. Nihil enim vendere licuit, ac ne alienis quidem largiri, ut partim alibi visum fuit, partim mox repetet. Quare satis superque refellitur putida eorum improbitas qui Mosen sugillant, acsi populi spoliis sacerdotes ditasset. Nam si quibus voluit consulere, filii certe fuerunt omnibus præferendi, quorum tamen oulla hic habetur ratio. Imo quicquid concedit sacerdotibus, filiis suis & eorum posteris aufert: acsi data opera commodis, alioqui non illicitis, eos privaret. Denique sola dignitas sacrorum spectata fuit, non autem lucrum sacerdotibus quæsitum.

Ex Numer. XVIII.

8. Loquutus est Jehova ad Aharon, Ecce, ego dedi tibi custodiam oblationum mearum, omnes sanctificationes filiorum Israël dedi tibi propter unctionem, & filiis tuis in statutum perpetuum.

9. Hoc erit tuum ex sanctitate sanctitatum residua ab igne: omnis oblatio eorum, sive minha eorum sit, sive oblatio pro peccato eorum, sive oblatio pro delicto eorum quam reddent mihi, sanctitas sanctitatum tibi erit & filiis tuis.

10. In sanctitate sanctitatum comedes eam, omnis masculus comedet eam: sanctitas erit tibi.

11. Hoc etiam tuum erit: levationem muneris eorum, omnes oblationes filiorum tibi dedi, & filiis tuis, & filiabus tuis tecum in statutum perpetuum: omnis mundus in domo tua comedet eam.

12. Omnem pinguedinem olei, & omnem pinguedinem vini & frumenti, primitias eorum quas dabunt Jehovæ, tibi dedi.

13. Primitiæ omnium quæ in terra eorum, quas afferent Jehovæ, tuæ erunt: omnis mundus in domo tua comedet eas.

14. Omne anathema in Israël tuum erit.

15. Quicquid aperit vulvam in omni carne quod offerent Jehovæ, tam de hominibus quam de animalibus, tuum erit: sed redimendum dabis primogenitum hominis, primogenitum quoque animalis immundi redimendum dabis.

16. Redemptiones autem ejus à filio mensis redimendas dabis secundum æstimationem tuam, pecunia quinque sicelorum, secundum sicelum sanctuarii, qui viginti obolorum est.

17. Veruntamèn primogenitum bovis, & primogenitum ovis, aut primogenitum capræ non dabis redimendum: sunt enim sanctificata: sanguinem eorum sparges ad altare, & adipem eorum adolebis: oblatio ignita in odorem quietis Jehovæ.

18. Et caro eorum tua erit, ut pectus elevationis, & armus dexter, tua erit.

19. Omnes oblationes sanctificationum quas obtulerint filii Israël Jehovæ, dedi tibi, & filiis tuis & filiabus tuis tecum in statutum perpetuum: pactum salis perpetuum est coram Jehova tibi & semini tuo tecum.

Ex Levit. VI.

16. Quod superfuerit ex minha, comedent Aharon & filii ejus: azymum comedetur in loco sancto, in atrio tabernaculi conventionis comedent illud.

17. Non coquetur fermentatum: portionem eorum dedi illud ex oblationibus meis ignitis: sanctitas sanctitatum est, sicut oblatio pro peccato, & sicut oblatio pro delicto.

18. Omnis masculus in filiis Aharon comedet illud: statutum perpetuum est ætatibus vestris de oblationibus ignitis Jehovæ: qui tetigerit eas, sanctificabitur.

Ex eodem Capite.

26. Sacerdos oblationem pro peccato comedet: in loco sancto comedetur, in atrio tabernaculi conventionis.

27. Qui tetigerit carnem ejus sanctificabitur, & si defluxerit de sanguine ejus super vestem, illud super quod defluxerit lavabis in loco sancto.

28. Et vas testaceum in quo coquetur, confringetur: quod si in vase æneo cocta fuerit, defricabitur & lavabitur aqua.

29. Omnis masculus in sacerdotibus comedet illam: sanctitas sanctitatum est.

Num. 18. 8. *Loquutus est Jehova ad Aharon.*] Nunc fusius narrare pergit quod super attigerat de jure sacerdotum, quoad sacras oblationes. Tenenda est autem illa quam dixi comparatio inter sacerdotes præcipui ordinis & Levitas: quia dum singulari honore domus Aharon ornatur, reliquæ familiæ tribus Levi coguntur in ordinem. Ergo solis sacerdotibus attribuit Deus omnes oblationes, in quibus major erat consecratio, quæ dicitur Sanctitas sanctitatum. Exceptio postea videbitur: nempe honoris causa depositum fuisse apud sacerdotes, unde partem erogarent Levitis, qui officium in cultu sanctuarii præstabant. Id honoris dicit se unctioni dare, ne hac occasione superbiant sacerdotes, vel se efferant. Gratuita enim Dei liberalitas, modestiæ & humilitatis magistra nobis esse debet. Quo etiam argumento Paulus omnem perversam gloriationem corrigit ac domat, Quid gloriaris quasi non acceperis? *1 Cor. 4. vers. 7.* Porro non alio jure unctionem adepti erant filii Aharon, nisi quia Deo placuerat ipsos eligere. Id quidem indicat etiam donatio: sed hic expressius gratiam suam Deus commendat: quia alio consilio mentionem donationis fecit, nempe ne quis litem vel controversiam sacerdotibus moveret.

9. *Hoc erit tuum.*] Species quasdam oblationum commemorat, quas cedere volebat in partem sacerdotum: nempe quod residuum manebat ex ignitis sacrificiis, deinde minha, tertio quod consecrabatur in victimis pro peccato & delicto. Quanquam particula quæ sequitur, Quod reddet mihi, videtur restrictio-

restrictionis vice addita esse, ut tantum ea sacrificia designet quibus se à furto purgabant, quorum alibi fit mentio. Nisi forte ita legere placeat, Ut sacrificis pro peccato & delicto adderat hoc tertium, quo aliena restituebant, ne furti tenerentur. Postea adjungit dona voluntaria, quæ vovebant filii Israël, & primitias tam olei quam vini & frumenti. Hæc autem distinctio posita fuit, quo certius occurreret Deus æmulationi & invidiæ: nam si qua fuisset ambiguitas, statim exortæ essent multæ lites, atque ita concidisset sacrorum religio. Simul tamen præcipit Deus sacerdotibus, ut ignitis sacrificiis vescantur soli masculi, nec alibi quam in sanctuario. Periculum enim erat (ut ante diximus) ne vilescerent earum oblationum dignitas, si in privatam domum translatæ essent, & cibis communibus permixtæ: deinde noluit Deus indulgere sacerdotum lautitiis, sed ipso sanctuarii conspectu eos induxit ad frugalem & sobrium esum. Erat enim hæc quasi disciplina militaris, ad colendam abstinentiam, ab uxore & familia discedere, ut cibum caperent. Quicquid autem pro voto oblatum erat, & primitiis frugum, comedi permittit etiam à mulieribus, & intra privatos parietes: modo ne quisquam immundus attingat quod semel fuerit sacrum.

15. *Quicquid aperit vulvam.*] Idem nunc de primogenitis statuitur, ut ea scilicet sibi habeant sacerdotes: quanquam simul inseritur distinctio, ut fœtus primogeniti hominum redimantur. Quod attinet ad immunda animalia, liberum erat dominis ea redimere vel occidere. Verum quia ea res nunc ex professo non tractatur, breviter tantum pronunciat Deus se addicere sacerdotibus quicquid utilitatis ex primogenitis obveniet. Quod jubet redimi primogenitos secundum æstimationem sacerdotum, non intelligit quam sacerdotes ipsi præscriberent, acsi penes eos esset auctoritas: sed eorum æstimatio intelligitur, cui adstricti erant ex Dei mandato; sicut alibi visum fuit: idque elicere promptum est ex contextu, quia mox adjungitur pretium, quod Deus ipse imposuerat. De primogenitis mundorum animalium lex diversa fertur: nempe ut mactentur ad altare & adeps exuratur, caro autem sit sacerdotum, sicuti pectus & armus dexter in sacrificiis ignitis. Porro ne quis ex Levitis, aut ex vulgo (ut homines rerum novarum cupidi sunt) decretum hoc violare tentet, omnis in posterum controversia tollitur, ubi pronunciat Deus, quod dedit sacerdotibus se nolle unquam illis eripi. Primo utitur nomine Edicti vel decreti, quod alii statutum vertunt: deinde adjungit Pacti nomen, quo sanctior sit observatio & contentionibus ac jurgiis minus obnoxia: quoniam nihil minus decebat quam sacerdotes de jure suo & privilegiis litigare. Se ergo violatum iri Deus significat, si quis molestiam exhibeat sacerdotibus. Metaphorice vero per nomen Salis designatur perpetuitas: ubi tamen videtur alludere Deus ad sacrificia quæ fas non erat offerre, nisi sale condita: ut scirent Israëlitæ, per res terrenas & corruptibiles majus aliquid designari. Scimus enim carnes salitas non tam facile putrescere. Denique hac metaphora notatur inviolabilis firmitas.

16. *Quod superfuerit.*] Repetit quod paulo ante vidimus, reliquias oblationum, quibus major inest sanctitas, sacerdotum esse: sed ea lege, ut non alibi comedantur quam in sanctuario. De minha etiam speciale datur præceptum, ne inde fiat panis fermentatus: nam hoc modo farina quæ jam dicata erat Deo, transiisset in vulgarem cibum, quod sine profanatione fieri non poterat. Quod ergo Deus sacerdotes quasi in convictum admittit, hoc privilegio non parum ornatur muneris dignitas; sic tamen ne ex eorum licentia minuatur reverentia cultus Dei. Postea in genere confirmat Moses jus illud, quod ante illis attributit, ut quod residuum erit ex ignitis sacrificiis fumant, modo à solis masculis; & in loco sacro comedatur: ut ipsa Dei præsentia non modo luxuriem & incontinentiam frenet, sed ad sobrietatem eos formet Dei servis dignam: denique assuefaciat ad summam puritatem, dum reputant se ab aliis omnibus segregatos. In fine versus 18. alii vertunt in neutro genere, Quod tetigerit eas, sanctificabitur: sed hoc loco videtur mihi præcipere Moses, ne alii quam sacerdotes minha attingant. Alibi de altari & valis dictum fuit, unctionis suæ virtute sanctificare quicquid illic reponitur. Verum nunc videmus arceri vulgus hominum à contactu sanctorum, ut sua his maneat religio. Scimus autem filios Aharon unctos fuisse in eum finem, ut solis ipsis attingere liceret quicquid Deo consecratum erat. Ideo verbum futuri temporis vice imperativi sumitur. Sic etiam paulo post ubi de victimis agitur, Qui tetigerit carnem ejus, sanctus sit: quia jus peculiare sacerdotibus statuit Moses; ut soli tractent sacrificia. Nec obstat quod continuo post additur, Si defluxerit sanguis in vestem &c. Neque enim significat vestes aut alia quælibet vasa consecrari solo tactu: sed argumentum est à minori ad majus, Si vestem sanguine aspersam, vel ollas ubi cocta fuerit caro; extra tabernaculum efferre fas non est, nisi vestis abluta fuerit; ollæ vero vel fractæ, vel abstersæ: multo magis cavendum est ne quis ex vulgo se ingerat. Quomodo enim sanctitati mortalis homo admovere audebit manus, quæ ne in veste quidem sacerdotis sine piaculo hærere potest? Summa est, ne misceatur rebus profanis tanta sanctitas.

Ex Numer. V.

8. Si non fuerit viro redhibitor cui restituat delictum, delictum restituetur Jehovæ; sacerdotis erit, præter arietem expiationum quo expiabit eum.

8. *Si non fuerit viro.*] Locus hic quem ex quinto capite inferui, pendet quidem ex alio contextu: sed quia proprie de jure sacerdotum agit, huc transferri necesse fuit: præsertim quum speciem illam sacrificii exprimat quam nuper attigit Moses, nempe ubi expiabant furti crimen. Nolebat quidem Deus aliorum damno sacerdotes ditari, neque fures liberabat si quod aliis abstulerant offerrent sacerdotibus. Verum si nemo erat cui possent restituere, volebat tamen domos ipsas omni noxa esse vacuas: & merito, quia improbissimus quisque bona hominis mortui, si orbus esset, rapere non dubitasset. Primo itaque justit legitimis dominis restitui quod suum erat: deinde illis mortuis substituit in eorum vicem propinquos, qui vocantur גֹּאֲלִים objus redemptionis; quod Deus cognatis permisit in Lege, ut alibi videbimus: & quia ejus viduam qui nullum semen reliquerat, qui proximo gradu consanguineus erat, jubebatur ducere. Rarissimum ergo fuit, ut qui alium fraudaverat, apud sacerdotem damnum pensaret: quia ut plurimum reperiebatur qui spiam mortui successor.

Ex Levit. VII.

6. Omnis masculus in sacerdotibus comedet eam, in loco sancto comedetur, sanctificatio sanctificationum est.

7. Sicut

7. Sicut hostia pro peccato, sic hostia pro delicto, lex eadem illis: sacerdotis erit qui expiabit eum.

8. At sacerdos offerens hostiam holocausti alicujus, pellis holocausti quod obtulerit, sacerdotis ipsius erit.

9. Omnis præterea minha quæ coquetur in clibano, & omne præparatum in sartagine, & in craticula, erit sacerdotis offerentis illud.

10. Omnis item minha mista oleo & arida, omnibus filiis Aharon erit: erit unicuique sicut fratri suo.

Ex eodem Capite.

14. Panis sacerdotis spargentis sanguinem prosperitatum erit.

Ex eodem Capite.

31. Et erit pectusculum illud Aharoni & filiis ejus.

32. Armum autem dextrum dabitis ad elevationem sacerdoti de sacrificiis prosperitatum vestrarum.

33. Qui offeret sanguinem prosperitatum & adipem è filiis Aharonis, ipsius erit armus dexter in portionem.

34. Quia pectusculum agitationis, & armum elevationis tuli à filiis Israël de sacrificiis prosperitatum suarum, & dedi illa Aharoni sacerdoti, & filiis ejus in statutum perpetuum à filiis Israël.

35. Hæc est unctio Aharon, & unctio filiorum ejus ex oblationibus ignitis Jehovæ, à die qua accedere fecit eos ut sacerdotio fungerentur Jehovæ:

36. Quas præcepit Jehova ut darent eis à die qua unxit eos à filiis Israël statuto perpetuo in generationibus suis.

His locis partim confirmat Moses quod ante vidimus de jure sacerdotum, partim exceptionem addit quam nondum attigerat. In genere ergo sacerdotibus vendicat quicquid ex sanctioribus hostiis erat residuum. Atque hac prærogativa eos discernit ab aliis Levitis: unde colligimus quam purus fuerit ab omni ambitione Moses dum ex mandato Dei filios suos spoliat, non tantum dignitate qua orantur nepotes, sed etiam utilitatis proventu. Sacris oblationibus, inquit, non alii fruantur quam filii Aharon, quia divinitus uncti sunt, ut accedant ad altare. Verum quia inter ipsos quoque æmulatio poterat oriri, legem specialem addit, ut certas oblationum species solus sacerdos percipiat qui eas obtulerit. Etsi autem liberaliter suo munere ipsos defungi oportuit, non autem lucro allici: quo tamen singuli alacrius partes suas obirent, mercedem labori & diligentiæ statuit. Hac ratione præcipit ut reliquiæ minha in sacrificiis prosperitatum, item armus dexter victimæ, & caro residua ex hostiis pro delicto, cedant in præmium sacerdoti, qui munus expiandi & spargendi sanguinis obierit. Dubium quidem non est, multos quæstu fuisse allectos, qui alioqui officium neglexissent: verum id paternæ indulgentiæ fuit, eorum infirmitati concedere ut merces esset diligentiæ stimulus. Interea noluit Deus fervili modo conducere eorum operas, ut animo essent mercenarii: quin potius per Prophetam suum exprobrans nullos esse qui ignem gratis in altari accendant, amplificat eorum ingratitudinem, quod non modo gratuitam operam non impendant, sed accepta mercede ipsum fraudent, cui se addixerant ministros.

Ex Numer. XVIII.

20. Dixit autem Jehova ad Aharon, De terra eorum hæreditatem non habebis, nec portio erit tibi in medio eorum: ego portio tua, & hæreditas tua in medio filiorum Israël.

21. Filiis autem Levi ecce dedi omnes decimas in Israële in hæreditatem pro ministerio eorum, quia ipsi exequuntur ministerium tabernaculi conventionis.

Ex eodem Capite.

23. Et in medio filiorum Israël non possidebunt hæreditatem.

24. Decimas enim filiorum Israël quas offerent Jehovæ in elevationem, dedi Levitis in hæreditatem: idcirco dixi de illis, In medio filiorum Israël non possidebunt hæreditatem.

Ex Levit. XXVII.

30. Omnes autem decimæ terræ, sive de semine terræ, sive de fructu arborum, Jehovæ sunt, sanctitas Jehovæ.

31. Si vero redimendo redemerit vir aliquid de decimis suis, quintam ejus partem addet ultra eam.

32. Et omnis decima boum & ovium, omnium nempe quæ transeunt sub virga, decima inquam pars erit sanctitas Jehovæ.

33. Non disquiret utrum bonum an malum, neque permutabit illud: quod si commutando commutaverit ipsum, erit tam hoc quam illud quod commutatum est, erit inquam sanctificatio, non redimetur.

Ex Deut. XIV.

22. Decimando decimabis omnem proventum seminis tui, quod egressum fuerit ex agro annuatim.

Ex

Ex eodem Capite.

27. Levitam autem qui intra portas tuas habitaverit, non derelinques: quia non eſt ei pars & hæreditas tecum.

28. Tertio autem anno proferes omnes decimas proventus tui anno ipſo, & repones intra portas tuas.

29. Venietque Levita (quia non eſt ei portio & hæreditas tecum) & peregrinus, & pupillus, atque vidua, qui ſunt intra portas: & comedent, & ſaturabuntur, ut benedicat tibi Jehova Deus tuus in omni opere manus tuæ, quod feceris.

Ex Deut. XII.

19. Cave autem tibi ne derelinquas Levitam omnibus diebus tuis ſuper terram tuam.

Ex Deut. XXVI.

12. Poſtquam compleveris decimare omnes decimas fructuum tuorum anno tertio, anno decimæ, & dederis Levitæ, peregrino, pupillo, & viduæ, & comederint intra portas tuas, & ſaturati fuerint:

13. Tunc dices coram Jehova Deo tuo, Subduxi ſanctificatum è domo, & etiam dedi illud Levitæ, & peregrino, pupillo, & viduæ, ſecundum omne præceptum tuum quod præcepiſti mihi: non transgreſſus ſum à præceptis tuis, neque oblitus ſum.

14. Non comedi in triſtitia mea ex eo, neque ſubduxi ex eo in pollutione, neque dedi quicquam ex eo in funere: obedivi voci Jehovæ Dei mei, feci ſecundum omnia quæ præcepiſti mihi.

15. Reſpice de habitaculo ſanctitatis tuæ, è cælo, & benedic populo tuo Iſraëli, & terræ quam dediſti nobis, quemadmodum juraviſti patribus noſtris, terræ fluenti lacte & melle.

Num. 18. 20. *Dixit autem Jehova ad Aharon.*] Hic tantum in genere de ſolvendis decimis agitur, quæ Levitis omnibus erant communes. Paulo poſt videbimus Levitas inde ſacerdotibus alteras decimas ex Dei mandato dediſſe. addetur & tertia ſpecies earum decimarum quæ nonniſi tertio quoque anno offerebantur. Quod ad præſentem locum ſpectat, exigit Deus à populo decimas ad alendum tribum Levi. Certum quidem eſt, morem olim receptum fuiſſe ſanctis Patribus ante Legem, ut Deo voverent vel offerrent decimas: ſicuri patet ex Abrahæ & Jacob exemplo. Quin etiam Apoſtolus ſacerdotium Melchiſedech Legali præſtantius fuiſſe colligit, quia dum ei decimas obtulit Abraham, decimaverit ipſum Levi. Verum hujus decimationis de qua præcepit Deus per Moſen, diverſa fuit ac ſpecialis ratio, eaque duplex. Primo quum ſemini Abrahæ promiſſa fuiſſet terra, legitimi erant ſucceſſores ex duodecima parte Levitæ. Atqui illis præteritis, poſteritas Joſeph in duas tribus diviſa fuit. Niſi ergo aliunde ipſis proſpectum eſſet, iniqua erat diſtributio. Deinde quum operam impenderent ſanctuario, aliqua mercede dignus fuit eorum labor: nec rationi conſentaneum fuit, quando ſacris peragendis, & docendo populo addicti erant, victu fraudari. Duæ itaque ponuntur rationes cur decimas à reliquo populo ipſos accipere Deus velit: quoniam nulla illis pars erat in Iſraële, & quia miniſterio tabernaculi vacabant. Porro Deus decimas ſibi tanquam rex ſuo jure vendicans, eas reſignat Levitis, & eos quaſi vicarios ſubſtituit. Quo pertinent hæc verba, Hæreditas tua eſt Deus ipſe. Quiſnam earum fuerit uſus, poſtea videbitur ſuo loco. Nunc tenere ſufficiat, hoc modo penſatum fuiſſe quod illis abſtulerat Deus, duodecimam partem transferendo ad filios Joſeph: & quoniam à cura rei domeſticæ abſtrahebantur, ut totius populi nomine ad ſacra liberiores & magis intenti forent, proventum quo alerentur, illis fuiſſe datum. Quare inſipido commento decimas ſibi arrogant Papales ſacrifici, quaſi ſacerdotali jure debitas. Alioqui enim probent neceſſe eſt, quos appellant laicos, ſibi colonos eſſe, acſi ex parte duodecima fundorum omnium eſſent domini. Deinde ſacrilegium eſſet decimas facere ſuas, & alios agros poſſidere, ex quibus proventum colligant. Nec eos juvat illud Apoſtoli, quod non minus improbe quam inſcite obtendunt, translato ſacerdotio jus ſimul eſſe translatum. Contendit illic Apoſtolus, nunc in ſolum Chriſtum competere quicquid Lex contulerat ſacerdotibus Levitis: quorum dignitas & munus in ipſo finem accepit. Nebulones iſti honorem Chriſto proprium, perinde atque eo ſpoliato, ad ſe rapiunt. Si rite officio fungerentur, atque omiſſis terrenis negotiis, totos ſe dicarent ad ſtudium docendi populi, & alias bonorum & fidelium Paſtorum partes exequendas, haud dubie alendi eſſent ex publico: ſicuti Paulus recte colligit, hodie non minus deberi victum Evangelii miniſtris, quam olim ſacerdotibus qui ad altare miniſtrabant. Sed perperam hoc prætextu manus injiciunt decimis, acſi earum eſſent domini. Majori deinde impudentia latifundia & alios proventus accumulant. Probabile eſt, quum initio Imperatores Romani Chriſto nomen dederunt, ſive recto judicio adducti, ſiva illecti ſuperſtitione fuerint, vel pia ſollicitudine tacti, ne Eccleſia miniſtris deſtitueretur, erogaſſe decimas ad clerum alendum. Nam libera adhuc civitate, à populis tributariis eas exigere ſolebat populus. Hoc quoque regibus fuit uſitatum. Siculi enim antequam illis dominarentur Romani, decimas ſolvebant. Adde quod ſi carior erat in urbe annona, alteras decimas imperabat Senatus provinciis. Imo veteſtiſſimum fuiſſe morem ut reges decimarent, colligitur ex 1. lib. Samuelis: quare nihil mirum ſi exemplum illud imitati ſunt Romani. Unde colligere licet, quum vellent Imperatores Paſtoribus alimenta conferre ex publico, decimas potius elegiſſe quam alios reditus, ut Deum imitarentur. Et ſane adhuc ejus rei manent quædam veſtigia. Neque enim ubique ſacerdotum ſunt decimæ. Et ſatis notum eſt, bonam partem vorari à Monachis & Abbatibus, qui tamen olim non cenſebantur inter clericos. Omitto quod agri quidam immunes ſunt à decimis. Sed eas à laicis occupari quomodo paſſus fuiſſet Papa, ſi jure divino (ut inſulſe garriunt) ſacra fuiſſet cleri hæreditas? Cæterum quia inter publica vectigalia & tributa numerandæ ſunt decimæ, eas ſolvere ne recuſent privati homines, niſi politicum ordinem & regnorum ſtatum labefactare

Gen. 14. verſ. 20. & 28. Hebr. 7. verſ. 22. Hebr. 7. verſ. 11.

Hebr. 7. verſ. 12.

1 Cor. 9. verſ. 13.

1 Sam. 8. verſ. 15.

befactare velint: pii autem Principes curam ſuſcipiant abuſus corrigendi, ne reditus publicos Eccleſiæ dicatos ingurgitent ignavi ventres.

Ego portio tua.] Quid ſibi velit hæc particula, nuper docui: nempe quia ab hæreditate communi excluſi erant Levitæ, Deum hanc jacturam penſare de ſuo, acſi ex ejus manu acciperent: quaſi diceret, ſibi ſatis largam copiam ſuppetere, qua ipſos munueretur. Interea jubentur uno ipſo eſſe contenti. Nec dubium eſt quin ad hunc locum alludat David, ubi exclamat, Deus portio mea & hæreditas mea: ſors mihi præclare cecidit. Significat enim non modo Deum ſibi pluris eſſe quam omnes terrenas opes, ſed præ ipſo ſordere quicquid alii præclarum & maxime optabile ducebant. Nunc quando in Chriſto facti ſumus omnes ſacerdotes, hæc nobis impoſita eſt conditio, ne aliam ſortem appetamus. Non quod ſimpliciter renunciandum ſit terrenis omnibus bonis: ſed quia in ſolidum felicitas noſtra ſic in Deo locanda eſt, ut ipſo contenti patienter feramus rerum omnium inopiam: qui vero aliquid poſſident, non minus ſoluti ſint ac expediti acſi nihil poſſideant. *Pſal. 16. verſ. 5.*

Levit. 27. 30. *Omnes autem decimæ.*] His verbis oſtendit Deus, ſe decimas Levitis aſſignando, proprio jure cedere, quia ſint quaſi regale vectigal: atque ita querimonias omnes compeſcit: quia alioqui obſtrepere poterant aliæ tribus, ultra modum ſe gravari. Sacerdotes igitur coactores præficit, qui ipſius nomine colligant: quod negari non poteſt ſine impia & ſacrilega fraudatione. Quod vero ubi pecunia redimuntur decimæ, quintam partem æſtimationi vult ſuperaddi, non eo tendit ut Levitæ ex alieno damno lucrum faciant: ſed quia aſtute aliquam utilitatem captabant agrorum domini, frumentum in pecuniam mutando; fraudibus occurritur, ne quid ex captioſa permutatione Levitis decedat. Eadem ratione animalia jubet, qualiacunque erunt, decimari, nec pecunia redimi patitur: quoniam ſi libera fuiſſet electio, nullum unquam animal pingue aut vegetum veniſſet ad Levitas. Ergo hac lege remedium avaritiæ & ſordibus fuit adhibitum. Neque id abs re: quia ſi verum eſt proverbium, Ex malis moribus naſci bonas leges, ſumma ſeveritate contineri in officio neceſſe fuit adeo tenacem & malignum populum. Ac quantumvis ſedulo cautum eſſet Levitis, vix tamen fuit ullum tempus quo non eſurierint, ac interdom famelici oberrarint. Imo quum ab exilio Babylonico reverſi eſſent, non fecit tanti beneficii memoria quin furto ſubtraherent partem decimarum: ſicuti conqueritur Deus apud Malachiam. Unde apparet, non fruſtra tam imperioſe ad eas ſolvendas fuiſſe coactos. *Mal. 3. verſ. 8.*

Deut. 14. 22. *Decimando decimabis.*] Generaliter repetit legem ante poſitam, ubi Deo vendicat omnium frugum decimas. Quibus autem ſolvendæ ſint, non ſtatim exprimit: ſed quædam interſerit de aliis oblationibus, quæ alibi expoſui. Verum aliquanto poſt verſu 27. Levitas commendans, eas ad verum ſuum uſum accommodat. Significat autem crudeles fore, ſi eas Levitis furentur: malignos vero & injuſtos ſi ægre illis decimas ſolvant, quæ ipſorum ſunt jure hæreditario: quando tribus illa fundos nullos poſſidet.

28. *Tertio autem anno.*] Falluntur, meo judicio, qui aliam decimarum ſpeciem notari putant. Potius enim correctio eſt, vel interpretatio legis, ne ſoli ſacerdotes ac Levitæ decimas omnes abſumerent, ſed pars cederet ad levandos pauperes, & peregrinos, & viduas. Quo res melius pateat, primo notandum eſt, non tertium quemque annum hic præſcribi, ſed numerari à Sabbatho. Alibi enim videbimus ſeptimo quoque anno terram quieviſſe, ut neque ſererent, neque meterent. Ergo poſt duas meſſes peractas, decimæ anni tertii non Levitarum propriæ, ſed ſimul communes erant pauperibus, pupillis, & viduis, & peregrinis. Id ex ſupputatione annorum colligere promptum eſt. Alioqui enim tertius annus ſæpe incidiſſet in ſabbatharium, quo ceſſabat omnis agrorum cultura. Porro ſumma æquitate id temperatum fuit, ut ſacerdotes & Levitæ jam duobus annis ditati, admitterent in partem egenos fratres & peregrinos. Ita ex nimia eorum abundantia aliquid minuebatur, ne ſe in luxuriam projicerent: atque ita fiebat ut non plus duodecima parte in ſingulos annos ipſis integrum maneret. Denique in ſeptem annis peculiaris fuit unius ratio, ut non ſoli Levitæ privatim ſibi decimas perciperent, ſed communicarent cum pupillis, viduis, peregrinis, & aliis pauperibus. Comedant, inquit, & ſaturentur, quibus alioqui ferenda eſſet eſuries, ut benedicat tibi Deus: qua promiſſione ipſos ad liberalitatem invitat.

Deut. 26. 12. *Poſtquam compleveris.*] Hoc loco vehementius ipſos ad decimas libenter & prolixe offerendas exſtimulat, quum illis Deum quaſi ante oculos ſtatuit, acſi in ejus manum eas ſolverent. Solennis enim conteſtatio indicitur, qua ſe apud Deum reatu obſtringant, niſi fideliter præſtiterint impoſitum ſibi vectigal: quod ſi probe officio fuerint perfuncti, pacem & gratiam exorent. Nihil enim magis expergefacere poteſt homines quam ubi Deus in rem præſentem arbiter vocatur. Hæc ratio eſt cur profiteri ipſos jubeat in Dei conſpectu, ſe in decimis ſolvendis obedientes fuiſſe ejus mandato. Separare vel efferre ex domo, tantundem valet ac nullius doli ſibi eſſe conſcios, quio Deo quod ſuum erat reddiderint: atque ita puros eſſe à ſacrilegio, quia nihil ſanctum traxerint in uſus privatos. Quod ſequitur, Non præterivi mandata tua, neque oblitus ſum: nonniſi ad rem de qua nunc agitur, referri debet. Nimis enim ſtultæ fuiſſet temeritatis & arrogantiæ, jactare Legem omni ex parte & omnibus numeris ſervatam à ſe fuiſſe & impletam. Quanquam hæc loquendi forma ſtudium potius quam perfectionem ſignificat: acſi dicerent, ſibi in animo fuiſſe propoſitum parere Dei præceptis. Tenendum tamen eſt quod dixi, proprie id ſpectare ad ritus Legales. Eodem ſenſu paulo poſt dicitur, Feci ſecundum omnia quæ mihi præcepit Deus: quia ſi de perfectione gloriari eſſent, nihil jam opus erat ſacrificiis, aut aliis purgationibus. Sed (quemadmodum jam dixi) tantum vocantur ad examen, ut ſincero corde Deum teſtem ſuæ pietatis faciant.

14. *Non comedi in triſtitia.*] De ſanctis oblationibus verba fieri certum eſt. Nunc quæritur quid ſit comedere in triſtitia. Communi fere conſenſu recepta eſt hæc expoſitio: quum rerum inopia ad furandum & fraudandum ſollicitet, populum tameo aſſerere, in rebus quoque anguſtis & egeſtate, ſe abſtinuiſſe à rebus ſacris: quod libentet recipio. Quanquam nomen triſtitiæ pro aoxietate animi male ſibi conſcii accipi poſſit, hoc ſenſu: ſciens & volens nihil comedi quod Deo ſacrum eſſet, ut me ureret malæ conſcientiæ cauterium: ſicuti ſuum quemque ſcalus torquet & mœrore afficit. In ſecundo membro variant interpretes. Quidam verbum בער exponunt Perdere: quaſi dictum eſſet, Per immunditiam nihil perire paſſos. alii autem tranſferunt, Nihil exrulı in re profana. Ego vero nomen מת ad verbialiter poſitum eſſe exiſtimo pro Impure: ut teſtetur populus ſe non fuiſſe pollutum vel contaminatum, quicquam ſubtrahendo. Itaque (meo judicio) non male vertunt quidam, Per immunditiam. Neque enim vertere in alios uſus poterant decimas, quin ex impio abuſu contraherent pollutionem. In tertio membro major eſt ambiguitas. Ad verbum eſt, Non dedi inde mortuo. In verſione ſequutus ſum eos qui pro funere & exequiis accipiunt. Quidam tamen metaphorice nomen mortui poſitum eſſe volunt pro re immunda: alii magis coacte, pro impenſis quæ ad tolerandam hominis vitam nihil faciunt. Quorſum tamen id dicatur,

cetur, nondum liquet, nihil in funere conſumptum eſſe. Immundum quidem erat quicquid attigerat cadaver: ideo quidam exponunt non pollutas fuiſſe victimas in funere curando. Quod ſi placet, per ſynecdochen funus ponitur pro qualibet re immunda. Ego tamen potius arbitror, ſub una ſpecie comprehendi res omnes quæ ſpeciem puritatis præ ſe ferunt. Mortuos ſepelire laudabile officium erat, ac pietatis exercitium: ita honeſtus color plus licentiæ dare poterat. Hoc igitur verbo teſtari Deus voluit Iſraëlitas, nihil ſe exculationis obtendere, ſi quicquam ex ſacris averterint.

15. *Reſpice de habitaculo.*] Dum hac conditione preces & vota concipere jubentur, ut Deus terræ benedicat, ſi nullo ſacrilegio ſe inquinaverint: ſimul ex oppoſito monentur, nullam alioqui Dei benedictionem ſperandam eſſe. Loquutio interim notanda eſt, Benedic terræ quam dediſti lacte & melle fluentem. Hinc enim colligitur, terram non tam natura uberem fuiſſe, quam quod arcana ſua beneficentia quotidie eam Deus irrigabat, ut fœcunda eſſet.

Ex Numer. XVIII.

25. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

26. Præterea ad Levitas loqueris, & dices eis, Quum acceperitis à filiis Iſraël decimas quas vobis ab illis dedi in hæreditatem veſtram, tunc offeretis ex illis oblationem Jehovæ, decimas ex decimis.

27. Et reputabitur vobis oblatio veſtra ut frumentum ex area, & ut plenitudo è torculari.

28. Sic offeretis vos quoque oblationem Jehovæ ex omnibus decimis veſtris quas acceperitis à filiis Iſraël, & dabitis ex illis oblationem Jehovæ Aharon ſacerdoti.

29. Ex omnibus oblationibus veſtris offeretis omnem oblationem Jehovæ, ex omni pinguedine ejus, ſanctificationem ipſius ex eo.

30. Ac dices illis, Quum attuleritis pinguedinem ejus ex eo, reputabitur Levitis ut fructus areæ, & ut fructus torcularis.

31. Comedetis autem illud in omni loco vos & domus veſtra: quia merces eſt vobis pro miniſterio veſtro in tabernaculo conventionis.

32. Et non portabitis ſuper eo peccatum, quum vos obtuleritis pinguedinem ejus ex eo: & ſanctificationes filiorum Iſraël non polluetis, ne moriamini.

25. *Loquutus eſt Jehova ad Aharon.*] Altera ſpecies decimarum, hoc eſt, centeſima pars totius proventus, quam ſacerdotibus pendebant Levitæ. Tertiam faciunt alii: ſed ratiooem attuli cur mihi non probetur eorum opinio. Et certe verisimile non eſt uno anno exactas fuiſſe ac ſolutas duplices decimas. Ergo nobis ſufficiat partitio bimembris. Largior autem portio ſacerdotibus data fuit, non modo honoris cauſa, ſed quia major religio & integritas in diſpenſatione ab illis ſperanda erat: deinde ut multis extraordinariis oneribus ſatisfacerent. Jam ne reſtricti nimium vel ſordidi eſſent Levitæ, pronunciat Deus non minus impium eſſe furtum ſi mala fide agant cum ſacerdotibus, quam ſi populus ex juſta eorum portione aliquid ſubriperet. Huc enim ſpectant verba, perinde ſore decimas ex decimis quas pendere jubentur, acſi ea area & torculari ſolverent: acſi dictum eſſet, nihilo magis eſſe immunes à ſecundis decimis quam populum à primis. Longius deinde hoc extenditur, ut ex ſingulis oblationibus partem offerant. Tertio ſincera præcipitur liberalitas: ne quod exile erit, vel macilentum, vel ullo modo deterius, teponant in partem ſacerdotum, ſed dilectiſſima potius quæque offerant. Id enim intelligitur per vocem חלב, quam alii Adipem vertunt. Nomen pinguedinis viſum eſt melius quadrare: in quo tamen eſt metaphora.

31. *Comedetis autem illud.*] Quia ioter ſacras oblationes reputabantur decimæ, moveri poterat quæſtio, an illis veſci alibi liceret quam in ſanctuario. Iraque pronunciat Deus, ubi ſeparaverint Levitæ ἀπαρχὴν, tranſire reſiduum in naturam & ordinem communium ciborum: quia tunc quolibet in loco panem ex frumento decumano comedent, tanquam ex agrorum ſuorum proventu. Videtur quidem minime apta eſſe quæ ſubjicitur ratio, quod merces ſit pro labore quem impendunt in cultu tabernaculi. Inde enim colligendum magis eſſet, victum hunc peculiariter deſtinatum eſſe miniſtris, quamdiu munere ſuo fungentur, & excubiasageot in tabernaculo, vel mactabunt victimas ad altare. Verum quia Dei mandato ſparſi erant per totam terram, nec propter loci diſtantiam deſinebant tabernaculi eſſe miniſtri, merito illis permittitur, ubicunque ſint, victu divinitus ordinato veſci. Si particulam כי adverſative accipere libeat, ſenſus erit eapetitior. Proximo verſu confirmat eandem ſententiam, nullius ſcilicet culpæ fore reos, ubi ſacerdotibus probe ſatisfecerint. Severe tamen ſimul monentur ne qua fraude ſe obſtringant: quia ſacrilegii loco fore denunciat Deus ſi quid furaciter averterint, & capitalem pœnam minatur. Nam pollnere ſanctificationes populi, tantundem valet atque profanare quod totius populi nomine conſecratum erat.

Ex Deut. XVIII.

1. Non erit ſacerdotibus Levitis, & toti tribui Levi portio & hæreditas cum reliquo Iſraële, oblationes ignitas Jehovæ, & hæreditatem ejus comedent.

2. Et hæreditas non erit illi in medio fratrum ſuorum, Jehova eſt hæreditas ejus, quemadmodum dixit illi.

3. Iſtud autem erit jus ſacerdotum à populo, quoad ſacrificantes ſacrificium, ſive bovem, ſive agnum, dabunt ſacerdoti armum, & maxillas, & ventriculum.

4. Primitias frumenti tui, vini tui, & olei tui, & primitias velleris ovium tuarum dabis illi.

5. Ipſum enim elegit Jehova Deus tuus è cunctis tribubus tuis, ut ſtet ad miniſtrandum nomini Jehovæ, ipſe & filii ejus omnibus diebus.

6. Quum autem venerit Levita ex aliqua portarum tuarum, ex omni Iſraële, ubi ipſe peregrinabitur, & venerit toto deſiderio animæ ſuæ ad locum quem elegerit Jehova:

7. Miniſtrabit nomini Jehovæ Dei ſui, ſicut omnes fratres ejus Levitæ qui ſtant illic coram Jehova.

8. Partem ſimilem parti aliorum comedent, præter venditiones ejus ad patres.

1. *Non erit ſacerdotibus.*] Tria ſunt præcipua hujus loci capita. Primo enim oſtendit Deus, non eſſe cur graventur Iſraëlitæ decimas ſolvere Levitis, primitias & alias oblationes remittere ſacerdotibus, quoniam hæc tribus hæreditate privata fuerit. Secundo jurgia omnia antevertit, compeſcit illicitum quæſtum, & turpibus rapinis obviat, Levitis & ſacerdotibus juſtam partem attribuens. Tertio definit quomodo inter ſe partiri debeant oblationes, & quid ex victimis ſumpturi ſint ſacerdotes. Quod ad primum membrum ſpectat, quoniam Deus erat quaſi fundus hæreditatis ipſorum, jus quod in eos tranſtulerat, merito ſibi vendicarunt. Si odioſum ſit populo proventum ſuum decimari, Deus quaſi medius intercedit, ſibique jure regio deberi pronuncians, villicos & coactores illis exigendis præficit Levitas. Non eſt igitur cur litem quiſpiam moveat, niſi velit ex profeſſo Deum ſpoliare. Sæpius autem occurrit hæc ſententia: quoniam magnopere intererat populum perſuaſum eſſe, Deum in tabulas ſuas accepta referre quæ Levitis aſſignaverat: non modo ne quid Levitis ſubriperetur, ſed ut libenter Dei miniſtris legitimum vectigal quiſque penderet: deinde ne quis maligne obſtreperet, quod in alimentum ſacerdotum cedebant primitiæ, & aliqua ex ſacrificiis portio. Altera etiam exprimitur ratio, cur invidia carere debeat honor Levitis conceſſus: quoniam ipſos Deus conſtituerat miniſtros cultus ſui. Dignus autem eſt operarius mercede ſua.

3. *Iſtud autem erit jus.*] Non modo in gratiam ſacerdotum enumerat Deus quæ vult ab ipſis percipi, ut ſine murmure & querimonia quod ſuum eſt recipiant: ſed populo etiam conſulit, ne turpi quæſtu auferant ſacerdotes pluſquam fas ſit: quod ſacra hiſtoria recitat à filiis Heli factum eſſe. Nam eouſque licentiæ proruperant, ut prædonum inſtar, violenter raperent quicquid tulerat libido. Ergo ne profaniant ad turpem quæſtum, certos fines in quibus ſe contineant, illis Deus præſcribit, quos ſi transgreſſi eſſent, cuivis è plebe promptum erat eorum avaritiam coarguere. 1 Sam. 2. verſ. 22.

6. *Quum autem venerit Levita.*] Hoc tertium membrum clarius explicat quod oblcurius alibi traditur: quicquid enim Deus ſacerdotibus dabat, viſus fuit præciſe Levitis auferre. Nuncautem diſtinctius ſtatuit ſacerdotes primo loco, ut Levitas pro laboris ſui ratione in partem oblationum admittant. Hæc porro ſumma legis eſt, ut Levitæ qui domi ſuæ manebunt, decimis contenti, nihil ex aliis oblationibus attingant: undecunque autem venient ad ſanctuarium, cenſeantur inter miniſtros, ordinemque ſuum teneant. Hac autem lege cautum fuit, ne quos excluderet intermiſſio à functione, nec deterior eſſet hoſpitum conditio quam eorum qui Jeroſolymæ erant. Neque enim ſi habitabant in aliis urbibus, in totum ceſſabant à ſuo miniſterio: quoniam aliæ erant eorum partes, quam ſe in mactandis victimis exercere. Qui tamen ſanctuario prorſus operam ſuam dicabant, eos duplici honore muneratus eſt Deus: quia minime æquum fuiſſet victu eos fraudari qui domeſticis curis & negotiis valere juſſis, toti occupabantur in ſacrorum cura. Quam vero partitio hæc non fuerit ſupervacua, ex Joſephi narratione maxime cognoſcitur, dum ſcribit Pontifices vi & armis decimas rapuiſſe, & contra Levitas in eripiendo victu hoſtiliter fuiſſe graſſatos.

Ex Levit. XXIV.

5. Accipies ſimilam, & coques ex ea duodecim placentas: duarum decimarum ſit unaquæque placenta.

6. Et pones eas in duobus ordinibus: ſeni ordines ſuper menſam mundam coram Jehova.

7. Pones quoque ſuper ordinem utrumque thus purum, eritque pani in memoriale & incenſum Jehovæ.

8. Per ſingula ſabbatha ordinabit illos coram Jehova ſemper, à filiis Iſraël fœdere ſempiterno.

9. Et erit Aharonis & filiorum ejus, qui comedent eum in loco ſancto: quia ſanctitas ſanctitatum eſt ei ex oblationibus ignitis Jehovæ ſtatuto perpetuo.

Nunc ventum eſt ad tertiam partem externi cultus, quæ finem afferet expoſitioni ſecundi præcepti. Tractandum igitur eſt de ſacris oblationibus, inter quas primum locum dare placuit panibus, qui propriam habebant menſam è regione candelabri ad latus Aquilonare, ſicuti in ſtructura tabernaculi viſum eſt. Etſi autem alibi recurret eorum mentio, ſicuti tamen ſeorſum oblati ſunt, & locati ante Arcam fœderis, quaſi in Dei conſpectu, ſeparandi non fuerunt à ſacrificiis. Jam expoſui hoc fuiſſe non vulgaris gratiæ Dei ſymbolum, quum familiariter ad ipſos deſcenderet, acſi eſſet eorum conviva. Vocati autem ſunt panes facierum, eo quod ſiſterentur ante Dei oculos: atque in eo rarum favorem oſtendit, quaſi ad mutuum convictum accedens. Nec dubium eſt quin duodecim numero confici juſſerit reſpectu duodecim tribuum, acſi oblatum à ſingulis cibum in menſam ſuam admitteret. Duæ decimæ quintam partem menſuræ epha conficiunt. Ac certum quidem eſt modum hunc fuiſſe divinitus præſcriptum, ne diverſitas in ritu tam ſerio paulatim multas corrupteſas gigneret. In nomine decimarum videtur alludere ad vectigal quod impoſuerat populo, quo panum ſanctitas magis commendaretur. Cur autem duas potius quam unam poſtulaverit, me latet, nec utile cenſeo curioſius inquirere. Quod dicitur fore pani in memoriale, ad thus refero: quaſi dictum eſſet, panem thuris ſuffitu conditum memoriam filiorum Iſraël renovaturum eſſe, ut ſuaviter coram Deo oleant. Vertunt alii pro memoriali, monumentum: ſed eodem ſenſu. Etſi autem quidam panem ipſum memoriale vocari docent, melius tamen thuri aptatur: quia mox additur, ſimul incenſum fore ignitum ſacrificium, quia ſcilicet in eo panis adolebatur.

Ex

Ex Exodi XXIX.

38. Hoc eſt quod facies ſuper altare: agnos anniculos jugiter in ſingulos dies.
39. Agnum unum facies mane, & agnum unum inter duas veſperas.
40. Et decimam partem ſimilæ miſtæ oleo contuſo, quartam partem hin & libamen; quartam partem hin vini in agnum unum.
41. Agnum alterum facies inter duas veſperas ſicut minha matutino, & ſicut libamini ejus facies ei in odorem quietis, oblationem ignitam Jehovæ.
42. Holocauſtum juge in generationes veſtras, ad oſtium tabernaculi conventionis coram Jehova, quo conveniam vobiſcum ut tecum loquar.
43. Et conveniam illic cum filiis Iſraël, & locus ſanctificabitur in gloria mea.
44. Sanctificabo tabernaculum conventionis & altare, Aharonem quoque & filios ejus; & ſacrificia, ut ſacerdotio fungantur mihi.
45. Habitaboque in medio filiorum Iſraël, & ero ipſis in Deum:
46. Et ſcient quod ſum Jehova Deus eorum, qui eduxi eos è terra Ægypti, ut habitarem in medio eorum. Ego Jehova Deus eorum.

Mos ſacrificandi ſemper in uſu fuit apud omnes gentes: cujus originem à ſanctis Patribus manaſſe non eſt dubium. ſed ex quo totus orbis ad ſuperſtitiones defluxerat, primum ritus ipſi fuerunt degeneres, dum ſibi quiſque novum aliquid excogitat, & quod ſimile raſtabat, præpoſtera fuit æmulatio: quia rectum finem & uſum non tenebant. Neſcivit tota gentilitas cur Deum ſanguine placari opus eſſet. Ergo temere victimarum ſanguinem fudit: quia neque reputavit ſe Dei judicio obnoxiam eſſe, ut ſuppliciter veniam deprecaretur: ac multo minus animos adjecit ad expiationem amplexandam, quæ non tantum arcano Dei conſilio prædeſtinata fuerat, ſed hominibus quoque promiſſa. Unde colligimus, reprobatos fuiſſe omnes Gentium cultus, quoniam in Dei verbo fundati non erant. Tantum hoc fixum maneat, ipſo more ſacrificandi, quamvis adulterino, convictas fuiſſe propriæ indignitatis, ut agnoſcere deberent, humano generi non aliter propitium eſſe Deum quam reconciliatione interpoſita. Stulta igitur Pythagoræ philoſophia, quæ victimis Dei nomen contaminari tradidit: ſic enim loquentem inducit Poëta dum *εἰς τὸν πυθαγόραν* invehitur,

Nec ſatis eſt quod tale nefas committitur: ipſis
Inſcripſere deos ſceleri, numenque ſuperum
Cæde laborifera credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens, & præſtantiſſima forma,
(Nam placuiſſe nocet) vittis præſignis & auro
Siſtitur ante aras, auditque ignara precantem:
Imponique ſuæ videt inter cornua fronti
Quas colunt fruges: percuſſaque ſanguine cultros
Inficit in liquida prævifos forſitan unda.

Diſplicuit innoxium animal hominis culpa mactari: ſed debuit expendere quod non ſentire turpis ſocordiæ fuit, nimis impudenter audaces eſſe ac temerarios homines, ſi in Dei conſpectum prodeant, veniam ab eo impetraturi, qui omnibus jure eſt infenſus. Nihil ergo abſurdum ſi peccatoribus judicium mortis, cui obnoxii ſunt, ſubjiciatur ante oculos, quo in ſeipſos deſcendentes, peccatum in quo ſibi blandiebantur, ſerio abominari incipiant. Verum hinc præcipua errandi cauſa Pythagoræ, quod neſcivit Deum ſine expiatione non placari. Nos vero quoniam ea res humanæ mentis captum tranſcendit, diſcamus, Scriptura duce ac magiſtra, quicunque unquam Deum vere quæſierunt, lytationem in ſanguine attuliſſe: ita ante Legem latam ſemper victimis ſancita fuit religio. Nec dubium eſt quin arcano Spiritus inſtinctu ſancti Patres directi fuerint ad Mediatorem, cujus morte tandem placandus erat Deus. Et certe, oblato Chriſto, quæcunque fiunt mactationes, nihil differunt à profana carnificina. Verum poſtea in Lege addita fuit plenior explicatio. Et quoniam multiplices formæ ſacrificandi à Gentibus fuerant coacervatæ, nullam omnino partem omiſit Deus, in qua ſe utiliter exercerent fideles; ſive teſtanda pietas, ſive agendæ gratiæ, ſive adjuvandum precandi ſtudium, ſive quærendæ purgationes, ſive expianda peccata. Bimembris tamen partitio integra eſt ac dilucida: ubi dicimus alia eſſe expiatoria, alia vero eſſe teſtimonia gratitudinis. Ita autem ſub priore membro complector ritus conſecrationum, quibus initiari Deus ſacerdotes voluit: quia purgatio primas illic partes tenebat. Jam quia abſque Chriſti interceſſione nullis precibus Deum eſſe exorabilem certum eſt, juge ſacrificium mane & veſperi inſtitutum fuit ad conſecrandas Eccleſiæ preces. Imo quum tantum celebrarent Dei beneficia, fuſus fuit ſanguis, ut cognoſcerent ne ſuam quidem gratitudinem Deo placere, niſi intercedente Mediatoris ſacrificio: denique nihil purum ab hominibus proficiſci, niſi ſanguine purgatum.

38. *Hoc eſt quod facies.*] Inter ſacrificia primum locum dare placuit quotidiano, quod juge appellant. Mane enim & veſperi duos agnos ſingulis diebus offerri ſibi voluit Deus, ut ſe aſſidue exerceret populus in memoria futuræ reconciliationis. Etſi autem ſub Lege ſæpius victimæ iterabantur, quia ad expianda peccata efficax non erat earum oblatio: notandum tamen eſt, ſicuti annis ſingulis ingrediebatur ſemel ſacerdos adytum cum ſanguine; ita utile fuiſſe, quotidie bis alterum genus victimæ proponi ante populi oculos, ut reputaret ſibi opus eſſe identidem reconciliari Deo. Duobus ergo agnis in ſingulos dies litatum fuit, ut Iſraëlitæ ſui reatus & damnationis admoniti, à principio uſque ad finem diei, ad Dei miſericordiam confugere diſcerent. Delectus autem fuit agnus ad hoc ſacrificium, qui purus eſſet ac integer: nam in ætate notata fuit perfectio vel integritas. Addita fuit oblatio placentæ oleo conditæ; & libamen vini. Dubium porro non eſt quin his ſymbolis edocti fuerint veteres, nihil inſipidum offerre Deo fas eſſe. Deus quidem ſaporis dulcedine oblectatus non fuit, neque etiam ſacerdotes voluit aſſuefcere lautitiis, ut ſub religionis colore liguritores eſſent: vini etiam odor per ſe gratus eſſe Deo non potuit. verum huc tendebant condituræ, ne populus ſubſiſteret in nudis & inanibus figuris, ſed agnoſceret aliquid melius & præſtantius ſubeſſe. Guſtus ergo ille vini & olei, nihil aliud fuit quam ſpiritualis veritas: ut populus ipſe viciſſim fidem & pœnitentiam afferret ad ſacrificia. Et certe exteriori ceremonia ſine re ſuiſſet mera fatuitas. Hunc ritum ex parte imitatæ ſunt etiam profanæ gentes: unde illud Horatii,

Utque ſacerdotis fugitivus, liba recuſo.

quibus verbis ſignificat placentas idolis fuiſſe paſſim oblatas. Verum cæca fuit illa æmulatio, quod altius non attenderent, ſed quod putarent deos ſuos humano

maoo more appetere ſuaves & delicatos cibos. Atqui longe aliud conſilium Dei fuit, ut nuper arrigi. Externo enim ſapore expergiſci voluit populum ſuum, ut ſerio pœnitentiæ ſenſu tactus, & pura fide, ſcelerum expiationem quæreret: non in illis agnis quos cernebat mactari, ſed in victima ſibi promiſſa. Vocarunt juge ſacrificium, quia præcepit Deus offerri
Dan. 9. verſ. 27. jugiter per continuas ætates: verum ex Daniele liquet fuiſſe temporale, quia ceſſavit Chriſti adventu: ſic enim illic Angelos loquitur, Roborabit Chriſtus fœdus cum multis hebdomade una & dimidia, & ceſſare faciet juge ſacrificium & minha. Certum eſt de hac ſpecie verba fieri. Unde certo colligimus, hac ceremonia directas fuiſſe populi mentes ad Chriſtum. Quod ſi ille fuit uſus apud veteres & ſtolos, hodie hæc ad nos redit utilitas, ut ſciamus in Chriſto fuiſſe completum quicquid tunc ſub figura oſtenſum fuit. Promittit Deus ſacrificium hoc ſibi fore in odorem quietis. Dubitandum igitur non eſt quin in ſolidum placatus ſit ſacrificio unigeniti Filii ſui, ac peccata nobis remiſerit. Porro quanquam ſemel oblatus fuit Chriſtus, ut nos unica expiatione in perpetuum Deo conſecraret: ex quotidiana tamen immolatione quæ ſub Lege fuit, diſcimus mortis ejus beneficio nobis ſemper paratam eſſe veniam: quem-
2 Cor. 7. verſ. 2. admodum dicit Paulus, Deum ſe aſſidue reconciliare Eccleſiæ, dum Chriſti ſacrificium in Euangelio proponit. De voce Minha ſic habendum eſt, quamvis deducta ſit à נחה, quod eſt Offerre, proprie tamen accipi pro hac oblatione quæ velut appendix erat quotidiani ſacrificii. Sunt etiam qui ad veſpertinam duotaxat reſtringunt: ſed ubi victimis non conjungitur, extenditur etiam generaliter ad alias ſpecies.

42. *Ad oſtium tabernaculi conventionis.*] Docet hic locus, quo ſenſu nomen מועד ſumatur quoties agitur de tabernaculo. Vertunt quidam teſtimonium, alii Eccleſiam, alii conventum, alii vero conſtitutum. Atqui in hoc contextu etymologia ſatis exprimitur: quia mox cauſam appellationis reddendo, verbum יעד uſurpat Moſes, ex quo deductum eſt illud nomen. Quid ergo eſt tabernaculum conventionis? reſpondet Deus ipſe, locum eſſe quem ſumpſit & condixit populo ſuo, ut illic ultro citroque paciſcantur. Volunt quidam originem eſſe יעד, quod eſt quaſi ſolenni ritu conteſtari: ſed quia non patitur Grammatica, ſumam quod certum eſt. Verbum quidem יעד ea conſtructione quæ hic ponitur, tantundem valet ac cootrahere vel paciſci cum altero, vel certe ad negotia ultro citroque tractanda convenire. Ideo mihi nullum nomen aptius quadrare viſum eſt, quam Cooventionis: quod graviſſimi fuit ponderis ad fideles in modeſta ſacerdotii reverentia continendos, quum Deus quaſi ad familiare colloquium eos invitaret. Idem repetit proximo verſu in tertia perſona, ut quicunque ceoſeri volent inter Iſraëlitas, non alio deflectant aut vagentur. Lex enim præſcribitur cunctis filiis Iſraël, ut illic Deum quærant. Subjicitur alia confirmatio, quod locum illum ſacrum eſſe oporteat, quia Deus ibi ſuam gloriam magnifice patefaciet. Denique ex toto contextu Dei conſilium fuiſſe apparet, populum tenere ſibi adſtrictum ſacerdotii Levitici vinculo: ſed notandum Deum unum eſſe qui & locum & oblationes & ipſos homines ſanctificat. Quare frivola eſt eorum omnium jactantia, qui ſibi plus arrogant quam Deus contulerit. Si Papæ creditur, in eo eſt ſanctitas ſanctitatum: quia tamen Deum non profert auctorem, ſed præconiis terſiere conſictis ſe venditat, ſtolidam ejus impudentiam tuto ridere licet. Ex hoc autem loco & ſimilibus ſumptum eſt quod docemur, Chriſtum non humanitus debere æſtimari: ſed cenſeri cæleſti & divina ſua virtute. Hinc etiam refellitur quod ſacrifici Papales ſe Chriſtum offerre jactant: ſemper enim quærendum eſt quo auctore: quandoquidem ſibi uni hoc jus Deus vendicat, ut ſanctificet qui legitimo ſacerdotio funguntur.

46. *Et ſcient quod ego ſum Jehova.*] His verbis ſignificat Deus ſe non ſemel duntaxat fuiſſe populi redemptorem, ſed ea lege ut eorum ſaloti præſideat, ac re ipſa demonſtret ſe inter ipſos reſidere. Cæterum præſentiæ ſymbolum, & quaſi pignus ſtatuit ſanctuarium: unde volebat regulam pietatis proferre, & à cultoribus ſuis peti.

Ex Numer. XXVIII.

1. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Præcipe filiis Iſraël, & dic eis, Oblationem meam, panem meum in oblationibus meis ignitis in odorem quietis meæ cuſtodietis, ut offeratis mihi tempore ſuo.

3. Dices præterea illis, Hæc eſt oblatio ignita quam offeretis Jehovæ: agnos anniculos immaculatos duos quotidie holocauſtum juge.

4. Agnum unum facies mane, & agnum alterum inter duas veſperas.

5. Et offeres decimam partem epha ſimilæ in minham permiſtæ oleo contuſo, cum quarta parte hin.

6. Iſtud eſt holocauſtum juge quod factum eſt in monte Sinai, in odorem quietis, oblationem ignitam Jehovæ.

7. Porro libamen ejus quartam partem hin per ſingulos agnos in ſanctuario liba libamen ſechar Jehovæ.

8. Agnum autem alterum facies inter duas veſperas, ſecundum oblationem matutinam, & ſecundum libamen ejus facies oblationem ignitam, in odorem quietis Jehovæ.

9. Die vero ſabbathi facies duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas ephi ſimilæ in minham permiſtæ oleo, & libamen ejus.

10. Iſtud eſt holocauſtum ſabbathi, in ſabbatho ſuo ultra holocauſtum juge in libamen ejus.

11. Similiter in capitibus menſium veſtrorum offeretis holocauſtum Jehovæ: juvencos filios bovis duos, & arietem unum, agnos anniculos immaculatos ſeptem.

12. Et tres decimas ephi ſimilæ in minham permixtæ oleo in juvencos ſingulos, & duas decimas ephi ſimilæ in minham permixtæ oleo in ſingulos arietes.

13. Et ſingulas decimas, oblationem ſimilæ in minha permixtæ oleo, in ſingulos agnos, holocauſtum odoris quietis, oblatio ignita Jehovæ.

14. Hæc autem libamina eorum è vino: dimidium hin etiam in ſingulos juvencos, & tertia

tertia pars hin in arietem, & quarta pars hin in ſingulos agnos. Hoc eſt holocauſtum ſingulorum menſium per ſingulos menſes anni.

15. Et hircus caprarum unus in ſacrificium pro peccato fiet Jehovæ, præter holocauſtum juge, & libamen ejus.

1. *Et loquutus eſt Jehova.*] Moſes iterum verba facturus de continuo ſacrificio, præfatur in genere, ut diligenter ſequatur populus in oblationibus ſuis quicquid Deus præcepit: nam verbo Cuſtodiendi, non ſedulitas modo, ſed obedientia notatur. Porro quo attentius ab omni vitio ſibi caveant, panem ſuum vocat Deus, qui vel quotidie reponi ſolebat in menſa, vel adjungi victimis ignitis, acſi eo veſcerentur more hominum. Eſt quidem aſpera loquutio: ſed pro veteris populi ruditate neceſſe fuit tam craſſe loqui, ut ab una parte diſcerent ritum illum perinde Deo acceptum eſſe, ut homines oblectat cibus: deinde ut purius & caſtius offerre ſtuderent ſua ſacrificia.

3. *Dices præterea illis.*] Repetit quod vidimus in Exodo, ut quotidie agnos duos immoleot, alterum mane, alterum veſperi: ſed pluribus verbis acceſſiones exprimit ſimilæ & vini: deinde hoc genus ſacrificii ab antiquitate commendat, quia in monte Sinai offerri Deo cœperit, & fuerit in odorem quietis. Libamen vini, cujus fit mentio, etiam apud profanas gentes in uſu fuit: ſed quia mandato & promiſſione Dei carebat, non potuit non eſſe inſipidum. Et probabile eſt (ut alibi vidimus) ritus multos Gentium à ſanctis Patribus eſſe profectos, ſed falſa & inani imitatione: nam quum rationem non tenereot, quicquid agebant non aliud fuit quam luſoria pompa. Diximus autem ita admonitos fuiſſe homines, ut in quotidiano victu Deum ſemper haberent præ oculis: atque ita modis omnibus aſſuefierent ad colendam ſanctitatem.

9. *Die vero ſabbathi.*] Nunc exprimitur quod ſuperiore loco omiſſum fuerat, Sabbatho duplicari juge ſacrificium, & loco agni unius duos offerri. Æquum enim fuit, quum peculiariter Deo ſeptimus dies eſſet dicatus, inſigni aliqua diſcretionis nota præferri aliis diebus. Majores etiam victimas offerri jubet in capitibus menſium, vel noviluniis, nempe duos juveneos, & arietem unum, & bircum pro peccato. Scimus enim primum cujuſque menſis diem Deo fuiſſe ſacrum, ut ſæpius populo renovaretur memoria ejus colendi: & hircus additus fuit expiandis peccatis, ut in ſingulos menſes ſe ad deprecandum coram Deo reos ſiſterent.

Ex eodem Capite.

16. Menſe autem primo, decima quarta die menſis, Peſah eſt Jehovæ.

17. Et in decimo quinto die menſis hujus ſolennitas: ſeptem diebus panis infermentatorum comedetur.

18. Die primo convocatio ſancta erit: omne opus ſervile non facieris.

19. Offeretis autem oblationem ignitam, & holocauſtum Jehovæ, juvencos filios bovis duos, & arietem unum, & ſeptem agnos annieulos: immaculari erunt vobis.

20. Et minha eorum erit ſimila permixta oleo, tres decimæ in ſingulos juvencos, & duas decimas in ſingulos arietes facietis.

21. Singulas decimas facies in agnos ſingulos in ſeptem agnis.

22. Et hircum in ſacrificium pro peccato unum, ad expiandum vos.

23. Præter holocauſtum matutinum, quod eſt holocauſtum juge, faeietis iſta.

24. Secundum hæc facietis ſingulis diebus ſeptem dierum, panem oblationis ignitæ odoris quietis Jehovæ: ultra holocauſtum juge fiet, & libamen ejus.

25. Septimo autem die convocatio ſancta crit vobis: omne opus ſervile non facietis.

26. Porro die primitiarum quando offeretis minham novam Jehovæ in hebdomadibus veſtris, convocatio ſancta erit vobis: omne opus ſervile non facietis.

27. Et offeretis holocauſtum in odorem quietis Jehovæ, juveneos filios bovis duos, arietem unum, & ſeptem agnos annieulos.

28. Et oblationem eorum ſimilam permixtam oleo, tres decimas in ſingulos juveneos, duas decimas per arietes ſingulos.

29. Singulas decimas per agnos ſingulos, ſeptem agnis.

30. Hircum caprarum unum ad expiandum vos.

31. Præter holocauſtum juge & minham ejus facietis: immaculati erunt vobis & libamina eorum.

16. *Menſe autem primo.*] Pertioet quidem aliqua ex parte hæc doctrina ad diem feſtum Peſah: ſed quia ex profeſſo de ſacrificiis agitur, nec mentio fit reliquæ obſervatinnis, niſi hac occaſione, contexeoda fuit cum jugi ſacrificio, taoquam ejus acceſſio vel pars. Obiter quidem attingit Moſes quod ante vidimus, ut populus ſeptem diebus abſtineat à fermento, veſcaturque paoibus azymis. Sed mox deſcendit ad præcipuum caput, de quo nunc inſtituit tractare: ut populus in holocauſtum immolet duos juvencos, arietem unum, & ſeptem agnos, una cum hirco in expiationem: atque ut hoc ſacrificium iteret per totam hebdomadam. Quo itaque major eſſet religio Paſchatis, jugi ſacrificio eonjunctum fuit hoc extraordinarium: partim ut magis incitarentur ad ſe Deo vovendos: partim ut agnoſcerent quam familiariter amplexus eſſet ipſos in gratiam: dum ex ipſorum gregibus & armentis victimas ſumebat, ex ipſorum etiam cellis & borreis poſtulabat ſacrum epulum ſibi parari: partim vero ut ſe reos mortis æternæ profeſſi, ad veoiam petendam confugerent; & ſimul intelligerent unicum eſſe reconciliationis modum, quum Deus ſacrificio eſſet placatus.

26. *Porro die primitiarum*] Idem præcipit Moſes de altero die feſto: nempe quo ſuas primitias offerebant. Tunc quuque augendum eſſe docet juge ſacrificium duobus juvencis, uno ariete, ſeptem agnis, hirco in expiationem, cum minha & libamine, in eum quem paulo ante dixi finem. Hic ingeritur moleſtus ſcrupulus, quia Levit. 23. juvencus unus pro duobus ponitur, contra duo arietes pro uno. Quidam

dam existimant libertatem sacerdotibus fuisse datam. Atqui dum reputo quam præcise de singulis mandaverit Deus, nescio an talis permutatio in eorum arbitrio relicta fuerit. Quod alii volunt Deum semel contentum fuisse uno juvenco, quod non supperet in deserto magna copia, effugium videtur. Me quidem quomodo nodum hunc expediam, non reperire fateor: nisi forte dicamus, quia satis exacte in aliis omnibus cautum erat ne quid temere ageret, una tantum hac in parte fuisse admonitos, Deum majores vel minores victimas per se nihil morari. Nulla etiam religio dicere vetat, ut in rebus leviculis interdum contingit, scribarum incuria obrepsisse diversum numerum: idque forte magis ingenuum erit. Rectior quidem (meo judicio) lectio est, ut offerant duos juvencos & arietem unum. Quoniam vero alibi cur diem hunc instituerit Deus explicatur, breviter tantum commemorat, quum minham offerent ex novis frugibus.

Numer. XXIX.

MEnse autem septimo, primo die ejusdem, convocatio sancta erit vobis: nullum opus servile facietis, dies clangoris erit vobis.

2. Et facietis holocaustum in odorem quietis Jehovæ, juvencum filium bovis unum, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos:

3. Et minham eorum ex simila permixta oleo, tres decimas per singulos juvencos, duas decimas per singulos arietes:

4. Et decimam unam per singulos agnos, per septem agnos.

5. Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato, ad expiandum vos.

6. Præter holocaustum calendarum, & minham ejus, & holocaustum juge, minhamque ejus, & libamina eorum, secundum ritus suos, in odorem quietis, oblatio ignita Jehovæ.

7. Decimo autem die mensis septimi hujus, convocatio sancta erit vobis, affligetisque animas vestras: nullum opus facietis.

8. Et offeretis holocaustum Jehovæ in odorem quietis, juvencum filium bovis unum, arietem unum, agnos anniculos septem: immaculati erunt vobis.

9. Et minham eorum ex simila conspersa oleo, tres decimas in singulos juvencos, duas decimas in singulos arietes:

10. Singulas decimas per agnos singulos, per septem agnos.

11. Hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato: præter oblationem pro peccato expiationum, & holocaustum juge, & minham ejus, libaminaque eorum.

12. Porro decima quinta die mensis septimi, convocatio sancta erit vobis: nullum opus servile facietis, & celebrabitis solennitatem Jehovæ septem diebus.

13. Et holocaustum, & oblationem ignitam in odorem quietis Jehovæ, juvencos filios bovis tredecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim: immaculati erunt.

14. Minham quoque eorum ex simila conspersa oleo, tres decimas in juvencos singulos tredecim juvencis, duas decimas in arietes singulos duobus arietibus.

15. Et singulas decimas per agnos singulos, quatuordecim agnis.

16. Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato: præter holocaustum juge, minham ejus, & libamen ejus.

17. Die autem secundo juvencos filios bovis duodecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.

18. Et minham eorum, & libamina eorum in juvencos, in arietes, in agnos secundum numerum eorum, juxta morem.

19. Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato: præter holocaustum juge, & minham ejus, & libamina eorum.

20. Die vero tertio juvencos undecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.

21. Et minham eorum, & libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos, secundum numerum eorum, juxta morem.

22. Et hircum in sacrificium pro peccato unum: præter holocaustum juge, & minham ejus, & libamen ejus.

23. Die autem quarto juvencos decem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.

24. Minham eorum, & libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos, secundum numerum eorum, juxta morem.

25. Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato: præter holocaustum juge, minham ejus, & libamen ejus.

26. Et die quinto juvencos novem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.

27. Et minham eorum, & libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos, secundum numerum eorum, juxta morem.

28. Et hircum in sacrificium pro peccato unum: præter holocaustum juge, & minham ejus, & libamen ejus.

29. Die præterea sexto juvencos octo, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.

30. Et

30. Et minham eorum, & libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos, ſecundum numerum eorum, juxta morem.

31. Et hircum in ſacrificium pro peccato unum: præter holocauſtum juge, minham ejus, & libamina ejus.

32. Et die ſeptimo juvencos ſeptem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.

33. Et minham eorum, & libamina eorum in juveneos, in arietes, & in agnos, ſecundum numerum eorum, juxta morem.

34. Et hircum in ſacrificium pro peccato unum: præter holocauſtum juge, & minham ejus, & libamen ejus.

35. Die octavo ſolennitas erit vobis: nullum opus ſervile facietis.

36. Et offeretis holocauſtum, & oblationem ignitam odoris quietis Jehovæ, juvencum unum, arietem unum, agnos anniculos ſeptem immaculatos:

37. Et minham eorum, & libamina eorum in juvencum, in arietem, & in agnos, ſecundum numerum eorum, juxta morem.

38. Et hircum in ſacrificium pro peccato unum: præter holocauſtum juge, & minham ejus, & libamen ejus.

39. Iſta facietis Jehovæ in ſolennitatibus veſtris: præter vota veſtra, & ſpontanea veſtra in holocauſtis veſtris, & minhis veſtris, & libaminibus veſtris, & ſacrificiis proſperitatum.

1. *Menſe autem ſeptimo.*] Jam admonui non tractari de feſtis diebus, ſed tantum quibus ſacrificiis ornanda eſſet eorum ſolennitas. Initio ſeptimi menſis erat memoriale, quod vocabant clangoris tubarum. Quia autem minus celebris erat dies, nonniſi juvencum unum offerri jubet Moſes. verum alio reſpectu creſcebat numerus: ante enim vidimus ſingulis menſium calendis cæſos fuiſſe duos juvencos. Ergo dies ille habuit tres majores victimas, aliarum vero numerus duplicabatur, ut eſſent duo arietes, agni quatuordecim & hirci duo. Sic igitur diem illum bis ſibi conſecravit Deus, ut religio una nihil alteri detraberet: alioqui viſus eſſet, quod ſemel ſtatuerat, evertere. Ergo memoriale tubarum novilunii abrogatio non fuit, ſed utrumque præceptum ſimul ſervarunt.

7. *Decimo die.*] Dies hic fuit expiationum. Etſi enim nunquam niſi cum veniæ deprecatione prodibant in conſpectum Dei, tunc ſpeciali modo ſua peccata confeſſi ſunt, quia in ſignum reatus indictum fuit jejunium. Sic enim ſcribitur Levit. 23. Omnis anima quæ non fuerit afflicta illo die, excidetur è popnlis ſuis. Cæterum quod ad ſacrificia ſpectat, tantum juvencus unus exigitur. reliqua conveniunt, niſi quod in exceptione additur quod in ſuperioribus omiſſum erat. Nam præter bircum alia reconciliatio ponitur, nempe quæ afflictioni reſpondeat. Culpæ enim agnitio dirum tormentum conſcientiis fuiſſet abſque ſpe placationis. Atque bujus ſacrificii ratio paulo poſt exponetur.

12. *Porro decima quinta die.*] Inter dies feſtos principatum tenuit hic ultimus, quo habitabant per ſeptem dies ſub tabernaculis. Nam quum in Paſchate noctem qua à plagis Ægypti immunes egreſſi fuerant, memoria repeterent: ſub tabernaculis agendo, complectebantur totos quadraginta annos, quibus patres eorum in deſerto continua & ſumma Dei beneficia experti erant. Valebat etiam ſolennis ille conventus ad alium præſentem uſum, ut collecta meſſe gratias Deo agerent. Hinc fit ut ſingulis diebus victimas obtulerint, & plures numero: ac primo die quidem, nempe tredecim juvencos, arietes duos, & agnos quatuordecim, ſecundo autem duodecim juvencos, tertio undecim, quarto decem, quinto novem, ſexto vero octo, ſeptimo demum ſeptem, octavo unum. Nec fruſtra Moſes in recitatione adeo eſt verboſus: primum ne quid fiat niſi ex Dei præcepto: deinde ne moleſtum ſit vel grave tantos ſumptus facere, quos libenter refugiſſent. Ergo ut alacriter pareant Dei imperio, diligenter inculcat quibus in ſingulos dies victimis Deus ſibi litari velit. Porro cur tam inæqualis fuerit diſtributio mihi non liquere fateor, & ignorantiam fateri præſtat quam nimis ſubtiliter argumando, in meros fumos evaneſcere. Hæc quidem nec curioſa eſt nec rejicienda cogitatio, numerum quotidie minuendo, tandem eos ſeptimo die ad ſeptenarium numerum perveniſſe, qui ſymbolum eſt perfectionis: nam octavus ſuperadditus fuit tanquam clauſula. Tandem ſubjicit Moſes, in jugi ſacrificio & aliis extraordinariis, tenendum eſſe quod Deus præſcribit: ne quid hominum arbitrio mutetur. Sacrificia quæ ex præceptis ſecundæ tabulæ pendent, conſulto in ſuum locum differre placuit.

LEVIT. XVI.

1. LOquutus eſt autem Jehova ad Moſen poſtquam ſ mortui ſunt duo ex filiis Aharon: qui dum accederent coram Jehova mortui ſunt.

2. Dixitque Jehova ad Moſen, Loquere ad Aharon fratrem tuum, ut ne ingrediatur omni tempore ſanctuarium intra velum coram propitiatorio quod eſt ſupra Arcam, ne moriatur: in nube enim apparebo ſupra propitiatorium.

3. Cum hoc ingredietur Aharon ſanctuarium: cum juvenco filio bovis in hoſtiam pro peccato, & ariete in holocauſtum.

4. Tunica linea ſancta induet ſe, & femoralia linea erunt ſuper carnem ejus, baltheoque lineo accinget ſe, & mitra linea velabit ſeſe: veſtes ſanctitatis ſunt: lavabitque aqua carnem ſuam, & induet ſe illis.

5. A cœtu autem filiorum Iſraël accipiet duos hircos caprarum in hoſtiam pro peccato, & arietem unum in holocauſtum.

6. Offeretque Aharon juvencum ſacrificii pro peccato ſuum, & expiationem faciet pro ſe & pro domo ſua.

1. *Loquutus est autem.*] Hic copiosè describitur quod paulo ante veluti in transcursu attigimus, de solenni expiatione quæ quotannis fiebat mense septimo. Nam quum doceret Moses quibus sacrificiis litandum esset in singulos dies festos, ubi de ipso die expiationum quo affligebant animas suas loquutus est, diserte excepit hoc sacrificium, sed tantum uno verbo. Nunc itaque seorsum clara & distincta expositio traditur. Etsi autem aliis quoque anni temporibus expiabantur peccata tam publice quam privatim, atque ad hunc usum valebant quotidianæ victimæ: hic tamen ritus solennior expergefacere debuit populi mentes, ut attentius se toto anno exercerent in venia & remissione affidue petenda. Ergo ut magis solliciti essent de placando Deo, expiatio una, anno vertente, peracta fuit, quæ reliquas omnes sanciret. Cæterum quo diligentius observent quod mandatur, circumstantiam temporis notat Moses, legem latam esse ex quo divinitus extincti fuerant Nadab & Abiitu, qui sua negligentia temere altare Dei polluerant.

2. *Loquere ad Aharon.*] Summa legis est, ne sacerdos sæpius ingrediatur interius sanctuarium, sed tantum semel quotannis, nempe festo expiationis die mense Septembri. Quod ideo factum est, ne ingressus frequentior vilesceret: nam si promiscue in omnibus sacrificiis esset ingressus, non parum de reverentia detractum esset. Satis ad testandam reconciliationem valebat ordinaria altaris asperſio: annuus autem hic ritus magis erigebat populi mentes. Deinde sacrificio, quod semel tantum in fine anni cernebant, clarius repræsentatum fuit unicum & perpetuum quod obtulit Filius Dei. Itaque ad hanc ceremoniam concinne alludit Apostolus in Epistola ad Hebræos: ubi dicitur, anniversario sacerdotis ingressu Spiritum sanctum docuisse, quamdiu stetit prius tabernaculum, nondum patefactam fuisse sanctorum viam: & paulo post addit, postquam apparuit Christus verus Pontifex, semel ingressum fuisse in sancta, quia æternam redemptionem adeptus est. Ita annus in veteri figura, unicæ oblationis fuit symbolum, ut intelligerent fideles non iterandum esse sæpius sacrificium quo placandus erat Deus. Jam quo plus timoris Deus incutiat, & securitatem excutiat sacerdotibus, commemorat suam gloriam in nube conspicuam fore in parte sanctuarii, ubi erat propitiatorium. Scimus enim signum illinc datum esse Israëlitis, quando movenda essent castra, vel quamdiu standum esset uno in loco. Illud autem præsentiæ Dei testimonium merito sacerdotes ad majorem curam & attentionem erigere debuit. unde nunc quoque discendum est, quo propius se ostendit Dei majestas, eo magis sollicite cavendum esse, ne quod signum contemptus demus nostra incogitantia: sed qua decet humilitate & modestia, submissionem nostram testemur.

Hebr. 9. vers. 8. & 10. vers. 13.

3. *Cum hoc ingredietur Aharon sanctuarium.*] Nunc ritus & forma describitur: primo ut Aharon sacras vestes induat, & abluat corpus: deinde ut juvencum & arietem in holocaustum offerat: tertio ut duos hircos accipiat à populo, quorum unus vivus emittatur, alter vero mactetur in hostiam. Diximus autem alibi cur alio quam communi vestitu ornandi fuerint sacerdotes: qui enim mediator est Dei & hominum, omni sorde & macula purum esse oportet. Hoc quum nullus mortalium vere præstare queat, figura loco rei supposita fuit, ex qua discerent fideles alium esse expectandum mediatorem, quia in filiis Aharon tantum umbratilis erat dignitas, non autem vera & solida. Quoties enim suis vestibus exutus sacerdos, sanctas & ab usu communi separatas sumebat, perinde fuit acsi palam testatum faceret alienam se personam gerere. Quod si id symbolum non sufficeret, ablutio rursus docuit, neminem ex filiis Aharon legitimum esse propitiatorem. Quomodo enim alios purgasset qui purgatione egebat ipse, suamque immunditiam profitebatur? Tertium quoque symbolum accessit: nam qui proprio sacrificio se & domum expiabat, quomodo ad promerendum aliis Dei favorem idoneus fuisset? Ergo ita admoniti fuerunt sancti patres, sub imagine hominis mortalis promitti alium mediatorem, qui ad reconciliandum genus humanum se coram Deo sisteret cum perfecta & plusquam Angelica puritate. Adhæc in persona sacerdotis exhibitum populo fuit spectaculum corruptionis, qua inquinatum est totum humanum genus, ut coram Deo fœteat. Nam si sacerdos & à Deo electus, & sacra unctione præditus, tamen ob suas sordes indignus erat qui ad altare accederet, quænam in vulgo reperta fuisset dignitas? Atque hinc hodie quoque ad nos manat valde utilis doctrina, ubi de propitiando Deo agitur, non esse huc vel illuc circumspiciendum: quia extra Christum nulla est mundities & innocentia quæ Dei judicio respondeat.

7. *Postea capiet duos hircos.*] Duplex hic ponitur expiationis forma: nam ex duobus hircis alter more Legali oblatus fuit in victimam, alter emissus, ut esset ἀποπομπὸς vel ἀφίεμενος. Utriusque autem figuræ veritas in Christo fuit exhibita, quia & agnus Dei fuit (cujus immolatio delevit peccata mundi) &, ut ἀποπομπὸς esset, extinctus fuit in eo decor, & rejectus fuit ab hominibus. Posset quidem afferri magis arguta speculatio, nempe postquam oblatus erat hircus, emissionem ejus fuisse resurrectionis Christi figuram: acsi immolatio unius hirci testata esset, in morte Christi satisfactionem pro peccatis quærendam esse: alterius autem vita & discessus ostendisset, Christum ex quo pro peccatis oblatus est, & maledictionem hominum sustinuit, vivum tamen manere & superstitem. Ego vero quod simplicius est & certius amplector, eoque sum contentus: hircum qui vivus & liber abibat, vice piaculi fuisse, ut ex illius discessu & fuga certior fieret populus peccata sua procul abacta evanuisse. Atque hoc solum in Lege fuit piaculare sacrificium absque sanguine. Neque id Apostoli sententiæ repugnat: nam quum hirci duo conjunctim oblati fuerint, satis fuit alterius cædem intercedere, & sanguinem fundi in expiationem. Sors enim non jaciebatur donec ad oblatum tabernaculi uterque hircus adductus esset. Ita quamvis unum vivum isteret sacerdos ad reconciliationem, quemadmodum verbis Mosis exprimitur: non tamen placatus fuit Deus absque sanguine, quia vis expiationis à sacrificio alterius hirci pendebat. Quod ad vocem Azazel spectat, quanquam variant interpretes, non dubito quin locum designet ad quem abigebatur piacularis hircus. Est certe nomen compositum, quod tantusdem valet ac discessum capræ. quod Græci τραγαποδισμὸν verterunt, nescio an conveniat. Certe quod interpretes accipiunt, acsi vocatus esset hircus ille malorum depulsor, sicuti Gentes finxerunt deos quosdam ἀποτροπαίους, vereor ne subtilius sit. Optime quadrat quod dixi de capræ abitu: quanquam ab Hebræis dissentio, qui locum monti Sinai contiguum fuisse volunt: quasi vero non fuerit quotannis sors jacta Azazel, quum tamen longissime abesset populus à monte Sinai. Sufficiat igitur delectam fuisse regionem solitariam & minime habitabilem, ut illuc abigeretur hircus, ne in populo resideret Dei maledictio.

12. *Assumet quoque plenum thuribulum.*] Antequam sanguinem in sanctuarium inferat, jubetur suffitum offerre. Erat quidem (ut ante vidimus) altare thymiamatis, ubi adolebat sacerdos, sed ante velum: nunc vero ut suffitum faciat sacerdos in ipso adyto, jubetur intra velum penetrare. Notatu vero dignum est quod dicitur fumo thymiamatis operiendum esse propitiatorium, ne moriatur sacerdos. Hoc enim signo ostensum fuit quam formidabilis sit Dei majes-

majeſtas, cujus conſpectus etiam ſacerdoti lethalis eſſet: ut omnes diſcerent contremiſcere, & ſuppliciter coram eo ſe proſternere; deinde ut omnis audacia & temeritas compeſceretur. Incertum vero eſt an ſimul mactaverit juvencum pro ſe, & hircum pro populo; an vero poſtquam ſanguine ſui ſacrificii ſanctuarium aſperſerat, hircum ſeorſum immolaverit. Videtur quidem Moſes hanc diſtinctam ſeriem verbis ſuis notare, quia ubi de prima aſperſione loquutus eſt, continuo poſt ſubjicit, Mactabit quoque hircum pro peccato: ſed quia apud Moſen narrationes ſæpe non ponuntur ſuo loco, & res eſt exigui momenti, eligat lector utrum volet.

16. *Et emundabit ſanctuarium.*] Abſurda videri poſſet ſanctuarii ablutio, acſi in hominum arbitrio eſſet quod Deus ipſe conſecravit, polluere. Atqui ſcimus Deum veracem manere, quamvis totus mundus impius ſit: unde ſequitur, quicquid inſtituit Deus, naturam non mutare hominum vitiis. Quod ſi nulla ex hominum peccatis contagio tabernaculum infecit, ſupervacua erat ablutio. verum quamvis ſanctuarium per ſe nullam habem contraxerit ex ſceleribus populi, tamen quoad ipſius populi culpam & reatum, merito immundum cenſetur. Atque ita exaggeratur crimen, quod homines (quibus alioqui propoſitum eſt Deum colere) ſi contemptim vel minus reverenter id faciant, ſacrum profanant ejus nomen. Deteſtabile omnibus ſacrilegium tum fuit, altare & ſanctuarium Dei polluere. Atqui Moſes hujus ſacrilegii reos facit Iſraëlitas, ubi jubet ſanctuarium purgari. Porro ſciamus homines ita contaminare Dei ſacra, ne quid tamen decedat eorum naturæ, nec dignitas violetur. Quare diſerte exprimit Moſes purgari ſanctuarium ab inquinamentis non ſuis, ſed filiorum Iſraël. Nunc hujus figuræ veritas in uſum noſtrum tenenda eſt. Per Baptiſmum & ſacram Cœnam nobis apparet Deus in Filio ſuo unigenito: hæc ſunt ſanctitatis noſtræ pignora. verum quæ noſtra corruptio eſt, hæc Spiritus organa, quibus nos Deus ſanctificat, profanare non definimus, quantum in nobis eſt. Quando autem nullæ pecudes mactantur, ingemiſcere oportet: ac ſuppliciter precari, ut ſordes noſtras quibus Baptiſmus vitiatur & ſacra Cœna, Chriſtus ſanguinis ſui aſperſione deleat ac purget. Ratio purgationis notanda eſt, quoniam habitet apud ipſos tabernaculum inter eorum immunditias. Quibus verbis ſignificat Moſes, ſic pollutos eſſe homines & corruptelis refertos, ut quicquid ſanctum eſt contaminent, niſi intercedat abſterſio: nam pro confeſſo ſumit, fieri non poſſe quin homines ſemper aliquid impuritatis ſecum ferant. Quod autem de adyto dictum eſt, ad altare quoque transfert, & totum tabernaculum.

17. *Nullus autem homo.*] Quod omnes inter ipſum expiationis actum ab acceſſu tabernaculi arcentur, quodammodo pœna illis infligitur temporalis exilii: ut agnoſcant ſe profligari à Dei facie, donec locus qui maculam contraxit ex eorum peccatis, purgetur. Hoc triſte fuit ſpectaculum, quum tabernaculum deſererent omnes quorum cauſa extructum fuerat. ſed hoc modo admoniti fuerunt, omnes ſalutis partes & numeros includi ſub una Dei miſericordia, dum ſe videbant à propoſito veniæ obtinendæ remedio excludi, niſi altera venia ſuccurreret: quoniam à ſpe reconciliationis exciderant.

20. *Quum finierit expiare.*] Clarius nunc exprimitur ratio piaculi quo ad alterum hircum: nempe ut ſiſtatur coram Deo, & ſacerdos manibus ſuper caput ejus impoſitis, confiteatur peccata populi, ut maledictionem rejiciat in ipſum hircum. hoc unum ut dixi) ἀπόπομπον ſacrificium fuit: diſerte enim ponitur oblatio, ſed quæ immolationem prioris hirci reſpiceret: ideoque quoad vim placationis, minime eſſet ab ea ſeparanda. Porro innoxium animal ſubſtitui in locum hominum, ut Dei maledictioni ſubjiceretur, minime conſentaneum fuit: niſi ut diſcerent fideles ſe ferendo Dei judicio minime pares eſſe, nec aliter ſe liberari quam noxa & culpa alio translata. Nam quia ſentiunt homines, ſe ita Dei, quæ omnibus incumbit, peoitus obrui, onus illud iotolerabile variis modis amoliri vel excutere conatur, ſed fruſtra: quia nulla abſolutio ſperanda, niſi ſatisfactione interpoſita. hanc vero Eis non eſt obtrudi hominum arbitrio: & ſtultæ ſuperbiæ eſt, in ſeipſis pretium quærere, quo peccata compenſent. Alia igitur placandi Dei ratio tradita fuit, dum Chriſtus factus maledictio, in ſe peccata tranſtulit quæ hominibus à Deo alienabant. Confeſſio autem ad humiliandum populum valuit, & ita ſtimulus fuit ad ſtudium pœnitentiæ: quia ſacrificium Deo eſt ſpiritus afflictus. Nec vero convenit Dei miſericordia erigi niſi proſtratos, vel abſolvi niſi qui ſeipſos ultro damnarunt. Hùc tendit verborum congeries, Confitebitur omnes iniquitates, omnes prævaricationes, & omoia peccata: ne leviter tantum & defunctorie agnoſcant fideles ſe coram Deo reos, ſed potius ſub ſcelerum gravitate gemant. Jam quia in Chriſto certus dies in anno præſcriptus noo eſt, in quo Eccleſia ſolenni ritu confiteatur ſua peccata, diſcant fideles, quoties in nomine Dei conveniunt, ſuppliciter ad veoiam deprecandam voluntariæ damnationi ſe ſubjicere, acſi Spiritus Dei formam dictaret: ſimul ad eandem quiſque regulam privatim ſe formet.

2 Cor. 5. verſ. 19. Galat. 3. verſ. 13. Pſal. 51. verſ. 19.

26. *Qui vero deduxerit.*] Quoniam hircus ille ἀποπομπαῖος erat iræ Dei & maledictioni devotum, jubetur qui illum dedua crit, corpus ſuum & veſtes abluere, acſi labe eſſet coinquinatus: quo ſymbolo admoniti fuerunt fideles quantopere deteſtabilis eſſet ſua iniquitas, quo magis ac magis exhorreſcerent quoties reputabaot quid eſſent promeriti. Nam quum hominem viderent à caſtris prohiberi quia ſolo capri tactu pollutus foret, in mentem venire neceſſe fuit, quanto majus diſſidium eſſet inter Deum & ipſos, qui immunditiem non aliunde contractam, ſed propria culpa conflatam in ſe geſtabaot. Eadem eſt ejus ratio qui pellem & carnes & ſimum juvenci & hirci combuſſerat. Alibi vidimus reliquias illas extra caſtra fuiſſe delatas in ſignum abominationis. Atque hac in parte clarius reſulget inæſtimabilis Chriſti erga nos amor, qui exire à urbe gravatus non eſt, ut fieret pro nobis rejectamentum, ac maledictionem nobis debitam ſubiret.

29. *Eritque vobis in ſtatutum perpetuum.*] Nunc demum exprimitur dies ille publicæ expiationis, & breviter attingitur afflictio animarum, cujus plenior fit mentio 23. capite, quo ſe diligentius in ſeria meditatione pœnitentiæ exerceant, nec dubitent vere ſe coram Deo purgari, ſacramentali tamen modo, nempe ut ceremonia externa ſignum minime fallax eſſet ejus expiationis qua ſemel in plenitudine temporis reconciliandi erant Deo. Itaque pluribus verbis inculcat Moſes proprium hoc eſſe ſacerdotis munus: quo elogio gratiam futuri Mediatoris commendat, ut ad eum unum dirigat fidelium mentes.

LEVIT. I.

VOcavit autem Moſen, & loquutus eſt Jehova cum eo è tabernaculo conventionis, dicendo,

2. Loquere ad filios Iſraël, & dic illis, Homo quum offeret ex vobis oblationem Jehovæ: ex animalibus, ex bobus, & ex pecudibus offeretis oblationem.

3. Si

3. Si holocaustum oblatio ejus fuerit ex bobus, masculum immaculatum offeret: ad ostium tabernaculi conventionis offeret eum pro animi proposito in conspectu Jehovæ.

4. Et admovebit manum suam super caput holocausti: & acceptum erit pro ipso ad eum expiandum.

5. Mactabit autem juvencum in conspectu Jehovæ, & offerent filii Aharon sacerdotes sanguinem, ac spargent illum in circuitu super altare quod erit ad ostium tabernaculi conventionis.

6. Et excoriabit holocaustum, concidetque in frusta sua.

7. Ponentque filii Aharon sacerdotes ignem super altare, & disponent ligna super ignem.

8. Posthæc disponent filii Aharon sacerdotes frusta, caput, & adipem, super ligna superimposita igni qui est super altare.

9. Intestina autem ejus & crura lavabit aqua, & adolebit sacerdos omnia super altare: holocaustum est, oblatio ignita odoris quietis Jehovæ.

10. Quod si de pecudibus fuerit oblatio ejus, de ovibus, vel de capris in holocaustum, masculum immaculatum offeret eum.

11. Mactabitque illud ad latus altaris ad Aquilonem in conspectu Jehovæ: spargentque filii Aharon sacerdotes sanguinem ejus super altare in circuitu.

12. Et concidet eum in frusta sua, & caput ejus, & adipem ejus: ordinabitque ea sacerdos super ligna superposita igni qui est super altare.

13. Et intestina & crura lavabit aqua, offeretque sacerdos omnia, adolebitque super altare: holocaustum est, oblatio ignita odoris quietis Jehovæ.

14. Si autem de avibus fuerit holocaustum, oblatio ipsius Jehovæ, tum offeret de turturibus aut de columbis oblationem suam.

15. Et offeret illam sacerdos super altare, & ungue secabit caput ipsius: & adolebit super altare, exprimeturque sanguis ejus super parietem altaris.

16. Et removebit veiculam ejus cum pluma ipsius: projicietque illam prope altare ad Orientem, ad locum cineris.

17. Et findet illam cum alis suis, neque dividet, adolebitque eam sacerdos super altare, super ligna quæ fuerint super igne: holocaustum est oblatio ignita odoris quietis Jehovæ.

1. *Vocavit autem Mosen.*] His septem capitibus generaliter de sacrificiis disseret Moses. Quoniam autem multa hic leguntur quorum usus præteriit, alia quorum me latet ratio, profiteor me brevi summa contentum fore: ex qua tamen probe intelligant lectores quicquid de Legalibus figuris nobis relictum est, hodie quoque esse utile, modo ne simus nimium curiosi. Qui subtilius allegoriis ludere volunt, referant sane quam appetunt laudem: mihi quia nihil aliud propositum est quam lectoribus prodesse; quæ cognitu utilia duxero, breviter colligere sufficiet. Porro hoc capite etsi de holocaustis tantum disseritur, quæ tamen de illis præscribitur regula latius patet: quandoquidem docet Moses quænam animalia sibi offerri velit Deus ut grata habeat, deinde per quem offerenda sint, & quo ritu. Tres autem species enumerat, ex armentis, ex pecudibus, & ex avibus. Vaccæ enim rufæ ex qua cinis expiationis fiebat, alia specialis fuit ratio: hic enim de ordinariis sacrificiis agitur; quibus solebant privati homines vel peccata expiare, vel pietatem suam testari. Masculos ergo tam boves quam agnos & hœdos offerri jubet, deinde integros & puros omni macula. Proinde videmus nonnisi ex mundis animalibus delecta fuisse sacrificia: deinde non quælibet munda animalia placuisse Deo, sed domestica, & quæ se patiuntur manu & arbitrio hominum regi. Etsi enim interdum cicurantur damæ & capreæ, ad altare tamen suum Deus non admisit. Hoc ergo principium fuit obedientiæ, ne homines absque delectu offerrent has vel illas victimas, sed ex pecore suo boves, ex gregibus autem agnos vel hœdos. Puritas ob duos fines requiritur: nam quia sacrificia Christi erant figuræ, in omnibus repræsentari oportuit summam ejus perfectionem, quæ placandus erat cœlestis Pater. Deinde admonendi fuerunt Israëlitæ, repudiari à Deo omnem immunditiem, ne ejus cultum suis sordibus polluerent. Sicuti autem ad studium veræ sinceritatis illos hortabatur Deus, ita satis superque eos docebat, nisi fidem suam ad Christum dirigerent, repudiari quicquid ab ipsis profectum erat: neque enim bruti animalis puritas satisfactura erat Deo, nisi aliquid præstantius designasset. Secundo loco præcipitur, ut qui hostiam offert, postquam accesserit ad ostium tabernaculi, manus imponat super caput holocausti. Hæc autem ceremonia non modo signum erat consecrationis, sed etiam piaculi: quoniam in hominis locum subjiciebatur animal: quod exprimitur verbis Mosis, Grata erit ad ipsum expiandum. Minime ergo dubium est quin reatum suum & quicquid pœnarum meriti erant, in hostias transtulerint, ut Deo reconciliarentur. Porro quum minime fallax hæc promissio fuerit, statuendum est pretium satisfactionis fuisse in veteribus sacrificiis quod ipsos solveret culpa & reatu in Dei judicio: non tamen quod per se ad expiationem valerent bruta animalia, nisi quatenus testimonia erant gratiæ per Christum exhibendæ. Itaque modo sacramentali reconciliati fuerunt Deo veteres per victimas, sicuti hodie abluimur per Baptismum. Unde sequitur, symbola illa utilia duntaxat fuisse, quatenus exercitia erant ad pœnitentiam & fidem, ut peccator iram Dei metuere disceret, ac in Christo veniam quæreret.

5. *Mactabit autem juvencum.*] Subjicitur mactandi ritus, nempe ut sacerdos victimam ipsam paret, ac sanguinem fundat super altare: neque enim privato homini permittitur manibus suis immolare ipsam victimam, sed in eum transfertur quod ipsius nomine peragebat sacerdos. Id vero notatu dignum est, quamvis reconciliationis pignus domo afferrent, quærendos tamen alibi fuisse placationis ministros, quia nemo ad tam præclarum munus idoneus nisi qui sacra unctione divinitus ornatus est. Palam ergo ostensum fuit, indignos esse unctos mortales qui ad Deum propitiandum accederent, & quodammodo pollutas esse omnium manus, vel profanas, nisi quas Deus ipse purgasset. Neque enim aliunde sacrificandi dignitas quam ex gratia Spiritus, cujus

pignus

pignus erat externa unctio. Nunc intelligimus, quomodo obtulerint singuli Deo sacrificia, & tamen unicus sacerdos hoc officio defunctus fuerit. Aspersum sanguine fuit altare, ut sciret populus non excidere in terra sanguinem ex victima fusum, sed Deo consecrari, & quasi gratum odorem spirare: sicuti hodie coram ejus facie apparet Christi sanguis. Reliqua prætereo: sicuti de tertia specie, hoc est, de avibus, non videtur operæpretium plura dicere. Tenendum tamen est, Mosen hactenus de holocaustis loquutum esse quòrum corpus adolebatur: quia non eadem erat omnium ratio: ut postea videbimus. Quod ergo bis dictum fuit, Disponet sacerdos frusta illa, & adipem: non ita accipiendum est, quasi tantum adipem comburi juberet cum capite, sed ne quid residuum maneret præter pellem. Quanquam nonnullis placet רֹאשׁ esse caput truncum: quorum sententiam non rejicio, modo ne adipem excludamus. Quod autem in victima sordidum erat voluit lavari Deus, ne quid eam contaminaret. Nunc quæritur ratio combustionis, sive in totum, sive in parte. Equidem existimo igne oblensam fuisse Spiritus virtutem, à qua dependet tota sacrificiorum utilitas. nisi enim in Spiritu passus fuisset Christus, non fuisset expiatrix victima. Ignis ergo velut condimentum fuit, quod sacrificiis verum suum saporem daret: quia Spiritu consecrandus erat Christi sanguis, ut nos ab omnibus scelerum maculis abluerer. Id in holocaustis plenius repræsentari voluit Deus: nulla tamen victima oblata fuit, cujus non aliqua pars igne adoleretur.

Ex Levit. II.

1 ANima quum offeret oblationem minha Jehovæ, similа erit oblatio ejus: fundetque super eam oleum, ac thus super imponet.

2. Afferet autem eam ad filios Aharon sacerdotes, & accipiet inde plenum pugillum de similа ejus, & de oleo ipsius supra totum thus ipsius, adolebitque sacerdos odorem ejus super altare: oblatio ignita est odoris quietis Jehovæ.

3. Et residuum è minha, ipsius Aharon erit & filiorum ejus: sanctum sanctorum est ex oblationibus ignitis Jehovæ.

4. Quum vero obtuleris oblationem minha, coctionem clibani, sit è similа placentæ infermentatæ mixtæ oleo, & lagana ex infermentatis mixta oleo.

5. Si minha sartaginis erit oblatio tua, sit similа consperſa oleo infermentata.

6. Concides eam in frusta, & fundes super eam oleum: minha est.

7. Quod si minha craticulæ erit oblatio tua, similа sit oleo consperſa.

8. Afferesque minha ex illis factam Jehovæ: & offeres illam sacerdoti, qui admovebit eam altari.

9. Tolletque sacerdos de minha odorem ejus, & adolebit super altare: oblatio est ignita odoris quietis Jehovæ.

10. Et quod superfuerit è minha, erit Aharon & filiorum ejus: sanctum sanctorum est ex oblationibus ignitis Jehovæ.

11. Omnis minha quam offeretis Jehovæ, non fiet fermentata: quia de nullo fermento, & de nullo melle adolebis oblationem ignitam Jehovæ.

12. In oblatione primitiarum offeretis ea Jehovæ: & super altare non ascendent in odorem quietis.

13. Et omnem oblationem minhæ tuæ sale salies, neque cessare facies sal fœderis Dei tui à minha tua: in omni oblatione tua offeres sal.

14. Si vero obtuleris minham primitiarum Jehovæ, spicam tostam igni, triticum contusum spicæ plenæ offeres minham primitiarum tuarum.

15. Et pones super eam oleum, pones item thus super eam: minha est.

16. Et adolebit sacerdos odorem ejus, de frumento ejus contuso, & de oleo ejus ultra totum thus ipsius: oblatio est ignita Jehovæ.

1. *Anima quum offeret.*] Hoc capite præcipit Moses quænam sit oblationum ratio, quibus speciale nomen Minha impositum est. Erant autem non cruentæ, neque ex animalibus, sed tantum ex farina & oleo. Porro si quis farinam crudam offerre vellet, jubetur thure & oleo ipsam condire, deinde eligere similaginem, ne furfure vitietur oblatio. ita hic, sicuti in toto Dei cultu, præscribitur regula, ne quid nisi purum offeratur: deinde per oleum commendatur sapor, per thus vero boni odoris fragrantia. Scimus, nec gustus dulcedine, nec suavi olfactu Deum capi: sed his symbolis rudem populum doceri utile fuit, ne inspidis suis commentis Dei cultum corrumperent. Postea jubet Moses, quicquid Deo consecratur, tradi in manum sacerdotis: quemadmodum ante vidimus excludi hoc honore privatos homines, ut Christo maneat sua dignitas, nempe, ut per eum solum quæratur ad Deum accessus: ac sciant cunctі mortales nullum Deo placere cultum nisi quem ipse *Hebr. 13. vers. 15.* sanctificat. Hujus figuræ veritas breviter monstratur Apostoli verbis, ubi dicit, hodie nos per ipsum offerre hostiam laudis Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Ubi autem sacerdos pugillum farinæ cum oleo & thure incenderit, quod residuum est relinquitur in ejus usum. Nam (ut alibi vidimus) sancta sanctorum ex oblationibus ignitis sacerdotibus data erant. Aliæ deinde species ponuntur, nempe placentæ in clibano coctæ, postea frixæ, tertio tostæ in craticula. Voluit autem Deus ex singulis placentarum formis sibi fieri minha, ut discerent filii Israël in toto victu ad eum respicere: quia nihil nobis mundum nisi quod ipse sua benedictione consecrat. Hæc ratio est, cur Moses curiose distinguat inter placentas, quæ vel in clibano, vel in sartagine, vel in craticula coquuntur.

11. *Omnis minha quam offeretis.*] Hic vetat Deus panes fermentatos sibi offerri: quo ritu edocti fuerunt veteres, corrumpi Dei cultum si quod alienum commentum admisceatur. Nec dubium est quin huc alluserit Christus, quum discipulos admonuit ut sibi *Mat. 16. caverent à fermento Pharisæorum: ea voce figmenta vers. 11.* intelligens quibus pietatem inquinaverant. Fermenti

menti esus alia ratione prohibitus fuit in Paschate, nempe ut memores essent subitæ profectionis, vel potius fugæ, in qua non licuerat viaticum parare.

1 Cor. 5. vers. 7. Quanquam longius etiam extendit Paulus, nempe ut abstineant fideles ab omni fermento malitiæ & pravitatis. Verum in hac generali regula certum est adventitias omnes corruptelas damnari quibus polluitur sincera religio: acsi dictum esset, nullas Deo nisi genuinas & ab omni extraneo sapore alienas oblationes probari. Quod ad mel spectat, obscurior est ratio. Nam quod fubtiliter quidam de ejus natura disputant, nescio an satis firmum sit. Etsi autem vix quicquam afferere audeo, omissis tamen argutiis, quod probabilius videtur afferam. Mel coctum, ut statim acorem contrahit, panem cui miscetur fermentat: ideo hæc duo conjuncta videntur, Ne mel aut fermentum adoleantur. Quod autem post continuo subjicit Moses, Offeretis ea Jehovæ inter primitias: nescio an fermento conveniat, sicuti volunt quidam. certe simplicior videtur esse exceptio, ex melle quidem gratas fore Deo primitias, modo ne oblationes altaris inficiat. Porro dubium non est quin veteres, ne inutile esset præceptum, finem ejus tenuerint, atque ita sciverint nihil in sacris esse legitimum nisi quod Deus instituit. Nos vero post abrogatum ceremoniæ usum, discamus in Deo colendo nostra commenta vel imaginationes non ingerere, sed quam præscribit regulam obedienter sequi.

13. *Et omnem oblationem.*] Similis fere in saliendis victimis ratio, ne sapore careret Dei cultus. Porro vera conditura, quæ gratiam sacrificiis conciliet, nusquam reperitur nisi in Dei verbo. Unde sequitur, cultus omnes humanitus fabricatos, tanquam insulsos repudiari. Quamvis enim se valde acutos existiment qui superstitionibus profanant Dei cultum, mera tamen fatuitas est quod illis maxime arridet sub sapientiæ colore. Quanquam Christus ex hac ceremonia exhortationem deducit, ut æquis animis sustineant fideles se excoqui & purgari, si Deo placere cupiunt. Omnis victima, inquit, saliet- *Marc. 9.* tur, & homo igne salietur. Quibus verbis significat, *vers. 49.* tunc nos gratas Deo esse victimas ubi fumus igne examinati: & hanc esse salis condituram, ubi caro nostra cum suis cupiditatibus probe macerata fuerit. Interea fixum illud maneat, cultum Dei rectum non censeri absque sapore, qui ex verbo petendus est: quia in omnibus hominum cerebris ne mica quidem salis reperietur. Alias subtiliores allegorias prætermitto, quarum non alium video usum nisi ut curiosas aures oblectent. Sal fœderis alio sensu ponitur quam fœdus salis, nempe quod adhibetur ad sacra tanquam ex invidiabili Dei pacto. Unde etiam confirmatur quod jam dixi, fœderis Dei observationem in ejus cultu semper primas tenere.

14. *Si vero obtuleris.*] Hæc oblatio à primitiis diversa est, quia erat voluntaria, quum primitiæ ex Legis præscripto solverentur. Verum si quis ex horno tritico primitiis vellet aliquid superaddere, regulam tradit Moses: ut spicæ torreantur, quo possint facilius conteri, deinde mixtæ oleo cum thure adoleantur. sic enim interpretor Mosis verba, ut idem significent spica tosta & triticum spicæ contusum: spicas vero plenas exigit, ut delectum habeat populus, ne quid exile aut macilentum offerat.

LEVIT. III.

QUod si sacrificium prosperitatum fuerit oblatio ejus, si de bobus ipse offeret, sive masculum, sive fœminam offerat, immaculatum offeret eum in conspectu Jehovæ.

2. Et imponet manum suam super caput oblationis suæ, & immolabit eam ad ostium tabernaculi conventionis: fundentque filii Aharon sacerdotes sanguinem super altare per circuitum.

3. Postea offeret de sacrificio prosperitatum oblationem ignitam Jehovæ, adipem operientem intestina, & omnem adipem qui est super illa.

4. Et duos renes, adipemque qui est super ipsos, qui est super ilia, & fibram cum jecore, cum renibus removebit.

5. Adolebunt autem omne illud filii Aharon super altare, una cum holocausto quod erit super ligna superposita igni: oblatio ignita est odoris quietis Jehovæ.

6. Quod si de pecudibus fuerit oblatio ejus, in sacrificium prosperitatum Jehovæ, masculum aut fœminam, immaculatum offeret eum.

7. Si vero agnum offerat oblationem suam, tum offeret illum in conspectu Jehovæ:

8. Imponetque manum suam super caput oblationis suæ, postea mactabit eum in conspectu tabernaculi conventionis: & spargent filii Aharon sanguinem ejus super altare per circuitum.

9. Et offeret de sacrificio prosperitatum oblationem ignitam Jehovæ, adipem ejus, caudam integram, è regione spinæ dorsi removebit eam: adipem quoque operientem intestina, atque omnem adipem qui est super ilia.

10. Et duos renes, & adipem qui est super illos, & qui est super ilia, & fibram quæ est super jecur, cum renibus removebit.

11. Adolebitque illud sacerdos super altare: cibus oblationis ignitæ est Jehovæ.

12. Si vero capra fuerit oblatio ejus, tum offeret eam in conspectu Jehovæ.

13. Ponetque manum suam super caput ejus, & mactabit eam coram tabernaculo conventionis: & spargent filii Aharon sanguinem ejus super altare per circuitum.

14. Postea offeret ex ea oblationem suam, oblationem ignitam Jehovæ, adipem operientem intestina: & omnem adipem qui est super ilia.

15. Et duos renes, & adipem qui est super illos, & qui est super ilia, & fibram quæ est super jecur, cum renibus removebit.

16. Adolebitque ea sacerdos super altare, cibus oblationis ignitæ est odoris quietis: & omnis adeps Jehovæ est.

17. Statutum perpetuum in generationibus vestris, in cunctis habitaculis vestris: omnem adipem & omnem sanguinem non comedetis.

1. *Quod ſi ſacrificium.*] Tranſit nunc ad diverſum genus, nempe ad ſacrificia quæ gratitudinis teſtimonia erant in celebrandis Dei beneficiis: quorum pars igoe comburebatur, partem ſibi vendicabant ſacerdotes, reſiduum manebat ipſis offerentibus. De voce שלמים alibi quid ſentiam attigi: certe non quadrat vulgaris traoslatio, Sacrificia pacificorum. Longe etiam petitum eſt quod alii tradunt, vocari Sacrificia perfectionum, quia immundis ea attingere nefas erat. Porro quum Hebræi Pacis nomine comprehendant ſalutem & lætos omoes ſucceſſus, pluralem numerum commode cenſui poſſe verti Proſperitates: qua ratione David calicem ſalutum nominat *Pſal. 116. verſ. 13.* libamen quod fieri ſolebat in ejuſmodi ſacrificio: neque enim dubito quin externo ſymbolo gratiarum actionem deſignet. Fateor quidem hoc ſacrificium non modo io gratulatione oblatum eſſe, ſed quum pacem & felices ſucceſſus à Deo pererent: ſemper tamen optime conveniet epitbeton, quia profitebantur Deum omnium bonorum fic auctorem eſſe, ut ſuas omnes proſperitares ei ferrent acceptas. Primo autem omnia bæc ſacrificia ſiſti jubet ad tabernaculum, quod ſignificat per conſpectum Jehovæ: alioqui enim paſſim erecta fuiſſeot altaria in urbibus & pagis, & bac licentia diſcerptus fuiſſet cultus Dei, & peſſundata religio. Ergo ut populum contineat in ejuſdem fidei conſenſu, jubet omnes unico altari eſſe contentos. Coli autem & invocari vult in eo loco quem ſibi dedicaverat: ne ad Deos extraneos diffluant. deinde ritum offereodi præſcribit, ſive ex armento ſit victima, ſive ex pecudibus. Quod autem de rebus mioutis tam exacte præcipit, videri poſſet frivola ſedulitas: ſupervacua etiam reperitio, quod rem unam ſæpius inculcat verbis proríus ſimilibus: niſi quod hæc diligentia populum commonefecit, aliquid in ceremoniis præſtantius ſubeſſe; deinde freoum injecit laſciviæ, oe ſibi permitterent vel minimum quicquam addere vel mutare. Hæc igitur tam ſollicita obſervatio eos ad res ſignatas quaſi manu dirigere debuit, ut ſub externa imagine ſpiritualis veritas occurreret eorum oculis. Debuit ſecundo ipſos quaſi alligatos tenere ad Dei verbum, ne quid in rebus ſacris ex proprio ſenſu tentarent. Hodie autem quamvis ſacrificandi uſus ceſſaverit, primo docemur profanari à nobis Dei beneficia, niſi io teſtanda noſtra pietate diligenter nos exerceamus, ut meretur immenſa ejus & aſſidua erga nos liberalitas: deinde niſi uni Deo maneat illibata bæc pietas, ipſom impie jure ſuo fraudari: tertio ſicuti precamur in Chriſti nomine, ita per ipſius manum ſolvenda eſſe vora noſtra, reddendaſque gratiarum actiones: quarto non eſſe negligenter vel defunctorie celebrandam Dei beneficentiam, ſed ut in re maxime ſeria, non vulgari ſtudio & artentione elaborandum.

16. *Adolebitque ea ſacerdos.*] Merito ſacerdoti partes aſſignat quæ in ſacrificio ſunt præcipuæ, ut ſanguinem ſpargat, & adipem in ignem injiciat, quia unus ille ad liran dum erat idoneus. Cæterum quamvis aſpera ſit metaphora in voce Cibi: quod tamen docere voluit Spiritus ſanctus, optime exprimit, cultum Legalem perinde placuiſſe Deo ac ſuaves oobis ſunt cibi quibus veſcimur. Quanquam ſimul notatur familiaris Dei cum populo ſuo communicatio, acſi communem haberet cum illis menſam. Certum quidem eſt, alimentis Deum noo egere, qui omnibus vitam inſpirat, nec quicquam aliunde mutuatur. Sed melius oſtendi non poruit incomparabilis ejus bumanitas quam dum ſe cultoribus ſuis convivam facere dignatus eſt. Eadem loquendi forma populi ingratitudo perſtringitur apud Mala- *Mal. 2.* chiam, quia dixerit menſam Dei eſſe contemptibi- *verſ. 12.* lem, cibum ejus vilem & vulgarem proventum: non quod delectatus fuerit Deus vel adipe pinguium animalium, vel panibus: ſed quia deterior fuerit & minus ferenda impietas, negligere illud ſingulare gratiæ ejus pignus. Porro hæc ſimilitudo ad veritatem referri debet, quod ſcilicet fidei exercitia & pietatis approbationes non minus Deo placeant quam ſi laute & ſuaviter paſceretur: quo magis videndum oe ſuis cum lautitiis fraudemus. Cur autem Deus adipem ſibi vendicet in ſacrificiis omnibus, & adoleri jubeat, mihi non ſatis liquet: niſi quod ſervos ſuos boc modo ad temperantiam aſſuefacere voluit. Certe adipem pro parte deliciſſima accipiantehac vidimus, quia hanc vocem Moſes ad triticum & vinum tranſtulit: ac idem patet etiam in Pſalmo, Quaſi adipe & pin- *Pſal. 63.* guedine ſatiabitur anima mea. Et ubi oegat Deus ſe *verſ. 8.* appetere adipem, ſignificat quod electiſſimum eſt in *Jeſa. 1.* animalibus ſe noo ſua cauſa poſcere: verum ut te- *verſ. 11.* neant Iſraëlitæ ſobrie veſcendum eſſe omnibus cibis, acſi florem & primitias conſecraſſent. Si quis diſtinctius rem exponi malit, cultum Dei magnificere adipis oblatio docuit, ſecundo eos inſtituit ad abſtinentiam. Allegoriæ apud alios quærantur, tantum auribus titillandis concinnæ. Iſychius poſtquam adipem eſſe fioxit ſpirituales affectus, paulo poſt io craſſos appetitus transformat. Alii volunt Chriſtum deſignari. Alii intelligunt carnis noſtræ craſſitiem vel pinguedioem igne Spiritus excoquendam, ut Deo mortificetur. Me hæc ſimplicitas retinet, quum Lex permitterer ſacris carnibus veſci, exceptionem fuiſſe additam, ut optima portio penes Deum maneret: deinde igne conſumptum fuiſſe quod liguritores maxime allicere poterat, ut ingluviem frenarent. Saoguinis guſtus hic quidem interdicitur, ut alibi: quia Deo propter expiariones ſacer erat. ſed altera fuit major ratio prohibitionis, cujus facta fuit mentio, Geneſ. 9. cap. & de qua rurſus tractandum erit io expoſitione ſexti præcepti.

Levit. IV.

ALloquutus eſt præterea Jehova Moſen, dicendo,

2. Loquere ad filios Iſraël, dicendo, Anima quum peccaverit per errorem ab omnibus præceptis Jehovæ quæ non ſunt faciенda, feceritque quidpiam de uno ex illis:

3. Si ſacerdos unctus peccaverit ſecundum delictum populi, offeret ſacrificium pro peccato ſuo quod peccavit, juvencum vitulum immaculatum Jehovæ pro peccato.

4. Adducetque juvencum illum ad oſtium tabernaculi conventionis in conſpectu Jehovæ, & admovebit manum ſuam ſuper caput juvenci, mactabitque juvencum in conſpectu Jehovæ.

5. Accipietque ſacerdos unctus de ſanguine juvenci, & inferet eum in tabernaculum conventionis.

6. Dein ſacerdos tinget digitum ſuum in ſanguine, aſpergetque de ſanguine illo ſeptem vicibus coram Jehova, ante velum ſanctuarii.

7. Ponetque ſacerdos de ſanguine iſto ſuper cornua altaris ſuffimenti aromatici coram Jehova,

Jehova, quod eſt in tabernaculo conventionis: totum autem ſanguinem reliquum juvenci effundet ad baſin altaris holocauſti quod eſt ad oſtium tabernaculi conventionis.

8. Totum præterea adipem juvenci oblati pro peccato tollet ab eo: nempe adipem operientem inteſtina, & totum adipem qui eſt ſuper ea.

9. Duos quoque renes, & adipem qui eſt ſuper eos, & qui eſt ſuper ilia, & fibram quæ eſt ſuper jecur, cum renibus auferet,

10. Quemadmodum tollitur à bove ſacrificii proſperitatum: adolebitque ea ſacerdos ſuper altare holocauſti.

11. Pellem præterea juvenci, & omnem carnem ejus, cum capite ejus, & cruribus, & inteſtina ejus, & fimum ejus.

12. Educetque totum juvencum extra caſtra ad locum mundum, ad locum ubi effunditur cinis: & combutet eum ſuper ligna igni: in loco inquam ubi effunditur cinis, comburetur.

13. Quod ſi tota ſynagoga Iſraël erraverit, & latuerit res in oculis congregationis, & fecerit unum ab omnibus præceptis Jehovæ quæ non ſunt facienda, & deliquerit:

14. Notum autem fuerit peccatum quod peccaverunt: tunc offeret congregatio juvencum filium bovis in ſacrificium pro peccato, adducetque illum ante tabernaculum conventionis,

15. Ponentque ſeniores ſynagogæ manus ſuas ſuper caput juvenci coram Jehova: tunc mactabit juvencum coram Jehova.

16. Inferetque ſacerdos unctus de ſanguine juvenci in tabernaculum conventionis.

17. Et intinget ſacerdos digitum ſuum in ipſo ſanguine, aſpergetque ſeptem vicibus coram Jehova ante velum.

18. De ſanguine quoque illo ponet ſuper cornua altaris quod eſt coram Jehova, quod eſt inquam in tabernaculo conventionis, poſthæc totum ſanguinem reliquum effundet ad baſin altaris holocauſti quod eſt ad oſtium tabernaculi conventionis.

19. Totum autem adipem ejus tollet ab eo, & adolebit ſuper altare.

20. Juvenco vero faciet quemadmodum fecit juvenco oblato pro peccato, ſic faciet ei: atque ita expiabit eos ſacerdos, & remittetur eis.

21. Deinde juvencum educet extra caſtra, & comburet eum quemadmodum combuſſit juvencum priorem: oblatio pro peccato congregationis eſt.

22. Si Princeps peccaverit, feceritque unum ab omnibus præceptis Jehovæ Dei ſui quæ non ſunt facienda, & id fecerit per errorem, & deliquerit:

23. Si innotuerit ei peccatum ſuum quod peccavit: tunc offeret oblationem ſuam hircum caprarum maſculum immaculatum.

24. Ponetque manum ſuam ſuper caput hirci, & mactabit eum in loco in quo mactari ſolet holocauſtum coram Jehova: oblatio pro peccato eſt.

25. Tolletque ſacerdos de ſanguine oblationis pro peccato digito ſuo, & ponet ſuper cornua altaris holocauſti: reliquum autem ſanguinem ejus effundet ad baſin altaris holocauſti.

26. Totum vero adipem ejus adolebit ſuper altare, ſicut adipem ſacrificii proſperitatum: & ita expiabit illum ſacerdos à peccato ejus, & remittetur ei.

27. Quod ſi anima aliqua peccaverit per errorem de populo terræ, faciendo unum à præceptis Jehovæ quæ non ſunt facienda, & deliquerit:

28. Si innotuerit ei peccatum ſuum quod peccavit: afferet oblationem ſuam capellam caprarum immaculatam fœminam pro peccato ſuo quod peccavit.

29. Admovebitque manum ſuam ſuper caput oblationis pro peccato, & mactabit oblationem illam pro peccato in loco holocauſti.

30. Dein tollet ſacerdos de ſanguine ejus digito ſuo, ponetque ſuper cornua altaris holocauſti: totum vero reliquum ſanguinem ejus effundet ad baſin altaris.

31. Totum præterea adipem ejus auferet, quemadmodum ablatus fuit adeps à ſacrificio proſperitatum: adolebitque ſacerdos ſuper altare in odorem quietis Jehovæ: atque ita expiabit eum ſacerdos, & remittetur ei.

32. Quod ſi pecudem obtulerit oblationem ſuam pro peccato, fœminam immaculatam afferet.

33. Ponetque manum ſuam ſuper caput illius oblationis pro peccato, & mactabit illam pro ſacrificio peccati, in loco in quo mactari ſolet holocauſtum.

34. Deinde accipiet ſacerdos de ſanguine oblationis pro peccato digito ſuo, ponetque ſuper cornua altaris holocauſti: totum vero reliquum ſanguinem ejus effundet ad baſin altaris.

35. Totum præterea adipem ejus auferet, quemadmodum auferri ſolet adeps agni à ſacrificio proſperitatum: adolebitque illa ſacerdos ſuper altare in oblationem ignitam Jehovæ: atque ita expiabit eum ſacerdos à peccato ſuo quod peccavit, & remittetur ei.

Ex Numer. XV.

22. Quum erraveritis, & non feceritis omnia præcepta hæc quæ protulit Jehova ad Mosen:

23. Omnia quæ præcepit Jehova vobis per manum Mosis à die qua præcepit Jehova, & postea per generationes vestras.

24. Si inquam à congregatione præter scientiam aliquid factum fuerit per errorem, immolabit universa congregatio juvencum unum filium bovis, in holocaustum, in odorem quietis Jehovæ, minha quoque ejus, & libamen ejus, secundum regulam, & hircum caprarum unum, in sacrificium pro peccato.

25. Expiabitque sacerdos universam congregationem filiorum Israël, & ignoscetur eis, quia error est: & illic offerent oblationem suam, oblationem ignitam Jehovæ, & oblationem pro peccato suo, coram Jehova, propter errorem ipsorum.

26. Et condonabitur universæ congregationi filiorum Israël, & peregrino qui peregrinabitur in medio illorum: quia universi populi error est.

27. Quod si anima una peccaverit per errorem, offeret capram anniculam sacrificium pro peccato.

28. Expiabitque sacerdos animam quæ peccaverit per errorem, quum peccaverit per errorem coram Jehova: expiabit eam, & remittetur ei.

29. Indigenæ inter filios Israël, & peregrino qui peregrinatur inter illos: lex una erit vobis quoad eum qui fecerit per errorem.

Postquam de oblationibus & aliis sacrificiis disseruit Moses quæ gratitudinis testimonia erant & pietatis exercitia, nunc ad expiationem descendit quæ inter sacrificia primatum tenet: quia sine reconciliatione nihil unquam hominibus potuit esse cum Deo. Nam quum merito ob naturæ corruptionem abominetur totum humanum genus, ac singuli assidue ejus iram provocent: in ejus placandi remedium totam salutis spem fundatam esse oportet. Hoc principio constituto tenendum est, Mosen deinceps verba factorum de expiatoriis sacrificiis quæ Deum hominibus propitiant, abolito reatu. Hic quomodo placandus sit Deus admonet, ubi per ignorantiam vel inconsiderate quis peccavit: ubi etiam statuitur inter personas distinctio, quoniam alia à rege, alia à sacerdote victima exigitur, alia vero à privatis: ubi item pauperum habetur ratio, ne pari sumptu graventur quo divites. Verum quia ex contextu patebit non omnes ignorantiæ species hic comprehendi, videndum est quid valeat nomen שגגה, quod errorem potius quam ignorantiam transferre placuit: quia non ea delicta intelligit Moses quibus illaqueamur decepti specie recti, ut putemus nos esse extra culpam: sed quæ non observantur ut animum pungant: aut lapsus subitos, dum carnis infirmitas rationem & judicium ita suffocat ut exercutiat peccator. De hoc genere loquitur Paulus, dum jubet in spiritu lenitatis corrigi homines qui præoccupati fuerint in aliquo delicto: quia non eos intelligit qui bona (quam vocant) intentione falluntur, vel stulta potius opinione, ut sibi male consulere non sint: sed qui carnis infirmitate labuntur, & quos Satan suis insidiis deprehendit incautos: vel certe non animadvertunt sua mala, ut statim adhibeant remedium. Id clarius perspicitur ex distinctione quæ ponitur Psalm. 19. ubi David, postquam errorum veniam deprecatus est, petit à superbis integer servari. Antithesis inter שגיאות & זדים ostendit errores vocari delicta quælibet quibus nulla subest scelerata contra Deum superbia. Quod dicit, Si anima peccaverit ab omnibus præceptis, dura est loquutio: atque ideo ad peccata omissionis quidam referunt. Ego autem simplicius interpretor, Si peccaverit declinando à præceptis, vel Si quid alienum à præceptis commiserit.

Gal. 6: 1.

3. *Si sacerdos unctus.*] Nunc discernit inter personas: & incipit à summo pontifice, qui solus præcipuum insigne sacræ unctionis gestabat: nisi de toto ordine palmario sumere libeat. Probabile tamen est, ad unum restringi. Quo præstantior erat ejus dignitas, eo majore studio composita esse debuit ejus vita ad exemplum sanctitatis. Erat imago Christi, & Legis Dei interpres: ergo quæ in aliis tolerabilis fuisset infirmitas, gravius in eo erat reprehensibilis. Hæc ratio est cur majore hostia ipsum litare oporterit. Cæterum id aliqua ex parte pertinuit ad omnes Levitas, quatenus electi fuerant in sacrum ordinem. Et hodie extenditur ad omnes Ecclesiæ ministros ac Pastores, non ut vituli immolatione se redimant, sed ut sibi diligentius caveant ab omni peccato, & ad studium pietatis magis sint intenti. Particula, Secundum delictum populi, potest etiam verti Ad delictum: quasi diceret Moses, sacerdotem peccando populum malo exemplo corrumpere. Quoniam sicuti vita ejus regula est pie justeque vivendi, ita vitia occasionem errandi aliis præbent. Simplicior tamen est sensus quem sequutus sum: quamvis delictum sacerdotis vulgare sit, muneris tamen respectu gravius esse & obnoxium majori pœnæ.

5. *Accipietque sacerdos unctus.*] Quod de aspersione sanguinis vel effusione hic traditur, de adipe etiam & renibus adolendis, commune aliis sacrificiis esse satis notum est. Et similitudo quæ additur nono versu, satis ostendit eandem formam in aliis fuisse servatam. Verum quia absurdum videri poterat, sacerdotem qui reus erat, coram Deo prodire ad obeundas reconciliationis partes: ut dubitationi obviam iretur, diligentius singula præscribi oportuit. Quamvis ergo indignus esset accessu, quia tamen inviolabilis erat lex sacerdotii, ad functionem suam admittitur: neque enim fas erat plures constitui mediatores. Ergo ut plus reverentiæ haberet Legalis ritus, nec alium reconciliationis modum quærerent homines, gratiam suam præstulit Deus sacerdotis culpæ. Sparsus autem fuit sanguis coram Jehova, ut dissceret populus immolationis aspectu tegi ac sepeliri peccata, ne in memoriam venirent coram Deo: reliquus autem sanguis est fusus coram altari, quia sacer erat, ideoque minime decebat tanquam profanum alio projici.

13. *Quod si tota synagoga.*] Idem sacrificium quod sacerdoti injunctum fuit, à populo exigitur; quia totum corpus repræsentabat qui omnium nomine ingrediebatur sanctuarium ut omnes tribus coram Deo sisteret. Videtur quidem hæc ignorantiæ species diversa à superiore notari: quia dicitur, Peccatum si latuerit: Ego tamen arbitror infirmitates comprehendi ad quas sæpe contingit homines ad tempus cæcutire. Quod enim suis vitiis multi obdormiunt, ideo fit quia non descendunt in seipsos: nam si probe

examinarent sua facta, statim eos conscientia pungeret. Potest igitur fieri ut totum populum fugiat peccari cognitio, dum sibi nimium indulget ac blanditur. Sensus ergo est, Quamvis nullus mali sensus ab initio eos sollicitet ad pœnitentiam, si postea expergefacti fuerint ut culpam agnoscere incipiant, Deum sacrificiis placandum esse: poterat enim alioqui populus integumentum sibi ex errore facere.

22. *Si Princeps peccaverit.*] Principum quoque delictis injungitur peculiaris expiatio. Etsi autem singulari numero Principem nominat, quia tamen lex nondum posita erat ut unus quispiam dominaretur, haud dubie duces & capita designat: quia magis nocent malis exemplis qui præsunt quam privati homines. Si quis ergo ex judicibus & præfectis per errorem deliquerat, minore quidem hostia defungi potuit quam sacerdos vel populus: discrimen tamen privatum inter ipsos fuit, quod hi capras vel oves, ille vero hircum masculum offerebat: idque ut magis sollicite puros se conservent ab omni noxa quicunque præsunt, qui alioqui delicias sibi facere solent, acti honoris gradus plus licentiæ daret. Ubi vertimus, Si innotuerit, non consentiunt interpretes. Proprie est disjunctiva particula Vel, sed quæ interdum conditionalis vice ponitur: sicuti proximo capite videbimus. Qui primam & genuinam vocis significationem retinent, violenter exponunt finem superioris versus, deliquerit, pro senserit se deliquisse: verum quia ex pluribus locis patet tantundem valere נשא atque חטא, nihil opus est torquere verba in alienum sensum. Verbum autem יאשם, quod transitive pro Patefacere accipiunt, commode exponitur sicuti verti: nisi quis forte malit, Sic cognoverit. Porro quod sæpius inculcat Moses, Expiabit eum sacerdos, & remittetur ei iniquitas, frigide quidam restringunt ad externam & civilem munditiam, acsi reatum duntaxat coram hominibus tolleret Moses: potius enim veniam offert Deus peccatoribus, seque propitium fore affirmat, ne liberam invocationem impediat metus aut dubitatio. Et certe prima fidei rudimenta non tenent qui non agnoscunt Legales ceremonias fuisse Sacramenta. Atqui in Sacramentis omnibus, saltem quæ ordinaria sunt in Ecclesia, spiritualis annexa est promissio. Sequitur ergo vere promissam fuisse veniam Patribus, qui se Deo reconciliabant oblatis victimis: non quod peccata expiaret pecudum mactatio, sed quia certum erat ac minime fallax symbolum in quo acquiescerent piæ animæ, ut tranquilla fiducia coram Deo prodire auderent. In summa, ut nunc Baptismo sacramentaliter abluuntur peccata, ita sub Lege quoque sacrificia fuerunt expiationis, diverso tamen modo: quia Christum quasi præsentem Baptismus nobis proponit, qui obscure tantum sub Lege fuit adumbratus. Impropriè quidem ad signa transfertur quod nonnisi in Christum unum competit, in quo nobis exhibita fuit bonorum omnium spiritualium veritas, & qui peccata demum unico & perpetuo sacrificio abolevit: sed quia non agitur quid per se præstiterint Legales ceremoniæ, sufficiat vere restitas fuisse de gratia Dei, cujus figuræ erant. Atque ita facessat profanum figmentum, politice tantum hominum respectu sacrificia eos à quibus offerebantur, à culpa & reatu absolvisse.

Numer. 15. 22. *Quum erraverit.*] Quo genere sacrificii expianda sint totius populi vel privati cujusque peccata, docet: quanquam ex quatuor ordinibus (quorum facta fuit in Levitico mentio) duos tantum recensset. Illic enim tam sacerdoti quam Principi injungitur propria expiatio. Sed neque hic ritus immolandi describitur, quia tantum obiter in memoriam reducere voluit Moses quomodo tam publice quam privatim reconciliandi essent Deo. Porro nomen Erroris (ut dictum est) ad incogitantiam extenditur, quæ Dei contemptu non caret ob nimiam securitatem, dum inconsiderate labuntur homines quo fert eos libido. Nam errori postea opponitur deliberata impietas, ubi data opera se projiciunt homines ad Legem violandam. Porro quia nihil proclivius est quam errare, ne animis deficerent qui peccarant, valde necessarium fuit hoc remedium. Ergo ne populus, vel singuli privati homines, agnita culpa, tanquam desperata spe veniæ, abjicerent studium pietatis, Deus occurrit, & qua ratione placandus sit docet, ut quæ acciderint vitia non abrumpant ejus cultum. Sed quum hic tantum referat Moses quæ jam exposita sunt, non opus est pluribus insistere, nisi quod in uno capite legem ferre videtur à superiore diversam. Illic enim juvencos duos mactari jubet pro reconciliando populo, alterum in holocaustum, alterum pro peccato: si tamen ejus copia non esset, hircum substituere permissum fuit. Perfectio igitur in Levitico ostensa fuit, nunc autem permissio tantum subjicitur: neque tamen dum brevitatis causa speciem unam attingit Moses, secum pugnat. In fine additur clarior explicatio, ut lex eadem sit omnibus communis: quia varietatem inducere minime utile erat.

Ex Levit. V.

1. Quum autem anima peccaverit audiendo vocem juramenti, & ipse sit testis, quod aut viderit, aut sciverit: nisi renunciaverit, feret pœnam iniquitatis suæ.

2. Aut si anima tetigerit aliquam rem immundam, sive cadaver feræ immundæ, sive cadaver animalis immundi, sive cadaver reptilis immundi, idque latuerit eam, tum ipse immundus erit, & deliquit.

3. Aut si tetigerit immunditiam hominis in omni immunditia ejus qua polluitur, & latuerit eum, & ipse cognoverit postea, deliquit.

4. Aut anima si juraverit, proferendo labiis se malefacturam, aut benefacturam, & secundum omne quod profert homo juramento, & id latuerit eum, & ipse postea cognoverit: tunc delinquet in uno ex istis.

5. Erit autem quum deliquerit in uno ex istis, & confessus fuerit id super quo peccavit:

6. Adducet oblationem pro delicto suo Jehovæ, pro peccato suo quod peccaverit, fœminam de grege, agnam, aut capellam caprarum pro peccato: & expiabit eum sacerdos à peccato suo.

7. Quod si facultas afferendæ pecudis defuerit ei, tunc adducet oblationem pro delicto suo quod peccavit, duos turtures, aut duos pullos columbæ Jehovæ, unum in hostiam pro peccato, & alterum in hostiam holocausti.

8. Afferetque illos ad sacerdotem, & offeret eum qui est in hostiam pro peccato prior em: & ungue secabit caput ipsius è regione cervicis ejus, & non separabit.

9. Aspergetque de sanguine hostiæ pro peccato super parietem altaris, & quod supereſt de sanguine exprimetur in basin ipsius altaris: oblatio pro peccato est.

10. Alterum autem faciet holocaustum juxta morem: atque ita expiabit eum sacerdos à peccato suo quod peccavit, & remittetur ei.

11. Si vero non fuerit ei facultas offerendi duos turtures, aut duos pullos columbæ, tunc afferet oblationem suam qui peccaverit, decimam partem ephæ similæ in oblationem pro peccato: non ponet super eam oleum, neque ponet super eam thus, quia oblatio pro peccato est.

12. Afferet illam inquam ad sacerdotem: tunc sacerdos accipiet ex ea plenum pugillum suum odorem ejus, & adolebit super altare ultra oblationes ignitas Jehovæ: oblatio pro peccato est.

13. Et expiabit eum sacerdos à peccato suo quod peccavit in uno de istis, & remittetur ei: & erit sacerdoti sicut minha.

1. *Quum autem anima.*] Tres delictorum species quas Moses principio capitis inserit, videntur inter se longe differre. Prima enim ex errore nasci non potuit, ubi quis rem cognitam celabat. Ego vero reticentiam de qua agitur, sub errore comprehendo, ubi quis pudore vel metu inductus, connivet ad scelus vel qualecunque delictum de quo interrogatus fuerit, atque ita non meditatus perjurium, sed tenebras sibi obducens, subticet quod dicturus erat si rem probe examinasset. Quanquam propius excutienda sunt verba, de quorum sensu non satis convenit. Quidam nomen אלה pro execratione positum esse volunt, acsi dictum esset, Si quis audierit maleficium, vel scelus detestabile, & execrazione dignum: sed eorum commentum refellitur ex proximo contextu, quia mox subjicitur, Si viderit aut cognoverit. Alii jusjurandum quidem interpretantur, sed ad perjurium male restringunt, quasi intelligeret Moses, reum esse qui audierit hominem pejerantem, nec se opposuerit: quin potius sua conniventia & silentio texerit perjurium. Itaque eorum sententiæ subscribo qui de adjuratione exponunt. Sic enim optime simul cohærebunt verba. Si quis testis citatus audierit vocem adjurationis, qua rogetur per nomen Dei ut vere de re proposita respondeat, & favore vel indulgentia, vel fallaci alio prætextu, quasi objecta erroris nebula, tacuerit, quod tamen si diligenter attenderet, habebat compertum: ille reus erit. Itaque particulam disjunctivam hoc loco per conditionalem reddere oportet. Ad verbum est, Si quis audierit vocem adjurationis, & testis ipse. quorsum autem exprimeret, Si fuerit testis, deinde adderet, Vel cognoverit, acsi res diversas referret? Apte vero quadrat quod dixi, culpæ fieri reum qui testis vocatus non respondet de re sibi cognita. Jam quid esset audire vocem juramenti, nisi intelligas ore judicis fuisse adjuratum? Ac notandum est, tres quæ primo commemorantur species, inter se affines esse, quia de peccatoribus loquuntur qui ex aliorum fordibus contagionem trahunt. Nam quum in genere jussisset Moses delicta errore admissa expiari, nunc subjicit quod non satis diserte expositum erat, piaculo etiam obnoxios esse eos qui polluti fuerint alienis maculis. Ita optime conveniet cum reliquis duobus hoc primum, si quis obliquo perjurio se alterius delicto implicuerit, immundum esse donec placationem obtulerit: id enim significat loquutio, Portare iniquitatem: acsi dixisset Moses, noxam contrahere qui maleficium celaverit, de quo interrogatus fuerit testis.

2. *Aut si anima tetigerit.*] Videtur hoc præceptum non modo supervacuum, sed absurdum quoque esse. Quomodo enim purganda esset immundities ex contactu vel cadaveris, vel alterius rei impuræ contracta, satis antehac Moses docuit: purgationis vero modum facilem & absque sumptu præscripsit. Videtur itaque inutilis esse repetitio. Graviorem vero pœnam delicto irrogare, quod erroris prætextus extenuat, quam ubi nulla fit erroris mentio, iniquum est. Sed tenere oportet, non solum immunditiem pretio mulctari, sed negligentiam, qua factum fuerit ut purgationem omitteret qui pollutus erat. Fieri enim potest ut qui sic torpent in suis vitiis, cultum Dei ad tempus contaminent. Non igitur mirum si durior pœna infligitur, ubi error ex supina crassaque securitate natus plura vitia ex se gignit: quo scilicet major ad cavendum inter fideles vigeat attentio. Teneant ergo lectores, non in nudo attactu cadaveris situm esse delictum de quo nunc agitur, sed in ipsa incogitantia: quia siquis sedulo meditetur Legem Dei, non tam facile obrepet oblivio, qua tollitur discrimen inter fas & nefas. Eadem ratio est proximi mandati, ubi simili pœnæ subjicitur qui hominem immundum & pollutum attigerit: sicuti dum mulier menstrua sua patitur, pollutionem inducit solo contactu.

4. *Aut anima si juraverit.*] Hæc quoque culpa errori & ignorantiæ adscribitur, ubi quis inconsiderate facit quod se non facturum pollicitus est: neque enim tunc violatur jusjurandum, quod scelere non careret: sed in ipsa incuria satis est culpæ, quia solida religio voti memoriam renovaret. Unde sequitur, ubi nulla est sollicitudo, non esse seriùm præstandi voti studium. Hoc vero mandatum necessarium fuit, quia sæpe fieri potuit ut homines qui se voti obstrinxerant fide, per incogitantiam lapsi, quasi soluti omni vinculo, sibi in posterum indulgerent: qui autem eo veniunt licentiæ, magis ac magis obdurescunt, donec tandem excutiant omnem Dei reverentiam. Voluit ergo Deus vota fideliter servari, ne contemptus ad impietatem usque tandem prorumperet. Si quis ergo non cogitans excidit à fide data, jubetur Deum placare: non ob levitatem (ut quidam putant) quasi temere promiserit quod non debebat; sed ob neglectum, quia diligentiam non adhibuit ut voti in tempore recordaretur. Porro si locum hunc Papistæ suo more insulse arripiant ad stabilienda quælibet vota, in promptu solutio est: Deum constantiam nonnisi in legitimis & rite conceptis votis exigere. Quænam sit pie vivendi ratio ante intelleximus ex Mosis doctrina: unde colligimus ea minime præstanda esse quibus profanatur Dei nomen: quia si vitiosum sit principium, in obstinatione duplex est impietas. Itaque malefacere hoc loco non est aliquid perperam tentare, sed aliquid suscipere quod carni alioqui grave & molestum est: quemadmodum si quis vel sumptu rem domesticam minuat vel privet se delitiis, vel abstinentiam sibi rei gratæ vel commodæ indicat.

6. *Adducet oblationem.*] Continuat quod ante vidimus de piaculo tollendo, sed incipit discernere inter divites & pauperes: quæ distinctio ad superiora extenditur: unde apparet, methodum non exacte observari à Mose, qui species quas inseruit, videntur silum interrumpere: res tamen perspicua manet, quicunque errore lapsi sunt immundos esse, donec placationem obtulerint. Quod autem omissum fuerat nunc exprimitur, pauperes & egenos non esse urgen-

urgendos plusquam ferat eorum facultas: imo gradus ponuntur ut exigua farinæ mensura defungi possit cui non erit commodum offerre duos turtures vel columbas. Unde colligimus non aliud fuisse Deo propositum quam verum & unicum reconciliationis modum populo ostendere, ut ad Mediatorem & sacrificium se conferrent. Hic enim vel duos turtures, vel pusillum farinæ jubentur offerre pauperes: quod perinde ipsis Deum propitiet atque divitibus victima quæ ab ipsis exigitur. Quod tamen citant nostri interpretes ex Poëta, mutilum est, nempe, Quicunque ad templa attulerint mentis integritatem, farre litare: quia cæcus ille non vidit quorsum tenderent sacrificia: atque ita omnia litationum genera desprexit, acsi sola puritas & innocentia commendaret homines Deo. Tenendum igitur est, victimas nullius per se fuisse momenti; & tamen populum veterem exercitatum fuisse in cæremoniis, quæ docerent non aliter quam pretio redemptionis Deum placari.

Ex eodem Capite.

14. Loquutus est insuper Jehova ad Mosen, dicendo,

15. Anima quum prævaricata fuerit prævaricationem, & peccaverit per errorem in una re ex sanctificationibus Jehovæ, adducet oblationem pro delicto suo Jehovæ, arietem perfectum de pecudibus, secundum æstimationem tuam argenti siclorum, secundum siclum sanctitatis pro delicto.

16. Et quod peccaverit in sanctificatione reddet, & quintam partem ipsius addet ei, tradetque illud sacerdoti: sacerdos vero expiabit eum in ariete oblationis pro delicto, & remittetur ei.

17. Itaque si anima peccaverit, & fecerit unum ab omnibus præceptis Jehovæ, quæ non sunt facienda, & non cognoverit & deliquerit, & portaverit iniquitatem suam:

18. Tunc adducet arietem immaculatum de pecudibus, secundum æstimationem tuam in oblationem pro delicto ad sacerdotem: & expiabit eum sacerdos ab errore suo quem per errorem commisit, neque intellexit, & remittetur ei.

19. Delictum est, delinquendo deliquit Jehovæ.

14. *Loquutus est insuper.*] Diversitas hostiæ clare demonstrat aliud genus delicti nunc attingi: quia loco fœminæ masculum nunc requirit Deus. Ante contentus fuit agna vel capra: quia autem majus est pretium arietis, sequitur pœnam injungi graviori delicto. Culpæ vero gravitas ex rei qualitate pendet, ubi scilicet quispiam non hominem tantum mortalem læsit, sed Deum ipsum: neque simpliciter unum ex præceptis primæ tabulæ transgressus fuerit, sed qui votum non reddiderit, vel obtulerit vitiosam hostiam, vel in quavis oblatione Deum fraudaverit jure suo. hoc sibi vult particula, Ex sanctificationibus Jehovæ. Qua voce complectitur Moses tam vota sponte concepta quam oblationes legitimas, ut erant decimæ, primitiæ, primogenitorum oblatio: quoniam in his omnibus severe jussi fuerant Israëlitæ optimam fidem præstare Deo. Si forte avaritia quempiam excæcaverat, ut proprium lucrum captando, minus quam par erat, Deo solveret, meritò securitas graviorem pœnam sustinuit. Sciendum tamen est delictum hic notari, ubi fraus & dolus malus non intervenerat: quia si quis data opera & astute quod sacrum erat in rem suam verteret, non tam facile expiata fuisset impietas sacrilegii. Sed quia sæpe contingit ut sibi nimis indulgenter parcant tenaces & avari, sacrificium injungit Deus hoc loco, si domestica utilitas pietatis studio per incogitantiam prævaluerit. Quod dicitur, Secundum æstimationem tuam, alii ad Mosen, alii ad sacerdotem referunt. Ego vero passive accipere malo pro æstimatione divinitus præscripta: quæ ideo populi dicitur, quia legi à Deo positæ acquiescere debuit, ne pretium pro arbitrio mutaret. Duobus autem siclis sanctuarii æstimat Moses arietem, vel quatuor siclis vulgaribus, qui efficiunt Gallicæ monetæ circiter 28. asses.

16. *Et quod peccaverit.*] Hinc clarius apparet quod nuper attigi, in sanctificatione peccasse qui ex integro Dei jure aliquid detrahebant: quia restituere jubentur quinta parte superaddita. Meminerint tamen lectores, non ad restitutionem cogi qui fraudulenter res sacras averterant, sed qui vano aliquo prætextu sibi ad tempus blanditi fuerant, ut nulla eos tangeret culpæ agnitio. Finis ergo hujus sacrificii fuit, attentum populum reddere, ut posthabitis privatis commodis, liberaliter Deo persolveret quod debebat. Inscite vero quidam nugantur, Moses quum antea de peccatis loquutus sit, nunc modum præscribere expiandi delicta: idem enim verbum ubique promiscue usurpat, & eodem quoque nomine designat omnes victimas. Delictum vero facere gravius peccato, crassæ ignorantiæ est. Nec vero longa refutatione opus est, ubi palam apparet hoc loco specialem tradi regulam de ratione impetrandæ veniæ, ubi quis per incogitantiam non reputavit se in decimis, aut votis solvendis, aut aliis oblationibus solide non fuisse perfunctum.

17. *Itaque si anima peccaverit.*] Quanquam videtur generalis sermo, acsi breviter confirmaret quæ hactenus dixit: necesse tamen est vel contexere eum proximo membro, vel restringere ad certas species. Mihi prior expositio videtur recta: nec absurdum est bis idem repeti, ut immorigeris tergiversandi ansam præcludere. Quanquam non inficior rationem quæ in fine subjicitur, ad omnes de quibus differuit expiandi modos extendi: nempe quamvis ignorantiam obtendat qui inconsiderate lapsus est, vel noluit data opera peccare, vel per oblivionem aliquid maculæ vel pollutionis contraxit, reum tamen esse coram Deo donec se reconciliet. Ergo ubi agnum integrum & justi pretii offerri jubet, rursus offendit quomodo purgare se debeant qui in sacris oblationibus fuerint nimis restricti. Continuo vero post adjungit rationem aliis erroribus communem: acsi diceret non absolvi coram Deo qui ad tegendam culpam, ignorantiæ colorem objiciunt.

Ex Levit. VI.

1. Loquutus est præterea Jehova ipsi Mosi, dicendo,

2. Anima quum peccaverit, & prævaricata fuerit prævaricationem contra Jehovam, mentiens nempe fuerit proximo suo in depositio, aut in depositione manus, aut raptum, aut vim fecerit proximo suo:

3. Aut invenerit amissum & negaverit illud, ac juraverit falso in uno ex omnibus quæ facere solet homo peccando in ipsis.

4. Quum ergo peccaverit, & deliquerit, tum reddet raptum quod rapuit, aut vi extortum quod vi extorsit, aut depositum quod depositum fuerit apud illum, vel amissum quod invenerit:

5. Aut quidpiam aliud ex omnibus de quibus juraverit falso, tunc reddet illud in solidum, & quintum ipsius addet illi: eique cujus erat reddet illud die oblationis pro delicto suo.

6. Oblationem vero pro delicto suo adducet Jehovæ, arietem integrum è pecudibus, secundum æstimationem suam ad faciendum sacrificium pro delicto ad sacerdotem.

7. Expiabit eum sacerdos coram Jehova, & remittetur ei: expiabit inquam ab uno ex omnibus quæ facere solet homo delinquendo in eo.

1. *Loquutus est præterea Jehova.*] Jam non de erroribus expiandis differit Moses, ubi per incogitantiam reus erat peccator: verum si quis sponte & consulto Deum offendisset, reconciliationis modum præscribit. Quod notatu dignum est, ne dubitent qui voluntario peccato obstricti sunt, Deum sibi fore propitium, modo ad unicum Christi sacrificium (in quo solida constat umbrarum Legis veritas) se conferant. Cavendum quidem est, ne prætextu elementiæ & facilitatis Dei nobis indulgeamus: nam plus æquo nos ad peccandum carnis libido sollicitat, ut non accedat talis illecebra: nec sacrilega in Deum contumelia vacat, licentiam peccandi ex eo arripere, quod Deus ad ignoscendum sit propensus. Regnet ergo in nobis Dei timor, qui pravas cupiditates instar freni coërceat, ne sponte in culpam labamur: ejus etiam misericordia potius odium & detestationem peccati gignat in cordibus nostris, quam nos ad audaciam inviteret. Sed prudenter simul cavendum est, ne si fingamus Deum voluntariis peccatis inexorabilem, nimius rigor apud sanctissimos quosque spem salutis evertat. Sunt enim adhuc hodie quidam phrenetici, qui veniam omnibus negant, quibus per carnis infirmitatem labi contigerit. Quia autem morosis hominibus arridet severitas, hoc delirio valde turbavit Novatus veterem Ecclesiam. Verum si probe nos omnes excutiamus, plane liquebit tetricos istos censores, qui laudem sanctitatis ex immodica asperitate affectant, nimis erassos esse hypocritas. Nam si deposito fastu suam vitam excuterent, quis eorum purus esset à concupiscentia? & quis non subinde sibi male conscius esset? Prodigiosa ergo cæcitas est, eo perfectionis attollere sese homines carne mortali circumdatos, ut nullius eos vitii aut culpæ coarguat sua conscientia. Et hac diaboli impostura nihil magis pestiferum, eos à spe veniæ excludere qui scientes & volentes peccarunt: quando nemo est vel ex optimis Dei servis, in quo non interdum prævaleant vitiosi carnis affectus. Quamvis enim neque adulteri sint, neque fures, neque homicidæ, nemo tamen est quem non reatu constringat ultimum Legis præceptum, Non concupisces. Et certe quo quisque magis profecit in studio puritatis, eo magis sentit & agnoscit ab ultima ejus meta procul adhuc se distare. Ergo nisi salutis januam data opera nobis claudere velimus, tenendum est, Deum omnibus fore placabilem qui sacrificio Christi culpam sibi remitti confidunt. Neque enim vel muratus est Deus, vel deterior nostra est quam Patrum conditio: atqui sub Lege instituit Deus sacrificia quæ voluntaria quoque delicta expiarent. Sequitur ergo, quamvis culpæ voluntariæ convicti simus, remedium tamen impetrandæ veniæ in Euangelio nobis proponi. Alioqui plusquam lusoriæ essent figuræ veteres, quæ non alio spectarunt nisi ut testimonia essent ac specula ejus gratiæ, quæ nobis demum in Christo exhibita fuit. Si mutuum consensum esse oportet inter externam gratiæ repræsentationem quæ sub Lege fuit, & spiritualem effectum quem attulit Christus, palam apparet non minus hodie remitti nobis peccata quam veteri populo. Et hoc symbolo commoneri fideles, ne de reconciliatione desperent, dum sibi displicent in suis vitiis: quin potius intrepide veniam quærant in perpetuo sacrificio, quod assidue piis omnibus Deum propitiat. Et certe quum pœnitentia & fides certa sint paterni Dei favoris pignora, fieri non potest quin recepti sint in Dei gratiam qui utroque dono præditi sunt. Adde quod remissio peccatorum inæstimabilis est thesaurus quem Deus in Ecclesia sua deposuit, ut esset peculiare filiis suis beneficium: sicuti continet fidei confessio, Credo Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum. Nec vero aliter constaret quod de legatione sibi commissa prædicat Paulus, nisi Deum quotidie fidelibus placaret Christi satisfactio. Jam hic non de levi quolibet delicto agitur, sed de malæ fidei crimine quod perjurii accessione duplicatum fuerit. Perfidia quidem, aut dolus, aut violentia, primo referuntur ad notandam culpæ gravitatem: sed piaculum statuitur proprie in profanatione nominis Dei, ubi injuria homini facta falso jurejurando tegitur. Quicquid sit, ad petendam veniam admittitur, qui & fratrem suum injuste fefellit, & Dei nomine impie abusus est. Unde apparet miseris peccatoribus Deum parcere, quamvis se mala fide contaminaverint, & crimen perfidiæ in homines admissum sacrilegio auxerint, dum pejerando fuerunt in Deum contumelioši. Etsi autem nonnisi octavi præcepti transgressiones commemorat Moses, per synecdochen tamen suo more docet quid in aliis quoque delictis agendum sit. Si quid ergo aut vi ereptum, aut fraude ablatum sit, & simul intercesserit perjurium: jubet non tantum proximo qui fraudatus est satisfieri, sed pretium quoqua placationis offerri Deo. Ratio etiam exprimitur, quia non tantum læsus est mortalis homo, sed Deus quoque offensus, qui vult homines inter se juste & reverenter versari: eumulus deinde sceleri additus est, violando sacrum Dei nomen. Non exigitur quidem sacrificium à fure, vel raptore, vel depositi abnegatore, vel qui rem perditam averterit, nisi pejeraverint. Pondere tamen non carent Mosis verba, Si quis negando depositum, vel furando, vel rapiendo, contra Deum peccaverit: quibus significat, quoties infertur hominibus injuria, in eorum persona Deum offendi: quia omnis Legis transgressio justitiam ejus violat ac pervertit. De restitutione furti vel rapinæ alibi plenius videbimus, præsertim ubi quis fuerit convictus. Hoc unum proprie ad præsentem locum spectat: quisquis fratri suo nocet vel damnum affert, culpam vel reatum contrahere coram Deo: si vero in eam obstinationem prorumpat, ut sacrum Dei nomen falso ad tegendum maleficium prætendat, duplici scelere contaminari: itaque non sufficere jacturæ compensationem, nisi Deo simul litetur. Porro eos intellige qui à metu pœnæ elapsi, sponte tamen resipiscunt. Quod interpretes quidam copulam accipiunt loco disjunctivæ, & perjurium volunt esse quasi speciem unam ex multis, tanquam alienum à

2 *Cor.* 5. *vers.* 20.

Mosis

Moſis ſenſu repudio. Sic exponunt illi, Si quis rapuerit vel furatus ſit, vel falſo juraverit de re per ſe licita. Atqui non video cur ita torqueri verba debeant: deinde refellitur eorum error ipſo contextu, ubi cum ſacrificio conjungitur reſtitutio: quod non ſtaret niſi cum fraude aut violentia pariter conjunctum eſſet perjurium. Nec eos juvat disjunctiva quæ poſtea ſequitur. Poſtquam enim reſtitui juſſit quod vi aut dolo ablatum erat, quia diſtincte non poterant exprimi ſingulæ ſpecies, additur, Aut de quibus falſo juraverit: non quaſi in aliis negotiis contracta fuerit culpa ex perjurio, ſed ut omnes tergiverſandi anſas præcideret. quod etiam confirmat repetitio: ubi enim interpoſuit falſi jurisjurandi crimen, iterum quaſi clarius explicans quod dixerat, jubet ſummam reſtituere cum quinta parte. Quid autem reddere jubet niſi quod jurando ſuppreſſerat fraudator? Cujus rei in octavo præcepto luculentior explicatio videbitur. Itaque ſatisfactio erga homines præcipitur una cum oblatione. Non abs re autem jubet Deus damnum ſarcire quo die offertur ſacrificium, ne ſibi impunitatem promittant hypocritæ, ubi ex alieno ditati fuerint. Licebat quidem ante reddere hominibus quod ſuum erat, quam Deum ſacrificio placare: ſed non vult Deus altare ſuum inquinari, quod fieret ſi victimas offerrent fures vel prædones ex alieno. Vult ergo manus eorum qui ſacrificant, à pollutione eſſe purgatas. Et certe qui ex ſpoliis injuſte partis victimam Deo offerunt, quodammodo eum implicant criminis ſocietate. Atque hinc elicitur utilis doctrina, fruſtra ſatagere hypocritas de reconciliando ſibi Deo, niſi bona fide reddant quod injuſte rapuerint. Interea notanda eſt diſtinctio in verbis Moſis, inter ſatisfactionem erga homines, & oblationem pro peccato quæ Deum propitiat. inde enim colligimus quod dixi, non conſequi veniam apud Deum qui ex præda locupletes manere volunt: & tamen non aliter quam ſacrificio Deum placari. Hujus ſecundæ partis luculenta probatio ex tota Lege ſumi poteſt, quæ unicum reconciliandi Dei modum præſcribit, ubi ſe oblata victima expiat peccator. Unde refellitur diabolicum figmentum de ſatisfactionibus, quibus ſe à judicio Dei redimi imaginantur Papiſtæ. Nam quamvis Deus culpam remiſerit, pœnæ tamen reatum manere volunt, donec propriis operibus ſe peccator liberaverit. In hunc finem fabricarunt opera ſupererogationis, quæ meritoria eſſent ad pœnam redimendam: inde & purgatorium emerſit. Atqui ubi totum Moſen evolveris, & diligenter excuſſeris quicquid de ratione placandi Dei in Lege traditum eſt, reperies Judæos ubique revocatos fuiſſe ad ſacrificia. Jam certum eſt, quicquid ſacrificiis tribuitur, propriis hominum operibus detrahi. Quod ſi Dei conſilium non fuit veterem populum externis ceremoniis affigere, ſequitur nonniſi per unicum Mediatorem, ſanguinis effuſione, ab omni reatu tam culpæ quam pœnæ abſolvi homines, ut recipiantur à Deo in gratiam.

7. *Expiabit eum ſacerdos.*] Ex hac quoque loquendi forma quæ frequenter occurrit, diſcendum eſt, victimam per ſe non fuiſſe redemptionis pretium, ſed in ſacerdotio fundatam eſſe expiationem. Stulte enim & perperam finxerunt in Sacramentis homines quicquam operari: quorum vis & effectus prorſus aliunde manat. Oblatio igitur proprie loquendo, reſpectu hominis paſſiva eſt magis quam activa. Quid hoc valeat, ex Papiſtarum delirio clarius poterit intelligi. Agnoſcere quidem coguntur in Sacramentis homines ſe paſſive habere, quatenus recipiunt oblatam illic Dei gratiam: ſed hanc doctrinam mox pervertunt, fingendo opus operatum, ut loquuntur. Atqui ne populus domo ſe afferre putaret redemptionis pretium, ſubinde inculcat Moſes, proprium eſſe ſacerdotis munus placare Deum, & expiatione peccatum delere. Obſervatu etiam dignum eſt, quod addit Coram Jehova: quia hac particula refutatur profanum commentum, civiliter tantum (ut loquuntur) hoc eſt, coram hominibus, purgatos fuiſſe homines Legalibus ſacrificiis; acſi nulla illic incluſa fuiſſet ſpiritualis promiſſio. Atqui hoc modo nullis externis ſymbolis confirmati fuiſſent Patres in veniæ fiducia; quo nihil abſu dius eſt. ſed una hæc particula tollitur ambiguitas, rubi pronunciat Moſes coram Deo fuiſſe expiatos.

Ex Levit. VI.

8. Loquutus eſt etiam Jehova ad Moſen, dicendo,

9. Præcipe Aharon & filiis ejus, dicendo, Hæc eſt lex holocauſti, (holocauſtum eſt, quod aduritur ſuper altare tota nocte uſque mane, ubi ignis altaris accenſus fuerit in eo)

10. Induet ſe ſacerdos veſte linea, femoralibus item lineis induet ſe ſuper carnem ſuam, tolletque cinerem quum abſumpſerit ignis holocauſtum ex altari, & ponet eum ſecus altare.

11. Poſtea exuet ſe veſtibus ſuis, & induet ſe veſtibus aliis, efferetque cinerem extra caſtra ad locum mundum.

12. Et ignis ſuper altare ardebit in eo, non extinguetur, & accendet in eo ſacerdos ligna quotidie mane, & diſponet ſuper illud victimam holocauſti, adolebitque ſuper illud adipes proſperitatum.

13. Ignis perpetuo ardebit in altari, non extinguetur.

14. Iſta eſt lex minha quam offerent filii Aharon coram Jehova ad altare.

15. Tollet ex ea pugillo ſuo ex ſimila minha, & oleo ejus, & totum thus quod erit ſuper minha: adolebitque ſuper altare odorem quietis, odorem ejus apud Jehoyam.

Ex eodem Capite.

23. Omnis minha ſacerdotis tota cremabitur, non comedetur.

Ex eodem Capite.

24. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

25. Alloquere Aharon & filios ejus, dicendo, Iſta eſt lex hoſtiæ pro peccato, In loco in quo mactabitur hoſtia holocauſti, mactabitur hoſtia pro peccato coram Jehova: quia ſanctificatio ſanctificationum eſt.

Ex

Ex eodem Capite.

30. Omnis autem hostia pro peccato, de cujus sanguine inferetur aliquid in tabernaculum conventionis ad expiandum in sanctuario, non comedetur, igni comburetur.

9. *Præcipe Aharon.*] Distinctius explicat quod poterat videri omissum. nec abs re tam sedulo exequitur singulas partes. Sed quum Deus obedientiam præferat omnibus victimis, noluit quicquam ambiguum manere etiam quoad externos ritus, qui alioqui non erant magni ponderis: ut discerent ad unguem servare exactissima cura quicquid Lex mandabat: nec quicquam à seipsis obtruderent: quia minimis quibusque commentis vitiata fuit sacrorum puritas. Ita nihil populi judicio relinquere voluit, quin certa regula eos dirigeret etiam in rebus minutis. De holocaustis mandat, ne ex altari tollantur nisi jam igne consumpta: sed ex quo imposita fuerint, jubet igne continuo exuri, usque in alterum diem. In buncfinem diferte exprimit, ut ignis fuccendatur in eo tota nocte. neque enim sacrificium aliter in cineres redactum esset, nisi adhibitis fomentis. Secundo jubet sacerdotem linea veste & femoralibus indutum, sicuti ad sacra peragenda fieri solebat, accedere ad altare, inde auferre cinerem, & deponere ad latus vel partem aliquam: ubi autem discesserit ab altari, jubet eum sacras vestes exuere, & cinerem exportare extra castra, ad locum mundum. Sed quod breviter attigerat de lignis supponendis, pluribus statim declarat, ne scilicet ignis extinguatur. Deinde has partes sacerdoti injungit, ut ligna quotidie mane ordinet. Quia autem ex sacrificiis prosperitatum Lex adipem solum exuri jubebat, nunc adjungit Moses eodem igne adipes esse cremandos. Præcipua observatione dignum, quod tandem addit præceptum de igne sic fovendo ne unquam intereat. Eo autem spectavit perpetuitas, ut igne cælesti cremarentur hostiæ: nam quo die initiatus fuit Aharon, non hominum opera, sed miraculo redactum fuit in cineres sacrificium, in signum approbationis. Noluit quidem Deus quotidie virtutem illam exerere: sic tamen interposuit manum & laborem hominum, ut principium sacri ignis è cælo esset. Idem postea contigit Solomoni in templi dedicatione: quia mutatio illa cælestis decreti tesseram flagitabat: ne quis hominum arbitrio factum putaret, ut templi splendor tabernaculum obrueret. Tandem eodem privilegio ornata fuit hostia Eliæ quum abolitum Legis cultum restitueret. Et tunc quoque asseruit Deus quod Lege sua instituerat, contra omnes adulterinos & degeneres ritus. Interea ut omnibus corruptelis occurreret, voluit ignem in altari interdiu & noctu manere: nec fas fuit aliunde petere. Fuit quidem apud Persas, fuit & Romæ sub custodia Vestalium virginum perpetuus ignis: & fieri potest, ut stulta æmulatione ad se transtulerint quem apud Judæos audierant morem servari: sicuti diabolus ad fallendos incredulos plerumque aliquid divinum fallaciter obtendit, nec secus Deum atque hominem imitatur simia. verum Dei consilium fuit, ignem extraneum repudiando, in genuina sua ordinatione & Legis præscripto retinere populum, ne qua hominum figmenta obreperent. Tantundem enim valuit ignis alieni prohibitio, acsi vetiti fuissent homines quicquam suum ingerere, vel addere ad puram Legis doctrinam, vel ab ejus regula declinare. Interea quoniam Deus semel testatus erat, quasi porrecta è cælo manu, sacrificia sibi placere: in eadem fiducia confirmati fuerunt fideles, pignore ignis perpetui.

2 Reg. 18. vers. 30.

14. *Ista est lex minha.*] Vidimus antehac diversas fuisse species hujus oblationis: sed nunc, libis vel placentis omissis, tantum agitur de farina non cocta: ex ea jubet Deus quantum sacerdos pugillo capere poterit, super altare adoleri. Fuit autem hæc lex necessaria, ut certo persuasi essent fideles Deum parte illa oblata rite placari: nec quisquam obstreperet quod major pars apud sacerdotes maneret. Cæterum ne vilesceret sacrificii dignitas, tantum sacerdotibus permissum fuit panes azymos inde conficere, quos in sacrario ederent: sicuti alibi vidimus. Excipitur minha sacerdotis: quod duas ob causas fieri existimo, tum ut muneris præstantia & dignitas, singulari privilegio insignis, sacerdotes magis incitet ad pietatis studium, ne defunctorie & vulgari more in Dei cultu se exerceant: tum vero ut quasi injecto freno, cohibeatur ambitio in minia frequentia. Nam si dispendium fuisset exiguæ farinæ, aperta erat vanæ ostentationi janua: nunquam cessassent minha suum offerre, cujus ad eos fructus rediisset: forte etiam quæstum inde captassent, ut videmus sacrificos Papales, fictæ devotionis pompa allicere simplicem plebeculam ad profusos oblationum sumptus. Ergo ne immodicas oblationes tam ad jactantiam quam ad avaritiam conferrent, voluit Deus eorum minha prorsus consumi.

25. *Alloquere Aharon.*] Videmus ubique quam diligenter caveat Deus ne qua de re populus ambigat. Et certe à falsis imaginationibus discernitur vera religio quasi propria nota: ubi Deus ipse quid agendum sit, præscribit. Nec vero aliunde quam ex ejus ore sumi potest certitudo, in qua tamen fundata esse debet pietas. Porro quia discrimen erat inter holocausta & victimas pro peccato, promptum fuisset separatim diversis locis mactare, nisi errori obviam itum esset. Eximitur autem omnis dubitatio, quando utrisque Deus eundem assignat locum. Unde etiam colligimus, legem unam Deo probe colendo sufficere, si non sibi sapiant homines, sed pendeant ex ore ejus. Nam qui sacrificium est, ut quum inter se differrent duo ista genera, similis hac in parte fuerit eorum ratio, nisi quia sic Deo placuit? Hic ergo locus satis admonet, quanta sobrietate & modestia quod Dei verbo ostenditur, sequi conveniat. Ratio tamen simul additur, quæ reverentiam concliet victimis pro peccato, ubi illis attribuitur præcipua sanctitas, quæ pro usu linguæ Hebraicæ vocatur Sanctitatum. Porro קדשׁ and חטאת, quas voces Latini vertunt Peccatum & delictum, incipit distinguere, quibus indifferenter antehac usus est ad rem eandem notandam. Quid porro interfuerit, nescire me fateor: quid alii comminiscantur video, sed nihil certi.

30. *Omnis autem hostia.*] Exceptio repetitur tam de sacrificiis quorum facta fuit mentio quarto capite, quam de solenni sacrificio quo sacerdos & populus quotannis reconciliabantur. Minori enim sumptu expiabant singuli homines privata sua peccata, & tantum majus altare, quod erat in atrio, sanguine aspergebatur. At si Deum vel populo, vel sibi reconciliabat sacerdos, quo magis seria esset deprecatio, sanctuarium ingrediebatur, ut è regione veli sanguinem funderet. tales victimas nunc iterum totas cremari jubet Deus. Ita hic locus nihil aliud est quam aliorum confirmatio; ubi simile datur mandatum. Unde Apostolus concinna allusione colligit, abolitum esse ciborum discrimen: dicit enim nunc patere nobis interius altare, quod sub Lege erat absconditum; ideoque non amplius vesci Legalibus sacrificiis: imo qui unicus sacerdos noster sanguinem suum in sacrarium intulit, tantum nobis restare, ut post ipsum excamus extra castra.

Hebr. 13. vers. 10.

Ex

Ex Levit. VII.

1. Ista autem est lex hostiæ pro delicto: sanctificatio sanctificationum est.
2. Quo in loco mactabunt hostiam holocausti, mactabunt hostiam pro delicto, & sanguinem ejus sparget super altare per circuitum.
3. Totum vero adipem ejus offeret ex ea, caudam, & adipem operientem intestina.
4. Duos quoque renes, & adipem qui est super illos qui est prope ilia, & fibram super jecur, cum renibus removebit.
5. Adolebitque illa sacerdos super altare oblationem ignitam Jehovæ: oblatio pro delicto est.

1. *Ista autem est lex.*] Nuper confessus sum me non satis tenere quomodo istæ duæ voces חטאת & אשם ioter se differant: ideoque sequutus sum quod vulgo receptum erat, ut dicerem hostiam pro peccato, vel pro delicto. Etsi autem hic in secunda specie eundem ritum quem in priori servari jubet, quædam tamen exprimit quæ nuper omiserat, sicuti de asperione sanguinis per altaris circuitum, de oblatione adipis, & renum, & similibus, quorum ante facta non fuerat mentio. Summa huc tendit, ut eodem ritu & modo tam pro peccato quam pro delicto sacrificent, neque tantillum deflectant à regula sibi tradita.

Ex eodem Capite.

11. Hæc autem est lex sacrificii prosperitatum, quod offeret Jehovæ.
12. Si pro gratiarum actione obtulerit illud, tunc offeret pro sacrificio gratiarum actionis, placentas infermentatas versatas in oleo, & lagana infermentata uncta oleo, & similam frictam una cum placentis illis versatis in oleo.
13. Cum placentis panis fermentati offeret oblationem suam pro sacrificio gratiarum actionis prosperitatum suarum.
14. Offeretque ex eo unum panem, ex omni oblatione oblationem Jehovæ.
15. Caro autem hostiæ gratiarum actionis prosperitatum ejus, in die oblationis ejus comedetur: non relinquet ex eo usque mane.
16. Quod si votum, vel spontaneum fuerit sacrificium oblationis ejus, die quo ille obtulerit sacrificium suum, comedetur, & sequenti die comedetur quod superfuerit ex eo:
17. Quod vero superfuerit de carne sacrificii die tertia, igni comburetur.
18. Si autem comedendo comedatur aliquid de carne sacrificii prosperitatum ejus die tertia, non placebit offerens illud, neque imputabitur illi, abominatio erit: & anima comedens ex eo iniquitatem suam portabit.

Ex Levit. XXII.

29. Quum vero sacrificaveritis sacrificium gratiarum actionis Jehovæ, in acceptationem vestri sacrificabitis.
30. Die ipsa comedetur: non relinquetis usque mane ex eo. ego Jehova.

Ex Levit. XIX.

5. Et quando sacrificaveritis sacrificium prosperitatum Jehovæ, in acceptationem vestri sacrificabitis illud.
6. Die quo sacrificaveritis comedetur, & postridie: quod autem superfuerit usque ad diem tertium, igni comburetur.
7. Quod si comedendo comedatur die tertio, profanum erit, neque placebit.
8. Et qui comederit illud, pœnam iniquitatis suæ portabit: quia sanctitatem Jehovæ polluit: & excidetur anima ipsa è populis suis.

11. *Hæc autem est lex sacrificii.*] Cur hoc genus sacrificii vocarim Prosperitatum, alibi rationem attuli. Cæterum non modo in signum gratitudinis oblata fuisse, sed quum Dei opem implorarent, ex hoc loco & aliis patet. Modis tamen omnibus testati sunt se agnoscere Deum bonorum omnium auctorem: sive oh insigne aliquod beneficium gratias agebant, sive petebant ejus ope liberari à periculis, sive io genere profitebantur suam pietatem, sive vota solvebant, quæ simpliciter & sine conditione fuerunt nuncupata: nam voti conditionalis solutio, gratiarum actio erat. Porro quia Deum in omnibus debito cultu prosequebantur, gratitudinis suæ testimonium dederunt. Hinc merito nomen impositum sacrificiis: quia vel ab eo optabant felices successus, vel quos jam adepti erant, ejus gratiæ ferebaot acceptos: vel in rebus adversis levationem flagitabant, vel de salvis, & integris sibi gratulabantur. Ponit tamen Moses quasi speciem unam ab aliis distinctam, Sacrificium pro gratiarum actione: nempe ubi ex professo de insigni aliqua liberatione gratias agebant: quod non semper fiebat. In hac specie jubet placentas sine fermento frixas in oleo, lagana oleo condita, & similaginem frixam offerri, panem vero fermentatum: ipso deinde oblationis die jubet carnem hostiæ comedi, ne quid reliquum fiat. In votis & spontaneis sacrificiis major conceditur libertas, ut scilicet postridie reliquiis vescantur, modo ne quid servent usque ad tertium diem. In loco quem inserui ex 22. cap. ubi verti, In acceptationem vestri, posset etiam reddi, In beneplacitum: רצון enim vocatur gratuitus Dei favor. Itaque sensus est, Si Deo acceptum esse vultis sacrificium, videte ne quid reliquum maneat ex carne in posterum diem. Alii vero de hominum beneplacito intelligunt, acsi dictum esset, sponte vestra, vel prout libuerit. Et fa-

teor

teor vocem [187] eo ſenſu interdum ſumi: ſed quia eodem capite non aliter poteſt accipi quam pro Dei favore, vel acceptatione, varietatem fugere volui. neque tamen repugno, ſi cui diverſa lectio magis placeat. Verum ſi antitheſin expendant lectores, quum mox additur, Si carn ultra juſtum tempus reſidua maneat, non placiturum Deo ſacrificium, mihi ſubſcribent. Apparet quidem in ea repugnantiæ ſpecies, quia hoc modo Mnſes ſacrificium voluntarium juberet eodem die comedi: Quod tamen non facit, ſi de liberali hominum affectu accipere libeat, hortabitur populum ut hilariter victimas ſuas offerat pro gratiarum actione. Quid tamen mihi probetur, oſtendi: ac tunc quoque facilis erit conciliatio. Neque enim Dei beneplacitum æqualitatem exigit: neque ut grati ſint, eundem modum tenere neceſſe eſt. Verum in acceptationem ſui offerre dicuntur, ubi nihil vitii admiſcent, ſed pure & rite offerunt. Jam ſi cauſa diſcriminis quæritur, mihi non magis liquet, quam varietatis inter panem & lagana vel placentas. Certum quidem eſt, Deo fuiſſe cauſam cur remiſſius vel ſtrictius ageret: verum curioſius hodie inquirere de rebus incognitis, & quæ ad pietatem nihil conducunt, neque rectum eſt, neque expedit.

16. *Quod ſi votum.*] Paulo ante admonui votum hic intelligi non conditionale, ſed ſimplex: quia ſi quis voti damnatus eſſet, gratiarum actionem ſolvebat. Ita ejuſmodi ſacrificium ſub prima ſpecie comprehenſum eſſet. Id vero abſurditate non careret, res ſimiles inter ſe diſtingui quaſi diverſas. Verum quia multi gratuitn vovebant, hoc genus ſacrificii ſpontaneo conjungit Moſes, ut ſint in eodem ordine. Dictum etiam fuit carnes ſacratas diutius nnn fuiſſe ſervatas, ne ſi rancidæ eſſent vel putrefactæ, vileſceret religio. Forte etiam correcta fuit ambitio: quia ſi permiſſum fuiſſet carnes ſale maceratas comedere, multi ſe oſtentaſſent abſque diſpendin. Frenum ergo injecit Deus, ut parcius & reverentius ſacrificia ſua offerrent. Pœna additur, gratum non fore ſacrificium Deo, ſed potius abominabile: inde reos fore quicunque comederint. Porro quum dicit Moſes, nnn imputari polluta ſacrificia, inde colligendum eſt, quæ rite nfferuntur venire in rationem coram Deo, ut tanquam inter res ſibi expenſas referat. Neque tamen merita imaginari convenit quæ ipſum obſtringant, ſed qoia tam liberaliter nobiſcum agere dignatur, ut nullum quod ei præſtamus officium ſit inutile.

Ex Levit. VII.

19. Et caro quæ contigerit ullum immundum, non comedetur, ſed igni comburetur: at carnes illas omnis mundus comedet.

20. Nam anima quæ comederit carnes de ſacrificio proſperitatum quod eſt Jehovæ, & immunditia ejus fuerit ſuper ipſum, tunc excidetur anima illa è populis ſuis.

21. Anima item quum tetigerit quicquam immundum, nempe de immunditia hominis, aut animal immundum, aut omne reptile immundum, comederitque de carnibus ſacrificii proſperitatum quod eſt Jehovæ, tunc excidetur anima illa è populis ſuis.

22. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

23. Alloquere filios Iſraël, dicendo, Omnem adipem bovis, & agni, & capræ, non comedetis.

24. Adeps quidem cadaveris, & adeps rapti parabitur in omne opus, ſed comedendo non comedetis illum.

25. Nam quicunque comederit adipem animalis ex quo offeret oblationem ignitam Jehovæ, tunc anima quæ comederit, excidetur è populis ſuis.

Ex eodem Capite.

28. Loquutus eſt inſuper Jehova ad Moſen, dicendo,

29. Loquere ad filios Iſraël, dicendo, Offerens ſacrificium proſperitatum ſuarum Jehovæ, afferet oblationem ſuam Jehovæ de hoſtia proſperitatum ſuarum.

30. Manus ejus afferent oblationes ignitas Jehovæ: adipem cum pectuſculo afferet, pectuſculum quidem ad agitandum illud agitatione coram Jehova.

31. Adolebit vero ſacerdos adipem ſuper altare.

Ex eodem Capite.

37. Hæc eſt lex holocauſti minhæ, & ſacrificii pro peccato, & ſacrificii pro delicto, & conſecrationum, & ſacrificii proſperitatum:

38. Quam præcepit Jehova Moſi in monte Sinai, die quo præcepit filiis Iſraël ut offerrent oblationes ſuas Jehovæ in deſerto Sinai.

19. *Et caro quæ contigerit.*] Nulla quidem carne polluta licebat veſci, ſed in ſacrificiis ſpecialis ratio erat, quia immundities ſacrilegio erat implicita: hac ratione comburi jubet, ſicuti quod intra legitimum tempus conſumptum non fuerat. Pœna edicitur, ut quiſquis immundus carnem ſacram attigerit, excidatur à populo. Cujus atrocitas vel immodicus rigor quoſdam induxit, ut excindi non aliud eſſe putarent quam ejici extra caſtra. Atqui mirum non eſt Deum tam graviter in eos animadverriſſe qui ſcientes & volentes contaminabant quod ſanctum erat: neque enim ſi quis errore lapſus erat, hac ſententia damnatus fuit, ſed qui impia ſacrorum profanatione apertum Dei contemptum prodiderat.

23. *Alloquere filios Iſraël.*] Quoniam in omnibus ſacrificiis adeps ſanctus erat Deo, & adolebatur ſuper altare, populum ſuum adipe veſci Deus vetuit, etiam in cibis vulgaribus, ut dnmi quoque religionem colerent. Fuit enim haud dubie hoc pietatis exercitium, ut qui procul aberant à templn, ſeſe tamen in quotidiano victu aſſuefacerent ad Dei cultum. Nec me latet quibus allegoriis ludant nonnulli interpretes, ſed in ratione divinitus tradita libenter acquieſco: quia adipem ſibi Deus addixerat, ab illius eſu prohibitum fuiſſe populum. Interea

terea adipem cadaveris, vel animalis lacerati, ad quemlibet usum accommodare lex permittit, modo abstineant ab adipe eorum animalium quæ rite offerri poterant.

37. *Hæc est lex holocausti.*] Hac clausula significat Moses provisum fuisse ne quid adventitium obreperet ex hominum commentis ad vitianda sacrificia: quo die, inquit, sacrificia sibi offerri instituit Deus in monte Sinai, nihil omisit observatu dignum, ne quid aggredi auderent homines nisi ex ejus præscripto. Et certe quum ita sedulo complexus fuerit omnes ceremonias, inde colligere promptum est quantopere fugienda sit temeritas, & quicquam fingendi audacia. Consilium itaque Moisi fuit, hac brevi admonitione populum ad modestiam hortari, ne metas à Deo positas transiliret.

Ex Numer. XV.

1. Loquutus est autem Jehova ad Mosen, dicendo,
2. Loquere ad filios Israël, & dicas eis, Quum ingressi fueritis terram habitationum vestrarum quas ego daturus sum vobis:
3. Et facere voletis oblationem ignitam Jehovæ, holocaustum vel sacrificium, ut solvatis votum aut sponte vestra, aut in solennitatibus vestris, ut faciatis odorem quietis Jehovæ de bobus aut ex pecudibus:
4. Tunc offeret offerens oblationem suam Jehovæ pro minha similæ, decimam partem mistam cum quarta parte olei.
5. Et vini pro libamine quartam partem hin facies super holocaustum, aut ultra sacrificium pro agno uno.
6. Aut pro ariete facies minham similæ duas decimas permistæ cum olei tertia parte hin.
7. Et vini pro libamine tertiam partem hin offeretis in odorem quietis Jehovæ.
8. Quod si facere vules juvencum in holocaustum, aut sacrificium ad solvendum votum, aut sacrificia prosperitatum Jehovæ:
9. Offeres una cum juvenco minham, similæ tres decimas permistæ cum olei dimidia parte hin.
10. Et vinum offeres pro libamine dimidiam partem hin: oblationem ignitam odoris quietis Jehovæ.
11. Sic facies bovi uni, aut arieti uni, aut fœtui tam de ovibus quam de capris.
12. Juxta numerum quem facietis, sic facietis singulis juxta numerum illorum.
13. Omnis civis faciet sic ista ut offerat oblationem ignitam odoris quietis Jehovæ.
14. Et quum peregrinatus fuerit apud vos peregrinus, aut quicunque est in medio vestri per generationes vestras, fecerit que oblationem ignitam odoris quietis Jehovæ: quemadmodum facietis, sic faciet.
15. O congregatio, statutum unum erit vobis & peregrino qui peregrinatur apud vos: statutum inquam perpetuum per generationes vestras: sicut vos sic & peregrinus erit coram Jehova.
16. Lex una & norma una erit vobis & peregrino qui peregrinatur apud vos.

1. *Loquutus est autem.*] Partim eadem nunc præcepta breviter attingit, de quibus magis distincte & copiosius disseruit in Levitico, partim quæ obscurius & sparsim dixerat in unum locum colligit. Neque enim certam adhuc regulam tradiderat de accessionibus minha olei & vini: sed quæ ad certas species accommodaverat, nunc generaliter servari jubet: quæ autem exacte tractaverat, nunc levius transcurrit. Neque tamen omnia persequitur, sed tantum vetat ne sacrificia offerantur sine farina, vini libamine, & oleo. Visum alibi fuit, Deum in sacrificiis & oblationibus, quo populi ruditati consuleret, suscepisse quodammodo hominis personam, acsi familiariter illic epularetur. Quo sensu alibi sacrificia cibum suum appellat: non quod vitæ adminiculis indigeat qui à seipso vita est & qui vitam omnibus inspirat; sed quia nisi ad homines descendat, sursum attollere non potest eorum animos. Cæterum quia ex altera parte periculum erat ne multas inanes & supervacuas pompas induceret populus (quemadmodum videmus in sacris epulis Gentes immodice & stulte fuisse curiosas, acsi Deum oblectarent lautitiæ) præscribitur uniusquisque rei mensura, ne quid pro arbitrio comminisci audeant. Probabilis autem conjectura est, quod satis clare traditum fuerat rursus fuisse memoriæ mandatum. Sed quoniam ea ratio non exprimitur, tenere sufficiat quod aliquoties dictum fuit: quamvis res sint levis momenti cetemoniæ, diligenter tamen oportuisse legitimas ab adulterinis discerni, ut obviam iretur hominum lasciviæ, qui alioqui fermentum suum miscere non desinerent. Summa hujus loci est, ut tam in sacrificiis solennibus quæ Lex exigit, quam in voluntariis proportionem observent: de qua alibi vidimus.

14. *Et quum peregrinatus.*] Peregrinos intelligit non quoslibet, sed qui oriundi à profanis gentibus Deo nomen dederant, atque ita recepti fuerant in corpus Ecclesiæ: nam hospites qui retinebant præputium, sua immundities arcebat à cultu Legali. Porro cur unam & eandem formam servari voluerit Deus, existimo duas fuisse causas: ut alacrius pietatis exercitia susciperent advenæ qui nuper fuerant cooptati, quum viderent se in eodem locari gradu cum filiis Abrahæ: deinde ne si discrimen aliquod fieret, statim obreperent vitiosæ mixturæ. Ergo ne præpostera æmulatione paulatim corrumperetur cultus Dei puritas, varietati quæ huc & illùc abstrahere solet homines, clausa fuit janua.

Ex Levit. XXII.

17. Loquutus est præterea Jehova ad Mosen, dicendo,
18. Alloquere Aharon & filios ejus, & omnes filios Israël, & dicas illis, Quicunque

è domo Iſraëlis, & è peregrinis Iſraël obtulerit oblationem ſuam pro omnibus votis ſuis, & pro omnibus oblationibus ſpontaneis ſuis, quæ obtulerit Jehovæ in holocauſtum:

19. In acceptationem veſtri offeretis immaculatum maſculum ex bobus, ex agnis, & ex capris.

20. Omne in quo fuerit macula, non offeretis: quia non erit in acceptationem pro vobis.

21. Vir autem quum obtulerit ſacrificium proſperitatum Jehovæ ad ſolvendum votum, vel ad voluntarie offerendum, ex bobus, vel ex ovibus, immaculatum erit in acceptationem, nullum vitium erit in eo.

22. Cæcum, aut fractum, aut conciſum labiis, aut verrucatum, vel ſcabioſum, vel impetiginoſum, non offeretis iſta Jehovæ: neque oblationem ignitam dabitis ex his ſuper altare Jehovæ.

23. Bovem quidem & pecus ſuperfluum aut diminutum, pro oblatione voluntaria facies: at pro voto non placebit.

24. Concuſſum & contuſum, ruptum & exciſum non offeretis Jehovæ: in terra veſtra non facietis.

25. De manu autem alienigenæ non offeretis panem Dei veſtri ex omnibus iſtis: quia corruptio eorum eſt in ipſis: macula eſt in eis, non accepta erunt pro vobis.

Ex Deut. XVII.

1. Non ſacrificabis Jehovæ Deo tuo bovem, aut agnum, in quo fuerit macula, aut quidpiam vitii, quia abominatio Jehovæ Dei tui eſt.

1. *Loquutus eſt præterea.*] Clarius nunc docet, & copioſius proſequitur quod ante aliquoties perſtrinxerat, nefas eſſe Deo offerre animal mutilum, vel debile, vel alio modo vitioſum. Porro illa externa integritas veterem populum admonuit, Deum perperam coli ex dimidia parte, quia cor duplex abominatur: ſimul hoc ſymbolo oſtenſa fuit perfecta ejus hoſtiæ puritas, qua tandem reconciliandus erat Deus. Scimus quantum ſibi licentiæ indulgeat mundus in cultu Dei: quamvis enim leviter & contemptim nugas tantum quaſi puero obtrudat, probe tamen ſe defungi arbitratur. Hinc fit ut ſordibus quibuslibet pretium arroget, ac perinde exultet in meris Dei ludibriis, acſi eum teneret ſibi obſtrictum. Hujus tam ſupinæ ſecuritatis clarum hodie exemplar cernitur in Papatu, ubi non minus licentioſe Deo illudunt quam ſi negotium eſſet cum trunco ligni. Ut alia innumera omittam, quid ſuperbia hac magis prodigioſum, quando preces ſuas murmurando, vagantur mente, non tantum per evanidas ſed etiam perverſas imaginationes, fingere tamen meritoriam eſſe finalem, quam vocant, intentionem, ac Deo probari? Sacrifico propoſitum erit, divinas preces ex breviario recitare: vix tribus verbis conceptis, animus ejus inter patinas verſabitur: nunc ad pocula, nunc ad luſum aleæ, vel alias oblectationes diſcurret: interea velut ſoluto penſo, jactabit ſe cultum Deo præſtitiſſe. Huic itaque vitio ut occurreret Deus, præcepit hoſtias omni macula puras ſibi offerri. Inde acerba ejus expoſtulatio apud Malachiam, quod altare polluerent Judæi, ac menſam contemptibilem cenſerent, quum dicebant cæcas victimas, claudas, & ægras non eſſe malas. Offer, inquit, tale quid Ducituo, & vide an ſuſcipiat faciem tuam: non quod Deus pinguedinem adipis, vel ſaginam, vel ſuccum, & vigorem moratus ſit in animalibus; ſed quia inde apparuit negligi, imo petitus contemni veram pietatem. Tenemus ergo rejectas fuiſſe omnes vitioſas hoſtias, ut ſincero affectu ac ſerio diſcerent Iſraëlitæ ſe totos conſecrare Deo, non autem cum eo pueriliter ludere, ut ſæpe fieri ſolet. Alibi quidem vidimus, repudiari à Deo omnem immunditiem: ſed tenendum eſt, duo ad legitimum cultum requiri, ut omni macula purgatus ſit qui ad Deum accedit, deinde ut nihil offerat niſi purum ab omni labe & perfectum. Quod dicit Solomon victimas impiorum eſſe abominationem, verum eſt, quamlibet pingues ſint ac ſplendidæ. Sed ut quæ à bonis offeruntur placeant Deo, alterum quoque accedere neceſſe eſt, ne maligna & reſtricta, vel manca ſit oblatio: deinde hoc ſymbolo (ut nuper dixi) directi fuerunt ad Chriſtum, extra quem nuſquam reperietur integritas quæ Deo ſatisfaciat.

Prov. 11. *verſ.* 20.

Mal. 2: 5.

Prov. 15. *verſ.* 8.

19. *In acceptationem veſtri.*] Vertunt, quidam, Sponte veſtra: ſed repugnat contextus. Moſes enim eodem ſenſu nunc verbum רצוֹן ponit, quod non poteſt niſi ad Dei favorem referri: quod vulgo beneplacitum dicitur. Deinde ſicuti hoc loco compoſite dicit לרצונכם, ita paulo poſt ſubjicit לראון לכם, ubi denunciat non fore illis in acceptationem mutilam hoſtiam, quia à Deo reſpuetur. Summa igitur eſt, ſi cupiant Deo probari ſuas oblationes, cavendum eſſe ne quid vitii ſit admiſtum. Quanquam ſi quis gratuitum favorem exprimi velit beneplaciti nomine, libenter admitto: quandoquidem non aliter placent Deo noſtra officia, niſi quatenus pro paterna ſua indulgentia, pretium quo minime digna ſunt tribuere dignatur. Interea tamen diſcamus non eſſe cum Deo ludendum, ſed integro & ſincero affectu ſic colendum eſſe ut ejus beneplacito reſpondeant noſtra ſacrificia. Hinc etiam tam ſecura cultus ejus profanatio, quia non ſatis reverenter expendimus quid ejus perfectioni reſpondeat. Certum quidem eſt nihil poſſe à nobis proficiſci omni ex parte purum: ſed aſpiremus ſaltem quo decet, ac gemamus ſtudium noſtrum longe à ſuo fine diſtare, ut quod nobis deeſt, Chriſtus gratia ſua ſuppleat: neque enim dubium eſt, modo ſacrificia noſtra veræ ſint regenerationis fructus, quin eorum maculas ſuo ſanguine abſtergat.

23. *Et bovem, & pecus ſuperfluum.*] Exceptio hic ponitur in ſpontaneis oblationibus: illic enim animal vel puſillum, vel cujus membrum contractum erit, vel juſtum modum excedet, non repudiat Deus. Et certe ubi quis neque voto, neque alia neceſſitate obſtrictus eſt, major debet eſſe libertas. Tenendum tamen eſt nullam victimam Deo probari quæ vitio notabili laboret.

25. *De manu autem alienigenæ.*] Hic vetat Deus victimas ejuſmodi, vel ab externis emptas ſibi offerri: quanquam Hebræi diverſum ſenſum fabricarunt, ne ab extraneis quidem recipienda eſſe ſacrificia quæ ab ipſis Eccleſiæ filiis offerri non licebat. Cæterum quia prorſus à ſacris oblationibus Lex arcebat gentes immundas, excogitanda adhuc fuit ſolu-

tio

tio hujus nodi. Volunt itaque alienigenas vocari, qui obſervant præcepta filiorum Noë: nempe qui Deum bene dicunt, nec ſe contaminant inceſtu, abſtinent ab effuſione ſanguinis humani, & rapinis, & idola non adorant. ſed repugnat contextus, quia in fine ſubjicit Moſes, non accepta fore Deo hujuſmodi ſacrificia pro ipſis Judæis: quod non conveniet ſi Gentes ipſæ offerant. Videtur ergo mihi confirmatio eſſe ſuperioris doctrinæ, per modum occupationis poſita: videri enim poterat tolerabilis oblatio, ſi animal quamvis mutilum, pecunia tamen emiſſent. Atqui pronunciat Deus, quod fas non erat ex propriis caulis educere, nihilo magis probari ſi pretio comparatum fuerit, quia vitium ſemper displiceat. Neque hoc ad proximum membrum reſtringo, ſicut illi: acſi ſermo eſſet tantum de animalibus caſtratis, vel quibus contuſi ſunt teſticuli: ſed verrucas etiam & impetiginem & alia vitia ſimul comprehendo. Jam quo plus ponderis habeat prohibitio, iterum ſacrificia vocat panem Dei. non quod Deus qui fons vitæ eſt, cibo indigeat: vel quod carne corruptibili veſcatur, quum ſit ſpiritus æternus: ſed quo majore diligentia ſtudeant homines ſacra rite peragere, in quibus familiariter ad Deum accedunt. Quod ſi Principi terreno cibum fœtidum vel corruptum obtrudere nemo auderet, multo minus tolerabile eſt menſam Dei ullis vitiis coinquinare.

Ex Deut. XXIII.

18. Non offeres mercedem meretricis, nec pretium canis in domum Jehovæ Dei tui, pro quocunque voto: quia abominatio Jehovæ Dei tui utrumque eſt.

18. *Non offeres.*] Hoc mandatum ſuperioribus affine eſt, quia Deus quicquid partum eſt illicito & turpi quæſtu repudiat, colendam in ſacris ſammam caſtitatem docet: nec ſolum rejicit pretium meretricis, ſed etiam canis, ne ſanctitas altaris ulla impura oblatione polluatur. Quanquam videtur canis præ aliis animalibus rejici ob contemptum: nam ſuem immolare perinde nefas fuit ac caſtem, pretium tamen ſuis offerre licuit. Ergo canis non modo tanquam impurum animal, ſed tanquam vile & abjectum rejicitur. In ſumma, commendat Deus templi & altaris ſui reverentiam.

Ex Levit. XXII.

26. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

27. Bos, vel agnus, vel capra, quum natus fuerit, erit ſeptem diebus ſub matre ſua: à die autem octavo & deinceps, placebit in oblationem ſacrificii igniti Jehovæ.

28. Bovem autem, vel pecudem, & filium ejus non mactabitis die una.

Ex Exodi XXII.

30. Erit primogenitum animal ſeptem diebus cum matre ſua: die autem octavo dabitis illud mihi.

Ex Exodi XXIII.

19. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.

Ex Exodi XXIV.

26. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.

Ex Deut. XIV.

21. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.

Levit. 22. 27. *Bos, vel agnus.*] Vetat Deus teneros fœtus ſtatim ab utero trahi ad altare, non modo quia proclive fuiſſet hoc exemplum à ſacrificiis traducere ad communem victum: ſed etiam quia fraudulenta fuiſſet oblatio. Vidimus ſacrificia vocari Dei panem, quo liberalius ſe gerant homines, nec immolent macilentas victimas. Mactare vero fœtum ab utero recentem, ſignum fuiſſet contemptus: quanquam humanitatis etiam habita fuit ratio, ne talibus ſacrificiis veſcendo, ad barbariem aſſuefierent. Dies autem octavus præſcribitur, quo legitima eſſe incipiat victima. Ratio quam nonnulli aſſignant, vereor ne ſit nimium arguta, perfectum ſeptem diebus reddi animal, quia Deus ſeptem diebus mundi creationem abſolverit. Adde quod hac ratione ſeptimus dies idoneus eſſet ad ſacrificandum: quia ſex diebus complevit Deus omne opus ſuum, ſeptimus vero ad ejus cultum conſecratus fuit. Mihi ſatis eſt ætatis maturitatem fuiſſe ſpectatam, non ſecus atque in Circumciſione.

28. *Bovem aut pecudem.*] Immanitas quidem hoc præcepto damnata fuit: non tamen dubito Moſen de ſacrificiis proprie loqui. Fateor verbum שוֹר quo utitur, eſſe generale: ſed quum per totum caput de ſacrificiis ex profeſſo differat, & huic ſententiæ continuo addatur clauſula, Ut ſanctificent nomen Dei, contextus poſtulat ut dicamus commendari puritatem in Dei cultu. Si cui latius extendere placeat, non contendo: atque ita hæc ſententia appendix eſſet ſexti præcepti. Sequutus tamen ſum quod magis erat probabile: & mihi ut ſpero ſani judicii lectores ſubſcribent. Interea fateor feritatem omnem & ſævitiam arceri à Dei ſacrificiis, & in ipſis regulam ſtatui, ne homines in quotidiano victu crudeles ſint. Spectaculum eſt manſuetis ingeniis minime jucundum, matrem jugulare cum ſuo fœtu: id ſi conſuetudine receptum fuerit, facile homines ad promiſcuas cædes obdureſcent. Ergo pietatis exercitia voluit Deus non aliena eſſe ab humanitatis officiis: & huc tendit mandatum, ne Dei altare cyclopica ſit carnificina.

Exodi 23. 19. *Non coques hœdum.*] Triplex mandati repetitio admonet de re ſeria verba fieri. Atqui leve eſt ac pene frivolum quod volunt quidam, vetari edulium minus ſalubre. Judæi vero finem non ſpectantes, ut in nugis puerilibus ſanctimoniam affectant, non audent cum carne vel bœdina vel agnina caſeum guſtare, donec bene perfricuerint ſuos dentes. Ego vero non dubito quin hæc probibitio ad ſacrificia pertinoat, quia primo loco conjunctim ſubjicitur primitiarum oblationi. Secundo etiam ita legitur, Adduces in ſanctuarium Dei tui

maturos terræ fructus, nec coques hœdum in lacte matris ſuæ: ſimiliter tertio loco, Non comedes cadaver, quia populus ſanctus es Deo tuo, nec coques hœdum in lacte matris ſuæ. Fateor quidem Moſen aliquando præcepta miſcere de rebus diverſis: verum perpetuus ille contextus evincit, præceptum hoc inter cæremonias referri: atque ita cenſeri partem Legalis cultus. Unde ſtatuo non tantum interdici ne populus veſcatur tali edulii genere, perinde acſi carnem vorarent ſanguine imbutam: ſed na illa immani miſtura ſacrificia contaminent. Probabile autem eſt carnes lacte conditas fuiſſe in deliciis: ſed quia obrepere poterat feritas, ſi agnum vel hœdum comederent in matris lacte, vetuit Deus ſibi offerri quod ne in communi quidem victu erat tolerabile. Quod exponunt quidam hœdos excludi à menſis, donec ablactati fuerint, alienum eſt à ratione: quia tunc hircum ſubolere incipiunt. Verum optime convenit illa ratio, Deum in ſacrificiis ſuis non admittere portentum: ut caro teneri fœtus coquatur in lacte matris, tanquam in ſuo ſanguine.

Appendices politicæ ſecundi præcepti.

Ex Exodi XXIII.

24. Deſtruendo deſtrues eos, & confringendo confringes ſtatuas eorum.

Ex Deut. XII.

1. Hæc ſunt ſtatuta & judicia quæ cuſtodietis, ut faciatis in terra quam daturus eſt Jehova Deus patrum tuorum tibi, quo poſſideatis eam omnibus diebus quibus vos vivetis ſuper terram illam.

2. Deſtruendo deſtruetis omnia loca in quibus ſervierunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, diis ſuis, ſuper montes excelſos, & ſuper colles, & ſub omni arbore frondoſa.

3. Diruetiſque aras earum, & ſtatuas earum confringetis, lucos earum comburetis igni, & ſculptilia deorum earum concidetis, abolebitiſque nomen earum ex ipſo loco.

Ex Exodi XXXIV.

13. Aras eorum diruetis, ſtatuas eorum confringetis, lucoſque eorum ſuccidetis.

Ex Deut. VII.

5. Sic facietis eis: altaria eorum deſtruetis, & ſtatuas eorum confringetis, lucoſque eorum ſuccidetis, ac ſculptilia eorum comburetis igni.

Ex Numer. XXXIII.

52. Deſtruite omnes ſtatuas eorum, & omnes imagines conflatiles deſtruite, & omnes aras eorum diſſipate.

Ex Deut. XVI.

21. Non plantabis tibi lucum quarumvis arborum apud altare Jehovæ Dei tui, quod facies tibi.

Exodi 23. 24. *Deſtruendo deſtrues.*] Fateor quidem has appendices partim quadrare & aptari poſſe primo præcepto: ſed quia ubique expreſſa ſit idolorum mentio, locus hic viſus eſt commodior. Poſtquam autem docuit Moſes quod obſervatu neceſſarium erat, quo diligentius ſibi populus caveat, politicam legem addit de frangendis ſtatuis & diruendis altaribus. Differunt autem hi loci à ſuperioribus: quia hacteous ſuperſtitiones damnando quæ per ſe vitioſæ ſunt, præſcripſit Deus quod volebat ſervari uſque ad mundi finem. Nunc temporalibus exercitiis confirmat doctrinam illam, ut populum veterem in officio contineat. Neque enim nobis hodie religio eſt, templa retinere quæ polluta fuerunt idolis, & accommodare in meliorem uſum: quia nos non obſtringit quod propter conſequentiam (ut loquuntur) Legi additum eſt. Fateor quidem quæcunque ad ſuperſtitionem fovendam ſpectant, è medio tollenda eſſe, modo ne præciſe urgendo quod per ſe medium eſt, ſimus in nimio rigore ſuperſtitioſi. Summa porro huc tendit: quo melius pateat quantopere deteſtetur Deus idololatriam, velle eorum omnium memoriam aboleri quæ ſemel dicata ſunt idolis. Secundus locus fuſius explicat quod in primo breviter attigerat Moſes. Nam ſub voce Statuæ comprehenderat quæ poſtea recenſet idololatriæ inſignia; quibus terram ita purgari jubet, ut nullæ appareant reliquiæ. Quod autem dicitur, Quum veneris in terram, ut poſſideas: ex his verbis prudenter colligit Auguſtinus, non mandari quibuslibet privatis ut ſuperſtitionis inſtrumenta diruant: ſed hac auctoritate armari vel inſtrui populum, ex quo terra potitus, curam ſuſtinet ordinandi publici ſtatus. Tertius locus brevior eſt, quia tantum tres enumerat ſpecies: quartus addit ſculptilia. Quintus autem lucos omittit, ac eorum loco ponit imagines, vel repræſentationes ex materia conflata factas. ubi notandum eſt quod alibi attigimus, nomen ſtatuæ interdum ſumi in bonam partem: ideoque exiſtimant Judæi, quod Patribus ante Legem permiſſum fuerat, nunc vetari. Mihi tamen magis probabile eſt, ſtatuas nunc damnari, non qualem erexit Jacob, ut eſſet monumentum duntaxat, ſed qua putabant Deum figurari. Alii Titulos vertunt, alii Picturas: quam apte, relinquo judicium lectoribus. Adjungit imagines: quod nomen licet per ſe vitioſum non ſit, merito tamen repudiatur quoad Dei cultum. Homo eſt imago Dei: hanc enim eandem vocem uſurpat Moſes ubi narrat hominis creationem. Verum ulla figura Deum repræſentare apud quam colatur, nihil aliud eſt quam ejus gloriam corrumpere, atque adeo ipſum transfigurare. Cæterum fuſiles vocando, non admittit ſculpturas vel picturas: ſed quia ut plurimum conflantur ex pretioſa materia, diſerte cavendum fuit ne deos aureos vel argenteos populus ſervaret in ornamentum.

Deut. 16. 21. *Non plantabis.*] Hanc quoque par-

que partem esse secundi præcepti ex fine liquet. Scimus profanis gentibus sacros fuisse lucos, ut nulla fere religio justam apud eos veoerationem haberet absque umbra arborum. Itaque ne similitudo cum illo communi usu vitiaret purum Dei cultum, interposita fuit distantia. Huc ergo tendit prohibitio, ut fugiant Judæi omnes adventitios ritus: ne si propius ad Gentes accedant, fiat vitiosa commistio. Porro quam necessaria fuerit prohibitio, ex fervida æmulatione apparet, cujus passim in sacra historia fit mentio. Vix enim ullum fuit tempus quo abstinuerint ab excelsis. Nec temere exprobrant Jesaias & Jeremias, sub omni arbore frondosa scortatos esse. *Jesa. 57. Jer 2:20. & 3:6.*

Ex Exodi XXXIV.

11. Custodi quod ego præcipio tibi hodie. Ecce ego ejiciam à facie tua Amorrhæum, Chananæum, Hittæum, Pherezæum, Hivæum, & Jebusæum.

12. Cave tibi ne forte percutias fœdus cum habitatoribus ejus terræ ad quam ingressurus es, ne forte sint in laqueum vel offendiculum in medio tui.

Ex eodem Capite.

15. Ne forte percutias fœdus cum habitatoribus ejus terræ, ut scortentur post deos suos, & sacrificent diis suis: vocet autem te quispiam, & comedas è sacrificio ejus.

16. Et forte accipias è filiabus ejus filiis tuis, & scortentur filiæ ejus post deos ipsarum, & scortari faciant filios tuos post deos earum.

Ex Deut. VII.

1. Quum introduxerit te Jehova Deus tuus in terram ad quam ingredieris possidendam, & avellerit gentes multas à facie tua, Hittæum, Gergasæum, Amorrhæum, Chananæum, Perizæum, Hivæum, & Jebusæum, septem gentes multas & robustiores te:

2. Et tradiderit eas Jehova Deus tuus coram te, & percusseris eas: perdendo perdes eas: non inibis cum illis pactum, neque misereberis earum.

3. Non junges te affinitate cum eis, filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non accipies filio tuo.

4. Avocabit enim filium tuum à me, & colent Deos alienos: unde irascetur furor Jehovæ in vos, ut disperdat te cito.

Ex Exodi XXIII.

31. Dabo in manum vestram habitatores terræ, & expelles eos à facie tua.

32. Non percuties eum ipsis fœdus, nec cum diis eorum.

33. Non habitabunt in terra tua: ne forte peccare faciant te contra me quando colueris deos eorum, quod erit tibi in offendiculum.

Exodi 34. 11. *Custodi quod ego præcipio.*] Hæ quoque appendices tametsi communiter ad primum & secundum præceptum pertinent, in hunc locum differendæ fuerunt: quia in illis remedium adhibuit Deus externis & manifestis omoibus superstitionibus, quæ facile obrepere poterant nisi mature obviam itum fuisset. Ut nemo aliunde impellat, quisque ad idololatriam cupide prosiliet: ubi autem impii accedunt quasi flabella (quod fieri necesse est dum se eorum societate implicat Dei populus) magis ac magis accenditur morbus ille. Certe quæ cum illis intercedit propior necessitudo, quasi jugum est quo secum alios trahunt. Ergo ut populus terram ingressus purum se & integrum Deo servaret, cavendum fuit ne quas sordes contraheret à reliquis gentibus: ideo voluit Deus omnes incolas terræ Chanaan penitus deleri, ne electum populum ad suos errores, & falsorum deorum cultum allicerent. Duas autem fœderis species hic interdicit Deus, ne vel publice vel privatim se conjungant: tandem omnes absque venia interfici jubet. Quantum attinet ad fœdus publicum, speciali ratione vetitum fuit ne se reprobis miscerent filii Abrahæ: quia hoc modo se privassent legitima hæreditate quæ divinitus ipsis destinata erat: nec renovata fuisset terræ facies purgatis omnibus inquinamentis. Quoniam ergo justo judicio pridem statuerat Deus gentes illas perdere, nefas fuit filiis Abrahæ rescindere cæleste decretum, vel quicquam ex eo mutare. Itaque si quis præcise urgeat, non licere ullum cum impiis fœdus percutere, quia id olim Deus vetuit: non bene ratiocinabitur, quia nobis hodie ann præcipit Deus vindictam exequi, impios omnes è vita tollendo: sicuti nec Ecclesiæ assignata est certa regio in qua seorsum habiter ac dominetur. Neque tamen inficior, aliqua ex parte ad nos spectare quod veteri populo mandatum est. Imo diligenter notandum est quod nuper attigi, qui sponte impiis se conjunguot quasi jugum subire quo in exitium trahantur. Et certe hac similitudine complexus est Paulus rationes omnes quibus se in familiaritatem nostram insinuant increduli, ut suis corruptelis nos illaqueent. Itaque quoad fieri potest solvenda sunt potius omnia conjunctionis vincula, quam ut ad Dei hostes accedendo, sinamus nos eorum illecebris ab ipso abduci: semper enim quibuscunque poterunt artificiis divortium inter nos & Deum facere tentabunt. Adde quod si cupimus fideliter Deum colere, perpetuum cum illis dissidium nobis esse oportet. Ergo non tantum à manifesto consensu separare nos vult Deus: sed quia plus satis corruptelis sumus dediti, fugere etiam jubet omnes illecebras, quæ paulatim nos ad societatem scelerum inducant. Sed quia recte admonet Paulus, si nihil liceat habere negotii cum incredulis, exeundum esse à mundo: distinguere convenit inter contractus qui nos consociant, & alios qui nihil minuunt ex nostra libertate. Quamdiu versamur inter incredulos, commercia quæ ad communem vitam spectaot effugere non possumus: verum si propius accedimus, ut inde oriatur major familiaritas, januam quodammodo aperimus Satanæ. Ejusmodi sunt fœdera inter Reges & populos, inter privatos homines connubia: ideoque de utrisque legem tulit Moses veteri populo. Etsi autem nostra conditio hodie sit liberior, monemur tamen vi-

2 Cor. 6. vers. 14.

1 Cor. 5. vers. 6.

tandas esse omnes insidias, quæcunque huic malo occasionem daturæ essent. Viros uxorum blanditiis decipi nimis vulgare est: rursum viri uxores pro sua potestate cogunt ad obsequium. Itaque se idolis scientes & volentes devovent qui se idololatris commiscent. In fœderibus idem contingit: quia pudet non aliquod signum observantiæ dare. Sic in gra-
2 *Reg* 16. *vers.* 10. tiam regis Syriæ erexit Aebaz altare in templo, Damasceno simile. Sic dum gratificari volunt Judæi Assyriis, eorum superstitiones imitati sunt. Denique rarissimum est exemplum, ut apud eos qui impiorum favorem captant, impolluta maneat religio. Ac quo magis sollicite se in officio contineant, denunciatur quod diri periculum. Alioqui statim in ore fuissent hæ exceptiones: quamvis à vera pietate abhorreat uxor, stabo tamen integer: quamvis se Deo non subjiciat maritus, nunquam tamen à recto cursu deflectam: quamvis fœderatis cordi non sit religio, apud nos tamen sancte coli non desinet. Deus ergo tempestive occurrit, ac negat tam cordatos fore ad resistendum, ubi semel fœstram malo aperuerint. Addit etiam aliud malum, quod terra sacra hoc modo profanabitur. Quamvis enim se disjungerent Israëlitæ à Gentium impietatibus, hoc tamen excusabile non erat, illis permittere altaria in ea regione in qua sanctuarium sibi elegerat Deus. Simul tamen admonet Moses fieri via posse quin participatio Israëlitas quoque involvat. Quod ergo dicit, Ne scortentur post deos suos, & te iovitent: bis verbis significat Israelitas fore quasi lenones, si præter ratu fœderis, & fovendæ benevolentiæ causa, licentiam concedant Gentium superstitionibus: deinde hanc fore illecebram gravius peccandi, quia dum offensionem metuent, non recusabunt venire ad epulas, atque hoc modo participes erunt ejusdem crimiois. Ad verbum est, Ne forte percutias fœdus, & scortabuntur post deos suos, & sacrificabunt diis suis, & vocabunt te: quæ verba sic resolvi possunt, ut pendeant à superiori prohibitione, Ne cootingat postquam percusseris fœdus, ut scortentur, &c. vel hoc modo, Nequaquam percutias fœdus, quia scortabuntur cum idolis, & ubi sacrificia obtulerint, te vocabunt. Eodem tamen redibit sensus: quia duos pessimos fructus illiciti fœderis numerat, quod terram polluent incredulæ illæ gentes, & humanitatis prærextu populum Dei corrumpent. Jam quo sint magis strenui & animosi ad officium, additur promissio, gentium illarum fore victores. Erat hoc fere incredibile, vagos & exules facile & citoposse tot regionibus potiri. Dubitationem ergo tollit Deus, atque ita juber Israëlitas suo imperio parere in ea itu ejus belli, quod ejus auspiciis feliciter se gessisse sentient. Ita reos ingratitudinis peragit, si quid de rigore quem postulat, remittere ausi fuerint: acsi diceret, Quum vos & multitudine, & opibus, & omni bellico apparatu longe superent gentes istæ, tunc clare patebit vos non proprio Marte vicisse. Plusquam ergo iniquum foret, bellum quod meo unius ductu & mea manu confectum fuerit, non meo quoque arbitrio finiri: vos autem victoriæ, quam gratis contulerim, esse dominos. Quod autem sex tantum gentes enumerat Moses in Exodo, in Deuteronomio autem septimam addit, facile diluitur repugnantia: quando sæpe vel Chanaoæos tantum, vel Amorrhæos nominat, sub quibus tamen reliquos omnes per synecdochen intelligit.

Deut. 7. 2. *Perdendo perdes.*] Qui existimant inbumaniter hoc fuisse mandatum, nimium juris sibi arripiunt in eum qui omnium est judex. Speciosa quidem objectio est, absurde populum Dei imbui sævitia, ut per strages atrociter grassando, oulli sexui vel ætati parceret. Sed primo tenendum est quod postea videbimus: quum terram destinasset populo suo Deus, fuisse in ejus arbitrio priores incolas penitus delere, ut populo suo vacua esset possessio. Longius deinde progrediendum, quia justa suæ vindictæ testimonia in illas gentes extare voluit. Quadringentis ante annis merito ultus fuisset plurima earum scelera: suspenderat tamen judicium suum, & patienter eas tulerat, si forte resipiscerent. Nota est illa sententia, Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Postquam seculis quatuor illis ignovit Deus, & hæc clementia auxit vel audaciam vel furorem, ut iram ejus provocare non desiterint: certe crudelitas non fuit, pœnæ gravitate moram pensate. Atque hic apparet fœda & detestabilis humani ingenii perversitas. Nisi statim fulminat, indignamur: si pœnas differt, eum ignaviæ ac tarditatis insimulat fervor noster: ubi rursus prodit in medium vindex scelerum, vel crudelem vocamus, vel saltem obstrepimus ejus severitati. Atqui semper eum absolvet sua justitia: nostræ vero calumniæ & obtrectationes in capita nostra recident. Funditus perdere jussit septem populos: nempe postquam quadringentis annis addiderant peccata peccatis, ut immensa esset congeries, & experientia docuerat obstinatos esse & insanabiles. Itaque alibi dicitur terra illos evomuisse: acsi eorum fœtore gravata, se levasset. Si mortuo elemento intolerabilis est impietas, quid miramur Deum pro judicis officio exercuisse extremum rigorem? Si vero justa fuit ira Dei, certe ejus ministros & exequutores quos volebat, eligere potuit. Has partes quum injunxerit populo suo, non abs re vetuit misereri eorum quos exitio addixerat. Quid enim magis præposterum quam homines mortales cum Deo certare clementia? & ubi dominn placet rigor, servos jusdandæ veniæ ad se trahere? Itaque sæpius exprobrat Deus Israëlitis, quod perperam fuerint misericordes. Et hinc factum est, ut populi quos perdere debuerant, tanquam spinæ & aculei fuerint ad ipsos configendos. Ergo ne maligne restringatur Dei potentia ad sensus nostri modulum, faceflat omnis temeritas. Ac potius discamus reverenter suspicere ejus opera quorum nos latet ratio, quam proterve obloqui. Præsertim vero ubi justas vindictæ suæ causas nobis proponit, qua decet humilitate & modestia, potius subscribere discamus ejus decretis, quam frustra, & quidem io nostram perniciem, intercedere.

Genes. 15. *vers.* 16.

Levit. 18. *vers.* 28.

Josue 23. *vers.* 13. *& per totum librum Judic.*

Ex Deut. VII.

16. Absumesque omnes populos quos Jehova Deus tuus dat tibi: non parcet oculus tuus eis, nec coles deos eorum, quia laqueus erunt tibi.

17. Quum dixeris in corde tuo, Plures sunt gentes illæ quam ego, quomodo potero expellere eas?

18. Ne timeas tibi ab eis: recordando recorderis quæ fecerit Jehova Deus tuus ipsi Pharaoni, & omnibus Ægyptiis:

19. Probationum magnarum quas viderunt oculi tui, & signorum, portentorumque, & manus validæ, brachiique extenti quo eduxit te Jehova Deus tuus. sic faciet Jehova Deus tuus omnibus populis à quorum conspectu times tibi.

20. Præterea crabronem immittet Jehova Deus tuus in eos, donec pereant qui superfuerint, & qui absconderint se à facie tua.

21. Ne

21. Ne paveas à facie eorum: quia Jehova Deus tuus eſt in medio tui, Deus maximus & terribilis.

22. Expelletque Jehova Deus tuus gentes illas à facie tua paulatim paulatim: non poteris abſumere eas cito, ne multiplicetur contra te beſtia agri.

23. Attamen tradet eas Jehova Deus tuus coram te, & conteret eas contritione maxima, donec perdantur ipſæ.

24. Tradetque reges earum in manum tuam, & perdes nomen earum de ſub cælo: non conſiſtet quiſquam coram te, donec perdas eos.

25. Sculptilia deorum ipſorum combutes igni: non concupiſces argentum & aurum quæ ſunt ſuper ea, & capias tibi: ne illaquees te in illo, abominatio enim Jehovæ Dei tui eſt.

26. Neque introdûces abominationem in domum tuam, & fis anathema ſicut illud: deteſtando deteſtaberis illud, & abominando abominaberis illud, quia eſt anathema.

16. *Abſumeſque.*] Quorſum jubeat populos Chanaan interfici, ex ſecunda parte verſus liquet: ubi vetat eorum deos coli. Hoc igitur præceptum aliis reſpondet, ubi ſimiliter populos illos ad internecionem deſtinat. Quod autem alibi expoſui, nunc prætereo: ſævitiæ non poſſe adſcribi quam erga obſtinatos & decies perditos vindictam Deus exercuit. Nam quum quadringentis ante annis dictum fuiſſet Abrahæ, nondum completas eſſe eorum iniquitates, non potuerunt ſatis atrociter pro merito tractari, qui tam licentioſe & improbe longa Dei tolerantia abuſi fuerant. Sed obſervandum eſt Dei conſilium, cur tam præciſe Iſraëlitis injunxerit, ut penitus deletent quicquid illic repertum eſſet. Præterquam enim quod eos omnes ſemel, ut digni erant, exitio addixerat, terram quoque in qua invocandum erat ejus nomen, volnit omnibus inquinamentis purgari. Jam ſi qui ex veteribus incolis fuiſſent ſuperſtites, conati fuiſſent ſuas corruptelas ſubinde renovare: & quum alioqui plus ſatis ad ſuperſtitiones propenſi eſſent Iſraëlitæ, facile tracti eſſent ad colenda idola. Hæc igitur ratio eſt cur Deus quicquam humanitatis vel clementiæ illis præſtari vetet, ſicuti ex contextu patere admonui: hæc enim ſimul cohærent, ne parcant gentibus, & ne colant earum deos. Ratio quæ additur, Quia laqueus vel offendiculum erit tibi, ad totum complexum extendi debet: nempe exitiale fore Judæis, ſi gentibus parcant quæ ipſos ad impietatem allicient.

17. *Quum dixeris in corde tuo.*] Quia res pluſquam difficilis erat tantam hominum multitudinem delere, & ipſa deſperatio eos in rabiem adigere poterat, ut periculoſum eſſet Iſraëlitis omnem veniæ ſpem præcidere: occurrit Deus timori, & eos ad ſtrenuam judicii ſui exequutionem hortatur. Unde colligitur utilis doctrina: quoties Deus mandat quod vires noſtras ſuperat, parendum nihilominus eſſe, & quæcunque ad eos impediendos ſe ingerant obſtacula, audacter perrumpendum. Itaque in arduis omnibus negotiis ſuccurrat hæc doctrina, quicquid Dei imperio contrarium eſt, immenſa ejus potentia facile poſſe aboleri. Verum quia terror oculis injectus, ſtatim ita occupat ſenſus omnes, ut tanquam torpidi jaceamus, in memoriam Deus Iſraëlitis revocat quam multiplicem fiduciæ materiam illis ſuggeſſerit. Nam quotquot ediderat miracula, totidem probationes erant invictæ ejus virtutis. Unde ſtatuere debebant, nihil eſſe metuendum modo præret Deus, ac proinde certi de victoria, non deſcenderent ad ullas pactiones.

20. *Præterea crabronem.*] Quoniam longa videri poterat hoſtium expugnatio, ſi manu & armis tantum ſternendi forent: deinde quia vix credibile erat, omiſſa defenſione ultro jugulum porrecturos: promittit Deus alio quoque modo ſtragem ſe edirurum ad eos profligandos. Et ne Iſraëlitæ, dum hoſtes fingunt ad reſiſtendum promptos fore & alacres, turbentur vel trepident, alios ſibi milites præſto fore Deus pronuncint: quia crabrones vel aliæ virulentæ beſtiolæ profugos omnes extingueot. Eadem ſententia legitur Exodi 23. capite. Quod vero pollicitus fuerat Deus, Joſue completum fuiſſe commemorat. Cætetum quia non uno momento perdendæ erant gentes illæ, ne tædio propterea labaſceret populus, vel ſegnior redderetur, mature occurrit Deus, & admonet tarditatem hanc fore utilem: quia extinctis omnibus incolis, irrumperent feræ beſtiæ in vacuam terram. Moleſta igitur non debuit eſſe longior belli protractio, in qua Deus populi ſaluti conſulebat: quia hominibus celeriter deletis, bellandum cum feris ſylveſtribus fuiſſet. Illum vero quem citavi locum Exodi, tametſi verbis ſimilis eſt, conſulto in alia claſſe locavi: quia nunc Deus in alium finem de exterminandis gentibus differit, ne quid ſcilicet ex antiquis pollutionibus in terra reſiduum maneat, nec ſe miſceant Iſraëlitæ impiis, quorum artibus tandem ad cultus adulterinos abſtrahantot. *Joſue 24. verſ. 12.*

25. *Sculptilia deorum.*] Finem ipſum cur profligandæ ſint gentes, rurſus inculcat: ſed longius quam ante progreditur. Deos colere vetuerat, nunc ſculptilia jubet igni conſumere: nam ut ad ſuperſtitionem proclivis erat populus, tales illecebræ facile eum à puro Dei cultu alienaſſent. Nec ſolum conflare aurum & argentum jubet, ut figuram mutet, ſed omni uſu interdicit, quoniam contagioſa ſit lues. Docet enim Deum tantopere idola abominari, ut quiſquis materiam unde conflata ſunt attigerit, pollutionem inde contrahat, & fiat anathema. Videri quidem potuit hæc nimia ſeveritas, metalla quæ in hominum uſum creata ſunt, impuritatis damnari; acſi naturæ integritas hominum corruptelis eſſet obnoxia. Atqui hoc modo ſolem & lunam contaminarent idololatræ dum illis perverſum cultum affingunt. Reſpondendum eſt aurum vel argentum impio abuſu minime fuiſſe vitiatum: ſed quamvis omni macula in ſe careret, populi reſpectu fuiſſe pollutum. Talis fuit animalium immundities: non quod in ſe quicquam haberent inquinamenti, ſed quoniam Deus eorum eſu interdixerat. Pollutio itaque cujus nunc fit mentio, à ſimili interdicto pendet: quia enim aliter cohiberi non poterat rudis populus, quod per ſe purum erat, Deus abominabile eſſe voluit. quamvis autem politicum hoc fuerit præceptum, & tantum veteri populo ad tempus datum, ex eo tamen colligimus quam deteſtabilis ſit idololatria, quæ ipſa etiam Dei opera ſua fœditate inficit.

Ex Deut. XXV.

17. Memento quid fecerit tibi Amalec in via, quando egreſſi eſtis ex Ægypto:

18. Quod tibi occurrerit in via, & te in cauda agminis aggreſſus ſit, omnium debilium poſt te, quum eſſes laſſus & fatigatus, & non timuerit Deum.

19. Erit ergo quum dederit requiem Jehova Deus tuus tibi ab omnibus inimicis tuis per circuitum, in terra quam Jehova Deus tuus dat tibi in hæreditatem ut possideas eam, delebis memoriam Amalec de sub cælo: ne obliviscaris.

17. *Memento quid fecerit.*] Vidimus alibi ut Amalecitæ primi hostiliter irruerint in populum, & conati fuerint iter ejus abrumpere. Retulit etiam Moses Dei judicium adversus ipsos, cujus nunc exequutionem populo injungit. Jurabat illic Deus, continuum sibi per omnes ætates cum illis bellum fore: ne irrita esset comminatio, populum constituit vindicem tantæ sævitiæ & impietatis. Nam quum nihil molestiæ vel damni illis inferrent Israelitæ, injustum erat armis lacessere tranquillos, & absque maleficio pergentes in aliam terram. Sed gravius ab illis violata fuit humanitas, quod cognatis suis non parcendo, abjecerint naturæ sensum. Amalecitas ex primo libro Mosis patet fuisse posteros Esau: unde sequitur fuisse utrosque oriundos ea eodem patre Isaac. Sed videtur præceptum hoc pietati minime consentaneum, ut retaliet populus illatam sibi injuriam. Respondeo, non stimulari his verbis ad ulciscendi affectum, sed mandari, ut eodem pœnæ rigore persequantur scelera Amalec, quo aliarum gentium. Videtur quidem privato respectu Deus ipsos impellere, dum recitat sævitiam qua usi sunt: sed judicium de Legislatoris consilio facere oportet ea ejus natura. Scimus autem nullos iræ vel odii impetus posse Deo probari: atque hinc statuere promptus est, mandari quod zelo recte composito perficiat populus. Et notatur prima sceleris origo, quod scilicet non timuerint Deum. Id autem accipi non debet communi more: sed quia contra Deum quasi ea professo insurrexerint. Neque enim ignota illis esse potuit promissio Abrahæ & Isaac data: sed quia auctor generis Esau à jure primogenituræ exciderat, prava & sacrilega æmulatione factum est ut tentarent fœdus Dei exinanire. Hæc ratio est cur Deus reprobis gentibus eos conjungat in eundem interitum. Cæterum verbum נזר, quod Decusare significat, tantundem valet atque extremum agmen carpere, ubi locari solent impedimenta & ægroti.

Gen. 36. vers. 12.

Ex Deut. XXIII.

3. Non ingredietur Ammonita & Moabita congregationem Jehovæ: etiam generatione decima non ingredietur congregationem Jehovæ usque in seculum.

4. Eo quod non exceperint vos cum pane & aqua in via, postequam egressi estis ex Ægypto, & quod mercede conduxerit adversum te Bileam filium Beor de Pethor è Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi.

5. Sed noluit Jehova Deus tuus audire Bileam, & convertit Jehova Deus tuus tibi maledictionem in benedictionem, quod diligeret te Jehova Deus tuus.

6. Non quæres pacem eorum & bonum eorum cunctis diebus tuis, in seculum.

7. Non abominaberis Edomæum, quia frater tuus est: non abominaberis Ægyptium, quia peregrinus fuisti in terra ejus: filii qui nascentur eis generatione tertia ingredientur congregationem Jehovæ.

3. *Non ingredietur.*] Sicuti populum nuper Deus prohibuit ab omni affinitate & fœdere gentium Chanaan, ita nunc inter alienigenas distinguit, & docet qua lege quosque admittere licet. Ac Moabitas quidem & Ammonitas prorsus rejicit: quia non modo commune humanitatis officium negaverint populo, sed arma contra eum sumpserint, atque etiam conduxerint Balaam ad eum maledicendum. Erant progenies Lotb, atque filios Abrahæ amplecti pro fratribus debuerant. Fuit igitur inexcusabilis barbaries, eos violenter impetere qui ultro pacem illis obtulerant: qui promiserant per suos legatos se iter facturos absque injuria & maleficio: qui denique petierant sibi transitum permitti, modo bona fide pretium numerarent panis & aquæ. etsi haud dubie impietatem magis quam sævitiam ultus est Deus, quod non modo suum beneficium facere irritum, sed fidem quoque exinanire moliti fuerant. Quum ergo per eos non stetisset quominus periret Ecclesia, & eaciderent effectus promissionis, in qua fundata erat hominum salus, idque scientes & volentes fecissent, non mirum si ab Ecclesia fuerunt excluſi.

4. *Et quod mercede.*] Etsi communis est ratio cur nunquam admitti debeat uterque populus, videtur tamen consulto mutatus esse numerus verbi: quia Balac rex Moab Balaam conduxit. sed quia simul conspiraverant, merito idem crimen adscribitur Ammonitis. In eo quidem se prodidit maxime detestabilis impietas, quod mercenarium hominem conducendo, qui maledictionis fulmen vibraret contra populum, tentarunt Deum magicis incantationibus opprimere. Neq; ignorantia lapsi sunt, quum obstimate furorem suum prosequuti sint, donec è cælo prostratus fuit. Et hac ratione diserte exprimitur, Balaam non fuisse auditum, quin potius diras ejus ac devotiones in benedictionem fuisse conversas. Hinc apparet quam formidabilis vindicta eos omnes maneat qui Dei gratiam & Ecclesiæ salutem deliberata malitia oppugnant. Sicuti hodie à defensoribus Papatus nulli non moventur lapides, quo cælestis doctrinæ cursum disturbent; imo Evangelium si fieri posset, è medio tollant. Cæterum quando clare nocetur alia rejectionis causa, stulte hoc judicium quidam trahunt ad originem: quia ex incestuoso coitu Ammonitæ & Moabitæ fuerint concepti, excludi ab Ecclesiæ gremio.

7. *Non abominaberis Edomæum.*] Quo insignius esset exemplum in pœna quam adversus Moabitas & Ammonitas edixit, Idumæos & Ægyptios in tertio gradu admitti jubet: priores quia genus ducebant ab eodem parente, nempe Isaac, quum essent posteri Esau: alteros vero quia hospites fuerant. Nam inde patebat Ammonitas & Moabitas suo scelere ab honore esse dejectos, cujus ne alieni quidem essent expertes. Cæterum etsi Esau se abdicaverat ob ordine fidelium, filiis tamen ejus rursum aperta fuit janua, modo ad capot & originem redirent, ac fidei suæ humilitate sancirent primogeniturum Jacob, qui electus fuerat præterito vel posthabito eorum patre. Sed quid sibi vult pœnæ inæqualitas in pari scelere? nam Edom prior armis adortus est Israëlem quam Moab, & coëgit alio iter vertere. Non conducitiis quidem imprecationibus certaverat ad perdendum Israelem: sed quia suppliciter per vetustam cognationem rogatus non modo negaverat transitum, sed cum ingenti exercitu in occursum irruerat, nihilo mitius tractandus erat quam Amalec vel Ammon. Adde quod arctiore sanguinis vinculo conjuncti, minus erant excusabiles in sua immanitate. Itaque causam non invenio, cur in eos clementior fuerit Deus quam in alios quibus fuit severior: nisi quia ostendere voluerit, in arbitrio suo esse, eadem quæ in aliis gravius vindicat peccata, in aliis levius castigare. nempe quum omnes digni sint extremo interitu, merito liberum jus parcendi quibus placuerit,

rit, apud se retinet. Hic adoranda sunt ejus judicia, ad quorum altitudinem non penetramus. Neque tamen inæqualitas obstreperis impiorum vocibus obnoxia est, acsi esset ipse sibi dissimilis, & à Legis suæ regula deflecteret: quando sic agendo non judicat diversis modis, sed omnes pereque damnando, indulget quibus visum est, vel partem pœnæ remittit. De Ægyptiis quoque moveri potest quæstio, cur illis obstringat Deus populum suum, quia in eorum terra peregrinatus sit. Fuit enim barbaries & immanitas inhospitalis, miseros advenas opprimere, qui in eorum fidem confugerant. Sed Deus primum ingressum hic respicit: sicuti apud Jesaiam, ubi Ægyptios Assyriis comparans, dicit latronum more bos grassari in populum suum; illos vero non sine prætextu fuisse dominatos, quia populus illuc sponte descenderat. Quamvis ergo violento imperio indigne oppressi fuerint Israelitæ, vult tamen Deus vetus beneficium ab illis agnosci: quod levata fuerit eorum inopia & fames, & inquilini benigoe excepti fuerint, quo tempore incolæ Chanaan inedia peribant. *Jesa. 52. verf. 4.*

Ex Deut. XVII.

2. Si inventus fuerit in medio tui, in una portarum tuarum quas Jehova Deus tuus dat tibi, vir sive mulier qui fecerit malum in oculis Jehovæ Dei tui, ad transgrediendum pactum ejus:

3. Iveritque & coluerit deos alienos, & adoraverit eos, Solem aut Lunam, aut universum exercitum cælorum, quod ego non præcepi:

4. Et nunciatum fuerit tibi, audieriſque: tunc probe inquires. & ecce, si verus & certus fuerit sermo, & facta fuerit abominatio hæc in Israël:

5. Educes virum illum, aut mulierem illam, qui commiserint facinus illud pravum ad portas tuas, virum, aut mulierem, & obrues eos lapidibus donec moriantur.

Ex eodem Capite.

7. Manus testium primo erit in eum ad occidendum ipsum, & manus populi postea: exterminabisque malum è medio tui.

2. *Si inventus.*] Hic eadem statuitur pœna in idolatras, cui prius subjecti fuerunt apostatæ: ita utriusque peccati transgressio capitis pœna sancitur. Unde colligimus, non minus grave scelus coram Deo censeri, cultum ejus vitiare crassis & impuris superstitionibus, quam palam & ex professo à pietate desciscere. Ideo apud Ezechielem valedicit Judæis, *Exe. 20. verf. 39.* & quasi eos emancipat, ut eant singuli post idola sua, quando non contenti sunt eo solo. Cæterum ita rigidus est pœnæ exactor Deus, ut præcipitanter ferri judicium nolit. Hæc ad severitatem pertinent, ut tam mulier quam vir è medio tollantur, ut totus populus ad eos lapidandos conspiret, ut tollatur malum è medio terræ, ne abominatio maneat inulta. Moderatio autem opponitur, ut probe inquirant, nec judicent nisi re bene comperta: deinde ut legitima sit probatio, nec eum qui accusatur unius hominis delatio opprimat. Ergo non vult Deus zeli prætextu judices inconsiderate fundere sanguinem: sed ubi præcessit matura cognitio, ut plectatur maleficus pro modo delicti. Portarum nomine urbes designat συνεκδοχικῶς. Terræ vero datæ mentionem facit, ne Deo sint ingrati in ea profananda. Criminis vero atrocitatem notat, vocando transgressionem fœderis Dei: acsi diceret fœdifragos esse quicunque ad idola declinant. Nam & fur, & scortator, & ebriosus, & similes, transgrediuntur quidem Legem: sed quia non se prorsus alienant à Deo, non ponuntur in hoc ordine. Denique non simpliciter hic punitur impietas, sed perfidia qua deseritur vera religio, postquam Deo nomen dederunt homines, & se professi sunt fore ex ejus populo. Quod secundo repetitur, Sive vir, sive mulier, certius confirmat quod dixi: quamvis in sexu muliebri culpam extenuet infirmitas, hac tamen in parte non debere ignosci, ubi directe violatur Dei cultus. Etsi vero tantum fit mentio solis & lunæ & stellarum, eadem est imaginum ratio. Imo quo turpior est impietas transferre Dei bonorem ad mortuos lapides, vel truncos, quam ad stellas in quibus divinum aliquid refulget: eo magis detestabiles sunt qui se demergunt in tantum stuporem.

4. *Tunc probe inquires.*] Quanquam moderatio ista ad præsentem causam refertur, vigere tamen semper debet in judicio, ne quid dorius contra innoxios statuatur. Rursus memoriæ tenendum est quod alibi dixi, non tantum hic cohiberi judices, ne præcipites feratur ad damnandum: sed etiam stimulari, ne res cogniu necessarias ignavia vel negligentia prætereant. Sæpe enim cessant in officio, quia libenter cooniveut: atque ita evanescit quod liquido poterat constare, si diligentius inquirere gravati non essent. Non vult igitur eos torpere Deus & sinistros rumores pro nihilo ducere, sed sedulo de rebus auditis scisciturl, ne quod maneat impunitum crimen. Eadem est ratio in testibus: nam ut iniquum esset ex voce aut relatu unius hominis pronunciare, ita si duo aut tres non sufficiat, nullus erit litigandi finis. Recte ergo Deus utrumque judicibus præscripsit, ne temere crediili sint, & tamen contenti sint legitimo testium modo: verum hoc alibi susius tractabitur, nempe tam io sexto quam penultimo præcepio.

7. *Manus testium primo.*] Non abs re sceleratos Deus interfici voluit eorum manu quorum testimonio damnati essent. Carnificum usus non fuit io veteri populo, quo major esset in exigendis pœnis religio, modestia, & reverentia. Testibus autem maxime has partes mandavit, quia multorum oimis lubrica est lingua, ne dicam futilis, ut audacter voce jugulare non dubiteot quem non auderent digito attingere. Optimum ergo buic levitati coërcendæ remedium fuit, non admittere testimonium ullius, nisi ad exequendum judicium parata esset manus. Triste quidem atque borrendum supplicii genus fuit lapidatio: sed probabile est Deo placuisse, ubi plurium manibus utendum erat. Nisi in usu fuisset suspendium, frustra jussisset Deus ante Solis occasum è ligno tolli suspensi hominis cadaver. Fuerunt igitur aliæ pœnarum capitalium species. Sed ubi ejus qoi peccaverat morte, quasi piaculo purganda fuit terra, lapidari oportuit totius populi manibus: quia crudele fuisset lenta morte consumi, si alii post alios manus attuliſſent. Cur autem jussus fuerit populus lapides projicere uno conseosu, hæc fuit ratio, ut specimen ederet zeli sui, quo moostraret quanti faceret violationem cultus Dei. *Deut. 21. verf. 23.*

TER-

TERTIUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

7. Non ſumes nomen Jehovæ Dei tui in vanum: quia non abſolvet eum Jehova qui nomen ſuum ſumpſerit in vanum.

Repetitio Ex Deut. V.

11. Non ſumes nomen Jehovæ Dei tui in vanum: quia non abſolvet Jehova eum qui nomen ſuum ſumpſerit in vanum.

Exodi 20. 7. *Non ſumes nomen.*] Manifeſta eſt in hoc præcepto ſynecdoche: nam ut Deus reverentiam conciliet ſacro ſuo nomini qualis debetur, vetat temere ſumi, præcipue in juramentis. Unde colligitur ex oppoſito affirmativum præceptum, ut omne juſjurandum teſtimonium ſit veræ pietatis, in quo Dei ipſius majeſtas gloriam ſuam obtineat. Porro certum eſt non modo quum per Deum juramus, reverenter colendum eſſe ejus nomen, ſed quoties ſit ejus mentio. Ita bis verbis ſanctitatem ſuam tam in verbo quam operibus ſuis, ab omni profano contemptu aſſerit. Jurare per Dei nomen, ſpeciem eſſe vel partem cultus ejus, paulo poſt videbimus, & ex Jeſaiæ verbis clare patet. Nam ubi prædicit Gentes omnes puræ religioni nomen daturas, hic ait, Vivo ego, dicit Jehova, mihi curvabitur omne genu, & omnis lingua jurabit per me. Porro ſi genuflexio adorationem ſignificat, iſtud jurare quod conjunctim additur, tantundem valet atque ipſum agnoſcere pro Deo. Jam quum ratio dicter ſpeciem hic poni pro genere, videndum eſt quid intelligi debeat per nomen Dei, & per adverbium שוא. Ineptum ac puerile commentum eſt reſtringere hoc ad nomen Jehovæ, acſi in literis vel ſyllabis incluſa eſſet Dei majeſtas: ſed quia inviſibilis eſt ejus eſſentia, nomen tanquam imago nobis proponitur, quatenus ſe oobis Deus patefacit, & ſuis notis ſe inſigniens cognoſcitur: ſicuti homines ex ſuo quiſque nomine. Hac ratione Chriſtus docet nomen Dei comprehendi ſub cælo, terra, templo, altari: quia illic conſpicua eſt ejus gloria. Unde ſequitur, profanari Dei nomen quoties ſummæ ejus ſapientiæ, infinitæ virtuti, juſtitiæ, veritati, clemeotiæ & rectitudini detrahitur. Si placeat brevior definitio, dicamus nomen eſſe quod Paulus vocat ἐπίγνωσιν. Inanitur vero ſumitur nomen Dei, non tantum ubi quis eo abutitur ad perjuria, ſed ubi leviter ac contemptim rapitur ad probandas tes frivolas ac nugatorias: loquor de juramentis. In eo autem nimis craſſa eſt hominum ingratitudo, quod quum Deus nomen ſuum quaſi precario concedat ad lites dirimendas, tanquam ioterpoſito fidei pignore: promiſcue non ſine manifeſto contemptu io ipſorum ore volitat. Perjurii iterum damnabit Deus io quioto præcepto ſecundæ tabulæ, nempe quateous proximis nocendo charitatem lædunt ac violant. Hujus præcepti alius eſt reſpectus vel fiois, ut Deo ſuus hooos illibatus maneat, nonniſi religioſe de ipſo loquamur, vigeat inter nos quæ debet ejus veneratio. שוא quidem verti poſſet Ad mendacium, & boc ſenſu videbimus aliis locis ſumi: ſed quia ſæpe tantuodem valet ac לחנם quod eſt Gratis vel fruſtra, hæc expoſitio melius quadrare viſa eſt. in qua etiam plenior & uberior doctrina continetur, ne homines quaſi per ludum & jocum Dei nomen levibus de cauſis arripiant: quod noo fit ſine ejus contumelia, & profanatione. Atque ita particulæ שוא opponitur nominis Dei ſanctitas, quæ nos in ejus timore, & vera pietate continet. Quia vero nihil difficilius eſt quam hominum licentiam frenare in hac parte, & ad crimen excuſandum vel ſaltem elevandum linguæ obtenditur lubricitas, additur pœnæ denunciatio: ſi Dei nomen temere expoſitum fuerit probro vel cootemptui, ipſum fore ultorem. Quo igitur magis in ſua licentia obdurueriot, eo minus impune laturi ſunt: tantum abeſt, ut culpam minuat prava conſuetudo.

Jeſa. 45. verſ. 23.

Matth. 5. verſ. 8.

Rom. 1. verſ. 19.

Expoſitio tertii præcepti.

Ex Levit. XIX.

12. Non jurabitis per nomen meum mendaciter, nec profanabis nomen Dei tui: ego Jehova.

Ex Exodi. XXIII.

13. Nomen deorum alienorum non memorabitis, non audietur in ore tuo.

Ex Deut. VI.

13. Per nomen ejus jurabis.

Ex Deut. X.

20. In nomine ejus jurabis.

Levit. 19. 12. *Non jurabitis per nomen.*] Etſi Moſes differit de officiis ſecundæ tabulæ, ac poſtquam vetuerat fraudulenter agere cum proximis, ſententiam hanc adjungit confirmationis loco: tamen ea ſecundo membro verſus colligere licet, proprie eum ſpectaſſe ad Dei gloriam, quum dicit, Noo pollues nomen Dei tui. Facit enim infana lucri cupiditas, ut avarus & rapax non tantum homines fraudet, ſed contumelioſus ſit in ipſum Deum. Ergo Moſes, quamvis ea profeſſo damnet mendacia & fraudes quibus proximi læduntur, per occaſionem ſimul inſerit, caveodum eſſe na ubi nos ad nocendum impellit cupiditas, non tantum hominibus, ſed ipſi quoque Deo fiat injuria. Non pooitur autem bic nomen שוא ut prius, ſed שקר, quod proprie Fallaciam ſignificat: & ideo dixi, cavere ne quid noxæ perjuriis afferat quiſque proximo ſuo: nihilominus hanc prohibitionem ſpectare ad tertium præceptum, quia io hac parte maxime inſiſtit Moſes, profanari nomen Dei perjuriis. Atque ita non tantum integritatem commendat, ſed rationem habet pietatis, ne violetur Dei majeſtas. Ac notatu digoa eſt loquutio, Non pollues nomen Dei tui: quia non poteſt Deus, qui æterna eſt veritas ac immutabilis, majore contumelia

melia affici quam ubi citatur mendacii teſtis: quæ certe indigna eſt ac nefanda pollutio. Hoc animadverſum non fuit à profanis hominibus: qui etſi Dei nomen ſe revereri jurando ſimulabant, pro nihilo tamen ducebant fallere, ſi ita meritus erat ille cui fidem dederant. Dicit Thyeſtes apud Poëtam, Ego vero fidem neque dedi infideli cuiquam, neque do: quoniam ſceleratus erat frater, nullam cum eo religionem ducebat ſibi colendam. Quaſi vero pendeat Dei majeſtas ab hominum meritis, ut eum teſtem producere liceat, dum fallaciter agimus. Maneat ergo illud fixum, pritram in juramentis rationem Dei habendam eſſe, cujus ſacrum nomen ceteſtum mundis pretioſius eſt. Soph 1: 4.

Exod. 23. 13. *Nomen deorum alienorum.*] Quin hæc ſententia connecti debeat cum tertio præcepto, minime dubium eſt. Nomen ergo Dei fruſtra & perperam ſumi interpretatur Moſes, ſi per deos alienos juretur. Neque enim alteri quam uni Deo fas eſt judicium deferre de rebus incognitis. Unde ſequitur, ad eos transferri deitatis gloriam per quorum nomen juratur. ideo ſevere denunciat Deus per Prophetam, ſe perditurum omnes qui jurant per nomen ſuum, & ſimul per Melchom: quia hoc modo miſcebant eum Judæi cum ſuo idolo, ac proinde ſanctitatem ejus inquinabant. In ſumma, quum jurando profiteamur eum nobis eſſe Deum, quem & cordium cognitorem, & judicem in animas noſtras ſtatuimus, hunc honorem ſibi in ſolidum merito aſſerit verus Deus, quia non tantum derrahitur nominis ejus gloriæ, ſi minus reverenter quam deceat de ipſo loquimur, verum etiam ſi ſocios adjungimus qui partem juris occupent. Quod etiam duobus locis, quos ex Deut. adduximus, clarius patet, ubi jubetur populus per nomen unius Dei jurare: quod tantundem valet atque in externa cultus profeſſione integram quam meretur reverentiam præſtare ſacro ejus nomini. Cæterum non incitat Deus populum ad jurandi licentiam, acſi frequenter jurando ſe exerceret in officiis pietatis: ſed intelligit ſimpliciter, ubi opus fuerit, vel neceſſitas aut juſta ratio id poſtulabit, non aliter jurandum quam ut ipſe ſolus advocetur teſtis ac judex.

Ex Deut. XXIII.

21. Si votum voveris Jehovæ Deo tuo, non tardabis illud ſolvere: alioqui requirendo requiret illud Jehova Deus tuus abs te, & erit in te peccatum.

22. Quod ſi abſtinueris à vovendo, non erit in te peccatum: quod egreſſum fuerit è labiis tuis obſervabis, & facies ſicut voviſti Jehovæ Deo tuo liberaliter, & ſicut loquutus es ore tuo.

21. *Si votum voveris Jehovæ.*] Pertinet vovendi quoque ratio ad obſervationem tertii præcepti: quia vovendo homines in ſanctificando Dei nomine ſe exercent, & ſpecies eſt jurisjurandi, aliquid Deo promittere: quia ſolenni ritu interponitur ſacrum ejus nomen. Nam quod inter homines pactum dicitur vel conventio, Dei reſpectu votum eſt: ideoque apte dici poteſt ſacra pactio, quæ non tantum fit Deo teſte, ſed cum ipſo tranſigitur. Alibi quidem obiter vota quædam attigimus, ut Nazaræotum: ſed quia conſecratio illa pars erat cultus Dei, eam in primo præcepto poſui. Nec ſane illic de ipſa voti obligatione proprie diſſeruit Moſes, ſed de illo pietatis exercitio quod populum ad puritatis, ſanctimoniæ & ſobrietatis ſtudium excitabat. Idem ſequutus ſum in voluntariis ſacrificiis, quæ majori ex parte votiva fuiſſe certum eſt: ſed quod præcipuum erat conſideravi, de acceſſione non perinde ſollicitus. Nunc vero in altera ſpecie confirmat Moſes quod prius docuit, nomen Dei non fruſtra eſſe ſumendum. Itaque jubet vota ſolvere: quæ niſi rata ſint, imminuitur nominis Dei gloria, dum jure ſuo fraudatur ipſe, & pro nihilo ducitur promiſſio coram ipſo ſancita. Porro notandum eſt, vota omnia quæ unquam Deo grata fuerunt, fuiſſe teſtimonia gratitudinis, ne beneficiorum ejus memoria interciderent, quorum nimis facile oblivio inter nos obrepit. Quum ergo ſancti vel tarditatis vel ignaviæ ſibi conſcii eſſent in præcidanda Dei bonitate, hoc adjumento & quaſi ſtimulo uſi ſunt ad corrigendam ſuam ſegnitiem. Ita quum ſerium aliquid à Deo poſtularent, ſæpe aliqua promiſſione ſe obſtringere ſolebant ad teſtandam gratiarum actionem. Ejuſmodi vota ſancte & fideliter ſervari jubet Moſes, ne Deo eludant qui ex periculo elapſi ſunt, vel rebus optatis potiti, quum in ſua anxietate ſupplices fuerint. Scimus enim quanta facilitate, vel potius levitate, rapiantur multi ad vovendum, qui mox eadem inconſtantia pro nihilo ducunt datam fidem violare. Hac in parte Deus merito nomen ſuum à contemptu vindicat, atque in hunc finem poſtulat ſibi ſolvi quod promiſſum fuerit. Sed quoniam ſuperſtitioſi hoc trahunt vel torquent promiſcue ad quælibet vota, quo genuinum Moſis ſenſum teneamus, refutandus eſt illorum error. Volunt Papiſtæ vota omnia præſtari ſine exceptione, quia ſcriptum ſit, Non tardabis ſolvere quod egreſſum erit ex ore tuo. Sed primum tenenda eſt votorum definitio, aut ſaltem videndum quænam legitima ſint vota & Deo probentur. Nam ſi votis omnibus, quamlibet temere nuncupatis, conſtet effectus, olim ſub Lege fas fuiſſet filios & filias mactare, erigere idolis altaria, atque ita hoc prætextu tota Lex Dei everſa prorſus fuiſſet. Quare ſtatuendum eſt diſcrimen inter vota, niſi velimus fas & nefas confundere. Hoc autem primum eſt caput, nihil rite voveri Deo, niſi quod cognoverimus ei placere. Nam ſi obedientia potior eſt omni ſacrificiis, nihil certe magis abſurdum eſt quam licentiam hanc graſſari, ut ſuo quiſque arbitrio Deum colat. Si voviſſet quiſpiam ex Judæis ſe canem immolaturum: quia id vetabat Lex Dei, ſacrilegium fuiſſet votum ſolvere. Cæterum quia inter id quod diſerte præcepit Deus aut vetuit, medius eſt aliquis gradus, objici poſſet, in rebus quas indifferentes vocant, licere votum concipere. Rurſus hic reſpondeo, quia principium illud ſemper vigere debet inter pios, nihil ſine fide tentandum eſſe, ſemper conſiderandum eſſe quid Dei verbo conſentaneum ſit, alioqui præpoſterum eſſe zelum. Non vetabat Deus olim permulta, quæ tamen ſibi in cultum offerri nolebat. Ita & hodie quanquam tota vita licebit carnes non guſtare, ſiquis tamen perpetuam earum abſtinentiam voveat, ſuperſtitioſe faciet: quoniam Deo inconſiderate obtrudet quod eum non probare ex ipſius verbo colligimus. Quare niſi ad hanc regulam exigantur vota omnia, nihil erit vel rectum vel firmum. Alter vero nimis craſſus error coërgui poteſt in Papiſtis, quod ſtulte plus Deo promittunt quam ſint ſolvendo. Certe pluſquam cæca ſuperbia eſt, imo diabolicus furor, mortalem hominem velle aliquid de ſuo afferre quod non acceperit: ut ſi quis voveat inediam toto vitæ curſu, ſi quis ſomno & neceſſariis vitæ ſubſidiis renuncier, inſania hæc mentem conſenſu damnabitur. Nullum ergo placere poteſt Deo munus, niſi quod pro ſua in nos liberalitate contulit. Quid autem in Papatu agitur? Monachi, moniales & ſacrifici ad perpetuum cælibatum ſe obſtringunt, nec expendunt peculiare eſſe continentiæ donum. I Sam. 15. verſ. 22. Rom. 14. verſ. 27.

donum. Ita dum nemo ad facultatis suæ modum respicit, miserè se præcipitant, vel exitiales induunt laqueos. Adhæc singulis habenda est vocationis suæ ratio. Addicet se quispiam monachus Abbati ut patris jugum excutiat: qui ad gerenda publica negotia idoneus erat, liberis valere jussis, monachatus prætextu, immunitatem captabit. Hinc apparet, ex voventis persona æstimandum esse votum, ratum esse debeat nec ne. Sed in fine ipso gravissime & magis vulgariter peccatur. Dixi nuper, nunquam Deo pios voviſſe nisi in testimonium gratitudinis: atqui quot-quot fere vota concipiunt superstitiosi, totidem sunt fictitii cultus, quibus nihil aliud propositum est quam Deum placare expiando peccata, vel gratiam meritis acquirere. Non persequor longe fœdiora deliria quibus se & vota sua inquinant, dum in Dei locum subſtituunt sua idola. Vovebit quispiam altare Christophoro vel Barbaræ. Ut rata sit barbara illa impietas, obtenditur Mosis sententia, quæ certe longe aliud continet, nempe Dei cultum pervertere qui altari vovent. Ubi etiam pro confesso sumit Moses, non censeri legitimum votum nisi quod ipsi Deo, ex pietatis regula Legisque præscripto, nuncupatum fuerit. Itaque in hoc exordio fundata est doctrina, noxam contrahi nisi reddatur quod promissum est.

22. *Quod si abstinueris.*] Confirmat quod dixit, obnoxios fore Deo qui eum frustrati fuerint: quia nulla eos necessitas compulerit. unde sequitur duplicari culpam, quod peccare maluerint: quum liberum esset non vovere. Sic Petrus Ananiæ & Sapphiræ perfidiam objurgans, Quis vos coëgit mentiri Spiritui sancto? nonne ager erat vester, quem retinere licuit? nunc vero parte pretii Deum fraudare, impia est simulatio. Interea oblique sobrietatem in votis commendat, dum illis remittit hoc genus officii: perinde acsi moneret, non esse causam cur reatu se obstringant futiliter promittendo quod Deus non exigit. Et certe nihil est consultius quam esse in votis parcissimos: quia qui leviter ad ea prosiliunt, vel mox ducuntur pœnitentia, vel serviliter tanquam vi adacti, nec sine molestia & tædio pensum solvunt, atque ita corrumpunt operis gratiam. Quod autem dicit, Egressum ex ore, non attendit ad ceremoniam, in qua suo more nimis scrupulose insistunt Judæi: sed licentiam vovendi cohibet, ad quam sponte plus æquo sumus propensi. Quum dicitur Psalm. 66. Veniam cum holocaustis, solvam tibi vota quæ protulerunt labia mea, & os meum loquutum est in afflictione mea: quanquam intelligit Propheta se in ultimis angustiis præsenti semper fuisse animo & composito, ut diserte opem Dei imploraret, ac constantiæ vel fiduciæ specimen ederet in votis nuncupandis: hoc tamen simul notatur, non præcipitanter fudisse voces in aëre, sed ex seria meditatione esse loquutum. Et certe quum nimis volubilis sit multorum lingua, & pectus præceat, præcipua obligatio in ipso loquendi actu quærenda non est. Verum ut constet vera maturitas, requiritur mutuus consensus cordis & linguæ. Eadem loquutio iterum sæpius recurret. Itaque repetitio ostendit scrupulum eximi infirmis, ne simulac aliquid ipsis in mentem venerit, vanam religionem sibi fabricent. Scimus apud profanas gentes, in solenni templorum dedicatione, sacerdotem fuisse adhibitum qui verba præiret: quo ritu admoniti fuerunt, nihil rite offerri Deo nisi ipso quasi dictante. Hæc quidem ratio, fateor, ab illis minime expensa fuit: voluit tamen eorum exemplo Deus in sacris oblationibus levitatem vel inconsideratum fervorem damnare.

Actor. 5. vers. 9.

Ex Levit. XXVII.

1. Loquutus est autem Jehova ad Mosen, dicendo,
2. Alloquere filios Israël, & dic eis, Vir quum separaverit votum animarum secundum æstimationem tuam Jehovæ:
3. Erit æstimatio tua pro masculo, à filio viginti annorum usque ad filium sexaginta annorum, erit æstimatio tua quinquaginta siclorum argenteorum, secundum siclum sanctuarii.
4. Quod si fœmina fuerit, erit æstimatio triginta siclorum.
5. Si autem à filio quinque annorum usque ad filium viginti annorum, erit æstimatio tua pro masculo viginti siclorum, pro fœmina vero decem siclorum.
6. Si vero à filio mensis usque ad filium quinque annorum, erit æstimatio tua pro masculo quinque siclorum argenteorum, pro fœmina vero æstimatio tua erit trium siclorum argenteorum.
7. At si à filio sexaginta annorum, & supra, si pro masculo, erit æstimatio tua quindecim siclorum, & pro fœmina decem siclorum.
8. Quod si pauperior est quam ut æstimationem tuam possit solvere, tunc statuet illum coram sacerdote, & æstimabit eum sacerdos: secundum quod apprehenderit manus voventis, æstimabit eum sacerdos.
9. Si autem animal voverit de quo offerunt oblationem Jehovæ, omne de quo dederit Jehovæ erit sanctitas.
10. Non mutabit illud, neque commutabit illud, melius deteriore, aut deterius meliore: quod si commutando commutaverit animal animali, & illud & commutatio ejus erit sanctitas.
11. Si autem fuerit quodlibet animal immundum, de quo non offerunt oblationem Jehovæ, tunc statuet animal coram sacerdote.
12. Æstimabitque illud sacerdos, sive bonum sit, sive malum: secundum æstimationem tuam, sic erit.
13. Si vero redimendo redemerit illud, addet quintam ejus partem ultra æstimationem tuam.
14. Vir autem quum consecraverit domum suam consecrationem Jehovæ, æstimabit eam sacerdos, sive bona sit, sive mala: secundum quod æstimaverit eam sacerdos, sic manebit.

15. Si

15. Si autem consecrans redemerit domum suam, addet quintam partem pecuniæ æstimationis tuæ super eam, & illius erit.

16. Si vero de agro possessionis suæ consecraverit quis Jehovæ, erit æstimatio tua secundum sementem ejus: semen cori hordeorum quinquaginta siclis argenteis æstimabitur.

17. Quod si ab anno Jubilæi consecraverit agrum suum, secundum æstimationem tuam manebit.

18. Si vero post Jubilæum consecraverit agrum suum, tum supputabit cum eo sacerdos pecuniam secundum annos qui remanent usque ad annum Jubilæi, & detrahetur de æstimatione tua.

19. Si autem redimendo redimat agrum qui consecravit ipsum, addet quintam partem pecuniæ æstimationis tuæ super eam, & manebit ei.

20. Si vero non redemerit agrum, & si vendiderit agrum viro alteri, non redimet ultra:

21. Sed erit ager quum egredietur Jubilæus, sanctitas Jehovæ, sicut ager anathematis: sacerdoti erit possessio ejus.

22. Si vero agrum emptum à se qui non erat de agro possessionis suæ, consecraverit Jehovæ:

23. Tunc supputabit illi sacerdos numerum æstimationis tuæ usque ad annum Jubilæi, dabitque æstimationem tuam in die illo sanctitatem Jehovæ.

24. In anno Jubilæi revertetur ager ad eum à quo emerat ipsum, ad eum cujus erat possessio terræ.

25. Omnis autem æstimatio tua erit secundum siclum sanctuarii: viginti obolorum est siclus.

Ex eodem Capite.

27. Si vero fuerit ex animalibus immundis, redimet juxta æstimationem tuam, & addet quintam partem ejus ultra eam: & si non redimatur, vendatur juxta æstimationem tuam.

28. Veruntamen omne anathema quod consecrabit aliquis Jehovæ ex omnibus quæ habet, de hominibus & animalibus, & de agris possessionis suæ, non vendetur neque redimetur. Omne enim anathema sanctitas sanctitatum erit Jehovæ.

29. Omne anathema quod consecrabitur de hominibus, non redimetur: moriendo morietur.

1. *Loquutus est.*] Hoc capite docet Moses, si forte vota commode solvi nequeant, quomodo vel quo pretio redimendum sit quod semel oblatum fuit Deo. Porro notandum est duas fuisse consecrandi species in veteri populo: nempe in anathema, quod Hebræi vocant חרם, vel in usum templi & alia pietatis exercitia. Anathema fieri potuit ex animalibus immundis, & aliis profanis rebus, sicuti in urbe Jericho, & aliis similibus exemplis videre licet: sed proprie vota nuncupare fas non fuit, nisi de homine vel animali mundo, vel alia re quæ ad Dei cultum aptari posset. Sic ex gregibus vovebant hircos vel oves, ex armentis boves aut vitulos, ut Dei gratiam in fœcunditate sentirent. Si quem orbitatis tædebat, sobolem à Deo postulans, filium vel filiam voto offerebat: quia ratione Samuel, antequam in utero conciperetur, Deo fuit dicatus. Si cui natus erat imbecillior fœtus, vel si quis ex liberis in gravem morbum incideret, vel ipse erat in aliquo discrimine, moris erat ad vota confugere, ut Deus quod sibi dicatum erat, tueretur. Nec dubium est quin perperam multi ad ineptias prolapsi sint: quæ vitia sic toleravit Deus, ut res ipsa cum Lege non pugnaret. Porro quia sæpe contingit ut qui votorum damnati sunt, mutato consilio, ad solvendum minus sint alacres ac prompti, imo ægre & inviti sese liberent: ut voluntariæ essent oblationes, Deus pretio dato redimere permisit quod promissum erat. Impositio autem pretio, quasi mulcta indicta, temeritas correcta fuit, & in posterum frenata levitas: ut ante conceptum votum probe meditarentur quid facturi essent, ne molestum deinde esset promissis stare. Notandum porro est rata fuisse vota, non quia penitus Deo placerent, sed ne assueseceret populus ad impium ejus contemptum, si fraudator impune Deo negaret quod promiserat. Primo agit Moses de personis, & masculum æstimat quinquaginta siclis sanctuarii, ab annis viginti ad sexaginta: quoniam illud est præcipuum ætatis tempus, quo utilis esse potest hominum opera. Fœminam vero æstimat triginta siclis: quia ut plurimum minus fructus percipitur ex fœmina quam masculo. Quanquam autem fieri potest ut fœminæ quædam viris longe præstent: (quia interdum reperiuntur industriæ, prudentes, cordatæ fœminæ, & ad ferendum laborem robustæ: viri autem ignavi, bardi, inertes & molles) lex tamen communis ferenda fuit, quia nimis difficile fuisset examen, si singuli pro suis virtutibus æstimandi essent. Deus ergo exacte non attendit ad cujusque meritum, sed vulgari ratione contentus fuit. Deinde præcipit de minori ætate à quinquennio usque ad annum vicesimum, & masculo quidem indicit viginti siclos, fœminæ vero decem. Postea ad infantes descendit, & in masculo unius mensis ad quinquennem pretium statuit quinque siclos, tres autem in fœmina. Quarto loco æstimat eos qui sexagenariis sunt majores, nempe virum quindecim siclis, fœminam decem: quia senium vigorem tam corporis quam animi debilitat, & paulatim consumit. Quinto loco additur exceptio, ne præter suæ tenuitatis modulum graventur pauperes, ut sacerdos quantum videbitur ex pretio diminuat. Quanquam hæc etiam moderatio locum habuit in divitibus, si commune pretium non æquaret qui redimendus erat: pauperibus tamen Deum hic peculiariter consulere ex verbis apparet, Secundum quod apprehendet manus voventis: qua particula solet Moses defectum vel inopiam notare, quia copia egenis vel tenuibus pro arbitrio non suppetit.

1 *Sam.* 1. *vers.* 22.

11. *Si autem fuerit quodlibet animal.*] Nunc secundo loco de brutis animalibus agit Moses: quæ si apta sint sacrificiis, mactari sibi Deus jubet, nec votum mutari patitur. Quod si mutila fuerint, vel immunda, legem redimendi ponit. Sed hic exoritur quæstio, quomodo vovere licuerit quæ Deus sibi offerri vetuerat, adeoque prohibuerat ab accessu templi tanquam immunda. Certe si cui in mentem venisset animal immundum mactare, repudiata fuisset superstitio, imo expiatione opus fuisset. Hic autem

(meo judicio) alia oblationis ſpecies attingitur, quæ ſacrificia & cultum templi contra Legis mandatum non vitiabat. Itaque nihil abſurdi ſi Deus recipiat tale votum, multititia tamen pecunia caſtiget levitatem. Adde quod equum robuſtum & experimentis probatum, ſi erat in periculo, vovebat herus, ut ipſo ſalvo damnatus voti, pretium ſolveret: ita & in reliquis. Nec aliud erat vovere quam committere fidei ac tutelæ Dei quod ſervari optabant. Hinc nimia votorum frequentia, quæ tamen aliquo modo præſtare neceſſe fuit, ne ſacrum Dei nomen ea ponneretur ludibrio. Hanc æſtimationem ſacerdotis arbitrio permiſit Deus. Si autem animal in victimam offerri poſſet, nulla erat redemptio: quod ſi quis aliud animal ſubſtituiſſet vel pretium ſolviſſet, dabat fraudis pœnam: quia utrumque Deo ſanctum fiebat. Stabilitur autem æſtimatio quæ voventi impoſita erit, quia ſimplicitet jubet Deus Iſraëlitas ſtare ſacerdotum judicio, & taxationem (ut vulgo loquuntur) ſibi injunctam, pro certo jure amplecti. Quin etiam alterius mulctæ nomine addere oportuit quintam partem ultra pretium à ſacerdote edictum.

14. *Vir autem quum conſecr.*] Sequitur tertium genus votorum in conſecrandis ædibus & agris. Qua etiam in parte jus medium ſtatuitur, ne ſpernatur religio, & tamen non abigantur è ſuo domicilio juſti poſſeſſores, vel agri inutiles reddantur, ceſſante cultura. Vovebant porro ſuas domos qui tutam illic & ſalubrem, & modis omnibus proſperam habitationem à Deo petebant ſibi & ſuis. Qui fertilitatem agris ſuis impetrare optabat, ex decem jugeribus aut viginti vovebat unum. Nec dubium eſt quin pietatis exercitio permiſtæ interdum fuerint ſuperſtitioſæ preces, acſi pacta mercede Dei favorem ſibi acquirerent. Verum quia res per ſe mala non erat, vitia quæ non ita facile poterant corrigi, indulgenter toleravit Deus, ne eorum odio, quæ & utilia & laude digna erant, prorſus aboleret. Hinc permiſſa tam domus quam agri redemptio. Quod ſi quis fraudaſſet agrum devotum vendendo, gravior pœna additur, ut in perpetuum ipſo careat. De anno Jubilæi alibi dicetur fuſius. Hoc in præſentia notandum eſt, ne unquam intercideret terræ partitio facta ſub Joſue, (quoniam clare oſtenderat Deus ejus ſe eſſe auctorem) quinquageſimo quoque anno revocavit Deus ſingulas tribus ad primam ſortem, atque ita poſſeſſores quos inopia expulerat, in integrum reſtituit. Quo autem propior aut remotior erat annus ille, prout magis & minus diuturna futura erat poſſeſſio, viliores erant agri aut cariores. Non metitur quidem Deus agros pertica vel funè, ſed ſimpliciter, ut apud rude vulgus, à ſatione æſtimat: nempe ut ager qui ſeminando corum hordei capit, ſolutis quinquaginta ſiclis ſanctuarii, penes dominum maneat. Hos autem ſiclos alibi vidimus vulgaribus fuiſſe duplo meliores. Sed quia vota ſæpe concipiebantur vel dimidio tempore, vel ſub finem Jubilæi, diſcrimen ponitur. Præcipit ergo Deus ſacerdotibus, ut temporis ratione habita, quo magis accedet ad Jubilæum, tantundem è pretio minuant. Cæterum ubi fraus intervenerat, noluit Deus ejici bonæ fidei emptores: ſed ubi tranſierat Jubilæum, agrum qui ſacrilegio ereptus fuerat ad tempus, ſacerdotibus in perpetuum addixit. Comparat vero Moſes hanc conſecrationem anathemati, quod Hebræi חרם vocant, voce à perdendo vel abolendo deducta: qua ratione Latini devotum accipiunt in malam partem, quod deſtinatum eſt ultimo exitio. Extenditur deinde lex ad agros emptos: qui anno Jubilæi redibant ad priores dominos, quia prima terræ ſortitio tunc reſtituebatur in integrum. Pro his agris jubet Deus pretium ſolvi, ſupputatione temporis facta, ut tantum proveotus non fundus in rationem veniat. Porro ut vulgus perperam vota quæ Deus veteri populo ſub Lege conceſſit, ſtulta affectatione mutuatum eſt: ita Papa in illis redimendis, diabolico faſtu auſus eſt Deum æmulari. Notus eſt titulus in 3. Decret. De voto & voti redemptione: ubi pudendis næniis mundum adeo liceotioſe deſpexit quiſquis fuit conſarcinator, ut non dubitet ſententias palam contrarias ſimul ingerere. Quod ſi nihil eſſet adverſum, nihil tamen illic traditur, niſi quomodo redimendæ ſint votivæ peregrinationes, quas patet ex Chriſti ſeotentia, poſt promulgatum Euangelium vitioſas eſſe. Et certe mira fuit diaboli faſcinatio, quod ſub Lege dictum erat, ſolveodaeſſe vota in Jeruſalem, transferre ad Chriſtianos, poſtquam proounciavit Chriſtus veniſſe tempus quo veri cultores ubique ſine diſcrimine locorum, adorent Deum in ſpiritu & veritate. Si objiciant conductitii Papæ rabulæ, valere eandem rationem in votis redimendis, quia negandum non ſit remedium vel ſolatium, ſi qua nimis gravia ſint vel moleſta: reſpondeo impie facere homines, ſi quod Deus ſuo arbitrio aſſeruit, ad ſe rapiant. Neque enim olim ſub Lege fas fuiſſet homini mortali votum mutare, niſi ejus permiſſu. Si rurſus excipiant, datum fuiſſe judicium ſacerdotibus, hinc bis teſellitur eorum ſtultitia: quis nec oſtendeot ſe creatos eſſe judices: & temeritatis crimen non effugient, quia ſine ullo mandato pronunciant de redemptione, quum nihil olim protulerint ſacerdotes niſi ea ore Dei & certa quæ hic traditur regula. Exceptio de primogenitis & decimis, ſatis oſtendit illicita quædam fuiſſe vota quæ Deus repudiat: ideoque non quibuslibet indifferenter locum fuiſſe datum: quoniam mera fuiſſet fruſtratio, Deo vovere quod jam ſui juris fecerat: quemadmodum alibi docuimus, ubi locum hunc inſerui. Quod de anathemate dicitur, generaliter intelligi non debet, quia fas non fuiſſet anathemati ſubjicere hominem, niſi qui interitu dignus eſſet. Quare hoc ad hoſtes reſtringitur, quos alioqui liberum erat perdere: cujus rei exemplum eſt celebre in urbe Hierico, civibus ejus, & ſpoliis. Jam quia piaculum erat quicquid fiebat anathema, tanquam execrarioni obnoxium, Deus aboleri vult, nec ullam compenſationem admittit. Quorſum in anathema devoverint agros ſuos, mihi non conſtat, niſi aliquod forte crimen unde contracta eſſet pollutio, expiare vellent.

Joan. 4. verſ. 21.

NUMER. XXX.

ET loquutus eſt Moſes ad capita tribuum in Iſraël, dicendo, Hic eſt ſermo quem præcepit Jehova:

2. Vir qui voverit votum Jehovæ, aut juraverit jusjurandum, quo conſtringendo conſtrinxerit animam ſuam, ne violet verbum ſuum: ſed ſecundum omne quod egreſſum fuerit ex ore ejus, faciat.

3. Mulier autem ſi voverit votum Jehovæ, & conſtringendo conſtrinxerit in domo patris ſui in pueritia ſua:

4. Et audierit pater ejus votum ipſius, & obligationem qua adſtrinxit animam ſuam, & tacuerit ei (vel, ad eam) pater ejus: ſtabilia erunt omnia vota ejus, omniſque obligatio qua conſtrinxit animam ſuam ſtabilietur.

5. Si

5. Si autem irritum fecerit pater ejus illo die quo audierit omne votum ab ea factum, & obligationem ejus quibus constrinxerit animam suam, non stabilietur: & Jehova parcet ei, quia pater ejus irritum fecerit.

6. Quod si fuerit sub viro, & fuerint vota ejus super eam, aut prolatio labiorum qua constrinxerit animam suam:

7. Et audierit maritus ejus, & die quo audivit tacuerit ei: tunc stabilientur vota ejus, & obligationes quibus constrinxerit animam suam stabilientur.

8. Quod si quo die audivit maritus ejus irritum id fecerit, & dissolverit vota ejus quæ erant super eam, & prolationem labiorum ejus relaxaverit, qua constrinxerat animam suam, tunc Jehova propitius illi erit.

9. Votum autem omne viduæ & repudiatæ quo constrinxerit animam suam, stabilietur super eam.

10. Porro si in domo mariti sui votum fecerit, aut constringendo constrinxerit animam suam per jusjurandum:

11. Et maritus ejus audierit & tacuerit ei, nec irritum fecerit illud: tunc stabilientur omnia ejus vota, & omnis obligatio qua constrinxerit animam suam stabilietur.

12. Quod si dissolvendo dissolverit illa maritus ejus, quo die audivit omnem prolationem labiorum ejus, ad vota ejus, & obligationem animæ ejus, non stabilietur: maritus ejus dissolvit ea, & Jehova propitius erit ei.

13. Omne votum, & omne jusjurandum obligationis ad affligendam animam maritus ejus stabiliet, & maritus ejus dissolvet.

14. Sin tacendo tacuerit maritus ejus à die in diem, tunc stabiliet omnia vota ejus, & omnes obligationes ejus quæ sunt super eam, stabiliet: quia tacuit ei quo die audivit.

15. Quod si dissolvendo dissolverit ea postquam audierit, portabit iniquitatem illius.

16. Hæc sunt statuta quæ præcepit Jehova Mosi inter virum & uxorem ejus, inter patrem & filiam ejus quæ est in pueritia in domo patris sui.

1. *Et loquutus est Moses.*] Hoc capite docet Moses, vota quæ non fuerint concepta à liberis personis, rata non haberi coram Deo. Etsi autem de liberis masculis nulla fit mentio, quia tamen eadem est conditio, videntur per synecdochen debere conjungi filiabus & uxoribus: nisi forte sexus infirmitati consulere Deus voluerit. Sed quia puellis quæ non erant sub patria potestate, vovere permittit, nec sexus rationem habet: ut levitati aut incogitantiæ subveniat, propositus videtur fuisse finis, ut tam patri in suos liberos, quam marito in uxorem jus salvum maneret.

2. *Vir qui voverit.*] Legem generalem restringere volens, ne quis in hac correctione putaret esse quicquam repugnantiæ, exordium facit à repetitione ipsius legis, ut fideliter præstet quisque quod vovit: quasi diceret, fixum quidem illud manere, sed tantum ad eos spectare qui sunt sui juris: fœminas autem & puellas quæ sub aliena sunt potestate, non esse liberas ad vovendum, nisi accesserit patris vel mariti consensus. Hæc autem præfatio exponi debet (ut ante admonui) de votis licitis, quibus nec corrumpitur religio, nec profanatur nominis Dei sanctitas. Et certe nisi Deo placeat quod offertur, nulla potest esse animæ constrictio. Cæterum quia comparatio fit maris & fœminæ, probabilis forte conjectura elici posset, pueros quoque decennes, quamvis sint filiifamilias, obstringi: atque ideo pertinaciter non contendam, quia præstat in medio relinquere quod dubium est, atque (ut vulgo loquuntur) in utramque partem disputabile.

3. *Mulier autem si voverit.*] Jam descendit ad rem ipsam de qua propositum est tractare: nempe vota à personis quæ juris sui non sunt, concepta, rata non haberi. Ac duas species connumerat. Primo enim loco docet, si filiafamilias dum habitat apud patrem, quicquam voverit ipso inscio, nullius momenti esse. Idem juris statuit si pater voto audito contradixerit: si vero tacuerit quum adesset, silentium ejus pro consensu valere pronunciat. Unde colligitur eos omnes qui potestate præditi sunt, non fungi suo officio nisi libere & cordate se opponant quoties aliquid displicet: quia eorum conniventia tacita quædam est approbatio. Secundo loco agit de mulieribus conjugatis, quarum vota absentibus maritis aut improbantibus concepta, irrita esse jubet: si vero scientes tacuerint, ad præstandum obligat. Multæ enim fraudes intervenire poterant: quia multis usitatum est, dum uxoribus gratificari volunt, ad tempus animum suum tegere; ubi vero ad seriam exequutionem ventum est, eludere quicquid fuerit promissum. Atqui nisi libertate sua in tempore utantur, Deus pœnam servilis indulgentiæ & dissimulationis luere vult: sed quia mulieres sua levitas & inconstantia sæpe ad fraudandum invitat, huic quoque periculo occurritur. Accidet ut mulier viro subjecta, præcipiti zeli fervore voveat, eo mortuo retractet speciosa prætextu, quia tunc libera non erat nec sui juris: idem faciet quæ repudiata se obstringet, deinde ubi nupserit, soluta sibi videbitur. Hujus impiæ pœnitentiæ quum nimis crebra sint exempla, non iniurum est si ad fraudes tollendas specialis addita fuerit cautio. Quare tempus voti considerandum esse pronunciat Deus, ut non minus sint obnoxiæ quam si eadem maneret conditio. Quæ ergo à patria potestate emancipatæ fuerint per conjugium, deinde vel morte vel repudio solutæ, eas ad vota solvenda damnat. Cæterum ex ultimo versu capitis patet hic duas exceptiones proprie tractari quæ legem generalem restringunt.

5. *Si autem irritum fecerit pater ejus.*] Notanda loquutio est, Deum puellæ fore propitium: qua Moses leniter stultam facilitatem castigat. paulo post idem dicetur de uxoribus conjugatis. Et certe temeritas est reprehensione digna, quod suæ conditionis immemores, quasi excusso jugo, ad audendum prosiliunt. Subindicat ergo Deus non esse extra culpam: sed ne occulto mœrore torqueantur, omnem scrupulum eximit, se placarum fore pronuncians si aliunde impedita fuerit voti solutio. Quod mariti vel patris dissensus requiritur eodem die, tantundem valet acsi dictum esset, non posse improbari quod semel placuerit. Porro tacere uxori vel filiæ, significat non se opponere, sed tacendo dare signum annuendi.

9. *Votum autem omne viduæ.*] Dixi cur nominatim de viduis præcipiat: ne scilicet mulier novis nuptiis se elapsam esse putet, quia jam iterum libera

non ſit recepto jugo: ut ſæpe ejuſmodi cavillis ſeſe extricant homines. Nec aliud agitur uſque ad finem verſus penultimi: nimis enim craſſe hallucinati ſunt, qui de familia interpretantur & hero. Res certe ipſa tale commentum non admittit: verba etiam Moſis repugnant. Quo magis mirum eſt homines linguæ Hebraicæ peritos claram lucem non vidiſſe.

Appendices tertii præcepti politicæ.

Ex Levit. XXIV.

15. Ad filios Iſraël loqueris, dicendo, Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit ſcelus ſuum.

16. Et qui transfixerit nomen Jehovæ, morte moriatur: lapidando lapidabit eum univerſus cœtus: ſive indigena fuerit, ſive peregrinus, quum transfixerit nomen, moriatur.

15. *Ad filios Iſraël loqueris*] Hinc jam clarius patet finem tertii præcepti fuiſſe ut qua decet obſervantia & veneratione colatur ſacrum Dei nomen, quia pœna capitis ſancitur contumelia qua violatum fuerit. Nam Maledicendi verbo Moſes profanas omnes & impuras voces deſignat quæ ad dedecus inurendum tendunt: ut ſi quis Deum vel injuſtitiæ vel crudelitatis inſimulet, vel eum laceret convitiis, vel ex profeſſo detrahat ejus gloriæ, ſive id per iracundiam fiat, ſive per proterviam: ut multi exaſperati evomunt horribiles blaſphemias, alii in ludibriis audaciam ſuam oſtentant. Secundum verbum quod his legitur proximo verſu, נקב, ſignificat Hebræis cavare vel perforare, & per metaphoram explicare: ſicut Latini enucleari dicunt quod penitus excutitur. Eadem eſt metaphoræ ratio in contumelia. Nam quod verterunt quidam, Qui expreſſerit, inſipidum eſt. mihi verbum transfigendi optime quadrare viſum eſt præſenti loco: nec multum abſimilis eſt Latina loquutio, proſcindere, vel lacerare. De ſenſu quidem ſatis convenit, quod Deus ſacrum ſuum nomen nolit probroſe traduci. Et certe intolerabilis eſt impietas, ubi mortalis homo linguam quæ ad celebrandas Dei laudes creata eſt, in ejus contumeliam exerit. Genus quoque mortis exprimitur, dum jubet lapidibus obrui à toto populo, ut omnes è ſpectaculo illo diſcerent abolendum eſſe tale portentum, quod terram contaminabat. Voluit etiam Deus zelum populi ſui probare, quum omnes acciſeret ad defenſionem gloriæ ſuæ, & ad vindictam armaret. Porro non Judæos ſolum qui ſe profitebantur ejus cultores, huic pœnæ ſubjecit, ſed exteros etiam, qui negotiandi cauſa in terra degerent: nempe quo ſeverius in ipſis domeſticis, qui minus erant excuſabiles, crimen punirent.

QUARTUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

8. Recordare diei Sabbathi, ut ſanctifices eum.

9. Sex diebus operaberis, & facies univerſum opus tuum.

10. Dies autem ſeptimus Sabbathum Jehovæ Dei tui eſt. Non facies ullum opus tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, & inquilinus tuus qui eſt *in portis tuis*:

11. Quoniam ſex diebus fecit Jehova cælum & terram, mare & quæcunque in illis ſunt, & quievit die ſeptimo: propterea benedixit Jehova diem Sabbathi, & ſanctificavit eum.

Repetitio Ex Deut. V.

12. Obſerva diem Sabbathi ut eum ſanctifices, quemadmodum præcepit Jehova Deus tuus.

13. Sex diebus operaberis, & facies univerſum opus tuum: dies autem ſeptimus Sabbathum eſt Jehovæ Dei tui.

14. Non facies ullum opus tu, & filius tuus, & aſinus tuus, quodvis jumentum tuum, & inquilinus tuus qui eſt in portis tuis, ut quieſcat ſervus tuus & ancilla tua ſicut tu.

15. Ac recordare quod ſervus fueris in terra Ægypti, & eduxerit te Jehova Deus tuus inde per manum fortem & brachium extentum. Idcirco præcepit Jehova Deus tuus ut facias diem Sabbathi.

Exod. 20. 8. *Recordare diei Sabbathi.*] Finis hujus præcepti eſt ut ſe exercent fideles in Dei cultu. Scimus enim niſi in tuenda religionis cura & ſtudio, fulturis nitantur vel adminiculis moveantur homines, quam proclives ſint ad ignaviam. In ſecunda quidem præcepto aliquid de externa pietatis profeſſione jam attigimus, & in primo quoque brevis facta fuit mentio feſtorum quorundam dierum: quatenus ſcilicet in Paſchate & primitiis populus, quaſi ſolenni repetitione fœderis, ſe Deo addicebat. Multæ etiam ex ceremoniis quas expoſuimus, Sabbatho affines erant. Verum non abs re Deus ſpecialem locum attribuit tam Sabbatho quam reliquis diebus feſtis. Et quanquam res ſunt conjunctæ tabernaculum cum ſuis ſacrificiis ipſoque ſacerdotio, & obſervatio Sabbathi: non temere ſeorſum inſtituti ſunt dies feſti, ut hoc ſubſidio magis animaretur populus ad fovendam unitatem fidei, & retinendum Eccleſiæ conſenſum. Interim mutua ſanctuarii & Sabbathi conjunctio ex ſuperioribus liquet. Hoc quidem illuſtre eſſe voluit Deus diſcriminis ſymbolum inter Judæos & profanas gentes. Unde & diabolus, quo infamiam aſpergeret puræ ſanctæque religioni, per protervas linguas Judaica ſabbatha ſæpe traduxit. Porro quo melius pateat quid huic præcepto ſit proprium, & quid à primo ſeparatum habeat, tenenda eſt ſpiritualis figuræ veritas: quia non tantum dies certos præſcripſit Deus ad habendos conventus, ubi populus ſacrificiis, precibus, & ejus celebrandis laudibus operam daret: ſed ante oculos poſuit ſanctitatis ſummam, ut ſinguli ab operibus ſuis deſiſterent. Certe otio & deſidia non oblectatur Deus, ideoque ſimpliciter

citer in ceſſatione manuum & pedum nihil fuit momenti. Imo feriari non alio reſpectu quam ut quietem ſuam ponerent in Dei cultu, frivola fuiſſet ſuperſtitio. Quare ne erremus in ſenſu hujus præcepti, tenere convenit rei ſignatæ analogiam & conſenſum: ut ſcil. Judæi ſcirent non aliter vitam ſuam poſſe Deo probari, niſi ceſſando à propriis operibus, rationem, conſilia, ſenſus omnes carnis & affectus exuerent. Neque enim vetiti ſunt ſine exceptione quicquam operis aggredi, quia & parvulos circumcidere, & victimas adducere in atrium, & ſacrificia offerre illo die oportuit: ſed tantum revocati ſunt à ſuis operibus, ut tanquam ſibi & mundo mortui, penitus ſe Deo addicerent.

Exod. 31. *verſ.* 23. *Eze.* 20. *verſ.* 12. Quare dum alibi per Moſen pronunciat, deinde per Ezechielem, hoc inter ſe & Judæos ſignum eſſe quod eos ſanctificet, videndum eſt quæ ſit hujus ſanctificationis ſumma: nempe carnis interitus, dum ſeipſos abnegant homines, ſeque terreno ingenio abdicant, ut regantur atque agantur Spiritu Dei. Quanquam res jam ſatis perſpicua eſt, operæpretium tamen erit eam pluribus confirmare. Ac primo quidem ceremoniale

Col. 2: 13. hoc fuiſſe præceptum Paulus clare docet, umbram earum rerum vocans quarum ſolidum corpus eſt in Chriſto. Quod ſi ceremonia duntaxat fuit externa quies, cujus in Chriſto quærenda ſit ſubſtantia, ſcire nunc reſtat quomodo reipſa exhiberit Chriſtus quod tunc figuratum fuit. Hoc porro definit idem

Rom. 6. *verſ.* 6. Apoſtolus quum tradit veterem noſtrum hominem crucifixum eſſe cum Chriſto, & nos ei conſepultos, ut nobis ejus reſurrectio ſit vitæ novitas. Ac certe ex multis locis colligitur rem fuiſſe maxime ſeriam Sabbathum ſervare: quando nullum aliud præceptum ſæpius inculcat Deus, nec quicquam ſæverius

Jer. 17. *verſ.* 24. *Eze.* 20. *verſ.* 21. & 22: 8. & 23: 38. *Num.* 15. *verſ.* 32. exigit. deinde ubi conqueritur ſe contempto Judæos ad extremam impietatem prolapſos eſſe, tantum dicit violata fuiſſe Sabbatha, acſi in eorum obſervatione præcipue conſiſteret religio. Quod niſi eximium aliquid & ſingulare fuiſſet in Sabbatho, videri poſſet æquo atrocius, jubere hominem interfici tantum quoniam ligna ceciderat. Quare ſtatuendum eſt ſubſtantiam Sabbathi, quam Paulus in Chriſto reperiri docet, non fuiſſe vulgare aliquod bonum. Nec vero ejus præſtantia multis elogiis indiget, quia ſpiritualis quies nihil aliud eſt quam mors hominis maxime optanda & vere beata, quæ Dei vitam in ſe

Galat. 2. *verſ.* 20. continet: ſicuti gloriatur Paulus ſe jam eſſe quaſi mortuum, quia in ipſo Chriſtus vivit. Apoſtolus in

Hebr. 4. *verſ.* 3. Epiſt. ad Hebr. ſubtilius diſſerit, veram requiem nobis aſſerri per Euangelium, & eam repudiari ab incredulis. Etſi autem allegoricum quiddam miſcet, genuinam tamen præcepti cauſam retinet, quod nobis ceſſandum ſit à noſtris operibus, ſicuti Deus à

Iſa. 58. *verſ.* 13. ſuis requievit. Hac ratione Jeſaias dum hypocritas objurgat quod in externo tantum ceſſandi ritu inſiſterent, exprobrat inveniri in ipſo Sabbatho eorum voluntatem: acſi diceret legitimum Sabbathi uſum referri debere ad noſtri abnegationem, quia is demum ceſſare ab operibus ſuis cenſetur qui non agitur ſuo arbitrio, nec conſiliis ſuis indulget, ſed à Spiritu Dei ſe dirigi patitur. Porro uſque eo patet hæc hominis exinanitio, ut in bonis quoque operibus violetur Sabbathum, quamdiu ea ducimus noſtra eſſe. Recte enim Auguſtinus (ultimo cap. lib. 22. De civit. Dei), Nam & ipſa bona opera noſtra quando ipſius potius intelliguntur eſſe quam noſtra, tunc nobis ad hoc Sabbathum adipiſcendum imputantur, dum vacamus ad videndum quod ipſe eſt Deus: quia ſi nobis ea tribuerimus, ſervilia erunt, quum de Sabbatho dicatur, Omne opus ſervile in eo non facietis. Quæritur nunc cur ſeptimum quemque diem potius aſſignaverit Deus Sabbatho, quam ſextum vel decimum. Quia ſeptenarius numerus ſæpe in Scriptura perfectionem deſignat, putarunt quidam hoc modo admonitos fuiſſe fideles, toto conatu ad perfectam ſanctitatem enitendum eſſe, ne dimidia tantum ex parte ſe Deo addicerent. Alii diverſam ſententiam eliciunt, quamvis non contrariam, fideles fuiſſe edoctos, ut cunque jam ſanctificati eſſent, ſinceroque animo ſtuderent à propria vita ceſſare, manere tamen aliquid carnis reſiduum: ideoque toto vitæ curſu meditandam eſſe ſanctitatem quam nullus mortalium aſſequitur. Ego vero non dubito quin Deus ſex diebus condiderit mundum ac ſeptimo quieverit, ut documentum ederet ſummæ operum ſuorum perfectionis: atque ita dum ſe typum proponit ad imitationem, ſignificat ſe ad veram felicitatis metam ſuos vocare. Etſi autem in hoc præcepto incluſa eſt promiſſio, ſeorſum tamen, & quaſi in transcurſu notanda eſt. Promittit quidem ſicut benedixit diem ſeptimum ut eum ſegregaret, ita ſe benedicturum fideles ut eos ſanctificet. Verum præcipuæ ſunt jubendi partes. Et tantundem valet narratio benedictionis acſi exhortatio eſſet ad parendum. Quoniam alioqui intempeſtive hoc eſſet poſitum inter Legis mandata. Quod autem dixi feriandi ritum figuram ſpiritualis & maximi myſterii fuiſſe, ac proinde ceremoniale hoc præceptum cenſeri, non ita accipiendum eſt acſi non eſſent alii quoque diverſi fines. Et certe diem ſeptimum ſibi ſumpſit Deus ac conſecravit completa mundi creatione, ut in conſideranda operum ſuorum pulchritudine, excellentia, & decore, cultores ſuos aliis omnibus curis ſolutos prorſus retineret. Nullum quidem momentum præterire æquum eſt, quo non attenti ſimus ad conſiderandam in admirabili mundi opificio & gubernatione Dei ſapientiam, potentiam, bonitatem, juſtitiam. Sed quia lubricæ ſunt mentes noſtræ, & ſubinde vel diſtiluunt vel diſtrahuntur, Deus pro ſua indulgentia infirmitati noſtræ conſulens, diem unum à reliquis ſeparat, & ab omnibus terrenis negotiis & curis immunem eſſe jubet, ne quid ſanctum illud ſtudium impediat. Hac ratione non ſimpliciter voluit ſingulos domi quieſcere, ſed convenire ad ſanctuarium, ut illic precibus & ſacrificiis operam darent ſimulque proficerent in doctrina pietatis ex Legis interpretatione. Quoad hanc partem, nobis cum veteri populo communis eſt Sabbathi neceſſitas, ut die uno liberi ſimus, atque ita melius parati tam ad diſcendum quam ad fidem noſtram teſtandam. Tertius etiam Sabbathi finis notatur à Moſe, ſed quaſi accidentalis, ut ſit aliqua ſervis relaxatio. Quia hoc ad charitatis regulam pertinet, proprie locum non habet in priore tabula: ideoque additur à Moſe tanquam extrinſeca utilitas: ut paulo poſt iterum dicetur.

Recordare.] Eodem ſenſu in Deuteronomio dicitur, Cuſtodi. Hinc colligimus non de re levi verba fieri, ubi Deus non uno verbo ſanctitatem Sabbathi commendat, ſed Judæos ad ſollicitam obſervationem hortatur, atque ita incuriam transgreſſionis inſtar fore pronuneiat. Porro, quum dicit, Sex diebus operaberis, oblique ingratitudinem exprobrat, ſi forte illis grave eſſet ac moleſtum diem unum ex ſeptem Deo dicare, quum pro ſua liberalitate ſex illis permittat. Neque enim (ut inſcite quidam putarunt) exigit ſex dierum laborem, ſed ipſa facilitate eos ad parendum allicit, quod ſeptimam partem duntaxat ſibi vendicet: acſi diceret, Quando aſſidui toto ſtudio & mentis attentione eſſe non poteſtis ad me quærendum, ſaltem exiguum aliquod tempus mihi vacuum concedite. Ideo dicit, Univerſum opus: quo ſignificat, dempto Sabbatho ſuppetere adhuc ſatis temporis ad omnia negotia.

10. *Non facies opus.*] Nempe quod vel pridie confici potuit, vel in craſtinum differri poteſt. Audire duos litigantes judicibus fas non fuit: ſi quis autem violenter aggreſſus eſſet proximum, prohibere injuriam licuit, & opem ferre innoxio: quia neceſſitas moram non patiebatur. Cibum hoſpitibus coquere non licuit: ſi bos vel aſinus in foveam eccide-

derat, debuit educi: quia postridie serum fuisset
Marc. 2. vers. 27. auxilium. Hac de causa pronunciat Christus, Sabbathum factum esse hominis gratia, non autem hominem propter Sabbathum: quia non plus exigit Deus quam utile erat vel necesse ad populum in studio pietatis continendum. Ita bovem ad pascendum emittere impium fuisset: si autem exiisset bos cornupeta, retrahere ad stabulum ne obvios occideret vel læderet, rectum fuit.

Servus tuus & ancilla.] Quanquam in Deuteronomio additur, Deum æquitati consulere dum servis & ancillis remissionem à labore dari jubet, ac in memoriam Israëlitis revocatur fuisse olim servos, quo magis ad humanitatem sint propensi: tenendum tamen est quod admonui, proprie spectatum fuisse unum Dei cultum. Scimus autem totum Abrahæ genus sic fuisse Deo sacrum, ut servi essent quædam accessio: unde & Circumcisio communis illis fuit. Et certe nimis absurdum est, hominem in familia cui præest, & in qua vult agnosci dominus, fovere profanum Dei contemptum. Alia inquilinorum ratio, quibus necesse fuit quiescere die septimo, quamvis in præputio manerent. Neque enim alienigenas tantum designat qui Legi nomen dederant, sed etiam incircumcisos. Si quis excipiat, perperam factos esse consortes sacri symboli quo Deus electum populum sibi devinxerat: solutio in promptu est, non factum fuisse eorum causa, sed ne quid occurreret Israëlitis ante oculos Sabbatho contrarium. quod clarius perspicere licet in bobus & asinis. Certe Deus à brutis animalibus cultum spiritualem nunquam exigeret. Sed voluit otium animalium pro documento esse, ut quocunque verterent Israëlitæ oculos, incitarentur ad Sabbathi observationem. Nec mirum, quando in communi luctu qui suscipiebatur ad deprecandum iram Dei, indictum fuit jejunium brutis animalibus: ut hoc spectaculo admoniti miseri homines, culpæ gravitatem melius sentirent, & spontaneo reatu prævenirent Dei judicium, sibique in peccatis serio displicerent, quorum pœnam aliqua ex parte videbant imponi innoxiis animalibus. Adde quod si vel minima libertas fuisset illis permissa, cessando multa fecissent in fraudem Legis, opera sua per inquilinos & jumenta peragendo.

11. *Quoniam sex diebus fecit Jehova.*] Ex hoc loco probabilis conjectura elicitur, Sabbathi sanctitatem fuisse priorem Lege. Et certe quod ante narravit Moses, vetitos fuisse die septimo Manna colligere, videtur ex recepta notitia & usu sumptum. Et quum Deus sanctis tradiderit sacrificandi ritum, credibile non est omissam fuisse Sabbathi observationem. Sed pro humani ingenii pravitate, quod apud profanas gentes prorsus extinctum erat, in progenie autem Abrahæ fere obsoletum, Deus Lege sua renovavit, ut sancta & inviolabili observantia Sabbathum coleretur: quod inter dedecora Judaicæ gentis posuerunt impuri canes.

Loci ad quarti præcepti expositionem spectantes.

Ex Levit. XIX.

30. Sabbatha mea observabitis, & sanctuarium meum metuetis. Ego Jehova.

Ex Levit. XXVI.

2. Sabbatha mea custodite, & sanctuarium meum timete. Ego Jehova.

Ex Exodi XXIII.

12. Sex diebus facies opera tua: die autem septimo quiesces, ut quiescat bos tuus, & asinus tuus, & respiret filius ancillæ tuæ, & peregrinus.

Ex Levit. XXIII.

3. Sex diebus facietis opus: septimo die cessatio est quietis, celebritas sancta: nullum opus facietis in eo: Sabbathum est Jehovæ in cunctis habitationibus vestris.

Ex Exodi XXXI.

12. Dixit præterea Jehova ad Mosen, dicendo,
13. Et tu alloquere filios Israël, dicendo, Veruntamen Sabbatha mea custodietis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis quod sum Jehova sanctificans vos.
14. Custodietis igitur Sabbathum, quia sanctitas est vobis: quisquis profanaverit illud, moriendo morietur: quia omnis faciens in eo opus, excidetur anima ipsa è medio populorum suorum.
15. Sex diebus fiet opus: at die septimo Sabbathum cessationis est, sanctitas Jehovæ: quicunque fecerit opus die Sabbathi, moriendo morietur.
16. Observabunt itaque filii Israël Sabbathum, observando ipsum in generationibus suis, pactum est perpetuum.
17. Inter me & filios Israël signum est in perpetuum: quia sex diebus fecit Jehova cælos & terram, die autem septimo cessavit & requievit.

Ex Exodi XXXIV.

21. Sex diebus operaberis, septimo die quiesces in aratione & messe.

Ex Exodi XXXV.

1. Congregavit Moses universum cœtum filiorum Israël, & dixit illis, Hæc sunt verba quæ præcepit Jehova ut faciatis:

2. Sex

2. Sex diebus facies opus, die septimo erit vobis sanctitas, Sabbathum cessationis Jehovæ: quisquis fecerit opus in eo, morietur.

3. Ne accendatis ignem in omnibus habitaculis vestris die Sabbathi.

Ex Levit. XIX.

3. Sabbatha mea servate: ego Jehova Deus vester.

Levit. 19. 30. & 26. 2. *Sabbatha mea observate, & sanctuarium meum timete.*] Ex his duobus locis manifestum est, Sabbatho annexum fuisse cultum tabernaculi: nec modo res fuisse conjunctas in solubili vinculo, sed otium à laboribus debuisse referri ad sacrificia: quoniam merum fuisset ludibrium feriari non alio fine proposito; imo quum de quiete loquutus est Moses, reverentiam sanctuarii videtur subjicere tanquam genus, ut intelligat populus tolli omnia obstacula quæ abstrahere solent à Dei cultu. Loquutio est impropria, quod dicit, Timete sanctuarium: sed tantundem valet atque in ipsa sanctuarii veneratione ostendere quam vere & serio Deum timeant, qui se illic præsentem fore promiserat quoties invocaretur.

Exod. 23. 12. *Sex diebus.*] Hoc loco repetitur adventitia utilitas, quamvis non sit ex prima & genuina institutione Sabbathi, nempe quod hoc modo familia quoque & jumenta sublevabuntur. Non est alienum absurdum, numerari hoc inter alia bona ad Sabbathi commendationem, quamvis membrum sit secundæ tabulæ. Et scimus rudem illum populum modis omnibus alliciendum fuisse, ut alacriter deberet Deo cultum præstare. Summa igitur est, non modo testatum se facturos suam erga Deum pietatem, sed clementiæ erga servos. Herile vero imperium mediocriter ab illis exercendum esse ante docui, si memores essent antiquæ conditionis: quia ipsi quoque in Ægypto fervierant. Si quis putet rationem non quadrare, quia illic oppressi fuerant immani & dira tyrannide, responsio in promptu est, ex proprio sensu potuisse melius statuere quam deceret, & intolerabilis esset servitus.

Exod. 31. 13. *Et tu alloquere filios Israel.*] Eadem quæ prius inculcat, additis quibusdam aliis verbis, quale est illud, Sanctitas erit vobis: qua voce hortatur ut ritum hunc tanquam sacrosanctum & inviolabilem sollicite observent, quia in ejus negectu concideret religio. Et ideo capitalem pœnam denunciat si quis opus illo die fecerit. Unde iterum colligitur mysterii dignitas & præstantia, quum delictum in speciem fœdi Deus morte dignum censuerit. Minime autem execrabilis fuit contemptus, quasi ex professo pelliendare quod Deus volebat notam esse discriminis inter populum suum & profanas gentes. Eodem reliquunt qui sequuntur loci, quorum supervacua esset repetitio, nisi quia hoc modo admonitus fuit populus rem esse maximi ponderis. Ac vetando ignem accendere, cavillis omnibus occurrit, quorum fuissent satis prompti artifices: negasset enim si pridie apposita fuisset olla ad focum, violari Sabbathum igne accenso. Quod ergo præ aliis tolerabile fuisset, excludit Deus, ne se in victu parando occupent, vel aliud terrestre opus suscipiant quantumvis favorabile. Quod autem factum seculi, vel æternum vocat, inde pertinaciæ materiam arripiunt Judæi, & in Christum quasi fœdifragum proterve bacchantur quod Sabbathum abrogaverit. Non litigabo cum ipsis de voce עולם, quæ ubique perpetuitatem non sonat, sed longum tempus: in re ipsa simpliciter insistam. Quicquid sub Lege dictum fuit æternum, dico respexisse ad novitatem quæ Christi adventu contigit: atque adeo Legis æternitas non longius extendi debuit quam ad plenitudinem temporis, quo exhibita fuit umbrarum veritas, & Dei fœdus novam formam induit. Si vociferentur Judæi, perpetuum & temporale esse contraria, negandum est secundum diversos respectus: quia certe quod proprium est Legis, vigere non debuit nisi usque ad Christum. Adde quod Sabbathum, quamvis hodie in usu non sit externa ejus observatio, æternum tamen manet ipso effectu, sicut Circumcisio. Itaque abrogatione optime sancita fuit utriusque stabilitas: quia si hodie à Christianis idem exigeret Deus, velum opponeret morti & resurrectioni Filii sui. Et Judæi quo magis sedulo incumbunt ad servandum diem festum, eo magis derogant ejus sanctitati. Nos vero falsa invidia gravabit, acsi contumeliosi essemus in Sabbathum: quia nihil est quod rem ipsam & substantiam melius confirmet quam abolitio externi usus. Huc etiam accommodent lectores quæ scripsi in caput 17. Genesis, ne frustra cum eorum tædio prolixior sim: & in sacrificiis tractandis nonnihil attigi quod ad eandem doctrinam conveniet. Quod Exodi 34. diserte feriari jubet Deus in aratione & messe, non perinde est acsi frenum laxaret in reliquum anni tempus: sed vinculum magis adstringit, quia nulla necessitas sacram hanc observationem interrumpere debeat. Videri alioqui poterat honestus prætextus, si ob continuas pluvias, aut alia cæli incommoda difficilis esset aratio, solvendos esse lege agricolas, ne cessatio sterilitatem adduceret. Idem fuisset judicium in colligenda segete, ne in agro corrumperetur. Atqui Deus nullam dispensationem admittit, quin dies septimus servetur etiam cum periculo communis jacturæ.

Appendices ad quartum præceptum.

Ex Exodi XXIII.

10. Sex annis seres terram tuam & congregabis fructus ejus:

11. Anno autem septimo omittes eam, & quiescere sines, ut comedant pauperes populi tui, & residuum comedant bestiæ agri. Ita facies vineæ & oliveto tuo.

Ex Levit. XXV.

1. Loquutus est Jehova ad Mosen in monte Sinai, dicendo,

2. Alloquere filios Israël, & dic illis, Quum veneritis in terram quam ego do vobis, sabbathizet terra quiete Jehovæ.

3. Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, & fructum ejus colliges.

4. Septimo autem cessatio quietis erit terræ, Sabbathum Jehovæ: agrum tuum non seminabis, nec vineam putabis.

5. Quæ sponte gignet terra in messe tua non metes, & uvas possessionis tuæ non vindemiabis: annus enim quietis terræ est.

6. Sed erunt vobis in cibum, tibi & servo tuo, ancillæ, & mercenario, & inquilino tuo qui peregrinatur apud te.

7. Jumentis quoque tuis & pecoribus terræ tuæ erit cunctus ejus proventus in cibum.

Ex eodem Capite.

20. Quod si dixeritis, Quid edemus anno septimo, si neque seminabimus, nec colligemus fruges nostras?

21. Ego mandabo benedictionem meam anno sexto, & edet proventum tribus annis.

22. Seminabitis anno octavo: comedetis tamen è proventu veteri usque ad annum nonum: donec nova nascantur, comedetis vetera.

Exod. 23. 10. *Sex annis seres terram tuam.*] Sequitur alter sabbathismus, nempe annorum, in terræ cultura. Sicut enim septimo quoque die quiescebant homines & jumenta, sic Deus annum septimum quieti terræ præfixit. Prout unaquæque regio vel feracior est vel magis arida, ita tertio aut quarto quoque anno cessant agri, ne exhausto succo prorsus sterilescant. Certe vix reperitur ea terræ fœcunditas quæ assiduæ productioni sufficiat. Datur igitur aliqua relaxatio donec terra vigorem recuperet; sed hoc nonnisi ad triticum, hordeum, pisa, fabas, & legumina, & quæcunque seruntur, pertinet. In præstis & vitibus diversa est ratio: quia ubi prata quotannis secantur, non maceratur terræ ubertas: vites autem nisi excolantur, degenerant. Quod terra Chanaan sex annorum fationem absque hallitudine ferre potuit, signum fuit raræ & eximiæ fœcunditatis. Hac dote eam nobilitavit Deus in favorem populi sui. Nec vero cessationem indixit necessitatis causa, quando anno sexto vim suæ benedictionis duplicavit: sed ut fulgeret ubique Sabbathi sanctitas, atque ita ad ejus observantiam, terræ conspectu magis animarentur filii Israël. Porro quietis ratio talis fuit, ne quid sereretur anno sacro, & ne vineæ putarent. Si quid autem nasceretur ex deciduis granis messis proximæ, commune erat tam indigenis quam hospitibus: quanquam pauperibus tam fruges quam racemos sponte nascentes peculiariter concessit, ut gratuita quædam esset largitio ad levandam eorum egestatem. Atque hæc humanitas & beneficentia erat accessio ad pietatis exercitium. Non fuit quidem maxime vel præcipue Deo propositum aliquid afferre solatii pauperibus: sed (quemadmodum ante diximus) absurdum non fuit officia charitatis subsequi Dei cultum. Si obstrepant profani homines, nihil esse brutæ telluri cum spirituali mysterio: jam respondimus, quamvis Sabbathum apud solos fideles tanquam pignus inæstimabilis boni depositum fuerit, ejus tamen notas ideo tam in pecudibus & jumentis quam in mortuis creaturis apparuisse ad renovandam ejus memoriam, ne frigidior esset populus, vel languesceret ejus studium. Quod si facete exagitent, præclare fuisse actum cum Judæis, qui in præcipua gratia socios habuerint asinos & boves una cum agris: respondeo eur non eandem scurrilitatem exerant in re vulgari. Quando enim ante mandatur salutis doctrina chartæ vel membranæ quam nobis, cur fidei nostræ obedientiam plenis buccis non deridunt, quod stulta credulitate ample-ctimur promissiones à fœrida pelle vel sordida alia materia ad nos transmissas? Sabbathi observationem voluit Deus insculptam esse omnibus creaturis, ut quocunque verterent oculos Judæi, in ea retinerentur. Cur non igitur terra notabilis esse potuit character ad crassam hujus doctrinæ explicationem? Quod dicitur, Residuum eomedent bestiæ agri, non extenditur ad feras noxias, quas licuit abigere à possessionibus: sed tantum jubet Deus promiscue exponi in victum tam hominibus quam bestiis quicquid terra protulerit. Et obliqua est quæstionis solutio, quia Deus ostendit herbas non esse periturras, quamvis nullum sit fœnisecium. Bestiis enim herbas fore loco fœni, ut in agris & pratis ad satietatem pascantur. Exprimur tamen alia quæstio ex lege Levitici: ubi Deus agrorum possessoribus & eorum familiis colligere in alimenta permittit quod tunc sponte natum fuerit. Sed nihil obstat quominus ipsa quoque tanquam extranei, & ex aliorum munere vesci potuerint frugibus quæ omnium communes erant, modo ne sua rapacitate fraudarent pauperes. Idem paulo post subjicitur in descriptione jubilæi: nam etsi annus ille qui complebat septem septenarios, reliquis erat celebrior, permittit tamen Deus omnes frugibus sponte natis vesci. Restrictius loquitur in Exodo, quo magis eos ad liberalitatem hortetur. In Levitico autem docet non esse peccatum ne quid intercidat ex terra proventu: quia præter mercenarios & peregrinos, ipsis quoque & servis eorum, & jumentis licebit cibum capere. Quod dicit, Sponte genitum in messe tua, de eo quem metere solebant, interpretor: licuit paulo post separationem eorum vocat peculiare jus dominii in vitibus. Quamvis ergo fundum esse suum possessor jactaret, ac proinde messem sibi debere salvam reliqui: Deus admonet fructum, nihilominus esse communem anno sabbathario. Messis itaque pro agro sativa accipitur, sicuta separatio pro vite putata, vel ejus fructu. Aliter vetus Interpres qui transtulit Uvas primitiarum. Sed si placeat hunc sensum amplecti, consulto exprimere Moses nullam oblationem jus acquirere agrorum communis, ut privatim sibi vindicaret quod in vinibus natum erat, nempe quia plausibile erat ex vindemiis primitias offerre Deo: & hunc colorem obducere Judæis promptum erat, consecrari in primitiis eorum proventum. Atqui cavillo obviat Deus, perperam trahi ad annum extraordinarium cessationis, quod de legitima cultura dictum erat. Verum quia nomen שמט separationem significat, non video cur mutemus quod optime convenit. Quanquam adhuc in sensu dissentiunt interpretes: quia alii accipiunt pro derelictione, quod possessor quisque sit proprio jure abdicabat, ut communis esset vindemia. Alii exponunt, quia se abstinuerint à culture illius anni. Ego vero ut jam dixi, simpliciter existimo separationem vocari jus peculiare, quod habebat possessor, ut non liceret alienis vindemiam attingere, excepto Sabbatho. Ita separatio opponitur agris communibus & publice expositis.

Levit. 25. 20. *Quod si dixeritis.*] Nunquam Dei præceptis morigeri erunt homines nisi correcta diffidentia: & semper ingeniosi sunt ad captandos prætextus, ne pareant. Fuit autem speciosa excusatio Judæis à difficultate: quia duobus annis confi-

cere

cere eos poterat eſuries, quum anno ſeptimo neque ſererent, neque meterent: ad metendum vero exſpectandus eſſet finis anni octavi. Jam unde ſementis copia, poſtquam terra annum integrum ceſſaverat? Non abs re ergo Deus hac dubitatione ipſos liberat, fœcunditatem promittens ſe daturum anno ſexto, quæ exuberet in alios duos ſequentes annos. Ac notanda eſt loquutio, Deum ſuam benedictionem mandare ſingulari modo & præter conſuetum morem, ut terra duplo vel triplo ſit fertilior. Unde nobis ſuggeritur non vulgaris materia fiduciæ ad panem noſtrum quotidianum petendum. Sed hæc ſpecialis fuit promiſſio, non debere Judæis alimenta propter Sabbathum: cujus rei ſpecimen Deus jam ante in deſerto ediderat, quum pridie Sabbathi ſuppetet et colligentibus duplex Mannæ portio. Hodie hoc incommodum vitatur agricolarum induſtria, qui ſic agrorum jugera partiti ſunt, ut nunquam in totum otioſa ſit terra, dum pars una ſupplet alterius defectum. Ea diſtributio apud Judæos locum non habuit. Ergo penuriæ metum illis ademit Deus uſque ad meſſem anni octavi: quanquam videtur ſimul eos ad frugalem uſum aſſuefacere, ne intemperantia & luxu diſſipent quod largius contulit, ut in duos annos redundet. Ad hoc præceptum alludit Deus, quum per Prophetas denunciat terram fruituram ſuis Sabbathis, ubi ſuos incolas evomuerit. Quia enim Sabbathum violando ipſam polluerant, ut gemeret ſub gravi onere, dicit longa & continua ſerie quieturam, ut ceſſatio compenſet multorum annorum laborem. 2 Par. 36.

Ex Levit. XXV.

8. Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſeptem annos ſeptem vicibus: qui quidem dies ſeptem Sabbathorum annorum, efficient tibi quadraginta novem annos.

9. Tunc tranſire facies tubam jubilationis menſe ſeptimo, decimo menſis, id eſt, die expiationum: tranſire, inquam, facietis tubam per univerſam terram veſtram.

10. Sanctificabitiſque annum quinquageſimum, & proclamabitis libertatem in terra cunctis habitatoribus ejus: Jobel ipſe erit vobis: & revertemini quiſque ad poſſeſſionem ſuam, & quiſque ad familiam ſuam revertemini.

11. Jobel ipſe annus quinquaginta annorum erit vobis: non ſeretis, neque metetis quæ ſponte produxerit terra, neque vindemiabitis ſeparationes ejus.

12. Quia Jobel eſt, ſanctus erit vobis, agri eomedetis fructum.

13. Anno Jobel iſto revertemini ſinguli ad poſſeſſionem ſuam.

8. *Numerabis quoque.*] Subjicitur tertium genus Sabbathi quod conficitur ex anois quadraginta oovem, vel ex ſeptem annorum ſeptenariis. Hoc Sabbathum celeberrimum erat, quia tam in perſonis quam in ædibus & agrorum fundis renovabatur populi ſtatus. Quanquam autem hoc modo publicæ utilitati conſuluit Deus, pauperibus opitulatus eſt ne eorum opprimeretur libertas, ordioem quoque à ſe poſitum ſervavit: minime tamen dubium eſt quin addiderit olim ſtimulum quo Judæi ad cultum Sabbathi incitareotur. Fuit enim inſigne aliquod monumeotum ſacræ quietis, videre ſervos manumitti, & fieri repente liberos, ædium & agrorum poſſeſſiones ad priſtinos dominos qui vendideraot, redire: denique proferri novam rerum omnium faciem. Jobel vocabant huoc annum à ſooitu cotnu arietini, quo libertas & agrorum reſtitutio promulgabatur. verum ſicut dixi, primas partes tenebat ſolennitas, ex qua diſcebant ſe à teliquis gentibus ſeparatos eſſe, ut populus eſſent peculiaris & ſacer Deo: imo redintegratio huc ſpectabat, ut magno Sabbatho iterum redempti, ſe Deo liberatori penitus addicerent.

Levit. XXIII.

Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Alloquere filios Iſraël, & dic illis, Hæ ſunt feriæ quas vocabitis convocationes ſanctas: hæ ſunt ſolennitates meæ.

3. Sex diebus fiet opus: die autem ſeptimo Sabbathum eſt quietis, convocatio ſancta: nullum opus facietis: Sabbathum eſt Jehovæ in cunctis habitationibus veſtris.

4. Hæ ſunt feriæ quas celebrabitis: hæ ſunt feriæ Jehovæ ſanctæ, quas celebrabitis temporibus ſuis.

5. Menſe primo, quarta decima menſis, ad veſperam, Peſah Jehovæ eſt.

6. Quinto decimo autem die menſis hujus, ſolennitas erit infermentatorum Jehovæ: ſeptem diebus infermentata eomedetis.

7. Die primo convocatio ſancta erit vobis: nullum opus ſervile facietis.

8. Offeretis autem oblationem ignitam Jehovæ ſeptem diebus: die ſeptimo erit convocatio ſancta, nullum opus ſervile facietis.

9. Adhæc loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

10. Alloquere filios Iſraël, & die eis, Quum ingreſſi fueritis terram quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem ejus, tunc offeretis omnes primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem.

11. Qui offert omer coram Jehova, ut ſit acceptum pro vobis: in craſtino Sabbathi offeret illud ſacerdos.

12. Facietiſque die quo offeretis omer, agnum integrum anniculum, in holocauſtum Jehovæ:

13. Et minham ejus, duas decimas ſimilæ permiſtæ oleo, oblationem ignitam Jehovæ in odorem quietis: & libamen ejus vini quartam partem hin.

14. Panem vero & polentam, & ſpicam plenam non comedetis uſque ad hunc ipſum diem,

diem, donec obtuleritis munus Dei veſtri: ſtatutum perpetuum erit in generationibus veſtris, in cunctis habitaculis veſtris.

15. Numerabitis autem vobis dies à poſtero die Sabbathi, à die qua obtuleritis omer elevationis, ſeptem hebdomades plenæ erunt.

16. Uſque ad poſterum diem Sabbathi ſeptimi numerabitis quinquaginta dies, & offeretis oblationem novam Jehovæ.

17. Ex habitaculis veſtris offeretis panem oblationis: duæ ex duabus decimis ſimilæ erunt: cum fermento coquentur primitiæ Jehovæ.

18. Offeretiſque cum pane illo ſeptem agnos integros anniculos, & juvencum filium bovis unum, & arietes duos: erunt holocauſtum Jehovæ: & oblatio eorum libaminaque eorum, oblatio ignita erit odoris quietis Jehovæ.

19. Facietis quoque hircum caprarum unum pro peccato, & duos agnos annieulos in ſacrificium proſperitatum.

20. Offeretque ſacerdos illa ultra panem primitiarum, elevationem coram Jehova cum duobus agnis: ſanctitas erunt Jehovæ ſacerdoti.

21. Et celebrabitis hoc ipſo die celebritatem, convocatio ſancta erit vobis: nullum opus ſervile facietis: ſtatutum perpetuum erit in cunctis habitaculis veſtris, in generationibus veſtris.

22. Et quum meſſueritis meſſem terræ veſtræ, non complebis angulum agri tui in meſſe tua: nec quod reſiduum erit in meſſe tua colliges.

23. Loquutus eſt præterea Jehova ad Moſen, dicendo,

24. Alloquere filios Iſraël, dicendo, Menſe ſeptimo, primo die ejuſdem erit vobis Sabbathum monimentum clangoris, convocatio ſancta.

25. Nullum opus ſervile facietis, & offeretis oblationem ignitam Jehovæ.

26. Loquutus eſt quoque Jehova ad Moſen, dicendo,

* vel, *atque.* 27. *Veruntamen in decimo menſis hujus ſeptimi, dies expiationum erit: convocatio ſancta erit vobis, affligetiſque animas veſtras, & offeretis ſacrificium ignitum Jehovæ.

* vel, *ſuper vos, aut: pro vobis.* 28. Nullum opus facietis boc ipſo die, quia dies expiationum eſt ad expiandum *vos coram Jehova Deo veſtro.

29. Omnis enim anima quæ non fuerit afflicta eo ipſo die, excidetur è populis ſuis.

30. Et quiſquis fecerit quodcunque opus eo ipſo die, perdam animam illam è medio populi ſui.

31. Nullum opus facietis: ſtatutum perpetuum erit in genetationibus veſtris, in cunctis habitationibus veſtris.

32. Sabbathum quietis eſt vobis, & affligetis animas veſtras nona menſis in veſpera: à veſpera uſque ad veſperam quieſcetis in Sabbatho veſtro.

33. Loquutus eſt & Jebova ad Moſen, dicendo,

34. Alloquere filios Iſraël, dicendo, Decimo quinto die menſis ſeptimi hujus, ſolennitas tabernaculorum erit ſeptem diebus Jehovæ.

35. Die primo erit convocatio ſancta: nullum opus ſervile facietis.

36. Septem diebus offeretis ſacrificium ignitum Jehovæ: die octavo convocatio ſancta erit vobis, & offeretis ſacrificium ignitum Jehovæ: ſolennitas eſt, nullum opus ſervile facietis.

37. Iſtæ ſunt feſtivitates Jehovæ quas vocabitis convocationes ſanctas, ut offeratis in eis ſacrificium ignitum Jehovæ, holocauſtum & oblationem, ſacrificium & libamina ſuo quodque die:

38. Præter Sabbatha Jehovæ, & præter dona veſtra, præterque omnia vota veſtra, & præter omnes ſpontaneas oblationes veſtras quas dabitis Jehovæ.

* vel, *utique.* 39. *Veruntamen decimo quinto die menſis ſeptimi, quando congregaveritis fructum terræ, celebrabitis celebritatem Jehovæ ſeptem diebus: die primo erit Sabbathum, die quoque octavo erit Sabbathum.

40 Sumetiſque vobis die primo fructum arboris decoræ, & ramos palmarum, & ramos arboris denſarum frondium, & ſalices torrentis, & lætabimini coram Jehova Deo veſtro ſeptem diebus.

41. Celebrabitis, inquam, iſtam celebritatem Jehovæ ſeptem diebus quotannis: ſtatutum perpetuum erit in generationibus veſtris, menſe ſeptimo celebtabitis illam.

42. In tabernaculis habitabitis ſeptem diebus: omnis indigena ex Iſraële habitabit in tabernaculis.

43. Ut ſciant generationes veſtræ quod in tabernaculis habitare feci filios Iſraël, quando eduxi eos è terra Ægypti: ego Jehova Deus veſter.

44. Loquutus eſt igitur Moſes de ſolennitatibus Jehovæ ad filios Iſraël.

4. *Hæ ſunt feriæ.*] Sabbatho affines ſunt alii dies feſti quos hic recenſet Moſes. Primo loco ponitur Paſcha, cujus tamen myſterium non abſque ratione primo præcepto conjunxi. Nam illic expoſita fuit inſtitutio, quatenus populum retinebat, ne ad deos alienos deficeret. Initiabantur enim illo ritu in obſequium

quium Dei, ut cunctis superstitionibus Gentium valere jussis, in pura Legis doctrina acquiescerent. Pascha igitur per se appendix fuit primi præcepti, dies tamen quotannis recurrens inter alios dies festos apte numeratur. Et certe non alium quarti præcepti finem vel usum esse liquet, quam ut populum exercerent in Dei cultu. Sed quum ipsa agni mactatio repræsentaret adoptionis gratiam, qua Deus populum sibi devinxerat, primo præcepto jungere oportuit. Nunc itaque altera parte contenti sint lectores, quod annua celebritas subsidium fuerit æternæ memoriæ, ne unquam exciderent Israëlitis sua redemptio.

10. *Quum ingressi fueritis.*] Nunc de secundo die festo præcipit Moses qui dicatus fuit offerendis primitiis. Ritus describitur, ut in manum sacerdotis tradant manipulum: quanquam aliis placet notari mensuram quæ erat decima pars epha: & omer, utrumque significat. Verum præsenti loco melius convenit nomen manipuli, quia sic ad vivum repræsentabant initium messis: non enim licebat vel tosta grana gustare ante oblatas primitias. Eum sacerdos elevabat coram altari, sed in modum ventilationis: sic enim distinguunt Hebræi inter duas species, quod תְּרוּמָה sursum tolleretur, תְּנוּפָה autem, cujus hic fit mentio, agitaretur versus quatuor mundi plagas: deinde fiebat sacrificium & libatio. Scimus profanas gentes ita sibi deos frugum ac deas fabricasse, ut terra communis esset & magna deorum hominumque mater. In hunc errorem statim delapsi fuissent Judæi, vel Deo præterito se ingurgitassent, nisi hoc ritu admoniti didicissent in cælo sibi esse nutricium patrem, cujus terra minister esset in promendis alimentis. Nam quum in uno manipulo tota messis consecraretur, perinde erat ac si in solidum juris esse divini ostenderent quicquid protulerat terra. Sed in eo resplenduit admirabilis Dei bonitas, quod suum sibi vendicans, nihil detrahebat ex victu populi: quando postea tantquam ex Dei manu recipiebant quod singuli habebant domi repositum, perinde ac si è Dei sanctuario prodiret. Nota enim est Pauli sententia, Si sanctæ sunt primitiæ, totam quoque massam esse sanctam: ubi ad hunc veterem Legis ritum alludit. Quod vertunt, Ad placationem vestri, idem est nomen quod alibi exponunt interpretes beneplacitum: & ad populum referunt, acsi dictum esset Pro arbitrio vel ad libitum, ut loquuntur barbari. At vero alibi docui, de favore & benevolentia Dei intelligi debere. quantquam ad populum transfertur passivo sensu: quemadmodum in Psalmo רָצוֹן vel beneplacitum electi populi, vocatur gratuitus amor quo Deus Ecclesiam suam prosequitur. Significat autem Moses non aliter posse tranquilla conscientia terræ frugibus vesci, quia non sentirent Deum sibi esse propitium & paterno affectu. Hodie abolita ceremonia, manet tamen ac viget inter nos ejus veritas: quia nonnisi agnitio largitatis Dei quæ ex fide nascitur, & gratiarum actio sanctificant quæcunque ex Dei manu percipimus. Primitiis additur festus dies septem hebdomadum, quem Græci vertunt Pentecostes, in eundem finem respiciens: postquam enim ex intacta segete primitias obtulerant, alterum addebant signum gratitudinis in panibus & majore sacrificio. Notandum autem est panes duos à singulis familiis exigi, qui constent ex duabus decimis: sacrificium vero septem agnorum, juvenci unius, & duorum arietum, & hirci, duorumque agnorum, toti populo injungi. Hæc dedeum erat legitima agnitio liberalitatis Dei, quia manipuli elevatio, ut in festinatione, quasi defunctoria erat. Sicuti enim vidimus, antequam granum attingerent, postulabat Deus sibi primitias offerri, donec per otium & tempore magis opportuno plenius officio suo satisfacerent. Itaque quod nuper vidimus de primitiis, tantum præparatio fuit ad diem festum Pentecostes, in quo non spicæ, sed panes cocti ex horno tritico sacra oblatio erant.

Rom. 11. vers. 16.

Psal. 106. vers. 4.

24. *Mense septimo, primo die.*] Miror unde in mentem venerit Judæis, in festo tubarum celebrari liberationem Isaac, quando in ejus locum suppositus fuit hircus qui immolaretur: sed hoc (scil. pro solita sua audacia commenti sunt. Certe nihilo plus habet coloris quam rationis. Rectius sentiunt alii, paraseven fuisse proximi festi expiationum, propter exiguam temporis distantiam. Nam quia nulla propria nota insignitur hic dies, probabile est non separari ab altero qui paulo post sequitur, die scilicet decimo. Nisi forte magis probabile sit, semel quotannis vocatos fuisse clangore tubarum: primum ut discerent sacros conventus Dei voce fuisse indictos; deinde vocem illam renovari, ut præsto semper essent ad Dei obsequium. Atque id videtur innuere per monumentum clangoris: acsi diceret, semel quotannis tubas sonare in auribus eorum, ut tota vita sint attenti ad Dei vocem, & ad sequendum voluntarii quocunque tenderejubeat. Alii existimant præcinuisse tubas initio mensis, ut se pararent ad tres dies festos: deinde quia insignis erat tam Sabbatho anni septimi quam Jubilæo. Quid autem si Deus mensem hunc ex capite anni in septimum ordinem rejiciens, aliquod priscæ dignitatis vestigium relinquere voluerit? Omnium enim consensu receptum est, donec egressus est populus ex Ægypto, hunc fuisse primum mensem. Quidam etiam putant mundum in ipso creatum esse: quod probabili ratione non caret. Ac Judæi nunc quoque in negotiis politicis, & quæ ad usum terrenæ vitæ spectant, ex continua observatione retinent primam illam supputationem: in sacris duntaxat initium anni faciunt à Martio. Hæc quidem probabilis mihi videtur ratio cur eo qui nunc notatur die, memoriam regni sui Deus solenni promulgatione renovarit, ac septimum mensem assignarit tam Jubilæo quam Sabbatho annorum. Uno autem die finita fuit hæc solennitas, nihil fere ab ordinario Sabbatho differens nisi tubarum clangore & sacrificio: quale Numer. 29. describitur. Plus enim illic exprimit Moses quam hoc loco: quia enumerat vitulum, arietem, agnos septem, hircum pro peccato cujus accessionibus, præter holocaustum novilunii: atque ex omnibus jubet offerri holocaustum: nunc autem genus tantum uno verbo designat.

Isai. 58. 13.

27. *Verumtamen in decimo mensis hujus.*] Verbum כִּפֻּר, unde nomen כִּפֻּרִים deducitur, tam propitiare significat quam expiando delere culpam & reatum: כִּפֻּרִים ergo sunt litationes ad Deum placandum. Et pluralis numerus ponitur, quia non uno tantum genere reatus obstricti erant, sed ob multa & varia delicta opus habebant multiplici reconciliatione. Id quidem fiebat tam publice quam privatim reliquo anni tempore: nam quotquot mactabant victimas, totidem erant satisfactiones ad impetrandam veniam & Deum reconciliandum. Tamen ad hæc quotidiana exercitia dies festus quotannis fuit additus tantquam speciale monumentum, & acrior stimulus ad pœnitentiam. Solenni enim jejunio & sacrificiis eos ad pium dolorem incitari oportuit, quod toto anno iram Dei in se provocassent. ergo hoc festo die citati fuerunt ad Dei tribunal, ut se illuc sistentes, agnoscerent se obnoxios esse illius judicio, pœnam tamen deprecarentur: atque in hunc finem spectabat jejunium. Interea ex sacrificiis discebant se recipi in gratiam, quia simplex confessio tantum desperationis causa illis fuisset. Sic ergo tristitiam & alia pœnitentiæ testimonia ab illis Deus exegit, ut testatum vicissim illis faceret rite litatum esse quo propitius esset. Affligere animas, ad jejunium refertur hoc loco, quod requirebatur tanquam externa pœnitentiæ professio. Et certe in jejunio per se nihil fuisset momenti: quemadmodum clare apud Jesaiam ostendit Deus se floccifacere hypocritas, qui jejunando litare se confidunt. Sed à lautiore victu & omnibus deliciis abstracti, commonefiebant de suis malis: ut mœrore dejecti & humiliati, ardentiore studio remedium expeterent. Neque enim aliis promittitur remissio peccatorum, quam

quam qui ſerio dolore tacti ſentiunt ſe miſeros ac perditos, agnoſcunt & fatentur quid meriti ſint. Hoc modo janua aperitur ad implorandam Dei miſericordiam. Neque tamen imaginari convenit, eos qui ita ſibi diſpliceant, veniam mereri ſua præparatione. Sed quia pugnaret cum natura Dei, favore ſuo amplecti homines in vitiis ſuis demerſos, & ad peccatum obſtinatos: deinde nimis indignum eſſet, ejus clementia dari peccandi licentiam ſub impunitatis prætextu: neceſſe eſt pœnitentiam ordine præcedere, ut quis reconcilietur Deo. Unde etiam apparet, ipſum ita ignoſcere peccatoribus ut tamen oderit peccata: quando non alios abſolvit, niſi qui ultro ſe damnarunt, neque redit cum aliis in gratiam niſi qui peccatis valedicunt: non quod inſolidum quiſquam ſibi ac peccatis renunciet, ſed per indulgentiam grata eſt Deo pœnitentia, quæ merito poſſet ob multas defectus partes repudiari. Quo etiam confirmatur quod nuper dixi, non fieri pœnitentiæ merito ut Deus peccata nobis remittat, acſi culpam vel pœnam fletu, dolore, confeſſione redimeremus: quando pœnitentia in optimis quibuſque mutila ſemper ac debilis reperietur. Quare nonniſi gratuitæ Dei bonitati cauſa & laus veniæ adſcribi debet. Ideo dixi jejunio profeſſos fuiſſe Iſraëlitas culpam ſuam ac reatum, ſacrificio autem fuiſſe expiatos: quia non alia erat ſatisfaciendi ratio.

29. *Omnis enim anima quæ non fuerit afflicta.*] Hinc diſcamus quantopere placeat Deo ſacrificium afflicti & humiliati cordis: quando tam ſeveram pœnam ſumi juſſit de ceremoniæ contemptu. Et certe hoc erat nimis craſſæ ſocordiæ indicium, quum Deus incuteret iræ ſuæ terrorem, & ad lachrymas vocaret, ſecure & molliter quieſcere & vacare deliciis. Qua ratione horribili jurejurando apud Jeſaiam denunciat, ſe nunquam placabilem fore Judæis, quibus nulla fuerat reſipiſcendi cura: ſed quum Deus increpando clamaſſet per ſuos Prophetas ut properarent ad fletum, lamentum, calvitium, & cinctúram ſacci, hilariter comeſſando & bibendo dixerant, Epulemur, quia cras moriemur. Nec mirum, quando hic eſt extremæ impietatis cumulus, bruta contumacia conſcientias obſtupefacere, & Deum privare poteſtate judicis. Quantiſper enim eouſque mordetur ac pungitur peccator vitiorum ſuorum ſenſu, ut anxie ad remedium ſuſpiret, ſpes eſt aliqua ſanationis: qui vero metum cum pudore exuit, prorſus eſt deſperatus. Jam quia externis rudimentis non fruſtra Deus veterem populum exercuit ſub Lege, profana & intolerabilis incuria fuit omittere quod tam neceſſarium erat: pejor etiam durities, quaſi data opera aſpernari, ut mirari nemo debeat pœnæ ſeveritatem. Numerorum 29. capite exprimitur numerus victimarum: ſed partem illam prætereo, quia expoſitione opus non habet.

Jeſa. 22. verſ. 13.

34. *Decimo quinto die.*] In fine capitis oſtenditur cur diem feſtum tabernaculorum inſtituerit Deus: nempe ut memoria repeterent filii Iſraël, ſe in deſerto ſub tuguriis habitaſſe, quum nulla illis eſſet certa ſtatio, ſed vita quaſi erratica. Paſcha docebat mirabiliter ex præſenti morte manu Dei fuiſſe ereptos: hoc autem altero die continuum & diuturnum gratiæ ſuæ curſum Deus commendavit: quia non ſatis fuiſſet agnoſcere Dei potentiam in ipſo egreſſu, & de momentanea liberatione gratias agere, niſi omnes ſolidæ liberationis progreſſus ſimul reputarent, quos experti fuerant annis quadraginta. Huc alludens Propheta Zacharias, ubi de ſecunda redemptione verba facit, cunctis gentibus quæ ad Dei cultum converſæ fuerint præcipit ut quotannis aſcendant ad celebrandum hunc diem. Et cur potius quam alios feſtos dies? nempe quia reditus è Babylone per longum & difficile iter, & ab hoſtium incurſu & violentia infeſtum, æque memorabilis futurus eſſet ac tranſitio populi ex Ægypto in terram promiſſam. Unde colligimus, quamvis hodie abolita ſit ceremonia, ejus tamen uſum in ſpiritu & veritate adhuc vigere, ut nobis aſſidue ante oculos verſetur incomparabilis Dei virtus & miſericordia, qui nos è tenebris & profunda abyſſo mortis erutos, tranſtulit in cæleſtem vitam. Ac populum veterem pro ſua rudítate ita exerceri oportuit, ut ſinguli, à ſenibus uſque ad pueros, domibus egreſſi quaſi in rem præſentem adducerentur, & in ſpectaculo illo cernerent quod alioqui nunquam ſatis penetraſſet in eorum animos. Quanquam ſimul in futurum tempus edocti fuerunt, in terra quoque Chanaan peregrinandum eſſe: ſicuti hæc conditio præſcribitur omnibus piis & filiis Dei, ut inquilini ſint in terra, ſi cupiunt cæli eſſe hæredes. Præcipue tamen eos ad gratitudinem ſtimulare Deus voluit, quo pluris fieret quieta terræ promiſſæ habitatio, & tectorum commoditas, quum recordarentur illuc ex deſerto & miſerrima rerum omnium egeſtate manu Dei ſe fuiſſe deductos.

Zach. 14. verſ. 16.

36. *Septem diebus.*] Non feriabantur niſi primo & octavo die, habitabant tamen in tuguriis, & ſeptem continuis diebus offerebant ſacrificia: quorum alibi facta fuit mentio prolixior. Ideo quæ libro quarto diſtincte proſequitur Moſes, rejicere in alterum locum malui, ubi de ſacrificiis in genere tractavi. De voce Solennitatis non convenit inter omnes: **אשרת** à verbo **אור** deducitur, quod tam prohibere quam colligere ſignificat. Itaque quidam interpretes retinent primam etymologiam, vertendo, Retentio vel prohibitio Dei eſt. Sed quia ſenſus videtur obſcurior, non dubitavi pro Solennitate accipere, ut aliis locis. Nam abſque controverſia nunc dies feſtos, nunc cœtus aut conventus ſignificat. Liberum tamen ſit lectoribus eligere quod magis probaverint. Poſtquam verò de quiete & victimis præcepit Moſes, adjungit exceptionem, ne quid minuatur ex ordinario cultu. Poterant enim fraudulenter tranſcribere in diem feſtum ſacrificia, quibus jam alioqui obſtricti erant, & hoc cavillo dealbare una fidelia duos parietes, ut loquuntur. Quare initio proximi verſus particula **אך** adverſative videtur ſumi, quia antithefis ſit inter peculiarem cultum hujus ſolennitatis, & communes ritus qui extra diem feſtum ſervandi erant. Acſi diciſſet, ubi præſtiterint quæ Lex exigebat in ſingulos dies, non tamen ceſſandum eſſe à præſenti obſervatione: ideoque ſeorſum tam generali quam ſpeciali præcepto ſatisfaciendum eſſe, ſi rite defungi velint. Porro ex circumſtantia temporis demonſtrat debere ipſos eſſe alacres: quod tunc minimum facient jacturæ, jam repoſitis frugibus. Huc enim pertinet quod dicit, Poſtquam collegeritis fructum terræ: acſi diceret eorum commodo ſe proſpicere, quia alioqui otium domi colerent, idque ad tollendam excuſationem.

40. *Sumetiſque vobis die primo.*] Hoc ſymbolo admoniti fuerunt Judæi, celebrandum eſſe hunc diem cum hilaritate & lætitia. Fuit enim non tantum recordatio gratiæ qua Deus patres in deſerto dignatus fuerat, quum omnibus cæli injuriis expoſitos, ſub alis ſuis tanquam aquila pullos foveret: ſed etiam gratiarum actio, quod longe commodius hoſpitium in terra promiſſa illis paraſſet: ita ramos geſtando gaudium & quaſi ovationem præ ſe ferebant. Nec enim fuiſſet conſentaneum triſtes & contractis animis tuguria ſubire, quæ tam veterem quam præſentem Dei gratiam repræſentabant eorum oculis, & ſimul guſtum dabant cæleſtis vitæ, eo quod inquilini eſſent in terra. **הדר** quidam proprium nomen eſſe volunt: ſed quum ubique decorem ſignificet, nolui diſcedere à communi ſenſu: nec curioſius in verbis inſiſto quam neceſſe eſt ad rem ipſam tenendam.

Ex

Ex Exodi XXIII.

14. Ter festum celebrabis mihi unoquoque anno.
15. Solennitatem azymorum custodies: septem diebus comedes infermentata, quemadmodum præcepi tibi tempore mensis Abib: quia in eo egressus es ex Ægypto: neque conspicientur coram me vacui.
16. Et solennitatem mensis primitivorum operum tuorum quæ seminaveris in agro, & solennitatem collectionis in exitu anni, quando collegeris opera tua ex agro.
17. Tribus vicibus conspicietur omnis masculus tuus coram domino Jehova.

Ex Exodi XXXIV.

22. Solennitatem hebdomadum facies tibi in primitiis messis triticeæ, & festum collectionis in conversione anni.
23. Tribus vicibus in anno conspicietur omnis masculus tuus coram domino Jehova Deo Israël.
24. Expellam enim gentes à facie tua, & dilatabo terminum tuum: neque concupiscet quisquam terram tuam dum ascendes ut conspiciaris coram Jehova tribus vicibus in anno.

Ex Deut. XVI.

1. Observa mensem Abib, & fac Pesah Jehovæ Deo tuo: quia mense Abib eduxit te Jehova Deus tuus ex Ægypto nocte.
2. Et sacrificabis Pesah Jehovæ Deo tuo de pecudibus & bobus, in loco quem elegerit Jehova ut habitare faciat nomen suum ibi.

Ex eodem Capite.

5. Non poteris sacrificare Pesah in aliqua è portis tuis quas Jehova Deus tuus dat tibi.
6. Sed in loco quem elegerit Jehova Deus tuus ut habitare faciat nomen suum ibi, sacrificabis Pesah ad vesperam, occumbente sole, tempore quo egressus es ex Ægypto.
7. Assabis autem ac comedes in loco quem elegerit Jehova Deus tuus: postea mane conversus reverteris in tabernacula tua.
8. Sex diebus comedes infermentata: die autem septimo erit solennitas Jehovæ Deo tuo: non facies opus ullum.
9. Septem hebdomadas numerabis tibi: ex quo cœperit falx esse in segete, incipies numerare septem hebdomadas.
10. Postea celebrabis solennitatem hebdomadum Jehovæ Deo tuo pro facultate spontaneæ manus tuæ quod dabis prout benedixerit tibi Jehova Deus tuus.
11. Et lætaberis coram Jehova Deo tuo, tu & filius tuus & filia tua, & servus tuus & ancilla tua, & Levita qui est intra portas tuas, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui fuerint in medio tui, in loco quem elegerit Jehova Deus tuus ut habitare faciat nomen suum ibi.
12. Et recordaberis quod servus fueris in Ægypto, propterea custodies ac facies statuta hæc.
13. Solennitatem tabernaculorum facies septem diebus, quum collegeris tu de area tua, & de torculari tuo.
14. Et lætaberis in solennitate tua, tu & filius tuus & filia tua, & servus tuus & ancilla tua, & Levita, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui habitaverint intra portas tuas.
15. Septem diebus solennitatem celebrabis Jehovæ Deo tuo in loco quem elegerit Jehova: quum benedixerit tibi Jehova Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, & eris tantummodo lætus.
16. Tribus vicibus quotannis conspicietur omnis masculus tuus coram Jehova Deo tuo, in loco quem elegerit, in solennitate infermentatorum, & in solennitate hebdomadum, & in solennitate tabernaculorum: neque quisquam conspicietur coram Jehova vacuus.
17. Quisque secundum donum manus suæ, secundum benedictionem Jehovæ Dei tui quam dedit tibi.

Ex Exodi. XXXIV.

20. Non conspicientur coram me vacui.

Exod. 23. 14. *Ter festum celebrabis.*] Mirum est quum plures alibi dies festos enumeret Moses, cur nunc tantum jubeat ter singulis annis apparere in Dei conspectu. Ubi igitur dies clangoris tubarum & dies expiationum? neque enim dubium est quin Jerosolymæ celebrandi omnes fuerint. Primo notandum est præcipuos hic nominari, quibus major suberat religio. Deinde quia tres feriæ mense septimo fere continuæ erant, ne toto mense abessent a suis ædibus, aliquid per indulgentiam fuisse remissum: nam initio mensis tubis clangebant, decimo autem die erat solenne jejunium, à decimoquinto incipie-

cipiebant ſub rentoriis habitare. Si impoſita fuiſſet omnibus neceſſitas manendi Jeroſolymæ, gravis fuiſſet tam diuturna mora. Quod ſi ab ipſo principio uſque ad finem perfungi vellent, tamen nonniſi una erat profectio, cui nomen à die celeberrimo imponitur. Et certe nomen רגלים quod uſurpat Moſes, potius Itinera metaphorice ſignificat quam vices: etſi fateor מעמים quod ſignificat Vices, in Deuteronomio legi eodem ſenſu. Quicquid ſit, apparet Deum populo ſuo peperciſſe, ubi tres duntaxat neceſſarios conventus indixit, ne patresfamilias & eorum liberi ſumptu & moleſtia gravati, ad tædium inducerentur: quia nullum cultum probat niſi ab alacritate animi profectum.

Deut. 16. 1. *Obſerva menſem Abib.*] Quorſum ioſtituerit Deus Paſcha, oſtenſum fuit in expoſitione primi præcepti: nam quia redemptionis erat ſymbolum, & in ceremonia illa ſeſe exercuit populus ad purum unius Dei cultum, ut agnoſceret unicum patrem, & diſcerneret ab omnibus idolis: inter acceſſiones primi præcepti ipſam agni immolationem cenſui numeraodam eſſe. Hoc loco tractaodum ſupereſt duntaxat quod dependet ex Sabbatho. Fuit ergo primus hic dies ſolennis, in quo voluit Deus populum feriari, & relictis omnibus negotiis, aſcendere Jeroſolymam. Porro non tantum fit hic meotio agni Paſchalis, ſed etiam jubet ſibi oves & boves mactari in loco quem elegerit. Quibus verbis ſignificat, die illo habendum eſſe ſacrum conventum. quod paulo poſt clarius exprimitur: nam duos verſus inrermedios prius retuli in ipſa inſtitutione Paſchatis. Prohibet ergo ne in urbibus ſuis Paſcha ſeorſum immolent: ſed ut conveniant omnes ad idem ſanctuarium. Porro alibi dictum fuit unum altare fuiſſe illis propoſitum, acſi Deus ipſos ſub unum vexillum colligeret ad fovendam concordiam & fidei unitatem. Quod autem de ſolenoitate ſeprimi diei additur, maxime proprium eſt hujus loci.

9. *Septem hebdomadas.*] Notaodum eſt diem Paſchatis incidiſſe in partem anni qua ſegetes matureſcebant: tunc ergo oblatæ fuerunt primitiæ, de quibus differui in primo præcepto. Inde poſt ſeptem hebdomadas celebrarunt alterum diem feſtum, qui à Græcis Pentecoſte vocatus eſt, quaſi quinquageſimus. Et totidem dies interceſſerunt ab exitu populi uſque ad Legis promulgationem. Tunc vero alia fuit primitiarum oblatio, ut pro ſua quiſque facultate, & ſecundum anni proveotum, munus ex frugibus collectis Deo conſecrarent. Porro quo promptior & hilarior eſſet liberalitas, proponitur Dei benedictio in medium, acſi juberet Moſes populum gratitudinem ſuam teſtari: quia merum ipſius Dei beneficium ſit quicquid ex terra naſcitur.

11. *Et lætaberis.*] Alia ratione eos ad promptitudinem hortatur & incitat, quia cultus Dei illis pariat lætitiam: nihil autem eſt quod magis ad obſequium ſtimulare nos debeat, quam ubi cognoſcimus Deum nobis potius conſulere quam à nobis captare quicquam utilitatis. Lætantur quidem etiam profani homines, imo in ſuo gaudio intemperanter laſciviunt: ſed quia non modo evanidum eſt gaudium illud, ſed riſus vertitur in lachrymas & ſtridorem dentium: non fruſtra hic tanquam ſingulare bonum commendat Moſes, coram Deo lætari: acſi pater filios ſuos invitet, ut communiter ſecum eos oblectet. Cæterum externo hoc exercitio admoniti fuerunt fideles, nullum eſſe ſolidum vel optabile gaudium, niſi ad Deum referatur. Et certe utcunque in ſuis deliciis exultent impii, & ſe in voluptates projiciant: quia tamen eos deficit conſcientiæ tranquillitas, quæ ſola vere exhilarat, gaudio quod ingurgitare cupiunt, non fruuntur. Tandem bonum illud quo potiebantur in Deo colendo, Moſes comparatione amplificat, ubi dicit, Recordaberis te fuiſſe ſervum in Ægypto: quia ut jucundior eſſet ipſis ſua conditio, ejus dulcedinem auxit triſtiſſimæ captivitatis memoria. Hic à me ſubtilis illa inter gaudium & lætitiam Ciceronis diſtinctio negligitur: quia oiſi in bonam partem utrumque nomen ſumam, non poſſem reddere voces Hebraicas: quibus tamen exprimere voluit Deus quam indulgenter agat cum filiis ſuis. Interea vero exhortationem continet hic locus, ad gratias Deo liberatori agendas.

13. *Solennitatem tabernaculorum.*] Vocatus eſt primus collectionum dies, quia tunc in horreis & cellis penuariis reconditus erat totius anni proventus. Ergo quum ab operibus ruſticis vacarent, commodum fuit illud anni tempus ad celebrandum feſtum diem: nam quo libentius aſcenderent Jeroſolymam, divinitus proſpectum fuit ut minore ſumptu & rei domeſticæ jactura id fieret. Ubi vertimus, Quum benedixerit tibi Jehova, ad verbum legitur, Quia benedicet tibi: ſed eodem fere ſenſu: quoniam admonet Moſes, modo animos & ſtudia ſua fideliter ad Deum colendum adjiciant, nunquam illis defore gaudendi materiam, quia ipſe curſum ſuæ benedictionis ounquam abrumpet. Itaque in fine verſus decimiquinti non ſimplex eſt mandatum, ſed etiam promiſſio: acſi diceret, modo ne ſint ingrati, minime timeodum eſſe quin Deus aſſidue novam lætitiæ materiam ſuggerat. & conjunctim hæc duo membra legenda ſunt, Beoedicer tibi Deus, ideoque tantummodo lætus eris. Nam hoc loco particulam אך libenter ita interpretor: adverſative quidem ſumi abſurdum eſt. Excluſive ergo exponere non male conveoiet, acſi diceret, nihil fore triſtitiæ vel ſollicitudinis quod ipſos in præſtando pietatis officio impediat. qui leguot, Utique, ad hunc quoque ſenſum accedunt.

16. *Tribus vicibus.*] Diximus antea, quamvis reliqui duo feſti dies non eſſent ſpernendi, quia tamen aliquid populi ſui infirmitati concedere Deus voluit, non fuiſſe impoſitam neceſſitatem, ut quinquies aſcenderent Jeroſolymam. Deinde quia tantum dimidia pars ſeptimi menſis tres dies feſtos comprehendebat, à Calendis ſcilicet uſque ad decimum quintum: eadem ratione tantum à maſculis exigitur, ut relictis domibus ſacros conventus celebrent: mulieribus enim hoc modo parcitur, quibus iter facere non ita commodum eſt. Adde quod pro fœcunditate divinitus promiſſa, vel gravidæ ſemper fere erant vel nutrices. Pueros etiam & adoleſcentes viginti annis minores excipi certum eſt, quia per maſculos Deus non alios intelligit niſi qui ſub cenſum tranſibant. Si quis objiciat, in ſpirituali Dei cultu fœminas à maſculis nihil differre: reſponſio in promptu eſt, patresfamilias illic nomen dediſſe pro uxoribus & liberis. Ita ad alterum ſexum, & ad teneram ætatem exteodebatur hæc profeſſio. Et huc videtur alludere David, quum dicit, Populus tuus liberalitatum eſt in die congregationis tuæ, in ſplendoribus ſanctitatis: quia de voluntariis fidelium obſequiis verba faciens, more Prophetico ejus exemplar petit à Legali cultu. Jam ne objiciant Judæi, periculum fore ab hoſtili incurſu, ſi omnibus viris in locum unum confluentibus terra nudetur præſidio: huic dubitationi capite Exodi 24. Deus occurrit, ſe facturum promittens ne quis graſſari appetat in domos derelictas. Nam huc ſpectat ſententia, Eliminabo gentes à conſpectu tuo, & amplificabo terminos tuos, ut nullus deſideret terram tuam. Unde etiam colligitur, Dei cultum non fuiſſe omni ex parte ſtabilitum, donec ſubactis omnibus finitimis populis ſanctuarium ſuum locavit in monte Sion. Non quod ante illud tempus populo fas fuerit prætermittere dies feſtos: ſed ut ipſa experientia doceret, Deum iis eſſe offenſum quos ſingulari beneficio privabat: trepidatio enim & metus non aliunde proveoiebat quam ex eorum culpa. Cæterum hinc colligant fideles utilem doctrinam, quoties Deom ſequeu- *Pſal. 110. verſ. 3.*

ſequentur, ſe ejus protectione tutos fore: quia in ejus manu eſt prohibere hoſtium impetus, & omnes noxas.

Neque quiſquam conſpicietur coram Jehova vacuus.] Neſcio quid in mentem venerit quibuſdam, ut putarent Deum promittere locupletes fore omnes qui ter ſe ſiſterent coram ſanctuario: quum ex verbis Moſis palam appareat exigi à ſingulis munus aliquod in ſignum gratitudinis. Et forte quod hiſtorici narrant fuiſſe moris apud Perſas, ne quis regem alloqui auderet abſque munere, antiquius fuit & aliis populis commune. Voluit quidem Deus munus ſibi offerri ab unoquoque, tanquam ſubjectionis teſſeram vel arrham. Etſi autem ceſſavit hic ritus Legalis, retinenda eſt tamen ejus veritas: eos ſcilicet demum veros eſſe Dei cultores, qui inanem profeſſionem non oſtentant, ſed reipſa teſtantur eum ſe regem agnoſcere.

SECUNDA TABULA,

Cujus primum præceptum, quintum Legis eſt.

Ex Exodi XX.

12. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prorogentur dies tui ſuper terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.

Ejuſdem mandati repetitio.

Ex Deut. V.

16. Honora patrem tuum & matrem tuam, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus: ut prorogentur dies tui, & ut bene ſit tibi ſuper terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.

Non ignoro vulgo aliter diſtingui Legis tabulas: nam qui ex duobus primis præceptis unum duntaxat faciunt, coguntur tandem ultimum lacerare. Nam quod Deus concupiſcere vetat tam uxorem quam domum proximi, inſcite in duo fruſta diſcerpitur, quum nonniſi de una re agi ſatis liqueat. Idque ex Pauli verbis elicitur, qui tanquam præceptum unum commemorat: quanquam longa diſputatione opus non eſt, ubi res ipſa clare oſtendit ex uno errore alterum eſſe natum. Quum enim perperam ſecundum præceptum ſub primo occultaſſent, quia deinde numerum non reperiebant, coacti ſunt ſecare in duas partes quod unum & ſimplex erat. Cur vero tribus præceptis priorem tabulam finierint, ratio frivola ab Auguſtino adducitur, ut ſcilicet cultum Dei ad Trinitatem referre diſcerent fideles: atque ita Deum unum adorarent in tribus perſonis. Talibus ſcilicet argutiis inconſiderate ludendo, expoſuerunt impiorum ludibriis ſacram Dei Legem. Joſephus recte quidem præcepta ipſa ſuo ordine enumerat, ſed male ſingulis tabulis quina attribuit: acſi Deus arithmeticen ſequutus eſſet, ac non potius poſtquam ad pietatem populum ſuum erudierat, ſeorſum præcipere voluiſſet de charitatis officiis. Hactenus enim tradita fuit regula Dei rite colendi, vel prior tabula complexa eſt pietatis ſummam: nunc vero Lex differere incipiet quomodo inter ſe vivere homines debeant: alioqui ſufficere poterat una tabula, nec Deus Legem fruſtra partitus eſſet. Verum quia tota vitæ formandæ ratio pietate & juſtitia continetur, eas partes diſtingui oportuit, ut populus Legis finem teneret: de quo poſtea iterum dicendum erit.

Rom. 7. verſ. 7.

Coloſſ. 3. verſ. 14.

Exod. 20. 12. *Honora patrem.*] Quanquam charitas (ut eſt vinculum perfectionis) comprehendit ſummam ſecundæ tabulæ, mutua tamen obligatio non obſtat quominus ſuum gradum retineant tam parentes quam alii qui ſupereminent. Imo non aliter foveri & integra manere poteſt humana ſocietas, quam ſi filii parentibus ſe modeſte ſubjiciant, ac reverenter etiam colantur quicunque aliis divinitus ſunt præfecti. Quia autem obſervantia quam parentibus deferunt liberi, cenſetur pietatis ſpecies: hoc prætextu quidam inſcite locarunt in prima tabula quod nunc præcipitur. Nec illis ſuffragatur Paulus, dum ſummam ſecundæ tabulæ colligens, hujus præcepti non meminit. id enim conſulto fecit: quia illic ex profeſſo docet, regum & magiſtratuum imperio parendum eſſe. Chriſtus vero omnem controverſiam dirimit, ubi inter præcepta ſecundæ tabulæ enumerat, ut filii parentes honorent. Diſerte vero nomen matrum exprimitur, ne ſexus eas contemptibiles reddat apud liberos maſculos. Jam quid valeat honorandi verbum, tenere convenit, non quoad ſignificationem grammaticam (quia כבד nihil aliud eſt quam Deo & hominibus qui dignitate pollent juſtum bonorem deferre) ſed quoad ſummam rei. Certe quum Deus ſervos ſuos externis tantum ceremoniis defungi nolit, minime dubium eſt omnia pietatis officia nunc complecti, quibus ipſe naturæ ſenſus liberos parentibus obſtringit: quæ ad tria capita referri poſſunt, ut reverenter eos obſervent, ut obedienter pareant eorum imperio, ſeque ab ipſis regi ſuſtineant, ut ſtudeant mutuam vicem rependere, atque ita ſe & ſuas operas ſedulo ipſis impendant. Quia ergo ſacrum eſt patris nomen, & ſingulari Dei beneficio ad homines transfertur, redundat parentum contempus in ipſius Dei contumeliam, nec poteſt quiſquam patrem ſpernere ſine ſacrilegio. Si quis objiciat multos eſſe impios & ſceleratos patres, de quibus honorifice ſentire nequeunt filii quin tollant boni & mali diſcrimen: reſponſio in promptu eſt, hominum vitiis non tolli perpetuam naturæ legem: ideoque quamlibet honore indignus ſit pater, retinere tamen (quatenus pater eſt) jus ſuum in filios, modo ne id Dei judicio quicquam deroget: nam vitia quæ Lege ejus damnantur, abſolvere quocunque prætextu nimis abſurdum eſſet: imo patris nomen trahere ad obtegenda ſcelera, indigna eſſet profanatio. Ergo in damnandis patris ſceleribus, filius vere pius Legi ſubſcribet: qualiſcunque tamen ſit, agnoſcet eum eſſe colendum, quia parer à Deo eſt datus. Sequitur obedientia, quæ & ipſa ſuis finibus circumſcribitur. Fidelis hujus præcepti interpres eſt Paulus, ubi jubet filios parentibus obedire. Honor itaque ſubjectionem in ſe continet: ut qui patris jugum excutit, nec ſe ejus auctoritate gubernari ſuſtinet, merito dicatur patrem ſpernere: & ex aliis locis clarius patebit, quicunque morigeri non ſunt parentibus, cenſeri eorum contemptores. Cæterum ita limitatur patria poteſtas, ut Deus, à quo pendet omnis cognatio, dominetur tam patribus quam filiis. Præſunt enim liberis parentes, verum ſub ſummo Dei imperio. Itaque non ſimpliciter filios hortatur Paulus ut parentibus ſint obſequentes, ſed reſtrictione addita, In Domino: quo ſignificat ſiquid injuſte pater injungat, obſequium libere

Rom 13. verſ. 9.

Mat. 19. verſ. 19.

Epheſ. 6. verſ. 1.

Coloſſ. 3. verſ. 20.

negandum esse. Ferendus quidem est immodicus rigor, morositas, atque etiam sævitia, modo ne mortalis homo impie exigendo quod fas non est, jus suum Deo eripere tentet. Denique ita Lex filios parentibus subjicit, ut Deo jus suum illibatum maneat. Quod hic objicitur quæstio, posse interdum contingere ut filius magistratum gerat, pater vero sit homo privatus: atque ita filium privato officio non posse defungi quin publicum ordinem violet: responsio facilis est, mutua utriusque moderatione sic posse omnia temperari, ut dum se imperio filii submittit pater, honore tamen suo minime fraudetur, & filius, quamvis potestate emineat, modeste tamen patrem revereatur. Tertium caput honoris est, ut filii parentum curam gerant, & ad omnia officia prompti sint ac seduli. Hanc speciem pietatis Græci vocarunt ἀντιπελάργωσιν, quia ciconiæ parentibus effœtis & senio confectis cibum suppeditant, & ita gratitudinis sunt magistræ. Quo fœdior est ac magis detestabilis eorum barbaries, qui parentum inopiam levare, & necessitatibus opem ferre, vel gravantur, vel negligunt. Etsi vero paternum nomen sua dulcedine satis ad obsequii promptitudinem allicere filios debet: promissio tamen instar stimuli additur, quo alacrius filii ad honorem qui injungitur præstandum se comparent. Ideo Paulus quo libentius filii parentibus obediant, admonet hoc præceptum esse primum cum promissione. *Ephes. 6. vers. 2.* Etsi enim secundo præcepto annexa promissio fuit, non tamen specialis, qualem hanc esse cernimus. Jam præcepti observationi convenienter respondet merces, ut dies filiis, qui se pie erga parentes gesserint, prorogentur: quia hoc modo Deus favoris sui testimonium repræsentat in hac vita, ubi erga eos grati sumus quibus eam ferre acceptam convenit. Sicuti minime æquum est, diu eos vitam protrahere qui suos progenitores, à quibus in hanc lucem sunt editi, contemnunt. Hic nascitur quæstio, quum tot ærumnis, doloribus & molestiis obnoxia sit terrena vita, quomodo ejus longitudinem Deus in beneficii loco censeat. Verum quum ærumnæ omnes ex Dei maledictione proveniant, accidentales esse apparet: itaque si in se consideretur vita, non definit tamen favoris Dei esse testimonium. Adde quod miseriarum omnium congeries non delet præcipuum hujus vitæ bonum, quod scilicet creati sunt homines & foventur in spem beatæ immortalitatis: nunc enim se illis manifestat Deus in patrem, ut aliquando fruantur æterna ejus hæreditate. Hæc cognitio quasi lampas accensa luce, facit ut gratia Dei in mediis tenebris refulgeat. Unde sequitur eos nunquam gustasse quod præcipuum erat in vita, qui diaerunt optimum esse non nasci, proximum vero quam citissime aboleri: quin potius ita variis afflictionibus exercet Deus homines, ut tamen illis per se bonum sit ad imaginem Dei creatos esse, ut filii ejus reputentur. Additur etiam clarior explicatio in Deuteronomio, non tantum ut bene vivant, sed ut bene sit illis. Ergo non tantum vitæ diuturnitas promittitur, sed aliæ quoque accessiones. Et certe multi qui erga parentes impii & ingrati fuerunt, non aliter vitam protrahunt quam in pœnam, dum ipsis merces inhumanitatis à filiis & nepotibus rependitur. Quod autem omnibus qui erga parentes officio pietatis defuncti sunt non contingit diuturna vita, tenendum est præmiis temporalibus minime fixam esse perpetuam legem: neque tamen ubi varie & inæqualiter operatur Deus, irritas fieri promissiones: quia fidelibus qui in terra privati fuerint caducis beneficiis, in cælis reposita est melior compensatio. Certe experientia seculis omnibus docuit, Deum omnibus qui fideliter erga parentes defuncti fuerint vera pietate, non frustra pollicitum esse longam vitam. Cæterum ea principio ante posito sciendum est præceptum hoc longius extendi quam verba sonent. idque firma ratione colligitur: quia alioqui mutila esset Lex Dei, neque ad perfectam pie justeque vivendi normam nos institueret. Principibus esse obediendum sensus ipse naturæ dictat: nisi servi dominis suis pareant, evertitur societas humani generis. Pars ergo justitiæ est non postrema, ut populus magistratuum imperio sponte se subjiciat, & servi dominis suis pareant: itaque omissam fuisse in Lege Dei valde absurdum esset. Ergo in hoc præcepto, sicut in aliis, Deus per synecdochen sub una specie complectitur totum genus: nempe ut legitima imperia suam apud nos reverentiam obtineant. Quod autem non omnia distincte expressa sunt, primo brevitas ipsa facile excusat: deinde observanda est alia ratio, quod Deus crasso stylo apud rudem populum consulto usus fuerit, quia videbat ita expedire. Si generaliter dixisset obediendum esse omnibus præfectis: ut omnibus ingenita est superbia, non facile fuisset majorem hominum partem ad paucorum obsequium flectere. Imo ut naturaliter odiosa est subjectio, multi refragati essent. Speciem ergo subjectionis proponit Deus, quam recusare immanis esset barbaries: ut ita paulatim subacta ferocia, homines assuefaciat ad ferendum jugum. Hinc ductæ sunt exhortationes, ut populus regem bonoret, ut omnis anima subjecta sit potestati quæ supereminet, ut servi heris suis pareant, etiam difficilibus & morosis. *Prov. 24. vers. 21. 1 Pet. 2. vers. 13. Rom. 13. vers. 1. Ephes. 6. vers. 5. 1 Pet. 2. vers. 14.*

Expositio quinti præcepti.

Ex Levit. XIX.

3. Unusquisque patrem suum & matrem suam timeat.

Quum hæc sententia haud dubie ad quinti præcepti explicationem spectet, confirmatur quod ante docui, honorem quem Deus impendere parentibus jubet, non in sola veneratione consistere, sed obedientiam simul complecti. Reverentia enim de qua nunc præcipit, morigeros & obsequentes filios reddet. Nunc itaque certius intelligimus quomodo parentes sint colendi, dum liberos hortatur Deus ut ab eorum offensione caveant. Hæc enim vera demum pietatis est probatio, subjectionis jugum placide ferre, & reipsa probare sincerum obediendi studium.

Appendices quinti præcepti.

Ex Exodi XXI.

15. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

Ex eodem Capite.

17. Qui maledixerit patri suo vel matri suæ, morte moriatur.

Ex

Ex Levit. XX.

9. Qui maledixerit patri ſuo aut matri ſuæ, morte moriatur: patri ſuo & matri ſuæ maledixit, ſanguis ejus ſuper eum.

Nunc pœna capitali ſancitur præcepti violatio: non tamen quæ omnes comprehendat qui erga parentes quovis modo fuerint impii, ſed quæ ſatis oſtendat ſanctum eſſe jus parentum, nec poſſe violari ſine maximo ſcelere. Scimus parricidas, tanquam omnium maxime deteſtabiles, olim culeo fuiſſe inſutos, & projectos in aquam: Deus vero longius progreditur, dum è mundo exterminari jubet quicunque violentas manus parentibus attulerint, vel fuerint in eos contumelioſi. Percuſſio enim non tantum pro cæde capitur, ſed pro violentia qualibet; quamvis nullum vulnus fuerit inflictum. Si quis ergo fuſte vel pugno patrem vel matrem percuſſerat, tam veſani furoris eadem fuit quæ homicidii pœna. Et certe abominabile eſt portentum ubi filius contra eos à quibus vitam accepit inſurgere non dubitat: nec fieri poteſt quin tam fœdi criminis impunitas immanem ſtatim barbariem gignat. Secunda lex non vim modo parentibus illatam ulciſcitur, ſed verborum etiam probra, quæ uſque ad inſultandi petulantiam & atrocem contemptum profiliunt. Neque enim ſi cui futiliter leve aliquod convitium exciderit (ut ſæpe contingere ſolet in rixa) ad hanc inconſideratam proterviam extendi debet pœnæ ſeveritas: & קלל, unde ſumptum eſt participium quod ponit Moſes, non tantum convitiari ſignificat, ſed etiam execrari: ſicut vilipendere ac ſpernere. Sicuti ergo non quælibet protervia qua læſa erat parentum veneratio, morte punita fuit: ſic voluit Deus impiam ſuperbiam quæ naturæ principia convelleret, horrori eſſe. Porro quia durum videri poterat, vocem, quamvis probo filio indignam, mortis tamen cauſam eſſe: talis quoque exceptio compeſcitur, ubi in Levitico Deus addit, Sanguis ejus ſuper eum, quia patri vel matri maledixit: acſi juberet faceſſere quicquid alioqui obſtrepere vellent homines ad extenuandam pœnæ gravitatem.

Ex Deut. XXI.

18. Quum quis habuerit filium pervерſum & rebellem, non obedientem voci patris ſui & matris ſuæ, & caſtigaverint illum, nec paruerit illis:

19. Tunc apprehendent eum pater ejus & mater ejus, educentque ad ſeniores urbis ſuæ & portam loci ſui:

20. Dicentque ſenioribus urbis, Filius iſte noſter perverſus & rebellis eſt, non obediens voci noſtræ, epulo eſt ac comeſſator.

21. Tunc lapidabunt eum omnes homines urbis ſuæ lapidibus, & morietur: atque ita auferes malum è medio tui, univerſuſque Iſraël audiet & timebit.

18. *Quum quis habuerit filium.*] Quod Deus ante ſub duobus membris attigerat, nunc generali lege complectitur. Neque enim dubium eſt quin per filios immorigeros deſignentur omnes qui injurii ſunt vel contumelioſi in patrem & matrem. Nam ſi crimen capitale eſt non obedire parentibus: eos pulſare & verberibus afficere, & probris inſectari, multo magis. In ſumma, pronunciat Moſes morte dignos qui ita præfracto & intractabili ſunt ingenio, ut patris & matris imperium reſpuant ac pro nihilo ducant. Unde etiam colligitur quid ſit honorare patrem & matrem: neque enim irrogatur pœna niſi ob transgreſſionem præcepti. Quum ergo morti lex addicat omnes qui parentum diſciplinam contumaciter excutiunt, ſequitur eos debitum parentibus honorem eripere. Optima autem ſtatuitur moderatio, ubi ex patris quidem & matris teſtimonio Deus vult judicium decerni: cauſam tamen publice cognoſci jubet, ne quis privato arbitrio interficiatur. Jure Romano permiſſa fuit patri in liberos vitæ & necis poteſtas: quia probabile non erat patres tam furioſa immanitate poſſe abripi, ut in propria viſcera ſævirent. verum quia reperiuntur interdum patres non abſimiles feris beſtiis; & exempla docent, multos odio vel avaritia excæcatos, filiis ſuis non peperciſſe: licentia illa Romani juris merito repudianda eſt. Fateor quidem, qui de liberis volebant pœnam exigere, adhibuiſſe amicos in conſilium: ſed quia domeſtici parietes dedecora multa occultant, longe melius frenum Deus injecit parentibus, ne ultra querimoniam & teſtimonium progredi ipſis liceret. Porro quamvis eorum teſtimonio fidem haberi velit, quum tamen ad judicum tribunal ſiſterentur liberi, cognitio haud dubie interceſſit. Hæc enim actionis forma præſcribitur, ut filium educant pater & mater, & de indomabili filii pervicacia querantur apud judices. Etſi autem mox ſubjicitur damnatio, tenendum eſt nihilominus judices ante pronunciaſſe quam lapidaretur reus: alioqui ridiculum fuiſſet ſedere illic tanquam umbras. Ipſum ergo judicii nomen demonſtrat filium fuiſſe auditum, ut ſi non eſſet ſibi male conſcius, ſe à crimine purgaret. Quid enim ſi patris & matris vulgo nota eſſet moroſitas? quid ſi pater impulſu novercæ filium accuſaret? quid ſi iniquum odium detegeretur? quid ſi ſubito impetu conſpiraſſent pater & mater in mortem filii? Ergo ſub adverbio Tunc comprehenditur rei defenſio: quia pluſquam abſurdum fuiſſet inauditum damnari. Præſertim quum lapidandus eſſet à toto populo, prius eſſe convictum oportuit: & hac ratione productus fuit in medium, ut admitteretur ad cauſam dicendam. Cæterum quamvis damnati fuerint aliis quoque vitiis dediti: Moſes tamen ebrioſos & intemperantes diſerte exprimit, ut oſtendat quamvis nullum crimen capitale proferatur in medium, ſufficere tamen diſſolutam luxuriem, ſi corrigi à parentibus nequeat: quia perditis moribus eſſe certum eſt, qui modeſtiam ſimul cum verecundia ſic abjecit, ut nihil profint admoniones paternæ. Ex fine verſus colligitur duplex finis pœnarum: ut terra ſceleribus purgetur, quibus quodammodo polluta eſt: deinde ut mors ejus qui deliquit, omnibus ſit exemplo.

Ex Exodi XXII.

28. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.

Ex Levit. XIX.

32. Ante caniticm aſſurge, & honora faciem ſenis, metueſque Deum tuum: ego Jehova.

Ex Deut. XVI.

18. Judices & præfectos constitues tibi intra omnes portas tuas quas Jehova Deus tuus dabit tibi per tribus tuas, qui judicent populum judicio justitiæ, hoc est, recto.

Ex Deut. XX.

9. Quum finem fecerint præfecti militares loquendi ad populum, constituent principes turmarum in capite populi.

Exod. 22. 28. *Dii non detrahes.*] Quatuor isti loci confirmant quod dixi, sub parentum nomine per synecdochen in quinto præcepto comprehendi eos omnes qui præsunt cum imperio. Neque enim Dei consilium fuit quicquam addere ad duas tabulas, acsi quid melius vel perfectius deinde in mentem venisset: quod imaginari nefas est. Contentus ergo fuit regula semel tradita, quamvis explicatius postea loquutus sit. Atqui à Lege alienum esset quod nunc præcipitur, nisi accessio atque adeo pars esset quinti præcepti. Primo jubet reverenter sentire & loqui de judicibus & aliis qui magistratum gerunt. Non dubium autem est quin pro communi linguæ Hebraicæ usu bis idem repetat: unde sequitur eosdem vocari deos & populi principes. Dei vero nomen improprie quidem, sed optima ratione ad magistratus transfertur, quibus, tanquam imperii sui ministris, insculpsit gloriæ suæ notam. Quemadmodum enim vidimus patribus deberi honorem, quia Deus in societatem patrii nominis eos ascivit: ita hic judicibus asseritur sua dignitas, ut eos veneretur populus: quia Dei personam sustinent, tanquam legati aut vicarii. Atque ita exponit Christus certissimus interpres, ubi locum ex Psalmo citat, Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes: nempe, vocari deos ad quos sermo Dei factus est: quod non de vulgari doctrina quæ destinatur omnibus Dei filiis, sed de speciali dominandi mandato intelligitur. Est autem insignis magistratuum commendatio, dum eos non modo parentum loco censet Deus, sed nomine suo ornatos producit in medium. Unde etiam clare liquet, non tantum ipsis obediendum esse pœnæ metu, sed propter conscientiam: & reverenter colendos esse, ne in ipsis Deus spernatur. Si quis objiciat, perperam laudari eorum vitia quos videmus sua potestate abuti: responsio in promptu est, quamvis tolerandi sint judices alioqui non optimi, honorem tamen quo præditi sunt non esse vitiorum integumentum. Nec vero jubet Deus eorum deliciis applaudere, sed populum tacito gemitu potius deplorare, quam licentiosa insectatione movere turbas, & convellere politicum ordinem.

Joan. 10. *vers.* 34. *Psal.* 82. *vers.* 16.

Rom. 13. *vers.* 5.

Levit. 19. 32. *Ante canitiem.*] In senibus quoque aliquam suæ majestatis scintillam Deus refulgere docet, quasad patrum honorem accedunt. Floscules ex profanis auctoribus colligere de honorandis senibus non est mihi propositum: sufficiat quod hic Deus præcipit dictari à natura. Quod apparuit Athenis, quum venisset senex quidam in theatrum, nec locum reperisset inter cives suos, tandem ubi à legato Spartano honoris causa admissus esset (quia senectus apud Lacedæmonas magna veneratione colitur) plausus undique excitatus est: tunc Lacedæmonius ille exclamavit, Athenienses scire quid rectum esset, facere autem nolle. Hoc certe tanto consensu populi patefactum est ingenitam esse legem omnium cordibus, ut senes revereantur ac observent. Multi quidem senes sua vel levitate, vel lascivia, vel socordia dignitatem sibi abrogant: quamvis tamen canities non semper habeat comitem sapientiam, ætas per se venerabilis est ex Dei mandato.

Deut. 16. 18. *Judices & præfectos.*] Hunc locum inter appendices quinti præcepti posui: quia si Deo placet præesse judices regendo populo, sequitur eorum legibus & edictis obediendum esse: ita ad eos usque extenditur patria potestas. Cæterum quo libentius judicibus se populus subjiciat, admonet Deus non posse aliter conservari humanum genus. Ergo publica utilitas, quod alioqui odiosum esset magistratuum imperium, amabile dulceque reddit. Cæterum quamvis non omnibus datum sit judices eligere, quia Deus hac prærogativa electum populum dignatus est: generaliter tamen commendat Deus politicum ordinem: quia significat non aliter posse stare hominum societatem, quam si constet legitimis præfectis sua auctoritas ad exercenda judicia. Sive ergo suffragiis populi creati sint magistratus, sive aliunde impositi, discamus necessarios esse Dei ministros qui sub legum jugo omnes contineant. Ultimus locus quem ex Deuteronomio attexui, eodem spectat: nempe in bello quoque necessarium esse ordinem, ne tumultuarie misceantur omnia. Jam si Deo placet capita præesse, etiam sequitur illis esse parendum: quia ridiculum esset præsicere qui gubernent, si eos impune spernere liceat. Deus ergo locando in capite populi belicos duces, subjectionis modestiam commendat.

SEXTUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

13. Non occides.

Ejusdem præcepti repetitio

Ex Deut. V.

17. Non occides.

Summa hujus præcepti est, ne cui injustam vim afferamus. Verum quo melius ab omni læsione nos Deus prohibeat, speciem unam à qua naturaliter abhorret hominum sensus, proponit: homicidium enim detestamur omnes, ut eos refugiamus quorum manus sunt sanguine pollutæ, acsi aliquid contagionis secum ferrent. Voluit scilicet Deus imaginis suæ reliquias quæ adhuc in hominibus emicant, aliquo in pretio manere, ut sentirent omnes cum cæde hominis conjunctum esse sacrilegium. Non exprimitur quidem hic ratio qua Deus alibi homines à cædibus deterret, dum asserit imaginem suam hoc modo violari: sed quamvis præcise, ut legislator, pro imperio loquatur, considerari tamen voluit quod ultro in mentem omnibus venire poterat: quale est illud quoque Jesaiæ, hominem esse carnem nostram. Quo itaque attentius ab omni injuria sibi caveant fideles, crimen quod sponte fatentur omnes non esse

Gen. 9: 6.

Jesa. 58.

esse ferendum, damnat. Per synecdochen vero sub voce cædis comprehendi quamlibet violentiam, pulsationem & insultum, mox clarius patebit. Jam vero alterum quoque principium tenendum est, præceptis negativis (ut vocant) subesse contrariam affirmationem: alioqui minime consentaneum esset, si quis ab injuria sibi temperet, Legi Dei satisfacere. Sit (exempli gratia) quispiam pusillo animo, & qui vel puerum aggredi non audeat, is ne digitum quidem movebit ad proximos lædendos: an propterea humanitatis officio defunctus erit quoad sextum præceptum? Imo communis naturæ sensus plus exigit quam ut abstineamus à maleficio. Ac ne pluribus agam, ex summa secundæ tabulæ patebit Deum non modo vetare ne homicidæ simus, sed etiam præcipere ut fideliter quisque tueri studeat vitam proximi sui, ac reipsa declaret sibi charam esse. Neque enim illic negativa tantum est loquutio, sed verba diserte sonant, diligendos esse proximos. Quos ergo illic jubet Deus diligi, minime dubium est quin eorum vitam nunc commendet. Duæ ergo sunt mandati partes, ne quem vexemus vel opprimamus, ac ne cui simus infesti, vel molesti: deinde ut non modo placide versemur cum hominibus, & pacem colamus, nihil rixarum movendo: sed etiam juvemus, quoad in nobis erit, miseros qui inique premuntur, & improbis obsistere conemur, ne pro libidine noceant. Itaque Christus genuinum Legis sensum explicans, non modo transgressores esse pronunciat qui occiderint, sed etiam reum fore coram judicio qui fratri suo temere irascitur: qui vero dixerit, Racha, reum fore coram concilio: & qui dixerit, Fatue, reum fore gehennæ ignis. Nec vero (ut stulte quidam putarunt) novam legem illic fabricat, acsi Patrem suum reprehenderet: sed perversos & insulsos Legis interpretes esse ostendit qui in externa duntaxat operum specie, vel cortice (ut vulgo loquuntur) insistunt: quum potius ex Dei natura ejus doctrina æstimari debeat. Apud terrenos judices si quis telum occidendi hominis causa gestaverit, reus est de vi. Deus autem qui spiritualis est legislator, altius progreditur. Itaque apud eum iracundia homicidium censetur. Imo quia penetrat usque ad intimos affectus, occultum quoque odium homicidii loco ducit. Sic enim intelligi debent Joannis verba, Qui odit fratrem suum, homicida est: nempe ad damnationem sufficere conceptum in corde odium, quamvis non appareat. *Matth. 5. vers. 22.* *1 Joan. 3. vers. 15.*

Expositio sexti præcepti.

Ex Levit. XIX.

17. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.

Hanc partem versus separatim legendam esse non dubito. Nec mihi probatur quod interposita adversativa Sed, interpretes quod postea sequetur contexunt. Scimus autem in distinctione versuum non semper quærendam esse rationem. Porro quum certum sit, quæcunque apud Mosen leguntur formandæ vitæ præcepta ex decalogo pendere: hæc sententia satis demonstrat non ideo tantum prohibitas fuisse cædes ne quis manu & gladio fratrem interficiat, sed ne malevolentiam & odium intus fovendo ad nocendum sibi indulgeat. Quo vere confirmatur illud Pauli, Legem spiritualem esse: & refutatur eorum insciția qui Mosen fingunt instar Lycurgi vel Solonis terrenum fuisse legislatorem apud Judæos, quandoad arcanos usque affectus penetrat. Adhæc probabile est ex hoc loco Joannem sumpsisse quod dicit, homicidam esse qui fratrem odit. Emphatice enim hic ponitur nomen cordis: quia etsi nulla appareant odii signa, homicidium tamen coram Deo censetur interior affectus. *1 Joan. 3. vers. 15.*

Ex Levit. XIX.

18. Ne ulciscaris te, neque serves odium contra filios populi tui: sed diliges proximum tuum sicut teipsum: ego Jehova.

Hinc clare apparet longius Deum respexisse quam ne alii alios interficerent: quia non tantum manus coëreet, sed corda omni odio pura exigit. Nam quum fons & causa inimicitiarum sit vindictæ cupiditas, sequitur sub occidendi verbo damnari quicquid cum fraterna dilectione pugnat. Huc accedit antithesis, ne quis odio prosequatur fratrem, quin potius diligat tanquam seipsum. Ita non aliius præcepti interpres quærendus est quam ipse Deus, qui cædis reos esse pronunciat quicunque aliqua malevolentia sunt infecti: nec modo qui offensi par referre appetunt, sed qui non sincere amant proximos suos, quibus etiam jure se inimicos esse putant. Quare ut nos à spirituali cæde absolvat Deus, abstergere ex animis nostris discamus omnem vindictæ appetitum, ac depositis odiis fraternam cum omnibus dilectionem colere. Etsi autem posterior pars versus summam complectitur totius secundæ tabulæ: quia tamen vindictæ opponitur dilectio, separare non debui quæ tam bene inter se cohærent, præsertim quum alterum ex altero pendeat. De solis quidem filiis Abrahæ præcipit, quia atrocius erat crimen vindictæ inter eos qui simul devincti erant fraterno jure: dubium tamen non est quin vitium generaliter Deus improbet. Turpiter vero in vulgaribus scholis corrupta fuit hæc sententia: nam quia regula (ut ipsi loquuntur) regulato superior est, finxerunt ordinem præposterum, ut quisque se primum, deinde proximos diligat: qua de re alibi fusius tractabo. Verbum כמוך quod est cultodire, sine adjectione positum tantundem valet atque retinere memoria injuriam: sicut etiam Gallice dicimus, *Garder une injure.*

Ex Levit. XIX.

14. Surdo non maledices, & coram cæco non pones offendiculum, sed timebis à Deo tuo: ego Jehova.

Quum sub homicidii nomine comprehendat Lex omnes noxas quibus injuste læduntur homines, in primis damnanda fuit crudelitas qua affliguntur miseri, quibus sua calamitas misericordiam potius conciliare debet. Nam si qua humanitatis gutta in nobis viget, ubi occurrit cæcus, solliciti erimus ne impingat vel cadat: quod si erret, correcta manu in viam reducere studebimus. Surdis etiam parcemus, quia illis insultare non minus est ridiculum vel barbarum quam convitiis lapides incessere. Ergo im-

manis est feritas, ad quos sublevandos naturæ sensus nos impellit, eorum mala, quibus jam plus satis gravantur, augere. Itaque discamus ex iis verbis, quo quisque debilior est, ita ab omni molestia & injuria debere tutum esse; & ubi aggredimur eos quibus nulla suppetit defensio, sævitiæ crimen magis exaggerari: petulantiam vero qua insurgimus adversus calamitosos, prorsus Deo esse intolerabilem.

Appendices ceremoniales sexti præcepti.

Ex Deut. XXI.

1. Quum inventum fuerit cadaver hominis occisi in terra quam Jehova Deus tuus dabit tibi ut possideas eam, prostratum in agro, nec cognitum fuerit quis percusserit eum:

2. Tunc egrodientur seniores tui, & judices tui, & metientur usque ad civitates quæ sunt in circuitibus cadaveris hominis illius occisi.

3. Et seniores urbis, propinquioris urbis illi cadaveri occiso, capient vitulam de armento qua nemo usus fuerit, & quæ non traxerit jugum.

4. Et adducent seniores ejus urbis vitulam ad vallem asperam, quæ nunquam fuerit arata, neque seminata, & præcident cervicem vitulæ illic in valle.

5. Et accedent sacerdotes filii Levi (eos enim elegit Jehova Deus tuus ut ministrent ipsi, & ad benedicendum in nomine Jehovæ: & juxta quorum sermonem erit omnis lis atque omnis plaga)

6. Et omnes seniores ejus urbis ubi accesserint ad cadaver hominis occisi, lavabunt manus suas super vitulam percussam in valle.

7. Et testificabuntur, ac dicent, Manus nostræ non effuderunt sanguinem istum, neque oculi nostri viderunt.

8. Expia populum tuum Israël quem redemisti Jehova, & ne imputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël: & expiabitur ab eis sanguis.

9. Tu autem auferes sanguinem innocentem è medio tui, quum feceris quod rectum est in oculis Jehovæ.

1. *Quum inventum.*] Hæc appendix mista est ex jure forensi & ceremonia. Porro in ea docemur quam pretiosa sit Deo hominis vita: quia si cædes facta fuerit incerto auctore, expiationem requirit, qua se urbes vicinæ à sceleris contagione purgent. Unde apparet sanguine humano terram ita pollui, ut quicunque impunitate cædes alunt, eadem se noxa obstringant. Hic de occulto scelere agitur, cujus culpam sustinent vicinæ urbes, donec inquisitione perfunctæ, testari queant auctorem non fuisse compertum: quanto itaque minus erunt excusabiles si homicidam impune elabi sinant? Ritus vero præscribitur, ut seniores urbis magis propinquæ vitulam sumant quæ jugum non traxerit, adducant in vallem saxosam & sterilem, cervicem præcidant adhibitis sacerdotibus, lavent manus suas, & testentur se habere manus puras & oculos, quia non sint conscii. Quod vitulam jugi expertem elegit Deus, factum est quo magis ad vivum repræsentaretur compensatio sanguinis innoxii. Mactari vero in loco arido oportuit, ut ab agris cultis tolleretur immundities. Nam si in medio foro urbis, vel in parte aliqua habitabili fusus esset sanguis vitulæ, familiari immolationis aspectu, magis obduruissent ad immanitatem. Gignendi ergo horroris causa extracta fuit in locum solitarium & horridum, ut hoc modo ad crudelitatem detestandam assuefierent. Etsi autem proprie loquendo non fuit hoc sacrificium, quia fas non fuisset alibi quam in sanctuario peragi: accessit tamen ad sacrificii naturam, quoniam adhibiti fuerunt Levitæ, & deprecatio solennis concepta fuit. Quanquam non tantum ut ministri altaris, sed etiam ut judices asciti fuerunt: qualitas enim his verbis exprimitur, quod ad cultum Dei, ad benedicendum populum, & ad ferendam de plagis sententiam electi fuerint.

6. *Et omnes seniores.*] Manuum ablutio valuit ad eos melius excitandos, ne temere solenni isto ritu testificarentur se puros esse & immunes. Perinde enim erat acsi cadaver mortui hominis sisterent coram Deo, & ipsi ex opposito starent ad crimen diluendum. Interea tamen veniam postulant, quia fieri potuit ut eorum incuria fuerit homo percussus: deinde quum sacrilegio unius Achan contaminatus fuerit totus populus, timendum fuit ne Dei vindicta latius serperet ob commissum piaculum. Atque ita rursus edocti fuerunt quantopere homicidia abominetur Deus, ubi populus alienum peccatum sibi ignosci postulat: acsi ex solo aspectu noxam contraxissent. Pronunciat tandem Deus se non imputaturum illis ubi tali purgatione rite defuncti fuerint. non quod vitula pretium satisfactionis esset ad Deum placandum: sed quia hoc modo suppliciter se Deo reconciliabant, & in posterum januam claudebant homicidiis. Hac ratione dicitur, Tolles è medio sanguinem: quia si negligatur cædes, resident in populo macula, & terra ipsa quodammodo apud Deum fœtet.

Ex Deut. XII.

15. Pro omni desiderio animæ tuæ mactabis, & comedes carnes secundum benedictionem Jehovæ Dei tui, quam dederit tibi intra omnes portas tuas: immundus & mundus comedet eas, sicut capream & cervum.

16. Tantummodo sanguinem non comedetis; super terram effundetis illum instar aquæ.

Ex eodem Capite.

20. Quum dilataverit Jehova Deus tuus terminum tuum, quemadmodum loquutus est tibi, & dixeris, Comedam carnem, quod concupiscat anima tua vesci carnibus: juxta omne desiderium animæ tuæ comedes carnes.

21. Quum

21. Quum longinquus à te fuerit locus quem elegerit Jehova Deus tuus ut ponat nomen ſuum ibi, mactabis de bobus tuis & de pecudibus tuis quas dederit Jehova tibi, quemadmodum præcepi tibi, & veſceris in portis tuis ſecundum omne deſiderium animæ tuæ.

22. Certe quemadmodum comeditur caprea & cervus, ſic comedes illas: immundus pariter & mundus veſcentur illis.

23. Tantum roborare ut non comedas ſanguinem: quia ſanguis eſt anima, & non comedes animam una cum carne.

24. Non comedes illum, ſed in terram effundes illum inſtar aquæ.

25. Non veſceris illo, ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te, quum feceris quod rectum eſt in oculis Jehovæ.

Ex Levit. XVII.

10. Quicunque è domo Iſraël, & è peregrinis qui peregrinantur in medio eorum, comederit ullum ſanguinem, ponam faciem meam in animam quæ comederit ſanguinem, & excidam eam è medio populi ſui.

11. Quia anima carnis in ſanguine eſt: ego autem dedi illum vobis ſuper altare ad expiandum animas veſtras: quia ſanguis animam expiabit.

12. Ideo dixi filiis Iſraël, Nulla anima ex vobis comedet ſanguinem, & peregrinus qui peregrinatur in medio veſtri non comedet ſanguinem.

13. Et quicunque è filiis Iſraël, & è peregrinis qui peregrinantur in medio eorum, venatus fuerit venationem beſtiæ vel avis quæ comeditur, effundet ſanguinem ejus & cooperiet pulvere.

14. Quia anima cujuſque carnis, ſanguis ejus eſt in anima: dixique filiis Iſraël, Sanguinem cujuſcunque carnis non comedetis, quia anima cujuſque carnis eſt ſanguis ejus: quicunque comederit illum, excidetur.

Ex Levit. VII.

26. Nullum ſanguinem comedetis in cunctis habitationibus veſtris, tam de avibus quam de jumentis.

27. Omnis anima quæ comederit ullum ſanguinem, excidetur anima illa è populis ſuis.

Ex Levit. XIX.

26. Non comedetis cum ſanguine.

Deut. 12. 15. *Pro omni deſiderio animæ tuæ manducabis.*] Quod præceditapud Moſen ſuo loco poſui, ne alibi ſacrificia mactarent quam in loco ſacro, qui unus erat in tota Judæa. Hic libertas edendi permittitur, modo ne animalia Deo offerant, ſed illis veſcantur tanquam feris ſylveſtribus. Exempli cauſa ponuntur duæ ſpecies, caprea & cervus, ex quibus nulla fiebat oblatio. Liberum ergo illis fit ubicunque velint veſci carnibus, exceptione tamen addita, ne ſanguinem guſtent: quod tametſi obſervatum à parentibus fuerat ante Legem, Deus iterum ſancivit, quum peculiarem ſibi populum colligeret. Scimus enim ſtatim à diluvio indictam fuiſſe Noæ & poſteris ſanguinis abſtinentiam. Verum ut major pars ſtatim degeneravit, veriſimile eſt, neglecto Dei mandato, gentes omnes promiſcuam ſibi licentiam ſumpſiſſe: ac dubium eſt an in familia Sem viguerit religio, quæ paſſim ſepulta erat. Certe ex nova Legis promulgatione conjicere licet illam fuiſſe prorſus obſoletam. quicquid ſit, hac nota electum populum diſcerni voluit Deus à profanis gentibus. Ratio autem prohibitionis cujus nunc fit mentio, jam ante expreſſa fuerat, quia animæ ſedes eſt ſanguis. Etſi autem animal occidere in cibum licebat, ſimul frenum tamen ad cohibendam feritatem utile fuit, ſanguinem non attingere: quia dum parcebant animalium ſanguini, neceſſe fuit multo magis humano parcere. Ideo poſtquam vetuit Deus ſanguine veſci, ſtatim tranſit ad homines ipſos, Qui effuderit ſanguinem hominis, in homine fundetur ſanguis ejus, quia ad imaginem Dei creatus eſt. Convenienter ergo ſexto præcepto attexui omnes locos quibus Deus jubet populum à ſanguine abſtinere. Per ſe quidem non magni interfuit ſanguinem comedere: quod ergo rem non adeo ponderoſam toties Deus inculcat, inde colligitur Legem alio ſpectare. Huc quoque accedit pœnæ ſeveritas: nam aviculæ ſanguinem guſtare, crimen certe non erat morte dignum. Ergo inde ſimiliter patet alium fuiſſe prohibitionis finem, ut ſcilicet crudelitas horrori eſſet. Et verba Moſis oſtendunt, non ideo vetari eſum ſanguinis acſi ſua immunditie hominem inficeret, ſed ut vitam hominis pretioſam ducant: dicitur enim, Quia ſanguis anima eſt: quod Auguſtino tantundem valet atque animæ ſignum. ſed potius intelligit Moſes vitam animalem contineri in ſanguine. Sanguis ergo qui vitam repræſentat, non abs re fuit interdictus: nec ſeorſum modo ſanguinem comedere nefas fuit, ſed etiam ſimul cum carne. Sicuti tam in Deuteronomio quam in Levitico ultimo loco diſerte traditur.

Cauſ. 9.

23. *Tantummodo roborare.*] Non fruſtra ſollicite eos hortatur ad inflexibilem conſtantiam, quia & res erat in ſpeciem levis, & moleſta obſervatio, & proclivis erat lapſus ob commune Gentium exemplum. Nam quum ſecum reputarent nihil ad ſanctimoniam conferre ſi ſanguinem non attingerent, inde facile indulgentiæ ſuborta fuiſſet illecebra.

Levit. 17. 10. *Quicunque ex domo Iſraël.*] Hic non tantum morti addicit qui ſe eſu ſanguinis polluerint, ſed ſi manus judicum effugerint, ſe vindicem fore pronunciat. Neque enim judicibus tantum præſcribit quid factu rectum ſit, ſed ſibiipſi vendicat pœnæ exigendæ partes: nec vero modum excedit ſi finis Legis ſpectetur. Etſi enim hominis interitu penſari ſanguinem bruti animalis conſentaneum non fuit, tenendum tamen eſt pædagogiam hanc rudi populo fuiſſe neceſſariam, ne ad barbariem profilirent. Porro ne querantur ſibi nullum relinqui uſum ſanguinis, admonet Deus, quum in expiationem datus ſit, pluſquam ingratos eſſe niſi tanto beneficio contenti ſint. Et certe quum apud eos pretium

tium eſſet placandi Dei, hæc utilitas cibo longe præferenda fuit. Ergo ſi ſanguinem qui ad Deum reconciliandum altari deſtinatus eſt, in vulgarem cibum transferre appetant, ingratitudinem illis oblique exprobrat Moſes: quia Deus eſum auferens, melius aliquid quod abunde ſufficere debeat, reſiduum illis fecit. Cæterum quomodo animas expiet ſanguis, alibi viſum eſt, ſacramentali modo ſcilicet. ubi notandum eſt, quod proprium eſt Chriſti, ſic metonymice transferri ad figuras & ſymbola, ut tamen non inanis aut fallax fuerit ſimilitudo: quia quatenus in externis ſacrificiis Chriſtum apprehenderunt Patres, illic vere exhibita fuit expiatio. Peregrinos hoc quoque loco intelligo non quoslibet hoſpites qui negotiandi cauſa iter facerent, ſed qui ad Dei cultum ſe contulerant. Multi enim exteri ſuperſtitionibus valere juſſis, circumcidebantur: quos oportuit diſerte obſtringi, ne ſe eximerent ſi lex eos præteriiſſet. Hoc ideo breviter notandum eſt, ne putemus ab eſu ſanguinis profanos hoſpites arceri, quibus licebat carnes à feris diſcerptas in cibum emere. Cæterum quia ante Legem abſtinuerant Patres à ſanguine, & prohibitio ad primam tabulam & Legalem cultum non ſpectabat: inde factum eſt ut Apoſtoli abrogatis ceremoniis, non auſi tamen fueriot liberum eſum ſanguinis ſtatim permittere, ne gravior offenſio naſceretur ex re nova & inſolita. Ergo ne res tantilla exitialibus diſſidiis ſcinderet Eccleſias, Gentibus mandarunt ne veſcerentur ſanguine: ratione addita, quod novo exemplo turbati eſſent qui aſſueti erant ad legendam Moſis doctrinam. hæc tamen exigui temporis fuit obſervatio, ſicuti ex Paulo colligitur. Quod autem uſque ad tempus Tertulliani à quibuſdam retenta fuit, ſuperſtitione non caruit & perverſo zelo. *Act. 15. verſ. 20.*

Appendices ſexti præcepti politicæ.

Ex Levit. XXIV.

17. Qui percuſſerit animam hominis, morte moriatur.

Ex eodem Capite.

19. Vir qui intulerit maculam proximo ſuo, ſecundum quod fecit ſic fiat ei.

20. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente: ſicut intulerit maculam homini, ſic inferetur ei.

21. Qui percuſſerit animal, reddet illud: qui vero percuſſerit hominem, moriatur.

22. Judicium unum erit vobis, ſicut peregrinus ſic & indigena erit: quia ego Jehova Deus veſter.

Ex Exodi XXI.

12. Qui percuſſerit virum ad mortem, morte moriatur.

13. At qui non inſidiatus fuerit ei, ſed tradiderit illum Deus in manus ejus, tunc dabo locum ad quem fugiet.

14. Sin vero inſultando ſe extulerit quiſpiam in proximum ſuum, ut occidat eum malitioſe, ab altari meo tolles eum ut moriatur.

Ex eodem Capite.

18. Quod ſi rixati fuerint aliqui, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide vel pugno, nec mortuus fuerit, ſed jacuerit in lecto:

19. Si ſurrexerit, & ambulaverit foris ſuper baculum ſuum, tunc innocens erit qui percuſſit: tantum ceſſationem ejus penſabit, & medendo medicandum curabit.

20. Quum percuſſerit quiſpiam ſervum ſuum vel ancillam ſuam baculo, & mortuus fuerit ſub manu ejus, vindicando vindicabitur.

21. Veruntamen ſi per diem vel duos dies ſteterit, non vindicabitur, quia pecunia ejus eſt.

22. Quum autem rixati fuerint viri, & percuſſerint mulierem prægnantem ut egrediatur fœtus ejus, nec tamen ſequatur mors: puniendo punietur quemadmodum impoſuerit ei marirus mulieris, & ſolvet apud judices.

23. Quod ſi mors fuerit, tunc dabis animam pro anima,

24. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede,

25. Adуſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

26. Quum autem percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, vel oculum ancillæ ſuæ, & corruperit eum, liberum dimittet eum pro oculo ejus.

27. Quod ſi dentem ſervi ſui, vel dentem ancillæ ſuæ excuſſerit, liberum dimittet eum pro dente ejus.

28. Si cornu petierit bos virum aut mulierem ut moriatur, lapidando lapidabitur bos, neque comedetur caro ejus: dominus autem bovis erit innocens.

29. Quod ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & conteſtatio facta fuerit domino ejus, nec cuſtodierit eum, occidendo autem occiderit virum vel mulierem: bos lapidabitur, & dominus quoque ejus morietur.

30. Si pretium redemptionis impoſitum fuerit ei, tunc dabit redemptionem animæ ſuæ quantum impoſitum fuerit ei.

31. Sive filium cornu petierit, ſive filiam, ſecundum judicium hoc fiet ei.

32. Si ſervum bos cornu petierit, vel ancillam, argenti triginta ſiclos dabit domino ejus, & bos ille lapidabitur.

Levit. 24. 17. *Qui percuſſerit.*] Sequitur præcepti confirmatio ex jure forenſi. ac primo quidem mortis pœna ſtatuitur in homicidas: nam percutere animam tantundem valet ac lethaliter vulnerare, ut mors quoque ſequatur: ſicuti Moſes in Exodo ſe clarius explicat. Porro quanquam breviter loquitur, ut legislator, non dubium tamen eſt quin ſententia judicum velit interfici quos morti adjudicat. qualis fuerit exequendæ pœnæ forma, videbimus ſuo loco. Etſi autem non ubique ad perfectionem exegit Deus quas ferebat leges, in præcipuo tamen capite ſimplicem & puram approbationem ſui præcepti extare voluit. Atque hæc cauſa fuit cur exotdium facerem ab hac ſententia, quia præcepto reſpondet quaſi ἀντίστροφον.

19. *Vir qui intulerit.*] Pœnæ etiam nunc eos ſubjicit qui verberibus corpus proximi mutilarint: quod neceſſe fuit, quia alioquin improbiſſimus quiſque, ut peritus fuiſſet nocendi artifex, crus vel brachium fregiſſet fratri, deinde non tantum miſero inſultaſſet, ſed Deo quoque & legi. Si quis ergo membrum hominis affixerat, pœna talionis edicitur: qua uſæ ſunt aliæ quoque gentes. Verum ita diſtincte præcipit Deus quando & quomodo retalianda ſit injuria, ut lex minime obnoxia ſit frigidis cavillis, quibus legem duodecim Tabularum exagitat apud Gellium Phavorinus. Et certe nimis obſcure Decemviri, Si membrum fregeris meum, ex pacto talio eſto. Deus autem non ante jubet oculum pro oculo eiui, vel dentem excuti pro dente, quam expoſuit, Si quis ſciens & volens plagam intulerit: ita fortuitos ictus non vocat in judicium, ſed tantum conceptum ſcelus. Fruſtra autem objicitur, vix ad æquilibrium frangi poſſe membra ex diverſis corporibus: quia alio non tendit Dei conſilium quam ut pœnæ rigore territi, à læſione abſtineant: adeoque hæc conjunctim poſita ſunt, Qui hominem occiderit, moriatur; & qui partem vitæ abſtulerit, privetur ſimiliter. Atque eodem ſpectat comparatio, jacturam animalis percuſſi rependi poſſe: ſi vero percuſſus fuerit homo, nullum in pecunia eſſe juſtum compenſationis pretium.

22. *Judicium unum.*] Ne populus Iſraël pro ſolita ſuperbia ſolum genus Abrahæ ſacroſanctum eſſe putaret, lex ad exteros quoque extenditur. Atque ita oſtendit Deus ſocietatem totius humani generis ſibi curæ eſſe, ut etiam alieniſſimos nolit expoſitos eſſe improborum libidini. Aliis in rebus privilegio ſeorſum cavit electo populo: nunc vero, quia ſine exceptione cunctos mortales creavit ad imaginem ſuam, ideo in fidem tutelamque ſuam recipit, ne quis impune illis noceat.

Exod. 21. 12. *Qui percuſſerit virum.*] Hic locus ſingulas partes (ut dixi) clarius explicat. ac primo diſcernit inter voluntarium & fortuitum homicidium: quia ſi cui lapis vel ſecuris per incogitantiam exciderit, ac obvium quempiam feriat, mortale crimen cenſeri non vult. Atque in hunc uſum datæ ſunt urbes refugii, quarum nunc breviter facta fuit mentio, & de quarum jure mox copioſe dicendum erit: ubi etiam ratio diſcernendi inter fraudem & ignorantiam tradetur. Notandum vero eſt homicidium fortuitum (ut vulgo nominant) Moſen pronunciare non caſu vel fortuna accidere, ſed Dei conſilio: acſi ad mortem eum qui interficitur manu duceret. Quocunque ergo interitus genere abripiantur homines, certum eſt nonniſi Dei arbitrio vivere & mori. Et certe quum ne paſſerculus quidem in terram niſi ipſo volente cadat, valde abſurdum eſſet homines ad imaginem ejus creatos, temere proſtitui ad cæcos impetus fortunæ. Quare ſtatuendum eſt, quod etiam alibi Scriptura docet, finitas eſſe ſingulis vivendi metas: cui ſententiæ reſpondet quod alibi dicitur, Tu facis redire hominem, & dicis, Revertimini filii hominum. Verum quidem eſt fortuitum nobis videri cujus non apparet cauſa vel neceſſitas: & inde contingentia vocari quæ ſecundum naturam aliter habere poſſunt. Atqui interea tenendum eſt, quæ in utramque partem alioqui flexibilia ſunt, arcano Dei conſilio gubernari, ut nihil niſi ejus gubernatione & decreto fiat. Hoc modo non imaginamur fatum quale Stoici finxerunt: quia aliud eſt, quæ per ſe inclinant in varios & dubios eventus dirigi manu Dei quocunque voluerit; aliud vero, neceſſitatem dominari ex perpetuo cauſarum complexu, idque Deo connivente. Imo nihil magis diverſum eſt quam Deum trahi & rapi fatali motu, & omnia prout viſum eſt temperare. Altius hic cum Judæis philoſophari nihil attinet, non alios objici ad mortem niſi in quibus Deus occaſionem reperit. Certum quidem eſt Deo ſemper conſtare optimam conſilii ſui rationem: ſed inde perperam eliciunt noxa aliqua eſſe implicitos qui Deo duce ad mortem occurrunt. Nec vero ſi Deus hominem innoxium tollat è medio, fas eſt obſtrepere: acſi nulla ejus eſſet juſtitia, quia nobis abſcondita eſt, atque etiam incomprehenſibilis.

14. *Sin vero inſultando ſe extulerit.*] Diverſis modis rem unam exprimit. etſi enim ſuperbire & inſidiari longe differunt, utrumque tamen Moſes ad eædem voluntariam accommodat: quia per inſidias intelligit pravum nocendi affectum: ſuperbiendi autem voce denorat violentum inſultum, ubi ſe odio quis in alium petulanter effert. Et certe truculentia & vis & quælibet ſævitia ſuperba eſt, quia niſi quis fratrem ſuum deſpiceret, non hoſtiliter aggrederetur. Jam ne cædibus dando veniam, terram polluant, jubet Deus ab altari quoque ſuo avelli homicidas: quibus verbis ſignificat tam divino quam humano auxilio eſſe indignos. Nam etſi altaris ſanctitas ad eos qui per imprudentiam vel errorem deliquerant protegendos aſylum eſſe potuit, ſcelerum tamen impunitas inde male caprata eſſet: quia hoc modo converſum fuiſſet ſanctuarium in ſpeluncam latronum, & fœdæ profanationi ſubjecta fuiſſet religio. Quamvis ergo ſcelerati altare amplexi opem Dei implorent, jubet lex eos inde ad pœnam rapi, quia indignum ſit ſacro Dei nomine ad peccandi licentiam abuti. Unde apparet quam ſtulte olim templa ornari putarint, quum aſyla fierent fovendis maleficiis. Sumptum id quidem fuit ex recepto Gentium more, ſed fatua æmulatione, quum Deum idolis in adulterino cultu miſcerent: quanquam idola ſua caſtius & purius Gentiles in hac parte quam Chriſtiani Deum coluerunt. Impios enim & ſacrilegos & impuros à jure aſyli arcebant, ut ne Perſi quidem regi Macedonum latebra in templo Samothracum tuta fuerit. Vox profani hominis refertur apud Livium, Quum omnis præfatio ſacrorum eos quibus non ſunt puræ manus ſacris arceat, vos penetralia veſtra contaminari cruento latronis corpore ſinetis? Pudeat ergo nos venerationis prætextu templa polluere.

18. *Quod ſi rixati.*] Hic verberibus & plagis ſtatuitur levis pœna, & quæ irritamentum petulantiæ improbis eſſe potuit. Quum duodecim Tabulæ injuſtam pulſationem viginti quinque aſſibus mulctarent, repertus eſt Lucius quidam Neratius, qui luſum ex protervia faciens, colaphos obviis quibuſque infligere non dubitabat, mox jubebat aſſes numerari à ſervo: ut tandem ſatius viſum fuerit legem prorſus obſoleſcere quam eſſe ludibrio. Idem apud Judæos facile contingere potuit, ubi qui proximum plagis affixerat ut in lecto decumberet, tantum ſolvebat quod miſer impenderat corpori ſuo curando. Quis enim hac mercede non libenter ſe oblectet proſternendis inimicis, ut eos jacentes in lecto alat? Sed tenenda eſt Chriſti ſententia, quoniam præfracto erant ingenio Judæi, multa illis propter duritiem conceſſa eſſe: in quibus numeranda eſt hæc indulgentia. Quanquam videtur remiſſius egiſſe Deus cum

Mat. 10. *verſ.* 29.

Pſal. 90. *verſ.* 3.

Mat. 19. *verſ.* 7. *Marc.* 10. *verſ.* 5.

cum eo qui percuſſerat, ut alterum caſtigaret qui viribus debilior temere deſcenderat in certamen: ambo enim pariter ob vim injuſte illatam puniendi. Æqua igitur utrique fieri videtur remiſſio, dum percuſſo privata tantum jactura penſatur. Quod autem leges politicas Deus ad ſolidam perfectionem non exegit, hac facilitate coarguere voluit populi contumaciam, quæ ne moderato quidem juri parere ſuſtinuit. Quoties ergo videtur Deus nimis clementer & lente ignoſcere, veniat nobis in mentem, ipſum deflexiſſe ab optima regula, quia negotium erat cum indomabili populo.

20. *Quum percuſſerit ſervum.*] Quamvis ſecundum ordinem politicum longe differant ſervi à liberis, Deus tamen ut oſtendat charam & pretioſam ſibi eſſe hominum vitam, perſonas in cæde non reſpicit: ſed perinde ulciſcitur ſervi mortem atque hominis liberi, ſi quidem repente ex vulnere perierit. Et ſane dominis concedere poteſtatem vitæ & necis, immanis fuit barbaries apud Romanos & alias gentes: & ſanctiore vinculo inter ſe conjuncti ſunt homines quam ut domino liceat miſerum mancipium impune interficere. Neque enim alii ſic præſunt aliis ut tyrannidem vel latrocinium exerceant, nec ulla ratio patitur ut privatus quiſquam jus gladii ſibi arripiat. Et quamvis legibus Romanis non fuerit (ut par erat) cohibita injuſta crudelitas, confeſſi tamen ſunt utendum ſervis eſſe ut mercenariis. Verum quæ mox ſequitur exceptio videtur non ſatis congruere, quia ſi ſervus paulatim mortuus fuerit, cædis pœna remittitur: atqui ſæpe præſtaret uno vulnere ſtatim concidere quam diuturno languore confici. Continget ſervum verberibus ita conteri & affligi, ut aliquanto poſt intereat: hic certe deterior eſt heri ſævitia quam ſi iracundiæ fervore ad cædem impulſus eſſet. Quare videtur jus nimis inæquale ſtatui; ſed ootaodum eſt, cædem eorum ſervorum qui ex plagis decubuerant, non fuiſſe impunitam. Unde colligitur ſævis & truculentis dominis minime liberum fuiſſe atrociter vulnerare ſervos: idque diſerte ſonant verba, quia non aliter pœna eximitur qui percuſſit, quam ſi ita ſibi moderatus ſit ut non appareat crudelitatis indicium. Nam ſervos per diem unum vel duos dies ſtare, tantundem valet ac vigere omnibus integris membris: quod ſi inflictum eſſet vulnus, aut appareret ulla mutilatio, cædis reus erat percuſſor. Non abſolvitur ergo niſi qui ſervum caſtigare duntaxat voluit: ubi autem nulla apparet læſio, probabile eſt non fuiſſe occidendi conſilium. Itaque lex quæ ſanguinarios impetus compeſcit, frenum homicidiis minime laxat. Ratio quæ additur, ad privatam jacturam reſtringi debet; quia nunquam hoc prætextu abſolveretur homicida, quod pecunia ſervum emerit, quum vita hominis pretio æſtimari nequeat.

22. *Quum autem rixati fuerint.*] Locus hic primo intuitu ambiguus eſt: quia ſi mors intelligitur tantum mulieris gravidæ, fœtum extinguere capitale non fuiſſet. quod magna abſurditate non caret. Fœtus enim utero matris incluſus jam homo eſt: vita autem privari, cujus uſuram nondum percepit, fere prodigioſum eſt. Quod ſi hominem domi ſuæ occidi quam in agro videtur indignius, quoniam ſua cuique domus tutiſſimum eſt receptaculum: multo atrocius cenſeri debet, fœtum qui noodum in lucem editus eſt, in utero necari. His rationibus adducor, ut non dubitem ad fœtum quoque extendi non minus quam ad matrem, id quod dicitur, Si mors conſequuta ſit. Adde quod minime conſentaneum eſſet patrem filii ſui vel filiæ vitam pretio vendere. Quare hic (meo judicio) legis ſenſus eſt, crimen eſſe morte dignum non ſolum ubi mulier ex abortu periit, ſed etiam ſi infans fuerit occiſus: ſive ſit abortivus, ſive paulo poſt ex vulnere moriatur. Cæterum quia fieri non poteſt quin matrem & liberos debilitet immaturus partus, marito permittitur mulctam exigere apud judices, quæ eorum arbitrio in ſolatium & damni levationem pendatur. Etſi enim non aliud quam pecuniam apod judices repræſentari jubet Deus: eos tamen æſtimatores & arbitros præficit, ſi forte maritus modum excedat. Quod autem hoc loco legem talionis repetit, inde perſpicimus, juſta proportione habita, eandem eſſe vindictæ tationem in dente vel oculo & in ipſa vita, in æqua reſpondeat maleficii compenſatio. Ergo ad ſingulas partes merito transfertur, ut qui fratri ſuo oculum eruit, vel manum abſcidit, vel crus fregit, oculum vel manum vel crus perdat. Io ſumma, ad omnem vim cohibendam merces repeoditur pro modo maleficii. Porro quamvis de ſontibus pœnam Deus exigi velit, non tamen ſi quis læſus fuerit, vindictam appetere debet: neque enim ſecum pugnat Deus, qui toties filios ſuos hortatur non modo ad injurias patienter ferendas, ſed etiam beneficiis vincendas. Ad pœnam trahendus eſt homicida, vel qui membrum fratris ſui mutilavit: atqui non ideo protinus licet, ſi vim injuſtam paſſus fueris, iracundiæ vel odio indulgere, ut par pari referas. Quoniam hic error apud Judæos invaluerat, eum refellit Chriſtus, ac docet, pœnam quæ publice ſtatuitur adverſus noxios, non ſervire privatæ cujuſque libidini, ut qui offenſus eſt, ad retaliandum proſiliat. Nec ſane ad eos diriguntur verba quæ inflamment vel incitent ulciſcendi affectum, ſed pœnæ metu compeſcitur omnis violentia. *Matth 5. verſ. 38.*

26. *Quum autem percuſſerit oculum.*] Quum ſapud Deum non ſit ſervus nec liber, certum eſt perinde peccare qui ſervum percutit acſi libero homini manum inferret. Verum quoad jus forenſe & humana judicia diſtinctio ponitur, præſertim ſi quis proprio ſervo vulnus inflixerit. Neque enim hic exigitur dens pro dente, oculus pro oculo, ſed dominium quo male abuſus eſt, auferiur domino: ſervo autem vel ancillæ in ſulatium læſionis datur libertas, quæ propemodum dimidium eſt vitæ. Ita ſervi quidem ſui comparatione mitius tractatur dominus, dum ita laxatur pœnæ ſeveritas: ſervo autem pro luxatinne vel fractura rependitur quod magis optabile eſt, ut manumiſſus & ſui juris factus, non ſubjaceat alienæ ſævitiæ.

28. *Si cornu petierit.*] Jam ad bruta animalia uſque deſcendit Moſes, ut ſi quem violaverint, eorum pœna magis ac magis deterreantur homines à ſanguine fundendo. Ergo ſi bos cornupeta hominem occiderit, lapidari jubet, & cadaver ejus projici tanquam abominabile. Quod hanc legem exagitant naſuti homines, acſi puerile eſſet morte mulctare miſerum animal, cujus nullum eſt crimen, non longa refutatione indiget hæc petulantia. Sicut enim creati ſunt boves in gratiam hominum, ita non mirum eſt tam mortem eorum quam vitam publicæ utilitati addici. Jam vero ſi alatur hos homicida, tali ſpectaculo haud dubie ad feritatem obdureſcent homines: carnem vero ejus comedere, tantundem fere eſſet ac vorare humanam carnem. Non potuit ergo melius compeſci hominum crudelitas, ut à mutuis cædibus abhorrerent, quam ſi mors hominis ita vindicaretur. Io ſecunda parte longius progreditur Deus, ipſum bovis dominum morti addicens ſi admonitus fuerit ut caveret. Talis enim denunciatio prætextum ignorantiæ tollit. nec dura videri pœna debet in craſſum neglectum: quia liberum exitum noxiis beſtiis dare, tantundem valet atque armare in hominum necem. Qui vero ſciens & volens fratris ſui vitam objicit periculo, cædis auctor merito cenſetur. Quæ tandem additur correctio, ſpeciem abſurditatis primo intuitu continet, quia lege vetitum fuit pretio tranſigere cum homicida. Sed quia differt crimen à delicto, quamvis nefas fuerit pœnam ex pacto homicidis remittere, licuit tamen judicibus eam mitigare cauſa cognita, ſi ſimplicitas vel incogitantia hominem excu-

excusaret. Hæc itaque specialis est exceptio, quæ judicibus permittit distinguere noxarum species: nempe si compertum illis fuerit hominem non esse mortis reum, ut ejus tamen negligentiam pecunia mulctent.

31. *Sive filium eorum petierit.*] Quod ad ætatem quidam referunt, acsi filii & filiæ nominarentur pueri & puellæ, nescio an conveniat: neque tamen hanc sententiam rejicio. Quanquam videtur Moses amplificare legem, si bos petulcus berilem filium occiderit, ut pater ipse pœnæ subjaceat, qui non melius liberis suis prospexerit. Dubitari autem potuit, æquumne esset patrem jam orbitatis dolore confectum ad mortem trahere: verum ad exemplum pertinet, non impune cedere parentibus si eorum culpa filii vel filiæ pereant.

32. *Si servum.*] Quod jam minoris æstimatur servi occisi pœna quam hominis liberi, ratione non caret. Quantum ad crimen cædis voluntariæ, nullum fuit discrimen inter servos ac dominos: in delicto autem potuit aliquid de severitate remitti: præsertim quum bovis lapidatio ad detestationem cædis sufficeret. Optima ergo moderatione usus est Deus quum triginta siclis damnavit negligentiam domini: bovem vero in exemplum proposuit, cujus nece omnes commonefierent quantopere pretiosus sit Deo humanus sanguis.

Ex Deut. XVII.

6. In ore duorum vel trium testium interficietur qui moriturus est, non interficietur in ore unius testis.

Ex Deut. XIX.

15. Non stabit testis unus contra quenquam in quacunque iniquitate, & in quocunque peccato quod peccaverit: in ore duorum testium vel in ore trium testium stabit verbum.

Sicuti severitas in exigenda pœna, ubi cædem factam esse constat, ostendit quanti æstimet Deus hominum vitam: ita tandem conservandi innoxii sanguinis curam declarat quæ hic ponitur moderatio. Quia enim nimia credulitas sæpe judicem impelleret ad insontes damnandos, huic malo remedium Deus adhibet, ubi crimen, nisi firmis testimoniis probatum, puniri vetat. Etsi vero legem hanc naturaliter insculpsit omnium cordibus, quo tamen sanctior esset observatio apud Israëlitas, scribi voluit: quia nihil magis periculosum quam unius hominis linguæ subjicere cujusque vitam: ubi autem consensus duorum vel trium serio examinatur, ut plurimum deprehendi potest si qua latet falsitas. Ergo ne vel levibus conjecturis, vel parum idoneis delationibus, vel iniquis præjudiciis temere quisquam damnetur, ac ita opprimatur innocentia: Deus se medium opponit, nec patitur quenquam durius tractari nisi probe convictum.

Ex Deut. XXII.

8. Si ædificaveris domum novam, facies tabulatum per circuitum in tecto tuo: nec pones sanguinem in domo tua, si quispiam ceciderit ex eo.

Hoc quoque præceptum ad humanæ vitæ conservationem spectat. Scimus Judæis plana fuisse tecta, ut liberæ illic essent ambulationes. Si claustra non fuissent opposita, lethalis fuisset lapsus: ita sæpe domus omnes fuissent funestæ. Jubet ergo Deus claustris vel cancellis vel aliis clausuris muniri circuitum, & quidem severa denunciatione interpositæ: domos enim sanguine contaminari pronunciat si quis ex tecto non clauso deciderit. Quod si sola incuria contractus fuit reatus, hinc apparet quantopere Deus abominetur deliberatam sævitiam. Et si unumquemque ita sollicitum esse oportuit de fratrum suorum vita, hinc apparet quantum nefas fuerit eos data opera hostiliter aggredi.

Ex Deut. XXIV.

7. Si quis furatus fuerit animam è fratribus suis è filiis Israël, & vendiderit: morietur vir ille, & auferes malum è medio tui.

Jam in plagiarios eadem quæ in homicidas pœna constituitur, & merito: nam ut misera erat servorum conditio, plusquam dimidium vitæ fuit libertas. Hominem ergo privare tanto bono, propemodum jugulare fuit. Adde quod non plagium modo hic damnatur, sed præterea accessio crudelitatis & doli: si is qui furatus est hominem, simul vendiderit. Venditio autem vix fieri poterat in populo quin mox crimen detegeretur: nihil autem magis odiosum quam filios Dei alienari ab Ecclesia, & addici profanis gentibus.

Ex Deut. XXI.

22. Quum fuerit in aliquo peccatum ad judicium mortis, & interficiendus fuerit, & suspenderis illum in ligno:

23. Non pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed sepeliendo sepelies eodem die: quia maledictio est Dei qui suspenditur, & non contaminabis terram tuam quam Jehova Deus tuus dat tibi in hæreditatem.

Finis hujus præcepti est truculentiam & barbariem arcere ab electo populo, dum horror etiam justæ cædis incutitur. Et certe triste spectaculum est ac deforme, cadaver hominis in cruce suspensum: sepultura enim humano generi destinata est, tam in resurrectionis pignus ac symbolum, quam ut oculis vivorum parcatur, ne se rei tam fœdæ aspectu contaminent. Non agit hic Moses de quibuslibet, sed de sceleratis qui indigni sunt sepulchri honore: sed publica utilitas spectatur in ipsis sepeliendis, ne homines ad feritatem assuefiant, atque ita reddantur promptiores ad homicidia. Porro quo diligentius in hac parte sibi caveant, terram pollui denunciat si cadaver in cruce suspensum relinquitur: nempe quia talis immanitas terram dedecore fœdat. Id autem minus fuit tolerabile in Judæa, quam Deus hæreditatem

tem dederat electo populo, ut ſancte & caſte illic, rejecta omni profanatione, coleretur. Maledictio autem Dei vocatur ſuſpenſus, quia genus ipſum ſupplicii per ſe deteſtabile eſt. Non vetat quidem Deus cruciſigi vel ad furcas ſuſpendi ſceleratos: quin potius hanc pœnam ſubſcriptione ſua probat: tantum ſuo exemplo Iſraëlitas hortatur ut ab omni atrocitate abhorreant. Quamvis ergo pœnam non improbet, ſe tamen abominari dicit in ligno ſuſpenſos, ut ſtatim tollatur offenſio: neque enim maledictos vocat, acſi deſperata eſſet eorum ſalus, ſed quia maledictionis nota eſt ſuſpenſio. Hunc vero locum Paulus ad Chriſtum accommodat, ut doceat pro nobis factum eſſe κατάραμα, quo nos à Legis maledictione ſolveret. Nam quum omnes rei ſint transgreſſionis, atque ita maledictione implicitum ſit totum humanum genus: non alia fuit liberationis ratio quam ſi ſe Chriſtus in locum noſtrum ſubſtitueret. Nec vero ſuæ ſententiæ oblitus erat Deus dum Pilium ſuum unigenitum paſſus eſt cruciſigi. Unde ſequitur, vices noſtras illum obiiſſe, ut à Deo benedicamur: ſicuti pro nobis factus eſt peccatum ut in eo ſimus Dei juſtitia. *Galat. 3. verſ. 13.* *2 Cor. 5. verſ. 13.*

Ex Deut. XXV.

1. Si fuerit lis inter aliquos, & acceſſerint ad judicium, & judicaverint eos: juſtificaverintque juſtum, & impium condemnaverint:

2. Si quidem cædendus fuerit impius, tunc proſternet eum judex, & cædere jubebit illum coram ſe ſecundum iniquitatem ejus ad numerum.

3. Quadraginta plagis cædere jubebit illum, non addet: ne forte ſi addat cædere eum ultra plagis multis, vileſcat frater tuus in oculis tuis.

Quia hic præcipitur moderatio & humanitas, appendix eſt ſexti mandati. Summa eſt, ſi quis verberibus cædendus ſit in judicio, ne caſtigatio modum excedat. Agitur autem de pœna quæ apud Jureconſultos vocatur modica coërtio: quam moderatam eſſe convenit, ne flagellis laceratum corpus reddatur mutilum vel deforme. Quum ergo ſontibus eouſque pepercerit ut frenaret juſtam ſeveritatem, multo magis rationem habere voluit ſanguinis innoxii: & quum judices probibuerit à nimio rigore, multo minus toleranda erit intemperies privati hominis ſi vim fratri ſuo inferat. Sic autem cohibendus fuit fervor, quia ſæpe judices alioqui non mali, in delicta non ſecus atque in ſcelera excandeſcunt. Æqualis quidem non præfigitur modus, ut pariter omnes verberentur: tantum interdicitur, ne ad ſummum pro delicto ultra plagas quadraginta judices infligere jubeant. Ita ſenſim verberati fuerunt ſontes, non autem tumultuoſe, quum ictus numerare neceſſe eſſet: deinde in futurum tempus non ita læſi, quin omnibus membris integris vigerent. Huc pertinet quod judices Deus ſpectatores conſtituit, qui ſua gravitate omnem exceſſum temperent. Ratio adducitur, Ne vileſcat frater, quia ultra modum percuſſus fuerit. Quod duobus modis exponi poteſt, Ne dehoneſtetur corpus ſtigmatibus, & ita reddatur deforme: vel, Ne ignominia & dedecore in perpetuum notatus animum dejiciat. Scimus enim quam gravis ſit & acerba inſultandi petulantia. Tertius ſenſus quem afferunt quidam, nimis remotus eſt, Ne moriatur tanquam vile & abjectum animal: tantum enim conſulit Deus miſero homini ut caſtigatus fiat melior, non autem callum ex iofamia contrahat. Porro ut ſemper Judæi in rebus minutis pietatis ſtudium oſtentarunt, excogitata ab ipſis fuit puerilis cautio, quo ſanctius legem hanc obſervarent. Religio enim illis fuit ad quadrageſimum uſque ictum progredi: ſed unum detrahendo, inanem clementiæ laudem captarunt, acſi plus ſaperent ipſo Deo, vel eum manſuetudine vincerent. Eo ſemper amentiæ labuntur homines, dum ex ſuo cerebro comminiſci audent quod verbo Dei opponant. Hæc ſuperſtitio jam iovaluerat Pauli tempore, ut ex ejus verbis colligitur, ubi refert ſe quinquies quadragiota plagis fuiſſe affectum, una minus. *2 Cor. 11. verſ. 24.*

Ex Deut. XXIV.

16. Non interficientur patres pro filiis, neque filii interficientur pro patribus: quiſque in peccato ſuo morietur.

Hic quoque oſtendit Deus quantam humanæ vitæ curam gerat, ne promiſcue graſſentur cædes, ubi vetat filios involvi cum parentibus. Lex autem minime ſupervacua fuit, quia ſæpe ob unius crimen in totam ſobolem fuit ſævitum. Ergo non fruſtra ſe opponit Deus ad innoxios protegendos, nec permittit longius pœnam vagari quam ubi crimen reſidet. Et certe communis ſenſus naturæ dictat, barbari furoris eſſe in patrum odium filios interfici. Si quis objiciat quod ante vidimus, Deum ultorem eſſe in tres & quatuor ætates: ſolutio in promptu eſt, eum ſibi eſſe legem, occæco impetu ruere in exercenda vindicta, ut inſontes reprobis commiſceat: ſed ita rejicere iniquitatem patrum in filios, ut ſummum rigorem optima æquitate temperet. Quin etiam non ita ſe neceſſitate obſtrinxit quin liberum eſſet, ubi ita placuit, à lege diſcedere: quemadmodum totam ſobolem Chanaan radicitus tolli juſſit, quia non aliter purgata eſſet terra quam inquinamentis illis exterminatis: & quum reprobi eſſent omnes, juſto exitio non minus filii quam patres fuerunt deſtinati. Imo legimus, poſt mortem Saulis, expiatum fuiſſe ejus ſcelus filiorum nece. hoc tamen privilegio non abtogavit ſummus Legislator quod mandaverat: ſed admirabili ſuo conſilio locum dari voluit, ex quo fonte prodeunt omnes leges. *2 Sam. 21. verſ. 2.*

Ex Deut. XX.

10. Quum acceſſeris ad urbem ut expugnes illam, clamabis ad eam pacem.

11. Et erit, ſi pacem reſponderit tibi, & aperuerit tibi, univerſus populus qui fuerit repertus in ea, erunt tibi tributarii, ſervientque tibi.

12. Si vero pacem non fecerit tecum, ſed faciat tecum prælium, obſederiſque eam:

13. Et dederit eam Jehova Deus tuus in manu tua: tunc percuties omnem maſculum ejus aeie gladii.

14. Tantum mulieres, & parvulos, & animalia, & quicquid fuerit in urbe, omnia ſpolia

ejus

ejus prædaberis tibi: comedèsque spolia inimicorum tuorum, quos dederit tibi Jehova Deus tuus.

15. Sic facies omnibus urbibus longinquis à te valde, quæ non sunt de urbibus gentium istarum.

16. Tantum de urbibus populorum istorum quos Jehova Deus tuus dat tibi in hæreditatem, non vivificabis ullam animam:

17. Sed perdendo perdes eos, Hitthæum, Amorrhæum, Chananæum & Perisæum, Hivæum, & Jebusæum, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus.

18. Ne doceant vos facere secundum abominationes suas quas faciunt diis suis: & peccetis in Jehovam Deum vestrum.

10. *Quum accesseris ad urbem ut expugnet.*] Jam in legitimis quoque bellis docet esse obviam eundum sævitiæ, & à cædibus abstinendum quoad fieri poterit. Jubet ergo, quum ad oppugnandam urbem venerint, ante omnia hortari cives ut deditione facta pacem redimant: quod si factum fuerit, incolumes servare, & imposito tributo esse contentos. Hæc æquitas naturaliter indita fuit cunctis gentibus: inde creati feciales: nec justum bellum duxerunt absque solenni indictione. Denique quum nomen Hostis olim significaret peregrinum, ejus lenitate tristitiam rei mitigarunt Romani. Hac ratione censuerunt hosti quoque præstandam esse fidem. Ac voa illa Ciceronis laude digna, Non suscipienda esse bella, nisi ut sine injuria in pace vivatur. Quod si Deus in medio armorum strepitu vult suos humanitatis esse memores, hinc colligitur quantopere ei displiceant homicidia. Quos auctoritate sua armavit, vult tamen ad clementiam esse propensos, eorumque impetum cohibet, ne gladios suo permissu datos sanguine imbuant. Quomodo igitur homini privato licebit gladium arripere in fratris necem? Nunc renemus finem hujus doctrinæ, & quam apte ad sextum præceptum quadret.

12. *Si vero pacem non fecerit.*] Videtur hæc nimis licentiosa concessio. nam quum profani scriptores victis quoque consulere jubeant, & eos qui armis positis ad imperatoris fidem confugiunt, recipiendos esse doceant, quamvis murum aries percusserit: quomodo Deus misericordiarum pater promiscuis cædibus indulget? Verum jam ante dictum fuit plus Judæis pro cordis duritie fuisse concessum quam jure ipsis liceret. Certe pro charitatis regula etiam armatis hominibus parcendum fuit, si abjecto gladio veniam peterent: saltem non alios interficere licuit quam qui deprehensi essent cum armis & gladio. Ergo longe à perfectione distat occidendi permissio quæ ad omnes mares extenditur. Verum quia vix pro sua ferocia passi fuissent Judæi sibi præscribi quod æquissimum erat, saltem frenare eorum intemperantiam voluit Deus, ne ad extremum crudelitatis descenderent. Agitur de urbibus vi captis, ubi interdum contingit nullum haberi sexus vel ætatis discrimen: hæc immanitas compescitur, ne mulieres vel pueros trucident.

15. *Sic facies omnibus.*] Inseritur exceptio, ne communi belli jure utantur Judæi contra gentes Chanaan de quibus abolendis lata erat sententia. Neque ad bellum modo cum ipsis gerendum armavit Deus Judæos, sed ministros & exequutores suæ vindictæ constituit. Alibi autem exposuimus justas fuisse causas cur radicitus evelli totum illud semen ac memoriam deleri vellet: præsertim quum eas jam quadringentis annis toleratsset, prava autem obstinatione in deterius ruere non cessassent. unde apparuit perdita earum impietas. Iterum tamen repetitur quod alibi dictum fuit, quoniam consecrata erat ad Dei cultum terra illa, ejerminandos esse incolas, qui nihil aliud quam eam contaminare poterant: adeoque id utile esse Israëlitis, ne eorum decipulis trahantur ad falsas superstitiones.

Ex Deut. XXIII.

15. Non trades servum domino suo, qui se ad te eripuerit à domino suo.

16. Tecum habitabit in medio tui, in loco quem elegerit in una urbium tuarum prout placuerit: nec vim inferes ei.

Quanquam hæc lex ad humanitatem & clementiam spectat, tamen videtur non omni ex parte justa esse. Quum tyrannica superbia multi domini servos premerent, coëgit eorum improbitas miseros aliquo solatio levare. Itaque servis permissum fuit in templa confugere: Romæ etiam ad statuas Cæsarum, ut si probarent se indigne & inhumaniter fuisse tractatos, causa cognita, venditi ad mansuetiores dominos transirent. Hoc quidem tolerabile fuit. sed perfugium quod hic servis datur, dominos jure suo fraudat: quoniam causa incognita libertas illis datur habitandi in terra Chanaan. hoc etiam modo violatur jus gentium, dum terra quibuslibet fugitivis patet. Adhæc quum servi perfugi ut plurimum nequam sint & scelerati, quicunque locus erit eorum receptaculum, multis inquinamentis replebitur. Quod existimant quidam privilegio exemptos esse servos à priore jugo, ut se in obsequium Deo traderent, atque ita propagaretur vera religio: nescio an satis firmum sit. Certe consentaneum non videtur, in Ecclesiam receptas fuisse quaslibet sordes ac quisquilias: quia tandem omne genus corruptelis fuisset referta. deinde si quid sceleris alibi fuisset admissum, Dei nomine obtegi minime decebat. Quid enim si fur, si adulter, vel homicida, relicto domino asylum in terra sancta quæsisset? tales hospitio recipere ac tueri quid aliud fuisset quam everis legibus & judiciis fœdam barbariem statuere? Ego itaque plus intelligendum esse arbitror quam sonent verba: nempe, si compertum esset servos fugisse non maleficii causa, sed ob nimiam dominorum truculentiam, ne populus eos abigeret: quod tantundem erat atque ad lanienam projicere. Et certe judicium interpositum fuisse colligitur, quia datur electio, in quacunque urbe habitare velint. Valuit quidem ad favorem religio, quia nomen vero Deo eos dare oportuit, & in ejus cultum initiari qui sedem & domicilium petebant in terra Chanaan: nunquam tamen passus est Deus, impios sine delectu recipiendo, nomen suum profanari. Quare (ut initio attigi) humanitatem populo suo Deus commendat, ne profugos servos dedendo, alieno furori subscribat: quia domini futuri erant carnifices. Et quum populum à vi inferenda prohibet, subindicat his verbis tantum se miseris consulere, ut liberum sit suam innocentiam defendere in judicio. unde hanc legem in appendices sexti præcepti referre visum est.

Ex Deut. XXII.

6. Quum occurrerit tibi nidus avium in via in quavis arbore, aut ſuper terram ubi pulli vel ova, & mater cubet ſuper pullos aut ſuper ova: non accipies matrem cum filiis: ſed dimittendo dimittes matrem, pullos autem capies tibi. ut bene ſit tibi & producas dies.

Hoc præcepto quum inſtituerit Deus populum ſuum ad manſuetudinem, appendix eſt ſexti præcepti. Fuit quidem ſobolis habita ratio, deinde aves quamdiu incubant, ut ſunt macie confectæ, certum eſt non eſſe ſalubrem cibum: dubium tamen non eſt quin propoſitum fuerit Deo ſuos ad humanitatem fovendam aſſuefacere. Nam ſi qua miſericordiæ gutta in nobis viget, nunquam in mentem veniet miſeram aviculam interficere, quæ vel generandi ſtudio, vel pullorum amore hic flagrat, ut vitæ ſuæ oblita, periclitari malit quam ova aut pullos deſerere. Quare non dubium eſt quin hoc rudimento populum ſuum Deus à feritate & ſævitia prohibuerit.

Ex Exodi XXIII.

5. Si videris aſinum inimici tui decumbentem ſub onere ſuo, & ceſſaveris ab auxiliando ei, auxiliando auxiliaberis cum eo.

Ex Deut. XXII.

4. Non videbis aſinum fratris tui aut boves ejus jacentes in via, & abſcondes te ab eis: erigendo eriges cum eo.

Hac etiam lege ſuos hortatur Deus ad præſtanda humanitatis officia brutis animalibus, quo magis ſint ad fratres ſuos juvandos propenſi. Memoria
1 Cor. 9. verſ. 9. enim tenendum eſt quod docet Paulus, ubi Deus boves ſublevari jubet, non tam de ipſis eſſe ſollicitum quam hominum curam ſuſcipere. Alibi præcipit Deus, ut qui viderit fratris ſui bovem vel aſinum, adeoque inimici, erraotem, colligat & reſtituat domino: verum hic alius fiois propoſitus fuit, ut teſtentur fideles ſe inimicis ignoſcere, dum erga eorum animalia ſunt miſericordes. Si dictum ſimpliciter fuiſſet, juvandos eſſe inimicos, & beneficiis certandum eſſe ad vincendam eorum malitiam, ſatis damnata fuiſſet omnis crudelitas. atqui ubi Deus non modo inimicis ſuccurrere jubet, errantibus viam commonſtrare, & lapſos colligere, ſed bis omnibus beneficiis vult animalia proſequi: magis emphatice & vehementius exprimit quantopere ab odio & vindictæ libidine remotos eſſe velit filios
Matth. 5. verſ. 44. ſuos. Quod ergo poſtea diſcipulis ſuis præcepit Chriſtus, videmus io Lege fuiſſe traditum, ut inimicos noſtros diligamus. Neque enim hic tantum compeſcitur ulciſcendi affectus, ſed plus aliquid exigitur, ut vincant fideles beneficiis hoſtium ſuorum malitiam: reducere enim bovem vel aſinum erraticum, teſtimonium eſt ſinceri amoris. Verum his duobus locis magis ad vivum repræſentatur quod ad ſextum præceptum pertinet, ut auxilium feratur bovi vel aſino laboranti ſub onere. In verbis non conſentiunt interpretes, à quibus longe diſceſſit Hieronymus. Alii autem qui fidelius reddere cupiunt, interrogative legunt, Si videris animal ſub onere ſuo, &c. an ceſſabis auxiliari? Videtur alter ſenſus aptior, Si videris & ceſſaveris auxiliari, auxiliare tamen. Occupat autem hoc modo Deus, ſi forte quiſpiam primo odio impulſus gravetur inimicum ſuum juvare, & tunc perverſum affectum corrigere jubet. Senſus ergo erit, ſi aſpectus inimici te moretur quominus animal ejus ſubleves, depoſita malevolentia cum eo te conjunge, ut ſimul humani & miſericordes ſitis erga miſerum animal. Sic data fuit materia inimicis ut ſe mutuo reconciliarent. Alia eſt difficultas in verbo עזב, quod etſi Relinquere ſignificat, hic tamen meo judicio ſumitur pro Auxiliari vel opem ferre. quanquam non male vertitur, Dimittere vel ſolvere: niſi forte magis libeat, roborare: quo ſenſu interdum reperitur.

Ex Numer. XXXV.

9. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

10. Alloquere filios Iſraël, & dicas eis, Quum tranſieritis Jordanem in terra Chanaan,

11. Conſtituetis vobis urbes: urbes autem refugii erunt vobis, quo fugiet homicida qui percuſſerit aliquem per errorem.

12. Et erunt vobis urbes illæ in refugium à propinquo: & non morietur homicida, donec ſteterit ipſe ante congregationem ad judicium.

13. Et ex urbibus quas dabitis, ſex urbes refugii erunt vobis.

14. Tres urbes dabitis citra Jordanem, & tres urbes dabitis in terra Chanaan: urbes refugii erunt.

15. Filiis Iſraël, & peregrino, & incolæ in medio eorum, erunt ſex urbes illæ in refugium, ut fugiat illuc quicunque percuſſerit aliquem per errorem.

16. Si inſtrumento ferreo percuſſerit eum, & mortuus fuerit, homicida eſt: moriendo morietur homicida.

17. Si vero lapide manus, quo moriatur, percuſſerit eum, & mortuus fuerit, homicida eſt: moriendo morietur homicida.

18. Aut inſtrumento ligneo manus, quo moriatur, percuſſerit eum, & moriatur, homicida eſt: moriendo morietur homicida.

19. Propinquus ſanguinis ipſe interficiet homicidam: quum ipſe obviaverit illi, ipſe interficiet eum.

20. Si per odium, inquam, impulerit eum, aut projecerit aliquid in eum per inſidias, & mortuus fuerit:

21. Aut

21. Aut per inimicitiam percûſſerit eum manu ſua, mortuuſque fuerit: moriendo morietur percuſſor, homicida eſt: propinquus ſanguinis interficiet homicidam quum ipſe occurrerit illi.

22. Si autem caſu abſque inimicitiis impulerit eum, vel projecerit in eum quodvis inſtrumentum abſque inſidiis:

23. Aut quemvis lapidem quo moriatur quem prius non videbat, & cadere fecerit ſuper illum, mortuuſque fuerit, & ipſe non erat illi inimicus, neque quærebat malum ejus:

24. Tunc judicabit congregatio inter percuſſorem & propinquum ſanguinis ſecundum judicia iſta.

25. Et eruet congregatio homicidam è manu propinqui ſanguinis, & reverti faciet eum congregatio ad urbem refugii ſui ad quam confugerat: habitabitque in ea donec moriatur ſacerdos magnus qui unctus eſt oleo ſanctitatis.

26. Quod ſi egrediendo egreſſus fuerit homicida terminum urbis refugii ſui ad quam confugerat,

27. Et invenerit eum propinquus ſanguinis extra terminum urbis refugii ſui, atque occiderit propinquus ille homicidam: non erit obnoxius morti.

28. In civitate enim refugii ſui habitabit donec moriatur ſacerdos magnus: poſtea quam autem mortuus fuerit ſacerdos magnus, revertetur homicida in terram poſſeſſionis ſuæ.

29. Et erunt iſta vobis in ſtatutum judicii per generationes veſtras, in omnibus habitationibus veſtris.

30. Quicunque percuſſerit aliquem, ad verbum teſtium occidet homicidam: ſolus enim teſtis non teſtificabitur in animam ut moriatur.

31. Neque accipietis pretium pro anima homicidæ qui eſt ſceleratus, ut moriatur: ſed moriendo morietur.

32. Sed nec accipietis pretium ut fugiat ad urbem refugii ſui, ut revertatur habitare in ea terra donec moriatur ſacerdos.

33. Et non polluetis terram in qua fueritis, quia ſanguis iſte polluet terram: neque terra expiabitur propter ſanguinem qui effuſus eſt in ea, niſi per ſanguinem illius qui effudit illum.

34. Ne ergo polluatis terram in qua habitatis, & in cujus medio ego habito: ego enim Jehova habito in medio filiorum Iſraël.

Ex Deut. XIX.

1. Quum exciderit Jehova Deus tuus gentes quarum ipſe Jehova Deus tuus dat tibi terram, & poſſederis eas, habitaveriſque in urbibus earum & in domibus earum:

2. Tres urbes ſeparabis tibi in medio terræ tuæ quam Jehova Deus tuus dat tibi ut poſſideas eam.

3. Præparabis tibi itinera, & in tres partes divides terminum terræ tuæ, quam in hæreditatem daturus eſt tibi Jehova Deus tuus: eritque ut fugiat illuc omnis homicida.

4. Hæc autem eſt res homicidæ qui fugiet illuc, & vivet: qui percuſſerit proximum ſuum ignoranter, neque oderat eum ab heri & nudiustertius:

5. Quicunque abierit cum proximo ſuo in ſylvam ad cædenda ligna, & impulſa fuerit manus ejus in ſecurim ad cædendum lignum, elapſum autem fuerit ferrum è ligno, inveneritque proximum ſuum, & moriatur: is fugiet ad unam urbium iſtarum, & vivet:

6. Ne perſequatur propinquus ſanguinis homicidam illum, quum incaluerit cor ejus: & aſſequatur eum quod longior fuerit via, & percutiat eum anima, quum tamen non ſit reus mortis, quod non odiſſet eum ab heri & nudiustertius.

7. Idcirco ego præcipio tibi, dicendo, Tres civitates ſeparabis tibi.

8. Quod ſi dilataverit Jehova Deus tuus terminum tuum quemadmodum juravit patribus tuis, & dederit tibi univerſam terram quam dixit patribus tuis ſe daturum:

9. Quum cuſtodieris omnia præcepta iſta, ut facias ea quæ ego præcipio tibi hodie, nempe ut diligas Jehovam Deum tuum, & ambules in viis ejus omnibus diebus: tunc addes tibi adhuc tres urbes ultra tres iſtas:

10. Ut non effundatur ſanguis innocens in medio terræ tuæ quam Jehova Deus tuus dat tibi in hæreditatem, neve ſint ſuper te ſanguines.

11. At quum fuerit quiſpiam qui oderit proximum ſuum, & inſidiatus fuerit ei, inſurrexeritque in eum, & percuſſerit eum anima, & mortuus fuerit, fugerit autem ad unam urbium iſtarum:

12. Tunc mittent ſeniores urbis illius, & abſtrahent eum inde, dabuntque eum in manu propinqui ſanguinis, & morietur.

13. Non parcet oculus tuus ei, & auferes ſanguinem innocentem ex Iſraële, & bene erit tibi.

Numer. 35. 10. *Alloquere filios Iſrael.*] Urbes refugii conſtituit Deus non modo ut diſcerneret inter ſcelus & errorem, ſed ne temere funderetur innocuus ſanguis. Hactenus vidimus quam ſevere homicidia puniri voluerit. Sed quia minime æquum fuiſſet, qui non ſponte ſed fortuito proximum occiderat, rapi ad eandem pœnam cui ſubjiciebantur homicidæ voluntarii: exceptionunc additur, ut ſit extra noxam qui neſciens & præter animi ſententiam quempiam occiderit. Quanquam longius reſpexit Deus (ut dictum eſt) ne cædes aliæ ſuper alias fierent, atque ita pollueretur terra. Nunc ordine ſingula excutiamus. Tametſi initio nonniſi de urbibus trans Jordanem ſitis meminit, ea progreſſu tamen colligitur, ſea in eum uſum fuiſſe delectas, quarum tres erant cis Jordanem. Vult autem ita eſſe diſpoſitas ut ſingulæ regioois partes aliquam ex ipſis vicinam habeant, ne miſeris qui extra culpam ſunt, triſtius ſit exilium ob itineris diſtantiam. Porro ante attigimus, urbes illas fuiſſe in ſorte tribus Leviticæ, ut ſacerdotii dignitas, eaules melius protegeret, deinde quia probabile erat plus in Levitis prudentiæ & gravitatis fore, ne perfugium inſontibus conceſſum ſceleratos quoque reciperet.

16. *Si inſtrumento.*] Videtur paulo poſt ſecum pugnare Deus, ubi homicidas abſolvit non voluntarios, quamvis ferro vel lapide vulnus ioflixerint: hic autem ſimpliciter reos eſſe mortis pronunciat quicunque ligno, vel ferro, vel lapide ferierint: ſed facilis ſolutio eſt ſi ad Dei conſilium attendas. Poſtquam enim errori dedit veniam, nequis ad criminis impunitatem traheret, mature occurrit, & quod ante viſum eſt rurſus inculcat. Quod autem ferri, ligni, & lapidis fit mentio, hac diſtinctione clarius explicat, nullis cædibus voluntariis eſſe ignoſcendum: alioqui, ut ſolent variis cavillis leges eludi, reſtringere ſorte tentaſſent ad ſpeciem unam quod de pœna homicidarum dictum fuit: nempe ſi quis gladio percuſſus foret. Non abs re ergo Deus morti addicit quemlibet cædis auctorem, ſive telo, ſive lapide projecto, ſive fuſte percuſſerit: quia ad pœnam ſufficit conceptum eſſe maleficium. Qui telum geſtaverit hominis occidendi cauſa, reum lege Cornelia fuiſſe certum eſt. & citat Martianus reſpoſum Adriani, Qui hominem occiderit, ſi boc fecerit non occidendi animo, abſolvi poſſe: & qui hominem non occiderit, ſed vulneraverit ut occidat, pro homicida damnandum. ſicuti etiam Paulus docet in eadem lege Cornelia dolum pro facto accipi. Et veriſſimum eſt illud Adriani reſponſum, in maleficiis voluntatem non exitum ſpectari. Unde illa Ulpiani ſententia, Nihil intereſt occidat quis, an cauſam mortis præbeat. Hic ergo non aliud fuit Dei conſilium quam omnes tergiverſandi anſas homicidis præcidere, ſi quidem impiæ voluntatis convicti eſſent, præſertim ubi effectus vel conatus acceſſerat: quia oihil intereſt gladione an malleo vel lapidis jactu.

19. *Propinquus ſanguinis.*] Quum interfici juſſit homicidas, voluit à judicibus cauſa cognita damnari. Quod autem nunc mortui hominis conſanguineum armat ad ſumendam vindictam, videtur barbariem ſapere: quia peſſimi exempli res eſt, privatis dare gladii poteſtatem, idque in propria cauſa. Permiſſum quidem olim fuit fures nocturnos occidere, ut ſuo loco videbimus: adulterum quoque in ſcelere deprehenſum, marito vel patri ſtupratæ fœminæ occidere licuit: ut vero quis ulciſcatur fratris ſui mortem, abſurdum eſt lege permitti. Nec vero putandum eſt hanc licentiam unquam Deo probatam fuiſſe ut quilibet publica auctoritate neglecta, de fratris ſui perculſore pœnam exigeret ubi obviam factus eſſet: ſic enim laxatum eſſet frenum ſubito fervori, ut ſanguis ſanguinem traheret. Quare probabile eſt, periculom hic magis denunciari quam aperiri januam ptivatæ vindictæ: quaſi dictum eſſet, niſi proſpiceretur inpoaiis, vix poſſa compeſci eorum furorem quorum occiſi fuerint cognati: non quod licitum ipſis eſſet vim retaliare, ſed quod crimen eſſe non ducerent, & impunitas etiam eos incitaret, eo quod juſto dolori ignoſceretur. Tenendum eſt ergo, ubi quis per dolum & ſcelus interemptus fuerat, cædem à cognato vindictæ cauſa perpetratam, noo fuiſſe punitam: quia durum erat, eum capitaliter tanquam ſceleris damnari, qui tantum impulſus ſanguinis ſui amore, naturaliter omnibus indito, homicidam pœnæ capitali jam obnoxium percuſſerat: toleraotia id quidem, non approbatioe, quia (ut jam dixi) publico judicio non privato arbitrio exigendæ ſunt pœnæ. Sed quum hæc indulgeotia ob populi duritiem conceſſa eſſet, hic admonet Deus quam neceſſarium ſit aſylum dare innoxiis: quia alioqui tanquam in homicidas impetus promiſcue fieret. In ſumma, fit comparatio inter ſceleratos & inſontes, quia niſi poſitum eſſet juſtum diſcrimen, perinde omnes ad mortem eſſent expoſiti: Homicida, inquit, morte dignus eſt ſi forte propinquo ejus qui mortuus eſt occurrerit. Ergo adhibendum eſt remedium, ne in eandem pœnam incidat qui ſcelus non admiſit. Hinc tandem colligitur alios ab aliis juſto judicio eſſe diſcernendos. Ratio autem ſimul præſcribitur, ut confeſſus eum abſolvat qui neſciens alium interfecit. Verum quia in verbis eſt aliquid perplexum, tenendum eſt, ſimulac quis alium percuſſerat, repente ſe contuliſſe ad locum refugii, ac illic fuiſſe profeſſum ſe tutum domicilium quærere: hac conteſtatione facta, liberum fuiſſe cognatis mortui accuſare: demum utriſque auditis interpoſitum fuiſſe judicium. Alioqui manifeſta eſſet repugnantia in contextu, quandoquidem paulo poſt ſubjicitur, Reverti facient eum ad urbem refugii ad quam ſe contulerat. Unde apparet, ex quo ſe obtulerat exul ad cauſam dicendam & ſe purgandum, diem edici ſolitum quo venirent accuſatores. Summa eſt, ne uſquam aſylum reperiat homicida niſi crimine ſolutus. Hæc optima fuit moderatio, ne eadem errori & ſceleri ſtatueretur pœna, ſimulque temporali exilio teſtatum fieret quantopere à cædibus cavendum eſſet. Quanquam ſimul Deus pepercit eorum oculis quorum occiſus fuerat frater, ne continuo aſpectu recrude ſceret dolor. quod ex viceſimo ſexto verſu colligitur, ubi datur cognatis impunitas ſi eum qui è medio ſubducere ſe debuit, extra fines refugii ſui deprehenſum occiderint: non quod apud Deum excuſatus fuerit indignationis fervor, ſed quia ulciſcendi impetum ex ſenſu humanitatis profectum, aliter cohibere difficile fuit.

28. *In civitate enim refugii.*] Exilii tempus præfigitur ad mortem uſque ſacerdotis, quia miſero exuli ſpes omnes reditus abſcindi minime humanum fuiſſet: quum autem novus ſucederet ſacerdos ad reconciliandum Deo populum, debuit hæc gratiæ renovatio placare omnes offenſas. Quare non abs re Deus in integrum reſtituit eos qui tantum erroris pœnas dabant.

30. *Quicunque percuſſerit.*] Jam redit ad homicidas voluntarios, quibus vetat quidem parcere, ſed eos ad ſupplicium rapi non vult niſi legitimis teſtimoniis convictos. Ad verbum eſt, Omnis qui percuſſerit animam, ad os teſtium occidet eom qui occidit. Quæ ſententia propter brevitatem obſcura erit, niſi ſubaudiatur nomen quod reſpondeat ſecundo verbo. Poteſt autem hoc tam de judicibus quam de accuſatore exponi: in re tameo nulla eſt ambiguitas, neminem eſſe damnandum niſi legitime convictus fuerit. Porro unum teſtem non ſufficere pronunciat, quia nimis iniquum eſſet unius linguæ arbitrio vitam hominis ſubjici. Jam ante ſimilem recitavi locum, ubi docebat Moſes, nullam cauſam capitalem niſi duorum vel trium teſtimonio definiendam eſſe:

esse: & quia generales sunt ejusmodi sententiæ, consulto proprium locum illis dedi. Nunc iterum quod ad damnandos homicidas spectat, per occasionem attingit, duos testes requiri: quia nihil magis proclive esset quam insontes calumniis & perjuriis obruere, si unius cujuslibet testimonio staretur. Ubi autem duo prodeunt in medium, si qua sit perfidia, multis rationibus deprehendi potest, ut jam dictum est: quia seorsum interrogati vix per omnia convenient. Cæterum ut ad sceleris pœnam requiritur certa probatio, ita ubi de cæde cognitum fuerit, severe Deus exigit ac denunciat ne maneat impunita. Nominatim vetat ne jus asyli sit venale, quia periculum erat ne alioqui operimentum esset multis sceleribus. Quod ergo vetat accipere pretium ne quis concedat in urbem refugii, huc tendit, ne quis beneficio fruatur donec probe comperta fuerit ejus innocentia: ne misericordia qua subleventur insontes, corruptelis subjaceat.

33. *Et non polluetis terram*] Hac clausula rursus admonet, nisi severa judicia exerceant contra homicidas, sacrilegii reos fore: quia terra humano sanguine effuso polluitur, & maledictioni obnoxia est, donec expiata fuerit. Deinde quum in terra Chanaan habitet Deus, qui sibi domicilium elegit inter filios Israël, simul profanatur ejus sanctitas. Summa est, modis omnibus occurrendum esse, ne terra quæ Deo sacra est, cædibus contaminetur.

Deut. 19. 1. *Quum exciderit Jehova.*] Eadem quæ nuper vidimus præcepta iterat Moses, ut in homicidiis populus errorem discernat à scelere. Hac ratione sex urbes assignat ubi tuto lateant & quiescant qui suam innocentiam probaverunt judicibus. Uno autem verbo definit quisnam eximendus sit à pœna, qui scilicet nesciens provocum occiderit; sicuti antea visum est. & recte: quia principium & causa maleficii sola est voluntas: ideoque sine perverso affectu nullum est crimen. Verum ne prætextu erroris culpam effugiant qui sibi male conscii sunt; nota discriminis additur: nempe si nullum odium præcesserit: cujusmodi rei ponitur exemplum, si duo amici in sylvam simul profecti sint, & absque lite vel jurgio ferrum securis quod exciderit à manu unius, alterum feriat. Fontem ergo sceleris merito jubet Deus investigari, & quomodo reperiendus sit ostendit: nempe si qua fuerit simultas, vel si qua exorta fuerit contentio. Neque enim credibile est quempiam usque adeo esse improbum ut gratis ad scelus abominabile prosiliat. Notandum vero est, huic conjecturæ locum non esse nisi in re dubia: nam si quis stricto gladio transfodiat proximum, vel jaculum in cor ejus vibret, supervacua erit inquisitio: quia satis superque sceleste voluntas detecta est.

SEPTIMUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

14. Non committes adulterium.

Repetitio præcepti.

Ex Deut. V.

18. Non committes adulterium.

Etsi una tantum impudicitiæ species attingitur, ex principio tamen posito liquet fideles in genere ad castitatem institui: nam si Lex, juste vivendi perfecta est regula, plusquam absurdum esset scortandi licentiam dare, exceptis tantum adulteriis. Deinde extra controversiam est, minime Deo probari, vel excusari apud ejus tribunal quod dictat communis hominum sensus obscœnum esse. Etsi enim passim omnibus seculis grassatæ sunt libidines, nunquam tamen penitus deleri potuit opinio, scortationem esse flagitium vel nequitiam. Certe ab initio viguit quod
Tit. 2: 12. docet Paulus, tres bene vivendi esse partes, temperantiam, justitiam, & pietatem: atqui temperantia quam commendat, à castitate non separatur. Adde quod tam Christus quam Apostoli, ubi de vitæ perfectione differunt, semper ad Legem fideles revocant. Nam sicut olim à Mose dictum est, Hæc est via, ambulate
Mat. 19. in ea: idem Christus confirmat, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. subscribit & Paulus, Qui diligit alterum, Legem implevit. Interea non desinunt
Rom. 13. 10. subinde sententiam maledictionis ferre in omnes scortatores. Singulos locos recitare operæpretium non est. Porro si Christus & Apostoli fidelissimi Legis interpretes pronunciant, non minus scortando quam furando violari Dei Legem, certo inde colligimus sub una specie in hoc præcepto totum genus comprehendi. Quare nihil aliud quam inscitiam suam cum dedecore prodiderunt qui ex præpostera curiositate captarunt acuminis laudem, dum confessi sunt in novo quidem Testamento satis clare & frequenter damnari scortationem, sed non in Lege. Nam si prudenter ratiocinati essent, ex quo legimus Deum benedixisse conjugio, ex opposito statuere promptum erat, maledictum esse congressum viri & mulieris, nisi in conjugio. Hanc rationem sequutus est auctor Epistolæ ad Hebræos, ubi
Hebr. 13. res inter se contrarias comparans, Honorabile, inquit, inter omnes conjugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros judicabit Deus. Jam
Levit. 21. ubi vetat Deus sacerdotem cum scorto conjugium
vers. 14. contrahere, aperta fœditas notatur. quod si filiabus
Deut. 23. Israël scortari fas non fuit, eadem in masculis valere
vers. 17. debuit ratio. Nec vero aliunde Oseas quam ex Lege
Osea 4. reprehensionem illam sumpsit, Scortatio & vinum
vers. 11. auferunt cor. Sicuti dum Prophetæ gentis suæ corruptelas metaphorice exagitant, non semper utuntur verbo זנה quod hic ponit Moses, sed eas scortationibus comparant. Quod si per se licita esset scortatio, minime translatio illa quadraret. Jussus fuit Oseas scortum sumere in uxorem, adulterii nulla sit mentio, & tamen probrum & turpitudo populi traducitur: quis nunc vitio carere dicat scortationem, cui non vulgarem ignominiæ notam inurit Deus? Quod si quis pertinacius contendat, falsi Paulum insimulet, qui exemplum in Lege testatur propositum esse, ne scortemur, dum uno die ceciderunt
Num. 25. viginti tria millia. Certe nisi Legem transgressi
vers. 9. essent, non tam horribilis in eos fœvisset vindicta. Si
1 Cor. 10. quis accipiat, simul admisstum fuisse idololatriæ crimen, manet tamen firma Pauli sententia, Deum in hoc pœnæ exemplo fuisse scortationis ultorem: quod non conveniet nisi sit Legis transgressio. Et sane ubi
Actor. 15. suo decreto Apostoli Gentes à scortatione prohibent
vers. 21. apud Lucam, simul additur ratio, quia in synagogis legatur Moses. Jam nisi vitium esset Legi contrarium, nulla inde concepta fuisset offensio. Cæterum cur sub voce adulterii omnem impuram libidinem damnaverit, antè exposuimus. Scimus quam effrenis scortandi licentia fuerit apud Gentes: etsi enim nunquam passus est Deus pudorem simul cum pudicitia

extingui, suffocatus tamen quodammodo fuit honesti respectus, ut sceleris gravitatem facetiis & scurrilibus jocis eluderent. Minime certe cognita
1 Cor. 6. vers. 18. fuit illa Pauli doctrina, qui stupris indulgent, in corpus suum peccare. Quoniam ergo indulgentia sopitæ erant omnium mentes, criminis atrocitate expergefieri necesse fuit, ut ab omnibus inquinamentis cavere discerent. Nec tantum hic damnantur vagæ libidines, sed Deus populum suum ad colendam pudicitiam & castitatem instituit. Summa est, ut qui se Deo probare cupiunt, puri sint ab omni
2 Cor. 7. vers. 1. sorde carnis & spiritus. Nec enim dubium est quin Paulus his verbis Legem interpretari velit: sicuti alibi dum hortatur vas suum quemque possidere
1 Thes. 4. vers. 4. cum sanctificatione & honore, non in affectu concupiscentiæ, sicuti Gentes quæ Deum non noverunt.

Ex Levit. XVIII.

20. Uxori proximi tui non dabis concubitum tuum in semine, ut polluaris cum ea.

Eadem hujus loci ratio est quæ superiorum. Etsi enim quælibet scortatio hominem polluit, in adulterio tamen fœdior est impuritas: quia violatur conjugii sanctitas, & seminis mixtura inducitur spuria & aliena soboles. Ergo hoc flagitium merito Deus inter Gentium abominationes recensuit, sicuti clarius videre licet ex capitis præfatione, unde sumpta est hæc sententia.

Appendices septimi præcepti.

Ex Levit. XVIII.

22. Cum masculo ne concumbas concubitu mulieris: abominatio est.

23. Cum animali non coibis ut polluaris cum eo: nec mulier prostituet se animali ut coëat cum eo: turpitudo est.

24. Ne polluamini in omnibus his: nam in his omnibus polluerunt se gentes quas ego ejiciam à facie vestra.

25. Polluta fuit terra, & visitavi iniquitatem ejus super eam, evomuitque terra habitatores suos.

26. Vos ergo custodite statuta mea, & judicia mea: & ne faciatis ex omnibus abominationibus istis, indigena, vel peregrinus qui peregrinatur in medio vestri.

27. Omnes enim abominationes istas fecerunt homines terræ qui fuerunt ante vos, & polluta fuit terra.

28. Ne evomat vos terra quod contaminetis eam, quemadmodum evomuit gentem quæ fuit ante vos.

29. Quisquis enim fecerit ex omnibus abominationibus istis, animæ quæ fecerint excidentur è medio populi sui.

30. Custodite custodias meas, nec faciatis è statutis abominationum quæ facta sunt ante vos, neque polluatis vos in illis: ego Jehova Deus vester.

Appendices forenses.

Ex Exodi XXII.

19. Quisquis concubuerit cum animali, morte moriatur.

Ex Levit. XX.

13. Quicunque coierit cum masculo coitu mulieris, abominationem fecerunt ambo: morte morientur, sanguis eorum super eos.

Ex eodem Capite.

15. Si quis intulerit coitum suum in brutum, moriendo morietur, & jumentum occidetis.

16. Si mulier accesserit ad unum animal ad coëundum cum eo, occides mulierem & animal: moriendo morientur, sanguis eorum super eos.

Discimus ex his locis, non tantum ab adulteriis prohibitum fuisse populum, sed à flagitiis omnibus quæ pugnant cum ipsa naturæ verecundia. Porro quo magis detestabilis sit omnis impudicitia, duas prodigiosæ libidinis species commemorat: ex quibus patet, dum sibi homines indulgent in hac parte, plusquam belluino impetu ad se nefando dedecore fœdandos rapi. Belluæ coitu naturali contentæ sunt: discrimen itaque hoc ab homine ratione prædito confundi, nimis indignum est. Quorsum enim judicium & intelligendi facultas, nisi ut major in nobis quam in brutis animalibus vigeat continentia? Horribili igitur modo excæcatos esse apparet qui se ita probrosè contaminant, quemadmodum dicit Paulus. Rom. 1. Varia tamen monstra præter naturam excogitavit libidinis furor: quorum nomina sepulta esse præstaret, nisi quod Deus pudenda monumenta extare voluerit quæ metum & horrorem nobis inculterent. Tandem eo prorupit intemperies, ut homines ad imaginem Dei creati, tam viri quam fœminæ brutis se animalibus miscerent.

Levit. 18. 24. *Ne polluamini.*] Veteri proverbio dicitur, ex malis moribus natas fuisse bonas leges: hac causa se induci admonet Deus ut de rebus alioqui fœdis & nefandis diserte verba faciat: portenta enim quorum meminit, æterno silentio tegenda

genda erant, nisi cogeret necessitas ea in lucem proferre. Verum quia eousque licentiæ proruperant gentes Chanaan, ut prodigia quæ melius latuissent, perverso usu nimis familiariter essent cognita, populum suum admonet Deus ut sibi caveat ab exitialibus exemplis. Primo, quum dicit abominationes illas fuisse grassatas in Gentibus, significat nihil ad excusationem valere malam consuetudinem, imo ex publico consensu male quæri patrocinium vitiis. Verum quo melius ab imitatione deterreat, statuit ante oculos quam Deus sumpturus erat vindictam. Verum quidem est aliis de causis populos Chanaan fuisse deletos, sed inter alias non frustra hanc proponit: quia haud dubie talibus inquinamentis offensus fuerat Deus.

26. *Vos ergo custodite.*] Hic Gentium corruptelis Legem suam opponit. Sufficere quidem ad ipsos eruiendos poterat quod nunc protulit severitatis exemplum: quo tamen eos acrius urgeat, simul adjungit viam illis in Lege ostensam, quæ eos erratico cursu vagari non sinat, modo ne recusent Deum sequi. Nam Gentes quum luce destituerentur, huc illuc abstractas fuisse mirum non est: sed dum errando cæcitatem suam demonstrant, fideles ex opposito testari convenit se non tenebrarum sed lucis esse filios. Atque hucalludere videtur Paulus, dum fideles hortatur ne ambulent sicuti Gentes in vanitate sensus sui. Hac fatione Deus nunc non tantum præcepta & statuta sua commendat, sed etiam custodias: quia nihil in Lege sua omiserit quod ad regendam hominum vitam esset utile. Summa est, nisi in doctrina quæ ipsis prælucet, se contineant, eundem qui gentibus instabat interitum ipsos quoque manere.

Ephes. 4. vers. 17.

Levit. 20. 13. *Quicunque coierit cum masculo.*] Antehac Deus quid rectum esset docuit, ut à scelere populum retraheret, non tantum pœnæ metu, sed sed etiam propter conscientiam. Quia autem non omnes sponte animum adjiciunt ad parendum, contra impios contemptores quibus nullum est pietatis studium, severe animadvertit. Ac mirum est ita gentes fere omnes obtorpuisse in bruta fœcordia, ut præposteri coitus, & ipso nomine detestabiles, impune fere tolerati fuerint. Nequissimos etiam quosque puduit (fateor) tantum crimen excusare: sed quum ejus fieret licentia, vulgare convitium fuit objicere in faciem, imo in ipsis publicis judiciis, quod durius vindicandum erat quam alia scelera quibus non parcebant. Pœnæ autem non minus subjicitur qui muliebria passus est quam stuprator: quia tale inquinamentum nullo modo ferri debet. Imo si vir aut mulier coitum appetat bruti animalis, quo magis portentum omnes exhorreant, & ab eo caveant, ad innoxium usque animal transit pœna: sicuti ante vidimus bovem cornupetam morti addici si hominem occiderit. Hinc autem colligimus quantopere displiceat hoc genus scelleris Deo, dum animalium quæ extra culpam sunt morte sancitur.

Ex Levit. XIX.

29. Non pollues filiam tuam prostituendo eam: neque scortetur terra, & impleatur ipsa scelere.

Clarius demonstrat hic locus, vagos omnes concubitus semper coram Deo fuisse illicitos. Allegorice trahere ad spiritualem fornicationem quod hic dicitur, coactum est atque insulsum. Nimis etiam legem restringunt qui putant solum interdici publica lenocinia, quum potius generaliter præcipiat Deus parentibus, ut sub pura castaque educatione filias suas custodiant. Verum ut demus non aliud vetari quam ut ne parentes filiarum sint lenones, tamen ex polluendi verbo colligitur ipsas ex stupro maculam contrahere: (frigide enim quidam verbum חלל vertunt Publicare) & ratio addita satis superque confirmat, quamlibet scortationem esse Deo exosam. Neque scortetur terra, inquit, & impleatur scelere. Hic certe non de adulteriis agitur. Atqui si extra conjugium coëant vir & fœmina, scelus esse pronunciat Deus. Unde sequitur, septimo præcepto populum doceri, ut sibi ab omni impudicitia caveat.

Ex Deut. XXIII.

17. Non erit meretrix è filiabus Israël, neque erit scortum masculum è filiis Israël.

Hic locus superiori est affinis. priore enim membro puellas vetat prostitui ad stuprum. קדש existimant Hebraice vocari meretricem, quia ad flagitium exposita sit ac parata: quanquam per antiphrasin videtur notari pollutio sanctitati contraria. Utcunque sit, præceptum castitatis datur, ne puellis liceat extra conjugium viros admittere. In secundo membro nonnulla est ambiguitas, Ne sit קדש in filiis Israël: quia aliis locis certum est pro cinædis vel scortis masculis accipi: nulla tamen obstat ratio quominus vertere liceat, Scortatores. Quo sensu positum videtur hoc nomen in libro Job, ubi dicitur, hypocritam moriturum in adolescentia vel flore ætatis, vitam autem ejus fore inter קדשים: quod tantundem valet atque infamem probrosumque fore in vita. Cæterum si de cinædis accipere placeat, per synecdochen damnatur omnis impuritas.

Job. 19.

Ex Levit. XX.

10. Vir qui adulterium commiserit cum uxore alterius, qui adulterium commiserit cum uxore proximi sui, moriendo morientur adulter & adultera.

Ex Deut. XXII.

22. Si quis deprehensus fuerit coiisse cum muliere conjugata marito, morientur etiam ambo ipsi, vir qui coierit cum muliere, & mulier ipsa: atque auferes malum ex Israële.

23. Quum fuerit puella virgo desponsata viro, & invenerit eam aliquis in urbe, coieritque cum ea:

24. Adducetis utrumque ad portam urbis ejus, & lapidabitis eos lapidibus, ac morientur: puellam quidem, quod non clamaverit in urbe: & virum, propterea quod affixit uxorem proximi sui: atque ita auferes malum è medio tui.

25. At si in agro invenerit vir puellam desponsatam, & apprehenderit eam vir ille, & coierit cum ea, morietur vir qui coierit cum ea, solus.

26. Puellæ

26. Puellæ vero non facies quicquam: non eſt puellæ peccatum mortis. nam quemadmodum inſurgit quis in proximum ſuum, & occidit eum anima, ſic ſe habet res iſta.

27. In agro invenit eam: clamavit puella deſponſata, & nemo adfuit qui ſervaret eam.

22. *Si quis deprehenſus.*] Appendix politica, ex qua patet quantopere abominetur Deus adulteria, dum mœchis capitalem pœnam irrogat. Et certe quum ſacrum ſit Dei fœdus conjugium, nullo modo tolerabilis eſt ejus profanatio: ac ſanctior eſſe debet conjugalis fides quam ut impune violetur: & immanis eſt perfidia eripere è ſinu viri uxorem quæ inſtar vitæ eſt, vel ſaltem pars ejus dimidia. Unde etiam
Jer. 5: 7. adulteros ignominioſe Propheta equis adhinnientibus comparat: quia ubi talis exultat laſcivia, homines in beſtias quodammodo degenerant. Quanquam hic ſpectatur alia ratio: neque enim ſi quis cum pellice ſcortando uxorem ſuam fraudaſſet, lethale fuit crimen: verum ſi quis etiam cælebs mœchatus eſſet cum aliena uxore, quia & maritus gravi contumelia afficitur, & dedecus tranſit ad poſteros, & adulterinus partus ſupponitur pro legitimo, & transfertur ad alienos hæreditas, adeoque familiæ nomen furantur ſpurii. Hæc ratio gentes etiam ante Legem impulit, ut ſevere in adulteria animad-
Gen. 38. verſ. 24. verterent: ſicuti patet ex hiſtoria Judæ & Thamar. Imo communi jure gentium mortis pœna ſemper adulteriis inflicta fuit: quo turpius eſt magiſque pudendum Chriſtianis, non imitari ſaltem profanos homines. Lege Julia non minus graviter quam ipſius Dei punitur adulterium: qui ſe venditant Chriſti nomine, adeo molles ſunt ac remiſſi, ut vix levi caſtigatione tam execrabile flagitium coërceant. Ac ne Legem Dei abrogent abſque colore, obtendunt Chriſti exemplum, qui uxorem adulteram, quum eſſet lapidanda, liberam dimiſit: nempe, ſicuti ſe in montem ſubduxit, ne rex crearetur à turba. Quod ſi reputamus quas partes injunxerit Patet unigenito Filio ſuo, non mirabimur vocationis ſuæ finibus fuiſſe contentum, ne judicis officio fungeretur. Atqui hoc exemplum præpoſtere æmulati ſunt qui divinitus gladio erant armati ad punienda ſcelera: ergo pœnæ relaxatio ex craſſa ioſcitia manavit. Cæterum quamvis in foro terreno non æque puniatur viri ac mulieris perfidia: quia tamen mutuo inter ſe obſtricti ſunt, utriuſque vindex erit Deus. Ideoque apud cæleſte tribunal valet Pauli ſententia, Ne ſe invicem fraudent conjuges: quia ſicut uxor proprii corporis jus non habet, ita nec viciſſim maritus.
Joan. 8. verſ. 11. *1 Cor. 7.*

23. *Quum fuerit puella virgo.*] Jam latius extenditur pœnæ ſeveritas, dum ſponſa cenſetur loco uxoris: idque optima ratione, quia jam fidem dedit. & perditæ incontinentiæ ſignum eſt, puellæ animum à ſponſo, cui devincta eſt, ſic alienari ut alieno virginitatem ſuam proſtituat libandam. Verum quia extra noxam eſt quæ vi ſtuprata fuerit, abſolvitur quæ in agro oppreſſa fuit: quia probabile eſt invitam ſuccubuiſſe, eo quod procul abeſſet auxilium. Etſi autem ad captum rudis populi accommodatur ſermo, conſilium tamen Dei fuit, vim à conſenſu diſtinguere. Itaque ſi in ædium receſſu unde clamor exaudiri non poſſet, oppreſſa fuerat puella, liberari haud dubie voluit Deus, ſi modo idoneis indiciis ac conjecturis innocentiam ſuam probaret.

Ex Levit. XIX.

20. Vir ſi coierit cum muliere coitu ſeminis quæ fuerit ancilla deſponſata viro, nec redimendo redempta fuerit, nec fuerit manumiſſa: vapulatio erit: non morientur, quia non eſt libertate donata.

21. Adducet autem oblationem pro delicto ſuo Jehovæ, ad oſtium tabernaculi conventionis, arietem pro delicto.

22. Et expiabit eum ſacerdos per arietem pro delicto coram Jehova, propter peccatum ſuum quod peccavit: & remittet ei peccatum ſuum quod peccavit.

Etſi coram Deo nullum eſt inter ſervos & liberos diſcrimen, in forenſibus tamen judiciis diverſa eſt eorum conditio: nec vero ex ancillæ adulterio tantum malorum conſequitur. Ergo quamvis morte dignum ſit crimen, pro infirmitate tamen populi mitigatur pœna, ut ſi quis ancillam corruperit viro deſponſatam, ambo vapulent. Unde colligitur, ſi concubina quæ jam marito cohabitavit, fuerit ſtuprata, cenſeri capitale adulterium. Porro ne ex legis facilitate vel indulgentia falſo ſtatuerent leve eſſe delictum, huic errori tempeſtive occurritur, expiatione ſuperaddita. Nam ſi verberibus cæſus adhuc reconciliatione indiget, ſequitur non æſtimandum eſſe modum delicti ex pœna.

Ex Exodi XXI.

7. Quum vendiderit quiſpiam filiam ſuam in ancillam, non egredietur quemadmodum egredi ſolent ſervi.

8. Si diſplicuerit hero ſuo, nec ſibi deſponderit eam, redimendam curabit: populo alieno non habebit poteſtatem vendendi eam, quum ſpreverit eam.

9. Quod ſi filio ſuo deſponderit eam, ſecundum morem filiarum faciet ei.

10. Si aliam acceperit ſibi, alimentum illius, operimentum illius, & conſtitutionem illius non diminuet.

11. Quod ſi tria hæc non fecerit illi, egredietur gratis abſque argento.

Ex hoc loco, ſicuti & ex aliis ſimilibus, patet quam multa vitia in populo illo toleranda fuerint. Liberos vendere ut patres inopiæ ſuæ ſuccurrerent, prorſus barbarum fuit: non potuit tamen illud corrigi ut optandum erat. Deinde ſanctior eſſe debuit conjugii fides, quam ut liberum eſſet domino, poſtquam ſibi ancillam in uxorem deſponderat, eam abjicere: ſimiliter eam ubi filio deſponderat, irritum facere pactum, quod inviolabile eſt. Semper enim vigere debuit principium illud, Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Atqui horum omnium facta fuit libertas veteri populo: tantum hic miſeris puellis cavetur, ne cum infamia & damno repulſam ferant. Etſi autem in exigenda pœna remiſſior eſt Deus, quatenus tamen ferebat dutities populi, caſtitatem ſibi placere oſtendit. Primum hero non permittit ancillam pretio emptam ſtuprare: verum ſi ejus concubitu potiri optat, vult conjugium intercedere.

dere. Etſi enim diſertis verbis id non explicat, ex eo tamen quod damnat, contrarium probari colligere licet. Quo refellitur eorum commentum qui ſcortationem ſub Lege licitam fuiſſe volunt. Sed verba propter ambiguitatem propius excutienda ſunt. Primo ſublevatur ſexus, ut paulo humanior ſit puellæ quam maſculi conditio: quia alioqui imbecillitas injuriis & probris obnoxias redderet puellas. Sequitur deinde explicatio, in qua tamen variant interpretes. Nam particulam אִם quæ proprie negativa eſt, quidam pro אוֹ accipiunt: unde emanant duo ſenſus contrarii, Si eam deſpooderit ſibi, vel Si non. Si affirmative accipere placeat, finis præcepti erit, Si dominus quam amavit & ſibi deſtinavit uxorem repudiet, ut eam manumittat. Etſi enim ad verbum eſt, Redimere faciet eam: ex circumſtantia tamen elicitur illius liberandæ onus injungi. Nec obſtat quod tantum eripitur poteſtas eam vendendi alieno populo: quandoquidem id non de ſolis exteris intelligo, ſed de reliquis popularibus: ut vocantur interdum alieni qui ſunt ex diverſa tribu vel familia. Nam alioqui quamvis nulla eſſet conjugii pactio, ſervos tamen ex ſancto & electo populo genitos exteris addicere fas non fuit. Adde quod apud Iſraëlitas nonniſi temporalis erat ſervitus. Verum, ut alia omnia præteream, ſufficiat tantum notari abſurditatem, ſi herus tanquam mancipium venalem habeat ſuam ſponſam: ſi eorum opinio recipitur, qui putant verba fieri de repudio poſt contracta ſponſalia. Cæterum mihi magis probatur diverſa ſententia, quamvis herus ad conjugium non adſpiraverit, ſi diſpliceat forma, ut eam nolit ſibi habere uxorem, ſaltem redimendam curet: quia periclitaretur ejus pudicitia ſi innupta apud eum maneret. niſi forte ſi goiſicet Moſes, poſtquam compreſſa fuerit, herum non dignari eam ſponſæ honore. Verum quod jam retuli, ſimplicius eſt. Cavetur ergo puellis ne pro libidine ſtuprum offerant illis domini. Ita Spernendi verbum non intelligitur de repudio, ſed gratiæ vel amori conjugali opponitur. Secundum eſt, ut eam filio ſuo deſpondeat: in quo etiam pudori & honeſtati ejus conſulitur, ne dominii jure oppreſſa, ſcortum fiat. Tertio loco cavetur, ſi repudiata fuerit, ne iniqua ſit ejus conditio. Itaque ſi nurum ſibi deſtinet, ac filio ſuo deſpondeat, jubetur cum ea liberaliter agere. Nam Pro more filiarum, tantundem valet atque dotare, vel ſaltem tractare quaſi ingenuam. Subjicit demum, ſi filio aliam eligat uxorem, ne quæ rejecta fuit, victu & veſtitu fraudetur. De tertio non ſatis convenit. Vertunt quidam Tempus: ſed non video quid ſignificet Tempus diminuere. alii reddunt Debitum conjugale, nimis licentioſe: alii rectius Afflictionem, quia io repudio humiliata fuit puella. Dura tamen eſt loquutio, Minucre afflictionem, pro injuriæ compenſatione. Expendant ergo lectores annon שְׁאֵר pro pacto vel dicto ſumatur. ſic enim optime fluet contextus, Si filius aliam duxerit uxorem, ut puella repulſam ignominiæ paſſa, jus ſuum in victu & veſtitu dotiſque conſtitutione obtineat: alioqui Deus gratis manumitti jubet, ut libertas fraudem ei factam compenſet.

Ex Exodi XXII.

16. Quum ſeduxerit quiſpiam virginem quæ non eſt deſponſata, & coierit cum ea, dotando dotabit eam ſibi in uxorem.

17. Si renuendo renuerit pater ejus ei dare ipſam, pecuniam appendet ſecundum dotem virginum.

Hinc etiam liquet, quamvis pœnam forenſem remittat Deus, ſcortationem ei non placere. Quoad ſpirituale judicium conſcientiæ, erant piacula ad eum placandum: hic proſpicit tantum puellis, ne deceptæ, amiſſa virginitate, fiant proſtibula: atque ita terra ſtupris inquinetur. Remedium autem eſt, ut qui puellam corrupit, cogatur uxorem ducere: & quidem eam dotare de ſuo, ne ſi deinde eam repudiet, vacua ab ejus thoro diſcedat. Quod ſi patri puellæ non placeat conjugium, pœna ſtupratori imponitur ut dotem aſſignet.

Ex Deut. XXIV.

5. Quum quis acceperit uxorem novam, non egredietur ad bellum, neque injungetur ei munus: immunis erit in domo ſua anno uno, & delectabit uxorem ſuam quam accepit.

Hæc immunitas ad conciliandum mutuum amorem ſpectat, qui maritum & uxorem in fide conjungat. Periculum enim eſt, ſi maritus uxore ducta alio ſtatim diſcedat, ne mulier nuper virum experta, antequam ei probe aſſueverit, nimium ſit proclivis ad alterius amorem & deſiderium. Simile & in viro eſſet periculum: nam in bello & aliis expedirionibus multa occurrunt quæ viros ad flagitium ſollicitent. Vult ergo Deus totius anni conſuetudine foveri amorem viri & fœminæ, ut hoc modo ſtabiliatur fides inter eos mutua, & conſtanter ſibi poſtea ab impudicitia caveant. Porro quod novæ uxori permittit Deus ſe oblectare cum marito, non vulgare indulgentiæ ſuæ ſpecimen in eo demonſtrat. Fieri certe non poteſt quin concubitum viri cum uxore aliquo vitio inficiat carnis intemperantia. atqui Deus non ſolum ignoſcit, ſed velum opponit ſancti conjugii, ne imputetur quod per ſe vitioſum erat: imo ultro concedit ut maritus & uxor ſe oblectent. Huic mandato reſpondet illud Pauli, ut vir debitam benevolentiam uxori reddat, & ſimiliter uxor viro: ne ſe invicem fraudent, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacent precibus & jejunio. 1 Cor. 7. verſ. 3.

Ex Numer. V.

11. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

12. Alloquere filios Iſraël, & dicas illis, Quum diverterit uxor cujuſpiam, & prævaricata fuerit prævaricatione:

13. Et coierit aliquis eum ea coitu ſeminis, abſconditum autem fuerit ab oculis viri ſui, & delituerit, ipſaque polluta fuerit: teſtis vero non fuerit contra eam, neque ipſa fuerit deprehenſa:

14. Et tranſierit ſuper eum ſpiritus zelotypiæ, zelatuſque fuerit uxorem ſuam, & ipſa polluta

polluta fuerit: vel transierit super eum spiritus zelotypiæ, zelatusque fuerit uxorem suam, & ipsa non fuerit polluta:

15. Tunc adducet vir uxorem suam ad sacerdotem, & afferet oblationem ejus cum illa, nempe decimam partem ephæ farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, neque ponet super eam thus, quia oblatio zelotypiarum est, oblatio memoriæ revocans in memoriam iniquitatem.

16. Et appropinquare faciet eam sacerdos, statuetque eam coram Jehova.

17. Tolletque sacerdos aquam sanctam in vase testaceo, de pulvere quoque qui fuerit in pavimento tabernaculi tollet sacerdos, & mittet in aquam illam.

18. Tum statuet sacerdos mulierem coram Jehova, & discooperiet caput illius mulieris, ponetque super manus ejus oblationem memoriæ, quæ oblatio zelotypiarum est: & in manu sacerdotis erunt aquæ amaræ maledictæ.

19. Et adjurabit eam sacerdos, dicetque illi, Si non coierit quispiam tecum, & si non declinaveris ad immunditiam sub viro tuo, munda esto ab aquis istis amaris maledictis:

20. Si vero declinaveris sub viro tuo, & polluta fueris, dederitque aliquis in te semen suum præter virum tuum:

21. (Adjurabit, inquam, mulierem illam sacerdos adjuratione maledictionis, & dicet mulieri,) Det te Jehova in maledictionem & adjurationem in medio populi tui, quum dederit Jehova femur tuum cadens, & uterum tuum tumescentem.

22. Ingredianturque aquæ maledictæ istæ in interiora tua, ut tumescere faciant uterum, & cadere faciant femur. Et dicet mulier illa, Amen, amen.

23. Et scribet maledictiones istas sacerdos in libro, & delebit postea illas cum aquis amaris:

24. Tum ad potandum dabit mulieri aquas amaras maledictas, & ingredientur in eam aquæ maledictæ in amaras.

25. Postea capiet sacerdos è manu mulieris oblationem zelotypiarum, & elevabit illam coram Jehova, offeretque eam super altare.

26. Tollet etiam sacerdos pugillum plenum de oblatione memoriam ejus, adolebitque illud super altare, & postea ad potandum dabit mulieri aquas.

27. Ad potandum, inquam, dabit ei aquas illas: & erit, si polluta fuerit, prævaricataque fuerit prævaricatione in virum suum, tunc ingredientur in illam aquæ maledictæ versæ in amaritudinem, intumescetque uterus ejus, & cadet femur ejus: & erit mulier illa in maledictionem in medio populi sui.

28. Quod si non fuerit polluta mulier, sed munda fuerit, munda erit, seminabiturque semine.

29. Hæc est lex zelotypiarum, quum diverterit mulier sub viro suo, & polluta fuerit:

30. Aut viri super quem transierit spiritus zelotypiæ, & zelatus fuerit uxorem suam, statueritque mulierem coram Jehova, ac fecerit ei sacerdos secundum omnem legem hanc.

31. Et innocens erit vir ille ab iniquitate: mulier vero illa portabit iniquitatem suam.

11. *Loquutus est Jehova ad Mosen.*] Quanquam videtur ceremonia hæc pars esse cultus Legalis: quia tamen ad observationem septimi mandati pertinet, in hunc locum differre visum est. Finis est, ne impunitatis fiducia mulieres se ad impudicitiam prostituant, vel ne zelotypia diffidium generet, & animum mariti alienando ab uxore, vinculum casti amoris solvat: quia hoc modo janua multis sceleribus aperiretur. Porro hoc ritu testatus est Deus se fidei conjugalis præsidem esse ac vindicem. Unde apparet quam boni odoris sacrificium sit coram ipso mulierum nuptarum castitas, cujus dignatur custodem se profiteri. Unde non leve maritis solatium, ubi Deus occultæ fraudis cognitionem suscipit, si forte uxores perfide se gesserint. Quum singula ordine tractare expediet. Quum initio dicit, Si mulier fidem violaverit, & crimen lateat, videtur implicita esse absurditas: acsi hoc modo nullas vocaret in judicium nisi convictas: atqui re comperta supervacuum esset examen. Verum hæc conditio, Si transgressa fuerit, non significat mulierem in adulterio fuisse deprehensam, sed refertur ad opinionem mariti: ideoque sic resolvi debent verba, Si quis existimet uxorem suam coiisse cum alieno, nec aliter possit levari ab anxietate qua torquetur, judicium quod hominibus ablatum est, ad Deum ipsum deferat. Videtur tamen consulto Deus crimen posuisse, ne promiscue mariti dedecore aspergerent innoxias uxores. Scimus multos temere esse suspicaces: ubi autem semel animum occupavit zelotypia, nullus superest moderationi vel æquitati locus. Quare inhumanum fuisset, morosis & importunis maritis permittere ut ob leves quasilibet suspiciones, uxores suas traherent ad horribile Dei judicium. Jam si impius ac crudelis esset maritus, tantum licentiæ dare absque ullo delectu, fuisset quasi gladium furioso in manum porrigere. Subindicat ergo Deus, prudenter considerandum esse ne sacerdos queriminonias omnes nimis facile admittat. Quanquam Deus postea se clarius exprimit in altera parte disjunctivæ, Si zelotypia accensus fuerit vir, nec tamen polluta fuerit mulier.

15. *Tunc adducet.*] Oblatio hæc à reliquis differt quarum ante facta fuit mentio: quia contestationis est species qua se maledictioni subjicit mulier. Pura igitur farina absque thure & oleo offertur, quia execrationi non quadraret litandi ritus. Jam quo magis perjurium exhorreat mulier, sistitur coram facie Dei, & quidem aperto capite, acsi eam sacerdos extraheret è latebris. Nam quod quidam ignominiæ causa velum ex capite ablatum fuisse putant, non videtur consentaneum: quia hoc modo damnata fuisset ante causam cognitam. Aperto igitur capite producitur coram facie Dei, ut serio contremiscat. Sequitur postea absolutionis vel damnationis modus. Jubetur sacerdos aquam sanctam accipere in vase fictili,

fictili, injicere pulverem ex pavimento, deinde libellum vel chartulam ubi ſcripta fuerint execrationis verba, ut lituræ in aqua maneant, & tandem mulieri porrigere calicem. Aquam ſanctam interpretantur quidam quæ cuſtodiebatur in labro æneo, ut ſemper ablutio parata eſſet ſacris rite peragendis. Conſiderent tamen lectores annon potius aquam intelligat cui cinis vaccæ rufæ aſpergebatur, ex qua fiebat ſolennis purgatio: ut ante viſum fuit. Sic enim admonita fuit mulier, ſi pejeraſſet nullum amplius piaculum reſtare. Pulvis etiam in pavimento collectus deteſtationis fuit ſymbolum. Denique tota actio ad eam humiliandam compoſita fuit, ne crimen perjurio duplicaret. Adhæc, verba imprecationis concipere jubetur ſacerdos, ne mulier oblique tergiverſando effugium captet. Quæritur tamen cur malum ſibi cogatur imprecari, potius quam alii qui vel cædis vel atrocium ſcelerum ſuſpecti ſunt: exiſtimo hac de cauſa, quod nullum aliud crimen tam facile poteſt occultari. Ergo ne ex vafritie & malis artibus audaciam concipiant mulieres, fallaciis omnibus adhibetur remedium: atque ita oſtendit Deus, ſub fide ſua & patrocinio eſſe thorum conjugalem. Porro tenendum eſt non inane fuiſſe hoc terriculamentum, quia Deus haud dubie apparuit manifeſtus perfidiæ ultor, ſicuti pronunciabat. Neque enim fruſtra ſubjicitur comminatio, Si febelleritmulier, fore in maledictionem populi, quia uterus intumeſcet & femur defluet. Rurſus non fruſtra promittit, ſi fuerit innoxia, non modo fore incolumem, ſed fœcundam: ut Dei benedictio ſit abſolutionis ſigillum. Id enim valet loquutio, Seminificabitur ſemine: ſicuti ex oppoſito dictum fuit, femur diffluere quum mulier in ſterilitate contabeſcit. Jam quum ejuſdem aquæ contrarii fuerint effectus, colligimus, ſub externo ſymbolo Deum arcana ſua virtute, prout cauſa ferebat, fuiſſe operatum.

Num. 19. verſ. 1.

Ex Deut. XXII.

13. Quum acceperit quis uxorem, & ingreſſus fuerit ad eam, & odio habuerit eam:
14. Et impoſuerit ei occaſiones verborum, & traduxerit eam, dicendo, Uxorem hanc accepi, & acceſſi ad eam, & non inveni in ea virginitatem:
15. Tunc accipiet pater puellæ & mater ejus, & proferent ſigna virginitatis puellæ coram ſenioribus urbis ad portam:
16. Dicetque pater puellæ ſenioribus, Filiam meam dedi viro huic in uxorem, & odio habet eam.
17. Et ecce, impoſuit occaſiones verborum, dicendo, Non inveni in filia tua virginitatem: Ecce autem ſigna virginitatis filiæ meæ. Et expandent veſtimentum coram ſenioribus urbis.
18. Tunc apprehendent ſeniores urbis virum, & caſtigabunt eum.
19. Et mulctabunt eum centum argenteis, quos dabunt patri puellæ, quoniam traduxit virginem Iſraëlis: habebitque eam uxorem, nec poterit dimittere omnibus diebus ſuis.
20. Quod ſi vera fuerit accuſatio iſta, & non inventa fuerit virginitas in puella:
21. Tunc educent puellam ad oſtium domus patris ſui, & lapidabunt eam homines urbis ejus lapidibus, donec moriatur: quia perpetravit nequitiam in Iſraële, fornicando in domo patris ſui: & auferes malum è medio tui.

13. *Quum acceperit.*] Hic quoque locus ad pudicitiæ commendationem pertinet. Deus autem in utramque partem providet, ne puellæ caſtæ & innoxiæ probrum injuſte maritus inferat, vel ne puella, poſtquam corrupta fuerit, ſi pro virgine ſe venditet, effugiat pœnam. Tertius etiam finis notandus eſt, quia hoc modo admoniti fuerunt parentes, ut magis attenti eſſent ad cuſtodiendas filias. Eſt quidem immanis hæc feritas, ut maritus ſciens & volens ex probro & infamia uxoris falſum ejus repudiandæ prætextum quærat: ſed quia non raro contingit ut libidinoſis obrepat faſtidium, deinde omnia excogitent ad ſe expediendos, neceſſe fuit hoc vitium corrigi, modumque præſcribi quo tuta eſſet puellæ integritas contra calumnias impii & crudelis mariti. Interea æquum fuit probo viro ſuccurri, ne ſcortum à quo deceptus eſſet, in ſinu fovere cogeretur. Eſt enim ingenuis naturis valde acerbum tantam contumeliam tacite perpeti. Hic autem optima ponitur moderatio, ut ſi qua mulier accuſetur à marito, liberum ſit parentibus ſigna caſtitatis proferre quæ eam abſolvant: ſin minus, ut ne maritus ab alio corruptam domi invitus alat. Patet autem ex hoc loco, linteo excepta fuiſſe prima nocte virginitatis indicia, quæ fidem caſtitatis in poſterum facerent. Credibile etiam eſt, adhibitis teſtibus repoſitum fuiſſe linteum inſtar pignoris, ut integris & honeſtis puellis certa eſſet defenſio. Nimis enim licentiæ datum fuiſſet parentibus, ſi creditum ſimpliciter fuiſſet ipſorum judicio; ſed Moſes quaſi de more recepto loquitur.

18. *Tunc apprehendent ſeniores urbis virum.*] Triplex calumniæ pœna: ut verberibus cædatur qui falſum crimen confinxit, deinde centum argenteos ſolvat patri puellæ, tertio ne unquam repudiare liceat. Ratio exprimitur, Quod infamaverit virginem Iſraëlis. Ubi oſtendit Deus ſe virginibus patronum eſſe, quo melius animentur puellæ ad colendam pudicitiam. Si quis objiciat, male fuiſſe conſultum miſeræ fœminæ, dum tyrannico imperio in perpetuum addicta fuit: reſpondeo, id eſſe factum quia nulla ejus liberandæ eſſet ratio. Nam etſi divortium (ut paulo poſt videbimus) cum uxoribus facere permiſſum viris fuit, jus tamen & fas non fuit evertere primam Dei inſtitutionem. Adde quod fraudi mariti occurrere neceſſe fuit, qui repudio facto gloriatus fuiſſet tanquam voti compos.

20. *Quod ſi vera fuerit accuſatio iſta.*] Si cui ſævior videtur animadverſio, perpendat nullum eſſe genus fraudis minus tolerabile. Falſa venditio agri aut domus crimen cenſebitur, ſimiliter falſæ monetæ ſuppoſitio: ergo quæ ſacro conjugii nomine abutitur ad fraudandum, & corpus impurum pro caſto tradit, multo minus veniæ meretur. Quanquam latius patet quæ exprimitur ſeveritatis cauſa: quod ſcilicet perpetraverit nequitiam vel fœditatem in Iſraël. Quod alii vertunt Stultitiam, frigidum eſt: etſi enim deducitur nomen à נבל, aliquid tamen atrocius deſignat quam ſtultitiam: ſicuti Simeon & Levi, dum cædem Sichemitarum excuſant, ſtuprum ſororis ſuæ vocant נבלה, hoc eſt, fœditatem in Iſraële. Unde rurſus apparet quantopere Deo placeat caſtitas.

Gen. 34. verſ. 25.

Ex Deut. XXIV.

1. Si acceperit quis uxorem, & coierit cum ea, non autem invenerit gratiam in oculis ejus, eo quod invenerit in ea maculam aliquam, & scripserit ei libellum repudii, ac tradiderit in manum ejus, & emiserit è domo sua:

2. Illa vero egressa è domo ejus, abierit, & nupserit alteri viro:

3. Vir deinde hic posterior oderit eam, & scripserit libellum divortii, tradideritque in manum ejus, & emiserit è domo sua: aut si vir iste posterior mortuus fuerit qui sumpserit eam sibi uxorem:

4. Non poterit maritus ejus prior, quia eam à se dimisit, reverti, & ducere eam sibi uxorem, posteaquam polluta est: quia abominatio est coram facie Jehovæ: & non inquinabis peccato terram quam Jehova Deus tuus tradet tibi in hæreditatem.

Quod ad divortium spectat, quamvis per indulgentiam concessum fuerit Judæis, pronunciat tamen Christus nunquam fuisse legitimum, quia primæ Dei institutioni, ex qua perpetua & inviolabilis petenda est regula, palam repugnat. Vulgo dicitur, jura naturæ insolubilia esse: atqui semel pronunciavit Deus, arctius esse coojunctionis vinculum viri cum uxore quam filii cum patre. Quare si filius jugum patris excutere non potest, quam habet cum uxore societatem solvere nulla ratio patitur. Hinc apparet quanta fuerit gentis illius pervicacia, quæ cohiberi non potuit quin sacrosanctum & insolubile vinculum dissiparet. Interea ex impunitate perperam Judæi licitum esse duxerunt quod propter duritiem cordis eorum Deus non puniebat: quia reputare potius debebant responsum Christi, *Mat. 19. vers. 6.* non esse in arbitrio hominis quos Deus conjunxit separare. Interea prospicere voluit Deus mulieribus inique oppressis: quibus satius fuit semel dimitti liberas, quam tota vita sub crudeli tyrannide *Mal. 2. vers. 14.* gemere. Itaque apud Malachiam, polygamiæ repudium præfertur, quia minus tolerabilis erat conditio pellicem & æmulum ferre quam rejici. Et certe scheda vel libellus divortii sicuti mulierem purgabat omni infamia, sic marito nonnihil aspergebat dedecoris. qui enim fatetur se uxorem dimittere quia non placeat, culpam in se recipit tam morositatis, quam incostantiæ. Cujus enim levitatis est, & quam indigni fastidii, sic offendi maritum aliqua uxoris macula vel morbo, ut dimidium sui partem à se avellat? Videmus itaque maritos libello repudii fuisse oblique damnatos, quod probis alioqui & castis uxoribus injuriam facerent. Qua tatione Deus apud Jesaiam, ut Judæis omnem querimoniam eripiat, proferre jubet libellum repudii, si quem dederit matri ipsorum: quasi diceret, sibi justam fuisse rejectionis causam, quia perfide ad impietatem defecerant. Cæterum quidam interpretes non legunt hos tres versus uno cootextu: sed plenam sententiam esse volunt, ut maritus testetur se divortium facere cum uxore, non ob crimeo, sed quia formæ vecustas ejus libidini non satisfaciat. Si quis tamen propius attendat, facile videbit unum esse duntaxat legis caput: oempe, ubi quis uxorem repudiaverit, fas non esse iterum eam ducere si alteri nupserit. Cujus legis ratio est, quia uxorem prostituendo, ejus leno fuit quantum in se erat. Hoc sensu dicitur fuisse polluta, quia corpus illius contaminavit: libertas enim quam dabat, primam Dei institutionem non poterat abolere (sicuti docet Cbristus) quin daret *Matth. 5. vers. 31. & 19: 9.* causam adulterio. Ita admoniti fuerunt Israëlitæ, quamvis impune uxores rejicerent, licentiam tamen hanc minime coram Deo excusari.

Jesa. 50. vers. 1.

Ex Levit. XVII.

19. Ad mulierem in segregatione immunditiæ suæ non accedes, revelando turpitudinem ejus.

Ex Levit. XX.

18. Quicunque dormierit cum meretrice ægra, & revelaverit turpitudinem ejus, fontem ejus discooperuerit, ipsa etiam revelaverit fontem sanguinis sui: succidentur ambo è medio populi sui.

Non alio tendit hoc præceptum nisi ut ab omni spurcitia remoti sint fideles, ac ut inter eos vigeat castitas. Verum quidem est, mulierem quæ menstruis laborat, ipsa morbi fœditate arceri à viri concubitu: accedit contagionis periculum: sed Deus apud suos magis esse voluit pudicitiæ magister quam fungi medici officio. Tenendum igitur est, revocari homines ab omni turpitudine, à qua naturæ quoque sensus abborret. Ac per synecdochen monentur conjuges ut sibi temperent ab omni pudenda lascivia, ac verecunde maritus se oblectet uxoris complexu.

Levit. 20. 18. *Quicunque dormierit.*] Ex pœnæ rigore cognoscitur sceleris atrocitas: & sane ubi se ad tantum dedecus projiciunt vir & mulier, nihil pudoris in ipsis residuum esse apparet. Itaque non modo facinus ipsum spectat Deus, sed brutum libidinis impetum, quo sic rapiuntur homines ut ab ipsa natura degenerent. Quid enim nequitiæ fugeret qui ad tantam intempetantiam delabitur, ut obstaculum quod retinet ipsas bestias furore suo perrumpat? Ne miremur ergo Deum tantæ obscœnitatis severum esse ultorem.

Ex Levit. XVIII.

1. Loquutus est autem Jehova ad Mosen, dicendo,

2. Alloquere filios Israël & dic eis, Ego Jehova Deus vester.

3. Secundum opus terræ Ægypti in qua habitastis, ne feceritis: neque secundum opus terræ Chanaan in quam ego introduco vos, feceritis: & in statutis eorum ne ambuletis.

4. Judicia mea facite, & statuta mea observate, ut in ipsis ambuletis: ego Jehova Deus vester.

Ex

Ex eodem Capite.

6. Nemo ad propinquam carnis ſuæ accedat ad revelandam turpitudinem: ego Jehova.

7. Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non revelabis: mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus.

8. Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis: turpitudo patris tui eſt.

9. Turpitudinem ſororis tuæ, filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ, quæ genita eſt domi, vel genita eſt foris, non revelabis turpitudinem earum.

10. Turpitudinem filiæ filii tui vel filiæ filiæ tuæ non revelabis: quia turpitudo tua ſunt.

11. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, prolis patris tui, quæ ſoror tua eſt, non revelabis.

12. Turpitudinem ſororis patris tui non revelabis: nam conſanguinea patris tui eſt.

13. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis: nam conſanguinea matris tuæ eſt.

14. Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, ad uxorem ejus non accedes: nam uxor fratris patris tui eſt.

15. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis: uxor filii tui eſt, non revelabis turpitudinem ejus.

16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui eſt.

17. Turpitudinem mulieris & filiæ ejus non revelabis: filiam filii ejus, & filiam filiæ ejus non accipies ad revelandam turpitudinem ejus: conſanguineæ ſunt, ſcelus eſt.

18. Mulierem quoque cum ſorore ſua non accipies ad affligendum & revelandum turpitudinem ejus * contra eam in vita ſua.

* vel, *ſuper eam.*

Ex Deut. XXII.

30. Non accipiet quiſquam uxorem patris ſui, neque diſcooperiet oram patris ſui.

Levit. 18. 1. *Loquutus eſt.*] Hanc ſententiam inter alias ſimiles non retuli quæ ad præparandos animos ſpectabant, ut reverenter Legem exciperent: quia, utcunque verba conveniant, in re magnum eſt diſcrimen. illæ enim fuerunt generales: hæc vero peculiariter ad caput unum reſtringitur. Neque enim ſimpliciter nunc Deo propoſitum eſt populum ad Legis ſtudium hortari: ſed ad præſentem cauſam dirigitur ſermo de ſervandis ſtatutis. ſicuti ſua & Gentium ſtatuta non quælibet indifferenter notat, ſed reſtringit ad ſubjectam materiam, ut loquuntur: atque ita per ſtatuta Gentium, corruptelas intelligit quæ puram Dei inſtitutionem in ſacro conjugio perverterant. Primo autem vetat ne Ægypti morem ſequantur, deinde comprehendit omnes populos Chanaan. Nam ut libidinoſi ſunt Orientales, nunquam ulla apud eos religio fuit ſe polluere inceſtis conjugiis. Quam vero hac in parte effrenes fuerint Ægyptii, ex hiſtoriis plus ſatis patet. Conjugium ſororis germanæ non exhorruit frater, neque patruus vel avunculus neptis ſuæ: denique pudoris obliti, dum poſt intemperantiam ſuam rapiuntur, omia jura naturæ calcarunt. Hæc ratio eſt cur inceſtus hic Deus recenſeat, quorum alioqui ſupervacua fuiſſet mentio.

4. *Judicia mea facite.*] Quia non minus difficile eſt vitia quibus aſſueverint homines corrigere, quam diuturnos ſanare morbos: præſertim vero quia malis exemplis vulgus pertinaciter adhæret: ſtatuta ſua in medium Deus profert, quæ populum ab errore malæ conſuetudinis in viam revocent. Nihil enim abſurdius quam ad hominum facta attendere, non autem ad Dei ſermonem, ubi quærenda eſt bene vivendi regula. Perinde igitur eſt acſi proſterneret Deus quicquid longo uſu receptum erat, atque doctrinæ ſuæ auctoritate aboleret totius mundi conſenſum. Hoc conſilio non ſemel tantum, ut ante vidimus, Legem ſuam conſiderari jubet, ne ſe ad obſcœnas libidines proſtituant Iſraëlitæ: ſed diligenter inculcat, ut ſe intra metas cuſtodiæ Legis, omni abuſu valere juſſo, contineant. Huc etiam ſpectat quod dicit, Ego Jehova Deus veſter: quia ſubeſt tacita inter ipſum comparatio & profanas gentes, à quibus populum ſuum ſubduxerat, quaſi interpoſita maceria.

6. *Nemo ad propinquam.*] Non omnes conſanguineas hoc nomen complectitur, quia patrueli vel conſobrino permittitur amitinam vel conſobrinam ducere: ſed reſtringi debet ad ſpecies quas continuo poſt enumerat. nam breviter præfatur Deus, certos eſſe cognationis gradus qui inceſtuoſa conjugia faciant. Propinquas ergo ſanguinis recte definies, de quibus continuo poſt agitur, nempe, ne filius cum matre, privignus cum noverca, patruus & avunculus cum nepte, avus etiam cum nepte, frater cum ſorore germana, nepos cum amita vel matertera, vel cum uxore patrui, vel ſocer cum nuru, ne levir cum uxore fratris, ne vitricus cum privigna ſe miſceat. Ordini divinitus præſcripto conſentiunt Romanæ leges, acſi ex Moſe didiciſſent earum auctores quid honeſtum ſit & naturæ conſentaneum. Forma vero loquendi qua ſubinde utitur Deus, Revelare turpitudinem, ad gignendam deteſtationem valet, quo diligentius ſibi caveant Iſraëlitæ ab omni inceſtu. Vox quidem Hebraica ערוה nuditatem ſignificat, ideo quidam active exponunt, Nuditatem patris, uterum quem diſcooperuit pater: verum ſenſus hic non quadraret nuditati filiæ, vel nuru, vel ſororis. Ergo non dubium eſt quin Moſes fœdum aliquid & pudendum notet. Porro tenendum eſt quod jam attigi, non tantum damnari inceſtuoſos coitus extra conjugium, ſed gradus deſignari in quibus illicita ſunt conjugia. Verum quidem eſt hanc eſſe partem ordinis politici quem in veteri populo ſtatuit Deus: tenendum tamen ſimul eſt, quicquid præcipitur, ex ipſo rectitudinis fonte ſenſuque nobis divinitus ingenito eſſe ſumptum. Itaque præpoſterum acumen affectant quidam in Scriptura male exercitati, dum jactant, Lege abrogata ſolutum eſſe vinculum quo ſuos adſtrinxit Moſes. Neque enim ſimpliciter politicam eſſe hanc doctrinam, vel debere cenſeri, ex præfatione nuper expoſita colligitur. Quoniam enim omnes vicinas gentes abripuerat libido ad inceſtus, ut pudicitiam Deus populo ſuo commendet, Ego, inquit, ſum Jehova Deus veſter, ſtatuta mea ſervate, ſecundum morem terræ Ægypti & Chanaan ne ambuletis. Mox vero ſubjicit, quinam & quot gradus cognationis vel affinitatis viros & fœminas arceant a conjugio. Si quis rurſus excipiat,

non habendum esse pro jure gentium quod in multis regionibus contemptum fuit: prompta est responsio, barbariem quæ in Oriente grassata fuit, non extinguere verecundiam quæ Gentium abominationibus opponitur, nam quod naturale est, nullo consensu vel more potest deleri. In summa, prohibitio incestuum de qua nunc agitur, minime est ex legum numero quæ pro temporum & locorum circumstantiis abrogari solent: quandoquidem fluit ab ipso naturæ fonte, & fundata est in generali omnium legum principio, quod perpetuum est ac inviolabile. Deus certe morem qui apud profanos invaluerat, sibi displicere asserit. Unde id? nisi quod fœditatem, licet hominum suffragiis probatam, repudiat natura ipsa atque aspernatur? Ergo quum Deus hac nota electum populum separet à profanis gentibus, certo statuere licet, incestus, quos vitari jubet, mera
1 Cor. 11. vers. 14. esse inquinamenta. Paulus in re minima nobis objicit ante oculos ipsam naturæ legem: nam ubi docet turpe esse & indecorum, mulieres in publicum prodire nisi velatas, consulere naturam jubet, an deceat ipsas tonso capite in publico versari. Et tandem subjicit, Natura id non patitur. Quare non video cur prætextu legis politicæ abolenda sit naturæ integritas, ex qua emergit discrimen inter statuta Dei, & Gentium corruptelas. Si doctrina hæc vel in unius populi utilitate, vel in usu certi temporis, vel in præsenti necessitate, vel in aliis circumstantiis fundata esset: abrogari possent leges inde elicitæ novis de causis, aut solvi posset earum observatio in certis personis, privilegio singulari. verum quia in illis ferendis tantum spectata fuit perpetua naturæ honestas, ne dispensatio quidem esset tolerabilis. Impune quidem ut liceat statui potest, sicuti in arbitrio Principis est pœnas remittere: verum ut vitiosum non sit quod vitiosum esse natura dictat, nullus legislator efficiet. quod si quis tyrannica superbia id audeat tentare, emerget tamen oppressum naturæ lumen ac prævalebit. Olim quum Claudius Imperator uxorem sibi sumpsisset Agrippinam neptem suam, tollendi probri causa, Senatusconsultum fieri curavit, quo dabatur talibus conjugiis libertas: nemo tamen repertus est qui exemplum imitari vellet, excepto duntaxat liberto uno. Unde agnoscent æqui & moderati homines, etiam apud profanas gentes hoc jus fuisse habitum in solubile, ach fixum esse &
1 Cor. 5. vers. 1. insculptum hominum cordibus. Hac ratione Paulus, quo acrius incestum privigni cum noverca exagitet, dicit tale exemplum ne inter Gentes quidem audiri. Si objicitur, non prohiberi nos in novo Testamento à talibus conjugiis: respondeo, neque interpatrem & filiam conjugium vetari, neque matri interdici ne filio suo nubat: an ideo promiscue licebit consanguineis inter se coire? Atqui quamvis unam speciem incestus exprimat Paulus, dedecus tamen nobis statuit in exemplo Gentium, ut saltem nos pudeat si plus in illis verecundiæ & modestiæ cernitur. Et certe ad hanc rem altera ejusdem Pauli admoni-
Phil. 4: 8. tio mihi sufficit, qui ad Philippenses scribens, Quæcunque, inquit, sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, si qua virtus & si qua laus, hæc cogitate. Quod ad eos qui ascendunt vel descendunt per rectam lineam, prodigiosa obscœnitas in complexu patris & filiæ, vel matris & filii, satis apparet. Lascivus Poëta furiosum Myrrhæ incestum referre volens, Dira canam, inquit, procul hinc natæ, procul este parentes. Jam in linea transversa patruus & avunculus patrem, amita & matertera matrem repræsentant: unde sequitur, à cohabitatione excludi quæ ad similem deformitatem accedit. Eadem est affinitatis ratio: quia & noverca vel socrus matris loco, & privigna vel nurus filiæ loco reputatur: uxor quoque patrui vel avunculi pro matre habenda est. Et quanquam non sit expressa eorum mentio, ex similitudine tamen judicium facere convenit quid liceat. Differte hic non vetatur patruus vel avunculus neptem suam ducere in uxorem: sed quum nepoti interdicitur matertera vel amitæ conjugium, valere debet mutua relatio gradus inferioris ad superiorem. Quod si quis differre contendat, ratione apud Mosen addita refellitur cavillum: dicitur enim, Consanguinea patris tui est, vel matris tuæ. Unde sequitur, neptem, si avunculo vel patruo nubat, incestu pollui. Quantum ad germanos fratres, etiamsi soror non sit uterina, ejus tamen nuptias Deus illicitas esse pronunciat: neque enim vetat solum revelare turpitudinem sororis quæ sit patris, sed etiam quæ sit matris filia.

16. *Turpitudinem uxoris fratris.*] Mali sunt interpretes qui de hoc loco controversiam movent: ac exponunt, non esse rapiendam è thoro fratris conjugem; vel si repudiata fuerit, illicitas esse nuptias viventeadhuc marito. Neque enim convenit torquere in diversos sensus quæ uno in loco iisdem verbis pronunciantur. Vetat Deus retegere turpitudinem uxoris patris, & patrui, & filii: quum de fratris uxore eandem sententiam totidem profert verbis, adfurdum est diversos sensus fingere. Itaque si fas non est patris vel filii, patrui vel nepotis in matrimonio uxorem habere: unum & idem de fratris uxore sentire convenit, de qua similis prorsus lex uno contextu & tenore perlata est. Nec ignoro unde occasionem errandi sumpserint qui ita sentiunt. nam quia alio loco jubet Deus, si quis absque liberis decesserit, fratrem qui superstes erit, viduam accipere, ut ex ea semen mortuo suscitet: hoc perperam & insciteresstrinxerunt ad germanos fratres: quum Deus alios cognationis gradus potius designet. Nota est phrasis linguæ Hebraicæ, quæ in genere consanguineos omnes fratrum nomine complectitur: quin etiam Latini olim sic vocarunt patrueles & amitinos. Lex ergo cujus nunc fit mentio, de uxore fratris mortui ducenda, ad eos tantum cognatos dirigitur qui alioqui non impediuntur à tali conjugio: quia Deo propositum non fuit, ne intercidat nomen mortui, incestuosa conjugia permittere, quæ alibi damnaverat. Quare hæc duo probe simul conveniunt, germanum fratrem prohiberi à conjugio viduæ fratris, & tamen propinquos jure cognationis obstringi ad semen mortuis suscitandum: ubi liberum alioqui ex præscripto Legis conjugium est. Hac ratione Booz uxorem duxit Ruth quæ ante nupta fuerat ejus consanguineo: & ex historia satis patet, legem ad omnes consanguineos spectasse. Quod si quis adhuc contendat, fratres germanos in hoc numero comprehendi, eadem ratione ducenda socero in uxorem fuisset nurus, & uxor nepotis patruo, imo & privigno noverca: quod dictu pudendum est. Si quis objiciat, filios Judæ Her, & Honan, & Sela, fuisse germanos, Thamar tamen duobus nupsisse: solutio in promptu est, Judam ex communi & recepto Gentium more, hac licentia non recte fuisse usum. Satis patet omnium temporum historiis, apud gentes Orientales fœdas mixturas, negledto pudore, fuisse in conjugiis. Mala igitur consuetudine (ut fieri solet) tractus fuit Juda, ut eandem daret uxorem filio secundo quæ ante fuerat uxor primogeniti. Et hoc etiam flagitium inter Gentes grassatum esse exprimit Deus, ubi incestus damnat. Hoc igitur tanquam indubium retineo, Lege Mosis vetitum esse conjugium cum vidua fratris germani.

18. *Mulierem quoque cum sorore.*] Hoc loco freti quidam protervi homines, licere volunt, si quis uxore privatus sit, germanam ejus sororem ducere, quia restrictio addita est, Ne viva priore alteram accipiat. Unde colligunt non prohiberi quin succedat in demortuæ locum. Verum expendere decebat Legislatoris consilium, ex diversis ejus verbis: quia non tantum incestus vel turpitudinis fit mentio, sed zelotypiæ

lotypiæ & rixarum quæ inde oriuntur. Si tantum dictum eſſet, Ne diſcooperias turpitudinem, non ſine colore obtenderent, viduitate liberum fieri maritum ad ducendam alteram uxorem: verum ubi exprimitur diverſus Legis finis, ne jurgiis & contentionibus vexetur quæ bona fide nupſit, certum eſt hac exceptione frenari polygamiæ licentiam, ut Iſraëlitæ contenti una injuria, ſaltem ſorores non committerent io hoſtile certamen. Jam nimis ioiqua erat primæ uxoris conditio ubi cogebatur æmulam & pellicem ferre, ſed aſſidue rixari cum ſua conſanguinea minus tolerabile erat. Itaque nomen Sororis non reſtringitur ſolum ad germanas, ſed propinquas etiam comprehendi exiſtimo, quarum alioqui inceſtuoſæ non fuiſſent nuptiæ. In ſumma, non tam inceſtus damnatur quam mariti crudelitas, ſi velit cognatam uxoris ſuæ ſuperducere. Nec vero aliter ex verbis Moſis ſtatuere licet: nam ſi retegitur fratris turpitudo, ubi frater ejus viduam ducit, non minus retegitur turpitudo ſororis, quum ejus marito poſt viduitatem nubit altera ſoror. Cæterum binc perſpicitur diabolica Papæ ſuperbia, qui novos excogitando propinquitatis gradus, ſupra Deum ſapere voluit. Aſtutia quoque ejus ſe prodit, quod ex hoc genere aucupii uberem fecit quæſtum. Quia tamen longo uſu receptum eſt ne conſobrinus vel patruelis ſororem ſuam ducat, offenſionis habenda nobis ratio eſt, ne importuna libertas Euangelium exponat multis probris: ac tenenda Pauli admonitio, ut abſtineamus etiam à licitis, oiſi ita expediat. 1 Cor. 9. verſ. 25.

Deut. 22. 30. *Non accipiet quiſquam.*] Quia hoc loco nullos alios inceſtus attingit Moſes, ſed de noverca ſeorſum præcipit: veriſimile eſt quæ prolixe tradiderat, breviter ſub una ſpecie in mentem revocaſſe Iſraëlitis. Certe unius ſceleris probibitio aliis inquinamentis januam non aperit. Quod addit, Ne retegas pram patris, tantundem valet ac nudari patris opprobrium, ubi abjecta verecundia, privignus ad novercam ingreditur. Forte ad factum Cham alludit, qui parris ignominiam vulgando, ſuam impietatem prodidit.

Hæ appendices ſunt forenſes.

Ex Levit. XX.

11. Quicunque concubuerit cum uxore patris ſui, turpitudinem patris ſui revelavit: moriendo morientur ambo, ſanguis eorum ſuper eos.

12. Vir qui coierit cum nuru ſua, moriendo morientur ambo: flagitium admiſerunt, ſanguis eorum ſuper eos.

Ex eodem Capite.

14. Qui acceperit mulierem & matrem ejus, ſcelus eſt: igni comburent illum & illas, ne ſit ſcelus in medio veſtri.

Ex eodem Capite.

17. Quiſquis acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem ejus, ipſaque viderit turpitudinem illius, fœditas eſt: propterea ſuccindentur ambo coram oculis populi ſui: turpitudinem ſororis ſuæ revelavit, iniquitatem ſuam feret.

Ex eodem Capite.

19. Turpitudinem ſororis matris tuæ & ſororis patris tui non diſcooperies: quia propinquam ſuam nudavit, iniquitatem ſuam portabunt.

20. Quiſquis dormierit cum uxore fratris patris ſui, turpitudinem fratris patris ſui revelavit: iniquitatem ſuam portabunt, orbati morientur.

21. Qui acceperit uxorem fratris ſui, opprobrium eſt: turpitudinem fratris ſui revelavit, orbati erunt.

22. Cuſtodite itaque omnia ſtatuta mea, & omnia judicia mea, & facite ea: ut non evomat vos terra in quam ego introduco vos ut illic habitetis.

23. Neque ambuletis in ſtatutis gentis quam ego ejiciam à facie veſtra: omnia enim iſta fecerunt, & deteſtatus ſum eas.

24. Vobis autem dixi, Poſſidebitis terram eorum, quam ego daturus ſum vobis ut hæreditate eam poſſideatis, terram fluentem lacte & melle: ego Jehova Deus veſter qui ſeparavi vos à populis.

Nihil hic novum occurrit, quia Moſis conſilium fuit, pœnis injunctis, doctrinam nuper expoſitam ſancire. Inceſtuoſa conjugia ante damnando, Iſraëlitas coram Deo ſiſtere voluit, ut à ſcelere abhorrerent eorum conſcientiæ, quamvis nullum à terreois judicibus metum incuteret. Nunc vero pœnæ quoque metu eos terret, ſi qui nimis ſecure ſibi indulgeant. Verberibus autem non caſtigat inceſtuoſos, acſi levi tantum delicto obſtricti eſſent: ſed crimen pronunciat capitale eſſe ſi quis à jure naturæ deſciverit. ac primo quidem novercam & privignum morti addicit ſi inter ſe coierint. Idem quoque ſtatuit de ſocero & nuru. Tertio de vitrico & privigna. Quod vero ubi matri & filiæ quiſpiam ſimul ſe permiſcet, pœnam ad matrem quoque extendit, intellige, ſi ipſa quoque in nefandam permiſtionem conſenſerit. Nam ſi quis invita matre filiam alliciat in ſocietatem thori, quæ reſiſtere non potuit quum vellet, extra culpam eſt. Eadem injungitur pœna fratri & ſorori germanis, ſimiliter nepoti & materteræ, vel amitæ. Præterea ad affinitatem extenditur, ſi quis cum uxore patrui ſui vel fratris ſui germani cohabitet. Alibi autem expoſuimus quid valeat hæc loquutio, Sanguis eorum ſuper eos: nempe cauſam mortis non aliis eſſe impurandam quam tanti ſceleris auctoribus, ne judices, humanitatis prætextu, ſeveritatem refugiant: ut ſæpe contingit eos ad inanem elementiæ ſpeciem deflectere qui non ſatis expeodunt atrocitatem mali. Interea oblique ſubindicat Moſes, ſi venia detur noxiis, provocari hoc modo vindictam in totum populum: quia impunitate fovetur iniquitas, donec inſtar diluvii exundet.

det. Jam pœna orbitatis crimini reſpondet, quia juſtum eſt ſteriles è mundo exterminari, qui adulterino ſemine ſanctum Abrahæ genus corrumpere tentaruot.

22. *Cuſtodite itaque.*] Jam tertio Iſraëlitas à Gentium imitatione retrahit, atque ut ſe contineant intra fines Legis hortatur. Quod non temere fieri admonui, quia alioqui proclivis fuiſſet lapſus in approbationem malæ conſuetudinis. Porro ne jugum excutiant, poſtquam dixit gentes Chanaan ob ejuſmodi inquinamentum deleri, adjungit, hac conditione ipſos fieri terræ hæredes, ut ſeparentur à profanis illarum moribus.

Appendix ſeptimi præcepti politica.

Ex Deut. XXV.

11. Quum rixati fuerint viri ſimul alter cum altero, & acceſſerit uxor unius ut eruat maritum ſuum è manu percutientis eum, & immiſerit manum ſuam, apprehenderitque pudenda ejus:

12. Tunc abſcindes manum illius, nec oculus tuus parcet.

Dura lex in ſpeciem, ſed ex cujus rigore apparet quantopere placeat Deo verecundia, & rurſus impudentiam abominetur. Quod ſi in pugnæ fervore, ubi animi perturbatio intemperiem excuſat, mulieri capitale fuit pudenda alieni viri arripere, multo minus ignoſci voluit Deus laſciviæ, ſi qua mulier libidine impulſa tale aliquid tentaſſet. Neque enim dubium eſt quin judices in vindicanda obſcœnitate, ratiocinari debuerint à minori ad majus. Additur etiam comminatio, ne pœnæ aſperitas animos inflectat ut molles ſint atque remiſſi in exequenda hac vindicta. Nec vero excuſabilis fuit protervia, conſulto invadere partem illam, cujus aſpectum & contactum caſtæ omnes fœminæ naturaliter refugiunt.

Ex Deut. XXII.

12. Fimbrias facies tibi in quatuor oris operimenti tui, quo operies te.

Hæc quoque fuit pars caſtitatis, vel acceſſio, curam habere pudoris in veſtitu. Nam quia tunc femoralium uſus non erat, ſi forte retectæ eſſent partes pudendæ, janua multis flagitiis aperiebatur, & multi hac licentia quaſi per errorem abuſi fuiſſent ad libidinis illecebras: quin etiam videmus eo intemperantiæ quoſdam ruere ut ſuam laſciviam cum dedecore jactent. Deus ergo lacinias veſtium ſic voluit ligulis vel laqueolis adſtringi, ut ne caſu quidem poſſet diſcooperiri quod honeſte & verecunde non aſpicitur. Quod ſi ad veſtitum uſque divinitus proviſum fuit, ut pudicitiam coleret electus populus, & ſedulo caveret ab omni probro: ſatis aperte liquet non modo adulteria fuiſſe damnata, ſed quicquid puræ caſtitati repugnat. Perperam locus hic de fimbriis exponitur quæ ad renovandam Legis memoriam veſtibus aſſuebantur: quia hic decorum ſolummodo & honeſtas ſpectantur.

Ex Deut. XXII.

5. Mulier non feret arma viri, nec induet vir muliebre veſtimentum: quia abominatio Jehovæ Dei tui eſt quicunque hæc facit.

Hæc etiam ſententia in genere pudicitiam commendat: ubi periculo Deus occurrit, ne mulier audaciam colligat excutiendæ modeſtiæ, aut vir in mollitiem natura ſua indignam degeneret. Veſtitus per ſe non adeo eſſet magni momenti: ſed quia viros effœminari turpe eſt, ſicuti mulieres appetere virile in geſtu & habitu robur, continentia & modeſtia præcipitur, non tantum decoris cauſa, ſed ne genus unum licentiæ aliquid tandem deterius gignat. Veriſſimum namque eſt illud profani Poëtæ, Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem, Quæ fugit à ſexu? Optima igitur pudicitiæ cuſtodia eſt, honeſta veſtitus forma.

OCTAVUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

20. Non furaberis.

Repetitio ejuſdem præcepti.

Ex Deut. V.

19. Non furaberis.

Quando charitas eſt finis Legis, inde petenda eſt furti definitio. Hæc porro charitatis regula eſt, ut jus ſuum cuique ſalvum maneat; nec quiſquam alteri faciat quod ſibi non vult fieri. Unde ſequitur, non ſolum eos furari qui res alienas clam ſurripiunt, ſed qui ex aliorum damno lucrum captant, illicitis artibus opes accumulant, & magis ad privatam utilitatem quam ad æquitatem attenti ſunt. Ita ſub furto comprehenduntur rapinæ: quia nihil intereſt fraudem an violentia proximum quis ſpoliet. Verum quo melius ſuos Deus prohiberet ab omni injuſta fraudatione, furandi verbum poſuit: quod ut probroſum, omnes naturaliter exhorrent. Scimus enim quam variis integumentis maleficia ſua homines ſepeliant, oeque id modo ſed etiam falſis coloribus in laudem vertant. Vafrities & prava calliditas vocatur prudentia: providus ac circumſpectus dicitur qui alios aſtute circumvenit, qui illaqueat ſimplices, ac miſeros inſidiis opprimit. Quum ergo mundus vitia pro virtutibus venditet, atque ita libere ſibi omnes indulgeant: Deus fucum omnem abſtergit, quaslibet iniquas lucrandi artes pronuncians totidem eſſe furta.

Quod

Quod jus ne miremur apud cæleſte tribunal ſtatui, quando à Philoſophis eadem prope tradita eſt doctrina. Jam memoria tenendum eſt, probibitioni annexum eſſe affirmativum præceptum, ut loquuntur: quia ſi ab omni maleficio abſtinuerimus, non ideo protinus ſatisfactum erit Deo, qui homines mutuo inter ſe obſtrinxit, ut alii aliis prodeſſe, conſulere, & opitulari ſtudeant: Quare minime dubium eſt quin liberalitatem ac beneficentiam, aliaque quibus humana ſocietas ſuvetur officia commendet. Ac proinde ne pro furibus apud Deum damnemur, quoad licebit danda erit opera ut cuique ſalvum maneat quod poſſidet, & procuranda fratrum utilitas non minus quam noſtra.

Expoſitio præcepti.

Ex Levit. XIX.

11. Non furabimini & non negabitis, neque mentiemini quiſque proximo ſuo.

Ex eodem Capite.

13. Non opprimes proximum tuum, neque rapies: nec morabitur opus mercenarii apud te uſque mane.

Hic paulo clarius mentem ſuam & conſilium Deus explicat, quia furandi ſpecies enumerat, ubi fallaciter agitur, vel graſſatur violentia. Duo verba, quorum alterum negare, alterum mentiri vertimus, etiam fallere ſignificant: ſicut mentiri, vel ſpem fruſtrari. Non dubium igitur eſt quin ab omni aſtu & fraude ſuos revocet Deus, ut ſiocere & bona fide mutuo inter ſe verſentur: ſicuti Paulus ſcite conſilium Spiritus ſancti exponit, dum fideles hortatur ut depoſito mendacio loquatur quiſque veritatem cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra. Secundo loco modeſte & temperanter vetſari jubet cum proximis, ut ab omni injuſta oppreſſione abſtineant. Quod Hieronymus & alii poſt eum pro verbo עשק reddunt Calumniari, alienum eſt: paſſim enim accipitur pro Opprimere, ſpoliare, prædari, & occupare aliorum bona. Certum igitur eſt, ſicuti ante fraudibus remedium adhibuit Moſes, ita nunc improbitati occurrere, ne quis à proximo ſuo extorqueat quod æquum non eſt. Quanquam altero verbo גזל violentia magis exprimitur, vel aperta direptio: ſunt enim (meo judicio) hæc duo verba tanquam genus & ſpecies. Poſtquam ergo vetuit quovis modo fratres opprimere, & involare in eorum bona: ſimul addit, ne vim afferant ad eos inique ſpoliandos. Tandem modum uoum injuſtæ oppreſſionis deſignat, ubi fraudatur ſua mercede qui operam ſuam locavit, non modo ſi vacuus ejicitur, negata laboris mercede, verum ſi differtur in craſtinum. Scimus enim mercenarios ut plurimum in diem vivere, ideoque ſi tantillum moræ injicitur, redigi ad inediam. Ergo ſi dives miſerum & inopem hominem, cujus ſudore abuſus eſt, ſuſpenſum teneat, quodammodo ipſum jugulat dum privat illum quotidiano victu. Summa eſt, ita colendam eſſe humanitatem, ne quis gravetur, vel ex maligna ſolutione damnum accipiat.

Epheſ. 4. verſ. 25.

Ex Deut. XXIV.

14. Non opprimes mercenarium pauperem & egenum è fratribus tuis, & ex peregrinis tuis qui ſunt in terra tua, intra portas tuas.

15. Die ſuo reddes mercedem ejus, neque occumbet ſuper eam ſol: quia pauper eſt, & ea ſuſtentat animam ſuam: ne clamet contra te ad Jehovam, & ſit in te peccatum.

Ex Deut. XXV.

4. Non obligabis os bovi trituranti.

14. *Non opprimes.*] Præceptum hoc proximo eſt affine. Interpretatur autem Moſes, pauperem qui mercede conductus fuerit, opprimi niſi ſtatim pro labore ſatisfiat: quandoquidem hæc duo conjunctim legenda ſunt, Ne opprimas, ſed ſtatim perſolvas mercedem. Unde ſequitur, ſi penuria laboret mercenarius, quia non ſolvimus quod meritus eſt, in ſola dilatione nos jam injuſtitiæ convinci. Clarius nunc exprimitur ratio, quia vitam ſuſtentat diurois operis. Etſi autem hic pauperibus tantum conſulitur, ne eſuriant divitum negligentia vel ſuperbia: commendatur tamen in genere humanitas, ne ubi pauperes in noſtram utilitatem deſudant, faſtuoſe tanquam mancipiis abutamur, nec ſimus nimis reſtricti vel tenaces: quia nihil magis indignum, quam ubi nobis ſervierint, non ſaltem habere unde tenuiter victurent. Tandem admonet Moſes non impune divitibus ceſſuram eſſe tyrannidem, niſi victum ſuppeditent operariis: tametſi in foro terreſtri apud homines reddenda non ſit ratio. Unde colligimus, hanc legem non eſſe politicam, ſed prorſus ſpiritualem, quæ conſcientias obſtringit apud cæleſte Dei tribunal. Quamvis enim non litiget pauper, ac nemo cauſam ejus ſuſcipiat, ſufficere docet Moſes ſi Dei fidem imploret. Quare ubi nos centies judex terrenus abſolverit, ne ideo putemus nos eſſe elapſos: quia è cælo ſemper repoſcet Deus quod nobis inique in terra fuerit remiſſum. Hic tamen quæritur, ſi obmuteſcat qui oppreſſus eſt, an ejus ſilentio crimen evaneſcet. videtur enim Moſes id ſuis verbis innuere, ubi reos fore pronunciat divites ſi ad Deum clament pauperes, & de illorum iniquitate querantur. Reſponſio facilis eſt, nihil aliud Moſi fuiſſe propoſitum quam ſuperbis contemptoribus excuterere inanem confidentiam, qua incitantur ad majorem peccandi audaciam, & ad maleficia obdureſcunt. Dicit igitur, quamvis per homines liberum ſit prædari & rapere, metuendum tamen eſſe gravius judicium: quia Deus inopum querimonias exaudit, qui nullum in mundo patronum aut vindicem reperiunt. Et certe quo placidius feret injuriam qui ſpoliatus eſt, eo paratior erit Deus ad ſuſcipiendam ejus cauſam: nec alius magis eſt ſonorus clamor apud ipſum quam tolerantia. Si autem quis objiciat, clamorem de quo hic agitur, pugnare cum Chriſti præcepto, Ut bene precemur inimicis: etiam in promptu ſolutio eſt, Deum non ſemper vota probare quæ tamen exaudit. Venit imprecatio Joathan filii Gedeon ſuper Sichemitas: quam tamen ex immodico iracundiæ fervore conceptam fuiſſe certum eſt. Adde quod interdum miſeri quamvis pia manſuetudine injurias perferant, non tamen deſinunt dolo-

Judic. 9. verſ. 20.

dolores suos & gemitus deponere in sinum Dei. Porro hinc non vulgare solatium pauperibus, quod si nemo illis in terra succurrit, quia vilis est & abjecta eorum conditio, Deus tamen futurus est causæ ipsorum cognitor.

Deut. 25. 4. *Non obligabis os.*] Proprie quidem hic locus est ex appendicibus præcepti, sed quia proximæ sententiæ confirmatio est, visa fuit apta connexio: præsertim quum Paulus idoneus interpres exponat, non aliud fuisse Dei consilium quam ne operarius fraudetur justa mercede. Nam ubi de alendis Euangelii ministris differit, testimonium hoc ad causam accommodat. Ac ne quis exciperet aliam esse boum rationem quam hominum, subjicit, boves Deo non esse curæ, sed propter eos qui laborant id esse dictum. Interea tenendum est, ita homines institui ad æquitatem ut in ea colenda se erga bruta quoque animalia exerceant. Scite enim Salomo injustitiam qua proximus lædituri, hac comparatione amplificat, quod vir justus habet curam jumenti sui. Summa est, ut quod æquum est sponte & liberaliter solvamus, & ubi quisque exactor sit ad præstandum officium: quia si brutis animalibus debentur alimenta, multo minus, ut jus suum obtineant homines, exspectanda est eorum flagitatio.

1 Cor. 9. vers. 10.

Prov. 12. vers. 10.

Ex Exodi XXII.

21. Peregrinum non opprimes, neque spoliabis: quia peregrini fuistis in terra Ægypti.
22. Nullam viduam nec pupillum affligetis.
23. Si affligendo afflixeritis eum, certe si clamando clamaverit ad me, audiendo audiam clamorem ejus:
24. Iraſcetur que furor meus, & occidam vos gladio, eruntque uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.

Ex Levit. XIX.

33. Si peregrinatus tecum fuerit peregrinus in terra vestra, non opprimetis illum.
34. Tanquam indigena ex vobis, erit vobis peregrinus qui peregrinatur apud vos, & diliges eum sicut teipsum: quia peregrini fuistis in terra: ego Jehova Deus vester.

Levit. 19. 33. *Si peregrinatus.*] Antequam ad alias iniquitates transeam, præceptum hoc inferere visum est, ubi jubetur populus sine exceptione cum omnibus colere æquitatem. Nam si nulla peregrinorum facta fuisset mentio, putassent Israëlitæ, modo ex sua gente neminem læsissent, se prorsus officio esse defunctos: dum autem hospites & inquilinos perinde atque consanguineos illis commendat Deus, inde agnoscunt æquitatem semper & cum omnibus colendam esse. Nec vero temere Deus se ac suum patrocinium opponit, ne peregrinis fiat injuria. Nam quia neminem habent qui odium subire velit pro ipsorum defensione, improborum violentiæ & oppressionibus quibuslibet magis sunt obnoxii, quam si domesticis præsidiis muniti essent. Eadem in pupillis & viduis mulieribus ratio: mulier ob infirmitatem sexus, nisi lateat sub mariti umbra, exposita est variis noxis: pupillis quibus nihil consilii suppetit, multi insidiantur, ac si essent eorum præda. Quoniam itaque ita destituti sunt humanis auxiliis, succurrit Deus ad opem ferendam: ac si injuste vexentur, vindicem se fore pronunciat. Priore loco peregrinis adjungit pupillos & viduas, in altero nominat solos peregrinos: summa tamen eodem redit, eos omnes qui orbati sunt & nudati terrenis opibus, sub Dei tutela & patrocinio esse, protegique ejus manu: ut ita compescatur eorum audacia qui sibi impune cessurum confidunt scelus quodlibet, modo nemo in terra resistat. Nulla quidem iniquitas manebit inulta apud Deum, sed peculiaris est ratio cur Deus peregrinos, viduas & pupillos se recipere in fidem suam testetur: quia ubi magis grassatur malum, præsentiore remedio opus est. Peregrinos hoc nomine commendat, quod populus qui peregrinatus fuerat in Ægypto, antiquæ suæ conditionis memor, humanius erga hospites se gerere debebat. Etsi enim indigna tyrannide oppressi tandem fuerant, exordium tamen illis considerandum fuit: quod scilicet illuc patres eorum compulerat penuria & fames, & quum alienæ opis essent indigi, hospitaliter accepti fuerant. Ubi denunciat, si viduæ afflictæ & pupilli clamaverint, eorum clamorem auditum iri, non intelligit se defidem fore si taciti perferant injurias: sed pro communi more loquitur, quia ad ipsum provocare solent qui nusquam alibi reperiunt solatium. Interea sciamus, quamvis abstineant à querimoniis qui læsi sunt, Deum tamen partium suarum minime oblivisci, ut ad scelera conniveat. Imo nihil acrius eum ad fumendam de improbis vindictam exstimulat quam fervorum suorum tolerantia. Exprimitur etiam pœnæ genus: qui viduis & pupillis molestiam intulerint, gladio perituros, ut eorum viduæ & pupilli improborum audaciæ, violentiæ, & fraudibus subjaceant. Porro notandum est quod secundo loco jubentur exteros & inquilinos perinde ac seipsos diligere. Nam inde apparet nomen Proximi non restringi ad consanguineos vel similes quibuscum propior est necessitudo, sed patere ad totum humanum genus: sicuti ostendit Christus in persona Samaritani, qui hominis incogniti misertus, officium humanitatis præstitit, à Judæo atque etiam Levita neglectum.

Luc. 10. vers. 20.

Ex Deut. X.

17. Deus non accipit personam, neque recipit munus:
18. Faciens judicium pupillo & viduæ, diligens peregrinum, dando & panem & vestimentum.
19. Diligite igitur peregrinum, quia peregrini fuistis in terra Ægypti.

Confirmat superiorem sententiam ab ipsius Dei natura. Facit enim vilis & abjecta conditio eorum quibuscum nobis negotium est, ut petulantius eos vexemus: quia videntur prorsus deserti. Atqui Deus negat miseram eorum sortem obstaculo esse quominus ipsis succurrat: quia personas non respicit. Nomine vero Personæ intelligitur vel splendor, vel obscuritas, ac externa species, quam vulgo apparentiam nominant: quemadmodum ex multis locis colligitur. In summa, Deus se facit hominibus dissimilem, quos rapit exterior conspectus, ut divites honore prosequantur, inopes odio: pulchris vel disertis favent,

faveant, contemnant deformes. Ergo ἀπροσωπόληψια est perversum judicium quod nos à causa abducit, dum mentes nostras præoccupat quod non debebat venire in rationem. Ideo Christus rectum judicium esse docet quod non fertur secundum personas: quia nunquam domiciarur veritas & rectitudo, nisi dum ad rem ipsam attendimus. Sequitur, non impune lædi contemptibiles, quia si destituuntur humano auxilio, Deus qui in excelso sedet, humilia respicit. Quod ad peregrinos, eos sibi curæ esse probat Deus, quod in illis alendis, & vestiendis sit beneficus. deinde specialis rursum adducitur ratio, quia Israelitæ olim quum inquilini essent in Ægypto, indiguerint aliena misericordia. *Psal. 138. vers. 6.*

Ex Levit. XIX.

35. Non facietis iniquitatem in judicio, in dimensione, in pondere & mensura.
36. Statera justa, pondera justa, epha justum, & hin justum erit vobis.

Ex Deut. XXV.

13. Non erit tibi in sacculo tuo pondus & pondus, majus & minus:
14. Non erit tibi in domo tua modius & modius, major & minor.
15. Pondus perfectum & justum erit tibi, modius perfectus & justus erit tibi: ut proroges dies tuos super terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.
16. Quia abominatio Jehovæ Dei tui est quicunque facit hæc, omnis faciens iniquitatem.

Levit. 19. 35. *Non facietis iniquitatem.*] Si judicium stricte accipias, speciale erit præceptum, ut judices fideliter cuique jus suum reddant, neque evertant bonas causas favore vel odio. Verum quia nomen צדק pro Rectitudine sæpe capitur, non male conveniet, in genere damnari omnes iniquitates integritati contrarias: deinde ad species descendi, quas altero loco prosequitur: ubi furta commemorat præ aliis maxime noxia, & quæ crassam publici juris violationem secum trahant. Corruptio enim quæ ad evertenda judicia tendit vel rectitudinem labefactando, contractus omnes vitiat, nihil relinquit salvum: falsitas autem in ponderibus & mensuris omnes legitimas contrahendi rationes tollit & abolet. Porro corrupto vendendi & emendi jure, quodammodo dissipatur hominum societas, ut parum differat qui inæqualitate ponderis vel mensuræ fallit, ab eo qui supponit nummos adulterinos. Quare inter falsarios numeratur qui mensuras publice probatas, vini, frumenti, vel rei cujuslibet corruperit, sive emptor sive venditor. Ac in duplum quidem legibus Romanis damnatur: verum decreto suo Adrianus in insulam relegat. Quare non abs re iterum eandem sententiam repetit Solomo, quo melius eam defigat in omnium cordibus. Etsi autem pestis hæc minime ferenda est, sed acriter vindicanda, Deus tamen, etiamsi cessent legum pœnæ, conscientias ad tribunal suum revocat: idque tam promittendo quam minando. Pondus æquum, inquit, & justa mensura prorogabunt homini vitam: qui vero in his deceperit, abominatio est coram me. Improprie quidem justis ponderibus & mensuris adscribitur vitæ diuturnitas: sed quia avari impium lucrum captando, nimis attenti suot ad caducam hanc vitam, Deus ut suos à cæca illa & præcipiti cupiditate retrahat, longam vitam promittit si à dolo malo & perverso quæstu sibi caveant. Cæterum ex fine cognoscitur, non modo in una hac parte, sed in omnibus negotiis damnari fallacias omnes quibus proximi fraudantur. Postquam enim dixit Deum abominari qui hæc faciunt, mox explicandi causa subjicit, Quisquis facit iniquitatem. Videmus ergo ut malis omnibus & illicitis lucrandi artibus occurrat. *Modest. l. penul. ad legem Corn. de falsi. Prov. 20. vers. 16.*

Ex Deut. XIX.

14. Non transferes terminum proximi tui quem finierint majores in hæreditate tua, quam hæreditate accipies in terra quam Jehova Deus tuus dat tibi ut possideas eam.

Hic damnatur furti genus quod severe Romanis legibus vindicatum est. Nam ut certa sit cuique sua possessio, terminos finiendis agris positos manere intactos oportet, acsi sacri essent. Qui terminum fraudulenter avellit, hoc uno sceleris satis convictus est, quod dominum legitimum ex quieta agri possessione deturbat: qui vero metas agri sui cum alterius dispendio longius producit, crimen duplicat, falsitate furtum tegendo. Unde etiam colligitur, fures esse non modo qui rem alienam manu auferunt, qui pecuniam tolluot ex arca, vel ex cellis & horreis prædantur, sed etiam qui fundos alienos injuste occupant.

Ex Exodi XXII.

26. Si in pignus acceperis vestimentum proximi tui, antequam occubuerit sol restitues illud ei.
27. Quia ipsum solum est operimentum ejus, illud vestimentum ejus est cuti suæ in quo dormiat: & erit quum clamaverit ad me, tunc exaudiam: sum enim misericors.

Ex Deut. XXIV.

6. Non accipiet quisquam pro pignore metam & catillum, quia animam ipse acciperet pro pignore.

Ex eodem Capite.

10. Quum mutuabis proximo tuo aliquid mutuum, non ingredieris domum ejus ut capias pignus ejus.
11. Foris subsistes, & vir cui mutuabis, afferet ad te pignus foras.
12. Quod si vir pauper fuerit, non dormies cum pignore ejus.

13. Resti-

13. Restituendo ei restitues pignus dum sol occumbit: ut dormiat in vestimento suo, & benedicat tibi: eritque tibi in justitiam coram Jehova Deo tuo.

Ex eodem Capite.

17. Non pervertes judicium pupilli & peregrini, non capies in pignus vestimentum viduæ.

18. Recordare quod servus fueris in Ægypto, & redemerit te Jehova Deus tuus inde: idcirco præcipio tibi ut hoc facias.

Deut. 24. 6. *Non accipiet.*] Alteram nunc æquitatem in ratione mutuandi commendat, in pignoribus exigendis, ubi sæpe ultra modum gravantur pauperes. Primo autem loco vetat accipere in pignus quicquid ad vitam tolerandam pauperibus necessarium est. Nam in vocibus catilli & metæ, vel molæ superioris & inferioris, per synecdochen alia quoque instrumenta designat, quibus ad victum quotidie quærendum carere nequeunt opifices. Quemadmodum si quis agricolæ aratrum, ligonem, rastrum, aliaque extorqueat; vel officinam exinaniat sutoris, sive figuli, sive alterius cujuspiam, qui artem suam exercere non poterit, instrumentis privatus. quod satis elicitur ex ipso contextu, ubi subjicitur, Una cum molis animam oppignorari. Crudelis ergo est quisquis in pignus sumit quod pauperis vitam sustinet: acsi victum eriperet famelico, adeoque vitam ipsam, quæ ut labore fovetur, ita ablatis mediis exciditur quodammodo etiam ipsa.

10. *Quum mutuabis.*] Alteram iniquitatem in captrando pignore compescit, ne creditor domum excutiat, & supellectilem fratris sui, ut inde pignus suo arbitrio deligat. Nam si detur optio divitibus avaris, nulla mediocritate contenti in optima quæque involabunt, acsi impetum faceren in viscera inopum: totas denique domos diripient, vel saltem fastidiose hoc vel illud respuendo, miseros probro & pudore afficient. Non vult ergo Deus aliud pignus exigi, nisi quod sponte, pro sua commoditate, debitor extra domum proferet. Ultra etiam progreditur, ne pignus recipiat creditor quod pauperi necessarium esse cognoscet. Exempli gratia, si culcitram in qua dormit, aut vestem stragulam, aut pallium, vel mantile oppignoret. Neque enim æquum est spoliari ut algeat, vel privari aliis subsidiis quorum usus sine jactura & molestia auferri non potest. Ideo additur promissio, humanitatem hanc Deo gratam fore, quum pauper in veste sibi reddita dormiet. Distinctius tamen loquitur, Benedicet tibi pauper, inquit, atque id tibi in justitiam reputabitur. Significat autem Deus se exaudire miseri & egeni hominis vota, ne putet dives perditum esse beneficium quod apud hominem abjectum contulerit. Plusquam autem ferrei sumus nisi hoc ad liberalitatem nos propensos reddat, ubi intelligimus, quamvis inopes deficiat facultas bene de nobis merendi in mundo, habere tamen coram Deo quod nobis rependant: nempe, ut nobis gratiam concilient suis precibus. Subest autem tacita comminatio, si duriter cubet pauper, vel si frigeat nostra culpa, Deum exauditurum ejus gemitus, ne impunita maneat nostra crudelitas. Quod si ingratus fuerit pauper cui pepercimus, eo tacente clamabit nostra beneficentia ad Deum: sicuti rursum ad provocandam Dei vindictam sufficiet tyrannicus noster rigor, quamvis iniquitatem patienter devoret qui asperius tractatus fuerit. Esse in justitiam, tantundem valet ac Deo probari, vel gratum esse opus. Nam quum Legis observatio vera sit justitia, id etiam elogium exenditur ad singulas obedientiæ partes. Quanquam notandum est, hanc justitiam desiuere & evanescere, nisi numeris omnibus compleamus quæcunque Deus præcipit. Justitiæ quidem pars est, reddere pignus egeno: verum si quis in hac tantum parte beneficus sit, aliis modis prædetur suos fratres: vel si purus ab avaritia, violentiam exerceat, libidini sit deditus vel crapulæ, particularis justitia, quamvis per se Deo placeat, non veniet tamen in rationem. Ac omnino tenendum est illud axioma, nullum opus coram Deo censeri justum, nisi profectum à puro & integro homine: neminem vero talem reperiri. Unde sequitur non aliter imputari opera in justitiam, nisi quia Deus fideles gratuito favore dignatur. Per se quidem verum esset, quamcunque obedientiæ partem Deo præstemus, id pro justitia reputari: nempe si totus vitæ contextus respondeat. verum à nobis nullum opus prodit quod non vitietur aliquo defectu. Ita ad misericordiam Dei confugiendum est, ut nobis reconciliatus, opera quoque nostra accepta habeat. Quod de pauperibus ante præceperat, tandem ad solas viduas transfert: sic tamen ut sub earum nomine omnes inopes commendet. Quod tam ex principio versus, ubi ex bono & æquo agendum esse docet cum peregrinis & pupillis, quam ex ratione addita colligitur: nempe, ut cogitent se servos fuisse in terra Ægypti. Conditio enim illa non patiebatur, ut miseris superbe insultarent: & consentaneum est, alterius malis magis affici qui eadem expertus est. Porro quum generalis sit hæc ratio, generale quoque præceptum esse apparet, ut humani sint erga quoslibet egenos.

Ex Exodi XXII.

25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui est tecum, non eris ei sicut usurarius: non imponetis ei usuram.

Ex Levit. XXV.

35. Si attenuatus fuerit frater tuus, & vacillaverit manus ejus apud te, * fulcies illum: peregrinum & advenam: & vivet tecum.

* vel, *Apprehendes ut sustineas.*

36. Non accipies usuram ab eo & augmentum, sed timebis Deum tuum: vivetque frater apud te.

37. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, nec cum augmento dabis escam tuam.

38. Ego Jehova Deus vester qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, ac essem vobis in Deum.

Ex

Ex Deut. XXIII.

19. Non fœnerabis fratri tuo fœnus pecuniæ, fœnus cibi, fœnus cujuſcunque rei in qua fœnus exercetur.

20. Extraneo fœnerabis, ac fratri tuo non fœnerabis: ut benedicat tibi Jehova Deus tuus in omni applicatione manus tuæ, ſuper terram ad quam ingrederis ut poſſideas eam.

His locis docemur non ſufficere ſi quis ab alieno ſibi temperet, niſi vigeat humanitas, & miſericordia ad pauperes ſublevandos. Viderunt id quoque profani ſcriptores, licet non ſatis dilucide: quum omnes hominum cauſa geniti ſint, non recte coli vitæ communitatem, niſi inter ſe officia conferant. Ergo, ne proximos fraudemus, atque ita reputemur coram Deo fures, diſcamus quoad feret cujuſque facultas, in eos qui ope noſtra indigent, eſſe benefici. Pars enim juſtitiæ eſt liberalitas, ubi merito injuſtus cenſeri debeat qui fratrum neceſſitati non ſuccurrit ubi poteſt. Huc pertinet Solomonis exhortatio, ut bibamus aquam è fontibus noſtris, & deriventur rivi ad proximos. Poſtquam enim juſſit ſingulos ſuo contentos eſſe, nec copiam appetere ex aliorum diſpendio, ſimul adjungit, non recte ſuis opibus frui qui abundant, niſi cum pauperibus communicent ad levandam eorum inopiam. Ideo enim obviant ſibi dives & pauper, quemadmodum alibi dicit Solomo, & utriuſque communis eſt creator Deus.

Prov. 5. verſ. 5.

Prov. 22. verſ. 2.

Exod. 22. 25. *Si pecuniam.*] In ratione mutuandi maxime vigere debet humanitas, præſertim ubi quis ad extrema redactus, divitis miſericordiam implorat. Hæc enim vera demum eſt charitatis probatio, ubi ſecundum Chriſti præceptum abſque ſpe mutuum damus. Non agit illic de uſuris, ut falſo putarunt, acſi gratis & ſine ſpe quæſtus mutuum dare juberet. Sed quia ut plurimum mutuando captatur privata utilitas: ideo negle&tis pauperibus beneficium non locamus niſi apud divites, unde ſperatur aliqua compenſatio: admonet Chriſtus, ſi divitum gratiam venamur, nullum hoc modo nos ſpecimen charitatis & miſericordiæ edere. Ideoque aliam largitionis materiam proponit in pauperibus juvandis, quæ plane gratuita eſt: non ſolum quia ſors periclitatur, ſed quia paria facere nequeunt. Antequam tamen ad uſuras deſcendat, egeſtatem ac miſeriam profert, qua flectantur ad miſericordiam animi. Si pauperie quis prematur, jubet ejus neceſſitati ſuccurri. Utitur tamen metaphora, ut qui trepidat, roboretur, quaſi apprehenſa manu. Quod ſequitur de peregrino & advena, meo judicio amplificat vel extendit ſuperiorem ſententiam: acſi diceret, quando ne advenis quidem neganda eſt humanitas, multo magis ferendam eſſe opem fratribus. Nam quum voluit Deus peregrinis habitationem concedi, pro jure hoſpitali benigne tractandi fuerunt. vivere enim datur exteris, dum æqua & tolerabilis permittitur conditio. Atque ita oblique ſubindicat Deus, expelli & abigi miſeros ne vivant, ſi injuſtis oneribus premuntur. Hæc igitur ſumma eſt primæ ſententiæ, ut dives cui ſuppetit facultas, pauperem collapſum opitulando erigat, vel nutantem confirmet. Additur præceptum mutuandi abſque fœnore. quod tametſi politicum eſt, pendet tamen ex charitatis regula: quia fieri vix poteſt quin fœneris exactione exhauriantur inopes, & prope exugatur eorum ſanguis. Nec vero alium finem reſpexit Deus quam ut mutuo vigeret fraterna dilectio apud Iſraelitas. Hanc quidem politiæ Judaicæ fuiſſe partem liquet, quia permittitur Gentibus fœnerari: quod diſcriminem lex ſpiritualis non admittit. Cæterum ita abrogatum eſt jus forenſe quod veteri populo Deus præſcripſit, ut tamen maneat quod dictat charitas, non eſſe gravandos fratres qui noſtra ope indigent. Porro quia diruta eſt macceria qua olim diſcernebantur Judæi à Gentibus, ratio noſtra hodie diverſa eſt: ideoque tam in fœnore quam in aliis expilationibus parcendum eſt omnibus ſine exceptione, & erga extraneos quoque ſervanda æquitas. Primum quidem gradum obtinent domeſtici fidei: (ſicuti Paulus jubet peculiariter illis benefacere) poſtulat tamen communis generis humani ſocietas, ne diteſcere appetamus ex aliorum diſpendio. Quod autem ad jus forenſe ſpectat, nihil mirum ſi populo ſuo permiſerit Deus fœnus ab extraneis exigere: quia alioqui ſervata non fuiſſet mutua æquabilitas, ſine qua alteram partem gravari neceſſe eſt. Mandat ſuis Deus ne fœnerentur, ac proinde ſolos Judæos hac lege, non exteras gentes, obſtringit. Ergo ut vigeat ratio analogica, idem libertatis populo ſuo concedit quod Gentes ſibi ſumpturæ erant: quia hæc demum tolerabilis eſt mediocritas, ubi par eſt atque æqualis utriuſque partis conditio. Nam Plato ubi fœneratores in Republica bene compoſita ferendos eſſe negat, longius non progreditur quam ut cives ab illo turpi & inhoneſto commercio inter ſe abſtineant. Quæritur nunc an fœnerari per ſe malum ſit. Et certe minime videtur licitum ſiliis Dei quod profani quoque homines deteſtati ſunt. Scimus ubique & ſemper exoſum & infame fuiſſe fœneratorum nomen. Itaque Cato agriculturam laudare volens, fures dicit à veteribus dupli fuiſſe condemnatos, fœneratores quadrupli: unde colligit, hos illis deteriores fuiſſe habitos. Et interrogatus quid de fœnoribus ſentiret, reſpondit, Quid hominem occidere? Quo docere voluit, nihilo honeſtius eſſe quæſtum facere ex uſuris quam hominem jugulare. Hoc unius hominis privati fuit dictum, ſumptum tamen ex omnium fere gentium dictis, & hominum ſuffragiis. Et certe hac de cauſa Romæ ſæpius exorti ſunt graves tumultus, & exitialibus diſcordiis inter plebem & locupletes certatum: quemadmodum vix fieri poteſt quin fœneratores inſtar hirudinum populi ſanguinem exugant. Si tamen de re ipſa certo pronunciandum eſt, non aliunde quam ex communi æquitatis regula ſumenda eſt definitio, ac præfertim ex Chriſti ſententia, ex qua pendent Lex & Prophetæ, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Semper enim excogitant homines aſtuti captiunculas quibus Deum illudant. Sic quum fœnoris nomen omnes deteſtarentur, ſuppoſitum fuit alterum quod honeſto colore odium effugeret: uſuram enim vocarunt quaſi compenſationem damni, quanti intererat pecuniæ ſuæ uſu carere. Atqui nullum eſt fœnoris genus cui ſpecioſum hunc titulum obtendere non liceat. Nam quiſquis præſentem habet pecuniam, ubi eam mutuo daturus eſt, utilem ſibi fore cauſabitur ſi quid emat, & ſingulis momentis lucrandi materiam offerri. Ita ſemper erit compenſationi locus, quando nemo creditor ſine damno pecuniam alteri numerabit. Ita nomen uſuræ, quum re ipſa tantundem valeat ac fœnus, integumentum eſt rei odioſæ: quaſi vero talibus cavillis ſe à Dei judicio expediant, ubi ſola integritas ad defenſionem valet. Similis prope apud Iſraelitas tergiverſandi fuit ratio. Nomen נשך quod à mordendo deductum eſt, male ſonabat. Quum ergo nemo cenſeri vellet canis famelicus, qui alios mordendo ſeipſum paſceret, quæſitum fuit probri effugium: תרבית vocarunt, quaſi incrementum, quicquid lucri præter ſortem dabatur. Deus autem ut talibus fallaciis occurrat, utrumque nomen conjungit, & pariter damnat augmentum cum morſione. Nam ubi de injuſtis prædandi & furandi ratio-

Gal. 6. verſ. 10.

Matth. 7. verſ. 12.

nibus

Ezech. 18. *verſ.* 12. nibus conqueritur apud Ezechielem, & utrumque, ſicuti nunc apud Moſen, nominat: minime dubium eſt quin vanas eacuſationes conſulto a te vertat. Ergo ne quis ea ciperet, ſe, quamvis emolumentum ex pecunia acciperet, non ideo tamen fœnerari: hanc anſam mature Deus abſcindit, ac generaliter damnat quamlibet ſortis acceſſionem. Certe locus uterque clare demonſtrat, nihil aliud quam fruſtra nugari qui ad criminis excuſationem novas voces fabricant. Ideo rem potius ſimpliciter reputandam eſſe admonui: quia Deo ſemper iniqui omnes quæſtus diſplicent, quoſcunque colores tentemus obducere. Quod ſi ea æquitate judicium facere convenit, uſuras quaslibet abſque exceptione damnare, nulla patitur ratio. Debitor ſi tergiverſando tempus extraxerit eum diſpendio & moleſtia creditoris, an conſentaneum erit eum ex mala fide & fruſtratione lucrum capere? Nemo certe (ut arbitror) negabit uſuras creditori ſolvendas eſſe prætet ſortem, ut penſetur ejus jactura. Si quis locuples qui erit in ſuis nummis, fundum emere volens partem aliquam ſummæ ab altero mutuetur: qui pecuniam numerat, annon poterit ex fundi reditu fructum aliquem percipere, donec ſors repræſentata fuerit? Multa ejus generis quotidie accidunt, ubi, quod ad æquitatem ſpectat, uſura nihilo deterior erit quam emptio. Nec vero arguta illa ratio Ariſtotelis conſiſtit, fœnus eſſe præter naturam, quia pecuoia ſterilis eſt, nec pecuniam parit: poterit enim ille quem diai fruſtratot, ex aliena pecunia quæſtum uberem facere negotiando, fundi emptor metet ac vindemiabit. Verum excipient qui contra ſentiunt, ſimpliciter ſtandum eſſe Dei judicio, qui generaliter omne fœnus populo ſuo interdixit. Reſpondeo, nonniſi de paupetibus haberi ſermonem, ideoque ſi cum divitibus negotium ſit, liberum jus fœnerandi permitti: quia Legislator rem unam notando, alteram de qua ſubticet, videtut non damnare. Si rurſus objiciant, fœneratores à Davide & Ezechiele in totum damnari, ſententias illas ad normam charitatis exigi debere atbitror: ideoque non damnari niſi improbas exactiones, quibus creditor, poſthabita æquitate, debitorem ſuum onerat ac premit. Nolim quidem meo patrocinio nſuras fovere, atque utinam nomen ipſum abolitum eſſet è mundo: ſed non audeo de re magni momeoti plus pronunciare quam Dei vetba ſonant. Clare patet veterem populum ab uſuris fuiſſe ptohibitum, ſed hanc fuiſſe partem ordinis politici fateri neceſſe eſt. Unde ſequitur uſuras hodie non eſſe illicitas, niſi quatenus cum æquitate & fraterna conjunctione pugnant. Ita ſe quiſq; ad Dei tribunal ſiſtat, nec ptoximo ſuo faciat quod ſibi fieri oollet: unde certa & quæ nunquam fallet definitio ſumi poterit. Fœnus quidem exercere, quum inter pudendos & turpes quæſtus duxerint profani ſcriptores, multo minus tolerabile eſt inter filios Dei: ſed quando & quouſque uſuram ex mutuo percipere liceat, melius præſcribet lex æquitatis quam longæ diſputationes. Nunc verba expendamus. Primo loco ubi vertimus, Non eris ſicut fœnerator, in voce Hebraica נשה aliqua eſt ambiguitas: quia verbum נשה interdum generaliter accipitur pro Mutuum dare, abſque ſiniſtra nota: hic vero dobium non eſt quin pro fœneratore ſumatur, qui miſeros arrodit: quemadmodum & in Pſalmo, Illaqueet fœneratot omnia quæ ſunt ejus. Summa eſt, liberaliter juvandos eſſe pauperes, nec gravandos eſſe duris exactionibus. Itaque continuo poſt explicationis cauſa addit, Ne fœnus imponant. Quum iterum repetit, Si attennatus &te. videmus ut pauperum ratio ubique habeatur: quia etſi interdum fœnoribus exbauriuntur qui latifundia poſſident, (ſicut dicit Cicero quoſdam ſui temporis luxurioſos ac prodigos cum uſuris certaſſe fructibus prædiorum: quia omnes eorum proventus vorabant creditores) digni tamen miſericordia fuerunt ſoli pauperes, quos egeſtas, non luxuria mutuari cogebat. Tertius vero locus optime explicat Dei mentem, dum fœnus extendit ad vinum, triticum, & quaſcunque alias res. Multi enim contractus ab hominibus vafris ea cogitati fuerunt, quibus ioopes expilarent ſine ignominia vel dedecore. atque bodie nulla crudelior eſt rapacitas quam ubi abſqoe mentione fœnoris, vectigal debitoribus imponitur. Modios frumenti ſea ſi pauper commodari ſibi poſtulet, volet creditor ſeptem ſibi reddi: idem in vino contingat. Hæc lucri acceſſio fœnus non vocabitur, quia non numeratur pecunia. Deus vero aſtum buoc oblique ſubſannans, variis in rebus ac fere in omnibus commerciis fœnebre malum graſſari docet: unde clare apparet, non aliud præcipi Iſraëlitis niſi ut alii alios humaniter ſublevent. Porro quia homines ea cæcat & transverſum rapit cupiditas ad improbos quæſtus, opponit Deus benedictionem omnibus perverſis artibus, quæ ſunt veluti lucri aucupia: & opes à ſe uno bonorum omnium auctore ſperare jubet potius quam rapinis vel fraudibus venari.

Pſal. 15. *verſ.* 5. *Ezech.* 18. *verſ.* 13.

Pſal. 109. *verſ.* 11.

Ex Deut. XXII.

1. Non videbis bovem fratris tui aut pecudem errantes, & abſcondes te ab eis: reducendo reduces ad fratrem tuum.

2. Etiamſi non fuerit frater tuus propinquus tibi, neque noveris eum, colliges tamen illos in domum tuam, & erunt tecum donec illos requirat frater tuus ut reſtituas ei.

3. Sic facies de aſino ejus, ſic facies de veſtimento ejus, ſic facies de omni re amiſſa fratris tui quæ perierit ab ipſo: ſi inveneris eam, non occultabis te.

Ex Exodi XXIII.

4. Si occurreris bovi inimici tui, & aſino ejus erranti, reducendo reduces ad illum.

Exod. 23. 4. *Si occurreris.*] Ex his duobus locis ſatis patet, qui à maleficio abſtinuerit, non protinus coram Deo immunem eſſe à culpa, niſi etiam prodeſſe ſtudeat. Sic enim curæ nobis eſſe debet fratrum utilitas ut ultro citroque ſimus ad auxiliandum propenſi, quoad facultas & opportunitas feret. Hæc potro doctrina valde neceſſaria eſt: quia dum quiſque ad res ſuas curandas plus æquo eſt attentus, ab aliis juvandis ſe libenter ſubducit. Deus autem furti reum facit qui ſua negligentia damoum intulerit proximis: & merito, quia nonniſi per eum ſterit quin ſalva res eſſet, quam ſciens & volens perire ſivit. Ad inimicos autem extenditur hoc officium: quo minus excuſabilis eſt inhumanitas, ſi amicis non præſtetur. Summa igitur eſt, ut benefici ſint fideles, quo patrem ſnum cæleſtem imitentur: nec operam modo ſuam bonis qui digni ſunt impendant, ſed indignos quoque beneficiis proſequantur. Jam quia multi tergiverſandi colores fingi poterant, occurrit Deus, & animal hominis incogniti ſervari jubet donec à ſuo domino quæratur: idem jus de aliis omnibus amiſſis rebus ſtatuit.

Ex

Ex Numer. V.

5. Loquutus est Jehova ad Mosen, dicendo,
6. Alloquere filios Israël, Vir sive mulier quum fecerint ex omnibus peccatis hominum, transgrediendo transgressione in Jehovam, & deliquerit anima illa:
7. Fatebuntur peccatum suum quod fecerunt: & restituet delictum suum in solidum, & quintam ejus partem superaddet, dabitque ei in quem peccaverit.

5. *Loquutus est.*] Quanquam videtur principio delicta omnia comprehendere, ex contextu tamen elicitur nonnisi de rebus furtim ablatis vel de fraude admissa præcipi: ut qui sibi male conscius est, jacturam sarciat. Notandum vero est, legem ad occultiora furta spectare, quæ in judicium trahi non solent: hac de causa dicitur, Si peccaverint more hominum, ne subterfugium captent ex communi more & usu. Quamvis ergo plurimos habeant socios, negat tamen Deus id ad excusationem valere: ideoque sponte reddere jubet quod fraudulenter vel inique ad se traxerunt. At de pœna quidem furti mox differet: nunc tantum præcipit, quamvis nemo legibus compellet eos qui fraudarunt, nec deprehendi possit eorum crimen, ut diligenter tamen suas conscientias examinent, & delictum quod latebat ingenue ipsi proferant: damnum etiam illatum comperient, quia sine restitutione, lustoria esset confessio. Quod postea additur apud Mosen, Si nemo extet hæres cui reddatur furtum, ut sacerdoti offerant, quia alibi expositi, nunc prætereo: nisi quod inde colligimus, ex fraudibus & rapinis labem contrahi quæ nunquam eluitur, nisi domo rebus male partis bene purgata. Sed oblatio illa inter jura sacerdotum tractata fuit: nunc de restitutione sic habendum est, quintam partem superaddi, non tam ut ditescat qui jacturam passus est, quam ut sibi omnes eo diligentius caveant ab omni noxa, quam audiunt fore non modo sibi inutilem, sed damnosam quoque. Adde, quod ubi quispiam spoliatus est, pluris quam pro quinta parte sæpe interest, rei suæ usu caruisse.

Ex Exodi XXIII.

8. Ne accipias munus: quia munus excæcat videntes, & pervertit verba justorum.

Ex Levit. XIX.

15. Non facies iniquitatem in judicio, non suscipies faciem pauperis, neque honorabis causam magni: in justitia judicabis proximum tuum.

Ex Deut. XVI.

19. Non inflectes judicium, non agnosces personam, neque capies munus: quia munus excæcat oculos sapientum, & pervertit verba justorum.
20. Justitiam, justitiam sequeris: ut vivas, & possideas terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.

Exod. 23. 8. *Ne accipias.*] Hoc genus furandi omnium est deterrimum, ubi judices vel mercede vel gratia corrupti, fortunis evertunt quos tueri debebant. Nam quum eorum tribunal quasi sacrum sit asylum quo confugiant quicunque inique sunt oppressi, nihil indignius quam si illic in prædones incidant. Creantur judices qui maleficia & noxas omnes compescant: ergo si favent improbis, furum sunt receptatores: qua peste nihil magis exitiale est. Deinde quia omne aliud remedium excludit eorum auctoritas, violenti quoque sunt prædones. Quo itaque major illis est nocendi licentia, & plus damni afferunt iniquæ eorum sententiæ, eo diligentius monendi sunt ut sibi ab iniquitate caveant. Quare peculiari doctrina in officio retineri necesse fuit, ne suo patrocinio furta tegerent & alerent. Jam ut avaritia radix est omnium malorum, ita ubi judicum animos occupat, nulla vigere potest integritas. Sed quia procul omnes à se rejiciunt hoc vitium, quamvis eo maxime laborent: crassius & magis populariter agit Deus, ut judices manus contineant ab omni munere. nullum enim magis exitiale venenum est ad extinguendam omnem rectitudinem, quam ubi judex muneribus se deliniri patitur. Excusent quantumlibuerit qui dona accipiunt, se nihilominus manere integros: res ipsa clare demonstrat venales esse, ac meritorium quæstum facere quicunque lucro ducuntur. Atque hoc satis olim ad judices infamandos valuit, nummarios vocari. Sed pluribus de hac re differere supervacuum est, quando omnes tergiversandi ansas uno verbo Deus præcidit: Munera, inquit, excæcant oculos videntis, & pervertunt judicium rectorum. Ergo si Dei judicio acquiescimus, nullum est tantum perspicaciæ lumen quod non suffocent munera, neque ulla tanta probitas quam non labefactent: denique sanam mentem ante inficiunt munera quam manus contaminent. Ea intelligo quæ ob rem judicandam quis accipit: neque enim de beneficiis nunc habetur sermo, quibus ultro citroque inter se communicant homines. Itaque in Deuteronomio antequam de muneribus verbum faciat Deus, vetat inflectere judicium, vel agnoscere personam: unde colligitur, tantum damnari aucupia quæ tenduntur ad captandum favorem. Notandum autem quod in Levitico Judicare in justitia, opponitur acceptioni personarum: unde sequitur, simulac tantillum judex oculos à causa deflectit, rectitudinis oblivisci. Adhæc, Judicium inflectere tantundem valet ac facere iniquitatem in judicio. sed quia non semper iniquitas palam manifesta est, quin potius multis artificiis fucatur: postquam Deus in Levitico damnavit iniqua & perversa judicia, ut vanos omnes colores discutiat, verbum Inclinandi usurpat in Deuteronomio.

Deut. 16. 20. *Justitiam, justitiam.*] Emphatica repetitione inculcat Deus, ut inflexibili constantia judices æquitati studeant. nec frustra: quia nihil proclivius quam favore vel odio obtenebrari hominum mentes. Deinde quum innumeræ sint captiones ad pessundanda judicia: nisi valde attenti sint ipsi judices ad insidias cavendas, subinde illaqueari contingent.

Ex Exodi. XXIII.

3. Pauperem non honorabis in ſua cauſa.

Ex eodem Capite.

6. Non inflectes judicium pauperis tui in lite ejus.

6. Non inflectes.] Quoniam ad reprimenda quæ ſæpe contingunt vitia, feruntur leges: non mirum eſt ſi pauperes Deus commendet, quibus non raro accidit ſuccumbere in bonis cauſis, dum & favore deſtituuntur, & propter contemptum expoſiti ſunt injuriæ, nec pretio certare poſſunt cum divitibus. Merito itaque proſpicitur eorum tenuitati, ne exiguum quod poſſident, illis auferat judicum iniquitas. Verum quod ſequitur, ſupervacuum videri poſſet, Ne pauperibus faveat judex: quod vix fieri ſolet. deinde non convenit reprehendi quod alibi præcipit Deus, ac laudi ducit. Reſpondeo, tantopere Deo placere rectitudinem, ut nullo modo excuſabilis ſit judex, quocunque prætextu vel tantillum ab ea declinet: atque hunc eſſe finem hujus doctrinæ. quia etſi ut plurimum tyrannice opprimitur pauper, ambitio tamen interdum judicem impellet ad perverſam miſericordiam, ut largus ſit de alieno. atque hæc tentatio eo periculoſior eſt, quod fallit injuſtitia ſub ſpecie virtutis. Nam ſi oculos tantum dirigit judex ad miſeriam litigantis, ſimul obrepet inanis metus, ne peſſundet ſua ſententia quem cuperet eſſe ſalvum. Ita quod uniuserat, alteri adjudicabit. Major eſt interdum pauperum temeritas, audacia, & pertinacia ad lites movendas & perſequendas quam divitum: ubi cauſæ diffidunt, ſolenne eſt ad lachrymas & lamentationes confugere, quibus judices minus cautos circumveniunt, qui cauſæ obliti, tantum de levanda miſeria & egeſtate cogitant. Atqui dum pro nihilo ducunt jacturam divitum (eo quod illis toleratu ſit facilis) ſecure in gratiam pauperum ab æquitate excidunt. Hinc vero melius apparet quam indigne ferat Deus pauperes opprimi, ubi ne ipſis quidem ſuccurri patitur cum damno divitum.

Appendices politicæ.

Ex Exodi. XXII.

1. Quum furatus fuerit quis bovem aut pecudem, & jugulaverit, aut vendiderit, quinque boves reddet pro illo bove, & quatuor pecudes pro pecude illa:

2. (Si in effoſſione inventus fuerit fur, & percuſſus fuerit, & inde mortuus, non erit ei in ſanguinem:

3. Si ortus fuerit ſol ſuper eum, erit ei in ſanguinem) reddendo reddet: ſi non ſit ei, vendetur propter furtum ſuum.

4. Si deprehendatur in manu ejus furtum, à bove uſque ad aſinum, uſque ad pecudem: viva duo reddet.

Hactenus iniquitatum vindicem ſe fore aſſeruit Deus, fureſque citando ad ſuum tribunal, æternam mortem illis minitatus eſt. Nunc ſequuntur leges forenſes, quarum non tam exacta eſt & perfecta ratio: quia Deus in iis ferendis juſtum rigorem ad populi duritiem inflexit. Cæterum quod Deus populo ſuo tradiderat, mutuati ſunt deinde profani legislatores. Aſperior quidem fuerat Draco, ſed nimia ejus ſeveritas tacito populi Athenienſis conſenſu obſolevit. A Solone autem mutuati ſunt Decemviri partem juris quod in ſuas tabulas retulerunt: quanquam in diſtinctione pœnæ dupli & quadrupli variarunt: tandem ſucceſſu temporis aliquid poſtea mutatum eſt. Verum quiſquis prudenter omnia expenderit, reperiet tam Solonem quam Decemviros, ubi à lege Dei deflexerunt, in deterius prolapſos eſſe. Primo diſcrimen hic non ponitur quale ſtatuitur legibus Romanis, inter fures manifeſtos & nec manifeſtos: illic enim fur nec manifeſtus in duplum damnatur, manifeſtus vero in quadruplum. Fur autem dicitur manifeſtus qui deprehenſus eſt antequam rem furtivam perferret quo deſtinaverat. Auctores pœnæ rationem hanc ſequutos eſſe exiſtimo, quod inſignior eſſet ejus improbitas qui tam avide & ferventer prædæ inhiabat, ut flagitium non reformidaret. Et certe qui pudorem negligit, audacior eſt ad peccandum. Atqui Deus contra eos in duplum damnat, apud quos repertum fuerit furtum: in quadruplum vero qui occiderunt aut vendiderunt. Et merito: quia major in ſcelere obſtinatio ſe prodit, ubi res furtiva in quæſtum converſa eſt, nec ſpes eſt ulla reſipiſcentiæ, atque ita continuo progreſſu duplicatur malæ fidei crimen. Fieri poteſt ut fur ſtatim poſt delictum contremiſcat: qui vero animal furtivum occidere auſus eſt, aut vendere, prorſus in maleficio obduruit. Jam quo difficilior eſt inveſtigandi ratio, graviorem pœnam meretur dolus malus. Interea tenendum eſt, mulctam pecuniæ quæ furibus impoſita fuit, non liberaſſe eos à culpa. Nam, ut ait Marcellus, Ne præſes quidem provinciæ efficere poterit quin furti damnatum ſequatur infamia. ſed ea de re in quam naturaliter omnes conſentiunt, legem ferri neceſſe non fuit. Itaque Deus fures mulctando, ignominia notatos reliquit. Quod autem majore ſumma mulctatur qui bovem furatus eſt quam qui ovem vel capram, vel alias pecudes: neſcio an cauſam vere aſſignent qui dicunt æſtimari domini jacturam, cui ad agriculturam maxime utilis eſt bovis labor. Quod enim de bove traditur, ad vaccas quoque & totum armentum extendo. Propius ad verum accedere videntur qui furis audaciam puniri dicunt, qui animal magis procerum auferendo, teſtium conſpectum veritus non eſt. Quanquam mihi magis placet, ex rerum pretio diverſum judicium fieri. Et certe magis conſentaneum eſt, ut quiſque magis nocuit, graviori pœnæ eſſe obnoxium.

2. Si in effoſſione.] Membrum hoc ſeorſum legendum eſt, & per parentheſin inſeritur. Poſtquam enim pœnam injunxit, uno contextu addit, Reddendo reddet: quod ſi non fuerit ſolvendo, vendetur. Exceptio autem hæc interponitur de fure nocturno. Etſi autem non ſatis diſerte ſingula ſunt expreſſa, conſilium tamen Dei minime ambiguum eſt, ſi in tenebris occiſus fuerit fur, percuſſori id impune fore: quia tunc à latrone vix diſcerni poteſt (præſertim quum vi & manu graſſatur) quando noctu alienam domum ingredi non poteſt, quin vel

parie-

parietem transfodiat, vel perfringat januam. Duodecim Tabulæ paulo aliter: furem enim nocturnum occidere permittunt; diurnum vero, si se cum telo defenderit. Verum quoniam aliis legibus cædes & violentos impetus satis Deus compescuerat, hoc loco de prædonibus tacuit, qui gladio armati ad rapinas prosiliunt. Recte igitur morti eos addicit Deus qui furtum homicidio ulti fuerint clara luce.

3. *Reddendo reddet.*] Cohærent (ut dixi) hæc verba cum primo versu: quia bic tantum injungitur pœnæ exequutio: acsi Deus vetaret furibus parcere, quin cogantur ad solvendum duplum, vel quadruplum, vel etiam quintuplum, pro modo delicti. Quod si solvendo pares non erunt, addici in servitutem jubet. quod etiam Romæ observatum fuit. Unde illud Catonis, Fures privatos in nexu & compedibus vivere, publicos vero in auro & purpura. Et quoniam dura erat bæc conditio, cominatim cavendum fuit ne ob penuriam absolverentur. Si quis roget an domino rei ablatæ licuerit reposcere duplum vel quadruplum: respondeo, quod Deus adjudicat, id optimo jure deberi: interea pro æquitate videndum singulis fuisse ne ditescerent ex alieno dispendio: quin potius quicquid lucri fecerant, conferrent in usus pios & sanctos.

Ex Exodi XXII.

9. Super omni causa prævaricationis, super bove, super asino, super pecude, super vestimento, super omni re amissa: quum dixerit quispiam hoc esse, usque ad judices veniet causa utriusque: & quem damnaverint judices, is reddat duplum proximo suo.

9. *Super omni causa.*] Hic furti actio datur: sed cum mulcta, si quis temere proximum suum accuset. Dubitari enim alioqui poterat qua tandem ratione, vel quando exigenda esset restitutio in duplum vel quadruplum. Permittit ergo, ut quisquis suspectum habet aliquem furti, eum citet ad causam dicendam: si reum peragat, ut duplum recuperet rei amissæ: si vero pronuncient judices eum temere litigasse, ut vicissim pœnam calumniæ loat. Nam quia hæc actio non prorsus est civilis, sed notam infamiæ secum trahit; iniquum esset sinistra suspicione gravari quem judices cognoscunt esse purum à crimine. Hic pro judicibus ponitur אֱלֹהִים, quod proprie deos significat, quia est pluralis numeri: sæpe tamen pro Deo capitur. Transferrur autem ad judices ornandæ vocationis causa: quoniam in sua functione Dei personam sustinent, in cujus unius manu est omne imperium & potestas. Ideo Christus dicit vocari deos, quia ad eos sermo Dei factus est: nempe, ut præsint ejus nomine, & super alios emineant. Qua de re dictum fuit in quinto præcepto. *Joan. 10. vers. 34.*

Ex Exodi XXII.

5. Si depasci fecerit quispiam agrum aut vitem, & immiserit jumentum suum ut depasceretur agrum alterius: bonum agri ejus, & bonum vineæ ejus restituet.

6. Quum egressus fuerit ignis, & invenerit spinas, absumptusque fuerit acervus, vel seges, vel ager: reddendo reddet qui ignem accendit, rem combustam.

7. Quum dederit quispiam proximo suo argentum, vel vasa ad custodiendum, & furto ablatum fuerit è domo viri illius: si inventus fuerit fur, reddet duplum.

8. Si non inventus fuerit fur, tunc applicabitur dominus domus ad judices, annon miserit manum suam in substantiam proximi sui.

Ex eodem Capite.

10. Si dederit quispiam proximo suo asinum, vel bovem, vel pecudem, aut quodcunque animal ad custodiendum, & mortuum fuerit, aut confractum, aut ab hostibus captum nemine vidente:

11. Juramentum Jehovæ erit inter utrumque, annon miserit manum suam in substantiam proximi sui: & juramentum suscipiet dominus ejus, & non reddet.

12. Quod si furto ablatum fuerit ei, reddet domino ejus.

13. Si vero rapiendo raptum fuerit, adducet ei testem: raptum non reddet.

5. *Si depasci.*] Merito inter furta numeratur hoc genus fraudis, Si quis animal suum immiserit in agrum alterius aut vitem ad pascendum. Nam si quis ad furandum abusus sit servi opera, tenetur ipse reus delicti, etiamsi manu nihil attrectet: non minus autem nocet qui per animal brutum, causæ noxam dederit. Quanquam Deus temperat pœnam quoad dupli satisfactionem, quia certo statui non potest an fraudulenter ac data opera damnum intulerit voluerit dominus animalis. Jubet tamen Deus damnum sarciri quanti maximo æstimarum fuerit. Sic enim bonitatem agri & vineæ interpretor, ut loco inspecto, liberaliter domino adjudicetur quantum probabile fuerit in fumem surrundare ollip fuisse productum.

6. *Quum egressus fuerit.*] Hæc noxa aliquantum superiori dissimilis est, quia jubetur qui ignem accendit damnum ex eo factum rependere, quamvis nulla nocendi voluntas intercesserit. Nam incendiarius qui dolo malo vel segetem vel vineam corrupisset, longe gravius plectendus fuit: hic autem punitur sola incuria. Etsi autem domus vel areæ nulla fit mentio, lex tamen species omnes comprehendit, satisfactionem ab eo exigens qui vel in campo aperto ignem accenderit. Videtur autem is esse extra culpam, quia prævidere vix potuit an ignis spinas corriperet: verum ut quisque eandem rei alienæ curam quam propriæ sustineat, supinæ vel crassæ securitatis eam pœnam irrogat Deus.

7. *Quum dederit.*] Hic discutitur quousque competat actio furti in deposito: nempe, si res inanimis data fuerit in custodiam, ut vestis, aut supellex, ac excipiat depositarius eam furto ablatam esse: jubet Deus, si fur compertus fuerit, in duplum damnari: sin minus, jusjurandum ab eo exigendum quo fides ablatam dicat. Si vero depositum fuerit animal in custodiam, jus decretum paulo diversum: nempe si raptum violenter fuerit, vel à feris dilaceratum, liberetur custos: furto autem ablatum restituat. Cujus legis ratio ut nobis constet, notare convenit, non ultra urgendos esse depositarios quam ut rem sibi commissam fideliter servent, neque ut pro-

providus & sedulus paterfamilias ad sua servanda attenetus est. Ubi hac diligentia defuncti sunt, iniquum esset plus ab ipsis postulari: alioqui dum onus gratuiti officii suscipiunt, fraudi ipsis esset sua liberalitas. Verum quia non adeo facile est animal è caulis vel pastoris manibus subripere, negligentia pastoris se prodit in amisso jumento, si nulla vis intervenerit. Recte igitur utrumque, Ne vas, aut pecuniam, aut vestem restituat depositarius: quia hoc esset quodammodo eum substituere in locum furis. Si vero abactum fuerit animal, pretium solvat qui se ab incuria purgare non potest. Si quis putet nimium concedi depositario, ubi Deus ex illius jurejurando litem vult tiniri: responsio in promptu est, nos alterius fidei non committere aliquid servandum, nisi de cujus probitate fumus persuasi. Qui ergo rei suæ custodem elegit, suo præjudicio testatus est eum esse bonum & integrum virum. Atque ita paulo post, ob rem perditam furti crimine absque probatione onerari, absurdum esset. Quamobrem non absre Deus dominum rei ablatæ acquiescere vult ejus juramento quem fidum sibi amicum esse duxit. Adde quod tunc demum absolvitur qui se Deo teste adhibito purgat, si nulla sinistra suspicio in eum proferatur, & se ipse excusat probabili conjectura.

10. *Si dederit quispiam.*] Quoniam in eo loco unde istos quatuor versus sumpsi, depositi fit mentio, & Moses fraudibus, rapinis, & furtis ex professo occurrit: in ea classe reponere placuit. Spectat quidem aliquatenus ad tertium præceptum, quia legitimum usum jurisjurandi ostendit: nempe ut in rebus occultis ad Dei testimonium confugiant homines, ac interposito sacro ejus nomine lis inter ipsos dirimatur. Quum autem ex Dei reverentia pendeat quæ defertur auctoritas juramentis, simul in ipsis commendatur fides & religio, ut inter se omnia respondeant. Verum quod præcipuum erat spectavi: quomodo in rebus occultis dirimi controversiæ debeant ad pacem & æquitatem fovendam. Vult ergo absolvi depositarium, si juret, animal quod in custodiam acceperat, periisse, quamvis ejus rei testem non producat: quia iniquum est ut culpam sustineat, nisi fraus vel crassius aliquod delictum intervenerit. Ideo in fine dicitur, Suscipiet possessor juramentum: quod tantundem valet atque cogetur acquiescere, ne ultra molestiam facessat. Notanda autem loquutio est, Erit jusjurandum Jehovæ inter ambos: quia jurandi religio & sanctitas commendatur, dum admonet Moses Deum esse auctorem sacræ testificationis, ideoque judicem ac vindicem præsidere.

Ex Exodi. XXII.

14. Si commodato acceperit quispiam à proximo suo, & confractum fuerit aut mortuum domino ejus absente, reddendo reddet.

15. Si dominus ejus fuerit cum eo, non reddet: si conductum fuerit, veniens pro mercede sua.

Docet nunc Moses, si animal commodatum perierit, vel sit mutilatum aut vitiatum, quid juris. Est autem alia longe commodati ratio quam depositi: nam qui commodat, beneficium confert. Ergo qui sibi aliquid commodari rogat, se obstringit ad id salvum præstandum quantum in se erit. Distinctio autem ponitur, si dominus ipse animalis adsit testis oculatus, mortis vel fracturæ damnum ipse perferat: si autem eo absente mortuum sit animal, aut deterius factum, pretii solutio ei adjudicatur. Porro tantundem valet ejus præsentia acsi dictum esset, si oculis suis conspexerit, vitium non accidisse ejus culpa cui commodavit, ne sit ei molestus. Exempli gratia, si equum mihi commodato dederis, & una mecum iter facias, quamvis aliquid adversi accidat, (modo scias nec temeritate, nec negligentia, nec mala tractatione esse factum) liber sum ac immunis à damno. Quod autem de animali hic statuitur, ad alias etiam res commodatas transferri debet.

Ex Levit. XXIV.

18. Qui percusserit animam animalis, restituet illud: animam pro anima.

Ex eodem Capite.

21. Qui percusserit animal, reddet illud.

Hic præcipit Deus, ut qui damnum intulit satisfaciat: quamvis in rem suam non verterit. Neque enim in furto spectandum est lucrum, sed nocendi affectus, vel etiam alia quælibet culpa. Fieri enim potest ut qui alterius bovem occidit, non appetat consulto injuriam facere: sed ira percitus, vel inconsiderato impulsu, damnum nihilominus inferat. Quocunque igitur modo quispiam deliquerit unde alter pauperior sit factus, jubetur damnum sarcire. Unde patet furti coram Deo teneri quicunque non ita sibi temperant, ut fratrum suorum commoda perinde curent atque sua. Finis enim legis est, ne cui à nobis jactura proveniat: quod tunc demum fiet si nobis curæ sit fratrum utilitas.

Ex Exodi XXI.

33. Quum aperuerit quis cisternam, vel foderit quis cisternam, & non cooperuerit eam, ceciderit que illuc bos vel asinus:

34. Dominus cisternæ reddet pecuniam, & restituet domino ejus: & quod mortuum est, erit illius.

35. Si percusserit bos alicujus bovem proximi sui, morruusque fuerit, tunc vendent bovem vivum, & partientur pretium ejus: mortuum quoque partientur.

36. Quod si notum fuerit bovem esse cornupetam ab heri & nudiustertius, & non custodierit eum dominus ejus, reddendo reddet bovem pro bove: & mortuus erit illius.

33. *Quum aperuerit.*] Alias adhuc damni facti species enumerat, in quibus restitutio exigi debet ab eo qui dedit causam noxæ. Primo dicitur, Si quis puteum aut cisternam effoderit, neque operuerit, atque illuc ceciderit animal: teneri ad solvendum pretium & merito: quia ejus incuria ad latam culpam accedit. Ubi rursus perspicimus Deum velle singulos de fratrum suorum utilitate esse sollicitos: quonam tamen,

tamen nihil fraudis vel malitiæ interceſſit, ſoluto pretio, cadaver ut ad ſe recipiat permittitur. Si vero bos uniusab alterius bove fuerit occiſus, æquiſſimum fertur judicium: ſi præter opinionem & repentino caſu id acciderit, ut partiantur inter ſe bovem mortuum, & altero vendito, quiſque dimidiam partem pretii accipiat. ſin vero bos fuerit cornupeta, ut dominus ejus majorem pœnam luat, totum pretium ſolvendo: quia malum præcavere debuit: ideoque parum humanus fuit, detrimenti cauſam dando.

Ex Deut. XXIII.

24. Quum ingreſſus fueris vineam proximi tui, comedes uvas pro deſiderio tuo ad ſatietatem tuam: at in vaſe tuo non pones.

25. Quum ingreſſus fueris ſegetem proximi tui, decerpes ſpicas manu tua: at falcem non attolles in ſegetem proximi tui.

Quoniam hic pauperibus admodum Deus indulget, reſtringunt quidam ad meſſores & vindemiatores: quaſi permitteret Deus ſpicas manu vellere, & colligere racemos duntaxat in cibum, ac ne quid exportent. Ego vero non dubito ſermonem de omnibus haberi: neque tamen plus concedi licentiæ quam ferat humanitas. Neque enim præciſe urgenda ſunt verba, ſed attendere convenit ad Legislatoris conſilium. Vetat Deus falcem tollere in meſſem alienam: nunc ſi quis tantum ſpicarum manibus vellat, quantum humeris geſtare poterit, vel equo imponere, an puerili hoc cavillo ſe excuſabit, quod falce non fuerit uſus? Quod ſi ſenſus ipſe communis adeo craſſam impudentiam repudiat, certum eſt legem alio ſpectare: ne quis ſcilicet vel ſpicam attingat ex alterius ſegete, niſi pro uſu præſenti. Quod Chriſti diſcipulis contigit, quum inedia coacti ſunt ſpicas manibus conterere, ne deficerent in via. Idem & de racemis ſentiendum. Si quis data opera perrumpat in alterius vineam, ſeque illic ingurgitet: quicquid obtendat, pro fure habebitur. Ergo dubium non eſt quin lex viatoribus famelicis permittat ſe reficere uvarum eſu, ubi non ſuppetit alius cibus. Quanquam autem libertas comedendi datur uſque ad ſaturitatem, non tamen licuit hoc prætextu ingluviem explere. Adde quod vineæ maceriis ſeptæ erant, & cuſtodiebantur: unde apparet, helluonibus non fuiſſe uvas expoſitas. Verum hæc ſumma eſt, non imputari in furtum ſi quis viator ad famem levandam manum extenderit ad fructus pendentes, donec hoſpitium nactus, panem & vinum emat. *Mat.* 12. *verſ.* 1.

Ex Levit. XIX.

9. Quum meſſueritis meſſem regionis veſtræ, non finies metere angulum agri tui, & collectionem meſſis tuæ non colliges.

10. Et vineam tuam non racemabis, neque grana vineæ tuæ colliges: pauperi & peregrino relinques ea: ego Jehova Deus veſter.

Ex Levit. XXIII.

22. Quum metetis meſſem regionis veſtræ, non abſolves uſque ad angulum agri tui: nec collectionem meſſis tuæ colliges: pauperi & peregrino relinques eam. Ego Jehova Deus veſter.

Ex Deut. XXIV.

19. Quum meſſueris meſſem in agro tuo, & oblitus fueris manipulum in agro, non reverteris ad eum tollendum: peregrino, pupillo, & viduæ erit: ut benedicat tibi Jehova Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

20. Quum excuſſeris olivam tuam, non ſcrutaberis ramos poſt te: peregrino, pupillo, & viduæ erit.

21. Quum vindemiabis vineam tuam, non colliges racemos poſt te: peregrino, pupillo, & viduæ erunt.

22. Memento quod ſervus fueris in terra Ægypti: idcirco præcipio tibi ut hoc facias:

Hic beneficentiam Deus commendat agrorum poſſeſſoribus, ubi eorum fructus colligitur. Nam ejus liberalitas ubi verſatur nobis ante oculos, ad imitationem nos invitat: & ſignum eſt ingratitudinis, quod nobis ex ejus benedictione provenit, maligne & inhumaniter ſupprimere. Non vult quidem Deus eos qui abundant, ita profuſe largiri ex ſuo proventu, ut alios ditando ſeipſos ſpolient. Et certe Paulus eleemoſynis modum hunc definit, ne pauperum relaxatio locupletibus qui benigne erogant anguſtiam afferat. Permittit ergo Deus cuique triticum ſuum metere, vindemiare, & ſua copia frui: modo ſuis vindemiis & ſua meſſe contenti divites, inopibus racemationem & ſpicilegium non invideant. Non quod pauperibus ſimpliciter adjudicet quicquid reſiduum erit, ut tanquam ſuum occupent: ſed ut precario exigua quædam portio ex divitum munificentia ad eos uſque defluat. Nominat quidem pupillos, viduas, & peregrinos: ſed dubium non eſt quin tenues & egenos deſignet, quibus nulli ſunt fundi in quibus ſerant vel metant. Continget enim interdum ut pupilli minime indigeant, quin potius ad largiendum ſuppetat facultas: neque ſemper eſuriunt viduæ & hoſpites. verum cur tres iſtos ordines ponat, alibi expoſui. 2 *Cor.* 8. *verſ.* 13.

Ex Deut. XV.

1. Septimo quoque anno facies remiſſionem.

2. Hæc autem eſt ratio remiſſionis, ut remittat omnis qui mutuum dederit manu ſua, id quod mutuum dederit amico ſuo: non repoſcet ab amico ſuo, aut à fratre ſuo, quia proclamata eſt remiſſio Jehovæ.

3. Ab alienigena repoſces: at quod fuerit tibi apud fratrem tuum, remittet manus tua.

* vel, *prorſus certe non eris.*

4. * Niſi quia non ſit in te mendicus: quia benedicendo benedicet tibi Jehova in terra quam ipſe Deus tuus dat tibi in hæreditatem ut poſſideas eam.

5. Sed ita duntaxat, ſi obediendo obedieris voci Jehovæ Dei tui, ita ut cuſtodias, faciendo omne præceptum iſtud quod ego præcipio tibi hodie.

6. Nam Jehova Deus tuus benedixit tibi, quemadmodum dixit tibi: tum mutuo accepto pignore dabis gentibus multis, tu autem non accipies mutuo: & dominaberis gentibus multis, at tibi non dominabuntur.

7. Si fuerit apud te mendicus quiſpiam è fratribus tuis, in una è portis tuis, in terra tua quam Jehova Deus tuus dat tibi: non indurabis cor tuum, neque claudes manum tuam à fratre tuo mendico:

8. Sed aperiendo aperies illi manum tuam, & mutuando mutuabis ei ad ſufficientiam uſque, id quo indigueriť.

9. Cave tibi ne ſit quidpiam in corde tuo impium, dicendo, Propinquus eſt annus ſeptimus, annus remiſſionis: & malignus ſit oculus tuus in fratrem tuum mendicum, ita ut non des ei: clamet autem contra te ad Jehovam, & erit in te peccatum.

10. Dando dabis ei, neque malignum erit cor tuum quum dederis ei: quia hujus rei gratia benedicet tibi Jehova Deus tuus in omnibus operibus tuis, & in omni extenſione manuum tuarum.

11. Non enim deerit mendicus de medio terræ: idcirco præcipio tibi, dicendo, Aperiendo aperies manum tuam fratri tuo, id eſt, pauperi tuo & mendico tuo in terra tua.

1. *Septimo quoque anno.*] Hic Judæis peculiaris inter ſe humanitas præcipitur, ut ſeptimo quoque anno frater fratri quod debitum fuerit remittat. Etſi autem hac lege hodie non obſtringimur, ac ne expedit quidem in uſu eſſe: finis tamen quo tendebat vigere debet, ne in flagitandis nominibus nimium rigidi ſimus exactores: præſertim ſi cum egenis negotium eſt, qui ſub paupertatis onere tatiſcunt. Veteris populi (ut dixi) conditio fuit diverſa. Originem ducebant ab una ſtirpe, terra Chanaan communis erat illis hæreditas, fraternia illis ſocietas invicem erat colenda, non ſecus acſi ejuſdem familiæ eſſent. Et quid eos Deus ſemel manumiſerat, ut perpetuo liberi eſſent, ad fovendum mediocrem ſtatum optima fuit ratio, ne pauci immenſis opibus multitudinem opprimerent. Quoniam ergo ſi divitibus ſemper creſcere permiſſum eſſet, tyrannice dominati eſſent, immodicam potentiam hac lege frenavit Deus. Adde, quum terræ daretur quies, &, ab ejus cultura feriarentur homines, æquum fuiſſe ut totus populus (cujus cauſa inſtitutum erat Sabbathum) aliquid relaxationis ſentiret. Quanquam remiſſio de qua nunc agitur, meo judicio, nonniſi temporalis fuit. Volunt quidem alii æs alienum tunc prorſus fuiſſe ſublatum, acſi annus ſabbatharius tabulas omnes accepti & expenſi deleret. Atqui id ex contextu refellitur, quia ubi inſtat annus ſabbatharius, benigne tamen mutuare Deus jubet: ridiculus autem fuiſſet contractus, niſi repoſcere tandem licuiſſet. Certe ſi nulla unquam ſequuta fuiſſet ſolutio, ſimpliciter donare oportuit. Quorſum enim attinet inanem mutui titulum obtendere, ſi nunquam ad dominum reditura eſt quæ numeratur pecunia? Verum Deus anno illo lites omnes ceſſare voluit, ne quis moleſtus eſſet ſuo debitori. Jam quia anno illo libero & immuni ſpes non erat recipiendæ pecuniæ, occurrit Deus, & reſtrictos eſſe vetat, quamvis nonnihil jacturæ afferat mora. Primum ergo jubet ſeptimo anno remiſſionem facere: nempe ut ſuperſedeant ab exigendis nominibus, & pauperibus inducias aut vacationem, ſicuti terræ, concedant. Quæ ratione exprobrat Judæis Jeſaias, male eos Sabbathum colere, dum exigunt ſua nomina, & jejunant ad lites & contentiones. Subjicitur forma remiſſionis, Ne quiſpiam proximum exigat anno illo quo remiſſio Dei promulgata eſt.

Joſa. 58. verſ. 23.

3. *Ab alienigena.*] Exceptio additur, ut liceat exteraneos in jus vocare, & cogere ad ſolvendum. idque optima ratione: quia minime æquum fuiſſet Sabbathi beneficio frui contemptores Legis, præſertim quum de ſolo electo populo privilegium Deus tuliſſet. Quod ſequitur verſu proximo, Niſi quia non erit mendicus, varie torquent interpretes. Vertunt quidam, Veruntamen non ſit aput te mendicus: acſi prohibitio eſſet, ne finant miſeros fratres pauperie obrui, quin opitulentur. Porro ne objiciant, ſi ita ad largiendum ſint faciles, ſtatim ſe exhauſtum iri: prævenit Deus, ac in ſuam benedictionem recumbere jubet. Alii vero promiſſionem eſſe volunt: ſed ita contexunt, neminem fore apud eos mendicum, ſi modo Legem ſervent, quia tunc illis benedicet Deus. Atque hic quoque ſenſus non adeo male quadrat. Quid ſibi voluerint qui exponunt, In tantum ne ſit tibi mendicus, neſcio. Expendant tamen lectores annon כי DDN melius vertatur, Niſi quod: ac tunc per parentheſin legendum eſſet membrum illud, acſi dictum eſſet, Quoties erunt ex fratribus veſtris aliqui inopes, vobis offertur beneficiendi materia. Ergo toleranda vobis eſt fratrum inopia, ut vobis Deus benedicat. Verum ut clarior ſit ſententia, excluſive accipio duas voces כי DDN, acſi eſſet, Prorſus ne ſit mendicus: vel, Quicquid ſit, ne patiamini veſtra culpa quenquam eſſe inter vos mendicum. Vult enim omnes inanes excuſandi prætextus diſcutere; atque ita prout neceſſitas tulerit, vult ad ſuccurrendum eſſe propenſos, ne pauperes, inopia & egeſtate, miſeriis ſuccumbant. Non ergo generaliter intelligit quoslibet pauperes, ſed penitus afflictos: quales Amos Propheta conqueritur venditos fuiſſe pro calceamentis. Porro ut alacriter miſeriis ſubveniant promittit ſuam benedictionem fore inſtar uberioris proventus. Atque hinc ſumpſiſſe videtur Paulus ſuam ad Corinthios exhortationem, Qui ſeminat in benedictionibus; etiam de benedictionibus metet. Potens eſt Deus facere, ut affluat in vobis gratia, ut in omnibus ſemper ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem ſimplicitatem. In ſumma, Deus anxios eſſe vetat: quia ſi largiendo pauperibus, aliquid è ſuo diminuant, ſua benedictione copioſe farciet.

Amos 2. verſ. 6.

2 Cor. 9. verſ. 10.

6. *Nam Jehova Deus tuus.*] Confirmat proximam ſententiam; ſed à ſpecie ad genus conſcendit. Poſtquam enim docuit ex Dei benedictione eſſe longe plus ſperandum quam pauperibus erogaverint nunc

nunc eos ad fœdus ipſum revocat : quaſi diceret, quicquid habent, manare à primo illo fonte gratiæ Dei, quando eos terræ Chanaan hæredes conſtituit. Commemorat etiam Deum tunc pollicitum illis fuiſſe uberes proventus. Quibus verbis admonet, ſi reſtricti fuerint ac tenaces, reddere terram ſterilem. Quod autem dicitur, daturos mutuo cunctis gentibus, ad amplificationem facit : ſicuti proximum membrum, dominaturos gentibus: unde ſequitur, ſi qui inter ipſos indigeant, fieri populi ipſius malitia & pravitate.

7. *Si fuerit apud te mendicus.*] Idem eſt nomen quod paulo ante vidimus אביון. Neque tamen ſecum pugnat, quum opem ferre mendicis jubet, quos ante vetuit eſſe in populo : prohibitio enim huc tendebat, ſi quis ad mendicitatem redactus eſſet, ne eum abjicerent ac deſererent. Jam vero modum explicat, nempe, ſi apertæ ſint divitum manus ad ferendas ſuppetias. Cæterum, ut ad miſericordiam flectat eorum animos, rurſus mutuæ fraternitatis eos admonet : ejuſque pignus vel teſſeram proponit terram in qua ſimul habitant Dei beneficio. Deinde, quo voluntarii ſint ac prompti ad humanitatem, vetat cor ſuum obdurare : quo ſignificat avaritiam ſemper eſſe crudelem. Tandem doctrinam hanc ad annum remiſſionis accomodat : nempe, ut perinde ſubveniant egenis fratribus circiter illius anni principium, acſi paucis poſt diebus recepturi eſſent pecuniam, quæ apud pauperem uſque ad finem remiſſionis manebit.

11. *Non enim deerit mendicus.*] Quod ſubaudiunt quidam, ideo fore pauperes quia Legem non ſervabunt, acſi ob eorum malitiam terra exarefceret, longe petitum eſt. Id quidem verum eſſe fateor : ſed hic cauſam non adſcribit Deus eorum peccatis, cur futuri ſint aliqui mendici : tantum admonet nunquam illis defore materiam beneficentiæ, quia oblatis pauperibus, probabit quo ſint animo. Nam (ut alibi retuli) ideo occurrunt ſibi pauper & dives, & utriuſque creator eſt Deus, quia non aliter vigerent charitatis officia niſi dum ſe alii in alios juvandis exercent. Ergo ut divitum pigritiam excitet Deus, nihil ſe præcipere teſtatur niſi quod flagitabit continua neceſſitas.

Ex Exodi XXI.

1. Hæc ſunt judicia quæ propones eis.
2. Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet : ſeptimo egredietur gratis.
3. Si cum corpore ſuo ingreſſus fuerit, cum corpore ſuo egredietur : ſi maritus mulieris erat, egredietur & uxor ejus cum ipſo.
4. Si herus ejus dederit ei uxorem, & pepererit ei filios, vel filias, uxor & filii ejus erunt heri ſui : ipſe vero egredietur cum corpore ſuo.
5. Quod ſi dicendo dixerit ſervus, Diligo herum meum, & uxorem meam, & filios meos, non egredietur liber :
6. Tunc adducet eum herus ejus ad judices, & applicabit eum ad oſtium, vel ad poſtem, perforabitque herus ejus aurem ejus ſubula, & ſerviet ei in ſeculum.

Ex Deut. XV.

12. Si venditus fuerit tibi frater tuus Hebræus, vel Hebræa, & ſervierit tibi ſex annis: anno ſeptimo dimittes eum liberum à te.
13. Et quum dimittes eum liberum à te, non dimittes eum vacuum.
14. Onerando onerabis eum, de pecudibus tuis, & de area tua, & de torculari tuo : in quibus benedixerit tibi Jehova Deus tuus, dabis ei.
15. Et recordaberis quod ſervus fuiſti in terra Ægypti, & redemerit te Jehova Deus tuus : idcirco ego præcipio tibi hoc hodie.
16. Quod ſi dixerit tibi, Non egrediar à te : propterea quod diligat te & domum tuam, & quod bene ſit ei tecum.
17. Tunc accipies ſubulam, & adiges in aurem ejus in porta : eritque tibi ſervus in ſeculum : ſic etiam ancillæ tuæ facies.
18. Non ſit durum in oculis tuis quum dimittes eum liberum à te, quia duplo ſecundum mercedem mercenarii ſervivit tibi ſex annis : & benedicet tibi Jehova in omnibus quæ facies.

Exod. 21. 1. *Hæc ſunt judicia.*] Uterque locus idem continet, nempe apud Hebræos ſervitutem finiri debere anno ſeptimo. Nam filios Abrahæ, quamvis ſe vendere coacti eſſent, voluit tamen Deus à profanis & vulgaribus mancipiis differre. Manumiſſio itaque præcipitur, ſed cum exceptione : quam exprimit Moſes in priore loco, in ſecundo autem omittit : nempe, ſi duxerit uxorem ſervam, & genuerit liberos, ut maneant apud herum, ſolus autem ipſe liber fiat. Unde apparet quam dura fuerit ſervilis conditio, quæ ſine prodigio temperari non potuit. Nihil enim magis præter naturam, quam ut maritus, relicta uxore, & liberis abjectis, alio migret. Atqui non aliter ſolvi potuit vinculum ſervitutis, quam divortio, hoc eſt, impia conjugii violatione. Fuit ergo in hac divulſione fœda quædam barbaries, quum ſui à dimidia fui parte & propriis viſceribus ſeparatus eſt. Nec tamen potuit aliud eſſe remedium : quia ſi uxor cum liberis fuiſſet manumiſſa, eos ſecum educere, fuiſſet ſpoliare juſtum dominum non modo ancilla quæ erat in ejus mancipio, ſed etiam teneris adhuc puellis in quorum educationem ſumptus fecerat. Ita juri privato ceſſit conjugii ſanctitas hac in parte. Unde hoc vitium inter alia numerandum eſt quæ toleravit Deus ob populi duritiem, quia vix corrigi poterat : ſi quis tamen caſto amore rententus, nollet uxorem ejuſque fœtus deſerere, remedium additum eſt, ut ſe quoque in ſervitutem perpetuam addiceret. Forma in Exodo clarius quam in Deuteronomio explicatur : nam in hoc ſecundo loco tantum dicitur, ut dominus, ad ſervum perpetuo vindicandum, aurem ejus perforet. In Exodo autem additur circumſtantia, ut interveniat publica cognitio: nam ſi privatim quiſque ejus rei fuiſſet arbiter, divitum ædes carnificinæ fuiſſent ad miſeros ſervos torquendos. Legimus apud Jeremiam, hac lege contempta, Judæos præter jus & fas dominatos perpetuo fuiſſe ſervis ſuis. Imo quum graviter ſub Zedechia increpiti

Jer. 34. verſ. 11.

fuiſſent, & de integro promulgata libertas, ſtatim tyrannice ſub jugum retracti ſunt miſeri homines, acſi per ludibrium fuiſſent manumiſſi. Cavendum ergo fuit ne occultis tormentis invitos ad obeundam ſervitutem adigerent: cujus mali remedium fuit, libera apud judices confeſſio: auris autem perfoſſio ſtigmatis inſtar fuit. Nam Orientales, ſervos vel fugitivos, vel nequam & ſceleratos, vel qui aliquo modo ſuſpecti erant, ſolebant ſtigmatibus notare. hanc ignominiæ notam noluit Deus ſuorum frontibus inuri: ſi quis tamen ſponte in perpetuam ſervitutem conſenſerat, eum voluit obligationis ſuæ ſymbolum in aure geſtare. Tenendum tamen eſt, hanc quoque ſervitutem (quamvis dicatur in ſeculum durare) finitam fuiſſe in Jubilæo: quia tunc renovata fuit terræ & hominum conditio.

Deut. 15. 13. *Et quum dimittes eum liberum.*] Hic vero non tantum manumiſſio injungitur, ſed exhortatio quoque accedit ad liberalitatem, ut ſervos non ſine mercede dimittant: neque enim lex eſt forenſis quæ extorqueat ab avaris pluſquam dare velint. Atque hic valet Pauli regula, Unuſquiſque 2 Cor. 9. vers. 7. prout deſtinavit in corde ſuo, nec ex triſtitia vel neceſſitate: quia hilarem datorem diligit Deus. Sed quia fratres erant ſervi Hebræi, Deus paſſus non eſt eos deteriore loco haberi quam mercenarios. Quod autem illis dari jubet ex torculari, area, & caulis pecudum, non ſignificat his verbis, locupletandos eſſe, vel ſuppeditandam ipſis largam annonam: ſed divites proprie compellat, quibus multiplex copia ſuppetit ex qua ſint liberales. acſi oſtenderet unde accipiant gratuitum munus, quod tamen ſimul eſſet juſta laborum compenſatio.

18. *Non ſit tibi durum.*] Nuper retuli quam difficilis fuerit vel moleſta Judæis hujus legis obſervatio. quare non abs re hic Deus moroſam & malignam eorum ſuperbiam objurgat, ſi ægre ſervos manumittant. Et primo quidem, æquitate propoſita, eos ad parendum inducit, deinde ſpe remunerationis. Admonet enim ſex annis ſervum promereri duplicem mercedem mercenarii, vel quia magis laborioſa fuerit ejus vita (quia penſum à ſervis exactius requiritur quam ab hominibus liberis, qui operas ſuas locant) vel quia duplex temporis ſpatium confecerit, quo ſolebant mercenarii conduci. Colligunt enim Hebræi ex hoc loco, mercenariis præfixum fuiſſe triennium: atque ita conferri putant ſex annos. Sed quoniam hæc mera eſt divinatio, neſcio an melius conveniat quod attuli, per ſex annos duplo utiliores fuiſſe ejus operas quam liberi hominis qui ſerviliter non cogitur.

Ex Levit. XXV.

39. Si attenuatus fuerit frater tuus apud te, ita ut vendat ſe tibi, non uteris opera ejus tanquam ſervi opera.

40. Tanquam mercenarius, tanquam colonus erit tecum: uſque ad annum Jubilæi ſerviet tibi.

41. Egredietur autem à te ipſe, & liberi ejus cum eo, ac revertetur ad familiam ſuam, & ad poſſeſſionem patrum ſuorum revertetur.

42. Sunt enim ſervi mei quos eduxi è terra Ægypti: non vendentur venditione ſervili.

43. Non dominaberis illis dure, ſed timebis à Deo tuo.

44. Servus autem tuus & ancilla tua qui erunt tibi: de gentibus erunt quæ ſunt in circuitu veſtro: ex eis emetis ſervum & ancillam.

45. Et etiam de filiis incolarum qui verſantur apud vos, emetis: & de familia eorum qui apud vos ſunt, quos procreaverunt in terra veſtra: eruntque vobis in poſſeſſionem.

46. Et jure hæreditario poſſidebitis eos pro filiis veſtris poſt vos, ad poſſidendum poſſeſſionem: in perpetuum utemini opera eorum: fratribus autem veſtris filiis Iſraël quiſque fratri ſuo non dominabitur dure.

47. Si autem apprehenderit manus peregrini & advenæ qui eſt apud te, & attenuatus fuerit frater tuus qui apud illum verſatur, ſeque vendiderit peregrino & advenæ qui eſt apud te, vel ſtirpi familiæ peregrini:

48. Poſtquam vendiderit ſe, redemptio erit ei: unus è fratribus ejus redimet eum:

49. Aut patruus ejus, aut filius patrui ejus redimet eum, aut propinquus carnis ejus è familia ejus redimet eum: aut ſi apprehenderit manus ejus, tunc redimet ſeipſum.

50. Et ſupputabit cum eo qui emit ipſum, ab anno quo ſe vendidit illi, uſque ad annum Jubilæi, æſtimabiturque pecunia venditionis ejus ſecundum numerum annorum: & ſecundum dies mercenarii fiet cum eo.

51. Si adhuc multi fuerint anni, ſecundum eos reſtituet redemptionem ſuam de argento venditionis ſuæ.

52. Quod ſi parum reliquum ſit ex annis uſque ad annum Jubilæi, tunc ſupputabit cum eo: & ſecundum annos ſuos reſtituet redemptionem ſuam.

53. Tanquam mercenarius annuus erit cum illo: non dominabitur ei dure in oculis tuis.

54. Si non ſe redemerit in illis, egredietur in anno Jubilæi ipſe & filii ejus:

55. Quia mihi ſunt filii Iſraël ſervi, ſervi mei ſunt quos eduxi è terra Ægypti: ego Jehova Deus veſter.

39. *Si attenuatus fuerit.*] Longius nunc progreditur: ut qui fratrem ſuum emerit, eum tractet humaniter, non ſecus ac mercenarium. Vidimus quidem paulo ante æſtimari ſervi laborem duplo amplius, quia nunquam eo perveniet domini humanitas, ut ſervo ſuo perinde indulgeat, vel parcat, ac ſi eſſet homo conductitius. Non ergo fruſtra Deus temperat imperium illud, quod exempla docent fuiſſe tyrannicum. Et tamen non aliud præcipit quam profani Philoſophi, ut ſervis ſuis heri utantur tanquam mercenariis. Atque hæc æquitas ſine exceptione erga omnes valere debuit: verum quia difficile fuit de exteris idem præcipere quod de fratribus, lex ſpecialis lata eſt, ut ſaltem moderationem ſerva-

ſervarent erga fratres ſuos, quibuſcum illis communis erat hæreditas & conditio. Primum ergo ſervis Hebræis conſulitur ne contumelioſe & duriter tractentur quaſi mancipia: deinde ut ſervitus finem accipiat anno Jubilæi. Sed hic ea oritur quæſtio, quum ante ſeptimo anno data fuerit illis libertas, cur nunc differatur in annum quinquageſimum. Quidam hunc nodum ſolvunt, ſi in ſex annos incurrat Jubilæus, tunc liberum dimitti, quamvis integrum tempus non abſolverit: quod nimis coactum eſt. Mihi itaque magis probatur vocem לכי longius extendi ad ſeptenarios quoſque annos, aut certe nominatim moderationem erga ſervos præcipi qui magis obnoxii erant violentiæ & omnibus injuriis. Neque enim auſi fuiſſent pro libidine ſervos opprimere qui paulo poſt futuri erant liberi. Sed qui aure perforata ſe addixerant in longum tempus, fuiſſent petulantius vexati niſi Deus interceſſiſſet. Atque hanc ſententiam libenter amplector, quamvis ad annum uſque Jubilæi duraret ſervitus, moderate tamen & humaniter exercendam in eos dominationem. Idque confirmatur proximo contextu, ubi prolem jubet liberam una cum patre dimitti: quod ſeptimo anno fieri non ſolebat.

42. *Sunt enim ſervi mei.*] Hic pronunciat Deus jus ſuum ſibi eripi, ubi rapiuntur in alienum dominium quos ſibi in peculium vendicat. Dicit autem ſe populum acquiſiſſe, quando eum redemit ex Ægypto. Unde colligit jus ſuum violari, ſi quis in homines Hebræos perpetuum dominium ſibi uſurpet. Si quis objiciat, hoc idem valere ubi nonniſi ad tempus ſerviunt: reſpondeo, quamvis Deus ſibi uni merito imperium aſſerere potuerit, hoc tamen ſymbolo fuiſſe contentum: ideoque per indulgentiam paſſum fuiſſe ſubjici ad præfixum tempus, modo reſiduum aliquod maneret liberationis veſtigium. Denique remedium ſimpliciter adhibere voluit, ne ſervitus gratiæ ſuæ memoriam prorſus extingueret: quamvis permiſerit eam ſuffocari. Itaque ne confidant heri truculenti, impune ceſſuram ſibi quam exercuerint tyrannidem: admonet Moſes negotium illis eſſe cum Deo, qui ultor tandem apparebit. Etſi autem hodie ceſſant apud nos leges politicæ Moſis: anagoge tamen tenenda eſt, ne deterior ſit eorum conditio apud nos qui ſanguine Chriſti redempti ſunt, quam olim fuerit veteris populi. Quo ſpectat Pauli exhortatio, Vos domini ſervis remittite minas, ſcientes quod veſter & illorum dominus eſt in cælis. *Ephoſ. 6. verſ. 9.*

44. *Servus autem tuus.*] Quod hic Deus in exteros permittit, paſſim tritum erat apud omnes gentes: ut dominis maneret ſua in ſervos poteſtas, non modo uſque ad mortem, ſed continua ſucceſſione in liberos ab ipſis genitos. Id enim valet loquutio, Poſſidebitis pro filiis veſtris, jus dominii tranſire ad ipſos hæredes. Nec ſolum in perpetuitate ponitur diſcrimen, ſed in ipſo etiam imperii modo. Notanda eſt enim antitheſis, Utemini opera eorum, fratri autem ſuo nemo dominabitur durius. Unde apparet frenum injici, ne tam imperioſe urgeant filios Abrahæ, quin dimidia illis maneat libertas, comparatione Gentium. Non quod tyrannica vel immanis poteſtas in extraneos licita fuerit, ſed quia privilegio quodam Deus genus Abrahæ, cujus erat liberator, eximi voluit à ſorte vulgari.

47. *Si autem apprehenderit.*] Hic caveturl fraudis qui ſe in ſervitutem exteris tradiderint. Exteros autem eos duntaxat intellige qui habitabant in terra Chanaan: quia ſi quis in alias regiones fuiſſet tractus, fruſtra legem Deus tuliſſet de ipſorum redemptione. Datur ergo redimendi ſervi poteſtas cognatis, vel ſi ipſe nactus fuerit pretium, eadem facultas ei conceditur. Exprimitur deinde ratio & forma, ut ſupputetur quod reſiduum eſt temporis ad Jubilæum uſque, & ſubducatur è ſumma tempus quod jam elapſum fuerit: nempe, ſi quinquaginta ſiclis eſſet venditus, anno quadrageſimo nonniſi decem ſielos ſolveret, quia quinta tantum portio temporis reſtabat. Quod ſi nemo ex conſanguineis ſuccurreret, ac miſero ſpes adempta eſſet redemptionis: anno tamen Jubilæi liberum dimitti jubet, quo generalis fiebat manumiſſio, quantum ad filios Abrahæ. Finis autem legis fuit, ne quis eorum quos Deus adoptaverat alienaretur à genere ſuo, atque hoc modo deſciſceret à genuino Dei ipſius cultu. Id totum comprehenditur verſu ultimo, ubi iterum pronunciat Deus filios Abrahæ eſſe ſuum peculium, quoniam eos eduxit è terra Ægypti, & viciſſim ſe peculiarem eſſe ipſorum Deum. Nam ut Dei beneficio ipſos frui æquum fuit, ſic viciſſim integros ſervari oportuit in recto puroque ejus cultu: ſi vero fuiſſent Gentium mancipia, non modo diminuebatur electus populus, ſed polluebatur Circumciſio, & impiæ defectioni janua aperiebatur. Porro legem ſuam Deus ita temperat ut inquilinos nullo iniquo diſpendio gravet, quum plus ipſis, quantum ad ſervos Hebræos, largiatur quam indigenis. Exibant enim liberi anno ſeptimo ſi ſe fratribus vendiderant: ſub inquilinis vero extendebatur ſervitus ad annum quinquageſimum. Illa tantum exceptio fuit addita, ut quos emerat alienigena ſervos, accepto pretio manumitteret. Cæterum quum antehac pollicitus fuerit Deus populo ſuo largam & multiplicem bonorum omnium copiam, non aliunde contigit inopia cujus nunc ſit mentio, quam ex Dei maledictione. Videmus ergo ut pro incomparabili ſua bonitate manum porrigat Legis ſuæ transgreſſoribus: & dum eos pauperie caſtigat, ſimul illis proſpiciat, quamlibet ſint indigni, & ærumnis medeatur quas ſua culpa contraxerunt.

Ex Levit. XXV.

23. Terra autem non venderur abſolute, quia mea eſt terra: vos enim peregrini & advenæ eſtis apud me.

24. In univerſa autem terra poſſeſſionis veſtræ, redemptionem dabitis terræ.

25. Quum attenuatus fuerit frater tuus, & vendiderit de poſſeſſione ſua: tunc veniet redemptor ejus propinquus ipſi, & redimet venditionem fratris ſui.

26. Et ſi non fuerit viro redemptor, ſed apprehenderit manus ejus, & invenerit quod ſufficiat ad ejus redemptionem:

27. Tunc ſupputabit annos venditionis ſuæ, & reſtituet quod ſupereſt viro cui vendidit, & revertetur ad poſſeſſionem ſuam.

28. Si vero non invenerit manus ejus quod ſufficiat ad reddendum illi, tum erit venditio ejus in manu ejus qui emit illum, uſque ad annum Jubilæi: at egredietur in Jubilæo, reverteturque ad poſſeſſionem ſuam.

29. Vir autem quum vendiderit domum habitationis in urbe murata, erit redemptio ejus donec complcatur annus venditionis ejus: anno uno erit redemptio ejus.

30. Quod

30. Quod si non redimatur donec impleatur illi annus integer, remanebit domus quæ fuerit in civitate cui est murus, absolute ementi illam in generationibus ejus: non egredietur in Jubilæo.

31. Domus autem villarum quibus non est murus in circuitu, secundum agrum terræ æstimabitur: redemptio erit ei, & in Jubilæo egredietur.

32. Urbium autem Levitarum, & domorum urbium possessionis eorum, redemptio perpetua erit Levitis.

33. Qui autem emerit à Levitis, egredietur venditio domus, & urbis possessionis ejus in Jubilæo: quia domus urbium Levitarum est possessio eorum in medio filiorum Israël.

34. Ager autem suburbii urbium eorum non venditur, quia possessio perpetua est illis.

23. *Terra autem.*] Quia legis hujus ratio peculiaris fuit filiis Abrahæ, vix usus aptari potest ad reliquos populos. Sic enim æqualis sub Josue facta erat terræ partitio, ut in singulas tribus & familias distributa hæreditas esset. Imo quo sanctior maneret unicuique sua possessio, sorte divisa fuerat terra, acsi Deus manu sua eos locaret in certa stationes. Denique sortitio illa perinde erat ac decretum inviolabile ipsius Dei, ut semper vigeret fœderis memoria, quo terræ hæreditas promissa fuerat Abrahæ & ejus posteris. Atque adeo terra Chanaan arrha erat, vel symbolum, vel speculum adoptionis in qua fundata erat eorum salus. Quare mirum non est si illud inæstimabile beneficium Deus noluerit unquam intercidere. Id autem ne fieret, tanquam providus paterfamilias frenum injecit filiis suis, ne prodigi fierent nimia licentia. Nam qui suspectum habet hæredem, vetat alienare quod relinquit patrimonium. Talis itaque fuit veteris populi conditio, quæ promiscue ad alias gentes transferri nequit, quibus data non fuit communis hæreditas. Aliquod in jure redimendi vestigium apparet: sed quia id pendet ex partium consensu, deinde specialis est contrahendi ratio, nihil ad legem Mosis, quæ tam homines quam agros in integrum restituit. Jam quod terra Chanaan, Dei vocatur, perinde est acsi directum ejus dominium (ut loquuntur) ipse sibi uni assereret: sicuti continuo post clarius mentem suam explicat, ubi filios Israël dicit in ea peregrinari tanquam suos hospites. Etsi enim optima illis fuit quæ justis & perpetuis possessoribus conditio esse potest: Dei tamen respectu nonnisi coloni erant, quia precario tantum illic quiescebant. In summa, Deus fundum sibi vendicat, ne unquam effluerent donationis memoria.

24. *In universa terra.*] Antequam ad Jubilæum veniat, agrum à paupere venditum, non tantum consanguineis redimere permittit, sed ipsi quoque venditori, si nemo interveniat redemptor. Cognationis eadem apud alias quoque gentes data fuit libertas, sed in diversum finem, ut nomen familiæ conservaretur: venditor autem ad redimendum admissus non fuit, nisi diserte id exceptum esset in contractu. Agros autem manere voluit Deus possessoribus legitimis, ut quam minimum deflecteret populus à partitione sub Josue facta. Consuluit interea privatim singulis: sed in perpetua successione sepsum magis respexit quam homines, ut nunquam intercideret beneficii sui memoria. Tandem jubet anno Jubilæi agros omnes redire ad suam originem, & venditiones omnes finem accipere: acsi quinquagesimo quoque anno sortem renovaret in dividenda terra.

29. *Vir autem quum vendiderit domum.*] Hic domos ab agris distinguit, ne redimendi libertas extendatur ultra annum: deinde ut emptio etiam in Jubilæo rata maneat. Quanquam additur secunda distinctio inter ipsas domos, ut ædes in oppidis prorsus alienare liceat: villarum autem eadem fit quæ agrorum conditio, quia illis annexæ sunt ut partes. Quoad domos urbanas, quia interdum pauperibus dominis erant onerosæ, utile fuit transire ad divites, qui ferendis ædificandi sumptibus pares essent. Adde quod domus quotidiana alimenta non suppeditat ut ager, & domo carere magis tolerabile est quam agro, ubi te exerceas, & ex ejus cultura victum tibi acquiras & familiæ. Villas autem excipi oportuit tanquam agrorum accessiones. Quid enim juvaret fructus colligere, locum vero non habere ubi reponas? Imo quid prodesset agrum possidere quem colere non posses? quomodo enim arabunt boves quibus stabulum non erit agro vicinum? Quia ergo agri sine tuguriis vel casis fere sint inutiles, nec commode separantur: merito statuit Deus ut anno Jubilæi quælibet rusticana possessio ad dominum priorem rediret.

32. *Urbium autem Levitarum.*] Alia exceptio, ut Levitæ domos venditas vel jure redemptionis, vel anno Jubilæi gratis recuperent. Quod non modo in eorum gratiam statuitur: sed quia totius populi interfuit, dispositos esse quasi in excubiis, ubi locum ipsis Deus assignaverat. Quod ad suburbia spectat, vel agros pecori alendo destinatos, vetat Deus alienari: quia hoc modo relicta propria stratione, subinde alio migrassent. Hanc vero dissipationem non accidere, totius populi interfuit.

Ex Deut. XX.

19. Si obsederis urbem, diebus multis pugnando adversus eam, ut capias eam, non disperdes arbores ejus, impellendo in eas securim: quia ex illarum fructibus vesceris, propterea ipsas non succides: (quia an homo arbor agri) ut ingrediatur à facie tua in munitionem?

20. Veruntamen arbores quas noveris non esse fructiferas, disperdes, & succides: & ædificabis munitionem adversus urbem illam quæ tecum dimicat, donec descendat ipsa.

19. *Si obsederis.*] Hanc doctrinam non dubitavi annectere octavo præcepto: quia quum Deus in medio bellorum fervore nocendi licentiam frenat, quoad perdendas arbores, multo magis populum suum voluit in pace abstinere ab omnibus malefactis. Summa est, quamvis spoliationibus & rapinis jam aperiat jus bellicum, cavendum tamen esse, quoad licet, ne terra in vastitatem redacta, in futurum tempus sit sterilis: denique prædam sic agendam esse de hostibus, ut curæ nobis sit generis humani utilitas, ac posteri alimenta reperiant in arboribus, quæ non tam cito adolescunt ad ferendum fructum. Arboribus vero frugiferis primum hac ratione parcere jubet, quod victum cunctis hominibus suppeditant: atque ita in ipsis se profert Dei benedictio. Adjungit deinde secundam causam, quod arbores quibuslibet sint expositæ: qua significat non esse gerendum cum ipsis bellum sicuti cum hominibus. Varie quidem exponitur hic locus, verum sensus quem elegi, optime fluit, & genuinus videtur. Nam quæ vis litera demon-

demonſtrativa ſit, ſecundum rationem Grammaticam, atque ita hoſtem deſignet: meo tamen judicio interrogative legenda eſt ſententia. מצוד vero munitionem potius quam obſidionem ſignificat. Oblique ergo ſtolidum furorem perſtringit Deus, dum vim ſuam exerunt homines armati contra arborem quæ loco non movetur, ſed obvios quoſque exſpectat. Ita ager qui undique apertus eſt, munitioni opponitur. Interea permittit Deus ex arboribus infrugiferis confici aggeres, vallos, aliaſque ad oppugnandum machinas: tantum próſpicit, ne armorum procella, quæ momentanea eſſe debet, terram ornatu ſuo in multos annos denudet. Porro non injicitur religio quin excidatur arbor fructuoſa, ſi ita neceſſitas poſtulet: ſed cohibet Deus Iſraëlitas, ne odio vel iracundia impulſi ad perdendum & vaſtandum ſe projiciant, quaſi humanitatis obliti.

Ex Deut. XXI.

14. Si non placuerit tibi uxor captiva, dimittes eam pro deſiderio ſuo: nec vendendo vendes eam pecunia, neque negotiaberis de ea, quod afflixeris eam.

15. Quum fuerint viro duæ uxores, una dilecta & altera exoſa, & pepererit ei filios dilecta & exoſa, fuerit autem filius primogenitus exoſæ:

16. Die quo hæredes inſtituet filios ſuos eorum quæ habuerit, non poterit dare jus primogenituræ filio dilectæ ante filium exoſæ primogenitum.

17. Sed primogenitum filium exoſæ agnoſcet, ut det ei menſuram duorum ex omnibus quæ habuerit: ipſe enim principium fortitudinis ejus, ipſius eſt jus primogenituræ.

14. *Si non placuerit.*] Hanc ſententiam à ſuperiori contextu quem alibi expoſui, dividere coactus ſum. Illic enim docuit, ſi forma mulieris captivæ viro Judæo placeret, quomodo ducenda eſſet uxor. Lex ergo illa ad caſtitatem & conjugalem fidem ſpectabat, præſertim vero cultus Dei puritatem: nunc autem præcipit Moſes, ſi quis muliere captiva fuerit abuſus, ne eam vendat, ſed potius liberam dimittat ac ſatisfactione aboleat injuriam, vel ſaltem extenuet. Unde colligimus, hæc æquitatem pendere ex octavo præcepto, Nequis alterum fraudet. Fuit autem hæc conditio captivæ mulieris ſaltem tolerabilis: quia etſi pudicitia ſingularis eſt theſaurus, libertas tamen (quæ merito vocatur inæſtimabile bonum) ſolatii non vulgaris loco fuit. Hæc autem fuit pœna libidinis, ut prædam victor amitteret.

15. *Quum fuerint viro.*] Quia hic cavetur ne pater quod uolus filii eſt ad alterum injuſte transferat, pars & acceſſio eſt octavi præcepti: cujus ſumma eſt, ut ſuum cuique jus ſalvum maneat. nam ſi pater in locum primogeniti alium ſubrogaſſet, non obſcura erat furti ſpecies. Quia autem raro contingit ut patet gradu honoris contra naturam dejiciat primogenitum, ſi omnes ex eadem matre ſint geniti, admoouet Deus, ſe non ferre legem hanc de nihilo: quia ubi polygamia permiſſa fuit, propenſior ut plurimum fuit animus mariti in ſecundam uxorem: quia ſi primam vero amore complexus eſſet, ea vitæ & thori ſocia contentus, non cogitaſſet de ſecunda. Quum ergo faſtidio primæ uxoris maritus ſecundam appeteret, potuit ejus blanditiis deliniri, ut à liberis primi conjugii averteret quod naturaliter in eos competebat. Hinc ergo remedii neceſſitas, dum patri arbitrium tollitur mutandi juris primogenituræ. Quaoquam autem obtendere poterant, ſe nonoiſi de ſuo largituri: fuit tamen hoc impiæ ſuperbiæ, quem Deus honore dignatus erat, rejicere. Nam qui ſibi arrogat tantum licentiæ ut primogenituram aſſignet cui libuerit, parum abeſt quin ad ſe rapiat creandi poteſtatem. jus autem illud fuit duplex portio in paterna hæreditate, quemadmodum verſu decimo ſeptimo exprimitur. Ratio quæ additur, tantundem valet acſi dictum eſſet, primogenitum eſſe præcipuum deeus ac ornamentum patris. Porro ſi ratio juſta erat exhæredandi primogeniti, potuit ſubſtitui in ejus locum alter ſucceſſor: ſicuti exemplo ſuo docuit Jacob, quum Ruben abdicavit. *Gen. 49. verſ. 9.* Quod dicitur, Ante filium exoſæ, quidam exponunt, Ipſo ſuperſtite: alii retinent Hebraicam phraſin, Coram facie ejus. Probabilis autem eſt eorum ſententia qui comparative accipiunt hanc particulam, ac vertunt, Præ filio. Jam exoſa dicitur uxor, non cui maritus palam ſit hoſtis, ſed quam minus diligit: quia odii loco ducitur contemptus, & inimicus vocatur qui conjugalem benevolentiam non præſtat.

Ex Deut. XX.

5. Quum bellandum erit, alloquentur præfecti populum, dicendo, Quis eſt vir qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? abeat, & revertatur ad domum ſuam: ne forte moriatur in prælio, & alius dedicet eam.

6. Et quis eſt vir qui plantavit vineam, & non fecit eam communem? abeat, & revertatur ad domum ſuam: ne forte moriatur in prælio, & alius communem eam faciat.

7. Et quis eſt vir qui deſpondit mulierem, & non acepit eam? abeat, & revertatur domum ſuam: ne forte moriatur in prælio, & alius eam accipiat.

8. Addent præfecti alloqui populum, dicendo, Quis eſt vir timidus & mollis corde? abeat, & revertatur domum ſuam: ne diſſolvatur cor fratrum ejus, ſicut cor illius.

5. *Quum bellandum erit.*] Hoc principium addidi, ut ſcirent lectores qua de re illic agatur. Etſi autem videtur hæc doctrina aliquanto remotior à ſurandi prohibitione: apte tamen cohæret, ac prorſus annexa eſt. Nam hac indulgentia oſtendit Deus quam rectum ſit unumquemque ſuis bonis pacate frui. Quia ſi durum eſt, etiam ob militiam, homines privari novarum ædium uſu, ac proventu vineæ: quanto inhumanius ac minus ferendum etit, ſpoliari fortunis, vel ex agris quos juſte poſſident extrudi? Ergo quoniam Reip. intereſt, vineas ſeri vel plantari, domoſque extrui: ad hæc autem officia nemo ſatis alacriter ſe accingeret, niſi ſpe fruendi animaretur: privilegio Deus à conflictu eximit novarum ædium dominos, quou ſque in illù habitaverint. Idem & de vinitoribus ſtatuit, qui nondum guſtarunt laboris ſui fructum. ſponſos etiam non vult à futuris uxoribus avelli, donec earum complexu potiti ſint. Quarti ordinis diverſa ratio: quia indigni ſunt molles & ignavi quorum timiditati ſubvenat Deus, ubi diſcrimen pro ſalute communi refugiunt. Verum quia totius populi intereſt, milites omnes prompto animo

animo ad bellandum descendere, non vult Deus plus à quoquam exigi quam sit ferendo. Nunc tenemus summam hujus loci, nempe ubi singulis asseritur quod possident, eousque patere ut qui domum ædificavit non trahatur invitus ad prælium, donec ex sumptibus impensis fructum aliquem habitando perceperit. Vineam communem facere, vel profanare, tantundem valet ac vindemias vertere in communem vitæ usum. neque enim licuit primos fructus colligere, acsi fuisset adhuc incircumcisa, ut vidimus in primo præcepto. Ergo merces industriæ & sedulitati rependitur, dum iis qui vites plantarunt, libera datur missio donec proventu potiti fuerint. Quantum ad sponsos attinet, tametsi videtur in gratiam conjugii datum illis esse ut redirent ad uxores quas nondum attigerant: consentaneum tamen est non fuisse abreptos à possessione omnium charissima, ut suum cuique maneret. Adde quod hoc modo, spe sobolis ablata, transferebatur ad alienos hæreditas: quod perinde erat acsi justo domino fuisset extorta. Diximus autem pigros & timidos domum remissos fuisse, ut discerent Israëlitæ nullos urgere ultra quam ferret facultas. Et hoc etiam ex æquitate pendet, quæ dictat a bomni injusta oppressione abstinendum esse.

Ex Deut. XXV.

5. Quum habitaverint fratres pariter, & mortuus fuerit unus ex ipsis, nec fuerit ei filius, non abnubet uxor mortui viro extraneo: cognatus ejus ingredietur ad eam, & capiet eam sibi in uxorem, & affinitatem contrahet cum ea.

6. Atque ita primogenitus quem pepererit, surget nomine fratris ejus defuncti: ne deleat nomen ejus ex Israële.

7. Quod si noluerit vir ille accipere affinem suam, tunc ascendet ipsa ad portam ad seniores, & dicet, Renuit affinis meus suscitare fratri suo nomen in Israële, nec vult affinitatem contrahere mecum.

8. Tunc accersent illum seniores urbis illius, & loquentur cum eo: & ubi steterit, ac dixerit, Non placet accipere eam:

9. Accedet postea cognata ejus ad ipsum in oculis seniorum, & solvet calceamentum ejus à pede ipsius, & spuet in faciem ejus: loqueturque, ac dicet, Sic fiet viro qui non ædificaverit domum fratris sui.

10. Et vocabitur nomen ejus in Israël, Domus discalceati.

5. Quum habitaverint.] Habet hæc lex aliquid simile cum ea quæ sponso permittit redire ad uxorem adhuc intactam: quia utriusque finis est, singulis servare quod possident, dum id non coguntur extraneis relinquere, sed hæredes habent ex se genitos. Nam ubi succedit filius qui patrem repræsentat, nulla fere videtur fieri mutatio. Hinc autem apparet quantopere Deo placeat neminem privari suis fortunis, ubi etiam morientibus consulit, ut penes eorum sobolem resideat quod ægre nec sine mœrore aliis resignarent. Itaque nisi cognatus mortui orbitatis ejus succurrat, hæc inhumanitas species quædam censetur furti. Nam quum maledictio Dei fuerit sterilitas, orbitatis solatium fuit, sperare precariam sobolem, ne prorsus nomen extingueretur. Nunc postquam tenemus finem legis, notandum simul est Fratrum nomine non intelligi germanos, sed patrueles, & alios consanguineos, quorum incestuosum conjugium non esset cum viduis fratrum uxoribus: alioqui Deus secum pugnaret. Verum hæc optime inter se conveniunt, Ne quis discooperiat pudenda fratris sui germani, nec tamen abnubat mulier vidua extra mariti familiam, donec semen sustulerit ex cognato aliquo. Et sane Booz Ruth non duxit uxorem, quod frater germanus esset defuncti mariti, sed tantum consanguineus. Si quis excipiat, non congruere quibuslibet cognatis habitationem communem: respondeo, perperam hunc locum accipi de contubernio, acsi in iisdem ædibus agerent: quia simpliciter dirigitur mandatum ad cognatos, quibus propter viciniam commodum fuerit viduas ad se recipere. Si quis enim procul habitaret, libertas utrique data fuit conditionem alibi quærere. Certe probabile non est Deum incestuosi conjugii, quod ante abominatus est, nunc esse auctorem. Nec vero dubium est (ut nuper attigi) quin mulieri eadem impolita fuerit necessitas, ut se offerret prioris mariti cognato. Quod tametsi durum fuit, illius tamen memoriæ visa fuit tantum debere, ut libenter sobolem pareret mortuo: si quis tamen aliter sentiat, non contendam. Quanquam nisi fuisset obstricta, absurdum erat eam sponte se obtrudere: nec vero alia de causa in judicium vocare debuit cognatum à quo repulsam passa fuerat, nisi ut sibi libertatem acquireret in alia familia nubendi. Cæterum probabile est, non ante ignominiæ fuisse damnatum quam ad defensionem admissus foret: quia justæ interdum afferri poterant recusandi causæ. Ergo in dedecore tantum punita fuit inhumanitas, vel avaritia. Calceum vero suum tradens, jure propinquitatis se abdicabat, ut alteri cederet: quia tam maligne se gerendo erga mortuum, indignus erat ad quem perveniret ullus propinquitatis fructus.

NONUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

* vel, *non loquetis contra proximum suum ut testis mendacii.*

16. * Non dices adversus proximum tuum falsum testimonium.

Ex Deut. V.

20. Non dices in proximum tuum falsum testimonium.

Hic Deus cujusque famæ & existimationi consulit, ne quis calumniis & falsis criminibus immerito gravetur. Eadem tamen est synecdoche quam observandam esse admonui in superioribus præceptis: quia sub uno capite plura Deus complectitur. Quod ad verba spectat, quia ע"ד proprie testem significat: ad verbum legi potest, Non respondebis Testis falsus contra proximum tuum: tunc vero subaudienda erit parti-

particula Ut, quam inſerui. Frigide enim exponunt Hebræi vocandi caſu, Non loquaris ô teſtis mendax. Quanquam autem videtur tantum Deus præcipere ne quis opprimendi inſontis cauſa in forum prodeat, & publice contra eum teſtetur: certum tamen eſt falſas omnes criminationes interdici fidelibus, nec tantum quæ ſparguntur in compitis & circulis, ſed quæ in privatis ædibus, ſecretiſque angulis agitantur. Abſurdum enim eſſet, quum ante oſtenderit Deus ſibi curæ eſſe omnium fortunas, famam, quæ longe pretioſior eſt, neglexiſſe. Quocunque itaque modo proximos lædamus, injuſte eos infamando, coram Deo cenſemur falſi teſtes. Jam à prohibitione ad præceptum affirmativum debet tranſitus fieri. Neque enim ſatis fuerit linguam frenare ne maledicamus, niſi humani ſimus & æqui erga proximos, candidique factorum & dictorum interpretes: nec falſis probris, quantum in nobis eſt, onerari ſinamus. Adde quod non tantum crimina vetat Deus fingere adverſus innoxios, ſed etiam probra & ſiniſtros ſermones jactare malevolentia vel odio. Dignus erit fortaſſe quiſpiam qui male audiat, & hoc vel illud crimen vere exprobrabimus: verum ſi contivium ebulliat ex iracundiæ fervore, vel accuſatio ex maligno affectu naſcatur: fruſtra excuſabimus, nonniſi vera crimina nos protuliſſe. Quia ubi dicit Prov. 10. vers. 6. Solomo charitatem operire multa peccata, odium vero probra detegere: tanquam fidelis hujus præcepti interpres, ſignificat non aliter à falſitate nos eſſe puros quam ſi ſalva proximis ſua exiſtimatio per nos maneat: quia ſi obtrectandi libido charitatem violat, Legi Dei adverſatur. In ſumma, tenendum eſt his verbis frenari omnem linguæ virulentiam, quæ ad dedecus fratribus aſpergendum tendit: omnem quoque petulantiamqua laceratur bonum eorum nomen: omnes obtrectationes quæ vel ex livore, vel ex invidia & æmulatione, vel alio quolibet perverſo affectu manant. Longius etiam progredi oportet, ne ſuſpicioſi ſimus, vel etiam nimis curioſi in vitiis obſervandis: quia nimis anxia inquiſitio malevolentiam probit, vel certe malignitatem. Nam ſi dilectio non eſt ſuſpicax, qui de nihilo vel levibus conjecturis proximum damnat, vel de eo male ſentit, hujus præcepti haud dubie transgreſſor eſt. Hinc ſequitur, claudendas eſſe aures falſis obtrectationibus: quia perinde in fratrem injurius eſt qui ſiniſtros de eo ſermones cupide admittit, ſicuti qui linguam exerit ad maledicendum. Porro quam neceſſaria ſit hæc doctrina, quiſque ſuo ingenio æſtimet. Vix enim centeſimus reperietur qui aliorum famæ ita clementer parcat, ut ſibi cupit etiam in manifeſtis vitiis ignoſci: imo obtrectatio, zeli & ſeveritatis prætextu ſæpe laudatur. Hinc fit ut ſanctis quoque ſe inſinuet hoc vitium, atque obrepat virtutis nomine. Adhæc, facit linguæ lubricitas ut leve putemus delictum, lethale dedecoris vulnus fratri infligere: cui tamen pluris eſt ſua æſtimatio quam vita. Summa eſt, ut non minus in candore & obtrectandi abſtinentia quam in aliis officiis charitatem noſtram teſtemur.

Expoſitio præcepti.

Ex Exodi XXIII.

1. Non ſuſcipies vocem mendacii, neque adjicias manum tuam impio ut ſis teſtis mendax.

2. Non eris poſt multos ad mala, neque reſpondebis in cauſa, ut declines poſt multos ad pervertendum.

Ex eodem Capite.

7. A ſermone mendacii longe aberis: nec occides innocentem & juſtum: quia non juſtificabo impium.

Ex Levit. XIX.

16. Non incedes obtrectator in populis tuis, nec ſtabis contra ſanguinem proximi tui: ego Jehova.

17. Corripiendo corripies proximum tuum, neque excitabis ſuper eum crimen.

Exod. 23. 1. *Non ſuſcipies.*] Verti etiam poſſet, Non attolles, vel ſuſcitabis. quod ſi placet, vetabit Deus calumnias fabricare: quod ſi legimus, Non ſuſcipies, longius progredietur, ne quis ſuffragio ſuo foveat ac confirmet alterius mendacium. Dictum enim fuit, duobus modis hic peccari, vel dum improbi excogitant falſa crimina, vel dum alii nimis creduli cupide ſe conſociant. atque uterque ſenſus optime conveniet, vel damnari primos auctores qui falſum rumorem attollunt, vel qui adjuvant eorum improbitatem, & accedunt velut ſubſcriptores: verum quia mox ſequitur, Ne jungas manum tuam, quo melius inter ſe cohæreant duo membra, libenter amplector illam verſionem, Ne ſuſcipias. Et aptiſſime hoc verbo utitur Moſes: quia mendacium ſua vanitate ſponte difflueret, vel excideret, niſi perverſo aliorum conſenſu exceptum fulciretur. Ergo ab hac impia conſpiratione ſuos Deus revocat, ne operas ſociando circumferant ficta crimina: ac eos qui manum improbis porrigendo, proximos traducunt, falſos teſtes nominat: quia parum intereſt excitetne crimen an ſuſtineas. Secundus verſus, ſi eum ad judices reſtringere placeat, appendix eſſet tam ſexti quam octavi præcepti: ne quis ſcilicet perverſis aliorum ſententiis volens cedat, ſive in facultatibus, ſive in vita juſtum opprimant. Cæterum quia vitium nimiæ credulitatis perſtringitur, quo ſit ut mendacium prævaleat, dum tenebras claræ luci obducunt calumniatores, apte ad hunc locum accommodatur.

7. *A ſermone mendacii longe aberis.*] Quoniam de perjuriis loqui videtur quæ inſontibus mortem acerſunt: quibuſdam forte magis placeret, locum hunc ſexto præcepto fuiſſe annexum. ſed facilis ſolutio eſt, Moſen ex profeſſo damnare falſa teſtimonia, & ſimul ſpeciem unam proferre, ex qua appareat quam deteſtabile crimen ſit, calumnia fratrem obruere: nempe quia falſus teſtis lingua magis occidit quam carnifex gladio. Quamvis ergo in genere mentiri adverſus fratrem ſceleſta ſit inhumanitas, augetur tamen atrocitas, ſi perjurio juguletur frater: quia ad perfidiam accedit homicidium. Additur comminatio qua Deus falſos teſtes ad tribunal ſuum citat, ubi impune non evadent qui ſuis mendaciis periculum bonis conflaverint.

Levit. 19. 16. *Non incedes.*] Eadem ratio ſecundi membri quæ in proximo verſu, quia generali præcepto ſubjicitur quo vetantur obtrectationes: ſed multo magis nos ab illis deterrere debet, dum

agnoſcimus, linguam ſcilicet hoc modo armari ad innoxium ſanguinem crudeliter fundendum. Vocem רכיל quidam metaphorice ſumptam eſſe volunt à negotiatoribus, quia non minus fatagit delator aut ſuſurro in aucupandis falſis rumoribus quos poſtea diſſeminet, quam ſedulo attentus eſt mercator ad vendendum & emendum. Alii permutationem eſſe volunt literæ ג cum כ: atque ita deducendum eſſe nomen à pedibus, quia aſſidue oberrant calumniatores, vel circumeunt ad aucupandum criminandi materiam: ideoque ſemper conjungitur ambulandi verbum. Ego vero non eodem ubique ſenſu accipi exiſtimo: quia quum Judæis exprobrat Ezechiel, apud eos fuiſſe viros רכיל, ut effunderent ſanguinem, viros fraudis intelligo, vel fraudulentos, qui bonis inſidiati ſunt ad machinandam illis perniciem. Quidam etiam Exploratores vertunt. Interea non dubito quin Moſes hoc loco errones deſignet, qui nimis cupide huc illuc curſitant, & maligna curioſitate penetrant in arcana cujuſque ad vexandos homines quietos. In ſumma, docemur coram Deo cenſeri falſos teſtes quicunque linguæ ſuæ virulentia moleſtiam ac periculum creant ſuis fratribus.

Ezech. 22. verſ. 9.

17. *Corripiendo corripies.*] Quia multi, ſeveritatis prætextu, non tantum moroſi ſunt cenſores, ſed ad proferenda vitia ebulliunt: præpoſtero huic fervori occurrit Moſes, oſtendens qua ratione ſibi optime temperent, ne connivendo vel tacendo peccatis indulgeant, & tamen procul abſint à maledicentia. Solent enim excipere qui carpendi & vituperandi morbo laborant, taciturnitate ali peccata, niſi ea certatim omnes exagitent. Hic illis clamandi & inſultandi calor. Atqui utilius remedium oſtendit Moſes, ut privatis caſtigationibus errantes in viam reducant, non autem divulgent eorum probra. Quiſquis enim de fratris infamia triumphos agit, quantum in ſe eſt præcipitat in exitium. Atqui zelus bene compoſitus, ſaluti ejus qui ſe perdebat, conſulit. Proinde jubemur errantes corripere, & fratres non habere pro inimicis. Similis ratio à Chriſto præſcribitur, Si peccaverit in te frater, corrige eum inter te & ipſum. Denique immodica criminandi affectatio ſemper reperietur ſuperba & crudelis. Hic autem נשא haud dubie tantundem valet ac in medium producere quod latebat, atque ita eos qui alioqui eſſent ſanabiles, traducendo ad deſperationem adigere.

Matth. 18. verſ. 15.

Appendix.

Ex Deut. XIX.

16. Quum ſteterit teſtis mendax contra aliquem, ut teſtificetur contra eum verbum perverſum:

17. Tunc ſtabunt duo illi homines quibus eſt lis, coram Jehova, id eſt, coram ſacerdotibus & judicibus qui fuerint in diebus illis.

18. Et inquirent judices diligenter: & ſi teſtis ille eſt teſtis mendax, mendacium teſtificatus eſt contra fratrem ſuum:

19. Facietis ei, quemadmodum cogitavit facere fratri ſuo, & auferes malum è medio tui.

20. Et qui remanſerint, audient ac timebunt, nec addent facere ultra malum ſimile huic in medio tui.

21. Neque parcet oculus tuus: animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

16. *Quum ſteterit.*] Quia non ita viget in omnibus timor Dei ut ſponte à maledicendi cupidine abſtineant, præcipit Deus pœnam de perjuriis ſumi. Nam contra impios & immorigeros ſeruntur leges politicæ, ut qui Dei judicium ſpernunt, trahantur ad hominum tribunal. Cæterum etſi non aliter in cognitionem judicum vocantur perjuria, quam ſi extet accuſator qui ſe falſo teſtimonio injuſte fuiſſe gravatum queratur: ratio tamen dictat, ſi quis à falſis teſtibus tractus eſſet ad mortem, judicibus minime fuiſſe ceſſandum, quin ex officio inquirerent. Quoniam tamen ut plurimum attenti ſunt homines ad ſuam innocentiam aſſerendam, hanc partem ſumere ſatis habuit Deus, ſi delata fuerit querimonia, ut diligenter inveſtigent judices, ac crimine deprehenſo, pœnam talionis irrogent. Unde apparet eodem apud Deum loco haberi falſos teſtes atque homicidas. Quod autem examen fieri mandat non tantum à judicibus, ſed etiam à ſacerdotibus, tanquam Deo præſente: hac circumſtantia diligentiam requirit ſolito majorem, quia occultum crimen, niſi exactiſſima cura, non facile detegitur.

DECIMUM PRÆCEPTUM.

Ex Exodi XX.

17. Non concupiſces domum proximi tui, non concupiſces uxorem proximi tui, neque ſervum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque aſinum ejus: neque quicquam eorum quæ ſunt proximi tui.

Repetitio Ex Deut. V.

21. Neque concupiſces uxorem proximi tui, neque concupiſces domum proximi tui, agrum ejus, aut ſervum ejus, aut ancillam ejus, bovem ejus, aut aſinum ejus: neque quicquam eorum quæ ſunt proximo tuo.

Exod. 20. 17. *Non concupiſces.*] Hoc præceptum ad alia ſuperiora extendi, obſcurum non eſt. Satis antea vetuit Deus inhiare rebus alienis, ſollicitare alienas uxores, vel ex alieno incommodo & jactura lucrum captare. Nunc, dum tam boves & aſinos & alia quælibet, quam uxores & ſervos & ancillas enumerat: clare liquet iisdem de rebus præcipere, ſed diverſo modo: nempe, ut improbas omnes cupi-

cupiditates vel ſcortandi, vel furandi coërceat. Objicitur tamen quæſtio, quum antea dictum ſit pro Legislatoris natura ubique requiri interioris cordis puritatem, ideoque ſub adulterio notari non tantum omnes laſcivias, ſed occultam quoque impudicitiam: ſub furto, illicitos lucrandi appetitus: quorſum nunc Deus ſuos à furandi & ſcortandi cupiditate prohibeat? Videtur enim ſupervacua eſſe repetitio: quod valde abſurdum eſſet in decem verbis, quibus totam vivendi regulam complexus eſt Deus, ut ipſa brevitas lectores ſua facilitate melius alliceret ad diſcendum. Verum ſimul ex oppoſito tenendum eſt, quamvis Dei conſilium fuerit, omnes hominum ſenſus tota Lege formare ad ſinceram ejus obedientiam: quæ tamen eſt hominum hypocriſis & ſecuritas, acrius fuiſſe ſtimulandos, & propius urgendos, ne ſub umbra obſcurioris doctrinæ latebras quærerent. Nam ſi tantum audiſſent, Non occides, non ſcortaberis, non furaberis: putaſſent externa obſervatione ſe pulchre defunctos. Non fruſtra itaque Deus, poſtquam de pietate & juſtitia diſſeruit, ſeorſum admonuit non tantum à maleficio abſtinendum eſſe, ſed ſincero animi affectu præſtandum eſſe quod prius juſſerat. Atque ex hoc præcepto colligit Paulus, totam Legem eſſe ſpiritualem, quia Deus cupiditates damnando, ſatis oſtenderit ſe non manus & pedes tantum in obſequium cogere, ſed animis frenum impoſuiſſe, ne appeterent quicquid illicitum eſſet facere. Fatetur Paulus, quum ante fallacibus blanditiis indormiret, ſe hoc uno verbo fuiſſe expergefactum. Nam quum irreprehenſibilis eſſet in oculis hominum, perſuaſus erat ſe coram Deo juſtum eſſe. Dicit ſe aliquando vixiſſe quaſi Lege abſente vel mortua, eo quod juſtitiæ conſidentia inflatus, ſalutem ex operibus pœbebat: verum ex quo animadvertit quid ſibi vellet præceptum, Non concupiſces, quaſi Lege à morte in vitam ſuſcitata, ſe fuiſſe mortuum: nempe, quia transgreſſionis convictus, certam maledictionem inſtare ſibi vidit. Atqui non unius tantum vel alterius peccati reum ſe fuiſſe intelligit, ſed tunc demum ſibi exuſſum fuiſſe torporem, ubi cupiditates omnes quarum ſibi conſcius erat, in judicium Dei vocari agnovit, quum prius acquieſceret in externa virtutum ſpecie. Nunc ergo tenemus, non inepte diſtincto præcepto concupiſcentiam generaliter damnari: quia ubi Deus populariter & craſſo ſtylo mores ad integritatem compoſuit, tandem aſcendit ad fontem ipſum, & ſimul quaſi digito radicem demonſtrat ex qua naſcuntur omnes mali & vitioſi fructus. His tamen addendum eſt, plus aliquid concupiſcendi, & optandi, vel deſiderandi verbis exprimi, quam deſiderium formatum, ut vulgo loquuntur. Sæpe enim nos ſollicitat caro ad hoc vel illud optandum, ut ſe prodat mala concupiſcentia, quamvis nondum accedat conſenſus. Quum ergo antehac damnata fuerit mala voluntas, jam ultra progreditur Deus, maliſque deſideriis, antequam prævaleant, frenum injicit. Hos gradus Jacobus obſervat, ubi dicit concupiſcentiam conci- *Jacob. 1. vers. 15.* pere antequam pariat peccatum: deinde peccatum, ubi perfectum eſt, mortem gignere. Partus enim de quo loquitur, non tantum eſt in externo actu, ſed in ipſa voluntate, poſtquam tentationi acquievit. Fateor quidem pravas cogitationes quæ temere occurrunt, & ſponte evaneſcunt antequam animos afficiant, non venire in rationem coram Deo: verum quamvis non plane acquieſcamus deſiderio, ſi tamen nos titillat, ſufficit ad reos præbendos. Id ut clarius intelligatur, tentationes quælibet, totidem ſunt quaſi flabella: ſi nos ad conſenſum uſque abripiant, ignis eſt accenſus: ſi autem cor impellunt ad pravos appetitus, concupiſcentia in illis ſcintillis ſe prodit, quamvis neque ardorem plenum concipiat, neque emergat in flammam. Concupiſcentia ergo nunquam eſt ſine affectu, quamvis non prorſus ſuccumbat voluntas. Unde apparet quàm exacta juſtitiæ perfectio afferenda ſit ut Legi ſatisfiat, quando non tantum nobis mandatur ne quid velimus niſi quod rectum eſt ac Deo placeat, ſed etiam ne quis impurus appetitus animos noſtros incitet. Nec vero tantopere exaggeraret Paulus hoc verbum, ſi Lex nullam damnaret concupiſcentiam, niſi quæ animum hominis ſic occupat ut in eo dominetur. Nam à profanis quoque philoſophis, imo à terrenis legislatoribus ſemper damnabitur impia voluntas. Paulus autem dicit, dum Lex concupiſcentiæ obſiſtit, peccatum fieri ſupra modum peccans. Jam quo tempore ſe neſciſſe fatetur quid eſſet concupiſcentia, credibile non eſt adeo ſocordem fuiſſe & ſtupidum, ut velle hominem occidere, vel libidine ferri ad ſtuprandam fratris uxorem, pro nihilo duceret. Quod ſi Paulum non latuit quin vitioſa eſſet peccandi voluntas: ſequitur, concupiſcentiam, in qua nullam culpam deprehendebat, morbum fuiſſe magis occultum. Hinc vero perſpicitur quibus præſtigiis falſina verit Satan ſcholas omnes Papales, in quibus perſonat axioma iſtud, Concupiſcentiam in baptizatis non eſſe peccatum: quia ſtimulus eſt ad exercendam virtutem. Quaſi vero non aperte Paulus damnationi ſubjiciat concupiſcentiam, quæ ſuis illecebris nos ineſcat, quamvis non omnino aſſentiamur.

Rom. 7. vers. 7.

SUMMA LEGIS.

Ex Deut. X.

12. Nunc ergo Iſraël, quid Jehova Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Jehovam Deum tuum, ut ambules in omnibus viis ejus, ut diligas eum, colaſque Jehovam Deum tuum in toto corde tuo, & tota anima tua?

13. Cuſtodiendo præcepta Jehovæ, & ſtatuta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut bene ſit tibi.

Ex Deut. VI.

5. Diliges Jehovam Deum tuum toto corde tuo, tota anima tua, & tota fortitudine tua.

Ex Levit. XIX.

18. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

Deut. 10. 12. *Nunc ergo.*] Poſtquam ſingula præcepta ordine expoſuimus, videndum nunc reſtat quid Lex ſummatim contineat, & quorſum tendat ejus doctrina. Nam inde elicit Paulus verum ejus uſum, ubi finem ejus eſſe docet charitatem ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Erant enim tunc perverſi ejus interpretes, quos dicit ad vaniloquium deflexiſſe, quoniam ab illo ſcopo aberraverant. Porro ſicuti duabus tabulis continetur, ita eam ad duo capita redigit Moſes, ut Deum diliga-

1 Tim. 1. vers. 5.

mus ex toto corde, & proximum ſicut nos ipſos. Etſi autem non uno in loco utrumque conjungit, Chriſtus tamen, ex cujus Spiritu loquutus eſt, ad expli-
Mat. 22. *verſ.* 37. candum ejus conſilium ſufficere nobis debet. Rogatus autem quod eſſet præcipuum Legis mandatum: reſpondit, primum quidem eſſe ut diligatur Deus, alterum vero affine de proximo diligendo: perinde acſi diceret, totam juſtitiæ perfectionem quæ in Lege traditur, in duabus partibus conſiſtere, ut vera pietate Deum colamus, & innoxie verſemur cum hominibus, ſecundum charitatis regulam. Idem eſt verborum Pauli ſenſus, quia fides quæ illic vocatur fons & origo charitatis, dilectionem Dei in ſe complectitur. Fixa quidem manet Chriſti ſententia, nihil à nobis in Lege exigi, niſi ut Deum cum proximis amemus. Unde brevis & clara definitio ſumi poteſt, ad bene vivendum nihil requiri niſi
Tit. 2: 11. pietatem & juſtitiam. Videtur quidem Paulus tertium membrum addere, ubi tradit appartiſſe Dei gratiam, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentiis, temperanter, pie & juſte vivamus in hoc ſeculo; verum σωφροσυνὴ illic additur tanquam condimentum juſtæ & piæ vitæ. Et certe niſi caſte honeſteque & continenter vivendo, nemo probabit ſanctitatis & integritatis ſtudio ſe eſſe addictum. Cæterum, ubi præterito Dei cultu, doctrina Legis ad ſolam proximi dilectionem reſtringitur, non tam ſepelitur religio, quam profertur ejus teſtimonium ex ſerio examine. Nam quum hypocritis mos ſit, dum ſuperbia turgent, rapacitate & avaritia flagrant, referti ſunt invidia & æmulatione, crudelitatem ſpirant & minas, ad fœdas libidines ſunt projecti, obtendere tamen larvam ſanctimoniæ in ceremoniis:
Mat. 23. *verſ.* 23. tales oſtentationis nebulas ut diſcutiat Chriſtus, clamat præcipua Legis capita eſſe miſericordiam, judicium, & fideli atem. Et alibi de juſtitia Legis diſſerens, nullam prioris tabulæ mentionem facit. Eo-
Mat. 19. *verſ.* 18. *Rom.* 13. *verſ.* 8. *Coloſſ.* 3. *verſ.* 12. dem conſilio Paulus charitatem vocat Legis complementum: & alibi, vinculum perfectionis. Interea nihil minus fuit illis propoſitum quam nos abducere à timore Dei, ut officia noſtra hominibus addicerent: ſicuti jam ex alio loco oſtendi, dum Legem integram perſtringit Chriſtus, exordium facere ab amore Dei. Et Paulus ubi nos omnibus numeris
Galat. 5. *verſ.* 14. completos eſſe docet, ſi fides in nobis per charitatem operatur, non omittit cauſam ipſam & principium bene vivendi. Atque ita conciliantur quæ videri poſſent in ſpeciem contraria, perfici ſanctificationem in timore Dei ubi nos mundamus ab omni inquinamento carnis & ſpiritus: & totam Legem compleri uno verbo, Diliges proximum tuum ſicut teipſum: nempe, quia non aliter certo experimento liquere poteſt noſtra pietas, niſi dum juſte & innoxie cum hominibus verſamur: deinde quia ad Deum non pervenit noſtra beneficentia, ideo in officiis ſecundæ tabulæ perſpici qualis ſit animus noſter. ſicut
Pſal. 16. *verſ.* 2. *1 Joan.* 4. *verſ.* 7. dicitur in Pſalmo, Bonum meum nihil ad te: ſed ad ſanctos qui habitant in terra, voluntas mea. Quomodo enim, ut dicit Joannes, jactabit quiſquam Deum ſe diligere quem non videt, ſi proximum cui familiariter conjunctus eſt, non diligit? Quia ergo hinc deprehenditur mendacium, Deus in mutua charitate ad pietatem præſtandam nos exercet. Hinc col-
1 Joan. 3. *verſ.* 10. ligit Joannes, mandatum nobis dari, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Porro antequam plura de utroque præcepto dicam, notandus eſt finis Legis qui à Moſe deſcribitur, Nunc Iſraël quid à te petit Deus niſi ut ipſum timeas, ambules in viis ejus, diligas eum, & colas toto corde? Etſi enim rurſus Legem commendat, quia nihil præcipiat quod non ipſa natura dictet certiſſimum & æquiſſimum eſſe, & quo nihil nobis eſſe utilius vel magis optabile experientia demonſtret: ſimul tamen admonet quænam ſit ejus ſervandæ ratio. Itaque timorem Dei, ſimul & amorem nobis proponit. nam quatenus Dominus eſt, merito pro imperii ſui jure vult timeri: quatenus autem pater, amari poſtulat: ſicuti apud Malachiam
Mal. 1: 2. dicitur. Diſcamus ergo, ſi ad Legem ſervandam nos accingere volumus, incipiendum eſſe à timore Dei, qui ideo vocatur caput ſapientiæ. Verum quia Deum
Pſal. 111. *verſ.* 10. *Prov.* 1. *verſ.* 7. & 9: 10. non oblectant extorta & coacta obſequia, mox ſubjicitur dilectio. Atque hoc prudenter expendere convenit, quum nihil ſuavius ſit quam Deum diligere, primas tamen partes tenere in toto ejus cultu. Pluſquam enim ferreum eſſe oportet quem non alliciat tanta dulcedo: quando non alia de cauſa nos invitat & hortatur ad ſui amorem, niſi quia nos amat ipſe: imo ſua dilectione jam prævenit, ut dicitur
1 Joan. 4. *verſ.* 10. apud Joannem. Interea colligere ſimul licet, nihil Deo placere quod offertur ex triſtitia, vel neceſſitate: quia hilarem datorem quærit. Agit quidem
2 Cor. 9. *verſ.* 7. illic Paulus de eleemoſynis: ſed extendi debet ad omnes vitæ actiones voluntarium & liberale parendi ſtudium, quale in probis & ingenuis filiis cernitur, quibus jucundum eſt parentibus ſubeſſe. Et certe non aliunde manat quæ Deo reverentia defertur, quam ex guſtu paterni ejus erga nos amoris, quo ad ipſum redamandum trahimur: ſicuti legitur in Pſal-
Pſal. 130. *verſ.* 7. mo, Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Quoties ergo audimus quod ſubinde inculcat Scriptura, Diligite
Pſal. 31. *verſ.* 24. Jehovam omnes manſueti ejus: veniat nobis in memoriam, Deum ſe nobis amabilem reddere, ut libenter, & qua decet alacritate amplectamur quicquid jubet. Jam vero quæ exigitur perfectio, ſatis clare demonſtrat quam procul abſimus omnes à ſolida Legis obſervatione. Jubemur Deum amare ex toto corde & anima, totiſque viribus. Quamlibet enitamur, mutilum eſt ac debile noſtrum ſtudium, niſi omnes ſenſus noſtros occupet amor Dei, & ad ipſum penitus ferantur vota noſtra & cogitationes, ad eundem quoque ſe applicent omnes noſtri conatus. Atqui ſatis ſuperque convincitur quiſque propria experientia, quam variis modis abſtrahantur mentes noſtræ ad vanitatem, quam multi pravi affectus nobis obrepant, quam difficile ſit nobis compeſcere & ſubigere pravos carnis motus. Optimus certe quiſque athleta vix ſumma ſtrenuitate conſequitur ut in hac ſpirituali militia pergat. Quod ſi magna virtus eſt non prorſus fatiſcere, nemo certe jactare audebit ſe ad ſcopum qui in Lege proponitur, accedere. Denique quoties mundi illecebræ vanique appetitus ſe inſinuant, toties ſentire nos oportet, aliquam animæ noſtræ partem vacuam eſſe amore Dei: alioqui nihil illuc contrarium penetraret. Cordis nomen hoc loco, ut alibi, non pro ſede affectuum, ſed pro intelligentia ſumitur. Itaque ſupervacuum fuiſſet addere διάνοιαν quod fecerunt Evangeliſtæ, niſi ambiguitatis tollendæ cauſa. Nam quia Græcis non perinde uſitata eſt hæc ſignificatio, non dubitarunt explicandi cauſa vocem unam de ſuo addere. Qui vero in doctrina Moſis exercitati ſunt, non ignorant Cor tantundem valere ac Mentem: alibi enim dicitur, Non dedi tibi hactenus oculos ad videndum, nec cor ad intelligendum. Verum Græcis obſcura fuiſſet loquutio, quia eorum linguæ eſt inſulita.

Levit. 19. 18. *Diliges proximum.*] Quo quiſque animo eſſe debeat erga proximos, non potuit melius multis paginis exprimi quam hoc uno verbo. Ad nos amandos non modo plus æquo ſinguli ſumus propenſi, ſed toto impetu rapimur: imo σπουδὴ ita nos excæcat ut omnium iniquitatum ſit mater. Quoniam ergo dum ad nos amandos nimium ſumus attenti, fratres noſtros obliviſcimur ac negligimus: non aliter potuit nos Deus ad charitatem retlectere, quam ſi vitioſum illum affectum qui nobis ingenitus eſt, ac penitus inſidet, ex cordibus noſtris revelleret. quod rurſus fieri non potuit, quin amorem qui intus reſidet, alio transferret. Qua in p rte ſe prodidit non minor improbitas, quam inſi ia & fatuitas

eorum

eorum qui amorem noſtri volunt ordine præcedere. Regula, inquiunt, eſt ſuperior ſuo regulato. Atqui ſecundum Dei præceptum charitas qua debemus alios proſequi, ad amotem noſtri tanquam ad ſuam regulam formatur: quaſi vero conſilium Dei fuerit, ignem qui plus æquo flagrat, magis accendere. Naturaliter (ut dictum eſt) immodico noſtri amora cæcutimus: hinc ut nos avertat Deus proximos ſubſtituit, quos non minus amemus quam oos ipſos. Quod
1 Cor. 13. verſ. 4. eoim de charitate docet Paulus, eam non quærere quæ ſua ſunt, nemo unquam præſtabit, donec ſibi renuociaverit. Proximi vero dicuntur non modo quibuſcum aliqua nobis neceſſitudo eſt, ſed omnes ſine exceptione: quia totum humanum genus corpus unum efficit, cujus ut ſinguli ſuot membra, ita mutua conjunctione inter ſe cobærent oportet. Tenendum enim eſt, alieniſſimos eſſe etiam quoſque nobis fovendos & juvandos, non ſecus ac propriam carnem. nam & alibi vidimus in eodem gradu ſtatui advenas & peregrinos: & Chriſtus ſub perſona Samaritani id ſatis confirmat. Luc. 10. verſ. 30.

USUS LEGIS.

Quatenus in Lege oſteoditur diſcrimen boni & mali, ad formandam hominum vitam data eſt, ut merito vocetur bene & juſte vivendi regula. Atque hic finis Legis omnibus fere notus eſt: quia ſine controverſia fatentur omnes Deum illie præſcribere quid rectum ſit, ne incerti tota vita erremus: quia ut ejus voluntas perfecta eſt lex juſtitiæ, ita ſolos nos dirigere in ſcopum poteſt. Naturalitet quidem inſculpta eſt booi & mali notitia hominibus, quo reddantur inexcuſabiles: nec ulla unquam barbaries lucem hanc adeo extioxit, quin obique viguerit aliqua legum forma: verum quum præcipuum juſtitiæ caput ſit obedire Deo, ſingulari privilegio, recte vivendi doctrinam in electo populo, tanquam adoptionis ſuæ pignus, depoſuit. Hioc ſententiæ quæ toties apud Moſen occurrunt, Præcipio tibi ut cuſtodias, & facias. Cæterum quia carnales ſumus, venundati ſub peccato, tantum abeſt ut ſuppetat nobis facultas ad Legem quæ ſpiritualis eſt, implendam, ut ejus juſtitiæ repugnent omnes noſtræ cogitationes: ſicuti
Rom. 8. verſ. 7. alibi docet Paulus. Ergo qui ſolo docendi uſu contenti ſunt, male ſubſiſtunt in una parte: quia nulla inde proveniet utilitas, quamdiu manebimus in natura corrupta. Imo ſimulac prodit Lex in medium, capitibus noſtris incumbit maledictio Dei, acſi è cælo fulminaret. Non congeram qoæcunque in banc rem faciunt teſtimonia, ſufficiat unus præ aliis inſignis locus. Lex, inquit Paulus, ſancta eſt, & præceRom. 7. verſ. 12. ptum juſtum & bonum: ſed peccatum, ut appareat peccatum, per id quod bonum erat mortem gignit.
Rom. 4. verſ. 15. Galat. 3. verſ. 19. Aſperum quidem eſt quod alibi dicit, Legem iram operari, & propter transgreſſiones eſſe poſitam: nempe hominibus profanis qui raotum Philoſophice judicant. Ille vero Legis uſus Theologicus eſt, quia nihil aliud poteſt quam detegendo noſtram injuſtitiam, mortem duntaxat afferre. Hic autem emerguot tumultuoſæ quæſtioocs, quorſum attineat præcipere quæ præſtaodo non ſumus: cur miſeris illudat Deus, onus imponens quo prorſus obruantur: quomodo conveniat Legem dari ut eam obſervemus, & tamen viribus nos deſtitui: ſi non eſt nobis libera boni & mali electio, cur vitio oobis vertatur, peccato cui naturaliter ſumos addicti, ſuccumbere. Io coacervandis talibus calumniis valde ingenioſi ſunt Dei boſtes, & ad eas amplificandas facundi: verum ubi omnia evomueriot quæ illis furioſa improbitas dictaverit, ſemper eos ſatis ſuperque refutabit propria conſcientia: quia fateri cogentur Legem eſſe juſtam, & quum voluntario affectu eam transgrediuntur, merito ſe damnari. Obſtrepant Deo ut libuerit, inique plus oneris imponere quam pares ſint ad ferendum: convictos tenebit naturæ ſeoſus, Deo, quicquid ſibi præſtari jubet, deberi. Jam videndum eſt ubinam reſideat culpa, quod ſol veodo non ſunt. Certe eam à ſe fruſtra rejicere tentabunt, quia rurſus conſcientia ſe ex oppoſito ingeret, ac conſtringet ioſolubili reatu. Docet autem tota Scriptura, naturæ noſtræ corruptioos factum eſſe ut Legi repugnent omnes noſtri affectus, & ipſa viciſſim nobis adverſetur. Adam enim à Deo omnis juſtitiæ fonte alienatus, ſe & nos perdidit. Hioc fit ut non tantum ad præſtandum Deo obſequium nos vires deficiant, ſed ut cæco & præcipiti impetu ad excutiendum ejus jugum ſerantur. Hinc colligit Paulus nos eſſe maledictos, quia Lex male- Galat. 3. verſ. 10. dictos pronunciat omnes transgreſſores. Ridicula enim erit objectio, in libero cujuſque arbitrio eſſe non transgredi: quia nihil in nobis reperietur niſi vitioſum. Et certe nimis pudenda fuit eorum ſocordia qui putaruot nihil impoſſibile præcipi: qoando in minimis quibuſque ſe prodit non modo debilitas, ſed
2 Cor. 3. verſ. 6. adſtupla. Etſi autem Paulus dicit, Legem nobis eſſe mortiferam: eam tamen ab omni probro vindicat, ubi malum illud accidentale eſſe docet, ideoque nobis imputandum. Fixum itaque maneat, Legem non ſolum docendi caoſa eſſe poſitam, ut homines quod rectum eſſe didicerint, ſequantur: ſed ad ipſos coargueodos propriæ iniquitatis, ut ſe perditos agnoſcant: acſi interitum ſuum ex juſta Dei vindicta in ſpeculo cernerent. Atque hæc quidem cognitio per ſe horribili deſperatione omnes obrueret, niſi ex profunda illa abyſſo emergerent. Quoniam enim veſana confidentia turgidi laudem juſte vivendi ſibi arrogant, proſterni eos neceſſe eſt: primum ut damnati, diſcant confugere ad Dei miſericordiam: deinde ut ſuæ infirmitatis convicti, Spiritus ſancti auxilium implorent, quod ſecure prius negligebant. Unde apparet ipſos utiliter à Lege occidi, & mortem quæ irrogatur eſſe vivificam. Id aotem fit duobus modis: quia cæca juſtitiæ propriæ opinione qua ſuperbiebant exuti, quod falſo putabant apud ſo reperiri poſſe, in Chriſto quærere ineipiuot, ut gratuita reconciliatione placeant Deo, quem placare ante volebant operum meritis. Secundo diſcunt ne ad minimum quidem apicem Legis præſtandum ſo eſſe idoneos, niſi regeniti Dei Spiritu, juſtitiæ vivant qui peccato erant mancipati. Atque hinc demum ſe profert utilitas & fructus doctrinæ: qoia donec renovati ſimus, & Deus pro cordibus lapideis carnea nobis indiderit, fruſtra præceptis verberantur aures, quæ pro ingenii noſtri pravitate toto affectu reſpuimos. Ubi autem intus cordibus Legem ſuam inſculpſit, ſimul prodeſt exterior doctrina: ſic enim filios ſuos gubernat Spiritu regeoerationis, ut ſimul tamen velit ad vocem quoque ſuam eſſe attentos & dociles. Cæterum quia longe ſemper abſunt à perfecta ejus obſervatione, non tantum ex ea diſcunt qoid rectum ſit, ſed gratuita miſericordia opus eſſe, ut per indulgentiam & veoiam placeant, quamvis multæ infirmitatis ſibi adhuc ſint conſcii. Porro quia videtur Paulus Legem abrogare, acſi bodie ad fideles non pertioeat, quouſque id pateat videndum eſt. Ac primo quidem colligere promptum eſt, non ſimpliciter de Lege eum diſputare, ſed eam proponere ſuis qualiratibus veſtitam, quateous Euangelio opponitur. Nam quum certamen haberet cum malis ejus ioterpretibus, non potuit effugere quin ranquam res inter ſe contrarias committeret Legem & Euangelium: non quod inter ſe pugnent, ſi quis dextre utriuſque doctrinam ad proprium finem accommodet: ſed quia ex præ-

poſtera mixtione quam ingerebant pſeudoapoſtoli, oriebatur talis conflictus. Volebant homines juſtificari operibus Legis: quod ſi fuiſſet receptum, abolebatur fidei juſtitia, atque hoc modo Euangelium concidebat. Urgebant præterea jugum veteri populo impoſitum, acſi nulla Chriſti ſanguine parta fuiſſet libertas. In hac diſceptatione neceſſe habuit Paulus tantum ſumere quod Moſi peculiare eſt, & à Chriſto ſeparatum. Quamvis enim inter ſe optime conſentiant in ſumma doctrinæ Chriſtus & Moſes, ubi tamen alter cum altero confertur, ſeorſum diſtinguere convenit quid ſit cuique proprium. Hoc reſpectu Paulus Legem vocat literalem, quia nihil Moſi injunctum fuit quam ut loqueretur Dei nomine. quod per ſe non modo inutile eſt, ſed etiam mortiferum: quia ubi vox tantum in auribus perſonat, nonniſi damnationem gignit. Deinde, Legem conſiderat promiſſionibus & minis implicitam. Unde ſequitur, ſalutem ex ea aliter non poſſe comparari, quam ſi omni ex parte ſatisfactum fuerit ejus præceptis. Vita quidem illic promittitur, ſed non niſi impletum fuerit quicquid jubet: contra vero mortem denunciat transgreſſoribus, ut ad quemlibet damnandum & perdendum ſufficiat, in minimo apice lapſum eſſe: ita fit ut omnes deſperatione obruat. Poſtremo quia ceremoniæ, quibus Deus veterem populum, tanquam rudimentis puerilibus, ad fidem Euangelii formavit, Legi fuerunt annexæ, eas etiam Paulus complectitur in comparatione Legis & Euangelii. Hinc ſequitur, quatenus diſcernitur Moſes à Chriſto, miniſterium ejus ceſſaſſe, quamvis eandem quæ tandem perfunctus eſt Chriſtus, legationem obierit. De ceremoniis ſic habendum, finem ipſis impoſitum fuiſſe Chriſti adventu, ut earum veritas melius ſtabilita fuerit quam ſi uſus adhuc maneret. Nam in illis tanquam in ſpeculo agnoſcimus olim fuiſſe oſtenſum Patribus quod nunc re ipſa nobis exhibitum eſt. Unde apparet multum eos errare qui partem hanc doctrinæ quæ apud Moſen legitur, tanquam inutilem prorſus repudiant: nec magis ferendas eſſe eorum delicias qui eam faſtidiunt. Cætera quæ ad hujus loci explicationem faciunt, ex libro ſecundo Inſtitutionis, capite ſeptimo petant lectores.

2 Cor. 3. verſ. 7.

SANCTIONES A PROMISSIONIBUS ET MINIS.

Ex Levit. XVIII.

5. Cuſtodite ſtatuta mea, & judicia mea: quæ homo ſi faciat, vivet in ipſis.

Ex Deut. XXVII.

11. Præcepitque Moſes populo eo die, dicendo,
12. Hi ſtabunt ad benedicendum populo ſuper montem Garizim, quando tranſieris Jordanem, Simeon, & Levi, & Juda, & Iſſachar, & Joſeph, & Benjamin:
13. Iſti vero ſtabunt ad maledictionem in monte Ebal, Ruben, Gad, & Aſer, & Zebulon, & Nephthali.
14. Loquenturque autem Levitæ, ac dicent ad omnem virum Iſraël voce excelſa,
15. Maledictus vir ille qui fecerit ſculptile & conflatile, abominationem Jehovæ, opus manuum artificis, & poſuerit in abſcondito: & reſpondebunt univerſus populus, ac dicent, Amen.
16. Maledictus qui vilipenderit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & dicet univerſus populus, Amen.
17. Maledictus qui tranſfert terminum proximi ſui: & dicet univerſus populus, Amen.
18. Maledictus qui aberrare facit cæcum in via: & dicet univerſus populus, Amen.
19. Maledictus qui pervertit judicium peregrini, pupilli, & viduæ: & dicet univerſus populus, Amen.
20. Maledictus qui coierit cum uxore patris ſui, quia diſcooperuit oram patris ſui: & dicet univerſus populus, Amen.
21. Maledictus qui coierit cum quovis animali: & dicet univerſus populus, Amen.
22. Maledictus qui coierit cum ſorore ſua, filia patris ſui, vel filia matris ſuæ: & dicet univerſus populus, Amen.
23. Maledictus qui coierit cum ſocru ſua: & dicet univerſus populus, Amen.
24. Maledictus qui percuſſerit proximum ſuum abſcondite: & dicet univerſus populus, Amen.
25. Maledictus qui acceperit munus, ut percutiat plaga animæ ſanguinem innocentem: & dicet univerſus populus, Amen.
26. Maledictus qui non ſtabilierit verba Legis iſtius, faciendo illa: & dicet univerſus populus, Amen.

Jam ad clauſulam Legis exponendæ ventum eſt, ubi tractandæ ſunt ejus ſanctiones, tam à promiſſionibus quam à minis ſumptæ. Quamvis enim jure ſuo præciſe exigere poſſit Deus quod viſum eſt: quæ tamen ejus eſt erga homines indulgentia, eos ad libenter parendum allicere promiſſionibus voluit. Ergo quia naturaliter ſpe mercedis ducimur, ignavi ac lenti ſumus, donec fructus appareat. Sponte itaque Deus, ad excutiendam pigritiem, promittit, ſi Legi ſuæ obediant homines, ſe remuneratorem fore. Jam hæc non vulgaris eſt liberalitas, quod oblata mercede paciſci mavult quam pro imperio ſimpliciter jubere. Tenenda eſt enim Chriſti ſententia, ubi totam Legem impleverimus, nihil nos promereri: quia Deus noſtra omnia obſequia ſibi vendicat. Utcunque ergo ſupra vires conemur, ſtudiaque omnia conferamus ad ſervandam Legem: Deus tamen non ideo nobis obſtringetur, niſi quatenus ultro con-

Luc. 17. verſ. 10.

contraxit, seque voluntarium fecit debitorem. Et hoc etiam à vulgaribus theologis animadversum fuit, mercedem non ex operum dignitate vel merito pendere, sed ex pacto. Quanquam, ut paulo post videbimus, ne tantillum quidem nos juvaret ejusmodi promissio, si Deus singulis mercedem rependeret secundum opera: verum quia hic defectus adventitius est, refulget nihilominus in eo singularis Dei humanitas, quod proposita spe vitæ æternæ, nos ad obsequium animare dignatus est.

Exe. 20. *vers.* 21. Ideoque cur in munere communi alios aliis Deus prætulerit, non sum valde curiosus. Alibi Moses narrabit, tribus quæ hic separantur simul fuisse conjunctas. Probabilis forte conjectura esset, Deum quem non latebat ubi futura esset cujusque Tribus hæreditas, in ea stratione singulas locasse quæ futuræ sorti responderet. Cæterum quo plus gravitatis haberet sanctio, Levitas Deus aliis verba præire voluit, acsi loqueretur ipse è cælo. Nam quum Legi promulgandæ essent præfecti, sicuti fideliter ipsos recitare oportuit quod Deus ore suo dictaverat, ita majore attentione & reverentia fuerunt auditi.

Exemplum Israelitis ingratitudinem exprobrat, quod præcepta sua bona contempserint, de quibus dictum erat, Qui fecerit hæc vivet in ipsis. Nunc videmus ut promissionibus sanctis fuerit Legis auctoritas. Verum quia non pigri modo, sed etiam refractarii fumus, ex oppositio minas adjecit quæ terrorem incuterent, cum ad subigendam carnis contumaciam, tum ad corrigendam in qua nimium torpemus securitatem. De utrisque jam differere expedier.

Levit. 18. 5. *Custodite statuta.*] Tametsi locus hic à Mose inseritur ubi Israelitas hortatur ad colendam in connubiis verecundiam, ne ad fœdos incestus Gentium prosiliant: quia tamen insignis est, continetque generalem doctrinam, & inde à Paulo elicitur definitio justitiæ Legis: visus est huc optime quadrare: quia mercedis promissione Legem sancit ac confirmat. Spes ergo vitæ æternæ datur omnibus qui Legem servarint. nam inscite quidam de terrena & caduca vita interpretantur. Errandi causa fuit, quia metuebant ne eversa fidei justitia, salus hoc modo collocaretur in meritis operum. Atqui non ideo homines justificari operibus negat Scriptura, quod Lex mutila sit, vel non doceat perfectam justitiam: sed quia nostro vitio & culpa irrita redditur.

Rom. 10. *vers.* 5.

Rom. 10. *vers.* 4. Itaque Paulus (ut nuper attigi) dum fide quærendam esse in Christi gratia justitiam docet, hac ratione probat suam sententiam, quod nemo justificatur nisi qui

Galat. 3. *vers.* 11. præstiterit quod Lex jubet. Alibi etiam ratiocinatur à contrariis, ubi contendit Legem cum fide non congruere quoad justificandi causam: quia Lex opera postulet ad salutem acquirendam, fides autem nos ad Christum dirigat, ut liberemur à maledictione Legis. Stulte ergo multi quasi absurdum refugiunt, si quis Legem impleat, justitiam consequi: quando non à Legis doctrina, sed ab hominum infirmitate provenit

Rom. 8. *vers.* 4. defectus: sicut ex alio Pauli testimonio liquet. Verum notandum est, non aliter sperandam esse salutem ex Lege, nisi omni ex parte satisfactum fuerit ejus præceptis. Neque enim offertur vita si quis hoc vel illud fecerit, sed voce plurali plena obedientia exigitur. Nam quod de partiali justitia garriunt theologi Papales, insulsum ac frivolum est: quia Deus omnia simul præcepta complectitur. Jam ubi reperietur qui se in solidum fuisse defunctum jactet? Quod si nemo à transgressione unquam immunis fuit, vel futurus est: quamvis nos Deus minime fruatur, quia tamen pacto non stamus, in fructuosa redditur promissio.

Deut. 27. 11. *Præcepitque Moses.*] Quo plus efficaciæ haberent tam promissiones quam minæ ad permovendos omnium animos, non tantum solenni ritu eas voluit Deus promulgari: sed approbari clara populi voce, & consensu quodammodo obsignari.

Josue 8. *vers.* 33. Id fideliter à Josue præstitum fuisse, alibi refertur. Hoc in præsentia sufficiat, citatos ac productos fuisse omnes à Deo tanquam subscriptores, ut in posterum cessaret omnis tergiversatio. Divisæ autem fuerunt tribus Israël in duos ordines, ut aliæ è regione aliarum starent, & ab uno latere resonarent benedictiones, ab altero autem maledictiones quasi *ἀντιφωνως*. Porro cur Deus posteros Simeon, Levi, Juda, Issachar, Joseph & Benjamin, in benedictionis præcones esse maluerit quam alios, nescire me fateor. Nam quod Hebræi eos qui progeniti erant ex liberis matribus putant in splendidiore gradu dignitatis locatos, infirmum est: quum tribus Ruben primogeniti filii, aliis qui à bancillis originem ducebant conjuncta fuerit. Nisi forte dicamus posteros Ruben per ignominiam fuisse relegatos in secundam classem: sed quia tam maledictiones quam benedictiones totius populi nomine proferebantur, in ea re non multum est momenti. Nam si ad testandum mutuum consensum facta fuit hæc partitio, perinde valuit acsi ultro citroque omnes pariter concinerent maledictos esse Legis transgressores, benedictos vero qui eam servabant. Ideoque cur in munere communi alios aliis Deus præfecerit, non sum valde curiosus. Alibi Moses narrabit, tribus quæ hic separantur simul fuisse conjunctas. Probabilis forte conjectura esset, Deum quem non latebat ubi futura esset cujusque Tribus hæreditas, in ea stratione singulas locasse quæ futuræ sorti responderet. Cæterum quo plus gravitatis haberet sanctio, Levitas Deus aliis verba præire voluit, acsi loqueretur ipse è cælo. Nam quum Legi promulgandæ essent præfecti, sicuti fideliter ipsos recitare oportuit quod Deus ore suo dictaverat, ita majore attentione & reverentia fuerunt auditi.

15. *Maledictus.*] Hinc apparet dimidiam partem reticeri à Mose: quia benedictionum nulla fit mentio, quæ tamen priorem gradum tenebant. Forte oblique perstringere voluit Spiritus populi malitiam, qua factum est ut liber non esset ad canenda benedictionum elogia. Nam quum deberent sibi promissam mercedem alacriter amplecti, hoc honore ipsos privavit sua impietas: nec aliud fuit refusuum quam ut suas iniquitates justæ pœnæ subjicerent. Interea dubium non est, ex maledictionum forma quæ hic legitur, fuisse illis ostensum qualis servanda esset benedicendi ratio. Nam ubi contra transgressores judicium suum pronunciat Deus, inde elicitur, veris ejus cultoribus, si qui legem impleant, spem beatitudinis esse repositam. Adhæc in catalogo maledictionum qui hic refertur, notanda est synecdoche: contra blasphemos, perjuros, Sabbathi violatores, maledicos & adulteros nulla edicitur seorsum peculiaris maledictio. Apparet igitur quasdam criminum species, quæ summa abominatione dignæ erant, fuisse delectas, ut inde populus disceret transgressionem in quocunque Legis capite non fore impunitam. Nam de sculptilibus loquendo, haud dubie Dei cultum ab omnibus corruptelis asserit. Atque ita extenditur hæc maledictio ad quamlibet transgressionem prioris tabulæ. Porro dum pœnam minatur peccatis absconditis, ex eo colligere promptum est, quamvis latuerint impii terrenos judices, ac centies eorum manus effugerint, Deum tamen profanati sui cultus fore vindicem. Si quis idolum posuerit in abscondito, si quis occulte proximum suum percusserit, non trahetur ad pœnam: quæ infligi non potest nisi causa cognita, & convicto scelere. Atqui ne impunitas quempiam incitet ad peccandi audaciam, revocatur populus ad cælestè Dei tribunal, ut se in officio contineat non tantum vindictæ metu, sed propter conscientiam. Unde rursus patet, Deum non modo politicam tulisse legem quæ externos tantum mores formaret, sed quæ flagitaret veram sinceritatem cordis.

16. *Maledictus qui vilipenderit.*] Quæ sequuntur, ad secundam Legis tabulam spectant. Ac primo quidem maledictos pronunciat qui impii fuerint erga parentes. Nam verbum קלה, (quod tam Spernere quam maledicere significat) honori opponitur qui ex quinto præcepto patri & matri debetur. Deinde furta commemorat quæ ut plurimum effugiunt hominum notitiam: sicuti etiam scortationes eas tantum attingit quæ ob fœditatem sollicite teguntur. Coire cum bruto animali, cum noverca sua, vel socru, vel sorore, prodigium detestabile est, ideoque diligentius occultari solet. Atqui admonet Deus nihil profuturas esse quas impii latebras captant,

quin tandem ubi tribunal ſuum conſcenderit, probra eorum emergant. Eadem ratione non omnes homicidas maledicit, ſed tantum qui mercede conducti, ſanguinem innoxium fuderint: quæ nefario pactio vix deprehendi poteſt ut legibus vindicetur.

26. *Maledictus qui non ſtabilierit.*] Quanquam Dei conſilium ſuit reas apud ſe citare omnium conſcientias, &, ne ab humanis tantum judiciis metuerent, conſulto arcanis ſceleribus vindictam inſtare minatus eſt: quæ tamen nunc attexitur clauſula, idem judicium extendit ad alia quæ vis peccata. Imo breviter pronunciat, quicunque non præſtiterint quam Lex juſtitiam flagitat, eſſe maledictos. Unde *Galat. 3. verſ. 10.* recte colligit Paulus, omnes qui ſunt ex operibus Legis, maledictioni eſſe obnoxios. Prodeat enim vel perfectiſſimus in medium: quamlibet ſedulo enixus fuerit ad Legem ſervandam, reus tamen erit ſaltem in aliquo capite. Atque tenenda eſt Jacobi ſententia, Qui offenderit in uno, quamvis totam *Jacob. 2. verſ. 10.* alioqui Legem ſervaverit, fieri omnium reum: quia idem qui occidere vetuit & ſcortari, ſimul vetuit furari. Paulus quidem non refert ad verbum quod hic legitur: (ſic enim citat Moſis teſtimonium, Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt) verum in ſenſu nulla varietas: quia hic in univerſum damnantur omnes qui Legem Dei non ſtabilierint, ut ad extremum uſque implerent quicquid continet. Unde liquet, quacunque in parte ſe prodat defectus, ſimul trahere maledictionem: cui ſubſcribere juſſi ſunt Iſraëlitæ, ut omnes ſine exceptione perditos ſe agnoſcerent, quum eſſent maledictione impliciti. Et hodie ſimili deſperatione nos omnes ad unum percelli neceſſe eſt, ut Chriſti gratiam amplexi, ſolvamur ab hoc triſti reatu: quandoquidem factus eſt pro nobis maledictus, ut à maledictione Legis nos redimeret.

Ex Deut. XI.

26. Vide, ego pono coram vobis hodie benedictionem & maledictionem.

27. Benedictionem, ſi obedieritis præceptis Jehovæ Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis hodie:

28. Maledictionem vero, ſi non obedieritis præceptis Jehovæ Dei veſtri, ſed receſſeritis è via quam ego præcipio vobis hodie, ut ambuletis poſt deos alienos quos non noviſtis.

29. Quumque introduxerit te Jehova Deus tuus in terram quam tu ingrederis ut poſſideas eam, tunc dabis benedictionem ſuper montem Gariziim, & maledictionem ſuper montem Ebal.

30. Annon ſunt trans Jordanem poſt viam ad occaſum Solis vergentem in terra Chananæi, qui habitant in planitie eregione Gilgal, juxta campeſtria Moreh?

31. Vos enim tranſituri eſtis Jordanem, ut pergatis ad poſſidendam terram quam Jehova Deus veſter dat vobis, & hæreditabitis eam, & habitabitis in ea.

32. Cuſtodite ergo ad faciendum omnia ſtatuta, & judicia, quæ ego pono ante faciem veſtram hodie.

26. *Vide, ego.*] Nunc utrumque ſimul complectitur, beatos fore ſi ſtudium ſuum applicent ad Legem ſervandam: maledictos vero, ſi excuſſo ejus jugo, in ſuis cupiditatibus laſciviant. Quod autem dicit ſe proponere illis benedictionem & maledictionem, tantundem valet acſi teſtatus eſſet, non ſimpliciter ſe docere quid rectum ſit, ſed paratam eſſe mercedem ſi obediant; ſin minus, pœnam quoque inſtare. Ita videmus, quam hactenus tradidit doctrinam, ſpe & metu obſignari: quia neque operam ludent parendo, nec impune eam repudiabunt. Cæterum ut promiſſiones certo amplecti & minas timere diſcant, repetit quod antea vidimus, Deum eſſe Legis auctorem, qui & fidelis remunerator eſt, & ſeverus judex: ſimul tamen miniſterium ſuum commendat, quia ſic oportuit ipſos ab uno Deo pendere, & acquieſcere ejus mandatis, ut ſe tamen ejus Propheræ ſubjicerent. Ea eſt enim hominum ſuperbia, ut Dei audiendi cauſa, ſupra nubes volitare appetant: ipſe autem in ſervis ſuis, quorum ore loquitur, vult audiri. Ad hanc ergo modeſtiam rurſus eos aſſuefacit Moſes, ubi ſe præcipere refert quæ Deus mandavit, acſi ſe vocaret Spiritus ſancti organum.

29. *Quumque introduxerit.*] Similem locum nuper expoſui: qui etſi ordine poſterior legitur apud Moſen, quia tamen rem clarius explicat, non dubitavi perſpicuitatis cauſa eum anteponere. Dixi autem conſilium Dei fuiſſe, dum Iſraëlitas conſtituit judicii ſui præcones, eos ſanctius obſtringere ad ſervandam Legem. Si tantum per Levitas ſententiam ipſe tuliſſet, moveri quidem ipſos ſerio, & reverenter auſcultare decebat tam benedictiones quam maledictiones. Verum ubi ſinguli ore ſuo teſtantur quod Deo mandato dictabant Levitæ, hic conſenſus interpoſitus, quaſi ratihabitio, ad excitandum ſtudium & attentionem efficacior fuit. Cæterum hæc conteſtatio fuit opportunior poſtquam ingreſſi ſunt terram Chanaan, quam ſi peracta fuiſſet in planitie Moab. terræ enim conſpectus ad confirmationem valuit, acſi in rem præſentem adducti cum Deo paciſcerentur. Sunt autem duo iſti montes ita inter ſe oppoſiti, ut facile ſtare potuerint duæ populi claſſes ad benedicendum & maledicendum, quo Dei promiſſiones & minas conſentienter approbarent.

30. *Annon ſunt trans.*] Quanquam interrogandi uſus familiaris eſt Hebræis: hoc tamen loco vehementius affirmat Moſes quam ſi enunciative tantum dixiſſet, montes iſtos in terra Chanaan ſitos eſſe. Vult enim eos animare ad fiduciam adeundæ hæreditatis promiſſæ, ſicuti continuo poſt ſequitur, Tu tranſibis Jordanem. Etſi enim jam in Amorrhæis vincendis, & occupanda terra Baſan mirificam Dei virtutem experti erant: quæ tamen fuit illorum incredulitas, neceſſe fuit ſubinde metus & terrores illis excutere, ut dubitatione omni valere juſſa, fortiter ſe ad pergendum accingerent. Tandem ex tanto Dei beneficio materiam hortandi ſumit. Ipſa enim terræ fruitio eos magis acuere debuit ad Deum colendum: quia ejus facti erant hæredes, Legis ſervandæ cauſa.

Ex Levit. XXVI.

3. Si in decretis meis ambulaveritis, & præcepta mea ſervaveritis, & feceritis ea:

4. Dabo pluvias veſtras tempore ſuo, dabitque terra fructum ſuum, & arbores agrorum dabunt fructum ſuum.

5. Appre-

5. Apprehendetque vobis tritura vindemiam, & vindemia apprehendet ſementem: comedetiſque panem veſtrum ad ſaturitatem, & habitabitis confidenter in terra veſtra.

6. Dabo namque pacem in terra, & dormietis, neque erit exterrens: auferamque beſtias malas è terra, & gladius non tranſibit per terram veſtram.

7. Et perſequemini inimicos veſtros, cadentque coram vobis gladio.

8. Perſequentur quinque ex vobis centum, & centum ex vobis decem millia perſequentur: & corruent inimici veſtri coram vobis gladio.

9. Vertam enim me ad vos, & creſcere faciam vos, atque multiplicabo vos, ſtabiliamque pactum meum vobiſcum.

10. Et comedetis vetus inveteratum, & vetus propter novum educetis.

11. Et ponam tabernaculum in medio veſtri, neque abominabitur vos anima mea.

12. Ambulabo autem in medio veſtri, eroque vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum.

13. Ego Jehova Deus veſter qui eduxi vos de terra Ægypti, ne eſſetis illis ſervi: & confregi lora jugi veſtri, & incedere feci vos erecta facie.

Repetitio Ex Deut. XXVIII.

1. Et erit, ſi audiendo audieris vocem Jehovæ Dei tui, ut cuſtodias ad faciendum omnia præcepta ejus quæ ego præcipio tibi hodie: tunc conſtituet te Jehova Deus tuus ſuperiorem omnibus gentibus terræ.

2. Et venient ſuper te omnes benedictiones iſtæ, apprehendentque te, ſi modo obedieris voci Jehovæ Dei tui.

3. Benedictus eris in urbe ipſa, & benedictus eris in agro.

4. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus jumenti tui, fœtus boum tuorum, & greges ovium tuarum.

5. Benedictum caniſtrum tuum, & conſperſio tua.

6. Benedictus eris in tuo ingreſſu, & benedictus eris in egreſſu tuo.

7. Dabit Jehova hoſtes tuos qui inſurrexerint in te, percuſſos coram te: per viam unam egredientur ad te, & per ſeptem vias fugient coram te.

8. Mandabit Jehova tecum benedictionem in horreis tuis, & in omni ad quod miſeris manum tuam: & benedieet tibi in terra tua quam Jehova Deus tuus dat tibi.

9. Statuet te Jehova ſibi in populum ſanctum, quemadmodum juravit tibi, quum cuſtodieris præcepta Jehovæ Dei tui, & ambulaveris in viis ejus.

10. Tunc intelligent omnes populi quod nomen Jehovæ invocatum ſit ſuper te, & timebunt ſibi à te.

11. Et abundare faciet te Jehova in bonum fructu ventris tui, & fructu jumenti tui, & fructu terræ tuæ, ſuper terram quam juravit Jehova Patribus tuis ſe daturum tibi.

12. Aperiet Jehova tibi theſaurum ſuum optimum, cælum, ut det pluviam terræ tuæ in tempore ſuo, & benedicat omni operi manus tuæ: & mutuabis gentibus multis, tu vero non accipies mutuum.

13. Ponetque te Jehova in caput, & non in caudam, eriſque duntaxat ſurſum, & non deorſum: quando obedieris præceptis Jehovæ Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie ut cuſtodias & facias:

14. Neque receſſeris ab omnibus verbis quæ ego præcipio vobis hodie, ad dextram aut ad ſiniſtram, eundo poſt deos alienos ut colatis eos.

Levit. 26. 3. *Si in decretis meis.*] Nunc tractandi ſunt nobis duo inſignes loci, in quibus ex profeſſo diſſerit quam mercedem ſperare debeant Dei cultores ex obſervatione Legis, & quales pœnæ tranſgreſſores maneant. Antehac quidem admooui, quicquid nobis promittit Deus, ſi in præceptis ejus ambulemus, fore irritum ſi npera noſtra ſummo jure examinet. Hine fit ut Legalibus pactis renunciandum ſit, ſi quid cupimus gratiæ apud Deum conſequi. Verum quia fidelium opera, utcunque vitioſa ſint, intercedente venia nihilominus placent Deo: inde etiam pendet promiſſionum effectus, dum conditionæ in Lege præciſa eſt, temperatur. Ergo dummodo aſpireot & cooentur, eorum ſtudio, quamvis imperfecto, perinde rependitur merces acſi in ſolidum officio defuncti eſſent. Nam quia fide ſepeliuotur eorum vitia, quod gratuito largitur Deus, mercedis nomine commendat. Ergo ambulare in præceptis Dei, ooo præciſe tantundem hie valet ac præſtare quicquid Lex imperat: verum ſub boc verbo iocluditur Dei indulgentia, qua filios ſuos tolerat, eorumque vitiis ignoſcit. Ideoque apud fideles fructu oon caret promiſſio, dum ex animo ſtudent ſe Deo conſecrare, quamvis à perfectione adhue longe abſint: ſecundum Prophetæ doctrioam, Parcam illis, quemadmodum pater filio parcit dum ſervit ei. acſi diceret, eorum obſequium noo quia mereatur ſibi fore gratum, ſed quia illud paterno favore proſequetur. Unde apparet quam ſtulta imaginatione ſuperbiant qui Deum quaſi ex pacto ſibi facere volunt debitorem. Quod autem remuneratio cujus nunc fit mentio, fere reſtringitur ad terrenam & caducam vitam, pars eſt Legalis pædagogiæ. Sicuti enim veteri populo ſub umbra & imagine prnpoſita fuit ſpiritualis Dei gratia, ita eadem ratio tam in pœnis quam in præmiis valuit. Reconciliatio cum Deo ſanguine pecudum repræſentata fuit, variæ fuerunt expiationum formæ: ſed tantum externæ & viſibiles, quia nondum in Chriſto apparuerat veritas. Eadem igitur de cauſa, quia nondum tam luculenta & familiaris vitæ æteroæ & ultimæ reſurrectionis Patribus obtigerat cognitio, ut nune in Euaogelio refulget: *Mal.* 3. *verſ.* 17.

Deus

Deus externis documentis ut plurimum oſtendit, ſe vel propitium eſſe vel offenſum populo ſuo. Quia hodie non palam, ut olim, ſcelera Deus ulciſcitur: colligunt fanatici homines eum prope mutaſſe naturam. Imo hoc prætextu Manichæi finxerunt Deum Iſraëlis diverſum à noſtro. Hic autem error ex craſſa & turpi inſcitia naſcitur: quia dum modum agendi non diſcernunt, Deum ipſum impie diſcerpere non dubitant. Terra hodie non dehiſcit ut rebelles abſorbeat: non fulminat è cælo Deus ſicuti adverſus Sodomam: non accendit ignem in urbibus ſceleratis ſicuti olim in caſtris Iſraëlitarum: non ebulliunt immiſſi ſerpentes qui lethales morſus infligant: denique non verſantur quotidie ante oculos tam manifeſta pœnarum exempla, quæ Deum formidabilem oſtendant: nempe quia longe clarius in auribus noſtris detonat vox Euangelii, quaſi tubæ clangor, qua citamur ad cæleſte Chriſti tribunal. Ergo ad illam ſententiam contremiſcere diſcamus, quæ à regno Dei exterminat omnes ſceleratos. Sic ex oppoſito non apparet Deus, ut olim, ſuorum remunerator in terrenis benedictionibus: nempe quia mortui ſumus, & vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: quia nos configurari capiti noſtro oportet, & per multas afflictiones ingredi in regnum cælorum. Itaque quo pluribus miſeriis premimur, eo alacrius attollere ſurſum capita noſtra convenit, donec in ſocietatem ſuæ gloriæ nos Chriſtus colligat: & in curſu vocationis noſtræ pergere, propter ſpem quæ nobis repoſita eſt in cælo: denique abnegata impietate, & mundanis deſideriis, ſobrie & juſte & pie vivendo expectare beatam ſpem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti.

1 *Tim.* 4. *verſ.* 1. Verum quidem eſſe fateor quod docet Paulus, pietatem holde quoque habere promiſſiones tam præſentis quam futuræ vitæ. Et certe fideles beatitudinem qua ad ſatietatem uſque in cælo fruentur, jam in terra deguſtant. Deus quoque in hunc finem ſua adverſus impios judicia exercet, quæ nos extremi judicii admoneant. Sed perſpicuum interea eſt diſcrimen illud quod attigi: quia ut vitam cæleſtem patefecit nobis Deus in Euangelio, ita nos illuc recta vocat: Patres autem per gradus deduxit. Hac ratione alibi docet Paulus, fideles in hoc mundo affligi

2 *Theſſ.* 1. *verſ.* 5. in oſtenſionem juſti judicii Dei, ut digni habeantur regno ejus, pro quo patiuntur, ſiquidem juſtum eſt apud Deum retribuere, &c. In ſumma, ne magis miremur bonis ſolum temporalibus Iſraëlitas allici &

Geneſ. 47. *verſ.* 1. *Pſal.* 39. *verſ.* 13. *Hebr.* 11. *verſ.* 16. pœnis terreri, quam terram Chanaan æternæ hæreditatis fuiſſe illis ſymbolum, in qua tamen ſe inquilinos eſſe confeſſi ſunt: unde Apoſtolus ſcite colligit, quæſtiſſe meliorem patriam. Atque ita reſellitur eorum delirium qui caduca felicitate Patres fuiſſe contentos volunt, acſi Deus illos in caupona ſaginaret. Manet tamen illa quam notavi diſtinctio, quod Deus in beneficiis & pœnis temporalibus tunc magis innotuit pater & judex, quam poſt Euangelii promulgationem.

4. *Dabo pluviaſ.*] Poterat verbo uno promittere largam annonæ copiam: ſed quo illuſtrior ſit ejus gratia, recenſentur quæ ad victum ſuppeditandum adhibet inſtrumenta. Panem nobis ſuggerere poſſet, ſicuti olim Man è cælo pluere fecit: verum ut aſſidue nobis occurrant paternæ ejus ſollicitudinis ſigna, poſtquam ſemen jactum eſt, terra è cælo pluviam deſiderat: & ita ordinatæ ſunt temporum vices, ut ſinguli dies memoriam beneficentiæ Dei renovent. Hac ratione pluviæ fit mentio, aut frugum proventuum: continua quoque ſeries trituræ, vindemiarum, & ſementis, uberrimam tritici & vini copiam ſignificat. Nam ſi exigua ſit meſſis, non multum erit negotii in quo ſe occupent agricolæ: ſi tenues ſint vindemiæ, hinc quoque triſte otium. Ubi autem pronunciat Deus, à meſſe uſque ad ſationem fore illis continuam materiam in qua ſe exerceant, annum fertilem ſperare jubet: ſicuti mox ſequitur, Comedes panem tuum ad ſaturitatem uſque. Verum quia ſine pace nulla jucunda eſt proſperitas, tranquillos fore dicit, & ab omni perturbatione immunes. Idque diligenter notandum eſt, adeo ſine condimento tranquilli ſtatus inſipida eſſe Dei beneficia, ut inquietudine nihil ſit miſerius. Summa eſt, veris Dei cultoribus non modo repoſita eſſe apud ipſum alimenta, ſed placidam & ſuavem eorum fruitionem: quia in manu ejus eſt & arbitrio noxas omnes procul abigere. Videntur tamen hæc non ſatis inter ſe congruere, neminem fore qui ipſos exterreat, & ſuperiores fore ſuis hoſtibus, ut decem ſufficiant ad fugandos centum. Quorſum enim robur militare ad hoſtes pellendos, ſi nulli ſint moleſti? Verum ſi disjunctive accipere liceat poſterius membrum, nulla erit abſurditas: nempe, ſi contingat bellum ipſis inferri, feliciter pugnaturos. Quanquam magis expedita eſt hujus nodi ſolutio, quod illis paulo poſt neceſſe erat cum ingenti hoſtium multitudine confligere, ut terram acquirerent. Quod autem ſingulare hoc tranquillæ & ſecuræ vitæ bonum Prophetæ accommodant ad regnum Chriſti, hinc colligitur promiſſiones quæ ex Legis natura nullum haberent effectum, fidelibus tamen eſſe utiles: quia ubi eos Deus ſibi reconciliavit, liberaliter etiam largitur quæ meriti non ſunt: & tamen ſinul remuneratur qualecunque eorum obſequium.

9. *Vertam enim me ad vos.*] Vertere ſe dicitur Deus ad populum cujus fovendi & ſervandi curam ſuſcipit: ſicuti rurſum, ubi deſerit qui ſe ab eo alienarunt, dicitur ab illis eſſe averſus. Hinc doctrina trita apud Prophetas, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: qua Deus admonet, ſe non fruſtra eſſe pollicitum quod hic legimus. Oculi ergo Dei ſuper juſtos, ut paſtum ſuum erga eos ſtabiliat, pro ipſorum ſalute excubando. Verum hinc ſimul docemur, ubi à Deo diſcedimus, irritum noſtra culpa fieri ejus fœdus: quod Iſraëlitis exprobrat Jeremias. *Jer.* 31. Itaque ut firmum & efficax maneat Dei fœdus, non *verſ.* 16. tantum cordibus noſtris Legem inſculpi neceſſe eſt, ſed alteram quoque gratiam accedere, ut iniquitatum non recordetur. Ubi dicit, Comedetis vetus inveteratum, rurſus abundantiam commendat: quia ut novis frugibus inhiare cogit inopia, ſic magnum opulentiæ ſignum eſt, vetuſtum triticum ex horreo, & vinum ex cella promere. Largitatis autem continuatio notatur in fine verſus, ubi dicit non fore locum novis frugibus, niſi penuaria ſua vacuent: quia fieri poſſet ut poſt annum ſterilem, exinanitis omnibus apothecis, nulla nova annona in locum veteris ſuccederet.

11. *Et ponam tabernaculum.*] Alludit quidem ad ſanctuarium viſibile ubi colebatur: docet tamen, re ipſa perſpicuum fore, non fruſtra ſe elegiſſe apud ipſos domicilium: quia virtutem ſuam claris documentis ad eos juvandos & ſervandos exeret. Denique ſignificat, ſanctuarium non fore inane præſentiæ ſuæ ſymbolum, quia reſpondebit veritas: quod magis confirmat proximo verſu, ubi dicit, ſe ambulaturum inter ipſos. Nondum enim pervenerant in ſtationem quietam: ideoque opus habebant ipſo duce, ut iter proſperum facerent. Etſi autem diſertis verbis non exprimit ſecundum Spiritum beatos fore: dubium tamen non eſt, ubi ſe illis fore in Deum promittit, quin ſupra mundum eos attollat. Continet enim, Chriſto interprete, hæc loquutio, Ero vobis in Deum, ſpem æternæ immortalitatis: quia is qui fons vitæ eſt, non eſt mortuorum Deus. Itaque vera & ſolida felicitas quæ delineata fuit ſub figuris, nunc promittitur. Hac ratione David, licet magnifice terrenas *Pſal.* 23. Dei benedictiones prædicet, clauſula tamen annexa *verſ.* 6. demonſtrat, ſe in illis non ſubſiſtere. Miſericordia Dei (inquit) ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ; ut habitem in ſanctuario Dei, in longitudinem

nem dierum. Et alibi poſtquam beatos eſſe dixit quibus Deus omnia abunde largitur, mox quaſi explicandi gratia, addit, Beatus populus cujus Jehova eſt. Tandem in memoriam revocat ſe fuiſſe eorum liberatorem, ut ex ſuperiori tempore certo ſtatuant continuum fore gratiæ ejus curſum, modo pergant ipſi in vocationis ſuæ ſtadio.

Pſal. 144. *verſ.* 15.

Deut. 28. 1. *Si audiendo audieris.*] Aliis verbis idem docet quod antea: ſed tam ipſa ſermonis varietas quam repetitio ad confirmationem valet. Primo dicit Deum ita liberaliter cum ipſis actaturum ut præcunctis populis excellant. Hic enim eſt verborum ſenſus, præ toto reliquo mundo inſignes fore ſingularibus Dei beneficiis. Poſtea benedictiones quæ nunquam ab ipſis recedent, ſi perſtiterint in cultu Dei, commemorat. Ubi notandum eſt, commoneſieri, non ſolum quot modis beneficus ſit Deus erga ſuos cultores, ſed quot neceſſitatibus ſint obnoxii qui aſſidua & innumera ejus auxilia flagitant. Nam ſi benedicimur in agro & urbe, pedem movere non poſſumus, ſicuti nec ſtare, niſi ejus beneficio. Eodem ſpectat totus catalogus, in ſingula momenta nobis inſtare rerum omnium inopiam, niſi ſubinde miſſis è cælo remediis Deus ſuccurrat: nec aliunde quam ab unico illo fonte fluere quicquid eſt bonorum.

9. *Statuet te Jehova.*] Refertur quidem hoc ad terrena beneficia, quaſi diceret Moſes, ex illis perſpicuum fore Dei amorem erga electum populum: altius tamen conſcendit, ut Iſraëlitæ per gradus deducti, ſolum Deum amplexari diſcant, & in eo acquieſcere: ſecundum fœdus quod Deus cum Abraham pepigerat, Ego merces tua magna valde. Neque enim in hunc modo finem ſegregati ſunt Abrahæ filii, & electi in populum ſanctum, ut bene ſaturi, ventreque referto, nihil niſi terrenum ſpirarent: ſed ut certo perſuaſi eſſent, ſe tam in morte quam in vita beatos eſſe. Etſi autem gratuita fuit populi adoptio: quia tamen ad mundi tiem vocati erant, non abs re promittit Deus ſtabile fore quod promiſerat, ſi Legem ſervando, perſtent ipſi Iſraëlitæ in fœdere: quaſi diceret, ſanctificationem eorum firmam & perpetuam fore, ſi ambulent in præceptis Legis. Quod addit, palam fore omnibus populis invocari ſuper ipſos Dei nomen, tantundem valet atque ipſos eſſe ſub Dei tutela & patrocinio, atque ita ejus protectione ſemper fore incolumes & tutos.

12. *Aperiet Jehova.*] Iterum repetit, multiformem Dei beneficentiam lucere in vita hominum: quia non tantum panem ſuppeditat quo veſcantur, ſed deprompta è cælo pluvia terram irrigat: atque ita tanquam ex copioſo penu vel theſauro quicquid opus eſt ad victum profert. Diſcamus ergo ſurſum & deorſum, tam in cælorum temperie, vivifico calore ſolis, pluvia, aliiſque adminiculis, quam in terræ fœcunditate, conſiderare multiplicem opulentiam quam Deus è theſauris ſuis producit. Et quum ſe labori manuum benedicturum pronunciat, hinc quoque diſcamus, nihil induſtria & maximis laboribus nos poſſe conſequi, niſi quatenus proſperum ſucceſſum Deus inſpirat: omneſque noſtros conatus abſque arcana ejus benedictione meram & irritam eſſe fatigationem. Nam quod Paulus ad ſpiritualem culturam Eccleſiæ transfert, ab ipſa natura ſumptum eſt, Qui plantat & qui rigat nihil eſt, ſed Deus qui dat incrementum. Non vult quidem Deus nos jacere inertes, ideoque exigit laborem manuum: ſed laboris fructum vult ſibi acceptum referri. Poſtquam autem de Lege tota loquutus eſt, ac vetuit declectere ad dexteram vel ad ſiniſtram, præcipuum caput perſtringit, ne deficiant poſt deos alienos. Quare ſumma huc redit, ut proſequatur Deus quæ erga nos cœpit gratiam, debere nos viciſſim ejus imperio prorſus eſſe addictos. Id quidem verbo à nobis flagitat, ſed ut præſtemus Spiritus ſui virtute efficit: non quidem ut in ſolidum ſatisfaciamus officio, ſed ut ad metam enitamur: quum autem longe à perfectione abſimus, indulgentia ſua ſufficit quod nobis deeſt. Hic tamen movetur difficilis quæſtio, ſi ex peculiari Dei benedictione qua ſuos cultores dignatur, fluit omnis proſperitas, unde multis ejus contemptoribus ſoboles, lætum otium, frugum abundantia, vitæ amœnitas, & deliciæ, honores & potentia? Reſpondeo, felicem quem ſervis ſuis aſſignat vitæ ſtatum, non obſtare quominus ſuam largitatem promiſcue diffundat in totum humanum genus. Vere in Pſalmo vocatur hominum & brutorum animalium ſervator: vere alibi dicitur, ſuper omnes creaturas extendi ejus miſericordiam: vere Chriſtus immenſam ejus bonitatem commendat, quod ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Sed exclamatio Prophetæ perræque vera eſt, Quam magna multitudo bonitatis tuæ ô Deus, quæ recondita eſt timentibus te! Nam quum omnes ſine exceptione omnibus vitæ ſubſidiis fruantur, refulget communiter etiam erga impios ejus bonitas, quæ hic luctatur cum hominum malitia, ut quos creavit, fovere & tueri non deſinat, quantumvis indignos. Quod ergo impius benefacit, proprium creatoris eſt. Adhæc, ut ſuſpenſas teneat fidelium mentes ultimi judicii expectatione, confuſe nunc multa miſceri patitur: & ſuum judicium quaſi noctis caligine, vel ſub nebulis ſaltem occultat. quanquam ita ſuam erga reprobos patientiam temperat, ut in hac quam dixi confuſione ſigna quædam iræ & favoris appareant. Itaque licet mundi gubernatio nondum ad perfectam normam ſit compoſita, Deus tamen in ea ſe tam ſcelerum ultorem quam juſtitiæ remuneratorem oſtendit, & in tenebris emicant ſcintillæ: fideleſque, licet ad ſatietatem uſque non fruantur beneficentiæ ſibi promiſſa, eam tamen quatenus expedit, deguſtant. Ad impios vero, quamvis diffluant omni bonorum copia, ne gutta quidem bonitatis Dei pervenit: quia niſi in Dei beneficiis animo concipitur paternus ejus favor, ipſa benedictio evaneſcit. Imo quo magis ſe ingurgitant, extitialem ſaginam contrahunt: & Deus conſulto ipſos attollit, ut è ſublimi gravius præcipitet. Denique paſcuntur, ut eſt apud Prophetam, in diem mactationis. Tenendum igitur eſt, benedictiones quas Deus hic ſervis ſuis promittit, ſpirituali ſale ab ipſo condiri, ne inſipidæ ſint: reprobos vero qui ſenſu deſtituuntur gratiæ Dei, omni quoque ejus benedictione privari. Supereſt tamen adhuc ſcrupulus, quia hæc de qua agitur felicitas, non ſemper, neque æquali modo obtingit Dei ſervis: imo ſub Lege quoque multis moleſtiis & ærumnis duriter fuerunt exercitati. Reſpondeo, quum nemo unquam vel ſanctiſſimus, integer fuerit Legis obſervator, nemo etiam ab omni transgreſſione purus, non mirum eſſe ſi aliqua tantum ex parte potiti ſunt benedictionibus promiſſis: quia plenitudinis non erant capaces. Quod ſiquando aſperius contingit eos caſtigari quam impios, in eo quoque nihil abſurdi: quia Deus judicium à domo ſua inchoare ſolet. Cæterum in hac quoque miſtura cernitur quod Propheta docet, juſtos nunquam derelinqui, eſſe tanquam oleas virides & fructuoſas in atriis Domini: impios vero, quamvis ad tempus emineant tanquam cedri Libani, momento tamen evelli radicitus, ut ne veſtigium quidem appareat.

1 *Cor.* 3. *verſ.* 6.

Pſal. 36. *verſ.* 7.
Pſal. 145. *verſ.* 17.
Matth. 5. *verſ.* 45.
Pſal. 31. *verſ.* 20.

Joſ. 10. *verſ.* 3.
1 *Pet.* 4. *verſ.* 17.
Pſal. 37. *verſ.* 45.
Pſal. 92. *verſ.* 10.

Ex Deut. VII.

9. Scias quod Jehova Deus tuus, eſt Deus fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & cuſtodientibus præcepta ſua, uſque ad mille generationes:

10. Et rependens odio habenti ipſum, in faciem ejus, ut perdat eum: neque tardabit, odio habenti ipſum, in faciem ejus rependet ei.

11. Cuſtodias ergo præcepta, & ſtatuta, & judicia quæ ego præcipio tibi hodie, ut ea facias.

12. Et erit, propterea quod audieritis judicia iſta, & cuſtodieritis, feceritiſque ea: cuſtodiet Jehova Deus tuus tibi pactum, & miſericordiam de qua juravit Patribus tuis.

13. Diliget quoque te, & benedicet tibi, multiplicabitque te: benedicet namque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, & muſto tuo, & oleo tuo, fœtui boum tuorum, & gregibus ovium tuarum, in terra quam juravit Patribus tuis ſe daturum tibi.

14. Benedictus eris præ cunctis populis: non erit in te infœcundus, neque infœcunda, neque in jumentis tuis.

15. Auferetque à te Jehova omnem morbum, & omnes ægritudines Ægypti peſſimas quas noſti: non ponet illas in te, ſed ponet eas in omnibus qui te oderint.

9. *Scias quod Jehova.*] Poteſt etiam legi verbum non minus commode in futuro tempore. Quod ſi placeat, notatur experimentalis (quam vocant) cognitio: acſi diceret, Deum re ipſa palam facturum quam fidus ſit remunerator ſuis cultoribus. Si autem magis arrideat diverſa lectio, hortatur eos Moſes ut Deum ſtatuant judicem hominum in cælo ſedere, ut tam vindictæ metu terreantur, quam alliciantur ſpe mercedis. Cæterum ſententia hæc annexa fuit ſecundo præcepto, & illic expoſita: nam quatenus ſub decem verbis comprehenſa erat, fas non fuit inde eam avellere. Nunc vero ſeorſum ad fanciendam totam Legem repetita, in hunc locum apte inſeritur. Non pigebit tamen quæ illic fuſius explicui, breviter attingere. Primum gradum obtinet promiſſio: quia Deus humaniter invitare mavult ſuos quam terrore cogere ad obſequium. Pacto autem ſubjicitur miſericordia, ut ſciamus mercedem quam ſperare debent fideles, non pendere ex operum meritis, quandoquidem indigent Dei miſericordia. Quanquam poteſt ita reſolvi oratio, Cuſtodiens pactum miſericordiæ, vel, Pactum in miſericordia fundatum, vel, Miſericordiam quam pepigit. Quod autem prius à fidelibus requiritur, ut Deum diligant, quam ut cuſtodiant ejus præcepta: hinc docemur, fontem & cauſam obedientiæ, amorem eſſe quo Deum ut patrem amplectimur. Quomodo autem in mille generationes, ſatius eſt ex ſecundo præcepto petere: quia non poteſt ea res paucis verbis perſtringi.

10. *Et rependens odio.*] Hic nulla fit mentio vindictæ in tres & quatuor ætates. Cæterum qui exponunt Deum impiis beneficia conferre dum in hoc mundo ſunt ſuperſtites, ut tandem ultimo interitu eos perdat, nimis violenter torquent verba. Nec probabile eſt quod afferunt alii, Deum in facie ſua vel in ira rependere impiis mercedem odii. Faciem ergo eorum interpretor quorum contumaciæ Deus ſe opponit, dum proſternit arrogantiam. Alludit enim ad eorum ſuperbiam ac audaciam: quia non dubitant Deum ultro laceſſere, acſi ad confligendum animo vel potentia deſtitueretur. Pronunciat ergo, nihil eos proterviæ illa & frontis duritiæ profuturam, quin oris improbitatem & frontis impudentiam dejiciat. Significat autem eos certo ſenſuros quod ſpernunt judicium, acſi ante oculos illud repræſentaret. Addit præterea, non acturum ſe cum impiis qua ſolet cum filiis ſuis clementia. Nam hos ita caſtigat ut ſemper in ſalutem utilis ſit moderatio, illis vero pœnam exitialem denunciat: quia etſi videtur eundem erga utroſque communiter tenere modum, dum temporales pœnas infligit, quod tamen fidelibus cedit in medicinam, reprobis præludium eſt æterni interitus. Porro quod dicit ſe vindictam ſumpturum abſque mora, videtur non congruere cum aliis Scripturæ locis, ubi pronunciat ſe tardum eſſe ad iram, clementem, & longæ patientiæ. Deinde videtur quoque experientia refelli: quia non ſtatim profilit ad exigendas pœnas, ſed lente progreditur, ut moræ tarditatem gravitate compenſet. Atqui tenendum eſt quod dicitur in Pſalmo, *Pſal. 90.* mille annos quaſi diem unum eſſe in oculis ejus. Itaque ubi eum cunctari putamus, pro ſua infinita ſapientia feſtinat quantum opus eſt. Diſſimulat quidem ad tempus, ut hoc modo ad reſipiſcendum homines invitet: ſed negat moram ſe facturum: & pronunciat ſe inſtar turbinis repente venturum, ut judicia ſua acceleret, ne in ſua ſecuritate torpeant impii. Diſcamus ergo quietis & æquis animis exſpectare opportunum vindictæ tempus.

12. *Et erit, propterea.*] Videtur Deus ita ex compacto agere, ut nullam ſpem gratiæ faciat niſi mutuo reſpondeant. Et certe hæc Legalis eſt loquendi forma, ubi interponitur conditio, Deum ſuis benefacturum, ſi ita ſuis obſequiis promeriti fuerint. Sed tenendum eſt quod alibi vidimus, poſtquam Deus ita pepigit, ne irrita fit promiſſio, ipſum deſcendere ad gratuitam veniæ promiſſionem, qua indignos ſibi reconciliat. Ita prima pactio nonniſi ad damnandos homines valet. Ubi autem gratis illis offertur ſalus, ſimul grata ſunt Deo eorum opera. Verum quia mercedis cauſa eſt extra ipſos homines eorumque opera, ceſſat omnis meriti ratio: fidelibus tamen prodeſt, ſi ambulaverint in Dei præceptis, mercedem promitti: quia pro inæſtimabili ſua liberalitate perinde cum illis agit acſi aliquid afferrent mutuum. Tandem quædam favoris Dei teſtimonia commemorat, ut ſunt fœcunditas, & frugum abundantia. Quod in fine additur de morbis Ægypti, dubium eſt puſtulaſne intelligat quæ procreatæ ſunt ex ſparſa favilla, vel pediculos tam hominibus quam jumentis infeſtos; an vero ad morbos hoc extendat qui longe ante populi diſceſſum graſſati fuerant. Hoc ſecundum amplector: quia viceſimo octavo capite Deuteronomii, ubi ulcera Ægypti nominavit, continuo poſt ſubjicit morbos ani, ſcabiem & prurigi-nem. Veriſimile ergo eſt, variis morbis obnoxios fuiſſe Ægyptios, à quibus Moſes affirmat immunem fore populum ſingulari privilegio, ſi modo Legi Dei paruerit.

Ex Deut. XII.

28. Cuſtodi, & audi omnia verba iſta quæ ego præcipio tibi, ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te uſque in ſeculum, quum feceris quod bonum eſt & rectum in oculis Jehovæ Dei tui.

Hic

Hic etiam mercede ſibi obſequia populi conciliat Deus: non quod ſpes mercedis quicquam ad movendos homines per ſe valeat, ſed quo magis teneat omnes convictos juſtæ damnationis. Quid enim juvabit reſponſare, non eſſe idoneos ad præſtandum quod Deus exigit, quando appareat eos ſua culpa eſſe miſeros? Cæterum (ut ante dictum fuit) fidelibus per indulgentiam prodeſt, ubi Legem ſervaverint, promitti obedientiæ mercedem: quia illis innumeri defectus non imputantur. Fixa tamen manet hæc doctrina, ſi Legi ſervandæ ſe addicant homines, Deum, quamvis nihil debeat, fidum tamen remuneratorem fore.

Ex Levit. XXVI.

14. Si autem non audieritis me, neque feceritis omnia præcepta iſta:
15. Et, ſi decreta mea ſpreveritis, & judicia mea abominata fuerit anima veſtra, ita ut non faciatis omnia præcepta mea, & irritum faciatis pactum meum:
16. Etiam ego faciam hoc vobis: conſtituam ſuper vos terrorem, tabem, & febrem, conſumentia oculos, & dolore afficientia animam. ſeretisque fruſtra ſemen veſtrum: nam comedent illud inimici veſtri.
17. Dabo præterea iram meam in vos, & trademini coram inimicis veſtris, dominabunturque vobis qui odio habent vos: fugietisque, nec erit perſequens vos.
18. Quod ſi uſque ad hæc non audieritis me, addam corripere vos ſeptuplo propter peccata veſtra:
19. Conteramque ſuperbiam fortitudinis veſtræ, ac dabo cælum veſtrum ſicut ferrum, & terram veſtram ſicut æs:
20. Et conſumetur fruſtra fortitudo veſtra, neque dabit terra veſtra fructum ſuum, & arbores regionis non dabunt fructum ſuum.
21. Si autem ambulaveritis mecum fortuito, & nolueritis audire me, addam ſuper vos plagam ſeptuplo ſecundum peccata veſtra:
22. Immittamque in vos beſtiam agri, & orbabit vos, & ſuccidet jumentum veſtrum, ac diminuet vos, & deſolabuntur viæ veſtræ.
23. Quod ſi per hæc non recipiatis doctrinam meam, ſed ambulaveritis mecum fortuito:
24. Ambulabo etiam ego vobiſcum fortuito, & percutiam vos quoque ſeptuplo propter peccata veſtra:
25. Atque inducam ſuper vos gladium ultorem ultionis fœderis: ubi congregati eritis ad urbes veſtras, tunc mittam peſtilentiam in medium veſtri, ac trademini in manum inimici.
26. Dum confregero vobis baculum panis, coquent decem mulieres panem veſtrum in clibano uno, reddentque panem veſtrum in pondere: comedetis autem, & non ſaturabimini.
27. Quod ſi in hoc non audieritis me, ſed ambulaveritis mecum fortuito:
28. Incedam vobiſcum in ira fortuito, & corripiam vos etiam ego ſeptuplo propter peccata veſtra.
29. Comedetiſque carnem filiorum veſtrorum, & carnem filiarum veſtrarum comedetis.
30. Atque diſſipabo excelſa veſtra, & ſuccidam imagines veſtras: ponamque cadavera veſtra ſuper cadavera idolorum veſtrorum, & abominabitur vos anima mea.
31. Daboque urbes veſtras in deſolationem, ac deſolabo ſanctuaria veſtra, neque odorabor odorem quietis veſtræ.
32. Deſolabo, inquam, ego terram, ita ut obſtupeſcant ſuper eam inimici veſtri qui habitabunt in ea.
33. Vos autem diſpergam in gentes, & evaginabo poſt vos gladium: eritque terra veſtra deſolata, & urbes veſtræ erunt deſtructæ.
34. Tunc * perficiet terra Sabbatha ſua cunctis diebus quibus deſolata fuerit: vos autem eritis in terra inimicorum veſtrorum. tunc (inquam) requieſcet terra, & perficiet Sabbatha ſua.

* vel, *oblectabitur.*

35. Omnibus diebus quibus deſolata fuerit, requieſcet: quia non requievit in Sabbathis veſtris, dum habitaretis in ea.
36. Qui autem remanſerint ex vobis, inducam tenebritudinem in cor eorum in terris inimicorum ſuorum, & perſequetur eos ſonus foliï impulſi, & fugient fuga gladii, cadentque nemine perſequente.
37. Impingent autem alter in alterum tanquam à facie gladii, nullo perſequente: neque erit vobis reſiſtentia coram inimicis veſtris.
38. Et peribitis inter Gentes, & abſumet vos terra inimicorum veſtrorum.
39. Et qui remanſerint ex vobis, diſſolventur propter iniquitatem ſuam in terris inimicorum veſtrorum, atque etiam propter iniquitates patrum ſuorum cum eis diſſolventur:
40. Donec confiteantur iniquitatem ſuam, & iniquitatem patrum ſuorum, juxta præ-

varicationem ſuam qua prævaricati ſunt in me : & etiam quod ambulaverint mecum fortuito :

41. Quod etiam ego ambulaverim cum illis fortuito, & induxerim eos in terram inimicorum ſuorum : tuncque humilietur cor eorum incircumciſum, ac propitient pro iniquitate ſua :

42. Tunc recordabor pacti mei cum Jacob, & etiam pacti mei cum Iſaac, & inſuper pacti mei cum Abraham recordabor, terræ quoque memor ero.

43. Terra interim deſeretur ab eis, & perficiet Sabbatha ſua quæ deſolata eſt ab illis: & ipſi exolvent mulctam ſuam, eo quod (inquam) judicia mea ſpreverint, & decreta mea abominata ſit anima eorum.

44. Et tamen etiam hoc modo quum ipſi fuerint in terra inimicorum ſuorum, non reprobavi eos, neque abominatus ſum eos, ut conſumerem eos, irritum faciendo pactum meum cum eis : ego enim Jehova Deus eorum.

45. Sed recordabor propter eos pacti priorum, ego qui eduxi eos è terra Ægypti in oculis Gentium, ut eſſem illis in Deum : ego Jehova.

14. *Si autem non.*] Hactenus in promiſſionibus blanda invitatio propoſita fuit, ut populo Legis obſervatio amabilis & jucunda redderetur : quandoquidem ante viſum fuit, tunc demum probari Deo noſtrum obſequium ubi libenter paremus. Sed quoniam ſtimulis opus habet carnis pigrities, minæ quoque addituntur ad terrorem, quæ ſaltem extorqueant quod ſponte præſtandum erat. Videtur quidem hoc modo poſſe colligi, minis ad Legis obedientiam, quæ voluntaria eſſe debet, abſurde trahi : nam qui metu cogitur, Deum nunquam diliget : quod tamen præcipuum eſt caput Legis. Verum quod ante docui, aliqua ex parte ad ſolvendum hunc nodum valebit, Legem ſcilicet mortiferam eſſe transgreſſoribus, quia damnatione quam ſibi per vanas blanditias remitti cuperent, eos conſtringit. Quanquam in alium quoque finem proſint minæ filiis Dei, tum ut præparentur ad Deum ex animo timendum antequam fiant regeniti, tum ut poſt regenerationem quotidie ſubigantur vitioſi eorum affectus. Quamvis enim ſincere cupiant ſe totos Deo addicere, tamen cum reliquiis carnis ſuæ aſſidue illis certandum eſt. Itaque licet minæ ad reprobos terrendos proprie ſpectent, fidelibus tamen communes ſunt ad ſtimulandam eorum ſegnitiem, quatenus nondum prorſus ſunt regeniti, ſed onerantur adhuc peccati reliquiis.

15. *Et ſi decreta mea.*] Videtur hoc nonniſi ad impios & ſceleratos apoſtatas dirigi, qui à Dei cultu & pietate ex profeſſo deficiunt. Nam ſi quis infirmitate lapſus, leviter & inconſiderate delinquat, non dicetur ſpreviſſe Dei Legem, & irritum feciſſe ejus fœdus. Et certe probabile eſt, Deum conſulto de craſſa defectione loquutum eſſe, quæ erroris prætextu extenuari nequeat. interea tamen tenendum eſt, transgreſſores quicunque, ſive in totum, ſive in parte Legem violaverint, maledictioni eſſe obnoxios. Sed tempeſtive monere voluit Deus populum, quòrſum tandem profiliant qui ſumunt peccandi licentiam : deinde ex quo fonte prodeant omnes transgreſſiones. Etſi enim quiſquis peccando à via recedit, non protinus Legem repudiat, vel abominatur : ſingula tamen peccata contemptum Legis coarguunt, ac tendunt ad diſſipandum Dei fœdus. Recte ergo pronunciat fœdifragos eſſe, & ſuperbos contemptores niſi præceptis obediant. Primo autem minatur ſe conſumpturum illos timore, tabe, & aliis morbis : deinde externas calamitates adjungit, penuriam annonæ, violentos hoſtium incurſus, & rerum direptionem : de quibus ſtatim fuſius diſſerere conveniet, inter exponendum Deuteronomii locum.

18. *Quod ſi uſque ad hæc.*] Pœnarum gradus quarum hic fit mentio, oſtendunt eas ita temperari Dei clementia, ut leviter tantum caſtiget quorum nondum expertus eſt vel ſocordiam vel duritiem : verum vbi accedit pertinacia, ſimul atrocitatem pœnarum creſcere. Et merito, quia bellum apertum cum Deo gerunt qui admoniti, reſipiſcere non curant. Itaque quo magis ſibi moderatur, eo nos attentiores eſſe decet ad ejus correctiones, ut ſufficiant vel modici ictus, quos pro ſua lenitate ſuſtinet ac tolerat. Paulus dicit hypocritas coacervare ſibi theſaurum majoris vindictæ, ſi ex ejus patientia torpendi occaſionem ſumunt. Atqui minus ſunt excuſabiles qui ne ferulis quidem admoniti reſipiſcunt. Quare nos ſollicitet illa David is admonitio, ne ſimus ſimiles equis & mulis, qui non intelligunt, quorum maxilla camo & freno conſtringitur : quia multi dolores impendent reprobis. In ſumma, ſimulac manum ſuam extendere cœperit Deus ad nos percutiendos, unum remedium ejus placandi eſt docilitas. Melior quidem eſſet prudentia antevertere, & ſponte ad ipſum redire, quamvis à pœnis ſuperſedeat : ſed ubi percuſſi nihil proficimus, ſignum eſt obſtinatæ malitiæ. Minatur ergo, niſi ferulis verberati reſipiſcant, baculo ad eos percutiendos ſe uſurum. Quum dicit, Puniam vos ſeptuplo gravius, numerum non definit : ſed pro communi Scripturæ more ſeptenarium ponit, amplificandi cauſa. Proximo verſu juſtam eſſe cauſam docet cur aſperior futurus ſit : quia niſi violento modo nequeant domari. Etſi enim nomen [illegible] non ſemper accipitur in malam partem, hoc tamen loco ſignificat eos eſſe immorigeros, quia viribus ſuis ad ſuperbiendum inflantur. Nam ſicuti alibi dicit Moſes, Satur Iſraël contra Deum calcitravit, non ſecus ac equi nimia fagina ferociunt. Superbiam ergo fortitudinis eorum vocat contumaciam, in qua magis ac magis obdurefcebant, quantiſper illis parcebat Deus : proſperitas enim fecuritatem parit, qua ſtolidi homines Dei flagellis robur ſuum opponunt.

Rom. 2. verſ. 4.

Pſal. 32. verſ. 9.

Deut. 32. verſ. 15.

21. *Si autem ambulaveritis.*] Vocem קרי varie exponunt Interpretes. Chaldæus ſumit pro Duriter, acſi propoſitum illis eſſet conſligere adverſus Deum. Hieronymus reddidit, Ex adverſo mihi : ſed quum nomen hoc caſum fortuitum vel contingentiam ſignificet, viſus eſt hic ſenſus longe melius congruere. Ambulare ergo fortuito cum Deo, tantundem valet ac claufis oculis prætterire ejus judicia, imo ſe obſtupefacere, ne humilientur ſub forti ejus manu qui miſerias ſuas fortunæ aſcribunt : nam hinc indomabilis pervicacia, dum temere contingere fingit peccator quæcunque patitur. Ideo ſevera objurgatione invehitur Jeremias contra Judæos, quod putarent bona & mala non prodire ex Dei ordinatione & decreto. Nam inde concipitur belluina rabies, ut miſeri homines toto impetu ad ſe perdendos irruant. Optime itaque convenit, ſi non obſervent homines Dei judicia, imo perrumpant, ut truculentæ beſtiæ, fortuitum quoque ejus occurſum fore, ubi à dextra & ſiniſtra, ſurſum & deorſum, confuſo modo ſæviet: quod Gallice dicimus, *Aller à tors & à travers.* Hoc ergo tandem ſua ſtupida obſtinatione conſequitur peccator, ut multiplicibus pœnis attonitus, nullum malorum exitum videat. Interea dubium non eſt

Jerem. 3. verſ. 38.

quin

quin ferream populi obſtinationem perſtringat Moſes: ſicuti pronunciat David, cum manſuetis Deum fore manſuetum, cum perverſis autem quaſi retortum fore. Tantum tontem obſtinationis demonſtrat, quod ſua ſocordia ad Dei contemptum ſe inebriet peccator, dum ſenſum iræ ejus quantum poteſt à ſe avertit. Diſcamus itaque à vagis ſpeculationibus ſenſus noſtros colligere ad conſiderandam Dei manum in omnibus quas infligit pœnis: quia inde naſceretur culpæ agnitio, quæ ad reſipiſcentiam adducat. Alioqui contingeret quod videtur ſumpſiſſe Jeſaias ex hoc loco, ut ſe nunquam avertat furor Dei: ſed quum putabimus nos eſſe defunctos, manus ejus adhuc ſit extenta.

Pſal. 18. verſ. 25.

Jeſa. 9. verſ. 16.

22. *Immittam in vos.*] Dubium non eſt quin hoſtiles gentium omnium gladios intelligat, quibus miſere afflicti fuerunt Iſraëlitæ. Verum quicunque illis moleſti & infeſti fuerint, juſtos vindictæ ſuæ exequutores fore docet: ſicuti paſſim apud Prophetas affirmat ſe hoſtium populi eſſe ducem, ac ſibi militare tam Aſſyrios quam Chaldæos. Aſſyrium ſuam ſecurim, & alibi baculum furoris ſui vocat, quam agitat manu ſua: Nebuchadnezer vero, ſtipendiarium ſuum militem. Ægyptios dicit ſe evocaturum ſibilo, Chaldæos ſe excitaturum clangore tubæ. Sed quia hæc ſatis trita eſt doctrina, pluribus teſtimoniis opus non eſt. Summa eſt, bella omnia Dei imperio excitari, armari ad ejus mandatum milites, & fortes eſſe ejus virtute. Unde ſequitur, præſto eſſe innumeras copias, quarum manu quoties viſum fuerit, vindictam ſuam exequatur. Porro quum ſubinde vexati fuerint Iſraëlitæ, & crudeliter etiam oppreſſi à ſuis hoſtibus, aſſiduis illis cladibus patefacta fuit Dei veritas: ſicuti ex tanta ejus ſeveritate colligere licet quam perverſi fuerint populi mores.

Jeſa. 10. verſ. 5. & 18: 2.

Jeſa. 7. v. 17, 19. & alibi.

26. *Dum confregero vobis baculum panis.*] His verbis ſignificat Deus, quamvis eos terræ ſterilitate non puniat, ſe tamen ad eos fame conficiendos aliis modis inſtructum eſſe. Videbimus quidem poſtea, terram offenſo Deo viſcera ſua quodammodo claudere, ne alimenta producat: cælum quoque obdurеſcere, ne eam fœcundet rore, & pluvia: omnis denique cæli intemperies, terræque ariditas ſignum eſt maledictionis Dei. verum nunc longius progrediatur: quamvis inedia non laborent, fore tamen famelicos, ubi vim alendi pani abſtulerit. Hæc autem maledictio, quam alibi vidimus doctrinam confirmat, Non vivere hominem pane, ſed mandato Dei: non ſecus acſi ex ejus ore flueret facultas pani indita. Nec certe ſenſus noſtros res inanimis vegetaret, niſi arcana Dei ordinatione. Aptiſſima autem ſimilitudine utitur, baculum nominans futuram panis, qua recreantur vires hominum: quemadmodum videmus ſenes ac debiles ſcipionibus innixos incedere, qui alioqui vacillarent ac conciderent. Verum Deus in arbitrio ſuo eſſe dicit frangere baculum, ut panis nihil aliud quam ventrem oneret, vires autem non reficiat. Hanc figuram mutuatus eſt Ezechiel à Moſe, quam inculcat pluribus locis. Quanquam illic duos pœnarum modos recenſet, ſicut & alter Propheta, Seminaſtis multum, intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſaturati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis cale facti: & qui mercedem collegit, acſi miſiſſet in ſacculum pertuſum. Item, Expectaſtis amplius, & ecce diminutum eſt: intuliſtis in domum, & exſufflavi. Penuriam enim annonæ unum Dei flagellum eſſe docet: alterum vero, quod nullus ſit copiæ uſus. Concinit & Michæas: poſtquam enim dixit, Comedes, & non ſatiaberis: adjungit, Seminabis, & non metes, calcabis oleum, & non ungeris oleo, calcabis muſtum, nec vinum bibes. Verum Moſes quo magis appareat maledictio, dicit fore panis abundantiam: deinde in ipſo piniendo & coquiendo nullum fore dolum: quia decem mulieres ſimul venient ad clibanum unum, quæ ultro citroque obſervent an fideliter reddatur pondus, Intelligit ergo in eorum manu fore copiam: ubi autem referti fuerint, nullam fore ſatietatem.

Ezech. 4. verſ. 16. & 5: 17. & 14: 13. Aggæi 1. verſ. 6.

Mich. 6. verſ. 4.

29. *Comedetiſque carnem.*] Hoc aſperius flagellum magiſque formidabile eſt: quo tamen ſcimus percuſſos fuiſſe non ſemel Iſraëlitas. Incredibilis quidem eſſet hæc immanitas: ſed hinc colligimus quam horribile ſit incidere in manus Dei: ubi homines ſceleris ſceleribus addendo, iram ejus provocare non deſinunt. Hoc prodigium inter alia commemorat Jeremias, manus mulierum miſericordium coxiſſe ſuos filios, & paraſſe in cibum. Ideoque non abs re deplorat, nuſquam alibi id eſſe factum, ut mulieres vorarent fructum educationis ſuæ. Poſtrema autem obſidio Jeroſolymæ (quæ in ſummo cumulo ſcelerum quaſi ultimus actus fuit vindictæ Dei) in eas angustias miſeros qui tunc vivebant, redegit, ut promiſcue neſandis illis epulis veſcerentur. Quod deinde ſe cadavera eorum idolis permixturum denunciat, in ipſa forma pœnæ impietatem eorum manifeſtam fore docet. Mire enim ſibi in ſuperſtitionibus placent apoſtatæ, donec palam appareat Deus cultus ſui vindex. Idola autem cum mortuorum oſſibus projici in unam congeriem, perinde fuit acſi digito monſtraret Deus ſe fictitios eorum cultus abominari. Jam vero quum ultimum illis aſylum eſſet in ſacrificiis, negat quicquam in illis fore momenti ad placationem: ſub voce enim Odoris pacifici complectitur omnes expiationis ritus, quorum fiducia magis erant obſtinati. Poſtea tam exilium quam terræ vaſtitatem minatur: quibus plagis palam hebat prorſus eſſe abdicatos, ut paulo poſt iterum videbitur.

Thren. 4. verſ. 10. Threm. 2.

34. *Perficiet terra Sabbatha.*] Quo ſanctior eſſet obſervatio Sabbathi, terram Deus quodammodo ſociam fore hominibus addidit. Quum enim ſeptimo quoque anno feriaretur à ſatione, meſſe, & omni cultura, hoc exemplo homines melius incitare voluit, ut apud eos vigeret Sabbathi religio. Nunc acerbe Iſraëlitas perſtringit Deus, quod non modo Sabbathum ipſi violent, ſed ne terræ quidem permittant injuncta ſibi quiete defungi: neque enim unius anni ceſſatio fecit quominus aſſidue gemeret terra ſub indignis laboribus, quamdiu alebat ſceleratos incolas. Dicit ergo terram aſſidua inquietudine fuiſſe turbatam: atque ita caruiſſe legitimis Sabbathis, quum humeris ſuis geſtaret, non ſine gravi moleſtia, impios Dei contemptores. Cæterum, quia per ſynecdochen aliquando ſub Sabbatho notatur totus Dei cultus, obliqua exprobratione populum acriter pungit: quod non tantum ejus impietate jure ſuo fraudetur, ſed non aliter rite coli poſſit in terra ſancta quam ſi omnes inde expellat. acſi diceret ſibi hoc unum reſtare ad cultum nominis ſui aſſerendum, ubi terra purgata fuerit ſuis incolis, & in vaſtitatem redacta: quia extorta hæc ceſſatio, in locum voluntarii Sabbathi ſuccedet.

Jer. 17. verſ. 21. Exo. 20. verſ. 12.

39. *Et qui remanſerint.*] Alia ultio, quod tametſi maneant ad tempus ſuperſtites, paulatim tabeſcent. Atque hoc quidem tam ad captivos quam ad eos qui reſidui fuerint in terra referri poteſt. Antehac minatus eſt illis interitum, vel à fame, vel à gladio: nunc vero ne glorientur ſe fuiſſe elapſos, qui non fuerint ſubita morte abrepti, eos quoque lente perituros eſſe denunciat. modumque ſimul exprimit, quia trepidatione implebit eorum corda, ut nemine perſequente fugiant: ſicuti etiam apud Solomonem legitur, Et paveant ad ſonitum folii cadentis. Quibus verbis ſignificat, impios, quamvis ab externis moleſtiis liberi ſint, nihilo tamen melius habere: quia intus cæcis tormentis lacerantur. Quamvis enim ad furorem uſque profiliat eorum audacia, fieri tamen non poteſt quin mala conſcientia eos ſubinde excruciet. Reddit eos interdum ſtupidos Dei oblivio, imo ſenſum omnem exuere affectant: ſed ubi Deus ita obbruteſcere paſſus eſt, mox illis veternum

Prov. 28.

eacutit, adeoque præcipitat, ut ſint ipſi ſui carnifices. Docet autem hic locus, quo robuſtiores ſunt impii ad Dei contemptum, eo magis debilitari, ut ab umbra ſua metuant. hæc autem conditio longe miſerior quam ſtatim abſumi.

40. *Donec confiteantur.*] Quanquam de pœnis valde ſævis & atrocibus concionatus eſt Moſes, docet tamen etiam in illo formidabili rigore Deum fore placabilem: ſi modo reſipiſcat populus, quamlibet diuturnis ſceleribus ſpem veniæ ſibi abſtulerit. Neque enim quoslibet peccatores alloquitur: ſed qui ſua pervicacia, belluinoque impetu magis ac magis accenderint Dei vindictam: eos tamen beoe ſperare jubet, ſi ea animo converſi fuerint. Teneamus ergo, Dei miſericordiam perditis hominibus offerri, & qui in profunda deſperationis abyſſo ſua culpa demerſi ſunt, acſi ad ioferos uſque penetraret. Unde etiam ſequitur, pœnis omnibus quaſi ſtimulis pigros ac tardos urgeri ad pœnitentiam: plagis vero duriores ad frangendam eorum duritiem tendere. Simul tamen notandum eſt, ſingulari privilegio hanc gratiam Dei Eccleſiæ fieri: ſicuti paulo poſt diſerte Moſes cauſam aſſignat, quod Deus memor futurus ſit fœderis ſui. Unde liquet, Deum gratuitæ ſuæ adoptionis reſpectu, propitium fore indignis quos elegit. Ea quo rurſum conficitur, modo ne claudamus nobisipſis ſpei januam, quamvis innumeras mortes meriti ſimus, Deum tamen ad nos ſibi recoociliandos ultro ſemper occurrere: tantum fœdus à quo noſtra culpa excidimus, quaſi naufragii rabulam quæ nos in portum ſalvos deferat, amplectamur. Probe vero ea pendere convenit quos hic commemorat Moſes reſipiſcentiæ fructus. Primo loco ponitur confeſſio: non qualis exigitur ſub Papatu, ut ſe miſeri homines in aurem ſacrificiexonereot, quaſi peccata ſua clam vomendo: ſed qua ſe agnoſcant Dei judicio eſſe obnoxios. Opponitur autem confeſſio hæc tam obſtreperis querimoniis impiorum, quam ſubterfugiis & tergiverſationibus. Ejus exemplum memorabile eſt in Davide, qui objurgatione Prophetæ Nathan fractus, ingenue fatetur ſe peccaſſe Deo. In Patrum nomine ſcelerum magnitudinem amplificat, quia non deſtiterint longa temporum ſerie coacervare peccata: acſi patres cum filiis, & filii cum nepotibus conſpiraſſent. Nam quum Deus juſtus ſit vindex in tertiam & quartam uſque ætatem, non fruſtra jubentur ſuppliciter deprecari poſteri, ut contractum pridem reatum Deus remittat. Unde etiam perſpicitur quam parum ad filios levandos valeat patrum imitatio, qua videmus reddi minus excuſabiles: tantum abeſt ut Deus frivolum illud patrocinium admittat. Additur circumſtantia, ut transgreſſionum gravitati confeſſio reſpondeat, ne levis ſit ac defunctoria. Nam quamvis hypocritæ, ubi convicti ſunt, ſe peccaſſe non negent: fatendo tamen culpam extenuant, acſi tantum venialibus delictis eſſent obſtricti. Vult igitur Deus qualitates ipſas venire in rationem: quod idem & de obſtinatione præcipit, ne ſcilicet diſſimulent iteratas merito ſuiſſe pœnas, quia fortuito cum Deo ambulaverint. Tandem ut vera probetur converſio, per humiliationem cordis ſimulatio omnis excluditur: perinde enim eſt acſi eorum preces Deus rejiceret, donec ſincere & ex animo humiliati veniam petant. Humiliatio autem ram ſecuritati quam contumaciæ & ſuperbiæ opponitur: ſimulque confertur Circumciſioni, dum cor vocatur incircumciſum antequam ita domitum fuerit & in ordinem coactum. Nam quia Circumciſio nota diſcretionis erat inter Dei populum & profanas gentes, regenerationis quoque ſignum eſſe debuit. Quum vero Judæi, neglecta veritate, tantum in externo ſymbolo ſtulte & perperam gloriarentur, Moſes cordis præputium exprobrans, fallacem illam janctantiam refellit. Sic, teſte Paulo, niſi Legi obediatur, literalis circumciſio frivola eſt, ac vertitur in præputium. Ita perfidiæ Iſraëlitas inſimulat Moſes, quod falſo profiteantur ſe eſſe ſanctum Dei populum, dum in corde ſordes & immunditiem alunt. Et Prophetæ ſæpe exprobrant quod incircumciſi ſint corde, vel auribus: quos imitatus eſt Stephanus. Ubi vertimus, Propitient ſuper iniquitate ſua, alii longe diverſum ſenſum eliciunt. Ponitur nomen נשׂא, quod tam Iniquitatem quam pœnam ſignificat: & verbum רצה quod eſt Expiare, vel gratum habere, vel placare. Ideo quidam exponunt, Æquo animo ferant ſuam pœnam, vel gratam habeant. Mihi autem videtur Moſes pœnitentiæ ſubjicere ſtudium placandi Dei, ſine quo nunquam ſibi vere diſplicent homines, nec vitiis ſuis renunciant. Alludit autem ad ſacrificia, & ablutiones Legales, quibus ſe Deo reconciliabant. Summa eſt, ubi ſerio in gratiam cum Deo redire ſtudebunt, fore illis propitium ratione pacti ſui.

2 Sam. 12. verſ. 13.

Rom. 2. verſ. 23.

Jerem. 6. verſ. 10. Act. 44. verſ. 7. Actor. 7. verſ. 51.

43. *Terra interim deſeretur.*] Exilii pœnam rurſus inculcat, quæ erat veluti ea hæredatio: ſimulque repetit non aliter poſſe reſtitui cultum Dei in terra ſancta, quam ubi eorum inquinamentis purgata fueria: contiouo tamen poſt aſperitatem mitigat, quia ubi maxime in eos ſævire viſus fuerit, non tamen prorſus eos rejiciet. Utitur autem verbis præteriti temporis, quamvis in futurum reſpiciat: quaſi diceret, Sentieot tuncquoque ſe non fuiſſe abjectos. Ergo quaſi porrecta manu eos ad fiduciam erigit in rebus deploratis, ac jubet extremis malis afflictos, in fœdus ſuum nibilominus recumbere. In quo refulget mira & inæſtimabilis ejus bonitas, dum alienatos in peculio ſuo retinet: ſicut dicitur apud Oſeam, Vocabo non populum, populum meum. Quod autem promittit ſe fœderis ſui memorem fore propter eos, non intelligit eorum merito, vel quod ſibi favorem acquiſierint: ſed in eorum gratiam vel ſalutem, ut fœderis memoria ad eos uſque ſe extendat. Redemptio quoque additur tanquam fœderis confirmatio: acſi diceret eo ſe magis fore propenſum ad ignoſcendum, quia oon modo in fide promiſſionum ſuarum conſtanter perſeverat, ſed quoniam ſua erga eos beneficia tueri velit, & ad finem uſque perducere. Ita videmus ut miſericordiæ cauſam nonniſi à ſeipſo ſumat.

Oſee 2. verſ. 23.

Ex Deut. XXVIII.

15. Et erit, ſi non obedieris voci Jehovæ Dei tui, ut cuſtodias faciendo omnia præcepta ejus, & ſtatuta ejus quæ ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te.

16. Maledictus eris in urbe, & maledictus in agro.

17. Maledictum caniſtrum tuum, & conſperſio tua.

18. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fœtus boum tuorum, & greges ovium tuarum.

19. Maledictus eris in ingreſſu, & maledictus in egreſſu.

20. Mittet Jehova in te maledictionem, * contritionem, & † perditionem in omnibus ad quæ applicueris manum tuam, & feceris: donec delearis, & pereas velociter, propter malitiam operum tuorum quibus dereliquiſti me.

* vel, *tumultum.* † vel, *increpationem.*

21. Adhæ-

21. Adhærere faciet Jehova tibi peſtilentiam, donec conſumat te de terra ad quam tu ingrederis ut poſſideas eam.

22. Percutiet te Jehova phthiſi, & febre, & ardore, & æſtu, & gladio, & ariditate, & rubigine: & perſequentur te donec pereas.

23. Eruntque cæli tui qui ſunt ſupra caput tuum, ærei: & terra, quæ eſt ſubter te, ferrea.

24. Dabit Jehova pluviam terræ tuæ pulverem & cinerem: & è cælis deſcendet ſuper te, donec diſperdaris.

25. Dabit te Jehova cæſum coram inimicis tuis: per viam unam ingredieris ad illum, & per ſeptem vias fugies coram eo: eriſque in commotionem omnibus regnis terræ.

26. Erit præterea cadaver tuum eſca omni volucri cæli & animali terræ, nec erit qui abſterreat.

27. Percutiet te Jehova ulcere Ægypti, & morbis ani, & ſcabie, & prurigine, quibus non poſſis curari.

28. Percutiet te Jehova amentia, & cæcitate, & ſtupore cordis.

29. Palpabiſque in meridie, quemadmodum palpat cæcus in caligine, neque ſecundabis vias tuas: & eris tantummodo oppreſſus, & direptus omnibus diebus, nec erit ſervator.

15. *Et erit, ſi non.*] Hic maledictionum catalogus ſuperiore longior eſt, qui promulgatus fuerat in monte Sinai: haud dubie, quia proſpexit Dei Spiritus ſegnitiem populi pluribus ſtimulis indigere. Si mediocri tantum docilitate præditi fuiſſent, ſatis ſuperque valere debuit ad eos terrendos quod jam audierant: verum nunc apud ſegnes & oblivioſos minas ingeminat Deus, ut non tantum cogantur metuere, ſed aſſidua quoque recordatione expergefieri. Hac ratione exprimit maledictos fore in urbe & in agro, hoc eſt, intus & foris, vel domi & peregre: deinde victum eorum fore maledictum tam in grano quam in farina. Poſtea tres fructuum ſpecies enumerat, in quibus erunt maledicti: nempe ſobolem propriam, terræ proventum, & animalium fœtus: hæc enim omnia ſub voce Fructus Scriptura complectitur, ut ſatis patet ex hoc loco.

19. *Maledictus eris in tuo ingreſſu.*] Hic pronunciat Deus, quicquid tentaverint, infeliciter ceſſurum illis eſſe. Ingreſſus enim & egreſſus varias actiones ſignificat, ac totum vitæ curſum. Quod proximo verſu clarius exprimitur, ubi denunciat in omnibus negotiis fore miſeros: quia Deus quicquid aggreſſi fuerint, turbabit & corrumpet. Varie quidem exponuntur voces מחומה & מצירתי. Summa tamen huc redit, Deum illis fore adverſum, ut diſſipet ac pervertat omnia eorum conſilia ac labores. Unde docemur, quicquid conentur homines, inutile fore & evanidum niſi proſperum ſucceſſum à Deo petant.

21. *Adhærere faciet.*] Jam ad morbos deſcendit qui ſunt tanquam Dei lictores, ac tandem carnifices, ſi pertinaciter homines ſuam impietatem continuent. Ideo non ſimpliciter peſtem miſſurum denunciat, ſed etiam facturum ut illis adhæreat, ac ſemel eos amplexa, nunquam inde avelli queat. Poſſet etiam verti, Faciet Deus ut te peſtis apprehendat: ſed eodem ſenſu, peſtem ſcilicet illis fore affixam, vel agglutinatam, quæ ipſos conſumat in ipſa terra ſancta. Adjungit phthiſin vel tabem, qui morbus macie extenuat corpus, & ſuccum paulatim exhaurit. De aliis morbis verba facere ſupervacuum eſſet: tantum diſcamus, quum innumera prope ſit morborum turba, totidem præſto eſſe ſatellites ad exequendam Dei vindictam. Verum quidem eſt diverſis cauſis morbos contrahi, ac præſertim intemperie: id tamen non obſtat quominus illis Deus percutiat Legis transgreſſores, quamvis nulla appareat naturalis cauſa. Adjungit bellum, quod deſignat nomine Gladii. ſed de hac maledictione ſtatim prolixius differet. Quod autem breviter attigerat de maledictione in terræ proventu, diſtinctius per partes explicat. Ac primo quidem nomigat duas ſegetum peſtes, quæ ipſas jam matureſcentes corrumpunt, acſi panem ex ore raperent. Nam ariditas hic non pro qualibet ſiccitate terræ ponitur, ſed pro exinanitione ſpicarum, quæ à vento Orientali contingit. Rubigo ſit ex repentino ſolis æſtu, ſi fruges frigido rore madefactas percutiat. Etſi autem ex cauſis naturalibus oriuntur hæc vitia, Deus tamen naturæ auctor, pro ſummo imperio ita aërem gubernat, ut ejus intemperies certum ſit ejus flagellum.

23. *Eruntque cæli tui.*] Alias ſterilitatis cauſas enumerat, præcipue ſiccitatem. Sæpe apud Prophetas Deus ſignum favoris oſtendere volens erga populum, promittit pluviam Autumni, & Veris: alteram quæ ſationem mox ſubſequitur, alteram quæ dat incrementum frugibus antequam matureſcant. multis autem locis ejus prohibitionem minitatur. Huc pertinet quod nunc dicit, æreos fore cælos, terram vero ferream: quia neque è cælis deſſuet humor qui terram fœcundet: ipſa vero, contracta duritie, nihil ſucci vel humoris habeat ad generandum. Unde colligimus, ne guttam quidem pluviæ cadere in terram, niſi ſtillante Deo: quoties vero pluit, quaſi ejus manu terram irrigari. Notandum eſt autem quod ante vidimus, regionem Chanaan non eſſe ſimilem Ægypto, quæ hominum opera & labore irrigua eſt: ſed fœcundam eſſe cæli beneficio. Itaque Deus apud Prophetam gradus ponit notatu dignos, quum placatus fuerit populo, ſe exauditurum eſſe cælos, ut ipſi exaudiant terram: terra vero triticum, vinum & oleum, ut hæc omnia tandem exaudiant homines famelicos. Quod cælos exprimit eſſe ſuper capita, terram vero ſub pedibus, ſupervacuum non eſt: quia ſignificat ſurſum & deorſum ſibi parata eſſe arma ad vindictam exercendam, quæ undique populum urgeant. Accedit alter Propheta, licet brevius rem attingat: Propterea prohibiti ſunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum. Et vocavit ſiccitatem, &c. Alia deinde loquendi forma idem confirmat, pluviam converſum iri in cinerem & pulverem. Quanquam duobus modis exponi poteſt hoc membrum, vel quod pluvia nihilo magis fœcundabit terram quam cinis, vel quod loco pluviæ deſcendet aduſtio, acſi Deus ſparſo cinere pinguem terram arefaceret.

Oſea 2:2.

Agg. 1: verſ. 19.

25. *Dabit te Jehova cæſum.*] Quod breviter de gladio minatus fuerat, pluribus nunc proſequitur, obnoxios fore hoſtium ſuorum libidini, ut paſſim trucidentur. Ante vidimus juſto Dei judicio excitari & armari qui de Legis transgreſſoribus pœnas exigant: partem illam nunc non attingit Moſes, ſed tantum pronunciat inimicos populi fore victores, ut ſæviant, ac fugitantes perſequantur. Porro quo illuſtrius ſit Dei judicium, dicit, quum prodierint in

bellum una via, nempe exercitu in ſuos ordines bene diſpoſito, redituros per ſeptem vias: quia trepide fugiendo, huc & illuc diſpergentur. Unde colligimus, in arbitrio Dei eſſe hominum fortitudinem, ut audaciſſimos quoſque, quoties ita viſum eſt, exanimet. Ac tenendum eſt quod alibi videbimus, Quomodo perſequutus fuiſſet unus mille, & duo fugaſſent decem millia, niſi quia Deus vendidit eos, & concluſit ſub manum illorum? Atque hac ratione ſe nominat Deum exercituum, ut ſecure ſub ejus præſidio degant fideles: impii vero, & Legis contemptores, eo infeſto expaveant ad minimos quoſque motus. Quod ſequitur, fore in commotionem cunctis regnis terræ, quidam ad ludibrium referunt: quia inſultando ſolemus capita quatere, vel movere: alii vero exponunt, vagos & erraticos fore per incerta exilia. Prior expoſitio mihi magis placet. Apud Ezechielem pro tumultuoſa diſſipatione accipitur: neque repugno quin poſſit hoc modo intelligi, quæcunque gentes ipſos aggreſſæ fuerint, ad quoslibet impetus mobiles fore.

Deut. 32. verſ. 30.

Ezech. 23. verſ. 46.

26. *Erit præterea cadaver tuum.*] Hic dedecore ad mortem addito, pœna duplicatur. Sepultura enim carere probroſum eſt, meritoque inter Dei maledictiones cenſetur: ſicuti paterni favoris ſignum eſt à brutis animalibus nos diſcerni: quia ſepeliendi ritus ad ſpem reſurrectionis & immortalis vitæ nos excitat. ergo ex oppoſito, ſepulchro privat Deus quos maledicit. Cæterum, ut diximus, corporales pœnas piis & reprobis communes eſſe, idem quoque de ſepulchri privatione ſentiendum eſt: quia interdum contingit reprobos honorifice ſepeliri, ſicuti de luxurioſo divite narrat Chriſtus: piorum vero cadavera ignominioſe projici in eſcam avibus & beſtiis: ſicuti Propheta in Pſalmo conqueritur. Ea tamen permixtio non obſtat quominus Legis ſuæ contemptum ulciſcatur Deus hoc pœnæ genere, ſicuti peſte, fame, aut gladio.

Pſal. 79. verſ. 2.

27. *Percutiet te Jehova.*] Sive hunc locum intelligas de plagis inſolitis, quas Deus ſub tempus liberationis populi ſui Ægyptiis inflixit, ſive de ordinariis morbis qui ante graſſati fuerant (quod ſecundum magis probabile eſt) ſubindicat tamen Moſes, dum bis plagis percutiebantur Ægyptii, earum expertem fuiſſe Dei populum, ut hoc diſcrimen clarius Dei gratiam repræſentaret. Neque enim fieri naturaliter potuit ut eodem in loco morbi à quibus immunes erant Iſraëlitæ, ſolis Ægyptiis moleſti eſſent. Minatur ergo Deus, ſi Legem ſuam contempſerint, cum profanis gentibus. Et certe quum mirabiliter tunc augere voluerit Deus populum ſuum, minime dubium eſt quin ſanitatem & vigorem mirabili privilegio contulerit. Per morbos ani dubium eſt ſignificetne hæmorrhoidas, an dejectionem ſedis, an alium occultum morbum, qualis Philiſtinos corripuit quum Arcam fœderis tenerent captivam. Alios morbos adjungit in quibus conſpiciuotur inſignes iræ Dei notæ. Etſi autem Dei quoque filios interdum corripiunt, alibi tamen docui ſic temperari ſimiles in utriſque pœnas, ut longe alii ab aliis differant. Prodigioſis ulceribus quum Job percuſſus fœteret, viſus fuit ad tempus reprobi hominis ferre inſignia: verum quod in ſancto viro patientiæ exercitium fuit, Legis transgreſſoribus juſta eſt ſcelerum merces ex Dei maledictione.

1 Sam. 5. verſ. 6.

28. *Percutiet te Jehova amentia & cæcitate, &c.*] Pœna hæc maxime celebratur apud Prophetas, dum percutere dicitur Deus impios ſpiritu vertiginis & amentiæ, inebriare ſtupore. Porro longe patet quicquid de hujuſmodi excæcatione & furore mentis Deus pronunciat. Hinc enim fit ut ſponte ſe projiciant impii in fœdas cupiditates, nullum ſcelus exhorreant, præcipites ferantur in exitium, deſtituantur omni conſilio, quæ in manu ſunt remedia abjiciant. Etſi autem hoc vindictæ genere non adeo moveatur carnis ſenſus, gravius tamen eſt omnibus corporeis morbis, ac magis formidabile. Finxeruot Poëtæ furiis agitari ſceleratos homines ac terreri, nempe quia experientia docebat, non ſine arcano Dei impulſu illos eſſe tam vecordes, quum mente capti tanquam beſtiæ eſſent ſub hominum forma latentes. Senſerunt ergo profani quoque homines, dum conjiciuntur impii in reprobum ſenſum, illic Deum apparere juſtum ſcelerum ultorem. Idem valet in omni ſtupore: quia Dei manu proſtratos eſſe certum eſt qui in malis attoniti jacent.

Ex eodem Capite.

30. Uxorem deſponſabis, & vir alius dormiet cum ea: domum ædificabis, & non habitabis in ea: vineam plantabis, nec vindemiabis eam.

31. Bos tuus mactabitur in oculis tuis, & non comedes ex eo: aſinus tuus rapietur à facie tua, nec revertetur ad te: pecudes tuæ tradentur inimicis tuis, nec erit ſervator.

32. Filii tui & filiæ tuæ tradentur populo alteri, & oculi tui videbunt, ac deficient propter illos, tota die: nec erit fortitudo in manu tua.

33. Fructum terræ tuæ, & omnem laborem tuum comedet populus quem non noveras: & eris tantummodo oppreſſus, & confractus omni tempore.

34. Et obſtupeſces propter ea quæ videbunt oculi tui.

35. Percutiet te Jehova ulcere peſſimo in genibus & in coxis, ita ut non poſſis curari, à planta pedis tui uſque ad verticem tuum.

36. Abducet Jehova te & Regem tuum quem conſtitues ſuper te, ad gentem quam non noſti tu & patres tui: coleſque ibi deos alienos, lignum & lapidem.

37. Et eris in ſtuporem, & parabolam, & fabulam, omnibus populis ad quos deducet te Jehova.

38. Semen multum educes ad agrum, & parum colliges: quia abſumet illud locuſta.

39. Vineas plantabis, & coles: & vinum non bibes, neque colliges: quia devorabit illud vermis.

40. Olivæ erunt tibi in omni termino tuo, at oleo non unges te, quia decidet oliva tua.

41. Filios & filias generabis, & non erunt tibi: quia ibunt in captivitatem.

42. Omnem arborem tuam, & fructum terræ tuæ abſumet locuſta.

43. Peregrinus qui eſt in medio tui aſcender ſuper te ſuperne, ſuperne: & tu deſcendes inferne, inferne.

44. Ipſe mutuabit tibi, & tu non mutuabis ei: ipſe erit in caput, & tu eris in caudam.

45. Venient autem ſuper te omnes maledictiones iſtæ, teque perſequentur, & apprehendent

hendent te, donec disperdaris: eo quod non obedieris voci Jehovæ Dei tui, custodiendo præcepta ejus, & statuta ejus quæ præcepit tibi.

46. Et erunt in te in signum & in portentum, & in semine tuo usque in seculum.

47. Propterea quod non colueris Jehovam Deum tuum in lætitia, & in hilaritate cordis, propter abundantiam omnium rerum.

48. Et servies inimicis tuis quos immiserit Jehova contra te in fame, & siti, & nuditate, & penuria omnium rerum, ponetque jugum ferreum super collum tuum, donec disperdat te.

30. *Uxorem desponsabis.*] Hic denunciat, quicquid possident, hostibus fore in prædam & direptionem. Quod autem omnium erat acerbissimum primo loco ponit, eos spoliatum iri suis uxoribus. quanquam mali atrocitatem amplificat, quod hostis non tantum uxorem rapiet è sinu mariti, sed sponsam adhuc intactam stuprabit. Idem extendit ad domos & vineas. Grave enim est, videre fructum laborum nostrorum ab inimicis percipi, antequam potiri nobis datum fuerit: quia frustratio spei nostræ dolorem non parum auget. Transit deinde ad pecudes, & armenta: inde ad liberos, in quorum etiam raptu calamitatem amplificat: quia ipsis videntibus, tollentur eorum filii & filiæ, ut præ mœrore deficiant oculi, manus autem quasi mortuæ ab auxilio ferendo superfedeant. Duabus de causis prædones qui omnia eorum vorabunt, dicit illis fore incognitos: quia & minus clementiæ ac humanitatis ab exteris hominibus & barbaris sperandum est quam à vicinis. Et hac comminatione terrendi fuerunt Judæi, ne sibi tantum cum vicinis gentibus negotium fore putarent: quia in Dei arbitrio esset, populos accersere longe remotos. Tandem subjicit, nullum afflictionis modum fore, donec cladium magnitudo eos obstupefaciat.

31. *Percutiet te Jehova.*] Quum universo generi humano mors sit communis, morbis quoque obnoxium esse oportet. Nec mirum si multis miseriis quæ sunt peccati merces, subjaceat tota Adæ posteritas, quæ peccati labe infecta est. Verum quoniam paria non sunt omnium delicta, Deus quoque justum in pœnis variis exigendis modum tenet: sicuti hoc loco non de vulgaribus tantum morbis loquitur, sed quibus vindictam suam adversus Legis transgressores palam demonstret, cujusmodi sunt morbi incurabiles.

32. *Abducet Jehova.*] Hujus vaticinii eventus tandem Judæos sero docuit, non vanum terrorem fuisse objectum: quod ad superiores etiam minas patet. Nunquam enim propter locorum distantiam putassent Judæi Assyrios & Chaldæos esse Dei flagella, sicut re ipsa experti sunt: quia fidem abrogaverant servis Mosis. Multo minus autem credibile illis fuit, Regem quem creassent, captivum in longinquas regiones trahi posse. Et certe tristissima & maxime formidabilis fuit hæc pœna, quum tota eorum salus ab incolumi Regis statu penderet. Itaque Jeremias hoc malum præ aliis exaggerat, quod Christus Dei, qui spiritus erat Ecclesiæ, & in cujus umbra salvos se ubique fore sperabant, captus fuerit. Atqui id tam in Jechonia quam in Joachim & Zedechia impletum fuit. Nos itaque discamus Dei judicia non metiri proprio sensu, sed ad ea contremiscere, quamvis nos lateant. Captivitati autem additur circumstantia, ea tyrannide oppressum iri ut cogantur ligno & lapidi servire. Quamvis enim bardi ac socordes essent, vigere tamen apud eos debuit tam crassi sceleris abominatio. Hinc colligere licuit, nonnisi horribili Dei vindicta tanta necessitate fuisse constrictos. Quamvis enim illecti fuerint Gentium superstitionibus, ut eas cupide appeterent: ex quo tamen privati Dei cultu, jugum miseræ & impiæ servitutis sibi impositum subierunt, melius innotuit idololatriæ fœditas. Subest autem in his verbis antithesis, quia vero Deo se subjicere, & parere ejus Legi recusarint, fore idolorum mancipia.

Thren. 4. vers. 20.

37. *Eris in spuporem.*] Hic additur extremus malorum cumulus, adeo nihil solatii ab hominibus sensuros, ut omnes undique eorum ærumnis contumelioſe insultent. Nihil enim miseros gravius vulnerat quam hæc indignitas dum probris & subsannationibus vexantur. Esse autem cunctis gentibus in ludibrium & fabulam, id durum est tormentum. Rursum antithesis subest inter ignominiam cui ingratum populum Deus addicit, & eximiam dignitatem qua ipsum ornaverat, ut inclytus esset coram toto mundo. Itaque hanc loquendi formam frequenter imitati sunt Prophetæ: locos non citabo quia passim occurrunt.

38. *Semen multum.*] De penuria vini, tritici & omnis annonæ iterum concionatur: ejus tamen alias affignat causas. Exiguam fore messem pro larga satione denunciat, quia semen absumet locusta: tenues, imo fere nullas fore vindemias, quia vermes racemos consument: parvum fore proventum olei, quia olivæ in arboribus marcescent, ac sponte decident. Ita admonet, innumeros satellites Deo esse ad manum, per quos inedia conficiat Legis suæ transgressores. Itaque quoties videmus bruchos & locustas, aliaque animalcula in fruges grassari, atque ita perire, meminerimus Deum quasi exerto brachio victum quem dederat eripere: sicuti Joëlad monet, *Joël. 1: 4.* dum reliquum bruchi comedit locusta, & reliquum locustæ comedit aliud infectum, satis conspicuam esse Dei maledictionem. Rationem inveniunt Philosophi cur plures ex illis bestiolis oriantur uno anno quam alio: sed tenenda est Mosis doctrina, nunquam nisi Dei mandato infestas esse. Nam si Deo (ut par est) essemus morigeri, nunquam accideret tale prodigium, ut fructus terræ quos ipse filiis suis in alimentum destinavit, vilia & fœtida animalcula vorarent.

43. *Peregrinus qui est.*] Hæc vero non obscura fuit iræ Dei nota, inquilinos qui precario habitabant in terra Chanaan, ejus quodammodo fieri dominos. Scimus enim ut obstricti sint suis creditoribus qui sunt in ære alieno. Certe verum esse deprehenditur illud Solomonis, Divitem imperare pauperibus; & *Prov. 22. vers. 7.* qui mutuo accipit, fœnerantis fervum esse. Sentire ergo debuerunt Israëlitæ Deum sibi esse adversum, quum hospitibus suis essent supplices: præsertim quia pollicitus fuerat se eos locupletaturum ut aliis mutuarent. Hæc igitur conversio palam eos suarum iniquitatum convincit. Interea notandum est, tam pauperta tem quam divitias in manu Dei esse: & has quidem testari Dei favorem, illam vero numerari inter ejus maledictiones: sic tamen, ut sæpe Deus filios suos egestate castiget, vel probet atque exerceat eorum patientiam, nec tamen desinat esse pater: reprobis vero copiam largiatur, qua se exitialiter ingurgitent. Interea lucet Dei benedictio in electis, quatenus expedit: nec frustra dicitur in Psalmo, Glo- *Psal. 112. vers. 3.* riam & divitias esse in domo justi, ut largiatur & mutuo det.

45. *Venient super te.*] Non solum confirmat quæ hactenus dixit, sed spem omnem admittit levationis: quia non cessabunt Dei flagella donec resipuerint. Denunciat autem venturas esse omnes maledictiones: quia etsi non semper in unam catervam simul

coagmentantur, verum tamen eſt, multiplici quam recenſuit Moſes malorum congerie, Deum ſtipendia ſolvere legis ſuæ transgreſſoribus. Ac verbo Perſequendi ſpes omnes refugii illis adimit: ſicuti apprehendere tantundem valet ac tenaciter amplecti, ſequitur enim, Donec diſpereant. Summa eſt, impios tergiverſando non aliud conſequi quam ut ſibi accumulent graviores pœnas, quæ nunquam ſævire deſinent uſque ad eorum ioteritum. Hac ratione dicit eas in ſignum & portentum fore: nempe quia in admirationem omnes rapient. Nam qui vulgaribus & uſitatis Dei judiciis parum moventur, ad prodigia, velint nolint, coguntur attendere. Ita pœnæ notabiles & ſingulari obſervatu dignæ ſunt in ſignum & portentum. Præter Legis contemptum exprobratur ingratitudo: quia Deum oon coluerint in bilaritate & lætitia, quum large in eos eſſet beneficus. Eſt enim vitium pravi malignique ingenii non poſſe adduci ad Deum bilariter colendum, ubi ſua largitate nos iovitat. Atqui pro confeſſo ſumit Moſes, quia Deus favore ſuo Iſraëlitas præveniet, antequam ad ſumeodas pœnas deſcendat, jam bujus immanitatis fore reos, quod non ſuſtinuerint liberaliter à Deo paſci.

Ex eodem Capite.

49. Adducet Jehova adverſum te gentem è longinquo, ab extremo terræ ſicuti volat aquila: gentem cujus non intelliges linguam:

50. Gentem duram facie, quæ non attollet faciem ſuam ad ſenem, nec puero parcet.

51. Et devorabit fructum jumenti tui, & fructum terræ tuæ, donec diſperdaris: non relinquet tibi frumentum, muſtum, & oleum, fœtus boum tuorum, nec greges ovium tuarum, donec perdat te.

52. Et obſedebit te in omnibus urbibus tuis, donee concidant muri tui excelſi & muniti, quibus tu confidis, in tota terra tua: obſidebit (inquam) te in omnibus urbibus tuis, in tota terra tua quam tibi dedit Jehova Deus tuus.

53. Et comedes fructum ventris tui, carnem filiorum tuorum & filiarum tuarum, quos dederit tibi Jehova Deus tuus, in obſidione, & coartatione qua coartabit te inimicus tuus.

54 Viri teneri & delicati apud te valde, oculus invidebit fratri ſuo, & uxori ſinus ſui & reliquis filiis ſuis, quos reſiduos fecerit.

55. Ne det illis de carne filiorum ſuorum quos comedet: eo quod nihil ei relictum fuerit in obſidione, & coartatione qua coartabit te inimicus tuus in omnibus urbibus tuis.

56. Teneræ apud te & delicatæ, quæ non tentavit plantam pedis ſui firmare ſuper terram, præ delitiis & teneritudine, invidebit oculus viro ſinus ſui, filio & filiæ ſuæ.

57. Dum ſecundinas ſuas quæ egreſſæ fuerint è pedibus ſuis, & filios ſuos quos peperit: comedet clam præ egeſtate omnium rerum in obſidione, & coartatione qua coartabit te inimicus tuus in urbibus tuis.

49. *Adducet Jehova.*] Eaſdem inculcat minas diverſis verbis, venturos ſcilicet ignotos boſtes & barbaros, qui intemperanter graſſentur cum omni violentia. Ac quo ſævitiam magis amplificet, linguæ exoticæ fore dicit: ubi enim nulla eſt ſermonis communicatio, ceſſant preces, quæ interdum vel crudeliſſimos ad miſericordiam flectunt. Id vero completum in Chaldæis fuiſſe docet Jeremias, Ecce adduco ſuper vos domus Iſraël gentem è longinquo, gentem robuſtam, quæ à ſeculo fuit, gentem cujus linguam ignoras, nec percipis quid loquatur. Ex oppoſito Jeſaias, dum liberationem promittit, inter præcipua bona hoc celebrat, quod populum durum non videbunt Judæi, populum profundi labii non audient, cui lingua ſtridet abſque intelligeotia. Studuerunt enim (ut alibi monui) Prophetæ ex Moſe ſumere docendi formam: ne minas pro ſuo more ſuperbe contemnerent Judæi quas Deus Legi ſuæ attexuerat. Jam ne locorum diſtantia ſecuritatem illis inducat, celeritate dicit pares fore aquilis, qui ſubito eos obruant: ſicut Deus ſæpe iræ ſuæ miniſtros turbini & procellæ comparat. Haoc ſimilitudinem imitatus eſt etiam Jeremias, ubi repentinam cladem Judæis denunciat, quam falſa imaginatione ſolebant procul à ſe rejicere. Addit Moſes, gentem illam fore robuſtam facie, quæ nec revereatur ſenes, nec pueris ignoſcat: quod ſignum eſt extremæ feritatis. Quæ de rapinis & ſpoliatione ſequuntur, ante expoſui.

Jer. 5. verſ. 15.

Jeſa. 33. verſ. 19.

Jer. 4. verſ. 13.

52. *Et obſidebit te.*] Omnem fallacis confidentiæ materiam evertit. Urbium numerus animos inflabat, eo quod nunquam putaſſent tantum fatigationis laturos hoſtes, ut hnem pugnandi non facerent, niſi omnibus captis. Omnes igitur urbes comprehendit, quarum multitudine freti, vim hoſtilem ſpernebant. Addit, fruſtra eos confidere muris excelſis & munitis, quia vel machinis diruti corruent, vel ſponte cadent in longa obſidione. Utroque enim modo exponi poteſt locus, vel quod boſtes ſubvertent ac proſternent quicquid eſt munitionum, vel quod ſua pertinacia muros quamlibet excelſos ſuperabuot. Mibi tam diuturna obſidio quam pugnandi ſtrenuitas videtur notari. Et quæ ſequitur repetitio mali gravitatem exaggerat, quod in terra ſua & divinitus conceſſa tam violenter prementur. Crevit enim indignitas ex ipſa loci circumſtantia.

53. *Et comedes fructum uteri.*] Hæc ſunt ex portentis quorum paulo ante facta fuit mentio: feritas enim eſt deteſtabilis & pluſquam tragica, patres & matres veſci ſobolis ſuæ carnibus, cujus naturaliter inditus eſt omnium animis tantus amor, ut dum ſolliciti ſunt parentes de liberis, fere ſeipſos obliviſcantur. multi etiam occumbere non dubitaverint pro tuenda ipſorum ſalute. Imo quum fœtus ſuos bruta animalia tam diligenter foveant, quid fœdius & magis abominandum quam homines proprii ſanguinis curam abjicere? Hæc vero immanitas monſtra omnia ſuperat, ubi pater & mater quos procrearunt fœtus ingurgitant: & tamen effectu minime caruit hæc comminatio, ut alibi viſum eſt. Quo magis terreri nos decet, dum videmus Deum talibus exemplis eorum ulciſci ſcelera, quos in peculium ſibi eligere dignatus erat. Neque tamen abſque juſtiſſima cauſa tantopere in Judæos exarſit ejus ſeveritas, qui nihil ad omnes iniquitatum ſpecies reliquum fecerant, ut jam nullo modo tolerabilis eſſet eorum impietas. Tenendum omnino eſt, Eccleſiæ domeſticos quibus patefacta eſt Dei veritas, eo minus eſſe excuſabiles, quod ſcientes & volentes ejus iram provocant, continuam vero peccandi obſtinationem prorſus omni

venia

venia indignam esse. Augetur monstri fœditas, ubi dicit viros alioqui delicatos & lautitiis assuetos, præ fame adeo malignos fore ut cum uxoribus & liberis superstitibus nefarium cibum partiri recusent: sicut
Thren. 4. vers. 10. diserte exprimit Jeremias, fœminas misericordes fame ita fore rabiosas ut filios suos coquant. Atrocius etiam quod sequitur de secundinis. sic autem membranam vocant qua fœtus obtegitur in utero una cum omnibus excrementis. Cibum ergo pararé ex fœtida pelle cujus aspectus horrori est, palam demonstrat formidabilem Dei vindictam.

Ex eodem Capite.

58. Nisi custodieris ut facias omnia verba Legis hujus quæ scripta sunt in hoc libro, ad timendum nomen glorioſum istud & terribile, Jehovam Deum tuum.

59. Admirabiles reddet Jehova plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & * certas, & morbos malos & † certos.

* vel, constantes. † vel, constantes.

60. Convertetque in te omnes morbos Ægypti, à quibus timuisti tibi, & adhærebunt tibi.

61. Omnem etiam morbum, & omnem plagam quæ non est scripta in libro Legis hujus, in ducet Jehova super te, donec tu perdaris.

62. Et relinquemini pauci numero pro eo quod eratis sicut stellæ cæli in multitudinem: quia non obedisti voci Jehovæ Dei tui.

63. Et erit præterea, quemadmodum lætatus est Jehova super vos benefaciendo vobis, & multiplicando vos: sic lætabitur Jehova super vos, perdendo & delendo vos: evellemini que è terra ad quam ingredimini ut possideatis eam.

64. Et disperget te Jehova in omnes populos, ab uno extremo terræ usque ad alterum extremum terræ, colesque ibi deos alienos quos non nosti tu, neque patres tui, lignum & lapidem.

65. Neque in gentibus ipsis requiesces, neque erit requies plantæ pedis tui: dabit item illic Jehova tibi cor pavidum, & defectum oculorum, & mœrorem animi.

66. Et erit vita tua suspensa tibi eregione, ac pavebis nocte & die, neque credes vitæ tuæ.

67. Manc dices, Quis dabit vesperam? & in vespera dices, Quis dabit mane? præ pavore cordis tui quo pavebis, & præ visione oculorum tuorum quam videbis.

68. Reducetque te Jehova in Ægyptum navibus per viam de qua dixi tibi, Non addes adhuc ut videas illam: & vendet is vos illic inimicis vestris in servos & in ancillas: & non erit qui emat.

58. *Nisi custodieris.*] Quia fideles quoque, licet alioqui ad præstandam Legem voluntarii sint studiumque suum illuc applicent, impedit tamen ac moratur carnis suæ infirmitas, ne officio satisfaciant: hic requiritur attentio & cura. Custodire enim ad faciendum, tantundem valet atque sedulo & diligenter animadvertere. Pronunciat autem Deus, nisi penitus se addicant Israëlitæ ad servandam Legem, eorum negligentiæ paratam fore vindictam. Dura quidem comminatio & rigida, ubi nulla in parte remittitur delictum. Perfecta enim obedientia exigitur his verbis, ut faciant quæcunque scripta sunt in Lege. Verum memoria tenere convenit quod antea docui, Mosen tam severum fuisse exactorem, ut populus damnationis suæ convictus ad Dei misericordiam se conferret. Neque enim aliter quisquam ad Christum aspirat, quam si abdicata operum fiducia, totam spem salutis in gratuita venia reposuerit. Cæterum Legis transgressores ita manet quæ hic scribitur maledictio, ut filiis suis ignoscat Deus, & simul eos interdum castiget: in reprobos autem exerceat quam merentur vindictam. Perstringitur autem fons & caput obedientiæ, quum dicitur, Ut timeas Jehovam: fumi enim sunt omnes virtutes quæ non manant ex timore Dei. Atque ut contemptus excusatione careat, vocatur nomen Dei glorioſum; & terribile. Nimii enim stuporis est, ubi palam se profert Dei majestas & gloria, non affici qua decet veneratione, ut coram ipso humiliemur. Porro aliquid graviusminatur quam antea, ubi dicit plagas tam in patribus quam in filiis & nepotibus fore admirabiles: pro quo vertunt alii, Augebit mirum in modum: alii autem, Segregabit: nimis coacte, & obscure. Verbum פלא significat esse mirificum, vel arcanum & occultum. Meo itaque judicio intelligit raros & incredibiles ulciscendi modos, & qui humanæ mentis captum excedent. Plagas autem & morbos appositive conjungit, quia per morbos explicat quales futuræ essent plagæ: nisi forte magis placeat, speciem generi subjici: quod magis consentaneum videtur. Vocat autem plagas veraces, aut fideles: sive quia certo evenient, sive quia perseverabunt ad finem usque: utroque enim modo exponitur Hebraicum nomen נאמנים. Et certe aliquando veracem significat, vel qui non fallit, aliquando firmum & stabilem, vel perpetuum. qui sensus videtur mihi aptius quadrare, ut ad magnitudinem plagarum accedat jugis duratio. Iterum vero morbos Ægypti commemorat, non quos ipsi passi fuerant in Ægypto, sed quibus viderant Ægyptios laborare. Severitas ergo illa Dei adversus incredulos, cujus fuerunt spectatores, dicitur in eos reditura, si illorum impietatem sequuti fuerint. Trepidare enim ipsos oportuit ad Dei judicia, quorum oculati fuerant testes: neque id modo, sed quorum metu trepidaverant.

61. *Omnem etiam morbum.*] Locus hic sententiam quam attuli confirmat de plaga & morbo: quia priore loco ponitur morbus tanquam species: deinde additur plaga quæ latius patet, & quaslibet maledictiones sub se complectitur. Cæterum postquam recensuit tam multiplices pœnarum formas, pronuntiat tamen aliis quoque telis ad ipsos percutiendos Deum esse armatum. Et sane, ut beneficiorum ejus nullus est finis, aut numerus, ita inconprehensibilis est potentia ad ulciscendum Legis contemptum. Experta est posteritas, & nos hodie quoque ex parte sentimus quam vera fuerit hæc comminatio: quia prout magis magisque erupit, & se in sublime extulit hominum contumacia, ita instar diluvii exundarunt novæ Dei vindictæ, & prius inauditæ.

62. *Et relinquemini pauci.*] Quum Abrahæ promissum

missum esset, semen ejus fore populosum sicut stellas cæli, ad paucitatem redigi ejus posteros insigne fuit iræ Dei signum. Itaque comparatio quæ ad cladem amplificandam hic ponitur, non simpliciter ad multitudinem, vel ingentem turbam, & exiguum numerum referri debet: sed ad promissionem extendi, cujus fides liquido comperta fuerat, ut ex oppositio cognoscerent, nonnisi infesto Deo pristinam copiam extinctam esse, acsi aquæ nimio Soliis ardore exaresserent.

63. *Et erit præterea.*] Mirus hic & inæstimabilis exprimitur amor Dei erga populum, quod eum suis beneficiis prosequendo, oblectatus fuerit: quo turpior & minus ferenda fuit pravitas, quia Deus ad largiratem sponte propensus, affectum illum exuere coactus est. Etsi autem impropriè dicitur lætari Deus impios delendo, non tamen sine optima ratione ad eum hæc loquutio transfertur: ut sciamus non minus fieri posse quin Legis suæ sit assertor, ejusque contemptæ vindex, quam ut seipsum abneget. Conqueritur quidem apud Jesaiam, se ad puniendos Judæos invitum trahi: verum hæc duo probe conveniunt, justo suo judicio eum oblectari, & simul clementiæ suæ & indulgentiæ memorem esse, ut ignoscere malit, si pateretur hominum malitia. Cæterum phrasis hæc Mosaica, Deum consolationem accipere impios puniendo, passim apud Prophetas occurrit. *Jes.* 10. *vers.* 24.

64. *Et disperget te.*] In fine proximi versus exilium minatus erat, quod populo Israëlitico longe triſtius fuit quam aliis gentibus. Quia omnibus ingenita est patriæ dulcedo, molestum est ea carere: at populi Israëlitici peculiaris conditio, cui terra Chanaan hæreditas erat divinitus promissa, unde expelli non potuit quin à Patre cælesti abdicaretur. Nunc vero ad secundum & tertium gradum conscendit: quia exilio addit miseram dissipationem, dissipationi vero trepidos & inquietudine plenos errores. Nam si in unum angulum simul expulsi essent, ipsa societate magis tolerabile fuisset exilium. Augetur ergo calamitas, ubi procella iræ Dei huc & illuc quasi quisquilias dispellit, ut dispersi in regionibus procul dissitis habitent. Inseritur quod alibi expositi genus servitutis, quod non tantum hominibus sed idolis eos mancipet. Tertius gradus est inquietudo, quia nulla captivis fixa erit sedes. Id autem longe miserrimum, tyrannis victoribus captivos servire, nec tamen habere certum dominum. Justissima tamen ingrati populi merces fuit, nusquam stationem firmam reperire: quia oblatam sibi à Deo quietem repudiaverat, sicut apud Jesaiam legitur. Porro malum per se acerbum latius extendit, quod non modo tumultuose vagari, & subinde migrare cogentur: sed quocunque venient, illos individua comes sequetur interior animi perturbatio. Est autem miserius cæco pavore intus urgeri quam raptari externa violentia. Nam fideles, quamvis ipsi quoque sint instabiles, multisque turbulentis fluctibus agitentur, tranquillis tamen animis in Deum recumbunt: at vero impii quamvis securitate obdurescere appetant, veræ tamen pacis semper sunt expertes: quod si ad breve tempus in veterno suo torpeant, cos tamen, velint nolint, mox expergisci cogit Deus. Certe, ut mentis bene compositæ quies singulare est favoris Dei signum, ita continuus & insanabilis pavor (cujus nunc fit mentio) terribilis est ejus vindicta. Jam quia profanos homines parum tangit spiritualium pœnarum metus, pluribus verbis exaggerat Moses quod leviter alioquin præteriissent Israëlitæ. Præsertim vero quam dirum anxietatis tormentum impios excruciet, his verbis exprimitur: viram eorum quasi suspensam fore in eorum oculis, ut paveant nocte & die. Refertur lepidum commentum Dionysii, qui aulico assentatori, à quo laudata fuerat ejus felicitas, cœnam exquisitam & delitiis omnibus refertam parari jussit, eumque locavit in sua sede, ut suaviter epularetur: gladium vero qui ejus capiti impenderet, jussit è filo suspendi. Ille vero qui tyrannum felicem prædicaverat, mortem singulis momentis sibi instare videns, nec cibum nec potum gustare ausus est. Confessus ergo est Dionysius, non sine ignominia, se & tyrannos omnes dum aliis sunt formidabiles, continuo metu angi. Verum eadem inquietudo cunctis Dei contemptoribus communis est. Nam quo petulantius excusso ejus timore insaniunt, eo rectius est ab umbra sua metuere. Adde quod ubi circumspicimus quot mortes vitam nostram obsideant, fieri non potest quin naturaliter nos corripiant innumeræ sollicitudines. Quid igitur possent impii quam miseris & anxiis dubitationibus vexari, ubi exclusi à Dei tutela, ad quaslibet noxas se expositos vident? Ergo non aliunde tranquillitas animis quam Deum habere custodem & in ejus protectione acquiescere. Per visionem oculorum, non dubito quin Moses specta & terriculamenta designet, quibus mors ante oculos reprobis verstatur. *Jes.* 28. *vers.* 19.

68. *Reducet te Jehova.*] Scimus populum ita inter multos interitus circumactum fuisse in deserto, ut nonnisi singularibus miraculis salvus evaserit. Fuit igitur summopere posteris timendum ne in illas vastas abyssos iterum retraherentur. Qui semel eos eripuerat ab illis mortibus, poterat quidem sæpius esse liberator: sed quo pluris fieret memorabile illud beneficium, ab illius deserti accessu in perpetuum eos subduxerat. Ergo illuc eos retrahens, gratiam redemptionis quodammodo delevit. Si quis objiciat, non potuisse vehi populum navibus per loca arida: in promptu solutio est, quoniam captivitatis fit mentio, non esse absurdum si navibus impositi, ad littus quod planitiem Moab respicit, projecti fuerint, ut pedibus reliquum iter facerent per desertum vagando. Tandem quam lugubris futura sit eorum conditio ostendit: quia se vendere appetent suis inimicis, nec tamen propter vilitatem reperient emptores.

Ex Deut. IV.

25. Quum genueris filios & nepotes, & senueritis in terra illa, corruperitis autem vos, & feceritis sculptile, imaginem cujuscunque rei, atque feceritis malum in oculis Jehovæ Dei vestri, irritando illum:

26. Testor contra vos hodie cælum & terram, quod pereundo peribitis cito è terra ad quam pergendo transituri estis Jordanem, ut possideatis eam: non protrahetis dies in ea: quia disperdendo disperdemini.

27. Ac disperget vos Jehova inter populos, & relinquemini homines pauci numero in gentibus ad quas deducet vos Jehova.

28. Servietisque ibi diis, operi manuum hominum, ligno & lapidi, quæ non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

29. Quod si requisieris inde Jehovam Deum tuum, tum invenies, si requisieris cum toto corde tuo, & tota anima tua.

30. Quum

30. Quum fuerit tibi anguſtia, invenerintque te omnia iſta, in noviſſimis diebus ſi reverſus fueris ad Jehovam Deum tuum, & parueris voci ejus:

31. (Quia Deus miſericors eſt Jehova Deus tuus) non derelinquet te, neque diſperdet te, neque obliviſcetur pacti Patrum tuorum de quo juravit illis.

25. *Quum genueris.*] Tametſi initio ſolam idololatriam perſtringit, quia tamen occaſione inde ſumpta generaliter invehitur contra Legis transgreſſores, pœnamque iis denunciat, locum hunc inter Sanctiones referre placuit. Severe jam interdixerat ne ad idola deflecterent: nunc eandem doctrinam ad nepotes totumque genus ultra tranſmittit. acſi diceret, fideliter manendum eſſe in puro Dei cultu, non ſolum ne ſe privent ingreſſu terræ Chanaan: verum etiam ne tranquilla ejus habitatione diu potiti, inde expellantur. poterat enim longa poſſeſſio ſecuritate & faſtu obdurare eorum animos, acſi nulla timenda eſſet mutatio. Ergo ne temporis progreſſu ſe ſtabilitos confiſi, ad majorem licentiam provolent, quam ipſis pœnam ante inſtare docuit, nunc ad poſteros quoque tranſituram admonet: quia Deo non minus facile erit exturbare eorum abnepotes ex quieto nido, quam fuerit eos ab ingreſſu arcere. Etſi autem de idolis ſermonem habet, de maledictione tamen concionatur quæ impendet quibuslibet Dei contemptoribus. Ac quo vehementius eos percellat comminatio, cælum & terram conteſtatur: acſi diceret, res quoque inanimatas & ſenſu carentes quodammodo fore conſcias vindictæ Dei. Quod Angelos & homines quidam metonymicè deſignari putant, frigidum eſt: nam aliquanto poſt videbimus repeti eandem loquendi formam. Et quum in cantico dicet, Audite cæli quæ loquor, auſcultet terra: hyperbolice ſignificat, dignum fore ſuum ſermonem quem creaturæ omnes ſuſcipiant. Hoc modo Jeſaias, quo magis pudefaciat Judæos qui obſtupuerant in ſua ſocordia, ad cælum & terram verba convertit. Quod autem cælum & terram teſtes advocat vindictæ Dei, tantuodem valet ac certo appariturum, ſicuti cælum & terra nobis ante oculos verſantur. Poſtquam autem perituros eſſe dixit, modum ſimul deſignat, quod ſcilicet Deus hue & illue eos diſſipabit, & ad paucitatem rediget. Quod ſequitur, abſurdum quidem videri poſſet, quia inter pœnas cenſeri non debuit apud exteros ſervire idolis, quorum cultum ultro in ſua terra appetiverant. ſed in promptu eſt ſolutio, eademque duplex: vel exilium juſtam illis mercedem fore, ot illic ad ſatietatem uſque fruantur impuris ſuis deſideriis. Ita ſuberit antitheſis inter regiones Gentium, & terram ſanctam: quaſi diceret Deus, ſe non paſſurum ut eam ſuperſtitionibus profanent. Vel quod tunc, quaſi ablato velo, pudefient dum mortuis idolis ſervire cogentur. Neque enim dubium eſt quin tunc eos vulneraverit obſcœcitas in qua prius ſibi placebant: quod ſecundum alibi docui mihi magis placere. Interea veſaniam illis exprobrat, quod mortua ſimulachra: materiam corruptibilem, & opus manuum hominum adorent.

29. *Quod ſi requiſieris.*] Hoc quoque loco eos ad fiduciam obtinendæ veniæ hortatur & animat. Atque ita occurrit, ne Dei manu percuſſi abſorbeantur à triſtitia: deſperatio enim ad rabiem miſeros incitat ne ſe Deo ſubjiciant. Alium igitur pœnarum finem illis proponit, ne deſinant in mediis ærumnis guſtare Dei bonitatem, quæ ipſos ad reſipiſcentiam invitet. Neque enim aliter unquam ad Deum quærendum ſe accinget peccator, quam ſi eum exorabilem concipiat. Cæterum vere & ſerio ad ſanam mentem redire jubet, quia nihil ſimulatione ſua proficient. Scimus autem nihil magis eſſe proclive quam ingemiſcere ad Deum quoties malis urgemur: ubi autem datur aliqua relaxatio, mox ad ingenium redire. Sincera itaque converſio præcipitur: quia totum cor perinde valet atque integrum, quod opponitur dupliei, vel ficto. idque notandum eſt, ne infirmitatis noſtræ ſenſus nos conturbet. Nam quia fieri nequit, ut ſe totos Deo homines addicant, torporem illis inducit ſuæ tarditatis cognitio. Atqui, modo ne fraudulenter agamus, certum eſt pœnitentiam noſtram Deo probari.

30. *Quum fuerit tibi anguſtia.*] Hic pœnas abutilitate vel fructu commendat. Nam quod dicit Apoſtolus, experientia confirmat, caſtigationem in præſentia minime jucundam eſſe, ſed potius moleſtam & acerbam: tranquillum vero & ſuavem juſtitiæ fructum ab iis percipi qui in ea ſunt exercitati. Ergo ne Dei ſerulis exaſperentur, utiles ipſis eſſe prædicat: quia nunquam ſe ad Deum convertent niſi remedio illo adjuti. Poſtquam (inquit) correptus fueris Dei maledictionibus, ſi Deum quæſieris invenies. Porro bene ſperandi materiam ſumit tam à Dei natura quam à fœdere. Deum illis placabilem fore docet, quia natura miſericors eſt: ſed altera confirmatio certior ac familiarior, quod ſcilicet illos ſibi Deus adoptaverit perpetuo fœdere.

Ex Deut. XXIX.

10. Vos adſtatis hodie omnes vos coram Jehova Deo veſtro, prineipes veſtri tribuum veſtrarum, ſeniores veſtri, & præfecti veſtri, omnes viri Iſraël:

11. Parvuli veſtri, uxores veſtræ, & peregrini tui qui habitant in medio caſtrorum tuorum, à cæſore lignorum tuorum uſque ad haurientem aquas tuas.

12. Ut tranſeas in pactum Jehovæ Dei tui, & in jusjurandum ejus quod Jehova Deus tuus pangit teeum hodie:

13. Ut ſtatuat te hodie ſibi in populum, & ipſe ſit tibi in Deum, quemadmodum loquutus eſt tibi, & quemadmodum juravit patribus tuis, Abraham, Iſaac & Jacob.

14. Neque vobiſcum ſolis pango pactum iſtud, & jusjurandum iſtud:

15. Sed eum eo qui eſt hie nobiſcum ſtans hodie coram Jehova Deo noſtro, & cum eo qui non eſt hie nobiſcum hodie.

16. Vos enim noſtis quomodo habitavimus in terra Ægypti, & quomodo tranſivimus per medium gentium quas tranſiſtis.

17. Et vidiſtis abominationes earum, & idola earum, lignum, & lapidem, argentum & aurum, quæ ſunt apud illas.

18 Ne forte ſit inter vos vir, aut mulier, aut familia, aut tribus, cujus cor avertat ſeſe hodie à Jehova Deo veſtro, & abeat ad colendum deos gentium harum: ne forte ſit in vobis radix fructificans venenum & abſinthium.

19. Sitque

19. Sitque quum ipſe audierit verba maledictionis hujus, ut benedicat ſibi in corde ſuo, dicendo, Pax erit mihi, etiamſi in cogitatione cordis mei ambulavero: ut addat ebriam ſitienti.

20. Non placebit Jehovæ parcere illi, ſed tunc fumabit furor Jehovæ, & zelus ejus in eum virum: & recubabit in eo omnis maledictio quæ ſcripta eſt in libro iſto, & delebit Jehova nomen ejus de ſub cælo.

21. Et ſeparabit eum Jehova in malum ab univerſis tribubus Iſraëlis, juxta omnes maledictiones pacti ſcripti in libro Legis hujus.

10. *Vos adſtatis.*] Rurſus Moſes, tanquam ſtipulator à Deo interpoſitus, promulgatam à ſe doctrinam ſolenni obteſtatione ſancit. Hoc conſilio dicit Iſraëlitas ſtare non modo ad audiendam Dei vocem, ſed ad fœdus cum eo paciſcendum, ut ſerio & qua decet religione animum adjiciant ad præſtandam quam dederunt fidem. Nec capita tantum alloquitur, ſed poſtquam exordium fecit à præfectis, ſenioribus, & viris, deſcendit ad parvulos & uxores, ut intelligant totum ſuum genus à minimo uſque ad maximum, obſtringi ad ſervandam Legem. Imo adjungit peregrinos quicunque nomen Deo Iſraëlis dederint; & nominatim dicit calones & lixas comprehendi in fœdere, quo major religio ſubeat eorum animos qui originem ducunt à ſanctis patribus. Adhæc, quo majori veneratione fœdus excipiant, dicit jurejurando ſtabiliri. Quod ſi inter homines deteſtabile eſt perjurium, multo minus tolerabile eſt irritum facere quod Deo per ſacrum ejus nomen promiſeris: tandem fœderi reverentiam conciliat tam à fructu quam à vetuſtate. Nihil Iſraëlitis optabilius quam cooptari à Deo in populum. hæc ergo incomparabilis utilitas merito debuit amabile fœdus reddere. Acceſſit ad tanti boni præſtantiam, quod multis antequam nati eſſent ſeculis, jam ipſos Deus anteverterat ſua gratia. Nimis ergo probroſum fuit tam inſigne amoris pignus non cupide & ardenter amplecti. Quæritur tamen quomodo in fœdus tranſierint parvuli, qui nondum per ætatem idonei erant ad diſcendum: reſponſio in promptu eſt, quamvis fide non excipient promiſſam ſalutem, neque viciſſim carni renunciarent ad ſeipſos Deo dicandos, eodem jure Deo fuiſſe devinctos quo ſe patres obligabant. Nam quum omnibus communis eſſet gratia, mutuus ad teſtandam gratitudinem conſenſus eſſe debuit: ut quum pueri adoleviſſent, alacriores eſſent ad ſtudium pietatis, dum reputabant jam ante ſe Deo fuiſſe addictos. Ah utero enim Circumciſio illis erat adoptionis ſymbolum. Ergo quamvis nondum fide aut intelligentia eſſent prædíti, paterna Deo in eos erat poteſtas, qui tanto ipſos honore dignatus erat. Sic hodie Baptiſmo initiantur infantes in cultum Dei, quem nondum cognoſcunt: quia eos ſibi in peculium deſtinat, & filios ſibi aſſerit, ubi inſerit in Chriſti corpus. Longius pergit Moſes, poſteros eodem fœdere teneri, quaſi jam Deo mancipatos. Et certe, quum ſervitus ad ſobolem uſque tranſeat, abſurdum videri non debet, tantundem juris Deo tribui quantum ſibi vendicant homines mortales. Tantundem igitur valet ſermo acſi admoniti fuiſſent Iſraëlitæ, ſobolis nomine ipſos cum Deo paciſci, ut ſe & ſuos in ejus obſequium traderent.

16. *Vos enim noſtis.*] Scimus novitate ut plurimum titillari hominum animos: id accidere poterat Iſraëlitis, quum terram Chanaan ingreſſi, multas idololatrias viderent prius incognitas, quæ totidem erant ad ipſos illaqueandos decipulæ. Quamvis ergo talibus corruptelis nondum eſſent aſſuefi, veteribus exemplis eos ad cavendum hortatur. Neque enim eos latebat, Deum Ægyptiacas ſuperſtitiones, ſimulque aliarum gentium abominatum eſſe, quas horrendis modis damnaverat. Admonet igitur Moſes, non eſſe cur populus ad inſolitos Gentium ritus imitandos feratur, quum rariſ documentis cognoverit, quæcunque ſibi figmenta excogitarunt profanæ gentes, Deo fuiſſe exoſa. Sumpta igitur eſt hæc ratio ab experimentis, quibus ſat ſuperque admoniti fuerunt Iſraëlitæ ut ſibi in poſterum ab omnibus fallaciis caverent. Quum autem à ſingulis viris & mulieribus tranſit ad familias & tribus uſque, ſignificat eos qui ſceleris ſocietate ſunt impliciti, fruſtra quærere in turba patrocinium: quia non minus tota gens quam unus homo damnetur. Quod in fine verſus decimi octavi additur, Ne ſit in vobis radix &c. frigide ab aliis videtur exponi, ne ſint virulenti homines qui fructus amaros Deo proferant. Nam per Radicem magis intelligo occulta vitiorum principia, quibus niſi mature occurſum fuerit, collectis viribus emergunt, & ſurſum ſe attollunt: diſſimulatione enim & conniventia crefcit licentia peccandi. Atque huc videtur alludere auctor Epiſtolæ ad Hebræos, ubi fideles hortatur ne ipſorum negligentia radix amarulentiæ ſurſum pullulet, quæ inquinet inultos. Simul ergo atque fratres ſuos incitare quiſpiam tentaverit ad colendos falſos deos, eum evelli jubet Deus, ne erumpat venenum, & amara radix alios corrumpendo, fructus ſuos producat. Abſinthium hic (ut ſæpe alibi) ſumitur in malam partem, propter ingratum ſaporem: niſi forte alia ſit herba, quod magis probabile eſt. *Hebr.* 12. *verſ.* 15.

19. *Sitque quum ipſe audierit.*] Oſtendit non absre tam ſeria & ſevera conteſtatione ſe fuiſſe uſum: quia nihil proclivius eſt quam ut homines ſibi blandiendo facete Dei judicium eludant. Repetit ergo, eos coram Deo ſtare, qui nec fallit, nec fallitur, neque etiam ſe vilipendi ſuſtinet, ut ad ejus minas expaveſcant. Terreat vos (inquit) Dei majeſtas: ne quis dum eo contempto in ſuis cupiditatibus laſcivit, ſibi impunitatem promittat. Benedicere ſibi in corde, eſt tacita cogitatione ſperare omnia proſpera: ſicuti hypocritæ, ne tonantem Deum exaudiant, fallaces ſibi excitant plauſus ſtulta adulatione. Ex hoc itaque loco diſcamus nihil eſſe deterius quam pacem ſperare ubi bellum gerimus cum Deo, & illum promittere nobis quietum quem laceſſimus, cupiditatum noſtrarum impetu. Quod additur in fine verſus, Ut addat ebriam ſitienti, propter ambiguitatem vaſie torquetur. Quam inſulſe nugati ſint Hebræi interpretes, referre piget. Mihi dubium non eſt, quin proverbiali figura vetet Moſes carnis appetitus plus ſatis fervidos quaſi novis flabellis incitare. Quemadmodum ergo dicuntur oleum addere camino qui ignem jam accenſum magis inflammant: ſic dicuntur ebriam ſitienti addere qui ſibi accerſunt audaciæ irritamenta, quo liberius peccent: nam concupiſcentia in homine eſt quaſi hydrops inexplebilis. Jam ſi quis tantæ intemperantiæ indulgeat, ebriam ſiticuloſæ adjungit, hoc eſt, vecordiæ ſuæ furorem effreni deſiderio. Quanquam רוה (meo judicio) active, ut aliis locis, accipitur. Pſalmo 23. dicitur calix meus רויה: ſimiliter Pſalmo 26. terra irrigua hoc nomine vocatur, quod triticum & herbas largo potu madefaciat. Optime autem conveniet, deſideria carnis quibus flagramus, ſiti conferri: ebrietati vero licentioſum impetum, quo præcipites ferimur: quia boni & mali diſcrimen tollendo, ſe obſtupefacit peccator. Ideoque Paulus eos qui ſic demerſi ſunt in bruta Dei & ſui oblivione, ἀπαναίσθητους vocat. *Epheſ.* 4. *verſ.* 19.

20. *Non*

20. *Non placebit Jehovæ.*] Hic docet Moses contumaciam qua sponte obdurescunt impii, claudere spei januam, ut Deum experiantur implacabilem. Et certe omnium scelerum cumulus est, miserum hominem qui vitiis deditus est, extinguere lucem judicii: & imaginem Dei in se delere, quo in beluam degeneret. Neque id modo, sed etiam Deum è solio suo detrahere, ne sit mundi judex. Hæc enim contumelia eum afficiunt qui impunitatis fiducia se
Jesa. 22. vers. 12. projiciunt ad peccandum. Itaque per Jesaiam jurat Deus id fore inexpiabile, quod dum vocavit ad calvitiem & lamentum, se ad lætitiam incitaverint Israëlitæ: ac laute epulando, per ludibrium dixerint, Cras moriemur. Verbo autem נָשָׂא excludit Moses prorsus gratiam Dei. Interea fixum Dei propositum, ne parcere velit, pravæ eorum voluptati opponit qui sibi in vitiis nimium placent. En quid superbo suo contemptu proficiant miseri, qui una cum Dei timore ejus judicium abolere conantur. Porro quo melius exprimat irreconciliabilem fore Deum tantæ obstinationi, pronunciat, eos qui tam petulanter exultaverint in nequitia, se exterminaturum è mundo: deinde subjicit se daturum illos in anathemata, ne locum teneant in populo Israël. Est autem gravius abdicari ab electo populo, & segregari in malum (ut hic dicitur) quam communi vita privari.

Ex eodem Capite.

22. Et dicet generatio postera, filii vestri qui surgent post vos, & alienigena qui veniet è terra longinqua, quum viderint plagas terræ hujus, & morbos quibus ægrotare fecerit Jehova in ea:

23. Sulphur, & sal, combustionem in toto solo ejus, ut non seratur, neque germinet, neque ascendat in ea ulla herba: ut in subversione Sodomæ, Gomorrhæ, Admæ, & Sebojim, quas subvertit Jehova in excandescentia sua & ira sua.

24. Dicent, inquam, omnes gentes, Quare fecit sic Jehova terræ huic? quæ est ira excandescentiæ hujus magnæ?

25. Et dicent, Eo quod dereliquerunt pactum Jehovæ Dei patrum suorum, quod pepigit cum eis, quum educeret eos è terra Ægypti.

26. Et abeuntes coluerunt deos alienos, incurvaverunt que se eis: deos, inquam, quos non noverant, & qui nihil impertiti fuerant illis.

27. Et irata est excandescentia Jehovæ in terram ipsam, ut induceret super eam omnem maledictionem scriptam in hoc libro.

28. Exstirpavitque eos Jehova è terra ipsorum in ira, & indignatione, & excandescentia magna, & projecit eos in terram aliam, sicut hodie.

22. *Et dicet generatio.*] Inculcat Deus quod ante vidimus, non vulgares fore quas infliget pœnas, vel quæ usu & consuetudine veniant in neglectum: sed portenti similes, quæ admirationem generent apud posteros. Nam interrogatio quæ ponitur, veluti est de re insolita, & quæ sub sensum non cadit. Non restringitur autem hæc sententia ad proximum membrum, sed ad totum catalogum maledictionum pertinet: non quod unaquæque seorsum tantum horroris incusserit, sed quia aliæ aliis concervatæ, tam numero quam gravitate & perseverantia, coëgerint omnes mirari, atque hoc modo fuerint in signum & prodigium. Nam hominesmorbis affligi ubique contingit, terræ etiam sterilitas uno anno malum commune est: sed morbos quasi affixos manere totius populi medullis, & terram in longum tempus exarescere, acsi sulphure combusta esset, id vero formidabile est spectaculum, in quo palam apparet quæ alioqui fuisset incredibilis Dei vindicta. Ideoque Sodomæ & Gomorrhæ exempla in medium profert, in quarum interitu cernere licet qualis omnes reprobos maneat exitus. Nam cæleste
Jud. v. 7. fulmen quo fuerunt absorptæ, Judas admonet figuram esse ignis æterni. Porro illam vastitatem habuerunt semper Israëlitæ ante oculos, ex quo terram sunt ingressi, ut admoniti tam severo judicio contremiscerent. Notatu quoque dignum est, exteros scisitantes induci: quibus verbis significat Moses, profanis quoque gentibus terribilem fore hanc vindictam. Quibus respondet quod legitur apud Jere- *Jer. 22.*
miam, Transibunt populi multi per hanc urbem: *vers. 8.*
& dicet quisque proximo suo, Quare ita fecit Deus urbi huic magnæ? Et respondebitur, Eo quod dereliquerint pactum Dei sui, & adoraverint Deum alienum. Refertur similis Dei comminatio Regum *1 Reg. 9.*
primo, Accidet ut quisquis transibit per domum *vers. 8.*
hanc (loquitur autem de templo) in solitudinem redactam, obstupescat, sibilet, ac dicat, Quare sic evertit Deus domum hanc? & respondebitur, Eo quod dereliquerint Deum suum, & amplexi fuerint deos extraneos. Gravius quod postea legitur, Ecce *2 Reg. 21.*
inducam mala super Jerusalem, & super Judam, de *vers. 12.*
quibus quisquis audierit, tinnient ambæ aures ejus. Crimen defectionis exaggerat Moses, ubi dicit, relicto Deo patrum suorum, Deo liberatore suo, Deo qui cum ipsis pepigerat, abiisse ut colerent deos alienos & incognitos, nullis beneficiis inducti. Deus enim ipsos sibi tam doctrina quam incomparabili potentiæ suæ documento in perpetuum devinxerat. Nullus ergo erroris vel ignorantiæ prætextus fuit, ab eo deficere, ut se ignotis idolis prostituerent. Interea dicamus ex hoc loco, sollicite inquirere quisnam sit Deus, & quæ ejus voluntas: quia nulla sine scientia, vera est religio: deinde si veterem populum redemptionis gratia nefandæ ingratitudinis convicit, nos hodie multo minus esse excusabiles, nisi constanter manemus in fide æterni Redemptoris.

DEUT. XXX.

ERit autem, quum evenerint tibi omnia verba hæc, benedictio & maledictio quas proposui tibi, & reduxeris ad cor tuum in cunctis gentibus ad quas expulerit te Jehova Deus tuus:

2. Et conversus fueris ad Jehovam Deum tuum, obedieriſque voci ejus per omnia, ut ego præcipio tibi hodie, tu & filii tui toto corde tuo, & tota anima tua:

3. Tunc reducet Jehova Deus tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui: & conversus congregabit te de cunctis populis ad quos dispersérit te Jehova Deus tuus.

4. Si fuerit expulsus tuus in extremo cæli, illinc congregabit te Jehova Deus tuus, & illinc accipiet te:

5. Reducetque te Jehova Deus tuus ad terram quam possederant patres tui, ac possidebis eam: benefacietque tibi, & multiplicabit te magis quam patres tuos.

6. Et circumcidet Jehova Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Jehovam Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, propter vitam tuam.

7. Dabit autem Jehova Deus tuus omnes maledictiones istas super inimicos tuos, & super odio habentes te, & qui persequuti sunt te.

8. Tu ergo revertaris, & obedias voci Jehovæ, & facias omnia præcepta ejus quæ ego præcipio tibi hodie.

9. Et abundare te faciet Jehova Deus tuus in omni opere manuum tuarum, in fructu ventris tui, & in fructu jumenti tui, & in fructu terræ tuæ, in bonum: quoniam convertetur Jehova ut lætetur super te in bonum: quemadmodum lætatus est super patres tuos.

10. Si tamen obedieris voci Jehovæ Dei tui, custodiendo præcepta ejus, & statuta ejus, scripta in hoc libro Legis: quum conversus fueris ad Jehovam Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua.

1. *Erit autem.*] Quod alibi vidimus rursum confirmat, nunquam Deum tam duriter Ecclesiam suam affligere quin paratus sit redire in gratiam: imo pœnis, quamlibet in speciem atrocibus, miseros qui se velut devotis animis perdebant, ad pœnitentiam invitari, ut veniam obtineant. Quamvis ergo ardente vindicta Dei undique se ingerat desperationis materia, colligere tamen animos jubet ad bene sperandum. Tenendum vero quod antea docui ex verbis Mosis, non omnibus promiscue offerri reconciliationem: sed hoc benedicium singulari privilegio in sola Ecclesia residere. Quod etiam ex speciali promissione colligitur. Visitabo in virga iniquitates eorum: misericordiam vero meam non auferam ab ipsis. Nunc vero simul addendum est, ne omnibus quidem esse commune qui se profitentur Ecclesiæ membra, sed tantum ad residuum semen, & quas Paulus vocat gratiæ reliquias, spectare. hypocritis enim, quamvis fidelibus permisti sunt, nihilo utilius est in salutem Dei flagellis percuti, quam extraneis. Quare promissio hæc ad certum numerum dirigitur: quia semper aliquem populum superstitem manere oportuit, quo firmum & ratum staret Dei fœdus. Quanquam non tantum jubet Moses Israëlitas prodire sub Dei ferulis, sed ejus simul benedictiones reputare, quibus suaviter ad eum colendum adducidebuerant. Hæc enim comparatio ad illustranda Dei judicia non parum valebat. Si tantum pœnæ in mentem venissent, dimidia vel obscurior fuisset cognitio: verum quum ab una parte exponerent, se non frustra Deum coluisse, rursum eo derelicto, ex summa felicitate decidisse in profundas miserias, colligere promptum fuit, quicquid malorum patiebantur, fructum & mercedem impietatis esse. Nec vero dubium est quin sub Lege ita se ad tenerum & rudem populum Deus inflexerit, ut dilucida esset benedictionum & maledictionum series: unde palam fieret, eos Legem servando non ludere operam, sicuti nec eam impune violare. Et sæpe Deus apud Prophetas commemorat, quamdiu obsequentes fuerunt filii, se illis vicissim fuisse patrem: ut inde clarius perspicerent, ex justa ejus offensione provenire statum in deterius mutatum. Hoc quidem prætextu suas superstitiones olim defendere conati sunt impii: sicuti ad refellendum Jeremiam superbe jactabant sibi bene fuisse, quum fusstitum offerrent opificio cœlorum: sed tam proterva improbitas optime coargoitur à Propheta, quod Deus urbis clade, & excidio templi, ejusmodi pollutiones satis aperte ultus fuerit. Distinctio itaque de qua nunc loquitur Moses, eos fallere non potuit, nisi sponte tenebras luci obducerent. Porro quia raro contingit homines in rebus prosperis sapere, hortatur Moses Israëlitas, ut saltem duriter afflicti, ad sanam mentem redeant. exules enim alloquitur, qui à Deo exhæredati, nihil spei reliquum habebant. Promittit autem, si expulsi in terras longinquas tandem resipuerint, Deum fore exorabilem. Ad cor enim reducere, tantundum valet atque expendere quod ante per contemptum, vel negligentiam, vel socordiam spretum fuerat, & quasi voluntaria oblivione sepultum. Cæterum ne facilitate Dei confisi, defunctorie tantum veniam petant, exigitur seria conversio, cujus effectus in vita appareat: sicut pœnitentiam comitatur vitæ novitas. Nec tantum de externa vitæ correctione loquitur Moses, sed postulat sincerum obediendi studium: alibi enim vidimus, totum cor pro integro accipi.

Rom. 11. *vers.* 24.

4. *Si fuerit expulsus tuus.*] Quoniam eorum dissipatio in regiones incognitas spem reditus abscindere poterat, huic diffidentiæ occurrit Moses: & quamvis in extremis mundi plagas fuerint expulsi, immensam Dei potentiam sufficere docet ad ipsos colligendos: sicuti etiam in Psalmo dicitur, Ædificans Jerusalem Jehova, dispersiones Israëlis congregabit. Hoc consilio bis ponitur adverbium Illinc, ne locorum distantiam obstaculo fore imaginentur quominus impleat Deus quod promisit. Porro non temere præcipui beneficii loco habitationem in terra Chanaan celebrari; alibi visum fuit: quia usque ad Christi adventum, spem æternæ hæreditatis terreno & visibili symbolo in corum animis foveri oportuit.

Psal. 147. *vers.* 2.

6. *Et circumcidet.*] Hæc promissio longe excellit, & propriè ad novum fœdus refertur, interprete Jeremia, qui Deum ita loquentem inducit, Ecce, venient dies quibus feriam cum domo Israël & domo Juda fœdus novum, non quale pepigi cum patribus eorum, quod irritum fecerunt: sed ponam Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Idem nunc diversis verbis pronunciat Moses, ne suo more ac pro sua levitate identidem recidant Israëlitæ ad novam perfidiam, cælesti remedio opus esse, ut cor eorum Deus refingat ac former. In summa, hunc admonet præcipuum fore reconciliationis fructum, quod Deus Spiritu regenerationis eos donabit. In verbo circumcidendi metaphora est: quia alludit Moses ad Legale consecrationis signum, quo initiabantur in cultum Dei. Perinde igitur valet loquutio acsi dictum esset, Deus spiritualiter vos creabit novos homines, ut purgati à carnis & mundi sordibus, & ab immundis gentibus segregati, pure eum colatis. Interea ostendit, quicquid in Sacramentis offert Deus, ab arcana Spiritus sui operatione pendere. Circumcisio tunc pœnitentiæ & renovationis Sacramentum erat, ut hodie nobis est Baptismus: atqui litera ipsa quam Paulus vocat, inutilis per se fuit, sicut & hodie multi nullo fructu baptisantur. Tantum ergo abest quin Spiritus sui gratiam resignet Deus Sacramentis, ut tota eorum efficacia & utilitas nonnisi penes Spiritum resideat. Etsi autem videtur Moses inter homines & Deum sic partiri, ut illis adscribat hu-

Jer. 31. *vers.* 31.

Jer. 44. *vers.* 15.

Rom. 2. *vers.* 27.

initium pœnitentiæ, hunc vero faciat perſeverantiæ auctorem: hujus tamen nodi facilis eſt ſolutio. Nam pro uſitato Scripturæ more, dum ad pœnitentiam eos hortatur, non docet eſſe donum Spiritus, ſed ſimpliciter de eorum officio diſſerit. Interea ſtulte colligunt liberi arbitrii defenſores, non plus ab hominibus flagitari quam ſint præſtando: aliis enim locis docentur à Deo petere quicquid injungit. Sic & hoc loco Moſes concionatus eſt de ratione placandi Dei, ut populus corde non ficto ad bonam frugem ſe recipiat. Ubi autem teſtatus eſt Deum illis fore propitium, ſubjicit meliore remedio opus eſſe, ut ſemel ab eo reſtituti, fruantur perpetua ejus gratia. Neque tamen conſilium ejus eſt, ad ſubſequentem vitæ curſum reſtringere Circumciſionem cordis: acſi in ipſorum arbitrio ac proprio motu eſſet, ſeipſos circumcidere, antequam in ipſis operetur Deus. Et certe nihilo facilius eſt ſurgere quum lapſus fueris, quam ſtare ex quo te erexerit Deus. Eximia virtus eſt perſeverantia, fateor: ſed quomodo peccator qui Satanæ mancipatus eſt, ſe expediet ab illis vinculis, niſi Deo liberatore? Quod ergo de perſeverantiæ dono prædicat Moſes, converſionis exordio non minus convenit: ſed tantum docere vult, quamvis Deus peccatis noſtris ignoſcat, evanidum fore illud beneficium niſi nos contineat in obſequio Legis ſuæ. Et certe quibuſcunque remittit Deus peccata, eoſdem Spiritu ſuo in juſtitiam regenerat.

8. *Tu ergo reverteris.*] Copula quæ hic ponitur à Moſe, particulam illativam valet: ratiocinatur enim à veniæ fiducia, ne dubitent ad Deum redire, quin potius alacri promptoque animo ſe accingant: deinde ut conſtanter pergant in obedientiæ curſu. Quando autem perſeverantiam quam paulo ante teſtatus eſt à ſolo Deo dari, nunc à populo exigit: inde facile colligere licet, inſulſe eos facere qui ex Dei præceptis æſtimant hominum vires. Interea caput illud teneamus, veram converſionem continuo vitæ tenore probari: quia in hunc finem (teſte Zacharia) redempti ſumus, ut Deum liberatorem colamus in ſanctitate & juſtitia cunctis diebus vitæ noſtræ. *Luc. 1. verſ. 74.*

Ex eodem Capite.

15. Vide, propoſui tibi hodie vitam & bonum, mortem & malum.

16. Quando ego præcipio tibi hodie ut diligas Jehovam Deum tuum, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias præcepta ejus, & ſtatuta ejus, & judicia ejus: ut vivas, & multiplicceris, benedicatque tibi Jehova Deus tuus in terra ad quam ingrederis ut poſſideas eam.

17. Quod ſi averterit ſe cor tuum, & non audieris, & impulſus adoraveris Deos alienos, coluerisque eos:

18. Denuncio vobis hodie, pereundo peribitis, non prorogabitis dies ſuper terram ad quam transmiſſo Jordane pergis ut poſſideas eam.

19. Teſtor contra vos hodie cælum & terram, quod vitam & mortem propoſui, benedictionem & maledictionem: deligas ergo vitam, ut vivas tu & ſemen tuum,

20. Diligendo Jehovam Deum tuum, obediendo voci ejus, adhærendo ei: ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum, ut habites ſuper terram quam juravit Jehova patribus tuis, Abrahæ, Iſaac & Jacob, ſe daturum illis.

15. *Vide, propoſui.*] Obteſtatio ſuperioribus ſimilis, ut cogitent Iſraëlitæ, quod Deus Legem ſuam dignatus fuerit apud ipſos deponere, inæſtimabile eſſe beneficium: quod niſi reverenter excipiant, non leves daturi ſint pœnas tam fœdæ ingratitudinis. Nam ut erroris patrocinio eos ſpoliet, à profanis gentibus ſeparat, quæ propter vitæ ignorantiam inter vitam & mortem dubiæ vacillabant. Dicit igitur ſe poſuiſſe ante eorum oculos vitam, & quidem conjunctam cum vera & plena felicitate: ſimiliter mortem cum ſuis appendiciibus. Nemo vero eſt qui naturæ duce vitam non appetat, qui mortem non refugiat. Exprobrat itaque Moſes, pluſquam amentes fore ſi ultro ſe in omnes miſerias conjiciant. Interea ſignificat, ſe non jactare nudas & inanes voces, ſed doctrinam ſuam armatam eſſe Dei potentia, ut quiſquis eam amplexus fuerit, ſalutem in ea reperiat: nemo vero ſpernat impune. Sequitur utriuſque membri partitio, amorem Dei & Legis obſervationem præcipi, ut vivant: ſin vero averſi ab eo fuerint, denunciari interitum. Itaque non temere promiſſiones & minas vocavi Legis ſanctiones, quia ut ejus auctoritas apud nos firma ſit, tam obedientiæ mercedem, quam pœnam transgreſſionis in medium proponi neceſſe eſt. Per cultum deorum alienorum, quamlibet defectionem intelligit, ut antea admonui. Impelli vero ad ſuperſtitiones non dicit excuſandæ eorum levitatis cauſa, ſed potius ad crimen exaggerandum, quod prava cupiditate abrepti, veritatem Dei probe cognitam deſerant.

19. *Teſtor contra vos.*] Eſt quidem verbum præteriti temporis, ſed quod præſentem actum deſignat. Vehementius autem eos urget, ubi teſtes vindictæ Dei advocat cælum & terram. Quibus verbis non Angelos & homines compellat (ut frigide quidam exponunt) ſed amplificandi cauſa ſenſum tribuit rebus inanimatis. Quod breviter perſtringo, quia alibi fuſius tractavi: ſicuti quod paulo poſt ſequitur de vita & morte. Lex enim quoad doctrinam ſpectat, vitam & mortem in ſe continet: quia illic non fallaciter promittitur vitæ æternæ merces. Sed quum nemo reperiatur dignus mercede promiſſa, merito docet Paulus Legem tantum eſſe mortiferam. Atqui id accidentale eſt, quod non ex doctrinæ defectu, ſed ex hominum vitio manat. Quæritur tamen, ſi naturæ noſtræ corruptio facit ne Lex aliud quam mortem generet, quomodo jubeat Moſes vitam eligere, quam ex illa adipiſci non poteſt peccator. Itaque criſtas erigunt Papiſtæ, tam ad extollendum liberum arbitrium, quam ad jactanda merita: quaſi vero Moſes non gratuitæ quoque Dei miſericordiæ teſtis fuerit ac præco; & ſuos diſcipulos ad Chriſtum direxerit, ut ab eo ſalutem peterent. Ergo quum de ſervandis mandatis verba facit, non excludit duplicem Chriſti gratiam, ut fideles Spiritu regeniti, ad obedientiam juſtitiæ aſpirent, ſimulque peccatis expiatis Deo gratis reconcilientur. Et certe quum idem fœdus nobis & veteri populo ſit commune, dubium non eſt quin vitam elegerint quicunque olim amplexi ſunt Moſis doctrinam. Interim, quatenus ſeparata fuit ejus legatio ab Euangelio, magis in munere ſibi peculiariter injuncto inſiſtit, ut inter ipſum & Chriſtum clarius appareat diſcrimen. Hæc ratio eſt cur fidei juſtitiam parcius delibet; prolixe autem concionetur de amando & colendo Deo, & implendis ejus mandatis.

REDITUS AD HISTORIAM.

Ex Exodi XXXI.

LOquutus est Jehova ad Mosen, dicendo,
2. Vide, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri, filii Hur, è tribu Jehuda:
3. Et replevi eum Spiritu Dei, sapientia & intelligentia, scientia & omni arte,
4. Ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære:
5. Et in arte gemmaria, ad replendum, & in arte lignaria, ut operetur in omni opere.
6. Et ego ecce constitui cum eo Aholiab filium Ahisamach è tribu Dan, & in corde omnis sapientis corde, dedi sapientiam, ut faciant quæcunque præcepi tibi:
7. Tabernaculum Ecclesiæ, & arcam testimonii, & propitiatorium quod est super eam, & omnia vasa tabernaculi:
8. Et mensam & vasa ejus, & candelabrum mundum, & omnia vasa ejus, & altare suffimenti:
9. Et altare holocausti, & omnia vasa ejus, & concham & basin ejus:
10. Et vestes ministerii, & vestes sanctitatis ipsi Aharon sacerdoti, & vestes filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur:
11. Et oleum unctionis, & suffimentum aromaticum pro sanctuario: juxta omnia quæ præcepi tibi, facient.

2. *Vide, vocavi.*] In reliqua hujus operis parte contextum historiæ sequemur, usque ad finem Deuteronomii, ubi narratur mors ipsius Mosis. Tametsi in forma tabernaculi nihil omiserat Deus, quin exacte præciperet quicquid opus esset factu: ipsa tamen operis difficultas tam Mosi quam toti populo torporem ex desperatione injicere poterat. Neque enim de quolibet opere agebatur, in quo vel summi artifices specimen ederent suæ industriæ: sed de admirabili structura, cujus exemplar in monte ostensum fuerat: ut incredibile videri posset, ullos mortales sua solertia quod Deus mandaverat posse assequi. Adde quod in Ægypto servilibus operis addicti fuerant, quæ omnem extinguerent ingenii vigorem, nec ad ullas artes liberales aspirare sinerent. Unde colligimus, quicunque Dei vocem obedienter sequuntur, nunquam ejus suppetiis destitui. Ergo in arduis omnibus negotiis hæc precatio nos ad pergendum animet, Da quod jubes, & jube quod velis. Porro Vocare ex nomine, tantundem valet atque eximium reddere. quo significat Moses, Beseleel, quia peculiari dono præditus erit, fore extra communem numerum. Sic apud Jesaiam dicitur Cyrus nomine suo vocatus: quia singulari modo ad tantas res gerendas Dei consilio destinatus esset. Etsi autem specialis fuit vocatio Beseleel, quia (ut nuper dixi) insolitum & minime vulgare opus ei Deus mandabat: colligimus tamen neminem vel in minimis ac contemptissimis opificiis excellere, nisi quatenus in eo Dei Spiritus operatur. Nam quamvis divisa sint dona, unus tamen est Spiritus ex quo omnia scaturiunt: & quidem prout Deo visum est singulis ad mensuram distribuere. Neque id tantum in spiritualibus donis locum habet, quæ regenerationem sequuntur, sed in omnibus scientiis quæ pertinent ad usum communis vitæ. Vitiosa igitur partitio est, dum profani homines partim naturæ & Dei beneficio adscribunt, partim hominum industriæ, adjumenta omnia quibus utimur: quando ipsa quoque hominum industria Dei beneficium est. Melius Poëtæ, qui simpliciter Deo referunt acceptum quod ab ipsa natura dictatum erat, artes omnes à Deo manare, & ideo debere censeri divinas inventiones. Hujus doctrinæ duplex est utilitas, ut omnia quæ pertinent ad fovendam & tuendam vitam, quoties occurrunt, nos ad gratitudinem excitent: & quæcunque nata videntur ex hominum ingenio, documenta sint paternæ erga nos Dei sollicitudinis: deinde ut pure & sancte Deum colamus tot bonorum auctorem, qui ea in usum nostrum sanctificat. Plura Spiritus epitheta enumerat Moses: quia singularis opificii fit mentio. Statuere tamen convenit, quæcunque singulis facultas suppetit, ex unico fonte manare, & divinitus conferri. Hoc tantum interest, quod Beseleel summa præstantia donatus fuit, aliis distribuitur quantum Deo placet.

Isa. 45. vers. 4.

1 Cor. 12. vers. 4.

6. *Et ego ecce constitui cum eo.*] Principem operis ex tribu Juda fuisse delectum mirum non est: cur ex tribu Dan adjunctus fuerit comes, vix reddi potest ratio, nisi quod loci obscuritas magis illustravit Dei gratiam. Quod autem continuo post subjicitur, Deum sapientiam dedisse in cor eorum qui prædite erant sapientia cordis, speciem repugnantiæ primo intuitu ostendit. Nam si intelligentia jam pollebant, quorsum nova inspiratio? Hinc factum est ut vulgo putaverint, specialem Dei gratiam duntaxat esse adminiculum quo juvetur quæ jam naturaliter nobis ineft facultas. Atqui potius docemur hoc loco, quum aliquid nobis accrescit, & dotes in nobis illustriores apparent, non aliunde esse nostros progressus quam ex continua Spiritus operatione. Jam Deus artificibus, quorum fit mentio, acumen & perspicaciam contulerat: ut eorum dexteritas semen duntaxat esset. Nunc promittit se plus daturum quam antea apparuisset. Scio verba sic resolvi posse, Quicunque apti & idonei erunt, ideo præditos esse intelligentia, quoniam Deus arcano instinctu eam inspiraverit: sed altera expositio simplicior. Quod sequitur de partibus tabernaculi, alibi jam tractatum fuit.

Ex Exodi XXXV.

20. Egressi sunt universus cœtus filiorum Israël à facie Mosis.
21. Venerunt que vir quem extulit cor suum, qui liberalis fuit spiritu suo: attulerunt que oblationem ad opus tabernaculi conventionis, & ad omne opus ejus, & ad vestes sanctitatis.
22. Venerunt viri & mulieres, quicunque liberalis fuit corde: attulerunt fibulas, & inaures,

inaures, & annulos, & armillas, quodlibet vas aureum, & omnis vir qui attulit levationem auri Jehovæ.

23. Præterea omnis vir apud quem inveniebatur hyacinthus, purpura, coccus, byssus, & pili caprarum, & pelles arietum rubricatæ, & pelles taxorum, hæc attulerunt.

24. Omnis tollens levationem argenti & æris, obtulerunt levationem Jehovæ: & omnis apud quem inveniebantur ligna Sittim, pro universo ministerii attulerunt.

25. Præterea omnis mulier intelligenti corde, manibus suis neverunt, & attulerunt quod nendo operatæ fuerant, hyacinthum, purpuram, coccum, & byssum.

26. Omnes quoque mulieres quas excitavit cor ipsarum, intelligenter neverunt pilos caprinos.

27. Principes quoque attulerunt lapides onychinos, & gemmas inserendas in ephod & pectorali:

28. Aromata etiam & oleum pro luminari, & pro oleo unctionis, & pro incenso aromatico.

29. Omnis vir & mulier qui liberales fuerunt corde suo ad offerendum pro cuncto opere quod mandaverat Jehova fieri per manum Mosis, obtulerunt filii Israël donum voluntarium Jehovæ.

30. Tunc ait Moses ad filios Israël, Videte, vocavit Jehova nomine Beseleel filium Uri, filii Hur, de tribu Juda:

31. Et implevit eum Spiritu Dei, in sapientia & intelligentia, in scientia & omni artificio,

32. Ad excogitandum ingeniosa opera, ut faciat in auro, argento, & ære:

33. Et in artificio gemmarum: ut illas includat in artificio ligni, ut faciat quodcunque opus ingeniosum.

34. Et posuit in corde ejus ut doceat, ipse & Aholiab filius Ahisamach, è tribu Dan.

35. Replevit eos sapientia cordis, ut faciant omne opus artificis, & phrygionis, & acupictoris, ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byssо, & textura, facientes omne opus, & excogitantes inventiones.

20. *Egressi sunt universi.*] Non est cur quempiam offendat mutata narrationis series: quando ex compluribus locis palam apparet, temporis ordinem non semper fuisse servatum à Mose. Sicut hoc loco videtur lapsum populi connectere superioribus præceptis, tam de extruendo tabernaculo quam de reliquo Dei cultu. Atqui firmis rationibus monstravi, antequam ad idololatriam deficeret populus, extructum fuisse tabernaculum. Ergo quod omissum fuerat, nunc supplet Moses: ego autem facilitati studens contexui filum historiæ. Summa porro hujus narrationis est, quicquid ad structuram tabernaculi opus erat, liberaliter fuisse allatum. Ac notandum est à Mose fuisse digressos: quoniam ex hac circumstantia colligimus, quum singuli ad sua tabernacula reversi essent, seorsum reputasse quidnam essent daturi. Quo plus meretur laudis ipsorum largitio quam ante erant meditati. Sæpe enim contingit ut qui subito fervore fuit beneficus, eum mox pœniteat. Cæterum quum addit, venisse omnes viros: dubium est an totius populi animos ad largiendum promptos & alacres fuisse intelligat, an vero oblique perstringat eorum tenacitatem & sordes qui maligne officium neglexerunt. Utrovis modo accipere libeat, repetit Moses quod ante vidimus, non vi aut necessitate extortas fuisse oblationes, sed profectas à voluntario & hilari affectu. Verba sic resolvo, Venerunt singuli, prout quemque excitavit cor suum. Acsi diceret, non fuisse coactos lege imposita, sed unumquemque sibi fuisse legislatorem propria voluntate. Perperam vero torquetur à Papistis hic locus ad probandum liberum arbitrium: acsi à seipsis incitarentur homines ad bene recteque agendum. Neque enim Moses, dum spontaneum affectum laudat, excludere vult Spiritus gratiam, qua sola ad pium studium corda flectuntur: sed opponitur hæc incitatio pigritiæ, qua seipsos profani homines impediunt & morantur. Quos ergo gubernat Dei Spiritus, non trahit invitos violento impulsu vel extrinseco, ut loquuntur: sed intus ita operatur velle, ut seipsos incitent fideles, & ultro sequantur Spiritum ipsum ducem. Itaque quum additur, Cujus spiritus erat liberalis in ipso, non adscribitur principium bene agendi hominibus, vel etiam concursus, acsi seorsum cooperarentur, sed tantum laudatur interior animi motus & studii finceritas.

22. *Venerunt viri cum mulieribus.*] Mulierum expressa fit mentio, quarum non modo largitione, sed etiam opera (ut paulo post sequitur) dignatus est uti Deus ad opificium sanctuarii. Pii autem desiderii ardorem amplificat Moses, quòd ornamentis non pepercerint: quibus ut plurimum ita sunt addicti homines, ac præsertim fœminæ, ut frigus, inediam, & sitim pati malint quam illa attingere. Fuit ergo signum non vulgaris zeli, annulos sibi & armillas detrahere, quibus tam ægre multi spoliantur, etiam ubi eos conficit esuries. Iterum laudatur eorum erogatio à quibus data fuerunt æs, ferrum, ligna Sittim, pili caprarum, & arietum pelles, ut non dubitent pauperes, quamvis non respondeat animo facultas, gratum nihilominus Deo esse munus quod ex sua tenuitate libenter offerunt, quam si dives ex magna copia centuplo esset largior.

30. *Videte, vocavit.*] Hic ad exhortationem efficax esse debuit stimulus, quum palam cernerent Deum opera præesse. Cujus rei illustre fuit documentum nova illa virtus & insolita qua præditi fuerunt Beseleel & Aholiab. Etsi enim jam ante nobiles fuerant ac eximii artifices, dubium tamen non est longe aliis dotibus fuisse ornatos usque ad miraculum. Proinde non abs re jubet populum attendere ad hanc inopinatam Dei virtutem: quia perinde erat acsi manum ad operis progressus è cælo extenderet. Qua etiam ratione notatur utriusque tribus, propter conspicuam gratiæ excellentiam, cujus memoriam omnibus seculis celebrari æquum fuit. Sicuti autem Deus visibilis sanctuarii architectis honorem hunc detulit: ita pronunciat eorum nomen fore in cælo gloriosum qui præclaris Spiritus donis instructi suam operam fideliter impendunt ad spiritualis templi ædificium. Quum toties hic ponitur cordis sapientia, tam in viris quam in mulieribus, mentis *Dan. 12.*

ſolertiam intellige. neque enim tantum cor vocatur ſedes affectuum, ſed vis & facultas intellectiva, ut loquuntur: ſicuti Deut. 30. Non dedit tibi hactenus Deus cor ad intelligendum.

31. *Et implevit eum Spiritu Dei*] Præſtantiam ingenii & ſolertiæ magnifice pluribus verbis iterum prædicat. Fuit enim raræ virtutis, quum tam ſerviliter & contumelioſe oppreſſi fuiſſent Iſraelitæ, exſtare in illa gente homines tali acumine adhuc præditos. Repleviſſe dicitur Deus Spiritu Dei, hoc eſt, divino: ut ſciamus has dotes non fuiſſe naturaliter ingenitas homini, nec induſtria etiam partas. Etſi enim ipſa quoque naturæ bona à Spiritu Dei proveniunt, qui ſingulis non minus dat intelligere quam vivere: ſpecialis tamen donorum diſtributio ſeorſum in ſuo gradu eminet. Deinde habuit Deus tam exquiſiti operis rationem, ut mira perſpicacia ſupra vulgarem modum hos artifices donaret. Additur facultas ad docendum, quia duo ſoli tam arduum opus nunquam tota vita abſolviſſent. Fuit autem hæc quoque dexteritas cæleſtis gratiæ: quia alioqui nunquam tot tædia devoraſſent in poliendis rudibus, nec tanta celeritate magnam hominum turbam formaſſent incredibili ſymmetria ad ſingulas operis partes.

EXODI Cap. XXXVI.

FEcit ergo Beſeleel & Aholiab, & omnis vir ſapiens corde, quibus dederat Jehova ſapientiam & intelligentiam, ut ſcirent facere omne opus miniſterii ſanctuarii, quæcunque præceperat Jehova.

2. Nam vocavit Moſes Beſeleel & Aholiab, omnemque virum ſapientem corde, cujus cordi indiderat Jehova ſapientiam, & omnem cujus cor excitaverat ipſum ut accederet ad opus ad faciendum illud.

3. Tuleruntque à facie Moſis omnem oblationem quam attulerant filii Iſraël ad opus miniſterii ſanctuarii: illi autem afferebant ad eum adhuc oblationem ſpontaneam quotidie.

4. Venerunt itaque omnes ſapientes qui faciebant omne opus ſanctuarii, ſinguli ab opere quod faciebant:

5. Et loquuti ſunt ad Moſen, dicendo, Plus affert populus afferendo quam opus ſit ad miniſterium pro opere faciendo quod præcepit Jehova fieri.

6. Præcepit ergo Moſes ut proclamarent in caſtris, dicendo, Vir & mulier ne quid addant ultra ad oblationem ſanctitatis. Itaque prohibitus eſt populus ab offerendo.

7. Materia enim erat ad ſufficientiam eis pro toto opere ad faciendum illud, & ſuperabundabat.

8. Et fecerunt omnis ſapiens corde inter facientes opus, tabernaculum è decem cortinis, quæ erant ex byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, ex Cherubim: opere phrygionico fecit illas.

9. Longitudo cortinæ unius erat octo & viginti cubitorum, & quatuor cubitorum latitudo cortinæ unius, menſura erat omnibus cortinis.

10. Poſtea conjunxit quinque cortinas alteram cum altera, & quinque alias cortinas conjunxit alteram cum altera.

11. Fecit & laqueolos hyacinthinos in ora cortinæ unius, in extremo in conjunctione: ſic fecit in ora cortinæ extrema in conjunctione ſecundæ.

12. Quinquaginta laqueolos fecit in cortina una, & quinquaginta laqueolos fecit in extremo cortinæ ſecundæ, quæ erat in conjunctione ſecunda: oppoſiti erant laqueoli alter alteri.

13. Fecit & quinquaginta uncinos aureos, & conjunxit cortinas alteram cum altera uncinis: & ita factum eſt tabernaculum unum.

14. Fecit inſuper cortinas è caprarum pilis in tentorium ſuper tabernaculum, undecim cortinas.

15. Longitudo cortinæ unius triginta cubitorum, & quatuor cubitorum latitudo cortinæ unius, menſura una erat undecim cortinis.

16. Conjunxit quinque cortinas ſeorſum, & ſex cortinas ſeorſum.

17. Fecit etiam laqueolos quinquaginta in ora cortinæ extrema, in conjunctione: quinquaginta item laqueolos fecit in ora cortinæ, in conjunctione ſecunda.

18. Fecit præterea uncinos æreos quinquaginta ad conjungendum tentorium, ut eſſet unum.

19. Fecit inſuper operimentum tentorio è pellibus arietum rubricatis, & operimentum è pellibus taxorum ſuperne.

20. Fecit & tabulas tabernaculo è lignis Sittim ſtantes.

21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ, cubiti vero & dimidii latitudo tabulæ.

22. Duo cardines erant tabulæ uni inſtar ſcalarum gradus diſpoſiti, alter è regione alterius: ſic fecit omnibus tabulis tabernaculi.

23. Fecit (inquam) tabulas tabernaculo, viginti tabulas ad latus Auſtri ad Meridiem.

24. Et quadraginta baſes argenteas fecit ſub viginti tabulis, duas baſes ſub tabula una pro duabus claſtratuſis ejus, & duas baſes ſub tabula altera pro duabus claſtraturis ejus.

25. In latere vero tabernaculi ſecundo, nempe in latere Aquilonari, fecit viginti tabulas:

26. Et

26. Et quadraginta baſes earum argenteas, duas baſes ſub tabula una, & duas baſes ſub tabula altera.

27. In latere autem tabernaculi ad Occidentem fecit ſex tabulas.

28. Duas tabulas fecit angulis tabernaculi in duobus lateribus.

29. Et erant quaſi gemellæ inferne, & pariter quaſi gemellæ in ſummitate ejus, in circulum unum: ſic fecit utrique in duobus angulis.

30. Fuerunt itaque octo tabulæ, & baſes earum argenteæ ſedecim, baſes binæ ſub qualibet tabula.

31. Fecit & vectes è lignis Sittim, quinque pro tabulis unius lateris tabernaculi,

32. Et quinque vectes pro tabulis alterius lateris tabernaculi, & quinque vectes pro tabulis lateris tabernaculi, in lateribus duobus ad Occidentem.

33. Fecit item vectem medium, ut tranſiret per medium tabularum, ab extremo ad extremum.

34. Tabulas autem texit auro, & annulos earum fecit ex auro, per quos trajicerentur vectes: & texit vectes uro.

35. Fecit etiam velum ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta: opere phrygionico fecit illud, cum figuris Cherubim.

36. Et fecit illi quatuor columnas de lignis Sittim, & texit eas auro: uncini autem earum erant aurei: & fudit eis quatuor baſes argenteas.

37. Fecit quoque velum ad oſtium tabernaculi ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta, opere phrygionico:

38. Et columnas ejus quinque, & uncinos earum: texitque capita earum, & fila ea cingentia auro, baſes autem earum quinque æreas:

1. *Fecit ergo Beſeleel & Aholiab.*] Quanquam verboſa potuit videri prolixitas quum narraret Deum præcepta de extruendo tabernaculo dediſſe: hic tamen iiſdem prope verbis eandem narrationem retexit: ſed optimo conſilio & ratione. Magni enim interfuit, ex comparatione perſpici quam exacte opifices omnia ad normam divinitus poſitam formaſſent. Neque id ſolum in laudem eorum obedientiæ: ſed quia in tota ſtructura nihil humanum eſſe oportuit. Quamvis enim operam ſuam ſtrenue pro ſe quiſque impenderint: nefas tamen fuit propriis inventionibus vel tantillum tribuere: imo hæc ſacri ædificii profanatio fuiſſet, non ſequi omni ex parte quod tam diligenter Moſi dictatum fuerat. Quod valere debuit ad ipſos in poſterum cohibendos, ne quid mutando, vel novando, imperium Dei violarent. Non tenebant quidem omnium rationem, tam in numero quam in menſura: ſed perſuaſos eſſe oportuit Deum nihil temere juſſiſſe. Hinc etiam erigi decuit eorum mentes ad cæleſte exemplar: ut ad plenam ejus manifeſtationem myſteria, licet obſcura, reverenter ſuſpicerent. Verborum itaque repetitio nos admonet quam concinne reſpondeat in ſtructura, hominum labor & artificium Dei præcepto.

2. *Nam vocavit Moſes Beſeleel.*] Non abs re toties in acumine ingenii & artis peritia Spiritus Dei gratiam commendat Moſes. Priore quidem loco architectos ſolertes vocat: ſed mox correctionis vice adjicit divinitus inſtructos fuiſſe tali intelligentia. Quo refellitur Papiſtarum inſulſitas, quibus ad probandum liberum arbitrium ſatis eſt locos arripere ubi recta voluntas laudatur. Atqui quamvis recte velint homines, ſtulte inde colligunt libero arbitrio præditos eſſe, niſi demonſtrent velle à ſeipſis. Itaque quod ſequitur in contextu, ſingulos ad fabricam tabernaculi vel operas vel ſubſtantiam contuliſſe, prout corda ſua excitaverant, non ita auctores pii affectus facit homines, ut Deum laude ſua fraudet. Intelligunt igitur homines, voluntarii ſunt, ſeipſos animant ad ſanctos conatus: ſed quæritur unde intelligentia, voluntas & ſtudium bene agendi: quæ Scriptura pronunciat Dei & Spiritus dona eſſe, perperam ſibi Papiſtæ arrogant.

3. *Tulerunt que à facie Moſis.*] Hic oſtenditur primum ſedulitas & prudentia tam Moſis quam artificum, deinde etiam integritas. Prudentiæ eſt quod materiam inter ſe diſtribuunt: diligentiæ vero quod cito manum admovent operi, nec expectant dum ſuppetat quantum ſatis ſit ad opus complendum. Porro raram integritatem teſtantur, dum ultro admonent ſufficere quod datum eſt, & finem imponunt oblationibus, ne modum excedant. Scimus, ubi data eſt occulte furandi occaſio, quam pauci ſe contineant. Quod ſi animus abſit à fraude, ambitio tamen pleroſque ſollicitat, ut cupide appetant largiorem quam par ſit copiam tractare. Videmus itaque ut Deus omnes ad opus Sanctuarii ſuſcipiendum direxerit, & ad operis perſeverantiam impulerit ſuo Spiritu. Hæc tamen gratia præcipue refulget in miro populi ardore. Non admodum erant locupletes: quia non erant illis opes à longo tempore repoſitæ: & qui erant ditiſſimi non plus habebant quam furtim abſtulerant ex Ægypto: ſumptuoſum erat ædificium: non deſinunt tamen plus largiri quam opus ſit, donec edicto prohibentur. Non vulgari digna laude fuit hæc promptitudo & liberalitas. Quo magis mirum eſt, paulo poſt neglecto vero Deo, ad cujus cultum ita accenſi fuerant, ad fœdam idololatriam prolapſos eſſe. Hinc diſcimus, pietatis ſtudium quod in ipſis ad breve tempus viguit, à Spiritus ſancti inſtinctu manaſſe: rurſum optimos quoſque affectus evaneſcere, niſi conſtantiæ donum accedat. Quæ ſequuntur quaſi in viva effigie repræſentant (ut diximus) quam fideliter exequuti ſint quicquid Deus præceperat, ut ne in minimo quidem filo quicquam appareat diverſum.

EXODI Cap. XXXVII.

FEcit etiam Beſeleel arcam è lignis Sittim: duorum cubitorum & dimidii longitudo ejus: cubiti & dimidii latitudo ejus: cubiti quoque & dimidii altitudo ejus.

2. Et texit eam auro mundo intrinſecus, & extrinſecus: fecitque ei coronam auream in circuitu.

3. Et fudit ei quatuor annulos aureos ad quatuor angulos ejus, duos videlicet annulos in latere ejus uno, & duos annulos in latere ejus altero.

4. Fecit & vectes è lignis Sittim, & texit eos auro.

5. Induxitque vectes in annulos in lateribus arcæ, ad portandam arcam.

6. Fecit & propitiatorium ex auro mundo: duorum cubitorum & dimidii longitudo ejus, cubiti & dimidii latitudo ejus.

7. Fecit quoque duos Cherubim ex auro: ductiles fecit eos in duabus extremitatibus propitiatorii.

8. Cherub unum ab extremo hinc, & Cherub alterum ab extremo inde: ex propitiatorio fecit Cherubim in duabus extremitatibus ejus.

9. Cherubim autem extendebant alas ſurſum verſus, tegentes alis ſuis propitiatorium: & facies eorum altera ad alteram: ad propitiatorium facies Cherubim.

10. Fecit & menſam è lignis Sittim: duorum cubitorum longitudo ejus, & cubiti latitudo ejus: cubiti autem & dimidii altitudo ejus.

11. Et texit eam auro puro, fecitque ei coronam auream in circuitu.

12. Fecit quoque ei clauſuram palmi per circuitum: & fecit coronam auream clauſuræ illi per circuitum.

13. Fudit etiam ei quatuor annulos aureos, quos poſuit in quatuor angulis qui erant in quatuor pedibus ejus.

14. Contra clauſuram illam erant annuli per quos traducerentur vectes ad portandam menſam.

15. Fecit etiam vectes è lignis Sittim, quos texit auro, ad portandam menſam.

16. Et fecit vaſa quæ erant ſuper menſam, ſcutellas ejus, & cochlearia ejus, & crateras ejus, & opercula quibus libabatur, ex auro mundo.

17. Fecit & candelabrum ex auro puro, ductile fecit candelabrum: haſtile ejus, calamus ejus, ſcyphi ejus, ſphærulæ ejus, & flores ejus ex ipſo erant.

18. Porro ſex calami egrediebantur è lateribus ejus: tres calami candelabri ex latere ipſius uno, & tres calami candelabri ex latere ejus altero.

19. Tres calices in ſpeciem nucis amygdalinæ deformati erant in calamo uno, ſphærula & flos: & tres calices in ſpeciem nucis amygdalinæ deformati in calamo altero, ſphærula & flos: ſic ſex calamis egredientibus è candelabro.

20. Et in candelabro erant quatuor calices in ſpeciem nucis deformati, ſphærulæ ejus, & flores ejus.

21. Et erat ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, & ſphærula altera ſub duobus calamis ex ipſo, & ſphærula tertia ſub duobus calamis ex ipſo: ſic ſex calamis egredientibus ex ipſo.

22. Sphærulæ eorum & calami eorum ex ipſo fuerunt: totum erat ductile unum ex auro puro.

23. Fecit & lucernas ejus ſeptem, & forcipes ejus, & receptacula ipſius, ex auro puro.

24. Et talento puri auri fecit ipſum, & omnia vaſa ejus.

25. Fecit etiam altare incenſi è lignis Sittim: cubitus longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, quadratum: duo autem cubiti altitudo ejus: ex ipſo erant cornua ejus.

26. Et texit illud auro puro, tectum ejus ſcilicet & parietes ejus in circuitu, & cornua ejus, fecitque ei coronam auream per circuitum.

27. Duos ſimiliter annulos aureos fecit ei ſub corona ejus in duobus angulis ejus, in duobus lateribus ejus, per quos trajicerentur vectes ad portandum illud ipſis.

28. Et fecit vectes ipſos è lignis Sittim, & texit eos auro.

29. Fecit & oleum unctionis, ſanctitatem, & ſuffimentum aromaticum purum, opere unguentarii.

Si tædium afferat repetitio quæ in his capitibus videri poſſet ſupervacua, occurrat nobis Spiritus conſilium, qui in narranda operis exequutione eadem fere verba uſurpat, quibus ante expoſuit Dei mandata: ut ſciamus Moſen & ipſos artifices ne minimum quidem unguem à norma ſibi præſcripta deflexiſſe. Præcepit Deus fieri arcam fœderis cum ſuo operculo: rem ita confectam narrat Moſes, ut ne minutum quidem apicem prætermiſerint artifices. Juſſit menſam fieri panibus offerendis: nulla prorſus ſyllaba neglecta eſt. In candelabro eadem religio parendi, ut nulla in parte oberraverint. In altari thymiamatis inter mandatum & opus nihil prorſus diſſimile. Olei denique compoſitio exacte mandato reſpondet. Minime ergo dubium eſt quin obedientiam, ut eſt pietatis fundamentum, commendet Moſes, & ſimul admoneat nihil in toto cultu tabernaculi eſſe commentitium: quia religionis puritati nihil magis adverſum quam temere aliquid tentare.

EXODI

EXODI Cap. XXXVIII.

FEcit quoque altare holocauſti è lignis Sittim : quinque cubitorum longitudo ejus, & quinque cubitorum latitudo ejus, quadratum : & trium cubitorum altitudo ejus.

2. Et fecit cornua ejus in quatuor angulis ejus : ex ipſo erant cornua ejus : & texit illud ære.

3. Fecit inſuper omnia vaſa altaris, lebetes ſcilicet, & ſcopas, & crateras, & tridentes, & receptacula : omnia vaſa ejus fecit ærea.

4. Fecit præterea altari cribrum opere reticulato æneum ſub ambitu ejus inferne uſque ad medium ejus.

5. Fudit item quatuor annulos in quatuor extremitatibus cribro æneo, in quos inducerentur vectes.

6. Et fecit vectes è lignis Sittim, quos texit ære.

7. Introduxitque vectes ipſos in annulos illos per latera altaris ad ferendum illud illis : vacuum tabularum fecit illud.

8. Fecit ſimiliter concham æneam, & baſim ejus æneam ex ſpeculis mulierum convenientium, quæ conveniebant ad oſtium tabernaculi convenrionis.

9. Fecit poſtremo atrium ad plagam Auſtri ad Meridiem : cortinæ atrii è byſſo retorta centum cubitorum.

10. Columnæ earum viginti, & baſes earum viginti ex ære : capitella columnarum, & fila eas cingentia, ex argento.

11. Et ad plagam Aquilonis cortinæ centum cubitorum : columnæ earum viginti, & baſes earum viginti ex ære : capitella columnarum, & fila eas cingentia, ex argento.

12. Ad plagam vero Occidentis cortinæ quinquaginta cubitorum : columnæ earum decem, & baſes earum decem : capitella columnarum, & fila eas cingentia, ex argento.

13. Et ad plagam Orientis ad Ortum cortinæ quinquaginta cubitorum.

14. Cortinæ quindecim cubitorum erant in uno latere : columnæ earum tres, & baſes earum tres.

15. Et in latere altero hinc & inde portæ atrii, cortinæ quindecim cubitorum : columnæ earum tres, & baſes earum tres.

16. Omnes cortinæ arrii per circuitum erant ex byſſo retorta.

17. Baſes vero columnarum ex ære : capitella columnarum, & fila eas cingentia, ex argento : & operimenta capitellorum earum ex argento : ipſæ etiam omnes columnæ arrii cinctæ erant argento.

18. Velum autem portæ atrii opere phrygionis ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta : cujus longitudo erat viginti cubitorum, altitudo vero in latitudine quinque cubitorum ad cortinas atrii.

19. Et columnæ earum quatuor, baſeſque earum quatuor ex ære, uncini earum ex argento : & operimenta capitellorum earum, & fila eas cingentia, ex argento.

20. Omnes vero clavi tabernaculi & atrii in circuitu erant ex ære.

21. Iſta ſunt numerata tabernaculi, tabernaculi *inquam* teſtimonii, quæ numerata ſunt ad juſſum Moſis, per manum Ithamar filii Aharon ſacerdotis, in miniſterium Levitarum.

22. Beſeleel autem filius Uri, filii Hur, de tribu Jehudah, fecit omnia illa quæ præceperat Jehova Moſi :

23. Et cum eo Aholiab filius Ahiſamach, de tribu Dan, artifex, & acupictor, & phrygio in hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo.

24. Univerſum aurum inſumptum in ipſo opere, id eſt, in toto opere ſanctuarii, (fuit autem aurum oblationis) fuit novem & viginti talentorum, & ſeptingentorum triginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii.

25. Et argentum numeratorum in cœtu erat centum talenta & mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli, ſecundum ſiclum ſanctuarii.

26. Semiſſis in ſingula capita, id eſt, dimidium ſicli, ſecundum ſiclum ſanctuarii omnibus tranſeuntibus ad numeratos, ab eo qui natus erat viginti annos & ſupra, in ſexcentis tribus millibus quingentis & quinquaginta.

27. Fueruntque centum talenta argenti ad fundendas baſes ſanctuarii, & baſes veli : centum baſes ex centum talentis, talentum pro baſi.

28. Et ex mille ſeptingentis ſeptuaginta quinque ſiclis fecit epiſtylia columnis, & texit capita ipſarum, & texit eas.

29. Æs autem oblationis fuit ſeptuaginta talentorum, & duorum millium & quadringentorum ſiclorum.

30. Et fecit ex eo baſes oſtii tabernaculi conventionis, & altare æreum, & cribrum ejus æreum, omniaque vaſa altaris.

31. Et baſes atrii per circuitum, & baſes portæ atrii, præterea omnes palos tabernaculi, omneſque palos atrii per circuitum.

1. *Fecit*

1. *Fecit quoque altare.*] Hujus capitis eadem quæ proximi ratio: niſi quod partes quædam in alium locum ſunt transpoſitæ: nullum tamen verbum mutatum. Incipit ab altari holocauſtorum: quod materia & forma divinitus præſcripta extructum fuiſſe docet, ut certiore fiducia illic populus ad expianda peccata & gratias agendas ſacrificia offerret. Unum hic de labro æneo ſive concha, unde aquam expiationis ad ſe aſpergendos ſumebant, additur, cujus ante non fuerat facta mentio: nempe labrum illud fuiſſe ornatum ſpeculis mulierum. Quod nonnulli ita exponunt, quaſi pellucidum fuerit vas illud, ut facilius animadverti poſſet ab omni parte, ſi quod eſſet flagitium, vel protervia, vel impudica actio. Scimus enim impuros & profanos homines religionis prætextu interdum ſuas ſpurcitias tegere. Sicuti
1 *Sam.* 2. *verſ.* 22. ſcriptum eſt, mulieres quæ ad colenda pietatis exercitia frequentes erant in tabernaculo, ſtupratas fuiſſe à filiis Eli ſacerdotibus. Sed altera conjectura æque probabilis, ſpecula hæc in templi decus & ſacrum uſum à ſanctis mulieribus dicata eſſe. Nam quum in externo cultu & venuſto pluſquam curioſæ ſint mulieres, ſemper ſpeculis valde fuerunt addictæ, tam ad genas fucandas quam ad comam digerendam: ne quis capillus non ſuo loco eſſet. Ideo in luxuria
Joſa. 3. *verſ.* 23. mundi muliebris ſpecula recenſet Jeſaias. Exiſtimant autem fœminas pietatis ſtudio deditas, abjecta illa vanitate, in teſtimoniom pœnitentiæ ſacraſſe ſua ſpecula. Sed fieri poteſt, ut inter alia dona, de quibus dictum fuit, etiam ſpecula obtulerint: quæ inſtar emblematum, in labro æneo incluſa fuerunt. Sunt qui cælaturas fuiſſe putent, in quibus depictæ eſſent mulierum imagines, acſi in ſpeculis cernerentur. Mihi ſimplex illa ſententia maxime probatur, donaria ſcilicet fuiſſe quibus piæ fœminæ ſanctuarium decorare ſtuduerant, & artificum conſilio aptata fuerant in eum uſum. non enim quaslibet deſignat, ſed quæ militarent, vel turmatim convenirent ad oſtium tabernaculi. Verbum enim צבא varie exponunt interpretes tam hoc loco quam 10 altero Samuelis quem nuper citavi. Transfertur etiam ad Levitas, qui dicuntur militare militiam in ſanctuario dum operam ſibi injunctam impendunt. Et hæc metaphora excubiis & aſſiduis precibus non male convenit. Summa eſt, labrum fuiſſe conflatum ex ea materia, vel (quod magis placet) ſpeculis illis fuiſſe cælatum, quo ſplendidius eſſet. *Num.* 8. *verſ.* 24.

21. *Iſta ſunt numerata.*] Acſi dixiſſet hanc eſſe ſupputationem, vel bos eſſe numeros. Docet enim non modo ita ſemel compoſitom fuiſſe tabernaculum, ſed ſingulas partes certo numero deſcriptas, & quaſi in tabulis conſignatas fuiſſe, ut Levitis darentur in cuſtodiam, ne quid petiret. Neque enim hic tantum de fabrica vel architectura babetur ſermo, ſed de perpetua conſervatione ſanctuarii: quod ſcilicet Ithamar ſacerdos ſingulas ejus partes depoſuerit apud Levitas, idque ſecuodum præceptum Moſis.

22. *Beſeleel autem filius Uri.*] Iterum inculcat divioum fuiſſe totum opus: quia & Moſes fideliter mandata Dei pertulerit, & exacta diligentia obſequuti fueriot artifices. Simul recenſet pondus auri & argenti, & docet ubi tota ſumma conſumpta fuerit. Unde colligimus ſingulos ſuo officio probe fuiſſe defunctos, & neminem lucri cupiditate corruptum fuiſſe, vel illectum, ut ab integritate deſciſceret. Exprimitur etiam unde confecta fuerit argenti ſumma, nempe ex cenſu populi. Vectigal enim ſicli communis, qui dimidia pars erat ſicli ſacri, impoſitum fuerat in ſingula capita, ut vidimus. Nunc docet Moſes totam hanc ſummam abſque fraude collectam & repræſentatam fuiſſe, & ſic diſtributam ut nihil interciderei.

EXODI Cap. XXXIX.

EX hyacintho autem, & purpura, & vermiculo cocci fecerunt veſtes miniſterii ad miniſtrandum in ſanctuario: fecerunt item veſtes ſanctitatis, quæ erant Aharonis, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

2. Fecit & ephod ex auro, hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta.

3. Extenderuntque bracteas aureas, & inciderunt fila, ut texerent in medio hyacinthi, & in medio purpuræ, & in medio vermiculi cocci, & in medio byſſi, opere phrygionico.

4. Oras fecerunt ei copulantes ſeſe, & in duabus extremitatibus ejus conjungebantur.

5. Et cingulum ephod quod erat ſuper illud, ex ipſo erat juxta opus ſuum, ex auro, hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

6. Et aptaverunt lapides onychinos circumdatos palis aureis, ſculptos ſculpturis annuli cum nominibus filiorum Iſraël.

7. Poſuitque illos in lateribus ephod, ut eſſent lapides memoriæ filiis Iſraël, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

8. Fecit & pectorale opere phrygionis, ſicut opus ephod, ex auro, hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta.

9. Quadratum erat, duplicatum fecerunt pectorale: palmus longitudo ejus, palmuſque latitudo ejus: duplicatum.

10. Impleverunt autem in eo quatuor ordines lapidum. ordo autem talis erat: ſardius, topazius, & carbunculus, erat ordo primus.

11. Ordo vero ſecundus, ſmaragdus, ſapphirus, & jaſpis.

12. Ordo præterea tertius, lyncurius, achates, & amethyſtus.

13. Poſtremo quartus ordo, chryſolitus, onychinus, & beryllus, circumdati palis aureis in plenitudinibus ſuis.

14. Porro lapides illi juxta nomina filiorum Iſraël erant, duodecim juxta nomina eorum, ſculpturæ ſigilli, quilibet juxta nomen ſuum, ſecundum duodecim tribus.

15. Fecerunt & ſuper pectorale catenas terminationis opere plectili ex auro puro.

16. Fecerunt etiam duas palas aureas, & duos annulos aureos: poſueruntque duos illos annulos in duabus extremitatibus pectoralis.

17. Et

17. Et inſeruerunt duas catenas aureas duobus illis annulis qui erant in extremitatibus pectoralis.

18. Duas autem extremitates duarum catenarum inſeruerunt duabus illis palis, poſuerunt que eas in oris ephod à fronte ipſius.

19. Fecerunt item duos annulos aureos, quos poſuerunt in duabus extremitatibus pectoralis, in ora ejus quæ erat in latere ephod intrinſecus.

20. Fecerunt præterea duos alios annulos aureos, quos poſuerunt in duabus oris ephod inferne, à fronte ipſius, è regione conjunctionis ejus, ſupra balteum ephod.

21. Et ligaverunt pectorale ab annulis ſuis ad annulos ipſius ephod, filo hyacinthino, ut eſſet ſupra balteum ipſius ephod, neque ſepararetur pectorale ab ephod: quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

22. Fecit inſuper pallium ipſi ephod opere textoris, totum hyacinthinum.

23. Et foramen pallii in medio ejus, ſicut foramen loricæ: labrum erat in orificio ipſius per circuitum, ne frangeretur.

24. Fecerunt que in fimbriis pallii malogranata ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & byſſo retorta.

25. Fecerunt & tintinnabula ex auro puro, poſuerunt que tintinnabula illa in medio malogranatorum, in fimbriis pallii per circuitum, in medio (inquam) malogranatorum.

26. Tintinnabulum & malogranatum, tintinnabulum & malogranatum in fimbriis pallii in circuitu, ad miniſtrandum, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

27. Poſt hæc fecerunt tunicas ex byſſo opere textorio ipſi Aharon & filiis ejus:

28. Mitram quoque ex byſſo, & decora galerorum ex byſſo, & fœminalia linea ex byſſo retorta:

29. Balteum præterea ex byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, opere phrygionis, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

30. Fecerunt poſtremo laminam coronæ ſanctificationis ex auro puro, ſcripſeruntque in ea ſcriptura cælaturarum annuli, Sanctitas ipſi Jehovæ.

31. Et inſeruerunt in eam filum hyacinthinum, ut poneretur ſuper tiaram ſuperne, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

32. Perfectum eſt igitur totum opus tabernaculi, tabernaculi conventionis: & fecerunt filii Iſraël juxta omnia quæ præceperat Jehova ipſi Moſi, ſic fecerunt.

33. Attulerunt que tabernaculum illud ad Moſen, tabernaculum & omnia vaſa ejus, circulos ejus, tabulas ejus, vectes ejus, & columnas ejus, & baſes ejus.

34. Opertorium quoque ex pellibus arietum rubricatis, & opertorium ex pellibus taxorum, & velum operimenti.

35. Arcam teſtimonii, & vectes ejus, & propitiatorium.

36. Menſam, omnia vaſa ejus, & panem facierum.

37. Candelabrum purum, lucernas ejus, lucernas *inquam* ordinationis, & omnia vaſa ejus, & oleum luminaris.

38. Et altare aureum, & oleum unctionis, & ſuffimentum aromaticum, & aulæum pro oſtio tabernaculi.

39. Altare æreum, & cribrum ejus æreum, vectes ejus, & omnia vaſa ejus, & concham, & baſim ejus.

40. Cortinas atrii, & columnas ejus, & baſes ejus, & aulæum pro porta atrii, & funes ejus, & palos ejus, & omnia vaſa miniſterii tabernaculi, tabernaculi conventionis.

41. Veſtes miniſterii ad miniſtrandum in ſanctuario, veſtes ſanctas ipſi Aharon ſacerdoti, & veſtes filiorum ejus, ad fungendum ſacerdotio.

42. Juxta omnia quæ præceperat Jehova Moſi, ſic fecerunt filii Iſraël univerſum opus.

43. Videns vero Moſes univerſum opus, quod prorſus feciſſent illud quemadmodum præceperat Jehova, benedixit illis.

1. *Ex hyacintho autem*, &c.] Hoc capite magis accurata veſtitus ſacerdotalis deſcriptio repetitur, quam ſi de re vulgari verba fierent. Et certe quum in perſona ſacerdotis ad vivum expreſſus fuerit Chriſtus, hæc præcipua pars fuit cultus Legalis. Et alibi expoſuimus quam non fuerit inanis pompa: ut hodie ſacrificii Papales, quo ſibi majeſtatem acquirant, ſimplicium perſtringunt oculos veſtium ſplendore & magnifico apparatu: ſed potius ut illic ſubjecta fuerint hominum oculis quæcunque in Chriſto conſiderare debet fides. Videmus præcipue quanta myſteria continuerit tiara, quæ ſanctitas erat Jehovæ, & ſacrum ephod, ubi fulgebant lux veritatis, & vitæ integritas, ubi ſymbola erant duodecim tribuum, ut ſacerdos populum ipſum humeris & ante pectus geſtaret: quo in unius perſona omnes familiariter coram Deo ſiſterentur. Atque in hunc finem ſepties inculcat particulam, Quemadmodum præceperat Jehova Moſi: quæ certe ad conciliandam attentionem valet.

32. *Perfectum igitur.*] Nunc attexitur brevis ſumma, qua ſignificat nulla in parte fuiſſe vel minimum defectum: in qua rurſus ſcribit filios Iſraël ſic paruiſſe Dei mandatis, ut opus ipſum à regula ſua nihil differret. Fecerunt, inquit, filii Iſraël ſecundum omnia, ſic fecerunt ut Deus præceperat Moſi. Unde colligimus nulla mixtura corruptam fuiſſe ullam ædificii partem. Additur poſtea tabernaculum cum ſuis vaſis & ſupellectile productum fuiſſe coram Moſe, omniaque ejus judicio fuiſſe probata.

Poſtremo

Poſtremo ſubjicitur fauſta Moſis precatio in laudem obedientiæ. Narratur enim Moſen illis benedixiſſe, quod Dei impetio probe & fideliter paruiſſent. Quanoquam noo fuit hæc ſimplex tantum precatio ut hominis ptivati : ſed mercedis promiſſio, quæ animos populi ad fiduciam erigeret, quum auditent ex ote optimi & indubii teſtis laborem ſuum Deo placere.

EXODI Cap. XXIV.

ET dixit ad Moſen, Aſcende ad Jehovam tu & Aharon, Nadab & Abihu, & ſeptuaginta è ſenioribus Iſraël, & adorabitis procul.

2. Solus autem Moſes perveniet ad Jehovam : ipſi vero non pervenient, nec populus aſcendet cum eo.

3. Venit ergo Moſes, & narravit populo omnia verba Jehovæ, omniaque judicia. Et reſpondit totus populus una voce, ac dixerunt, Quæcunque verba loquutus eſt Jehova, faciemus.

4. (Scripſerat autem Moſes omnia verba Jehovæ) ſurgenſque mane ædificavit altare ſub monte, & duodecim ſtatuas ſecundum duodecim tribus Iſraël.

5. Miſitque juniores filiorum Iſraël, qui immolâverunt holocauſta, & ſacrificaverunt ſacrificia proſperitatum ipſi Jehovæ, vitulos.

6. Et accepit Moſes dimidium ſanguinis, & poſuit in crateribus : dimidium vero ſanguinis ſparſit ſuper altare.

7. Sumpſit deinde librum fœderis, & legit in auribus populi : qui dixerunt, Quæcunque dixit Jehova, faciemus, & obediemus.

8. Tulit quoque Moſes ſanguinem, & ſparſit ſuper populum, ac dixit, Ecce, ſanguis fœderis quod pepigit Jehova vobiſcum ſuper cunctis his ſermonibus.

1. *Aſcende ad Jehovam tu & Aharon.*] Antequam tabernaculum erigeret, ac ſolenni ritu conſecraret Moſes, neceſſe fuit tabulas fœderis petere, quæ pignus eſſent paterni Dei favoris. Alioqui arca vacua inane quodammodo fuiſſet ſanctuarium. Hac de cauſa juſſus eſt in montem aſcendere, ſed non ſine ſplendido comitatu : ut legitima præparatio populi animos ad recipiendum ſingulare beneficium attolleret. Ergo jubetur ſecum accipere Aharon fratrem, Nadab & Abihu, deinde ſeptuaginta ex ſenioribus populi. Hic teſtium numerus ad ſpectandam Dei gloriam adhibitus fuit. Sed antequam io montem conſcenderent, ſacrificium à toto populo oblatum fuit, & liber Legis recitatus. Tandem ſolus Moſes in verticem montis receptus eſt, ut inde tabulas manu Dei ſcriptas proferret. Verum hic exoritur de ſeptuaginta ſenioribus quæſtio. Neque enim electos fuiſſe ſeptuaginta antequam digreſſus eſſet populus à monte Sinai, alibi videbimus : hic autem eorum fit mentio ante promulgationem Legis : quod minime videtur conſentaneum. Verum facile diluitur abſurditas, ſi recipimus quod elicitur ex hoc loco, jam ante quam ventum eſſet ad montem Sinai, ſingulas tribus creaſſe ſuos præfectos, qui efficerent hunc numerum, quum ſex eſſent ex unaquaque tribu. Quum vero poſtea exonerari Moſes cuperet, rejectam fuiſſe partem jubet nationis in ſeptuaginta : quoniam hic numerus jam more & uſu receptus erat. Certe quando aperte narratur delectos fuiſſe ſeptuaginta ſtatim ab initio, probabile eſt totidem fuiſſe additos Moſi collegas : ut quam minima fieret mutatio. Scimus enim, ubi conſuetudo obtinuit, quam non libenter ab ea recedant homines. Quid ſi etiam Iſraëlitis animus & conſilium furtit boc modo celebrem reddere originis ſuæ memoriam ? Septuaginta enim capita cum Jacob deſcenderant in Ægyptum. Nondum completis poſt eorum ingreſſum annis ducentis & viginti, propagatum fuerat eorum genus ad ſexcenta millia, præter fœminas & parvulos. Ergo à veriſimilitudine non abhorret, ut tam admirabilis Dei benedictio teſtata maneret omnibus ſeculis, quaſi à fonte ipſo repetetent generis ſui exordium, creatos fuiſſe ſeptuaginta qui toti populo præeſſent.

2. *Solus autem Moſes perveniet.*] Tres gradus hic ponuntur. Populo enim præfigitur ſtatio ex qua procul adoret : ſeniores cum ſacerdotibus adduntur comites Moſi, qui propius accedant, atque ita ad populum teſtes ſint omnium quæ poſtea videbimus illis fuiſſe oſtenſa. Porro ſicuti à vulgo fuerunt ſeparati, ita Moſes tandem ſolus in ſuperiorem gloriam receptus eſt. Nube enim oppoſita in ſublime raptus fuit. Hæc diſtinctio notatur his verbis, Perveniat tantum Moſes, illi vero non : ut populus non aſcendat. Quidam interpretes retinent præteritum verborum tempus : ſed non recte, meo judicio : quia nondum tradit Moſes quid geſtum ſit, ſed tantum recitat Dei mandata : ſicuti ex proximo verſu patet. In quo etiam laudatur modeſtia & humilitas populi, quod reverenter exceperit mandatum, alioqui non adeo jucundum, nec plauſibile. Nam (quæ hominum eſt ambitio) poterat videri contumelioſum ipſos procul rejici, & prohiberi ab acceſſu montis tanquam extraneos & profanos. Quod ergo placide ferunt ſe longe ſubmoveri, & ſorte ſua minus in ſpeciem honorifica contenti ſunt, ſpecimen eſt piæ reverentiæ. Obſequii vero promptitudinem clarius exprimit Moſes, quum eorum verba recitat, facturos ſcilicet quæ annunciaverat ex ore Dei.

4. *Scripſerat autem Moſes.*] Opportune inferitur hæc parenthesis : quia paulo poſt videbimus lectum fuiſſe librum coram populo : ſed quo major eſſet attentio, ante recitationem altare compoſuit, & victimas obtulit, populo ipſo ſpectante. Porro notandum eſt, ſtatuas prope altare fuiſſe erectas pro numero tribuum : ut ſcirent ſe non arceri in ſignum rejectionis, ſed tantum ut ſuæ indignitatis conſcii, cum metu & ſollicitudine Deum ſuſpicerent. Sic enim erant remoti longo interſtitio, ut eorum memoria coram Deo extaret, atque ita in ſtatuis quodammodo eos omnes amplecteretur. Statuas autem vocat Moſes non ſimulacra quæ faciem hominis figurent, ſed cumulos lapidum, qui monumenti loco eſſent ad repræſentandas tribus duodecim : ut ſcirent ſe ab altaris ſanctitate minime excludi.

5. *Miſitque juniores.*] Aut intelligit fuiſſe victimarios qui manibus ſuis boſtias mactaverint, aut fuiſſe delectos qui expediti ac veget eſſent ad boves trahendos. Nondum conſecrata erat tribus Levi. Vetbum autem offerendi ſacerdotale eſt, ubi diſtinctio inter Levitas ſtatuitur & reliquum populum. Quare prior ſenſus melius convenit. Porro ſacrificia proſperitatum alibi diximus dicata fuiſſe ad gratiarum actiones : non tamen ſolum fuiſſe gratulatoria, ſed admixtas fuiſſe preces ad petendum felicem ſucceſſum.

ceſſum. Hæc autem oblatio in ſe continuit fœderis ſanctionem: ut paulo poſt ſequitur. Nam quo ſanctior eſſet fœderum religio & fides, omnibus ſeculis, etiam apud profanas gentes, interpoſita fuerunt ſacrificia. In hunc finem Moſes, cæſis victimis, dimidiam ſanguinis partem fundit ſuper altare, dimidiam ſervat in crateribus, qua populum aſpergat: ut tali ſymbolo ratum ſit fœdus, cujus ipſe inter prægerat ac
Phil. 2. verſ. 17. ſponſor. Ad hunc morem alludens Paulus, gaudere ſe dicit ſi immoletur ſuper boſtia & ſacrificio fidei eorum quos Chriſto lucrifecit. Utitur autem verbo σπένδομαι, quod proprie fœderibus apratur. Verum peculiaris fuit hujus ſacrificii ratio: quia Deus admonitos voluit Judæos de unica & ſolida fœderis, quod eum illis paciſcebatur, confirmatione: acſi palam oſtenderet, tunc demum fore efficax & ratum, ubi ſanguine obſignatum foret. Idque prudenter expen-
Hebr. 9. verſ. 19. dit Apoſtolus ad Hebræos, ubi dicit, Moſen poſt Legem expoſitam librum & totum populum ſanguine aſperſiſſe. Etſi autem nulla hic libri fit mentio, non temere Apoſtolus ſub altari recenſet. Deinde alte-
Num. 10. verſ. 5. rum genus ſacrificii, de quo in Numeris agitur, ſimul attingit; atque ideo lanam coccinam & hyſſopum commemorat. Summa eſt, ſanguinem fuiſſe quaſi intermedium, ut fœdus firmum eſſet ac ſtabile: quia dimidia parte irrigatum fuit altare, quaſi ſacra Dei ſedes: aſperſio deinde reſiduæ partis facta fuit ſuper populum. Unde colligimus, fœdus gratuitæ adoptionis percuſſum fuiſſe cum veteri populo in ſalutem æternam: quia Chriſti ſanguine ſub umbra & typo obſignatum fuit. Quod ſi hæc doctrina viguit ſub Lege, multo magis hodie apud nos locum obtineat neceſſe eſt. Itaque ut Dei promiſſionibus ſua conſtet vis ac certitudo, ſemper hæc obſignatio in medium veniat: ac meminerimus Chriſti ſanguinem ideo ſemel fuſum, ut fœdus, quo vocamur in ſpem regni cæleſtis, cordibus noſtris inſculperet. Qua ratione Chriſtus in Cœna ſanguinem ſuum tanquam ſigillum novi fœderis commendat: imo quoties in manus ſumimus ſacros libros, debet nobis occurrere ſanguis Chriſti, acſi eo ſcripta eſſet tota cæleſtis doctrina. Neque enim dubium quin Chriſtus veritatem, quæ in ipſo exhibita fuit, figuræ opponat. Quo etiam pertinet illa quam nuper citavi Apoſtoli admonitio. Porro ſeries agendi nobis diligenter notanda eſt. Primo enim teſtatur Moſes librum ſe legiſſe coram populo: deinde adjungit, populum ipſum amplexum fuiſſe Dei fœdus ſibi propoſitum. Poſtremo refert, ubi obedientiam profeſſus eſt populus, ſe ſparſiſſe ſanguinem non ſine teſtimonio & ſonora voce. Qui contextus nobis oſtendit genuinam veramque naturam Sacramentorum, una cum recto puroque uſu. Niſi enim præcedat doctrina, quæ ſit muruæ inter Deum & homines conjunctionis vinculum, luſoria & evanida erunt ſigna, quantumvis honorificis elogiis ornentur. Sed quemadmodum in pactis requiritur mutuus conſenſus: ita Deus ſuos ad recipiendam gratiam invitans, fidei obedientiam ab ipſis ſtipulatur, ut reſpondeant Amen. Ita nihil magis præpoſterum quam fingere muta Sacramenta: ſicuti Papiſtæ ſuas nænias pro Sacramentis abſque Dei verbo inſulſe venditant. Simul autem addendum eſt, verbum quod Sacramenta vivificat, non eſſe obſcurum ſuſurrum, qualiter in Papatu magica incantatio, dum ſuper panem & calicem ſufflant, conſecratio vocatur: ſed eſſe claram & diſtinctam vocem, quæ ad homines dirigitur, & ad fidem gignendam valet. Sicuti Moſes hic populum compellat, & Deum cum ipſo paciſci admonet. Cæterum quamvis profeſſio quæ narratur, videri poſſit ex nimia confidentia manare, dum jactat populus ſe facturum quicquid Deus præcipit: nihil tamen vitioſum aut reprehenſibile continet: quia fideles nihil niſi Dei auxilio freti polliciti ſunt: & incluſa erat gratuita reconciliatio, ubi peccaſſent. Non fuit quidem hoc Legis proprium, ad obſequium juſtitiæ formare hominum corda: ſicuti nec ſub Lege, vera & realis fuit expiatio, quæ ſcelerum culpam abluebat: ſed officium Legis fuit per gradus homines deducere ad Chriſtum, ut ab eo veniam & Spiritum regenerationis peterent. Dubium ergo non eſt quin ſubſtantiam & corpus umbrarum fide apprehenderent electi Dei, quum ſe ad fœdus Dei ſervandum voluntarios offerrent.

Ex eodem Capite.

9. Aſcendit autem Moſes & Aharon, Nadab & Abihu, & ſeptuaginta è ſenioribus Iſraël.

10. Et viderunt Deum Iſraël: & ſub pedibus ejus erat tanquam opus tabulæ ſapphiri, & ſicut ſpecies cæli in ſerenitate.

11. Et in principes filiorum Iſraël non extendit manum ſuam: & viderunt Deum, & comederunt, & biberunt.

12. Dixitque Jehova ad Moſen, Aſcende ad me in montem, & eſto ibi: daboque tibi duas tabulas lapideas, & Legem atque præceptum, quæ ſcripſi ad docendum eos.

13. Surrexit itaque Moſes & Jehoſua miniſter ejus, & aſcendit Moſes in montem Dei.

14. Senioribuſque dixit, Manete hic donec revertamur ad vos: & ecce, Aharon & Hur ſunt vobiſcum: quiſquis habuerit cauſas, accedet ad eos.

15. Tunc aſcendit Moſes in montem, & operuit nubes montem.

16. Habitavitque gloria Jehovæ ſuper montem Sinai, & operuit eum nubes ſex diebus: vocavitque ipſum Moſen die ſeptimo è medio nubis.

17. Et aſpectus gloriæ Jehovæ erat tanquam ignis comburens in vertice montis, in oculis filiorum Iſraël.

18. Et ingreſſus eſt Moſes in medium nubis, aſcenditque in montem: & fuit Moſes in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

9. *Aſcendit autem Moſes.*] Sic hiſtoriam contexo, Moſen, recitata Lege, & aſperſione ſanguinis facta, ſumpſiſſe comites à Deo nuncupatos, & relicto populo ſimul eum ipſis conſcendiſſe uſque ad aliquod montis ſpatium. Hoc ideo breviter attingere volui, quia perperam quidam interpretes tempus pluſquam perfectum reddunt: acſi jam ante ſegregati fuiſſent ipſe & ſeniores à populo. quod nimis abſurdum eſt: quia neceſſe fuit ipſum manere in planitie, ut ad turbam verba faceret. Illic propius conſpecta fuit Dei gloria à ſenioribus, ut deinde narrarent populo quod viderant, atque ita res idoneis teſtibus probata indubiam fidem atquireret. Hac ratione dicit ipſos vidiſſe Deum Iſraël: non qualis & quantus eſt, ſed pro modo diſpenſationis, quem ipſe optimum ſtatuit, & quem attemperavit ad captum hominum. Forma quidem ipſius Dei nulla deſcribitur, ſed baſis in qua ſtabat dicitur ſimilis fuiſſe operi ſapphirino.

לבנת quidam vertunt lapidem, alii candorem, alii laterem. quocunque ſenſu accipere libeat, parum ad rei ſummam refert: quia objectus fuit ſapphiri color, qui ſuo ſplendore eorum mentes ſupra mundum attolleret. Ideo mox ſequitur, ſpeciem fuiſſe cæli clari & ſereni. Quo ſymbolo admoniti fuerunt gloriam Dei ſuperiorem eſſe cælis omnibus: & quum in ſcabello pedum ejus pulchritudo ſit omnium maxime delectabilis, de ipſo aliquid auguſtius eſſe cogitandum, quod in admirationem ſui ſenſus omnes noſtros rapiat. Ita Ezechieli oſtenſum fuit Dei ſolium quod referret colorem ſapphiri. Denique in ſcabello pedum apparuit immenſa majeſtas, quæ attonitos redderet ſeniores: quo majore reverentia incomprehenſibilem Dei gloriam ſuſpicerent.

Ezech. 1. verſ. 26. & 10: 1.

11. *Et in principes filiorum.*] Verba (meo judicio) violenter torquent qui exponunt ſeniores non fuiſſe participes doni Prophetici, vel Dei virtutem non fuiſſe ad eos uſque extenſam. Nam conjunctim legenda ſunt hæc membra, Quamvis Deum viderint, manum tamen ejus in eos non fuiſſe emiſſam, ſed comediſſe & bibiſſe. Unde colligere licet, notari paternum erga eos Dei favorem, quod illis pepercerit. Tenendum enim eſt quod alibi dicitur, Nemo videbit faciem meam, & vivet. Itaque apud veteres hæc fuit quaſi proverbialis ſententia, Moriemur, quia Deum vidimus. Et Jacob commendans Dei gratiam, Vidi, inquit, Deum facie ad faciem, & ſervata eſt anima mea. Nam ſi ab ejus conſpectu liquefiunt montes, quid homini mortali accidere neceſſe eſt, quo nihil fragilius & magis caducum? In eo igitur ſe prodit incomparabilis Dei clementia, dum ſe electis ſuis manifeſtans, non prorſus eos abſorbet, ac in nihilum redigit: præſertim ubi objicitur ſingularis aliqua viſio. In ſumma ergo, miraculum fuiſſe docet Moſes, quod ſalvi & integri fuerint principes Iſraël, quum tamen illis apparuiſſet formidabilis Dei majeſtas. Id vero factum eſt, quia non temere ſe ipſi ingeſſerant, ſed acceſſerant Deo vocante. Unde diſcimus, nunquam modum excedere noſtram audaciam, nec temeritatis poſſe damnari, ubi in Dei mandato fundata eſt. Sicuti omni ſuperbia & confidentia deterior eſt timiditas, quæ prætextu modeſtiæ diffidere nos Dei verbo facit. Si quiſpiam è populo idem quod principes tentaſſet, expertus fuiſſet ſuo interitu quid ſit ultra metas perrumpere. Senioribus autem, quia Deo jubenti paruerunt, feliciter ſucceſſit liber & intrepidus acceſſus. Quod ſequitur, ipſos comediſſe, de ſacro & ſolenni epulo interpretor, quod erat pars vel appendix ſacrificii: quemadmodum Exodi decimo octavo & aliis pluribus locis viſum eſt.

12. *Dixitque Jehova ad Moſen.*] Jam altius evehitur Moſes ipſe: quia ſatis erat ſeniores adhibitos eſſe ad illam mediam viſionem, ex qua certo cognoſcerent eum ulterius non progredi niſi Dei mandato, ut ad familiare colloquium admitteretur. Etſi autem cum ipſo proficiſci cœpit Joſue, ex proximo tamen verſu patet ſex tantum diebus fuiſſe comitem, donec eo relicto Moſes in nubem collectus eſt. Quum pronunciat Deus ſe daturum ei Legem & præceptum, id de nova aliqua doctrina intelligi non debet, ſed de authentica Legis conſignatione. Nam ubi de tabulis duabus loquutus eſt, appoſitive mox nominat Legem & præceptum, ad explicationem: acſi diceret ſe tabulas daturum quæ cæleſte monumentum eſſent ſui fœderis: ut ſumma doctrinæ apud populum extaret, non atramento & manu hominis ſcripta, ſed arcana Spiritus ſui virtute. Speculatio Auguſtini vercor ne arguta ſit magis quam firma, Legem ſcriptam fuiſſe digito Dei, quia ſolus Dei Spiritus eam cordibus noſtris inſculpit. Ut enim omittam non mutatam fuiſſe duritiem in lapidibus: quid ſibi vult fractura de qua poſtea agetur? Certe non convenit, quum ad finem uſque vigeat regenerationis gratia, Legem ad momentum duntaxat efficaciter à Spiritu ſancto inſculpi cordibus hominum. Quod autem attuli, extra controverſiam eſt, Legem exaratam fuiſſe in tabulis illis politis, ut fœderis perpetuitas omnibus ſeculis teſtata eſſet.

14. *Manete hic donec revertar.*] Non ita præciſe verba accipio, acſi ſubſiſtere in eodem loco juberet: ſed quum mox ſegregandus eſſet ab hominum ſocietate, hoc adverbio notari puto terrenum domicilium: quia mox ſequitur, ſi quid acciderit, Aharon & Hur adjutores fore in regendo populo, & litibus ſedandis. Quoniam enim poterat cura & anxietas obrepere eorum animis, acſi unico conſilii dure & ſalutis miniſtro deſtituerentur, propoſito ſolatio eos ad bene ſperandum animat. Unde ſequitur, remitti ad vices ſuas obeundas: quod fieri non poterat, niſi verſati eſſent cum populo. Porro neſcitur an de tempore præmonitus fuerit Moſes: quanquam magis probabile eſt ſuſpenſum & dubium fuiſſe, donec in abſconditum Dei conſilium penetravit. Ex penultimo verſu diſcimus, quamvis ſenioribus clarius patefacta fuerit Dei majeſtas, conſpicuam tamen omnibus fuiſſe à minimo uſque ad maximum, ne qua ignorantiæ excuſatio ullis reliqua eſſet. Nam quum ſex diebus continuis viſus fuerit ignis ardere, acſi montem conſumeret: qui poſtea obtendere licuit non ſatis liquido compertum eſſe à quo auctore profecta Lex eſſet?

Ex Exodi XXXI.

18. Et dedit *Deus* Moſi, quum finem feciſſet loquendi eum eo in monte Sinai, duas tabulas teſtimonii, tabulas lapideas ſcriptas digito Dei.

EXODI Cap. XXXII.

VIdens autem populus quod moram faceret Moſes ad deſcendendum è monte, tune congregatus eſt contra Aharon, & dixerunt ei, Surge, fac nobis deos qui præcedant nos: huic enim Moſi viro illi qui eduxit nos è terra Ægypti, neſcimus quid acciderit.

2. Et dixit illis Aharon, * Eripite inaures aureas, quæ ſunt in auribus uxorum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, atque afferte.

* vel, detrahite.

3. Eripuerunt à ſe igitur totus populus inaures aureas, quæ erant in auribus eorum, & attulerunt ad Aharon.

4. Quas accepit de manu eorum, formavitque illud ſtylo, & fecit ex illo vitulum fuſilem: & dixerunt, Iſti ſunt dii tui ô Iſraël, qui eduxerunt te è terra Ægypti.

5. Quod videns Aharon, tunc ædificavit altare coram eo: & clamavit Aharon, dixitque, Solennitas Jehovæ erit cras.

6. Et ſummo mane ſurrexerunt ſequenti die, atque obtulerunt holocauſta, & adduxerunt hoſtias proſperitatum: ſeditque populus ut manducaret & biberet, poſtea ſurrexerunt ut luderent.

Exod. 31. 18. *Et dedit Deus Moſi.*] Notandum eſt, poſtquam vox Dei audita fuerat è medio igne, & decem verba protulerat, & deſcripta fuerat tabernaculi forma, opus etiam ab artificibus completum, licet nondum peracta eſſet dedicatio, Moſen rurſus fuiſſe ſubductum ab hominum conſpectu & cohabitatione, ut ſeorſum edoceretur, quo fidelis eſſet Legis interpres. Nam decem quidem verbis breviter complexus fuerat Deus ſummam ejus doctrinæ quæ ad normam pie juſteque vivendi ſufficeret: verum neceſſaria fuit clarior explicatio, quam poſtea Moſes addidit. Hac de cauſa tanquam in adytum cæleſte receptus eſt, ut familiariter diſceret quæcunque ad plenam ſolidamque decem verborum intelligentiam ſpectabant: quia ad genuinum ſenſum nunquam penetraſſet, niſi Deo magiſtro ac doctore. Unde colligimus, quinque libros non modo præeunte Dei Spiritu ſcripliſſe, verum ſicuti Deus ipſe ore ad os loquendo ſuggeſſerat. Quare diebus 40 ſilentium coluit, ut libere poſtea (Deo auctore) loqueretur. Sic omnes veros Eccleſiæ paſtores diſcipulos eſſe oportet, qui nihil docerant niſi quod acceperint. Ac tametſi momento poterat Deus ſervum ſuum numeris omnibus abſolvere: quo tamen certius conſtaret nihil eum afferre niſi è cæleſti ſchola profectum, quadraginta diebus ſeparatus fuit ab humano genere, ut perinde eum ſuſpicerent Iſraëlitæ atque Angelum è cælo miſſum. Neque enim terrenum quicquam ſapere poterat qui ſine cibo & potu, aliiſque adminiculis, omni carnis infirmitate exutus apud Deum vixerat. Tandem ſcripta fuerunt decem verba in duabus tabulis, ne unquam interciderent. Porro cur in duas tabulas fuerint diſtincta, alibi expoſui: nempe quoniam duabus partibus continentur: quarum prior regula eſt pietatis; altera vero præſcribit quomodo juſte, innoxie & caſte verſari cum hominibus oporteat. Ita ordine præcedit Dei cultus: deinde ſequuntur charitatis officia. Jam lapideæ fuerunt tabulæ: ut ſolent perpetua monumenta in ære vel lapidibus inſculpi. Digito Dei ſcripta fuiſſe intellige: quia ſine hominis manu & artificio, arcana Dei virtute formati ſunt characteres. Nec mirum eſt ſcripturam repente exſtitiſſe eodem Dei nutu quo vaſta & informis mundi materia, quam chaos nominant, mutata fuit ut admirabili decore & pulchritudine fulgeret. Eſt autem metaphorica loquutio, qua impropriæ ad Deum transfertur quod nonniſi in homines competit. Neque enim corporeus eſt Deus, ut digito ſcribat. Et ejus facere nihil aliud eſt quam præcipere: ſicuti dicitur in Pſalmis, Dixit, & facta ſunt omnia: mandavit, & creata ſunt. Multis plauſibilis eſt allegoria, Legem fuiſſe ſcriptam Dei Spiritu in lapidibus: quia eam ſine regenerationis gratia non recipit cordis noſtri duricies. Sed nobis potius tenenda eſt Pauli antitheſis, ubi hac nota differre Euangelium à Lege docet, quia cordibus carneis & ad obſequium ſubactis inſcribitur. Et ſane argutiis ludere minime convenit, ubi ſimplex Dei conſilium ſatis patet, conſignatam ſcilicet fuiſſe Legem in lapidibus, ut doctrinæ ejus perpetuitas omnibus ſeculis vigeret.

Pſal. 33. verſ. 9. & 148. verſ. 5.

Exod. 32. 1. *Videns autem populus.*] In hac hiſtoria conſpicitur deteſtabilis populi impietas, pluſquam turpis ingratitudo, & prodigioſus furor cum ſtupore conjunctus. Eorum cauſa Moſes extra terrenæ vitæ ſtatum evectus erat, ut legationis ſuæ mandata acciperet, & ut extra controverſiam ejus eſſet auctoritas. Proterve jactant ſe neſcire quid ei acciderit, imo contemptim quaſi de homine ignoto loquuntur. Quod etiam illis graviter exprobrat Stephanus: Hic eſt Moſes ſalutis miniſter, quem repudiarunt patres veſtri. Fatentur fuiſſe ſuum liberatorem: interea ejus abſentiam ad breve tempus non ferunt: nec ulla ejus reverentia tanguntur, niſi ipſum habeant ſub oculis. Jam quum Deus illis quaſi ſe præſentem ſiſteret noctu & interdiu in columna ignis & nube: contempta tam inſigni vivaque gloriæ & virtutis effigie, repræſentari ſibi flagitant in mortuo ſimulacro. Quid enim ſibi vult iſtud, Deos fabricari qui ipſos præcedant? Annon cernebant columnam ignis & nubem? annon in Manna quotidie ſatis conſpicua erat paterna Dei ſollicitudo? annon propinquus erat innumeris modis? Atqui tot veris, certis & claris præſentiæ Dei inſignibus pro nihilo ductis, figuram appetunt quæ ipſorum vanitati reſpondeat. Atque hæc prima fuit idololatriæ origo: quod homines non putarunt ſe aliter Deo potiri, niſi eum ſuæ imaginationi ſubjicerent. Atqui nihil magis præpoſterum. Nam quum longe infra Dei altitudinem ſubſidant hominum mentes & omnes ſenſus: ubi eum capere volunt ſuo modulo, transfigurant. denique quicquid de ipſo concipit hominis ingenium, mera eſt falſitas. Et tamen vix cohiberi poteſt prava hæc cupiditas, adeo ardenter ebullit. Accedit ſuperbia & temeritas: quod ejus gloriam quaſi à cælo detractam terrenis elementis ſubjicere non dubitant. Nunc tenemus quid Iſraëlitas maxime ad hanc veſaniam impulerit, ut Dei figuram coram ſe ſtatui poſcerent: quia ſcilicet ſuo ſenſu eum metiebantur. Mirus vero ſtupor, quod Deum fieri volunt ab homine mortali: quaſi Deus ſit aut cenſeri debeat qui pro hominis arbitrio divinitatem conſequitur. Neque tamen probabile eſt tam craſſos fuiſſe ut vellent Deum novum ſibi creari. Sed per metonymiam deos vocant externas imagines, ex quarum aſpectu colligunt ſuperſtitioſi Deum ſibi eſſe propinquum. Atque id apparet ex plurali non tantum nominis ſed verbi numero: quia tametſi uno Deo erant contenti, pro ſignorum varietate eum quodammodo in partes ſcindunt. Cæterum quibuſcunque fallaciis ſe decipiant, hoc vel illud fingendo, volunt eſſe Dei creatores. In verbo Tardandi qui confuſionem notari putant, (meo judicio) hallucinantur. Eſt enim בושׁ duplicatum à בוּשׁ deſcendit, quod eſt pudefieri, patet tamen ex 5. capite Judicum, verſ. 28. ſimpliciter accipi pro Morari, ubi refertur ſermo matris Siſeræ, Quare moratur (vel differt) venire currus ejus? Cæterum hinc cognoſcere licet, hypocritas ſic Deum timere ut evaneſcat ex eorum cordibus religio, niſi adſit exactor qui eos in officio contineat. Recte Moſi obtemperabant, ejuſque vultum reverebantur: ſed quia tantum affixi erant ejus præſentiæ, ea privati, Deum timere deſinunt. Sic vivo Joſue, aliiſque ſanctis Judicibus, viſi ſunt pietatem fideliter colere: illis autem mortuis, ad defectionem mox prolapſi ſunt.

Actor. 7. verſ. 35.

2. *Eripite inaures.*] Non dubito quin victus importuno clamore populi, tergiverſando elabi conatus ſit. Neque tamen hæc juſta excuſatio eſt: quia debuit præciſo reſponſo cordate ſe opponere, & acriter invehi contra ſceleſtam Dei abnegationem. Si aurum ſibi dari juſſiſſet, ſumptu objecto poterat eorum intemperies ſedari. Sed aptius remedium erat, eripere illis ornamenta & delicias, quibus ſe ſpoliari non libenter ſuſtinent mulieres. Conſulto itaque rem odioſam, vel minime jucundam ab illis exigit, ut hoc modo ſceleſtum conſilium impediat: ſed nullo profectu: quia non minor ſuperſtitionis quam libidinis eſt impetus ad homines rapiendos. Forte & tabernaculo profpexit, ne ſacrilegas manus ad diripienda ejus vaſa extenderent. Et probabile erat, ſi ſalvum maneret, poſſe tandem ejus intuitu revocari ad ſanam mentem. Adde quod largitionis nuper profuſæ memoria poterat ardorem eorum reſtinguere, vel ſedare, ne ſe penitus extaurirent. Emphatice dicit, Auferte inaures uxoribus & liberis, ut offenſionis metu deſiſtant à propoſito: quia talibus oblectamentis ægre cedunt mulieres. Verum continuo poſt ſubjicit, fervore ſtulti zeli fuiſſe exæcatos: ut præ ſuo

perverſo voto omnia vilipenderint : atque ita detracta fuiſſe ex auribus ornamenta narrat. Mira facilitas : neque id ab uno vel paucis eſſe factum, ſed certatim à toto populo. Inaures vero hodie quoque ab Orientalibus geſtantur : quod apud nos eſt rarius. Porro ſi in ſuis nugis tam prodigi ſunt increduli ut fortuito & temere dilapident quicquid eſt ipſis pretioſum: quomodo excuſabilis erit eorum tenacitas qui ad cultum Deo præſtandum maligne reſtricti ſunt? Hinc diſcamus neque ſtulte perdere opes in ſumptus ſupervacuos, & liberales eſſe ubi oportet : præſertim ut nos & noſtra impendere parati ſimus, ubi ſcimus noſtras oblationes probari & gratas eſſe Deo.

4. *Quas accepit è manu.*] Breviter perſtringit turpe & pudendum flagitium : latis tamen oſtendit Aharon ſic morem geſſiſſe eorum furori, ut ſanare cuperet : interea mollem fuiſſe & fractum, ut ſibi metuens à tumultu, conſenſum ſimularet. Cur enim non jubet in ciſtam aliquam conjici, ne ſacrilegii contagione ſe polluat ? Quod ergo propriis manibus accipit, ſignum eſt effœminati & ſervilis animi: ſicuti quod fuſor vel ſculptor vituli eſſe dicitur,quum tamen veriſimile ſit artifices fuiſſe adhibitos. Sed criminis infamia in eum jure confertur, cujus præcipuus erat auctor, quum ſua culpa religionem & cultum Dei prodiderit. Vocem Hebraicam חרט alii ſtylum, alii typum vertunt : & priores quidem exiſtimant rudem maſſam ſculptura formatam eſſe inſtar vituli : poſteriores vero conflatum fuiſſe vitulum, ut eſſet opus fuſile: quod dicimus, *Jetter en mouſle.* Ridicula vero fabula quum in fornacem conjectum fuiſſet aurum, ſine humano artificio vitulum extitiſſe. Sed ita licentioſe Judæi ſuis commentis ludunt. Magis probabilis conjectura eſt, Aharon data opera quæſiſſe remedium ſanandæ populi veſaniæ. Probroſa res erat ſe proſternere coram vitulo, in quo nihil conſentaneum vel affine erat Dei gloriæ. Idque nominatim illis exprobrat Propheta quod mutaverint gloriam ſuam (hoc eſt, Deum in quo ſolo gloriari debuerant) in ſimilitudinem bovis comedentis fœnum. Nam ſi non ſine contumelia in hominum ordinem cogitur Deus, quanto majore & minus excuſabili ignominia fœdatur ejus majeſtas, dum brutis animalibus confertur ? Nihil tamen ad reſipiſcentiam profuit, quod non ſine vehementia continuo poſt exprimitur, quum inter ſe dixerunt, Hi ſunt dii tui Iſraël. Certe deformitas ſpectaculi horrorem incutere debuerat, ut ſe ultro amentiæ damnarent. Atqui ad obſtinationem ſe mutuo cohortantur. Nec enim dubium eſt quin ſignificet Moſes alios aliis fuiſſe ſtabella, & ita ultro citroque accenſam fuiſſe rabiem. Nam ſicuti fidelibus præcipiunt Jeſaias & Michæas ut quiſque fratri manum porrigat, & inter ſe dicant, Venite, aſcendamus in montem Domini: ita perverſa æmulatio incredulos ſollicitat ut ſe mutuis ſtimulis incitent ad ſtrenue pergendum. Porro neque ironice loquuntur, nec Deum ſubſannant, nec in animo habent ab eo deſciſcere : ſed fallaci prætextu ſacrilegium ſuum obtegunt : acſi negarent novo & inſolito ritu quicquam ſe velle Redemptori ſuo detrahere : ſed potius hoc modo amplificari ejus honorem : quia ſub externa imagine ipſum colerent. Ita hodie Papiſtæ fictitios ſuos ritus audacter Deo obtrudunt : & adventitiis commentis jactant plus ei ſe largiri quam ſi ſimpliciter manerent in finibus ab ipſo præſcriptis. Cæterum ex hoc loco diſcamus, quoſcunque ſuis idolis fucos inducat ſuperſtitio, & quibuſcunque titulis ipſa ſe infigniat, manere tamen idola. Quamlibet enim ſuis bonis intentionibus ſuperbiant quicunque ſuis commentis corrumpunt purum cultum , verum Deum abnegant , & dæmonia ſubſtituunt in ejus locum. Probabilis etiam eorum conjectura eſt qui putant Aharonem ex ſuperſtitione Ægyptiaca vitulum conflaſſe. Scitur enim qua inſania ſuum Anubim gens illa coluerit. Vivum quidem bovem qui conſuleretur pro ſummo Deo, paſcebant : ſed quia ad fictitiam illam bovis deitatem affueverat populus, videtur Aharon, ut eorum furori morem gereret, ſequutus eſſe diuturnum uſum : ex quo error contractus in illorum cordibus radices egerat. Adeo ex malis exemplis facile in eos ſerpit contagio qui alioqui integri ſunt. Nec vero abs re teſtatur David (Pſalm. 16.) ſibi tantæ abominationi fore idola , ut ne eorum quidem nomina in ore habeat : quia niſi ſerio abhorremus ab impiis , & longiſſime nos ſubducimus ab eorum ſuperſtitionibus, peſtifero afflatu nos ſtatim inficiunt.

Pſal. 106. verſ. 20.

Jeſa. 2: 2. Mich. 4. verſ. 2.

5. *Quod videns Aharon.*] Quum videt populum ſic furere ut conſpirationi ſe minime parem fore confidat, perfida timiditate ſe quoque ad obſequium flectit. Atque hic exitus eos omnes manet qui non audent ingenue & conſtanter tueri quod rectum eſt, ſed quaſi licitando ad medias pactiones deſcendunt. Nam ubi aliquandiu vacillaverint, tandem prorſus ſuccumbunt : ut nihil, quantumvis turpe vel indignum, detrectent. Videtur quidem ſuo edicto mentes ſurſum attollere ad veram Dei cultum : ſed quum Legem nuper datam violet, frivolum eſt cavillum, obtendere ſacrum Dei nomen in excuſationem vitioſi & degeneris cultus.

6. *Et ſummo mane ſurrexerunt.*] Iterum oſtenditur populi fedulitas in errore perſequendo. nec dubium eſt quin ipſis poſtulantibus indixerit Aharon ſolenne ſacrificium. Jam non modo additur, præſto fuiſſe in tempore, ſed exprimitur rara diligentia, quod primo mane apparuerint. Quod ſi inſtigante diabolo ita præcipites aguntur increduli in ſuum interitum, væ noſtræ ignaviæ, niſi in ſtudio noſtro par ſaltem alacritas ſe demonſtret : ſicuti in Pſalmo dicitur, Populus tuus cum voluntariis oblationibus in die exercitus tui. Quod poſtea ſequitur, populum ſedisſe ut comederet ac biberet , inſcite multi ad crapulam torquent : ſicuti perperam de laſcivia exponunt, ſurrexiſſe ad ludendum : quin potius ſacrum epulum deſignat Moſes, & ludos idolis dicatos. Nam ſicut alibi vidimus coram Deo epulatos fuiſſe fideles in ſacrificiis, ita & profanæ gentes celebrarunt ſacra convivia : ludis autem idola ſua venerabantur. Cujus rei certiſſimus interpres eſt Paulus, qui veteris populi idololatriam damnans, hunc locum citat, & ſcienter accommodat ad præſentem uſum : quia non ſoluſque ſe proſtituerant Corinthii , ut genus flecterent coram idolis, ſed in ſacrificiis pollutis convivæ erant infidelium.

Pſal. 110. verſ. 3.

1 Cor. 10. verſ. 20.

Ex eodem Capite.

7. Loquutuſque eſt Jehova ad Moſen , Vade, deſcende, corrupit ſe populus tuus quem eduxiſti è terra Ægypti.

8. Receſſerunt cito de via quam præcepi eis; fecerunt ſibi vitulum fuſilem, adoraverunt que illum , & ſacrificaverunt ei, dixeruntque, Iſti dii tui, Iſraël, qui eduxerunt te è terra Ægypti.

9. Dixit præterea Jehova ad Moſen ; Vidi populum hunc : & ecce, populus duræ cervicis eſt.

10 Nunc igitur dimitte me, ut excandeſcat furor meus in eos, conſumamque eos: te autem faciam in gentem magnam.

11. Et

11. Et precatus eſt Moſes faciem Jehovæ Dei ſui, & dixit, Ut quid, ô Jehova, exardeſcet furor tuus in populum tuum quem eduxiſti è terra Ægypti in fortitudine magna & manu forti?

12. Ut quid dicent Ægyptii, dicendo, In malum eduxit eos, ut occideret eos in montibus, utque conſumeret eos è ſuperficie terræ? convertere ab ira furoris tui, & pœniteat te ſuper malo populi tui.

13. Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël ſervorum tuorum, quibus juraſti per teipſum, & dixiſti eis, Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli, & totam terram iſtam quam dixi dabo ſemini veſtro, & hæreditate accipient illam in ſeculum.

14. Et pœnituit Jehovam ſuper malo quod dixerat ſe facturum populo ſuo.

7. *Vade, deſcende.*] Hæc violenta fuit tentatio ad quatefaciendam fidem Moſis. Putabat numeris omnibus completam eſſe ſuam & populi felicitatem, quum in tabulis inſculptum eſſet Dei fœdus, perpetuitatis cauſa. Nunc vero perfidia & defectione populi violatum eſſe audit & quaſi abolitum fœdus illud: cujus interitus ſecum trahebat ſalutis & bonorum omnium ruinam. Porro quo Deus atrocius ſanctiviri animum vulneret, perinde eum aggreditur acſi in ipſum recideret pars ignominiæ. Nam quod dicit, Populus tuus quem eduxiſti ex Ægypto, obliqua exprobratio eſt. Atqui Moſes nonnihil Dei juſſu, & quidem invitus, ſuſceperat hanc provinciam. Cur ergo odioſe objicitur liberatio populi in qua Deo tantum paruerat? Et cur ludibrio habetur ejus fœditas quod operam male locaverit, ubi nullam culpæ partem ſuſtinet? Jam dixi Deum ita interdum penitus conſigere piorum animos, probandæ ipſorum patientiæ cauſa, acſi rectum eorum ſtudium malorum quæ accidunt occaſio eſſet. Quod ſubtiliter quidam exponunt, populum Moſis vocari qui Dei eſſe deſierat: & antitheſin ſtatuunt, acſi dictum eſſet, Populus tuus, non meus: vereor ne ſatis firmum ſit. Nam ex quo erat fœdifragus, non magis à Deo alienatus erat quam à Moſe Legis miniſtro. Non inficior quin tacita ſit abdicatio. Sed tenendum eſt illud quod attigi Dei conſilium, Moſen quodammodo vocari in partem criminis, quo examinetur ejus tolerantia, & plus etiam mœroris ex rei indignitate concipiat. Interea dubium non eſt quin recentem gratiam commemoret Deus, quia prodigioſum & incredibile erat, eos qui nuper admirabili ejus potentia redempti fuerant, & quibuſcum fœdus ſuum rurſus pepigerat, repente fuiſſe ad defectionem abſtractos. Crimen etiam amplificat, quod ſtatim receſſerint à via quæ oſtenſa fuerat. Nondum elapſi fuerant quadraginta dies poſt Moſis abſentiam quum ſua pravitate impulſi ſunt in tantum furorem. Paulo ante mirum colendi Dei ſtudium oſtentaverant prolixe largiendo quicquid opus erat: ad ipſos tetinendos objiciebatur oculis tabernaculi dignitas: fractis tot repagulis impetuoſe ruunt poſt ſuam libidinem, vixdum elapſis poſt Legis promulgationem ſex menſibus. Verbum שחת, quia eſt in conjugatione Piel, activum eſt, & tamen ſine adjectione ponitur. Ideo verti, Corrupit ſe. Commode tamen in ſenſu paſſivo poterit accipi, quod populus corruptus fuerit.

8. *Receſſerunt cito.*] Tam ſubita transgreſſio crimen (ut dixi) amplificat. Speciem deinde corruptionis ex primit Deus, quod vitulum conſtatilem (hoc eſt, opus manuum ſuarum) adoraverint. Notandum vero, quod fucandæ impietatis cauſa jactaverant, tanquam ſceleris cumulum, ultimo loco proferri. Nam quum dicerent illos eſſe deos à quibus educti fuerant, propoſitum erat juſtam excuſationem obtendere, acſi non deſciſcerent à veri Dei & redemptoris ſui cultu: quin potius hoc ferventioris zeli ſpecimen eſſe, quod in ejus honorem coram vitulo ſupplices procideren. Id vero Deus in ipſos retorquet: ac conqueritur nimis indigna contumelia ſe fuiſſe affectum, ubi in locum gloriæ ſuæ ſuppoſita fuit mortua vituli effigies.

9. *Vidi populum hunc.*] Hoc vero acerrimum fuit & duriſſimum ſidei Moſis examen: quando viſus eſt Deus ſecum ipſe pugnare, & diſcedere à ſuo pacto. Siquando extremis malis diu oppreſſi non tantum ex mora tædium concipimus, ſed agitamur variis dubitationibus, quæ tandem nos ad deſperationem ſollicitant, acſi Deus fallacibus promiſſis nos fruſtratus eſſet: durum eſt ac horribile certamen: verum ubi Deus primo intuitu fidem ipſe abrogat ſuis verbis, ad hunc impetum ſuſtinendum, inſolita fortitudine & conſtantia opus eſt. Nam quum fides in verbo fundata ſit, ubi verbum ipſum ſibi contrarium eſt, quomodo in tali conflictu piæ animæ conſiſterent, niſi eas fulciret incomparabilis Spiritus potentia? In Abrahæ tamen animo tantum fuit robur fidei, ut victor ex hoc genere tentationis emergeret. Audierat ex ore Dei, In Iſaac vocabitur tibi ſemen: poſtea jubetur ipſum mactare, & corpus redigere in cineres. Verum quia perſuaſus eſt, poſſe Deum ex mortuis quoque ſemen ſuſcitare, imperio paret. Idem nunc de Moſe narratur, cui Deus ſpeciem repugnantiæ objicit in verbo ſuo: dum ſibi in animo eſſe pronjuciat delere populum, cui pollicitus fuerat terram Chanaan. Videmus tamen ut fuerit eluctatus, quum in æterno Dei fœdere & inviolabili acquieſcens, bene ſperare non deſtitit. Si quis adhuc roget an ſpernere vel pro nihilo ducere fas fuerit quod ſecundo loco dictum fuit de internecione populi: reſpondeo, fidei ejus victoriam non fuiſſe poſitam in ſubtili diſquiſitione: ſed quum Dei fœdus utroque brachio (ut dicunt) amplexus eſſet, ejus fiducia ſic fuiſſe munitum, ut nullas objectiones contrarias admitteret. Et certe piæ mentes firma certitudine ſubnixæ, quamvis ſe non expediant ab omni quæ occurrit perplexitate, non tamen alternant, ſed mordicus retinent quod ſemel in illis obſignavit Dei Spiritus. Quod ſi interdum ambigere aut vacillare contingat, redeunt tamen ad ſuum principium, & omnia obſtacula perrumpunt, ne unquam deſiſtant ab invocatione Dei. Interea certum eſt, dum fidem Moſis probat Deus, animum ejus acuere ad ſtudium precandi: ſicuti etiam Moſes ipſe arcano Spiritus inſtinctu eo directus fuit. Nec eſt quod Deo obſtrepant maledicæ linguæ, acſi aliud ſimularet apud homines quam apud ſe decrevit. Neque enim ideo varius eſt ac fallax, ſi de hominum peccatis verba faciens, & oſtendens quid meriti ſint, non aperit incomprehenſibile ſuum conſilium. Prodit hic in medium tanquam judex: ſententiam damnationis profert adverſus ſceleratos: veniam differt in tempus idoneum. Hinc colligimus occulta ejus judicia profundam eſſe abyſſum: interea vero nobis, quantum ad fidei & pietatis ædificationem, ſatis eſt voluntatem ejus patefieri in ejus verbo. Quod etiam clarius exprimitur in contextu. Poſtulat enim ſibi quietem dari à Moſe. Quid hoc ſibi vult? An niſi inducias impetret ab homine mortali, libere exequi non poterit ſuam vindictam? Nempe hac loquendi forma alienam perſonam in ſe ſuſcipiens, oſtendit quanti æſtimet ſervum ſuum, cujus precibus tantum defert, ut ſibi obſtaculo eſſe dicat. Sicut in Pſalmo dicitur Moſes ſtetiſſe ad rupturam, ut ſe

Hebr. 11.

Pſal. 106. *verſ.* 23.

itæ Dei opponeret. Unde perſpicitur mira Dei bonitas, qui non tantum vota ſuorum exaudit dum ſuppliciter precantur, ſed eos quodammodo patitur ſibi eſſe interceſſores. Rationem aſſignat cur futurus ſit implacabilis: quia probe cognoverit deſperatam & inſanabilem eſſe populi malitiam. Nam per duram cervicem metaphorice intelligitur indomabilis pervicacia: & ſimilitudo eſt à præfractis bobus ſumpta, qui flecti nequeunt ad ſerendum jugum. Ubi autem talis eſt durities & obſtinatio, non ſupereſt veniæ locus. Loquutio quidem impropria eſt, quod Deus experimento cognoverit populum eſſe duræ cervicis: ſed ſcimus ſæpe Deum induere affectus humanos: quia oiſi ad nos deſcenderet, nunquam mentes noſtræ pertingerent ad ejus altitudinem. Summa eſt, perditos eſſe mores populi: quia multis jam documentis palam fecerit ſe eſſe inflexibili contumacia. Porro ne grave ſit Moſi nobilem principatum amittere, compenſatio ei promittitur: qua probatione apparuit eum ſibi privatim non conſulere, nec reſpicere ſua commoda.

11. *Et precatus eſt Moſes.*] Certum eſt ex fide manaſſe hanc precationem, in qua tamen videtur cum ipſo Dei verbo confligere. Dixerat enim Deus, Deſcende ad populum tuum. Reſpondet Moſes, Imo tuus eſt. Sed (quemadmodum nuper admonui) quia mordicus tenebat iſtud principium, fieri non poſſe ut fœdus Dei irritum fieret, omnia obſtacula quaſi clauſis oculis perrumpit vel ſuperat. Populum autem Dei eſſe probat ex recenti beneficio: ſed præcipue in fœdus recumbit, imo redemptionem commemorat quaſi effectum. Sequitur enim poſtea, Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël. Videmus ergo, ut prima fiduciæ cauſa ſit promiſſio, quamvis priore loco Moſes commemoret, populum Dei manu fuiſſe liberatum. Manum vero fortem, & fortitudinem magnam ideo diſerte exprimit, ut ſignificet, quo magis conſpicua fuerant Dei miracula, impiorum calumniis eo magis expoſitam fore ejus gloriam. Sicuti etiam continuo poſt explicat, Ut quid dicent Ægyptii, &c. Particulam רעה, quam vetus Interpres Callide, alii malitioſe verterunt, malo ſimpliciter accipere pro Ad malum, ut notetur triſtis & infelix exitus. Nam quod alii exponunt, Infauſto ſidere, mihi videtur nimis coactum. Itaque non dubito quin ſignificet Moſes hoc Ægyptiis malorum fore ſolatium, ſi intereat populus: acſi Deus hoc modo ipſos de hoſtibus ultus eſſet. Porro hoc errore deleta fuiſſet tam gratiæ Dei quam judicii memoria. Obduruiſſent enim Ægyptii, nec tacti fuiſſent ullo culpæ ſenſu, nec putaſſent Deum electo populo fuiſſe miſericordem. Quod ſequitur, Pœniteat te ſuper malo, pro communi uſu dictum eſt: quia ſancti precando ſæpe balbutiunt: & dum exonerant ſuas curas in ſinum Dei, proferunt ex ſua infirmitate quæ Deo minime conveniunt. Sicuti dum interrogant, Quouſque dormies vel obliviſceris, claudes oculos & abſcondes faciem? Cæterum pœnitentia Dei nihil aliud eſt quam rerum mutatio, in qua videtur Deus eurſum retroflectere acſi novum aliud conſilium cepiſſet. Quod ergo aliquanto poſt ſequitur, Pœnituit Deum mali, eatuodem valet acſi dictum eſſet, fuiſſe placatum: non quod intus retractet quod decrevit, ſed quia non exequitur quam pronunciavit ſententiam. Si plura cupiant lectores, reperient in Geneſin & Propheras.

13. *Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël ſervorum tuorum.*] Non producit in medium patronos, quorum ſuffragiis adjutus obtineat quod petit: ſed quia apud eos depoſita fuerat promiſſio, quam ad poſteros quaſi hæreditariam traosmitterent. Notanda igitur eſt qualitas vel perſona quam Deus impoſuerat Patriarchis. Qua etiam ratione dicitur in Pſal. 132. Memento Domine David, & omnis afflictionis ejus. Unde ſatis refellitur Papiſtarum inſcitia & fatuitas, qui mortuos putant his teſtimoniis creari interceſſores. Jusjurandum conſulto ponit, quo ſanctius ſe obſtrinxerat Deus, ut firmior & magis authentica eſſet promiſſio. Cur vero per ſeipſum juret Deus, docet Apoſtolus ad Hebræos: quia ſcilicet majorem non habet. Interdum tamen eodem ſenſu jurat per ſolium ſuum cæleſte, vel ſanctuarium. Porro dubium eſt, ſitne in hac precatione ἐπιστροφὴ, quia mox videbimus in contexto, quum ſecundo reverſus eſſet Moſes, precatum fuiſſe pro ſalute populi, & exauditum. Neque vero id momento factum eſt: ſed quadraginta dies iterum conſumpſit ad reconciliandum Deo populum. Mihi tamen probabile videtur, Moſen horribili denunciatione perculſum ſtatim ſupplicaſſe, nulloque veniæ accepto reſponſo ſuſpenſum, veniſſe ut malo remedium afferret. Neque enim conſentaneum fuiſſet, audita tam ſevera & gravi comminatione, nullas interpoſuiſſe preces, quum tantopere ſollicitus eſſet de ſalute populi.

Hebr. 7. verſ. 10.

Ex eodem Capite.

15. Tunc vertit ſe Moſes, & deſcendit è monte: erantque duæ tabulæ teſtimonii in manu ejus, tabulæ ſcriptæ ab utraque ſuperficie ſua, hinc & inde erant ſcriptæ.

16. Et tabulæ erant opus Dei, ſcriptura Dei, ſcriptura erat ſculpta in tabulis.

17. Audiens autem Jehoſua vocem populi in vociferatione ejus, dixit ad Moſen, Vox prælii eſt in caſtris.

18. Qui reſpondit, Non eſt vox reſpondens fortitudini, neque vox reſpondens infirmitati, ſed vocem cantionum ego audio.

19. Aceidit quum appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum & choros: & excanduit iracundia Moſis, abjecitque è manibus ſuis tabulas, & fregit eas ſub monte.

20. Tulit quoque vitulum quem fecerant, & combuſſit igni, contrivitque donec redegit in pulverem: & ſparſit in ſuperficiem aquarum, & potavit filios Iſraël.

15. *Tunc vertit Moſes ſe, & deſcendit è monte.*] Deſcendit Moſes juſſu Dei, ut ſpectator ſit impiæ defectionis, ut rei indignitas tam ad ſceleris odium & deteſtationem quam ad remedium quærendum magis exſtimulet. Etſi autem de populi rejectione ſententiam protulerat Deus, tabulas tamen fœderis teſtes intactas relioquit inter Moſis manus: non quia vellet ſalvas manere, ut paulo poſt videbimus: ſed ut earum intuitus, deinde contractio plus horroris apoſtatis incutiat, qui alioqui amentia obſtupuerant. Cur Lex in duas tabulas diſtincta fuerit, alibi viſum eſt: nempe quia priore loco pietatem & Dei cultum tradit: ſecundo autem præſcribit regulam juſte vivendi inter homines, & ad mutua charitatis officia inſtituit. Scriptas autem ab utroque latere fuiſſe dubium non eſt, ad teſtandam doctrinæ perfectionem. Addita quidem fuit poſtea longior explicatio: ſed Deus palam cognoſci voluit ſic decem verbis omnia ſe fuiſſe complexum, ut quicquam addere fas non eſſet. Ergo oe quid aſſuerent homines ex ſuis commentis, implevit Deus utrumque latus, ut nihil vacuum reſtaret. Vocantur porro tabulæ opus Dei, quod

quod eas ad ſcribendi uſum aptaſſet. Qua nota diſcernuntur à poſterioribus: in quibus tametſi Legem ſuam Deus inſculpſit, lapides tamen voluit dolari formarique manu & artificio hominum. Summa eſt, non modo in prioribus tabulis decem præcepta divinitus fuiſſe ſcripta, ſed in lapidum figura nihil fuiſſe humanum. Nunc ſi quæritur quomodo ſculpti fuerint lapides, & literæ in ipſis exaratæ: digitum quidem Dei nominat Moſes per ſimilitudinem, ſed intelligitur arcana virtus. Nam qui mundum ex nihilo creavit ſolo ſuo nutu, creaturas omnes quibuscunque viſum fuerit modis poteſt eodem verbo in ſuos uſus vertere.

17. *Audiens autem Jehoſua.*] Hoc ideo inſeritur ut ſciamus quam intemperanter efferbuerit populus ad inſanum vituli cultum: quando procul auditus fuit clamor. Et ita miſeros faſcinat diabolus, ut diſſoluta laſcivia ſit illis pius ardor. Quemadmodum nihil rem indecorum fuit ac deforme quin Gentibus arriſerit, ut probarent ſe nihil ad falſos deos placandos omittere. Neque tamen dubium eſt quin ſanctæ zeli prætextu, carnis oblectamenta captent ſuperſtitioſi homines. Et talibus illecebris Satan fictitios cultus venditat, ut libenter & cupide arrepti, obſtinate retineantur. Quod putat Joſue clamorem eſſe prælii, ex ſollicitudine naſcitur. Moſes autem admonitus à Deo conjicit non eſſe præliantium voces: quia vocem non edant quæ reſpondeat vincentium exhortationibus, vel reſonet ejulatus eorum qui vincuntur.

19. *Quum appropinquaſſet ad caſtra.*] Qui ante ſuppliciter deprecatus fuerat pro ſalute populi, nunc conſpecto vitulo excandeſcit, & eum incitat flagitii deformitas ad induendos novos affectus. Porro quando iracundia in laude hic ponitur, valeant cum ſua paradoxa Stoici, motus omnes animi eſſe vitioſos. Fateor equidem, dum naturaliter aguntur homines, nunquam ſine vitio iraſci: nempe quia modum ſemper excedunt, atque etiam ſæpe non attendunt ad rectum finem. Sed tenendum eſt id accidere ex naturæ corruptione. unde ſequitur iram non per ſe vel ſimpliciter eſſe damnandam. Nam quod ſumunt Stoici principium, omnes animi motus eſſe perturbationes, & morbis ſimiles, falſum eſt, atque ex inſcitia naſcitur: quia vel dolere, vel metuere, vel gaudere, vel ſperare, rationi minime repugnat, vel tranquillum animi ſtatum ac moderationem concutit: ſed exceſſus ſolus ac intemperies, quod alioqui purum erat, corrumpit. Et certe dolere, iraſci, cupere, ſperare, metuere, affectus ſunt integræ naturæ divinitus nobis inditi, quos vituperare non licet, ſine ipſius Dei contumelia. Adde quod ira quæ hic Moſi adſcribitur, Deuteron. 9. capite transfertur ad Dei perſonam. Unde colligimus, quum ab impulſu Spiritus manaverit, virtutem fuiſſe laude dignam. In frangendis tamen tabulis videtur fuiſſe ſui oblitus. Qualis enim fuit ultio, vindicare opus Dei? Quamlibet deteſtabile eſſet populi crimen, ſacroſanctæ tamen fœderi Dei parcendum fuit. Itaque Rabini quidam ut eum excuſent, fabulam excogitant ſuo more: quum illatæ eſſent tabulæ in locum pollutum, deletam fuiſſe ſcripturam. Alii exiſtimant vehementia abreptum non ſatis reputaſſe quid ageret, perinde ac facturus erat ſi mente fuiſſet compoſita. Ego vero non dubito eum pro ratione officii tabulas fregiſſe, acſi fœdus Dei ad tempus aboleret. Scimus enim Deum verbi ſui miniſtris utrumque mandare, ut tam vindictæ ſuæ ſint præcones quam teſtes gratiæ. Ita quæcunque ligant in terra, in cælo ligantur, & peccata retinent in condemnationem, & vindicta ſunt armati adverſus incredulos & præfractos. Ergo Deus per manum Moſis repudiavit populum, fœdus renunciando quod nuper ſolenni ritu pepigerat. Hæc autem ſeveritas ad exemplum fuit utilior quam ſi Moſen vacuum ablegaſſet. Nec vero unquam in mentem Iſraelitis veniſſet quam incomparabili theſauro fuiſſent privati. Tabulas ergo proferri oportuit, acſi ſe daret in conſpectum, paternamque faciem oſtenderet. Ubi autem contra objectum fuit abominabile portentum vituli, eaſdem tabulas confringi oportuit, acſi Deus obverſo tergo recederet. Interea tenendum eſt non fuiſſe fœdus Dei prorſus irritum, ſed quodammodo interruptum, donec ſerio reſipuiſſet populus. Hæc vero temporalis (ut ita loquar) ruptura non obſtitit quominus fœdus ipſum inviolabile maneret. Eodem modo poſtea Deus divortium fecit cum populo, acſi prorſus eum abdicaſſet. Gratia tamen ejus & veritas nunquam excidit, quin occultas ſaltem haberet radices, ex quibus Eccleſia deinde nova pullulavit: ſicut dicitur in Pſalmo, Populus qui creatus fuerit, laudabit Dominum.

Mat. 16. verſ. 19. Joan. 20. verſ. 21. 2 Cor. 11. verſ. 15.

Pſal. 102. verſ. 19.

20. *Tulit vitulum quem fecerant.*] Sæva & atrox pœna videri poſſet, quod ſceleris tabe populi viſcera quodammodo infecit Moſes. Jam plus ſatis & corpora & animas inquinaverant, ut non altius penetraret contagio. Deinde hoc modo ad deſperationem adigi proclive erat, quum damnationis ſuæ materiam intus geſtarent: non ſecus ac mulier fœtum in utero alit. Sed hoc eorum ſocordiæ adhibendum fuit remedium. Quamlibet enim territi fuiſſent ad momentum, ſtatim evanuiſſet criminis memoria & pœnæ metus, niſi penitus impreſſa fuiſſet pollutionis nota. Fuit ergo hoc quaſi genus cauterii, quo ſentirent non tantum cuti ſuæ adhærere tam fœdæ idololatriæ probrum, ſed defixum eſſe in ſuis viſceribus. Pudor etiam hoc modo illis incuſſus fuit, quum ſubſtantiam Dei ſui conjicerent in venterem, ut permiatam excrementis pauli poſt per anum egererent. Ergo partem dei ſui bibere & cacare coacti ſunt, quo magis ipſis fœteret ſua ſuperſtitio. Adde quod ſi ſparſus fuiſſet cinis in terram, periculum erat ne aliqui obſtinatiores reliquias colligerent: huic malo obviam itum eſt, dum aurum ex quo conflatus fuerat falſus deus, ſtercoribus commiatum fuit. Porro dicitur Moſes ipſos potaſſe aqua maledicta, non quod calicem ſiogulis porrigeret, ſed quia pulvis in torrentem, ea quo omnes bibebant, conjectus fuit: ſicuti ex primitur Deuteronomii nono capite.

Ex eodem Capite.

21. Et dixit Moſes ad Aharon, Quid fecit tibi populus iſte, quod induxiſti ſuper eum hoc peccatum grande?

22. Tunc dixit Aharon, Ne excandeſcat iracundia domini mei: tu noſti populum quod in malo ſit.

23. Dixerunt autem mihi, Fac nobis deos qui nos præcedant: quia iſti Moſi viro qui eduxit nos è terra Ægypti, neſcimus quid acciderit.

24. Quibus reſpondi, Cui eſt aurum private vos. Et dederunt mihi: & projeci in ignem, egreſſuſque eſt vitulus iſte.

21. *Quid fecit tibi populus iſte.*] Confert culpam in Aharon: quia permittere videtur quod non prohibet quiſquis imperio præditus eſt. Vitium eſt antea, quum aſcenderet Moſes in montem, Aharoni reſignaſſe ſuas vices. Ejus ergo erat ita præeſſe, ut pro jure poteſtatis populum quamvis protervum com-

peſceret. Merito itaque tam ſevere coarguitur, acſi auctor fuiſſet ſceleris quod paſſus erat admitti. Unde colligimus quam grave onus ſuſtineant quicunque præfecti ſunt gubernandis populis: quia ſi quid eorum negligentia, vel timiditate, vel ignavia peccatur, reddenda ipſis ratio eſt, acſi licentiæ ſignum dediſſent. Et valde emphatica eſt objurgatio, quod perinde infeſtus fuerit hoſtis publicæ ſaluti acſi de capitalibus inimicis ſe ulciſci vellet. Non quod licita eſſet vindicta, quamvis probabilem cauſam haberet: ſed intelligit Moſes, ſi quos optaſſet Aharon perditos, atque ita ex profeſſo machinatus peſſima quæque eſſet, non potuiſſe tamen gravius nocere. Quo plus reprehenſionis meretur, dum ita miſeris, quorum curam ſuſceperat, male conſulit: imo accerſit ultimam cladem, quantum in ſe eſt. Hoc quoque obſervatu dignum, Moſen, ubi de cultu Dei agitur, fratri germano & unico non magis parcere quam alieniſſimo cuique. Si carni & ſanguini deditus fuiſſet, promptum erat aliquid coloris obtendere, cur mitior eſſet erga fratrem: quando vi & neceſſitate pertractus fuerat ad vitulum conflandum: verum quia novit quam ſtrenue dimicandum ſit pro Dei gloria, perinde fratrem aggreditur acſi nulla eum cognatione attingeret. Rara virtus: ſed ad quam niſi enitimur, ſubinde perfida erga noſtros indulgentia prodemus Dei cauſam.

22. *Tunc dixit Aharon, Ne excandeſcat.*] Extenuat crimen ſuum Aharon quantum poteſt. Summa tamen eſt, quod populus quem ſciebat Moſes ipſe pravo eſſe & perverſo ingenio, tumultuoſe ipſum aggreſſus invitum coëgit. Etſi autem exordium ſermonis modeſtiam præ ſe fert, frivola tamen eſt excuſatio. Recte quidem Aharon qui primogenitus erat, reverenter fratri ſe ſubmittit: quia agnoſcit eſſe Dei miniſtrum, & ad ejus caſtigationem trepidat. Sed præſtabat ingenue culpam fateri quam tergiverſando damnationis ignominiam fugere. Capitis enim fuerat moderari totum corpus, ac tumultum gravitate & conſtantia ſedare: quod ſi ad furorem uſque ferveret intemperantia, decies potius mori quam flecti ad tam ſervile & turpe obſequium. Ex fine vero appareat, dum nimis de exiſtimatione noſtra ſolliciti, ad tegenda aut fucanda noſtra delicta ſtudium adjicimus, hypocriſin noſtram demum fieri ridiculam. Non dubium eſt quin Abaroo, ubi dicit ſe conjeciſſe aurum in ignem, & vitulum exiiſſe, coactur, quam prorſus non poteſt eluere culpam, frigida & exili narratione utcunque tegere. Atqui pueriliter ougando nihil aliud quam impudentiam prodit, ut ad cumulum damnationis accedat tam ſupina ſecuritas. Hæc juſta ambitionis noſtræ merces, dum ad larvas confugimus, Deique judicio opponimus noſtram hypocriſin.

Ex eodem Capite.

25. Vidit autem Moſes quod populus diſcoopertus eſſet. (nam diſcooperuerat eum Aharon ad ignominiam inter hoſtes eorum.)

26. Stetit ergo Moſes in porta caſtrorum, & dixit, Quis eſt Jehovæ? Ad me. Et congregati ſunt ad eum omnes filii Levi.

27. Quibus dixit, Sic dixit Jehova Deus Iſraël, Ponite quiſque gladium ſuum ſuper femur ſuum: tranſite & revertimini à porta ad portam in caſtris, & occidite quiſque fratrem ſuum, & quiſque amicum ſuum, & quiſque propinquum ſuum.

28. Fecerunt ergo filii Levi ſecundum ſermonem Moſis: & eeciderunt è populo in die illa circiter tria millia virorum.

29 Dixerat autem Moſes, Conſecrate manum veſtram hodie Jehovæ, nempe quiſque in filio ſuo, & in fratre ſuo: ut detur hodie vobis benedictio.

25. *Vidit autem Moſes quod populus diſcoopertus eſſet.*] Hic narratur ultro qua uſus eſt Moſes ad expiandum ſcelus: non quod pœna hæc coram Deo ſatisfactoria fuerit, ut loquuntur: ſed quia ad delendam culpæ memoriam fuit utilis. certe ad exemplum profuit. Nam occiſis tribus millibus, admoniti fuerunt omnes ſe idem fuiſſe promeritos. Nec vero dubium eſt quin præcipuis mali auctoribus caſtra purgaverit, quo Deus ad ignoſcendum eſſet propenſior. Primum igitur notatur cauſa qua ad tantam ſeveritatem accenſus fuit: nempe quia populum videbat ſic audatum eſſe ut hoſtium quoque ludibrio foret expoſitus. Quod ouditatem quidam exponunt, quia privati fuerant ſuis ornamentis, minime conſentaneum eſt. Mox enim adjicitur, Probroſum fuiſſe inter hoſtes ſuos: & ſequetur capite proximo, adhuc ſplendide fuiſſe ornatos, imo geſtaſſe profanæ lætitiæ inſignia. Non dubium igitur eſt quin ſignificet rejectos eſſe à Deo, qui unicom erat ipſorum decus, & ſub cujus protectione tuti erant. His autem verbis exprimitur mali gravitas: eo quod non ſolum privati fuerint Dei auxilio, qoi vocatur domicilium populi ſui: ſed etiam in ignominiam projecti, quum undique obſiderentur ab hoſtibus. Hinc ſancta indignatio, ut pœnam exigeret de ipſis defectionis capitibus. Ac notandum eſt iterum maxima criminis parte gravari Aharon: quia non ſatis cordate populi veſaniæ reſtiterat. Porro in eo apparuit admirabilis Dei virtus, quod ubi Levitas citavit, & palam in porta edixit ut ſe gladiis accingerent, non tumultuatæ ſint aliæ omnes tribus. Probabile enim erat armari ad pœnam de noxiis ſumendam. qui fit ergo ut quieſcant ſibi male conſcii: niſi quod eorum audaciam & furorem compeſcuit Spiritus Dei potentia? Obſervatu autem digna eſt indictionis forma, Qui Jehovæ eſt, ſe ad me conferat: ex qua diſcimus, ſi nobis cordi eſt religio ut meretur, non eſſe claudicandum in utramque partem: ſed ingenuam profeſſionem requiri, ut ſe quiſque ſub Dei vexillum colligat. Omnes enim Dei ſervos ad ſe vocando, ignaviæ, imo perfidiæ alios omneadamnat qui medii ſubſiſteot. Quæritur tamen an extra noxam fuerint Levitæ, qui ſtatim ad exequeodum imperium proſiliunt, quaſi ſinceri gloriæ Dei vindices. Reſpondeo, quamvis non fuerint immunes à reatu, dum tamen metu perculſi populo morem geſſerunt, levius peccaſſe quam ſi conſenſu probaſſent deteſtabilem idololatriam. Sed hic perſpicitur mira Dei indulgentia, qui non modo veniam dedit, ſed gloriam ſuam aſſerere dignatus eſt ipſorum manu, & miniſtros conſtituit ad puniendum crimen, in quo tolerando turpiter molles & effœminati fuerant. Quæri rurſum poteſt qui factum ſit ut ex tota reliqua multitudine nemo pedem moverit ad Moſis imperium. Ego vero arbitror non contemptu vel obſtinatione, ſed pudore tantum fuiſſe retentos: ac tantum terroris fuiſſe omnibus incuſſum, ut attoniti expectaverint quorſum tenderet Moſes, & quouſque progredi vellet. Credibile autem eſt Levitas nominatim fuiſſe vocatos, & ab effectu id colligitur: quia ſtatim præſto adfuerunt omnes', nemo autem ex alia tribu.

Pſal. 90. verſ. 2.

27. *Sic dixit Jehova.*] Jubet Levitas gladiis ſe accingere ad ſtragem edendam totis caſtris: quæ atrox & ſæva

& fœva primo intuitu videri posset, dum vetantur fratribus, amicis & propinquis parcere: modum tamen minime excessit, si reputamus quanto gravius sit sacrum Dei cultum violare quam injuriam afferre hominibus. Neque enim promiscue omnes ad unum vult interfici: sed tantum animose pergere jubet Levitas: ut si forte occurrerit quispiam morte dignus, ne cognatio, vel amicitia, vel familiaritas impediat vel moretur justæ severitatis cursum. Imo quum paulo post sequatur, Leviras feciſſe quod ſibi mandatum erat, colligimus ea moderatione contentum fuisse quæ ad clementiam magis quam ad rigorem accederet. Si qua in exercitu exorta sit seditio, quæ ad vim usque & cædes progressa sit, communi jure solet imperator noxios decimare: quanto mitior puniendi ratio, dum ex sexcentis millibus non pereunt nisi tria millia? Quamvis ergo duriter in paucos animadvertat, lenis tamen censeri debet castigatio quæ in plures non graſſatur ejusdem sceleris reos. Quæritur tamen nullumne an aliquod discrimen sequuti fuerint. nam obvium quemque fortuito trucidare, cæci & turbulenti fuisse impetus. Hanc absurditatem ut effugiant quidam Judæi, ad insulsam fabulam suo more confugiunt, ventres eorum qui scelere contaminati fuerant, intumuisse aquæ potu. Quod si recipitur, tumor in omnes graſſatus esset. Verum rejectis talibus commentis, probabile est Levitas minime latuisse quinam primi fuissent perversi consilii duces, quorum impulsu reliqui ad defectionem tracti fuerant. Judicio itaque & delectu vindictam exercuerunt in tria millia: & hinc factum est ut tolerabilis esset rigor, placideque totus populus quiesceret, quum sublatis è medio pestiferis hominibus, suæ saluti consuli viderent. Cæterum quamvis sibi temperet Moses: notandum tamen est quod inflexibilem constantiam à Levitis exigit, ne quis necessitudinis respectus eorum animos emolliat: quia nihil recto judicio magis adversum quam [illegible]. Jam non abs re laudantur Levitæ quod paruerint ejus imperio: quia non vulgaris fuit animi fortitudo, totas duodecim tribus aggredi, quibus ne duodecima quidem ex parte pares erant. Videmus plerumque, si plures eodem scelere sint obstricti, judices metu factionis trepidare, & tandem exanimari ut ab officio deficiant. Rara ergo zeli virtus in Levitis, dum post habito periculi respectu, ausi sunt intrepide tantam in se multitudinem provocare. Atque hæc sancta indignatio penitentiæ eorum fructus fuit, dum strictis gladiis eos impetere non dubitarunt quorum vultus minaces ante non sustinuerant. Certe levior erat offensio, libera objurgatione populi idololatriam sanare, quam capitalem pœnam exigere de transgressoribus. Novum igitur vigorem in ipsorum cordibus collegit pietas & Dei timor, quum nullum exhorruerunt mortis discrimen.

29. *Dixerat autem Moses.*] Non dubium est quin exegetice additus fuerit hic versus ad reddendam rationem cur Levitas imperterritus ardor ad munus strenue obeundum egerit. nempe quia Mosis exhortatio superior erat omnibus obstaculis. Quare verbum Dicendi in tempore plusquam perfecto vertendum fuit. Quod legunt quidam in præterito, Consecrastis manus, nequaquam quadrat: quando mox additur promissio, quasi stimulus alacritatis. Unde apparet, aliis verbis repeti Mosis mandatum cujus facta fuerat mentio. Subest autem hic major vehementia: quia suave gratumque Deo sacrificium fore pronunciat, si obliti carnis & sanguinis pollutum Dei cultum ulciscantur. Inseritur particula כי causalis, pro qua reddidi Nempe: ut sit expletiva in præsenti loco: acsi diceret, obsequium hoc Deo præstandum esse, ut ne à filiis quidem & fratribus abstineant, si opus sit. Itaque quod nuper de propinquis quibuslibet dictum est, & nunc de filiis dicitur, quasi potentiali modo sumendum est. Nam si Mosi se conjunxerant omnes Levitæ, quid opus fuit pœnam exigere de fratribus aut filiis? Tantum ergo damnare voluit Moses præposterum humanitatis respectum, quo sæpe excæcantur judices, ut neglecta religione crudeliter misericordes sint ad impietates ferendas & fovendas. Primum igitur discamus ex hoc loco, dum scelcribus ignoscunt judices, ipsa cessatione polluere manus suas: quia impunitas auget peccandi licentiam. sicuti docet Solomo, Qui absolvit impium, sicuti qui damnat innoxium, abominatio est Deo. Discamus etiam nihil minus esse consentaneum quam scelera quibus læduntur mortales graviter punire, si connivemus ad impios errores vel sacrilegos cultus quibus violatur Dei majestas. *Prov. 17. vers. 15.*

Ex eodem Capite.

30. Fuit postridie ut diceret Moses populo, Vos peccastis peccato magno: nunc tamen ascendam ad Jehovam, si forte propitiem eum super peccato vestro.

31 Reversus est itaque Moses ad Jehovam, & dixit, Obsecro, peccavit populus hic peccato magno: fecerunt enim sibi deos aureos.

32. Nunc si remiseris peccatum eorum: quod si non, dele me agedum è libro tuo, quem scripsisti.

33. Et dixit Jehova ad Mosen, Qui peccavit mihi, delebo eum è libro meo.

34. Nunc ergo vade, duc populum ad locum de quo loquutus sum tibi. Ecce, Angelus meus ibit ante te: in die autem visitationis meæ etiam visitabo in eos peccatum eorum.

35. Et percussit Jehova populum, eo quod fecissent vitulum quem fecerat Aharon.

30. *Fuit postridie ut diceret Moses.*] Quia formidabile erat judicium illud Dei: ne prorsus animos despondeant Israelitæ, sedando eorum dolori solatium adhibet Moses, deprecatorem se apud Deum fore promittens. Interea ut ipsi quoque supplices confugiant ad Dei misericordiam, de sceleris gravitate eos admonet. Verba Hebraica proprie sonant, Peccastis peccatum magnum. In sensu tamen nulla est ambiguitas: quia ut serio ad pœnitentiam se comparent, proposita sceleris magnitudine humiliantur. Eodem pertinet particula נא, quæ sæpe est dubitantis: sed hic, ut aliis pluribus locis, tantum difficultatem notat: ne secure & neglectim (ut fieri solet) de petenda venia cogitent, sed sollicita attentione. Sic quum Petrus Simonem magum alloquitur, jubet eum precari, si forte remittat ei Deus iniquitatem: non ut animo vacillet aut fluctuetur, ut qui suspensi sunt ac dubii: sed ut metu iræ Dei expavefactus, anxie remedium quærat. *Actor. 8. vers. 22.*

31. *Reversus est itaque Moses.*] Hæc narratio non ponitur suo loco: quia temporis seriem (ut jam dictum est) non exacte servat Moses. Nam proximo capite videbimus, Deum negare de Angelo quod nunc concedit. Dicere autem quemlibet Angelum nunc præmitti, in quo Deus se non ita præsentem exhibeat ut hactenus, merum est cavillum. Nunc

ergo

ergo breviter commemorat Moſes quod poſtea fuſius explicabit, quomodo ſcilicet placatus fuerit Deus, & cum populo redierit in gratiam: quod non ante factum fuit quam ubi juſſus eſt novas tabulas ſculpere vel dolare. Et ſcimus Hebræis modum loquendi in uſu frequenti eſſe, ut rerum ſummas attingant, deinde in hiſtoriæ contextu narrent quæ fuerunt omiſſa. Exordium vero precationis eſt confeſſio: quia in tam ſceleſta ingratitudine nihil reſtabat niſi culpam ultro agnoſcere: ut perditis & deſperatis non alibi petenda eſſet ſalus quam in Dei miſericordia. Nam hypocritæ mala ſua extenuando nihil aliud quam iram ejus magis magiſque accendunt. Particula נא, quam poſt alios vertimus Obſecro, interdum eſt nortantis, & ſumitur pro Agedum: hic tantum ſignificat quod Latini dicunt Amabo. Poſtquam autem reatum fatendo occurrit judicio Dei, ignoſci tamen poſtulat: idque ſummo ardore, qui ſermonem quodammodo abrumpit. Defectiva enim eſt oratio (quales ſunt patheticæ) Si ignoſcas. Si quis particulam אם accipiat pro Utinam, non repugno. Videtur tamen præ affectus vehementia prorumpere in exclamationem, O ſi remittas. quanquam poteſt eſſe verecunda poſtulatio, ſi interroget, An tu remittes? Nam ita ex fiducia manant vota ſanctorum, ut tamen cum hæſitatione luctentur, ac ſecum diſceptent, an Deus velit exaudire. Hinc fit ut dubitanter inchoënt preces ſuas, donec prævaleat fides. Sed quod mox ſequitur, multis modis videri poſſet abſurdum: quia & imperioſe legem Deo præſcribit Moſes, & præcipiti impetu, quantum in ſe eſt, labefactat æternum ejus conſilium: & inconſiderate ſua ipſum juſtitia exuit. Certe ſuperbiæ omnes damnarent hanc vocem, Niſi parcas ſceleratis, ne me inter ſervos tuos numeres. Non minoris ſocordiæ videri poſſet quod tentat æternam Dei prædeſtinationem in nihilum redigere. Jam ubi ſe eadem involvi pœna cupit, quid hoc aliud eſt quam tollere omne diſcrimen, ut Deus temere inſontes cum transgreſſoribus damnet? Ego vero non inficior, tanta vehementia Moſen fuiſſe abreptum ut loquatur quaſi ecſtaticus. Verum notandum eſt, dum ſuas curas in Dei ſinum fideles exonerant, non ſemper diſtincte agere, nec verbis compoſitis: ſed nunc balbutire, nunc fundere gemitus inenarrabiles, nunc aliis omnibus præteritis unum aliquod votum arripere & urgere. Certe nihil minus in animo habuit Moſes quam Deo legem ferre. nec rogatus dixiſſet, everti poſſe quod Deus ante mundi creationem de electis ſuis decrevit. Sciebat denique nihil à mundi judice eſſe magis alienum quam perdere inſontes una cum reprobis. Sed quoniam omnes ejus ſenſus quaſi devinctos tenebat cur apoguli, cujus ſciebat ſalutem divinitus ſibi eſſe mandatam, nihil aliud venit in mentem quam ut ſalvus ſit populus: quæ vero tantæ ſollicitudini repugnant, non admittit. Hinc fit ut nihil non ſibi arrogans vadem ſe pro ſceleratis objiciat, immutabili Dei conſilio ſe ad ſalutem eſſe prædeſtinatum oblivi ſcatur, nec denique ſatis reputet quid Deo conveniat. Porro non ſolus Moſes in hanc vehementiam prorupit: ſed longius etiam progreſſus eſt Paulus, qui ex longa meditatione ſcribit, Optarim fieri anathema à Chriſto pro fratribus meis. Nempe dum uterque in ſalutem electi populi intentus eſt, non argute ſingula exquirunt: ideoque ſe ipſos devovent pro tota Eccleſia, quoniam generale principium in ipſorum animis infixum erat, Si conſultum eſſet totus corporis ſaluti, bene fore ſingulis membris. Hic quæritur an pii ſit affectus alienam ſalutem noſtræ præferre. Quidam veriti ne Moſis & Pauli exemplum præjudicio eſſet, dixerunt zelo tantum gloriæ Dei fuiſſe accenſos, ut ſe æterno exitio devoverint, non autem populi ſalutem ſuæ prætuliſſe. Quod ſi recipitur, erit etiam hyperbolicum. Nam etſi una Dei gloria præferri meretur centum mundis, eouſque tamen ſe ruditati noſtræ accommodat, ut nolit cum ſua gloria in certamen committi æternam fidelium ſalutem: quin potius tanquam cauſam & effectum ipſas ſimul inſeparabili vinculo conjunxit. Jam vero ſatis liquet, Moſen & Paulum publicæ ſalutis reſpectu ſeipſos exitio addixiſſe. Manent igitur firma ſolutio quam attuli, ſic confuſum fuiſſe votum ut repugnantiam in ardoris vehementia non viderint, acſi extra ſeipſos eſſent. Nec mirum eſt ita fuiſſe perplexos: quum periturus electi populi aboleri Dei fidem, & ipſum quodammodo in nihilum redigi, ſi excideret æterna adoptio qua dignatus fuerat Abrahæ filios. Librum in quo Deus ſcripſiſſe dicitur ſuos electos, metaphorice accipe pro Decreto. Quod vero ex numero piorum deleri cupit Moſes, impropria loquutio eſt: quando fieri non poteſt ut qui ſemel electus eſt, unquam reprobetur. Et quod phrenetici quidam hoc prætextu labefactant, quantum in ſe eſt, fidei noſtræ caput de æterna Dei prædeſtinatione, in eo non minus inſcitiæ quam malitiæ produnt. Duo ponit David eodem ſenſu, Deleri, & Non ſcribi: Deleantur è libro vitæ, & cum juſtis non ſcribantur. Unde colligi non poteſt aliqua in Deo conſilii mutatio. Sed tantundem valet hæc verborum forma, acſi dictum eſſet, Deum tandem patefacturum, reprobos, qui ad tempus cenſentur in numero piorum, nullo modo ſpectare ad Eccleſiæ corpus. Ideo arcanus catalogus in quo ſcripti ſunt electi, apud Ezechielem externæ profeſſioni quæ ſæpe mendax eſt, opponitur. Itaque merito Chriſtus diſcipulos ſuos lætari jubet, quod nomina ipſorum ſcripta ſint in cœlis. Nam etſi incomprehenſibile nobis eſt Dei conſilium quo prædeſtinati ſumus ad ſalutem, manet tamen ſignaculum hoc, teſte Paulo, Novit Dominus qui ſint ſui.

Rom. 9. verſ. 3.

Pſal. 69. verſ. 29.

Exe. 13. verſ. 9.

Luc. 10. verſ. 20.

2 Tim. 2. verſ. 19.

33. *Qui peccavit mihi.*] His verbis ſe accommodat Deus ad captum humanæ mentis, ubi dicit, Delebo eum: quia ſic falſo ejus nomen obtendunt hypocritæ, ut non reputentur extranei, niſi dum eos palam Deus abdicat. Itaque manifeſta rejectio, litura vocatur. Caſtigat porro Deus præpoſterum Moſis votum: quia recto ejus judicio non conveniat, inſontes rejicere. Unde ſequitur Moſen inconſiderate fuiſſe precatum. Summa eſt, Deum impiis & ſceleratis rependere quam meriti ſunt mercedem, quoties pœnam de ipſis ſumit: juſtos vero nunquam punire. Sed notandum eſt, quoties pronunciat Deus ſe fore ſcelerum vindicem, non excludi ejus miſericordiam, qua ſuorum delicta ſepelit, ut in memoriam non veniant. Quemadmodum ubi dicit Paulus, Neque ſcortatores, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque homicidæ, neque maledici regnum Dei poſſidebunt: ex his verbis perperam quis collegeret, prohiberi omnes à ſpe ſalutis: quia de reprobis tantum loquitur, qui nunquam reſipiſcunt, ut converſi gratiam obtineant.

1 Cor. 6. verſ. 9.

34. *Nunc ergo vade, duc populum ad.*] His verbis oſtendit Deus ſe placatum eſſe: quia certum reconciliationis ſignum fuit, Angelum conficiendo reſiduo itineri ducem præficere. Quod enim quidam exponunt, Angelum nunc promitti qui eorum curam gerat, ſicuti profanis quoque gentibus interdum aſſignari teſtis eſt Daniel, & exemplum proximo capite videbimus, frigidum commentum eſt: deinde exprimit Deus, quamvis à fide deſciverit populus, ſe tamen pacto ſuo ſtare de fruitione promiſſæ hæreditatis. Cæterum quod pœnam differt in aliud tempus, oblique malitiam populi perſtringit: acſi dixiſſet, tam perverſo ingenio eſſe, ut ſæpius in poſterum daturus ſit novas occaſiones. Si quis objiciat, quoties poſtea ultus eſt Deus alia peccata, non fuiſſe tunc animadverſum in hanc idololatriam: reſpondeo non eſſe novum Deo, ubi ſubinde novum reatum contrahunt homines, iterare pœnas: deinde plura ſimul peccata uno vindictæ genere vocare in judicium.

Adhæc

Adhæc ſcimus Deum rejicere patrum iniquitatem in filios uſque in tertiam & quartam generationem. Poſtremo nihil obſtat, quominus iniquitatem quam ſemel remiſit, alio tempore viſitet temporalibus pœnis. Quorſum enim tunc ignovit populo? ne ſcilicet evaneſceret fœderis ſui veritas. Sed quos tunc perdere noluit, potuit ſuo tempore iterum ſic repoſcere ad pœnam, ut moderata eſſet caſtigatio. Hinc diſcamus nobis non blandiri ſiquando judicium ſuum ſuſpendat Deus: neque ejus tolerantia abuti, acſi impune elapſi eſſemus.

35. *Et percuſſit Jehova populum.*] Hic breviter adſcribit Deo Moſes quod ante retulit de cæde trium millium: ne quis exiſtimaret ipſum immodico fervore ſæviiſſe. Itaque Paulus in hac hiſtoria tanquam in ſpeculo conſiderare nos jubet quantopere diſpliceat idololatria Deo: ne eos ſequamur qui ejus manu percuſſi ſunt. Ergo Moſis indignatio cum Dei mandato conjuncta fuit. Interea commendat Dei miſericordiam, quia Aharoni pepercerit, dum opus ejus nominat vitulum, ſicut totius populi: diverſo quidem modo: quia vitulum conflavit Aharon populo id flagitante: culpa tamen fuit communis. *1 Cor. 10. verſ. 7.*

EXODI XXXIII.

LOquutus autem fuerat Jehova ad Moſen, Vade, aſcende hinc tu & populus quem eduxiſti è terra Ægypti, in terram de qua juravi ipſi Abraham, Iſaac & Jacob, dicendo, Semini tuo dabo eam.

2. Et mittam ante te Angelum, & ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hitthæum, Perizæum, Hivæum, & Jebuſæum.

3. Ad terram ſcilicet fluentem lacte & melle. Non enim aſcendam in medio tui (nam populus duræ cervicis es) ne forte conſumam te in via.

4. Audiens autem populus verbum hoc malum, luxerunt: nec poſuit quiſquam ornamentum ſuum ſuper ſe.

5. Dixerat enim Jehova ad Moſen, Dic filiis Iſraël, Vos eſtis populus duræ cervicis: momento uno aſcendam in medium tui, & conſumam te. Nunc ergo depone ornamentum tuum à te, & ſciam quid faciam tibi.

6. Et ſpoliaverunt ſe filii Iſraël ornamentis ſuis à monte Horeb.

1. *Vade, aſcende.*] Tempus pluſquam perfectum poſui. Cauſæ enim redditio eſt, qua incitatus fuit Moſes ad tantam precandi vehementiam. nempe quia etſi non prorſus curam populi Deus abjiceret, fœderi tamen ſuo renunciavit, ac denunciavit, poſtquam ſemel defunctus eſſet in danda terræ poſſeſſione, nihil ſibi amplius cum illo fore negotii. Ergo quod hic narratur, ordine temporis præceſſit Moſis precationem: quia attonitus triſti & prope funeſto nuncio, in illud confuſum & erraticum votum prorupit, deleri ſe poſtulans è libro vitæ. Nunc genuinum loci ſenſum elicere tentemus. Dum Moſen proficiſci jubet Deus cum populo, onus haud dubie à ſe rejicit quod ante ſuſtinuerat. Tantum ſe facturum promittit ut hæreditate promiſſa fruantur. non ut inter ipſos præſideat, incolumes illic tueatur, atque etiam foveat, ut pater filios: ſed tantum ut fidem Patribus datam liberet. Atque ita antevertit eorum querimonias. Poterant enim excipere, irritam igitur & vanam fore ejus promiſſionem. Per anticipationem dicit, quamvis eos abdicet, ſe tamen veracem fore: quia incolas terræ Chanaan ejiciet, ut vacua illis pateat habitatio. In ſumma, repudiat eos, ne poſthac confidant ſe peculiarem ejus fore populum, aut quicquam majus expectent quam extranei. Juramenti meminit ne ipſum malæ fidei inſimulent: acſi diceret, liberum ſe ac ſolutum fore à pacto, ubi terram adepti erunt. Atque ita ſpe ſalutis & adoptionis gratia eos privando, fœderis tamen ſui ſtabilitatem & conſtantiam aſſerit. Quamobrem Angeli nomen aliter quam paulo ante interpretor, & pluribus locis hujus libri. Nam quum Angeli ante facta fuit mentio, familiaris Dei præſentia in eo notata fuit, imo promiſcue idem & Deus & Angelus vocatus eſt. Hic autem Deus ita Angelum miſſurus dicitur, ut ſe à populo ipſo ſeparet. Non aſcendam (inquit) in medio tui. Et ſubjicitur ratio: quia fieri non poteſt ut tam prava ingenia diutius toleret. Iterum vero ſimilitudine utitur à bobus refractariis ſumpta, qui ferendo jugo aſſuefieri nequeunt. Summa eſt, quia ſunt intractabiles, Deum non poſſe munus ducis obire, quin ſubinde ipſos perdat.

4. *Audiens autem populus.*] Hinc clarius apparet quod dixi, Deum quodammodo fulminaſſe, quum ſe à populo ſubduceret. Hoc enim divortium innumeris mortibus magis exitiale eſt. Dulce quidem primo intuitu videri potuit terræ fertilis & opimæ fieri dominos: ſed hebetem alioqui populum repente perculit Deus, ut deliciæ omnes eſſent inſipidæ, & jejuna ubertas, quum agnoſcerent ſe ſaginari ad diem mactationis. Atque hinc utilis colligenda eſt doctrina, ſi neglecto Dei favore, dulcedine beneficiorum ejus capimur, ineſcari nos, ut hamo piſces. Pollicitus eſt Deus Iſraëlitis quod ad breve tempus allicere ipſos poſſet: negavit quod unice optandum erat, ſe illis fore in Deum. Mœrorem attulit triſtis nuncius: quia ſenſerunt non aliter quam propitio Deo beatos eſſe homines: imo nihil eſſe miſerius quam ab ipſo alienari. Deo adhærere, inquit David, mihi bonum eſt. Item alibi, Beatus populus cujus Jehova Deus eſt. Rurſum, Jehova pars hæreditatis meæ: ſors mea præclare cecidit. Ergo hæc omnium miſeriarum ſumma eſt, Deum habere adverſum, ubi ejus beneficentia paſcimur. Proinde ſapere cœperunt Iſraëlitæ, ubi à veterno expergefacti, pro nihilo duxerunt omnia reliqua, niſi Deus proſequeretur ſuum erga eos paternum favorem. Porro ex craſſa eorum ſocordia colligimus, ſingulari Dei dono factum eſſe ut mœrorem conciperent, qui ad ſolennem luctum eos adduceret. Primo dicit Moſes eos non induiſſe ornamenta: deinde adjungit juſſos à Deo fuiſſe ea deponere. Sed optime fluit contextus, ſi hoc poſterius accipimus pro explicatione: acſi diceret, non fuiſſe ornatos, quia id vetuerat Deus, luctum ipſis indicendo. Jam irati judicis & ad vindictam inflammati perſonam ſuſcipit Deus, his verbis, Momento aſcendam, ut conſumam te: ut eos terror magis humiliet, & ad deprecationem ſtimulet. Porro externum luctus inſigne fuit, jacere in ſqualore & ſordibus, ut hoc modo palam teſtata fieret eorum pœnitentia. Neque enim quicquam momenti eſſet in ritu vel ceremonia ad Deum placandum, niſi quatenus interior animi affectus veræ & ingenuæ confeſſionis indicium protulit. Tenendum enim memoria eſt quod exigit Deus apud Joëlem, ut ſcindamus corda, non veſtimenta. Verum ut ſpeciem externam nihil moratur, imo abominatur hypocriſin: ita ſi vere reſipuerit peccator, fieri non *3. verſ. 1. & 33. verſ. 12. & 144. verſ. 15. & 16. verſ. 5. Joël. 2. verſ. 13.*

non poteſt quin ſuppliciter culpam agnoſcendo, reatus ſui teſtimonium adjungat. Nam ſi Paulus, qui extra omnem noxam erat, lugendos ſibi duxit eſſe Corinthios, quos immunditiæ & libidinis & impudicitiæ non pœnituerat, quod in eorum ſcelere ipſum humiliaret Deus: quomodo luctum publicum non ſuſciperent qui ſibi male conſcii, adeoque hominum judicio convicti, ad Dei tribunal citantur? Itaque alibi non abs re triſtitiam, quæ pœnitentiam gignit, ſimul alios etiam fructus proferre docet, ſollicitudinem, excuſationem, indignationem, timorem, deſiderium, æmulationem, vindictam. Ad exemplum quoque pertinet, peccatores non tacite ſolum gemere coram Deo: ſed ignominiæ pœnam ultro ſubire apud homines: ut ſeipſos damnando, Deum fateantur juſtum eſſe judicem, alios ad imitationem provocent, & humanæ fragilitatis admonitos prohibeant à ſimili lapſu. Poſtquam vero formidinem inculſit Deus, ut tamen animos colligant ad petendam veniam, quaſi ſedata iracundia deliberaturum ſe pronunciat quid de ipſis ſit factūrus. Eſt autem non ſimpliciter ignoſcit, guſtum aliquem miſericordiæ ſuæ dando, fatis ad bene ſperandum eos animat. Nam quod videtur ſuſpenſos relinquere, non facit eo conſilio ut dubitanter ad deprecandum accedant, ſed ut anxietas magis ac magis eos ſollicitet ad precandi ſtudium, & in humilitate contineat.

2 Cor. 12. verſ. 21.

2 Cor. 7. verſ. 9.

Ex eodem Capite.

7. Moſes autem accepit tabernaculum, & extendit illud ſibi extra caſtra, procul à caſtris: (vocaverat autem illud tabernaculum conventionis) & quicunque requirebat Jehovam, egrediebatur ad tabernaculum conventionis quod erat extra caſtra.

8. Præterea quando egrediebatur Moſes ad tabernaculum, aſſurgebat univerſus populus, ſtabantque ſinguli ad oſtium tentorii ſui, & aſpiciebant poſt Moſen, donec ingrederetur tabernaculum.

9. Erat autem quando egrediebatur Moſes tabernaculum, deſcendebat columna nubis, ſtabatque ad oſtium tabernaculi, & loquebatur cum Moſe.

10. Videns vero univerſus populus columnam nubis ſtantem ad oſtium tabernaculi, aſſurgebat univerſus populus, & adorabat quiſque ad oſtium tentorii ſui.

11. Et loquebatur Jehova facie ad faciem, quemadmodum alloquitur quiſpiam amicum ſuum: poſtea revertebatur ad caſtra: at miniſter ejus Jehoſua filius Nun juvenis non recedebat è medio tabernaculi.

7. *Moſes autem accepit tabernaculum.*] Fuit hoc divortii ſignum inter Deum & Iſraëlitas, è caſtris transferri tabernaculum, & procul locari: acſi Deum ipſum ſuæ cum illis conjunctionis tæderet. Promiſerat ſingularis beneficii loco, ſe in medio populi habiturum: nunc alio migrans pollutos eſſe declarat. Denique tabernaculi abductio perinde fuit ac tabularum fractura: quia ſicuti Moſes tabulas frangendo fœdus Dei abrupit, ſic ejus contubernio & præſentia privavit ad tempus Iſraëlitas. Quod exponunt quidam de Moſis tabernaculo, refellitur multis & firmis rationibus. Primo, non dicitur ſuum ipſius tabernaculum abſtuliſſe, ſed ſimpliciter & abſque adjectione ponitur nomen tabernaculi κατ' ἐξοχήν. Deinde, non mutavit ipſe habitationis locum: ſed interdiu tantum illuc conceſſit adorandi cauſa, vel certe ut Deum conſuleret. Tertio, minime fas fuiſſet ſacrum nomen privato tabernaculo imponi, quod Deus ſanctuario ſuo deſtinaverat. Quarto, Deus ſuam illic gloriam proferendo, ſuum domicilium eſſe teſtatus eſt. Quinto, abſurdum fuiſſet, populum verſus eam partem Deum quærere, niſi locus fuiſſet ſacer. Sexto, conſiderandus eſt finis quem attigi. neque enim Moſes ſe à populo ſeparavit: quin potius ſuo more in mediis caſtris verſatus eſt: ſed oſtendere voluit Deum è loco profano ſe ſubducere, ne quid contagionis inde contraheret: ut eſſet quædam excommunicationis ſpecies. Dicitur autem ſibi tetendiſſe, non in privatum uſum (ſicuti ex contextu patet) ſed ex communi uſu, ubi particula ל ſæpe abundat. Quanquam proprie loquendo ſibi tetendit: quia nonniſi ipſi uni & ſeorſum patebat acceſſus. Qui ad privatum tabernaculum referunt, putant opinioni ſuæ quod poſtea ſequitur ſuffragari, Moſen vocaſſe tabernaculum Moëd. Inde enim colligunt non fuiſſe prius honorifico illo elogio inſigne. ſed facile diluitur objectio: quia magis conſentaneum eſt per parentheſin id inferi in contextu. Ideoque tempore pluſquam perfecto commode verti poteſt. Nam hac voce exprimitur ratio, cur alio ſe Deus contulerit: ut ſciliceſ locus quem ad paciſcendum condixerat, maneret deſertus. Quanquam ſi de illo temporis articulo accipere libeat, non male conveniet in re præſenti commonefactum fuiſſe populum de triſti diſſidio: & Moſen quo plus ignominiæ & pudoris irrogaret populo, vocaſſe tabernaculum conventus quod longe à caſtris diſtabat. De voce Moëd non repetam quæ alibi dixi. Petant igitur lectores ex fine capitis 29.

Quicunque requirebat Jehovam.] Quidam interpretantur Conſulere: ſed generalis ſignificatio melius (meo judicio) convenit. Sive ergo teſtari vellent ſuam pietatem in externo cultu, ſive precari, ſive in rebus dubiis conſilium petere, egrediebantur verſus illud ſanctuarium, ut oculos illuc conjicerent. Non intelligit Moſes ad locum illum veniſſe, à cujus acceſſu ſe tanquam pollutos ſciebant arceri. Sed hic egreſſus tantum ad teſtimonium pœnitentiæ valebat: acſi indignos ſe agnoſcerent qui bus reſponderet Deus, niſi diſcederent ab eo loco quem ne fandō ſcelere fœdaverant. Utile vero ipſis fuit ſic humiliari, quo majore in odio eſſet idololatria. Nec repugnat quod poſtea ſequitur, ſtetiſſe unumquemque ad oſtium tentorii ſui, quando egrediebatur Moſes: quia tunc plus reverentiæ & terroris debebat eorum animis incutere quæ tunc illuſtrior erat Dei gloria. Ergo quotics in Dei conſpectum ſe ſiſtebat Mediator, non plus illis permiſſum fuit quam eminus aſpicere columnam nubis, quæ etiam Moſen recipiebat ut ab illis ſegregaretur. Interea notandum eſt, ſic Deum ab illis tunc migraſſe, ut tantum rejicerentur à propinquo acceſſu, non autem prorſus alieni eſſent. Signum enim fidei fuit adoratio: licuit illis precari & Dei gratiam implorare: ſciebant in perſona Moſis ſe exaudiri. Ergo non erat diſſidium ejuſmodi quod ſpem veniæ illis in totum abſciderēt: ſed quod acueret ſollicitudinem, & eos ad reſipiſcentiam exerceret. Ita ſæpe Deus ex profeſſo faciem ſuam abſcondit à peccatoribus, quo vere humiliatos ad ſe invitet. Idque diligenter notandum eſt, ne ubi nos vel ore vel manu caſtigat, precationes noſtras impediat terror, vel cognitio reatus: ſed ipſum è longinqua etiam diſtantia quæramus. Acſere ſimilis eſt excommunicationis ratio: quia Satanæ tra-

duntur

duntur quos Eccleſia rejicit à contubernio piorum: ſed tantum in carnis interitum, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini. Et ideo Paulus non vult haberi tanquam inimicos, ſed admoneri ut fratres. Quod dicitur populus aſſurrexiſſe, & ſingulos ſtetiſſe ad oſtium tentorii ſui, quidam perperam (meo judicio) ad civilem honorem referunt, acſi exhibitus fuiſſet duci honos: quin potius exiſtimo, quum ſtatis horis omnium nomine Moſes ad Deum ſe conferret, cultus & adorationis fuiſſe ſocios. Qua ratione etiam proſequuti ſunt oculis, donec eum nubes obtegeret. Eodem ſenſu continuo poſt repetitur aſſurrectio, ubi ſermo fit de columna nubis. Quare mihi dubium non eſt quin denique verſus de ſpirituali cultu exponi debeat. Quomodo autem coram ſigno teſtari ſint ſuam pietatem, neque tamen craſſa imaginatione Deum illic coluerint, alibi diximus.

2 *Theſſ.* 3. *verſ.* 15.

11. *Et loquebatur Jehova facie ad faciem.*] Hoc elogio poſtea inſignietur Moſes, quum Deus volet illum diſcernere à reliquis Prophetis. Familiare ergo colloquium hac voce exprimitur, acſi dictum eſſet, Deum apparuiſſe Moſi ſingulari revelationis modo. Si quis objiciat, pugnare cum hac ſententia quod mox videbimus, Non poteris faciem meam videre: facilis eſt ſolutio: quamvis peculiari modo Deus ſe patefecerit Moſi, nunquam tamen apparuiſſe in ſolida ſua gloria, ſed quatenus ferre poterat hominis infirmitas. Hæc enim loquutio continet tacitam comparationem: quod ſcilicet nemo æqualis fuerit Moſi, vel ad tantum dignitatis gradum aſcenderit. Hoc vero ad Legis commendationem pertinet, Moſen ejus miniſtrum quod familiariter didicerat retuliſſe, ne qua ambiguitas ſit ſuſpecta. Quod dicitur Jehoſua non receſſiſſe à tabernaculo, inde colligimus Moſi fuiſſe domicilium ſuum in caſtris. Et forte ideo adoleſcens dicitur, ut illuſtrior in eo ſit Dei gratia, quod cum æditui munere fungi voluerit. Erat quidem vir maturæ ætatis Jehoſua eo tempore: ſed beneficium Dei ſingulare in eo apparuit, quod multis ſenibus poſthabitis, eum mooorem natu præfecit tabernaculo ſuo cuſtodem.

Num. 12. *verſ.* 8.

Ex eodem Capite.

12. Et dixit Moſes ad Jehovam, Vide, tu dicis mihi, Educ populum hunc, & tu non indicaſti mihi quem miſſurus ſis mecum. Atqui tu dixiſti, Novi te ex nomine, atque etiam inveniſti gratiam in oculis meis.

13. Nunc ergo ſi modo inveni gratiam in oculis tuis, oſtende quæſo mihi viam tuam & cognoſcam te, atque inveniam gratiam in oculis tuis, & vide quod populus tuus ſit gens iſta.

14. Et dixit, Facies mea præcedet, & requieſcere faciam te.

15. Cui reſpondit, Niſi facies tua præcedat, ne educas nos hinc.

16. Et (*certe*) qua in re notum erit hic quod invenerim gratiam in oculis tuis ego & populus tuus? nonne quum ambulaveris nobiſcum, & ſeparabimur ego & populus tuus ab omni populo qui eſt ſuper faciem terræ?

17. Et dixit Jehova ad Moſen, Etiam rem hanc quam dixiſti faciam: quia inveniſti gratiam in oculis meis, & novi te ex nomine.

18. Adjecitque, Oſtende mihi quæſo gloriam tuam.

19. Cui reſpondit, Ego præterire faciam omnem decorem meum ante faciem tuam, & vocabo ex nomine Jehovæ coram te: & miſerebor cujus miſerebor, & clemens ero in quem clemens ero.

20. Dixit præterea, Non poteris videre faciem meam: quia non videbit me homo & vivet.

21. Dixit poſtremo Jehova, Ecce locus apud me, & ſtabis ſupra petram.

22. Erit autem quum pertranſibit gloria mea, ponam te in ſpelunca petræ, & protegam te manu mea donec tranſiero.

23. Poſtea removebo manum meam, & videbis poſteriora mea: facies vero non videbitur.

12. *Vide, tu dicis mihi, Educ.*] Iterum de reconciliando populo fatagit Moſes. Nam promiſſio uberior per anticipationem inſerta fuit. Cæterum à defectione nihildum aliud promiſerat Deus quam ſe populo terram daturum. Etſi autem de ſola terræ poſſeſſione certiores reddere volens, addiderat Angelum fore ducem, hoc tamen nonniſi temporale erat beneficium, & quod promiſcue aliis quoque gentibus conferre ſolet. Ita videbat Moſes ſe & populum ſingulari bono privari, quo antea potiti fuerant. Idem enim ille Angelus qui ipſos præceſſerat, ſæpius vocatus fuit Deus exercituum, ut ſentirent Deum peculiari modo ſibi eſſe præſentem. Itaque non abs re conqueritur Moſes Deum non indicaſſe quem miſſurus ſit: quia generaliter de Angelo quolibet loquendo, unicum illum liberatorem populi præſidem & cuſtodem perpetuæ ſalutis abſtulerat. Non igitur Aharonem ſibi petit reſtitui, vel quempiam adjungi laboris ſocium in negotio difficili & arduo: ſed de continua ſerie prioris gratiæ certior fieri cupit. Porro ad impetrandi fiduciam, non aliud profert in medium quam Dei promiſſiones. Nulla igitur propria dignitate nititur, nec officia ulla objicit quibus promeritus ſit tantum favorem: ſed hac ſumma contentus eſt, Domine, fac ut verbis tuis reſpondeat eventus. Quid ſit cognoſcere ex nomine, jam ante dictum eſt: nempe deligere ex aliorum numero, vel eximium habere. Poſtquam vero recitavit Moſes quod à Deo promiſſum fuerat, per hanc gratiam ipſum obteſtatur: Si nactus ſum, ioquit, gratiam coram te, hoc teſtimonio confirmes vel approbes, ut rurſus noſtri curam ſuſcipias. Nam per viam Dei intelligit illam directionem qua teſtatus fuerat ſe præire ad monſtrandum iter. In ſumma, hoc favoris ſignum ſibi dari poſtulat, ſi populum Deus perpetuo gubernet. Ideo dicit, Hoc modo te cognoſcam, & apparebit me tibi gratum eſſe. Tandem fœdus Dei commemorat cum toto populo: acſi diceret, Quamvis nolit Deus privatim hoc uni concedere, aliam eſſe graviorem cauſam, quia populum illum adoptaverit. Unde ſequitur æquum eſſe ut à reliquis gentibus eum diſcernat propriis notis.

14. *Facies mea præcedet.*] Ex reſponſo colligimus quid ſibi voluerit Moſes. Deus enim ejus voto annuens,

nuens, uno verbo affirmat ſe præiturum, ut ſolebat: quod certum pignus fuit non vulgaris præſentiæ. Nam quamvis totus mundus regatur ejus providentia, non tamen illic, ut in tuenda Eccleſiæ ſalute, conſpicua ejus facies apparet. Et ſane quum idem Angelus quem ante caſtris præfecerat, munus gubernandi populi obierit, inde certo probatur æterna Chriſti divinitas. Particula hæc, Facies mea præcedet, in rotundem valet acſi dixiſſet, Sic te præcedam, ut vere ſentias meipſum tibi adeſſe: acſi in ſpeculo faciem meam cerneres tibi ante oculos poſitam. Id vero quum in Chriſto impletum fuerit, ſequitur Deum eſſe æternum: cujus gloria, imperium & majeſtas creaturas omnes ſuperemioet. Requies quam promittit, ad perſeverantiam gratiæ & ultimum finem pertinet: acſi dictum eſſet, Ubi terram ingreſſus fuerit populus, ſub Dei tutela & patrocinio fore. Nam quod populi totius commune erat, Moſis perſonæ adſcribitur.

15. *Niſi facies tua præcedat.*] Amplectitur Moſes quod ſibi datum eſt: interea ſignificat ſibi eſſe potius & optabilius in deſerto perire quam longius progredi abſque illuſtri præſentiæ Dei teſtimonio. Quod proinde verſu confirmat: ideoque interpoſui particulam expletivam, Certe. quanquam poſſet etiam copula reſolvi in adverbium cauſale Nam. Negat enim aliter cognoſci poſſe paternum Dei favorem quo populum amplexus fuerat, niſi maneat apud ipſos. Falluntur autem qui exiſtimant diverſum aliquid hic notari quam paulo ante. Nam prorſus eodem ſenſu dicitur præcedere Deus, & habitare in medio populi: ſed reſpicit Moſes ad promiſſionem ante datam: cujus ſymbolum erat tabernaculum fœderis, quod paulo ante ad puniendum populi ſcelus à legitima ſtatione abductum fuerat. Quod in fine verſus adjungit, Et ſeparabimur, iterum reſolvi poteſt, Ut ira ſeparemur, vel Quia hoc modo ſeparabimur. Unde ſatis patet, favorem cujus fit mentio, ad electionem vel adoptionem gratuitam referri, eſſeque ejus fructum vel effectum. Conſilium enim Moſis eſt, fœdus quod à populo violatum fuerat, priſtino ſuo vigori reſtituere: acſi populus in illum honoris gradum unde ciderat, poſſliminio rediret. Et certe hæc ſolida demum noſtra eſt felicitas, ſegregari à profanis gentibus tanquam Dei peculium: ſicuti in Pſalmo dicitur, Memento mei Deus in benevolentia populi tui: viſita me in ſalute tua.

Pſal. 106. verſ. 4.

17. *Etiam rem hanc.*] Nihil addit novum, ſed quod nuper dixerat repetitione confirmat, tollendæ dubitationis cauſa. Exprimit tamen ſimul non alia cauſa ſe adduci quam gratuito favore, quo Moſen complexus erat. Hæc igitur quædam fuit fœderis renovatio, dum conſecratur populus Deo, ut regnum ſacerdotale deinceps recuperet.

18. *Oſtende mihi gloriam tuam.*] Hactenus ad regulam modeſtiæ & ſobrietatis compoſita fuerunt Moſis vota: nunc vero extra metas abripitur, quia plus appetit quam fas ſit atque expediat. Patet enim ea repulſa, inconſiderate prolapſum fuiſſe quo non licebat. Deum vult ſibi propius & evidentiore forma quam ante manifeſtari. Neque tamen huc ipſum impellit ſtulta curioſitas, quæ ut plurimum titillat hominum mentes, ut audactet penetrare tentent uſque ad ultima cælorum arcana. neque enim aliud Moſi fuit propoſitum quam ad fiduciam animari, quo partes ſuas alacrius obiret. Vitiaſum tamen fuiſſe deſiderium cujus rectus erat finis, diſcimus ex reſponſo Dei, ubi docet noxium & exitiale Moſi fore ſi obtineat quod magni beneficii loco petit. Quid ergo ſi nos ad inveſtigandam altius quam par ſit Dei gloriam ſollicitet ingenii noſtri vanitas? Quare ſit nobis hic locus inſtar freni ad cohibendas quæ in nobis nimium exultant ac laſciviunt ſpeculationes, dum ſcire cupimus quæ Deus vult nobis eſſe abſcondita. Hæc probe, rite & utiliter ſciendi ratio, ut revelationi meo ſura contenti, quod altius eſt libenter ignoremus. Proficiendum quidem eſt in cognitione cæleſtis doctrinæ: ſed via tenenda, ut Deum præeuntem ſequamur.

19. *Prætereat faciem.*] Initio declarat quatenus Moſen exaudierit: ſed mox ſubjicitur reſtrictio ad exceſſum corrigendum. Ita non protſus repudiatur oratio, ſed tantum qua parte nimis cupide ferebatur ad ſpectandam gloriæ perfectionem. Tranſitus ſignificat viſionem exigui temporis: acſi diceret, Sufficiat tibi ſemel quaſi ad momentum gloriam meam vidiſſe, quum ante oculos tuos tranſibit. Nomen יהוה, pro quo Decorem reddidi, alii Bonum vertunt: ideo quidam accipiunt pro bonitate: ſed melius convenit nomen pulchritudinis vel decoris, quo ſenſu non ſemel legitur. Inde bonum aſpectu dicitur quod eſt jucundum ac delectabile. Clamare in nomine Jehovæ, interpretor, clara & ſonora voce exprimere quod de ipſo Deo utile eſt cognitu. Ante Moſi dictum fuerat, Ego ſum Deus Abrahæ, Iſaac & Jacob, & nomine meo non fui illis cognitus. Quum jam Patribus ſuperior eſſet Moſes, in altiorem gradum evehitur, ut propius innoteſcat ei Deus, illamque manifeſtationem numeris omnibus abſolvat. Primo igitur tenendum eſt, Deum nunc familiarius quam antea cogoitum fuiſſe Moſi. Simul tamen notandum eſt, quamvis exhibita fuerit oculis viſio, præcipuas tamen partes fuiſſe in voce: quia auribus magis quam oculis percipitur vera cognitio Dei. Promittitur quidem Dei conſpectus: ſed poſterius beneficium magis excellit, quod Deus promulgabit nomen ſuum, ot magu ex voce quam ex facie Moſes eum cognoſcat. Mutæ enim viſiones frigidæ ac omnino evanidæ eſſent niſi vigorem ex ſermone mutuarentur. Ergo ſicuti dialectici corpori ſyllogiſmum compatant, rationem vero quæ incluſa eſt, animæ: ita proprie loquendo anima viſionis eſt ipſa doctrina, ea qua naſcitur fides.

Miſerebor cujus miſereb.] Quomodo hæc ſententia cum ſuperiore cohæreat, ea pendere convenit: quod vel neglectum fuit, vel non ſatis animadverſum. Ego etſi Dei miſericordiam magnifieri hac circumſtantia exiſtimo, quod tam indulgenter cum ſcelerato populo agat: non dubito tamen quin conſulto anſam hominum audaciæ præcidere voluerit Deus, ne obſtreperent inſolitæ & prius non auditæ liberalitati. Nam ſive judicium ſuum exerceat Deus, ſive clementer vitiis ignoſcat, non deſinunt profani homines cum eo litigare. Sic riaandi cauſa interrogant cur Filii ſui adventum toi ſeculis diſtulerit, cur noſtra ætate dignatus fuerit Euangelii lucem è tenebris eruere: imo uſque ad mundi creationem transvolant: quia illis abſurdum videtur Deum tot ſeculis fuiſſe otioſum, ideoque per ludibrium quærunt, quid ei demum in mentem venerit mundum fabricare, qui nondum ſextum millenarium implevit. Præcipue tamen hac in parte ſe intemperanter effert multorum protervia, ubi ratio non apparet cur Deus erga gentem vel ſeculum unum ſit miſericors, aliis autem & ætatibus & populis rigidus. Itaque admirabile Dei conſilium, quo alios elegit, alios reprobavit, ſemper impiorum calumniis fuit obnoxium: quia niſi diſcriminis cauſam videant, Deum iniquitatis damnare non dubitant, quia inter bos & illos diſcernat. Huic veſaniæ nunc occurrit Deus, & ſibi poteſtatem quam libenter eriperent terreni homines, aut potius vermiculi, vendicat: ut pro ſuo arbitrio peculiarem exerat miſericordiam erga quos velit. Quum hæreditate terræ Chanaan Patres fuiſſe potitos narrat Propheta, non aliam aſſignat rationem niſi quod Deo in ipſis complacuit. Atque hæc doctrina paſſim in Scripturis occurrit, quam latratu ſuo ſine fine exagitant impuri canes. præcipue tamen oblatrant quoties Deus indignis ſe propitium & beneficum

Pſal. 44. verſ. 3.

Rom. 16. verſ. 25. neficum oſtendit. Hac ratione Paulus fideles ad incomprehenſibile Dei conſilium revocat, quod Euangelium promulgando, myſterium temporibus æternis abſconditum patefecit. Item, quod Gentes inſerendo in corpus Eccleſiæ, à quo alienatæ tamdiu fuerant, altitudinem ejuſdem myſterii commendat, quod Angelis etiam abſconditum, in plenitudine temporis hominibus innotuit. Eodem fine præciſe hoc loco denunciat, non alibi cauſam eſſe quærendam cur Moſi propius quam olim Patribus ſe manifeſtet, quam in ſuo conſilio vel beneplacito. Quanquam autem hoc primo loco ad Moſen ſpectat: quia tamen in commune populi bonum gloriam Dei conſpexit, ad omnes extenditur hæc miſericordia cujus ſit mentio. Et certe inæſtimabile fuit gratiæ Dei documentum, quod poſt fœdiſſimum populi lapſum, & nefandam apoſtaſiam, in ejus tamen ſalutem luculentius quam antea Moſi apparuerit. Hoc quidem certum eſt, quicquid ex rei novitate objicere poterat carnis ſenſus, hoc reſponſo compeſci: acſi uno verbo pronunciaret Deus, gratiæ ſuæ diſpenſationem penes ſuum unius arbitrium eſſe: ac non perperam modo facere homines, ſed impia & ſacrilega dementia rapi, dum intercedere ei conantur: quaſi vero in ipſis eſſet ſummum judicem, cui ſubjecti ſunt, in ordinem cogere. Forma autem loquendi ſimpliciter huc tendit, Dei voluntatem ſic omnibus cauſis ſuperiorem eſſe, ut ratio ſit omnium rationum, lex legum, & regula regularum. Et certe quamdiu ſibi permittunt homines inquirere in arcana Dei conſilia, nullus erit tumultuandi modus. Deus itaque non diſputando hanc veſaniam caſtigat, ſed ſuum jus aſſerendo, ut liber ſit in diſpenſatione gratiæ ſuæ. Nam pro imperio dicit ſe fore miſericordem erga quos libuerit. Cavendum igitur ne ubi benignus eſt, oculus noſter ſit pravus. Porro quo melius impiæ ſuperbiæ ac temeritatis convincat obſtreperos homines, miſericordiam ac miſerationem ſuam proponit. quaſi diceret, nemini ſe eſſe obſtrictum: ideoque indigne facere qui obmurmurant eum non promiſcue omnibus beneface re, quibus *Rom. 9. verſ. 15.* nihil debet. Hinc liquet quam ſcite Paulus de gratuita electione differens, ad cauſam quam tractat accommodet hunc locum: Deum ſcilicet minime cenſeri poſſe injuſtum, quamvis aliis præteritis, alios eligat. Nam clare verba ſonant, certo hominum numero deſtinari Dei gratiam, ut non appareat æquali modo in omnibus. Loquutio autem expoſitione non indiget: quia uſitatum eſt omnibus linguis, ubi cauſæ inveſtigationem excludere volumus, id repetere quod ad diſceptationem trahitur. quemadmodum ſiquis eximere ſe volens aliorum cenſuris, dicat, Ibo quo ibo, faciam quod faciam.

Ephes. 3. verſ. 9.

20. *Non poteris videre faciem.*] Videtur tamen, ſed pro modo revelationis, qui pleno fulgore longe erat inferior. Jam ante natum Moſen dixerat Jacob, Vidi Deum facie ad faciem: Moſi (ut nuper expoſui) clarior oblata fuit viſio. Nunc vero majus aliquid & præſtantius obtinet: non tamen ut Deum perfecte videat qualis in ſe eſt, ſed quatenus fert captus humanæ mentis. Nam etſi Angeli dicuntur faciem Dei videre excellentiore modo quam homines, non tamen capiunt immenſam gloriæ perfectionem, qua abſorberentur. Merito itaque negat Deus ſe poſſe conſpici ab homine mortali: quia non ante ipſum videbimus ſicuti eſt, quam ſimiles ei erimus. *1 Joan. 3.* Optime autem frenatur ſtulta cupiditas, ubi additur lethalem nobis fore gloriæ Dei conſpectum. Neque enim fieri poteſt quin ille incomprehenſibilis fulgor in nihilum nos redigat. Itaque Deus à ſolida ſui cognitione nos arcendo, ſe tamen manifeſtat quoad expedit: imo lucis menſuram noſtro modulo attemperans, faciem induit quam poſſimus ferre.

21. *Ecce locus apud me.*] Puerilis quidem videtur hæc deſcriptio, ſed noſtræ ruditati eſt aptiſſima. Nec vero eam aſpernabitur quiſquis ſuæ imbecillitatis & ignorantiæ probe ſibi erit conſcius. Videntur inter ſe pugnare hæc duo, oſtendi Moſi Dei pulchritudinem, & tamen negari ejus conſpectum. Hic tollitur ambiguitas, quod Deum viſurus ſit Moſes à tergo duntaxat. Similitudo autem ab hominibus ſumpta eſt, quos non agnoſcimus niſi ex parte, ſi alio converſa ſit eorum facies: quia ex oris & vultus intuitu perſpicua eſt cognitio. Jam fiſſura vel foramen rupis perinde fuit atque anguſta & obliqua feneſtra, quæ ſic admittit ſolis radios, ut qui in loco profundo & obſcuro incluſus eſt, uſum quidem percipiat aliquem lucis, nunquam tamen ſolem videat vel fruatur ejus ſplendore. Ita nos corporibus tanquam ergaſtulis incluſi, non poſſumus recto & libero intuitu cognoſcere Dei gloriam: ſed nos oblique irradiat, ut eum ſaltem quaſi à tergo videamus. Non de quibuslibet loquor, ſed de perfectiſſimis, qualis fuit Moſes: qui etſi privilegio ſingulari adeptus eſt quod hic narratur, non tamen pro carnis infirmitate ſuſtinuit Dei gloriam: ideoque oppoſita fuit Dei manus, ut videret tantum ex parte. Dei autem manus pro caligine accipitur, quæ obducta fuit, ne Moſis oculi longius quam fas eſſet ad curioſum aſpectum intenti forent. Quod Poſteriora quidam ad temporis plenitudinem quo exhibitus fuit Chriſtus in carne, referunt, acſi dictum eſſet, Non videbis me niſi natura humana induitum: arguta eſt ſpeculatio, ſed minime firma, imo prorſus remota à genuino ſenſu.

EXODI Cap. XXXIV.

ET ait Jehova ad Moſen, Dola tibi duas tabulas inſtar priorum: & ſcribam in his tabulis verba quæ fuerunt in tabulis prioribus quas fregiſti.

2. Eſto ergo paratus mane, & aſcende mane in montem Sinai: ſteſque mihi illic ſuper vertice ipſius montis.

3. Nullus aſcendat tecum, nec ullus videatur in toto monte, etiam oves aut boves non paſcantur in proſpectu montis hujus.

4. Dolavit ergo duas tabulas lapideas inſtar priorum: & conſurgens Moſes mane aſcendit in montem Sinai, ſicut præceperat ei Jehova: & accepit in manu ſua duas tabulas lapideas.

5. Tunc deſcendit Jehova in nube, & ſtetit coram eo illic, & clamavit in nomine Jehovæ.

6. Tranſiens, inquam, Jehova ante eum clamavit, Jehova, Jehova, Deus miſericors & clemens, tardus ad iram, & multus miſericordia & veritate:

7. Servans miſericordiam millibus, auferens iniquitatem, & transgreſſionem, & peccatum, & innocentem non faciens, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, & ſuper filios filiorum in tertios & quartos.

8. Festinans autem Moses inclinavit se ad terram, & adoravit.

9. Dixitque, Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, Domine mi, proficiscatur agedum Dominus meus in medio nostri: & quia populus duræ cervicis est, propitius sis iniquitati nostræ & peccato nostro, ut possideas nos in hæreditatem.

10. Et dixit, Ecce, ego percutiam fœdus coram toto populo tuo, & edam miracula quæ non sunt creata in universa terra, & in cunctis nationibus: & videbit totus populus in cujus medio es, quod terribile sit opus Jehovæ quod facio tecum.

1. *Dola tibi duas.*] Quanquam hac tessera vel externo symbolo sancita fuit instauratio abrupti fœderis, ne tamen torporem induceret veniæ facilitas, voluit Deus aliquod pœnæ vestigium restare: scilicet vulnere sanato maneret cicatrix. Nullum in prioribus tabulis hominis artificium intervenerat: nam Deus arcana sua virtute sculptas tradiderat Mosi. nunc pars illius tantæ dignitatis imminuitur, dum jubetur Moses lapides afferre manu hominis politos, in quibus scribat Deus decem verba. Quare non prorsus deleta fuit ignominia sceleris: nihil tamen quod in salutem necessarium foret vel utile, detractum. Nam ad testimonium gratiæ Dei, & Legis commendationem, ut reverenter eam susciperent, nihil defuit: tantum nota illa fuerunt humiliati, quod lapides in quibus Deus fœdus suum deposuit, non fuerunt manu ejus formati, nec nati in sacro monte. Quod argute quidam exponunt hoc signo edoctos fuisse Judæos, Legem manere irritam nisi lapidea corda offerrent Deo, quibus ipsum inscriberet, frivolum est. quin potius alio nos ducit Pauli auctoritas, qui
2 *Cor.* 3. *vers.* 3. idoneus ac fidus est hujus loci interpres, dum Legem mortuæ & mortiferæ literæ comparat: quia tantum exarata fuerit in tabulis lapideis, quum salutis doctrina tabulas cordis carneas requirat.

3. *Nullus ascendat tecum.*] Iterum arcentur tam homines quam bestiæ ab accessu montis, sicut in prima Legis promulgatione factum fuerat: ut Legem tanquam è cælo profectam obedienter suscipiat populus. Cur Deus nullum testem admiserit, penes ipsum maneat hujus consilii ratio. Illustrius quidem fuisset miraculum, si momento apparuisset scriptura in nudis tabulis: sed voluit Deus aliquem dare locum fidei, quum intermedia hominis opera usus est. Et tamen quod ad stabiliendam Legis dignitatem satis erat, optime providit, quando decem præcepta Moses attulit in duabus tabulis scripta, quas populus viderat nuper ab ipso nudas & inanes tolli. Atqui in monte neque scalpellum, neque graphium reperire potuit. Sic enim Deus cælestis suæ doctrinæ dispensationem temperat, ut probet fidelium obsequium & docilitatem, nec tamen quicquam reliquum faciat dubitationi.

5. *Tunc descendit Jehova in nube.*] Minime dubium est quin spectante populo nubes Mosen exceperit: ut segregatus à communi hominum vita, post dies quadraginta, quasi novus homo rursum prodiret. Ita visibile hoc gloriæ Dei testimonium ad fidem præceptis conciliandam valuit. Porro descensus Dei cujus sit mentio, migrationem nullam designat, acsi Deus, qui cælum & terram implet, & cujus immensitas ubique est diffusa, locum mutaret: sed id refertur ad sensum hominum, quia sub specie nubis testatus est Deus se Mosi occurrere. Ergo sacrum Dei nomen ad externum symbolum ex communi Scripturæ usu transfertur. Non quod nubes inanis fuerit absentis Dei figura: sed quia præsentiam ejus pro hominum captu testata est. In hne versus, Vocare in nomine Jehovæ, tantundem valet atque inclamare ipsum nomen, vel promulgare quod Deus servo suo innotescere voluit. Hæc quidem loquutio sæpe occurrit, ubi de precibus agitur. Ideo quidam intelligunt de Mose, quod invocaverit nomen Domini. In qua sententia nulla est absurditas. Liberum igitur fit vel de Mose vel de ipso Deo accipere: nempe quod Deus sonora voce præco fuerit suæ virtutis, justitiæ & bonitatis: vel quod Moses ipse pietatem suam professus sit coram Deo. Verum quod continuo post sequitur, ad Deum referre necesse est: nempe quum transiret, clamasse, ut se veris elogiis celebraret. Primo duplicatur nomen Jehovæ emphaticôs, quo attentior reddatur Moses. Additur nomen יהוה, quod à fortitudine ductum sæpe pro Deo capitur, & unum est ex ejus nominibus. Ergo his vocibus exprimitur Dei æternitas & immensa potentia. Deinde clementiam suam & misericordiam prædicat: neque uno verbo contentus est, sed postquam se misericordem vocavit, clementiæ laudem sibi vendicat: quia scilicet nihil ei magis proprium quam bonitas & gratuita beneficentia. Ipsa quoque bonitatis & clementiæ ratio exprimitur, quod non modo placabilis sit, & ad ignoscendum facilis ac propensus, sed quod patienter eos qui peccarunt expectet, & sua tolerantia invitet ad pœnitentiam. Hac ratione tardus ad iram dicitur, nempe qui à severitate abstineat, nisi eum cogeret hominum improbitas ad pœnam de sceleribus exigendam. Postea magnitudinem suæ misericordiæ & veritatis prædicat. His autem duabus fulturis nititur piorum fiducia, dum misericordiam sibi oblatam amplexi, secure quoque in fidem & certitudinem promissionum recumbunt. Itaque in Psalmis passim ubi facta est bonitatis Dei mentio, veritas tanquam individua comes adjungitur. Altera quoque ratio est, quia non aliter comprehendi potest Dei misericordia quam ex verbi testimonio: cui suam probe constare certitudinem necesse est, ne salus nostra vacillet. Quod sequitur, Deum servare misericordiam in mille ætates, capite vicesimo expositum fuit. Pœnæ vero quas exigit de peccatis hominum, non ultra tertiam & quartam ætatem prorogantur, quia Dei clementia judicium exuperat: sicuti dicitur in Psalmo, *Psal.* 30. *vers.* 6. Momentum in ira ejus: vita autem in misericordia. Quod tametsi proprie ad fideles pertinet, ex generali tamen principio manat. Eodem quoque respicit proximum membrum, Tollens iniquitatem, peccatum & scelus. Sic enim exprimitur magnitudo clementiæ: quod non levibus tantum delictis det veniam, sed gravissimis quibusque sceleribus: deinde non uno modo peccatum remittat, sed peccatoribus à quibus centies offensus fuerit, sit propitius. Hinc igitur apparet bonitatis ejus magnitudo, quod immensam scelerum congeriem absorbet. Verum ne hæc indulgentia ad peccandi licentiam trahatur, mox subjicitur per modum correctionis, Mundando non mundabit. quod cum Chaldæo interprete & aliis de severo contra reprobos & obstinatos judicio interpretor. Neque enim placet eorum sententia qui dicunt Deum remittere quidem peccata, sed ita ut modice castiget eos qui peccarunt: quia frigidum est commentum pœnam exigi, remissa culpa: prorsus etiam falsum, quòd usu patet quam multa peccata Deus impunita præterea. Verum optime convenit quod dixi: ne impunitas generet audaciam, postquam de sua misericordia loquutus est Deus, exceptionem addere, iniquitatem minime remitti ad quam accedit obstinatio. Atque hinc videntur sumpsisse Prophetæ, An tu mundando mundaberis? *Jer.* 25. *vers.* 29. dum reprobos compellant quibus negatur venia. & 49. *vers.* 12. Itaque sic commode resolvi poterunt verba, Quamvis exorabilis sit Deus, atque etiam ad ignoscendum facilis, non tamen ideo contemptoribus parcit, quin severus sit impietatis eorum vindex. Quanquam

non

non male quadraret contrarius ſenſus, Succidendo non ſuccidit. Nam hoc interdum ſignificat verbum נָשָׂא Ita uno contextu hæc legenda erunt, Deum remittere iniquitates, quia non vult prorſus excidere humanum genus. Quis enim ſalvus evaderet ſi velit Deus in judicium vocare etiam fidelium peccata? Atque huc forte alluſit Jeremias, dum vindictæ de qua concionatus fuerat, acerbitatem mitigat hac eadem loquutione. Illic autem legi aliter non poteſt quam Non ſuccidam te ſuccidendo. Si hoc recipitur, redditio cauſæ erit, Deum veniam peccatis ideo dare quia ſuccidere homines nolit: quod faceret ſummi juris rigorem urgendo. Sunt qui exponant, Deum remittere peccata, quia nemo ſit coram ipſo innocens: acſi dictum eſſet, deſtitui omnes gloria juſtitiæ, & proinde unicum eſſe refugium in Dei miſericordia. Vere id quidem: ſed non tam expoſitio eſt quam plauſibilis argutia.

8. *Feſtinans Moſes.*] Feſtinatio oſtendit Moſen primo fulgoris intuitu fuiſſe attonitum. Sicuti Deus, ubi prodit in medium, ita confeſtim pios rapit in admirationem ſui, ut non ſit cunctandi tempus. Additur precatio, ut Deus iter faciat cum populo, ejuſque pervicaciam toleret. Quoniam enim dixerat Deus fieri non poſſe ut habitaret cum populo duræ cervicis & intractabili, remedium proponit Moſes. Nempe poſtquam confeſſus eſt duro & præfracto ingenio eſſe populum, ſpem tamen ſalutis reſiduam facit, ſi Deus ſit exorabilis ad parcendum. Dignum vero obſervatu quod ſubjicitur, Ut poſſideas nos. Copula enim vim obtinet cauſalis particulæ. acſi dixiſſet, Non aliter Deum hæreditate quam elegit poſſe frui, quam peccata remittendo. Et certe ita eſt: nam quæ eſt hominum fragilitas, ſub inde exciderent à gratia niſi Deo reconciliarentur. Nec vero id tantum de veteri populo dictum fuit, ſed ad nos quoque pertinet: quia ut nos poſſideat Deus, neceſſe eſt aſſidue nobis peccata remitti: ſicut hæc legatio (teſte Paulo) quotidie in Eccleſia perſonat. Unde ſequitur, non modo ſalutis noſtræ principium fluere ab adoptione gratuita, ſed continuos ejus progreſſus uſque ad finem non aliter compleri quam ubi nos ſibi gratis reconciliat Deus. 2 *Cor.* 5.

10. *Ego percutiam fœdus.*] Non exprimitur quocum percutere velit Deus fœdus. Ideo quidam interpretes ſubaudiunt nomen Moſis: quod videntur facere probabili ratione, maxime quia additur in fine verſus, Opus quod facturus ſum tecum. Verum quia ſtipulabatur Moſes omnium nomine, ſenſus eodem redit, ſi legas, Palam cum toto populo paciſcar. Hac vero promiſſione Deus Iſraëlitas quaſi in integrum reſtituit: quia ſic in profligandis gentibus mirabiliter acturum denunciat, ut probet ſe peculiarem eſſe illius populi Deum: quod eſt ipſum à reliquis gentibus diſcernere, ſicuti precatus fuerat Moſes. Omnes vero dicit oculatos fore teſtes, ut proprio ſenſu convicti, tandem ſe ejus imperio fideliter & ſincere ſubjiciant.

Ex eodem Capite.

27. Et dixit Jehova ad Moſen, Scribe tibi verba hæc: quia ſecundum verba hæc pepigi fœdus tecum, & cum Iſraële.

28. Fuit autem ibi cum Jehova quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non edit, & aquam non bibit: & ſcripſit in tabulis verba fœderis, decem verba.

29. Factum eſt autem quum deſcenderet Moſes è monte Sinai, habens duas tabulas teſtimonii in manu ſua: quum ergo deſcenderet è monte, neſciebat quod reſplenduiſſet cutis faciei ſuæ quando loquutus erat cum eo.

30. Viditque Aharon & omnes filii Iſraël ipſum Moſen, & ecce, ſplendebat cutis faciei ejus: timueruntque accedere ad eum.

31. Et vocavit illos Moſes: reverſique ſunt ad eum Aharon & omnes principes cœtus. Tunc loquutus eſt Moſes ad eos.

32. Deinde appropinquarunt omnes filii Iſraël, & præcepit eis cuncta quæ loquutus fuerat Jehova cum eo in monte Sinai.

33. Porro quum finem feciſſet loquendi Moſes cum eis, poſuit velamen ſuper faciem ſuam.

34. Quum vero ingrederetur Moſes in conſpectum Jehovæ ad loquendum cum illo, auferebat velamen, donec egrederetur: egreſſus autem alloquebatur filios Iſraël quod juſſus erat.

35. Videbant igitur filii Iſraël faciem Moſis, quod reſplenderet cutis faciei Moſis, & reducebat Moſes velamen ſuper faciem ſuam, donec ingrederetur ad loquendum eum eo.

28. *Fuit autem ibi cum Jehova.*] Duplicatur numerus dierum, ut ſecundæ tabulæ non minus obtineant fidei quam priores. Diximus enim exemptum fuiſſe Moſen à communi hominum vita, ut Legem tanquam è cælo afferret. Si paucis tantum diebus in monte retentus eſſet, non ita illuſtri miraculo ſancita fuiſſet ejus auctoritas. Quadraginta vero dies plenam ejus legationi fidem fecerunt, ut ſciret populus divinitus eſſe miſſum: quia tam longi temporis jejunium ferre, modum humanæ naturæ exceſſit. Quare, ut indubia eſſet Legis majeſtas, Angelica gloria inſignitus fuit ejus miniſter. Ideo diſerte narrat, ſe neque aquam bibiſſe, neque panem guſtaſſe: quia diſcerni oportuit ab ordine mortalium, ut omni exceptione major eſſet ejus functio. Porro tenendum eſt, jejunium hoc, cujus fit mentio, non temperantiæ aut ſobrietatis fuiſſe, ſed ſingularis privilegii, quo data fuit ad tempus Moſi immunitas ab infirmitate carnis: ut alia eſſet ejus conditio quam generis humani. Neque enim ullam ſenſit eſuriem, nec cum edendi cupiditate luctatus eſt, nec magit cibum vel potum appetivit quam unus quiſpiam ex Angelis. Itaque hæc abſtinentia nunquam in exemplum à Prophetis tracta fuit, nec quiſquam imitari tentavit quod ſciebant omnes ſibi minime eſſe datum. Eliam excipio, qui ad renovandam Legem miſſus, quæ fere interciderat, quaſi ſecundus Moſes, ipſe quoque à cibo & potu abſtinuit per dies quadraginta. Similis fuit jejunii Chriſti ratio: quia ut Euangelio ſuo plenam fidem acquireret, teſtatum facere voluit ſe Moſi hac in parte nequaquam cedere. Quo minus excuſabilis eſt error ex craſſa inſcitia natus, dum annuo jejunio tentarunt nonnes promiſcue Filium Dei æmulari: acſi nova Euangelii promulgatio ipſis mandata eſſet. Neque enim tota vita niſi ſemel jejunavit Chriſtus per quadraginta dies: nec toto illo tempore eſuriit, quemadmodum clare exprimitur: & eum ab hominum conſuetudine ſegregavit cæleſtis Pater, quum ſe accingeret ad obeundum doctoris munus. 1 *Reg.* 19. *verſ.* 8. *Mat.* 4. *verſ.* 2.

29. *Factum eſt autem quum deſcenderet.*] Aliud inſigne Legis decus narratur: quod ſcilicet in facie Moſis apparuerit cæleſtis gloriæ fulgor. Dicitur enim facies ejus radiaſſe vel fuiſſe radiata. Vox enim קרן à cornu deducitur: ideoque probabile eſt radios micaſſe ex ejus facie, qui ſplendidam ipſam redderent. Hunc vero ſplendorem in ipſum Deus transfudit, quando eum alloquutus fuerat in monte. Cur autem neſciverit Moſes ſe ita divinitus illuſtratum, ratio certa non eſt: niſi quod probabile videtur celatum ad breve tempus fuiſſe, quo liberius ad populum accederet, atque ita ex propiore intuitu melius innoteſceret miraculum. Quod poſtea dicitur, Aharon & filios Iſrael viſo ſplendore fuiſſe perterritos, ut accedere non auderent, eon ita intelligo acſi ſtatim refugiſſent. Nam quum ejus voce revocati fuerint, haud dubie non procul conſpecta erant radios, ſed quum vellent eum excipere, & viciſſim perferret ipſe Dei mandata. Itaque quod ſequitur paulo poſt, Quum finem feciſſet loquendi, teaiſſe velo faciem, refero ad primum ſermonem, quem coactus fuerat abrumpere populi diſceſſu vel fuga: ut ſit ſenſus, Quum ſciret cauſam terroris, deſiſſe loqui, & oppoſito velamine operuiſſe faciem. Neque enim cur fugerent ſcire aliter potuit quam ſciſcitando. Quidam, ut abſurditatem vitent, ſecundum membrum disjungunt à priori, ac putant ordine præcedere. Sed mihi coacta videtur expoſitio. Bene autem (meo judicio) convenit, Moſen, poſtquam vidit cunſternatos abſcedere, quia non audiebatur, ceſſaſſe loqui, & cauſa cognita oppoſuiſſe ſibi velum. Hic exoritur quæſtio, quomodo ſplendorem gloriæ Dei ſuſtinuerit Moſes, radios autem qui micabant in ejus facie, non tulerit populus. Sed facilis ſolutio eſt, hanc dedecoris notam illis fuiſſe inuſtam, ut agnoſcerent quam procul ſua ingratitudine receſſiſſent à Deo, qui ad ſervi conſpectum expaveſcebant. Hoc igitur diſcrimine fuerunt humiliati, quod Moſes ſecure à Dei colloquio ad ipſos prodibat, quamvis ſecum geſtaret inſignia terribilis Dei potentiæ; ipſi autem metu attoniti refugiebant hominis mortalis conſpectum. Poſtquam autem Paulus genuinum hujus fulgoris uſum docuit, nempe ut Lex glorioſa eſſet, longius progreditur, præſagiuni hoc fuiſſe futuræ exacæcationis quæ manebat Judæos. Primo igitur dicit, Quamvis Lex tantum eſſet litera mortua, & adminiſtratio mortis, fuiſſe tamen gloria ſua exornatam. Deinde adjungit quod eſt accidentale, velamen fuiſſe coram facie Moſis: quia futurum erat ut non poſſent conſpicere Judæi quod præcipuum erat in Lege, neque attendere ad verum ejus finem: ſicuti poſt adventum Chriſti obcæcati ſunt eorum ſenſus, & velamen illis eſt impoſitum, donec ad Chriſtum (qui Legis eſt anima) Moſes ab ipſis converſus fuerit. Nunc quum in Euangelio retecta facie Deus ſe repræſentet, videndum eſt ne princeps hujus mundi mentes noſtras obtenebret: ſed potius ut transformemur à gloria in gloriam. 2 Cor. 3. verſ. 13.

Repetitio ejuſdem hiſtoriæ,

Ex Deut. IX.

7. Memento, ne obliviſcaris quod ad iram provocaſti Jehovam Deum tuum in deſerto: à die qua egreſſus es è terra Ægypti, donec ingreſſi eſtis ad hunc locum, rebelles fuiſtis Jehovæ.

8. Nam in Horeb provocaſtis Jehovam: & excanduit Jehova in vos ad perdendum vos.

9. Quum aſcendiſſem in montem ut acciperem tabulas lapideas, tabulas fœderis quod pepigerat Jehova vobiſcum, tunc manſi in monte quadraginta dies & quadraginta noctes, ubi panem non comedi, & aquam non bibi.

10. Et dedit mihi Jehova duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei, & in ipſis *erat* juxta omnia verba quæ loquutus fuerat Jehova vobis in monte è medio ignis, in die conventus.

11. Et factum eſt à fine quadraginta dierum & quadraginta noctium, ut daret Jehova mihi duas tabulas lapideas, tabulas fœderis.

12. Dixit autem mihi Jehova, Surge, deſcende hinc celeriter: quia corrupit ſe populus tuus quem eduxiſti ex Ægypto: receſſerunt cito è via quam præceperam illis: feceruntſibi conflatile.

13. Tunc dixit mihi Jehova, Vidi populum hunc: & ecce, populus eſt duræ cervicis.

14. Sine me ut perdam eos, deleamque nomen eorum ſub cælo, & faciam te in gentem potentiorem, & majorem illa.

15. Tunc verti me, & deſcendi è monte (mons autem ipſe ardebat igni) & duæ tabulæ fœderis in manibus meis erant.

16. Et vidi, & ecce, peccaveratis in Jehovam Deum veſtrum, feceratis vobis vitulum conflatilem, receſſeratis cito de via quam præceperat Jehova vobis.

17. Tunc apprehendi duas tabulas, & projeci eas è manibus meis, confregique in oculis veſtris.

18. Et procidi coram Jehova ſicut prius, quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedi, & aquam non bibi, propter omne peccatum veſtrum quod peccaveratis, impie agendo in oculis Jehovæ, ad ipſum provocandum.

19. Timui enim propter excandeſcentiam & iram qua excanduerat Jehova contra vos ad perdendum vos: & exaudivit me Jehova etiam hac vice.

20. Contra Aharon quoque excanduit Jehova vehementer ad perdendum eum: & oravi etiam pro Aharon tempore illo.

21. Porro peccatum veſtrum quod feceratis, nempe vitulum, accepi, & combuſſi illum igni, & contrivi bene molendo, donec comminutus eſſet in pulverem: ac projeci pulverem ejus in torrentem qui deſcendebat è monte illo.

Ex

Ex eodem Capite.

25. Et procidi coram Jehova quadraginta diebus & quadraginta noctibus, quibus procidi: quia dixerat Jehova se perditurum vos.

26. Oravi igitur Jehovam, & dixi, Dominator Jehova, ne perdas populum tuum, & hæreditatem tuam quam redemisti magnitudine tua, quem eduxisti ex Ægypto manu valida.

27. Memento servorum tuorum, Abrahæ, Isaac & Jacob: ne respicias ad duritiem populi hujus, & ad impietatem ejus & peccatum.

28. Ne forte dicant in terra, unde eduxisti nos, Propterea quod non potuit Jehova introducere eos in terram quam dixerat illis, vel quia oderat illos, eduxit eos ut interficeret in deserto.

29. Ipsi autem sunt populus tuus, & hæreditas tua, quam eduxisti fortitudine tua magna, & brachio tuo extento.

Ex Deut. Cap. X.

1. In tempore illo dixit mihi Jehova, Dola tibi duas tabulas lapideas similes prioribus, & ascende ad me in montem, & fac tibi arcam ligneam.

2. Et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, quas fregisti, & pones eas in arca.

3. Feci igitur arcam è lignis Sittim, ac dolavi duas tabulas lapideas similes prioribus: ascendique in montem habens duas tabulas in manu mea.

4. Tunc scripsit in tabulis juxta scripturam priorem decem verba quæ loquutus fuerat Jehova vobiscum in monte, è medio ignis, in die conventus: & dedit illas mihi Jehova.

5. Conversus autem descendi è monte: posuique tabulas in arca quam feceram: & fuerunt illic, quemadmodum præceperat mihi Jehova.

Ex eodem Capite.

10. Ego autem steti in monte secundum dies priores, quadraginta dies & quadraginta noctes: & exaudivit me Jehova etiam hac vice, nec voluit Jehova perdere te.

11. Itaque dixit mihi Jehova, Surge, vade proficiscendo ante populum, ut ingrediantur & possideant terram quam juravi Patribus eorum me daturum illis.

Deut. 9. 7. *Memento, ne obliviscaris.*] Ut ingratitudinem populo exprobret Moses, scelera quædam hoc loco breviter attingit: sed præcipue insistit in defectionis historia, ubi se prodidit extrema & maxime detestabilis impietas. Hoc ergo facinus iisdem prope verbis recenset quibus ante usus fuit in Exodo. Præfatur autem ut de sceleribus ipsis sæpe cogitent, ne unquam obrepat oblivio. Hæc porro assidua recordatio non modo ad eos humiliandos spectabat, sed ut tandem exuere discerent pravum illud ingenium, & ad præstandum Deo obsequium assuescere. Mox ad historiam ipsam descendit, quod eorum idolatria provocatus fuerit Deus ad ipsos delendos. Hic si quæstio movetur quomodo exoratus fuerit à Mose Deus ut mutaret consilium, cpibibenda est curiositas ne altius quam par est disputemus de arcano & incomprehensibili Dei decreto. Certum quidem est non aliter Deum fecisse quam statuerat: sed non altius conscendit Moses quam ad judicium sibi patefactum: sicuti certo reputandum est paratum nobis esse interitum ubi deliquimus: & iram Dei placari quum vera fide & serio affectu confugimus ad ejus misericordiam. Reliqua ante fuerunt exposita.

17. *Time apprehendi duas tabulas.*] Nullum hic suum delictum recitat Moses. Itaque non intelligit se nimio iracundiæ impetu fuisse correptum ad frangendas tabulas: quin potius iterum repetit quid meriti essent: ideoque se fecialis munere fuisse defunctum, ut non ore tantum, sed solenni ritu denunciaret eorum perfidia cassum & irritum esse fœdus Dei. Qua etiam ratione tabulas ipsis spectantibus projecit ac fregit: ut tam horribili pœna territi alacrius se ad expiandum scelus accingerent.

18. *Procidi coram Jehova.*] Narratio est confusa. Neque enim jejunium hoc de quo loquitur, ordine temporis præcessit secundum ascensum, quum jussus fuit novas tabulas parare. Alioqui ter jejunasset. quod falsum esse ex aliis locis colligitur. Sed mirum non est rem eandem sæpius repeti: sicuti videbimus tam initio decimi capitis quam aliquanto post. Nunc autem tempestiva fit ejus rei mentio, quod scilicet fœdus de integro fuerit renovandum: ideoque, acsi nihil actum esset, iterum per dies quadraginta abstinuerit à cibo & potu. Vidimus autem alibi alias fuisse intermedias preces, antequam secundo montem ascenderet. Sed hic non enarrat distincte singula, imo preces quibus intercessit apud Deum, miscet cum secundo jejunio: quia hoc præcipue dignum fuit observatu, profectu caruisse primam Legis promulgationem, & fœdus quod violaverant fuisse iterandum quasi à principio. Etsi autem dicit propter eorum peccatum se panem non comedisse, neque aquam bibisse, non significat tamen jejunium fuisse indicium fletus & mœroris: sicuti Joël testandæ pœnitentiæ causa populum ad saccum & cinerem vocat, & ad fletum & jejunium hortatur. Mosi enim (ut ante docui) nihilo difficilior vel gravior fuit inedia quam Angelis. Verum simpliciter admonet non aliter expiari tantum scelus potuisse nisi denuo renunciasset humanæ vitæ, & ad Deum fuisset collectus. Interea tenendum est, ante illud tempus jam deprecatum fuisse pro populo, & simul exauditum: quia placati & reconciliati Dei signum fuit, Mosen accersere, ut Legem acciperet ac denuo perferret. Huc pertinet quod addit proximo versu, Quia timui propter excandescentiam &c. adhuc enim anxius erat de salute populi, quum Deus minari non cessaret. Videmus ergo timorem hunc & sollicitum orandi studium à jejunio disjungi tanquam res diversas. Et certe jam Deum exoraverat, quum ex ejus mandato novas tabulas dolavit, quibus fœdus redintegrandum erat. Quanquam non inficior in monte quoque de impetranda venia laborasse: sicuti pia vota quorum facti sunt compotes, continuando, fidem suam magis ac magis confirmant. Tantum moneo lectores ut illud quod posui temporis discrimen observent.

Joël. 2. vers. 12.

20. *Contra Aaron.*] Hinc apparet quam evanidi

nidi sint prætextus, quibus delicta sua tegere homines tentant antequam ferio Dei meru subacti sint ad culpam agnoscendam. Quamvis non prorsus se innoxium jactaret Aharon, diluere tamen vel extenuare scelerisatrocitatem tentabat, quod esset coactus. Atqui pronunciat Moses Deum valde excanduisse. Unde sequitur gravissimi sceleris fuisse reum. quod certius etiam exprimitur pœnæ magnitudine. Neque enim ad eum usque perdendum commotus fuisset Deus, nisi quia obnoxius erat ejusmodi judicio. Proximo versu peccati nomen non pro actu ipso capitur, sed metonymice transfertur ad vitulum: quod appositio declarat. Jam quum dicit se bene molendo contudisse vitulum donec in cinerem redactus esset, iterum significat quam abominabile fuerit illud idolum: præsertim quum adjiciat pulverem fuisse in torrentem projectum, ne quod monumentum usquam residuum foret.

25. *Procidi coram Jehova quadraginta diebus.*] Iterum permixta est narratio: quia certum est hanc orationem prius fuisse conceptam quam alteris quadraginta diebus jejunus maneret in monte. Sed quia tunc quoque, ut erat anxietate constrictus, easdem continuavit preces, non mirum est si sub jejunio quadraginta dierum comprehendat quicquid ante factum erat. Nihil enim absurdi si populi salutem pro qua rogaverat, adeptus, adhuc tamen trepidet. Porro jejunium hoc posterius fuisse tempore quam orationem cujus simul fit mentio, colligere licet ex initio proximi capitis, ubi commemorat sibi tabulas secundas fuisse datas: de jejunio autem nullum verbum. Dixi autem cur sæpius dies quadraginta repetat: quia scilicet non satis fuisset suppliciter intercedere, nisi sequuta esset hæc expiatio, quam obtinuit acceptonovo fœdere. Reliqua jam exposuimus.

Deut. 10. 1. *Tempore illo.*] Aliquandiu cum populo versatus est antequam rediret in montem cum secundis tabulis. Quare jam exponere incipit quod inversa serie temporis dixerat, se per dies quadraginta ad deprecandum in monte stetisse. quod etiam apertius demonstrat repetitio versus decimi, ubi dicit se in monte stetisse secundum dies priores. Etsi autem illic quoque se exauditum fuisse dicit quum in monte intercederet, complectitur tamen quas prius orationes conceperat, audita populi defectione, & postquam fractis tabulis abstulerat Dei tabernaculum, ubi eorsum oraret ad expiandum scelus. Quod etiam hic dicitur de arca, non est suo loco positum. Erat enim pars tabernaculi, ut alibi vidimus. Itaque nimiæ morositatis est, quæ simul narrantur, exigere ad idem temporis momentum.

EXODI Cap. XL.

LOquutus est Jehova ad Mosen, dicendo,

2. Die mensis primi, prima ejusdem, eriges tabernaculum, tabernaculum conventionis.

3. Et pones ibi arcam testimonii, quam teges velo.

4. Introduces que mensam, & ordinabis ordinationem ejus: introduces insuper candelabrum, & accendes lucernas ejus.

5. Pones præterea altare aureum ad suffimentum è regione arcæ testimonii: & pones aulæum ostii tabernaculi.

6. Dein pones altare holocausti coram ostio tabernaculi conventionis.

7. Postea pones concham inter tabernaculum conventionis & altare, in qua pones aquam.

8. Postremo pones atrium in circuitu, & aulæum portæ atrii.

9. Tunc accipies oleum unctionis, & unges tabernaculum atque omnia vasa quæ sunt in eo: sanctificabisque illud & omnia vasa ejus, & erit sanctum.

10. Unges & altare holocausti, atque omnia vasa ejus: sanctificabisque altare, & erit altare sacrosanctum.

11. Unges etiam concham & basin ejus, sanctificabisque illam.

12. Tunc appropinquare facies Aharon & filios ejus ad ostium tabernaculi conventionis, lavabisque eos aqua.

13. Et induere facies Aharon vestes sanctas, ungesque eum, & sanctificabis eum, ut sacerdotio fungatur mihi.

14. Filios quoque ejus appropinquare facies, & indues eos tunicis.

15. Ungesque illos, quemadmodum unxeris patrem eorum: & sacerdotio fungentur mihi: eritque unctio eorum ut sit eis in sacerdotium perpetuum per generationes suas.

16. Fecit ergo Moses juxta omnia quæ illi præceperat Jehova, sic fecit.

17. Et factum est mense primo, anno secundo, prima mensis, erectum fuit tabernaculum.

18. Erexit igitur Moses tabernaculum, posuitque bases ejus, & tabulas ejus, & vectes ejus, atque erexit columnas ejus.

19. Extendit præterea tentorium super tabernaculum, & posuit operimentum tentorii super illud superne, quemadmodum præceperat Jehova Mosi.

20. Tulitque & posuit testimonium in arca ipsa: posuit quoque vectes super arcam, & propitiatorium super arcam superne.

21. Induxitque arcam in tabernaculum, posuitque velum tentorii, & texit arcam testimonii, quemadmodum præceperat Jehova ipsi Mosi.

22. Posuit & mensam in tabernaculo conventionis ad latus tabernaculi ad Aquilonem extra velum.

23. Et ordinavit super eam ordinationem panum coram Jehova, quemadmodum præceperat Jehova ipsi Mosi.

24. Posuitque candelabrum in tabernaculo conventionis ex adverso in latere tabernaculi ad Meridiem.

25. Et

25. Et accendit lucernas coram Jehova, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.
26. Poſuit etiam altare aureum in tabernaculo conventionis coram velo:
27. Et incendit ſuper illud ſuffimentum aromaticum, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.
28. Poſuit præterea aulæum oſtii tabernaculi.
29. Et altare holocauſti poſuit ad oſtium tabernaculi, tabernaculi conventionis: & obtulit ſuper illo holocauſtum & minham, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.
30. Et poſuit concham inter tabernaculum conventionis & altare, in qua poſuit aquam ad lavandum.
31. Et lavabant ex ea Moſes & Aharon & filii ejus manus ſuas & pedes ſuos.
32. Quando ingrediebantur tabernaculum conventionis, & quando accedebant ad altare, lavabant ſe, ſicut præceperat Jehova ipſi Moſi.
33. Poſtremo erexit atrium in circuitu tabernaculi & altaris, poſuitque aulæum portæ atrii. Itaque abſolvit Moſes opus ipſum.
34. Et operuit nubes tabernaculum conventionis, gloriaque Jehovæ replevit tabernaculum.
35. Neque poterat Moſes ingredi tabernaculum conventionis, quia habitabat ſuper illud nubes, & gloria Jehovæ replebat tabernaculum.

Ex Numer. IX.

15. Quo die erectum fuit tabernaculum, operuit nubes tabernaculum ſupra tectum teſtimonii: veſpere autem erat ſuper tabernaculum tanquam ſpecies ignis uſque mane.
16. Sic erat jugiter: nubes operiebat illud, & ſpecies ignis noctu.

2. *Die menſis primi, prima ejuſdem.*] Quod exiſtimant interpretes mihi non eſt probabile, tunc ſcilicet tandem erectum fuiſſe tabernaculum. Jam antequam ſecondo aſcenderet Moſes in montem, ſuis partibus abſolutum fuiſſe, inde colligitur, quod arca tunc parata erat in qua repoſitæ fuerunt tabulæ: ſicuti videbimus in contextu. Porro alibi firmis (ut arbitror) rationibus oſtenſum ſuit, in ſignum divortii extra caſtra fuiſſe locatum, ex quo populus vitulum ſibi fabricaverat. Quid ergo ſibi vult erectio de qua nunc agitur? nempe dicitur fuiſſe erectum, ubi à loco alieno ad ſuam ſtationem traductum eſt. Nam & tunc unctum fuit, & ſacris oblationibus ornatum: deinde Aharon & ejus filii initiati fuerunt ad obeundum ſacerdotale munus. Quoniam igitur nondum rite locatum fuerat in medis caſtris, imo potius ablatum populo, ne illo præſentiæ Dei pignore frueretur: merito poſt fœdus renovatum celebratur ſolennis ejus dedicatio. Hic etiam locus confirmat quod alibi docui, idem illud fuiſſe tabernaculum quod tetendit Moſes procul à caſtris. Nam epitheton adjungens, quaſi de re nota loquitur. Tu eriges, inquit, tabernaculum, nempe tabernaculum conventionis. Et jam ante impoſitum fuiſſe nomen ex ore Dei, teſtatus eſt Moſes ipſe. Porro eadem mandata repetit, non quod ſervi ſui memoriæ diffideret: ſed ut melius liqueret, unum ipſum eſſe totius operis auctorem: deinde ut major ineſſet religio, quando toties quaſi de rebus maximi ponderis dignatus fuerat præcipere.

9. *Tunc accipies oleum unctionis.*] In oleo vis & facultas ſanctificandi minime fuit, niſi quatenus fuit Spiritus figura, à quo tanquam ab unico fonte fluit omnis ſanctitas. Oleum certe, ut corruptibilis eſt liquor, neque in animas penetrat, nec quicquam per ſe prodeſſet ad ſpiritualem Dei cultum. Ex multis autem Scripturæ locis conſtat ſymbolum fuiſſe donorum omnium Spiritus ſancti. Hæc igitur figura clare oſtendit nihil Deo placere, nihil coram ipſo eſſe purum vel ſanctum niſi quod Spiritus virtute & gratia purgatum & rite dicatum fuerit. Deinde ſingula ſanctuarii vaſa eximere ſacra unctione voluit Deus à communi uſu: ut diſcernerent Iſraëlitæ ſacra à profanis, atque ita juſtam reverentiam obtineret Dei cultus: nec quiſquam carnis pollutiones ingereret in eum locum, cujus puritas ſacro ſymbolo commendata fuerat. Quæritur tamen cur altare holocauſti excellentiore elogio inſigniat. Nam quum tabernaculum cum ſuis vaſis ſimpliciter Sanctum dixerit, ipſum altare vocat Sanctum ſanctorum: pro quo Sacroſanctum reddidi. Non dubium quin hoc nomen mutuetur à ſacrificiis: quæ ſic etiam dicta ſunt expiationis reſpectu, ut alibi viſum fuit. Edocti igitur fuerunt filii Iſrael, Deum vere reconciliari holocauſtis & ſacrificiis igniis: quia in ipſo altari reſideret ſanctitas ſanctitatum.

12. *Appropinquare facies Aharon.*] De veſtibus & modo unctionis ſupra expoſuimus, quæ ad rem facere viſa ſunt: ſolum taneant lectores, qui ſacerdos ante creatus fuerat, nunc demum inaugurari, ut munere ſuo fungi incipiat. Simul tamen meminerint ore Dei conſecratum fuiſſe hoc oleum. Unde apparet ſtulte Epiſcopos Papales tanquam ſimias æmulari Moſen, dum ſuos ſacrificos, altaria & alias nugas fœtido oleo aſpergunt: quandoquidem fatis conſtat ceremoniam hanc ungendi, ut ad veteres Legis umbras ſpectabat, ceſſaſſe Chriſti adventu. Obſervatu quoque dignum eſt quod admonet Auguſtinus, Moſen qui aliorum unctioni præficitur, nunquam fuiſſe conſecratum viſibili ſymbolo: ut ſciamus non à miniſtri dignitate æſtimanda eſſe externa ſigna, ſed à ſolo Dei imperio: deinde inviſibilem gratiam quibuſdam profuiſſe abſque viſibilibus ſacramentis: viſibilem vero ſanctificationem ſine inviſibili poſſe conferri, ſed non prodeſſe. *Lib. quæſtion. ſuper Levit.*

17. *Et factum eſt menſe primo.*] In tota diſpoſitione quæ deſcribitur, præcipue notandum eſt Moſen ita paruiſſe Deo ut ne minimum quidem à forma ſibi præſcripta deflexerit. Ideo toties inculcat ſe feciſſe ſicuti juſſerat Deus. nec abs re: quia nihil proclivius quam ut Dei mandatis ſua commenta permiſceant homines, aſi ſupra ipſum vellent ſapere. Ergo ut ſciret populus in toto Legali cultu nihil eſſe humanitus fabreſactum, tam diligenter hac in parte inſiſtit Moſes, ſuamque obedientiam ſæpius teſtatur. Quod ſi tantus Propheta in rebus minutis nihil à ſeipſo tentare auſus eſt, cujus audaciæ & arrogantiæ fuit, homines ſuo arbitrio comminiſci innumera figmenta quibus Deus coleretur? Nos vero diſcamus ex hoc loco, quicquid à Deo profectum eſt, reverenter amplecti: quod autem à ſeipſis proferunt homines, repudiare.

34. *Et operuit nubes.*] Hac teſſera vel pignore probata fuit tabernaculi ſanctitas: quia certo cognovit

gnovit populus non fruſtra erectum fuiſſe, ſed promiſſionem ante datam reipſa compleri, electum à Deo fuiſſe domicilium illud, ut dux & cuſtos eſſet populi. Neque enim naturale fuit nubem reſidere ſuper ſanctuarium, in quo depoſita erat arca fœderis: multo etiam minus interdiu nubem conſpici, noctu vero ignem: præſertim quum id non ſemel factum eſſet, verum continua ſerie hæc duo viciſſim ioter ſe ſuccederent. Apte autem dicitur, quum nube opertum fuit tabernaculum, ſimul repletum fuiſſe Dei gloria: quia magnificum illud fuit decus, terreſtre ædificium ornatu pluſquam cæleſti reddi inſigne: acſi Dei majeſtas oculis eſſet conſpicua. Porro quum antea Moſes à tergo oppoſita nube tegeretur, nunc dicitur nubis denſitas eum quoque prohibuiſſe ab ingreſſu. Unde magis creſcere debuit loci reverentia & admiratio, quum magnitudo gloriæ ſancto Prophetæ obſtaculum eſſet. Probabile autem eſt, ejus exemplo non reliquos tantum ex vulgo, ſed omnes Levitas fuiſſe admonitos, ne longius quam conceſſum ipſis erat perrumpere tentarent. Poſtquam enim ſacerdotii poſſeſſio ad fratrem tranſiit, una cum poſteris à ſacra illa dignitate excluſus eſt.

NUMER. Cap. VII.

ET fuit, quo die finivit Moſes erigere tabernaculum, unxit illud & ſanctificavit, omniaque utenſilia ejus, altare quoque & omnia uteoſilia ejus, ex quo unxit ea & ſanctificavit.

2. Tunc obtulerunt principes Iſraëlis, capita domuum patrum ſuorum, principes tribuum: hi erant præfecti numeratis.

3. Et attulerunt oblationem ſuam coram Jehova, ſex plauſtra operta, & duodecim boves: plauſtrum pro binis principibus, & bovem in ſingulos obtuleruot coram tabernaculo.

4. Dixerat autem Jehova ad Moſen, dicendo,

5. Accipe ab eis, & ſervient in miniſterio tabernaculi conventionis: & dabis ea Levitis, cuique ſecundum rationem ſui miniſterii.

6. Accepit itaque Moſes plauſtra & boves, & dedit Levitis.

7. Duo plauſtra & quatuor boves dedit filiis Gerſon ſecundum rationem miniſterii ipſorum.

8. Et quatuor plauſtra & octo boves tradidit filiis Merari ſecundum rationem miniſterii ipſorum, ſub manu Ithamar filii Aharon ſacerdotis.

9. Filiis vero Cehath nihil dedit: quia miniſterium ſanctuarii quod illis iojunctum erat, humero ferebant.

10. Obtulerunt autem principes pro dedicatione altaris, die quo unctum fuit: obtuleruot, inquam, principes oblationem ſuam coram altari.

11. Et dixit Jehova ad Moſen, Singuli principes ſingulis diebus offerent oblationem ſuam ad dedicationem altaris.

12. Obtulit itaque primo die oblationem ſuam Nahaſon filius Amminadab de tribu Jehudah.

13. Fuit autem oblatio ejus patina argentea, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.

14. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:

15. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:

16. Hircus caprarum unus pro peccato.

17. Pro ſacrificio autem proſperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Nahaſon filii Amminadab.

18. Die autem ſecuodo obtulit Nethaneel filius Suar princeps Iſſachar.

19. Obtulit oblationem ſuam, patinam argenteam unam, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phialam unam argenteam, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambas ipſas plenas ſimila conſperſa oleo in minham.

20. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:

21. Juveocum uoum, filium armeoti, arietem unum, agnum anniculum in holocauſtum:

22. Et hircum caprarum unum pro peccato.

23. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc eſt oblatio Nethaneel filii Suar.

24. Die tertio princeps filiorum Zebulon, Eliab filius Helon.

25. Oblatio autem ejus fuit patina argentea una, centum triginta ſiclorum poodus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.

26. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:

27. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:

28. Hircus caprarum unus pro peccato.

29. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duo, arietes quioque, hirci quinque, agni quinque anniculi. Hæc fuit oblatio Eliab filii Helon.

30. Die quarto prioceps filiorum Reuben, Eliſur filius Sedeur,

31. Oblatio

31. Oblatio ejus fuit patina argentea una; centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.
32. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:
33. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:
34. Hircus caprarum unus pro peccato.
35. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Elifur filii Sedeur.
36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Selumiel filius Surifaddai.
37. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.
38. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:
39. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:
40. Hircus caprarum unus pro peccato.
41. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Selumiel filii Surifaddai.
42. Die ſexto princeps filiorum Gad, Eliaſaph filius Deuel.
43. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.
44. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:
45. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:
46. Hircus caprarum unus pro peccato.
47. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Eliaſaph filii Deuel.
48. Die ſeptimo princeps filiorum Ephraim, Eliſama filius Ammihud.
49. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.
50. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:
51. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:
52. Hircus caprarum unus pro peccato.
53. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Eliſama filii Ammihud.
54. Die octavo princeps filiorum Menaſſe, Gamliel filius Pedahſur.
55. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.
56. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:
57. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:
58. Hircus caprarum unus pro peccato.
59. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Gamliel filii Pedahſur.
60. Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gidoni.
61. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.
62. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:
63. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:
64. Hircus caprarum unus pro peccato.
65. Et pro ſacrificio proſperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Abidan filii Gidoni.
66. Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammiſaddai.
67. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta ſiclorum pondus ejus: phiala una argentea, ſeptuaginta ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctuarii: ambæ ipſæ plenæ ſimila conſperſa oleo in minham.
68. Cochlear unum decem ſiclorum, aureum, plenum ſuffitu:
69. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocauſtum:
70. Hircus caprarum unus pro peccato.
71. Et pro ſacrificio proſperitatum boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammiſaddai.
72. Die undecimo princeps filiorum Aſer, Pagiel filius Ochran.

73. Oblatio

73. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta siclorum pondus ejus: phiala una argentea, septuaginta siclorum, secundum siclum sanctuarii: ambæ ipsæ plenæ similæ conspersa oleo in minham.

74. Cochlear unum decem siclorum, aureum, plenum suffitu:

75. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

76. Hircus caprarum unus pro peccato.

77. Et pro sacrificio prosperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Pagiel filii Ochran.

78. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan.

79. Oblatio ejus fuit patina argentea una, centum triginta siclorum pondus ejus: phiala una argentea, septuaginta siclorum, secundum siclum sanctuarii: ambæ ipsæ plenæ similæ conspersa oleo in minham.

80. Cochlear unum decem siclorum, aureum, plenum suffitu:

81. Juvencus unus, filius armenti, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

82. Hircus caprarum unus pro peccato.

83. Et pro sacrificio prosperitatum, boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Ahira filii Enan.

84. Hæc fuit dedicatio altaris, die quo unctum fuit à principibus Israël: patinæ argenteæ duodecim, phialæ argenteæ duodecim, cochlearia aurea duodecim.

85. Centum triginta siclorum erat patina una argentea, & septuaginta phiala una: omne argentum vasorum, duo millia & quadringenti sicli, secundum siclum sanctuarii.

86. Cochlearia aurea duodecim, plena suffitu: decem siclorum erant cochlearia, secundum pondus sanctuarii: omne aurum cochlearium, centum viginti siclorum.

87. Omnes boves in holocaustum, duodecim juvenci, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, cum minha ipsorum: & hirci caprarum duodecim pro peccato.

88. Omnes autem boves sacrificii prosperitatum viginti quatuor, juvenci arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc fuit dedicatio altaris postquam unctum fuit.

89. Quum autem ingrediebatur Moses tabernaculum conventionis ut loqueretur cum eo, audiebat vocem loquentis ad se è propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim, & loquebatur ei.

1. *Et fuit, quo die finivit.*] Hæc secunda fuit populi largitio post absolutum tabernaculum. Etsi enim nonnisi principum fit mentio, probabile tamen est unumquemque ex ipsis repræsentasse quod tota tribus contulerat: quia nulla tunc privati hominis tanta erat facultas, ut de suo promeret tantum auri & argenti. Statuo igitur, quod à suis tribulibus acceperant, communi omnium nomine & mandato adduxisse. Antequam tamen ultra progrediar, notandum est sacrificia non ante fuisse immolata quam unctum esset sanctuarium. Dicitur autem Moses ipse unxisse, sicut fratrem Abaron unxit: nam quod exponunt quidam, Mosi tribui quod proprie in Aharon competit, firmum non videtur. Diximus autem alibi, Deum ita libere signis visibilibus usum esse, ut gratiam Spiritus minime personis astringeret. Ergo quod Moses, qui ipse unctione carebat, sanctuarium & sacerdotem unxit, hinc palam factum est vim consecrationis ab ipso non manare: quia de suo non poterat dare quod non habebat. Ergo tota signorum virtus & utilitas ex soln Dei mandato pendet. Cur autem sacra unctione tabernaculum, altare, & vasa omnia dicari oportuerit, alibi visum est. Hic tantum observemus non supervacuum esse copulam duorum verborum, ungendi & sanctificandi: ut sciamus non irritum vel inane fuisse symbolum olei, cui annexa fuit vera & spiritualis sanctitas: quia Deus nihil frustra instituit, sed arcana Spiritus virtute implendo quod figurat, veracem se esse probat reipsa. Principes dicit fuisse præfectos numeratis, hoc est, post actum censum, quum distributi essent ordines, fuisse electos in capita tribuum. Nam quod exponunt quidam, astitisse dum populus numeraretur, (meo judicio) conctum est.

3. *Sex plaustra operta.*] Dicata fuerunt hæc plaustra ad vecturam tabernaculi. Columnæ enim & multa alia gestari humeris non poterant: ideo dicuntur fuisse operta, ne pluviis obnoxia essent quæ illic reponebantur. Nam pro lecticis accipere, nullo modo quadrat: & singulis plaustris adjungitur par boum. Unde satis liquet impositum illis fuisse tabernaculi materiam, quum ab uno loco in alterum migrarent. Dicitur hæc oblatio facta esse coram Jehova, deinde coram tabernaculo, prorsus eodem sensu: quia faciem illam quodammodo induerat Deus in qua à fidelibus conspiceretur. Quod sequitur, Dixerat autem Jehova &c. ita interpretor, quod Deus à populo tributum hoc exegerit. Itaque in tempore plusquam perfecto vertendum censui quod alii vertunt, Dixit Jehova ad Mosen, acsi non ante jussus fuisset Moses ea accipere quam res confecta esset à præfectis & populo. Atqui verisimile est numerum plaustrorum non temere fuisse confectum, sed pro justa æstimatione earum rerum quæ portandæ erant.

10. *Pro dedicatione altaris.*] Altera species oblationis, nempe ex unaquaque tribu patera & phiala argentea, deinde cochlear aureum, quod proprie acerram significat. Porro horum vasorum usus fuit, ut pateris excipereatur sacræ placentæ, phialis vinum hbaminis, acerris autem thus ad suffitum. Voluit autem Deus singulas tribus propria vasa conferre, quo melius testata esset communis totius populi in sacrificiis societas. Etsi autem à ponderando ducitur nomen sicli, ubique tamen fere pro nummo signato ponitur, qui viginti obolos valebat, ut ante vidimus 23. cap. Exodi. Josephus quatuor drachmis Atticis æstimat. Ezechiel autem ubi in fraudem invehitur, quod justum pondus minuissent, postquam pretium statuit viginti obolos, adjungit tertiam esse partem libræ vel minæ. Sed memoria repetendum est quod etiam alibi vidimus, siclum sanctuarii præ vulgari fuisse duplicem: quia constabat quatuor drachmis, quum siclus vulgaris tantum di-

drachma

drachma æquaret, vel ſtaterem. Nunc ſi ineatur ſupputatio, pretium cujuſque patinæ fere ad centum libras Gallicas aſcendit: cujuſque vero phialæ ad quadraginta quatuor. Si in acerris vel cochlearibus ſiclum accipimus eodem ſenſu, perquam exiguas fuiſſe oportet: ut quæ ſeptenas tantum libras valerent. Porro hujus pretii vas aureum vix tria grana thuris caperet. Itaque dubito an ſiclos etiam aureos habuerint: ſed tanquam rem ignotam in medio relinquo. Sequuntur poſtremo animalia oblata in victimas, juvencus, aries & agnus in holocauſtum, hircus in expiationem: boves duo, arietes quinque, hirci quinque & agni quinque in ſacrificium gratiarum actionis. Fuiſſet autem difficile tantam copiam ſingulis principibus ex caulis vel ſtabulis ſuis proferre. Unde probabilis conjectura eſt communi tributo fuiſſe adjutos. Ordine autem voluit Deus ſingulas tribus habere proprios dies: non modo ne quid confuſe & tumultuarie fieret, ſed ut diuturno exercitio magis acuerentur etiam pigrorum animi ad ſtudium pietatis.

12. *Obtulit itaque primo die.*] Celebre eſt oraculum quod Deus per os Jacob protulerat, Non auferetur ſceptrum à Juda, nec dux &c. Quanquam autem nondum advenerat tempus quo vaticinii hujus conſpicua eſſet veritas ipſo effectu: factum tamen fuit admirabili Dei conſilio, ut in tribu Jehudah extarent quædam principatus notæ. Et ſemper omnium conſenſu penes illam, ſi non imperium, præcipua tamen fuit dignitas. Ergo quod Naaſon primum diem occupat, præludium eſt futuri regni, quod tandem erectum fuit in perſona Davidis. Si quis excipiat, abſurdum fuiſſe, tribum Ruben qui primogenitus erat, in quartum diem rejici: reſpondeo, quia tribus Zebulon & Iſſachar ſub vexillo Juda erant diſpoſitæ, ſicuti patebit capite decimo, duodecim tribus in quatuor terniones dividi. Ita magis honorificum fuit tribui Ruben quartum diem tenere, ut duas alias quibus præerat ſibi adjunctas haberet. Patres autem duarum tribuum quas ſubjecit Deus vexillo Juda, erant duo poſtremi Læ filii, qui Judam proxime ſequebantur, quem Lea quartum pepererat. Videmus ergo obſcure adumbratum fuiſſe regnum, unde ſperanda erat ſalus toti populo: quo magis attenti eſſent ad promiſſionem ſibi datam, quanquam apud ſocordes hæc parum efficax fuit demonſtratio.

89. *Quum ingrediebatur Moſes.*] Primo intuitu apparet ſpecies repugnantiæ inter hunc locum & alterum, ubi vidimus denſam nubem oppoſitam fuiſſe oſtio tabernaculi, ut ingredi non poſſet Moſes. Reſponderi quidem poſſet ſemel hoc tantum acciditſe. Mihi tamen magis probabile eſt, Moſen oracula petiiſſe ex propitiatorio, donec ſacerdotio functus eſt Aharon: tunc vero, quantum ad ſanctuarii ingreſſum ſpectat, ceſſiſſe ſua dignitate quæ temporalis fuerat. Scimus enim Lege Dei perpetua diſtinguí ſacerdotium ab imperio. Itaque non potuit niſi privilegio ſimul dux eſſe populi & ſacerdos. Quæ expoſitio ſi recipitur, non ſuo loco narrat reſponſa divinitus ſibi fuiſſe data ex propitiatorio. Atqui minime novum eſt quod ordine temporis præceſſit, in fine attexi. Conſilium quidem ejus fuit, teſtatum poſteris facere, non fruſtra Deum fuiſſe pollicitum, Iſraëlitas ſenſuros præſentem ſore ejus gratiam: quia domicilium elegerat in ſanctuario, ut ſederet inter Cherubim. Hoc igitur gratiæ Dei teſtimonio ſancita & rata exterior unctio fuit, quod Deus Moſi apparuit ſuper arcam fœderis.

Fuſior ejuſdem rei explicatio.

Ex Levit. VIII.

4. Et fecit Moſes quemadmodum præceperat ei Jehova. Et congregatus eſt cœtus ad oſtium tabernaculi conventionis.

5. Tunc dixit Moſes ad congregationem, Hoc eſt verbum quod præcepit Jehova facere.

6. Et accedere fecit Moſes Aharon & filios ejus, quos lavit aqua.

7. Poſtea induit eum tunica, & cinxit balteo, & pallio induit eum, & ſuperimpoſuit ephod, & cinxit eum cingulo ephod: cinxit inquam illo.

8. Et ſuperimpoſuit ei pectorale, & repoſuit in pectorali Urim & Thummim.

9. Deinde cidarim impoſuit capiti ejus, ponens ſuper cidarim ante faciem ejus laminam auream, coronam ſanctam, ſicut præceperat Jehova Moſi.

10. Accepit quoque Moſes olcum unctionis, & unxit tabernaculum, & quæcunque erant in eo: & conſecravit illa.

11. Et aſperſit ex eo ſuper altare ſeptem vicibus, unxitque altare atque omnia vaſa ejus, & concham & baſim ejus, ut conſecraret ea.

12. Fudit etiam ex oleo unctionis ſuper caput Aharon, unxitque eum ut conſecraret eum.

13. Fecit præterea Moſes accedere filios Aharon, induitque illos tunicis, & cinxit illos balteo, atque alligavit eis mitras, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

14. Adduxit quoque juvencum in hoſtiam pro peccato, impoſuitque Aharon & filii ejus manus ſuas ſuper caput juvenci hoſtiæ pro peccato.

15. Et mactavit, tulitque Moſes ſanguinem, poſuitque ſuper cornua altaris per circuitum digito ſuo, & expiavit altare: reliquum vero ſanguinem fudit ad baſim altaris, & ſanctificavit illud ad expiandum illud.

16. Tulit præterea totum adipem qui erat ſuper inteſtina, & fibram jecoris, & duos renes, adipemque eorum, adolevitque ea Moſes ſuper altare.

17. Juvencum vero & pellem ejus, & carnem ejus, & fimum ejus combuſſit igni extra caſtra, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

18. Poſthæc adduxit arietem holocauſti, & admoverunt Aharon & filii ejus manus ſuas ſuper caput arietis.

19. Et mactavit, ſparſitque Moſes ſanguinem ſuper altare per circuitum.

20. Arietem quoque concidit in fruſta ſua, adolevitque Moſes caput, & fruſta & adipem.

21. Inteſtina vero & crura lavit aqua, & adolevit Moſes totum arietem ſuper altare: holocauſtum eſt in odorem quietis: oblatio eſt ignita Jehovæ, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

22. Accedere fecit & arietem ſecundum, arietem conſecrationum: poſueruntque Aharon & filii ejus manus ſuas ſuper caput arietis.

23. Et mactavit, tulitque Moſes de ſanguine ejus, & poſuit ſuper tenerum auris Aharon dextræ, & ſuper pollicem manus ejus dextræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri.

24. Adduxit & filios Aharon, poſuitque Moſes de ſanguine ſuper tenerum auris eorum dextræ, & ſuper pollicem manus eorum dextræ, & ſuper pollicem pedis eorum dextri: ſparſitque Moſes ſanguinem ſuper altare per circuitum.

25. Tulit deinde adipem, & caudam, totumque adipem qui erat ſuper inteſtina, & fibram jecoris, duoſque renes, & adipem eorum, & armum dextrum.

26. De caniſtro quoque infermentatorum quæ erant coram Jehova, tulit tortam infermentatam unam, & tortam panis oleati unam, & laganum unum, poſuitque cum adipe & cum armo dextro.

27. Et poſuit omnia hæc in manibus Aharon, & in manibus filiorum ejus, & ea agitare fecit agitatione coram Jehova.

28. Dein accepit Moſes illa ex manibus eorum, adolevitque ſuper altare in holocauſtum. conſecrationes enim ſunt in odorem quietis, oblatio ignita eſt Jehovæ.

29. Tulitque Moſes pectus, & agitavit illud agitatione coram Jehova: & ex ariete conſecrationum ipſi Moſi fuit in partem, quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi.

30. Tulit etiam Moſes ex oleo unctionis, & de ſanguine qui erat ſuper altare, aſperſitque ſuper Aharon, ſuper veſtes ejus, & ſuper filios ejus, & ſuper veſtes filiorum ejus cum eo: conſecravitque Aharonem & veſtes ejus, & filios ejus, & veſtes filiorum ejus cum eo.

31. Et dixit Moſes ad Aharon & ad filios ejus, Coquite carnes ad oſtium tabernaculi conventionis, ibi denique comedite eam, & panem qui eſt in caniſtro conſecrationum, quemadmodum præcepi, dicendo, Aharon & filii ejus comedent eam.

32. Quod vero ſuperfuerit de carne & pane, igni combutetis.

33. Et ex oſtio tabernaculi conventionis non egrediemini ſeptem diebus, uſque ad diem quo completi fuerint dies conſecrationum veſtrarum: ſeptem enim diebus conſecrabit manum veſtram.

34. Quemadmodum fecit in die hac, præcepit Jehova facere ad expiandum vos.

35. Et ad oſtium tabernaculi conventionis manebitis die & nocte, ſeptem diebus, obſervabitiſque obſervationem coram Jehova, & non moriemini: ſic enim juſſus ſum.

36. Fecit itaque Aharon & filii ejus omnia verba quæ præceperat Jehova per manum Moſis.

4. *Et fecit Moſes quemadmodum.*] Hæc tametſi ad ſacerdotium pertinent, cujus vim & naturam expoſuit in ſecundo Legis præcepto: quia tamen hiſtorica ſunt, io hunc locum non temere differre viſum eſt. Nam ſi retuliſſem inter mandata, non facile tempus notaſſent lectores parum exercitati. Hæc autem diſtinctio probe eos juvabit, ubi, poſtquam expoſita fuit doctrina quæ proprie continebatur ſub decem verbis, quoc videbunt quam fideliter impleverit Moſes quod juſſus erat, & obſequium, ſicut in tota fabrica & dedicatione tabernaculi, cum mandato conferent. Porro ambiguum non eſt quin ſic tota enda fuerit narratio: quoniam ea pluribus locis colligere promptum eſt, eodem quo ſacerdotes uncti fuerunt die, tabernaculum ſimul fuiſſe conſecratum. Nunc verba percurram. Dicit Moſes ſe applicuiſſe Aharon & filios ejus, nempe ut ſiſteret coram Deo & populo: deinde aqua laviſſe, ut palam fieret eos domo non afferre munditiem dignam officii ſanctitate: & quia eſſent ea hominum numero, non aliter coram Deo eſſe mundos quam ſi ablutæ eſſent eorum ſordes. Sequitur poſtea deſcriptio ornatus: quam præteteo, ne bis idem repetendo moleſtus ſim lectoribus.

10. *Accepit oleum.*] Diximus cur tam ſacerdotem ipſum quam vaſa omnia oleo conſecrari Deus juſſerit: quia ſcilicet abſque Spiritus virtute inſipida eſſent omnia ſacrificia. Et eodem Spiritu operante factus eſt Chriſtus pacificator inter Deum & homines: quia hæc dignitas in carnem & naturam humanam alioqui non competeret. Unctus ergo fuit una cum filiis antequam initiarentur ad munus ſacerdotale. eam poſtea ſequitur, adductum fuiſſe juvencum pro peccato, cui Aharon manus impoſuit. Etſi autem jam tunc defungi officio ſuo cœpit, primas tamen partes adhuc obtinuit Moſes, & quaſi catremum actum peregit. Hinc factum eſt ut ſanguine aſpergeret cornua altaris, reſiduum ad baſim funderet expiationis cauſa, adoleret ſacrificium ſuper altare. Porro manuum impoſitio in ſacrificiis non modo ſymbolum oblationis fuit, ſed teſtimonium reatus in hoſtiam translati. Quia hoc poſterius propter brevitatem obſcurum eſſet, paulo clarius exponam. Si quis privatus victimam offerebat, ad hoc valebat manuum impoſitio, acſi peccati ſui noxam in victimam ipſam conjiceret. Inde nomen Piaculi: quia maledictionem Dei ſuſtinet, ſubjiciturque in locum peccatoris, qui in eam exonerat quicquid eum Dei judicio obnoxium reddit. Sed quia indignæ erant vulgares manus quæ victimam Deo conſecrarent, acceſſit munus ſacerdotale. Hæc ratio eſt cur ſingulis ſacrificiis manus impoſuerint Aharon & filii: ut hoc piaculi genus initium eſſet conſecrationis quæ tandem facta eſt in ariete ſecundo, cujus ſanguine tinxit Moſes auriculas eorum dextras, pollices manus dextræ & pedis dextri. Hic vero multæ quæſtiones oriuntur: cur dimidia tantum pars ſacerdotum conſecrata fuerit, acſi latus ſiniſtrum pollutum maneret: cur conſecratio non fuerit communis oculis,

lis, maxime vero ori, quòd futurum erat Spiritus ſancti organum. Atqui tenenda eſt admonitio, ſobrie ſapiendum eſſe in iis rebus quarum certa non poteſt elici cognitio ex Scripturis: nec frivolæ modo, ſed perverſæ & noxiæ curioſitatis eſſe, plus appetere cognitionis quam Deus patefecit. Probabilis tamen conjectura eſt, in dextro latere totum corpus fuiſſe conſecratum. Jam per manus & pedes alibi vidimus totam hominum vitam cum ſuis actionibus deſignari. Quo ſenſu cordis mundities & manuum puritas comprehendunt quicquid eſt interius vel externum in homine, quaſi radicem & fructus. Quantum ad pedes, nota eſt ambulandi metaphora: & pedes dicuntur ad malum currere, ac veloces eſſe ad fundendum ſanguinem, ubi improbi & Dei contemptores ſe comparant ad nocendum. Porro quia conſecratio hæc non ad docendi ſed ad intercedendi munus ſpectabat, auris potius quam lingua tingitur ſanguine: quia potiſſima virtus quæ gratiam conciliat ſacrificiis, eſt obedientia. Quo pertinet illud Pſalmi, Sacrificium & oblatio tibi non placent; aurem vero perforaſti mihi. Cui reſpondent verba Jeremiæ, Non mandavi quicquam de ſacrificiis, ac non potius ut obedirent patres veſtri voci meæ? Et ideo conſecrationem ab aure exorſus eſt Moſes, ut ſacerdotem Deo addiceret in obſequium. Id vero in Chriſto fuiſſe impletum docet Paulus, obedientiam in ſacrificio mortis ejus commendans, ut Patrem nobis placaret. De ſpecie agitationis quam vocabant Tnupha, alibi diximus. *Pſal.* 40. *verſ.* 7. *Jerem.* 7. *verſ.* 22. *Rom.* 5. *verſ.* 19.

31. *Coquite carnem.*] Hoc eſt ex perpetua lege, ut alibi vidimus. Unum eſt ſpeciale, quod Deus in ſanctuario eos retinuit ſeptem diebus: ut diſcerent ſacris poſthabere curas omnes domeſticas, terrenaque negotia. Alibi dictum fuit, perfectionem ſub numero ſeptenario notari: quod etiam confirmat hic locus: quia per ſeptem dies admoniti fuerunt ſe in totam vitam factos eſſe alieni juris.

LEVIT. Cap. IX.

1. FActum eſt die octavo, ut vocaret Moſes Aharon, & filios ejus, & ſeniores Iſraël.
2. Dixitque ad Aharon, Tolle tibi vitulum filium bovis in ſacrificium pro peccato, & arietem in holocauſtum, integros, & offer coram Jehova.
3. Ad filios vero Iſraël loqueris, dicendo, Tollite hircum caprarum in ſacrificium pro peccato, & vitulum & agnum anniculos immaculatos in holocauſtum.
4. Bovem quoque & arietem pro ſacrificio proſperitatum, ut ſacrificetis coram Jehova, & minham conſperſam oleo: quia hodie Jehova apparebit vobis.
5. Tulerunt ergo quæ præceperat Moſes coram tabernaculo conventionis: & acceſſit totus cœtus, & ſteterunt coram Jehova.
6. Tunc dixit Moſes, Hoc eſt verbum quod præcepit Jehova, facite, & apparebit vobis gloria Jehovæ.
7. Ad Aharon vero dixit Moſes, Accede ad altare, & fac oblationem pro peccato tuo, & holocauſtum tuum, & expiationem fac pro te & pro populo: fac etiam oblationem populi, fac expiationem pro eis, quemadmodum præcepit Jehova.
8. Acceſſit itaque Aharon ad altare, & mactavit vitulum ſuum, oblationem pro peccato.
9. Et obtulerunt filii Aharon ei ſanguinem, qui tinxit digitum ſuum in ſanguine, & poſuit ſuper cornua altaris, reſiduum vero ſanguinem fudit ad baſim altaris:
10. Adipem autem & renes, & fibram jecoris, hoſtiæ pro peccato, adolevit ſuper altare, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.
11. Carnem vero & pellem igni combuſſit extra caſtra.
12. Mactavit & hoſtiam pro holocauſto, & obtulerunt filii Aharon ei ſanguinem, quem ſparſit ſuper altare per circuitum.
13. Holocauſtum quoque ei obtulerunt in fruſtis ſuis, & caput: & adolevit ſuper altare.
14. Deinde lavit inteſtina & erura, & adolevit cum holocauſto ſuper altare.
15. Obtulit & oblationem populi, tulitque hircum oblationis pro peccato qui erat populi: mactavitque eum, & pro peccato obtulit ipſum ſicut primum.
16. Obtulit quoque holocauſtum, & apparavit illud ſecundum præſcriptum.
17. Obtulit & minham, implevitque manum ſuam ex ipſa, & adolevit ſuper altare, præter holocauſtum matutinum.
18. Mactavit inſuper bovem & arietem in ſacrificium pacificorum quod erat populi: & obtulerunt filii Aharon ſanguinem, quem ſparſit ſuper altare per circuitum.
19. Et adipes bovis & arietis, caudam & adipem qui operit inteſtina & renes, & fibram jecoris.
20. Poſueruntque adipes ſuper pectuſcula, & adolevit adipes ſuper altare.
21. Pectuſcula vero & armum dextrum agitavit Aharon agitatione coram Jehova, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.
22. Poſthæc elevavit Aharon manum ſuam ad populum, benedixitque eis, & deſcendit à faciendo oblationem pro peccato, & holocauſtum, & ſacrificium proſperitatum.
23. Et venit Moſes & Aharon ad tabernaculum conventionis, & egreſſi ſunt, & benedixerunt populo: & apparuit gloria Jehovæ toti populo.
24. Egreſſusque eſt ignis à facie Jehovæ, & conſumpſit ſuper altare holocauſtum & adipes: quod videns univerſus populus, laudaverunt, & ceciderunt ſuper faciesſuas.

1. *Factum est die octavo.*] Hic narratur quomodo Aharon cum suis filiis post finitum consecrationis tempus, munus suum exequi cœperit. Discipulum enim fratris esse oportuit, ut propositum à Deo exemplar imitaretur. Et memoria tenendum est, Mosen, qui solenni ritu non erat creatus sacerdos, alios sanctificasse: ut auctoritas & externi signi effectus penes unum Deum resideret. Hoc ergo continet prior pars capitis, postquam Aharon septem diebus initiatus fuit ad munus sacerdotii, operam sibi injunctam Dei mandato aggressum esse: altera pars docet, cælesti miraculo probata fuisse sacrificia, ut ratum esset, quod Deus instituerat sacerdotium. Principio autem enumerat ordinarias sacrificii species, nempe pro peccato holocaustum, & gratiarum actionis cum minha & consperstione: ut omni ex parte Aharon cen seatur legitimus Dei sacerdos.

6. *Hoc est verbum.*] Videtur quidem dirigi sermo ad totum populum, ad quem etiam spectabat promissio: sed in verbo Facite, specialiter filios Aharon alloquitur. Promittit autem quod in fine capitis narrabit impletum fuisse, gloriam Dei scilicet fore conspicuam in approbando sacerdotio, ut alacrius se accingant. Hoc enim non vulgare fuit admiculum fidei & certitudinis, munus ipsorum divinitus obsignari.

7. *Ad Aharon vero dixit.*] Hic repetitur quod alibi dictum fuit, sacerdotem, quia unus erat ex peccatoribus: antequam Deum aliis propitiaret, deprecatorem fuisse pro seipso. Unde scite colligit Apostolus Legale illud sacerdotium debile fuisse, & umbratile duntaxat. Neque enim verus pacificator esse potest, nisi qui perfecta innocentia fretus coram Deo se sistit, ut aliis veniam impetret, ac omni macula purus nulla pro seipso expiatione indiget. Reliqua omnia usque ad finem capitis prætereo: quia tantum refert Moses Aharon sacrificasse ex Dei mandato, & secundum ritum Legalem. *Hebr. 5: 1.*

22. *Posthæc elevavit Aharon.*] Hæc quasi applicatio fuit sacrificii, ut sciret populus sacerdote interrunctio & sponsore Deum sibi esse propitium. Formula benedictionis alibi fuit exposita. Unum hoc in præsentia sufficiat, sacerdotes extentis manibus sic testatos esse populo paternum Dei favorem, ut eorum legatio rata esset ac efficax. Atque ejus rei memorabile exemplum commendat sacra historia, ubi narrat sacerdotes & Levitas benedixisse populo, & eorum vocem exauditam fuisse, ac perveniss in habitaculum cæli. Cujus figuræ veritas in Christo demum exhibita fuit, qui non modo fons & causa est benedictionis, sed eam cum solido effectu per Euangelium promulgat. Venit enim ut annunciet pacem iis qui longe fuit & qui prope. Et quanquam visibili forma non apparet nec loquitur, scimus tamen quid dicat, nempe quodcunque ligaverint discipuli super terram, fore ligatum in cælis, & quicquid solverint, solutum fore. *2 Par. 30. vers. 27.*

23. *Et venit Moses & Aharon.*] Repetitio est ejusdem sententiæ: nisi quod Mosi nunc adscribitur quod de solo Aharone dictum erat, nempe eum benedixisse populo. sed diversa ratione: quia licet Dei Propheta esset, Aharon tamen pro jure officii unicus fuit mediator. Quod postea sequitur, visam fuisse gloriam Dei, seorsum legi potest: quod Dei majestas illustri aliquo signo patefacta fuerit: vel cohæret cum ultimo versu, ubi dicitur, Ignem fuisse egressum à Deo, &c. Quod si recipimus, expositive addita fuit narratio consumpti sacrificii: acsi dictum esset, Deum apparuisse quum ignem emisit qui sacrificium consumeret. Hoc, non auspicio, sed miraculo, palam fecit Deus se auctorem esse Legalis sacerdotii, ut venerationem in perpetuum acquireret. Idem aliquoties postea accidit, quura in rebus confusis insolita confirmatione opus esset. sic ignis consumpsit sacrificium Menuha. Vel quum vindicandus esset Dei cultus, & pura religio ab adulterinis superstitionibus. sic sacrificium Eliæ nullo igne suppositio absorptum fuit & in cineres redactum. Vel quum postremo ostendere voluit Deus placere sibi montem Sion, quem in sedem quietam & domicilium sibi elegerat. hac ratione primum sacrificium Solomonis igne cælesti consumptum fuit. Porro ne posteri quasi de re non satis comperta dubitarent, dicit Moses totum populum spectaculo fuisse excitatum, ut Deum laudaret, ac procideret in facies suas. *Jud. 13. vers. 20. 1 Reg. 18. vers. 38. 2 Chr. 7. vers. 1.*

Ex Numer. VIII.

20. Fecit itaque Moses & Aharon, & omnis congregatio filiorum Israël, de Levitis: secundum omnia quæ præceperat Jehova Mosi de Levitis, sic fecerunt illis filii Israël.

21. Et purificaverunt sese Levitæ, laveruntque vestimenta sua: & obtulit Aharon illos oblationem coram Jehova, & expiavit eos Aharon, ut purificaret eos.

22. His peractis aggressi sunt Levitæ fungi ministerio suo in tabernaculo conventionis coram Aharon, & coram filiis ejus: quemadmodum præcepérat Jehova Mosi de Levitis, sic fecerunt illis.

20. *Fecit itaque Moses.*] Nunc Levitæ quoque inaugurantur ad munus obeundum: sed suo ordine, quia inferior erat eorum conditio. Ubi notandum est filios Mosis & eorum successores in ordinem fuisse coactos, & exclusos à spe sacerdotii. Quo turpior fuit ingratitudo populi totius, & maxime tribus Leviticæ; quum honorem præpostere appeterent à quo Moses filios suos in perpetuum dejecerat. Non vulgare igitur obedientiæ exemplum fuit, exequi quod Deus statuerat de Levitis. Aharon hic nominatur, quia jure sacerdotii consecravit Levitas. Quod ad populum spectat, tantum laudatur consensus, quod Dei placito subscripserit. Sed ea virtus tandem cessit in majorem ignominiam, ubi convellere tentarunt quod approbaverant cæleste decretum.

21. *Et purificaverunt se.*] De lotione jam dictum fuit. Nam quum privatis quibusque necessaria foret, Levitis multo minus licitum fuit sacra tractare, nisi ante essent purgati. Quod autem sequitur, oblatos fuisse manu Aharon, hoc symbolo adumbrata fuit veritas, quæ tandem resplenduit Christi adventu. Prædictum enim jam olim fuit à Prophetis, in Ecclesiæ instauratione Levitas fore qui ante fuerant ex vulgo. Ergo sub hac figura testari voluit Deus nullos etiam ex electis suis servis probari sibi & placere, nisi quos unicus Sacerdos sanctificat. Et ideo expiatio oblationi conjungitur, ut puri sint Levitæ.

22. *His peractis.*] His verbis significat Moses, quoad figuram nihil omissum fuisse in veteri sacerdotio, quod ad legitimum Dei cultum spectat: cujus potissima pars est obedientia, deinde puritas quæ ex illa manat. Dicuntur autem Levitæ officio suo functi coram Aharon, quia modeste subierunt jugum, & passi sunt sacerdotis arbitrio se subjici: quoniam Deus ita præceperat. Sed historiæ contextus postea docebit quam proclivis ad defectionem sit hominum natura. Unde fit ut non semper ultima primis respondeant, sed læta principia plerumque subsequantur tristes & infausti exitus.

ACceperunt autem filii Aharon Nadab & Abihu quisque acerram suam, & posuerunt in ipsis ignem, & suppositum suffimentum, obtuleruntque coram Jehova ignem alienum, secus quam præceperat eis.

2. Tunc egressus est ignis à facie Jehovæ, & consumpsit eos, ac mortui sunt coram Jehova.

3. Et dixit Moses ad Aharon, Hoc est quod dixit Jehova, dicendo, In propinquis meis sanctificabor, & in conspectu totius populi glorificabor. & siluit Aharon.

4. Et vocavit Moses Misaël & Elsapham filios Uziel patrui Aharon, & dixit illis, Accedite, exportate fratres vestros à conspectu sanctuarii extra castra.

5. Accesserunt ergo, & exportaverunt eos cum suis tunicis extra castra, quemadmodum præceperat Moses.

6. Dixit etiam Moses ad Aharon & Eleazar & Ithamar, filios ejus, Capita vestra ne nudetis, & vestes vestras ne scindatis, ut non moriamini, ac *ne* in totam congregationem irascatur: fratres autem vestri, tota domus Israël, flebunt incendium quod incendit Jehova.

7. Neque ab ostio tabernaculi conventionis egrediemini, ne moriamini: quia oleum unctionis Jehovæ est super vos. Et fecerunt secundum verbum Mosis.

1. *Acceperunt autem filii Aharon.*] Hic refertur memorabile exemplum, ex quo apparet quantopere abominetur Deus omnia vitia quibus corrumpitur religionis puritas. Fuit in speciem leve delictum, igne alieno ad suffitum uti: deinde excusabilis fuit incogitantia: quia certe Nadab & Abihu non proterve nec data opera, sacra polluere volebant: verum, ut in rebus novis fieri solet, quum se cupide ingererent, festinatio in errorem ipsos egit. Rigor ergo vindictæ superbis non placeret, qui superciliose Dei judicia notare non dubitant quasi censores: verum si reputamus quam sancta rei sit cultus Dei, gravitas pœnæ nos minime offendet. Deinde fancienda fuit religio inter ipsa principia: quoniam si passus fuisset Deus impune delinquere filios Aharon, secure alii postea totam Legem neglexissent. Hæc ergo tantæ severitatis fuit ratio, ut sollicite ab omni profanatione caverent sacerdotes. Ac crimen exprimitur, quod aliter suffitum fecerint quam Deus præceperat. Unde sequitur, utcunque infcitialapsi sint, convictos tamen fuisse Dei mandato, neglectim aggressos esse quod majori attentione dignum erat. Ignis alienus discernitur à sacro, qui semper ardebat in altari: non miraculo (ut quidam fingunt) sed assidua sacerdotum custodia. Alium vero ignem sacris adhiberi vetuit Deus, ut adventitios omnes ritus excluderet, ac doceret se detestari quicquid aliunde profectum erat. Discamus ergo sic attendere ad Dei mandatum, ne ejus cultum ullis extraneis commentis vitiemus. Quod si tam severe in errorem vindicavit: quam horribilis pœna manet Papistas, quibus nullus est pudor tot crassas corruptelas præfracte defendere?

3. *Dixit Moses ad Aharon.*] Compescit fratrem suum Moses, ne in dolore modum excedat. Fuit enim hæc valde acerba clades, in recenti lætitia videre se uno die & momento simul orbatum duobus filiis. Promptum etiam erat, ob causam mortis Deo obstrepere. Ergo ne ebulliat in talem intemperantiam, admonet Moses justo Dei judicio esse subscribendum. Frustra autem quæritur ubinam dixisset Deus quod hic refertur, Glorificabor in iis qui ad me accedunt. Sæpius mortem interminatus fuerat sacerdotibus, si vel minimum à regula deflecterent: sæpius muneris sanctitatem illis proposuerat, ne se ullo sacrilegio inquinarent. denique hac lege ipsos elegerat sacrorum ministros, ut se graviori culpa & pœna constringi scirent quam reliquum vulgus. Hoc igitur solatio sedatur luctus Aharon: quia Deus non violenter sæverit in ejus filios, sed æquum & utile exemplum in ipsis ediderit, ut posteri magis sedulo attenti essent ad officium. Sic autem resolvi debet sententia, Ut glorificer coram toto populo, sanctificari me oportet in hominibus primi gradus & ordinis. vel, Ubi in sacerdotibus ipsis (quorum major est dignitas) sanctificatus fuero, gloria mea coram toto populo fulgebit. Et sane quamvis turmatim puniat Deus obscuros homines, frigent illa documenta: nobilior autem & insignior hominum conditio facit ut in Dei judicia omnes fere oculos conjiciant. Sanctificari autem variis modis dicitur in nobis Deus, sive misericors, sive severus judex appareat. Hæc vero sententia ad metum & sollicitudinem hortatur quoscunque Deus singulari honore dignatus est. Nam sicut incipit judicium à domo Dei, ita quo quisque pluribus donis vel majori excellentia ornatus est, eo magis devinctus est Deo, ac ejus ingratitudo graviori pœnæ obnoxia.

Et siluit Aharon.] Magna laus silentii, quo confessus est Aharon justo Dei judicio extinctos esse filios. Significat autem Moses admonitioni cessisse, & ita fuisse cohibitum ne cum Deo rixari auderet. Sic Paulus Scripturam nobis dicit patientiæ magistram esse. Quare ubi nimium fervent nostri affectus, discamus hoc illis sedandis & frenandis optimum esse remedium, subjicere nos Deo, & humiliari sub potenti ejus manu. Huc nos suo exemplo invitat David, quum dicit, Mutus factus sum, & non aperui os meum: quia tu fecisti. *Rom. 15. vers. 4.* *Psal. 39. vers. 3.*

4. *Et vocavit Moses.*] Ne funus efferrent Eleazar & Ithamar, jussit Moses alios antevertere. Fieri etiam potest ut omnes terrore attoniti obtorpuerint. Patrem & fratres super illorum interitu lugere vetat, non tam secundum Legem, qua, sumnio tantum excepto Sacerdote, aliis permissum fuit fratres germanos lugere: quam ne memorabile illud documentum, quo religio magnifice asserta fuerat, suo luctu obscurarent. Interea mortuos lugeri passus est Deus à populo, ne pœnæ memoria subito effluereat. Dum egredi vetat ab ostio tabernaculi, non eos loco ita affigit, ut à privatis tabernaculis exulent: sed ab omni pollutione revocat, quæ officium deferere vel intermittere coëgisset.

Ex eodem Capite.

12. Loquutus est autem Moses ad Aharon, & Eleazar & Ithamar filios ejus, qui reliqui erant, Tollite minha quæ remansit ex oblationibus ignitis Jehovæ, & comedite illam cum azymis juxta altare: quia sanctitas sanctitatum est.

13. Comedetis, inquam, illam in loco ſancto: quia in ſtatutum tibi & in ſtatutum filiis tuis eſt de oblationibus ignitis Jehovæ: quia ſic juſſus ſum.

14. Et pectuſculum agitationis, & armum elevationis comedetis in loco mundo, tu & filii tui & filiæ tuæ tecum: quia in ſtatutum tibi & in ſtatutum filiis tuis data ſunt de ſacrificiis proſperitatum filiorum Iſraël.

15. Armum elevationis, & pectuſculum agitationis cum oblationibus ignitis adipum afferent, ut agites agitatione coram Jehova: & hoc erit tibi & filiis tuis tecum in ſtatutum perpetuum, quemadmodum præcepit Jehova.

16. Et hircum oblatum pro peccato requirendo requiſivit Moſes, & ecce, combuſtus erat: tum iratus eſt contra Eleazar & Ithamar filios Aharon relictos, dicendo,

17. Cur non comediſtis oblationem pro peccato in loco ſanctitatis? eſt enim ſanctitas ſanctitatum, quum illam dederit vobis ad portandum iniquitatem congregationis, & ad expiandum eos coram Jehova.

18. Ecce, nequaquam illatus eſt ſanguis ejus in ſanctitatem intrinſecus: comedendo comedere debueratis illam in ſanctuario, quemadmodum præcepi.

19. Loquutus eſt autem Aharon ad Moſen, Ecce, hodie obtulerunt oblationem ſuam pro peccato, & holocauſtum ſuum coram Jehova, & evenerunt mihi talia: & ſi comediſſem oblationem pro peccato hodie, numquid placuiſſet in oculis Jehovæ?

20. Poſtquam id audivit Moſes, placuit ei.

12. *Loquutus eſt autem.*] Ne poſthac inſciria delinquant ſacerdotes, admonet eos Moſes officii. Et forte præſenti aliqua ratione motus eſt, ut hac de re potius quam de aliis præciperet. Parum adhuc erant exercitati ad ritus ſervandos. Quod fratribus contigerat, illos debebat reddere ſollicitos. Conſternatio autem ex more fratrum poterat illis conſilium excutere, ut non ſatis compoſita mente ſtudium ſuum, ſicuti decebat, applicarent ad Dei cultum: ita oblatio fuiſſet corrupta. Ergo ne mœtor ſic eos conturbet ut impediar ab officii cura, jubet eos quod reſiduum fuerit è minha comedere cum ignitis ſacrificiis. Unde colligimus, obviam itum fuiſſe, ne recenti mœrore occupati delinquerent eo die. Atque ut eos ad parendum adducat, profert Dei auctoritatem, cui ſacerdotium ſubjici par erat, quum in ea fundatum eſſet.

16. *Et hircum oblatum pro peccato.*] Quid de hirco agendum eſſet, non tacuerat Moſes: & ſacrificium ab eo peractum ocularis fuerat doctrina. Propoſitum fuerat quod imitarentur: hoc apud pueros ſufficeret. Atqui (ut dixi) in rebus tam ſeriis labori & diligentiæ non pepercerat Moſes: filii autem Aharon, quaſi nihil unquam audiſſent aut vidiſſent, totum ordinem pervertunt: quum tamen paulo ante fuiſſent admoniti ſe præfectos eſſe ad cuſtodiendam Dei cuſtodiam. Forte in eum errorem ipſos impulit pertutbatio ex dolore. ſed hinc colligimus, quamlibet exquiſita ſit dexteritas in doctoribus & magiſtris, non tamen fructum ſemper proferre, niſi obſequentes & memores diſcipulos nacti fuerint. Ex quo etiam diſcimus, ubi Deus ſæpius idem inculcat, non ſuſcipere ſupervacuum laborem: quia quod videmur tenere, non tenemus, vel quod nobis clare oſtenſum eſt, paulo poſt excidit. Porro ex iracundia Moſis quæ in laude ducitur, colligere promptum eſt non leve fuiſſe delictum: quod tamen non ita ſevere punitur ut temeritas Nadab & Abihu. Quod excuſant quidam vel exrenuant eorum culpam, quia putaverint ſe jure prius conceſſo privatos eſſe, atque ita verecunde ſe abſtinuerint, refellitur ipſius Aharon reſponſo. Solus ergo dolor in errorem eos impulit. Cur autem clementior erga eos fuerit Deus quam erga fratres, penes ipſum maneat ratio. Conjecturæ quidem afferri poſſunt: ſed eo tandem venire neceſſe eſt, quamvis occulta ſint Dei judicia, non ideo iniqua eſſe: ſed eorum altitudinem, ad quam humanæ mentes non penetrant, modeſte eſſe adorandam.

19. *Loquutus eſt Aharon.*] Pio timore factum eſſe Aharon reſpondet quominus epulati coram Deo fuerint: quia lachrymis & ſqualore ſanctuarium quodammodo fœdaſſent: acſi diceret, Pars quidem hoſtiæ pro peccato nobis in cibum cedebat: ſed rite veſci non licuit, niſi bilariter & cum gratiarum actione. Id noh eſt paſſus mœror ex ſubita orbitate conceptus. Atqui hæc non juſta fuit defenſio: quia potius certandum erat cum carnis ſenſu, ne domeſtica eum calamitas à publico Dei cultu arceret. Verum quia in re perplexa dignus miſericordia fuit ejus metus, ignoſcit Moſes: ac dicitur fuiſſe placatus, quia minus quam putabat mali deprehendit.

NUMER. Cap. I.

LOquutus eſt autem Jehova ad Moſen in deſerto Sinai, in tabernaculo conventionis, in primo menſis ſecundi, anno ſecundo ex quo egreſſi ſunt è terra Ægypti, dicendo,

2. Capite ſummam totius cœtus filiorum Iſraël per familias eorum, per domos patrum eorum, juxta numerum nominum, omnem maſculum per capita eorum.

3. A filio viginti annorum & ſupra, omnem egredientem ad bellum in Iſraële: numerabitis eos per exercitus ſuos tu & Aharon.

4. Sintque vobiſcum viri de ſingulis tribubus, quorum quilibet caput domus ſit patrum ſuorum.

5. Hæc ſunt autem nomina virorum qui ſtabunt vobiſcum: de Reuben, Eliſur filius Sedeur.

6. De Simeon, Selumiel filius Suriſaddai.

7. De Jehudah, Nahaſon filius Amminadab.

8. De Iſſachar, Nethaneel filius Suar.

9. De Zebulon, Eliab filius Helon.

10. De

10. De filiis Joſeph, de Ephraim, Eliſama filius Ammihud: de Menaſſe, Gamliel filius Pedahſur.
11. De Benjamin, Abidan filius Gidoni.
12. De Dan, Ahiezer filius Ammiſaddai.
13. De Aſer, Pagiel filius Oehran.
14. De Gad, Eliaſaph filius Deuel.
15. De Nepthali, Ahira filius Enan.
16. Hi ſunt nobiliſſimi ſynagogæ, principes ttibuum patrum ſuorum: capita millium Iſraëlis erant.
17. Accepit igitut Moſes & Aharon viros iſtos qui expoſiti ſunt pet nomina.
18. Et univerſam ſynagogam congregaverunt primo menſis ſecundi, & ſecundum genealogiam recenſiti ſunt per familias ſuas, pet domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum per capita ſua, omnis maſculus à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
19. Quemadmodum præceperat Jehova ipſi Moſi, numeravit eos in deſerto Sinai.
20. Fuerunt itaque filii Reuben primogeniti Iſraël per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum per capita ſua, omnis maſculus à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
21. Numerati eotum de tribu Reuben, ſex & quadraginta millia atque quingenti.
22. De filiis Simeon, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, numerati ejus, juxta numerum nominum, per capita ſua, omnis maſculus à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam:
23. Numerati, inquam, eorum de tribu Simeon, novem & quinquaginta millia atque trecenti.
24. De filiis Gad, pet generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxra numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
25. Numerati eorum de tribu Gad, quinque & quadraginra millia atque ſexcenti & quinquaginta.
26. De filiis Jehudah, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
27. Numerati eorum de tribu Jehudah, quatuor & ſeptuaginta millia atque ſexcenti.
28. De filiis Iſſachar, per generationes ſuas, per familias ſuas, pet domum patrum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
29. Numerati eorum de tribu Iſſachar, quaruor & quinquaginta millia atque quadringenti.
30. De filiis Zebulon, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
31. Numerati eorum de tribu Zebulon, ſeptem & quinquaginta millia atque quadringenti.
32. De filiis Joſeph, de filiis Ephraim, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos pattum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupta, omnis egrediens ad pugnam.
33. Numerati eorum de tribu Ephraim, quadraginta millia atque quingenti.
34. De filiis Menaſſe, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
35. Numerati eorum de tribu Menaſſe, duo & triginta millia atque ducenti.
36. De filiis Benjamin, per generationes ſuas, pet familias ſuas, per domum patrum ſuorum, juxta numerum uominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
37. Numerati eorum de tribu Benjamin, quinque & triginta millia & quadringenti.
38. De filiis Dan, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
39. Numerati eorum de tribu Dan, duo & ſexaginta millia atque ſeptingenti.
40. De filiis Aſer, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annorum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.
41. Numerati eorum de tribu Aſer, unum & quadraginta millia atque quingenti.
42. De filiis Nephthali, per generationes ſuas, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum, juxta numerum nominum, à filio viginti annotum & ſupra, omnis egrediens ad pugnam.

43. Numerati eorum de tribu Nephthali, tria & quinquaginta millia atque quadringenti.

44. Isti sunt numerati illi quos numeravit Moses & Aharon, atque principes Israëlis, duodecim viri: singuli per domos patrum suorum erant.

45. Fueruntque omnes numerati filiorum Israël per domos patrum suorum, à filio viginti annorum & supra, omnis egrediens ad pugnam in Israële:

46. Fuerunt, inquam, omnes numerati, sexcenta tria millia & quingenti quinquaginta.

47. At Levitæ per tribum patrum suorum non fuerunt numerati in medio eorum.

48. Loquutus enim erat Jehova ad Mosen, dicendo,

* vel, utique: vel, tantummodo.

49. Veruntamen * tribum Levi non numerabis, neque summam eorum capies in medio filiorum Israël.

50. Sed tu præfice Levitas tabernaculo testimonii, & omnibus vasis ejus, & omnibus quæ ad illud pertinent: ipsi portabunt tabernaculum & omnia vasa ejus, & ipsi ministrabunt illi, & in circuitu tabernaculi castrametabuntur.

51. Quando autem proficiscetur tabernaculum, deponent illud Levitæ: quum consistet tabernaculum, erigent illud Levitæ: & extraneus qui accesserit, morietur.

52. Et castrametabuntur filii Israël quisque in castris suis, & quisque juxta vexillum suum, per exercitus suos.

53. Levitæ vero castrametabuntur in circuitu tabernaculi testimonii: & non erit ira super cœtum filiorum Israël: custodientque Levitæ custodiam tabernaculi testimonii.

53. Fecerunt ergo filii Israël juxta omnia quæ præceperat Jehova Mosi, sic fecerunt.

1. *Loquutus est autem.*] Quanquam hic primus census describitur, quia tamen ante Deus tributum in singula capita indixerat, cujus summa relata fuit, ordine secundum fuisse colligimus. Ratio autem iterum censendi populi fuit, quia paulo post castra moturi erant è deserto Sinai ad terram occupandam. Ex quo autem remoram illis attulit sua impietas, sub ingressum ipsius terræ actus fuit tertius census: idque, ut ex comparatione palam fieret, inter tot plagas & clades populum mirabiliter nova sobole fuisse conservatum: nam quum magna pars consumpta esset, totidem fere quot ante reperta fuerunt capita. Porro notandum est, populum nonnisi Dei mandato fuisse censum, ut summum jus imperii sibi assereret: rationem vero sic fuisse dispositam, ne qua ordinis perturbatio vel fraude vel tumultuarie accideret. Ideo enim singulæ tribus habuerunt suos præfectos, ne quis in alienam tribum obreperet: atque id diserte positum est certitudinis causa, quia alioqui suspicari multi poterant, vix tantam multitudinem certo potuisse in suas classes distingui, ut absque errore tota summa ad unum usque constaret.

2. *Filii Reuben.*] Si quis rixator contendat familiam unam inter ducentos & quinquaginta annos non potuisse in tantum populum excrescere, atque ita quasi fabulosum repudiet quod communem naturæ modum excedit: tenendum est memoria quod ante admonui, quum hæc propagatio penderet à Dei promissione, nihil esse magis præposterum quam eam metiri usitato more. Consilium enim Spiritus est, ob oculos repræsentare incredibilem Dei virtutem in luculento & insigni miraculo. Interea si tribum Ruben cum aliis quibusdam compares, in ipso numero signum maledictionis se profert: ut colligere liceat Ruben de honore primogenituræ fuisse dejectum: quando tribus Simeon, Issachar, Zabulon, Dan & Nepthali fuerunt magis populosæ: ab uno autem Joseph (qui fere ex postremis erat) progenita fuit soboles quæ fere numerum duplicaret. Maxime vero in tribu Juda refulget Dei benedictio, quæ vaticinio Jacob respondeat: hac enim velut prærogativa ad jus primogenituræ & imperium vocata fuit, quod alias quasque præcipuas superavit.

47. *At Levitæ.*] Videbimus quidem postea ipsos quoque fuisse numeratos: sed intelligit Moses non veniſſe sub commune lustrum populi: quia Deus eos sibi elegerat in peculium, atque ita segregaverat à reliquo populo. Ideo scribit non fuisse censos in medio aliorum, nempe ut promiscue partem multitudinis efficerent. Porro ne quis objiceret, ambitiose quicquam feciſſe Mosen, acsi tribui suæ honorem extraordinarium largitus foret, id suo arbitrio se tentasse negat: sed Dei jussu Levitis seorsum assignatam esse propriam classem. Male enim hunc locum vertunt interpretes, Et loquutus est Deus ad Mosen, quasi narraret tunc demum separatam fuisse tribum Levi quum jam totius populi collecta esset summa. Absurdum enim fuisset partem omittere, nisi ante patefacta esset Dei voluntas. Cur ergo præterierit tribum suam docet Moses, quia Deus Levitas sibi consecraverat in custodiam & cultum tabernaculi. Porro quod tabernaculum vulgo ab obviis quibusque deferri & erigi fas non fuit, hoc symbolo commendata fuit illius sanctitas: vilior enim fuisset religio, si absque discrimine permissum omnibus fuisset ad sacra se ingerere. Interea admoniti fuerunt Israëlitæ, omnes ad unum esse indignos qui se coram Deo sisterent, quando à sanctuarii accessu prohibebantur. Dignitas autem qua tribus una excelluit, quum à mero Dei beneplacito penderet, non fuit gloriationis materia. Patefecit ergo Deus Levitis suum tabernaculum, non quod propria virtute id honoris essent promeriti: sed ut documentum ederet gratuiti sui favoris. Interea sub illa imagine repræsentavit futurum Christi sacerdotium, ut statueret fideles Mediatorem fore ex genere humano, per quem alii ad Deum accederent. ideoque per Jesaiam pronunciat Deus se ex vulgo & dispersa multitudine Levitas sumpturum sub Christi regno. Alia quæ ad ipsorum officium pertinent, petantur ex suis locis.

Ex Deut. X.

8. In tempore illo separavit Jehova tribum Levi, ut gestaret Arcam fœderis Jehovæ, ut staret coram Jehova ad ministrandum ei, & ad benedicendum in nomine ipsius usque ad diem hanc.

9. Idcirco non fuit ipsi Levi portio & hæreditas cum fratribus suis: Jehova est hæreditas ejus, quemadmodum dixit ei Jehova Deus tuus.

8. *Intempore.*] Non exacte in capite unde sumptus est hic locus, observat Moses rationem temporis: quia satis habuit hinc inde colligere quæ ad generalem exhortationis summam sufficerent. Eo quidem tendit hujus historiæ recitatio, ne inviolabile Dei decretum quisquam impia superbia & audacia labefactare tentet. Ideoque ne dignitas tribus Leviticæ invidiam pariat, Deum ejus auctorem esse testatur. Particula vero, Usque ad diem hanc, videtur ad ea documenta referri, quibus Deus suam erga Levitas gratiam asserverat, ne qua similis in posterum æmulatio surgeret. Reliqua alibi fuerunt exposita.

NUMER. Cap. II.

ET loquutus est Jehova Mosi & Aharon, dicendo,

2. Singuli juxta vexillum suum, juxta signa domus patrum suorum castrametabuntur filii Israël: procul, circum tabernaculum conventionis castrametabuntur.

3. Hi autem castrametabuntur ad Orientem, ad exortum vexillum exercitus Judæ per turmas suas: & princeps filiorum Juda erit Nahason filius Amminadab.

4. Et exercitus ejus, numeratique eorum, quatuor & septuaginta millia atque sexcenti.

5. Castrametabuntur vero juxta eum tribus Issachar: & princeps filiorum Issachar erit Nethaneel filius Suar.

6. Et exercitus ejus, numeratique ejus, quatuor & quinquaginta millia atque quadringenti.

7. Tribus Zebulon: & princeps filiorum Zebulon, Eliab filius Helon.

8. Et exercitus ejus, numeratique ejus, septem & quinquaginta millia atque quadringenti.

9. Omnes numerati in exercitu Juda, centum octoginta sex millia atque quadringenti, per exercitus suos: primum proficiscentur.

10. Vexillum exercitus Reuben erit ad Meridiem per turmas suas: & princeps filiorum Reuben erit Elisur filius Sedeur.

11. Exercitus ejus, numeratique ejus, sex & quadraginta millia atque quingenti.

12. Castrametabuntur autem juxta eum tribus Simeon: & princeps filiorum Simeon, Selumiel filius Surisaddai.

13. Et exercitus ejus, numeratique eorum, novem & quinquaginta millia atque trecenti.

14. Tribus item Gad: & princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Reuel.

15. Et exercitus ejus, numeratique eorum, quinque & quadraginta millia atque sexcenti & quinquaginta.

16. Omnes numerati in exercitu Reuben, centum quinquaginta millia, mille & quadringenti quinquaginta, per exercitus suos: & secundi proficiscentur.

17. Tum proficiscetur tabernaculum conventionis in castris Levitarum, in medio castrorum: quemadmodum castrametabuntur, sic proficiscetur quisque in loco suo, juxta vexilla sua.

18. Vexillum exercitus Ephraim per turmas suas erit ad Occidentem: & princeps filiorum Ephraim erit Elisama filius Ammihud.

19. Et exercitus ejus, numeratique eorum, quadraginta millia & quingenti.

20. Et juxta eum erit tribus Menasse: & princeps filiorum Menasse erit Gamliel filius Pedahsur.

21. Et exercitus ejus, numeratique eorum, duo & triginta millia atque ducenti.

22. Tribus item Benjamin: & princeps filiorum Benjamin erit Abidan filius Gidoni.

23. Et exercitus ejus, numeratique eorum, quinque & triginta millia atque quadringenti.

24. Omnes numerati in exercitu Ephraim, centum & octo millia atque centum, per exercitus suos: & tertii proficiscentur.

25. Vexillum castrorum Dan erit ad Aquilonem, per exercitus suos: & princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai.

26. Et exercitus ejus, numeratique eorum, duo & sexaginta millia atque septingenti.

27. Castrametabuntur autem juxta eum tribus Aser: & princeps filiorum Aser erit Pagiel filius Ochran.

28. Et exercitus ejus, numeratique eorum, unum & quadraginta millia & quingenti.

29. Tribus item Nephthali: & princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan.

30. Et exercitus ejus, numeratique eorum, tria & quinquaginta millia atque quadringenti.

31. Omnes numerati in exercitu Dan, centum millia & quinquaginta septem millia atque sexcenti: postremi proficiscentur per vexilla sua.

32. Isti sunt numerati filiorum Israël per domos patrum suorum, omnes numerati qui erant in castris per turmas suas, sexcenta tria millia atque quingenti quinquaginta.

33. Cæte-

33. Cæterum Levitæ non fuerunt numerati inter filios Iſraël, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

34. Et fecerunt filii Iſraël juxta omnia quæ præcepit Jehova Moſi: ſic caſtrametati ſunt per vexilla ſua, ſicque profecti ſunt quiſque per familias ſuas, per domum patrum ſuorum.

1. *Et loquutus eſt Jehova.*] Hæc ordinum diſtributio valere debuit ad contentiones tollendas: quia niſi Deus ipſe ſuum quibuſque gradum aſſignaſſet, ut ingenita eſt hominibus ambitio, de honore inter ſe certaſſent. Familiæ Ruben primogeniti grave fuiſſet honore ſuo cedere: quod ſi pœnam ſibi inflictam æquo animo ſubiiſſet, ex quo ignominiæ damnata erat, rejecta fuiſſet ab aliis in ultimum locum. Jam de concubinarum filiis motæ eſſent lites: quia conſentaneum non putaſſent qui ex Lea & Rachel nati erant, ſuperiorem illis locum dare. Adhæc ut quiſque multitudine & copia hominum præſtabat, duxiſſet ſibi fieri injuriam, niſi alius præcederet. Ita nunquam filii Simeon ſe ſub vexillum Rubeo cogi paſſi fuiſſent. Iterum etiam diſceptatio exorta fuiſſet inter filios Ephraim & Manaſſe. Has ergo omnes turbas Deus ſemel compeſcuit, ita diſpoſitis ordinibus, ut quiſque ſuam claſſem agnoſceret. Juda ergo tametſi quartus erat Leæ filius, primum vexillum honoris cauſa duxit, ut jam incipiat quodam præludio ſanciri vaticinium Jacob. Duæ vero tribus adjunctæ ſunt quæ ſe libenter ſubjicerent illius imperio, Iſſachar & Zebulon: quia originem ducebant à filiis ancillæ, quam Lea in ſuum locum ſubſtituerat. Quanquam autem Ruben à primogenitura exciderat: ut tamen poſteris aliquid reliquum eſſet ſolatii, ſecundo vexillo præfectus eſt: duæ tribus adjunctæ, quæ ob conjunctionem non moleſte ferrent ſub illius ductu militare, tribus Simeon fratris uterini, & tribus Gad, quæ ſimiliter ex ancilla Leæ progenita erat. Jam ut duo populi fierent ex uno capite Joſeph, Dei auctoritatem intercedere oportuit: alioqui res veniſſet in certamen: quia & officioſa per ſe erat inæqualitas, & videri poterat domus illa, non ſine aliarum contumelia in ſublime extolli. Adde quod filii Manaſſe jure naturæ priores nunquam ad parendum fuiſſent adducti, niſi interpoſitum fuiſſet cæleſte decretum. Cæterum non potuit melius colligi exercitus ille quam ex filiis Rachel: quia propior illis erat conſanguinitas. De primatu etiam quartæ claſſis acris potuit eſſe dimicatio: quia iniquum erat filium ancillæ conſtitui ducem, atque ita præferri legitimo filio Leæ, & alteri filio Rachelis, præſertim quum unice dilectus fuiſſet Benjamin à communi omnium patre Jacob. Valere quidem ad tollendas omnes rixas ſatis ſuperque debuit ſolus Dei nutus: verum quia liberaliter, & paterno magis quam regio more regere volebat, eorum voto potius obtemperavit quam invitos cogeret. Cæterum quia humano arbitrio non poterant dirimi certamina, iterum in fine capitis dicitur Moſen nihil egiſſe niſi ex Dei mandato. Simul tamen obedientia populi notatur, quod Moſi placide obſequuti ſint: quia hoc modo teſtati ſunt ſe Moſeo agnoſcere verum & fidelem Dei miniſtrum: hæc enim modeſtia ſinceræ erga Deum pietatis individua eſt comes, ut quicquid à probatis ejus miniſtris in medium affertur, reverenter populus excipiat.

NUMER. Cap. III.

HÆ ſunt generationes Aharon & Moſis ex quo loquutus eſt Jehova ad Moſen in monte Sinai.

2. Hæc autem ſunt nomina filiorum Aharon: primogenitus Nadab, & Abihu, Eleazar & Ithamar.

3. Iſta ſunt nomina filiorum Aharon ſacerdotum unctorum, quorum conſecraverat manum ut ſacerdotio fungerentur.

4. Mortuus eſt autem Nadab & Abihu coram Jehova, quando obtulerunt ignem externum coram Jehova in deſerto Sinai: & filii non fuerunt eis: ac ſacerdotio functus eſt Eleazar & Ithamar coram Aharone patre ſuo.

5. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

6. Appropinquare fac tribum Levi, & ſtare facias eam coram Aharone ſacerdote, ut miniſtrent ei.

7. Et cuſtodiant cuſtodiam ejus, & cuſtodiam univerſi cœtus coram tabernaculo ecclefiæ, ut exequantur cultum tabernaculi.

8. Cuſtodiant quoque omnia utenſilia tabernaculi eccleſiæ, cuſtodiamque filiorum Iſraël, ut exequantur cultum tabernaculi.

9. Da inquam Levitas ipſi Aharon & filiis ejus: dati, dati *namque ſunt* illi à filiis Iſraël.

10. Aharon autem & filios ejus præficies, cuſtodientque ſacerdotium ſuum: externus ſane qui acceſſerit, morietur.

11. Loquutus eſt præterea Jehova ad Moſen, dicendo,

12. Ego quidem tuli Levitas è medio filiorum Iſraël loco omnis primogeniti quod aperit vulvam à filiis Iſraël: eruntque mei Levitæ.

13. Meum namque eſt omne primogenitum: à die quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificavi mihi omne primogenitum in Iſraële: tam ex hominibus quam ex animalibus: mea erunt: ego Jehova.

14. Loquutus eſt inſuper Jehova ad Moſen, dicendo,

15. Numera filios Levi per domos patrum ſuorum, per familias ſuas: omnem maſculum ab uno menſe & ſupra, numerabis.

16. Numeravit itaque eos Moſes juxta ſermonem Jehovæ, quemadmodum juſſus fuerat.

17. Et fuerunt iſti filii Levi per nomina ſua, Gerſon, Cehath & Merari.

18. Hæc

18. Hæc autem ſunt nomina filiorum Gerſon per familias ſuas, Libni & Semei.
19. Porro filii Cehath per familias ſuas, Amram, & Ishar, Hebron & Uzziel.
20. Filii vero Merari per familias ſuas, Mahali, & Muſi. Iſtæ ſunt familiæ Levi per domos patrum ſuorum.
21. De Gerſon, familia Libnitica, & familia Simitica: iſtæ ſunt familiæ Gerſoniticæ.
22. Numerati eorum ſecundum numerum omnis maſculi, à filio menſis & ſupra: numerati eorum, ſeptem millia & quingenti.
23. Familiæ Gerſoniticæ poſt tabernaculum caſtrametabuntur ad Occidentem.
24. Et princeps domus patris Gerſonitarum erit Eliaſaph filius Laël.
25. Cuſtodia autem filiorum Gerſon in tabernaculo conventionis erit tabernaculum, & tentorium, operimentum ejus, aulæum oſtii tabernaculi conventionis:
26. Cortinæ item atrii, & aulæum oſtii atrii quod erat juxta tabernaculum & juxta altare per circuirum, funes quoque ejus pro omni miniſterio ejus.
27. Et ipſius Cehath erit familia Amramitica, & familia Isharitica, & familia Hebronitica, & familia Uzzielitica: iſtæ ſunt familiæ Ceharhiricæ.
28. Secundum numerum omnis maſculi, à filio menſis & ſupra, fuerunt octo millia & ſexcenti, cuſtodientes cuſtodiam ſanctuarii.
29. Familiæ filiorum Cebath caſtrametabunrur ad latus tabernaculi ad Meridiem.
30. Er princeps domus patris familiarum Cebarhitarum erit Eliſaphan filius Uzziel.
31. Cuſtodia autem eorum erit arca, & menſa, & candelabrum, & altaria, & vaſa ſanctitatis in quibus miniſtrabunt, & aulæum, & univerſum opus ejus.
32. Porro princeps principum Levitarum erit Eleazar filius Aharon ſacerdotis: præfectura cuſtodientium cuſtodiam ſanctitatis erit ei.
33. Ipſius Merari erit familia Mahalitica, & familia Muſitica. Iſtæ ſunt familiæ Merari.
34. Numerati autem eorum ſecundum numerum ordinis maſculi, ab uno menſe & ſupra, ſex millia & ducenti.
35. Et princeps domus patris familiarum Merari erit Suriel filius Abihail: atque hi ad latus tabernaculi caſtrametabuntur ad Aquilonem.
36. Præfectura autem cuſtodiæ filiorum Merari, tabulæ tabernaculi, & vectes ejus, & columnæ ejus, & baſes ejus, omniaque vaſa ejus, & univerſum opus ejus.
37. Columnæ quoque atrii per circuirum, & baſes earum, & clavi earum, & funes earum.
38. Qui vero caſtrametabuntur ante tabernaculum, ad Orientem, in parte anteriore tabernaculi conventionis, ad Orientem erunt Moſes & Aharon, filiique ejus cuſtodientes cuſtodiam ſanctuarii, pro cuſtodia filiorum Iſraël: externus certe qui acceſſerit, morierur.
39. Omnes numerati Levitarum, quos numeravit Moſes & Aharon juxta ſermonem Jehovæ per familias eorum, omnes mares ab uno menſe & ſupra, duo & viginti millia.
40. Er dixit Jehova ad Moſen, Numera omne primogenitum maſculum filiorum Iſraël ab uno menſe & ſupra, & accipe numerum nominum eorum.
41. Capieſque Levitas mihi (ego Jebova) loco omnium primogenitorum filiorum Iſraël, & beſtias Levitarum loco omnium primogenitorum ex beſtiis filiorum Iſraël.
42. Numeravit itaque Moſes quemadmodum ei præceperat Jehova, omnem primogenitum in filiis Iſraël.
43. Fueruntque omnia primogenita maſcula, ſecundum numerum nominum, ab uno filio menſis & ſupra, per numeratos eorum, duo & viginti millia & ducenti ſeptuaginta tres.
44. Loquutuſque eſt Jebova ad Moſen, dicendo,
45. Cape Levitas loco omnium primogenitorum in filiis Iſraël, & beſtias Levitarum pro beſtiis eorum, eruntque mei Levitæ: ego Jehova.
46. Porro redemptiones ducentorum ſeptuaginta trium redundant ultra Levitas, à primogenitis filiorum Iſraël.
47. Capies quinos ſiclos in ſingula capita, ſecundum ſiclum ſanctuarii capies: viginti obolorum eſt ſiclus.
48. Dabiſque pecuniam illam Aharoni & filiis ejus, redemptiones eorum qui exnperant in illis.
49. Accepit ergo Moſes pecuniam redemptionis ab iis qui ſuperabant ultra redemptos Levitarum.
50. A primogenitis filiorum Iſraël accepit pecuniam mille trecentos ſexaginta quinque ſiclos, ſecundum ſiclum ſanctuarii.
51. Deditque Moſes pecuniam redemptionum Aharoni & filiis ejus, juxta ſermonem Jehovæ, quemadmodum præceperat illi Jehova.

1. *Hæ ſunt generationes.*] Seorſum nunc Levitas recenſet. Antequam vero ad colligendum oumerum deſcendat, breviter refert quod paulo ante ſuſius narravit, ex quatuor filiis Aharon duos tantum fuiſſe patri ſuperſtites: quia Nadab & Abibu ob corruptum ſacribcium oegligentiæ ſuæ pœnas dederunt. Sex porro verſus quos inſerit Moſes, quia pertinent ad ſacerdotale muous, ſuo loco fuerunt expoſiti. Dignitas quidem tribus Leviticæ hic commendatur, ubi Deus primogenitis comparat Levitas. Attingitur etiam munerum diſtributio: ſed quando hæc conjuncta ſunt cum ſupputatione reliqui populi, & ratione caſtrametandi, cum ſuperioribus contexere viſum eſt: quia alioqui abrupta eſſet biſtoria. Et certe in contextu quem ſequutus ſum, de cujuſque familiæ officio non agitur niſi per occaſiooem, ut ſingulis nota eſſet propria ſtatio.

12. *Ego tuli Levitas.*] Quorſum Deus tribum unam ſibi vindicet, paulo poſt clarius videbitur: nunc tantum docet Leviias jure ſuos eſſe, quia ſingulari beneficio in clade Ægyptiaca primogeniti ex populo ſervati ſint. Quibus ergo data erat precario vita, eos Deus ſibi acquiſitos eſſe pronunciat. Jaroquum libera eſſet optio, ut primogenitos omnes ex qualibet tribu ſibi addiceret, noo minus in arbitrio ejus fuit duodecimam tantum populi parrem ex tribu una aſſumere. Præcidit igitur anſam querimoniis omnibus: quia minime ferenda fuiſſet ingratitudo, ſubtrahere ab ejus ditione quos mirabiliter redemerat. ideo dicit non periiſſe io communi ſtrage, ut eos ſui juris faceret.

15. *Numera filios.*] Ponitur nunc tribus deſcriptio, principium ducendo à tribus filiis Levi, Cehath, Gerſon, & Merari, unde plures deinde familiæ fluxerunt. Notaodum vero eſt, omnes fuiſſe numeratos uſque ad teneros fœtus, quum ex reliquo populo non venirent in rationem niſi qui viceſimum annum exceſſerant: unde apparuit tribum hanc omnium eſſe minimam. Deus autem parvulos in cenſum recipiendo ad æquam proportionem tendebat, ut videbimus: quia ſi tantum à viceſimo aooo ſumpſiſſet, cognitum non fuiſſet quot eſſent primogeniti, atque ita incerta fuiſſet ſummæ compenſatio. Hac indulgentia debuit adduci populus, ut æquiore animo tributum penderet pro reliquis capitibus: nam quia facta ſupputatione conſtabat quantus numerus deficeret à legitima parte, merito pecunia redimi voluit Deus qui alioqui traducti fuiſſent ad tribum illam quæ primogenitos repræſentabat: malignum vero fuiſſet Deo negare quod poſtulabat, quum ſpoote ad æquiſſimam pactionem deſcenderet. Alia etiam ratio fuit cur à prima pueritia in cenſum venerint Levitæ potius quam alii: quia non neceſſe fuit ad militiam aptos eſſe, quum ex toto populo Deus milites ſibi ſcriberet, qui mox arma capeſſerent.

17. *Fuerunt filii Levi.*] Hinc apparet tribum Levi, ſicut alias, a tenuibus & contemptis exordiis feciſſe admirabiles progreſſus. nam quum tres duoraxat filios ipſe genuerit, Gerſon vero & Merari binos tantum, Cehath quatuor: quis taotam ſœcunditatem ſperaſſet, ut duodecim homines exiguo tempore io tot millia excreſcerent? Verum ſic potenter operatur Deus ſub ſpecie iofirmitatis, quo melius hic refulgeat ejus gloria. Quod autem familiam Cebath, non tantum in ſacerdotio Aharon, ſed etiam io communi miniſterio aliis prætulit, ex eodem gratuiti beneplaciti fonte manavit ex quo Moſis vocatio. Qui ergo Muſen tam honorifica functione digoatus fuerat, io ejus gratiam ſimiliter beneficus fuit in familiam Cebath. Quanquam ne ſuſpecta eſſet ambitio, vel improbis calumniandi occaſio daretur, filios Moſis Deus ſubſiſtere voluit in vulgari Levitarum ordine.

45. *Cape Levitas.*] Sequitur illa quam dixi compenſatio: quia enim in tribu Levi non reperiebatur ſolida Dei portio, aliuode ſuppleri oportuit. Ergo quum Levitæ tam viri quam pueri infantes, pauciores eſſent ducentis ſeptuaginta tribus quam primogeniti duodecim tribuum Iſraël: pretium Deus exegit quinos ſiclos ſanctuarii in ſingula capita. Viſum autem alibi fuit, ſiclum ſanctuarii fuiſſe duplicem, ut duos vulgares efficeret.

NUMER. Cap. IV.

1. Loquutus eſt Jehova ad Moſen & Aharon, dicendo,

2. Tolle ſummam filiorum Cehath è medio filiorum Levi, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum:

3. A beo qui natus eſt triginta annos & ſupra, uſque ad eum qui natus eſt quinquaginta annos: quotquot ingrediuntur congregationem, ut faciant opus in tabernaculo conventionis.

Ex eodem Capite.

21. Loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

22. Tolle ſummam filiorum Gerſon, ipſos quoque per domos patrum ſuorum, & per familias ſuas:

23. A beo qui natus eſt triginta annos & ſupra, uſque ad eum qui eſt quinquaginta annorum, numerabis eos: quotquot ingrediuntur congregationem, ut faciant opus in tabernaculo conventionis.

Ex eodem Capite.

29. Filios Merari per familias ſuas, per domos patrum ſuorum numerabis:

30. A beo qui natus eſt triginta annos & ſupra, uſque ad eum qui natus eſt quinquaginta annos, numerabis eos: quotquot ingrediuntur congregationem, ut faciant opus in tabernaculo conventionis.

Ex eodem Capite.

34. Numeravit ergo Moſes & Aharon & principes congregationis filios Cehath, per familias ſuas, per domos patrum ſuorum:

35. A beo qui natus erat triginta annos & ſupra, uſque ad eum qui natus erat quinquaginta annos: quotquot ingrediuntur in congregationem illam ad miniſterium peragendum in tabernaculo conventionis.

36. Fue-

36. Fueruntque numerati eorum per familias, duo millia ſeptingenti quinquaginta.
37. Iſti ſunt numerati familiarum Cehath, omnes miniſtrantes in tabernaculo conventionis, quos numeravit Moſes & Aharon juxta imperium Jehovæ per manum Moſis.
38. Numerati filiorum Gerſon per familias ſuas, & per domum patrum ſuorum:
39. Ab eo qui natus erat triginta annos & ſupra, uſque ad eum qui natus erat quinquaginta annos: quotquot ingrediuntur in congregationem illam ad miniſterium peragendum in tabernaculo conventionis.
40. Numerati inquam eorum per familias ſuas, per domum patrum ſuorum, duo millia & ſexcenti triginta.
41. Iſti ſunt numerati familiarum filiorum Gerſon, omnes miniſtrantes in tabernaculo conventionis, quos numeravit Moſes & Aharon juxta ſermonem Jehovæ.
42. Numerati autem familiarum filiorum Merari per familias ſuas, per domos patrum ſuorum:
43. Ab eo qui natus erat triginta annos & ſupra, uſque ad eum qui natus erat quinquaginta annos: quotquot ingrediebantur in congregationem illam ad miniſterium peragendum in tabernaculo conventionis.
44. Numerati inquam eorum per familias ſuas, tria millia & ducenti.
45. Iſti ſunt numerati familiarum filiorum Merari, quos numeravit Moſes & Aharon juxta ſermonem Jehovæ per manum Moſis.
46. Omnes numerati quos numeravit Moſes & Aharon, & principes Iſraël, de Levitis, per familias ſuas, & per domos patrum ſuorum:
47. Ab eo qui natus erat triginta annos & ſupra, uſque ad eum qui natus erat quinquaginta annos: quotquot ingrediebantur ad peragendum miniſterium cultus, & ad peragendum opus oneris in tabernaculo conventionis.
48. Numerati, inquam, eorum fuerunt octo millia & quingenti octoginta.
49. Juxta ſermonem Jehovæ numeravit eos per manum Moſis, ſingulos ſecundum miniſterium ſuum, & ſecundum onus ſuum: numerati autem ejus fuerunt hi quos ipſi præceperat.

1. *Loquutus eſt.*] Hic cenſus alio ſpectavit quam ſuperior, de quo nuper vidimus: nempe ut pro numero capitum æqua fieret munerum diſtributio. Primo quoad ætatem, obſervandum eſt diſcrimen inter hanc tribum & alias. Hactenus enim vidimus omnes Iſraëlitas ab anno viceſimo fuiſſe numeratos, quia jam erant idonei ad arma ferenda. In Levitis autem non temere expectata fuit maturitas, ne ante annum triceſimum inciperent miniſterio fungi: quia non tantum robur aut vigor corporis requiritur ad ſpiritualem militiam, ſed moderatio quoque & gravitas. Si admiſſi fuiſſent adoleſcentes, (ut ſæpe fervore & laſcivia feruntur ad multa intemperanter agenda) poterat eorum levitas reverentiam ſacris detrahere. Non ergo ante permiſſus fuit acceſſus ad ſanctuarium quam adoleviſſent in viros. Anno autem triceſimo ita compoſitos eſſe homines oportet, ut juveniliter exultare turpe ſit, & non excuſabile. Ab anno autem quinquageſimo illis vacatio data fuit: quia ut plurimum ſenectuti adhærent tarditas & ſegnities. Diverſa eſt belli ratio, quia multi poſt annum quinquageſimum adhuc vegeti reperiuntur. Deinde, ut religio pretioſior eſt terrenis omnibus negotiis, ita diligentius cavendum fuit ne ob pigritiam vel ſomnoleotiam miniſtrorum vileſceret.

34. *Numeravitque Moſes.*] Additur alia exceptio, ne reciperentur niſi integri ab omni vitio & macula. alibi enim viſum fuit, à tabernaculo excludi cæcos & claudos, vel alia parte corporis mutilos, ne deformitas ipſa contemptum pareret: deinde ut externo ſymbolo admoniti, diligentius ſibi ab omni ſpirituali inquinamento caverent. Ergo ingredi ſanctuarium dicuntur qui ad ſacerdotium gerendum idonei ſunt. Ideoque additur particula Ad miniſterium. Jam quia inæqualitas ſemen fuiſſet invidiæ, interponitur in fine capitis Dei auctoritas, ubi Moſes recitat miniſtrum ſe duntaxat fuiſſe, & officia diſtribuiſſe inter ſingulos ex Dei præcepto.

Ex NUMER. Cap. X.

11. Fuit autem anno ſecundo, menſe ſecundo, viceſima menſis, aſcendit nubes à tabernaculo teſtimonii.
12. Tunc profecti ſunt filii Iſraël per profectiones ſuas è deſerto Sinai, ſubſtititque nubes in deſerto Paran.
13. Profecti itaque ſunt primum ad os Jehovæ per manum Moſis.
14. Et profectum eſt vexillum caſtrorum filiorum Jehudah primo loco per exercitus ſuos: & ſuper exercitum ejus erat Nahaſon filius Amminadab.
15. Super exercitum autem tribus filiorum Iſſachar erat Nethaneel filius Suar.
16. Et ſuper exercitum tribus filiorum Zebulon erat Eliab filius Helon.
17. Depoſitum autem fuerat tabernaculum: & profecti ſunt filii Gerſon & filii Merari portantes illud.
18 Deinde profectum eſt vexillum caſtrorum Reuben per exercitus ſuos: & ſuper exercitum ejus erat Eliſur filius Sedeur.
19. Super exercitum vero tribus filiorum Simeon erat Selumiel filius Suriſaddai.
20. Et ſuper exercitum tribus filiorum Gad erat Eliaſaph filius Deuel.

21. Et progredi cœperunt Cehathitæ portantes ſanctuarium: erexerunt autem tabernaculum donec venirent ipſi.

22. Poſtea profectum eſt vexillum caſtrorum filiorum Ephraim per exercitus ſuos: & ſuper exercitum ejus erat Eliſama filius Ammihud.

23. Super exercitum vero tribus filiorum Menaſſe erat Gamliel filius Pedahſur.

24. Et ſuper exercitum tribus filiorum Benjamin erat Abidan filius Gidoni.

25. Profectum eſt inſuper vexillum caſtrorum filiorum Dan, recolligens omnia caſtra per exercitus ſuos: & ſuper exercitum ejus erat Ahiezer filius Ammiſaddai.

26. Super exercitum vero tribus filiorum Aſer erat Pagiel filius Ochran.

27. Et ſuper exercitum tribus filiorum Nephthali erat Ahira filius Enan.

28. Iſtæ ſunt profectiones filiorum Iſraël per exercitus ſuos: ac ita profecti ſunt.

11. *Fuit autem anno ſecundo.*] Narrat Moſes prima caſtra à monte Sinai locata fuiſſe in deſerto Paran: quod etſi non procul illinc diſtabat, nempe itinere tridui (ut paulo poſt videbimus) moleſtiam tamen ac tædium fatigatio populo attulit. Quod Dei mandato ea pediti fuerint ad pergendum, eorum obſequio laus tribuitur: ſed mox cadente perſeverandi ſtudio, ſe prodidit levitas & inconſtantia. Cæterum quod dicit profectos eſſe per ſuas profectiones, refertur ad totam peregrinationem. Quantum ad vocem ſpectat, neſcio cur Hieronymus turmas reddiderit, quum radix ſit verbum יָסַע, quod hic ſubinde ponitur. Ea perpetuo tamen Scripturæ uſu apparet pro ſtationibus vel auſpiciis accipi. Gallice dicimus *journées*, vel *giſtes*.

14. *Vexillum caſtrorum.*] Deſcribitur ipſa progrediendi ſeries. Ac totus quidem populus, ea ceptis Levitis, in quatuor exercitus aut partes dividitur: quia tribus quatuor erant aliis præfectæ, ita ut ſingulis binæ ſubeſſent. Talis autem fuit ratio, ut quoties alicubi ſtativa habebant, à quatuor mundi plagis ſanctuarium & arcam fœderis circumdarent quatuor vexilla: in itinere autem ſingulis ordinibus permiſti eſſent Levitæ tabernaculum geſtantes, prout ſuum quibuſque onus erat impoſitum. Arca vero totum exercitum anteibat, quam humeris ſuis geſtabant Levitæ: quo majore fiducia Deum aperte iter monſtrantem omnes ſequerentur. Primum ordinem duxit Naaſon ex tribu Juda: ſecundum ordinem Eliſur ex tribu Ruben: tertium Eliſama ex tribu Ephraim: quartum Abiezer ex tribu Dan. In præfectura Judæ non dubium quin Deus ſpecimen aliquod ediderit vaticinii Jacob. Neque enim gradu ſuo ſponte ceſſiſſent Rubenitæ ea primogenito orti, niſi Dei oraculo, quod per os Jacob protulerat, jus illud translatum fuiſſet in tribum Juda. Non quod penes eam imperium fuerit & regia poteſtas ante Davidem: ſed quia Deus in obſcura caligine ſcintillam aliquam fulgere voluit, quæ ſpem ſalutis promiſſæ in omnium cordibus foveret: atque ut tandem illius tribus dignitas ad obſequium omnes facilius adduceret. In quo tamen apparuit quam perverſo & indocili eſſet ingenio major pars, quæ pertinaciter Davidem rejiciendo cum cæleſti decreto luctata eſt. Secundum locum retinuit Ruben ad levandam ignominiam. Quod etiam poſteris Ephraim ſubjecta fuit tribus Manaſſe, hac in parte completum fuit ejuſdem Patriarchæ vaticinium. Nec alia videtur fuiſſe ratio cur tribui Dan quartum vexillum daretur, niſi quia Jacob pronunciaverat, Dan judicabit populum ſuum: qua voce notata fuit primatus excellentia. Etſi autem fieri poteſt ut pro copia & multitudine hominum delectæ fuerint ſignifera quatuor tribus, niſi tamen certo perſuaſum fuiſſet filiis Ruben & Manaſſe, Dei mandato in ordinem ſe cogi, nunquam illos paſſa fuiſſet æmulatio aliis ſe placide ſubjicere, quibus ſecundum communem naturæ morem priores erant. Laude igitur digna fuit moderatio, quod quum nulla eſſet ad cogendum poteſtas, voluntaria ſubjectio ſingulos intra metas continuit. Ac tandem tradit Moſes non ſemel tantum ita fuiſſe progreſſos, ſed eandem legem & regulam in toto peregrinationis curſu ſervaſſe: & ita ſemper diſpoſita fuiſſe eorum caſtra, ut nulla contentio ordines turbaret.

Ex Deut. I.

6. Jehova Deus noſter loquutus eſt nobis in Horeb, dicendo, Sat vobis eſt habitaſſe in monte iſto.

7. Vertite vos, & proficiſcimini, & ite ad montem Amorrhæorum, & ad omnes vicinos ejus, in ſolitudine, in monte, & planitie, & Meridie, & in littore maris, terram Chenanæi à Libanon uſque ad flumen magnum, flumen Euphraten.

8. Vide, dedi coram vobis terram: ingredimini, & poſſidete terram illam quam juravit Jehova patribus veſtris, Abraham, Iſaac & Jacob, ſe daturum eis, & ſemini eorum poſt ipſos.

6. *Jehova Deus noſter.*] Hac ſecunda narratione clarius exprimit Moſes, Deum non modo oculis ſignum profectionis dediſſe, quum nubem ſurſum attolleret, ſed verbis quoque mandaſſe ut relicto monte Sinai, populus ad reliquum iter peragendum ſe accingeret. Dicit igitur Deus, ſatis temporis fuiſſe conſumptum in uno loco: quia antequam illinc migrarent, præteriit onus integer annus. Etſi autem undecim dierum erat iter antequam venirent ad Cades Barnea, ne quid tamen populum moretur, qui ſponte nimium erat piger, propoſita facilitate ſtimulos addit, tantum pedes ad pergendum movendos eſſe dicens, ut quiete promiſſa fruantur.

Numer. Cap. IX.

17. Quum diſcederet nubes à tabernaculo, poſtea proficiſcebantur filii Iſraël: atque in loco ubi manebat nubes, illic caſtrametabantur filii Iſraël.

18. Ad os Jehovæ proficiſcebantur filii Iſraël, & ad os Jehovæ caſtrametabantur: cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſupra tabernaculum, manebant.

19. Quum autem moram trahebat nubes ſupra tabernaculum diebus multis, tunc obſervabant filii Iſraël cuſtodiam Jehovæ, & non proficiſcebantur.

20. Quando

20. Quando autem nubes paucis diebus erat ſuper tabernaculum, ad os Jehovæ manebant, & ad os Jehovæ proficiſcebantur.

21. Quando igitur erat nubes à veſpera uſque mane, aſcendebat autem nubes mane, tunc proficiſcebantur: aut ſi nocte & die, & poſtea aſcendebat nubes, tunc proficiſcebantur.

22. Aut duobus diebus, aut menſe, aut anno, quando moram trahebat nubes ſuper tabernaculum, manendo ſuper illud, in caſtris manebant filii Iſraël, nec proficiſcebantur: ſi autem illa aſcendebat, tunc proficiſcebantur.

23. Ad os Jehovæ caſtrametabantur, & ad os Jehovæ proficiſcebantur: cuſtodiam Jehovæ ſervabant ad os Jehovæ per manum Moſis.

Ex Exodi XL.

36. Quum recederet nubes à tabernaculo, proficiſcebantur filii Iſraël in cunctis profectionibus ſuis.

37. Quod ſi non recederet nubes, non proficiſcebantur uſque ad diem qua recedebat.

38. Quia nubes Jehovæ erat ſuper tabernaculum interdiu, ignis vero noctu in eo, coram oculis totius domus Iſraël, in cunctis profectionibus eorum.

17. *Quum diſcederet nubes.*] Antehac expoſuit Moſes viſibili miraculo ſic ornatum fuiſſe tabernaculum, ut Deus palam faceret ſe illic habitare. non quod relicto cælo in illud terreſtre domicilium migraſſet: verum ut propinquus eſſet populo virtutis & gratiæ præſentia, quoties invocaretur. Nunc aliud miraculum refert, quod Deus nubem ſurſum elevans, quaſi dato ſigno, jubebat populum caſtra movere: quum autem reſidebat nubes ſupra tabernaculum, illud ſignum dabat manſionis. Hic tamen exoritur quæſtio: quia jam ante dictum fuit ſtatim ab egreſſu Ægypti nubem inſtar vexilli fuiſſe ad iter populi gubernandum: unde ſequitur, non tunc primum ejus elevatione admonitum fuiſſe populum ut vaſa colligeret, & quaſi indictam fuiſſe profectionem. Reſponſio facilis eſt, prius quidem directum fuiſſe populum aſpectu nubis, quemadmodum vidimus: ſed hic novum aliquid referri: quia ex quo erectum fuit tabernaculum, nubes, quæ in aëre pendebat, & præibat caſtra, tunc ſedem habuit in ſanctuario. Nova enim gratiæ acceſſio commendatur in certiore & manifeſtiore ſymbolo: acſi Deus propius & familiarius ſe populi ducem oſtenderet. Etſi ergo nubes totius itineris directrix fuit ab initio, tabernaculi tamen gloriam, quum iode prodiret, magis ac magis illuſtravit.

18. *Ad os Jehovæ.*] Os hic metonymice pro ſermone capitur, neque tanta mihi viſa eſt Hebraiſmi aſperitas quin commode retineri poſſet. Quæritur tamen an loquutus fuerit Deus, nec ne: quia ſæpius repetitur Oris nomen. Ac veriſimile quidem eſt Moſen ſemel fuiſſe edoctum quid ſibi vellet nubis tranſitio, vel reſidentia. Non tamen dubito ſermonis vel præcepti nomen ſigno adſcribi: quia Deus per externa ſigna oculis, non minus quam per vocem auribus, loquitur. Ex hac tamen loquendi forma colligere oportet, ſignorum uſum perverti & in nihilum redigi niſi ſint vice doctrinæ viſibilis: ut ſcribit Auguſtinus. Quam vero id obſervatu dignum ſit, oſtendit repetitio: quæ certe non exiguum habet pondus.

19. *Obſervabant filii Iſraël.*] Quidam (meo judicio) nimis late extendunt: quod nube moram trahente, quaſi per otium ſe exercuerint filii Iſraël in cultu Dei. Ego enim potius ad eam attentionem reſtringo quæ deinde pluribus verbis laudatur. Servare igitur cuſtodiam, tantundem valet ac nutum Dei ſummo ſtudio & diligentia reſpicere. Quum enim quieſcere cœperat nubes aliquo in loco, ſciebat quidem populus eſſe illic manendum: verum ſi poſtridie non fuiſſent attenti, poterat nubes evaneſcere, atque ita neglectus & ſecuritas tam incomparabile illis bonum adēmiſſent. In hunc finem continuo poſt exprimitur, Si die uno vel pluribus, ſi menſe denique vel anno ſtetiſſet nubes, populum fuiſſe quaſi defixum. Non male igitur vetus Interpres transtulit, fuiſſe in excubiis filios Iſraël: quia die noctuque ſollicite expectabant quando loco movere juberet Deus. Quem ſenſum confirmat ultimus verſus capitis, ubi iterum additur, ſervaſſe cuſtodiam Jehovæ ad os ipſius, per manum Moſis. Unde apparet, Moſen fuiſſe Dei interpretem ut ſe ad iter accingerent quoties nubes ſurſum aſcendens iter monſtrabat. Nec dubium eſt quin præceſſerit: ut ſcirent quorſum ipſos tendere, & qua iter facere vellet Deus. Notandum præterea eſt, utrumque pariter in laude populi cenſeri, quod profectus fuerit, & ſtationem ſuam ſervaverit ad Dei imperium. Quo damnatur præpoſtera eorum ſedulitas qui nullum ſatagendi modum faciunt: acſi non aliter Deo parerent quam tumultuando. Atqui non minor interdum virtus eſt quieſcere, ubi ita Deo placet.

38. *Quia nubes Jehovæ erat.*] Diſtinctius exprimit Moſes quod generaliter de nube dixerat, noctu ſcilicet apparuiſſe igneam columnam: quia in tenebris nulla fuiſſet nubis ſpecies. Additur etiam ſecunda explicatio, quod id non ſemel aut bis contigerit, ſed in cunctis profectionibus: ut nuſquam caruerint nubis conſpectu, quæ teſtis eſſet præſentiæ Dei, ſive reſidendo ſuper tabernaculum eos quieſcere juberet, ſive aſcenſu ſignum daret movendis caſtris. Ille autem æquabilis tenor in temporum & itinerum varietate non parum ad certitudinem valebat. Nam ſi quotidie idem iter emenſa fuiſſet nubes, aſſiduitas ipſa Dei potentiam obſcuraſſet: verum ubi ſe toto anno non movebat, poſtea ſubinde migrabat in alium locum, & nunc longius iter ſuo ductu, nunc brevius monſtrabat, in hac diverſitate clarius enituit paterna Dei ſollicitudo, qui nunquam populi oblivi ſceretur.

Ex Numer. X.

29. Dixit autem Moſes ad Hobab filium Reuel Madianitæ ſoceri ſui, Nos proficiſcimur ad locum de quo dixit Jehova, Illum dabo vobis: veni nobiſcum, & benefaciemus tibi: quia Jehova loquutus eſt beneficentiam ſuper Iſraëlem.

30. Reſpondit autem ei, Non veniam: ſed ad terram meam, & ad natale ſolum meum ibo.

31. Tunc dixit, Ne derelinquas nos: quia propterea nosti manſiones noſtras in deſerto, & fuiſti nobis pro oculis.

32. Quum autem veneris nobiſcum, & evenerit nobis bonum illud quo benefacturus eſt Jehova nobis, tum benefaciemus tibi.

33. Profecti ſunt itaque à monte Jehovæ via trium dierum: & Arca fœderis Jehovæ proficiſcebatur ante eos via trium dierum illorum, ad explorandam illis requiem.

34. Et nubes Jehovæ erat ſuper eos interdiu, dum proficiſcerentur è caſtris.

35. Quum autem cœpit proficiſci Arca, dicebat Moſes, Surge Jehova, & diſpergantur inimici tui, & fugiant odio habentes te à facie tua.

36. Quando vero requieſcebat, dicebat, Revertere Jehova ad decem millia millium Iſraëlis.

29. *Dixit Moſes ad Hobab.*] Nimis craſſe hallucinati ſunt qui putarunt Hobab eſſe Jethro ſocerum Moſis, quem ante vidimus paucis poſtquam appulerat diebus reverſum fuiſſe. Nec vero ſenectus fere decrepita apta vel par fuiſſet tam moleſtis laboribus. Tunc octogenarius erat Moſes, qui tamen longe aberat ab annis ſocceri. Sed ex quarto capite Judicum tollitur omnis dubitatio, ubi legimus poſteros Hobab adhuc tunc ſuperſtites in terra Chanaan. Quum ergo bonus ſenex domum ſe recideret, filium adhuc vegetum Moſi genero ſuo comitem reliquit, cui propter vicinitatem nota erat illa deſerti regio: ut ad multa officia eſſet utilis. Hic tamen, ſive pertæſus moram & difficultates, ſive maligno & perverſo populi ingenio offenſus, ſive nidum ſuum & ſtatariam vitam longis erroribus præferens, voluit patrem ſubſequi. Ut autem ſciamus non ſimulate (ut ſæpe fieri ſolet) petiiſſe miſſionem, diſerte exprimit Moſes non ſtatim flexum fuiſſe precibus ut maneret: imo nec promiſſis, quibus eum allicere tentabat Moſes, fuiſſe adductum, donec perſeveranter rogatus eſſet. Etſi autem ei proponitur ſpes terræ promiſſæ: quia tamen nonniſi terrenæ & caducæ proſperitatis fit mentio, probabilis inde conjectura elicitur, non ita eum profeciſſe ut decebat. Audierat ac viderat ſigna formidabilis Dei potentiæ quum Lex promulgaretur: non tamen alio argumento eum hortatur Moſes ad pergendum quam ut fruatur terræ opulentia. niſi forte in terrena benedictione guſtum bonitatis & paterni amoris Dei præbere voluit Moſes, ut altius attolleret ejus animum. Simpliciter tamen commemorat Dei promiſſionem: deinde bonorum omnium conſortem fore promittit. Quanquam hoc per ſe magnum eſt, non ad ſpem incerti eventus ipſum trahi, ſed ad fruitionem bonorum quæ promiſerat Deus, qui fallere non poteſt. Nam fallaces illecebræ ut plurimum homines ad ſubeundos labores & tentanda pericula invitant. Moſes autem ſtatuit Deum quaſi ſponſorem: quia ſe terram fertilem & omni bonorum copia refertam populo daturum promiſerat. Quicquid ſit, Hobab nobis ſpeculum eſt affectus toti generi humano ingeniti: ut quiſque appetat quod ſenſu carnis apprehendit. Patriam, quam vis ſterilem & ſqualidam, alienis regionibus fœcundis & amœnis præferre, naturale eſt: ſicuti Ithaca Ulyſſis in proverbium tranſiit. Sed nunc aliud vitium reprehendo, quod generaliter omnes ſenſus ſuos in præſentem vitam conjiciunt: ſicuti Hobab, contempta Dei promiſſione, in patrii & natalis ſoli amore ſubſiſtit.

31. *Ne derelinquas nos.*] Proſequitur Moſes, & urget quod nuper dixerat, Hobab felicitatis cujus Deus ſpem populo dederat, fore participem. Idcirco, inquit, hactenus ſtationes noſtras expertus es in deſerto. quæ verba non obſervant interpretes, nec videntur intellexiſſe. Simpliciter enim transferunt, Tu enim noſti: acſi Moſes utilitatis ſuæ cauſa Hobab retinere vellet. Atqui non tantum una cauſalis particula legitur: ſed ita ad verbum, Quoniam ideo noſti cunctas manſiones &c. Senſus igitur eſt, Hobab male ſibi conſulere: quia ideo multa incommoda pertulerit, ut mercedem aliquando referret: acſi dictum eſſet, Quorſum hactenus tot moleſtiis defunctus es in itinere noſtro regendo, niſi ut nobiſcum beata quiete potiaris? Deniqueſignificat Moſes vanos & infructuoſos fuiſſe labores Hobab, niſi pauliſper adhuc ſuſtineat, donec una cum filiis Iſraël obtineat hæreditatem promiſſam. Non ergo ad futurum tempus pertinet quod hic dicitur: quaſi diceret Moſes, Sis nobis vice oculi, ſicut fuiſti antehac: ſed mercedem laborum propinquam eſſe admonens, ad pergendum hortatur & animat.

33. *Profecti ſunt à monte Jehovæ.*] Montem Jehovæ nominat Sinai: quia nuſquam ita evidenter apparuit Dei gloria. Sic ***הר יהוה*** fateor, vocatus fuit ante Legis promulgationem: nomen tamen hoc poſtea impoſitum fuit ad æternam Legis venerationem. Continuam vero tridui expeditionem intellige: quia non tetenderint, niſi ingreſſi deſertum Paran, ſed ſub dio cubuerint. Quod dicitur Arca præceſſiſſe via trium dierum, non refertur ad diſtantiam, quaſi triduo fuerit præmiſſa: ſed ita fuiſſe locatam in prima acie, ut nube ſuper eam inſidente gradum ſiſterent tanquam in ſtatione ſibi divinitus præfixa. Hæc fuit quietis exploratio de qua loquitur.

35. *Quum Arca cœpit proficiſci.*] Quia iter minime placatum erat, ſed undique metuendi erant hoſtium occurſus, neceſſe fuit Deum precari, ut prodiret quaſi paratus ad bellandum. Ita etiam confirmavit Moſes populi animos, ne terror ex propiore acceſſu lentos aut ignavos redderet. Perinde eſt igitur acſi in hunc modum precatus fuiſſet, Domine non viam modo nobis præmonſtres, ſed manus quoque tuæ potentia aperias, hoſtibus profligatis. Vocat autem hoſtes non populi ſed Dei: ut perſuaſi ſint Iſraëlitæ ſub ejus auſpiciis ſe militare. Nam & victoria certior inde ſperanda fuit, quod Deus juſtus impietatis vindex, præliando ſuam ipſius cauſam ageret. Deinde non exigua fuit ſolatii & gaudii materia, quum audiret populus, quicunque ad ipſum injuſte vexandum inſurgerent, Dei quoque eſſe hoſtes: quia ſuos non ſecus tueri vult ac pupillam oculi. Itaque Propheta ut fiducia armaret Eccleſiam, & alacritate fulciret contra violentos hoſtium impetus, hunc locum mutuatus eſt. Porro notanda eſt analogia & ſimilitudo inter ſignum viſibile & rem ſignatam. Neque enim tam craſſus fuit Moſes, ut Arcam alloqueretur his verbis: ſed tantum rogavit ut Deus reipſa probaret Arcam eſſe virtutis & gloriæ ſuæ vivam effigiem. *Pſal.*68. *verſ.* 2.

36. *Quando requieſcebat.*] Ita precando populum quoque ad patientiam hortatus eſt, qe faſtidium ex mora natum indignationem pareret. Moleſtum enim alioqui erat extrahi peregrinationis tempus, ut ſero venirent ad ſuam quietem. Et videmus ut exacerbati fuerint eorum animi, acſi tardior progreſſus quædam eſſet fruſtratio. Hanc igitur intemperiem ut corrigat Moſes, admonet utiles illis eſſe ſtationes: ut Deus tanquam pater familias domi reſidens, eorum curam gerat. Alludit enim ad homines qui tempus otioſum & ab aliis negotiis vacuum ſumunt, quo liberius vacent ad ſuos reſpiciendos.

Ex

Ex NUMER. Cap. XI.

1. Et fuit populus quaſi fatiſcentes, diſplicuit in auribus Jehovæ. Audivit enim Jehova, & iratus eſt furor ejus, exarſitque ignis ipſius contra eos, conſumpſitque extremum caſtrorum.

2. Tunc clamavit populus ad Moſen, & oravit Moſes Jehovam, & concidit ignis.

3. Vocavitque nomen illius loci Taberah: quia accenſus fuerat in eos ignis Jehovæ.

1. *Et fuit populus quaſi.*] Ambigua ſignificatio participii facit ut locum hunc varie torqueant interpretes. Quia מתאנים radix Hebraica nunc eſt moleſtia & labor, nunc fatigatio, nunc luctus, nunc iniquitas, nunc mendacium: quidam vertunt, Fuit populus quaſi conquerentes vel murmurantes. Alii (quod videtur magis eſſe remotum) inferunt adverbium Injuſte: acſi diceret Moſes, iniquam fuiſſe querimoniam, dum populus cum Deo expoſtulavit. Alii vertunt, Nauſeantes: quæ affectatio nimis dura eſt. alii Mentientes, aut perfide agentes. Sunt qui deducant à radice תאוה: atque ita exponunt, Occaſionem quærentes. quod tanquam longe quæſitum rejicio. Mihi verbum Fatiſcendi optime quadrare viſum eſt: quia velut laſſitudine fracti defecerint. Nam probabile eſt non aliud notari crimen, niſi quod abjecto pergendi ſtudio ad ignaviam prolapſi obtorpuerint: quod erat Deo tergum obvertere, & repudiare hæreditatem promiſſam. Probe conveniet hic ſenſus, & retinebitur verbi proprietas. Itaque Ezechiel תאנים appellat fatigationes, quibus ſe conficiunt & obruunt homines præpoſtere ſatagendo. Neque tamen inficior, quum flaccidis animis jacerent, ſparſiſſe obſtreperas voces adverſus Deum: præſertim quum dicat Moſes id diſplicuiſſe auribus Dei, non autem oculis. Verum mali origo fuit quam dixi, præ laſſitudine evaneſcere, ut Deum longius ſequi abnuerent.

Audivit Jehova.] Clarius exprimit populum erupiſſe in apertas querimonias. ac probabile eſt etiam in Deum probra jeciſſe: quod ex pœnæ gravitate colligitur. Quanquam autem metaphorice quidam ignem exponunt pro vindicta: rectius tamen eſt ſimpliciter intelligere ut verba ſonant, flagraſſe partem caſtrorum incendio divinitus emiſſo. Quæritur tamen adhuc quænam fuerit pars illa caſtrorum vel extremitas quam ignis corripuit. Sunt enim qui exiſtiment pœnam cœpiſſe ab ipſis ducibus, quorum atrocius erat crimen. Alii volunt ignem ſæviiſſe in vulgus promiſcuum, à quo ortum fuerat murmur. Ego vero, ut in re incerta, potius conjicio Deum ignem accendiſſe in extrema aliqua parte qui terrorem injiceret, ut locus eſſet veniæ: ſicuti mox ſubjicitur paucorum ſupplicio fuiſſe contentum. Notandum autem eſt, quia populus ſibi male conſcius erat, clauſam fuiſſe januam precibus. Hinc fit ut ad Moſen magis quam ad Deum clament. Unde colligere licet, pœnitentia & fide vacuos exhortuiſſe Dei conſpectum. Hæc eſt malæ conſcientiæ merces, in trepidatione expetere quietem, & tamen Deum fugere, qui ſolus perturbationem & metum ſedare poteſt. Quod autem interceſſione Moſis placatur Deus, hinc colligimus temporalem pœnam ſæpe impiis remitti, quamvis Dei judicio obnoxii maneant. Ignem Dei fuiſſe demerſum narrans (hoc enim proprie ſignificat verbum שקע) extinctionis modum deſignat in quo ſe palam oſtenderit Dei miſericordia: ſicut ignis Dei ex oppoſito vocatur, quem à Deo accenſum fuiſſe conſtabat, ne quis fortuitum eſſe incendium putaret. Nomen etiam loco impoſitum, quod ad poſteros tam criminis quam pœnæ monumentum foret. Taberah enim eſt incenſio vel combuſtio.

Ex eodem Capite.

4. Et collectio quæ erat in medio ejus, concupiverunt concupiſcentia, & averſi ſunt: quin etiam fleverunt filii Iſraël, dicentes, Quis paſcet nos carnibus?

5. Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, cucumerum, & peponum, & porrorum, & ceparum, & alliorum.

6. At nunc anima noſtra arida eſt, nec quicquam eſt niſi Man in oculis noſtris.

7. Man autem ſicut coriandri ſemen erat, & color ejus ſicut color bdellii.

8. Diffundebant autem ſe populus, & colligebant, & molebant in mola, aut terebant in mortario, coquebantque in olla, faciebantque ex eo placentas, quarum ſapor erat ſicut ſapor recentis olei.

9. Quum vero deſcenderat ros ſuper caſtra, deſcendebat Man ſuper ipſum.

10. Audivit itaque Moſes populum flentem per familias, quemque ad oſtium tabernaculi ſui: unde iratus eſt furor Jehovæ valde, ipſi quoque Moſi diſplicuit.

11. Et dixit Moſes ad Jehovam, Ut quid malefeciſti ſervo tuo? & quare non inveni gratiam in oculis tuis, ut imponeres onus univerſi populi hujus ſuper me?

12. An ego concepi univerſum populum iſtum? & an ego genui eum, quod dicis mihi, Porta eum in ſinu tuo, quemadmodum ferre ſolet nutricius infantem, in terram de qua juraſti patribus ejus?

13. Unde mihi caro ut dem univerſo populo huic? Flent enim adverſum me, dicendo, Da nobis carnes, ut comedamus.

14. Non poſſem ego ſolus ferre univerſum populum hunc: quia ſupra vires meas eſt.

15. Quod ſi ita tu facis mihi, occide me quæſo occidendo, ſi inveni gratiam in oculis tuis, & ne videam malum meum.

4. *Et collectio quæ erat in medio.*] Refertur novum murmur populi. Hanc enim hiſtoriam à proxima differre, ex multis circumſtantiis colligitur. Quanquam, ut malum ex malo naſcitur, verisimile eſt, poſtquam impatientiæ morbo laborare cœperant, maligne excogitaſſe quæ tædium & mœrorem augerent. Prodigioſus tamen fuit hic furor, quum nuper tam ſevere caſtigati eſſent, & adhuc pene fumaret pars caſtrorum, vix dum placato Deo, concupiſcendi licentiam ſibi ſumpſiſſe, qua duriorem vindictam accerſerent. Certe quum ſua improbitate iterum provocarunt Deum, adhuc incendii ve-

ſtigia ante oculos reſidua erant. Unde apparet quantopere excæcati fuerint obſtinata ſua malitia. Prima quidem initia murmuris fuiſſe dicit ab exteris, vel promiſcua multitudine quæ ſe miſcuerat filiis Iſrael: quemadmodum alibi viſum fuit: ſed addit totum quoque populum ad imitationem impiæ querimoniæ tractum eſſe. Quo exemplo docemur fugiendos eſſe improbos & ſceleſtos, ne malis exemplis nos corrumpant: ſicuti vitiorum contagio facile ſerpit. Simul tamen monemur nihil ad excuſationem valere ſi alii nobis ſint peccandi auctores: quia nihil Iſraëlitas juvit, aliorum impulſu cecidiſſe: quoniam propria ipſos cupiditas præcipites egit. Primo igitur cavendum eſt ne pravæ cupiditates nos ſollicitent, & frenum nobis injiciendum: deinde ne profani Dei contemptores oleum addant camino. Quæritur hic an carnes appetere nefas ſit: quod ſi aſſeritur, omnes pariter appetitus damnandi erunt. Reſpondeo, Non ideo excanduiſſe Deum quod carnium deſiderium Iſraëlitas pupugerit: ſed primum diſplicuit contumacia, quod velut invito Deo qui eos volebat ſolo Man contentos eſſe, carnem edere concupiverint: deinde intemperies ac violentus fervor. qua ratione dicit Moſes concupiviſſe concupiſcentiam: ſignificans frena ſibi laxaſſe, ne quem tenerent modum. Tertio ingratitudo, quæ hic perſtringitur, *Pſal. 78. verſ. 23.* ſed apertius damnatur in Pſalmo: ubi exprobrat Propheta Deum nubibus mandaſſe deſuper, & januas cæli aperuiſſe, ut frumento cæleſti & pane Angelorum ipſos paſceret: & tamen ne ſic quidem fuiſſe cohibitos quin ſpreto tam ſingulari beneficio, ſeſe ad illicitam intemperantiam projicerent. Nota eſt moderationis regula, & ſobriæ frugaliſque vitæ, quam *Philip. 4. verſ. 12. Rom. 13. verſ. 14.* præſcribit Paulus: ut ſciamus ſaturari & eſurire, abundare & penuriam pati. Nota etiam ejus admonitio eſt, ne carnis curam agamus ad concupiſcentias. Cohibenda igitur omnis laſcivia, ne aliud appetamus quam licet: deinde ne appetitus noſtri modum *1 Cor. 10. verſ. 6.* excedant. Itaque alibi hoc exemplum commemorans, timendum eſſe Dei judicium admonet: ne ſimus concupiſcentes rerum malarum: hac nota turbulentos & effrenes appetitus à moderatis & rectè compoſitis diſtinguens. Quærendo, Quis dabit carnes? aliunde exoptant quam à Deo qui large cibum illis ſuppeditabat, ſed diverſi generis. Videmus itaque bruto & cæco impetu fuiſſe tumultuatos. Neceſſitas enim divinitus erat impoſita, ut Man ſolum comederent. huic tanquam feroces & præfractæ beſtiæ obluctantur: acſi libidini ſuæ ſubjicere Deum vellent.

5. *Recordamur piſcium.*] Hac victus prioris comparatione extenuant præſentem Dei gratiam. Neque tamen exquiſitas lautitias recenſent, ubi de porris & alliis & cepis loquuntur. Ideo ſic quidam reſolvunt, Quum vulgo proſtaret tanta copia & varietas, quam nobis grave & moleſtum eſſe debet majoribus deliciis privari? Ego tamen homines plebcios, qui tenuiter victitarant, conſuetos cibos laudare exiſtimo, non ſecus ac maximas lautitias. Certe ruſtici homines & opifices ſuillam vel hubulam carnem, caſeos & lacticinia, cepas & braſſicas non minoris æſtimant quam magna pars divitum cibos ſumptuoſos. Odioſe ergo magnificiunt Iſraëlitæ quæ per ſe erant vilia: idque ut pravum deſiderium plus ſatis incitatum magis exacuant. Nec tamen dubium eſt quin oleribus aſſueti, & piſcibus, putaverint talibus alimentis ſe felices ac beatos. Porro in genere, augendæ invidiæ cauſa, dicunt ſe gratis comediſſe quod exiguo pretio emebant. quanquam hic linguis omnibus tritus eſt loquendi modus. Nec mirum eſt vile fuiſſe talium rerum pretium. Piſcoſum enim eſſe totum illud maris littus teſtantur etiam profani ſcriptores. Uberrima etiam eſt Nili piſcatio, & pars opulentiæ Ægypti. Jam quum irrigua ſit illa regio, oleribus & hortenſium fructuum copia abundat.

6. *At nunc anima noſtra.*] Queruntur ſe fame & inedia prope tabeſcere, quum Man illis ad ſatietatem ſuppeteret: ſicuti nuper pauxilla pecunia victum ſe in Ægypto emiſſe jactabant: acſi magna annonæ caritas illos premeret, quum mera Dei liberalitate proſtaret cibus omnium maxime parabilis, adeoque paratus abſque opera & ſumptu. Verum ea eſt hominum malignitas & ingratitudo, totam Dei largitatem pro nihilo ducere, dum importunis ſuis cupiditatibus inhiant. Multi ſua ingluvie abſumunt & redigunt in nihilum quæcunque illis Deus largitur: alii ſua avaritia inexhauſtum alioqui ejus liberalitatis fontem exſiccant. Hi vero in magna affluentia ſe aridos eſſe dicunt: quia inexplebilis cupiditas eos urebat ne ipſos Dei benedictio, quantumvis ampla, ſatiaret. Sic pluvia duram rupem irrigando, non tamen ipſam intus madefaciet, nec ejus ſiccitatem temperabit humore ſuo. Quoniam igitur omnia Dei beneficia contemptus tanquam uredo corrumpit: ut nobis ad uſum ſufficiant, diſcamus ſuum illis honorem tribuere. Ita in nobis illud implebitur, Juſtus inſtar *Pſal. 92. verſ. 13.* palmæ florebit, tanquam cedrus Libani multiplicabitur: plantati in domo Domini, in atriis Dei florebunt, adhuc in ſenectute pingues & virides erunt. Neque enim fruſtra toties Scriptura aſſerit, Deum ſatiare animas famelicas, & eſurientibus cibum largiri. Queruntur nihil præter Man oculis ſuis occurrere: acſi in unius optimi cibi copia faſtidium penuria eſſet.

7. *Man autem ſicut ſemen.*] Hoc jam 16. capite Exodi attigerat Moſes: nunc vero iterum sepetit, quo perverſam cupiditatem gravius damnet. Quid enim indignius ac minus ferendum quam cibum aſpectu & ſapore delectabilem ita reſpuere? Eadem ratione Propheta in Pſalmo commemomt, homines pane Angelico & frumento cæleſti non fuiſſe contentos. Hic pro colore albo ponitur color Bedola lapidis pretioſi, ſive ſit margarita, ſive alia ſpecies. Jam ergo forma ipſa ad ipſos exhilarandos valere debebat. Quum vero ſine magno labore, molendo vel terendo, diverſos inde cibos conficerent, & quidem ſuaves ac jucundi ſaporis: eo fœdior ingratitudo fuit obſtrepere, acſi parum liberaliter ipſos aleret Deus.

10. *Audivit itaque Moſes populum.*] Mira & prodigio ſimilis populi amentia, quod lugent omnes quaſi ad ultimam deſperationem redacti. Quid facturi erant in fame? Quid ſi rodendæ fuiſſent amaræ & nullius fere ſucci radices? Quid ſi inſipido & noxio pane fuiſſet victitandum? Videmus ergo ut homines pravis cupiditatibus indulgendo, miſeros ſe ultro faciant in ipſa felicitate. Ergo ne ipſi ærumnas, moleſtias, & quamlibet doloris materiam nobis accerſamus, importunos affectus diſcamus frenare: quia ſi rite expenditur cauſa, dum ſe triſtitia & fletu homines affligunt, reperiemus ut plurimum, quum tolerantia malum poſſit mitigari, dolorem augeri præpoſtera affectatione. Sed hic fœdum luxuriæ exemplum proponitur, quod faturi perinde plorant acſi longa inedia mortem illis minitaretur. Quod Moſi diſplicuit tanta perverſitas, ſancti zeli & laude digni fuit: ſed exceſſus vitio non caruit. Injuſte enim cum Deo expoſtulat, quod onus ſibi nimis grave impoſuerit, quum tamen ejus virtute ſe fulciti agnoſceret. Provincia quidem erat difficilis & laboriosa: ſed quum admirabile Dei auxilium expertus eſſet quoties ſub onere gemuerat, non fuit querimoniæ locus. Jam quum ſingulari honore fuiſſet ornatus, ingratitudinis ſuit Dei beneficio notam dedecoris inurere. Pro ſummo malo reputat, ſibi injunctam eſſe populi regendi curam. Atqui omnes ejus ſenſus rapi potius decebat in admirationem, quod Deus ipſum eligere populi ſui redemptorem, & admirabilis potentiæ ſuæ miniſtrum dignatus erat. Hoc quoque perverſi judicii fuit, quærere an genuiſſet vel peperiſſet populum. perinde vero acſi non ſatis eum obſtringeret

voca-

vocatio, aut nullum aliud esset quam naturæ vinculum. Deus quidem affectum parentibus indidit erga suos fœtus ut incredibiles pro ipsis molestias libenter devorent: sed alia pietatis ratio Mosen obstrinxit: quia ex Dei mandato pater erat populi. Quare non tantum naturam respicere debuit, sed officii sui necessitatem.

13. *Unde mihi caro.*] Juste quidem populum accusat, & negat sibi in manu esse carnes, quibus saturetur tanta multitudo: sed non recte cum Deo expostulat, quasi supra vires oneretur. Nam Deus quum sciret tot difficultatibus esse imparem, Spiritus sui virtute eum sustinebat. Gravissime vero peccavit in ipsa querimoniæ clausula, postulans à Deo interfici. In quibus verbis perspicimus quorsum prorumpant optimi quoque Dei servi, ubi affectibus suis plus æquo indulgent. Votum enim desperationis est, petere ut tollatur è medio, ut mors finem ærumnis nostris afferat. Quum eo Mosen electissimum Dei servum præcipitaverit doloris impetus, quid nobis non accideret, si in cordibus nostris impatientia dominaretur? Ergo huic morbo discamus mature occurrere.

Ex eodem Capite.

16. Tunc dixit Jehova ad Mosen, Congrega mihi septuaginta viros è senioribus Israël, quos nosti seniores esse populi & principes ejus, adducasque eos ad ostium tabernaculi conventionis, ut adstent ibi tecum.

17. Tunc descendam, & loquar tecum ibi, & separabo de Spiritu qui est in te, & ponam in eis: ut sustineant tecum onus populi, & non sustineas tu solus.

18. Ad populum autem dices, Sanctificamini in crastinum, & comedetis carnes: flevistis enim in auribus Jehovæ, dicendo, Quis comedere faciet nos carnes? certe melius erat nobis in Ægypto. dabit enim Jehova vobis carnes, & comedetis.

19. Non uno die comedetis, neque duobus diebus, neque quinque diebus, neque decem diebus, neque viginti diebus tantum:

20. Sed usque ad mensem dierum, donec egrediatur è naribus vestris, & sit vobis in abominationem: propterea quod contempsistis Jehovam qui est in medio vestri, & flevistis coram eo, dicendo, Ut quid egressi sumus ex Ægypto?

21. Et dixit Moses, Sexcentorum millium peditum est populus in cujus medio ego sum: & tu dicis, Carnem dabo eis: & comedent mensem dierum.

22. Numquid oves & boves jugulabuntur eis, & sufficient illis? an omnes pisces maris congregabuntur illis, & sufficient eis?

23. Tum dixit Jehova ad Mosen, Numquid manus Jehovæ abbreviabitur? nunc videbis utrum eveniat tibi verbum meum, an non.

16. *Congrega mihi septuaginta.*] Obtemperat Deus voto Moisi, dum septuaginta ei adjungit comites, quorum opera & subsidio levari queat parte aliqua laboris: non tamen sine indignationis signo: quoniam ex ejus Spiritu tollens quod aliis distribuat, ignominiæ notam, qua dignus erat, infligit. Scio quibusdam aliter videri, nihil scilicet Mosi fuisse detractum, sed alios nova gratia fuisse præditos, qua solus Moses antehac excelluerat. Verum quum verba clare sonent, Deum illos facturum esse participes gratiæ quam à Mose ipso accipiet, argutiam illam minime admitto. Citatur locus ex 27. capite Geneseos, ubi dicitur, Annon reservasti mihi benedictionem? sed quum diserte exprimit Deus, Ponam seorsum ex Spiritu tuo qui est in te, minime dubium est quin diminutio notetur. Quantisper enim solus Moses præfectus erat regendo populo, necessariis Spiritus donis ita instructus erat ut facultas magnitudine laboris non esset inferior. Nunc Deus sic alios promittit fore socios, ut dona sua inter omnes partiatur. Mihi ergo dubium non est quin hæc partitio pœnam in se contineat. Unde colligere licet utilem doctrinam: quo plus unicuique difficultatis Deus imponit, eo etiam liberalius cum eo agere, ut muneri suo sufficiat. Itaque in ejus arbitrio esse positum per unum hominem æque potenter atque per centum vel mille operari. Neque enim turba indiget: sed prout visum est, nunc sine hominum opera, nunc per manum hominum, opera sua exequitur. In summa, oblique exprobrat Deus Mosi crassam ingratitudinem, qua derogabat admirabili gratiæ quæ hactenus in ipso refulserat: & minorem, quoad præstantiam Spiritus, fore denunciat posthac: eo quod molestiam à se rejiciens, Spiritus dona quodammodo dissipaverit. Laude quidem digna modestia est, si imbecillitatis nostræ conscii arduas provincias refugimus: sed hoc prætextu nos ab officio subducere, & spreta vocatione Dei jugum excutere, nimis absurdum est. Porro nomen Spiritus hic (ut alibi frequenter) ad dona ipsa transfertur: quasi diceret, Depositum apud te dona quæ sufficerent ad populum regendum: nunc quando recusas, suum cuique modum distribuam, ut Spiritus gratia, quæ residebat in te uno, dispersa inter plures appareat. Quæritur nunc quomodo segregaverit Moses septuaginta, suone tantum judicio, an populi suffragiis. Vulgari consensu receptum est senos fuisse electos ex quaque tribu, atque ita fuisse septuaginta duos: sed brevitatis causa duos fuisse omissos: sicuti apud Romanos Centumviri dicti sunt, quum tamen centum essent & quinque. singulæ enim tribus, quæ numero triginta quinque erant, ternos præsiciebant Centumvirali judicio. Quia probabilis sententia est, in medio relinquo. Simul tamen retineo quam alibi conjecturam attuli: quia ducentis & viginti annis incredibili modo aucta fuerat Abrahæ soboles, ne unquam excideret tale Dei miraculum, electos fuisse septuaginta pro numero Patrum qui descenderant in Ægyptum cum Jacob. Et certe videtur hic fuisse illis quasi facer numerus: ut in memoriam revocaretur exigua illa manus à qua traxerant originem. Nam antequam Lex promulgaretur, justus fuit Moses septuaginta secum accipere, qui ipsum in montem deducerent, ut essent oculati gloriæ Dei testes. Interea non inficior duos fuisse supra numerum septuagenarium: sed tantum ostendo cur numerum hunc definierit Deus: nempe ut populi duces & capita restringeret ad familiam Jacob, quæ principium erat gentis & nominis. Sane quum ad sumendas è manu Dei tabulas ascenderet Moses in montem Sinai, duxit secum septuaginta præfectos. unde colligitur, jam tunc electos fuisse eo numero qui honore præcellerent: quamvis gubernandi provincia, cujus nunc fit mentio, nondum illis injuncta esset. Ac verisimile est, eosdem illos qui essent electi fuerant duces, ad novum & insolitum munus fuisse vocatos.

catos. quod etiam verba ſonant. Certum quidem eſt, ubi ab exilio Babylonico reverſi ſunt Judæi, quia regem creare non licebat, hoc exemplum fuiſſe imitatos in conſtituendo ſynedrio. Tantum hoc honoris datum fuit memoriæ Davidis & regum, ut ex illorum ſtirpe eligerent ſeptuaginta ſuos præfectos, penes quos ſumma eſſet rerum omnium poteſtas. Atque hæc ratio gubernationis duravit ad Herodem uſque, qui totum illud concilium, à quo damnatus fuerat, abolevit, omnibus è medio ſublatis. Quanquam exiſtimo non tantum ulciſcendi cauſa eum ad hanc cædem fuiſſe impulſum: ſed ne regii generis dignitas obſtaret ejus tyrannidi. Notandum autem eſt, quod tametſi novam gratiam promittit Deus ſeptuaginta viris, non tamen vult temere ex vulgo ſumi: ſed diſerte ex ordine ſeniorum, & ex capitibus populi deligi jubet, qui ſcilicet auctoritate polleant, & jam experimenta dederint ſuæ induſtriæ ac virtutis. Ita quamvis hodie dum ad functionem vocat & Eccleſiæ paſtores & magiſtratus, novis eos dotibus inſtruat: non vult tamen promiſcue (ut quiſque fuerit obvius) in gradum honoris attolli, ſed haberi delectum ex ſpiritualibus donis, quibus inſignit & commendat quos deſtinavit ad eximium aliquod munus. In ſumma, jubet eligi maxime idoneos: poſtquam vero electi fuerint, promittit ſe additurum quod adhuc deeſt. Hac de cauſa præcipit, ut ſe ſiſtant ad oſtium tabernaculi, ut inde gratiam ſuam exerereт. Quanquam duas quoque alias rationes ſpectatas fuiſſe arbitror: nempe ut ſcirent divinitus ſibi munus injunctum, atque ita ſemper attenti eſſent ad cæleſte tribunal, ubi reddenda eſſet ratio: deinde ut veneratio accederet ex circumſtantia ipſa loci, ac populus ſe tanquam Dei miniſtris ſubjiceret. Porro tametſi hodie Deus in viſibili tabernaculo non habitat: monemur tamen hoc exemplo non aliter recte ordinari Paſtores & Magiſtratus, niſi in Dei conſpectum ſiſtantur: nec aliter rite inaugurari in munus ſuum, niſi quum ſe Deo ipſi conſecrant, & reverentiam illis vicißim conciliat ejus majeſtas. Longius hunc locum torquet Cyprianus (ſed neſcio an ſatis firma ratione) Epiſcopos non eſſe eligendos, niſi totius populi conſenſu.

18. *Ad populum autem dices.*] Alterum reſponſi membrum, quod ad præſentem cauſam dirigitur: ut populus ſe comparet ad explendam ſuam edacitatem. Etſi autem verbum קדש præparare ſignificat, melius tamen quadrare viſa eſt propria ſignificatio. Itaque retinui ſanctificandi verbum. quod tamen per antiphraſin hic ponitur: quia non tam eos hortatur Moſes, ut omnibus inquinamentis purgati, pie & ſincere gratiam Dei recipiant, quam profanam eorum brutamque ingluviem caſtigat. Alii ſimpliciter exponunt acſi dictum eſſet, Acuite dentes, & ventres parate: ſed (meo judicio) ſubeſt tacita exprobratio, quod fœdo & impio deſiderio polluti, paternæ Dei gratiæ capaces non ſint. Subjicitur enim, Comedetis carnes: quia fletus veſter & querimonia pervenit ad aures Dei. Quibus verbis ſignificat, importunis clamoribus iram Dei provocaſſe, ut nonniſi mortiferum cibum devorent. Et paulo poſt clarius exprimitur, donec egreſſus eſſe cum ſua protervia, quibus exitialis ſit Dei largitio. Toto menſe, inquit, vos ingurgitabitis, donec exeat per nares veſtras, & ſit vobis in deteſtationem. Comparat autem eos helluonibus, qui uſque adeo ſe crapula obruunt, ut qnod vorarunt nimis avide, vomere paulo poſt cogantur, vel ſaporem exuperantis copiæ abominentur quaſi fœtidum nidorem. Id ſignificat exire vel efflari è naribus. אף quod nos vertimus abominationem, proprie diſperſionem ſignificat: ſed intelligit Moſes projecturos eſſe ſpuendo vel excreando tanquam aliquid rejectitium.

Pſal. 78. verſ. 30. Si quis objiciat quod in Pſalmo ſcribitur, nondum fuiſſe alienatos à ſuo deſiderio: ſolutio in promptu eſt, illic perſtringi effrenem ingluviem, acſi gurgites vocaret, quibus explendis nulla abundantia ſufficit. Ergo quamvis immodica copia turgerent, Propheta dicit non fuiſſe ſaturatos: ſed immenſa voracitate ſic fuiſſe accenſos, ut ſola Dei vindicta modum impoſuerit. Ratio autem apprime notanda eſt, quod reſpuerint Deum, qui erat in medio ipſorum. Quibus verbis eripitur erroris vel incogitantiæ excuſatio. Nam ſi probandæ eorum patientiæ cauſa Deus virtutem ſuam fubduxiſſet, terror ex ejus abſentia conceptus, fuiſſet forte tolerabilis. Nunc vero quum certa experientia cognoſcant alimenta ſibi divinitus ſuppeditari, deliberatam malitiam produnt in præſentia beneficentiæ contemptu. Nam Deum eſſe in medio ipſorum tantundem valet atque ſigna manifeſta dare tam immenſæ potentiæ quam paterni favoris. Quibus verbis docemur, prout nobis gratiam ſuam Deus propius manifeſtat, minus eſſe excuſabiles, ſi eam ita liberaliter oblatam vilipendimus. Quod ſequitur, videri poſſet non magna reprehenſione dignum, eos ſcilicet fleviſſe coram Deo. ſed continuo poſt exprimitur ſceleris atrocitas, quod ægre tulerint ſuum egreſſum ex Ægypto: quia id erat non modo repudiare liberationem, quam tantopere optaverant, ſed cum Deo litigare, quod exaudito eorum clamore miſeros & perditos redimere dignatus eſſet.

21. *Sexcentorum millium.*] Quanquam ad rectum finem tenderet Moſes, ſua tamen incredulitate lapſus eſt, atque adeo in ipſo limine impegit. Pia quidem ſollicitudo eum impulit ad dubitationem: quia timebat ne deriſui & probris exponeret ſacrum Dei nomen, ſi inanes dimitteret quibus pollicitus eſſet cibum. Atqui incredibilis res viſa eſt carnibus tantam multitudinem repleri poſſe. Sexcenta millia dicendo, vel non exacte omnes ad unum numerat, vel ſignificat aliquos ab egreſſu, in quo populum recenſuerat, periiſſe. Veriſimile tamen eſt reſpexiſſe ad cenſum nuper actum, in quo reperta fuerant ſexcenta tria millia quingenti & quinquaginta: ſed brevitatis cauſa præcipuam ſummam poſuiſſe, ſicuti alibi eundem numerum poſuit, omiſſis tribus millibus, quingentis & quinquaginta. Cæterum pedites vocando, viros deſignat: atque ita mulieres & parvulos excipit. Certe potuit tanta multitudo eum reddere attonitum, vel ſaltem terrorem injicere, ut promiſſioni diffideret. Bis tamen vitioſa fuit dubitatio: primum quia non ſimpliciter acquievit, acſi non ſatis perſuaſus eſſet Deum eſſe in omnibus ſuis dictis veracem: deinde quia inæſtimabilem Dei potentiam ſenſu ſuo metiri perperam in animum induxit. Diſcamus ergo, ſimulac loquutus eſt Deus, ſine diſceptatione ampleƈti quicquid ex ejus ore profectum eſt: deinde noſipſos & mentes noſtras in ordinem cogere pariter diſcamus, ac interea fide ſupra mundum & naturæ rationem conſcendere: ut nulla nos abſurditas impediat quam nobis caro objiciet, quin certo ſtatuamus Deum ſua potentia facturum quicquid promiſit. Nimis enim perverſa æſtimatio eſt, ad communem regulam exigere Dei opera: acſi non latius pateret ejus virtus quam ſe mentes noſtræ extendunt. Itaque diligenter notanda eſt objurgatio: qua ſic Moſen Deus ſemel compeſcuit, ut hodie omnes diffidentiæ morbos corrigere & ſanare debeat. Immenſitas enim manus Dei coarguit hominum ſtultitiam, qui eam arbitrio ſuo & legibus ſubjiciunt. Nam ut manum ſuam non extendat Deus, pugillo, ut dicitur apud Jeſaiam, cælum & terram comprehendit. Cujus ergo veſaniæ eſt manum hanc quæ centum mundos ſuperat, velle ſenſu noſtro capere, & quaſi tenere incluſam? Ergo ſimulac diffidentia nobis ex difficultatibus obrepet, veniat in mentem hæc ſententia, promiſſiones Dei non excedere virtutis modum, quin opere compleat quicquid pronunciavit. Porro interrogatio hæc, An manus Dei ſit imminuta, duobus modis exponi poteſt. Nam vetus Interpres reddidit, Eſtne invalida Dei manus? Sed videtur Deus

Exod. 14. Num. 1. verſ. 46. Exod. 12. verſ. 37.

Iſa. 40. verſ. 12.

expe-

experimenta proferre in medium, quibus ſuam potentiam teſtatus eſt, non modo in cæli & terræ creatione, ſed in tot miraculis nuper editis: acſi Moſis ingratitudinem perſtringeret, qui in præclaris illis documentis tam male profecerat. Hoc enim ſenſu
Iſa. 59. idem verbum uſurpat Jeſaias, ubi dicit, Ecce, non eſt abbreviata manus Domini. Dubium vero non eſt quin ſuperiorum temporum beneficia commendet, in quibus populus ſalvificam Dei potentiam expertus erat. Futurum verbi tempus retinui, quia ſenſum non obſcurat. Tantundem enim valet acſi dictum eſſet, An ſolito nunc debilior erit Dei manus, ne virtutem quæ antehac cognita fuit exerat?

Ex eodem Capite.

24. Egreſſus eſt autem Moſes, & retulit ad populum verba Jehovæ: congregavitque ſeptuaginta viros è ſenioribus populi, quos ſtatuit in circuitu tabernaculi.

25. Tunc deſcendit Jehova in nube, & loquutus eſt ad eum: & ſeorſum accepit de Spiritu qui erat ſuper eum, poſuitque ſuper ſeptuaginta viros ſeniores: & fuit ut requieſcente in eis Spiritu prophetaverint: & non addiderunt.

26. Remanſerunt autem duo viri in caſtris, nomen unius Eldad, & nomen alterius Medad: ſuper quos etiam requievit Spiritus (erant vero inter ſcriptos, ſed non egreſſi fuerant ad tabernaculum) & prophetare cœperunt in caſtris.

27. Et cucurrit puer quidam, & nunciavit Moſi, dixitque, Eldad & Medad prophetant in caſtris.

28. Tunc reſpondit Jehoſua filius Nun miniſter Moſis ex juvenibus ejus, & dixit, Domine mi Moſes prohibe eos.

29. Cui reſpondit Moſes, Numquid æmularis tu propter me? & utinam univerſus populus Jehovæ Prophetæ eſſent, atque ut daret Jehova Spiritum ſuum ſuper eos!

24. *Egreſſus eſt autem Moſes.*] Hic videmus quantum Moſi profuerit brevis caſtigatio: quia nunc alacriter quod mandatum eſt peragit. Remoram injecerat dubitatio, ut ſubſiſteret in medio curſu; nunc obſequii promptitudine teſtatur ſubactam eſſe diffidentiam. Nam ſicut homines exanimat incredulitas, ut ignavi jaceant; ita animæ & corpori vigorem inſpirat fides, ut officio ſuo ſtrenue fungantur. Etſi autem diſerte in contextu non refert ſe de carnibus verba feciſſe, generaliter tamen oſtendit ſe nihil prætermiſiſſe. Et vero minime decebat nonniſi de ſeptuaginta ſenioribus agere, quum principium totius mali fuiſſet carnes appetere. Uno igitur verbo perſtringens, ſe Dei mandata ad populum detuliſſe, utramque partem hiſtoriæ deſignat, cujus alteram deinde proſequitur. Ac primo dicit ſeniores fuiſſe vocatos ad tabernaculum, ut illic crearentur duces ac præfecti. Quod dicit locatos fuiſſe per circuitus, non ita præcipit interpretor acſi ad duo latera diſpoſiti fuiſſent octodeni, dimidia pars coram atrio ſtetiſſet, reliqui vero fuiſſent à tergo tabernaculi: ſed ita fuiſſe locatos, ut aliquas ſaltem partes tabernaculi circumdarent. Id autem perinde valuit acſi coram Deo ſiſterentur: ut majore auctoritate, tanquam ab ipſo miſſi, munus ſuum deinde exercerent: ſimul ut ſe Deo addicerent, ac dicarent in obſequium, atque ut neceſſariis dotibus ornati geſtarent vocationis ſuæ ſigna. Qua ratione paulo poſt ſubjicitur, datum illis fuiſſe ex Spiritu Moſis quantum cuique ſatis eſſet ad obeundas officii ſui partes. Etſi enim compertæ virtutis & peritiæ homines elegerat Moſes ex Dei mandato, iterum deintegro formari oportuit, quo efficax eſſet vocatio. Quod dicuntur prophetaſſe, viſibile ſymbolum fuit donorum Spiritus, quæ ad alium uſum ſpectabant. Non enim creati fuerant Prophetæ: ſed voluit Deus hac externa nota teſtari novos eſſe homines, quo majore reverentia eos exciperet populus. Prophetia autem hic tantundem (meo judicio) valet ac eximia facultas magnifice differendi de rebus arcanis, vel myſteriis. Scimus Poëtas à profanis ſcriptoribus Prophetas ideo vocari, quod ipſa Poëtica θεοπνευστία ſapiat. Eodem ſenſu rara dexteritas in qua fulgebat afflatus Spiritus, no-
1 Sam. 10. verſ. 10. men Prophetiæ obtinuit. Sic donum prophetandi in Saule fuit quaſi inſigne regium: ne abſque teſtimonio ad regnandum accederet. Itaque nonniſi ad breve tempus viguit in illis ſpiritus Propbetiæ: quia ſatis erat ſemel fuiſſe divinitus inſignitos. Ita enim accipio quod continuo poſt dicit Moſes, eos non addidiſſe. Quod enim referunt quidam ad præteritum tempus, nimis coactum eſt. Fateor quidem non antea fuiſſe Prophetas: ſed minime dubito notari temporale donum: quod idem & de Saule narratur. Simul enim ac ſpecimen Dei gratiæ in ipſo apparuit, ceſſavit prophetare. Senſus eſt igitur, exiguo temporis ſpatio probatam fuiſſe eorum vocationem, ut res inſolita plus admirationis haberet.

26. *Remanſerunt autem.*] Qui factum ſit ut non apparuerint inter alios, incertum eſt. Fuiſſe quidem accitos à Moſe, minime dubito. nec eadem qua reliqui Spiritus gratia donati eſſent, ſi contemptu vel ignavia non veniſſent ad tempus condictum. Probabili ergo ratione elicimus non fuiſſe vocatos, quia non fuerint reperti. Hinc factum eſt, ut eorum ignorantiæ Deus ignoverit. Quanquam ſimul notandum eſt, arcano Dei conſilio fuiſſe retentos, ut illuſtri documento apud promiſcuum vulgus innotefceret ejus gratia, cujus non omnes oculati erant teſtes. Neque enim ad tabernaculum major pars convenerat. Ergo ut longius manaret fama, & ad infimos uſque perveniret, voluit etiam Deus in mediis caſtris perſpici novum illud & ſingulare Spiritus ſui donum, ne quis ex rudibus & craſſo vulgo inſcitiam obtenderet. Et apparet miraculo fuiſſe omnes commotos: quia adoleſcens cujos ſit mentio, nonniſi rei novitate perculſus, ad Moſen accurrit, ut perferret incredibilem nuncium.

28. *Tunc reſpondit Jehoſua.*] Dubium non eſt quin ſtulta hæc ac præpoſtera zelotypia ex bono fonte manaverit. Videbat Jehoſua Moſen ita præ aliis omnibus excellere, ut poſt Deum merito eſſet caput populi. Timuit igitur ne ſi quid decederet ex ejus præſtantia, diſſiparetur gratia Dei, & peſſum iret. Et ſcimus ut omnis fere mutatio noxia ſit, & publici ſtatus concuſſionem ſecum ferat. Ergo in aſſerendo jure Moſis, quantum in ſe erat conſulere voluit omnium ſaluti: ſed zeli exceſſus turbidum aliquid admixtum habuit ex immodico ſtudio & amore, quo Moſen proſequebatur. Sicuti nobis ſæpe contingit, quamvis rectum finem in votis noſtris ſpectemus, ad erraticos tamen affectus delabi. Ergo maximos Chriſti ſervos ſic revereri diſcamus, ut ſolus Deus ſuperemineat: & qui ſummus eſt inter omnes, maneat tamen in ſuo gradu. Hoc fiet ſi principium
1 Cor. 12. verſ. 4. iſtud teneamus, diverſa quidem eſſe dona, ſed unum Spiritum à quo fluunt: varias eſſe adminiſtrationes,

ſed

sed unum esse Dominum cui serviendum sit. Quod
Ephes. 4. vers. 7. idem alibi confirmat Paulus, ubi docet sic distribui dona, ut nemo uous omnia obtineat, sed singuli pro mensura donationis Christi.

29. *Respondit Moses.*] Duplex potest esse sensus. Quidam ita accipiunt ac si dixisset Moses, Tua nihil interest si quid jacturæ fecero: ac si quid mihi detrahitur, meum esset, dolere & invidere, non tuum. Atqui Mosen simplicius loquutum esse arbitror, acsi dixisset, Vide quantum abs te dissentiam. Ego enim cujus causam susceipere te putas, cuperem spiritu Prophetico omnes donati. Hinc optime refellitur stulta æmulatio quæ Dei benedictionem cohibebat, summis piorum omnium votis exoptandam. Interea perspicitur singularis Mosis humanitas & modestia, quum nulla ambitio, vel privatæ dignitatis ratio impedit quominus libenter etiam minimos quosque io societatem admittat. Si quis objiciat, Deo placere ad commendandam doni præstantiam raros esse in Ecclesia Prophetas, ac proinde non satis considerate Mosen petere quod pugnat cum hoc Dei consilio: responsio in promptu est, Quamvis in ordinaria ejus dispensatione sancti acquiescant, ac persuasi sint rectissimum esse quem statuit ordinem, pin tamen desiderio quod sibi datum est communicare cum aliis omnibus: ut sustineant esse postremi magis quam fratribus perfectionem invideant. In summa, Moses nihil sibi fore jucundius testatur quam si gratiam Prophetici spiritus Deus in totum populum diffundat, ut à minimo usque ad maximum ejus siot participes.

Ex eodem Capite.

30. Recepit autem se Moses ad castra, ipse & seniores Israël.

31. Et ventus egressus est à Jehova, adduxitque coturnices è mari, & demisit ad castra: quasi itinere diei hinc, & itinere diei illinc, per circuitum castrorum, & fere ad duos cubitos super faciem terræ.

32. Tunc surrexit populus toto die illo, & tota nocte, totoque die sequenti, & collegerunt sibi coturnices: qui pauciores collegit, collegit decem cumulos: & expanderunt sibi expandendo per circuitus castrorum.

33. Caro adhuc erat inter dentes eorum antequam conciſa esset: tum furor Jehovæ exarsit in populum, percussitque Jehova populum plaga magna admodum.

34. Et vocatum est nomen loci illius Cibroth-hathaavah: quia ibi sepelierunt populum concupiscentem.

35. De Cibroth-hathaavah profecti sunt populus in Haseroth, & substiterunt in eo loco.

30. *Recepit autem.*] Quanquam septuaginta creatis quisque se in stationem ac domicilium suum contulerit, minime tamen dubium est prænonitos fuisse de futuro miraculo, ut omnes ad eventum, qui mox narratur, attenti fuerint. Quod dicitur ventus à Deo profectus qui coturnices advcheret, non alia ratione factum est quam ut palam ostenderet Deus suo imperio subesse quicquid sub cælo est, & præsto esse ad obsequium. Potuit certe solo nutu creare coturnices, sicuti Man è cælo pluebat. Nec vero naturale fuit ventorum impetu tantam avium copiam in unum locum projici & coacervari: sed venti adminiculo
Psal. 104. vers. 4. usus, testatum fecit quod in Psalmo scribitur, Ventos esse ejus nuncios, & ferre ipsum suis alis: quoniam sua celeritate subito ab Ortu usque ad Occasum perferunt ejus mandata. Porro etsi in genere verum est ventos ab ipso manare, ut nihil aliud sint quam ejus flatus, nec aërem vel tantillo motu agitari nisi ejus arbitrio: hic tamen insolitum miraculum exprimitur, sicut ante in transitu maris Rubri. Longius progreditur in Psalmo Propheta, quod Deus ventum orientalem pergere fecerit in cælis, & excitaverit virtute sua Austrum. quibus verbis significat perculsum fuisse totum aërem, quum ex diversis plagis subito coorti sunt venti, qui ingenti avium copia terram undique cooperirent. Quod dicit itinere diei unius terram fuisse repletam, non ita intelligo acsi aves mortuæ tam procul jacuissent: sed quia densis acervis tantum terræ spatium occupaverint, & quidem
Psal 78. vers. 26. continuo agmine. Quod etiam ex Psalmo colligitur, ubi dicit Propheta cecidisse in medium castrorum, & perlatas fuisse ad tabernacula ipsorum in circuitu. Quod tamen de altitudine duorum cubitorum additur, non ita interpretor ut quidam, volatu scilicet non ultra duos cubitos elatas fuisse, quo facilius manibus capi posseot: sed tantam fuisse congeriem ut singuli auferrent quantum poterant gestare. Nam & huc pertinent magnifica elogia quibus miraculum in Psalmo extollitur, Pluit super eos quasi pulverem caroem, & quasi arenam maris, volucrem pennatam. Quomodo autem expanderint eas per circuitum, mihi non satis liquet: nisi forte in aviariis aut caveis reconditæ fuerint, & quotidie depromptæ in eibum.

33. *Caro adhuc erat.*] Diem certum non designat Moses, nisi quod Deus non expectavit, donec fastidium adferret saturitas: sed in media edendi aviditate pœnam inflixit. Conjicere tamen ex superioribus licet datum illis fuisse tempus quo se ingurgitarent. Unde cognosci potest inexplebilis voracitas, quæ tot continuis diebus exarsit, nec potuit ulla affluentia sedari. Deus ergo tempus concessit quod ad illos saturandos abunde sufficeret, nisi prodigiosa fuisset ingluvies: & tamen eorum intemperantiam ultus est quum adhuc in ipsorum ore esset cibus. Repente igitur in ipsa crapula fuerunt deprehensi. Ideo in Psalmo dicitur, nondum fuisse alienatos à suo desiderio. Petinde acsi quispiam belluo plusquam guttur capit vorando, se strangularet. Neque id satietati repugnat, cujus nuper facta fuit mentio: quia utcunque copia turgeat venter, furiosa edendi libido nunquam restinguitur. Quo autem manifestius esset ea emplum, in ipso articulo Deus pœnam exigit: quia nulla potuit melior eligi opportunitas.

34. *Et vocatum est nomen.*] Tanti sceleris monumentum extare necesse fuit, ne filii patres imitarentur. Hactenus cibo & jucundo & salubri Deus ipsos aluerat: victum illicitum appetendo fuerunt in seipsis necandis venefici. Porro ingratitudo illa detestabilis merito fuit apud posteros: ideoque non absque Spiritus Dei instinctu impositum fuit nomen loco. Itaque Paulus admonet, in hac historia depictum esse nobis Dei judicium adversus pravas & vitiosas concupiscentias, ut discamus ipsi non concupiscere. Breviter autem exposui quatenus frenandi sint appetitus, & quid proprie sit intemperantia. *1 Cor. 10.*

NUMER. Cap. XII.

ET loquuta eſt Maria & Aharon contra Moſen propter uxorem Æthiopiſſam quam acceperat: uxorem enim Æthiopiſſam acceperat.

2. Et dixerunt, Numquid ſolummodo per Moſen loquutus eſt Jehova? nonne etiam per nos loquutus eſt? Et audivit Jehova.

3. Vir autem ille Moſes manſuetiſſimus fuit præ cunctis hominibus qui erant ſuper faciem terræ.

4. Ergo extemplo dixit Jehova ad Moſen, Aharon & Mariam, Egredimini vos tres ad tabernaculum conventionis. Et egreſſi ſunt ipſi tres.

5. Et deſcendit Jehova in columna nubis, & ſtetit ad oſtium tabernaculi: vocavitque Aharon & Mariam, & egreſſi ſunt ambo ipſi.

6. Quibus dixit, Audite nunc verba mea, Si fuerit Propheta vobis, ego Jehova in viſione apparebo ei, in ſomnio loquar cum eo.

7. Non ſic ſervus meus Moſes, qui in tota domo mea fidelis eſt.

8. Ore ad os loquor cum eo, atque in viſione: non autem per ænigmata, * neque per similitudinem Jehovæ aſpiciet. quare ergo non timuiſtis loquiaverſus ſervum meum Moſen?

* vel, ſed per.

1. *Et loquuta eſt Maria.*] Hiſtoria hæc ob multas cauſas apprime obſervatu digna eſt. Si fratris ſui honori placide ſemper & ex animo ſuffragati eſſent Aharon & Maria, nec eos perverſa impiaque æmulatio præcipites egiſſet, concordia eorum quantumvis ſanctæ ſiniſtris multorum judiciis in crimen tractæ eſſet, tanquam fallax & inſidioſa conſpiratio. Factum igitur eſt admirabili Dei providentia, ut germanus frater & ſoror litem de principatu moverint, ac Moſen è gradu in quo divinitus locatus erat, conati fuerint detrahere. Nulla enim ſuſpicio relicta fuit domeſtici favoris: ſed clare apparuit, Moſen, quum à ſuis oppugnaretur, ſola Dei virtute fulciri. Interea perſpicitur, ut ingenita ſit ambitio fere omnium animis, & ſimul quam furioſa & cæca ſit dominandi libido. Litem movent Aharon & Maria proprio fratri ob principatum. Atqui ſatis ſuperque experti fuerant, quem ever ſum cupiunt, manu Dei erectum fuiſſe, & manere firmum in ſuo ſtatu. Neque enim ſibi quicquam arrogaverat Moſes: ideoque fas non erat decus imperii, quod in ipſum contulerat Deus, ab hominibus labefactari. Adde quod ipſorum domum & nomen Deus nobilitaverat in perſona Moſis, ac in ejus gratiam ſuis ipſi quoque dotibus inſigniti fuerant. Quo enim jure prophetiæ donum adepta erat Maria, niſi ut inde ſanctior eſſet fratris poteſtas? Fœdior autem Aharonis ſuperbia & ingratitudo. A fratre in ſocietatem aſcitus fuerat: paſſus fuerat Moſes ad ipſum & ejus poſteros ſummum ſacerdotium transferri: qua ratione illis omnes ſuos ſubjecerat. Quid igitur eſt quod invideat Aharon fratri: quando tanta dignitas penes ejus filios reſidet, tota Moſis ſobole in ordinem coacta? Sic tamen excæcatus fuit, ut fratris honorem pro ſua contumelia reputaret: ſaltem, quoad præſtantiam, ſecundus ab ipſo eſſe non ſuſtinuit, quum tamen ſuperior eſſet ſacerdotii jure. Quo exemplo docemur quam ſollicite tam noxia peſtis cavenda ſit. Dicit apud tragicum Poëtam ſceleſtus frater, Si violandum jus eſt, imperii cauſa violandum eſt: ut hoc prætextu impune in proprium ſanguinem per fraudes & cædem graſſetur. Etſi autem hanc vocem omnes abominamur, clare tamen oſtendit ubi corda occupat regnandi cupiditas, non modo excidere ſtudium æquitatis, ſed humanitatem prorſus extingui, dum ita inter ſe confligunt fratres, quaſi in propria viſcera ſæviret. Ac mirum eſt, quum toties ac tam graviter omnium ætatum ſententiis vitium hoc damnatum fuerit, nunquam tamen eo purgatum fuiſſe humanum genus. Quin etiam Eccleſiæ Dei ſemper hic morbus, quo nullus eſt deterior, infeſtus fuit. Ambitio enim omnium errorum, omnium turbarum ac ſectarum mater fuit, ut hodie eſt. Hac quum infectus fuerit ipſe Aharon cum ſorore, quam facile multis obrepet? Jam ad verba deſcendo. Maria hic ante Aharonem ponitur, non honoris cauſa, ſed quia litem concitaverit, fratremque attraxerit in ſuas partes. Eſt enim mira ſexus muliebris ambitio. Et ſæpe non rixarum modo, ſed magnorum certaminum ſtabella fuerunt viris animoſiores fœminæ, ut earum intemperantia magnæ civitates & regiones concuſſæ fuerint. Non tamen ideo levatur Aharonis culpa, qui ſtultæ ſororis impulſu iniquum ſceleſtumque certamen cum fratre ſuſcepit, imo ſe hoſtem gratiæ Dei profeſſus eſt. Porro quia nihil cauſari licebat quin Moſes ipſe per ſe, ipſos longe præcelleret, dedecoris materiam quærunt in uxore: acſi dimidia ſui parte eſſet inferior, quod uxorem non ex ſua gente, ſed alienigenam duxiſſet. Aſpergunt igitur eum ignominiæ nota in perſona uxoris: acſi minime deceret cenſeri populi electi principem & caput, cujus conjux & thori ſocia eſſet profana mulier. Quod nonnulli aliam fuiſſe exiſtimant quam Sephoram, mihi non probatur: quia de morte Sephoræ nihil legitur: imo à patre Jethro reducta fuerat paulo ante Legis promulgationem. Polygamiæ autem probro onerare ſanctum Prophetam, nimis abſurdum eſſet. adde quod octogenarius ad novum conjugium minime aptus fuiſſet. Jam quomodo conciliatæ fuiſſent tales nuptiæ in deſerto? De Sephora ergo fieri ſermonem ſatis patet. quæ Æthiopiſſa dicitur, quia ſub hoc nomine Scriptura Madianitas comprehendit. Quanquam non dubito quin maligne nomen elegerint quod ad conflandum odium plus valeret. Frivola commenta quibus ludunt nonnulli, data opera prætereo. Agnoſcit autem Moſes ſibi non fuiſſe datum ut uxorem haberet ex ſancto genere Abrahæ.

2. *Numquid ſolummodo per Moſen.*] Dono Prophetico ſuperbiunt, quod ad modeſtiam potius debuerat ipſos inſtituere. Sed hæc eſt ingenii humani pravitas, non ſolum donis Dei in fratrum contemptum abuti, ſed impia & ſacrilega gloriatione ea ſic extollere ut auctoris gloriam obſcurent. Prophetici ſpiritum acceperant Aharon & Maria, ut in ipſis gratia Dei luceret: atqui inde nebulas ſpargunt ad lucem obtenebrandam quæ longe clarior erat in Moſe. Jactant ſe Prophetas: cur ergo non expendunt non eſſe in eo gloriandi materiam, quia proprium illis non erat quod gratis largitus fuerat Deus? deinde, cur non recto examine tenuitatem ſuam cum Moſis præſtantia comparant: ut libenter cedendo oſtendant ſe juſto pretio æſtimate quicquid in ſingulos Deus contulit? Ergo ne gratiarum quas Deus apud nos depoſuit cognitio faſtu & confidentia nos inflet, meminerimus, quo plus quiſque accepit, eo magis eſſe & Deo & fratribus ſtrictum: deinde repu-

reputemus quantum nobis desit, & quid etiam aliis contulerit Deus: ut nobis præferamus quos Deus honore dignatus est.

3. *Vir autem ille Moses.*] Hæc parenthesis inserta est ut sciremus Deum non fuisse commotum Mosi querimonia, ut tantopere excandesceret contra Aharonem & Mariam. Dictum fuerat Deum audisse: nempe ut pro judicis officio causam susciperet. Nunc subjicitur, ultro reos citasse ad suum tribunal, quum nullus delator jus sibi dici postularet. Huc enim spectat elogium mansuetudinis: quasi diceret Moses, se injuriam illam tacitum voransse, quod pro sua mansuetudine, patientiæ legem sibi indiceret. Porro suam virtutem non jactantiæ causa laudat, sed ut nos suo exemplo hortetur, si nos indigne opprimi contingat, quietis & placidis animis expectandum esse Dei judicium. Unde enim fit, ut quum nos læsit quispiam, sursum & deorsum affectus nostros rapiat indignatio, & sine modo ebulliat dolor, nisi quia non putamus mala nostra à Deo respici, donec tumultuose conquesti simus? Docet ergo hic locus, quamvis ad convitia & obtrectationes fileant boni & mites, Deum nihilominus pro ipsis excubias agere: & dum obmutescunt, impiorum malitiam clamare ad Deum usque & exaudiri. Deinde ipsius tolerantiæ silentium pluris est coram Deo quam ullæ quantumvis sonoræ voces. Quod si non statim prodeat Deus ad vindictam exercendam, memoria tenendum est quod alibi scribitur, Sanguinem mortui Abel clamasse, ne parricidium Cain maneret impunitum. *Genes. 4. vers. 10.*

4. *Egredimini vos tres.*] Aharon & Mariam Deus ad tabernaculum accersit, ut ipsa loci sanctitas eorum ferociam dejiciat. Obrepserat enim eorum animis Dei oblivio, quum ita insolescerent coram hominibus. Ergo ad Dei conspectum, à quo averti erant eorum sensus, retrahuntur: ut Moses, cujus causa à Deo asseritur, revereri tandem incipiant. Jubet Deus eos verba sua audire: quia nunquam Mosi obstrepere ausi fuissent, si cogitassent de reddenda ratione. Audientiam ergo sibi facit Deus, ut discant seipsos colligere, nec amplius evanescant in sua confidentia. Adde quod separantur à Mose, ut se impares esse agnoscant, & suæ temeritatis eos pudeat quod se æquare ausi fuerint.

6. *Si fuerit Propheta vobis.*] Duos recenset modos, quibus Prophetis solebat patefieri Dei voluntas, nempe visiones & somnia. Utitur autem hic non voce חזון, quæ tam prophetiam quam visionem significat: sed מראה, ubi species aliqua objicitur quæ oraculi fidem apud oculos & omnes sensus confirmet ac sanciat. Sic Deus sæpe apparuit servis suis, ut sermoni insculpta esset ejus majestas. Ante Legem latam frequentes ejusmodi visiones fuerunt Patribus: somniis quoque interdum edocti fuerunt. Itaque Joël, quum sub regno Christi solidam plenitudinem omnium revelationum fore promitti, quasquoque illas species commemorat: Filii, inquit, vestri & filiæ prophetabunt: juvenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Scimus autem Prophetas regnum Christi sub typo suorum temporum depingere. Deus ergo has duas ordinarias rationes proponens, Mosen eximit ab aliorum numero: acti eum singulari privilegio extolleret. Jam quum Aharon & Maria superiores aliis non essent, hinc admoniti fuerunt se procul distare à Mosis gradu. Hoc consilio dicitur fidelis in tota domo. quem locum citans Apostolus, ut Mosen Christo subjiciat, fervum fuisse dicit & membrum Ecclesiæ, quum Christus dominus sit & opifex, vel creator. Sed discrimen continuo post clarius exprimitur, quod scil. loquatur Deus cum ipso ore ad os: qua particula (ut alibi dictum fuit) familiaris & interior notatur communicatio. Hoc autem modo nihil adimit Deus Prophetis quod eorum functioni conveniat: sed Mosen inter ipsos principem statuit. Ac verum quidem est in hoc ordine locari Patriarchas: sicut Abraham Propheta fuit vocatus ore Dei: & Propheta in Psalmo ita eum cum Isaac & Jacob nuncupat. Sed interea simul œconomiam complectitur, qua deinde volebat uti sub Lege: atque ita omnes qui deinde exorituri erant, Mosi postponit. Porro Visionis nomen diverso sensu accipitur quam paulo ante: quia Deus Mosen ab aliis discernens, se loqui cum ipso dicit in visione: quod de illa consueta aut vulgari exponere absurdum esset. Aspectum ergo hic significat: cui opponit ænigmata & similitudinem: quod nomen tantundem valet ac figura, si negatio ad utrumque referatur. Sunt enim qui similitudinem pro viva & expressa effigie accipiant: acsi Deus assereret, se manifestare faciem suam Mosi: ideoque adversative legunt, sicut in margine notavi. Verum prior lectio magis est genuina. Porro de somniis ac visionibus alibi tractavi. Itaque summam uno verbo attingere satis nunc erit: nempe figilla fuisse confirmandis vaticiniis, ut Prophetæ quasi è cælo missi plena confidentia se jactarent legitimos Dei esse interpretes. Nam visionibus suæ erant insignes notæ, quæ eas à spectris & falsis imaginationibus distinguerent. Somniis quoque sua insignia fuerunt addita quæ dubitationem eximerent. Prophetæ igitur probe conscii fuerunt suæ vocationis, ne quid deesset ad fidei certitudinem. Interim se istis larvis ad fallendum ornarunt fallaces Prophetæ. Ideo Jeremias impiam eorum jactantiam refellens, Propheta, inquit, apud quem est somnium, narret somnium: & penes quem est sermo meus, loquatur sermonem meum veracem: quid paleis ad triticum, inquit Jehova? *Joël. 2. vers. 28.* *Genes. 20. vers. 7.* *Psal. 105. vers. 9.* *Jer. 23. vers. 28.*

Ex eodem Capite.

9. Exarsit ergo furor Jehovæ in eos, & discessit.

10. Nubes quæ recessit à tabernaculo: & ecce Maria erat leprosa sicut nix, respexitque Aharon Mariam, & ecce erat leprosa.

11. Tunc dixit Aharon ad Mosen, Quæso, domine mi, ne nunc nobis imputes peccatum: quia stulte egimus, & quia peccavimus.

12. Ne, quæso, sit quasi abortivus fœtus, qui dum egreditur ex utero matris suæ, consumptus est dimidio suæ carnis.

13. Clamavit itaque Moses ad Jehovam, dicendo, Deus, quæso, sana nunc illam.

14. Respondit Jehova ad Mosen, Quod si pater ejus spuendo spuisset in faciem ejus, nonne erubesceret septem diebus? Excludatur septem diebus extra castra, & deinde recipietur.

15. Itaque recluſa est Maria extra castra septem diebus: neque populus progressus est, donec reciperetur Maria.

9. *Exarsit ergo furor Jehoviæ.*] Expostulationi subjicitur pœna. Discessus autem Dei præcisæ damnationis signum fuit: quia non fuit quasi de re obscura diutius litigandum. Postquam ergo sceleris eos

eos convicit Deus, & ſevera gravique objurgatione invectus eſt contra ingratitudinem Mariæ & Abaron, pronunciata ſententia ſe repente ſubducit è medio. Quod mox ſequitur nubem receſſiſſe, exegetice additum eſt: quia Deus qui omnia implet, loco non movetur: ſed ejus nomen ad nubem transfertur, quæ præſentiæ ejus vel abſentiæ erat ſymbolum. Pœnæ vero quæ Mariæ inflicta fuit, ſpecies, optime ad crimen quadrat. Stulta mulier faſtu inflata plus appetiverat quam fas eſſet. Hujus arrogantiæ juſta fuit merces ignominia: ſecundum Chriſti ſententiam, Qui ſe exaltat, humiliabitur. Scimus ergo ſuperbos omnes, quo magis eos ad cupiditatem illiciti honoris rapit ſua ambitio, nihil aliud quam dedecus ſibi accerſere: & quamvis ad tempus magnifice triumphent, fieri tamen non poſſe quin tandem eorum gloria in ignominiam vertatur. Nam quia bellum ſuſcipiunt cum Deo quicunque ſe attolluot, Deum illis cum formidabili manus ſuæ potentia occurrere neceſſe eſt, ut eorum furorem compeſcat. Jam vero quicunque invidia impulſi certamen ſuſcipiunt cum Dei ſervis, illius gloriam quaotum in ſe eſt obruere conantur, dona Spiritus obſcurando. Ita nihil mirum ſi Deus contumeliæ ſibi illatæ vindex, quam merentur infamiam illis rependat. ſicuti ſcriptum eſt, Qui me honorant, eos viciſſim honore afficiam: qui vero me ſpernont, eos reddam contemptibiles. Volebat Maria fratri æquari, quem Deus præ aliis omnibus extulerat: hoc aſſequitur ut ne extremum quidem angulum in populo occupet, quoniam abdicatur ab hominum conſortio. Simile exemplum editum fuit in rege Uzia, qui regia dignitate non contentus, quum ſuffitum præter fas tentaſſet facere, lepra quoque percuſſus eſt: ut ne tolerabilis quidem in cœtu fuerit tanquam unus è vulgo. Hic tamen naſcitur quæſtio, quum Aharon culpæ fuerit ſocius, cur à pœna ſit immunis? Si nulla ratio extaret, judicium tamen Dei nobis adorandum eſſet. Neque enim noſtrum eſt, quum miſeretur cujus vult miſereri, obſtrepere. Probabilis tamen ratio apparet cur gravius exarſerit Deus in Mariam: quia facem prætulerat impiæ contentioni, fratriſque animum accenderat, ut initio capitis vidimus. Quare culpam in ea reſidere æquum fuit quæ mali principium fuerat. Verum exiſtimo, quum Aharoni pepercit, ſacerdotii rationem habuiſſe: quod in illius perſona quaſi æterno probro ſubjectum foret. Quum ergo unigeniti Filii Dei & unici Mediatoris imago eſſet Aharon, tantaque digoitas nupet in ipſo ſumpſiſſet exordium, magnopere interfuit eum eximi à mali ignominia, ne quid decederet ſacrorum reverentiæ.

Luc. 18. *verſ.* 14.

1 *Sam.* 2. *verſ.* 30.

11. *Tunc dixit Aharon ad Moſen.*] Quamvis pœnam Dei indulgentia ſibi remiſſam eſſe cognoſceret Aharon, non tamen quid meritus ſit expendere deſinit. Nec vero expectandum eſt dum nos feriat Deus: verum quia alios caſtigando ad pœnitentiam nos hortatur, quamvis à nobis abſtineat, ex illorum pœnis mature nos proficere oportet. Ergo ſororis deformitas Aharonem terrore & metu perculit, ut in ſe deſcendens agnoſceret ſe obnoxium ſimili judicio. Supplex autem oratio oſtendit ſubactos eſſe altos illos ſpiritus, qui eum rapuerant ad pravam æmulationem. Moſen qui minor erat natu, à quo ſecundus eſſe nuper non tulerat, nunc appellat dominum, ſeque ejus arbitrio & poteſtati ſubjectum fatetur. Pœnæ itaque horror optima fuit medicina ad ſanandum ambitionis morbum. Quod Moſen deprecatur ne imputet peccatum, jus quod ſibi uni Deus apud Jeſaiam vendicat, noo transfert in hominem mortalem: ſed quia læſus erat, veniam poſcit, ne Moſis accuſatione reus peragatur coram judice cæleſti. Suam & ſororis ſtultitiam confitendo, non extenuat culpæ gravitatem (ſicuti major pars errorem & incogitantiam ſolet in maleficiis obtendere) ſed perinde eſt acſi diceret, fuiſſe amentes & veſanos: quod ex proximo verbo colligitur, ubi palam dicit fuiſſe ſceleratos. Porto ex ſimilitudine quæ inſeritur, apparet, non vulgari modo leproſam fuiſſe Mariam. nihil enim fœdius quam cadaver abortivi fœtus, quod tabe & putredine corruptum eſt.

13. *Clamavit itaque Moſes ad Jehovam.*] Re ipſa nonc probatur quod paulo ante dictum fuit, Moſen placido mitique ingenio fuiſſe præ cunctis mortalibus: quando non modo facilis eſt ad ignoſcendum, ſed preces ſuas apud Deum interponit. Atque hinc melius refellitur Mariæ vanitas, quod unica ſpes ſalutis relinquitur in Moſis dignitate, quam nuper ferre non poterat. Ex Dei autem reſponſo apparet pœnam unius ad commune exemplum ſpectaſſe. Satis caſtigata erat Mariæ ſuperbia & temeritas: ſed voluit Deus omnibus eſſe documento, ut intra ſuum modulum quiſque maneret. Interea diſcamus ex hoc loco ſuum honorem Dei judiciis deferre, ut nobis pro ſummæ æquitatis regula ſufficiant. Nam ſi tantum juris conceditur terrenis parentibus in liberos, ut ſuo arbitrio illos pudefaciant: quanto plus reverentiæ debetur Patri cœleſti, ubi dedecoris notam nobis inurit? Hæc ratio fuit cur ſeptem diebus rejecta fuerit Maria, non modo ut ſeorſum ipſa lugeret, ſed etiam ut ejus caſtigatio omnibus prodeſſet. Hoc idem ad nos quoque dirigitur, ut diſcamus quoties peccatis noſtris Deus iraſcitur, erubeſcere: atque ita pudor diſplicentiam peccati in nobis generet. Porro hoc ſpeciale exemplum poſtea in legem tranſiit: ſicuti ante vidimus. Nam ubi jubet Deus leproſos ſegregari, revocat populo in memoriam quid de Maria ſtatuerit: ne ſi intus alantur ſordes, contagio latius ſerpat.

Deut. 24. *verſ.* 9.

NUMER. Cap. XIII.

POſtea autem profectus eſt populus de Haſeroth, & caſtrametati ſunt in deſerto Paran.

2. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

3. Mitte tibi viros qui explorent terram Chanaan, quam ego daturus ſum filiis Iſraël: ſingulos viros de ſingulis tribubus patrum ſuorum mittetis, unumquemque principem inter eos.

4. Miſit ergo illos Moſes è deſerto Paran, juxta ſermonem Jehovæ: & univerſi ipſi viri principes filiorum Iſraël erant.

5. Hæc autem ſunt nomina eorum. De tribu Reuben, Sammua filius Zachur.

6. De tribu Simeon, Saphat filius Hori.

7. De tribu Jehuda, Caleb filius Jephuneh.

8. De tribu Iſſachar, Igal filius Joſeph.

9. De tribu Ephraim, Hoſea filius Nun.

10. De tribu Benjamin, Palti filius Raphu.

11. De tribu Zebulon, Gaddiel filius Sodi.

12. De tribu Joſeph, de tribu Menaſſe, Gaddi filius Suſi.
13. De tribu Dan, Ammiel filius Gemalli.
14. De tribu Aſer, Sethur filius Michaël.
15. De tribu Nephthali, Nahbi filius Vophſi.
16. De tribu Gad, Guel filius Machi.
17. Hæc ſunt nomina virorum quos miſit Moſes ad explorandam terram: & appellavit Moſes Hoſea filium Nun, Jehoſua.
18. Miſit igitur eos Moſes ad explorandam terram Chanaan, dicens illis, Aſcendite hac per Meridiem, & conſcendatis montes:
19. Et conſideretis terram ipſam qualis ſit, & populum qui habitat in ea, utrum fortis ſit an debilis, utrum paucus ſit ao multus.
20. Qualis, inquam, ſit terra in qua ſit habitator, utrum bona ſit an mala: & quales urbes in quibus ſit habitator, utrum in caſtris an in munitionibus.
21. Qualis rurſum terra, utrum pinguis ſit an macra: utrum ſint in ea arbores an non. & eſtote forti animo, atque decerpite è fructu terræ. (Dies autem illi erant dies primitiarum uvarum.)
22. Aſcenderunt igitur, & exploraveruot terram, à deſerto Sin uſque ad Rehob, iogrediendo Hamath.
23. Et aſcenderunt per Meridiem, & veneruot uſque ad Hebron. ibi autem erat Ahiman, Seſai, & Thalmai, filii Anac. Hebron vero ſeptem anois ædificata fuit ante Soan Ægypti.
24. Pervenerunt itaque uſque ad vallem Eſchol, & abſciderunt illinc palmitem & botrum uvarum unum, & portaverunt illum veſte bini, & de malogranatis & de ficubus.
25. Locus ille vocatus eſt Nahal Eſchol, propter botrum quem abſciderunt inde filii Iſraël.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Deut. I.

19. Profecti de Horeb perambulavimus totam ſolitudinem magnam & terribilem hanc quam vidiſtis, per viam montis Emorrhæi, quemadmodum præceperat Jehova Deus noſter nobis, ac pervenimus uſque ad Cades Baroea.
20. Et dixi vobis, Perveniſtis uſque ad montem Emorrhæi quem Jehova Deus noſter dat nobis.
21. Vide, dedit Jehova Deus tuus coram te terram: aſceode, poſſide quemadmodum dixit Jehova Deus patrum tuorum tibi, ne timeas, neque conſterneris.
22. Acceſſiſtis autem ad me omnes vos, & dixiſtis, Mittamus viros ante oos qui exploreot nobis terram, & referant nobis rem, & viam per quam aſcendamus, & urbes ad quas veniamus.
23. Quod placuit in oculis meis: & ſumpſi ex vobis duodecim viros, virum uoum ex quaque tribu.
24. Qui abierunt & aſceoderunt in montem, veneruntque uſque ad vallem Eſchol, & exploraverunt eam.
25. Tuleruntque in manu ſua è fructu terræ illius, & attulerunt nobis: retuleruntque nobis rem, ac dixerunt, Bona eſt terra quam Jehova Deus noſter dat nobis.

1. *Profectus eſt populus ex Haſeroth.*] Videtur primo intuitu ſecum pugnare Moſes: quia hic narrat ſe Dei juſſu miſiſſe exploratores: ſecundo autem loco commemorat ſe id flagitanti populo dediſſe. ſed alterum cum altero facile convenit. Dubium certe non eſt quio Deus infirmitati & diffidentiæ populi conſuluerit. Neque enim mittuntur exploratores qui obſervent qua parte oppugnanda ſit regio: ſicuti hoc conſiliu poſtea duo miſſi ſunt à Jehoſua: ſed hic Deo nihil aliud fuit propoſitum quam populum alioqui refidem vel tardum animare, ut excuſia ignavia cupide ſe accingerent. Hujus remedii neceſſitas clare detecta fuit dum omnes idem poſtularunt à Moſe. Secunda igitur oarratio plenior, ubi altius repetit Moſes quod in priore omiſerat: oempe factum eſſe timiditate populi ac puſillanimitate oe mox feſtinaret quo Deus vocabat. nam ſi ſimpliciter obſequuti eſſent, nulla mora interpoſita potiti fuiſſent terra hoſtium: verum inducias ſibi dari poſtularunt. Ergo minime abſurdum eſt, Moſeo feciſſe populi rogatu quod Deus ſimul præcepit: quia videbat hoc ſtimulo indigere qui pigri alioqui erant, vel mious ad pergendum alacres. Propoſita igitur terræ dulcedine quæ ipſos alliceret, voluit eorum accendere ſtudia ad pergendum. Nam ſi ſiocere officio defuncti eſſent exploratores, adductus quodammodo fuiſſet populus in rem præſentem: quod optimum erat compendium tollendis omnibus remoris. Primo autem deſcribitur locus unde miſſi ſant exploratores, non procul ſcilicet remotus à monte Sinai. quanquam bis jam caſtrametati erant: ut illa eſſet tertia ſtatio. Jam ante tapite decimo dictum fuit oübem requieviſſe in deſerto Paran: quod noonulli accipiunt κατ' ἐξοχήν, quaſi dixiſſet Moſes, ex quo populus migravit è monte Sinai, non quieviſſe tanquam in manſione ſtabili donec veniret ad deſertum illud, atque ibi tentoria ſua figeret. Sed hæc opinio minime conſentanea: quia in Taberah aliquandiu ſubſtitiſſe conſtat: in Sepulchris vero concupiſceotiæ ſatis multos dies fuiſſe tranſactos: quia illic ad menſem uſque ſaginati fuerunt carne avium, & deinde graſſata eſt peſtis quæ multos è medio tolleret,

ret, quibus ſepeliendis danda fuit opera. Jam proxima ſtatio longior fuit quam ſeptem dierum. Mihi ergo probabile eſt non diverſum locum notari ſub voce Paran: ſed ſimpliciter intelligi, ita fuiſſe progreſſos, ut tamen adhuc manerent in parte aliqua illius deſerti. Quia enim ab una parte contiguum erat deſertum Paran monti Sinai, ideo hoc nomen illius loco interdum ponitur. Nam certe utrumque confundit Moſes alibi: ſimiliter & Propheta Habacuc.

Deut. 33. *verſ.* 2. *Habac.* 3. *verſ.* 3.

3. *Singulos viros ex quaque tribu.*] Si omnes ex una tribu, vel aliqua earum parte fuiſſent ſumpti, poterat apud alios ſuſpecta eſſe eorum fides. Voluit ergo Deus unamquamque tribum proprio teſte confirmari, quo certior eſſet eorum relatus. Tollenda etiam fuit æmulatio: ne ſi qua tribus fuiſſet præterita, nunciis obtrectaret quos putaſſet in ſuam contumeliam electos eſſe. Huc ergo valuit æqualitas, ne qua ſiniſtra ſuſpicio vel offenſio turbaret populi totius conſenſum. Secundo, dignitas ſtatuitur in perſonis, ubi jubet Deus eligi primarios viros, quorum teſtimonio major conſtet auctoritas. Obſcuris enim hominibus facile erat fidem abrogare. Quod vero neutrum feliciter ſucceſſit, hinc apparet nullum eſſe tam rectum ac ſalubre conſilium quod non pervertat hominum malitia. Ita hæc optima Dei providentia populum magis inexcuſabilem reddidit. Simul hoc exemplo ſemel nos admonuit Deus, utcunque vacillent ac titubent, aut etiam prorſus excidant qui viſi ſunt eſſe quaſi columnæ, fide animos eſſe fulciendos ne labaſcant. Nomina recitantur ad perpetuam ignominiæ memoriam, exceptis duobus Jehoſua & Caleb. Nam eorum crimen omnibus ſeculis traduci æquum fuit, & infamiam perfidiæ nunquam deleri: quando promiſſionem Dei & gratiam quantum in ſe erat, abolere conati ſunt. Porro nomen Jehoſua Moſes ſpiritu Prophetico impoſuit filio Nun: ut præſagium eſſet eximiæ ad quam deſtinatus erat functionis. Ut temeraria eſt ambitio, ita ſæpe homines fruſtratur eventus, dum honorificos titulos ex proprio ſenſu fabricant. Verum Moſes non cæco amoris affectu fuit adductus, ut mutaret nomen Hoſea in Jehoſua: ſed Deus linguam ejus & mentem direxit, ut qui futurus erat ſalutis miniſter, jam ante commendaretur hoc elogio. Quanquam binc certo colligi non poteſt quo tempore inditum fuerit novum nomen. Neque enim exprimitur tunc quum miſſus eſt vocatum fuiſſe Jehoſua: imo probabile eſt jam ante fuiſſe inſignitum hac nota, ex quo ſcilicet adjunctus fuerat Moſi comes & miniſter in maximis quibuſque rebus.

19. *Et conſideretis.*] Huc ſpectavit conſilium Moſis, ut cognoſceret populus quam opulenta eſſet ac fertilis regio. Et ex hominum vigore colligitur locorum ſalubritas. Ideo in terræ bonitate & largo fructuum proventu maxime inſiſtit. Quanquam forte Iſraëlitas conſulto prænonitos eſſe voluit Deus, cum validis & robuſtis hoſtibus fore negotium: ne ſubito eorum conſpectu territi, deficerent. Sed hoc præcipuum fuit, ut ad terram occupandam eos dulcedo & ubertas allicerer.

23. *Et aſcenderunt.*] Non fuit quidem illis rectum iter verſus Meridiem: ſed per latus meridionale profecti ſunt, donec venirent Rehob & Hamath, ſuperatis montibus. Celebratur tamen inter alias urbes Hebron, in qua peregrinatus fuerat Abraham. Et probabile eſt tres filios gigantis qui hic nominantur, urbe illa potitos eſſe. Quanquam nonnullis videtur appellativum nomen eſſe Enac, & per enallagen numeri poſitum eſſe pro gigantibus. Certe Enakim alibi vocantur gigantes. Nec dubium eſt quin hi tres quorum fit mentio, procera ſtatura & robuſtis corporibus formidabiles fuerint: quod etiam ex libro Jehoſua colligitur. Perinde igitur eſt acſi diceret, urbem tunc fuiſſe poſſeſſam ab hominibus belliciſis & famoſæ potentiæ. Cæterum ex fine capitis liquebit Anac fuiſſe proprium nomen viri: cujus tamen ſoboles corporum altitudine excelluit. Laudatur poſtea vetuſtas per comparationem, quod ſcilicet condita fuerit Hebron ſeptem annis ante Soan, unam ex præcipuis urbibus Ægypti, & cujus ſæpe fit mentio in Scriptura. Profani ſcriptores Tanin nominant. Sita eſt autem in uno ex ſeptem celeberrimis Nili oſtiis quod ab urbe Taniticum dicitur. Jam quum ſua antiquitate gloriati fuerint præ cunctis gentibus Ægyptii, apparet terram Chanaan ſtatim à diluvio fuiſſe populoſam: quod ſignum eſt eximiæ fertilitatis: quia ſi meliores fuiſſent vicinæ regiones, non illic potiſſimum ſedem fixiſſent, quorum in arbitrio erat eligere. In appellatione vallis Eſchol notanda prolepſis: ſic enim poſtea vocari cœpit ab Iſraëlitis ob memoriam inſignis botri, quem inde fuiſſe allatum narrat Moſes. idque continuo poſt exprimitur.

Ex Numer. XIII.

26. Reverſi ſunt ab exploranda terra poſt quadraginta dies.

27. Profecti ergo ſunt, & venerunt ad Moſen & Aharon, & ad univerſum cœtum filiorum Iſraël, in deſertum Paran in Cades: & retulerunt eis rem, atque univerſo cœtui, oſtenderuntque eis fructum terræ.

28. Narraverunt ergo ei, & dixerunt, Pervenimus ad terram ad quam miſiſti nos: & certe affluit lacte & melle: & ipſe eſt fructus ejus.

29. Niſi quod fortis eſt populus qui incolit eam, & urbes munitæ ſunt, & magnæ admodum: ac filios Enac vidimus illic.

30. Amalec habitat in terra meridiana: Hitthæus autem, & Jebuſæus, & Amorrhæus inhabitant montes: Chananæus vero habitat juxta mare & ad ripam Jordanis.

31. Tacere vero fecit Caleb populum ad Moſen, & dixit, Aſcendendo aſcendamus, & poſſideamus: nam prævalendo prævalebimus contra eam.

32. At viri qui aſcenderant cum eo, dixerunt, Non poterimus aſcendere contra populum illum, quia fortior eſt nobis.

33. Et detraxerunt terræ quam exploraverunt, apud filios Iſraël, dicendo, Terra per quam tranſivimus ut exploraremus eam, terra eſt quæ conſumit habitatores ſuos: & omnis populus quem vidimus in medio ejus, viri proceræ ſtaturæ ſunt.

34. Atque illuc vidimus gigantes filios Enac, è gigantibus. Et fuimus ſicut locuſtæ in oculis noſtris, ſic fuimus in oculis eorum.

26. *Reverſi ſunt.*] Laudatur duodecim virorum ſtrenuitas & diligentia, qui exiguo tempore totam terram à deſerto Sin uſque ad mare, & totum Jordanis tractum luſtraverint: & quidem in maximis calo-ribus, quum uvæ matureſcerent. Hactenus ergo munus ſibi injunctum fideliter exequuti ſunt. In relatu etiam nihil agere videntur probis viris alienum. Juſſi fuerant à Moſe conſiderare terræ incolas, fortene eſſent an debiles, deinde an urbes eſſent munitæ: nihil niſi verum & ſibi compertum narrant. Denique eorum narratio nihil primo intuitu continet reprehenſione dignum. Verum ex contextu licet elicere, decem, quibus animus erat populum avertere, odioſe de obſtaculis ſic loquutos, ut nihil minus præſtiterint quam quod ſperaverat Moſes. Nec vero hic aliud adhuc crimen in ipſis coarguitur, niſi quod maligne & fraudulenter objecta deſperatione, populum à terræ acceſſu retraxerint. Quamvis ergo aperte non fuerint mentiti, defuit ſinceritas. Forte etiam non exprimitur totus eorum ſermo: quia ſatis habuit Moſes perverſum eorum affectum in eo notare, quod terræ laudibus exceptionem addiderint, quæ populi animos metu frangeret. Unde etiam colligitur utilis admonitio, nihil apud Deum proficere verſutos ſophiſtas, dum flexuoſis ambagibus fraudem tegere conantur. Quare ſi Deo cupimus probari noſtrum ſermonem, danda eſt opera ut obliquis ſtrophis valere juſſis, omnique rejecto fuco, ſimpliciter & ex animo loquamur. Fidem ergo præſtruunt decem exploratores, quo liberius deinde fallant. Bona, inquiunt, terra eſt: niſi quod fortis eſt populus. Quid hoc aliud eſt quam minime ſperandum eſſe ut fruantur Iſraëlitæ Dei beneficio, idque minime eſſe tentandum? Eodem ſenſu detonant plurium gentium nomina, ad terrorem augendum. Poſtquam enim retulerunt ſe vidiſſe filios Enac, commemorant nimis ardua fore certamina cum diverſis populis, qui undique ad reſiſtendum occurrent.

31. *Tacere fecit.*] Id eſt, compeſcuit populi fremitum coram Moſe, contra quem tumultuoſe inſurgere cœperant. Unde apparet multa quæ ſubticentur, ultro citroque fuiſſe dicta. Neque enim cohibendus fuit impetus populi, niſi accenſa contentione. Verba autem ejus oſtendunt quis fuerit ſtatus cauſæ & quæſtionis: nempe decem perfidos exploratores dehortatos eſſe populum, ne ſtulte tenderet ad terram quam adipiſci impoſſibile erat: ne temere aggredi tentaret validiſſimos hoſtes, quibus longe impar erat futurus. Opponit autem Caleb victoriæ fiduciam: Nos, inquit, terram obtinebimus. unde ſumit materiam exhortandi. Porro dubium non eſt quin promiſſione Dei fretus, ſuperiores fore crediderit, atque ita audaciter promiſerit, quum alii pro nihilo ducerent, præeunte Dei vexillo, populum venire ad hæreditatem ſibi promiſſam. Non videtur his congruere quod recitat Moſes 1. cap. Deut. ubi exploratores abſolvens, totam culpam in populum rejicit. ſed facile diluitur abſurditas: quia illic nihil aliud fuit Moſi propoſitum quam reos facere Iſraëlitas, qui ſua contumacia promiſſionis Dei effectum longo tempore impedierant. Omiſſa igitur hiſtoriæ parte, quæ ad præſentem cauſam non faciebat, tantum aſſumit quod eos tenebat ſceleſtæ ingratitudinis convictos: nempe ab exploratoribus laudatam fuiſſe terræ pinguedinem. Itaque quum ſatis ſuperque cognita eſſet Dei liberalitas populo, eam repudiando graviter peccaſſe. Ideo crimen in eo ſtatuit, quod rebelles fuerint ori aut verbo Jehovæ: quia ſcilicet vocantem ſequi detrectaverint. Quod hic uni Caleb adſcribit Moſes, alibi commune facit cum Jehoſua. Certum igitur eſt unum pro duobus verba feciſſe: & Jehoſua modeſte prudenterque tacuiſſe, ne conſuſa altercatio naſceretur. Probabilis tamen conjectura eſt, in eo qui laudatur plus enituiſſe fortitudinis & conſtantiæ. Perſpicitur autem Moſis integritas, dum Caleb præferendo, miniſtri ſui laudem obſcurat & minuit.

32. *At viri qui aſcenderant.*] Hic quaſi in ſpeculo cernimus, ut impietas paulatim audendi licentiam colligat. Initio flexiloqui erant defectionis auctores, ſeque obſcure infinuabant: nunc abjecta verecundia, palam & acriter ſe opponunt ſermoni Caleb. Quod certe non aliud fuit quam fidem detrahere Dei verbo, & virtutem ejus floccifacere. Pollicitus fuerat Deus terram Iſraëlitis: id facturum eſſe negant. Multis experimentis probaverat nihil ſibi eſſe difficile: ejus auxilium ſufficere negant hoſtium viribus. Quin etiam eo tandem impudentiæ perrumpunt, ut mentiendo ſecum ipſi pugnare non dubitent. Confeſſi fuerant terram eſſe opimam: nunc jactant conſumere aut vorare ſuos incolas: quod prorſus contrarium eſt. Tantundam enim hoc valet ac ſi diceremus, miſeros homines in ea colenda ſe macerare aſſiduis laboribus: vel certe cæli inclementia eſſe peſtiferam, quorum utrumq; fuit vaniſſimum. Quod intelligunt quidam de gigantum violentia, qui cædibus omnia replerent, ratione caret: quia hoc malum populo minime timendum erat, proſligatis incolis. Itaque non dubito quin ſignificent culturam terræ difficilem eſſe, plenamque multis moleſtiis. In fine ultimi verſus, ubi habetur, Sicut locuſtæ &c. exiſtimo voces eſſe inverſas: ideoque ſic debere contexi, Sicut locuſtæ deſpectui ſunt in oculis noſtris, ita ob puſillam ſtaturam à gigantibus illis ſuimus deſpecti.

NUMER. Cap. XIV.

TUnc ſuſtulit univerſus cœtus, edideruntque vocem ſuam, & flevit populus nocte illa.

2. Et murmuraverunt adverſus Moſen & adverſus Aharon omnes filii Iſraël: ac dixerunt univerſa multitudo, Utinam mortui eſſemus in terra Ægypti: aut in deſerto hoc utinam mortui eſſemus.

3. Et quare Jehova introducit nos in hanc terram, ut cadamus gladio, uxores noſtræ & parvuli noſtri ſint in prædam? Nonne ſatius eſſet nobis reverti in Ægyptum?

4. Dixerunt itaq; alter ad alterum, Conſtituamus ducem, & revertamur in Ægyptum.

5. Tunc cecidit Moſes & Aharon ſuper faciem ſuam coram univerſo cœtu congregationis filiorum Iſraël.

6. Jehoſua vero filius Nun, & Caleb filius Jephunch, de exploratoribus terræ, ſciderunt veſtimenta ſua.

7. Ac loquuti ſunt ad univerſam congregationem filiorum Iſraël, dicendo, Terra per quam tranſivimus ut exploraremus eam, optima terra eſt.

8. Si complacitum fuerit Jehovæ in nobis, introducet nos in terram iſtam, tradetque eam nobis, terram quæ affluit lacte & melle.

9. Tantum ne ſitis rebelles Jehovæ, neque timeatis populum terræ hujus: quia *velut* panis noſter ſunt. receſſit præſidium eorum ab ipſis: Jehova autem nobiſcum eſt: ne timeatis eos.

1. *Tunc*

1. *Tunc ſuſtulit univerſus.*] Hic videmus, ut facile à paucis flabellis excitetur ſeditio in magna turba. Populus enim, niſi alieno conſilio regatur, inſtar maris eſt obnoxii multis tempeſtatibus. Et hoc inter innumera alia mala producit humani generis corruptio, ut mendacia & impoſturæ veritati prævaleant. Fuit quidem aliquis errandi color populo, quod videbant decem tribuum ſelectiſſimos duces dehortari ab acceſſu terræ, duos tantum eſſe pergendi auctores. Sed credulitas iſta, ad quam nimis fuerunt propenſi, excuſatione caret, quia ab incredulitate manabat. Si enim dignitas & exiſtimatio decem hominum apud eos tantum valuit ut ad credendum eſſent tam faciles, annon multo plus fidei habendum fuit Dei verbo, qui terram ante annos quadringentos pollicitus fuerat? Nam quum oppreſſi Ægyptiaca tyrannide clamarent, non exciderat memoria promiſſionis Patribus datæ: ſicuti curæ fuerat ſancto Jacob eam tradere per manus. Nuper audierant, & amplexi fuerant ejus confirmationem, atque hac fiducia diſceſſerant ex Ægypto. Videmus ergo ſua ignavia vel pravitate jam prius fuiſſe inductos ad refugiendum terræ acceſſum, quia Deo fidem abrogaverant: ut videri poſſint data opera captaſſe occaſionem. Improbi tamen ſuaſores ſponte jam ruentes impulerunt, ut præcipites agerent. Incipiunt autem à fletu, qui tandem in rabiem prorumpit. Flendi cauſa eſt mortis timor: quia ſe ad carnificinam trahi exiſtimant. Unde hoc, niſi quia nullius pretii apud eos eſt promiſſum à Deo auxilium? Unde apparet quantopere fidei contraria ſit timiditas, dum objectis periculis nos tantum reſpicimus. Verum ſicuti principium infidelitatis eſt metu retrahi à Dei obſequio, ita alterum poſtea deterius malum accedit, dum præfracte homines Deo reſiſtunt, & quia ſe ejus verbo ſubjicere nolunt, cum ipſo jurgantur. Hoc Iſraëlitis accidit, qui mœrore oppreſſi tandem doloris impetu rapti ſunt contra Moſen & Aharon. Atque hoc nimis frequenter uſuvenire ſolet, ut ex anguſtiis, quibus infidelitas nos conſtringit, ebulliat impatientia. Votum mortis quod concipiunt, ex ingratitudine ac beneficii Dei contemptu naſcitur. Optarent ſe fuiſſe mortuos, vel in Ægypto, vel in deſerto. Cur ergo ſupplices paulo ante Moſen deprecati fuerant, ut Deum placaret? Quod ad verba ſpectat, vetus Interpres particulam ב, quæ optantis eſt, pro negativa accipiens, locum male vertit: acſi mors illis in deſerto eſſet acerbior quam in Ægypto. Sed tantum deplorant ſe expoſitos eſſe ad cædem, ſi terram Chanaan ingreſſi fuerint: ſicuti proximo verſu ſequitur.

3. *Et quare introducit.*] Hic magis ſe prodit impietatis ſuperbia, atque etiam furor, quod Deum fraudis & ſævitiæ accuſant, acſi eos proderet gentibus Chanaan, & ad mactationem produceret. Colligunt enim non eſſe parendum ejus imperio, quia vult eos perdere: neque id modo, ſed ſimul dare in prædam uxores & liberos. Videmus quam furioſa ſit incredulitas, ubi frena ſibi laxavit: quando non dubitant miſeri litem Deo intendere, & hanc gratiam referre ejus beneficiis, ut vocent proditorem. Quæ autem ſacrilegæ audaciæ cauſa, niſi quia negotium ſibi fore audiunt cum validis hoſtibus? acſi non majorem experti eſſent Dei potentiam quam ut quicquam adverſi eo propitio timendum foret. Interea infirmitatis quoque Deum inſimulant: acſi inferior eſſet gentibus Chanaan. Tandem ſurgit cumulus prodigioſæ cæcitatis & amentiæ, ubi de reditu conſultant, & rejecto Moſe ad ducem eligendum ſe comparant, qui rurſus eos dedat Pharaoni. An obliti tam cito erant quam miſera illic fuiſſet ſua conditio. Atqui nulla ſua noxa, quum placidi fuiſſent & innoxii hoſpites, promeriti erant ut eos tam inhumaniter affligerent Ægyptii: quum nulla alia cauſa Pharaoni exoſi eſſent niſi quod eorum multitudinem ferre non poterat: quid facturum credibile erat, poſtquam eorum cauſa tot clades perpeſſus erat? Quæ porro humanitas à gente illa ſperanda, quæ ante nullo incommodo læſa, in eorum perniciem conſpiraverat? Nulla certe erat domus quæ non primogenitos ſuos ulciſci cuperet. Cupiunt tamen infeſtiſſimi hoſtis libidini ſe tradere, qui ante ullam odii cauſam extrema quæque in ipſos tentaverat. Unde perſpicimus incredulosjuſta Dei vindicta non modo excæcari, ſed raptari ſpiritu vertiginis, ut fibiipſis peſſima quæque adſciſcant.

5. *Tunc cecidit.*] Incertum eſt fuerintne ita populo ſupplices, ut coram eo proſtrati jacuerint, an vero precandi cauſa faciem in terram proſtraverint: quod ſecundum mihi verisimilius eſt, acſi ad Deum ſe vertendo populi ſtuporem arguerent. Et certe in tanta duritie nihil aliud reſtabat quam vota facere apud Deum: ſic tamen ut precatio publice in omnium conſpectu ſuſcepta fuerit ad flectendos animos. Poterant enim alioqui ſeceſſum quærere: ſed illa miſerabili ſpecie tentarunt revocare populum ad ſanam mentem. Hoc quidem extra dubium eſt, ſibi nihil privatim quæſiiſſe: ſed tantum ſollicitos fuiſſe de ſalute populi: quo retrocedente liberum illis fuiſſet in terra Chanaan vel alibi peregrinari. Neque tamen ſimpliciter addicti fuerunt populo: ſed eos maxime cruciabat interruptio gratiæ Dei, cum qua etiam ſepultum fuiſſet fœdus cum Abraham perculſum. Denique hoc illis perinde erat (& merito) acſi & Dei gloriam, & ſalutem humani generis penitus extingui viderent. Quare pluſquam ſtupidos fuiſſe oportet qui triſti illo ſpectaculo nihil moti ſunt: præſertim quum Moſes, quem Deus tot honoribus ſupra omnes mortales extulerat, eorum cauſa pronus in terra jaceret.

6. *Joſhoſua vero filius Nun.*] Hic exprimitur magnanimitas Joſhoſuæ: quum ante ſolus Caleb fuiſſet laudatus. Dicit autem Moſes, ambos ſcidiſſe veſtes in ſignum extremi doloris, atque etiam deteſtationis. Hæc enim, ut ſatis notum eſt, Orientalibus populis ſolennis fuit ceremonia in graviſſimo luctu, vel quum ſcelus aliquod abominari vellent. Hunc morem perperam imitati ſunt hypocritæ, vel quum dolorem ſimularent, vel quum fucum vellent facere ſimplicibus. At certum eſt Joſhoſua & Caleb ſerio affectu, atque etiam ardore indignationis impulſos fuiſſe ut veſtes ſciinderent. Porro ſimul mederi ſtudent populi inſaniæ. Ac primo quidem terræ fertilitatem commendant: deinde ſpem illius potiundæ conſtituunt in Dei favore vel beneplacito. Quod particulam conditionalem אם pro cauſali accipiunt, ac vertunt, Nam quia nos Deus amat, ideo nosinducet: mihi non probatur. & certe alienum eſt à vero ſenſu. Nam quia quodammodo repulerant Iſraëlitæ tantum beneficium, certe ob incredulitatem erant indigni quos favore ſuo proſequeretur. Ideo quaſi dubitanter conditio interponitur, non ad ſpem minuendam, acſi eſſet incertitudinis nota: ſed tantum ut populus ſuæ impietatis convictus reſipiſcat: quaſi diceret, Si modo demus locum gratiæ Dei, ut eam erga nos continuet, bono animo eſtote. quod paulo poſt clarius explicant, populi contumaciam objurgando, ubi dicunt, Tantummodo (vel, Atqui) ne ſitis rebelles. Quibus verbis admonent vias omnes obſtrui Deo, ne ulterius curſum operis ſui proſequatur: nec aliud miſeris eſſe obſtaculum quam propriam incredulitatem, quæ ipſos non patitur obedire Deo. Hoc autem modo aſſerunt Dei virtutem ſufficere ad complendum quod promiſit: deinde populum hortantur ad conciliandum ejus favorem, à quo ſua culpa excideral. Particula autem הן, emphatice ponitur: acſi dicerent Joſhoſua & Caleb, nihil eſſe metus vel periculi, niſi quia devotis animis populus malum ſibi accerſit. Tandem freti Dei auxilio non ſecus ac

victores exultant. Panis, inquiunt, noſter erunt: hoc eſt, nullo negotio eos devorabimus. Additur ratio: quia ſi Deus ſtet pro Iſraëlitis, deſtituentur hoſtes omni præſidio. Jure itaque & optima ratione concludunt, Quantumvis alioqui formidabiles ſint hoſtes noſtri, non eſſe metuendos, modo propitius ſit nobis Deus, extra quem nulla eſt virtus.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Deut. I.

26. Et tamen noluiſtis aſcendere, ſed rebellaſtis verbo Jehovæ Dei veſtri.

27. Et murmuraſtis in tabernaculis veſtris, dicentes, Propterea quod odio habebat nos Jehova, eduxit nos è terra Ægypti, ut traderet nos in manum Emorrhæi, ut perderet nos.

28. Quo nos aſcendimus? fratres noſtri diſſolverunt cor noſtrum, dicendo, Populus iſte major & procerior nobis eſt, urbes magnæ & munitæ uſque ad cælum: & etiam filios gigantum vidimus ibi.

29. Tunc dixi vobis, Ne paveatis neque timeatis ab eis:

30. Jehova Deus veſter qui præcedit vos, ipſe pugnabit pro vobis, prorſus ut fecit vobiſcum in Ægypto in oculis veſtris.

31. Et in ipſo deſerto vidiſti quod portaverit te Jehova Deus tuus, quemadmodum portare ſolet homo filium ſuum: & hoc per totam viam per quam ambulaſtis, donec veneritis ad locum iſtum.

32. Atqui ea in re non credidiſtis Jehovæ Deo veſtro,

33. Qui præcedebat vos per viam ad explorandum vobis locum in quo caſtra figeretis, per ignem in nocte, ut oſtenderet vobis viam per quam ambularetis, & per nubem in die.

27. *Et murmuraſtis.*] Alibi etiam fleviſſe dicit: nunc vero ſolum murmur ponit, quod objurgationi melius quadrabat. Deinde quam maligna fuerit eorum ingratitudo & perverſitas admonet, quod Deo exprobraverint ſingulare quod ipſis contulerat beneficium, acſi gravem injuriam feciſſet. Non potuit luculentius ſpecimen dare paterni erga eos amoris quam eos redimendo. Ergo nimis iniquam mercedem rependunt, dum ſe queruntur ad mortem crudeliter fuiſſe tractos, & tam præclarum ejus amorem in odium convertunt. Ex proximo vetſu apparet, quamvis ſingula ſuis locis non referat Moſes, nihil tamen eſſe repugnantiæ in ejus verbis. Paulo ante viſus eſt ſimpliciter laudare exploratores, acſi ingenue & bona fide officio defuncti eſſent: nunc autem in populi perſona demonſtrat rebellionis fuiſſe auctores, quia quos hortari debuerant, injecto terrore ignavos reddiderint.

29. *Tunc dixi vobis.*] Sermonem Caleb & Joſue hic omittit: quia tantum breviter attingit capita de quibus apud populum concionatus eſt. Tantum dicit quum eos ad ſanam mentem retrahere conatus eſſet, ſtudium ſuum & laborem profectu caruiſſe. Porro ab experientia ratiocinatur, bene ſperandum eſſe de auxilio Dei, quia inſtar lucis eos præcedat. Id autem probat, quod debellatis Ægyptiis non deſtiterit virtutem ſuam ſobinde proferre: ut quos ſemel redemerat, incolumes ad extremum uſque tueretur. Propoſitio igitur eſt, Quamvis ſuæ debilitatis ſibi ſint conſcii, Dei tamen potentia victores fore: quia eos ſuſceperit in ſuam curam, ſeque eorum ducem profeſſus ſit. quod Præcedeodi verbo ſignificat. Ac ne qua dubitatio maneat, præſentibus obſtaculis opponit quæ experti fuerant potentiæ Dei miracula, non tantum in ipſo redemptionis exordio, tot liberationum progreſſu, quum perditos & deſperatos innumeris modis reſtituiſſet à morte in vitam. Hinc concludit, non eſſe timendum. non quod velit prorſus ſolutos eſſe & vacuos omni metu & cura: ſed ubi fiducia ex præſenti Dei ope concepta prævaluerit in ipſorum cordibus, ut omnia impedimenta ſuperet. Emphatice dicit Deum ſub ipſorum oculis pugnaſſe, ut proprio ſenſu magis victos teneat.

31. *Et in ipſo deſerto.*] Hic perpetuus recenſetur curſus gratiæ Dei: unde tuto colligere licebat, qui tot beneficiis ipſos proſequutus fuerat, eundem in præcipuo actu fore. Portandi ſimilitudine ideo utitur, quia minime pervium erat iter, niſi Deus quaſi humeris ſuis ipſos geſtaſſet, non ſecus ac puerum adhuc infantem ſolet pater. Ita ab una parte laudatur incredibilis Dei humanitas, qui eouſque ſe demittere dignatus eſt, ut ſuis brachiis populum ſuſeiperet: ex oppoſito autem ſuæ infirmitatis monetur populus, qui niſi Dei virtute ſuffultus, vix ad pedem movendum idooeus fuiſſet. Alibi Moſes, partem hujus ſimilitudinis retinens, Deum aquilæ comparat, quæ pullos alis ſuſteotans, ad volitandum inſtituit. Et certe niſi ſupra humanum modum in ſublime evecti, nunquam centeſima ex parte tot difficultatibus pares ſuiſſent.

32. *Atqui ea in re.*] Significat nimis fuiſſe malignos operum Dei æſtimatores, quos ejus virtus toties cognita & perſpecta ad fidendum noo erexerit. Nam ſub voce דבר, proqua Rem vertimus, complectitur omnia documenta quibus teſtatus fuerat Deus ſatis io ſe uno eſſe præſidii ad plenam eorum ſalutem. Atque hæc quidem realis, ut ita loquar, vel actualis fuit doctrina, quum Deus extenta manu ad credendum ipſos vocaret. Promiſſionis tamen reſpectu incredulitatis eos accuſat: quia ſicut ad obediendum non modo prompta & alacris eſt fides, ſed totum hominem vegetat, ut agilis ſit: ita ignaviæ cauſa fuit non attendere ad Deum, qui ſe terram Chanaan illis daturum pollicitus fuerat, atque in ejus fœdus recumbere. Atque huc ſpectat, Deum caſtris metandis loca & ſtationes deſignaſſe: quia niſi conſilium ejus fuiſſet alio eos dirigere, ſupervacua fuiſſet locorum mutatio. Et go ſigna manendi & pergendi ooo referre ad ſuum finem, turpis fuit ſocordiæ: quia boc erat Deum ſpernere quum maoum porrigetet.

Ex Numer. XIV.

10. Tunc dixit tota multitudo, ut eos lapidibus obruerent: & gloria Jehovæ apparuit in tabernaculo conventionis omnibus filiis Iſraël.

11. Tunc

11. Tunc dixit Jehova ad Moſen, Uſquequo vilipendet me populus iſte? & uſquequo non credent mihi in cunctis ſignis quæ feci in medio eorum?

12. Percutiam eum peſte, expellamque eum: te autem faciam in gentem magnam & robuſtiorem eo.

10. *Tunc dixit tota multitudo.*] Ubi contra Deum fremere cœperunt impii, ac palam de ipſo queruli, non mirum eſt ſi in ejus quoque ſervos fæviant. Nam ſuperbia ubi libere ſubigitur, crudelitatem fere parit: ita ſemper impietas, ubi coarguitur, extremo actu in furorem deſinit. Non vi neque armis cogebant Caleb & Joſue, neque minitabantur: tantum ſuadebant, ut Dei promiſſione confiſi in terram Chanaan pergere non dubitarent. Quia obſtinatis animis ſtatuerat populus Deo non credere, caſtigatus frenum mordet, & reprehenſores ſuos vult lapidare. Quantus autem iracundiæ fuerit impetus, hinc apparet, quod Deus furentes placare non tentat, neque minis vel imperio compeſcit, ſed palam è cælo exerit ſuam virtutem: & gloriæ ſuæ objectu mirabiliter protegit ſervos ſuos, acſi feris beſtiis eriperet. Non ſit quidem expreſſa nubis mentio: verum colligere licet, ſignum cui aſſueverant, fuiſſe datum non ad eos terrendos modo, ſed etiam proſternendos, ut ademptis nocendi viribus vel inviti deſiſterent. Majeſtas enim Dei quamvis ſolos fideles vere humiliet, reprobos tamen ac perditos interdum mitigat, vel cum ſua feritate reddit attonitos.

11. *Tunc dixit Jehova.*] Expoſtulat de indomita pertinacia: quia pridem non ceſſaverant petulanter ipſum, nec ſine atroci contumelia, cum omnibus potentiæ documentis clare perſpectis ſpernere & abjicere. Nam quod alii verbum נאץ transferunt per Irritare, neſcio an conveniat. Propius accedit Hieronymus ad genuinum ſenſum, Quouſque mihi detrahent? Sed contenti ſimus genuina Dei ſententia, quam proximo antitheto confirmat: ubi ſe ideo vilipendi conqueritur, quia in rationem non veniant tot miracula quibus & ſuam virtutem & beneficentiam large teſtatus fuerat. Atque ita contemptum probat, quia ex profeſſo fidem abrogent multis ſignis, quorum ſaltem congeries pervicaciam ſanare vel corrigere debuerat. Sequitur ultimæ pœnæ denunciatio, addita ſceleris atrocitate. Continuam enim ſeriem deſignat particula Quouſque, & longam Dei tolerantiam exprimit. Severe quidem aliquos punierat, ſed duntaxat in exemplum, ut maneret integrum nomen generis: nunc vero pronunciat agendum eſſe tanquam cum deſperatis, qui ludos ſibi facere non deſinunt ex patientiæ ejus ludibrio. Quo docemur, quantumvis natura ſit placabilis Deus, merito ſpem veniæ incredulis præcidi, qui ſic obdurefcunt, ut nihil proficiat manu apud eos, neque ore, neque lingua. Jam uſum ſignorum breviter perſtringit: nempe huc ſpectaſſe, ut eorum cognitio & experientia bene ſperandi magiſtra foret. Si quem offendit ſpecies repugnantiæ, quum Deus actum eſſe de populo pronunciat, quum tamen decretum eſſet adhuc ignoſcere, ſolutio tribus verbis aliunde repeti poteſt: quia hic Deus de arcano ſuo & incomprehenſibili judicio non verba facit, ſed tantum de re ipſa, oſtendens quid meritus ſit populus, & quam horribilis vindicta pro modo ſceleſtæ nefandæque defectionis immineat: ſicuti conſilium ejus non fuit Moſen arcere à ſtudio precandi, ſed examen capere de ſincera ejus pietate cum ſerio ardore. neque vero niſi præeunte aliqua fidei ſcintilla contra prohibitionem fertur. Lege caput Exodi 32.

Ex eodem Capite.

13. Et dixit Moſes ad Jehovam, Atqui audient Ægyptii (quia eduxiſti in virtute tua populum iſtum è medio ejus)

14. Dicentque habitatori terræ ejus, *qui* audierunt quod tu Jehova ſis in medio hujus populi: quandoquidem oculo ad oculum viſus ſis tu Jehova, & nubes tua ſteterit ſuper eos, & in columna nubis præceſſeris eos per diem, & in columna ignis per noctem.

15. Si interfeceris populum hunc quaſi virum unum, tunc dicent gentes quæ audierint famam tuam,

16. Quia abſque potentia eſt Jehova, ut introducat populum iſtum in terram quam juravit eis, ideo mactavit eos in deſerto.

17. Et nunc magnificetur quæſo fortitudo Domini mei, ſicut loquutus eſt, dicens,

18. Jehova tardus ad iram, & multæ miſericordiæ, tollens iniquitatem & peccatum, & innocentem non faciens: viſitans iniquitatem patrum in filios ſuper tertiam & quartam generationem.

19. Propitius eſto agedum iniquitati populi hujus, ſecundum magnitudinem clementiæ tuæ: ſicut remiſiſti populo huic ex Ægypto uſque nunc.

Pſal. 106. *verſ.* 23.

13. *Atqui audient Ægyptii.*] Hic Moſes pro ſuo more ſtat quaſi in fiſſura muri (ſicut in Pſalmo dicitur) quo iram Dei ſuſtineat & avertat, quæ irruptionem alioqui erat factura: quia ejus interceſſione factum eſt ut ſubito reſtinctum fuerit incendium, nec conſumptus fuerit populus. Porro ad impetrandi fiduciam tantummodo objicit, ſacrum Dei nomen ludibrio fore apud impios, ſi penitus intereat populus. Verba, quæ varie reddunt interpretes, ad genuinum ſenſum aptare ſtudui. Primo dicit, Audient Ægyptii, quum tamen res apud eos ſatis nota ſit ac miraculis teſtata, populum hunc tua virtute illinc fuiſſe ereptum. Idem etiam rumor volitabit inter populos Chanaan, qui jam audierunt te hujus populi eſſe præſidem, ejuſque gubernandi curam ſuſcepiſſe. Si ergo penitus intereat, quæcunque gentes famam tuam audierunt, culpam in te conjicient: atque putabunt virtutem tuam in medio curſu fractam eſſe, ne opus à te inceptum ad finem uſque perduceres. Summa huc tendit, quia Deus claris & evidentibus ſignis palam fecerat ſe populi illius liberatorem, impiorum probris fore expoſitum, niſi quos ſemel redemit, ſervet incolumes. Neque enim profanis gentibus aliud veniſſet in mentem quam Deum non poſſe, quum maxime vellet, beneficium ſuum tueri. Et certe hæc eſt non vulgaris Dei bonitas, ſic conjungere gloriam ſui nominis cum ſalute noſtra, ut quod nobis adverſum eſt, ejus contumeliam ſecum trahat: quia os improbis apertum ſit ad maledicendum. Verum id nobis demum proderit, ſi viciſſim abſque ſimulatione & ſincero zelo Deum flagitemus, ut in nobis ſervandis gloriæ ſuæ ſit vindex. Audaciter enim multi in ſuum commodum obtendunt Dei nomen, cujus tamen nulla

cura vel ſtudio tanguntur. Porro quia impii quo illuſtrior fuit Dei virtus, ſi concidere viſa fuerit, eo inſolentius feruntur ad maledicendum: ſemper rogandus eſt ne opus manuum ſuarum quod in nobis cœpit, deſerat. Huc enim pertinent verba, Audierunt quod apparueris oculo ad oculum: quia extincta populi ſalute, defectus nonniſi Deo adſcriptus eſſet, qui potentiam manus ſuæ in illo ſervando exeruerat. Denique ſicut admirabilis exitus teſtimonium fuerat favoris Dei, ita ſi paſſus fuiſſet populum in deſerto perire, hoc omnes duxiſſent infirmitatis ſignum: quia probabile non erat non præſtare quod vellet, niſi viribus deſtitueretur.

17. *Et nunc magnificetur.*] Alterum fiduciæ argumentum ſumit ex viſione, in qua Deus luculentius naturam ſuam expreſſerat. Ex quo patet quam dextre in ea profecerit, ſeque ſedulo & probe in ea exercuerit. Hinc tamen elicitur generalis doctrina, nihil eſſe efficacius in precibus quam Deo verbum ſuum objicere, concipere denique vota noſtra ex ejus promiſſionibus: acſi nobis ore ſuo dictaret quicquid poſtulandum eſt. Quum itaque memorabili quod vidimus elogio ſe Muſi Deus patefeciſſet, inde certa ſumi potuit precandi forma: quia nuſquam firmior certitudo quam in ejus verbo: in quo ſi fundatæ eruot noſtræ preces, timendum non eſt ne ſint irritæ, vel nos eveotus fruſtretur. Idem enim qui loquutus eſt, veracem ſe probabit. Et certe ideo loquitur, ut oobis loquendi materiam ſuppeditet: alioqui enim neceſſe eſſet obmuteſcere. Quia autem verſum decimum octavum alibi expoſui, illuc ſe conferant lectores.

19. *Propitius eſto iniquitati.*] Ad ſpem veniæ primum ſibi magnitudinem clementiæ Dei proponit, deinde ſuperiora exempla quibus cognitum fuerat quam propenſus eſſet Deus ad ignoſcendum. Ac Dei quidem miſericordia, quoties peccavimus, ad quærendam reconciliationem perpetuo nos invitat: & quum mala malis addita, ipſique ſcelerum atrocitas merito nos terrere queat, magnitudinem gratiæ cujus hic fit mentio, nobis occurrere neceſſe eſt, ut omnem materiam iræ Dei abſorbeat. Ad hoc quoque aſylum David confugiens, ſuo exemplo nos docet quomodo ſuperandi ſint omnes pavores: verum quia ſæpe friget ſimplex & nuda bonitatis Dei cognitio, alteram ſulturam Moſes applicat ab experientia. Igooſce, ioquit, ſicuti antehac toties feciſti. Quia enim inexhauſta eſt ac infatigabilis Dei bonitas, quo ſæpius eam ſumus experti, eo fortius ad eam implorandam aoimari nos decet: non ut diffluamus ad peccandi licentiam, ſed ne obruat nos deſperatio ubi Dei judicio urgemur, & propria conſcientia nos angit & cruciat. Denique hæc nobis ſit valida obteſtationis ſpecies, Deum per ſua quæ experti ſumus beneficia orate, ut beneficus nuoquam eſſe deſinat.

Ex eodem Capite.

20. Tunc dixit Jehova, Peperci ſecundum ſermonem tuum.

21. Veruntamen vivo ego, & replebit gloria mea univerſam terram:

22. Quoad cunctos homines qui viderunt gloriam meam, & ſigna mea quæ edidi in Ægypto, & deſerto, & tentaverunt me jam decem vicibus, nec paruerunt voci meæ:

23. Si videbunt terram, de qua juravi Patribus eorum: omnes, inquam, qui me irritaverunt, non videbunt eam.

24. At ſervum meum Caleb, eo quo quod alius fuit ſpiritus cum eo, & adimplevit ire poſt me, ipſum quoque introducam in terram quam ingreſſus eſt, & ſemen ejus hæreditate accipiet eam.

25. Amalec & Chananæus habitat in valle: eras revertimini, & proficiſcimini in deſertum via maris Suph,

20. *Peperci ſecundum ſermonem.*] Significat Deus quos jam exitio addixerat ſe remittere ac donare ſervo ſuo Moſi. Unde colligimus quid apud Deum valeat piorum deprecatio: quemadmodum dicitur in Pſalmo facere ſecundum eorum deſiderium, qui ipſum timent. Ultro quidem facturus erat quod Moſi conceſſit: ſed quo ſimus ad precaodum alacriores, precum utilitas & fructus commendatur, ubi pronunciat Deus ſe non tantum annuere votis noſtris, ſed etiam obſequi. Verum de quibus ea tremam pœoam exigere ſtatuit, & quos promiſſa hæreditate abdicat, qui convenit ut aſſerat ſe illis peperciſſe? Reſpondeo, non perſonis, ſed generi & memoriæ datam fuiſſe veniam cujus fit mentio. Nam quod mortis æternæ reatu ſolutos eſſe quidam volunt, & ideo placatum fuiſſe illis Deum, quia pœoa temporali contentus fuerit, conſtum eſt. Non dubito igitur Moſen fuiſſe eatenus exauditum, ne deleto ſemine Abrahæ, fœdus Dei excideret. Ac ſic temperavit veniam, ut maneret incolumis poſteritas, incredulis tamen rependeret contumaciæ mercedem. Ita parcendi ratio nihil impiis defectoribus profuit: & tamen viam aperuit adimplendam promiſſionis fidem. *Pſal. 145. verſ. 19.*

21. *Vivo ego.*] Certum quidem eſt Deum per vitam & gloriam ſuam jurare. In eo tantum ambiguus eſt ſenſus, quod in præterito tempore quidam exponunt terram fuiſſe repletam gloria, quæ jam patefacta fuerat pluribus miraculis. Et videtur bene quadrare quod mox ſequitur, Qui viderunt gloriam meam, non videbuot terram: loci tamen circumſtantiæ aptius eſt tempus futurum: nempe ut Deus teſtem citet ſuam gloriam, cujus futurus erat aſſertor. Timebat Moſes ne in Dei contumeliam & probrum traberetur interitus populi: nunc Deus jurejurando pronunciat ſe ita fore gloriæ ſuæ vindicem, ut qui tanto ſcelere ſunt obſtricti, pœnam non effugiant. Negat terram viſuros qui miracula, quorum ſpectatores fuerant & teſtes oculati, clauſis oculis præterierant, & conati fuerant ſua cæcitate quaſi in nihilum redigere. Nam quum tot ſignis non fuiſſent edocti ad timendum Deum, pluſquam indigni erant terræ aſpectu: cujus poſſeſſio ſignis ipſis rata eſſe debuerat, niſi eorum ingratitudine procul rejecta fuiſſet Dei veritas. Decem vicibus ſe tentatum fuiſſe Deus queritur: quia non deſtiterant ſubinde ipſum provocare ſua prorervia. Neque enim numerus certus ac defioitus ponitur: ſed tantum ſignificat Deus nullum eſſe modum vel finem. Quid ſit Deum tentare alibi diximus, nempe ſenſus noſtri modulo ſubjicere ejus potentiam, & pro noſtra libidine legem agendi præſcribere: ut nihilo plus ei deferamus quam dictat carnis ratio. Additur fons & cauſa tentationis, dum ejus vocem reſpuunt homines: quia ſola obedientia petulantiam compeſcere poſſet, ut eſt magiſtra modeſtiæ.

24. *At ſervum meum Caleb.*] Per ſynecdochen ſolus Caleb nunc excipitur: quum tamen Jehoſua ejuſdem gratiæ fuerit particeps, ſicut & ſocius virtutis: ſed præcipue laudatur, quia ſignum quodammodo extulerat, fueratque princeps ad aoimandom Jehoſua. Summa laudis eſt, quod impleverit ire poſt Deum.

Deum. Nam quod alii subaudiunt voluntatem, supervacuum est: quum simplex loquutio plena sit. Commendat ergo Deus obsequii perseverantiam in Caleb: quia non tantum prompto animo alios fuerit hortatus, sed constanter & infracto animo perrexerit, nec retentus fuerit ullis obstaculis. Laudem vero constantiæ amplificat Deus, quod unus cum tanta multitudine fortiter confligendo, solum ipsum respexerit. Rarum enim exemplum est, inter violentos & tempestuosos motus, quasi toto orbe concusso, stare in gradu, ac rectum cursum tenere. Etsi autem nomen רוח pro affectu capitur, non dubito tamen quin metonymice significet Moses divinitus sic animatum fuisse Caleb.

25. *Amalec & Chananæus.*] Quidam sic resolvunt verba, Quamvis Amalecitæ habitent in valle. Alii vero, Quoniam Amalecitæ subsidunt in vallibus ad struendas insidias. Alii existimant terrorem incuti, ne diutius maneant in terra hostili: quia quotidie expositi erunt ad novos insultus. Ego vero potius arbitror exprobrandi causa id esse dictum. Jam enim ad terræ habitabilis fines ventum erat, jam hostes erant profligandi. Jubet autem Deus retro cursum flectere: & ita à terra quam attigerant, eos expellit. Quanquam non inficior quin necessitate exposita, ad parendum eos cogat: quasi diceret, nõn aliud restare quam ut terga vertendo, se rursus in desertum conjiciant.

Ex eodem Capite.

26. Loquutus est itaque Jehova ad Mosen & Aharon, dicendo,

27. Usquequo congregationem hanc perversam feram, quæ murmurat adversum me? murmurationes filiorum Israël, quibus ipsi murmurant contra me, audivi.

28. Dic ergo eis, Vivo ego, dicit Jehova, nisi quemadmodum loquuti estis in auribus meis, sic fecero vobis.

29. In deserto isto cadent cadavera vestra, & omnes numerati vestri, secundum omnem numerum vestrum, à filio viginti annorum & supra, qui murmurastis contra me.

30. Si vos ingrediemini terram, de qua levavi manum meam, ut habitare vos facerem in ea: præter Caleb filium Jephunch, & Jehosua filium Nun.

31. Ac parvulos vestros, de quibus dixistis, In prædam erunt, ipsos introducam: & cognoscent terram istam quam despexistis.

32. Cadavera autem vestra cadent in deserto hoc.

33. Et filii vestri pastores erunt in deserto hoc quadraginta annis: & portabunt scortationes vestras, donec consumantur cadavera vestra in deserto.

34. Secundum numerum dierum quibus explorastis terram, quadraginta diebus, unoquoque die pro anno uno, portabitis iniquitates vestras in deserto, & cognoscetis vanitatem meam.

35. Ego Jehova loquutus sum, Si non hoc fecero universæ congregationi huic perversæ, quæ congregata est adversum me: in deserto isto consumentur, ibique morientur.

36. Viri itaque illi quos miserat Moses ad explorandam terram, qui reversi murmurare fecerant adversus eum cunctam congregationem, detrahendo terræ:

37. Morientur viri illi qui terræ detraxerunt, plaga coram Jehova.

38. Jehosua vero filius Nun, & Caleb filius Jephunch vivent, ex hominibus illis qui profecti sunt ad explorandam terram.

26. *Loquutus est itaque Jehova.*] Copulam transtuli per vocem Itaque, ad continuationem notandam. Neque enim quicquam novum hic narrat Moses: sed explicandi causa inculcat rem magni momenti: privatum fcilicet iri terræ possessione qui illuc ingredi recusaverant. Exordium autem est pathetica interrogatio, Quousque tandem ferenda erit importuna illa fæx populi quæ obstrepere non desinit? Dicit autem Deus se audivisse tumultuosos illorum clamores: quo certius agnoscant intolerabilem esse suam superbiam, cujus Deum ipsum tædet, quamvis multæ sit patientiæ & tardus ad iram. Salsa autem ironia eos perstringit, quum dicit se acturum ex eorum sententia & voto. Ipsis quidem nihil minus erat propositum quam in deserto vagari: sed quia refugerant terræ accessum, Deus se illis morigerum fore alio sensu dicit: quia scilicet terræ quam spreverunt conspectu nunquam potientur. Jurejurando summam offensionem exprimit: sicut etiam dicitur in Psalmo, Quare juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Ita vero percelli eorum stuporem necesse fuit, ne Deo tantopere exacerbato, sibi pro more indulgerent. Pœnam aggravat alia circumstantia, quod hæreditate privandi sint quam Abrahæ juraverat se daturum. Levatio enim manus (ut alibi dictum est) ritus fuit jurisjurandi: perinde acsi extenta manu Deus testis & judex accerseretur è cælo. Etsi autem id in Deum proprie non competit, scimus tamen ut soleat in se transferre quæ sunt hominum. Porro hæc gravis fuit exprobratio, eos malitia sua & protervia exinanire Dei promissionem jurejurando sancitam, ne saltem effectum erga eos suum proferret. Nam paulo post ostendit Deus, quamvis oblatum beneficium respuerint, se tamen fore veracem: quia parvulis eorum filiis quod à se repulerunt præstabit. Sic Deus sua judicia adversus hypocritas, qui falso obtendunt ejus nomen, temperat, ut semen aliquod conservet ad propagandam Ecclesiam: nec unquam ita severus est erga reprobos quin misericordia ejus erga electos vigeat. Imo hic docet beneficium se fore erga filios, ut patribus pœnam irroget. Obliqua erat accusatio Dei, quum lugerent filios suos, acsi mox rapiendi essent ad prædam. Promittit Deus illos terræ fore dominos, ut coarguatur impia blasphemia.

Psal. 95. vers. 11.

33. *Et filii vestri.*] Hic pronunciat filios quoque eorum ejusdem pœnæ fore consortes aliqua ex parte, quia in deserto errabunt usque ad tempus præfixum. Pastorum enim voce inquilinos significat, quibus nusquam certa est vel longa statio. Quo pertinet illa similitudo in cantico Ezechiæ, Hospitium meum translatum est quasi tabernaculum pastoris. In summa, vagos & instabiles fore denunciat, sicuti pastores per varia loca greges ductando, erraticam vitam agunt. Scortationes metaphorice vocat impias defectiones quibus se corruperant. Nam ex quo eos sibi despon-

Jesa. 38.

deſponderat Deus in peculium: vera eorum caſtitas fuiſſet, ſincera fide ejus gratiam amplecti, & ſimul ejus imperio ſe addicere. Atqui purum ejus cultum abjiciendo, tanquam vaga ſcorta ſacrum conjugium ruperunt. Cæterum hoc exemplo docemur quomodo Deus iniquitatem patrum in filios rejiciat, nec tamen quenquam immerito caſtiget: quia poſteritas de qua agitur, quamvis alienam culpam lueret, non erat tamen ipſa innocua. Sed in judiciis Dei ſemper eſt profunda abyſſus, in quam ſi demergi metuis, adora quod percontari fas non eſt. Et tamen dubium non eſt quin hoc quoque modo conſuluerit Deus eorum ſaluti erga quos viſus eſt ſignum aliquod rigoris dare. Expectavit enim non tantum donec adoleſcerent, ſed etiam, quod ipſis utile erat, donec colligerent virile robur, nova quoque ſoboles gigneretur. Secundum numerum cauſam aſſignat cur rejiciat effectum promiſſionis ſuæ in annos quadraginta: nempe ut pro diebus male conſumptis totidem annos rependat. Quum nuper loquutus eſſet de filiis, ad ipſos ſceleris auctores iterum redit, qui longo illo temporis decurſu quaſi lenta tabe conſumpti ſunt. Nomen תהו pro quo reddidi Vanitatem, deſcendit à verbo תוה, quod ſignificat Irritum facere. Varios tamen ſenſus eliciunt interpretes. Quidam ſic exponunt, Cognoſcetis an ego ſim mendax, vel an inanis futurus ſit ſermo meus. Alii Prohibitionem vertentes, longius recedunt. Sed, meo judicio, ironica eſt conceſſio, qua Deus in deteſtabilem eorum ſuperbiam invehitur, quæ non alio tendebat quam ut Deo mendacium objicerent, & calumniarentur ejus verba carere effectu. Niſi forte magis placeat paſſive accipere: quia populus conatus fuerat Deum ipſum quaſi ea inanire. Ego tamen ſenſum illum potius amplector, ſerio experimento ſenſuros, frivolane ac vana ſint Dei promiſſa. Porro tenenda eſt admonitio Prophetæ quam attigimus: quam Apoſtolus in præſentem uſum accommodat: quia ſcilicet hodie nobis offertur melior requies, timendum eſſe ne ab ea nos prohibeat incredulitas. Neque enim ſatis eſt porrectam ſemel nobis fuiſſe Dei manum, niſi ab ea nos dirigi ſinamus, donec completa terrena peregrinatione in cæleſtem quietem nos perducat. *Pſal. 95. verſ. 11. Hebr. 4. verſ. 6.*

36. *Viri itaque illi.*] Quod volunt quidam anticipationem eſſe, nullo modo probatur. Nec enim dubium eſt quin Moſes peculiarem ea primat vindictam, quæ de perfidis exploratoribus divinitus ſumenda erat. Antehac diſſeruit de communi totius populi pœna: nunc decem homines plaga percutiendos commemorans, ſignificat Deum ab illis exorſurum eſſe: ut illuſtri & notabili documento palam faciat quam graviter offenſus eſſet illo nimis indigno gratiæ ſuæ contemptu. Ergo mors eorum ſubita & prodigioſa, fuit reliquis omnibus quoddam pœnæ quæ ipſos manebat præſagium. Nam primo nomen plagæ emphaticum eſt: quaſi diceret, non ſuo fato nec naturaliter perituros. Deinde per conſpectum Dei aliud ſignificat quam ſi dia eſſet, coram Deo. Neque enim Deus ſpectator tantum fuit: ſed raro & inſolito modo exequutus eſt formidabile ſuum judicium, acſi palam tribunal conſcenderet. Quod etiam clarius patuit dum vitam prorogavit Caleb & Joſue, qui uſque ad finem præſtai temporis ſoli fuerunt ex illa generatione ſuperſtites. Verum quidem eſt, verba eſſe præteriti temporis: ſed quia clara erat ἐφημερὶς, tempus mutare non dubitavi: quod linguæ ſatis tritum eſt: atque melius cohæret oratio.

Ex Deut. Cap. I.

34. Audivit autem Jehova vocem verborum veſtrorum, iratuſque eſt, ac juravit, dicendo,

35. Non videbit quiſquam ex hominibus illis de generatione mala hac terram bonam quam juravi me daturum patribus veſtris.

36. Præter Caleb filium Jephuneh: ipſe enim videbit eam, eique dabo terram quam calcavit, & filiis ejus, eo quod adimplevit ire poſt Jehovam.

Et paulo poſt.

39. Etiam parvuli veſtri, de quibus dixiſtis, In prædam erunt, ac filii veſtri, qui non norunt hodie bonum nec malum, ipſi intrabunt illuc, illiſque dabo eam, & ipſi poſſidebunt eam.

40. Vos autem converſi proficiſcimini in deſertum per viam maris Suph.

34. *Audivit autem Jehova.*] Quid ſibi velit iſtud audire Dei, alibi dictum eſt: nempe Deum nihil celari poſſe, quin omnia noſtra dicta & facta ad cognitionem & judicium vocet. quod notatu dignum eſt. Nunquam enim adverſus eum obſtrepere homines auderent, niſi ex ejus abſentia promitterent ſibi impunitatem. Secundo quoque hinc liquet, Deum qui juſtus eſt judex, non temere prorumpere ad pœnam de hominibus ſumendam, nec ſeverum eſſe niſi cauſa probe cognita. Intelligit ergo ſua ipſos contumacia & pravitate certa & præſenti hæreditate fuiſſe privatos.

39. *Etiam parvuli veſtri.*] Jam ante admonui, Deum ita judicium ſuum temperaſſe, ut nemo ex ſontibus impune evaderet: maneret tamen rata & inviolabilis ejus fides, nec hominum malitia fœdus quod pepigerat cum Abraham, faceret irritum. Denunciat ergo hæreditate quam ſpreverunt nunquam potituros: ſe nihilominus veracem fore, ut compleat quod pollicitus eſt, & locum det ſuæ miſericordiæ erga filios, quos ſua deſperatione hoſtibus in prædam addixerant. Porro quod hanc gratiam ad parvulos reſtringit qui nondum per ætatem diſcernere poterant inter bonum & malum, eo ſignificat omnes qui jam rationis erant compotes, à minimo uſque ad maximum, eodem ſcelere eſſe implicitos, quia contagio per totum corpus graſſata erat. Incredibile certe prodigium, ſic diabolico furore correptam fuiſſe tantam multitudinem, ut nihil ſalvum vel ſincerum reſtaret. niſi forte ſenes quoſdam matura mors abſtulit aliorum magis quam ſuo vitio. Cæterum ſi à ſcelere immunis fuiſſet vel pars centeſima, ſuperſtites aliquos ſervaſſet Deus. Neſcire bonum vel malum, tantundem valet ac non diſcernere inter dextram & ſiniſtram. Qua loquendi forma apud Jonam Deus parvulos qui nullo adhuc judicio pollent, à damnatione eximit. Unde tamen inſcite quidam probare conati ſunt, pueros infantes non eſſe inquinatos originali peccato: nec reatu obſtrictos teneri homines, niſi quem ſibi quiſque proprio arbitrio contraxit. Neque enim hic agitur de natura humani generis: ſed tantum ſegregantur pueri ab eorum numero qui ſcientes & volentes iram Dei provocarunt: quando corruptio, quæ radix eſt, quamvis non ſtatim fructus ſuos in peccatis actualibus proferat, non ideo nulla eſt.

Ex

Ex Numer. XIV.

39. Loquutus eſt igitur Moſes verba iſta omnibus filiis Iſraël : & luxerunt populus valde.

40. Surrexeruntque mane, & aſcenderunt in verticem montis, dicendo, Ecce nos ut aſcendamus ad locum de quo loquutus eſt Jehova: quia peccavimus.

41. Et dixit Moſes, Ut quid transgredimini ſermonem Jehovæ? * Et hoc non proſpere cedet. * vel *Quando.*

42. Ne aſcendatis: quia non eſt Jehova in medio veſtri: ne percutiamini coram inimicis veſtris.

43. Amalec enim & Chananæus ibi eſt ante vos, & cadetis gladio. Nam propterea quod averſi eſtis à ſequendo Jehova, neque erit Jehova vobiſcum.

44. Sumpſerunt tamen animos ut aſcenderent in verticem montis. Arca autem fœderis Jehovæ & Moſes non receſſerunt è medio caſtrorum.

45. Deſcendit itaque Amalec & Chananæus, qui habitabant in monte illo, percuſſeruntque eos, & contuderunt uſque Horma.

39. *Loquutus eſt igitur Moſes.*] Juſta quidem lugendi cauſa fuit, quum audirent Deum, cujus tolerantia nimis proterve abuſi fuerant, poſthac fore implacabilem. Sed hic nobis ante oculos ſtatuitur triſtitia ſecundum mundum, quæ mortem generat, ut inquit Paulus: dum impii flendo & querulando, non deſinunt tamen adverſus Deum fremere, imo majore pervicacia frenum arrodunt: & ita tanquam feræ & indomabiles beſtiæ, cæca deſperatione ruunt ad mortem. Nullis quidem lachrymis redimi poterat temporalis pœna: verum ſi reſipiſcendi animus fuiſſet, unicum remedium erat ſponte ſe dedere, & placide ſubire quicquid caſtigationis infligere Deo placeret. Atqui primum ſuperbe obluctantur, ut pœnam ſibi impoſitam excutiant, & pœnitentiam ſimulando, magis ac magis adverſus Deum ſeruciunt. Dubium enim non eſt quin obſequii prætextu mane ſuerint accincti ad pergendum. Sed quorſum id, niſi ut inviolabile Dei decretum everterent? Interea quaſi ipſo invito, perrumpere tentarunt quo vetabat. Ecce nos (inquiunt) parati ſumus: ſero, quia præteriit opportunitas. Nam ſicut hortatur nos Propheta, ut quæramus Deum dum inveniri poteſt, ſic etiam ſequi oportet quando nos vocat. Quorſum autem præpoſtera hæc populi alacritas? Quum Deus retrocedere ipſos in deſertum velit, ulterius pergendo parendi ſtudium præ ſe ferunt. Perinde tamen id volunt accipi atque juſtam ſatisfactionem, dum ſe fatentur peccaſſe.

2 Cor. 7. verſ. 10.

Iſa. 55. verſ. 6.

41. *Ut quid transgredimini.*] Repudiat fictam pœnitentiam, qua peccator huc illuc circumagitur, ut ſe Deo non addicat. Si reverteris Iſraël, inquit Deus apud Jeremiam, ad me revertere. Ergo in primis ſpectandum eſt quid requirat à nobis Deus, ut appareat nos ejus poteſtati vere eſſe addictos. Porro ut temeritatem compeſcat Moſes, fruſtra proſperum eventum ſperari admonet, ubi à Dei mandato receditur. Atque hæc valde utilis eſt doctrina, gratiam Dei nunquam defore, modo ſimpliciter obediamus ejus verbo: ſed dum ſpretis vel neglectis ejus præceptis, proprio ſenſu rapimur, nunquam lætum nec felicem fore exitum. Si quis objiciat, non aliud miſeris fuiſſe remedium: jam dixi debuiſſe hoc ſolatio eſſe contentos quod exilium à terra Chanaan non eſſet æterna abdicatio à ſpe vitæ cæleſtis: imo ſi coram Deo ſe humiliaſſent, ſperare poterant pœnam illam adjumento ſibi fore in bonum. Nunc perperam fatagendo malum duplicant. Poſtquam autem periculum illis oſtendit Moſes, iterum inculcat Deum pro ipſis non ſtare, quia eum deſeruerint: nec benedictionem ejus præſto fore, quia ipſum in tempore ſequi recuſaverint.

Jer. 14.

44. *Sumpſerunt tamen animos.*] Non fuit quidem illis animus ſe data opera efferre, ut Deo repugnarent: quin potius hoc piaculi genere placare ipſum ſtudebant. Nec deſuit color ad fallendum, quando parati erant ad mortem alacriter properare, ut animas ſuas in ſacrificium offerrent, atque ut hæc eſſet ſuperioris moræ & ignaviæ compenſatio. Sed ita ſcilicet fervet impiorum zelus, ubi quieſcere decebat: Deo autem hortante frigus & ſtupor eorum animos occupant, ut nihilo plus ejus voce exciteotur quam lapides. Denique ubi ceſſandum eſt, ſemper agilis, prompta & audax eſt iocredulitas: ubi autem pergendi auctor eſt Deus, timida eſt, pigra & mortua. Tandem ſubjicit Moſes pœnas ſtulti impetus dediſſe: quia non tantum fuſi & fugati ſint ab hoſtibus, ſed etiam contriti. Unde colligimus eorum ferociam viribus & ſolida fortitudine in ipſo articulo caruiſſe. Simul tamen aliud amentiæ ipſorum ſignum recitat, quod relicta Dei Arca, & poſthabito Moſe, ſeſe tanquam devoti in cædem projecerint. Unde apparet, incredulos dum cæco zeli ſui impetu feruntur, ſic ratione & conſilio deſtitui acſi ultro conſpirarent in ſuam perniciem.

Ex Deut. I.

41. Et reſpondiſtis, & dixiſtis ad me, Peccavimus Jehovæ: nos aſcendemus & pugnabimus omnino ſicut præcepit nobis Jehova Deus noſter. Eraccinxiſtis vos ſinguli armis ſuis bellicis, & paraſtis aſcendere in montem.

42. Dixit autem mihi Jehova, Dic eis, Ne aſcendatis, neque pugnetis: quia non ſum in medio veſtri, & ne percutiamini coram inimicis veſtris.

43. Loquutus ſum hæc apud vos: ſed non audiſtis, ac rebelles fuiſtis ori Jehovæ, & temere egiſtis ut aſcenderetis in montem.

44. Itaque egreſſus eſt Amorrhæus qui habitabat in monte in occurſum veſtri, & vos perſequuti ſunt, quemadmodum facere ſolent apes, & contriverunt vos in Seir uſque Horma.

45. Et reverſi fleviſtis coram Jehova: ſed non exaudivit Jehova vocem veſtram, nec auſcultavit vobis.

46. Et manſiſtis in Cades diebus multis, ſecundum numerum dierum quibus manſiſtis.

41. *Et*

41. *Et reſpondiſtis.*] Sera pœnitentia, quæ ad præpoſterum ſatagendi ardorem Iſraëlitas impulit. quanquam non vere nec ſerio reſipuerunt, ſicut ante expoſui: quia quum patienter illis ferenda eſſet Dei caſtigatio, eam exeutere & procul à ſe abigere nova contumacia tentarunt. Deoique nihil aliud quam calcitrarunt adverſus ſtimulum. Verum bæc hominum eſt ſtrenuitas, ubi eos agit ſua libido, nihil non audere Deo vetante. Sed in eo longe deterior amentia ſe prodidit, quod ſecundo retracti non obtemperant. Adde quod non ſimpliciter illis pugnam interdicit, ſed auxilium ſuum negat. Quid igitur magis prodigioſum quam invito Deo, & ſpe opis ejus ablata, aggredi quod paulo ante ejus auſpiciis, mandato, & certa victoriæ promiſſione obſtinate recuſaverant? Et tamen ut hypocriſis mentes excæcat, corrigere & penſare ſe putarunt quod duplicabant vitium. Poſtea commemorat Moſes quam meriti erant mercedem ipſos tuliſſe: acſi diceret, Quamvis ſint indociles, accepto malo expertos eſſe quam exitiale ſit non parere Deo. ſtultienim nunquam niſi ferulis icti ſapiunt.

45. *Et reverſi.*] Hic propriam eorum conſcientiam teſtem appellat. nunquam enim ad fletum & deprecationem fuiſſent adducti niſi proprio animi ſenſu urgente. Quia igitur ſatis ſuperque convicti fuerant juſtam pœnam ſuæ pervicaciæ infligi, ipſos ad Deum quærendum adegit neceſſitas. Itaque ubi ſe Deus implacabilem oſtendit, nulla illis fuit fremendi cauſa. In poſtremo verſu ambiguus eſt borum verborum ſenſus, Diebus multis, ſecundum numerum dierum. Quidam tempore pluſquam perfecto utentes, Quibus manſeramus, exiſtimant adhuc ſubſtitiſſe per alios quadraginta dies? Sed æque probabile eſt notari tempus indefinitum: acſi dixiſſet longam illic moram populum traxiſſe, ex qua colligere liceret ipſos conſilii inopia quaſi exanimes jacuiſſe. Porro Cades Barnea deſignat Moſes, unde miſſi fuerant exploratores: non autem Cades, ubi mortua eſt Maria, & populus ob aquæ defectum murmuravit.

Ex Deut. IX.

22. Et in Taberah & in Maſſah, & in Cibroth Hatthaavah ad iram provocaſtis Jehovam.

23. Et quum miſiſſet vos Jehova de Cades Barnea, dicendo, Aſcendite, & poſſidete terram quam dedi vobis, rebellaſtis verbo Jehovæ Dei veſtri, neque credidiſtis ei, neque obediviſtis voci ejus.

24. Rebelles fuiſtis Jehovæ à die qua cognovi vos.

22. *Et in Taberah.*] Plura exempla ſimul breviter perſtringit, quibus populum ingratitudinis & continuæ pervicaciæ, adeoque pravi ingenii convincat. perinde enim eſt acſi diceret, non ſemel neque in uno genere Deo fuiſſe rebelles: ſed concervaſſe plures noxas, ut mirum ſit toties Deum illis ignoviſſe. Nomina etiam locis impoſita recenſet, quæ ſcelerum erant monumenta, ut tandem deſinant facere peccandi modum, quia ſubinde provocatus nimis diu eos toleraverat.

Ex Deut. II.

1. Poſtea reverſi profecti ſumus in deſertum per viam maris Suph, quemadmodum loquutus fuerat Jehova ad me, & circumivimus montem Seir diebus multis.

1. *Poſtea reverſi.*] In Numeris tempus non notatur quo caſtra moverunt. Hic ergo verſus hiſtoriam apte contexet: quia alioqui abrupta eſſent quæ mox ſequuntur. Deinde breviter indicat qualis fuerit peregrinandi ratio uſque ad præfixum tempus: nempe ut per circuitus erraticos fruſtra ſe fatigando, tandem diſcerent recta Deum ſequi, nec à via quam oſtendit deflectere.

Ex Levit. XXIV.

10. Egreſſus eſt autem filius mulieris Iſraëlitidis, qui erat filius viri Ægyptii, in medio filiorum Iſraël: & jurgati ſunt in caſtris ipſis filius Iſraëlitidis & vir Iſraëlita.

11. Et transfixit filius mulieris Iſraëlitidis nomen, & maledixit: adduxeruntque eum ad Moſen: nomen autem matris ejus erat Selomith filia Dibri, de tribu Dan.

12. Et poſuerunt eum in cuſtodiam, ut exponeret eis juxta ſermonem Jehovæ.

13. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

14. Edue blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum univerſus cœtus.

10. *Egreſſus.*] Quotoanno, & in qua deſerti ſtatione hoc acciderit, incertum eſt. Itaque duas res non abſimiles conjungere placuit. Probabile eſt, inter hoc pœnæ exemplum & alterum quod mox ſequetur, interfuiſſe aliquod ſpatium temporis. Sed rerum ſimilium connexio viſa eſt optime quadrare ad hiſtoriæ ſeriem, dum unus lapidatur qui ſacrum Dei nomen impia blaſphemia profanavetat, alter vero ob contemptum & violationem Sabbathi. Notandum eſt, crimen unius hominis cauſam dediſſe legi ferendæ, quæ alibi expoſita fuit: ſicuti vulgari proverbio jactatum fuit, ex malis moribus natas eſſe bonas leges: quia poſtquam ſumptum fuit de blaſphemo ſupplicium, edixit Moſes, ne quis impune Dei nomen probro afficeret. Jam providentia Dei factum eſt ut documentum ſeveritatis inciperet ab hominis Ægyptii filio. Nam ex quo nomiois ſui contumeliam Deus tam duriter ultus eſt contra exteri & profani viri ſobolem, longe minus fuit excuſabilis impietas in Iſraëlitis quos Deus ab utero matris ſuſceptos quaſi in ſinu ſuo educaverat. Matris quidem reſpectu oriundus erat ex electo populo: ſed genitus ex patre Ægyptio, proprie cenſeri non debuit inter Iſraëlitas. Ergo ſi veniæ locus eſſet, potuit obtendi ſpecioſus color, cur homini alienæ & impuræ originis facilius ignoſceretur. Atqui ejus morte ſancita fuit majeſtas nominis Dei. Unde ſequitur nullo modo eſſe permittendum ut inter Eccleſiæ filios nomen Dei impune blaſphemiis ſubjaceat. Diſcere autem licet ex hoc loco, in illa tyrannica oppreſſione multas puellas abnupſiſſe in gentem Ægyptiacam, ut ab injuriis cognatos protegeret affinitas. Fieri autem poteſt, ut hunc blaſphemi patrem uxoris amor in voluntarium exilium pertraxerit: niſi forte jam vidua erat mater ante populi egreſſum: ut liberum fuerit filium ſecum ducere. Porro egreſſus dicitur, non extra

tra caſtra, ſed in publicum, ut à teſtibus convinceretur. Neque enim ad cauſam dicendam tractus fuiſſet, ſi latuiſſet crimen inter domeſticos parietes. Jam hæc quoque circumſtantia notanda eſt, quamvis interjurgandum excidiſſet blaſphemia, ſumptam nihilominus de ea fuiſſe pœnam. Et certe frivola eſt tergiverſatio, petere ut iracundiæ prætextu ignoſcatur blaſphemiis. nihil enim minus ferendum eſt quam ut in Deum recidat impetus noſter, ubi in hominem excandeſcimus. Atqui vulgare eſt, ubi quis blaſphemiæ coarguitur, culpam transferre in iracundiæ fervorem: acſi Deo luenda eſſet pœna quoties provocamur. Verbum נקב quod alii vertunt Exprimere, hoc loco potius ſumitur pro execrari vel transfigere: & apte convenit metaphora, nomen Dei transfigi ubi contumelioſe jactatur.

13. *Loquutus eſt Jehova.*] Tenendum igitur eſt, non hominum arbitrio nec violento zelo populi inflictam fuiſſe pœnam blaſphemo: ſed Moſen cæleſti oraculo edoctum quænam ferenda eſſet ſententia. Porro dictum alibi fuit cur Deus manu teſtium voluerit occidi maleficos. Additur hic alia ceremonia, ut manus imponant ejus capiti, acſi noxam in eum rejicerent.

Ex NUMER. XV.

32. Quum autem eſſent filii Iſraël in deſerto, invenerunt virum colligentem ligna die Sabbathi:

33. Et adduxerunt illum qui invenerunt colligentem ligna, ad Moſen & Aharon, & univerſam congregationem.

34. Qui poſuerunt eum in cuſtodiam: quia nondum patefactum erat quid faciendum eſſet ei.

35. Et dixit Jehova ad Moſen, Moriendo moriatur vir ille: lapidet eum lapidibus univerſa congregatio extra caſtra.

36. Eduxerunt ergo eum congregatio extra caſtra, & lapidaverunt eum lapidibus, & mortuus eſt, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

32. *Quum autem eſſent.*] Quia neſcitur quoto anno vel quo menſe hoc acciderit, nihil melius viſum eſt quam Moſis contextum ſequi. Porro hæc hiſtoria demonſtrat non eadem ſemper inſania percitos fuiſſe Iſraëlitas, ut Deo eſſent immorigeri: quia in hoc exemplo non minor relucet moderatio quam ardor pii zeli. Verum ſicut una hirundo non facit ver, ita ex uno præclaro actu perperam judicatur de tota hominum vita. Adducitur Legis transgreſſor ad Moſen & Aharon. Eorum auctoritas totum populum in officio continet. Altera laus modeſtiæ, quod tranquilli expectant Dei judicium. Accedit tandem ſtrenuitas ad exequendum, ſimulac Deus ſententiam protulit. Diceres ad pietatem omni ex parte recte eſſe compoſitos: ſed quia minima quæque occaſio ipſos ſubinde transverſum egit, tanta levitate detecta fuit eorum hypocriſis. Hæc vero hiſtoriæ ſumma eſt, unius hominis morte ſancitam fuiſſe religionem Sabbathi, ut plus deinde venerationis haberet. Fieri quidem poteſt ut homines iſti qui Sabbathi transgreſſorem adduxerunt, aliis in rebus ſecuri, externæ ceremoniæ (ſicut mos eſt hypocritis) ſupra modum rigidi fuerint vindices. Ex pœna tamen colligere licet reum ipſum non errore lapſum eſſe, ſed craſſo Legis contemptu, ut ſacra omnia ſubvertere aut corrumpere pro nihilo duceret. Inſcitiam quidem in ſacris pollutis interdum ſevere ultus eſt Deus: ſed probabile eſt Deum non juſſiſſe lapidari, niſi voluntarii ſceleris fuiſſet convictus. Porro hac ſeveritate teſtatus eſt quanti faceret Sabbathi obſervationem. Ratio alibi fuit expoſita, quod ſcilicet hac nota & ſymbolo Deus electum populum à profanis gentibus ſegregaſſet. Unde & præcipua infamia Judæis, quum Sabbatharii vocarentur. Sed tenendum eſt, cultum Dei non in otio & feriis ſitum fuiſſe: ideoque ad alium finem ſpectaſſe quod de ſeptimo die præceperat Deus: non tantum ut tunc operam ſuam impenderent meditandis ejus operibus, ſed ut ſibi renunciantes ac propriis operibus, Deo viverent. Porro in genere hoc exemplum docet, non minus ad prioris quam ſecundæ tabulæ conſervationem armari magiſtratus: ut ſi pœnas exigunt de cædibus, adulteriis, & furtis, cultum etiam Dei vindicent. Siquidem notandum eſt, non inconſiderato motu lapidatum fuiſſe hominem, ſed ex Dei præſcripto. Sciebant quidem quid apud Dei tribunal meritus eſſet: verum quia nulla lex politica data erat, noluit Moſes niſi ex Dei auctoritate quicquam ſtatuere.

NUMER. CAP. XVI.

TUlit autem Corah filius Iſhar, filii Cehath, filii Levi, & Dathan & Abiram filii Eliab, & On filius Peleth filii Reuben.

2. Et ſurrexerunt coram Moſe, & viri è filiis Iſraël ducenti quinquaginta, principes congregationis, vocati ad tempus ſtatutum, viri nominis.

3. Congregatique ſunt adverſum Moſen & Aharon, ac dixerunt eis, Sat ſit vobis: nam tota congregatio, univerſi ipſi ſancti ſunt, & in medio eorum eſt Jehova: quare ergo effertis vos ſupra congregationem Jehovæ?

4. Quod quum audiſſet Moſes, projecit ſe in faciem ſuam.

5. Et loquutus eſt ad Corah & ad omnem congregationem ejus, dicendo, Mane oſtendet Jehova qui ſint ejus, & quis ſanctus, & ut accedat ad ſe: & quem elegerit, accedere faciet ad ſe.

6. Hoc facite, capite vobis acerras, Corah & tota congregatio ejus.

7. Et ponite in illis ignem, imponite quoque in eis incenſum coram Jehova cras: & erit, vir quem elegerit Jehova, erit ille ſanctus: ſatis ſit vobis, filii Levi.

8. Et dixit Moſes ad Corah, Audite, quæſo, filii Levi:

9. An parum hoc vobis eſt quod ſeparaverit Deus Iſraëlis vos de congregatione Iſraël, ut accedere faceret vos ſibi ut miniſtraretis in miniſterio tabernaculi Jehovæ, & ut ſtaretis coram congregatione, ut miniſtraretis ei?

10. Et accedere fecit te, & omnes fratres tuos, filios Levi tecum: nisi quæratis etiam sacerdotium.

11. Idcirco tu & universa congregatio tua estis qui conveniunt contra Jehovam: at vero Aharon quid est, quod murmurastis adversus eum?

1. *Tulit autem.*] Hic narratur impia paucorum hominum, sed primarii ordinis, conspiratio: quibus consilium fuit sacerdotium divinitus institutum evertere & abolere. Mosen quidem impetunt & injustæ dominationis insimulant (ut turbulenti homines sine ratione & judicio seruntur) sed ideo tantum Mosi sunt infesti, quia sacerdotii auctorem esse putant: quod facile elicitur ex ejus responso. Neque enim jubet in medium prodire, ut de imperio vel principatu discepteot: sed ut palam fiat an Deus ipsos admittat sacerdutes. Neque aliud exprobrat Levitis quam quod sorte sua non cootenti, summi sacerdotii honorem præpostere affectent. Invidia igitur Curah & ejus sodales instigavit ut jurgium, deinde tumultum moverent de sacerdotio: quia indigne ferebant sibi & posteris spem adipiscendi bonoris perpetuo ademptam esse. ita oulla in Ecclesia Dei exitialior aut deterior unquam fuit pestis quam ambitio: quia fieri oon potest ut qui eminere cupiunr, se contineant sub Dei jugo. Hinc dissipatio legitimi ordinis, dum postbabita vocatione sibi quisque privatim studet. Jam eo magis timenda fuit conspiratio, quia non ea fæce plebis seditio exorta est: sed ab ipsis principibus, & qui honure pollebant, eramque primæ existimationis. Etsi autem quatuor tantum factionis duces fuerunt, mioime tamen dubium est quin ducentis & quinquaginta idem fuerit propositum. Neque eoim grave & odiosum certamen cupide suscepissent in gratiam quatuor bominum, sed omnes traxit perversa cupiditas: quia nemo fuit qui noo speraret præmium aliquod victoriæ. Jam vero noo modo dissimulant animi sui morbum, sed bonestu præteatu velant. Fingunt enim se publici boni zelo stimulari, ut libertatis patrocinium suscipiant. Nam ut versuta est ambitio, nunquam speciuso colore destituitur: ita dum sula superbia seruntur schismatici ad turbandam Ecclesiam, plausibiles semper occasiones excogitaot, quibus aliquid favoris apud imperitos, vel etiam apud leves & improbos concilient. Prudenter igitur excutienda sunt eorum consilia qui aliquid novare tenrant, & statum tolerabilem convellere: quia matura cognitio tandem palam faciet aliud captasse quam obtenderent. Quod autem tantam turbam subito traxerunt in partes, hinc perspicitur quam proclivis sit ad quoslibet insanos & perversos motus hominum natura. Quatuor improbi homines sceleste Mosen & Aharon pessundare conantur: præsto sunt ad obsequium ducenti quinquagiota, non ea vulgo, sed tribuum capita, & qui sua existimatione simplicium oculos perstringere poterant. Quo magis cavendum est, ne in rebus temere novandis larvæ oos decipiant. Quod ad verba spectat, quidam verbum Tulit referunt ad alios factiosos: quasi dicatur, Corab eos excitasse. Alii exponunt quod seipsum instigaverit, & rapuerit malo affectu. Ego vero in neutra significatione accipio pro Aggressus est. Quod postea dicuntur surreaisse coram Mose, quidam simpliciter accipiunt ut verba sonant: alii vero in oralam partem. Et certe hic Coram facie tantundem valet atque Ex adverso, & idco notat insultandi proterviam. Plus est difficultatis in vocibus קרא מ׳׳ר. Omnes fere uno consensu transferunt, Magnos in cœtu. sed quum nomen קריים, vocatos vel invitatos plerumque significet: מועד autem non modo cœtum, sed etiam condictum tempus, vel conventionem: mihi probabile est hos principes & viros magni nominis narrari præsto fuisse, quia ex compacto vocati erant: quasi dixisset Moses eos esse vocatos statuti temporis vel pactionis. Neque enim video causam cur post nomen עדה ponendum fuerit מועד, eodem sensu.

3. *Sat sit vobis.*] Quidam exponunt, Sufficiat: quasi imponere velint finem tyrannidi Mosis. sed potius existimo objici crimen arrogantiæ & sacrilegæ dominationis: quia non tantum sibi Moses & Aharon sumpserint quod nefas erat, sed Deo quoque eripuerint suum imperium. Exprubrant igitur sanctis viris quod Dei hæreditatem sibi impie subjecerint. Itaque videmus fideles servos Dei, quantumvis sibi moderentur, oon eximi tamen falsis probris. Moses singulare fuit non integritatis modo, sed modestiæ quoque & humanitatis exemplum: superbus tamen & violentus dicitur, acsi populum Dei iodigne opprimeret. Porro Deus servos suos patitur tam iniquis calumniis gravari, ut eos doceat aliunde mercedem sperare quam à muodo: ut eos bumiliet, probetque eorum tolerantiam. Obdurescere ergo discamus, ut recte agentes, parati simus male audire. Jam improbi isti & factioti bomines præter impudentiam simul amentiam produnt. Quo enim jure Musi & Aharon honoreni abrogant? Quia scilicet io medio populi Deus habitet, ac omnes sancti sint in illo cœtu. Atqui sanctitas neque ordinem pessundat, nec dissipationem inducit, nec legibus sulvit fideles. Furiose igitur colligunt, jugo non subesse quos Deus sanctificavit. quanquam maligne curam populi, quam Deus servis suis mandavit, tyrannidis iosimulant: acsi lucem data opera verterent in tenebras.

4. *Quod quum audisset Moses, projecit se.*] Non dubium est quin ad preces confugerit in re perplexa: quia sciebat tanto malo remedium esse in sola Dei manu. Atque in boc differt profana magnanimitas à constantia fidelium. Sæpe enim fit, ut increduli quoque pro bonæ causæ defensione laborent, sponte odiis multorum se exponaot, subeant graves pugnas, conflent sibi pericula: sed illis contumacia est loco virtutis. Qui autem in Deum respiciunt, sicuti rerum omnium lætos ac tristes eveotus sciunt esse in ejus arbitrio, ita recumbunt in ejus providentiam: & ubi adversum quid contigit, fidem ejus & auxilium implorant. Quod ergo se prostravit Moses in terram, pluris fuit hæc deprecatio quam omnes heroicæ virtutes, quibus uoquam excellere visi fuot increduli.

5. *Et loquutus est ad Corah.*] Non ineonsiderate sibi elegit Moses hoc divinationis signum, sed dictante Spiritu sacerdotium fratris hac nota & testimonio asseruit. Scimus enim, ut in rebus dubiis & obscuris solitus fuerit scisciscitari quidnam Deo placeret. Non ergo temere nunc prorupit in banc sententiam: sed Spiritus instinctu protulit certum Dei judicium. Hoc profecit sua deprecatione, ot suggereret Deus facilem & expeditam vincendi formam. Jubet autem acerras accipere, ut ex suffitu palam fiat sitne Deo grata ipsorum oblatio. Quod autem differt in crastioum, in eo consulit ipsorum saluti, si quidem fuissent sanabiles. Videbat enim cæco furore præcipites ruere, nec posse momento revocari ad sanam mentem. Spatium ergo temporis ad resipiscendum concedit, ut ea oocte consilium capiant. Vel forte consilium fuit, sedato tumultu, attentos omnes reddere ad Dei judicium.

8. *Audite, quæso, filii Levi.*] Plures compellat, & tameo dictum fuit sermonem ad unum Corah dirigi: nempe quia alios ex Levitis corruperat, sic primum citatur ad Dei tribunal, ut tota simul factio trahatur.

batur. Potuit autem ſtatim expoſtulare cum Levitis, quorum habitatio vicina ſanctuario erat. Porro ingratitudinis eos accuſat, quod honore non contenti quo Deus jam ipſos ornaverat, ſummum ſacerdotium appetant. In quo ſe prodit gratiæ ejus contemptus. Nam ſi ſuo pretio æſtimarentur Dei dona, facile quiſque in ſua ſorte quieſceret: præſertim quo quiſque liberalius ornatus eſt, ſi altius aſpiret, eo minus tolerabilis eſt ejus ingratitudo. Docemur itaque, quo quiſque in altiorem bonoris gradum evectus eſt Dei beneficio, ſi eum adhuc in ſublime rapit ambitio ad tranſiliendas vocationis ſuæ metas, graviore pœna dignum eſſe erimen. Et tamen, quæ eſt omnium fere perverſitas, ſimulac mediocrem locum quiſpiam obtinuit, quaſi elato ſuperbiæ vexillo, nullum ſibi facit modum donec nubes tranſcenderit. Denique pauci reperiuntur qui non honore inſoleſcant. Quo magis tenenda eſt hæc Moſis admonitio, nimis Deo ingratos eſſe qui deſpecta ſua ſorte, quæ honorifica erat, in altum feruntur.

11. *Idcirco tu & univerſa*] Hic detegit eorum ſcelus, quod fucare conati fuerant. Pium enim zelum (ut vidimus) obtendere nulla illis fuit religio, nec pudor. Atqui uno verbo nebulas illas diſcutit Moſes, tantum inſtigante ſuperbia & invidia eos turbare ſtatum populi. Notandum autem eſt quod dicit, efferri adverſus Deum. Etſi enim nunquam confeſſi eſſent ſibi cum eo eſſe negotium, ſed tantum de gradu honoris ſe certare cum hominibus: quia tamen animus illis erat ordinem à Deo poſitum convellere, rejectis cavillis rem ipſam proponit Moſes, bellum Deo movere ſervos ejus oppugnando. Ergo ſi timemus cum Deo conſligere, manere diſcamus in noſtro gradu. Utcunque enim tergiverſentur quicunque ambitionis ſuæ cauſa Eccleſiam perturbant, oppugnando Dei ſervos in ipſum incurrunt. Itaque neceſſe eſt ut ſe vindicem opponat. Neque enim bellum geritur cum Deo, ut Poëtæ fabulantur gigantes coacervatis montibus cælum tranſcendere conatos: ſed ubi impetitur in ſervorum ſuorum perſona, & quovis modo labefactatur quod decrevit. Sacra erat ſacerdotum vocatio. Itaque qui eam evertere machinati ſunt, aperti fuerunt Dei hoſtes: acſi in eum arma, vim & impetum direxiſſent. Atque ideo tenenda eſt ratio quæ ſubjicitur, Aharon enim quid eſt? quia ſi quid ſibi ſumpſiſſet Aharon, Dei patrocinio ejus temeritas & audacia non fuiſſet ſuffulta. Docet igitur Moſes hanc Dei eſſe cauſam, quia in ſacerdotio nihil ſit humanum. Erat quidem honorificum munus, ut Aharon merito cenſeri debuerit aliquid eſſe: ſed intelligit Moſes non habere quicquam proprium, nec ſibi quicquam arrogare: denique nihil eſſe à ſeipſo: præterea non privato commodo excellere, nec eſſe otioſa dignitate, ſed onus laborioſum eſſe impoſitum ejus humeris in communem Eccleſiæ ſalutem. Itaque pluſquam ridicula eſt Papæ fatuitas, dum omnes tyrannidis ſuæ hoſtes comparat Coræ, Dathan & Abiram. Nam ut probet ſibi conjunctam eſſe cum Deo cauſam, fidem ſuæ vocationis faciat, & ſimul ſatisfaciat officio. Sed quam frivolæ & inſulſæ nugæ ſunt, quum aliquis larvatus Aharon à ſeipſo prodit, nullum Dei mandatum, nullam vocationem profert, dominatur pro ſua libidine, biſtrio eſt in theatro potius quam in templo ſacerdos, pro febiſmaticis damnari quicunque adulterinam hanc dominationem rejiciunt? Quare tenendum eſt principium iſtud, contra Deum bellum moveri ubi moleſtia exhibetur ejus ſervis, qui & legitime vocati ſunt, & munus ſuum fideliter exequuntur.

Ex eodem Capite.

12. Miſit etiam Moſes ad vocandum Dathan & Abiram filios Eliab: qui reſponderunt, Non aſcendemus.

13. An parum eſt quod aſcendere feceris nos è terra quæ fluit lacte & melle, ut mori nos faceres in deſerto, niſi etiam dominando domineris nobis?

14. Atqui certe ad terram quæ fluit lacte & melle non introduxiſti nos, neque dediſti nobis hæreditatem agrorum & vinearum: an oculos virorum iſtorum effodies? Non aſcendemus.

15. Iratus eſt ergo Moſes valde, & dixit ad Jehovam, Ne reſpicias ad oblationem eorum: ne aſſellum quidem unum ab eis accepi, neque afflixi quenquam ex ipſis.

12. *Miſit etiam Moſes.*] Voluit hoc modo, ſi fieri poſſet, ſanctis monitionibus eos revocare ab interitu ad quem ruebant. Ergo eorum ſaluti conſulere non deſtitit, quouſque expertus eſt eſſe penitus deploratos. Atque in eo ſpecimen exhibuit clementiæ Dei, cujus Spiritu regebatur. non modo quia ſententiam cauſa incogoita ferre noluit: ſed quia eos ſtuduit ad reſipiſcentiam adducere, ne ſe ultro perderent. Sed tunc accidit quod poſtea ſæpius impletum fuit, ut non modo irrita eſſet Prophetæ ſedulitas apud incredulos, ſed magis ac magis eos obduraret. Scimus enim quid dictum fuerit Jeſaiæ, Obſtina cor populi hujus, aggrava aures, & oculos oblinе: ne forte videat oculis ſuis, & audiat auribus, & cor ejus intelligat, ac converſus ſervetur. Sic Deo placet reproborum malitiam detegere, quo magis reddantur inexcuſabiles. *Jeſa. 6. verſ. 10.*

13. *An parum.*] Non ſatis eſt impiis, ubi ad diſceptationem vocantur, contumaciter reſpuere imperium Moſis, niſi etiam eum ultro accuſent. Sed notandum eſt quo crimine. Exprobrant quod eos eduxerit è terra Ægypti. Subticent tamen aſtute proprium nomen, ſed ejus ubertatem magnifice exſtollunt, ut obſcurent quieqoid pollicitus fuerat Deus de terra Chanaan. Imo videntur formam loquendi qua ſæpius uſus fuerat Moſes, oblique transferre ad Ægyptum, ut ita quaſi ſepulta jaceat Dei benedictio. Porro quam fœdæ ingratitudinis fuit, liberationem, quæ ſingulare erat Dei beneficium, Moſi ejus miniſtro in erimen vertere? Objiciunt ſecundo quod in deſertum eos traxerit ubi moriantur. Idque amplificant proximo verſu, ac odioſe interrogant ubinam ſit promiſſionum veritas. Tandem concludunt Moſen in ſuis fallaciis impudentem eſſe: quia palam appareat populum fuiſſe ab eo fraudatum. Quaſi vero crimen ſit Moſis quod ſe ipſi privarunt terræ poſſeſſione. Hortatus Dei mandato eos fuerat Moſes, ut hæreditatem ſibi promiſſam adirent: cujus ergo improbitatis eſt ac petulantiæ, quum ſibi januam clauſerint, de Moſe conqueri, perquem non ſteterat quominus agris & vitibus fruerentur? Tertio Moſen ſugillant, quod dominationem appetat in libero populo. Prærat quidem: ſed longe à regno diſtabat moderata illa gubernatio, quæ tam onoroſa erat Moſi quam toti populo utilis. Sed hæc eſt ſervorum Dei conditio, ut recte ſe gerendo per contumelias incedant.

15. *Iratus eſt ergo Moſes*] Quanquam fieri poteſt, ut aliquid humanum paſſus fuerit, zelus tamen Dei palmam obtinuit in ejus animo, neque affectus intemperantiæ, ſi qua tentatus erat, prævaluit. Certe ex contextu probabile eſt ſancto ardore excan-

duiſſe: quia ea equitur Dei vindictam, ut legitimus miniſter: ut appareat nihil oiſi Spiritu dictante fuiſſe loquutum, vel egiſſe. Imo paulo poſt videbimus quum anxius eſſet de ſalute publica, paucos noxios ad pœnam poſtulaſſe, ne periret multitudo. Jam ira ejus non ebullit in coovitia (ut qui exceſſu feruntur, lingua & manibus boſtes à quibus læſi ſunt, impetere ſolent) ſed ad Deum ſe converit: nec aliud poſtulat quam ut in ſua ſuperbia pudefiant. Generaliter quidem hoc à multis exponitur, aeſi optaret Moſes Deum illis eſſe implacabilem: ſed quia litis vel jurgii deciſio pendebat ex Dei approbatione, vel repulſa, quum munus ab illis oblatum foret, non aliud mihi videtur precari quam ut munus pollutum rejiciendo, ambitionem eorum caſtiget Deus. Simul etiam oſtendit votum ſuum ex fiducia bonæ conſcientiæ naſci, dum coram Deo teſtari audet ſe nemini fuiſſe injurium. Hæc vero ſumma fuit integritas & abſtinentia, quum ei omnia populus deberet, ne aſini quidem pretium pro tot laborum mercede ſumpſiſſe.

Ex eodem Capite.

16. Poſtea dixit Moſes ad Corah, Tu & univerſa congregatio tua eſtote coram Jehova, tu & illi & Aharon cras.

17. Et capite quiſque acerram ſuam, & ponite in illis ſuffitum, & admovete coram Jehova quiſque acerram ſuam, ducentas quinquaginta acerras: tu quoque & Aharon, quiſque acetram ſuam.

18. Tulerunt igitur quiſque acetram ſuam, & poſuerunt in ipſis ignem, poſueruntque ſuffitum, & ſteterunt ad oſtium tabernaculi conventionis, & Moſes & Aharon.

19. Congregaverat autem contra ipſos Corah univerſam congregationem ad oſtium tabernaculi conventionis: & viſa eſt gloria Jehovæ à tota multitudine.

20. Tunc loquutus eſt Jehova ad Moſen & Aharon, dicendo,

21. Separate vos è medio turbæ ejus, & conſumam eos momento.

* vel, *forte.*

22. Tunc ceciderunt ſuper facies ſuas, ac dixerunt, * Deus Deus ſpirituum in univerſa carne, num quum vir unus peccaverit, contra totum cœtum excandeſces?

23. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

24. Alloquere congregationem, dicendo, Diſcedite è circuitu tabernaculi Coræ, Dathan & Abiram.

25. Surrexit ergo Moſes, & venit ad Dathan & Abiram: & ſequuti ſunt eum ſeniores Iſraël.

26. Tunc loquutus eſt ad congregationem, dicens, Recedite nunc à tabernaculis virorum iſtorum impiorum, neque attingatis quicquam eorum quæ ad illos pertinent, ne forte pereatis in omnibus peccatis illorum.

27. Et receſſerunt à tabernaculo Coræ, Dathan & Abiram, è circuitu. Dathan vero & Abiram egreſſi ſunt, ac ſteterunt ad oſtium tabernaculorum ſuorum, & uxores eorum, & filii eorum, & parvuli eorum.

28. Tunc dixit Moſes, In hoc ſcietis quod Jehova miſerit me ut facerem omnia opera hæc, & quod non de corde meo:

29. Si ut motiuntur omnes homines, morientur iſti, & viſitatione omnium hominum viſitabitur ſuper eos, non miſit me Jehova:

30. Sin autem creationem creavetit Jehova, & aperuerit terra os ſuum, & deglutiverit eos atque omnia quæ ad illos pertinent, & deſcenderint viventes in infernum, tum cognoſcetis quod irritaverunt viri iſti Jehovam.

31. Fuit igitur quum conſummaſſet loqui omnia verba iſta, rupit ſeſe terra quæ erat ſub illis.

32. Aperuitque terra os ſuum, & deglutivit eos, & domos eorum, atque omnes homines qui erant ipſi Corah, & omnem ſubſtantiam.

33. Deſcenderuntque ipſi & quotquot ad eos pertinebant, viventes in infernum: ac operuit eos terra, & perierunt è medio congregationis.

34. Omnis autem Iſraël qui erant in circuitu eorum, fugerunt ad clamorem eorum: dicebant enim, Ne forte deglutiat nos terra.

16. *Poſtea dixit Moſes ad Corah.*] Non cogitat Moſes periculum facere quaſi de re dubia: ſed ſpiritu Prophetico certior factus de futuro eventu, citat Corah ad Dei tribunal, ut quam meretur ſubeat damnationis ſeotentiam. Nec vero ipſum circumvenit, ut inſcautum opprimat: ſed potius corrigere adhuc ſtudet ejus inſaniam, ſi modo fuiſſet ſanabilis. Sacer enim ſuffitus debebat terrorem injicere, ne temere pluſquam fas etat tentando, exitium ſibi accerſeret: præſertim quum memorabile documentum jam editum fuiſſet in Nadab & Abihu. Cæterum Dei mandato fretus non dubitat Moſes in apertum certamen deſcendere, quo illuſtrius ſit Dei judicium.

18. *Tulerunt igitur quiſque.*] Apparet quantopere ſuperbia excæcati fuerint, quod de exitu ſatis admoniti tam Moſis fiducia quam ſuperioribus exemplis, obſtinate tamen pergunt. Cette ſi qua fuiſſet reſidua io illis gutta timoris Dei, repente è manibus exeidiſſent acerræ. Sed videtur Corah quaſi data opera captaſſe quomodo eacuteret omnem metum, ſeque prorſus obſtupefaceret. Nam proaimo verſu narrat Moſes quo apparatu ſe obduraverit ad contumaciam, priuſquam ſuffitum offerret. Attraait enim populum to ſuam factionem, ut ſplendor comitatus obrueret oppoſitam Dei gratiam. In quo rurſus perſpicitur ejus ameotia, dum ſe vulgi favore munire tentat cootra Deum, aeſi objecto fumo vellet Solis lucem extioguere. Porro diſcamus ita ejus ſtultitiam damnare, oe quid ſimile nobis contingat.

gat. Eodem enim morbo laborant ambitioſi omnes, venando hominum gratiam, contrahunt ſuas copias. Si illis applaudit mundus, inebriantur exitiali fiducia, ut in nubes ipſas conſpuant. Atqui paulo poſt videbimus, ut Deus ſolo flatu impias omnes conſpirationes diſſipet. Ab altera parte no bis oh oculos ponitur popularis levitas. Aliquo jam tempore aſſuefacti fuerant omnes ad legitimum ſacerdotium, quod ſciebant divinitus inſtitutum eſſe: nox tantum una intercedit quum ad Cote deſciſcunt. Et certe ut ad recte agendum natura pigri ſumus, ira ad malum momento rapimur, ſimulac imptobus quiſpiam ſuſtulerit digitum.

21. *Separate vos.*] Iterum pronunciat Deus ſe tantam populi impietatem diutius non laturum, quin omnes ad unum deleat. Sicuti ergo Lot juſſus eſt Sodoma excedere, imo Angeli manu extractus eſt, quum vellet Deus perdere urbem illam, ita nunc Moſen & Aharon viam jubet iræ ſuæ patefacere. Qua in re ſiogularem erga ipſos favorem declarat: acſi liber oon eſſet ad exercendam vindictam, donec è medio receſſerint, ne clades eos attingat. Porro ſic loquendo non abſolute affirmat quid in arcano ſuo conſilio ſtatuerit, ſed tantum pronunciat quid meriti ſint ſceleris auctores. Perinde igitur eſt acſi judex tribunal conſcenderet. Ira Moſes ſua intetceſſione æternum illius decretum minime mutavit: ſed eum placando, populum à pœna qua dignus erat, liberavit. Hac ratione dicitur flecti Deus noſtris precibus: non quod more hominum novos affectus induat, ſed ut amorem pluſquam paternum quo nos dignatur oſtendat, dum vota noſtra eaaudiendo quodammodo nobis obſequitur. Hinc colligimus bac tam præciſa denuociatione Moſen non fuiſſe prohibitum ab orando: quia eacuſſa non fuit fides de adoptione populi. Diximus enim principium illud ita penitus inſculptum fuiſſe ejus animo, irritum non poſſe fieri fœdus quod cum Abraham Deus pepigerat, ut quæcunque ſe ingerebant obſtacula tranſiliret. Ergo gratuitæ promiſſioni innixus, quæ ab hominibus non pendebat, precationem ex fide concepit. Neque enim diſtincte ſeoiper & ſubtiliter ratiocinantur ſancti de orandi forma: ſed poſtquam ſemel amplexi ſuot, quod ad precandi fiduciam illis ſufficit Dei verbum, ſic tota attentione illuc feruntur ut prætereant quæ videntur in ſpeciem pugnare. Nec vero dubium eſt quin Dei conſilium fuerit, quum de populi interitu ſerret terribilem ſententiam, Moſen acuere ad precandi ſtudium: ſicuti neceſſitas zelum piorum magis ac magis accendit. In ſumma, Moſes perpetuo fuit ſui ſimilis in curanda populi ſalute.

22. *Deus Deus ſpirituum.*] Ptius nomen אל vetus Interpres appellative accepit: quem ſequuti ſuntalii quidam. Ego tamen potius exiſtimo vehementiæ cauſa iterari Dei oomen. Quod autem carnis nomen omnes in genitivo teddunt, obſcurius mihi viſum eſt. Quoniam vero ל hoc loco non eſſe ſupervacuum arbitror, ſed ſumi pro ב, ut ſæpe alias: ſenſum fideliter eapreſſi, vertendo, In omni carne. Porro dubium non eſt quin boc Dei epitheton ad præſentem cauſam Moſes accommodet: acſi Deum vellet inducere ad ſervandum opus ſuum: ſicut figulus vaſis à ſe formatis parcit. Eodem tendit Jeſaiæ precatio, Nuoc ergo Jehova, tu pater noſter es, quamvis ſimus lutum: tu es formatot noſter, & omnes ſumus opus manus tuæ: ne iraſcaris ſupra modum. Materiam enim illic proponit cur Deus ad miſericordiam flexibilis & propenſus eſſe debeat. niſi quod ſpecialem Dei gratiam, qua populum amplexus erat Deus, Jeſaias attingit: Moſes autem latius ſermonem extendit, nempe ad generalem gratiam creationis. Sive aurem de cunctis animalibus, ſive tantum de genere humano hoc exponere libeat, parum intereſt: quia taotum orat Moſes, quum Deus creator ſit & opifex mundi, ne homines quos formavit perdat, ſed potius eorum miſereatur, tanquam operis ſui. Obiter tamen colligere licet ex hoc loco, inditas ſingulis eſſe ſuas animas: quia non dicitur Deus inſpiraſſe vitam omoi carni, ſed creaſſe ſpiritus. Quo reſellitur prodigioſum Manichæi delirium, animas ſic infundi ea Spiritus Dei traduce, ut unus rantum ſit ſpiritus. Porro ſi bruta animalia comprehendere libeat, notandi erunt gradus diſtinctionis inter ſpiritum hominis, & ſpiritum canis vel aſini. Quanquam magis convenit ad homines reſtingi.

Jeſa. 64. verſ. 8.

24. *Alloquere congregationem.*] Patet ex hoc reſponſo Moſen fuiſſe eaauditum quo ad ſalutem communem populi: ſic tamen, ut impii tumultus auctores deſerendo, pœnitentiæ ſignum darent. Nam quum recedere ab ipſis jubet, oblique ſignificat, ſi maneant permixti, fore ejuſdem interitus ſocios. Probabile autem eſt ſeniores qui Moſen ſequuti ſunt, ſtetiſſe ab ejus partibus, & perſeveraſſe in officio. Et certe minime conſentaoeum eſt Caleb & Joſue, & ſimiles, unquam ad tantum ſcelus fuiſſe abductos. Itaque non ſine eaceptione accipere convenit quod de tota congregatione dictum eſt. Quod autem Moſes Dei mandatum perſerens, non tantum propriis nomioibus appellat Core, Dathan & Abiram, ſed vocat impios bomines: non convitium eſt hominis irati, ſed ſtimulus exhortationis: quia niſi hac vehementia fuiſſet eos deteſtatus, periculum erat ne frigidius eacepta à multis ejus verba, parum prodeſſent. Huc etiam pertinet quod mox addit, Ne pereatis in omnibus peccatis eorum: quaſi dixiſſet, Ne vos ioquinet tut tantorumque ſcelerum contagio. Quod Moſi paruerunt, apparet multos io turba ante ſtultitia & levitate fuiſſe abreptos: quia deliberata improbitas non tam cito nec tam facile fuiſſet correcta. Contra autem mirus ſtupor Dathan & Abiram deſcribitur, quod ſecute cum uaoribus & liberis egreſſi fuerint. Nec tamen dubium eſt fuiſſe expaefactos poſtquam ſe deſtitui omni præſidio & favore videruot: ſed quamvis eos turbaret populi diſceſſio, ſteterunt tamen lympbatis ſimiles, nec eos ſubegit metus quin pergerent devotis animis in exitiali ſua audacia. Ita ſæpe attoniti ſubſiſtunt impii, ut timendo minime tameo de placando Deo cogitent.

28. *In hoc ſcietis.*] Hic clarius incipit Moſes oſtendere quorſum adduxerit factioſos in apertum certamen: ut ſcilicet Deus coram toto populo formidabili potentiæ ſuæ exemplo otdinem à ſe poſitum ſanciret. Non vulgaris autem fiduciæ fuit, hoſtibus victoriam concedere, niſi terra vivos abſorberet. Sed quia hoc pluſquam illuſtre erat Dei judicium, ſplendidis verbis attentionem conciliat. Si moste ſubita fuiſſent extincti, merito gloriatus eſſet cauſam ſuam probari Deo: ſed eo non contentus, baberi vult vanus & impoſtor ſi uſirato modo fuerint mortui. Ad exprimendam vero miraculi noviratem, quæ ad ſe rapiat hominum ſenſus, emphaticum eſt Creandi verbum: acſi diceret non minus inſolitum fore mortis genus quam ſi Deus aliquid adderet rebus creatis, & mutaret faciem muodi. Itaque David, quum precatur, ut hoſtes ſui vivi ad inferos deſcendant, vel in ſepulchrum, videtur ad banc hiſtoriam alludere. Etſi enim deſcenſus ille pro inopinato interitu capitur, qui impios ex beata quiete momento attrahit, ſimul tamen borribilem vindictam deſignat, qualis olim contigerat: ſicut pœnæ memorabiles in exemplar maledictionis transeunt. *Pſal. 55. verſ. 24.*

34. *Omnis autem Iſraël.*] Populum in circuitu fuiſſe intellige, quia procul ſtabat eventum rei exſpectans. Prius enim teſtandæ ſeparationis cauſa receſſerant à rabernaculis. Quod autem nunc trepide diffugiuot, ne ad eos uſque graſſetur eadem clades,

ſignum eſt malæ conſcientiæ, quæ intra ſe tumultuatur, & impios dira inquietudine exagitat. Pios quidem etiam percelli Dei judiciis neceſſe eſt, ut conſternatio vel pavor ad ſanctum ejus timorem eos erudiat: ideoque nunquam ſine metu reputant quas Deus pœnas de hominum ſceleribus ſumpſerit. Sed quia hypocritæ cauterium geſtant in ſuis cordibus, exanimes concidunt, acſi Deus fulminaret in ipſorum capita. Itaque mox videbimus cæco hoc metu parum eos profeciſſe.

Ex eodem Capite.

35. Porro ignis egreſſus eſt à Jehova, & conſumpſit ducentos illos & quinquaginta viros offerentes ſuffitum.

36. Tunc loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

37. Die ad Eleazar filium Aharon ſacerdotis, ut tollat aeerras è medio incendii, & ignem diſpergat longius, quia ſanctificatæ ſunt.

38. Quod ad acerras iſtorum qui ſcelerati fuerunt in animas ſuas, ut faciant ex illis extenſiones laminarum, opertorium altaris: quia obtulerunt in ipſis coram Jehova, & ſanctificatæ ſunt: & erunt in ſignum filiis Iſraël.

39. Tulit itaque Eleazar ſacerdos acerras æreas quibus obtulerant combuſti, & extenderunt eas operimentum altaris,

40. Memoriale filiis Iſraël, ut non accedat quiſquam alienus qui non ſit è ſemine Aharon, ut offerat ſuffitum coram Jehova, ne ſit ſicut Corah & cœtus ejus: quemadmodum ei præceperat Jehova per manum Moſis.

35. *Porro ignis.*] Pœnæ diverſitas magis ad movendam in populo admirationem valuit quam ſi uno omnes modo extincti eſſent. Quanquam in primos mali auctores gravius ira Dei exarſit: ut palam fieret mercedem ſingulis rependi pro iniquitatis menſura. Ignem à Jehova egreſſum dicit, qui non naturaliter accenſus eſt, neque fortuito, ſed illuſtres habuit notas, quæ palam facerent divinitus emiſſum eſſe. Neque tamen repudio quod alii Deum è cælo fulminaſſe dicunt: quia hoc modo ſe exeruit manifeſtior ejus potentia.

37. *Dic ad Eleazar.*] Quia nullum eſt tam illuſtre iræ Dei documentum quod non homines pro ſua ſocordia ut plurimum ſepeliant, huic malo occurrere volens Deus, monumentum ad poſteros ſtatuit, ne unquam obreperet tam memorabilis judicii oblivio. Jubet ergo ex acerris fieri altari integumentum, oe quis temere ad ſacras oblationes ſe ingerat. Quod autem ſanctificatas eſſe dicit, quidam ita exponunt, nefas eſſe transferri in uſus profanos, quia ſemel deſtinatæ fuerint ad Dei cultum. Magis tamen exiſtimo ſacratas fuiſſe tanquam anathemata. Itaque ignis qui impoſitus illis fuerat, procul ſpargitur, ut inquinamento purgetur altare. Quamvis autem eadem eſſet in acerris pollutio, vult tamen Deus anathematis loco ſervari, ut tota poſteritas intelligat non alios quam ſacerdotes ad ſacrificia admitti. Nec ſupervacuum eſt quod factioſos dicit ſcelerate egiſſe in animas ſuas: ut memoria pœnæ clauſtris illis æneis quodammodo inſculpta ſit ad propagandum terrorem.

40. *Memoriale filiis Iſraël.*] Iterum confirmat hic locus quod nuper dixi, judicia Dei, quæ ſeculis omnibus vigere debuerant, ſtatim excidere ac deleri ex cordibus hominum, niſi adminiculis quibuſdam exerceantur in eorum meditatinne. Id autem accidit non tam inſcitia quam neglectu. Quo magis attentos eſſe nos decet ad memoriæ ſubſidia, quæ nos in officio contineant.

Ex eodem Capite.

41. Et murmuraverunt univerſus cœtus filiorum Iſraël poſtridie contra Moſen & Aharon, dicendo, Vos interfeciſtis populum Jehovæ.

42. Fuit autem quum ſe congregaret univerſus cœtus contra Moſen & Aharon, verterunt faciem ad tabernaculum conventionis, & ecce operuit illud nubes, & conſpecta eſt gloria Jehovæ.

43. Venit ergo Moſes & Aharon coram tabernaculo conventionis.

44. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

45. Recedite è medio congregationis hujus, & conſumam eos momento. Tunc projecerunt ſe ſuper faciem ſuam.

46. Dixitque Moſes ad Aharon, Cape acerram, & pone in ea ignem ex altari, & injice ſuffitum, & perge cito ad congregationem, & expia eos: egreſſus eſt enim furor à facie Jehovæ, cœpitque percuſſio.

47. Tulit ergo Aharon quemadmodum dixerat Moſes, & cucurrit in medium congregationis: & ecce inceperat percuſſio in populo, poſuitque ſuffitum, & expiavit populum.

48. Et quum ſtaret inter mortuos & viventes, ceſſavit percuſſio.

49. Fuerunt autem qui mortui ſunt plaga illa, quatuordecim millia & ſeptingenti, præter mortuos ſuper negotio Corah.

50. Poſtea reverſus eſt Aharon ad Moſen ad oſtium tabernaculi conventionis, quum percuſſio eſſet cohibita.

41. *Et murmuraverunt.*] Hæc vero dementia quodvis portentum ſuperat. Fumabat adhuc incendium in quo Deus formidoloſus ſuperbiæ vindex apparuerat: debebat fere adhuc ante oculos verſari terræ hiatus quo abſorpti fuerant factionis duces: conflari laminas juſſerat Deus quæ multis poſtea ſeculis ſeverum illud judicium repræſentarent: omnes ſuo pavore & trepida fuga confeſſi fuerant periculum eſſe ne ſimilibus pœnis ipſi quoque eſſent obnoxii. atqui poſtridia, quaſi Deum adhuc armatum ex profeſſo

teſſo laceſſere vellent, crimen cædis ſanctis Dei ſervis objiciunt, qui digitum contra boſtes ſuos nunquam ſuſtulerant. Fuitne in arbitrio Moſis, terræ præcipere ut debiſceret? potuitne ſuo imperio ignem elicere è cælis? Quum ergo tam chaſma quam incendium elata triſtimonia eſſent admirabilis Dei potentiæ, cur non cogitant furioſi iſti contra ipſum exitiale ſe bellum ſuſcipere? Quorſum enim inuſitatum illud pœnæ genus, niſi ut perterriti diſcerent ſe humiliare ſub Dei manu? Atqui hinc major ferociendi audacia: quaſi vellent ultro cum impiis perire, quorum pœnam nuper exhorruerant. Dupliciter autem amentiam ſuam produnt, quod Moſen & Aharon ſubſtituunt reos in locum Dei, & putrida membra, quaſi invito Deo, ſanctificant. Moſen & Aharon accuſant cædis, cujus ſe auctorem palam oſtenderat Deus, & ipſi ſentire coacti fuerant. Sed ita ſcilicet ad opera Dei cæcutiunt reprobi, ut ejus gloria magis eos obſtupefaciat quam excitet in admirationem ſui. Accedit pluſquam fœda ingratitudo: quia non reputant vixdum elapſas eſſe paucas horas ex quo Moſis deprecatione ſervati fuerant à præſenti interitu. Ita mortem paucorum ulciſci volentes, interfectores populi Dei nominant quibus acceptam ferre decebat omnium ſalutem. Jam vero quantæ arrogantiæ eſt, reprobis locum dare in populo Dei quaſi eo invito, qui non tantum illos abdicaverat à ſua Eccleſia, ſed è mundo & hominum numero profligaverat? Sed ita impii Dei donis contra ipſum inſoleſcunt: præſertim vero inanibus titulis, & externis ſignis, tanquam larvis, Deo illudere non dubitant.

42. *Fuit autem quum ſe congregaret.*] Quod nube objecta protecti ſunt Moſes & Aharon, inde colligitur quam indomabilis fuerit populi rabies. Etſi enim tantum in tabernaculo ſtetit Dei gloria: ut adhuc ad lapidationem, alioſque violentos impetus expoſiti eſſent Moſes & Aharon: ſic tamen perſtrinxit impiorum oculos, ne ſanctos viros attingerent. Nec dubium eſt quin ideo ſe convertetint ad ſanctuarium, quia in ultimo diſcrimine ſpes una reſtabat in Dei auxilio. Ergo quum ad ſacrum aſylum confugerent, Deus ſub umbram alarum ſuarum eos recepit. Quo teſtatus eſt ſe nunquam ſuorum vota & ſpem fruſtrari, ſed occurrere quoties invocatur. Nam etſi hodie in terreno domicilio non apparet, prope tamen eſt omnibus qui ſuas in eum ſollicitudines conjiciunt. Fieri quidem poteſt ut nonniſi à Moſe & Aharon ſignum gloriæ Dei conſpectum fuerit, ut certo perſuaſi eſſent Deum præſto eſſe ad opem ferendam: ſed quia indefinita eſt loquutio, probabile etiam eſt Deum inſanienti turbæ fuiſſe interminatum, ne quid ultra gravius tentaret: quanquam fruſtra cæcorum oculis lux oblata fuit.

45. *Recedite è medio.*] Quid valeat hæc loquutio, paulo ante expoſui: nempe ut ſingulari amore ſuos Deus proſequitur, ita ſuam contra impios vindictam differre, donec illi ſeorſum collecti, & in tuto locati fuerint. Momento enim perituros omnes denunciat, ubi ſalvi evaſerint Moſes & Aharon. Incredibilis autem utriuſque fuit humanitas, quod ſuppliciter deprecati ſunt pro tam ingrato populo, & centum exitiis digno. Nam propriæ vitæ obliti, quam periclitari videbant, culpam luere parati ſunt, ut à morte eripiant miſeros & perditos, qui mortem illis machinabantur. Porro receſſum non tantum de loco intelligo: quia jam ſeparati erant, ſe ad tabernaculum ſiſtendo: ſed perinde eſt acſi juberet Deus divortium cum populo facere, & ipſo valere juſſo, abjectaque publicæ ſalutis cura, privatim ſibi conſulere.

46. *Dixitque Moſes ad Aharon.*] Expiatio quidem tanti ſceleris non pendebat à ſuffitu: nec imaginari convenit Deum thuris odore placatum eſſe: ſed propoſitum rudi populo ſymbolum fuit quo tam ad pœnitentiam quam ad fidem ſtimularetur. Quantumvis enim in ſua contumacia torperent, dignitas tamen ſacerdotii in thuribulo ſic fuit conſpicua, ut ad ejus reverentiam flecti oportuerit. Quis enim ſuam impietatem non exhorreat, ubi ſibi conſcius eſt ſpretæ & violatæ ſanctitatis, in qua ſe vis divina profert in mortem & in vitam? Ergo acerræ conſpectus merito valuit ad frangendam duritiem, ut nefandum ſuom factum damnare ae deteſtari tandem inciperent. Secunda quoque admonitio non minus utilis fuit, ut ſcirent non aliter quam Mediatoris gratia Deum ſibi eſſe propitium: verum (ut ferebat temporis conditio) viſibilis figura ipſos ad Chriſtum abſentem direxit. Cæterum quia ſuis figmentis Dei veritatem obſcurant ac corrumpunt homines, ideo ſacrificio divinitus inſtituto aſſeritur ſua majeſtas: dum ſacerdos umbratilis Aharon in medium prodit, donec exhibitus fuerit verus, & unicus, & perpetuus Mediator. Verbum כפר proprie ſignificat, ut alibi dictum eſt, interpoſito piaculo reconciliare Deum hominibus: ſed quia hic ad populum refertur, recte uno verbo exprimitur ſenſus Moſis: acſi quis diceret, Purgare aut luſtrare à piaculo.

48. *Et quum ſteret inter mortuos.*] Si intelligas undique permixtos fuiſſe vivos mortuis, conjicere licet iram Dei non ſic graſſatam fuiſſe in una parte caſtrorum, ut ſine exceptione obvios quoſque deleret, ſicuti in alia ſeditione contigerat: ſed habito delectu comprehendiſſe qui gravius peccaverant. Verum conſentaneum eſt eouſque progreſſum fuiſſe Aharon, dum à tergo relinqueret qui adhuc manebant incolumes, atque ex ipſo loco ubi ſtrages fuerat edita, ſe opponeret iræ Dei, & abrumperet ejus curſum. Hinc & zeli fervor eognoſci potuit, & munus placandi Dei reipſa & effectu melius fuit confirmatum. Quod enim evidentius deſiderari potuit miraculum quam ubi clades quæ tum repente ſævire, nec minus celeri quam aſſiduo curſu pergere cœperat, adventu Aharon non ſecus atque objecta macheria ſubſtitit? Ergo ſacerdotii efficacia in propitiando Deo clare ſimul & breviter exprimitur. Quo docemur, etiamſi reprobis ſimus contigui dum pereunt, ut ad nos pertingat eorum clades, modo tamen intereedat Chriſtus, nos ab omni malo fore immunes.

49 *Fuerunt autem qui mortui ſunt.*] Jam trecenti, vel circiter, extincti fuerant ob conjurationem factam cum Corah: nunc longe major additus fuit numerus. Hoc ſcilicet proficiunt impii ſua pervicacia, ut Deus magis magiſque provocatus pœnas ingeminet: ſicuti minatur, niſi reſipuerint quos caſtigat, gravius ſeptuplo cum illis ſe acturum. Quare diſcamus ferulis ejus admoniti, mature nos humiliare ſub valida ejus manu: quia nihil deterius eſt quam adverſus ſtimulum calcitrare. Ac ſubinde in animos ſubeat illud Pſalmi, Ne ſitis ſicut equus & mulus, quorum ferocia freno conſtringitur: quia multa flagella impiis. Tumultuoſe elamabant occiſum eſſe populum Dei, quia trecenti perierant: nunc experiuntur quanto ſatius fuiſſet obmuteſcere coram Deo, ſanctæque ejus ſeveritati dare gloriam, quam pro trecentis addicere exitio fere quinquagies trecentos. Jam tenenda eſt Pauli admonitio, Cavendum eſſe ne murmuremus, ne forte perdat nos vaſtator: quia nihil minus tolerabile eſt, quum toties nos hortetur Scriptura ſilere à conſpectu Dei, quam proterve ad maledicendum noſeffere.

Levit. 26. *verſ.* 18.

Pſal. 32. *verſ.* 9.

1 *Cor.* 10. *verſ.* 10.

NUMER. Cap. XVII.

ET loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,
2. Alloquere filios Iſraël, & cape ab eis ſingulas virgas per domos patrum, à cunctis ſcilicet principibus eorum, juxta domos patrum ſuorum, duodecim virgas: & uniuſcujuſque nomen ſcribes ſuper virgam ejus.
3. Nomen autem Aharon ſcribes ſuper virgam Levi: quia virga una erit capiti domus patrum ſuorum.
4. Reponeſque illas in tabernaculo conventionis coram teſtimonio, ubi conveniam vobiſcum.
5. Et erit, vir ille quem elegero, illius virga florebit: & ita quieſcere faciam à me murmurationes filiorum Iſraël quibus murmurant adverſum vos.
6. Loquutus eſt ergo Moſes ad filios Iſraël, & dederunt illi omnes principes eorum virgam: ſinguli principes virgam per domos patrum ſuorum, duodecim ſcilicet virgas: virga autem Aharon erat in medio virgarum eorum.
7. Et poſuit Moſes virgas coram Jehova in tabernaculo teſtimonii.
8. Et fuit, poſtridie venit Moſes ad tabernaculum teſtimonii, & ecce germinaverat virga Aharon è domo Levi, ac produxerat germinationem, protuleratque flores, ad maturitatemque perduxerat amygdala.
9. Et protulit Moſes omnes virgas illas à facie Jehovæ ad omnes filios Iſraël: qui viderunt, & acceperunt ſinguli virgam ſuam.
10. Dixit autem Jehova ad Moſen, Refer virgam Aharon coram teſtimonio in cuſtodiam, in ſignum filiis rebellibus: & ceſſare facies murmurationes eorum apud me, ut non moriantur.
11. Et fecit Moſes quemadmodum præceperat Jehova, ſic fecit.
12. Et dixerunt filii Iſraël ad Moſen, dicendo, Ecce mortui ſumus, periimus, omnes nos periimus.
13. Quicunque acceſſerit, qui acceſſerit, *inquam*, ad tabernaculum Jehovæ, morietur: numquid conſumendi ſumus moriendo?

1. *Et loquutus eſt Jehova.*] Quamlibet præfracti eſſent Iſraëlitæ, fracta duritie & proſtrata ſuperbia debuerant amplecti ſacerdotium, piaque reverentia conſtanter proſequi. Sed ex confirmatione quæ nunc additur, apparet nondum probe fuiſſe ſubactos. Nihil enim fruſtra Deus inſtituit. Morbo igitur pervicaciæ, quem videbat adhuc occultum reſidere in eorum cordibus, neceſſarium remedium adhibuit. In quo etiam perſpicitur inæſtimabilis ejus bonitas, quando non modo levandæ eorum infirmitatis rationem habuit, ſed etiam cum pravitate & malitia luctatus eſt, ut ad ſanam mentem revocaret. Et eodem nunc quoque modo nobiſcum agit: quia non modo fidei noſtræ debilitatem multis adminiculis confirmat, ſed levitati & inconſtantiæ frenum injicit, & nos contra nitentes retinet in officio: occurrit etiam noſtræ proterviæ, ne inſolescamus; vel ſocordiam noſtram excitat. Noſtrum quidem eſt ſic in uſum noſtrum applicare quæcunque fidei & pietatis ſubſidia nobis proponit, ut ſciamus totidem eſſe ad coarguendam noſtram infidelitatem teſtimonia. Quanquam ergo ſacerdotii majeſtas ſatis ſuperque jam comprobata fuerat, vidit tamen Deus in tanta pervicacia populi nullum fore murmuribus & jurgiis finem, niſi accederet ultima obſignatio, & quidem rebus pacatis: quia ſeditione mota non tam erant ad diſcendum faciles & parati. Porro hac confirmatione quicquid unquam poterat oriri dubitationis ſuſtulit, dum virga Aharon ex arbore deſecta, inter duodecim una floruit. Neque enim naturale fuit, ramum, qui ſuccum à radice non duceret, & propter anni tempus aridus fuiſſet in arbore, ubi projectus ante arcam fœderis jacuit, producere flores & fructum: alios autem prorſus ſimiles manere ſiccos & emortuos.

2. *Alloquere filios Iſraël.*] Falluntur qui exponunt duodecim virgis unam pro tribu Levi fuiſſe ſuperadditam. Nam quia diſceptatio non erat de terræ poſſeſſione, tribum Joſeph in duo capita dividi minime opus fuit. Et ſcimus dupla portione fuiſſe donatum, quia Levitis nulla fuit hæreditas. In cauſa autem præſenti diſſimilis fuit ratio: quia de ſacerdotio contentio erat aliis omnibus cum una tribu Levi. Hinc ergo factum eſt ut ſingulis datæ fuerint virgæ, ſecundum primam generis originem. Dicitur autem virga Aharon fuiſſe in medio illarum ex communi linguæ Hebraicæ uſu, quia fuerit illis permixta tanquam ex earum numero. Quod ideo exprimitur, ut ſciamus improbis ablatam fuiſſe omnem calumniandi occaſionem: quum omnes virgæ in eundem promiſcue acervum conjectæ ſunt, ut nulla quicquam haberet eximium à reliquis, atque ita nihil adſcribi poſſet hominum induſtriæ. Siquis objiciat non fuiſſe hoc modo extinctam æmulationem quæ reliquis Levitis erat cum domo Aharon, quum unum ejus nomen inſcriptum eſſet, ut nulla eſſet inter familias comparatio: reſpondeo, quum in nomine Aharon clare enituit Dei virtus, ipſo electo ſatis oſtenſam fuiſſe aliorum rejectionem. Neque enim ſi communis fuiſſet aliis honor, eos fraudaſſet Deus, unum duntaxat ornando. Porro alia ſervari ratio non potuit in hac lite dirimenda. nam ſi plures in una tribu fuiſſent virgæ, totus populus de inæqualitate conqueſtus foret. Pares igitur omnes ad certamen produci oportuit, ut diſcrimen eſſet ex mero Dei arbitrio. Jam ſi inſcriptum fuiſſet nomen Levi, ſingulæ familiæ jus ſucceſſionis tanquam commune ad ſe traxiſſent. Non igitur alia fuit ratio quam ſi Deus nominem unum è ſuis cognatis & tribulibus delectum toti populo præferret.

4. *Reponeſque eas.*] Ad certam cauſæ deciſionem non parum valuit loci circumſtantia, quia palam factum eſt Deum eſſe miraculi auctorem, ac proinde ab ipſo prodire ſacerdotium. Diximus enim alibi totum Eccleſiæ regimen ſic pendere ab ejus decreto, ut nihil hominibus ſtatuere liceat. Quare arcam fœderis totius populi ſuffragiis oppoſuit, ut teſtatum faceret, de Sacerdote, quem ſuo judicio & auctoritate creaſſet, litem non eſſe amplius movendam. Interea valuit hoc ad populi ſolatium & ſedandas querimonias, quod virgæ omnium tribuum communiter in ſan-

ſanctuarium illatæ ſunt coram Deo. Etſi enim propria fuit dignitas ſolius Aharon, non deſtitit tamen populus eſſe regnum ſacerdotale. Unde ſequitur, jus honoris peculiariter uni familiæ datum, ceſſiſſe in publicam omnium ſalutem: tantum abeſt ut jactura dolorem vel invidiam gignere debuerit.

5. *Et erit, vir quem elegero.*] Electus quidem ante fuerat Aharon: ſed hoc ad manifeſtationem refertur: quia Deus quos arcano ſuo conſilio elegit, dicitur rurſus eligere, dum eos cum ſuis inſignibus producit in conſpectum hominum: neque id ſemel tantum, ſed quoties novis ſignis electionem ſuam confirmat. Atque hoc per modum conceſſionis videtur dictum eſſe: acſi Deus omiſſis ſuperioribus decretis, populum vocaret de integro ad cauſæ cognitionem. Dicit autem hac ratione ſe finem impoſiturum ſiniſtris & obſtreperis populi obtrectationibus, ut Aharon poſthac ſine controverſia exerceat munus ſuum: quia etſi ne ita quidem penitus ſanata fuit perverſitas, audacia tamen cohibita fuit.

8. *Poſtridie venit Moſes.*] Non abs re tempus notatur: quia una tantum nocte interpoſita, ut virga floreret nulla ſolertia fieri potuit. Quod etiam Moſes virgis in ſanctuario locatis diſceſſit, ac poſtridie reverſus faſciculum virgarum protulit coram omnibus, hinc ſublata fuit fraudis ſuſpicio. Sed in eo præcipue illuſtrata fuit Dei potentia, quod tam exiguo temporis ſpatio non tantum flores ex arido ramo, ſed fructus quoque formati ſunt: quod niſi converſo naturæ ordine accidere non potuit. Acceſſit anni tempus, quod tantæ maturitati minime aptum erat. Atque hoc quidem miraculo ſancita fuit umbratilis ſacerdotii dignitas in populo veteri ſub Lege. Sed quanto præſtantior eſt veritas figura vel imagine, conſilium Dei haud dubie fuit, ſacerdotium unigeniti Filii ſui magis quam Aharonis aſſerere. Itaque ad nos maxime pertinet hujus miraculi utilitas, ut qua decet veneratione Sacerdotem nobis divinitus oblatum amplectamur. Frivolas allegorias quibus alii ludunt, omitto. Et certe abunde ſufficere nobis debet, olim ſub viſibili ſymbolo apparuiſſe Dei potentiam, quæ populum ad Mediatorem dirigeret: ubi autem advenit Filius Dei, ſpiritualiter in ipſo fuiſſe exhibitum quicquid tunc oculis repræſentabat. Neque enim tantum fuit furculus ex trunco Iſai (ut vocatur apud Jeſaiam) & lapis nulla hominum arte vel opera politus, ſub qua forma Danieli oſtenſus fuit: ſed reſurrectione ſua à toto humano genere ſeparatus fuit. Nam & hoc diligenter notandum eſt, non ſufficere ſi apud nos jus & nomen ſacerdotis obtineat, niſi ſit ſolus & in ſolidum. Unde apparet fœdo & intolerabili ſacrilegio ejus honorem lacerari in Papatu, ubi innumeri fingunturmediatores.

Jeſa. 11. *verſ.* 1. *Daniel.* 2.

10. *Dixit Jehova ad Moſen.*] Quod de acerris præceperat Deus, nunc in virga etiam ſervari jubet: ut ſit aliis ſeculis monumentum, quia ſcil. obliviſi ſunt & ignavi homines in conſiderandis ejus operibus: neque id modo, ſed eorum memoriam quaſi data opera maligne ſepeliunt. Itaque non ſine exprobratione reponi juber in cuſtodiam ſignum illud, contumaciæ eorum cauſa id fieri dicens. Simul tamen paternum ſuum amorem & miſericordiam commendat, quod eorum ſuperbiam caſtigando, ſaluti conſulat. Ut enim erant contumaciæ dediti, novis ſubinde jurgiis provocaſſent ejus iram. Dicit ergo ſe occurrere, & furioſum impetum reprimere, ne moriantur. Ita nos humiliando non modo pœnam ſumit de noſtris delictis, ſed quid nobis utile ſit reſpiciens, curam noſtri ſe habere demonſtrat.

12. *Et dixerunt filii Iſraël.*] Hoc quidem aliquanto melius fuit, admiratione potentiæ Dei terreri quam ſi bruto ſtupore eam ſpreviſſent: ſed aliquid inter torporem vel contumaciam, & inter conſternationem medium eſt. Contremiſcunt quidem fideles ad judicia Dei, & quo quiſque magis in pietate profecit, ſenſu iræ ejus magis percellitur. Sed metus ille ſic fideles humiliat ut Deum nihilominus quærant: reprobi autem ſic expaveſcunt ut fremendo cupiant Deum procul à ſe abigere. Hinc factum eſt ut Iſraëlitæ, quaſi nimio Dei rigore exanimati, miſeram ſuam ſortem deflexerint: quia quum Dei bonitatem non guſtarent, caſtigatio illis non medicina, ſed carnificina fuit. Exclamant igitur de fœctum eſſe, quia Deus tam ſeverus ſit polluti ſui cultus vindex: quaſi vero omnia rigoris documenta non ipſos utiliter ad cavendum attentos redderent. Ac ſervilis quidem iſte timor aliquando homines præparat ad pœnitentiam: ſed nihil periculoſius quam in eo ſubſiſtere: quia primo amarulentiam generat & indignationem, tandem vero ad deſperationem præcipitat. Utcunque ergo formidabilis ſit Dei rigor, diſcamus ſimul apprehendere ejus miſericordiam, ut manſuetis ac placidis animis libenter ad ferendas quas meriti ſumus pœnas parati ſimus. In ſumma, docet hic locus quam male profecerint Iſraëlitæ, quos Dei ferulæ ſic exaſperarunt ut ſibi ſpem ſalutis præciderent. Ac in fine verſus obmurmurant, ſibi nihil fieri reſiduum. Hoc enim ſonant verba, An moriendo conſumemur? quaſi vero Deus non retraheret ipſos à morte, quum pro ſollicitudine paterna de periculo eos moneret.

NUMER. Cap. XX.

PErvenerunt autem filii Iſraël univerſa congregatio, in deſertum Sin, menſe primo, & manſit populus in Cades: ubi mortua eſt Maria, & ſepulta illic fuit.

2. Quumque non eſſet aqua congregationi, convenerunt adverſus Moſen & Aharon.

3. Et jurgatus eſt populus cum Moſe, ac dixerunt in hunc modum, Et utinam obiiſſemus quando obierunt fratres noſtri coram Jehova.

4. Et quare venire feciſtis congregationem Jehovæ in deſertum iſtud: ut moriamur hic nos & jumenta noſtra?

5. Et quare aſcendere feciſtis nos ex Ægypto, ut venire faceretis nos ad locum malum iſtum, non locum ſementis, ficuum, & vinearum, & malogranatorum, & in quo aqua nulla eſt ad bibendum?

6. Abierunt ergo Moſes & Aharon à conſpectu congregationis ad oſtium tabernaculi conventionis, & projecerunt ſe ſuper faciem ſuam: apparuitque gloria Jehovæ ſuper eos.

7. Et loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

8. Accipe virgam, & congrega cœtum tu & Aharon frater tuus, & loquimini petræ in oculis eorum, & dabit aquam ſuam, educeſque illis aquam è petra, & potum dabis cœtui ac jumentis eorum.

9. Tulit ergo Moſes virgam à conſpectu Jehovæ, quemadmodum præceperat ei.

10. Et

10. Et congregaverunt Moſes & Aharon congregationem ante petram, dixitque illis, Audite nunc ô rebelles, Numquid de petra hac educemus vobis aquam?

11. Et elevavit Moſes manum ſuam, percuſſitque petram virga ſua duabus vicibus: tunc egreſſæ ſunt aquæ multæ, & bibit congregatio ac jumenta eorum.

12. Et dixit Jehova ad Moſen & Aharon, Propterea quod non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me in oculis filiorum Iſraël, idcirco non introducetis congregationem iſtam in terram quam dedi illis.

13. Iſtæ ſunt aquæ jurgii pro quibus jurgati ſunt filii Iſraël cum Jehova, & ſanctificavit ſe in illis.

1. *Pervenerunt autem filii Iſraël.*] Multæ memorantur intermediæ ſtationes Numerorum tricesimo tertio capite, quarum nulla hic ſit mentio. Forte quia ex quo retrocedere eos coëgit Deus, non ſunt per continuos triginta annos progreſſi, ſed per vagos circuitus errarunt. Ergo in hujus hiſtoriæ contextu eos è deſerto Paran narrat tranſiſſe in deſertum Sin: quia tunc cœperunt rectum iter facere verſus terram Chanaan, & propius accedere, ut tandem erraticæ peregrinationi finem imponerent. Quod autem Maria tunc demum mortua eſſe dicitur, hinc colligitur vitæ ejus diuturnitas. Puellam fuiſſe decem aut duodecim annorum quum natus eſt Moſes probabile eſt, quia potuit appoſite conſulere fratris ſaluti. Etſi enim nomen non exprimitur, ratio tamen dictat ipſam fuiſſe quæ matrem accerſivit, ut puerum expoſitum lactaret. Quare fere ad centum triginta annos pervenit: quæ ſenectus præſertim in muliere rara eſt. *Exod. 2. verſ. 4.*

2. *Quumque non eſſet aqua.*] Similis hiſtoria prius viſa fuit, non tamen eadem. Nam populus vixdum egreſſus ex Ægypto tumultuari cœpit in Raphidim ob aquæ penuriam: nunc poſt triginta octo annos vel circiter nova movetur ſeditio in Cades, quia illic quoque aquis indigebant. Ac primum quidem murmur ſatis oſtendit quanta eſſent pravitate & contumacia: quia quum cibum quotidie illis è cælo porrigeret Deus, cur non ſuppliciter aquam poſcebant, ne quid deeſſet ſolido alimento? Atqui non minus fœda ingratitudine quam ſceleſta pervicacia Deum convitiis impetunt, & queruntur ſe ab eo fuiſſe deceptos ac proditos. Verum hæc ſecunda rebellio longe deterior. Nam quum experti eſſent in manu Dei eſſe aquarum copiam elicere ex rupe arida, cur non ejus potentiam nunc implorant? cur non admirabile illud auxilium venit in mentem? Atqui furore pereiti, perinde acſi nullum eſſet ſitis remedium, clamitant ſecum agi crudelius quam ſi abſorpti eſſent à terra, vel igne cæleſti conſumpti. Incredibilis certe hic fuit ſtupor, tanquam ex profeſſo januam claudere gratiæ Dei, ut ſe in deſperationem conjicerent. Inſurgunt quidem adverſus Moſen & Aharon: ſed querimonias ſuas & jurgia in Deum ipſum tanquam ſpicula dirigunt. Pro maxima injuria ducunt quod adducti fuerint in deſertum: quaſi vero non ipſi impia ſua obſtinatione deſertum prætulerint terræ Chanaan, atque ideo digni ſint qui in egeſtate rerum omnium tabeſcant ad mortem uſque. Perverſe igitur culpam quæ in ipſis reſidet, in miniſtros ſuæ ſalutis transferunt. Merito quidem locum vocant malum & ſterilem: ſed noluerat Deus illic tenere incluſos, niſi ultro reſpuiſſent terram fluentem lacte & melle, poſtquam expoſita erat eorum oculis, & Deo auctore ac duce facilis patebat acceſſus. Itaque Propheta (Pſalmo 105.) hiſtoriam redemptionis recitans, antequam ad pœnas deſcendat eorum ſceleribus inflictas, dicit eductos fuiſſe à Deo cum lætitia & exultatione. Adde quod ex moleſtia ſitis occaſione arrepta, alias etiam querimonias maligne accumulant. Non deerat cibus ad famem explendam, & guſtu quidem ſuavis: perinde tamen indignantur acſi eos premeret eſuries una cum ſiti. Panem illis quotidie pluebat Deus è cælo, quem ludendo colligerent: murmurandi illis materia eſt quod arando & ſeminando ſe non fatigent. En quo amentiæ præcipitet homines præpoſtera cupido, & præſentium Dei beneficiorum contemptus. Cumulus autem furoris eſt, ſortem ſuam deflere quod non abſorpti fuerint cum Core & ſodalibus, vel cæleſti incendio conſumpti. Ingenti pavore correpti fuerant ad triſte illud ſpectaculum: & merito, quia prodigium ediderat Deus ſeculis omnibus formidabile. nunc cum Deo litigant, quod non in ipſos quoque fulminarit. Nec vero tantum deplorant ſe non fuiſſe externa illa mortis ſpecie defunctos, ſed ultro provocant in ſua capita Dei vindictam, quæ plus quam centum mortes terrere ipſos debeat. Eſt enim emphatice additum, Coram Jehova mortuos eſſe quibus vellent fuiſſe conjuncti. Agnoſcunt igitur quem ſibi imprecantur interitum, non fortuna, ſed inſigni Dei judicio contigiſſe: perinde acſi Deo iraſcerentur quod ipſis pepercerit. Fratres quidem vere nominant, quorum nimis erant ſimiles. Sed interea nimis brutæ ſuperbiæ eſt, cenſeri velle Dei Eccleſiam: quia ex profeſſo adverſæ factioni nomen dantes, inanem illum titulum ſibi arrogant.

6. *Abierunt ergo Moſes & Aharon.*] Probabile quidem eſt metu fugiſſe, quia inſtar aſyli erat illis tabernaculum contra impetum populi. Ex aliis tamen locis conjicere licet, non ſibi tantum privatim ſed miſero populo, quantumvis indignus eſſet, conſuluiſſe. Itaque quod ſe in facies proſternunt, factum eſſe interpretor, non tantum ut ipſos protegeret Deus ab inſeſta hoſtium rabie, ſed etiam ut opportuno remedio inſanientes placaret. quanquam ea videtur fuiſſe perturbatio, quæ illis ſolitam moderationem excuteret. Neque vero eorum fidem & patientiam examinat Deus, ut ſæpe alias: forte quia videbat gravia perculſos quam ut conſtanter perſeverarent in pio zelo, patientia & ſtudio ſalutis publicæ. Itaque quod apparuit illis gloria Dei, ſolatium infirmitatis fuit, ut in re extrema. Docet autem hoc exemplum quam ſollicite invocandus ſit Deus, ut novis ſubinde gratiæ ſuæ incrementis nos fulciat: quia ſingulis alioqui momentis etiam fortiſſimi quique deficerent. Toties invicta Moſis virtus obſtacula omnia ſuperaverat, ut nullus à periculo defectionis eſſet timor. Atqui tot certaminum victor uno in actu ad extremum labaſcit. Quo magis tenenda eſt Pauli exhortatio, Quia Deus eſt qui in nobis operatur & velle & perficere pro ſuo beneplacito, cum timore & tremore peragendam eſſe ſalutem noſtram. *Philip. 2. verſ. 13.*

8. *Accipe virgam.*] Jam haud dubie cœperat titubare Moſis fides: ſed non prorſus fuiſſe collapſam ex prompto ejus obſequio colligitur. Neque enim diſceptando moras nectit, ſed protinus venit ad rupem, ut Dei mandato pareat. Sic ergo ſuffocata fuit ejus fides, ut occultus tamen vigor ſponte eum ad officium dirigeret. Atque ita ſanctè interdum vacillando quaſi pueri, ad ſcopum tamen ſuum contendunt. Baculi conſpectu voluit Deus revocare in memoriam tam Moſi quam populo tot miracula quæ fiduciam in poſterum gignere deberent: perinde acſi potentiæ ſuæ vexillum attolleret. Quod etiam jubet rupem alloqui, amara exprobratione non caret: acſi diceret, in mortuis elementis plus fore rationis & intelligentiæ quam in ipſis hominibus. Et certe hoc

hoc valde pudendum fuit, rupem, acſi aurita ſenſuque prædita eſſet, obedire Dei voci: populum vero cui data Lea erat, ſurdum & hebetem manere.

10. *Et congregaverunt Moſes & Aharon.*] Dubium non eſt quin perplexus inter ſpem & dubitationem fuerit Moſes: ut anxietate quodammodo oppreſſus, eventum tameo Deo committerer. Neque enim abſque fide tam fuiſſet ad parendum facilis & alacer, præſertim in re pluſquam ardua. Nuper trepide ipſe & Aharon ſe abdiderant. Fuit igitur non parvæ difficultatis populum quem fugerant mus vocare, & ultro inſultare furentibus. Hactenus ergo docilitas cum animi magnitudine perſpicitur non vulgari laude digna: ſed quia Moſen incredulitatis damnat cæleſtis Judex, penes quem ſumma eſt poteſtas, & cujus arbitrio ſtamus omnes & cadimus, acquieſcendum eſt ejus ſenteotiæ. Vix quicquam reprehenſione dignum in hoc opere cernimus: atqui prooounciat Deus ſibi diſpliciuiſſe Moſis lapſum: ejus magis quam noſtro judicio ſtare convenit. Atque hinc etiam diſcamus opera noſtra, in quorum ſuperficie mera virtus reſplendet, occultis intus vitiis ſæpe ſcatere quæ hominum oculos fugiunt: ſoli autem Deo ſunt manifeſta. Si quæritur in quo deliquerit Moſes, origo quidem fuit incredulitas. neque enim fas eſt, ubi hæc peccati ſpecies clare exprimitur Dei reſponſo, alias imaginari. Sed qua in parte fuerit incredulus, ambigitur: niſi quod interrogans, an aquam eliciet è petra, videtur tanquam impoſſibile & abſurdum rejicere quod Deus ſe facturum promiſerat. Et certe in reputanda eorum contumacia fera defiaus, gratiam Dei non admiſit. Quærit an aquam ex rupe eliciet: atqui recordari debuerat id jam ſibi pridem divioitus fuiſſe conceſſum. Secure igitur aſſerere decebat quod iterum promiſerat idem Deus, magis quam dubitanter loqui. Alii peccaſſe exiſtimant, quia ictu uno non contentus, bis rupem percuſſerit. Et hoc forte ea diffidentia natum eſt. Sed principium mali fuit, non ſimpliciter amplecti Dei promiſſionem, & ſtrenue officio ſuo defungi in ejus fide teſtanda. Ergo ut duplex rupis percuſſio trepidationis indicium fuerit, mali tamen acceſſio tantum fuit, non caput vel cauſa. Itaque ſemper illuc redire convenit, Moſen Deo gloriam non dediſſe: quia magis reſpexit quid meritus eſſet populus quam Dei potentiam æſtimavit ex ejus verbo. Quod etiam ſuperior increpatio denotat, ubi rebellionis Iſraëlitas accuſans, ſancto quidem zelo flagrare ſe oſtendit: ſed interim non inſurgit qua par erat fiducia ad ipſos coarguendos: imo quodammodo fatetur eorum malitiæ ſuccumbere Dei virtutem. Ideo in Pſalmo dicitur, propter eos Moſen fuiſſe damnatum, quia ſpiritum ejus exacerbarunt, ut loqueretur ote ſuo. Illic enim non excuſat Moſen Prophera: ſed dum prævalet eorum improbitas, inconſiderato fervore abreptum fuiſſe dicit, ut fore negaret quod Deus ſa facturum promiſerat. Unde diſcamus ſic iraſci alienis peccatis, ne diverſa tentatio ſenſus noſtros occupet.

Pſal. 106. *verſ.* 32.

12. *Dixit Jehova ad Moſen.*] Hic & crimen eorum profert Deus in medium, & pœnam denunciat. Porro quum infidelitas grave per ſe & deteſtabile malum ſit, culpam exaggerat Deus ab effectu: quia fraudatus fuerit ſua gloria, dum Moſes & Aharon, qui præcones eſſe debuerant miraculi, quaſi pudore confuſi jacent. Nam ut eorum ſecuritas attentionem excitando, nomen Dei ſanctificaſſet: ita eorum defectione factum eſt, ut putarent omnes nihil ab eo ſperandum eſſe auxilii. Cæterum quod ingenus Moſes non culpam modo fatetur, ſed etiam refert quomodo fuerit à Deo damnatus: & quo gravior ſit ignominia, ipſum quaſi è tribunali loquentem inducit: ad ſtabiliendam doctrinæ ejus fidem non parum valet. Quis enim mortalium, niſi qui ſe omni carnis affectu abdicaverit, ſponte ſe coram toto mundo reum faceré ſuſtineat? Virtutes ejus Angelicæ poterant eum eximere ab omni ſimilitudine nota. Una tantum in re lapſus, dedecus quod tegere poterat, in medium profert, nec ſibi detrahere dubitat, quo Dei bonitatem amplificet. Et certe promptum eſt colligere ea hoc loco, quoties antea Moſis rogatu Deus populo ignovit, non minus gratuitam fuiſſe veniam quam ſi deprecatus non eſſet. Nunc enim ceſſat Moſis interceſſio: nec tamen deſioit ſuo more Deus clementer agere cum indignis.

13. *Iſta ſunt aquæ jurgii.*] Nomen loco fuit inditum, ut apud poſteros deteſtabilis eſſet patrum ingratitudo, & inde illuſtrior Dei miſericordia. Ideo hoc Propheta commemorans, Cognoſcat, inquit, ætas poſtera, ne obliviſcaotur operum Dei, & noo ſint ſicut patres ipſorum, generatio prava & exacerbans, generatio quæ non direait cor ſuum & cujus ſpiritus noo fuit erga Deum fidelis. Et alibi tam hoc nomen Meriba quam nomen Maſa exprimitur: ut Iſraëlitæ diſcant non imitari patres ſuos. Quanquam hic plurali numero utitur Moſes, quum Exodi 17. ſingularem poſuerit. Quod ſubjicitur in fine verſus, Deum ſanctificatum fuiſſe inter filios Iſraël, non ad honorem ſed probrum magis ſpectat. Vocaturalibi Iſraël Dei ſanctitas: quia Deus io eo liberando gloriam ſuam magnifice exeruit. Sed hic diverſo ſenſu ſe ſanctificaſſe dicitur: quia proſtrata eorum improbitate & petulantia, ſanctum ſuum nomen à contemptu vindicavetit. Porro inæſtimabilis miſericordiæ documentum fuit, quod aqua quæ merito exitialis fuiſſet, non modo in alimentum corporis data eſt, ſed etiam converſa in ſalutis adminiculum: qua ratione dicit Paulus potum hunc fuiſſe ſpiritualem.

Pſal. 78. *verſ.* 6.

Pſal. 95. *verſ.* 8.

Pſal. 114. *verſ.* 2.

1 *Cor.* 10. *verſ.* 4.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Deut. I.

37. Etiam contra me iratus eſt Jehova propter vos, dicendo, Etiam tu non ingredieris illuc.

38. Jehoſua filius Nun, qui ſtat coram te, ipſe ingredietur illuc: ipſum robora, quandoquidem illam in hæreditatem diſtribuet Iſraëli.

37. *Etiam contra me.*] Non tergiverſandi animo culpam infideliratis, quam confeſſus eſt, in illos transfert: ſed quia nonniſi obſtinata eorum malitia obrutus ſibi excideral, merito exprobrat eorum ſcelere Deum ſibi fuiſſe infenſum. Si hoc prætextu conatus eſſet culpam extenuare coram Deo, vel ſuo loco reos ſubſtituere, nihil aliud quam malum duplicaſſet: verum in objurgando populo recte & apoſite conqueſtus eſt, peccandi cauſam ab ipſis fuiſſe profectam. Acſi diceret, adeo fuiſſe perverſos, ut corruptus etiam ab illis fuerit, & in culpæ ac pœnæ ſocietatem pertractus. Cæterum hic addit de Jehoſua quod ante ſubticuerat. Quod autem hic ſubrogatus Moſi fuit ſucceſſur, valuit ad populum animandum: quia ſingulare bona ſperandi argumentum fuit quum audirent ſibi jam eſſe proſpectum, ut poſt mortem Moſis, duce qui cæleſtibus auſpiciis ipſos regeret, minime deſtituerentur. Cur autem hunc Deus prætulerit aliis omnibus, præſertim quum Caleb alicubi magis laudetur, ratio penes ipſum

ipſum eſt. Et ſcimus eum pro ſuo arbitrio eligere quos ad munus aliquod deſtinat: ut hominum dignitas pendeat à gratuito ejus favore. Stare coram aliquo, tantundem valet ac præſto eſſe ad obeundum miniſterium. Videtur autem notari talis conditio Joſuæ, quo manifeſtior ſit pœna, dum vice converſa Moſi datur ſucceſſor, qui miniſter fuerat.

Ex Numer. XX.

14. Miſit autem Moſes nuncios è Cades ad regem Edom, Sic dicit frater tuus Iſraël, Tu noſti omnem laborem qui apprehendit nos:

15. Quia deſcenderunt patres noſtri in Ægyptum, & manſimus in Ægypto diebus multis, afflixeruntque nos Ægyptii, & patres noſtros.

16. Et clamavimus ad Jehovam, qui exaudivit vocem noſtram, & miſit Angelum qui nos eduxit ex Ægypto. Et ecce, ſumus in Cades, urbe in extremitate termini tui.

17. Tranſeamus, agedum, per terram tuam: non tranſibimus per agros aut per vineas, neque bibemus aquam putei: via regia gradiemur: neque declinabimus ad dexteram aut ad ſiniſtram, donec tranſierimus terminum tuum.

18. Cui reſpondit Edom, Non tranſibis per me, ne forte cum gladio egrediar in occurſum tui.

19. Et dixerunt ei filii Iſraël, Per viam aſcendemus: quod ſi aquas tuas biberimus ego & animalia mea, dabo pretium illarum. Tantummodo ſine negotio tranſeam pedibus meis.

20. Verum dixit, Non tranſibis. Et egreſſus eſt in occurſum ejus cum populo multo, & manu forti.

21. Renuit igitur Edom permittere Iſraëli, ut tranſiret per terminum ſuum: tunc Iſraël declinavit ab eo.

22. Et profecti ſunt è Cades, veneruntque filii Iſraël tota congregatio ad montem Hor.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Deut. II.

2. Poſtea loquutus eſt ad me Jehova, dicendo,

3. Sufficit vobis circuiſſe montem iſtum: convertite vos ad Aquilonem.

4. Populo autem præcipe, dicendo, Vos nunc tranſituri eſtis per terminum fratrum veſtrorum filiorum Eſau qui habitant in Seir: timebunt autem à vobis, cavete diligenter.

5. Ne irritetis eos. non enim daturus ſum vobis de terra eorum uſque ad calcationem plantæ pedis: quia in hæreditatem ipſi Eſau dedi montem Seir.

6. Cibum emetis ab eis argento, & comedetis: & etiam aquam emetis ab eis argento, & bibetis.

7. Siquidem Jehova Deus tuus benedixit tibi in omni opere manus tuæ, & novit quod ambules per deſertum magnum iſtud: jam quadraginta annis Jehova Deus tuus fuit tecum, neque indiguiſti aliquo.

8. Et tranſivimus à fratribus noſtris filiis Eſau, qui habitabant in Seir, per viam ſolitudinis ab Elath & ab Eſion-gaber: converſi autem tranſivimus ad viam deſerti Moab.

Num. 20. 14. *Miſit autem Moſes nuncios.*] Prior narratio cauſam miſſæ legationis non exponit: ſed ex recitatione Deuteronomii liquet pacem ab Idumæis tanquam fratribus petitam fuiſſe Dei mandato. Ergo jam belli & pacis leges præſcribit Deus: nequos temere aggrediantur Iſraëlitæ qui pro hoſtibus habendi non ſint, quamvis parum humaniter ſe gerant. Ac jam hoc quidem populo durum fuit, regionem quæ proxima erat intactam relinquere, ut quæreret ſedem longius remotam. Sed duplici ratione frenat Deus eorum intemperiem: nempe quia iniquum ſit ac minime humanum, cognatos laceſſere. Genus autem ducebant duo iſti populi ab Iſaac: & primi eorum patres fuerant fratres gemelli. Communis etiam illis erat Circumciſio, ejuſdem originis inſignia, & fraternæ conjunctionis vinculum. Sed altera ratio magis ad cohibendos animos valere debuit, quod nefas erat ex poſſeſſione dejicere filios Eſau, quam ſimili jure adepti erant quo promiſſa erat terra Chanaan poſteris Jacob. Ergo ſi volebant hæreditate ſua potiri, non erat violandum decretum quod Deus per os Iſaac protulerat: maxime quum Eſau ipſe auctor gentis arcano Dei inſtinctu domicilium ſuum fixiſſet in monte Seir, & illuc relegata eſſet ejus poſteritas. Nunc ergo admonet Deus ſacrilegam fore audaciam, ſi labefactare tentent Iſraëlitæ vaticinium Iſaac, quo Eſau declaratus fuerat uberis & pinguis ſoli poſſeſſor.

Deut. 2. 4. *Qui timebunt à vobis.*] Hæc moleſtior fuit tentatio, quum audirent non modo irritam fore legationem: ſed quamvis Edom injuſte & hoſtiliter eos exciperet, abſtinendum tamen eſſe à vi & armis. Poterat enim aliqua eſſe ratio, ut amice rogando, legitimam belli cauſam haberent, ſi rex Edom rejiceret eorum poſtulata. Sed hoc ſecundum videri potuit prorſus intolerabile, nihil audere contra eos qui tranſitum abſque malefitio negarent. Verum hinc melius apparet, paulatim & multiplici pœnarum genere ſubactos fuiſſe ad obſequium, qui ferociter aliquot & petulanter vociferati fuiſſent ſe inhumaniter à Deo tractari: quoniam hoc modo deterior eſſet ipſorum conditio quam ferat jus commune omnium gentium. Ergo hac in re multum illis profuit triginta octo annorum circuitus, ut in viam redirent.

Num. 20. 14. *Tu noſti omnem laborem.*] Præfatio ad conciliandum favorem apta fuit, quod filii Jacob ex eodem ſanguine progeniti, ad Idumæos familiari-

miliariter accederent. Cognatio enim illos debebat hoſpitales reddere. Duo autem ſunt præcipua capita quibus flectere conatus eſt Moſes animum regis Edom, ut tranſitum per ſuam ditionem concederet. Prius ſumptum eſt à communi humanitatis ſenſu. Dictat enim natura opem miſeris qui injuſte premuntur, ferendam eſſe. Hoc conſilio dicit notas eſſe quas perpeſſi ſunt moleſtias: nempe quod inquilini in Ægypto tyrannice vexati & oppreſſi fuerint. Quod dicunt ſe & patres afflictos fuiſſe ab Ægyptiis: quanquam tunc nondum judicio ad injurias æſtimandas præditi erant, non tamen fruſtra queruntur injurias illas ſibi fuiſſe illatas, quæ pertinebant ad totum corpus & nomen: præſertim quum poſtremus ſævitiæ actus ad eos proprie ſpectaret, dum juſſit Pharao fœtus omnes maſculos extingui. Secundum argumentum efficacius eſt: quia nihil minus conſentaneum quam auxilio noſtro eos deſtituere quorum ſalutem nobis Deus commendat ſuo exemplo. Ergo ut opem à fratribus ſuis impetrent, commemorant Dei gratiam quæ tunc paſſim celebris eſſe poterat. Quum ergo legatis datum eſt hoc mandatum, Clamavimus ad Jehovam, qui nos exaudivit, conſilium fuit Idumæos hortari ut Dei eſſent imitatores, qui miſericors fuerat in liberando ſuo populo. Si quis objiciat non laudandum fuiſſe clamorem populi, qui neque ex viva & ſincera fide, neque ex ſerio cordis affectu oriebatur: ſolutio in promptu eſt, Iſraëlitas hic non jactare ullum meritum, acſi rite & perfecte precati eſſent, ſed teſtari ſimpliciter de ſua innocentia: quia ad Deum confugere non poterant niſi injuſte gravati. Hoc ergo ad commendationem cauſæ valet quod Deus ipſos exaudierit. Probant autem ab effectu Deum fuiſſe liberatorem: quia incredibilis fuerit exitus. quanquam breviter hæc pars attingitur. Quod autem per Angelum quidam Moſen intelligunt, frigidum eſt: quoniam haud dubie hoc nomine commendant quæ Deus miracula ediderat. Porro etſi Angeli caſtrametantur in circuitu ſervorum Dei, & certum eſt plures Angelos ſalutis populi fuiſſe miniſtros: Angelum tamen præcipue deſignant qui ante ſæpius vocatus fuit Jehova, & in quo perfecte refulſit Dei majeſtas. Eum vero fuiſſe Chriſtum docet Paulus. 1 Cor. 10. verſ. 4.

19. *Dixerunt ei filii Iſraël.*] Incertum eſt fuerintne ſecundo miſſi legati, qui ſiniſtram omnem ſuſpicionem diluerent ad placandam ferociam. Probabile tamen eſt referri quod una & eadem expeditione actum fuit. Summa vero eſt, nihil non tentaſſe Iſraëlitas ut per Idumæos daretur liber & innoxius tranſitus: quo durior & minus tolerabilis videri potuit repulſa. Sed Deus hoc examine probare voluit populi ſui obedientiam. Quod ad Idumæos ſpectat, quamvis arma temere ſumendo juſtam ſibi cladem accerſerent, Deus tamen ad tempus illis pepercit: non ſimpliciter ignoſcendo, ſed pœnam (ſicuti ſolet) differendo in tempus maturum.

Deut. 2. 7. *Siquidem Jehova Deus tuus.*] Hæc ratio additur, ne populo moleſtum eſſet pecuniam, cujus non magna erat ei copia, conſumere in emendo cibo & potu. Duo autem ſunt membra: Dei liberalitate ſic eſſe ditatos, ut ſuppetat facultas ad victum emendum: deinde non eſſe dubitandum quin idem eorum indigentiæ ſubveniat ſi opus fuerit: quia hactenus ipſis proſpexerit, nec paſſus fuerit ulla re egere. Experimento igitur eos ad ſpem animat: quia Deus, ut ante ſolitus fuerat, eorum curam aget. Quæritur tamen quomodo dicat Deus ſe benedixiſſe labori manuum ipſorum, quibus nihil erat commercii cum aliis gentibus, ut vel tantillum lucrifaceret. Ego vero ſic interpretor, quum gratis alerentur in deſerto, nec aſſem unum impenderent ad emendas corrigias, pecora eorum fuiſſe aucta: deinde ex quotidiano labore feciſſe aliquem quæſtum: non quotidianum pretium recipiendo, ſed parando ſibi ſupellectilem & neceſſarias copias.

Ex Numer. XX.

23. Dixit autem Jehova ad Moſen & Aharon in monte Hor, in finibus terræ Edom, dicendo,

24. Congregabitur Aharon ad populos ſuos. Non enim ingredietur terram quam dedi filiis Iſraël: eo quod rebelles fueritis ori meo in aquis jurgii.

25. Accipe Aharon & Eleazar filium ejus, & aſcendere fac eos in Hor montem.

26. Tunc exues Aharon veſtibus ſuis, quibus indues Eleazar filium ejus: quia Aharon colligetur, & morietur ibi.

27. Fecitque Moſes quemadmodum præceperat Jehova. Et aſcenderunt in Hor montem in oculis totius congregationis.

28. Et exuit Moſes Aharon veſtibus ſuis, & induit illis Eleazar filium ejus: mortuuſque eſt Aharon ibi in vertice montis. Tunc deſcendit Moſes & Eleazar de monte.

29. Videns autem tota congregatio quod obiiſſet Aharon, fleverunt eum triginta diebus tota domus Iſraël.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Numer. XXXIII.

38. Aſcendit autem Aharon ſacerdos in Hor montem ſecundum ſermonem Jehovæ: & mortuus eſt ibi, anno quadrageſimo ex quo egreſſi ſunt filii Iſraël è terra Ægypti, menſe quinto, primo die menſis.

39. Erat Aharon natus centum ac viginti tres annos quando mortuus eſt in Hor monte.

23. *Dixit autem Jehova.*] Primo in morte Aharon conſideranda nobis eſt judicii quo damnatus fuerat exequutio: quia oſtendere voluit Deus ſe non fruſtra tam illi quam Moſi minatum eſſe quod tunc accidit, quemadmodum territari ſolent pueri. Si abſque ulla prædictione mortuus fuiſſet Aharon, quia pro vitæ longitudine viſus fuiſſet fato ſuo defungi (ut loquuntur,) mœrore debilitari poterat populus, ut nulla deinde eſſet ad pergendum voluntas: nunc dum in morte uniushominis clare apparet publici omnium ſceleris damnatio, acerrimus ad omnes pungendos ſtimulus eſſa debuit tanta Dei ſeveritas in ſummum Sacerdotem, qui prius ſua interceſſione Deum erga omnes placaverat. Neceſſe enim erat venire illis in mentem, non amplius cum Deo ludendum eſſe, coram quo ne ſancta quidem illa

dignitas pœnam effugeret. Hæc ratio fuit cur in omnium conſpectu Aharon ad mortem vocatus fuerit, ut Deo vivere diſcerent ſuperſtites, quum ad parendum eos notabili exemplo inſtitueret. Neque enim tam Aharon & Moſis cauſa additur exprobratio, non viſuros terram, eo quod rebelles fuerant ſermoni Dei, quam ut ſentiret populus decies ſe interitu fuiſſe dignum: quoniam ſua contumacia exaſperaverat ſanctos viros, ut zeli intemperantia à fide prope exciderent.

25. *Accipe Aharon & Eleazar.*] Succeſſor vivo adhuc & ſuperſtiti deſignandus fuit: primo, ut videret ſacerdotii perpetuitas, deinde ne populus pro ſolita temeritate, rem in ſolius Dei arbitrio poſitam traheret ad ſua ſuffragia. Niſi enim Eleazar vivo adhuc patre creatus eſſet Sacerdos, poterat munus ipſum eſſe faſtidio: ſicuti magna unius hominis dignitas ſæpe eſt odioſa. Ergo ne perverſa invidia eos ad repudiandum ſacerdotium impelleret, prævenit Deus: ne religio, quæ perpetua eſſe debet, una cum hominibus intereat. Scimus rurſum quanta fuerit ad res novandas illius populi audacia. Ergo ne pro ſua libidine ſacerdotem ex alia tribu aſſumerent, eum quem Deus probabat ſtabiliri oportuit, ut abſque controverſia tanquam verus & legitimus reciperetur. Hac autem in re adhibitum fuit externum ſymbolum, quod Eleazar ſacro veſtitu indutus fuit. Neque enim hic de ſubucula vel calceis agitur, ſed de ornatu ſacerdotali. Perinde igitur valuit hæc ceremonia ac ſi Aharon munus quo perfunctus erat ad eum diem, filio reſignaret. Porro obſervatu dignum eſt quod Aharon non dignitate modo, ſed etiam vita ſponte cedit. quo teſtimonio approbata fuit ejus fides: quia niſi perſuaſus fuiſſet hæreditatem ſibi in cælo eſſe repoſitam, non ita placide migraſſet è mundo. Nunc vero ubi ad moriendum non ſecus ſe componit quam ſi in lecto ſuo quieſceret, minime dubium eſt quin animum ſuſtulerit ad ſpem beatæ reſurrectionis, ex qua naſcitur moriendi alacritas. Et probabile eſt fidem ejus erectam & adjutam fuiſſe, quum videret reſidere in perſona filii gratiæ teſtimonium, unde pendebat populi ſalus. Perinde enim erat acſi ante oculos propoſita fuiſſet imago Mediatoris. Hoc ergo ſolatium, ſicuti non vulgare erat, ſuperiorem ipſum reddidit mortis terroribus. Interea ſucceſſit Eleazar, teſte populo, ne poſtea murmuribus obnoxia eſſet ejus auctoritas.

29. *Videns autem tota congregatio.*] Hoc fere gentibus ac ſeculis omnibus commune fuit vitium, ſed peculiariter regnavit in populo Iſraëlitico, ſanctos Dei ſervos magis poſt mortem quam in vita juſto honore proſequi. Sæpius lapidare voluerant Aharon: magnas turbas concitaverant, ut eum dejicerent è gradu in quo divinitus locatus erat: nunc malignitatis & invidiæ obliti, mortuum deflent. Cæterum an luctus unius menſis, cujus ſit mentio, laude dignus ſit, quæritur. Nam quum doloris irritamentum fuerit, non potuit non eſſe vitioſus: quia plus ſatis ad doloris exceſſum naturaliter propenſi ſunt homines, quamvis ſibi non indulgeant: deinde ſpes melioris vitæ ad mitigandam triſtitiam valet. Unde colligimus nullo fere æternæ ſalutis guſtu eſſe prædictos quicunque intemperanter dolent. Verum quia fidelibus alia fuit lugendi ratio, nempe ut ſe exercerent tam in Dei timore quam in ſpe & deſiderio futuræ reſurrectionis, ſolennis iſte luctus non absre in morem receptus fuit. Quoniam mors ſpeculum eſt maledictionis Dei in totum humanum genus, utile nobis eſt quoties quiſpiam noſtrorum moritur, communem ſortem deflere, ut humiliemur ſub manu Dei. Deinde ſi luctus in rectum finem dirigitur, mortuis quodammodo vivos adjungit: ut in ipſo interitu refulgeat novæ & immortalis vitæ ſocietas. Adde quod veteris populi infirmitas talibus ſubſidiis levanda fuit ac fulcienda. Neque enim inter obſcuras umbras promptum fuiſſet ſupra mundum aſſurgere, niſi edocti fuiſſent ad ſe pertinere mortuos, & ſibi cum illis manere aliquod vinculum conjunctionis. Quod ſi abuſu corrumpitur utilitas, iniquum tamen eſt hominum vitio improbari quod per ſe rectum eſt.

39. *Erat Aharon natus.*] Senectus Aharon non ſine cauſa exprimitur: quia in ſalutem populi inſolito modo vita ejus prorogata fuit. Anno centeſimo jam ordinarium vivendi modum exceſſerat. quare ſingulari Dei beneficio fuit ſuperſtes, donec tranſiturus eſſet populus in terram promiſſam. Quo turpior fuit ingratitudo populi, non agnoſcere paternam illam Dei curam: quum miniſtrum gratiæ ſuæ incolumem ſervando ipſis conſuleret.

Ex Deut. X.

6. Filii autem Iſraël profecti ſunt de Beeroth filiorum Jaacan in Moſerah: illic mortuus eſt Aharon, & illic ſepultus eſt. functuſque eſt ſacerdotio Eleazar filius ejus pro eo.

7. Inde profecti ſunt in Gudgodah, & de Gudgodah in Jobath terram torrentium aquarum.

6. *Filii autem Iſraël.*] Quia hic Moſi propoſitum non eſt, ſtationes referre, ſicuti Num. 33. cap. ſed tantum notare in qua regione mortuus fuerit Aharon: ideo proximæ narrationi attexere viſum eſt quod hic legimus. In morte Aharon pœnam ſuæ rebellionis agnoſcere poterant. Quod autem ſuffectus in ejus locum fuerat Eleazar, id ſignum fuit paternæ Dei gratiæ, qui eo bono deſtitui paſſus non eſt. Hæc etiam ſucceſſio inſtar perpetuæ regulæ eſſe debuit in futurum tempus, ut ſacerdotalis dignitas, ex Dei præſcripto, reſideret in ea familia. Cæterum hic recenſet locorum nomina, quæ in loco nuper citato prætermittit. recta enim profectos Iſraëlitas illic narrat è Cades Barnea in montem Hor: deinde tranſitum facit ad Salmonab & Phunon: forte quia diverſa fuit locorum appellatio, vel quod in Gudgodah & Jobath caſtrametati non ſunt: quanquam loci commoditas eos invitare potuit, ut ſubſiſterent in valle irrigua: regio enim Torrentium vocatur, per quam fluebat aquarum copia. Non admoneo, quod per ſe quilibet lector facile animadverteat, in ſeriem Moſis inverſam eſſe hiſtoriæ ſeriem: quia poſt mortem Aharon, Levitas dicit à reliquo populo ſeparatos.

NUMER. Cap. XXI.

* vel, *captivitatem.*

QUum audiſſet Chananæus rex Arad habitans in Meridie quod veniret Iſraël per viam exploratorum, pugnavit cum Iſraële, & abduxit ab eo * prædam.

2. Vovit ergo Iſraël votum Jehovæ, & dixit, Si tradendo tradideris populum iſtum in manum meam, delebo urbes eorum.

3. Et exaudivit Jehova vocem Iſraëlis, & dedit Chananæum, & delevit eos ac urbes eorum: vocavitque nomen loci illius Horma.

Ejuſdem

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Numer. XXXIII.

40. Audivit autem Chananæus rex Arad (is vero habitabat in Meridie in terra Chanaan) quum ingrederentur filii Iſraël.

1. *Quum audiſſet Chananæus.*] Quiſnam fuerit hic rex Arad, non prorſus convenit inter interpretes. Quidam exiſtimant fuiſſe Amalecitam: ſed refellitur eorum error, quia jampridem Amalecitæ fruſtra conati fuerant iter populi abrumpere. Nec credibile eſt poſt multam ſtragem rurſus idem fuiſſe auſos: præſertim quum ditio eorum maneret intacta. Jam abſurdum eſſet Amalecitas vocari Chananæos, qui originem ducebant non à Chanaan, ſed ab Eſau, & ita Iſraëlitis erant conſanguinei ex progenie Sem. Hoc autem de Amorrhæis recte intelligemus, quos ſub Chananæis comprehendi certum eſt, ut illis erat commune genus: ſicut libro primo docet Moſes. *Geneſ. 10. verſ. 15.* Imo alibi per Amorrhæos deſignat omnes populos *Geneſ. 15. verſ. 19.* Chanaan. Jam hujus libri capite 34. videbimus terminos pertinuiſſe uſque ad montem Hor & Cades Barnea. Quum vero illis locis contigui eſſent Amorrhæi Meridiem verſus, optime quadrabit nomen. Quod autem rex Arad ſolus bellum movit, factum eſt paterna Dei providentia, qui paulatim aſſuefaceret populum ſuum voluit ad hoſtes vincendos. Si conjunctis viribus omnes populi uno impetu populum imbellem aggreſſi eſſent, pavore attonitus concidiſſet. Nunc contra gentem unam facilius fuit ſe defendere. Et tamen Iſraëlitas primo conflictu fugari paſſus eſt Deus, ut victor Chananæus prædam abſtulerit, vel abduxerit captivos. Atque hoc quoque utile fuit Iſraëlitis, ut ſuis viribus diffiſi, ſupplici ter ad Dei auxilium confugerent. Diſcere enim ipſos oportuit, niſi divinitus eſſent adjuti, ſe, ubi reſiſtendum eſſet multis validis gentibus, longe fore impares, quando ne unum quidem populum ſuſtinuerant. Quantum ad viam exploratorum ſpectat, quidam intelligunt populum, ſicuti edoctus erat à Joſue & Caleb, ſequutum fuiſſe eorum veſtigia qui miſſi fuerant ad terram explorandam. Sed quoniam apparet diverſum fuiſſe iter, neſcio an opinio illa probe conſiſtat. Itaque alii accipiunt nomen דרך pro Inſtar. quod durum & coactum videtur. Sic ergo interpretor, Quum per regiones incognitas pergendum eſſet, ex more præmiſſos fuiſſe ſpeculatores qui totum iter dirigerent. Hinc cognovit rex Arad terram ſuam peti, antequam eo progreſſus eſſet exercitus.

2. *Vovit ergo Iſraël.*] Fuit hoc pietatis ſpecimen, accepto damno non ſpem abjicere, nec fremere adverſus Deum: ſed opem ejus implorando colligere animos. Ad hanc ſcilicet animi manſuetudinem ſubacti fuerant Dei ferulis. quanquam hujus obedientiæ (ut mox videbimus) perpetuus non fuit tenor. Votum porro hoc primo intuitu quivis præpoſterum fuiſſe diceret. quod tamen legitimum fuiſſe & Deo probatum, ab effectu colligitur: quia ſignum approbationis fuit quod Deus exaudivit vota populi & clamorem. Fateor quidem vitioſis interdum precibus Deum annuere: ſed minime dubium eſt quin Moſes hic pietatem in voto commendet. Videndum igitur quomodo licuerit interitum urbium & vaſtitatem terræ offerre Deo tanquam ſacrificium boni odoris. Hujus quæſtionis facilis erit ſolutio ſi tenemus votum non temere neque ex zelo inconſiderato, ſed potius ex Dei mandato fuiſſe conceptum. Crudele videtur gentem unam interficere. Atqui Deus non modo eam perdere decreverat, ſed Iſraëlitas armaverat ad ſuum judicium exequendum. Quare futiliter votum de quo agitur, nuncupatum non fuit præeunte Dei verbo, quæ prima eſt rite vovendi regula. Licebat quidem urbibus parcere, ut illis potirentur: ſed licuit etiam tanquam primitias dicare in anathema: ſicuti de urbe Jericho alibi ſcribitur. Hoc certe tenendum eſt, quamvis palam & diſerte non juſſiſſet Deus urbes funditus everti, votum tamen hoc à Spiritu ſancto fuiſſe dictatum: ne populus in angulo uno per ignaviam ſubſiſteret, ſed terra illa nudata & vaſtata melius ſe animaret ad ulteriorem progreſſum. Verbum חרם quo utitur Moſes, ſignificat quidem Perdere: unde nomen חרמה deductum, ſpeciem anathematis in ſe continet, acſi terram Dei maledictioni ſubjicerent. Subjicit autem Moſes populum officio fuiſſe perfunctum, poſtquam voti damnatus eſſet. Fuit autem laude digna magnanimitas, habitandi commoditatem negligere, urbes delendo, quas jure belli acquiſierant. Neſcitur tamen an ſtatim poſt hoſtes profligatos diruræ fuerint urbes. Imo potius conjicio aliquam fuiſſe temporis diſtantiam: quia non ſtatim fines terræ promiſſæ ingreſſus eſt populus. quod etiam clarius patet ex capite 33. ubi poſt prælium commiſſum numerantur ſtationes quæ ſunt in alio tractu. Probabile ergo eſt pugnatum fuiſſe extra fines Chananæorum: deinde quum paulo poſt illuc veniſſet populus, terram ultima clade fuiſſe affectam.

Num. 33. 40. *Audivit autem Chananæus.*] Quanquam nullum prælium commemorat Moſes, breviter tamen memoriam renovat ſuperioris hiſtoriæ: quaſi diceret, in illa demum profectione obvium fuiſſe hoſtem Iſraëlitis, quia tunc pugnare cœperunt cum una gente Chanaan. Denique ſenſus eſt, hoc bellandi fuiſſe principium, quum occupanda eſſet terra quam Deus in hæreditatem promiſerat.

Ex Numer. XXI.

4. Et profecti ſunt de Hor monte per viam maris Suph, ut circuirent terram Edom: & anguſtiis affecta eſt anima populi in via.

5. Itaque loquutus eſt populus contra Deum & Moſen, Ut quid aſcendere nos feciſtis ex Ægypto, ut moreremur in deſerto? Non eſt enim panis neque aqua. Et tædet animam noſtram ſuper pane * levi.

6. Miſit igitur Jehova in populum ſerpentes urentes, qui momorderunt populum: ita ut mortuorum populus multus ex Iſraële.

7. Tunc venit populus ad Moſen, & dixerunt, Peccavimus, quia loquuti ſumus contra Jehovam & contra te: ora Jehovam ut auferat à nobis ſerpentes iſtos. Et oravit Moſes pro populo.

8. Et dixit Jehova ad Moſen, Fac tibi urentem, & pone eum ſuper vexillum: & erit, quicunque morſus fuerit, & aſpexerit illum, tunc vivet.

* aut, vel.

9. Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum, quem poſuit ſupra vexillum: & fuit, quando momorderat ſerpens quenquam, aſpiciebat ad ſerpentem æneum, & vivebat.

4. *Et profecti ſunt de Hor monte.*] Hoc quoque in eorum laudem narratur, longi & flexuoſi circuitus moleſtiam pertuliſſe: quum tamen jam quadraginta annorum errore defeſſi eſſent. Dicit ergo Moſes, quoniam vetuerat Deus attingere fines Edom, alia via fuiſſe profectos. Sed continuo poſt addit, turpiter eos defeciſſe, quum nulla eos ſtimularet nova ratio. Antea urgente fame vel ſiti, vel alio quolibet incommodo, tumultuati erant: nunc vero ubi nulla occurrit rebellandi materia, ſeipſos maligne exaſperant contra Deum. Quidam intelligunt afflictos animo fuiſſe propter viam: ut בדרך cauſam mœroris & angultiæ deſignet. Fieri quidem poteſt ut difficilis & ſalebroſus per montes tranſitus fuerit: ſed prope in conſpectu erat amœna regio, quæ ipſos blande alliceret. Deinde perperam queruntur de aquæ penuria, cui Deus pridem remedium adhibuerat. Nihil ergo iniquius quam odioſe revocare in memoriam præteritum malum, in quo ſingulare Dei auxilium experti fuerant. Sed apertius detegitur eorum pravitas, dum Manna faſtidiunt, quaſi cibum minime ſolidi alimenti, vel contemptibilem. Primo ponitur verbum קצר, quod conſtringere ſignificat. Itaque exponunt quidam, mœrore in anxietatem fuiſſe redactos. Sed quia idem verbum pro abbreviare ſumitur, alii vertunt animos fuiſſe tædio fractos, ut in curſu deficerent. Quicquid ſit, notatur voluntaria amarulentia, qua fuerunt conſtricti, ut prorſus concideret pergendi alacritas. Verbum נקש, pro quo Hieronymus reddidit Nauſeat, non ſimpliciter pro faſtidio ponitur, ſed moleſtiam ſignificat quæ animum excruciat vel angit. Manna vero cibum appellant levem: quaſi dicerent inflare potius quam ſatiare aut alere: aut, quod magis probo, metaphorice capitur nomen קלקל pro vili vel abjecto, ac nullius pretii.

5. *Itaque loquutus eſt populus contra.*] Vel quia in perſona Moſis cum Deo jurgati ſunt: vel quia conſque furoris erupit eorum impietas ut Deo quoque aperte maledicerent. quod ſecundum verbis melius convenit, quia plurali numero duos ſimul accuſant. Cæterum quia nihil à Deo ſeparatum habuit Moſes, nemo certamen contra ipſum ſuſcipere potuit quin bellaret cum ipſo Deo. Hic tamen (ut dixi) longius graſſata eſt eorum petulantia: ut non modo contra miniſtrum blateraret, ſed evomerent in ipſum Deum impiam blaſphemiam: acſi eos liberando graviſſime læſiſſet.

6. *Miſit Jehova.*] Hac pœna recte & utiliter caſtigata fuit eorum ingratitudo: quia reipſa edocti fuerunt nonniſi paterna Dei cura immunes antea fuiſſe ab innumeris noxis, & ad ejus nutum præſto eſſe multiplices pœnarum ſpecies, quibus impios ulciſceretur. Etſi autem multis virulentis beſtiis referta ſunt deſerta, probabile tamen eſt repente exortos fuiſſe ſerpentes illos, & creatos in peculiarem uſum: acſi Deus populi ſuperbiam corrigere volens, novos hoſtes excitaret ad exhibendam moleſtiam. Senſerunt enim quantæ ſtultitiæ fuerat contra Deum inſurgere, quum impares eſſent ſerpentibus. Hæc igitur ad eos humiliandos optima fuit ratio, contemptim ſerpentes opponere ad conflictum, qui eos ſuæ infirmitatis convincerent. Itaque & culpam fatentur, & agnoſcunt nullum eſſe aliud remedium niſi ut veniam à Deo impetrent. Duo hæc (ut ſcimus) ad Deum placandum neceſſaria ſunt, ut ſibi diſpliceat peccator, ſeque ipſum damnet: deinde ut Deo reconciliari quærat. Utrumque videtur populus fideliter præſtare, dum ſponte ſe reum peragit, & ſuppliciter confugit ad Dei miſericordiam. Quod autem Moſis preces implorat, id facit terrore perculſus: quia indignum ſe favore judicat, niſi interveniat patronus. Eſſet id quidem vitioſum, eos qui ſibi male conſcii ſunt, interceſſorem Deo objicere, niſi ſuas ipſi preces ſimul conjungerent: quia fidei nihil magis contrarium quam trepidatio, quæ nos à Dei invocatione arcet. Porro Moſis humanitas in eo perſpicitur, & ſolita manſuetudo, quod tanta facilitate ad exaudiendos impios propenſus eſt: & Deus viciſſim oſtendit quam non ſit inutilis juſti oratio, dum inflictum vulnus ſanat.

8. *Fac tibi serentem.*] Nihil minus conſentaneum primo intuitu quam ſerpentem æneum fabricari, cujus aſpectus lethale venenum extingueret. Verum hæc quæ videtur abſurditas, longe ad illuſtrandam Dei gratiam fuit aptior quam ſi quid fuiſſet naturale in remedio. Si protinus ſublati fuiſſent ſerpentes, putaſſent fuiſſe fortuitum incurſum, & malum illud naturaliter evanuiſſe. Si in ope ferenda quicquam interveniſſet aptis & concinnis remediis affine, tunc quoque obtecta fuiſſet Dei virtus & bonitas. Ergo ut ſentirent mera & ſola ejus gratia à morte ſe eripi, modus ſervandi electus eſt ab humana ratione tam alienus ut eſſet prope ſimilis ludibrio. Interea ad probandam populi obedientiam id valuit, modum quærendæ ſalutis præſcribere, qui ſubjiceret ac captivos teneret omnes ſenſus. Stultum erat, ne virulentus morſus noceret, oculos ad ſerpentem æneum convertere. Quid enim, hominum judicio, prodeſſet mortua ſtatua eminus locata? Sed hæc propria fidei virtus eſt, libenter ſtulteſcere, ut tantum ex Dei ore ſapere diſcamus. Quod tandem clarius apparuit in hujus figuræ veritate. Chriſtus enim dum ſe huic ſerpenti comparat, quem Moſes exaltavit in deſerto, non vulgarem modo ſimilitudinem proponit: ſed in ſe completum fuiſſe docet, quod oſtenſum fuerat ſub obſcura umbra. Et certe niſi ſerpens æneus ſpiritualis gratiæ ſymbolum fuiſſet, non fuiſſet inſtar pretioſi theſauri repoſitus, & multis ſeculis diligenter ſervatus in ſanctuario Dei. Et optime convenit analogia: quoniam ut nos à morte Chriſtus eriperet, carnem noſtram induit, non obnoxiam peccato, ſed quæ imaginem carnis peccatricis referret, ut inquit Paulus. Hinc ſequitur quod nuper attigi, quia non cognovit mundus in ſapientia Deum, fuiſſe patefactum in ſtultitia crucis. Ergo ſi ſalutem conſequi cupimus, ne pudeat nos ipſum petere à maledictione Chriſti, quæ adumbrata fuit ſub ſerpentis effigie. Exaltatio vero frigide & parum ſcite (meo judicio) à quibuſdam exponitur de crucifixione, quum ad prædicationem Euangelii potius referri debeat. Juſſus enim eſt Moſes ſerpentem attollere in ſublime, ut undique eſſet conſpicuus. Ac nomen נס tam pro vexillo quam pro malo navis, aut qualibet alta pertica ſumitur. Atque huc quadrat vaticinium Jeſaiæ, ubi dicit Chriſtum fore in ſignum cunctis gentibus: quod ſcimus fuctum eſſe ſparſa per totum orbem Euangelii doctrina, cui reſpondet aſpectus fidei. Sicuti enim nullis allata fuit à ſerpente medicina niſi qui in ipſum alte erectum oculos verterent, ita ſolus fidei intuitus facit ut nobis mors Chriſti ſit ſalvifica. Quanquam ergo præſenti malo ſuccurrere voluit Deus, non dubium tamen eſt quin jam tunc admonuerit pios omnes, non aliunde ſanari poſſe veneficos diaboli morſus quam ſi mentes & ſenſus fide in Chriſtum dirigantur. Porro quam proclive ad ſuperſtitionem ſit humanum genus, documento eſt æneus ſerpens, quem loco idoli poſteritas coluit, donec à ſancto rege Ezechia in pulverem redactus eſt.

Joan. 3. verſ. 14.

1 Cor. 1. verſ. 30.

Rom. 8: 3.

Iſa. 11. verſ. 10.

2 Reg. 18. verſ. 4.

Ex

Ex Numer. XXI.

10. Et profecti ſunt filii Iſraël, & caſtrametati ſunt in Oboth.
11. Profecti vero ex Oboth caſtrametati ſunt in Iie-Abarim in deſerto, quod erat in conſpectu Moab ab ortu Solis.
12. Inde profecti caſtrametati ſunt in valle Zered.
13. Profecti deinde illinc caſtrametati ſunt citra Arnon, quæ eſt in deſerto, & portenditur à termino Emorrhæi. Arnon enim eſt terminus Moab inter Moab & Emorrhæum.
14. Idcirco dicitur in narratione præliorum Jehovæ, Vaheb in Suphah, & torrentes ad Arnon:
15. Et decurſum torrentium, qui pergit ut quieſcat in Ar, & recumbit in termino Moab.
16. Illinc in Beer. Is eſt puteus de quo dixerat Jehova ad Moſen, Congrega populum, & dabo illis aquam.
17. Tunc cecinit Iſraël carmen hoc, Aſcende Beer, canite ei:
18. Puteus quem foderunt principes, foderunt eum principes populi cum Legislatore baculis ſuis. Et è deſerto in Mathanah.
19. Et è Mathanah in Nahaliel: & de Nahaliel in Bamoth:
20. Et de Bamoth Hagaie, qui eſt in regione Moab, in vertice collis, & reſpicit contra faciem * deſerti.

* vel, *ſemen.*

10. *Et profecti ſunt.*] Non omnes ſtationes hic enumerat Moſes, quarum poſtea fiet mentio quum omnes ordine & ſigillatim colliget. Properans enim ad res memoratu dignas, transcurrit leviores, quas tamen alibi non omittit: quia nonnihil momenti habebat narratio vagi circuitus quum ab Idumæis deflecterent. Fuit enim (ut diximus) non vulgare obedientiæ teſtimonium, quum Deus vetuiſſet Idumæos aggredi, ſuſcipere durum & aſperum iter. Hoc tamen loco ſatis habuit Moſes præcipua loca notare in quibus ſubſtiterant. Tamen quod dixi, verum eſſe apparet, eum ſcilicet ad inſignes hiſtorias feſtinare: quia ubi ventum eſt ad Arnon, Dei potentiam, qua auxiliatus eſt populo ſuo, magnifice commendat.

13. *Caſtrametati ſunt citra Arnon.*] Subjiciam paulo poſt quod refert Moſes in Deuteronomio de Moabitis & Ammonitis. Hic quia ſummam duntaxat breviter perſtringit, tantum commemorat populum veniſſe ad fines hoſtium: ubi neceſſe fuit manus conſerere: quia non patebat tranſitus in terram Chanaan, niſi vi & armis penetraſſent. Hic ergo fuit peregrinationis terminus, quia devictis Amorrhæis cœperunt urbes eorum incolere. Ideo mox adjungit, locum hunc fore ſeculis omnibus memorabilem: quia illic Deus iterum in hoſtibus profligandis potentiam ſuam exeruit. Quanquam in verbis mihi videntur hallucinati eſſe interpretes. וְהֵב accipiunt fere omnes pro Libro. Poſtea anxie diſputant quiſnam ſit iſte libet: nec tamen quicquam afferunt conſentaneum. Ego autem potius accipio pro Narratione: quaſi dixiſſet Moſes, quum referentur bella Jehovæ, celebrem fore hujus loci memoriam. Sicuti David, ubi Dei beneficia recenſet ac commendat, diſerte exprimit Sibon regem & Og devictos fuiſſe. Alia etiam in proximis verbis eſt ambiguitas. Quidam enim Vaheb volunt proprium nomen eſſe urbis, Suphah vero appellativum, ac vertunt In tutbine: verum quia littus maris Rubri non fuit habitabile, non video qui conveniat mentionem urbis fieri quæ illic ſita fuerit. Quod ſi putant urbem fuiſſe vicinam Arnon, mirum eſt nuſquam alibi legi hoc nomen, & tamen hic poni tanquam vulgo notum. Itaque in eorum potius ſententiam inclino qui verbum eſſe docent, & poſitum eſſe pro: ut ſit ſenſus, Quemadmodum Deus cœperat in mari Rubro magnifice pro Iſraëlitis bellare, ſic eandem gratiam continuaſſe in Arnon. Fateor, ſi quis ſcrupuloſius in punctis inſiſtat, ſenſum hunc Grammaticæ non prorſus quadrare. Sed malo unius puncti jactura ſenſum probabilem elicere, quam procul quærere frigidas divinationes, ſicuti faciunt qui fingunt Vaheb nomen eſſe proprium loci. Porro apte Moſes Arnon comparat cum mari Rubro: ut oſtendat finem gratiæ Dei principio optime quadrare. Potenter dimicaverat contra Ægyptios, & Pharaonis exercitum deleverat in mari Rubro: verum hujus liberationis exiguus fuiſſet fructus, niſi pari virtute ſuppetias tuliſſet populo, ubi cum gentibus Chanaan confligendum fuit. Neque enim de quibuslibet Dei beneficiis agitur, ſed tantum de victoriis, ex quibus palam apparuit, nonniſi Dei auſpiciis & ductu Iſraëlitas bella gerere. Itaque miracula in deſerto edita non recenſet Moſes: ſed tantum dicit in recitandis Dei bellis æque præclarum fore nomen Arnon atque fuiſſet maris Rubri. Ac in voce Arnon notanda eſt ſynecdoche: quia Moſes comprehendit quæcunque deinde ſequuta ſunt prælia. Quoniam ergo ex quo ad fines Arnon pervenit populus, ubi obviam progreſſi ſunt hoſtes, rurſus Deus erexit vexillum, & continuis victoriis magnifice populum ſuum ornavit, hinc loci nobilitas. Poëtica eſt repetitio in proximo verſu, ubi pro Torrentibus ponitur fluxus torrentium, qui deſcendit in Ar, & recumbit in termino Moab.

16. *Illinc in Beer.*] Sunt qui putent hiſtoriam attingi cujus nuſquam antea facta fuerat mentio: quia hic refertur canticum quod alibi non legitur. Sed quoniam eadem iterat verba Moſes quibus ante uſus eſt, & tanquam de re notiſſima loquitur, quod illic juſſus fuerit congregare populum, ut aqua divinitus emiſſa frueretur: mihi probabile eſt nomen loco fuiſſe impoſitum, quo apud poſteros tam Dei bonitas quam populi ingratitudo teſtata foret. Quanquam non contendo eundem eſſe locum ex quo elicitam fuiſſe aquam ante legimus. Neque enim illic duntaxat ſatiati fuerunt aquæ potu: ſed profluxit quo illis erat iter. Quo ſenſu ſcribit Paulus Petram illos fuiſſe conſequutam. Non quod rupes è ſua radice avulſa fuerit: ſed quia aquam quæ inde fluxit, mirabiliter deduxit Deus, ut eos comitaretur, atque ita potus illis aſſiduus ſuppetetet. Quod etiam colligitur ex proximo verſu, ubi dicit Moſes populum cecinſſe carmen hoc, Aſcende Beer. Nam quum viderent præter naturam ex fonte nuper creato aquam in altiora loca ſurgere, ut potum in locis aridis ſuggereret, cœperunt magis attendere ad miraculum, ut gratiam Dei celebrarent. Quanquam fieri poteſt ut aqua non fuerit derivata inſtar fluminis, ſed ex apertis terræ venis ebullierit quoties opus erat. Certe per aſcenſum deſignat extraordinariam Dei potentiam. Quum dicitur, principes fodiſſe puteum, ſubeſt (meo judicio) antitheſis inter paucos homines & ad opus manuatium non adeo robuſtos, ac ingentem

1 *Cor.* 10. *verſ.* 4.

calonum turbam. Si quando exercitus aqua egue-runt, puteos sibi milites magno labore pararunt. hic longe diversa ratio ponitur, quod duces populi una cum Mose, non artificio, neque machinis, sed tan-tum baculi tactu, puteum effoderint. Baculos qui-dem ponit Moses numero plurali, quia procerum fit mentio: sed non dubito baculum Mosis quibus-libet instrumentis opponi, ad commendandam Dei virtutem & gratiam. Puto etiam nomen Beer loco fuisse inditum ubi aqua illa Israëlitas deseruit: quo-niam venerant ad regiones irriguas, quæ potum abs-que miraculo copiose suggererent. Cæterum ex hoc cantico discamus, quam vis initio populus impie con-tra Deum tumultuatus esset, tandem longo benefi-cii usu ad gratitudinem flexum esse, ut in laudes ejus erumperet. Unde colligimus, non fuisse in sua amen-tia obstinatos.

Ex Deut. Cap. II.

9. Et dixit mihi Jehova, Ne oppugnes Moab, neque lacessas eum bello, quia non dabo tibi è terra ejus possessionem. Filiis enim Lot dedi Ar in hæreditatem.

10. (Emim antea habitabant in ea, populus magnus & multus & excelsus, sicut Anacim.

11. Gigantes reputabantur etiam ipsi, sicut Anacim: & Moabitæ vocarunt eos Emim.

12. In Seir autem habitaverunt Horim antea, quos filii Esau expulerunt, & perdide-runt à facie sua, habitaveruntque loco ipsorum, quemadmodum Israël in terra possessio-nis suæ quam dedit illis Jehova.)

13. Nunc surgite, & transite torrentem Zered. Et transivimus torrentem Zered.

14. Dies autem quibus ambulavimus de Cades Barnea, donec transiremus torrentem Zered, fuerunt triginta octo anni, donec consumeretur tota generatio virorum bellato-rum de medio castrorum, quemadmodum juraverat Jehova illis.

15. Præterea manus Jehovæ fuit in eos, ut perderet eos è medio castrorum, donec con-sumeret eos.

16. Et fuit, postquam consumpti fuerunt omnes viri bellatores, ut morerentur è medio populi:

17. Tunc loquutus est Jehova ad me, dicendo,

18. Tu transiturus es hodie terminum Moab, nempe Ar.

19. Et accedes ad viciniam filiorum Ammon, ne obsideas eos, neque irrites eos: quia non daturus sum tibi de terra filiorum Ammon possessionem aliquam. nam filiis Lot dedi illam in possessionem.

20. Terra gigantum reputata fuit etiam ipsa: gigantes habitaverunt in ea olim, quos Ammonitæ vocabant Zamzumim.

21. Populus magnus & multus & excelsus, sicut Anacim: & perdidit eos Jehova à facie eorum, possederuntque eos, & habitaverunt loco ipsorum.

22. Quemadmodum fecit filiis Esau, habitantibus in Seir, propter quos disperdidit Horæos à facie eorum, & possederunt eos, habitaveruntque loco ipsorum usque in hanc diem:

23. Et Avæos qui habitabant in Haserim usque Azzah: Caphthorim qui egressi sunt de Caphthor, perdiderunt eos, & habitaverunt loco ipsorum.

9. *Ne oppugnes Moab.*] Antea vetuit ingredi ter-ram Edom, nisi impetrato consensu. Similis nunc additur prohibitio, ne attingant Moabitas, quia Deus regionem quam inhabitant, illis assignave-rit. Fuit hoc, ut dixi, grave & molestum, colere hu-manitatem & fraternam benevolentiam erga eos qui se hostiliter gerebant. Sed voluit hac etiam in parte Deus probare obedientiam populi sui. Deinde non respexit quid gens illa merita esset: sed quoniam erant posteri Lot, ideoque ex genere Abrahæ, spe-ciali favore ipsos prosequi voluit. Nam ejus est to-tius mundi partitio, ut distribuat quibusque populis quam voluerit partem, ac limites figat quibus se con-tineant. Si quis objiciat, populos Chanaan suis etiam finibus fuisse circumscriptos, ideoque non fuisse ex-pellendos è terra cujus multis seculis indigenæ fuer-rant eorum majores: in promptu est solutio, Deo semper liberum esse eripere quod dedit, & terminos suo arbitrio positos refigere, dum ita merentur ho-minum peccata. Itaque non vulgari modo Moa-bitis se terram dedisse pronunciat, sed decreto interposito, ut eorum habitatio maneat firma & stabilis.

10. *Emim antea habitabant.*] Confirmatio est proximæ sententiæ, quæ tamen inseritur quasi per parenthesin in persona Mosis. Nam versum no-num, quem nunc exposuimus, uno contextu sequi-tur decimus tertius, Nunc surgite, & transite &c. Postquam enim Deus populum avertit à finibus Moab, ostendit in quam partem transire oporteat. Sed abrupto Dei sermone, Moses explicat quomodo illam ditionem adepti sint Moabitæ, qui tamen ex-teri erant, nec quicquam habebant proprium ubi pedem figerent. Lot enim non minus fuerat pere-grinus quam Abraham. Dicit igitur Moses singulari privilegio dominos terræ factos esse posteros Lot, cujus antea gigantes potiebantur. Hoc autem huma-nitus non contigit, ut gigantibus, qui omnibus erant formidabiles, expulsis, tranquillam sedem cum imperio adepti fuerint in ea terra, quæ propter vali-dos & robustos incolas videri poterat inexpugnabi-lis. Dicit ergo illic gigantes habitasse sicut in monte Seir: & utrosque non tam hominum manu & armis quam Dei potentia profligatos fuisse ac deletos, ut vacua possessio tam filiis Esau quam filiis Lot cede-ret. Jam quum alibi testetur Deus se dedisse ipsi Esau montem Seir in hæreditatem, sicut ejus patri Isaac fuerat pollicitus: sequitur Moabitas, ipso eodem auctore potitos fuisse sua terra. Quod autem filios Edom Israëlitis comparat, non per omnia convenit. Etsi enim hoc solatio sublevatus fuit Esau, fore ei hæ-reditatem in pinguedinibus terræ: fieri tamen potest ut ejus & posteritatis respectu non fuerit legitima possessio. Terram vero Chanaan sic pollicitus est Deus generi Abrahæ ut dominium acceperint Israë-litæ tanquam ex ejus manu: sicuti in Psalmo dici-tur. Diversa etiam in hac parte ratio fuit, quod ele-cta fuit terra Chanaan in qua Deus Ecclesiam suam colli-

Psal. 136. *vers.* 17.

colligeret, in qua pure coleretur, & quæ fidelibus arrha foret cælestis & æternæ quietis. Verum sicuti alibi notatur discrimen inter filios Esau & Jacob, ita nunc Moses speciale erga utrosque Dei beneficium commendat.

13. *Nunc surgite.*] Nunc prosequitur quod dicere cœperat versu nono, nempe Deum mandasse ut omissa regione Seir, pergerent ad torrentem Zered: acsi diceret, postquam malis subacti fuerant, cohibitos fuisse ab ulteriore progressu, donec illis viam patefaceret Deus, atque ita eum sequerentur ducem, nec sibi transitum facerent proprio arbitrio. Postea tempus moræ commemorat ex quo divinitus retenti fuerunt in deserto, postquam semel fines terræ promissæ attigerant. Dicit igitur post triginta octo annos demum reversos fuisse ad terram unde retrocedere coacti fuerant: ac breviter admonet, ex quo exierat populus ad fruendam terram promissam, ejus culpa interruptum fuisse liberationis cursum. Viros autem bellatores, aut Hebraice viros belli nominat, qui armis gestandis idonei erant per ætatem, nempe qui vicesimum annum excesserant. Porro quum alibi mentio fit quadraginta annorum, simul biennium illud comprehenditur quod transactum fuerat tam in monte Sinai quam in aliis locis. & merito: quia tunc quoque obstaculum suis sceleribus posuerant, ne post Legem promulgatam mox ad potiundam hæreditatem transirent.

19. *Et accedes ad viciniam filiorum Ammon.*] Cavet nunc Deus Ammonitis: quoniam eadem erat conditio quæ Moabitarum, quum ex duobus filiis Lot essent progeniti. Mirum quidem videri posset, quum detestabilis esset originis memoria, ita Deo charas fuisse istas gentes. Nati fuerant Ammon & Moab ex incesto coitu. Consentaneum ergo erat eorum interitu sepeliri tragicum illud facinus potius quam Dei favore eximi à communi aliarum gentium sorte: acsi sua eos nobilitas aliis præferret. Verum hinc discamus, quia judicia Dei instar profundæ abyssi sensus nostros fugiunt, reverenter suspicienda esse. Lot insigne habet pietatis testimonium. Flagitium quod ebrius admisit, perpetuo dedecore notare sic placuit Deo, ut tamen asperserit signum aliquod misericordiæ: quod tamen ipsi Abrahæ præcipue datum fuit. Nec vero dubium est quin hac nota posteros Lot commendet Deus Israëlitis: ut libentius humanitatem colant, & sibi temperent ab omni injuria, ubi negotium est cum duobus populis quos in Abrahæ gratiam propter commune genus ipsi Deo curæ esse vident. Porro eodem argumento quo ante probavit tam Idumæos quam Moabitas, Dei auxilio fretos, regiones quarum domini erant occupasse, nunc confirmat terram quam possident Ammonitæ divinitus illis fuisse concessam, nempe quia vincendis ac profligandis gigantibus modum excesserint humanæ fortitudinis, atque ita Deus specimen ediderit rari & insoliti favoris. Adde quod gentis propagatio tam exiguo tempore propter miraculum speciale fuit testimonium gratiæ Dei. Neque enim ullatо naturæ more duo homines in tantam multitudinem crescere potuerant. Cæterum quanquam Hebræi Caphthorim vocant Cappadoces, nescitur tamen an illinc oriundi sint gigantes quorum ab Ammonitis possessa fuit regio. Quod si recipitur, longa illis, postquam egressi sunt à patria, & multorum discriminum peregrinatio fuit: deinde quum transirent per uberes & amœnas terras, mirum est usque ad montes illos penetrasse. Fieri tamen potest, ut prædonum more grassati, nusquam tranquillam stationem invenerint, donec regio minus culta se offerret.

Ex Numer. XXI.

21. Misit Israël legatos ad Sihon regem Emorrhæorum, dicendo,

22. Transeam per terram tuam: non declinabimus per agros, neque per vineam: non bibemus aquas puteorum: via regia pergemus, donec transierimus terminum tuum.

23. At non permisit Sihon Israëli ut transiret per terminum suum. Itaque congregavit Sihon universum populum suum, & egressus est obviam Israëli in desertum, venitque in Jahaz, & pugnavit cum Israële.

24. Et percussit eum Israël in ore gladii, & hæreditate accepit terram ejus ab Arnon usque ad Jabboc, usque ad filios Ammon: quia munitus erat terminus filiorum Ammon.

25. Et accepit Israël omnes istas urbes, & habitavit Israël in omnibus urbibus Emorrhæi, in Hesbon, & in omnibus oppidis ejus.

26. Hesbon erat urbs Sihon regis Emorrhæi. Nam ipse pugnaverat contra regem Moab primum, & acceperat omnem terram ejus è manu ejus usque ad Arnon.

27. Idcirco dicunt parabolice loquentes, Venite in Hesbon, ædificetur & instauretur urbs ipsi Sihon:

28. Quia ignis egressus est de Hesbon, & flamma ex urbe Sihon consumpsit Ar Moab & dominos excelsorum Arnon.

29. Væ tibi Moab, periisti populo Chemos: dedit filios suos in fugam, & filias suas in captivitatem regis Emorrhæi Sihon.

30. Et lucerna eorum periit ab Hesbon usque ad Dibon, & delevimus usque ad Nophah, quæ est ad Medebah.

31. Habitavit itaque Israël in terra Emorrhæi.

32. Misit deinde Moses ad explorandum Jaazer, & ceperunt oppida ejus, & expulit Emorrhæum qui erat ibi.

Ejusdem historiæ repetitio.

Ex Deut. II.

24. Surgite, proficiscimini, & transite torrentem Arnon. Vide, dedi in manum tuam Sihon regem Hesbon Emorrhæum & terram ejus: incipe possidere, & dimica prælio cum eo.

25. Hodie incipiam dare pavorem tui & formidinem tui super faciem populorum

qui sunt sub toto cælo, qui audierunt famam tuam, & pavebunt, timebuntque à facie tua.

26. Et misi nuncios è deserto Cedemoth ad Sihon regem Hesbon verbis pacificis, dicendo,

27. Transeam per terram tuam, per viam ambulabo, non declinabo ad dexteram nec ad sinistram.

28. Cibum argento vendes mihi ut comedam, aquam argento dabis mihi ut bibam: tantum transibo pedibus meis:

29. Quemadmodum fecerunt mihi filii Esau qui habitant in Seir, & Moabitæ qui habitant in Ar: donec transiero Jordanem ad terram quam Jehova Deus noster dat nobis.

30. Et noluit Sihon rex Hesbon ut transiremus per sua. Induraverat enim Jehova Deus tuus spiritum ejus, & obfirmaverat cor ejus, ut daret eum in manu tua, ut hodie est.

31. Dixit autem Jehova ad me, Vide, jam cœpi dare coram te Sihon, & terram ejus, incipe possidere, ut possideas terram ejus.

32. Egressus est autem Sihon in occursum nostrum, ipse & universus populus ejus ad prælium in Jahaz.

33. Et tradidit illum Jehova Deus noster coram nobis, percussimusque eum & filios ejus, & totum populum ejus.

34. Cepimus quoque omnes urbes ejus eo tempore, & destruximus omnes urbes, viros & mulieres, & parvulos: non reliquimus superstitem.

35. Veruntamen jumenta prædati sumus nobis, & spolia urbium quas cepimus.

36. Ab Aroër quæ est juxta ripam torrentis Arnon, & urbe quæ est in valle, usque ad Gillad, non fuit urbs quæ effugerit à nobis: omnes tradidit Jehova Deus noster coram nobis.

37. Tantummodo ad terram filiorum Ammon non accessisti, omnem locum torrentis Jabboc, & urbes montanas, atque omnia de quibus præcepit Jehova Deus noster.

Num. 21. 21. *Misit Israël.*] Plenior est altera narratio quam ex quinto libro subjecimus: ex qua tamen quæstio exoritur, quorsum missa fuerit legatio ad regem Sihon cujus ditio jam addicta erat Israëlitis. Minime enim consentaneum videtur pacis conditiones offerre ubi decretum est bellum. Jubet Deus populum arma capere: pronunciat fore victorem, ut terram regis Sihon jure belli occupet: quid ergo absurdius quam postulare ab eo ut pacatis transire liceat? Si id absque Dei mandato tentavit Moses, culpa non vacavit tanta facilitas: quia magnæ temeritatis fuit promittere quod divinitus negatum erat. Quod si dixerimus legatos Dei arbitrio & jussu fuisse profectos, quo prætextu excusabitur simulatio? Neque enim convenit blandis verbis & pollicitationibus mulcere quem extitio destinaveris. Equidem statuo, quamvis Deum eventus non lateret, ejusdem jussu ac decreto legationem nihilominus fuisse missam, quæ obstinatam gentis immanitatem detegeret. Verum quia arcana Dei judicia longe sensus nostros transcendunt, discamus eorum altitudinem suspicere. Atque hæc sobrietas instar freni proterviam nostram coërceat, quamvis nobis incognita sit operum Dei ratio, penes ipsum tamen semper residere. Sciebat Deus legatos surdo verba facturos: neque tamen eos frustra jubet proficisci. Nam quia ditio Sihon proprie non continebatur in terra promissa, non licuit filiis Israël armis confligere, donec injusta repulsa fuissent provocati. Sic igitur historiæ seriem contexo, Antequam certiores de eventu & victoria facti essent ex Dei præcepto, misisse legatos qui transitum innocuum sibi dari postulassent: & quia indigne & contumeliose repudiati sunt, deinde jus bellandi fuisse illis concessum. Si cui magis placeat, Mosen antequam pacem tentaret, admonitum fuisse de tota re, non contendo: magis tamen probabile arbitror, speravisse pacem quam quærebat: quia nondum patefactum erat Dei judicium. Ergo si passus fuisset Sihon se exorari, nunquam ausus fuisset Moses hostiliter cum eo agere: quin potius simpliciter ac bona fide pollicitus est ac obtulit pacem, quam præstare in animo habebat: verum aliter statuerat Deus, sicuti reipsa tandem patuit. Neque tamen ideo secum ipse pugnavit, aut fuit varius, legatos ad hominem perditum & obstinatæ pervicaciæ mittendo. Nam hoc modo sublata excusatio fuit, quum sponte bello lacesseret populum, qui ad pacem & æquitatem propensus ac voluntarius erat. Quin potius in hac historia veluti in speculo cernere licet, dum reprobos ad pœnitentiam sollicitat Deus, & ad spem salutis invitat, non alio tendere quam ut illi detecta sua impietate reddantur inexcusabiles. Quo refellitur eorum inscitia, qui ex eo colligunt omnibus promiscue liberum esse amplecti Dei gratiam, quia communis est doctrina & ad omnes sine exceptione dirigitur. Quasi vero nesciverit Deus quid responsurus esset Sihon, quum voluit ipsum amicis & pacatis verbis ad æquitatem adduci: aut quasi ex libero arbitrio suspensa fuerit Dei voluntas quoad bellum, quod paulo post gestum est ex ejus decreto. Quod ergo hic breviter refertur, quia per se obscurum esset, ex altera narratione exponere oportet, ubi sic habetur:

Deut. 2. 24. *Surgite, proficisc.*] Dixi nuper in his verbis inversum esse ordinem. Nam quod paulo post sequitur, Misi nuncios è deserto &c. meo judicio, quasi per parenthesin inseruit Moses. Ideo apte per tempus plusquam perfectum vertere licebit, Miseram autem. Ita in sensu nulla erit ambiguitas, quod ubi legati re infecta reversi fuerant, populi tædium lenierit Deus hoc solatio: acsi diceret, Non impune Sihon repudiavit oblatam sibi pacem: quia vobis licebit eum legitimo bello aggredi. Et certe hoc expeditionis signum ex sententia dependet quæ versu 30. subjicitur. idque elicere ex contextu promptum est: quia paulo aliis verbis idem illic repetit Moses quod hic legimus de transitu: & rursum testatur Deus se dedisse Sihon in manus populi, & Mosen hortatur ut audacter in prælium descendat. Porro illic causa exprimitur cur in rejicienda legatione tam superbus fuerit ac contumax: quia scilicet Deus obduraverat spiritum ejus, & cor ejus obfirmaverat. Unde rursus apparet frigide eos cavillari qui

Deum

Deum fingunt è cælo otioſum ſpeculari quid acturi ſint homines. Non audent quidem eum ſpoliare præſcientia: ſed quid abſurdius eſt quam eum nihil aliud præſcire niſi quod hominibus libuerit? Scriptura autem (ut videmus) non ſtatuit Deum in ſpecula, unde longe proſpiciat quæ futura ſunt: ſed omnium moderatorem eſſe docet: nec rerum modo eventus, ſed hominum conſilia & affectus ſubjicit ejus arbitrio. Ergo ſicuti ante vidimus cor Pharaonis fuiſſe obduratum, ita nunc Moſes obſtinationem regis Sibon Deo adſcribit. Quam frivola ſit tergiverſatio, dum excipiunt quidam de permiſſione, ſatis liquet ex fine ipſo quem deſignat Moſes. Cur enim Deus cor Sihon obduravit? nempe ut populo ſuo occidendum traderet: quia volebat ipſum perire, & ejus terram Iſraelitis deſtinaverat. Si tantum permiſit Deus Sihon obdureſcere, vel nullum, vel fluxum & evanidum erat ejus decretum: quia à flexibili hominis arbitrio pendebat. Omiſſis ergo puerilibus nugis, tenendum eſt, Deum arcano inſtinctu ſic movere, formare, regere ac trahere hominum corda, ut etiam per impios quicquid ſtatuit exequatur. Simul tamen notandum eſt, impios non extrinſeca vi impelli ad duritiem, ſed ſponte ſeipſos obdurare: ut in eadem duritie & Deus juſtus judex appareat, quamvis incomprehenſibile ſit ejus conſilium, & hominum ſe prodat impietas qui ſibiipſis peccandi ſunt auctores & impulſores. Et emphatice bis idem inculcat Moſes, quod ſpiritus Sihon divinitus fuerit obduratus, & cor ejus obfirmatum, quo magis illuſtretur paternus erga populum electum Dei favor: quia ex cæci regis pertinacia juſtam belli cauſam & victoriæ materiam ſuggeſſerit.

Numer. 21. 25. *Et accepit Iſraël.*] Quaſi de re præſenti verba faceret, demonſtrativo pronomine utitur, Urbes iſtas, inquit: veluti eas ſubjiceret lectorum oculis. Ubi vertimus Oppida, alii villas, alii viculos transferunt. Hebraice filias nominat Moſes pagos omnes & minora oppida, quorum metropolis erat Hesbon. His autem verbis ſignificat Moſes jure belli ceſſiſſe omnia illa loca Iſraelitis in ſortem ſuæ hæreditatis. Nam (ut paulo ante dixi) nondum aperte Deus pronunciaverat illarum regionum fore dominos. Fines igitur ſuos transgreſſi eſſent niſi ad terram Chanaan adjectæ fuiſſent. Hæc ratio eſt cur ſe Deus auctorem palam faciat poſſidendi. Cæterum ubi dicit urbes diruras fuiſſe, & omnes iocolas deletos, ut neque fœminis neque pueris parcerent, ſciamus non ita ſæviiſſe proprio impetu, aut cæca violentia, ſed quicquid trans Jordanem ſitum erat, divinitus exitio fuiſſe devotum: ut ſemper attenti eſſent ad terram promiſſam: neque torpori indulgerent: quod factum eſſet ſi commoda habitatio illos iovitaſſet ad quietem. Quamvis ergo terram in poſterum illis Deus tradiderit, & paſſus fuerit præda & ſpoliis ditari, noluit tamen retineri ad manendum: ideoque urbes & pagos diruere juſſit, ut alibi ſedes quærerent. Denique quum plus ſatis proclives eſſent ad deſidiam, illecebras omnes auferri utile fuit, & ipſa vaſtitate impelli quo Deus vocabat.

26. *Hesbon urbs erat Sihon.*] Non abs re Moſes commemorat quomodo regio vicina Hesbon ad Emorrhæos pervenerat: quia longo poſt tempore hæc bellandi occaſio quæſita fuit ab Ammonitis, quum res populi viderent attritas. Tempore ergo Jephthæ magno exercitu collecto, irruptio ab illis facta fuit: & hoc prætextu uſi ſunt, ſe arma ſumpſiſſe ut recuperarent quod ſuum erat, ab Aroon uſque ad Jabboc, & uſque ad Jordanem. Voluit igitur Deus ſacris monumentis teſtatum eſſe quod tunc Jephthe Ammonitis reſpondit, partem illam regi Sihon fuiſſe ereptam, quum filii Iſrael pacati incederent per fines Ammonitarum. Conſulto igitur Moſes, ut jus populi ſanciret, quaſi in authenticas tabulas redegit quod jam olim contigerat: nempe in illa parte dominatos fuiſſe Emorrhæos, Ammonitis quieſcentibus, nec quicquam fuiſſe controverſiæ quin certa & tranquilla poſſeſſio eſſet penes Emorrhæos. Unde ſequitur tranſiſſe ad Iſraëlitas: ut nihil effet cauſæ cur trecentis poſtea annis Ammonitæ quod tamdiu fuerat amiſſum & ab ipſis derelictum, repoſcerent. Atque ut ſcirent poſteri rem tunc fuiſſe minime obſcuram, vetuſtum canticum refert: ex quo apparet ſic dejectos fuiſſe Ammonitas, ut magnifice illis inſultarent victores, & ſpem omnem redeundi abſciderent. Quanquam hic emergit quæſtio, cur rex Ammon potius quam Moab bellum moverit. Nam ex cantico facile elicimus ereptam fuiſſe terram illam Moabitis. ſed hominibus rapiendi & prædandi cupidis ſatis eſt qualemeunque colorem obtendere, & ſæpe alieno jure gloriari. Manebat haud dubie fama, ejectos fuiſſe Emorrhæos terris illis, quas per vim adepti erant. Quod multis ſeculis obſoletum erat ſubticent Ammonitæ, & ritulum hunc arripiuor, quamvis Emorrhæos vicerint Iſraëlitæ, non tamen jure victoriæ occupaſſe quod Emorrhæi injuſte & per vim tenuerant. Hoc conſilio narrationem hanc inſeruit Moſes.

27. *Idcirco dicunt parabolice.*] Hoc eſt, Vetus dicterium, aut proverbialis ſententia manet ac celebratur. Videtur autem compoſitum carmen in eorum perſona qui ad obeundam militiam parati mutuo ſe cohortabantur, Venite ergo in Hesbon. hoc eſt, Accurrite ſub vexillum regis Sihon, accurrite ad ſedem & præcipuum ejus domicilium, ut inde ad pugnam exeamus. Ædificare vero & conſtruere poſitum eſſe interpretor pro augere, ornare & locupletare: quia probabile non eſt urbem illam fuiſſe everſam: ſed prædicant novam fore urbem, ubi acceſſerit amplior ditio. Quod proximo contextu melius confirmatur, ubi dicitur ignis egreſſus fuiſſe ex Hesbon, qui conſumpſit Ar Moab, & totam viciniam. Quantum attinet ad Dominos excelſorum Arnon, quidam ſacerdotes intelligunt qui templis præerant: alii generaliter extendunt ad quoslibet habitatores vel incolas. ſed (meo judicio) non male conveniet de idolis ipſis accipere: quia ex proximo verſu patet elatos fuiſſe inſolentia victores: ut non modo homines ipſos deſpicerent, ſed deos quoque ipſorum. Nam ubi dicunt, Periiſti populo Chemos, dubium non eſt quin contumelioſe exprobrent à diis quos colebant, male fuiſſe defenſos. Et certe profani homines in rebus proſperis cornua in cælum atrollunt: aſi divinitatem quæ illis adverſa fuit, impetere vellent. Deridet igitur Chemos, quia filios ſuos, vel cultores, profugos vel captivos reddiderit. In voce lucernæ communem metaphoram uſurpat. Quidam poſt Chaldæum interpretem imperium vertunt: ſed latius patet ſignificatio. Comprehendit enim omnes partes læti & proſperi ſtatus. Senſus ergo eſt, gloriam ipſorum & omnes opes fuiſſe extinctas. Dibon & Medebah urbes ſunt ſitæ in extremis finibus prope torrentem Arnon, per quas totam planitiem inter mediam deſignat.

Ex. Numer. XXI.

33. Converſi autem aſcenderunt per viam Baſan, & egreſſus eſt Og rex Baſan in occurſum ipſis, ipſe & univerſus populus ejus ad prælium in Edrei.

34. Tunc dixit Jehova ad Moſen, Ne timeas eum: quia in manu tua dedi eum & univerſum populum ejus, ac terram ejus: facieſque ei quemadmodum feciſti Sihon regi Emorrhæorum qui habitabat in Hesbon.

35. Et

35. Et percusserunt eum, & filios ejus, universumque populum ejus: ut non remanserit ei superstes: & possederunt terram ejus.

DEUT. Cap. III.

COnversi autem ascendimus per viam Basan, & egressus est Og rex Basan nobis in occursum, ipse & universus populus ejus ad prælium in Edrei.

2. Et dixit Jehova ad me, Ne timeas illum: nam in manu tua dedi eum, & universum populum ejus, ac terram ejus: faciesque ei quemadmodum fecisti Sihon regi Emorrhæorum qui habitabat in Hesbon.

3. Tradidit itaque Jehova Deus noster etiam Og regem Basan, & universum populum ejus: percussimus eum, ut non reliquerimus ei superstitem.

4. Cepimus quoque omnes urbes ejus eo tempore: non fuit urbs ulla quam non ceperimus ab eis: nempe sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan.

5. Omnes autem istæ urbes erant munitæ muris altis, portis & vectibus: præter urbes non muratas multas valde.

6. Quas vastavimus, quemadmodum fecimus Sihon regi Hesbon, vastando omnem urbem, viros, mulieres, & parvulos.

7. Omnia autem jumenta & spolia urbium prædati sumus nobis.

8. Tulimus itaque eo tempore terram è manu duorum regum Emorrhæorum, quæ erat trans Jordanem, à torrente Arnon usque ad montem Hermon.

9. (Sidonii vocant Hermon, Sirion: & Emorrhæi vocant eum Senir.)

10. Omnes urbes planitiei, & totum Gilad, & omnem Basan usque ad Salchah, & Edrei, urbes regni Og in Basan.

11. Solus quippe Og rex Basan remanserat ex reliquis gigantibus: ecce lectus ejus, lectus ferreus, nonne est in Rabbath filiorum Ammon? novem cubitorum longitudo ejus, & quatuor cubitorum latitudo ejus ad cubitum hominis.

Numer. 21. 33. *Converti autem.*] Hic describitur altera populi victoria, in qua rursus expertus est continuum Dei favorem, ut alacritatem conciperet, seque animose pararet ad ulteriores progressus. Certo enim sperare poterat Deo duce omnia feliciter succedura. Regio Basan (ut Scriptura pluribus locis docet) fertilis erat, & uberibus pascuis nobilis: amplam vero fuisse hic testatur Moses. Fuit ergo non vulgare gratiæ Dei & auxilii documentum, eam quasi momento capere. Itaque in Psalmo non abre in his victoriis celebratur Dei potentia & bonitas, quod occiderit reges fortes, Sihon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnes eorum terras tradiderit in hæreditatem populo suo. Etsi autem numero superiores erant Israëlitæ, dubium tamen non est, dum in conflictum prodire ausus est rex ille, quin viribus suis confisus, se parem ad resistendum fore duxerit. Quo factum est, ut illustrior fulgeret Dei gratia. Et certe ut ejus amplitudinem magis illustret Moses, postea etiam sexaginta urbes captas fuisse commemorat. *Psal. 135. vers. 10.*

34. *Tunc dixit Jehova ad Mosen.*] Primo ad fiduciam hortatur Deus populum suum: deinde jubet tam homines quam urbes & pagos deleri, ut nihil maneat residuum, excepta præda. Mosen quidem solum compellat, sed ad omnes sermo dirigitur: quia Moses, per se alioqui satis strenuus, non tam opus habebat stimulis quam reliqui. Quanquam Deus in futurum quoque tempus prospexit, ne populi ingratitudine periret beneficium. Victoriam ergo promittens, laudem sibi acceptam referri voluit. Porro ante admonui cur jusserit urbes exscindi, & funditus everti omnes domos: ne scilicet habitandi commoditas populum ad torporem induceret, quum ad quietem promissam festinandum esset. Nam qui in deserto parati fuerant terga dare, & retro abire in Ægyptum, cupide amplexi fuissent terram fertilem, & in illo delectabili nido subsitissent. Ergo ejus vastitate cogendi fuerunt ad migrandum. Tribui quidem Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse postea concessa fuit ejus possessio: sed ea lege, ut pecoribus illic relictis, fratribus suis comites essent ad totam expeditionem, nec eos desererent nisi deletis gentibus Chanaan.

Deut. 3. 4. *Cepimus quoque urbes.*] Hic prolixius recenset quod breviter in Numeris attigerat. Dicit sexaginta urbes bene munitas præter pagos fuisse captas. Unde & regionis amplitudo colligitur, & singularis Dei potentia in ferendo auxilio, quod exiguo tempore tot urbes probe clausas & cinctas altis muris ceperint: acsi terram pacatam securi & omnibus negotiis soluti lustrarent. A versu octavo conjunctim repetit quod seorsum narraverat de duobus regnis. Et quo certior sit locorum notitia, inserit alia duo nomina montis Hermon. dicit enim à Sidoniis vocari Sirion, ab Amorrhæis vero Senir. Tandem subjicit, Og regem Basan gigantem fuisse, & unum tunc fuisse ex illa progenie residuum. Monumentum proceræ staturæ producit ferreum ejus lectum, cujus longitudo patebat usque ad novem cubitos, secundum communem ejus temporis mensuram. Hac vero circumstantia iterum commendat mirificum Dei auxilium, quod à filiis Israël prostratus fuerit qui solus sua altitudine terrere totum exercitum poterat. Porro quanta fuerit gigantum proceritas, apparet ex hoc loco. Oresti corpus, jussu oraculi effossum, septem cubitos longum fuisse tradit Herodotus: Plinius quamvis auctorem non citet, subscribit tamen ejus testimonio: Gellius fabulosum esse putat, sicuti quod Homerus scribit temporis progressu minui hominum corpora: sed publico fere omnium consensu coarguitur ejus inscitia. Incredibile quidem est quod Plinius ipse commemorat, in Creta detectum fuisse cadaver terræ hiatu quadraginta sex cubitorum, quod alii Orionis, alii Etionis fuisse putarunt. Verum si gigantes fuisse credimus (quod non tantum sacris oraculis testatum est, sed etiam ab omnibus fere vetustis scriptoribus proditum) nihil mirum est si octo cubitos magnitudine excesserint. Porro quamvis ætate Mosis extingui cœperit gigantum soboles, aliis tamen seculis postea extiterunt qui ad veterem illam staturam accederent: veluti sub Augusto & Claudio unus circiter decem pedes, alter novem & totidem uncias longus fuit. Itaque non aliud intelligit Moses quam illud monstruosum hominum genus paulatim fuisse emortuum, ut proceritas Og regis Basan singulare fuerit spectaculum.

NUMER.

NUMER. CAP. XXII.

INde profecti ſunt filii Iſraël, & caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab trans Jotdanem Jericbo.

2. Quum autem vidiſſet Balac filius Sippor quæcunque fecerat Iſraël Emorrhæo:

3. Timuit Moab propter populum valde, quod multus eſſet: & anxius fuit Moab propter filios Iſraël.

4. Dixit igitur Moab ad ſeniores Madian, Nunc lambet congregatio hæc omnes circuitus noſtros, quemadmodum lambit bos gramen agri. Porro Balae filius Sippor erat rex Moab tempore illo.

5. Miſit igitur legatos ad Balaam filium Beor in Pethor, quæ erat juxta flumen terræ filiorum populi ſui, ut vocaret eum, dicendo, En populus egreſſus eſt ex Ægypto, ecce operuit ſuperficiem terræ, & habitat contra me.

6. Nunc ergo veni obſecro, maledic mihi populum hunc, quia fortior me eſt: forte potero, & percutiam eum, expellamque è terra. Novi enim quod cui benedixeris benedictus erit, & cui maledixeris maledictus erit.

7. Profecti ergo ſunt ſeniores Moab & ſeniores Madian, & divinationes in manu eorum: & pervenerunt ad Balaam, & tetulerunt ei verba Balac.

8. Ille vero dixit eis, Pernoctare hic nocte iſta, & reddam vobis reſponſum quemadmodum loquetur Jehova ad me. Manſerunrque principes Moab cum Balaam.

9. Et venit Deus ad Balaam, ac dixit, Qui ſunt viri iſti qui ſunt apud te?

10. Reſpondit Balaam Deo, Balac filius Sippor rex Moab miſit ad me,

11. En populus iſte qui egreſſus eſt ex Ægypto operuit ſuperficiem terræ: nunc ergo veni, maledic mihi illi: forte potero pugnare cum eo, & expellere eum.

12. Et dixit Deus ad Balaam, Ne eas cum illis, neque maledicas populo qui benedictus eſt.

13. Surrexit itaque Balaam mane, & dixit ad principes Balac, Revertimini ad terram veſtram: quia renuit Jehova concedere mihi, ut cam vobiſcum.

14. Et ſurtexerunt principes Moab, & pervenerunt ad Balac, ac dixerunt, Renuit Balaam venire nobiſcum.

1. *Inde profecti.*] Continer hæc narratio multas res memoratu dignas. Primo docet Satanam in perdenda Eccleſia nullum non movere lapidem: & poſtquam vi & armis eam fruſtra oppugnavit, inſidiis & occultis artibus eam aggredi: impios quoque ejus impulſu ſatagere, quoad poſſunt, ut fallaciis evertant ac in nihilum redigant effectum promiſſionum Dei, & immutabile ejus de conſervanda quam elegit Eccleſia decretum. Ea oppoſito autem oſtendit Deum ita pro ſuis eacubias agere, ut quæcunque in eorum exitium moliuntur hoſtes, in ſalutem convertat. Repræſentat etiam quaſi in ſpeculo quam ſtulti & vani ſint eorum conatus, qui Dei gratiam labefactare nituntur. præcipue vero demonſtrat ita ſemper victricem eſſtere Dei veritatem, ut à profeſſis etiam hoſtibus teſtimonium habeat: ſicuti Balaam factus eſt ejus præco. Verum hæc & alia ſuis locis melius obſervabimus. Ante vidimus nullam fuiſſe cauſam cur aliquid adverſi machinaretur Balac Dei populo, à quo nihil incommodi metuere debebat. Ultro data fuerat fides, promiſſa ſecuritas, & oblatum fœdus. Quum ergo ipſe & Moabitæ omnes ſe ad reſiſtendum parant & concitant vicinos, tam Deo quam hominibus ingrati ſunt. In ipſa etiam trepidatione cernimus quod Scriptura dicit, reprobos ſemper agitari vanis terroribus. Et hæc juſta eſt eorum merces qui pacem cum Deo non quærunt, ut miſera inquietudine aſſidue vexentur. Deus ſingulari privilegio Moabitas exemerat ab omni moleſtia: ipſi autem anxietatis materiam ſibi fabricant, quia Dei populum vident ſuperiorem fuiſſe magnis & robuſtis regibus. Nam ut luſciosis gravis & noxius eſt Solis fulgor, ita reprobos excruciant & ad invidiam ſtimulant Dei beneficia, quibus paternum erga Eccleſiam favorem teſtatur. Si prudenter expendiſſent Moabitæ quid ſibi utile foret, facile erat cum veteribus conſanguineis tranſigere, ut ſuæ tranquillitati caverent: nunc eos ad odium provocando, peſſime rebus ſuis conſulunt. Neque unius tantum Balac notatur perverſus timor, ſed totius gentis Moab. Nomen quidem regis initio ponitur: ſed continuo poſt generaliter omnes comprehendit Moſes. Unde apparet commune fuiſſe vitium, cujus contagione mox alios quoque inficiunt. Hortantur enim Madianitas ut negotium arcendi populi Iſraël ſimul capeſſant. Prætexitur ratio: ſicuti boves herbam agri conſumunt, ſic inſtare periculum (niſi obviam eatur) ne populus Iſraël omnes regiones quaſi lambendo abſorbeat. Atqui longe aliud experti erant: quia populus ipſe, ne eos læderet, per laborioſos circuitus declinaverat. Hæc continentia eos omni ſollicitudine liberaſſet, niſi maligne ſibi pravas ſuſpiciones imaginati eſſent. Cur enim recta non irruperat Iſraël in eorum fines, niſi quia ſalvos & intactos relinquere ſtudebat? alioqui intrepide viam armis ſibi feciſſet.

5. *Miſit legatos ad Balaam.*] Docet hic locus, ut alii complures, ex bonis principiis fluere errores quibus incredulos illaqueat Satan. Laude digna videtur modeſtia regis Balac, quod imbecillitatis ſuæ conſcius, humaniſque auxiliis diffidens, ad implorandam Dei opem ſe convertit. Hoc enim unicum nobis ſalutis aſylum, quamvis nos terrenæ opes deficiant, non tamen animis concidere, ſed in Deum recumbere, qui ſolus poteſt omnia, nec externis adminiculis indiget. Hactenus ergo recte Balac, quod nihil magis ſtudet quam conciliare ſibi Dei favorem: nec alibi locat victoriæ fiduciam quam ſi eum habuerit propitium. verum perperam Deum per flexuoſas ambages quærens, ab eo longe recedit. Atque hoc incredulis omnibus & hypocritis commune vitium eſt, dum ad Deum aſpirant, vagari in ſuis erroribus. Cupit Balac divinitus liberari à periculo: modum comminiſcitur, ſi ea orciſmos redimat à mercenario propheta. Atqui hoc modo Deum ſuis figmentis obſtringit ac ſubjicit. Cognoſcere ſe dicit, jus benedicendi & maledicendi eſſe in manu Balaam.

Unde

Unde hæc perſuaſio? niſi quod inane Prophetæ nomen arripiens, Deum à ſeipſo ſeparat. Scifcitari primo oportuerat quænam eſſet Dei voluntas, & ad eum placandum ſincera fide preces concipere. quod præcipuum eſt omittens, tantum venali benedictione contentus eſt. Quod ergo de impetranda à Deo pace & venia ſollicitus eſt, inde colligitur ſemen aliquod religionis fuiſſe ejus animo inſitum. Signum etiam pietatis eſt reverentia quam Prophetæ defert. Quod autem ſuis commentis Deum vult demereri, ſtultæ ſuperſtitionis eſt: quod ſtudet eum ſibi obnoxium reddere, impiæ ſuperbiæ. Quid in mentem venerit Chaldæo interpreti ut Pethor locaret ad ripam Euphratis, neſcio: neque enim probabile eſt tam procul fuiſſe accitum. Nec vero ejus fama è loco tam remoto facile ad gentes illas penetraſſet. Proprium quidem eſſe nomen loci, mihi perſuaſum eſt: quia terminatio vocis Petorah non patitur epitheton eſſe viri, ſicuti Hieronymus tranſtulit Ariolum. Etſi autem non exprimitur regio, ex contextu tamen probabiliter elicitur Balaam fuiſſe Madianitam. Et hac ratione exiſtimo in ſocietatem adductos fuiſſe Madianitas, ut populari ſuo perſuaderent. Quod verſu 7. ſubjicitur, divinationes fuiſſe in eorum manu, frigidum eſt accipere de artificio divinandi, vel etiam de comitibus, qui eadem ſcientia pollebant. Simpliciius eſſet de mandatis interpretari. Quaſi diceret Moſes, legatos fuiſſe edoctos quid à Balaam peterent, nempe ut, maledicteret populo Iſraël. Neque enim abſurdum eſt Moſen iterum repetere quod proximo verſu narraverat. Quanquam non diſplicet quod alii tradunt, tuliſſe ipſos ſecum mercedem vel pretium divinationis. Fuerunt enim omnibus ſeculis vates nummarii qui venderent ſua reſponſa. Et quum populo etiam Iſraëlitico multi ſe impoſtores mercede proſtituerent, corruptela hæc vulgo obtinuit. Unde factum eſt ut Saul & ſervus ejus dubitarent ad Samuelem accedere: quia nullum erat munus ad manum quod offerrent, donec reſpondiſſet verus ſibi eſſe quadrantem ſicli argentei: acſi Samuel pro communi more quæſtum faceret ex ſuis vaticiniis. Ezechiel quidem pſeudoprophetis hoc exprobrat, quod venales ſint vili mercedula. *1 Sam. 9. verſ. 7.*

8. *Ille vero dixit illis, Permoltæ hic.*] Quum à Deo vero expectet oraculum, veriſimile eſt non ariolum fuiſſe, vel magum, qui ſuperſtitione vel malis artibus duntaxat ad divinandum polleret. Videbimus quidem poſtea multis impoſturis & fallaciis ſolitum fuiſſe uti: ſed ex re ipſa patebit prophetiæ dono fuiſſe inſtructum. Non quod inter veros Prophetas cenſeri debeat quos Deus Eccleſiæ ſuæ præfecit: quia nec perpetuum vaticinandi munus ei impoſitum erat, nec conjunctum cum doctrina. Servos enim ſuos quibus prophetandi partes mandavit Deus, Spiritu ſuo ita direxit, ut nunquam niſi ex ejus ore loquuti ſint. Et quamvis non præviderint quicquid futurum erat, ſed tantum pro revelationis modo, nihil tamen quod utile cognitu eſſet ipſos celavit. Unde illud Amos, An faciet Deus quicquam quod non manifeſtet ſervis ſuis Prophetis? Denique ad omnes neceſſarias prædictiones Spiritus ſancti organa fuerunt: & fides eorum vaticiniis æquali tenore conſtitit, ut nihil vel temere vel fruſtra effutiveriat. Deinde illis datum fuit vaticinia ad rectum finem & uſum aptare. Itaque poſt Legem promulgatam ejus fuerunt interpretes. In rebus proſperis, gratiam Dei: in adverſis, judicium teſtati ſunt. denique fœdus Dei, quo ſibi homines per Chriſtum reconciliat, ſancire illis propoſitum fuit. Longe diverſa fuit ratio Balaam, & ſimilium, qui nonniſi particulari dono præditi fuerunt: ut quædam vere prædicerent, in aliis hallucinarentur: & quidem, ut nuda tantum vaticinia ſine ullo doctrinæ condimento proferrent. Voluit autem Deus tales extare etiam inter gentes profanas, ut in tenebris ſcintillæ aliquæ lucis micarent, atque ita tolleretur ignorantiæ excuſatio. Vatum quidem nomen ſibi arrogarunt quicunque ſuis impoſturis mundo illudere auſi ſunt. Et quum nomen divinationis honorificum ſit & ſacrum, ad fallendi artificium & mentiendi licentiam tranſlatum eſt: ſicuti diabolo ſolenne eſt Dei nomen impio abuſu profanare. Fuerunt tamen aliqui apud exteras gentes qui divino inſtinctu res futuras interdum prædicerent: præſertim id contigit ante Legem datam: quia nondum hac nota Deus electum populum ab alienis diſcreverat. Ætate quidem illa jam data erat promiſſio, Suſcitabo vobis Prophetas, &c. Sed non- *Deut. 18. verſ. 15.* dum innotuerat: ideoque noluit Deus Gentes ſuis vatibus deſtitui, qui tamen longe differrent à veris Prophetis, quorum juſta & certa erat vocatio. Hoc breviter de Balaam dictum ſit, quem Deus in viſione nocturna, vel ſomnio, non minus familiariter compellat quam unum quemlibet è ſervis ſuis: ſed tantum in re particulari. Porro interrogando qui ſint viri illi, perverſum ejus affectum oblique cuſtigat. Primo intuitu ſanctum obediendi ſtudium præ ſe fert, dum nihil tentare audet, niſi Dei permiſſu, & recuſat pedem movere, donec reſponſum acceperit. Sed eum ſollicitat occulta cupiditas, ut quod rectum non eſſe ſentit, à Deo tamen quaſi licitando impetret. Hanc aſtutiam perſtringit Deus quum de hominibus ſciſcitatur: acſi diceret, nullam fuiſſe cauſam cur ipſos vel ad momentum teneret: quum præciſe negandum fuerit quod petebant. Et certe mox ſe proripuiſſet, ſi liberum fuiſſet, vel invito Deo, voto regis Balac obſequi. Nunc veniam ſibi dari poſtulat: acſi habenas laxari cuperet ad male agendum, quas libenter excuteret, niſi quia ſatis cognoſcit nihil ſe facturum niſi quatenus Deus conceſſerit. Nec vero quid fas vel rectum ſit ſpectat: ſed tantum petit os ſibi impune aperiri ad maledicendum.

12. *Ne eas cum eis.*] Si qua erat ambigendi ratio, eam Deus præciſe tollit. & prohibitionem confirmat: quia nefas ſit maledicere quos Deus benedixit. Neque enim aliud perſtimum eſt Prophetis quam ut teſtes ſint, vel internuncii, vel præcones gratiæ, qua Deus pro ſuo arbitrio quos vult libere dignatur. Dicitur porro Deus benedicere quos favore ſuo complexus eſt, & quibus ſe propitium eſſe reipſa declarat, dum ſua liberalitate proſequitur. Hujus benedictionis ſic voluit Prophetas eſſe miniſtros, ut penes ſe unum maneret poteſtas. Ergo ſi abſque ejus mandato jus benedicendi ſibi arrogant, non frivola modo & nullius momenti, ſed etiam ſacrilega eſt actio. Quare merito Ezechiel fallaciæ & mendacii coarguit pſeudoprophetas, qui blanditiis animas vivificant quæ morti erant addictæ: minis autem & terroribus eas occidunt quibus Deus vitam promiſerat. Unde colligimus fruſtra hypocritas veniam redimere ab hominibus ad Deum placandum, quod tamen illis uſitatum eſt: nec metuendos eſſe degeneres miniſtros, qui officii prætextu tyrannice dominari appetunt, quantumvis adverſus innoxios fulminent. Quod autem paret Dei imperio Balaam, non fieri ex animo apparet. Specie quidem modeſtiæ ſimplices fallerent hæc verba, Non ibo, quia Deus vetat: ſed minime dubium eſt, quin, ut eum trahebat ambitio & avaritia ad gratificandum, ſignificet ſe alioqui propenſum fuiſſe ad ſuſcipiendum iter, niſi divinitus eſſet prohibitus. Si animus ſincerus fuiſſet, ingenua reſponſio in promptu erat, fruſtra vel ipſum vel quoslibet alios accerſi, ut inviolabili Dei decreto repugnet Balac. Si ita cordate gloriam Deo in ſolidum dediſſet, non ſubmiſſa fuiſſet altera legatio: ſed flexiloqua ſua excuſatione viſus eſt accendere deſiderium ſtulti regis, quo pluris ſuam maledictionem venderet. Scimus enim hunc vulgarem eſſe morem impoſtoribus, ut pro rei difficultate plus ſibi mercedis concilient. Si quis tamen cum Balaam conferat con- *Amos. 3. verſ. 7.* *Ezec. 13. verſ. 2.*

ductitios Papæ prophetas, non parum laudis merebitur ſervile illius & coactum obſequium, præut deteſtabilis eſt indomabilis iſtorum amentia, qui reclamante Deo, ad impias maledictiones perrumpere non dubitant. Perſpicua eſt quam oppugnant veritas. Formidabile illud quod per Jeſaiam denunciat judicium, perſonat in eorum auribus: Væ qui dicunt lucem tenebras, & tenebras lucem. Pergunt nihilominus, & bruto furore blaſphemias evomunt, non modo ad perdendam Eccleſiam, ſed extinguendam, ſi fieri poſſit, totam pietatem.

Ex eodem Capite.

15. Rurſus ergo miſit Balac principes plures, & nobiliores iſtis.

16. Qui venientes ad Balaam, dixerunt ei, Sic dixit Balac filius Sippor, Noli quæſo prohibere teipſum ne venias ad me:

17. Nam honorando honorabo te valde, & quicquid dixeris mihi, faciam: veni igitur obſecro, & maledic mihi populo huic.

18. Reſpondens autem Balaam dixit ſervis Balac, Etiamſi daturus ſit mihi Balac plenam domum ſuam argento & auro, non poſſim transgredi ſermonem Jehovæ Dei mei, ut faciam aliquid, ſive parvum, ſive magnum.

19. Nunc ergo manete, obſecro, hic vos quoque hac nocte, ut ſciam quid addet Jehova loqui mihi.

20. Tunc venit Deus ad Balaam nocte, & dixit ei, Si ad vocandum te venerint viri iſti, ſurge, vade cum eis: veruntamen quod dixero tibi, illud facies.

21. Surrexit itaque Balaam mane, & ſtravit aſinam ſuam, & perrexit cum principibus Moab.

22. Iratus vero eſt furor Dei quod ipſe iret cum illis: ſtetitque Angelus Jehovæ in ipſa via, in adverſarium illi: ipſe autem equitabat ſuper aſinam ſuam, & duo pueri ejus erant cum eo.

23. At videns aſina Angelum Jehovæ ſtantem in via, & gladium ejus evaginatum in manu ejus, declinavit illa è via, & ivit in agrum: itaque percuſſit Balaam aſinam ut declinare faceret eam in viam.

24. Steteruntque poſtea Angelus Jehovæ in ſemita vinearum: maceria una erat hinc, & maceria altera inde.

25. Videns vero ſecundo aſina Angelum Jehovæ, coarctavit ſeſe parieti, coarctavit quoque pedem Balaam ad parietem: propterea addidit percutere eam.

26. Addidit præterea Angelus Jehovæ tranſire, & ſtetit in loco anguſto ubi nulla erat via ad declinandum ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram.

27. Quum autem vidiſſet aſina Angelum Jehovæ, ſuccubuit ſub Balaam: unde iratus furor Balaam percuſſit aſinam baculo.

28. Et aperuit Jehova os aſinæ, dixitque illa ad Balaam, Quid feci tibi, quod percuſſiſti me jam tribus vicibus?

29. Tunc dixit Balaam ad aſinam, Quia illuſiſti mihi: utinam eſſet gladius in manu mea, certe nunc occiderem te.

30. Dixit autem aſina ad Balaam, Nonne ſum aſina tua? ſuper me equitaſti ex quo eſſe cœpiſti uſque ad diem hanc, numquid ſolita ſum facere tibi ſic? Qui reſpondit, Nequaquam.

31. Et detexit Jehova oculos Balaam, viditque Angelum Jehovæ ſtantem in via, & gladium ejus evaginatum in manu ejus: tum demiſſo capite adoravit pronus in faciem ſuam.

32. Et alloquutus eſt eum Angelus Jehovæ, Quare percuſſiſti aſinam tuam jam tribus vicibus? en ego egreſſus ſum in adverſarium tibi, quia declinavit à via coram me.

33. Et vidit me aſina, declinavitque ante me jam tribus vicibus: quod ſi non declinaſſet à facie mea, jam nunc etiam te occidiſſem, & ipſam vivam reſervaſſem.

34. Dixit igitur Balaam ad Angelum Jehovæ, Peccavi: non enim ſciebam quod tu ſtares in occurſum mei in via: nunc autem ſi malum eſt in oculis tuis, revertar mihi.

35. Angelus vero Jehovæ dixit ad Balaam, Vade cum iſtis viris: veruntamen verbum quod loquar ad te, illud loqueris. Abiit igitur Balaam cum principibus Balac.

36. Audiens vero Balac quod adveniret Balaam, egreſſus eſt in occurſum ejus in civitatem quandam Moab, quæ erat juxta terminum Arnon, quæ eſt in extremo finium.

37. Et dixit Balac ad Balaam, Annon mittendo miſi ad te ad accerſendum te? an vere non poſſum honorare te?

38. Reſpondit autem Balaam ad Balac, Ecce veni ad te: nunc autem numquid omnino potero loqui quicquam? Verbum quod poſuerit Deus in ore meo, illud loquar.

39. Et perrexit Balaam cum Balac, & pervenerunt in civitatem Huſoth.

40. Et mactavit Balac boves, & oves: miſitque ad Balaam & ad principes qui cum ipſo erant.

41. Poſtera autem die accepit Balac ipſum Balaam, & aſcendere fecit eum in excelſa Baal, & vidit illinc extremum populi.

15. *Misit Balac alios.*] Hic cernimus, quamvis suppliciter Dei gratiam implorent profani homines, non tamen falsum exuere: acsi ad perstringendos Dei oculos sufficeret eorum splendor. Ergo ut eum suis votis subjiciant, illis satis est ostentare magnificas pompas: & quamcunque modestiam simulet superstitio, interiore confidentia semper turget. Ita Balac quo favorem promereatur, objecta sua dignitate & potentia, Balaam putat sibi fore obstrictum. Etsi autem videtur impostor in hoc secundo responso longe animosior quam prius, mox tamen detecto fuco, prodit duplicem animum. Præclara vox, & index generosæ fortitudinis, Etiamsi Balac mihi domum argento & auro plenam dederit, non transgrediar Dei mandatum. Sed cur non statim procul ablegat improbos licitatores, qui eum ad transgressionem sollicitant? Videmus ergo ut se potius venditet quam Deo tribuat justam gloriam. Voluit enim hac obedientiæ jactantia sibi acquirere sancti Prophetæ titulum & honorem. Interea inducias sibi dari postulans donec scisciatus fuerit quid placeat Deo, scelestæ rebellionis coovictus tenetur. Non audet palam cum impio Dei contemptu se ingerere ad maledicendum ejus populo. Recte: sed cur non acquiescit oraculo cælesti? cur certior factus quid liceat nec ne, dubitanter adhuc inquirit? Nam hoc modo consultat, & ambigit fixumne & ratum esse debeat quod semel præcepit Deus: imo Deum adigere conatur ad mutandum consilium. Ex quo audierat, Non ibis: quo prætextu licuit controversiam amplius movere? Huc ergo tendit conatus Balaam, ut Deus quam protulit sententiam retractando, seipsum aboeget. hæc vero plusquam sacrilega est impietas. Quanquam plurimi hodie similes reperientur, qui de voluntate Dei probe edocti, non desinunt tamen obliquos cuniculos effodere, ut tandem perveniant quo rapit eos illicita cupiditas. Initio minime illis propositum est scire quid rectum sit, & postquam cognoverint, sequi: sed alios titillat ambitio, alios urit libido, alios stimulat avaritia: denique in omni deliberatione dominantur pravi affectus. Statim obstaculum ponit Deus, & eos, velint nolint, quid factu opus sit, sentire cogit. pergunt tamen: & quia clausa est via, tergiversando, per obliquas semitas vel ambages certum Dei verbum eludere conantur. Etsi autem verecunde id facere videntur, quia dubii substistunt, donec impetrata fuerit à Deo venia: in eo tamen se prodit impudentia, quod Deo & ejus Prophetis molesti esse non desinunt, donec extorserint quod illicitum esse jam audierant. Ergo discipulos Balaam esse constat quicunque Dei indulgentiam tentant, ut tandem illis aggredi permittat quod semel negavit.

20. *Tunc venit Deus ad Balaam.*] Etsi minime fallax est Deus, digni sunt tameo hypocritæ cum suis cavillis quorum astutiæ illudat. Si propius expendamus studium Balaam, voluit Deum sibi mentiri. Nam si persuasus erat veracem esse, quid aliud sperandum fuit quam ut suum responsum decies sanciret? Ioterea scelerate mentitur Deo, missionem flagitans, quæ Deum ipsum levitatis & inconstantiæ reum ageret. Irooice ergo permittit Deus quod interdixerat. Si quis absurdum existimet, Deum qui veritas est, simulate loqui: in promptu est solutio, Deum nihil finxisse, sed homini in sua cootumacia obstinato laxasse habenas, acsi quis protervum filium & moribus perditis emancipet, quia se regi non patitur. Nisi enim prava cupiditas excæcasset Balaam, difficile cognitu vel obscurum non erat quo spectaret ironica permissio. Hinc vero discant hypocritæ, nihil se proficere vanis coloribus, quamvis illis Deus ad tempus indulgeat: quia tandem deprehendit astutos in sua vafritie. Quare nihil melius quam pura & simplici docilitate quærere quid fieri à nobis velit, ut statim morem geramus, nec verbum aut syllabam mutare tentemus simulac sacrum os suum ad nos docendos aperire dignatos fuerit. Quid enim aliud est vocare in quæstionem quod ab eo definitum est, quam importune cogere ut se votis nostris inflectat?

22. *Iratus vero est.*] Qui convenit Deum irasci, quum nihildum aggressus sit Balaam illius injussu? Sed tenendum est quod nuper attigi, multa in speciem Deum concedere, quæ non probat. Populum in deserto carnibus vesci passus est: viris permisit dare libellum divortii uxoribus, atque etiam plures simul ducere: neque tamen ideo licuit carnes comedere in deserto, vel extra culpam fuerunt divortium & polygamia. Quicquid sit, peccavit Balaam pervicaciter urgendo quod nefas erat: atque hoc modo lethalem pœnam meritus est, quam tameo moderari Deo placuit. Qua in parte etiam sobrie sapere oportet, ne ubi à nostro sensu dissident arcana Dei judicia, ipsis obstrepamus. Prophetam, qui fideliter mandatis defunctus, panem in reditu gustavetat, idque alterius Propbetæ hortatu, ut tantum incogitantia & facilitate lapsus esset, morte punivit: impostori & falsario, qui veoalem prostituit linguam, non infligit duriorem pœnam quam quod minando eum territat. Hic carnis temeritas libenter materiam arriperet cum Deo rixandi: verum ultio quæ Balaam manebat, & à qua tandem elapsus non est, illustrandæ gloriæ Dei causa, in certum tempus dilata fuit. Quare siquando oobis obrepat dubitatio ubi ratio in operibus Dei non apparet, discamus nos statim compescere. Describitur postea externum iræ Dei indicium, quod Angelus exerto gladio occurrit: ubi notandum est, cum magno prophetæ dedecore patefactam prius asinæ fuisse Angeli gloriam. Etsi enim corpus induerat Angelus, cujus conspectu tangi potuit brutum animal: qui tamen factum est ut ad formidabile illud spectaculum expaverit asina, & propbeta cæcutierit, nisi quod perfidi hominis stupori notam ignominiæ inurere voluit Deus? Visiones extraordinarias ante jactabat, nunc quod bestiæ oculis expositum est cum fugit. Unde hæc tanta cæcitas, nisi ex avaritia, qua sic fuerat obstupefactus, ut turpe lucrum sanctæ Dei vocationi præferret? Denique in eo impletum fuit quod reprobis sæpe denunciat Scriptura, ut spiritu vertiginis & amentiæ percussus nihil cerneret. Diximus, quamvis natura invisibiles sint Angeli, corpora tamen, quoties ita Deo visum est, induere, & suscipere humanas actiones. Quis Angelum gladio armavit? nempe qui ex nihilo creavit omnia. Si quis curiosus ultra pergat, & interroget ex qua materia fuerit fabrefactus: contraria quæstione ejus stultitiam refellere promptum erit, utrumne mortali homini facilius sit quam Deo ferrum & chalybem in diversos usus aptare. Et fieri potest ut gladii fulgor apparuerit: sicoti Cherubim ad claudendum paradisi aditum cum gladiis fuerunt locati eregione Adæ. Denique formam Angelo suo contulit Deus, quæ metu percelleret tam brutum animal quam pseudoprophetam. Ab asina vero incepit, quo impium hominem magis puderet suæ socordiæ. Jam narrat Moses asinam primo abreptam fuisse in cursum erraticum: deinde quum in angustiis esset deprehensa, trepide refugisse, ut pedem domini parieti illideret: tandem sub eo succubuisse. Certe expergefieri debebat miser ille impostor, nisi fascinatus fuisset à diabolo. Et Moses diligenter has circumstantias persequitur, ut ostendat non modo privatum fuisse sensu communi, sed ita prorsus attonitum ut ad insigne miraculum non attenderet.

28. *Aperuit Deus os asinæ.*] Locum hunc exagitant nasuti homines ac subsannant, acsi incredibilem fabulam narraret Moses. Ac plausibilis quidem videtur esse dicacitas, dum objiciuot nimis ab articulata voce ruditum differre: verum ut hodie licentiose proterviant, sentient tandem quam serio & reve-

reverenter loquendum ſit de mirificis Dei operibus, de quibus per ludibrium jocando, faceti videri appetunt. Porro quia longa refutatione indigna eſt eorum garrulitas, ad eam ſpernendam contenti ſimus uno Moſis verbo, quum dicit Deum os aſinæ aperuiſſe. Unde enim hominibus loquendi faeultas, niſi os eorum in prima mundi creatione apertuiſſet Deus? Unde fit ut voces humanas imitentur picæ ac pſittaci, niſi quod raræ cujuſdam virtutis ſpecimen in illis voluit Deus edere? Quis igitur mundi opifici legem nunc imponat, ne os beſtiæ formet ad exprimendas voces? Niſi forte neceſſitate conſtrictum eſſe velint, quia ſemel ſtatuit aliquem in natura ordinem, ne miraculis potentiam ſuam declaret. Si aſina in hominem converſa foret, documentum incomprehenſibilis Dei potentiæ ſuſpicere deebat. Nunc quum paucas tantum voces elicitas fuiſſe audimus ſine intelligentia & judicio, aeſi per aërem ſpargeretur aliquis ſonus, miraculumne habebitur pro fabula? Quinetiam ſi voces edunt ſpiritus immundi ſub ſpectris, cur non poterit Deus mutas linguas ad loquendum formare? Nos vero qua decet humilitate revereri diſcamus quod Deus in pſeudoprophetam exercuit judicium. Poterat ſtatim Angeli verbis ipſum caſtigare: ſed quia abſque gravi ignominia non ſatis ſevera fuiſſet objurgatio, beſtiam ei conſtituit magiſtram. Accedit quidem poſtea vox Angeli: ſed quia tam indocilis fuerat, pro merito tractatur, ut quum profecerit in ſchola aſinæ, Deum audire incipiat. Porro aſina ipſum hebetem eſſe & mente captum inde coarguit, quia re iſſoſina non fuerit expergefactus. Negat enim ſe prius fuiſſe refractariam. Ergo ſi qua in miſero ſcintilla intelligentiæ fuiſſet, reputare debuit quidnam ſibi vellet illa novitas & ſubita mutatio. Sic à vererno expergefactus fuit, quo attentius loquentem deinde Angelum audiret.

31. *Detexit Jehova oculos Balaam.*] Docet hic locus, quicquid eſt in ſenſibus noſtris vigoris, non modo nobis divinitus eſſe inditum, ſed arcano ejus ioſtinctu vel foveri vel extingui. Aperti ſunt oculi Balaam: ergo ante oppoſitum erat velamen, ne rem manifeſtam cerneret. Sic Deus pro ſuo arbitrio hebetat qui videntur ſibi valde acuti: ſicuti perſpicientia ſingulare eſt ejus donum. Cæterum in hoc exemplo tanquam in ſpeculo nobis oſtenditur quomodo Deum timeant hypocritæ, nempe dum urgentur ejus præſentia: quia ſimulac poſſunt ſe ſubducere, tanquam ſervi fugitivi laſciviunt. Vidit Balaam Angelum diſtricto gladio minitantem. demiſſo capite adoravit: nempe quia inſtabat Dei ultio. Sed hic metus eum ad veram correctionem minime adduxit. Faretur quidem ſe peccaſſe, & pœnitentiæ aliquem fructum profert, dum pamtus eſt domum redire: atqui ſervilem & coactum metum prodit, quod nonniſi ad pœnam expaveſcat. Neſcivi, inquit, te ſtare in via. Ergo niſi armatus fuiſſet Angelus ad vindictam, ſecure quaſi data impunitate pergebat. Alio etiam verbo detegitur ejus vafrities & perfidia. Curſum ret rogare paratus eſt, ſi Deum offeodat profectio: quaſi vero non ante iotellexiſſet minime Deo placere. Ridicula eſt igitur conditio, quaſi de re ſatis teſtata ambigeret. Si ſerio Deum timebat, & puro animi affectu, ſimpliciter expeditioni male & perperam ſuſceptæ renunciare debebat. Quorſum enim attinet dicere, Peccavi, ſi putat Deo adverſo ſe perſequi inceptum iter poſſe? Ergo diſcamus, ubi innotuit Dei voluntas, nullas moras oblique tergiverſando nectere. Quod dicit Angelus, Niſi deflexiſſet aſina, ſe illa intacta interfecturum fuiſſe Balaam: bis verbis ſignificat, non modo innoxio animali ſe fuiſſe parſurum pro Dei æquitate & clementia; ſed ipſo beſtiæ ſenſu, aeſi iram Dei deprecaretur, redemptam fuiſſe domini vitam, qui alioqui miſericordia indignus erat.

35. *Angelus vero Jehovæ.*] Iterum ironice conceditur impio homini quod ſine ſcelere exequi non poterat. Verum (ſicuti ante dixi) adeo ſibi conſcius erat perverſæ cupiditatis, ut ſciens & volens ſeipſum deceperit: non autem fuerit deceptus. Interea notandum eſt, ſicuti Paulus vocat ſapientiam Dei multiformem, ita variis modis voluntatem ejus patefieri, aeſi ſecum ipſe pugnaret, idem tamen ſemper velle. Certum eſt inanem fuiſſe prætextum Balaam: quaſi Deo jubeote vel permittente iter faceret. Reſponſum tamen datum fuerat, Vade. Deriſit quidem Deus pertinacem impii hominis amentiam, nec probavit tanquam licitum quod verbotenus conceſſit: interea duo hæc ſimul conveniunt, Deum non probaſſe quod damnavit, & tamen voluiſſe fieri. neque enim dum pet impios exequitur ſuum conſilium, ipſis præcipit ut ita faciant. Voluit de Solomone pœnam exigere pet Jeroboam, ulciſci impietatem domus Achab per Jehu: neque tamen debuit Jeroboam quod Deus pronunciaverat labefactare, ne in ſolio regio maneret poſteritas Davidis. Jehu vero, quamvis unctus fuerit à Propheta, ſcelerate regnum arripuit: quia nihil eum aliud impulit quam ſua ambitio. Quantum ad præſentem hiſtoriam ſpectat, voluit per os Balaam probare quam efficax & immutabile eſſet ſuum conſilium de adoptione populi, quo veritas ejus & conſtantia magis illuſtraretur. Peccavit nibilomious Balaam, qui lucri odore tanquam caois venaticus, tractus eſt ad maledictiooes ſuas locandas. *Ephes. 3.*

36. *Audiens vero Balac.*] Hic locus optime repræſentat quodnam ſit eorum omniom ingenium qui abſque ſincero Dei timore ſuis ſuperſtitionibus addicti ſunt. Pſeudoprophetis ſuis ſunt ſupplices, ſordide illis blandiuntur, ac tantum non adorant, ut vix quicquam fingi queat humilius: fovent tamen intus ſuperbiam, quæ illis minime cogitantibus erumpit. Egreditur rex officii & bonoris cauſa in adventum Prophetæ. magna dignatio. Perinde enim eſt aeſi diadema & ſceptrum ſubmitteret. Mox tamen detegitur ſimulatio, dum expoſtulans cum Balaam, copias ſuas & opes jactat, quibus eum poſſit munerari. Hoc vero tantundem valet aeſi mercedi ſubjiceret munus Propheticum, & ſuis divitiis imperium vendicaret in vaticinia. Quantumvis ergo ſerviliter idolis & eorum ſacrificis adulentur ſuperſtitioſi, nunquam tamen altos ſpiritus deponunt. Talem zelum in Papiſtis cernere liect, quibus nihil liberalius in oſtentanda erga ſuos præſules & monachos reverentia: ſed ea lege ut eos viciſſim cupiditatibus ſuis babeant morigetos. Si quis vero ſacrificus non gratificetur cultoribus ſuis, non minus contumelioſe in eum inſurgent quam in quemlibet ſubulcum. Reſponſio Balaam primo intuitu meram pietatem ſpirat: Veni, inquit: ſed mihi neceſſe erit proférre quod Deus mandaverit. Quibus verbis ſignificat, ſe, quoad ferebat humanitatis officium, & quantum in ſe erat, obſequutum fuiſſe regis precibus: in ipſo aurem Prophetico munere non idem ſibi fore liberum: quia omnium mortalium gratiam deſpiciet, ut pareat unius Dei imperio.

39. *Perrexit Balaam.*] Proſequitur narrare Moſes quomodo & quam honorifice & laute exceptus fuerit Balaam. Ac primo deductum eſſe tradit in urbem Huſoth: quod alii proprium nomen eſſe volunt, alii vero appellativum. Utrovis modo accipias, notatur urbis amplitudo, quæ in plurimos vicos diſtincta fuit. Secundo dicit Moſes cæſam fuiſſe animalium copiam epulo parando, & ipſi Balaam datos fuiſſe convivas. Hoc tendunt omnia, blanditiis illectum fuiſſe Balaam, ut eum puderet regi tam magnifico, & à quo non modo amice, ſed liberaliter tractatus erat, quicquam negare. Perinde aeſi loco Dei eſſet Balaam, vel promercalis eſſet ipſius Dei gratiæ. Tandem ſubjicit Moſes Balaam deductum fuiſſe in excelſa Baal, ut commodius ex loco ſublimi caſtra

populi conſpiceret. Quanquam dicit Moſes tantum extremam partem caſtrorum vidiſſe: quia ſcil. montana erat tota regio, & ob locorum diſtantiam impediebatur aſpectus: religio tamen loci (meo judicio) quæſita fuit à Balac. Deduxit ergo Balaam in templum, quo ſibi melius conciliaret Dei favorem. Unde etiam apparet hunc impoſtorem nihil de cultu Dei habuiſſe firmum vel ſolidum, ſed promiſcue cum profanis gentibus idola coluiſſe: ſive quod iiſdem ſuperſtitionibus eſſet implicitus: ſive quod pro nihilo duceret ſe ad captandam gratiam inflectere ad quoslibet hominum mores & ritus. Semper enim fuerunt medii homines, qui adulandi cauſa pietatem corrumperent variis figmentis, cælumque terræ miſcerent.

NUMER. Cap. XXIII.

ET dixit Balaam ad Balac, Ædifica mihi hic ſeptem altaria: appara quoque mihi hic ſeptem juvencos, & ſeptem arietes.

2. Fecitque Balac quemadmodum dixerat Balaam: & obtulit Balac & Balaam juvencum & arietem in altari.

3. Tunc dixit Balaam ipſi Balac, Conſiſte juxta holocauſtum tuum, & ibo ſi forte occurrat Jehova obviam mihi, & quicquid oſtenderit mihi narrabo tibi. Abiit itaque in excelſum.

4. Et occurrit Deus ipſi Balaam, dixitque illi, Septem altaria diſpoſui, & obtuli juvencum & arietem in quolibet altari.

5. Poſuit autem Jehova verbum in ore Balaam, dixitque illi, Revertere ad Balac, & ſic loqueris.

6. Et reverſus eſt ad eum, & ecce ſtabat juxta holocauſtum ſuum, ipſe & omnes principes Moab.

7. Aſſumpſitque parabolam ſuam, ac dixit, De Aram adduxit me Balac rex Moab, de montibus Orientis, dicendo, Veni, maledic mihi Jacob, & veni, deteſtare Iſraëlem.

8. Cur maledicam, & non maledixit Deus? & cur deteſtabor eum quem non deteſtatus eſt Jehova?

9. Siquidem de vertice petrarum videbo eum, & de collibus intuebor illum: ecce, populus confidenter habitabit, & inter gentes non reputabitur.

10. Quis numerabit pulverem in Jacob, ac numerabit quartam partem Iſraëlis? Moriatur anima mea morte rectorum, & ſit noviſſimum meum ſicut ipſius.

11. Tunc dixit Balac ad Balaam, Quid feciſti mihi? ut malediceres inimicis meis, ſumpſi te, & ecce benedixiſti benedicendo.

12. Qui reſpondens dixit, Nonne quod poſuerit Jehova in ore meo, id obſervabo ad loquendum?

1. *Ædifica mihi* &c.] Certius hinc colligimus degenerem hunc propheſam minime ex puris Dei revelationibus vaticinari ſolitum eſſe, ſed aliquid habuiſſe affine magicis exorciſmis, & multis erroribus ac fallaciis infectum fuiſſe qua ſe jactabat divinandi artem. Neque tamen id obſtat quominus interdum ex Spiritus Dei afflatu verus fuerit vates: quia (ut dictum fuit) dum mundus in tenebris demerſus erat, voluit Deus exiguas lucis ſcintillas adhuc micare, quæ vel rudiſſimis quibuſque excuſationem tolleret. Quum igitur particulari dono polleret, figmenta hinc inde mutuatus eſt, quæ diaboli tantum præſtigias ſaperent, alieniſſima autem eſſent à vera & proba inquirendi ratione. Hinc ſeptenarius numerus altarium & victimarum. Quamvis enim Deus diem ſeptimum ſibi conſecrando, licuti in ſeptem lucernis & aliis rebus, aliquid in eo numero perfectionis eſſe indicaverit: poſtea tamen multæ extraneæ ſuperſtitiones confictæ ſunt: & hoc prætextu Satan vafre miſeris hominibus illuſit, dum virtutes arcanas perſuaſit numero ſeptenario incluſas eſſe. Et apud ſcriptores profanos viguit frivola hæc curioſitas, ut in univerſa natura quærerent hujus erroris confirmationem. Septem planetas, totidem pleiades, ſeptem triones, & totidem circulos, vel zonas, proferunt in medium: fœtus vitales nonniſi ſeptimo menſe venire in lucem. Multa ejuſmodi congerunt quibus probent numero ſeptenario ſubeſſe occultum aliquod myſterium. Contagio etiam ad Chriſtianos pervenit. Nam hac de re nimis acute interdum philoſophantur veteres, & vulgo maluerunt Scripturam corrumpere quam non reſtringere ad hunc numerum Spiritus dona, & ſtatuere ſeptiformem Spiritus gratiam. Hoc commento imbutum fuiſſe Balaam patet, ubi ſeptem altaribus, & bis ſeptenis hoſtiis elicere Deum tentat. Ex prompto autem obſequio Balac diſcamus, ſuperſtitioſos neque ſumptibus parcere, nec quicquam refugere quod ab errorum magiſtris exigitur. Quare danda opera eſt ne temere ſimus credulo ſimul tamen cavendum, ubi conſtiterit quid agendum ſit, ne turpis nos ſegnities moretur, ubi tam celeriter ac ſtrenue currunt in ſuum exitium increduli.

3. *Tunc dixit Balaam.*] Hac etiam in parte veros Dei ſervos æmulatur. Seceſſum enim quærit: quia ſervis ſuis fere ſemper apparuit Deus, quum ſegregati eſſent ab hominum cœtu. Diceres alterum eſſe Moſen, dum regem hortatur ad preces aſſiduas, & quo ſit attentior ad precandi ſtudium, manere jubet quaſi defixum altaribus. Interim ſe à turba & teſtium oculis ſubducit, quo paratior ſit ad recipiendum oraculum. Verum ut nihil in eo fuit integrum, probabili ratione ſtatuere licet, vana oſtentatione imitatum fuiſſe Dei ſervos, ut tanquam ejus conſiliarius arcana ex cæleſtibus adytis proferret. Vocem יְהוָה neſcio cur aliqui Solum, alii Triſtem exponunt: melius convenit pro excelſo accipere: quod alii ſimiles loci confirmant. Se ergo recepit impoſtor in altiorem locum, vel culmen, ut certior vates à familiari Dei colloquio illinc prodiret.

4. *Et occurrit Deus.*] Mirum eſt quomodo Deus quicquam habere commune ſtatuerit cum pollutionibus Balaam: quando nulla eſt communicatio luci cum tenebris, & omnem cum dæmonibus ſocietatem deteſtatur. verum quamvis impietas Balaam exoſa eſſet Deo, id tamen non obſtitit quominus in actu particulari eo uſus fuerit. Hic ergo occurſus minime favoris fuit teſtimonium: acſi probaret ſeptem altaria, & ſuperſtitiones ejus ratas haberet: ſed quemadmodum vitioſa inſtrumenta bene in ſuum uſum accommodat, ita per os pſeudopropheræ fœdus quod Abraham pepigerat, exteris & profanis gentibus promulgavit. Jactat quidem ſuas ſeptem aras, acſi

rite

rite Deo litaſſet: ſicuti hypocritæ ſupetbe confidunt ſe Deum demereri, ubi iram ejus provocant: ſed Deus omiſſo illo perverſo cultu peragit quod ſtatuerat. Balaam enim mittit, qui præco ſit ac teſtis firmæ ſuæ erga electum populum gratiæ. Suppeditat quidem fervis ſuis quod loquantur, & gubernat eorum linguas: quia oec ad cogitaodum quiequam idonei eſſent, niſi ab ipſo facultas ſuppeteret: ac nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu ſancto. Verum ſancti Prophetæ ſic organa fuerunt Spiritus, ut tbeſaurum quem Deus apud eos depoſuerat, ex eorde proferrent. Qua ratione dicit Jeremias ſe comediſſe Dei ſermooes: & Ezechiel volumen in quo vaticinia ſcripſerat comediſſe. Neque enim fingendus eſt oobis ὑδαπατεμὸς, quo abripi putarunt ſuos divinos profani homines: ita ut cæleſtis afflatus eos ecſtaticos vel attoniros redderet. Quin potius in illis completum ſuit quod David de ſe prædicat, Credidi, propterea loquar: & corum ſenſus illuminavit Deus antequam linguas regeret. Diverſa autem fuit rario Balaam, qui mente alienatus voces ori ſuo inditas reddidit.

Jer. 15. *verſ.* 16. *Ezec.* 3. *verſ.* 1. *Pſal.* 116. *verſ.* 10.

7. *Aſſumpſit parabolam.*] Nomen מָשָׁל graves omnes & oemorabiles ſententias ſignificat, præſertim ubi accedit verborum ſplendor. Senſus ergo eſt, Balaam magnifice & non vulgari modo aggreſſum fuiſſe loqui. Nec dubium eſt quin ſplendido genere diceodi attentum reddiderit Balac ſecreto Dei inſtinctu: ut miſer ille agnoſceret Balaam non humano more jam loqui, ſed divinum aliquid ſpirare, ut oraculo magis vulneraretur ejus animus. Summa autem huc tendit, non perverſe modo & ſtulte Balaç cepiſſe conſilium de maledicendo populo, ſed quicquid tentavit vanum fore & inutile, quoniam Deo repugnet. Interea ſe potentia illa abdicat, qua ipſum excellere perſuaſus fuerat Balac. Verba enim ejus prius retulit Moſes, Scio maledictum fote cui tu maledixeris: acſi translata io eum eſſet Dei virtus, ut eum pro libidine boe illue verſaret. Quid autem id aliud erat quam Deo abrogare ſuum imperium? Hoc igitur abominabile figmentum refellitur ore Balaam, dum uni Deo jus benedicendi aſſerit. Quomodo, inquit, unalediceremnisi mandato Dei? oon quod ſemper Deus compeſcat impios, ne quid ejus veritati adverſum pronuncient. Scimus enim ipſos ſæpe futiliter garrire, plenis buccis evomere blaſpbemias, lucem obtenebrare ſuis mendaciis, & conari quantum in ipſis eſt evertere Dei fidem. Sed quoniam alia ipſi Balaam perſona impoſita erat, ut ſcilicet oraculum recitaret à Deo ſibi dictatum, fatetur linguam ſuam frenatam eſſe, oe vel ſyllabam unam pronunciet Dei injuſſu. Porro quoniam Syriæ ſit mentio, putarunt quidam è Meſopotamia Balaam fuiſſe accerſitum: & errori inductus fuit color, quod à Chaldæis ars divinandi fluxerit. Verum (ut ante dictum fuit) eredibile non eſt famam bomiois tam longe ſparſam fuiſſe: deinde, quomodo exiguo tempore quo populus illic quievit, bis miſſa fuiſſet legatio in terram longinquam? nam ad minimum circumacti fuiſſent ſex menſes. Adhæc paulo poſt videbimus occiſum intet Madianitas fuiſſe. Optime vero quadrat, regionem illam comprebendi ſub Aram, vel Syriæ nomine, quam profani quoque ſcriptores contiguam Arabiæ faciunt, verſus mare Rubrum. Jam vero quia reſpectu terræ Moab orientalis erat terra Madian, deinde excelſa, & montuoſa, recte additur, vocatum fuiſſe è montibus Orientis: atque boc modo deſignat locum Moabitis cognitum proptet viciniam.

9. *Siquidem de vertice.*] Senſus eſt, niſi fallor, quamvis procul inſpexerit populum, ut ejus poteotiam ex ſoperiore & tam remoto loco agnoſcere non poſſet, ſibi tamen portendi aliqoid magnum & formidabile. Propior iotuitus metum incutere ſolet: deiode viginti bomioum millia oculos perſtringunt, acſi major quintuplo numerus foret. Poſtremo juſta ſtatura bioc æſtimatur. Atqui Balaam prooounciat Prophetico ſpiritu longe plus ſe videre in populo Dei quam ferat locorum diſtantia: quia ut erat in alta ſpecula locatus, pro eommuni ſenſu contempſiſſet puſillos homines. Dicit autem habitaturum eſſe ſolum, ut alienis auxiliis minime iodigeat. לבדד enim tantundem valet ac Solitarie, vel ſeorſum. Dicitur ergo populus ita habitaturus eſſe, ut ſua ſorte contentus ſit, non deſideret alienas opes, neque accerſat aliena auxilia. Cæterum quod populus nunc ad Ægyptios, nunc ad Aſſyrios ſe conſerens, perverſis foederibus ſe implieuit: non pugnat cum hoc vaticinio, ubi non de virtute populi, ſed tantum de benedictione Dei agitur, quæ iterum in Deuteronomio capite 33. verſu 28. celebratur iiſdem verbis. Quod ſequitur, non reputatum iri inter Gentes, oon debet intelligi de contemptu: acſi dictum eſſet, oullo fore loco vel gradu. ſed dignitate & præſtantia extollitur electus populus ſupra alios omnes: acſi diceret, nullam ſore gentem ſub cælo parem vel ſecundam. Etſi autem florente quoque populi ſtatu fuerunt aliæ monarchiæ opulentiores, & ſuperiores tam hominum oumero quam omni copiarum genere, non tamen deſtitit excellere populi conditio: quia non tam divitiis & externo apparatu quam Dei adoptione eximius erat. Sicuti mons Sion præ aliis montibus nobilis vocatur, quoniam illic ſibi domicilium elegerat Deus. Alii exponunt, ſolum fore populum, ut Gentibus non eomparetur: quia ſeparata erit ejus religio à roto orbe, nec ſe miſcebit profanis ſordibus. Verum ſimplicior eſt ea quam adduxi expoſitio.

10. *Quis numerabit.*] Hinc apparet divinitus ſuggeſtom fuiſſe ipſi Balaam quid eſſet dicturus: quia verba recitat ex ſolenni Dei promiſſione, ubi confertur ſemen Abrahæ terræ pulveri. Cæterum teoendum eſt quod nuper attigi, quamvis populi ſcelere ad exiguum oomerum redacta fuerit illa multitudo, non tamen fruſtra boc fuiſſe pronunciatum: quia paucitas illa tandem exundavit, ut totum mundum repleret. Sobolem etgo hyperbolice infinitam fore dicit: quoniam quarta pars vix erit numerabilis. Votum quod in fine ponitur, magis emphaticum eſt qoam ſimplex affirmatio de æterna populi felicitate. Utinam, inquit, eundem cum ipſis ſortiar exitum. Nam primo quiſque ſibi optime conſultum cupit: deinde fatetur Balaam ſe indignum eſſe qui ceo ſeatur in electo Dei populo. Unde colligere promptum fuit qoam ſtulte conſideret Balac ejus maledictioni. Porro his verbis perpetuam felicitatem notat: quaſi dicerer, beatum fore tam in morte quam in vita. Interea teſtis eſt futuræ immortalitatis. non quod apud ſe mediratus fuerit cur optabilis eſſet mors rectorum: ſed Deus homini iopuro hanc confeſſionem extorſit, ut vel invitus, vel non cogitans, exclamaret Deum ita perſeverare in proſequendo erga ſuos paterno favore, ut ne in morte quidem beneficus eſſe deſinat. Unde ſequitur, gratiam Dei fines bujus caducæ vitæ excedere. Quare hæc vox inſigne contioet teſtimonium futuræ immortalitatis. Etſi autem non penitus fotte expendit Balaam quid boc ſibi vellet, dubium tamen non eſt quin vere profiteatur id ſe optare. Verum, ut ſolent hypocritæ, nonniſi evanidum votum eoncepit: quia minime ſerio quærebat quod convictus erat optimum eſſe. Recti vocantur Iſraëlitæ (ſicuti aliis locis) noo propria rectitudine, ſed Dei beneplacito, qui eos dignatus fuerat ſegregare ab immundis gentibus.

11. *Dixit Balac ad Balaam.*] Superbus bomo iterum pſeudoprophetam objurgat, acſi jus vaticinandi prerio mercatus eſſet. Ita ſcilicet reprobi Deum per obliquos circuitus quærendo, non aliter ſibi quicquam negotii cum eo eſſe volunt, niſi per verſis eorum votis morem gerat, denique niſi eum ſibi reddant obnoxium. Cogitur itaqua Balaam ſtolidum

hunc factum Dei mandato refutare, quum ſibi aliud licere negat, quam ut perferat quod Deus præcepit. Quod meminerimus dictum eſſe reſpectu particularis actus: ubi in verbis geſtabat perſonam veri Prophetæ, quamvis longe aliter eſſet affectus.

Ex eodem Capite.

13. Tunc dixit ad eum Balac, Veni obſecro mecum ad alterum locum, unde videas illum (tantummodo extremum ejus vidiſti, & totum ipſum non vidiſti) & ei maledic mihi inde.

14. Et tulit eum in locum ſublimem, in verticem Piſgah: ædificavitque ſeptem altaria, & obtulit juvencum & arietem in altari.

15. Dixit autem ad Balac, Conſiſte hic juxta holocauſtum tuum, & ego occurram illic.

16. Occurrit vero Jehova ipſi Balaam, & poſuit verbum in ore ejus, dixitque, Revertere ad Balac, & ſic loqueris.

17. Venit itaque ad eum, & ecce, ille ſtabat juxta holocauſtum ſuum, & principes Moab cum illo: cui dixit Balac, Quid loquutus eſt Jehova?

18. Tunc aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit, Surge Balac, & audi, auſculta verba mea fili Sippor.

19. Non eſt homo Deus ut mentiatur, & filius hominis ut pœniteat eum: ipſe dixit, & non faciet? loquutus eſt, & non præſtabit illud?

20. Ecce, ut benedicerem accepi: & benedixit *benedictione*, & non revocabo eam.

21. Non aſpexit iniquitatem in Jacob, nec vidit violentiam in Iſraël. Jehova Deus ejus eſt cum eo, & clangor regis in eo.

22. Deus eduxit eos ex Ægypto: ſicut robur unicornis eſt ei.

23. Non eſt augurium in Jacob, nec eſt divinatio in Iſraële: ſecundum hoc tempus dicetur de Jacob & Iſraële, Quid operatus eſt Deus?

24. En populus tanquam leo ſurget, & tanquam leunculus elevabitur: non accubabit donec comederit prædam, & ſanguinem occiſorum biberit.

13. *Tunc dixit ad eum Balac.*] Facit Balac quod ſolent fere omnes ſuperſtitioſi. Nam quia nihil illis certum eſt vel firmum, per varias ſpeculationes circumaguntur, nunc hoc, nunc illud tentant. Præſertim vero in aſpectu vim aliquam magicam ſubeſſe imaginantur: acſi oculi partem efficaciæ darent exorciſmis. Et illud olim vulgi opinione receptum fuit, plurimum ad incantationes pollere intuitum: ſicut apparet ex profanis ſcriptoribus. Transfert ergo Balac alio ſuum ariolum, ut illic melius ſuas divinationes exerceat. In verbis quædam eſt ambiguitas. Sunt qui ſic exponunt, Veni io alium locum, ut illinc videas, ex parte videas, non totum: acſi metueret Balac ne ipſa multitudo terreret Balaam, vel frangeret vim incantationum. Probabilior tamen eorum eſt ſenteotia qui verbum Videre, ſecundo loco in tempore præterito accipiunt: ut ſenſus ſit, Veni in locum ex quo aſpicias: quoniam hactenus non vidiſti totum, ſed ex parte duntaxat. Scimus enim quam frequens ſit apud Hebræos temporum converſio. Quod ad locum pertinet in quem deductus fuit Balaam, parum intereſt propria an appellativa nomina eſſe credamus שדה צופים & הר הפסגה: quia ſatis liquet, ſi loco indita fuerint, impoſita fuiſſe pro ſitu. Nam in colle planitiem fuiſſe veriſimile eſt, quæ merito vocari poſſet Ager ſpeculatorum.

17. *Venit itaque ad eum.*] Interrogat Balac quidnam reſponderit Deus, qui tamen jam oraculum prius reſpuerat. Sic hypocritæ præ ſe ferunt valde anxiam ſollicitudinem in quærenda Dei voluntate: cujus tamen cognitio illis eſt intolerabilis. Ita maxima illorum ad inquirendum ſedulitas nihil aliud eſt quam mera ſimulatio. Adde quod reſponſum Dei ex longioqua divinatione venatur Balac: quum tamen in ejus corde inſculptum eſſet teſtimonium voluntatis Dei. Sed hæc eſt juſta perverſæ curioſitatis ultio, dum impii volunt Deo legem imponere, ut ſuis votis ſubſcribat. In externis ceremoniis nihil omittit Balac: ſuppliciter ad altaria Deo placando dat operam: ſed interea vult illum ſibi eſſe morigerum, nec alirer eum audire ſuſtinet quam ſi fallaces blanditias proferat.

18. *Tunc aſſumpſit parabolam*] Diximus quid valeat hæc loquutio, nempe magnificum ſplendorem præ ſe ferre in ſermone, quo magis attentus ſit auditor. Quo etiam ſpectat præfatio, Audi Balac, auſculta fili Sippor. Nam geminationes iſtæ, ut plurimum ſuot emphaticæ, & aliquid non vulgare ſpirant. Jam quum negat Deum meotiri poſſe, quia non eſt ſimilis hominibus, ſpecies eſt objurgationis. Quaſi diceret, Visne Deum facere mendacem? oportuit enim cohiberi veſanum ſtudium Balac, ne ultra tenderet. Cæterum hinc elicitur doctrina apprime utilis, perperam facere homines, dum ex ſuo ipſorum ingenio & moribus Deum æſtimant. quo tamen vitio laborant fere omnes. Nam qui fit ut tam ſimus propenſi ad vacillandum, niſi quia in noſtra trutina appendimus Dei promiſſiones? Ergo ut dicamus ſupra mundum mentes attollere, quoties de fide & certitudine verbi Dei agitur, reputare convenit quanta inter nos & eum ſit diſtantia. Mentiri ideo hominibus eſt uſitatum, quia ad mutandum conſilium ſunt flexibiles, vel quod polliciti ſunt exequi interdum oequeunt. Mutatio autem conſilii vel ex levitate vel mala fide provenit, vel quia eos pœnitet qui ſutiliter & incooſiderate loquuti ſunt. In Deum nihil tale cadit: quia nec fallitur, nec fallaciter quicquam pronunciat, nec ulla eſt apud eum obumbratio, ut inquit Jacobus. Tenemus nunc quorſum diſſimilitudo hæc reſpiciat: ne ſcilicet Deum transfiguremus pro noſtro ſenſu: ſed in conſideranda ejus natura meminerimus nullis converſionibus obnoxium eſſe, quoniam ſuperat omnes cælos. Quid autem ſignificet Dei pœnirentia, cujus aliquoties fit mentio, ex ſuis locis petant lectores. Jam ſimul notanda eſt doctrinæ applicatio. Frigerent enim perſe hæc verba, Deum eſſe veracem, niſi ad uſum ſuum referantur: nempe indubia fide acquieſcendum eſſe ejus promiſſionibus, & ſerio ad minas trepidandum. Nam in hunc etiam finem dicitur ſermo Dei purus & integer, & confertur argento ſepties purgato. Huc quoque tendit illatio quæ mox ſubjicitur, An igitur non implebit quod loquutus eſt? Volebat Balac maledici populum quem Deus ſibi adoptaverat? id fieri poſſe negat Balaam, quia Deus in ſuis decretis firmus ſit. *Jacob. 1. verſ. 7.*

Deni-

Denique idem docet quod Paulus, electionem illius populi, quoniam in gratuita Dei liberalitate fundata sit, esse absque pœnitentia. Quod si conductitio pseudoprophetæ hæc vox fuit extorta, quam inexcusabilis sordicia nostra erit si in amplexando Dei verbo varient atque alternent mentes nostræ, acsi ipse esset varius?

20. *Ecce, ut benediceretem.*] Significat mandatum benedicendi injunctum sibi esse, & legem impositam. Neque enim (utdictum est) in hac actione liber fuit aut sui juris: sed eum sibi Deus addixerat, ut Propheticum munus etiam invitus exerceret. Hinc colligit non esse in suo arbitrio prædictionem mutare, cujus minister est ac testis. Sed notandum est quod medio loco inseritur, Deum scilicet ipsum benedixisse. Quibus verbis intelligit pendere utramque hominum sortem ab unius Dei auctoritate: nec Prophetis aliud esse datum, nisi ut quod statuit Deus promulgent. acsi diceret, Nonnisi unius Dei est decernere qualis sit hominum conditio. Benedictionis suæ me præconem esse voluit: eam igitur evertere, vel retractare, meum non est. Porro quia personam veri Prophetæ hic Balaam sustinet, colligere licet ex his verbis, non aliam ligandi & solvendi potestatem verbi ministris datam esse, nisi ut fideliter proferant in medium quod à Deo acceperint.

21. *Non aspexit.*] Quidam per און & עמל idola intelligunt, quæ nihil quam mortiferum laborem & molestiam afferunt suis cultoribus. Acsi dictum esset, Israëlem à talibus noxis purum & immunem esse, quia rite unicum Deum colat. Sed quomodo conveniet, Deum non vidisse idololatriam in populo, qui manifeste in eam prolapsus fuerat? Etsi autem semel tantum fabricatus est vitulus, multæ tamen & propemodum assiduæ defectiones non patiuntur homines sceleratos & perversos ita absolvi. Porro quum duæ istæ voces simul conjunctæ omnia iniquitatum genera significent quæ ad homines lædendos, vel ad nocendum, & damnum cum injuria inferendum tendunt: aptior erit sensus, non conspici iniquitatem in Jacob, ut censeatur inter gentes violentiæ & scleribus deditas. Quanquam si ita accipere libet, eadem quæ prius exoritur quæstio. Scimus enim Israëlitas pessimis quibusque vix fuisse meliores. Dilute quidam respondent, non conspici, quia Deus non imputat. Ego vero nihil aliud his verbis notari existimo quam Deo gratum esse populum, quia eum sanctificaverit. Si quis excipiat, non ideo protinus fuisse justum & innoxium: solutio in promptu est, non prædicari quales fuerint, sed tantum celebrari Dei gratiam qua ipsos in gentem sanctam eligere dignatus erat. Hoc modo Jerosolyma fuit sancta civitas & regia Dei sedes, quum tamen spelunca esset latronum. Hac ratione dicit Paulus filios Abrahæ esse sanctos ramos, quia progeniti sint ex radice sancta. Eodem sensu filii Dei passim vocantur, quantumvis essent degeneres. Ergo dicitur Deus non aspexisse in illis iniquitatem, adoptionis suæ respectu, non autem quod tam præclaro elogio digni fuerint: acsi discrimen inter eos & alias gentes statueretur, non pro meritis, sed mero Dei beneplacito. Sic Paulus alibi postquam Gentibus eos æquavit, & docuit nulla in re excellere, deinde subjicit, Quæ igitur est Judæi dignitas? aut quæ utilitas Circumcisionis? Magna, inquit, per omnem modum: nempe quia notam discretionis extra ipsos quærit. Denique quia Deo placuerat eligere populum illum, seipsum potius & gratiam suam amore prosequutus est, quam illius vitam & mores. Sunt qui secus accipiunt hunc locum, Deum non aspicere iniquitatem, neque videre molestiam in Jacob: quia permittere nolit eum injuste gravari vel affligi. acsi dictum esset, Siquis injuste nocere velit huic populo, Deus nullam vim nec injuriam admittet, sed potius se opponet instar clypei. Atqui si placeat hic sensus, malim verba indefinite accipere: acsi dictum esset, Non videbitur molestia in Jacob. Nam Hebræi sæpe ubi verbum sine subjecto ponunt, generaliter ad quoslibet extendunt rem ipsam de qua agitur: & tunc verba activa commode in passiva revolvi possunt. Atque ita meliusfluet contextus, quia subjicitur continuo post, Jehova Deus ejus est cum eo: ubi reddi causa videtur cur non conspicienda sit molestia adversus Jacob: quia scilicet aderit Deus ad ferendum auxilium. Scimus autem immensam ejus potentiam sufficere ad tuendam Ecclesiæ salutem, ut ne portæ quidem inferorum prævaleant. Quod postea sequitur, Clangorem, vel jubilationem regis in eo esse, intelligo, Deum semper triumphandi materiam daturum esse. Nomen enim quod alibi vetus Interpres Jubilationem vertit, videtur hic sumi pro gratulatoriis canticis. Sed quia tubæ clangorem significat, non male quadrabit, populum fore terribilem suis hostibus: quia audacter prosiliet ac descendet in prælium, quasi Deo tuba clangente.

22. *Deus eduxit.*] Caulam perpetuæ felicitatis indicat, quia Deus qui populum illum semel redemit, inceptum à se opus non deseret. Argumentum à continua beneficiorum Dei serie ductum. nam quia ex fonte inexhausto manant, perennem habent cursum. Hoc autem ad Ecclesiæ statum specialiter pertinet: quia donec filios suos Deus ad metam usque perduxerit, nunquam definit erga eos esse beneficus. Merito igitur colligit Balaam, quia Deus semel populum redemit, perpetuum fore salutis præsidem. Postea docet potentiam Dei qua populum tuebitur, fore invictam. Hoc enim sibi vult similitudo unicornis.

23. *Non est augurium.*] Vulgo intelligunt laudari populum, quia augurüis & magicis superstitionibus non sit deditus: quemadmodum etiam Deus Lege sua severe præceperat ne se polluerent talibus corruptelis. Alii sic exponunt, Non indigent Israëlitæ ariolis: quia per Urim & Thummim, vel per Prophetas, illis divinitus reveletur quicquid est utile. Rectior eorum sententia qui sic interpretantur, Nullum augurium, & nulla divinatio valet contra Israëlitas, modo clarior accedat explicatio. Fatetur enim (meo judicio) Balaam fuis augurüis non esse locum, vel solitas suas artes nunc cessare, quoniam earum effectus & vigor ad Israëlitas non perveniat. Atque hæc confessio respondet verbis Magorum Pharaonis, quum dicerent, Digitus Dei est: postquam pertinaciter contenderant eousque dum ipsos cogeret Deus ad cedendum. Ita nunc Balaam pronunciat protegi electum populum divinitus, ut irritæ sint suæ divinationes, & vana auguria. Alterum membrum versus simpliciter mihi videtur huc tendere, Deum præclara opera exinde edicturum pro defensione populi sui, quæ cum admiratione narrentur. Coactum est & à sensu remotum quod alii vertunt, Sicut hoc tempore dicetur, Quid operatus est Deus in Israële? potius enim dicere vult Balaam, longos fore progressus gratiæ Dei, cujus exordia duntaxat tunc apparebant: ac in summa pronunciat exinde memorabiles fore Dei virtutes in populo illo, quæ amplam materiam hist oriis suppeditent.

Rom. 3. vers. 1.

24. *En populus tanquam leo.*] Hæc similitudo non omni ex parte convenit. Non enim sævos aut rapaces fore Israëlitas significat, sed validos & robustos: & siquis eos lacessat, promptos ad resistendum. Capite proximo iterum recurret verbis paululum mutatis. Quod autem hic generaliter prædicat Balaam de toto populo, in benedictionibus Jacob confertur in solam tribum Juda: quia illic maxime excelluit fortitudo. Summa est, quamvis undique imperatur populus Israël, prædium fore in victa fortitudine, quæ omnes impetus frangat, vel procul abigat. Cæterum meminerimus virtutem hanc, qua se tuebitur Israël contra omnes hostes, numerari inter Dei dona: acsi diceret Balaam, Dei præsidio fore salvum.

Ex eodem Capite.

25. Dixit autem Balac ad Balaam, Neque maledicas ei, neque benedicas.
26. Cui reſpondit Balaam, dicens, Annon dixi tibi, Quicquid dixerit Jehova, id faciam?
27. Tunc dixit Balac ad Balaam, Veni agedum, ducam te ad locum alium, ſi forte inde placebit Deo ut maledicas ei mihi.
* vel, *jeſimon.* 28. Sumpſit ergo Balac ipſum Balaam in verticem Peor qui reſpicit verſus * deſertum.
29. Dixit autem Balaam ad Balac, Ædifica mihi hic ſeptem altaria, & appara mihi hic ſeptem juveneos, & ſeptem arietes.
30. Fecit itaque Balac quemadmodum dixerat Balaam, & obtulit juvencum & arietem in *unoquoque* altari.

25. *Dixit autem Balac ad Balaam.*] Hic tanquam in ſpeculo cernere licet quam miſere huc & illuc agitentur increduli, ut inter vanas ſpes & metus alternent, ut ſeotentiam mutaodo revolvantur tamen in eoſdem errores: acſi per labyrintbum eos circumageret cæca intemperies. Ubi ſe opiniooe deceptum videt Balae, cupit ſaltem conductitium prophetam nec prodeſſe nec obeſſe. Id vero periode eſt aeſi Deum vellet jacere otioſum. Mox tamen animum colligit, & maledictionem, cui valedixerat, pœnitentia ductus, tentat redimere. Hac de cauſa io alium locum trahit Balaam. atqui jam id fruſtra expertus fuerat. Sed ita pertinaciter urgent increduli impios ſuos conatus. Inquietudo autem quæ interea ipſos dubios verſat, juſta eſt temeritatis eorum merces.

26 *Cui reſpondit Balaam*] Hic fatetur mercenarius vates nihilo magis ſileotium in ſuo arbitrio eſſe quam ſermonem. Nec dubium eſt quin ſe ſerviliter excuſet apud ſuperbum regem, cui ſe libenter venditaſſet: acſi odium & culpam à ſe volens avertere, diceret ſe iovitum rapi divino afflatu. Et crimen in ipſum Balac regerit, qui in tempore admooitus, ſtulte ipſum accerſiverat. Reliqua jam expoſui

NUMER. Cap. XXIV.

QUum autem videret Balaam quod placeret Jehovæ ut benediceret Iſraëli, non abiit ſicut ſemel & iterum in occurſum auguriorum: ſed poſuit verſus deſertum faciem ſuam.
2. Ac quum elevaſſet oculos ſuos, vidit Iſraëlem diſpoſitum per tribus ſuas: fuitque ſuper eum Spiritus Dei.
3. Tunc aſſumpſit parabolam ſuam, & ait, Dicit Balaam filius Beor, dicit vir reconditus oculo.
4. Dicit qui audivit eloquia Dei, qui viſionem Omnipotentis vidit, qui cadit & aperiuntur oculi ejus.
5. Quam pulchra tabernacula tua Jacob, habitacula tua Iſraël!
6. Sicut valles diffuſæ, ſicut horti juxta flumen, ſicut arbores aloës, quas plantavit Jehova, ſicut cedri juxta aquas.
7. Defluet aqua è ſitula ejus, & ſemen ejus in aquis multis: & elevabitur rex ejus ſuper Agag, & extolletur regnum ejus.
8. Deus eduxit eum ex Ægypto: ſicut vires unicornis ei. Conſumet gentes hoſtes
† vel, *ſagittas ſuas tinget ſanguine.* ſuos, & oſſa eorum conteret, & † ſagittis ſuis confodiet.
9. Incurvabit ſe ut accuber tanquam leo minor, & tanquam leo major: quis excitabit eum? Quiſquis benedixerit tibi, erit benedictus: & quiſquis maledixerit tibi, erit maledictus.

1. *Quum autem videret.*] Apparet Balaam, ut impio regi gratificaretur mercedis cauſa, per varios flexus & ambages tentaſſe an reſpoosum ex voto elicere poſſet. Sic impii ludendo Deum placare ſtudent, ut pueros blanditiis mulcemus. Et Deus ipſum aliquandiu paſſus eſt inbiare fallaci oraculo: nunc autem propius eum conſtringit, & abſciſſa omni mora, reſponſum dictat, ac proferre cogit. Neque enim ejus obedieotia laudatur, acſi voluntate Dei cognita ſpoote paruerit, & deſtiterit à præpoſtera ſua cupiditate: ſed quia jam tergiverſandi non erat locus, pedem loco movere auſus non eſt: acſi Deus injecta manu eum retineret. Quod dicitur Spiritus Dei ſuper hunc fuiſſe poſtquam oculos convertit ad deſertum, & aſpexit caſtra Iſraël, ut per tribus ſuas erant diſpoſita: ſic intellige, non ſincero benevolentiæ affectu fuiſſe inductum, ut conſpectus ipſe benedicendi materiam ſuggereret: ſed ejuſdem Spiritus inſtinctu fuiſſe tractum, qui poſtea vim ſuam in vaticinio exeruit. Dicitur ergo fuiſſe ſuper eum Spiritus Dei, non quod illo demum momento cœperit eum afflare poſtquam oculos conjecerat in caſtra Iſraël: ſed eum impulit ad illius loci vel plagæ inſpectionem, ut vehementior eſſet vaticinandi impetus, quaſi in re præſeoti. Poſtquam autem ejus ſenſus ita perculit, vel ſaltem præparavit, ut apta eſſent organa ad munus exequendum, tunc linguam quoque ejus ad prophetandum direxit: ſed inſigni modo, ut in ſubita mutatione fulgeret divina majeſtas: acſi mutatus eſſet in novum hominem. Denique ſuper eum fuit Spiritus Dei, dum oſtendit manifeſtis ſignis ſe eſſe ſermonis auctorem, oec illum ex proprio ſenſu loqui. Eadem ratione dicitur ſumpſiſſe parabolam: quia inſolita gravitate & magnifico ſplendore notabile fuit dicendi genus.

3. *Dicit vir reconditus oculo.*] Non alio tendit tota præfatio niſi ut ſe verum Dei Prophetam eſſe probet, ac benedictionem quam proferet ſe habere ex cæleſti oraculo. Et vera quidem gloriatio fuit quoad hunc ſpecialem actum: fieri tamen poteſt, ut eum ad ſe jactandum impulerit faſtus & ambitio. Quanquam probabile eſt impulſu Spiritus ſic fuiſſe præfatum, quo plus fidei ſuis dictis aſſereret. Cæterum ex hoc conſilio licet ſenſum verborum colligere. Elogiis

gus ſe ornat Balaam, quibus Propheticum munus ſibi arroget. Ergo quæcunque de ſe prædicat ſciendum eſt competere in veros Dei Prophetas, quorum notas & inſignia mutuatur. In hunc finem dicit ſe abſconditum eſſe oculo: quo ſignificat non vulgari more ſe videre, ſed pollere arcanis viſionibus. Conſentiuot interpretes סתום tantundem valere ac סתוּם, hoc eſt, clauſum vel abſconditum. Itaque vertunt quidam in tempore pluſquam perfecto, Vir cui clauſus erat oculus: & hoc intelligunt de cæciuate Balaam, quum clarius videret ejus alina quam ipſe. Alii quia vident id commentum nimis eſſe dilurum, per antiphraſin exponunt, Cui apertus eſt oculus. Sed quoniam hæc etiam interpretatio coacta eſt, non dubito quin abſconditos ſibi eſſe oculos dicat, quia arcana inſpectione pollent ſupra humanum modum.

Pſal. 51. Nam vocem hanc uſurpat David pro myſteriis, quum dicit, Abſcondita ſapientiæ manifeſtaſti mihi. Niſi forte placeat, hominem vocari abſconditis oculis qui omnia humana deſpicit, & apud quem nulla eſt perſonæ acceptio. Sed alterum illud melius convenit. Et certe quod continuo poſt addit, Auditor ſermonum Dei, & qui Omnipotentis viſionem intuitus eſt, expoſitive debet accipi. Simile eſt quod ſubjicitur poſtremo loco, Qui cadit, & aperiuntur oculi. Nam quod exponunt quidam, mente vigilare, dum ſupitus eſt ſecundum corpus, longe petitum eſt. Frigidum vero quod alii referunt ad ſuperiorem hiſtoriam, ubi narratum fuit, poſtquam collapſus fuit Balaam ſub aſina, retectos fuiſſe ejus oculos, ut Angelum videret. Ergo Prophetis ſe comparans, dicit ſe cadere ut viſiones accipiat. Sæpe enim legimus proſtratos aut debilitatos fuiſſe Prophetas, & quaſi exanimes jacuiſſe, ubi ſe illis Deus patefecit. atque ita Deo placuit ſervos ſuos dejicere ſecundum carnem ut ſupra mundum attolleret, propriis viribus exinanire ut repleret virtute cæleſti.

5. *Quam pulchra tabernacula.*] Interior felicis populi conditio deſcribitur per varias ſimilitudines, ſed inter ſe affines, & quæ rem unam exprimunt. Vallibus & hortis irriguis populum comparat, deinde arboribus quæ larga pluvia redduntur ſuccolentæ: poſtremo agris, quorum ſemina pinguedinem ex aquis trahunt. Ubi vertimus, Diffuſas valles, alii torrentes malunt. Et vox Hebraica utrumque ſignificat: ſed continua metaphora poſtulat valles potius intelligi. Eandem quoque ratiunem ſequutus ſum in arboribus aloes. Etſi enim אהלים ſæpe vocantur tabernacula, arbores tamen hic deſignari non dubito, ut reſpondeat quod mox additur de cedris. Dicuntur autem arbores à Deo plantatæ quæ ob ſingularem præſtantiam excedunt commonem naturæ modum, & aliquid humano labore ac artificio nobilius præ ſe ferunt. In poſtrema ſimilitudine hallucinati ſunt (meo judicio) interpretes. Alii vertunt, Semen ejus aquæ multæ: alii, In aquas multas. Atqui quod ego ad verbum tranſtuli, longe melius fluit, ſimilem eſſe agro pingui & fœcundo, cujus ſemen aqua multa ſaturatur. Hactenus de benedictione Dei diſſeruit Balaam, quæ populum omni bonorum copia locupletabit.

7. *Et elevabitur rex ejus ſuper Agag.*] Nunc de externa felicitate verba facere incipit: quod ſcilicet potentia florebit, & fortitudine bellica inſtructus erit populus Iſraël, ad prohibendas boſtium injurias. Neque enim ſufficeret affluere bonis omnibus, niſi conjuncta eſſet defenſio. Minime probabile commentum eſt, verba fieri de Saule, qui Agag regem Amalecitarum prælio victum cepit. Recte ergo ſentiunt alii, commune fuiſſe nomen illius gentis regibus. Conſilium ergo Dei fuit præferre electum ſuum populum Amalecitis. Nec mirum eſt hos maximè in certamen committi: non ſolum quia perpetui fuerunt hoſtes Iſraëlitis, ſed quia tunc celeberrimæ erant eorum opes: ſicuti paulo poſt videbimus, Principium Gentium Amalec, &c. Etſi autem longo poſt tempore in Iſraële nemo regnavit, non abſurdum eſt tamen regis & regni nomine publicum ſtatum deſignari: præſertim quia Deus ſolidam gratiæ ſuæ perfectionem in tempus uſque regni diſtulerat. Quare hoc vaticinio Balaam, quamvis nihil tale cogitans, tempus Davidis complexus eſt. Unde ſequitur prædici quæ non niſi in Chriſto fuerunt completa, in quo adoptio fundata erat. Quod ſequitur ante expoſitum fuit, Deum ſcilicet populum ſuum liberando, palam feciſſe ſe velle ipſum manere ſalvum & incolumem: idque poſſe præſtare.

9. *Quiſquis benedixerit tibi.*] Hæc loquendi forma ſignificat ea lege electos à Deo fuiſſe Iſraëlitas, ut ſibi impenſum referat quicquid illis vel injuriæ illatum vel beneficii collatum fuerit. Neque vero novum eſt ut Deus ſe Eccleſiæ ſuæ hoſtibus fore hoſtem, & turſus amicis ſe fore amicum denunciet: quod ſignum eſt ſummi favoris. Hinc autem docemur quæcunque præſtantur Eccleſiæ officia, locari apud ipſum Deum, qui fidelis erit remunerator: & ſimul non poſſe lædi fideles quin ultionem ſuſcipiat: ſicuti dicit, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Si quis objiciat, Balaam ipſum mercede caruiſſe, quamvis populo benedixiſſet: in promptu eſt ſolutio, nulla laude fuiſſe dignum qui ſponte & liberali puroque affectu minime propenſus fuit in favorem populi, ſed violenter tractus quo nolebat. Interea manet illud fixum, Quicunque ad Eccleſiæ ſalutem operam ſuam contulerint, & fidi fuerint ejus adjutores, benedictionis quæ hic promittitur certo participes fore. *Zach. 2. verſ. 8.*

Ex eodem Capite.

10. Et excanduit furor Balac contra Balaam, & percuſſit manus ſuas, ac dixit ipſi Balaam, Ut maledíceres inimicis meis vocavi te, & ecce benedixiſti benedicendo jam tribus vicibus.

11. Nunc ergo fuge in locum tuum: dixeram, Honorando honorabo te, & ecce privavit te Jehova gloria.

12. Cui reſpondit Balaam, Annon etiam nunciis tuis quos miſeras ad me loquutus ſum, dicendo,

13. Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argento & auro, non potero transgredi ſermonem Jehovæ, ut faciat bonum ſive malum è corde meo: quod loquetur Jehova, illud loquar?

14. Nunc itaque ecce, ego diſcedo ad populum meum: age, conſulam tibi quid facturus ſit populus iſte populo tuo in noviſſimis diebus.

15. Tunc aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit, Dixit Balaam filius Beor, dixit, inquam, vir apertum habens oculum.

16. Dixit audiens eloquia Dei, & ſciens ſcientiam Excelſi, videns viſionem Omnipotentis: cadens, & diſcooperium habens oculum.

10. *Et*

10. *Et excanduit furor.*] Quoniam non compeſcitur impiorum pertinacia, ut Deo cedant, ubi ſub jugum cogere vult eorum cupiditates: neceſſe eſt, ubi diutius premuntur, tandem rapi to furorem. ita nunc poſt fremitus & expoſtulationes erumpit Balac in fervorem impetus, & contumelioſe Balaam, cui antehac blanditus fuerat, rejicit & exturbat è ſuo conſpectu. Neque enim ſibi temperat, quando manus complodit. Gravius autem indignatur, quod Balaam non dubitaverit libere & palam facere ipſum teſtem benedictionis populi Iſraëlitici, à qua maxime abhorrebat. nihil enim reges magis urit quam ubi vident homines privatos ſua ſaltem præſentia non terreri. Jam quia nullam mercedem dare ſtatuit infauſto & male feriato prophetæ, ne quid ex eo incurrat dedecoris, acſi illiberalis eſſet, odium rei in Deum avertit. Et verum quidem eſt quod dicit, Deum privaſſe Balaam honore: ſed impie, & quaſi per obtrectationem Deum ſubſtituit reum ſuo loco: imo exprobrat in culpa eſſe quominus fidem datam præſtet.

12. *Cus reſpondit Balaam.*] Vere quidem Balaam, ſed perverſo animo, quemadmodum vidimus. Serviliter enim apud Balac excuſat per ſe non ſtare quominus morem gerat ejus votis, ſed Deum eſſe impedimento. Dolet enim ſibi mercedem perire: & quamvis magnifice de Dei imperio loquatur, ſubindicat tamen violenter ſe magis cogi quam ſponte exequi quod mandatum eſt. Per ſermunem Jehovæ intelligit non modo decretum, ſed quod ſibi dictatum fuerit, & tamen transgredi maxime optaſſet: verum ſignificat ſe alligatum eſſe virtute Spiritus ut oraculum quale accepit vel invitus proferat. Ita verbum Facere refertur ad linguam, vel ad munus Propheticum: quia non fuerat conductus à Balac, ut quicquam manu tentaret, ſed tantum ut verbis noceret populo. Cor opponitur revelationi Spiritus. dicuntur enim impoſtores loqui ex proprio corde, ubi falſo Dei nomen obtendunt ſuis figmentis. Negat igitur ſibi liberum eſſe loqui ex corde ſuo, quia Spiritus Dei ſit miniſter.

14. *Nunc itaque ecce, ego.*] Quia hic non exprimitur quale dederit conſilium, quibuſdam videtur eſſe defectiva oratio: atque ita referunt ad vafritiem populo exitialem, cujus poſtea fiet mentio: nempe ut Moabiticæ fœminæ ſe proſtituerent ad ſcortandum. Alii potius exiſtimant Balaam dediſſe conſilium, ut ſecutus quieſceret, quia populi felicitas, ipſo ſuperſtite nihil damni afferret Moabitis. Ego vero ſimpliciter accipio pro docere, vel monere quid utile ſit. Commendat igitur oraculum, ut Balac libenter acquieſcat. Cæterum ubi adjungit noviſſimos dies, ſignificat nullam eſſe cauſam cur ſibi metuat Balac, vel ſollicitus ſit: quoniam in longum tempus differenda erat gentis illius pœna. Interim tameo videmus quid tumultuando profecerit Balac. Nam qui hactenus audierat tantum populum benedici, cogitur audire quod triſtius eſt, de populi ſui ruina. Hæc eſt eorum merces qui adverſus Deum luctantur.

15. *Dixit Balaam filius Beor.*] Quia de rebus maximis differere cogitabat, non abs re iterum præfatur, quo plus auctoritatis ſuo vaticinio conciliet. Etſi autem non ſine ambitione efflavit hæc magnifica elogia, dubium tamen non eſt quin illis ſancire Deus voluerit quod per os Prophetæ proferre ſtatuerat. Oportuit hominem nihili (cujus alioqui contemptibilis eſſet doctrina) divinitus inſigniri: quo fit ut alienam perſonam induat, in ſe transferens quæ eveniunt veris Prophetis. Prius expoſui clauſum oculum & apertum in eundem finem poni, quamvis diverſa ratione. Reconditum enim oculum vocat, qui cernat res occultas quaſi in tenebris, & ſenſu humano incomprehenſibiles: apertos autem oculos ſibi vendicat, quia Prophetica viſione ſpeculetur quæ dicturus eſt: acſi negaret verba ſe facturum de rebus obſcuris & parum compertis.

Ex eodem Capite.

17. Video eum, ſed non modo: intueor illum, ſed non prope. procedet ſtella ex Jacob, & ſurget ſceptrum ex Iſraële: & confodiet * principes Moab, & deſtruet omnes filios Seth.

* vel, *angulos.*

18. Et erit Edom poſſeſſa, & poſſidebitur Seir ab inimicis Seir, & Iſraël faciet virtutem.

19. Et dominabitur ex Jacob, & perdet reliquias ex civitate.

20. Et quum vidiſſet Amalec, aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit, Principium Gentium Amalec, ideo noviſſimum ejus uſque ad perditionem.

21. Viſo etiam Cenæo, aſſumpſit parabolam ſuam, & dixit, Robuſtum habitaculum tuum, & ponis in petra nidum tuum.

22. Certe expelletur Cain, uſquequo Aſſur captivum te ducet.

23. Aſſumpſit item parabolam, & dixit, Væ, quis vivet quum ſtatuerit iſtud?

24. Et naves è littore Citthim quæ affligant Aſſur, affligent Heber, ſed hoc quoque uſque ad perditionem.

25. Surrexit itaque Balaam, & abiit, revertſuſque eſt in locum ſuum: atque etiam Balac abiit in viam ſuam.

17. *Video eum.*] Sunt quidem verba futuri temporis; ſed quæ pro tempore præſenti ſumuntur: deinde pronomen Eum, deſignat quempiam cujus nondum facta fuit mentio. hoc vero ſæpe tritum eſt Hebræis, præſertim ubi de Jeroſolyma, vel Deo, vel de celeberrimo aliquo homine agitur. Ergo ὁ ἐρχόμενος relativum hic ponitur pro antecedente. Quanquam autem de populo Iſraëlitico agit, dubium tamen eſt caputne an totum corpus deſignet. qua de re non magnopere contendo, quia perinde eſt quoad ſummam rei. Porro quod in longum tempus ſuas prophetias rejicit Balaam, facit ad ſolatium Balac. Quantum enim poteſt invidiam declinat: ideoque admonet ſi quid mali denunciet, non eſſe cito metuendum, quia differit de rebus adhuc procul remotis. Secundum membrum haud dubie ad caput populi reſtringitur, quod metaphorice vocatur ſtella, deinde ſine figura exprimitur. geminatio enim hæc trita eſt Hebræis, qua rem unam bis commemorant. Certe non aliud intelligit ſceptri nomine quam quod per ſtellam ſignificaverat: ita felicitatem populi locat in regno. Unde colligimus ſtatum ejus non aliter fuiſſe perfectum quam ubi per manum regis gubernari cœpit. Nam quia in Chriſto fundata eſt adoptio generis Abrahæ, illic nonniſi ſcintillæ benedictionis Dei micarunt, donec in Chriſto ipſo ſolidus ſplendor fuit conſpicuus. Notandum eſt igitur, quod Balaam de gratia Dei erga populum Iſraëliticum vaticinari incipiens, ſtatim ad ſceptrum nos dirigit, acſi verum & certum divini favoris ſpeculum eſſet. Nec vero aliter ſe Deus populo exhibuit patrem quam per Chriſtum. Fateor quidem jam in Davide

Davide extitiſſe principia quædam, ſed quæ longiſſime diſtarent à plena exhibitione rei. Neque enim diuturna fuit regni illius gloria: imo ſtatim major dignitas, decem tribuum defectione, collapſa eſt, & tandem prorſus extincta: & quum maxime floruit Davidis potentia, non tamen longius imperium ſuum extendit quam ad vicinas geotes. Ergo progreſſus ſtellæ & ſceptri de quo loquitur Balaam, proprie ad Chriſtum ſpectat. atque huic vaticinio
Pſal. 110. *verſ.* 2. reſpondet quod legitur in Pſalmo, Sceptrum fortitudinis tuæ emittet Deus ex Sion. Unde ſequitur, benedictionem de qua loquitur Balaam, ad nos uſque diffundi: quia ſi à ſcepiro tanquam à ſuo genuino fonte profluxit veteris populi felicitas, quies, ſtatus recte compoſitus, dignitas, ſalus, gluria, non dubium quin Chriſtus ſuo adventu hæc omnia plenius nobis præſtiterit. Subjicitur tanquam regni appendia ſubverſio gentis Moab. Ac primo quidem denunciat Balaam, principes ejus confoſſum iri. Sicui magis placeat legere Angulos, metaphorica erit loquutio, acſi dictum eſſet, Penetrabit munitiones, vel franget quod videtur maxime ſolidum. Non dubito idem confirmari per filios Setb. Nam qui generaliter accipiunt de toto humano genere, textum ſuo commento violenter detorquent. Sermonem habet Balaam de viciois populis. deinde quum proximo verſu deſcendit ad Edom, explicatioois vice addit montem Seir. Quum eadem utriuſque ſententiæ ſit ratio, probabile non eſt filios Seth alios dici quam Moabitas. Quæritur tamen cur uni genti tribuat Balaam quod omnibus erat commune: omnes enim peræque à Noë ducebant originem qui erant ex poſteris Setb. Quidam exiſtimant, ut tegereot ſuum dedecus gloriatos fuiſſe hac ſtirpe: ſcimus enim auctorem gentis ex inceſtuoſo coitu fuiſſe progenitum. Alia autem aptior mihi occurrit ratio, quod ſummam antiquitatem ſui generis jactaverint, ut Amalecitæ. Ergo quum inter veteriſſimos populos cenſeri vellent, abſurdum non erit, ironica appellatione perſtringi vanum eorum faſtum. Fieri tamen poteſt ut inter poſteros Moab quiſpiam hoc nomine excelluerit. Cæterum (ut nuper dixi) à Davide quidem ſub jugum coacti ſunt tum Moabitæ quam Idumæi: ſicut
Pſal. 60. *verſ.* 10. merito David de illis ſuos triumphos canit, Moab olla lotionis meæ: ſuper Edom projiciam calceos meos. ſed tunc adumbratum fuit duntaxat quod Chriſtus demum exhibuit: quia in nihilum redegit gentes omnes ſuo imperio adverſas & infeſtas. Ideo dicitur, Perdet reſiduum ex urbibus, nempe quoſcunque reperiet deploratos boſtes.

20. *Et quum vidiſſet Amalec.*] Antea cæleſti decreto deſtinatus exitio fuerat populus ille: ſed quod jam pronunciaverat Deus, per Moſen iterum ſancitur. Etſi autem vindicta quam ſumpturus erat Deos, ſopita pluribus ſeculis jacuit, tandem reipſa cognitum fuit Deum non fruſtra minatum eſſe. Porro quanquam à Saule deleti fuerant, diſcimus tamen ex hiſtoriæ contextu fuiſſe aliquos ſuperſtites, & rurſus io ſua regione habitaſſe. Itaque ut nobis conſtet ſolida veritas, ad Chriſtum venire neceſſe eſt, cujus regnum æternus eſt omnium improborum interitus. Frigidum eſt quod putant quidam interpretes, principium gentium vocari Amalec, quia primi arma ſumpſerint, & occurrerint Iſraëlitis ad probibendum eorum iter. Potius oblique reſellitur eorum ſuperbia, quoniam ſe aliis gentibus præferrent: idque vetuſtatis nomine, acſi una cum ſole & luna eſſent procreati. Concinna eſt autem alluſio inter nobile illud principium, & cladem quæ in exitu ipſos manebat.

21. *Viſo etiam Cenæo.*] Quo ſenſu dicatur Balaam vidiſſe tam Cenæos quam alias gentes, nondum attigi: ac nunc quoque omitterem, niſi quia referunt hoc nonnulli ad viſionem Propheticam. quorum ſententiæ non ſubſcribo. hiſtorice enim narrat Moſes, faciem ſuam Balaam vertiſſe ad eas plagas ubi tunc degebant. Etſi autem homines ipſos non vidit, ſatis fuit ad vaticinium, cujuſque habitationis aſpectus. Per Cenæos autem Madianitas intelligo, qui Amalecitis contigui erant. nam de progenie Jethro accipere, prorſus ratione caret: nondum enim elapſi erant quadraginta anni ex quo filium ſuum Jetbro apud Moſen reliquerat. Erat tantum exigua domus in deſerto Madian: hic aotem mentio fit populi jam celebris. Ergo per ſynecdochen Madianitas deſignat Balaam, & eos quoque juſtæ pœnæ addicit: cujus miniſter & exequutor aliqua ex parte fuit Gedeon, ubi cum trecentis viris ingentem exercitum profligavit: quæ victoria Pſalmo 53. & Jeſa. 9. capite celebratur. ac tunc probabile eſt attritas fuiſſe eorum opes.

22. *Uſquequo Aſſur.*] Durum eſt ac coactum de Cenæis accipere. Et major pars etiam conſentit ad Iſraëlitas referri. quanquam in ſenſu variant: quia affirmative quidam legunt, perituros eſſe Cenæos, donec Iſraëlitæ ab Aſſyriis devicti in captivitatem trahantur. Alii autem interrogative accipiunt, acſi eſſet abrupta exclamatio, Quouſque Aſſur te captivum habebit? Ita exiſtimant diuturnum populi exilium notari. Certe conſilium Spiritus fuit, per modum correctionis docere, felicitatem (cujus antea fuit facta mentio) permixtam fore gravibus miſeriis. acerba enim res eſt ſervitus: triſtius etiam exilium. Hinc colligimus, Eccleſiam ita benedici à Deo ut variis tamen ærumnis obnoxia eſſe non deſinat. ita interrogatio melius conveniet.

24. *Et naves de littore Citthim.*] Minime dubium eſt interdum Citthim accipi pro Græcis. volunt quidam ſolos Macedonas proprie deſignari hoc nomine: ſed ad totam Græciam extendi patet. Quoniam vero Judæis non ita notæ erant transmarinæ regiones, ut eas diſtinguerent, interdum ad Italiam idem hoc nomen Scriptura transfert. Certe apud Danielem naves Citthim pro Italicis vel Romanis ſumi neceſſe eſt: quia illic prædicit Angelus naves Citthim venturas, quæ Antiochi conatus frangant, & reddant irritos: quod Popilii legatione factum eſſe ſatis liquet. Quod ad præſentem locum ſpectat, primum Græci duce Alexandro tam Judæam quam Aſſyriam afflixerunt: altera deinde afflictio ſequuta eſt à Romanis. Verum quoniam de Chriſti regno vaticinari cœpit Balaam, probabile eſt Romanos una cum Græcis comprehendi. Hinc vero clarius quod nuper admonui perſpicitur, filios Dei adeo non eximi à communibus malis ut promiſcue involvantur ſæpe cum incredulis, acſi eadem eſſet prorſus conditio: quia Hebræi Aſſyriis fiunt pares & calamitatum ſocii. additur tamen ſolatium, illos etiam ut Citthim perituros, ubi in Eccleſiam ſævierint. Quod tandem ſubjicit Moſes, Balaam reverſum eſſe ad ſuos, & Balac quoque rediiſſe ad locum ſuum, ad commendationem gratiæ Dei facit, qui perverſa impiorum conſilia diſcutit quaſi nebulas, & machinationes everrit: ſicut alibi hoc ſingulare beneficium in memoriam revocat Moſes. Michæas etiam inter alia Dei beneficia hoc extollit: Populc mi, inquit, recordare quale ioierit conſilium Balac rex Moab, & quid reſponderit ei Balaam. Summa ergo eſt, turpiter abiiſſe populi electi boſtes re infecta: quoniam Deus eos diſſipavit.

Dan. 11. *verſ.* 30.

Mich 6. *verſ.* 5.

NUMER. Cap. XXV.

POstquam autem manſit Iſraël in Sittim, cœpit populus ſcortari cum filiabus Moab.

2. Et vocaverunt populum ad ſacrificia deorum ſuorum: comeditque populus, & adoraverunt deos earum.

3. Et adjunxit ſeſe Iſraël ipſi Baal-peor, accenſuſque eſt furor Jehovæ contra Iſraëlem.

4. Et dixit Jehova ad Moſen, Aſſume omnes principes populi, tunc ſuſpende eos Jehovæ, coram ſole: & avertetur ira excandeſcentiæ Jehovæ ab Iſraële.

5. Dixit ergo Moſes ad judices Iſraël, Occidite quiſque viros ſuos qui adjunxerunt ſe ipſi Baal-peor.

6. Et ecce, quidam de filiis Iſraël venit, & adduxit fratribus ſuis Madianitidem in oculis Moſis atque in oculis totius congregationis filiorum Iſraël: ipſi autem flebant ad oſtium tabernaculi conventionis.

7. Quod quùm vidiſſet Phinees filius Eleazar filii Aharon ſacerdotis, ſurrexit de medio congregationis, & accepit lanceam in manu ſua.

8. Ingreſſuſque eſt poſt virum Iſraël in tabernaculum, & transfixit ambos ipſos, virum Iſraël & mulierem illam in ventre ejus: & repreſſa fuit plaga à filiis Iſraël.

9. Et fuerunt mortui plaga illa quatuor & viginti millia.

1. Poſtquam autem manſit.] Ex hac demum hiſtoria diſcimus populum nihilo magis proſperam fortunam tuliſſe quam adverſam. Antea vel laboris pertæſi, vel inediæ & famis impatientes, ſæpius tumultuati fuerant contra Deum: nunc ubi regionem habitabilem ingreſſi, confidunt in agris fructuoſis, commoda habitatione & amœniore victu incitantur ad laſciviam, ut fœdis cupiditatibus indulgeant. Narrat autem Moſes, poſtquam libidini ſuæ frena laxarunt, ad ſcortandum ſimul & ad idololatriam fuiſſe prolapſos. Videbimus poſtea conſilio Balaam id fuiſſe factum, ut Moabitæ fœminas ſuas proſtituerent Iſraëlitis, quæ ipſos pellicerent ſuis blanditiis ad impios cultus. Expertus erat Balaam, Dei favorem invictum eſſe propugnaculum omnibus noxis à populo arcendis. Rationem ergo invenit qua ſeipſos perdant, ſi non tantum ſe denudent protectione Dei, ſed iram ejus in ſe provocent. Hoc igitur flabello incendium excitavit Balaam dum miſeros illos cæca libidine inflammatos, ad aliud ſcelus impulit, quo Deum ſibi infeſtum redderent. Itaque Paulus hanc hiſtoriam citans, pœnam (cujus deinde fiet mentio) ſcortationi inflictam fuiſſe docet. Etſi enim Deo propoſitum fuit cultus ſui violationem ulciſci, principium tamen mali & fontem inſpicere convenit. Quemadmodum ſi quis ebrius hominem occideret, cædes ebrietati imputabitur: ita Paulus, ſcortatione impulſos eſſe videns Iſraëlitas ad idololatriam, propoſito pœnæ exemplo à ſcortatione nos abſterret, quæ prima illis fuit cladis cauſa, & eos peſſundedit. Porro quoniam ab uno malo ad alia tam proclivis eſt lapſus, eo attentius cavere diſcamus, ne Satan nos ſuis inſidiis illaqueet. Notemus etiam gradatim ipſum obrepere, quo nos circumveniat. Non ſtatim Moabitides puellæ filios Iſraël ſollicitarunt ad colenda idola, ſed eos ad epulas invitant, poſtea impellunt hac ratione ad idololatriam. Nam ſi de colendis idolis initio verba fuiſſent facta, exhorruiſſent forte ſceleris atrocitatem, ad quam ſe paulatim deduci paſſi ſunt. Jam epulo quod in honorem falſorum deorum celebrabatur, intereſſe, obliqua quædam erat veri Dei abnegatio: ubi tamen eouſque pertracti ſunt, excuſſo pudore ſeſe projiciunt ad extremum actum, ut veri & unius Dei honorem ad falſos & fictitios transferant.

1 Cor. 10. verſ. 8.

3. Et adjunxit ſeſe Iſraël.] Hac loquendi forma crimen exaggerat Moſes, quod ſe impio fœdere illigaverint cum idolo: ubi ad ſacram conjunctionem qua Deus ſe populo devinxerat alludit, atque ita eos inſimulat violatæ fidei & ſceleratæ defectionis. Et tamen probabile eſt non ſuperſtitione inductum fuiſſe populum: ſed mulierum fallaciis pellectum, idolis quæ ſpernebat cultum exhibuiſſe. Atqui audimus quid pronunciet Deus, altrictos fuiſſe idolo, quod per ſimulationem colebant, ut morem gererent improbis mulierum votis. Hinc ergo colligitur generalis doctrina, ubi à pura religione deflectimus, quodammodo nos pacifici cum idolis, ut cum ipſis in unum corpus coaleſcamus, & conſpirare in abnegationem veri Dei. Baal tunc omnibus fere idolis commune fuit nomen. Epitheton vero additur Moabitarum idolo à monte Peor. Neque enim videtur quærenda eſſe longior etymologia, quum nomen montis paulo ante fuerit expreſſum. Similis ergo fuit ratio atque in Papatu, dum ſuas Marias à locis denominant, ubi ſtatuæ magis famoſæ coluntur.

4. Et dixit Jehova ad Moſen.] Sæpius ante viſum eſt, Deum per ſe exercuiſſe ſuas vindictas, quaſi exerta è cælo manu: nunc has partes Moſi injungit. quanquam ex contextu apparet, non ipſum ſolum præſici exequutioni, ſed alios etiam judices. Continuo enim poſt ſequitur, Moſen judicibus idem mandaſſe: quibus verbis clarius exprimitur quod ob brevitatem obſcurum erat. Quicquid ſit, Dei judicium fuit memorabile, quamvis homines adhibuerit miniſtros. Nec fruſtra Paulus nos hoc documento hortatur ad cavendam ſcortationem. Pœnæ autem ratio fuit diverſa: quia promiſcuum vulgus cæſum fuit, duces autem ipſi patibulis affixi, quo plus terroris incuteret ſpectaculum. Per capita enim populi, eos intelligit qui exiſtimatione præſtabant, quorum inſignior debuit eſſe ignominia: quoniam in magnos & nobiles viros omnium fere conjecti ſunt oculi. unde etiam fit ut merito graviorem pœnam ſuſtineant, quia exemplo magis nocent quam homines obſcuri, quorum facta non tam facile ad imitationem trahuntur. Viderint igitur qui in pretio habentur, ne ſuis ſceleribus alios provocent ad peccandum: quia quo quiſque magis excellit, eo minus excuſationis meretur. Secus alii interpretantur, quaſi juſſus fuerit Moſes accerſere principes qui ſententiam ferrent de ſceleratis. Ita per pronomen Eos, intelligunt quoslibet reos qui fuerint convicti. Sed vix probabile eſt, tantam multitudinem fuiſſe ſuſpenſam: ideoque non dubito quin de peculiari ſupplicio agatur.

6. Et ecce, quidam.] Fœdum & deteſtabile præ aliis exemplum hic commemorat Moſes. Dubium non eſt quin plures in tanta licentia quæ jam aliquandiu paſſim graſſata erat, variis flagitiis tota caſtra repleverint. Sed hujus nequitiæ pluſquam effrenis fuit intemperies, quod impius iſte Dei contemptor, inter omnium gemitus & lachrymas Deo & hominibus proterve inſultavit, acſi de omni pudore

& vere-

& verecundia triumphum ageret. Flebat multitudo ad tabernaculum, nempe pii omnes qui propinquam cladem exhorrebant, quum certo perſuaſi eſſent non impune ceſſuram libidinem cum idololatria & ſacrilegiis conjunctam; hic perditus in medium prorumpit, & eorum lachrymas ludibrio habens, ſcortum quaſi in pompa traducit. Non mirum igitur ſi tanta ſeveritate uſus fuerit Deus, quum ad extrema ventum eſſet. Notandum vero eſt, inverſam eſſe hiſtoriæ ſeriem: quia credibile non eſt, poſtquam officio defungi cœperant judices, tale facinus fuiſſe editum. Sed hæc narratio inſeritur ut melius pateat quam neceſſe fuerit ad duram caſtigationem mature progredi: quoniam alioqui non poterat malo deſperato in tempore afferri remedium.

7. *Quod quum vidiſſet Phinees.*] Laudatur magnanimitas Phinees, quod aliis ceſſantibus, ſancto zelo ipſe accenſus, ad pœnam ſumendam profilierit. Tacite ergo reprehenditur aliorum deſidia, quorum tamen lachrymæ laudem merentur: ſed quoniam dolore prope obtorpuerant, non ab omni vitio pura fuit eorum virtus. Et certe quum effrenis adhuc licentia populi, ſpumas inſtar maris tempeſtuoſi ejiceret, mirum non eſt bonorum animos fractos vel debiles jacuiſſe. Quo præſtantior fuit zelus Phinees, dum tot improbos & ſceleratos in ſua laſcivia furentes laceſſere non dubitavit. Si quis objiciat, metas ſuæ vocationis exceſſiſſe, quia gladium quo divinitus armatus non erat, ad cædem arripuerit: in promptu eſt reſponſio, vocationem non ſemper adſtringi ad munus ordinarium, quia Deus interdum ſervis ſuis novas & inſolitas perſonas imponit. Quatenus ſacerdos erat Phinees, ejus non fuit crimen ulciſci: verum ſingulari Dei inſtinctu vocatus eſt, ut homo alioqui privatus, Spiritum ſanctum haberet ducem. Hæc quidem in exemplum trahi non debent, ut inde ſtatuatur communis regula: interim tamen manet ſua Deo libertas, ut privilegio ſervos ſuos ad res gerendas prout viſum fuerit præficiat. Cujus rei certum judicium fieri poteſt ab ejus approbatione: ſicuti firma ratione colligimus, ab ipſo gubernatum fuiſſe Phinees, quia mox pronunciavit ſibi facinus placere. quod ſimiliter in Pſalmo repetitur. Nunc ſi quis homo privatus, præpoſtero zelo ſe ad punien- *verſ.* 30. dum ſimile crimen ingerat, fruſtra ſe imitatorem Phinees jactabit, niſi cæleſtis mandati probe ſibi conſcius fuerit. Occurrat igitur ſemper nobis Chriſti reſponſum, quo diſcipulos compeſcuit quum vellent exemplo Eliæ precari ut ignecæleſti conſumerentur qui eos non receperant: Neſcitis cujus ſpiritus ſitis, inquit. Ergo ut Deo probetur zelus noſter, *verſ.* 55. prudentia ſpirituali temperari, & Dei auctoritate regi neceſſe eſt: denique Spiritum ſanctum præire, ac dictare quid fectum ſit. *Pſ.al.* 106. *Luc.* 9.

9. *Et fuerunt mortui plaga illa.*] Videtur à Moſe diſcrepare Paulus, qui tantum viginti tria millia refert: verum ſcimus in numeris non ſemper teneri exactam rationem. Probabile eſt circiter viginti quatuor millia occiſos eſſe. Millenarium ergo unum detraxit Paulus, & citeriore numero contentus fuit: ex quo tamen perſpicere liceret quam ſevera & gravis fuiſſet ultio. qua nos doceri admonet ne ſcortando iram Dei provocemus. Sicuti enim prodigioſum eſt, fœda & pudenda labe tantam multitudinem fuiſſe infectam, ita nobis ante oculos ſubjicitur formidabile Dei judicium contra adulteros & ſcortatores. Etſi autem impiæ defectionis rei erant, jam tamen dictum fuit, merito pœnam adſcribi libidini, quæ ipſos ad idololatriam impulit.

Ex eodem Capite.

10. Tunc loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

11. Phinees filius Eleazar filii Aharon ſacerdotis avertit excandeſcentiam meam à filiis Iſraël, quum zelatus eſt ipſe zelum meum in medio eorum, & non conſumpſi filios Iſraël in zelo meo.

12. Idcirco dic, Ecce, ego do ei pactum meum, pacis.

13. Et erit ei & ſemini ejus poſt eum, pactum ſacerdotii perpetui, eo quod zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiavit filios Iſraël.

14. Porro nomen viri Iſraël percuſſi, qui percuſſus eſt cum Madianitide, erat Zimri filius Salu, princeps familiæ tribus Simeon.

15. Nomen vero mulieris occiſæ Madianitidis Chozbi filia Sur principis populorum, princeps domus paternæ in Madian erat.

16. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen, dicendo,

17. Angustiis affice Madianitas, & percutias eos:

18. Quia ipſi afflixerunt vos fraudibus ſuis, quibus fraudulenter egerunt contra vos in negotio Peor, & in negotio Chozbi filiæ principis Madian ſororis ſuæ, quæ percuſſa eſt in die plagæ propter Peor.

10. *Tunc loquutus eſt Jehova.*] His verbis oſtendit Deus ſe auctorem fuiſſe cædis: non tantum quia hoc modo placatus fuerit erga populum, ſed ubi zelum Phinees ſuum vocat. Quanquam peræque conveniet ſive paſſive ſive active accipias: nempe quod Phinees zelo vindicandæ gloriæ Dei fuerit accenſus, vel induerit ipſius Dei affectum. Utrumvis placeat, in ſeipſum transfert Deus quod geſtum fuerat à Phinees. Ubi autem ſe placatum fuiſſe teſtatur ſumpta pœna, ne meritoriam ſatisfactionem imaginemur, qua fingunt Papiſtæ redimi pœnas coram Deo. Etſi enim juſtæ ſcelerum vindictæ ſacrificia ſunt boni odoris, minime tamen placula ſunt ad Deum reconciliandum. Deinde non agitur hic de compenſatione: ſed ratio placandi Dei fuit, quod tam ſevera ultione cohibita fuit populi impietas, quæ ad iram ejus inflammandam quaſi flabellum erat. Itaque in Pſ. 106. non operi Phinees, ſed tantum precationi placatio tribuitur, quia pro jure ſacerdotali ſupplex interceſſerit. Interea tamen verum eſt illud Pauli, *1 Cor.* 11. non judicari à Deo qui ſponte ſeipſos judicant, quia *verſ.* 31. ſua pœnitentia quodammodo prævenunt ejus judicium. Merces vero promittitur ipſi Phinees, ſacerdotium perpetuum. Si quis objiciat, nihil novum hoc modo eum conſequi, quia jam ex Legis præſcripto certus erat patris ſucceſſor; reſpondeo, non eſſe novum ut quod jam ante gratis pollicitus eſt Deus, mercedis nomine ſe daturum pronunciet. Sic quod Abrahæ dictum fuerat ante natum Iſaac, poſtquam eum mactare paratus fuit, iterum repetitur, Quia *Geneſ.* 22. non peperciſti filio tuo, ideo benedicam tibi, & in *verſ.* 16. ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Deinde non ſimpliciter de jure unius hominis hic agitur, ſed de ſucceſſione continua: acſi promitteret Deus, nunquam interiturum ejus ſemen. Et certe mutatio quæ ſub principium Solomonis contigit, huic promiſſioni

miſſioni non repugnat: quia probabili ratione colligitur, Sadoc non minus quam Abiathar fuiſſe progenitum ex genere Phinees. Pactum autem hoc, pacis dicitur, quia ſtabile futurum erat: ideo commode verti poſſet, Pactum meum in pace. Certe felicem ſucceſſum deſignat, acſi dixiſſet, Phinees cum ſuis poſteris proſpere ſacerdotio functuros.

14. *Porro nomen viri.*] Sicuti memoria juſtorum benedicta eſt, ita fœdi ſceleris auctorem perpetuæ ignominiæ damnari æquum fuit. Quod vero ad totam tribum pars dedecoris rejicitur, hinc apparet quantopere Deo diſpliceriť tanta atrocitas. Etſi enim non ſimpliciter trahitur in ſocietatem ſceleris tribus Simeon, inuritur tamen communis infamiæ nota ad omnes humiliandos, ut diſcat pro ſe quiſque quos è ſuis cognatis peccantes viderit ſevere caſtigare, non autem fovere eorum vitia ſi generis auctori conſultum eſſe cupit. Jam quod tam Zimri quam mulier Madianitis ex nobilibus & primariis familiis fuiſſe memoratur, non tantum docemur judicium Dei eſſe *προσωποληπτον*, ubi dignitati non parcit, ſed quo quiſque in altiori honoris gradu locatus eſt, ſi turpiter ſe gerat, eo majoribus probris eſſe expoſitum: quia ſplendor ipſe magis conſpicua reddit hominum facta. Quoniam autem paterna domus ſcorti, dicitur fuiſſe in Madian, conjiciunt nonnulli natam fuiſſe in terra Moab, vel ſaltem apud cognatos maternos fuiſſe illic educatam: verum quia res levis eſt, eam in medium relinquo.

17. *Anguſtiis affice Madianitas.*] Quum paſſim ſuos arceat Deus à vindicta, mirum eſt nunc populum Iſraël ad eam ſtimulari: quaſi vero non plus ſatis jam propenſus eſſet ad ſe ulciſcendum. verum tenendum eſt, quum Deus qui juſtus eſt ſcelerum vindex, ſæpe utatur hominum opera, & eos conſtituat legitimos exercendæ ſuæ vindictæ miniſtros: non damnari ſine exceptione quamlibet vindictam, ſed ad quam homines ipſos impellit carnis affectus. Læſus eſt quiſpiam, ſtatim privata ſua injuria accenſus ad ulciſcendi cupiditatem rapitur. hic manifeſtum eſt vitium. Si quis autem recto & compoſito Dei zelo ad pœnam expetendam agitur, non ſuam ipſius cauſam, ſed Dei agendam ſuſcipit. Noluit igitur Deus populi ſui iracundiæ frena laxare, ut pro violento ejus impetu rependeret Madianitis quod meriti erant: ſed ſuo gladio armavit ad eos puniendos: acſi pronunciaret, juſtam fore belli cauſam, nec timendum eſſe ne crudeles eſſent, tam noxios hoſtes delendo. Etſi autem fraudem hanc excogitaverat ſolus Balaam, culpa tamen in totum populum vertitur. Interea ſuſpenditur Moabitarum pœna, qui tamen in ſpeciem gravius nocuerant. Quia hic non apparet certa ratio cur alios clementer ſuſtinet Deus, ad aliorum vero pœnam cito properet, diſcamus reverenter ſuſpicere ejus judicia, & in illis excutiendis non plus nobis ſumere quam fas eſt. Nobis ſatis ſit hac de cauſa indictum fuiſſe legitimum bellum Madianitis, quia per ipſos non ſteterat quominus ſceleſta impietate ſe peſſundaret populus Iſraël.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Deut. IV.

3. Oculi veſtri viderunt quæ fecit Jehova propter Baal-Peor. omnem enim hominem qui perrexerat poſt Baal-Peor, perdidit Jehova Deus tuus è medio tui.

4. Vos autem qui adhæſiſtis Jehovæ Deo veſtro, vivitis univerſi hodie.

3. *Oculi veſtri.*] Certius teſtatur hæc expoſitio, adeo conſpicuum fuiſſe pœnæ exemplum, ut ne rudiſſimos quidem lateret: compellat enim Moſes non qui pollerent judicio, ſed quoslibet è vulgo, qui tantum ſpectatores fuerant. Certe ſi obſcurior fuiſſet Dei vindicta, non tam confidenter eos citaſſet teſtes: quo minus excuſabilis fuit eorum ſocordia, ſi in re tam clara & probe cognita cæcutirent. Porro quod eorum conſtantiam laudat, reſtringo ad actum præſentem: quia ſatis patet non continuo tenore eos adhæſiſſe Deo. Senſus eſt, in illa Dei ultione manifeſtum fuiſſe diſcrimen, ut mors impiæ multitudinis apud ſuperſtites aſſereret purum ejus cultum.

NUMER. Cap. XXVI.

ET fuit, poſt plagam loquutus eſt Jehova ad Moſen & Eleazar filium Aharon ſacerdotis, dicendo,

2. Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël, à filio viginti annorum & ſupra, per domum patrum ſuorum, omnium egredientium ad bellum in Iſraële.

3. Itaque loquutus eſt Moſes & Eleazar ſacerdos cum illis in campeſtribus Moab, juxta Jordanem Jericho, dicendo,

4. Numerate univerſam congregationem filiorum Iſraël, à filio viginti annorum & ſupra: quemadmodum præceperat Jehova Moſi & filiis Iſraël qui egreſſi erant è terra Ægypti.

5. Reuben fuit primogenitus Iſraëlis. filii Reuben fuerunt aliquot: de Henoch fuit familia Henochitarum: de Phallu, familia Phalluitarum.

6. De Heſron, familia Heſronitarum: de Charmi, familia Charmitarum.

7. Iſtæ ſunt familiæ Reubenitarum: & fuerunt numerati eorum, tria & quadraginta millia ſeptingenti & triginta.

8. Et ex filiis Phallu, Eliab.

9. Filii autem Eliab, Nebuel, Dathan & Abiram: iſti ſunt Dathan & Abiram majores ſynagogæ qui rixati ſunt contra Moſen & Aharon in congregatione Core, quum rixarentur ipſi contra Jehovam.

10. Et aperuit terra os ſuum, & deglutivit eos & Core, quando mortua eſt congregatio, dum conſumpſit ignis ducentos quinquaginta viros: qui fuerunt in ſignum.

11. Filii vero Core non ſunt mortui.

12. Filii

12. Filii Simeon per familias ſuas: de Nemuel, familia Nemuelitarum: de Jamin, familia Jaminitarum: de Jachin, familia Jachinitarum.
13. De Zare, familia Zareitarum: de Saul, familia Saulitarum.
14. Iſtæ ſunt familiæ Simeonitarum, duo & viginti millia & ducenti.
15. Filii Gad per familias ſuas: de Sephon, familia Sephonitarum: de Haggi, familia Haggitarum: de Suni, familia Sunitarum.
16. De Ozni, familia Oznitarum: de Eri, familia Eritarum.
17. De Arod, familia Aroditarum: de Areli, familia Arelitarum.
18. Iſtæ ſunt familiæ filiorum Gad juxta numeratos ſuos, quadraginta millia & quingenti.
19. Filii Jehudah, Er & Onan: & mortuus eſt Er & Onan in terra Chanaan.
20. Fuerunt inquam filii Jehudah per familias ſuas: de Selah, familia Selanitarum: de Phares, familia Pharefitarum: de Zare, familia Zareitarum.
21. Fuerunt autem filii Phares: de Heſron, familia Heſronitarum: de Hamul, familia Hamulitarum.
22. Iſtæ ſunt familiæ Jehudah per numeratos ſuos, ſex & ſeptuaginta millia & quingenti.
23. Filii Iſſachar per familias ſuas: de Thola, familia Tholaitarum: de Phua, familia Phuitarum.
24. De Jaſub, familia Jaſubitarum: de Simron, familia Simronitarum.
25. Iſtæ ſunt familiæ Iſſachar juxta numeratos ſuos, quatuor & ſexaginta millia ac trecenti.
26. Filii Zabulon per familias ſuas: de Sered, familia Sereditarum: de Elon, familia Elonirarum: de Jahleel, familia Jahleelitarum.
27. Iſtæ ſunt familiæ Zabulonitarum juxta numeratos ſuos, ſexaginta millia & quingenti.
28. Filii Joſeph per familias ſuas: Menaſſe & Ephraim.
29. Filii Menaſſe: de Machir, familia Machiritarum. & Machir genuit Galaad: de Galaad, familia Galaaditarum.
30. Iſti ſunt filii Galaad: de Jezer, familia Jezeritarum: de Helec, familia Helecitarum.
31. Et de Aſriel, familia Aſrielitarum: de Sechem, familia Sechemitarum.
32. Et de Semida, familia Semidatarum: & de Hepher, familia Hepheritarum.
33. Et Salphaad filio Hepher non fuerunt filii, ſed filiæ: quarum hæc nomina, Malhah & Noah, Hoglah & Milchah, & Thirſah.
34. Iſtæ ſunt familiæ Menaſſe: numerati autem eorum, duo & quinquaginta millia & ſeptingenti.
35. Iſti ſunt filii Ephraim per familias ſuas: de Suthelah, familia Suthelitarum: de Becher, familia Bechritarum: de Thahan, familia Thahanitarum.
36. Et iſti ſunt filii Suthelah: de Eran, familia Eranitarum.
37. Iſtæ ſunt familiæ filiorum Ephraim juxta numeratos ſuos, triginta duo millia & quingenti. iſti ſunt filii Joſeph per familias ſuas.
38. Filii Benjamin per familias ſuas: de Bela, familia Belitarum: de Asbel, familia Asbelitarum: de Ahiram, familia Ahiramitarum.
39. De Sephupham, familia Suphamitarum: de Hupham, familia Huphamitarum.
40. Fuerunt autem filii Bela, Arde & Nahaman: de Arde, familia Arditarum: de Nahaman, familia Nahamanitarum.
41. Iſti ſunt filii Benjamin juxta familias ſuas & numeratos ſuos, quadraginta quinque millia & ſexcenti.
42. Iſti ſunt filii Dan per familias ſuas: de Suham, familia Suhamitarum. iſtæ ſunt familiæ Dan per familias ſuas.
43. Omnes familiæ Suhamitarum juxta numeratos ſuos, ſexaginta quatuor millia & quadringenti.
44. Filii Aſer per familias ſuas: de Imnah, familia Imnahitarum: de Iſvi, familia Iſvitarum: de Beriah, familia Beriitarum.
45. De filiis Beriah: de Heber, familia Hebritarum: de Malchiel, familia Malchielitarum.
46. Nomen autem filiæ Aſer erat Sarah.
47. Iſtæ ſunt familiæ filiorum Aſer juxta numeratos ſuos, quinquaginta tria millia & quadringenti.
48. Filii Nephthali per familias ſuas: de Jeſiel, familia Jeſielitarum: de Guni, familia Gunitarum.
49. De Jeſer, familia Jeſrilitarum: de Sillen, familia Sillenitarum.

50. Istæ sunt familiæ Nephthali per familias suas: numerati autem eorum, quadraginta quinque millia & quadringenti.

51. Isti sunt numerati filiorum Israël, sexcenta millia, & mille septingenti ac triginta.

52. Loquutus est autem Jehova ad Mosen, dicendo,

53. Istis dividetur terra illa in possessionem secundum numerum nominum.

54. Numerosiori dabis possessionem majorem, & pauciori diminues possessionem suam: unicuique secundum numeratos suos dabitur hæreditas sua.

55. Veruntamen sorte dividetur terra, per nomina tribuum patrum suorum hæreditatem accipient.

56. Secundum sortes dividetur hæreditas ejus inter multum & paucum.

57. Isti autem sunt numerati Levitarum per familias suas: de Gerson, familia Gersonitarum: de Cehath, familia Cehathitarum: de Merari, familia Meraritarum.

58. Istæ sunt familiæ Levitarum: familia Libnitarum, familia Hebronitarum, familia Mathlitarum, familia Musitarum, familia Corhitarum. Cehath autem genuit Amram.

59. Nomen vero uxoris Amram Jochebed filia Levi, quam peperit ipsi Levi in Ægypto: & quæ peperit ipsi Amram, Aharon & Mosen, & Mariam sororem eorum.

60. Natique sunt ipsi Aharon, Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar.

61. Porro mortui sunt Nadab & Abihu dum offerrent ignem alienum coram Jehova.

62. Et fuerunt numerati eorum, viginti tria millia: omnes mares à filio mensis & supra. non enim numerati fuerant inter filios Israël, quod data non sit illis hæreditas inter filios Israël.

63. Isti sunt numerati Mosis & Eleazar sacerdotis, qui numeraverunt filios Israël in campestribus Moab juxta Jordanem Jericho.

64. Inter istos autem non fuit quisquam de numeratis Mosis & Aharon sacerdotis qui numeraverant filios Israël in deserto Sinai.

65. Dixerat enim Jehova de illis, Moriendo morientur in deserto. & non fuit superstes ex eis quisquam, nisi Caleb filius Jephuneh, & Josue filius Nun.

1. *Et fuit, post plagam.*] Secundum hunc censum à Mose actum esse legimus: ex capite tamen 38. Exodi colligere promptum est, fuisse ordine tertium saltem. Quanquam magis probabile est, vel quotannis, vel statis temporibus nomen dedisse qui ad annos viginti pervenerant. Atqui numerus populi inde colligi non poterat, nisi fieret mortuorum comparatio. hoc quidem extra controversiam est, ter fuisse censos in deserto qui in viros adoleverant. Et id elicitur ex contextu: quia quarto versu dicitur, hanc recognitionem esse factam sicuti præceperat Deus Mosi & filiis Israël qui egressi fuerant ex Ægypto. Unde apparet, non tantum morem ab initio receptum, instar regulæ sequutos esse, sed populum rursus censeri, sicuti prius in deserto Sinai census fuerat. Unde iterum probabilis conjectura ducitur, nullum, à quo tempore illinc egressi fuerant, intermedium fuisse exemplum simile. Illic enim refert Moses quot talenta confecta fuerint ex tributo populi, & capita numerat, sexies centum millia cum quinquaginta & quingentis. Atqui postea subjicit, quum castra moverent è monte Sinai, censum ex Dei mandato actum esse. sed hanc rem (de qua alibi dictum fuit) levius prætereo. Nunc videndum est quo consilio censeri voluerit Deus populum suum antequam in possessionem terræ promissæ eum induceret. Intra annos quadraginta tota militaris ætas perierat: multi immatura morte abrepti fuerant: imo una clades nuper abfumpserat viginti quatuor millia: quis non putasset quarta fere parte imminutum esse populum? Quod ergo reperitur quæ ante fuerat multitudo, pro singulari miraculo ducendum. Fuit hoc memorabile documentum iræ Dei, ex sexcentis & tribus millibus nullum manere superstitem præter duos: sed continua sobole ita renovari populum, ut post exactum tempus, æquarent posteri numerum priorem, inæstimabilis Dei gratiæ opus fuit. Ita in illo formidabili judicio, quo sceleratum populum ultus est Deus, resplenduit promissionis ejus veritas. Dictum fuerat Abrahæ, Multiplicabo semen tuum ut stellas cæli & arenam maris: hanc benedictionem minime obscurari decuit quo tempore altera pars promissionis implenda erat, Semini tuo dabo terram hanc. Ergo pœnis ita affuefactus fuit populus ad Deum timendum, ut paterni favoris gustum non amitteret. Et Deus judicia sua fic temperat erga Ecclesiam, ut in media indignatione semper misericordiæ recordetur, quemadmodum dicit Habacuc. Hæc ratio est ut numeratus populus fuerit statim post plagam inflictam; quo magis conspicuum esset, mirabiliter à Deo fuisse provisum ne qua post recentem tot hominum interitum appareret diminutio. *Habac. 3. vers. 2.*

8. *Et ex filiis Phallu.*] Inseritur quæ in nobili familia acciderat concisio, vel ad commendationem gratiæ Dei, quod accepta tanta jactura, nihilominus populosa fuerit tribus Ruben: vel ad causam diminutionis notandam: quia alioqui absurdum videri poterat, alias tribus eam multitudine superare, cujus tamen auctor & pater erat primogenitus Jacob. Ubi vero deletos cum suis fuisse commemorat duos filios Eliab, breviter attingit clementiam Dei erga filios Core, quibus pepercit. Et certe hoc non vulgare fuit misericordiæ specimen, non modo eos à clade servare immunes, sed ex radice maledicta furculos postea excitare, in quibus fulgerent spirituales ejus divitiæ in communem Ecclesiæ usum. Scimus enim quam honorifica sæpius fiat mentio ejus familiæ. Et probabile est, quosdam fuisse Psalmorum auctores: atque ita spiritu Prophetico donatos, quum nemo tunc forte ex sacerdotibus tali dono polleret. Hæc est profunda in variis & inæqualibus Dei judiciis abyssus, quam sobria humilitate revereri convenit. Interea una voce subindicat Moses cur iterum eandem recitet historiam: quia debuit formidabile genus mortis trahi in perpetuum exemplum. DJ enim, quod proprie Hebræis est signum aut vexillum, sæpe pro portento capitur quod in admirationem rapit sensus hominum, & simul animos metu percellit.

19. *Filii Jehudah.*] Quum tam numerosa fuerit tribus Juda, gratiæ Dei magnitudinem hac circumstantia amplificat Moses, quod ex tribus filiis quos genue-

genuerat, duo perierint in terra Chanaan, qua orbitate videri poterat damnatus perpetuæ sterilitatis. Cumulus vero incomparabilis misericordiæ accessit, dum filii duo ex pudenda origine, & incesto coitu nati, in tanrum populum excreverunt.

28. *Filis Joseph.*] Notanda est comparatio inter duas tribus ex uno capite progenitas. Quod unius tantum filii pater fuit Manasse: ita tunc præludio quodam comprobatum fuit vaticinium Jacob, dum pronunciavetat primogenitum fratre suo Ephraim qui minor natu erat, minorem fore. Interea tamen longe lateque diffusa fuit Dei benedictio ad genus ipsius propagandum, ut tribum Ruben numero superaverinr. Porro quum [illegible] qua præstabant posteri Ephraim, quædam esset fœcunditatis imago: excellentia tamen & dignitas de qua vaticinatus fuerat Jacob, in longum tempus dilata fuit: quia in hoc censu tertia circiter parte inferior fuit tribus Epbraim, cui tamen promissa fuerat major copia. Quamvis ergo non frustra loquutus esset Deus, rei exhibitio non statim apparuit. In tribu vero Dan sese exeruit incredibilis Dei virtus. Contemptibilis erat inter fratres: quanquam jam gradus imperii concessus fuerat bis verbis, Dan judicabit populum suum: id tamen pronunciabar Jacob tanquam incredibile. Unum duntaxat filium genuisse dicitur: interea posteritas ejus sexaginta quatuor millia transcendit.

52. *Isti sunt numerati.*] Hac summa clarius exprimitur quod ante attigi, inter diversas clades, præsertim vero in terribili Dei vindicta, incredibili modo servatum fuisse Abrahæ genus, ne effectus promissionis in exigua tantum hominum manu exstarer. Natura ipsa & communis ratio ferebat, ut pauci tantum fruerentur terra promissa: quod si ad paucitatem bominum redacta fuisset hæreditas, quodammodo obruta latuisset Dei promissio. Mirabiliter ergo intra annos triginta octo, plus sexcentis & tribus millibus bominum extinctis, effecit tamen Deus, ut idem maneret capirum numerus, duobus tanrum millibus & quingentis exceptis. Certe velut ter & quater cæcos esse oportet qui admirabilem Dei providentiam & fidem gratuitæ adoptionis, constantiamque in servandis promissis non intuentur in tam illustri speculo. Simul clare apparet quod ante ex Deuteronomio citavi, eos qui fuerunt superstites, palam admooitos fuisse clade illa, ne ad superstitiones unquam deficerent.

53. *Istis dividetur terra.*] Hoc ad animandos fideles non parum valuit, quum nomina darent coram Deo, & profiterentur se terræ hæredes: quia perinde erat acsi rem manu tenerent, ubi Deus ad certam possessionem eos vocabat. Empbatice enim ponitur demonstrativum pronomen, ne se longius differri existiment, ac sibi promitti quod posteros demum maneret. Rei ergo exhibitio & præsentia notatur, ubi Deus præcipit iis qui numerati jam erant, & quorum extabant nomina in publicis tabulis, terram dividi. Deinde præscribitur jus analogicum, ut pro numero capitum sua quibusque distribuatur portio. Nunc tenemus in eum finem fuisse recognitos, & quasi lustratos, ut se alacrius ad terræ promissæ fruitiuoem accingerent.

57. *Isti autem sunt numerati Levitarum.*] Seorsum agit de tribu Levi, quam Deus à reliquo populo separaverat. Inter filios Levi, ultimum commemorat Cehath auctorem sacerdotalis familiæ. Unde probabili coojectura elicitur, non spectatum fuisse primogenituræ ordinem, ubi Deus sacerdotes inde sumere dignatus est. Cur vero matris suæ nomen exprimat Moses præter consuetum Scripturæ morem, non satis liquet. Neque enim consentaneum est id feciſſe ad commendationem sui generis: quia simul docet se cum liberis suisse honore dejectum. ubi certe nulla apparet ambitio. Verisimilius est, si nomen Filiæ stricte accipitur in primo gradu, quod probosum erar non tacuisse, quo Dei indulgentiam magis extolleret. nam boc modo progeniti ex incestuoso conjugio essenr Moses & Aharon, quandoquidem Amram pater Aharon amitam duxisset uxorem, quod repudiabat naturæ verecundia. Potius ergo erit ingenua domesticæ infamiæ confessio, quam ambitiosum præconium. Si quæratur quomodo id toleratum fuerit: in promptu est responsio, sic invaluisse tunc licentiam apud Orientales populos, ut nemo putaret illicitum quod passim apud omnes in usu erat. Idque vidimus antea diserte notari, ubi Deus, incestuosa conjugia vetando, populum suum ab aliis gentibus discernit. Nihil ergo mirum, si nondum Lege Dei prohibiti, vulgatum morem sequuti sunt.

60. *Natique sunt ipsi Aharon.*] Quum ex quatuor filiis duo subita morte fuerunt abrepti, periclitari visa est summi sacerdotii dignitas, quæ à duorum hominum vita pendebat. Atque boc consilio historiam prius narratam repetit Moses, ut in conservatione ejus ordinis, cui annexa erat totius Ecclesiæ salus, clarius cernatur admirabilis Dei providentia. Certe nisi in aliis familiis longe major viguisset fœcunditas, tota tribus Levi perquam exiguo numero constitisset. Imo si fiat comparatio, incredibilis erit copia, ubi viginti tria millia numerantur, quum duo tantum capita cum suis liberis haberent genus sacerdotale. Sed Deus Ecclesiæ suæ excellentiam per modos & gradus humanitus incognitos ad summum attollit, quo melius in hac bumilitate emineat ejus potentia. Porro causa mortis itetum exprimitur, ut exemplo admoniti sacerdotes, non tantum à voluntariis sacrilegiis, sed ab errore & negligentia diligentius sibi caveant.

63. *Isti sunt numerati Mosi & Eleazar.*] Priores recogniti fuerant sub Aharon. Discrimen ergo notatur inter duos census: ut ita sibi transitum faciat Moses ad commemorandum Dei judicium quod nunquam satis attente expendi potest, ex sexcentis millibus tantum duos fuisse repertos qui tempus à Deo præfixum supetarent. Si quis excipiat, maximam partem suo fato esse defunctam, qui jam annum tricesimum & quadragesimum, imo quinquagesimum excesserant, atque ita octogenarii fuissent ante completum boc tempus quadraginta annorum: fateor id vetum esse: sed multi nondum vicesimum quartum annum attigerant. Nec dubium quin ex illis non pauci fuerint juniores Josue & Caleb, quos scimus non modo vegetos fuisse & integros multis post annis, sed etiam robustos. Ergo, ut minimum, dimidiam partem non senectus, sed Dei ultio immatura morte abstulit, acsi eos sua manu palam è cælo ferirer. Itaque non abs re Moses recitar mortuos esse, sicuti prooouncia verat Deus: non tantum, ut pœna de illis sumpta nos ad timorem Dei erudiat, sed ut discamus ad ejus minas serio expergefieri.

NUMER. Cap. XXVII.

ACcesserunt autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Menasse de familiis Menasse, filii Joseph: hæc vero sunt nomina filiarum ejus, Malhah, Noah, Hoglah, & Milchah, & Thirsah.

2. Hæ steterunt coram Mose & coram Eleazar sacerdote, & coram principibus atque universa congregatione ad ostium tabernaculi conventionis, dicendo,

3. Pater noſter mortuus eſt in deſerto: qui tamen non fuit in congregatione quæ congregata fuit adverſus Jehovam, in congregatione Corah: quia in peccato mortuus eſt, & filii non fuerunt ei.

4. Quare tolletur nomen patris noſtri de medio familiæ ſuæ, propterea quod non ſit ei filius? da nobis hæreditatem inter fratres patris noſtri.

5. Retulit autem Moſes cauſam earum coram Jehova.

6. Et reſpondit Jehova ad Moſen, dicendo,

7. Rectum filiæ Salphaad loquuntur: dando dabis eis poſſeſſionem hæreditatis in medio fratrum patris ſui, & transferes hæreditatem patris earum ad eas.

8. Ad filios autem Iſraël loqueris, dicendo, Quum quis mortuus fuerit, & filius non fuerit illi, tum transferetis hæreditatem ejus ad filiam ipſius.

9. Quod ſi non fuerit ei filia, tunc dabitis hæreditatem ejus fratribus ipſius.

10. Si vero non fuerint ei fratres, tunc dabitis hæreditatem ejus fratribus patris ipſius.

11. Quod ſi non fuerint fratres patri ipſius, tunc dabitis hæreditatem ejus propinquiori illi de familia ipſius, hæreditateque accipiet illam: erit autem iſtud filiis Iſraël in ſtatutum judicii, quemadmodum præcepit Jehova Moſi.

1. *Acceſſerunt autem.*] Inſeritur hiſtoria de filiabus Salphaad ex progenie Machir, quæ poſtularunt admitti in partem hæreditatis: quia nullus erat maſculus ſucceſſor patri earum. poterat autem ambigua videri definitio hujus cauſæ, niſi Dei reſponſo ſublata dubitatio eſſet. Nam quum in Lege nullum detur fœminis nomen, non debuit in terræ portione earum haberi ratio. Et certe hoc jus commune præſcripſit Deus: ſed nunc ſpecialis ponitur exceptio, quoties domus una carebit hæredibus maſculis, ne ejus memoria intercidat, ut fœminæ ſuccedant. Scio id poſſe agitari, quia rationes occurrunt in utramque partem: verum nobis ſufficiat quod Deus interpoſuit decretum. Etſi autem de privata ſua utilitate coram Moſe litigant, diſceptatio tamen ex bono principio manavit: quia de ſucceſſione non adeo ſollicitæ fuiſſent, niſi perinde apud eas valuiſſet Dei promiſſio acſi jam in poſſeſſionem mitti poſtularent. Nondum ingreſſi erant terram, nec hoſtes profligaverant: fretæ tamen teſtimonio Moſis, jus ſuum non ſecus perſequuntur acſi eo ipſo die tranquilla eſſet perceptio. Idque ad totius populi confirmationem valuit, dum Moſes conſuluit Deum tanquam de re ſeria, & ex oraculo pronunciavit quid rectum ac æquum eſſet. Diſceptatio enim coram omnibus habita, animos erigere debuit, ut ſaltem fœminas imitarentur.

3. *Pater noſter mortuus eſt.*] Rationem adducunt minime ſpernendam, quod mortuus fuerit pater ex quo Deus ad præſentem terræ fruitionem populum vocaverat: nam ſi longius producta fuiſſet diſceptatio, multas lites gignere poterat. Ergo reſtrictio ex temporis circumſtantia jus earum adjuvit. Secundo objiciunt, patrem nullo crimine eſſe promeritum cur abdicaretur à communi ſorte. nam ſub conſpiratione Dathan & Abiram (meo judicio) per ſynecdochen comprehenduntur alia ſcelera, quorum pœna poſteros conſtringat. Ideo privatum ejus peccatum publicæ ignominiæ opponitur: ſic enim interpretor quod dicunt mortuum eſſe in ſuo peccato. Ac certe pueriliter Judæi eum eſſe nugantur qui ligna collegerat Sabbatho, vel unum ex eorum numero qui interfecti ſunt morſu ſerpentum. Coactum vero eſt id referre ad maledictionem cui totum genus humanum ſubjectum eſt. Privatum itaque peccatum à publico ſcelere diſcernunt quod abdicatione dignum eſſet, ne deterior ſit patris conditio quam alterius cujuslibet. Interea principium retinent à communi pietatis ſenſu dictatum, Quia mors Dei maledictio eſt, peccati mercedem eſſe.

5. *Retulit autem Moſes cauſam.*] Credibile eſt vel ſententiis fuiſſe variatum, vel tanquam in re obſcura & ambigua ſuſpenſas fuiſſe judicum mentes. Utile quidem fuit legem ferri divinitus, ne qua in poſterum controverſia naſceretur. Nam ſi de re præſenti pronunciatum fuiſſet hominum ſententiis, nondum forte ſatis domita fuiſſet multorum obſtinatio. Notanda vero Moſis pia modeſtia, quem non pudet ignorantiam fateri, donec ex ore Dei fuerit edoctus. Atqui Legem quadraginta ante annis jam promulgaverat: ſed ad diſcendum ſemper fuit paratus. Minime porro dubium eſt quin Deus eum ad petenda oracula compulerit quoties actum fuit de rebus maxime ſeriis, donec omnibus numeris abſoluta eſſet doctrina. Etſi autem nunc Deus è cælo non profert quid factu opus ſit, monentur tamen Moſis exemplo gubernatores ad Deum confugere in negotiis perplexis, ut eos Spiritu prudentiæ inſtruat. quo certe non deſtituentur ſi eum implorent: quia non minus ad ipſos exaudiendos erit facilis quam erga Moſen ſe tunc oſtendit.

8. *Ad filios autem Iſraël.*] Hypotheſis occaſio ferendæ legis fuit, quæ perpetua & generalis eſſet regula quoad jus hæreditarium. Etſi autem filias Deus præfert aliis omnibus cognatis, ubi deeſt proles maſcula; excepto tamen primo gradu, ſolos maſculos ad ſucceſſionem admittit: atque ita uſitatum ordinem ſervat. Et certe, ſexus reſpectu, excludere ſuos hæredes perquam iniquum foret: verum ubi à ſuis ventum eſt ad alios legitimos, maribus ſua prærogativa conſtare incipit. Loquor de terra Chanaan, in qua non tantum nomen Abrahæ, ſed quo certior ac diſtinctior eſſet memoria, duodecim tribuum ſervari oportuit.

NUMER. Cap. XXXVI.

Acceſſerunt vero principes patrum è familia filiorum Gilad filii Machir filii Menaſſe de familiis filiorum Joſeph, & loquuti ſunt coram Moſe & coram principibus capitibus patrum filiorum Iſraël:

2. Ac dixerunt, Domino meo præcepit Jehova ut daret terram in poſſeſſionem ſorte filiis Iſraël: etiam domino meo præceptum eſt à Jehova ut daret poſſeſſionem Salphaad fratris noſtri filiabus ejus.

3. Quæ ſi alicui de filiis aliarum tribuum filiorum Iſraël dentur in uxores, minuetur hæreditas earum ab hæreditate patrum noſtrorum, addeturque hæreditati tribus quibus nupſerint, & de ſorte hæreditatis noſtræ minuetur.

4. Quumque

4. Quumque fuerit Jubilæus filiis Iſraël, addetur hæreditas earum hæreditati tribus quibus nupſerint: atque de hæreditate tribus patrum noſtrorum detrahetur hæreditas earum.

5. Præcepit itaque Moſes filiis Iſraël juxta ſermonem Jehovæ, dicendo, Rectum tribus filiorum Joſeph loquitur.

6. Hoc eſt quod præcepit Jehova de filiabus Salphaad, dicendo, Ut placebit illis, ſint in uxores: veruntamen familiæ tribus patris ſui ſint in uxores.

7. Ne transferatur hæreditas filiorum Iſraël de tribu ad tribum: nam filii Iſraël ſinguli adhærebunt hæreditati tribus patrum ſuorum.

8. Et omnis filia quæ poſſederit hæreditatem de tribubus filiorum Iſraël, uni de familia tribus patris ſui erit in uxorem, ut poſſideant filii Iſraël ſinguli hæreditatem patrum ſuorum.

9. Ne transferatur poſſeſſio de tribu ad tribum aliam: ſed ſinguli ex tribubus filiorum Iſraël hæreditati ſuæ adhærebunt.

10. Quemadmodum præceperat Jehova Moſi, ſic fecerunt filiæ Salphaad.

11. Nam Mahalah, Thirſah, & Hoglah, & Milchah, & Noah filiæ Salphaad, filiis patruorum ſuorum fuerunt in uxores:

12. His qui erant de familia filiorum Menaſſe filii Joſeph fuerunt in uxores, fuitque hæreditas earum tribui familiæ patris earum.

13. Iſta ſunt præcepta & judicia quæ præcepit Jehova per manum Moſis filiis Iſraël in campeſtribus Moab juxta Jordanem Jericho.

1. *Acceſſerunt principes patrum.*] Mirum videri poſſet, Deum mutilam deciſſe legem de ſucceſſionibus, acſi in mentem non veniſſet quod nunc recitabitur, donec à principibus familiarum admonitus fuit Moſes, iniquum eſſe transferri hæreditates: quod tamen futurum erat ſi in alias tribus abnuberent filiæ Salphaad, quando in ſorte tribus Manaſſe obtigerat illa portio. Quicquid enim accreſcebat extraneis, ſortis erat diminutio. Ergo ſicuti nuper conſuluit Deus privatis, ita nunc agitur de communi utilitate vel damno. Quid ergo ſibi vult, Deum nonniſi ex parte dimidia proſpexiſſe quid rectum eſſet? Equidem exiſtimo Deum ſic temperaſſe reſponſa, ut tantum rogatus ſuum cuique jus aſſignaverit. Veniunt filiæ Salphaad, & fidem Moſis ac ſeniorum implorant: earum precibus Deus obtemperat. Veniunt capita tribus, & diſceptationem movent de jactura translatitiæ ſucceſſionis. Cavetur ergo ne diteſcant aliæ tribus illorum jactura. In ſumma, quum poſſet ultro Deus occurrere, eorum poſtulationi concedere maluit qui nihil præter æquum & juſtum petebant. neque enim dicere licet hic accidiſſe quod plerumque ſolet, ut dum quiſque pertinaciter cauſam ſuam tuetur, & ad proprium commodum nimis attentus eſt, ut quæſtio quæſtionem pariat. Deus enim cauſa cognita pronunciat utramque partem nonniſi rectum petere. Sequitur ergo, Deum conſulto diſtuliſſe ſua decreta, donec ex re nata naſcerentur. Vulgare dictum eſt, de iis quæ raro contingunt leges nihil ſtatuere. Ita vulgo creditum fuiſſet legem eſſe ſupervacuam: ac præſertim aliquid detractum fuiſſet de auctoritate doctrinæ, ſi de re levi Moſes verba feciſſet, niſi præcunte materia. Denique de rebus dubiis & non magnis ſe familiariter interrogari paſſus eſt Deus, ut poſteri agnoſcerent, reſponſum ejus eſſe teſtimonium paternæ indulgentiæ. Interea tenendum eſt, ſi nos perinde tangat rerum cæleſtium cura atque filii Manaſſe de negotio terreno fuerunt ſolliciti, ſemper regulam quam obſervemus nobis fore in promptu.

2. *Domino meo præcepit Jehova.*] Speciem repugnantiæ objiciunt, quod terram ex Dei mandato ſortitæ fuerint tribus, nunc autem permiſceantur ſortes dum hæreditas ad aliam tribum devolvitur. Sumunt autem pro confeſſo fieri non poſſe ut Deus ſecum ipſe diſſideat. Ergo ad tollendam ἀντινομίαν addenda fuit interpretatio. Lex Dei (inquiunt) quæ inviolabilis manere debet, jubet terram ſorte diſtribui: qui nunc conveniet mulieres alio hæreditatem ſuæ tribus transferre? Ita remedium quærendo, ſe Dei imperio ſubjiciunt, & reverenter amplexantur quod præceperat. Adhæc, abſurdum quod inde ſequeretur amplificant: quia anno quinquageſimo, quo redeundum erat ad primam ſortem, tantundem fuiſſet detractum ex portione tribus Manaſſe, quantum abſtuliſſent ſecum filiæ Salphaad. Merito igitur decretum interponi poſtulant, quod duas priores leges conciliet, quæ alioqui videntur contrariæ.

3. *Præcepit itaque Moſes.*] Non legitur hic narratio ſimilis ſuperiori, quod negotium retulerit Moſes ad Deum: idem tamen brevius dicitur, quod Moſes reſponderit populo ex ore Dei. unde colligitur Deum conſuluiſſe. Porro non tantum pronunciat Deus ſecundum filios Manaſſe, ſed eorum poſtulationem approbat, quia ſua ſorte contenti ſibi vendicant quod ædimi ſine cæleſtis decreti violatione non poterat. Hac occaſione lex communis ſtatuitur, ne mulier cui obtigit hæreditas, extra ſuam tribum nubat, quia fraudaret ſuos gentiles dotali fundo. Hoc autem modo libera nubendi fœminis electio data fuit, modo hæreditati paternæ renunciarent. Videntur quidem latius patere verba, ne quis etiam vir niſi ex ſua cognatione uxorem accipiat: verum ſenſus legis ex cauſa ipſa petendus eſt. Porro dubium non eſt nunc promiſcua conjugia vetari, quatenus juris hæreditarii ordinem confundunt.

NUMER. Cap. XXXI.

ET loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Ulciſcere ultionem filiorum Iſraël de Madianitis, poſtea aggregaberis ad populos tuos.

3. Loquutus eſt itaque Moſes ad populum, dicendo, Accingant ſe ex vobis viri ad bellum, & ſint contra Madian, ut dent ultionem Jehovæ.

4. Mille de ſingulis tribubus, de omnibus tribubus Iſraël mittetis ad bellum.

5. Et traditi ſunt ex millibus Iſraël mille per ſingulas tribus, duodecim millia accincti ad militiam.

6. Quos miſit Moſes, mille de ſingulis tribubus ad bellum: miſit, inquam, illos & Phinees filium Eleazar ſacerdotis ad bellum, & vaſa ſancta, & tubæ clangoris erant in manu ejus.

7. Et pugnaverunt contra Madian, quemadmodum præceperat Jehova Moſi, & occiderunt omnem maſculum.

8. Reges quoque Madian occiderunt eum occiſis eorum, Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Reba, quinque reges Madian: & Balaam filium Beor occiderunt gladio.

9. Abduxerunt autem captivas filii Iſraël uxores Madianitarum, & parvulos eorum: atque omnia jumenta eorum, omniaque pecora eorum, & omnem ſubſtantiam eorum prædati ſunt.

10. Omnes quoque urbes eorum, per habitationes eorum, & omnes ædes combuſſerunt igni.

11. Tuleruntq; omnia ſpolia, & omnem prædam, tam de hominibus quam de jumentis.

12. Et adduxerunt ad Moſen & Eleazar ſacerdotem, & ad congregationem filiorum Iſraël, captivitatem, & prædam, & ſpolia ad caſtra ipſa in campeſtribus Moab, quæ ſunt juxta Jordanem Jericho.

13. Egreſſi ſunt ergo Moſes & Eleazar ſacerdos, & omnes principes congregationis in occurſum eorum extra caſtra.

1. *Et loquutus eſt Jehova.*] Inter alias prærogativas quibus Eccleſiam ſuam Deus ornavit, hæc celebratur, quod pios armaverit ad exercendam vindictam in Gentibus, ut exequantur in illis judicium ſcriptum. Etſi autem id fore ſub Chriſti regno pronunciat Spiritus, alludit tamen ad vetuſta exempla, ex quibus unum hic legitur memoratu dignum. Impia conſpiratione ſeſe Madianitæ extulerunt ad perdendum Dei populum. hujus crudelitatis vindictam ſuſcipiens Deus, ſingulare paterni erga Iſraëlitas favoris ſpecimen edidit: ſed eos conſtituens judicii ſui miniſtros, gratiam ſuam duplicat. Docet ergo hic locus quam ſollicitus fuerit Deus de ſalute populi electi, dum ejus hoſtibus ſe ita oppoſuit, acſi omnia vellet habere communia. Sed notanda ſimul beneficii acceſſio, quod ipſos Iſraëlitas, quamvis non eſſent extra culpam, dignatus eſt judices Madianitis præficere. Cæterum quum ubique ſuos à cupiditate vindictæ prohibeat, tenenda eſt diſtinctio inter hominum vindictam & ipſius Dei. Vult ſervos ſuos patientes injurias ferendo, vincere bono malum: interea ſe minime proprio imperio abdicat, quin penes ipſum maneat jus ulciſcendi. Imo Paulus fideles ad toleran-tiam hortari volens, ad hoc principium eos revocat, Deum ſibi ſumere vindicandi partes. Jam vero quia Deo liberum eſt non modo per ſe, ſed etiam per miniſtros vindictam, prout viſum eſt, exercere: non pugnant hæc duo, frenari piorum affectus verbo, ne læſi vindictam appetant, vel retalient illatas ſibi injurias, & tamen juſtos ac legitimos eſſe exequutores vindictæ Dei, ubi illis gladius in manum datur. Reſtat ut qui ad hoc munus vocatus eſt, ſincero zelo ſceleta vindicet, tanquam Dei miniſter, non autem privatam cauſam agens. Hic Deus munus ulciſcendi injunxit populo ſuo, ut minime tamen indulgeret carnis libidini. ſic enim animatos eſſe oportuit, ut parati eſſent ignoſcere Madianitis, & tamen ſtrenue ad ſumendam de illis pœnam ſe accingereot. Quod autem Deus erga Madianitas ſeverus judex Moabitis pepercit, factum eſt in gratiam Lot, qui pater erat gentis. Admonui autem jam pluribus locis, ubi mentis noſtræ captum ſuperant Dei judicia, ſobria humilitate dandam eſſe gloriam arcanæ ejus ſapientiæ & nobis incomprehenſibili. Nam qui in hac parte plus ſapere appetunt quam par eſt, ſeſe nimis efferendo, præcipiti audacia demergunt in profundam abyſſum, qua tandem abſorberi omnes eorum ſenſus neceſſe eſt. Moabitis pœnam remittere cur non eſſet in ejus arbitrio: & ſimul Madianitis rependere quam meriti ſunt mercedem? Adde quod nonniſi ad tempus Moabitis ignovit donec eos obſtinatio inexcuſabiles redderet, poſtquam non modo abuſi ſunt ejus tolerantia, ſed fratres ſuos a quibus humaniter tractati fuerant, tyrannice vexarunt. Porro voluit Deus vivo adhuc Moſe hoc poſtremo actu rurſus teſtatum facere ſuum erga populum amorem, ut animoſius ad poſſidendam terram pergerent. Hæc enim confirmatio non vulgaris fuit, quum viderent Deum ultro ad ipſos ulciſcendos occurtere. Moſi etiam profuit, ſub ipſo mortis articulo, novo experimento ſentire quam Deus curam gerebat de ſalute populi. Hilariter enim populum relinquere in cuſtodia Dei potuit, cujus manum illo tam recenti beneficio extentam cernebat, ad complendos omnes gratiæ ſuæ numeros. Quo etiam ſpectant Dei verba, Aggregaberis ad populum ruum: quæ in mortis ſolatium addita fuiſſe certum eſt. Cæterum alia feſtinandi ratio fuit: quia ſi expectata fuiſſet mors ſancti Prophetæ, forte auſi non fuiſſent Iſraëlitæ armis laceſſere gentem quietam, à qua nihil periculi vel moleſtiæ imminebat. Tanta autem apud eos vigebat Moſis auctoritas, ut facilius quam alius quiſpiam eos imperio obſequentes habuerit. Quanquam autem promiſcue tam reprobi quam fideles dicuntur morte colligi, vel aggregari ad ſuos populos, loquutio tamen hæc oſtendit homines ad immortalitatem natos eſſe: neque enim idem de brutis animalibus dicere quadraret, quorum mors ultimus eſt interitus, ubi nulla ſpes ſequitur alterius vitæ.

Pſal. 149. verſ. 7.

Rom. 13. verſ. 4.

3. *Loquutus eſt itaque Moſes.*] Non dubium eſt quin pertulerit Moſes quæ acceperat à Deo mandata. Etſi ergo exprimitur duodecim tantum millia ad bellum egreſſa fuiſſe, res tamen ipſa demonſtrat, numerum fuiſſe divinitus præſcriptum una cum bellandi tatione. Et certe parum conſiderate Moſes magnum populum tam exigua manu aggreſſus eſſet: atque adeo ſi id tentaſſet ſuo arbitrio, pœnam temeritatis merito dediſſet: præeunte autem Dei mandato negotium probe rectèque ſuſceptum, feliciter peregit. Nec vero dubium eſt quin hoc examine probare voluerit Deus ſuorum fidem. Nam ſecundum humanum ſenſum, amentiæ erat ſine cauſa periclitari: & in promptu erat exceptio, minime conſentaneum eſſe, quum præſto eſſent ſexcenta hominum millia, ad paucos reſtringere partes tam difficilis belli gerendi. Sicuti ergo poſtea Deus per quadringentos tantum homines duce Gedeon delevit ingentem exercitum Madian, ita ſub manu Moſis ſingula tantum hominum millia ex unaquaque tribu ad perdendam gentem illam armavit. Sola tribus Zebulon quinto plus militum dare poterat quam Deus ea toto populo accepit. Hoc igitur documento fidem ſuam probarunt, quando unius Dei auxilio freti, non dubitarunt contra hoſtes intrepide ruere. Et eventus ipſe melius illuſtravit gratiam ipſam quam ſi totis viribus pugnaſſent: quia tunc creditum fuiſſet, Madianitas infinita hominum copia obrutos fuiſſe. Sicuti ergo populus ſuam obedientiam prompto obſequio

ſequio teſtatus eſt, ita reipſa tandem expertus eſt, nihil melius eſſe quam ſe Deo ſubjicere, & proſperos rerum eventus ita relinquere in ejus manu ut ab ipſo ſolo pendeat fiducia. Cæterum ne qua tribus aliis ſeſe præferret, ex æquo ſingulæ milites dare juſſæ ſunt. Porro miſſus eſt cum illis Phinees, non tam ut manum conſereret cum hoſte, vel dux eſſet militaris, quam ut ad regendos & moderandos eorum animos nuncius Dei eſſet ac interpres. Continendi erant in Dei timore, ad ſpem victoriæ erigendi. Præfectus ergo fuit illis Dei ſacerdos, ut ſacrum eſſet bellum. quo etiam ſpectabant tubæ argenteæ, quibus, ex Legis præſcripto, alibi vidimus Levitas clangere ſolitos, ut palam fieret prælia non committi niſi cæleſtibus auſpiciis. Sub vaſis ſacris recte, meo judicio, Arcam fœderis comprehendi exiſtimant quidam interpretes.

7. *Et pugnaverunt.*] Præclarum obedientiæ exemplum, quod militiam diſcriminis plenam non detrectant duodecim hominum millia: quum objicere promptum eſſet, perperam fieri quod exponerentur veluti ad carnificinam, ſederet autem in caſtris otioſus populus, qui ſua multitudine, abſque magno negotio hoſtem fugaſſet ac profligaſſet. Non vulgare ergo documentum pietatis fuit, morem gerere Dei præcepto, nec ullum ignaviæ prætextum obtendere. Et Deus etiam reipſa monſtravit, ſe non temere projicere ſuos in diſcrimen: quia penes ipſum ſit eripere à centum mortibus quos recipit in ſuam cuſtodiam. unde etiam docemur, nullum eſſe melius ſalutis compendium quam ſequi quocunque vocat. Quæ deinde ſubjicit Moſes, ad perſeverantiæ laudem ſpectant, uno excepto. Recte maſculos omnes occiderunt uſque ad reges, quos in ſtrage ipſa vulgo fuiſſe permiſtos Moſes narrat: præſertim quod de Balaam vindictam ſumpſerunt, qui ſua aſtutia & infidiis conatus fuerat perdere Dei populum. Recte etiam prædati ſunt omnem regionem: nec minus probe & cordate ſe geſſerunt in urbibus ac oppidis delendis, quæ pigris & timidis illecebræ eſſe poterant ad manendum. Nam (ut prius viſum eſt) tollenda erant omnia impedimenta, ut populus liber & ſolutus in terram Chanaan pergeret: alioqui propoſito otio, libenter ſe multi privaſſent hæreditate promiſſa. Incendio igitur conſumptæ ſunt urbes, ne quid remoræ afferrent ſubſiſtere volentibus. Hactenus fideliter ſuis partibus defuncti ſunt electi milites: in uno lapſi ſunt, quod avaritia vel libidine impulſi, mulieres ſervarunt. qua de re mox videbimus.

11. *Tuleruntque omnia ſpolia.*] Continentiæ ſimul ac modeſtiæ fuit, prædam quam confuſe rapuerant, ad Moſen & Eleazar adducere. neque enim inanis fuit pompa, ſicuti multi jactanter opes quas volunt ſupprimere oſtentant: ſed animus fuit, in partitione acquieſcere Moſis decreto. Nam ubi paulo poſt Moſes dimidiam partem adjudicat populo, adeo non tumultuantur, ut ne obmurmurent quidem. Apparet igitur hac in parte, non minus fuiſſe morigeros quam dum initio arma ſumerent, & intrepide in prælium deſcenderent, aliis extra telorum jactum quieſcentibus.

Ex eodem Capite.

14. Iratuſque eſt Moſes contra præfectos exercitus, tribunos & centuriones qui revertebantur de expeditione belli.

15. Et dixit eis Moſes, Reſervaſtisne omnes mulieres?

16. Ecce, ipſæ fuerunt filiis Iſraël, conſilio Balaam, ad tradendum in prævaricationem contra Jehovam in negotio Phogor: & fuit plaga in congregatione Jehovæ.

17. Nunc ergo occidite omnes mares in parvulis: & omnem mulierem quæ cognoverit virum concubitu maſculi, occidite.

18. Omnes autem parvulas inter mulieres, quæ non cognoverint concubitum maſculi, ſervate vivas vobis.

19. Vos vero manete extra caſtra ſeptem diebus: omnis qui occiderit aliquem, quicunque item tetigerit occiſum, purificabitis vos die tertia & die ſeptima, vos & præda veſtra.

20. Omne quoque veſtimentum, & omnem ſupellectilem pelliceam, & omne opus è pilis caprarum, & omne vas ligneum purificabitis.

21. Et dixit Eleazar ſacerdos ad milites qui iverant ad bellum, Hoc eſt ſtatutum legis quod præceperat Jehova Moſi.

22. Profecto aurum, & argentum, æs, ferrum, ſtannum, & plumbum, & quicquid ingreditur ignem, tranſire facietis per ignem, & mundabitur.

23. Veruntamen aqua expiationis purificabitur: quicquid autem non ingreditur ignem, tranſire facietis per aquam.

24. Lavabitis præterea veſtimenta veſtra die ſeptima, & mundi eritis, & poſtea intrabitis caſtra.

14. *Iratuſque eſt Moſes.*] Solent res bene geſtæ veniam impetrare vitiis, imo ea quodammodo obtegere, ne in rationem veniant. Atqui quamvis exercitus multiplicem gratulandi materiam ſecum afferret, non deſinit tamen Moſes acriter in unum delictum invehi. Quo exemplo docemur, ſic laudandas eſſe virtutes, ne probetur ſi quid reprehenſione dignum eſt. Immanis quidem nobis videri poſſet Moſis iracundia, dum ſevere milites ſuos caſtigat, quia in ſexum muliebrem atrociter non ſævierint: ſed noſtrum non eſt obtrectare Dei judicio, ante cujus tribunal nos omnes ſemel ſtare neceſſe eſt. Quamvis ergo repugnet ſenſus noſter, ſtatuendum eſt, ubi modum excedere videtur, graviſſimas quaſque pœnas optima æquitate temperare. imo quum idem ſcelus (cujus ſeverus ultor eſt adverſus Madianitas) remittat Moabitis ad tempus, vel ſaltem non ita puniat, in hac varietate juſtiſſima eſt cauſa, ſed penes eum abſcondita. Noſtrum quidem non eſt obſtrepere, ne, ſacrilegam noſtram audaciam & temeritatem damnando, ſeipſum abſolvat. Peccarunt autem Iſraelitæ, quod quum miniſtri tantum eſſent vindictæ Dei, non fuit in eorum arbitrio quicquam laxare. quod notatu dignum eſt, ut quicunque ſunt gladio armati, ne tantillum quidem huc vel illuc declinent, quin ſedeliter exequantur quicquid Deus præſcribit. Quod iracundia Moſis laudatur, inde refellitur Stoicorum commentum, apud quos ἀπάθεια ſumma eſt virtus. Atqui potius elaborandum eſt ut naſcantur omnes noſtri affectus ex bona cauſa: deinde frenentur ea moderatione, ne qua ebulliat carnis intemperies, ſed palmam teneat ſpiritualis zelus.

Cæte-

Cæterum rationem affert Moſes cur mulieribus nihilo magis parcendum fuerit quam viris: quia ſe proſtituerint ad ſtuprum, quo eaitiales laqueos tenderent Iſraëlitis. Quantum ad parvulos ſpectat, non eadem valuit ratio, quia nullius criminis fueraot conſcii: ſed minime dubium eſt quin juſte voluerit Deus impiæ & deſperatæ gentis nomen penitus eatinctum: ſicuti poſtea gentes Chanaan una cum ſobole exitio addixit. Quæritur autem qua nota diſcerni potuerint à virginibus mulieres quæ jam virilem concubitum erant ea pertæ. Judæi fabulam ſuo more fingunt, quum probabile ſit nonoiſi ex ætate factum eſſe judicium.

19. *Vos vero manete.*] Si quis cadaver tetigerat, alibi vidimus immundum cenſeri: nunc Moſes eapiandi ritum ad cædes legitimas eatendens, admonet quantopere abſtinendum ſit ab bumano ſanguine fundendo. Iſraëlitas ſtreoue graſſari oportuit per medias cædes: ſed quia cum ordine naturæ quodammodo pugnat, bomines ab hominibus occidi, acſi io propria viſcera ſævirent, etiam injuſtis pœnis quædam veſtigia humanitatis reſtare Deus voluit quæ omnem crudelitatem in genere cohiberent. Nec abs re Scriptura ubi heroicam fortitudinem commendat, hac loquendi forma utitur, polluiſſe manus ſuas ſanguine qui boſtes ſuos ſtraverunt: nempe ut cædes quaslibet eahorreamus, quaſi geoeris humani conſervationi adverſas. Quamvis ergo Iſraëlitæ non jure modo occiderint Madianitas, ſed ea Dei mandato: ne tameo promiſcue ad fundendum ſanguinem ſe aſſuefaciant, jubentor ſe purgare die tertia & ſeptima, antequam redeant io caſtra, ne cootagio populum inficiat. Diverſa eſt prædæ ratio: quia vaſorum immundities admoouit deteſtabilem eſſe illum populum cujus ſupellex, donec purgata eſſet igni, vel aqua, ſolo cootactu omnes polluebat. Cæterum ne vel parere detrecteot milites, vel ioviti cedant, in memoriam revocat Eleazar, nihil ab illis nuoc aliud exigi quam veteris præcepti obſervationem. Nec dubium eſt quin iſtas docendi partes conſulto Moſes reſignaverit nepoti ſuo, quia io poſterum ex ore ſacerdotis petenda erat Legis interpretatio.

Ex eodem Capite.

25. Loquutus eſt deinde Jehova ad Moſen, dicendo,

26. Cape ſummam prædæ captivitatis, tam de hominibus quam de jumentis, tu & Eleazar ſacerdos, & capita patrum congregationis.

27. Et partieris in duas partes prædam, inter bellatores qui egreſſi ſunt ad pugnam, & inter univerſam congregationem.

28. Tolleſque cenſum Jehovæ à viris bellatoribus qui egreſſi ſunt ad militiam, unam animam de quingentis, ex hominibus, & ex bobus, & ex aſinis, & ex pecudibus.

29. De media parte illorum capietis: & dabitis Eleazaro ſacerdoti oblationem Jehovæ.

30. Et de media parte filiorum Iſraël capies unam portionem ex quinquaginta, ex hominibus, ex bobus, ex aſinis, & ex peeoribus, id eſt, ex omni jumento: & dabis illa Levitis cuſtodientibus cuſtodiam tabernaculi Jehovæ.

31. Et fecit Moſes & Eleazar ſacerdos quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

32. Et fuit præda, reſiduum ſcilicet prædæ quam prædati ſunt milites, ovium ſexcenta ſeptuaginta quinque millia.

33. Et boum ſeptuaginta duo millia.

34. Et aſinorum unum & ſexaginta millia.

35. Et animarum hominis, è mulieribus quæ non cognoverant coitum maſculi: omnium, inquam, animarum, duo & triginta millia.

36. Fuit autem dimidia pars, portio eorum qui egreſſi fuerant ad militiam, numerus ovium trecenta triginta ſeptem millia & quingentæ.

37. Fuit vero cenſus pro Jehova, ex ovibus ſexcentæ ſeptuaginta quinque,

38. Et boum, ſex & triginta millia: & eenſus eorum Jehovæ, duo & ſeptuaginta.

39. Et aſinorum triginta millia & quingenti: cenſus autem eorum Jehovæ, unus & ſexaginta.

40. Et animarum hominum, ſedecim millia: eenſus vero eorum Jehovæ, duæ & triginta animæ.

41. Deditque Moſes cenſum oblationis Jehovæ ipſi Eleazar ſacerdoti, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

42. Et de dimidia parte filiorum Iſraël, quam deduxerit Moſes à viris qui militaverant.

43. Fuit autem dimidia pars congregationis de ovibus, trecenta & triginta ſeptem millia & quingentæ.

44. Et boum ſex & triginta millia.

45. Et aſinorum triginta millia & quingenti.

46. Et animarum hominum ſedecim millia.

47. De dimidia, inquam, parte filiorum Iſraël tulit Moſes portionem unam è quinquaginta ex hominibus & ex jumentis, & dedit eam Levitis cuſtodientibus cuſtodiam tabernaculi Jehovæ, quemadmodum præceperat Jehova Moſi.

25. *Loquutus eſt deinde.*] Æquiſſima prædæ bic partitio deſcribitur, in qua jus analogon ſic obſervatum fuit, ut neque laboris mercede fraudati fueriot milites, & tamen ad reliquum populum cujus nomine bellum geſtum fuerat, fructus aliquis pervenerit. Exigua quidem fuit portio multitudinis, quia tantundem duodecim quantum ſexcentis hominum millibus conceſſum fuit. Sed quum jure victoriæ militibus jam quæſita eſſet præda, populo qui arma oon ſumpſerat, grave eſſe noo debuit honorarium munus accipere, quamvis minimi lucri. Et certe contumelioſum fuiſſet omnibus qui in caſtris quieverant, prædæ

prædæ omnino esse expertes, acsi inertiæ essent damnati: quum tamen per eos non stetisset quominus hostibus profligandis operam navarent simul cum fratribus. Neque enim mollitia animi onus ac periculum militiæ defugerant, sed modeste passi fuerant communem laudem in paucos transferri, quia Deo sic placuerat. Verum sicuti æquum fuit, aliquem victoriæ fructum inter omnes communicari, ita non minus rectum fuit, amplius & liberalius præmium ab iis percipi qui totam molem belli sustinuerant. Hanc rationem quibusdam sequutus esse videtur David, dum prædam ex æquo inter suos distribuit, tam qui in præsium descenderant quam qui ad sarcinas steterant. Ego vero quod tunc statuit David, longe diversum fuisse existimo; quia si æqua fuisset portio turbæ apud sarcinas subsistentis cum militantibus, longe utilius fuisset procul abesse à jactu telorum. Nam ubi præsium conseritur, pauci tantum ex magno exercitu ad sarcinas relinqui solent. Ita dimidia pars prædæ cessisset paucis otiosis. Ergo partitio cujus illic fit mentio, ad singula capita referri debet. Atque optime David prædæ consortes pro virili esse jussit qui manebant in statione castrorum, ne dissimilis esset eorum conditio quibus eadem lex erat imposita. Hic vero merito ditantur milites præ aliis qui secure res suas domesticas curaverant.

28. *Tolleque censum Jehovæ.*] Nunc ab utrisque exigit Deus tributum, vel sacram oblationem ex præda: sed inæqualiter: nempe ut populus plus decuplo solvat quam milites. Tributi vero hujus duplex fuit ratio vel finis: iniquum enim fuisset Levitas solos dimitti inanes, quasi deterior esset eorum conditio, eo quod in Dei cultu & cura sacrorum occupati erant. Cæterum quam illis assignat partem Deus, sibi offerri jubet, ut homines non modo inter se æquitatem colant, sed ut primas teneat religio. nihil enim absurdius quam hominibus jus suum integrum servari Deo ipso posthabito. Ergo ad testandam pietatem injuncta fuit oblatio, acsi Deus in quinquagesimis & quingentesimis sibi assereret victoriæ laudem. Deinde quia nulla re indiget, se uno contentus, in ejus locum subrogati sunt Levitæ, ut aliquam ex suo ministerio mercedem referrent. Porro iterum cernimus Deum cum militibus liberalius egisse quam cum reliqua multitudine. nec mirum: quia sicut illis plus oneris impositum fuit, ita consentaneum fuit uberiore victoriæ fructu ditari: beneficia enim alia aliis accumulat, prout visum est. Ex hac quoque distributione colligimus, ex ejus ordinatione pendere, ut alii aliis sint locupleriores: quia si nihil cujusquam esset proprium, nulla esset justitiæ ac integritatis probatio.

37. *Hoc vero census.*] Ab effectu ostenditur magnitudo victoriæ: quia nonnisi ex magna & populosa regione tanta pecorum copia confici poterat. Non admodum fertilem fuisse probabile est: ideoque in divitiis non vinum & frumentum, sed tantum animalia numerantur. 'Pascuis tamen fuisse nobilem conjicere promptum est: quia montes aridi tot boves, capras, oves & camelos non alerent. quanquam ex puellis maxime liquet, viros qui occisi sunt, plures fuisse numero quam victores qui ad prælium missi fuerant: nam ut demus singulis fuisse filias virgines, triplo fere superabant duodecim millia. Unde rursus apparet, victoriam fuisse divinitus partam. Mirum tamen videri potest quod gente penitus deleta, aliquanto post extiterit posteritas, acsi ex patrum cineribus progeniti essent novi Madianitæ. Neque enim adeo longum tempus effluxit ab hac clade usque ad tempus Gedeonis quo ausi sunt ultro lacessere Israelitas, & sua multitudine freti perrumpere in medium sinum terræ Chanaan. imo jam totam viciniam oppresserant. Quomodo id contigerit, quia Scripturis proditum non est, tantum superest conjectura, plurimos (ut fieri solet in rebus trepidis) alio fugisse, qui paulo post in vacuam possessionem reversi sunt. Subita enim Israelitarum irruptio instar procellæ statim evanuit: nec difficilis fuit fuga vagæ & erraticæ genti. fieri etiam potest, ut multi hinc inde hospites in terram suis incolis orbatam confluxerint: vel etiam ut Israelitæ leviter defuncti officio citius quam decebat receptui cecinerint, ac deinde eorum pigritiam ultus fuerit Deus. Utcunque sit, docemur hoc exemplo, impios non minus quam vitiosas & noxiosas herbas pullulare, ut sæpius excisi, terram subinde operiant.

Ex eodem Capite.

48. Et accesserunt ad Mosen præfecti millium militiæ, tribuni & centuriones:

49. Dixeruntque ad Mosen, Servi tui * levarunt summam virorum bellatorum qui sunt in manu nostra, & non defuit ex nobis quisquam.

* vel, *subduxerunt.*

50. Propterea obtulimus oblationem Jehovæ quisque quod invenit, vasa aurea, brachiale, & ornamentum manus, annulum, inaurem, & subligaculum fœmineum, ad expiandum animas nostras coram Jehova.

51. Et accepit Moses & Eleazar sacerdos aurum ab illis, omnia vasa operis.

52. Fuitque omne aurum oblationis quod obtulerunt Jehovæ, sedecim millia septingenti & quinquaginta sicli, à tribunis & centurionibus.

53. (Viri namque exercitus prædati fuerant quisque sibi.)

54. Accepit inquam Moses & Eleazar sacerdos aurum à tribunis & centurionibus, & intulit illud in tabernaculum conventionis, in memoriam filiis Israël coram Jehova.

48. *Accesserunt duces.*] Hic proponitur exemplum eximiæ gratitudinis, quod duces exercitus quum viderent neminem ex suis periisse, manubias auri & argenti Deo consecrarunt. Oblatis primitiis, satis testati fuerant suam pietatem & obedientiam: nec sane ex quo fideliter paruerant Dei mandato, quicquam ab ipsis defiderari amplius poterat. quo plus laudis meretur eorum liberalitas, dum novo & extraordinario voto se obstringunt. Interea singulare Dei beneficium commendat Moses, qui omnes ad unum incolumes reduxit ex tanta strage. Certe quum ex multis pagis abigenda essent spolia, mirum fuit in ipsa discursatione non paucos saltem fuisse occisos. Hinc ergo planius innotuit, bellum Dei auspiciis tam feliciter fuisse gestum, qui duodecim millia protexerit. Ita incredibilis Dei favor erga populum suum cum pia ducum professione celebratur, quum diserte exprimitur, se recognitis copiis omnes salvos reperisse, ne dubia vel obscura sit Dei gratia. Itaque salutem militum admirabili Dei potentiæ acceptam ferentes, pretium redemptionis offerunt, quicquid ex spoliis acceperant auri & argenti. Summam commemorat Moses, unde melius liqueat eos in officio præstando non vulgare lucrum spreviſſe. Nam summa hæc excedit decem millia librarum Gallicæ monetæ, & quingentas libras. Quid autem milites? dum pro eorum salute vota solvuntur, suæ rapacitati secure indulgent. Subest enim

enim tacita comparatio, dum centuriones & tribunos laudans Moſes, exceptionem mox addit, cujuſque fuiſſe quod prædatus erat. ac mirum eſt, quaſi tantum ſibi adeoque ſoli viciſſent milites, tam laudabile exemplum, ut maligni erant ac ſordidi, non fuiſſe imitatos. Et certe, ſæpe contingit vulgus ſordes ſuas ſine pudore ſectari, tum quia ignorat quid ſit ingenuitas, tum quia dedecus in turba latet. Interea admonentur qui præſunt, dandam eſſe operam, ut quo in altiore honoris gradu locati ſunt, eo magis emineat eorum virtus.

51. *Accepit Moſes.*] Hoc addendum fuit, ne quis putaret Eleazar ex aliorum liberalitate quæſtum feciſſe. Narrat ergo Moſes quicquid auri fuerat oblatum, fideliter repoſitum fuiſſe in ornamentum ſanctuarii. Quod dicitur, In memoriam filiis Iſraël, tam active quam paſſive ſumi poteſt: nempe ut eſſet donarium illud monumentum gratitudinis, vel ut favorem conciliaret populo in oculis Dei: acſi illud expiationis munus coram Deo iſteret ac repræſentaret eos omnes qui hoc modo profitebantur ſe ejus gratia eſſe ſalvos. Mihi poſterior ſenſus magis probatur: ut propitius in poſterum quoque eſſet Deus populo ſuo, memoriale illud in ejus oculis fuiſſe locatum.

NUMER. Cap. XXXII.

PEculium vero multum erat filiis Reuben, & filiis Gad multum admodum: qui viderunt terram Jaazer & terram Galaad, & ecce, locus ille erat locus peculii.

2. Venerunt igitur filii Gad & filii Reuben, & dixerunt ad Moſen & Eleazar ſacerdotem, & ad principes congregationis, dicendo,

3. Ataroth, & Dibon, & Jaazer, & Nimrah, & Hesbon, & Elalech, & Sebam, & Nebo, & Behon:

4. Terra quam percuſſit Jehova ad congregationem Iſraël, terra peculii eſt: & ſervis tuis eſt peculium.

5. Dixerunt, inquam, ſi invenimus gratiam in oculis tuis, detur terra hæc ſervis tuis in poſſeſſionem: ne tranſire nos facias Jordanem.

6. Reſpondit autem Moſes filiis Gad, & filiis Reuben, Num fratres veſtri ingredientur pugnam, & vos manebitis hic?

7. Et quare frangetis cor filiorum Iſraël, ne tranſeant ad terram quam dedit eis Jehova?

8. Sic fecerunt patres veſtri quando miſi eos de Cades Barnea ut viderent terram iſtam.

9. Aſcenderunt namque uſque ad vallem Eſchol, videruntque terram: poſtea fregerunt cor filiorum Iſraël, ne ingrederentur terram quam dederat eis Jehova.

10. Unde irata excandeſcentia Jehovæ in die illa, juravit, dicendo,

11. Si videbunt homines qui aſcenderunt ex Ægypto, à filio viginti annorum & ſupra, terram de qua juravi Abraham, Iſaac, & Jacob: quia non compleverunt ire poſt me:

12. Præter Caleb filium Jephuneh Cenezæum, & Joſue filium Nun, quia compleverunt ire poſt Jehovam.

13. Et irata eſt excandeſcentia Jehovæ in Iſraëlem, vagarique fecit eos in deſerto quadraginta annis, donec conſumeretur tota illa generatio quæ fecerat malum in oculis Jehovæ.

14. Ecce autem ſurrexiſtis pro patribus veſtris, acceſſio hominum ſceleratorum, ut adderetis adhuc ad iram excandeſcentiæ Jehovæ contra Iſraëlem.

15. Si averſi fueritis ut non eatis poſt eum, tum addet adhuc deſerere illum in ipſo deſerto, & perdetis univerſum populum hunc.

1. *Peculium vero.*] In hac hiſtoria non ſecus atque in ſpeculo perſpicimus, dum quiſque ad privatum commodum nimis attentus eſt, oblivíſci quid rectum atque æquum ſit. Non reputant quidem qui ſua quærunt, ſe aliis eſſe injurios: ſed fieri non poteſt quin plus appetant quam par ſit, ſeque aliis præferant. quod pugnat cum regula charitatis, ne quæramus quæ noſtra ſunt. Vident filii Gad, & filii Ruben, quibus erat magna pecorum copia, fertilem agrum & opimum: utilitas eos rapit, ut in mentem non veniat ſe fratribus eſſe obſtrictos, ne quid peculiare appetant, & ab illis ſeparatum. Speciоſus interea color objiciebatur qui oculos perſtringeret: Aliis nihil detrahi, quin potius tantundem accreſcere: quia hoc modo tota regio trans Jordanem illis integra manebat. deinde levari potius moleſtia quam aliquid facere jactaræ: quia expeditio minus futura erat difficilis, ſi turba quæ pecoribus onuſta erat, ſubſideret, nec remoram injiceret exercitui magis ſoluto, & ad properandum accincto. Atqui belli ſocietas divinitus ſancita, eos inſolubili vinculo tenebat aſtrictos, ne reliquum populum deſererent. Religio etiam erat, terminos hæreditatis à Deo promiſſæ movere. Univerſo generi Abrahæ aſſignata erat terra Chanaan, in qua incluſi, quaſi peculiarem nidum incolerent. Nunc tranſiliunt tribus Gad & Ruben fines illos, & ſimul à corpore Eccleſiæ ſe divellunt, acſi vellent à Deo emancipari. quo magis cavendum eſt ne poſt noſtras cupiditates vagemur. Et quum dicit Moſes eos vidiſſe, vel conſideraſſe terram, cavere diſcamus ne oculi noſtri illicito aſpectu concipiant perverſas illecebras ad excæcandam mentem; deinde ſenſus venenata dulcedine ſic fallendos, ut obruta jaceat æquitas & ratio. Nomen Hebraicum pro quo Peculium reddidimus, non modo pecora & armenta, ſed etiam greges ovium ſignificat. Erant quidem fere omnes Iſraëlitæ pecuarii: ſed ex verbis Moſis colligimus, duas iſtas tribus abundaſſe pecorum multitudine: forte quia regio quam habitabant in Ægypto ad paſcendum commodior eos incitaverat, ut vitæ genus alioqui omnibus commune, & à patribus acceptum, cupidius retinerent: neque enim probabile eſt in itinere ita fuiſſe præ aliis auctos.

2. *Venerunt igitur filii Gad.*] Æqua in ſpeciem poſtulatio, quum terræ incolas expulerit Deus, fertilitas

tilitas autem ipſos ad habitandum invitet, non eſſe negandum ut vacuos & deſertos agros poſſideant: laudanda etiam modeſtia, quod neque diſceſſionem faciunt à populo, neque tumultuantur, neque violenter loca ſibi utilia occupant: ſed Moſis & ſeniorum permiſſu id ſibi licere cupiunt, acſi cauſam ſuam ſubjicerent eorum arbitrio. Sed (quemadmodum nuper dixi) ſic animos eorum occupaverat privata utilitas, ut quod præcipuum erat non occurreret: nempe omnibus propoſitam eſſe terram Chanaan, ut illic ſimul habitarent, à profanis gentibus ſeparati: deinde injuſtum eſſe, non modo ipſos otio perfrui, aliis militantibus, ſed etiam quieſcere in certa ſede & tranquilla, quum decem tribus ad terram gladio conquirendam adhuc pergerent.

6. *Reſpondit autem Moſes.*] Tam acris & dura objurgatio mali gravitatem oſtendit. Neque enim Moſen inconſideratus fervor præcipitem egit, ut tantopere excandeſceret: neque errore lapſus eſt, ut de re minus probe comperta proferret ſententiam. Scivit ergo quid peterent filii Gad & Ruben: ideoque tam vehementer in eos invectus eſt, quod ſcelerato divortio corpus Eccleſiæ lacerarent. Principio quidem de iniqua & præpoſtera eorum cupiditate expoſtulat, quia deſidiæ materiam captent, fratribus per terram hoſtilem iter facturis: neque enim jure potiores erant, ut in illos, labores, pericula & omnia militiæ onera rejicerent. Quum ergo eadem communiter omnibus à Deo impoſita eſſet conditio, partem quaſi privilegio eximi rectum non fuit. Verum ſeverius impia adverſus Deum ingratitudo & perverſitas quam iniquitas in fratres caſtigatur, dum illis exprobrat, hoc modo frangi corda filiorum Iſraël, ne pareant vocanti Deo.

8. *Sic fecerunt.*] Crimen amplificat à continua obſtinatione: adeo enim filios non ſublevat improborum patrum imitatio, ut culpam potius duplicet. Sic & Stephanus Judæis ſuæ ætatis objicit ſcelerum continuationem, in qua ſimiles erant patribus: acſi vocaret, malorum corvorum mala ova. Vos, inquit, incircumciſi corde, ſemper fuiſtis rebelles Spiritui ſancto, ſicut & patres veſtri. Sic & Propheta dum poſteros hortatur ad obſequium, hoc idem exemplum in memoriam revocat, Ne obduretis corda veſtra, ſicut in contentione, in die tentationis in deſerto, ubi me tentarunt patres veſtri: quadraginta annis moleſtiam paſſus ſum à generatione hac, &c. Non abs re ergo conqueritur nunc Moſes, nullum eſſe impietatis modum ac finem, dum filii paternæ malitiæ hæredes, Deo reſiſtere non deſinunt. Et quo melius appareat criminis ſimilitudo & affinitas, hiſtoriam longius recenſet. Comparat autem Rubenitas & Gaditas non tori populo, ſed decem exploratoribus terræ, à quibus coorta fuerat ſeditio: quia populum, quantum in ſe eſt, à recto propoſito avertant. Secundo pœnam quæ ſequuta eſt annectit, ut ſaltem terrore eos permoveat: quia vix ſperandum erat ut ſponte reſipiſcerent. Admonet ergo, quum tam duriter animadverterit Deus in patres, inſigni documento teſtatum eſſe, poſteros quoque impune non laturos, niſi dociles eſſent ac morigeri. Ac notanda eſt loquutio, Quia non compleverunt ire poſt me: qua ſignificat Deus nullam eſſe laudem quamlibet ſtrenui curſus, niſi ad metam uſque perſeverent homines. Etſi autem id ante annos quadraginta contigerat, quia tamen ad eum uſque diem vindicta quam minatus fuerat Deus, ante eorum oculos verſata fuerat, perinde ipſos decuit affici acſi manum ejus adhuc extentam cernerent. Quotquot enim moriebantur in deſerto, toties vindictam ſuam obſignabat Deus, nequa unquam oblivio eam extingueret. Jam ſi tantopere in promiſcuam multitudinem exarſit Deus, quanto minus auctores ipſi effugerent?

14. *Ecce autem ſurrexiſtis.*] Significat eos nunc ſcelerate agendo, implere menſuram patrum: ſicuti de Judæis ſui temporis loquutus eſt Chriſtus. Hoc ſenſu vocat eos acceſſionem. quod nomen accipio pro cumulo. Nam quod alii educationem, alii ſobolem, alii vero alumnos vertunt, frigidum eſt. תחבית Hebræis proprie eſt incrementum, vel multiplicatio: ideoque ad uſuras transfertur. Hic autem locus poſtulat pro congerie exponi: acſi diceret, deintegro ſcaturire novam turbam, quæ impietatem uſque ad acervum perducat. Denique intelligit lignum igni jam ſopito eſſe additum, quo novum incendium excitetur. dicit enim eos niatteriam ſubjicere iræ Dei, quo magis ac magis in totum populum deflagret.

Aſſer. 7. verſ. 51.

Pſal. 95. verſ. 9.

Ex eodem Capite.

16. Et acceſſerunt ad eum, ac dixerunt, Caulas pecudum ædificabimus peculio noſtro hic, & urbes parvulis noſtris:

17. Nos vero accincti erimus armis, feſtinantes ante filios Iſraël, donec introduxerimus eos ad locum ſuum: & manebunt parvuli noſtri in urbibus munitis propter habitatores terræ.

18. Non revertemur ad domos noſtras, donec poſſideant filii Iſraël quiſque hæreditatem ſuam.

19. Non enim hæreditatem accipiemus cum eis trans Jordanem & ultra: quod evenerit hæreditas noſtra nobis citra Jordanem ad Orientem.

20. Et dixit illis Moſes, Si feceritis hoc, ſi accinxeritis vos armis coram Jehova ad bellum:

21. Et tranſierint ex vobis omnes accincti armis ipſum Jordanem ante Jehovam, donec expulerit inimicos ſuos à facie ſua,

22. Et ſubjiciatur terra illa coram Jehova: poſtea revertemini, & eritis abſoluti à Jehova & Iſraële: eritque terra iſta vobis in poſſeſſionem coram Jehova.

23. Quod ſi non feceritis ita, ecce, peccaſtis Jehovæ, & perpendite peccatum veſtrum quod inveniet vos.

24. Ædificate vobis ergo civitates pro parvulis veſtris, & caulas ovibus veſtris, & quod egreſſum eſt ex ore veſtro, faciatis.

25. Et dixerunt filii Gad & filii Reuben ad Moſen, dicendo, Servi tui facient quemadmodum dominus meus præcipit.

26. Parvuli noſtri, uxores noſtræ, pecora noſtra, & omnia jumenta erunt ibi in urbibus Galaad:

27. Servi autem tui tranſibunt omnes accincti armis ad militiam coram Jehova ad bellum, quemadmodum dominus meus loquitur.

16. *Et accesserunt.*] Probabile est consultatione habita iterum reversos. Nunc ex quo contulerunt capita, quod fieri oportuit antequam pollicerentur quod animis nondum conceperant, ex communi omnium sententia Mosis decreto subscribunt. Porro ex ipso responso colligimus quam utilis fuerit Mosis asperitas ad subigendos eorum animos. Si mitius ac placidius egisset, contemptim forte accepta fuisset ejus humanitas. Præfractis ergo capitibus, magis profuit pudefieri, & metu percelli, ut contumaciam exuerent. Neque tamen prorsus desistunt à sua postulatione, sed mediam rationem excogitant, qua fratres suos non deserendo, terram nihilominus occupent. Promittunt ergo se totius expeditionis fore comites, & belli socios: imo se primos fore ad obeunda pericula, & sustinendos hostium impetus: modo certa detur familiis & pecoribus statio. Hoc autem modo extra culpam futuri erant: quoniam alii malo exemplo non retrahebantur, neque minuebatur robur populi ad bella gerenda: una tantum in re melius illis consultum erat, quod in loco pacato depositis uxoribus & liberis, rem domesticam magis augebant.

20. *Et dixit illis Moses.*] Nimia & vitiosa videri posset hæc facilitas, quod eorum voto obtemperans Moses, fines à Deo præscriptos transcendit. Nam quum illis promissa esset hæreditas in terra Chanaan, domicilio illo eos contentos esse oportuit: nec fas Mosi fuit quicquam in cælesti decreto mutare. Alterum vero non minus absurdum, in re tam perplexa, Mosen non consulere Deum pro more, sed subito dare responsum, quod primam Dei ordinationem oblique labefactat. Et sane excusabile non est eorum desiderium, quod nunquam obrepsisset eorum animis, si fœderis Dei memores, acquievissent in ejus beneficio: sicuti fieri non potest quin semper lasciviat caro, ubi vocationis freno non cohibetur. Sed Deus qui novit lucem è tenebris elicere, non tantum ignovit eorum vitio, sed hac occasione largius suam liberalitatem extendit. Ita ad superiores terminos superaddita fuit regio Basan, & aliæ vicinæ. Quanquam simul ex opposito ostendit quanto satius fuisset simul colligi, ut mutua defensione protecti, secure in suis sedibus habitarent. Et longo postea temporis progressu experti sunt Rubenitæ & Gaditæ, nimium festinanter terram quam adepti erant se optasse: feliciter tamen Dei indulgentia illis cessit quod per se debuerat esse noxium. A Mose vero nihil temere de ordinatione Dei fuisse remissum, colligere licet ex consequentibus: quia & Moses quod in præsentia statuit, ratum haberi jubet post mortem suam. Et ubi in libro Josue refertur singulas tribus hæreditatem sortitas esse, excipitur hæc regio trans Jordanem, quam Moses Rubenitis & Gaditis & dimidiæ tribui Manasse assignaverat. unde liquet, sententiam ejus à Deo fuisse approbatam. Quin etiam dum illic sæpius ornatur epitheto servi Dei, docemur in hac re nihil ab eo fuisse tentatum, nisi Deo auctore, ac præeunte ejus Spiritu. Nec vero hoc loco Dei nomen futiliter toties inculcat, quin potius subindicat sibi fuisse à Deo dictatum quicquid gerit.

23. *Quod si non feceritis.*] Contestatur solenni ritu impie acturos si fidem datam fallant: & simul pœnam denunciat, acsi eos citaret reos ad Dei tribunal. Etsi autem hypothetice loquitur de una illa pactione, qua se ultro duæ tribus astrinxerant: generalis tamen doctrina inde pendet, nisi stemus promissis, Deum semper fraudis & perfidiæ fore ultorem. Ac magis emphatica loquutio est, Peccatum vos apprehendet, quam si dixisset, Non effugietis Dei manum. Sensus enim est, peccato sic affixam esse vindictam, ut avelli nequeat: sicuti Genesis quarto dicitur, peccatum excubare pro foribus, ut noxios tandem corripiat. Nam, quæ nostra est ad peccandum proclivitas, nimis experimur tolerantia Dei nos animari ad audaciam, dum nos putamus elapsos esse, si ad tempus dissimulet.

Ex eodem Capite.

28. Et præcepit de eis Moses ipsi Eleazar sacerdoti, & Josue filio Nun, & principibus patrum tribuum filiorum Israël.

29. Et dixit illis, Si transierint filii Gad & filii Reuben vobiscum Jordanem, omnes accincti armis ad bellum coram Jehova, & subjecta fuerit terra coram vobis, dabitis eis terram Galaad in possessionem:

30. Quod si non transierint accincti armis vobiscum, tum possessionem habebunt in medio vestri in terra Chenaan.

31. Et responderunt filii Gad & filii Reuben, dicendo, Quod dixit Jehova servis tuis, sic faciemus.

32. Nos transibimus accincti armis coram Jehova in terram Chenaan, ut vobiscum sit possessio hæreditatis nostræ citra Jordanem.

33. Dedit itaque illis Moses, filiis Gad & filiis Reuben, & dimidiæ tribui Menasse filii Joseph, regnum Sihon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Basan, terram cum urbibus suis, cum terminis, urbes terræ per circuitum.

34. Et ædificaverunt filii Gad Dibon, & Ataroth, & Aroër,

35. Et Atroth, Sopham, & Jaazer, & Jogbehal,

36. Et Beth-nimrah, & Beth-haran, urbes munitas & caulas ovium.

37. Filii vero Reuben ædificaverunt Hesbon, & Eleale, & Ciriathaim,

38. Et Nebo, & Baal-meon versis nominibus, & Sibmah: & vocaverunt nominibus nomina urbium quas ædificaverant.

39. Perrexerunt autem filii Machir, filii Menasse in Galaad, acceperuntque eam, & expulerunt Amorrhæum qui erat in ea.

40. Itaque dedit Moses Galaad ipsi Machir filio Menasse, & habitavit in ea.

41. Jair præterea filius Menasse profectus erat, & acceperat vicos eorum, & vocavit eos Havoth-Jair.

42. Nobah similiter profectus erat, & ceperat Cenah & villas ejus: vocavitque eam Nobah secundum nomen suum.

28. *Et præcepit de eis Moſes.*] Sic temperat ſuum decretum, ne Rubenitis & aliis ubi perfunctis fuerint militiæ curſu, fraudi ſit Jordanem tranſiſſe, quaſi ad novas ſedes quæreodas: nec tamen ſi alias tribus fruſtrati fuerint, profit illis ſua ignavia & dolus. In ſumma, ſi ex compacto fratres adjuverint, jubet illis perpetuo relinqui quod nunc coocedit: ſin vero diſceſſerint à fide, vult cogi invitos ad ſortitiooem communem. Neque enim partem illis aſſignans in media terra Chanaan, præmium inertiæ ſi ceſſaverint, illis largitur: ſed vi & imperio trahendos eſſe ſignificat, ut ſe fratribus in omnes eventus ſubjiciant: quia ſeorſum ſibi conſulere fas non erat. Cæterum de terræ partitione quaſi de re mox futura præcipiens, omnium animos ad fiduciam attollit, quo alacrius tranſitum aeeelerent: aeſi non tantum in manu eſſet victoria, ſed mox quoque percipiendus ejus fructus.

33. *Dixit itaque.*] Sic Moſen dediſſe intelligas, ut Dei mandato ſretus, legem inviolabilem tulerit. Quanquam enim expreſſe non legitur imperium Dei intereeſſiſſe, poſterior tamen approbatio id plane confirmat: ſicuti nulla ſit mentio Eleazar & ſeniorum, quos tamen non fuiſſe præteritos certum eſt, quin adhibiti fuerint ſimul arbitri: præſertim quum à filiis Gad & Ruben delata illis fuiſſet cognitio. Tantum ſubeſt tacita antitheſis inter antiquum fœdus quod Deus pepigerat cum Abraham, & hoc novum jusae ſpeciale, quo populum ſuum locupletare dignatus fuerat. Prioeipio duæ tantum tribus nominatæ fuerant: nunc additur dimidia tribus Manaſſe: quia ſcilicet poſteri Machir, & Jaret, & Noba, qui omnes genus ducebant à Manaſſe, urbes & vicos occupaverant. Quod enim ſic vertunt interpretes, aeſi victorias illas eſſent adepti ex quo Rubenitis & Gaditis permiſerat Moſes trans Jordanem habitare: mihi non videtur conſentaneum. quin potius redditur cauſa cur exceptâ fuerit portio quæ ceſſit filiis Manaſſe: quia ſcilicet fraudandi noo fuerint agris quos ſeorſum acquiſierant. Nec vero probabile eſt, quum aliis data eſſet regio trans Jordanem, poſtea irruptionem feciſſe, ut jus alienum ad ſe traherent. Nec obſtat ſeries narrationis: quia Hebræis tritum eſt quæ prius geſta ſunt, poſterius referre: præſertim ubi per occaſionem ſubjicitur pro cauſæ redditione quod ante omiſſum fuerat. Si quis tamen malit præſeoti commodo fuiſſe allectos, pertinacius non contendam. Sed qoi convenit urbes fuiſſe extructas quæ adhuc incolumes ſtabant? ſicuti ante vidimus victorem populum in illis habitaſſe. Nempe, quia vix unquam contigit expugnari urbes, quin diruantur muri, nnn abi re talis inſtauratio vocatur ædificium. Muniendæ erant urbes, ne imbellis turba ad primos quoſque hoſtium impetus expoſita eſſet. In hunc finem reſtaurarunt quæ disjecta erant: & ita quodammodo renovarunt urbes ruinis deformatas.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Deut. III.

12. Et hanc terram poſſedimus eo tempore ab Aroër, quæ ſita erat ad torrentem Arnon, & dimidium montis Galaad, & urbes ejus dedi Reubenitis & Gaditis.

13. Reſiduum vero Galaad, & univerſam Baſan regni Og dedi dimidiæ tribui Menaſſe, & omnem regionem Argob, totam Baſan quæ vocabatur terra gigantum.

14. Jair filius Menaſſe cepit omnem regionem Argob, uſque ad terminum Geſuri & Maachathi: & vocavit eas ſecundum nomen ſuum Baſan Havoth Jair uſque ad diem iſtam.

15. Porro ipſi Macbir dedi Galaad.

16. Reubenitis vero & Gaditis dedi Galaad, uſque ad torrentem Arnon, medium torrentis, & terminum: & uſque ad Jabboc torrentem terminum filiorum Ammon.

17. Et planitiem, & Jordanem, & terminum à Cinnereth uſque ad mare planitiei, mare Salis, ſub effuſionibus aquarum collis ad Orientem.

18. Præcepique vobis eo tempore, dicendo, Jehova Deus veſter dedit vobis terram iſtam, ut poſſideatis eam, accincti armis tranſibitis ante fratres veſtros filios Iſraël, quotquot robuſti eſtis.

19. Tantummodo uxores veſtræ, & parvuli veſtri, & pecudes veſtræ (novi quod pecora multa ſint vobis) remanebunt in urbibus veſtris quas dedi vobis:

20. Donec requiem dederit Jehova fratribus veſtris ſicut vobis, & poſſideant ipſi etiam terram quam Jehova Deus veſter dat eis trans Jordanem: tunc revertemini ſinguli ad poſſeſſionem ſuam quam dedi vobis.

12. *Et hanc terram.*] Hoc loco decretum ſuum coofirmat, ut Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe rata ſit terræ poſſeſſio trans Jordaoem. Quoniam eoim illis extra ſortem obtigerat, potuit res in controverſiam trahi apud poſteros. Ergo ne quis moleſtiam faceſſat, iterum aſſerit legitimos eſſe regionis illius dominos. Porro quia litigioſa eſſe poterat ipſa donatio, eo quod terra illa extra fines hæreditatis à Deo promiſſæ ſita eſſet: hanc quoque objectionem prævenit Moſes, quod Deus ſuo populo noo fruſtra poſſidendam dederit. uode ſequitur jus habitandi fuiſſe permiſſum. Jam ne in conteotionem vocetur partitio tanquam inæqualis, omni ex parte terminos illis aſſignat; aeſi Dei auctoritatem inſtar valli & aggeris opponeret, ne cui fas eſſet irruptionem facere. Quod ad nomina locorum ſpectat, mare Salis vocatur mare Mortuum. Cinnereth autem lacus Geneſara, vel Geneſareth. In effuſionibus collis non conſentiunt ioterpretes, quia Aſedoth, Piſgah quidam volunt nomen proprium eſſe urbis: malo tamen appellative ſumere nomen effuſionum, non pro ſootibus & rivis, ſed pro radice, ubi terra per acclivem deſceoſum qoodammodo ſe effundere videtur. Piſgah unum eſſe ex verticibus montis Abarim, poſtea videbimus.

18. *Præcepique vobis.*] Ad eos quidem ſolos dirigitur ſermo quibus trans Jordanem dabatur hæreditas. Oſtendit tamen Moſes pactum ſe interpoſuiſſe, ne ſua ditione ante fruerentur duæ illæ tribus cum dimidia, quam belli ſocietate defunctæ eſſent in ſubigenda terra Chanaan. Dicit ergo ſe dediſſe illis locum, non in quo ſtatim quieſcerent, ſed in quo deponerent uxores ſuas, & peculium, donec toti populo tranquilla eſſet ſua ſtatio.

Ex Deut. IV.

41. Tunc ſeparavit Moſes tres urbes trans Jordanem ad exortum Solis:
42. Ut fugeret illuc homicida qui occidiſſet proximum ſuum * neſciens, quem non odiſſet ab heri & nudiustertius: ut fugeret ad unam ex urbibus iſtis, & viveret.
43. Bezer in deſerto, in terra planitiei, à Reubenitis: Ramoth-Galaad à Gaditis, & Golan in Baſan à Menaſſe.

* vel, per errorem: vel, per inogitantiam.

Sex urbes (ut alibi viſum eſt) deſtinaverat Deus in refugium, ſi quis hominem occiderat, modo ſuam innocentiam judicibus probaret. In tribus quas trans Jordanem aſſignaverat, narrat Moſes ſe fideliter præſtitiſſe quod Deus juſſerat. Unde apparet, quamvis non ſtatim omni ex parte ſatisfieri poſſet Dei mandato, non tamen expectaſſe dum tres aliæ urbes accederent: ſed quantum ferebat facultas, ſuo munere fuiſſe perfunctum. Quo exemplo diſcamus, etiam ubi ad finem non ſtatim perducere licebit quod aggredi jubet Deus, minime tamen cunctandum eſſe. Nec vero nos aliud moratur quam mera ſegnities, niſi Deo jubente mature incipimus quod Deus per alios abſolvi ac finiri vult.

NUMER. CAP. XXXIII.

IStæ ſunt profectiones filiorum Iſraël, qui egreſſi ſunt è terra Ægypti, per exercitus ſuos, per manum Moſis & Aharon.
2. Scripſit autem Moſes egreſſus eorum per profectiones eorum juxta ſermonem Jehovæ: iſtæ, inquam, ſunt profectiones eorum per egreſſus eorum.
3. Profecti ſunt igitur è Rameſſe menſe primo, decima quinta die menſis primi: poſtera die Phaſe egreſſi ſunt filii Iſraël in manu excelſa in oculis omnium Ægyptiorum.
4. (Ægyptii autem interim ſepeliebant quos percuſſerat Jehova ex eis, omnem primogenitum, & in diis eorum fecerat Jehova judicia.)
5. Profecti ſunt, inquam, filii Iſraël è Rameſſe, & caſtrametati ſunt in Suchoth.
6. Profecti autem de Suchoth, caſtrametati ſunt in Etham, quæ eſt in extremo deſerti.
7. Et profecti de Etham, reverſi ſunt in Phi-hahiroth, qui eſt ante Baal-ſephon, & caſtrametati ſunt ante Migdol.
8. Profecti vero de Phi-hahiroth, tranſierunt per medium maris in deſertum: & ambulaverunt viam trium dierum per deſertum Etham, & caſtrametati ſunt in Marah.
9. Profecti vero de Marah, venerunt in Elim: in Elim vero erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & caſtrametati ſunt illic.
10. Et profecti ex Elim, caſtrametati ſunt juxta mare Suph.
11. Profecti autem è mari Suph, caſtrametati ſunt in deſerto Sin.
12. Et profecti è deſerto Sin, caſtrametati ſunt in Dophcah.
13. Profecti autem è Dophcah, caſtrametati ſunt in Alus.
14. Et profecti ex Alus, caſtrametati ſunt in Rephidim, ubi non erant aquæ populo ad bibendum.
15. Ideo profecti è Rephidim, caſtrametati ſunt in deſerto Sinai.
16. Profecti autem è deſerto Sinai, caſtrametati ſunt in Cibroth-Hathaavah.
17. Et profecti ex Cibroth-Hathaavah, caſtrametati ſunt in Haſeroth.
18. Et profecti de Haſeroth, caſtrametati ſunt in Rithmah.
19. Profecti vero de Rithmah, caſtrametati ſunt in Rimmon Peres.
20. Et profecti è Rimmon Peres, caſtrametati ſunt in Libnah.
21. Profecti vero è Libnah, caſtrametati ſunt in Riſſah.
22. Et profecti è Riſſah, caſtrametati ſunt in Cehelothah.
23. Profecti item è Cehelothah, caſtrametati ſunt in monte Sepher.
24. Profecti quoque è monte Sepher, caſtrametati ſunt in Haradah.
25. Et profecti ſunt è Haradah, & caſtrametati ſunt in Machelothah.
26. Et profecti è Machelothah, caſtrametati ſunt in Thahath.
27. Profecti autem è Thahath, caſtrametati ſunt in Tharah.
28. Profecti quoque è Tharah, caſtrametati ſunt in Micheah.
29. Profecti item è Micheah, caſtrametati ſunt in Haſmonah.
30. Et profecti ſunt de Haſmonah, & caſtrametati ſunt in Moſeroth.
31. Et profecti de Moſeroth, caſtrametati ſunt in Bene-jaacan.
32. Profectique è Bene-jaacan, caſtrametati ſunt in Hor Gilgad.
33. Et profecti de Hor Gilgad, caſtrametati ſunt in Jotbathah.
34. Et profecti de Jotbathah, caſtrametati ſunt in Abronah.
35. Profecti vero ex Abronah, caſtrametati ſunt in Eſion-gaber.
36. Et profecti ex Eſion-gaber, caſtrametati ſunt in deſerto Sin, quod eſt Cades.
37. Et profecti ſunt è Cades, & caſtrametati ſunt in Hor monte, in extremo terræ Edom.

38. Aſcendit

38. Aſcendit autem Aharon ſacerdos in Hor montem juxta ſermonem Jehovæ, & mortuus eſt anno quadrageſimo ex quo egreſſi ſunt filii Iſraël è terra Ægypti, menſe quinto, primo die menſis.

39. Eratque Aharon natus centum & viginti tres annos quando mortuus eſt in Hor monte.

40. Audivit autem Chenaanæus rex Arad (is vero habitabat in Meridie, in terra Chenaan quum ingrederentur filii Iſraël.)

41. Et profecti de Hor monte, caſtrametati ſunt in Salmonah.

42. Profecti vero ex Salmonah, caſtrametati ſunt in Punon.

43. Profecti è Punon, caſtrametati ſunt in Oboth.

44. Profecti item ex Oboth, caſtrametati ſunt in Iie-haabarim in termino Moab.

45. Profecti ex Iim, caſtrametati ſunt in Dibon-gad.

46. Profecti item ex Dibon-gad, caſtrametati ſunt in Almon-diblathaim.

47. Profecti præterea ex Almon-diblathaim, caſtrametati ſunt in montibus Abarim ante Nebo.

48. Et profecti è montibus Abarim, caſtrametati ſunt in campeſtribus Moab, juxta Jordanem Jericho.

49. Tandem caſtrametati ſunt juxta Jordanem à Beth-jeſimoth uſque ad Abel-ſittim in campeſtribus Moab.

50. Loquutus eſt autem Jehova ad Moſen in campeſtribus Moab, juxta Jordanem Jericho, dicendo,

51. Alloquere filios Iſraël, & dicas eis, Quum tranſieritis Jordanem ad terram Chenaan,

52. Expellite omnes habitatores terræ à facie veſtra.

53. Expelletis, inquam, habitatores terræ, habitabitiſque in ea. vobis enim dedi terram, ut eam poſſideatis.

54. Poſſidebitis autem terram illam per ſortem, per familias veſtras: pluribus multiplicabitis hæreditatem eorum, & paucioribus diminuatis hæreditatem eorum: in loco in quo egredietur illi ſors, erit illis: per tribus patrum veſtrorum hæreditatem capietis.

55. Quod ſi non expuleritis habitatores terræ à facie veſtra, tum erit ut quos reliqueritis ex eis, ſint in cultros in oculis veſtris, & in ſpinas lateribus veſtris, & affligent vos ſuper terram in qua vos habitabitis.

56. Evenietque ut quemadmodum cogitavi facere illis, faciam vobis.

1. *Iſtæ ſunt profectiones.*] Stationes in quibus caſtrametatus eſt populus, non omnes antea Moſes recenſuit, ſed eas fere duntaxat in quibus memorabile aliquid contigerat, maxime poſt tranſitum maris Rubri: quia magnopere intererat ſtatui quaſi ante oculos locorum circumſtantias, donec admirabili Dei potentia non modo erepti eſſent à præſenti morte, ſed per mortem & profundas abyſſos patefactus eſſet illis egreſſus ad vitam. Et uno loco ſatis admonuit, ſe quaſdam ſtationes omittere, ubi refert populum è deſerto Sin per ſuas profectiones (ſicuti indictæ erant ore & mandato Dei) veniſſe in Raphidim: hic vero ſingula loca in quibus ſubſtiterant diligentius perſequitur, acſi in tabula repræſentaret quadraginta annorum peregrinationem. Finis autem eſt, primum ut memoria redemptionis, & tot beneficiorum quæ annexa erant, altius defixa maneat in omnium cordibus: ſicuti ad hiſtoriæ certitudinem non parum valet locorum deſcriptio: deinde ut locorum nominibus admoniti, reminiſcantur quoties & quot modis iram Dei in ſe provocaverint: maxime vero ut agnoſcant, quum jam eſſent in ipſo terræ promiſſæ veſtibulo, ſua pravitate & contumacia ſe fuiſſe retroactos, & per flexuoſos errores vagatos, donec illis impiæ ingratitudinis ſoluta eſſet merces. Interea ut ſecum expendant, Deum ſua miſericordia ſic temperaſſe vindictæ rigorem, ut gratiæ ſuæ contemptores quantumvis ſceleſtos & indignos, aleret nihilominus & foveret: fœdus vero quod pepigerat cum Abraham, ad filios propagaret. In hunc finem reſpicere oportuit Iſraëlitas, ut rite in tota itineris ſui narratione proficerent. Porro non abs re præfatur Moſes, has eſſe profectiones filiorum Iſraël: quia ex quo egreſſi fuerant è terra Goſſen, eos non vulgaris trepidatio & anxietas conſtrictos tenuit, donec ſe viderunt in ſepulchrum demerſos: quia undique concluſi erant vel mari, vel faucibus duorum montium, vel exercitu Pharaonis. Deſertum ingreſſi antequam pertingerent ad montem Sinai, ſeptem ſtativa habuerunt, in quibus centies pereundum erat fame, ſiti, rerumque omnium inopia, niſi mirabiliter à Deo fuiſſet ſuccurſum. Cæterum quum totidem diebus facile eſſet totum iter conficere, jam tunc moram afferre cœpit perverſa eorum impotentias. Si eos urgebat panis & aquæ penuria, acrius ſtimulari oportuit, ut ſuppliciter ad Deum confugerent. Adeo autem alieni ſunt à manſuetudine, quæ eos doceat à Deo precibus & votis eſflagitare neceſſitati ſuæ remedium, ut potius tumultuentur contra Moſen: neque id modo, ſed proterve Deum ipſum impetant nefandis convitiis, acſi fævus eſſet carnifex, non redemptor. Hinc ergo factum eſt, ut non ante diem quadrageſimum adducti tandem fuerint ad montem Sinai. Vixdum Lex erat promulgata, & adhuc perſonabat in eorum auribus formidabilis vox Dei, qua eos ſibi in populum addixerat, & ecce, repente turpis, imo prodigioſa ad idololatriam defectio: qua per eos non ſtetit quominus abjecta Dei gratia, & quantum in ipſis erat, abolita promiſſione, miſere perirent, ut digni erant. hoc obſtaculo rurſus fuerunt ab ulteriore progreſſu cohibiti. Eadem obſtinatione ſubinde contra Deum inſanierunt: nec pluribus pœnarum exemplis admoniti unquam redierunt ad ſanam mentem. Cumulus furioſæ contumaciæ fuit, dum progreſſi ad terræ promiſſæ limitem, repudiarunt Dei beneficium, ſeque tanquam Deo repugnante hortati ſunt ad reditum, acſi fœteret illis inæſtimabilis redemptio quæ eos perpetua

obligatione retinere debuerat in obſequio Dei. Quæ deinde ſequuntur ſtationes, magis ad vivum exprimunt, ſicuti navis tempeſtate repulſa à portu, variis procellis circumvolvitur, ita quoque retractos ab acceſſu terræ, per obliquos circuitus erraſſe: quoniam digni erant quos Deus per ludibrium traduceret. Ad hoc Moſis conſilium oculos dirigere convenit, ut hoc caput cum fructu legamus. Profectiones autem vocat ordines itinerum, ſtationibus diſtinctos: quia caſtra non movebant niſi dato ſigno, quum ſcilicet nubes relicto ſanctuario, in alium locum tendebat, acſi Deus è cœlo manum porrigeret ad iter gubernandum. unde clarius innotuit, ejus potentia retentos fuiſſe in deſerto.

3. *Profecti ſunt de Rameſſes.*] Quod volunt quidam nomen urbis pro tota regione Goſſen poſitum, mihi non probatur: quia conſentaneum non eſſet, ex locis diſtantibus ac remotis ſimul fuiſſe profectos. Minus etiam quadraret quod mox additur, turmis diſpoſitis egreſſos fuiſſe: non quod in urbem omnes ſimul confluxiſſent, quia vix credibile eſt tantam multitudinem potuiſſe intra muros recipi: ſed quia ex edicto Moſis & Aharon in agrum urbis aut viciniam fuerunt coacti, ut ſuos ordines digererent, ne confuſa feſtinatione alii alios impedirent. Poſtquam autem dixit egreſſos fuiſſe manu Dei excelſa: ut hanc admirabilem potentiam magis commendet, addit Ægyptios teſtes fuiſſe ac ſpectatores. unde colligitur ceſſiſſe tandem Deo, vel ita fuiſſe ſubactos, ut digitum tollere non auderent. Accedit alia circumſtantia, quod tunc Ægyptii mortuos ſuos primogenitos ſepelirent. quibus verbis non ſignificat Moſes ceſſaſſe ab impediendo tranſitu, quoniam alio negotio diſtricti erant: quin potius admonet, quamvis eos exacerbaret dolor ex ſuorum morte, jacuiſſe tamen quaſi examines: quia eos debilitaverat Dei virtus, ut facultas ad reſiſtendum deficeret. Quod dicit Moſes Deum exerciuiſſe judicia contra deos Ægypti, ad commendationem veræ religionis ſpectat, ne unquam deflectant filii Iſraël ad Gentium ſuperſtitiones, quas in ſua liberatione experti ſunt meras eſſe fallacias. Neque enim Pharao duntaxat proſtratus fuit cum ſuis copiis, ſed dii quoque eorum pudefacti, quos ſibi fingebant terræ ſuæ præſides. Atque ita refutati, erroriſque & ſtultitiæ convicti fuerunt omnes eorum cultus. Frivolum vero commentum eſt, ſponte collapſa fuiſſe omnia idola in Ægypto, ut Deus Iſraël ſibi uni deitatis gloriam aſſereret. Satis eſt Deum egiſſe ſuos triumphos de idolis, ubi reipſa palam fecit nullas illius ad opitulandum vires ſuppetere: & magorum ſimul præſtigias diſcuſſit. Huc videtur alludere Jeſaias, quum dicit, Ecce Deus in Ægyptum veniet, & concident omnia idola. ſignificat enim Deum in Ægypto edituram potentiæ ſuæ documenta, quæ errorum omnium vanitatem coarguant, & evertant omnia ſuperſtitionum figmenta, quibus deceperi fuerant Ægyptii. *Jeſa. 19. verſ. 1.*

8. *Profecti de Phihahiroth.*] Narrat populum itenere tridui progreſſum eſſe: non tam ad tolerantiæ laudem quam ad celebrandam admirabilem Dei potentiam, qui tantam multitudinem abſque aqua ſuſtinuerit. Tenendum enim eſt memoria quod alibi docui, à tranſitu maris Rubri uſque ad Mara nullas fuiſſe aquas repertas: quo magis deteſtanda fuit populi impietas, qui illic propter amarum aquæ ſaporem ad tumultuandum prorupit. Ex oppoſito autem refulſit incomparabilis Dei miſericordia, quod homines moroſos & importunos dignatus eſt amœna & delectabili ſtatione recreare. Primis enim caſtris deducti ſunt in Elim, ubi nacti ſunt duodecim fontes, & palmas ſeptuaginta. Defertum Sin leviter prægreſſi Moſes, acſi nihil illic memoratu dignum contigiſſet: quum tamen illic ſe prodiderit ſceleſta populi impietas, & inſigni miraculo nobilitatus fuerit locus, quum Man è cœlo diſtillavit in alimentum populi, ut apertis cœli feneſtris, panem Angelicum mortalis homo comederet. Breviter etiam attingit, in Raphidim non fuiſſe aquas ad bibendum. Verum ſatis habuit hoc loco numerare ſtationes, quæ populo res geſtas in memoriam revocarent. In Sepulchris concupiſcentiæ inſculptum fuit vindictæ Dei monumentum. Sed quum alia loca ſimpliciter recenſet, ſepulta rerum narratione, colligere licet quod paulo ante dixi, non aliud fuiſſe ejus conſilium quam populo ante oculos depingere peregrinationem qua defunctus fuerat per annos quadraginta. Obiter tamen meminit mortis Aharon: quia ſingulari Dei beneficio prorogata fuit ei vita in gratiam populi, donec inſtaret tempus quo promiſſam terram adituri erant: quandoquidem utile ac neceſſarium frenum erat ejus auctoritas ad cohibendam gentis adeo protervæ ferociam. Interim pœna ſancto viro inflicta, poſteros monere debuit, non abs re patres ſevere fuiſſe caſtigatos, qui peccata peccatis addere non deſiterant: quando ne ſervo quidem ſuo Deus ob unicum delictum pepercerat. Quod continuo poſt addit, Chananæum tunc primum audiſſe de adventu filiorum Iſraël, eo ſignificat divinitus velum oppoſitum fuiſſe hoſtibus, ne citius infeſti eſſent. Ira enim judicii ſui rigorem mitigavit Deus ut Iſraëlitis quietum ſaltem eſſet exilium, & immune ab externa moleſtia, quamdiu in deſerto ipſis errandum erat.

50. *Loquutus eſt Jehova.*] Finem & conſilium Dei cur gentes expelli vellet, alibi expoſuimus, ne ſcilicet adulterarent ſuis mixturis purum Legis cultum, populum malis exemplis corrumperent, atque adeo inquinamenta eſſent terræ ſanctæ. Nunc vero alio reſpicit Moſes, quia de terræ partitione acturus, præfatur, vacuandam eſſe ſuis incolis, ut plena & libera fruitio maneat filiis Iſraël. Contextus hic notandus eſt: quoniam alioqui locus hic appendix fuiſſet primi præcepti, ſicuti altera pars verſus ſub primo præcepto poſita fuit. Verum quia conjunctim pronunciat Deus, Expelletis incolas è terra, & illic habitabitis, quia dedi vobis poſſidendam: abſurdum fuit membrum unum ab altero divelli.

54. *Poſſidebitis autem per ſortem.*] Modus quoque diviſionis exprimitur, ut quiſque poſſideat quod ſorte obtigerit. Fuit autem hæc optima ratio, quia nunquam paſſæ fuiſſent ſingulæ tribus, hominum arbitrio in hanc vel in illam partem ſic ablegari. Imo ſi judicum ſuffragiis permiſſa fuiſſet cognitio, inter ſe jurgati eſſent potius quam definiiſſent quid rectum eſſet. Sed hic altius quiddam conſiderare oportet: nempe hoc modo Deum certo comprobaſſe, ſua liberalitate & ſingulari beneficio filios Iſraël terræ illius hæredes eſſe ac dominos. Ac principio tenendum eſt, quamvis ſortibus nihil magis fortuitum exiſtiment homines, eas tamen divinitus gubernari, ut dicit Solomon. Sortiri ergo juſſit Deus populum, ſibi in ipſo exitu judicium vendicans. Jam qui factum eſt ut tribus Zabulon partem ſuam adepta ſit in littore maris, niſi quia ſic prædictum fuerat à Patriarcha Jacob? Cur tribui Aſer obtigit ferax optimi frumenti regio, niſi quia eodem ore pronunciatum fuerat pinguem fore panem Aſer, qui daturus eſſet delicias regibus? Eodem vaticinio nacta eſt tribus Jehudah hæreditatem vitiferam, & optimis paſcuis uberem. Itaque terræ fortitio clare monſtravit non fruſtra Deum olim pollicitum fuiſſe Abrahæ terram illam: quia donationis præconium ex ore Jacob efficax & ratum fuit. Pius ſenex fame illinc expulſus fuerat. Inquilinus in Ægypto, & bis exul poſteris ſuis non ſecus pro ſummo imperio partes aſſignat, acſi paterfamilias pauca fundi ſui jugera inter hæredes diſtribueret. Sed quod tunc ridiculum videri poterat, Deus tandem obſignavit. Unde apparet, quæ pro modulo ſenſus noſtri cæco fortunæ imperio verſari putamus, dirigi arcana Dei providentia: conſilium vero Dei perpetuo tenore ita ſtare ut exitus princi- *Prov. 16. verſ. 33.*

piis

piis reſpondeat. Rurſus vero juſta analogium illis commendat, ut pro numero hominum major aut minor portio ad ſingulas tribus perveniat. Quod autem allegorice quidam notari volunt, gratuito Dei beneplacito tanquam ſorte nobis obtingere cæleſtem hæreditatem, quanquam primo intuitu plauſibile ſit, nullo negotio refellitur. Pars hæreditatis erat Hebron: atqui ea extra ſortem potitus eſt Caleb. Major autem apparet exceptio in tribu Ruben & Gad, & dimidia tribu Manaſſe, qui populi conſenſu, non ſorte, ſed quaſi privilegio impetrarunt quicquid acquiſitum fuerat trans Jordanem. Diſcant igitur lectores ab argutiis abſtinere, ne ſæpe cum pudore agnoſcant, inanem umbram ſe captaſſe.

55. *Quod ſi non expulerit.*] Cur tam ſevere exarſerit ira Dei in illas gentes ut prorſus extinctas vellet, alibi vidimus. Jam à tempore Abrahæ cœperat illic graſſari magna ſcelerum licentia, ſicut colligitur ex Dei verbis, quum diceret nondum completam eſſe eorum iniquitatem. Poſtquam annis quadringentis abuſi ſunt Dei ipſius tolerantia, quis interitum illorum tam longæ obſtinationis mercedem juſtam & maturam eſſe neget? Cæterum illos excidendo, rationem habuit Deus electi populi, ut ſegregatus à profanis hominibus, nunquam ad exteras corruptelas deflecteret. Pœnam vero quæ nunc denunciatur, ſua ignavia bis promeriti ſunt Iſraëlitæ: quia nec partibus ſuis defuncti ſunt in exigenda Dei vindicta, & ejus gratiæ, quantum in ſe erat, detraxerunt. Honore eos non vulgari dignatus fuerat, quum exercendis ſuis judiciis miniſtros præficeret. Turpis ergo fuit ſegnities, hac in parte ceſſare. Deinde terram illis in ſolidum dederat. quod ergo parte contenti neglexerunt quod reſiduum erat, in hoc torpore ſe prodidit perverſa ingratitudo. Adde quod ultro ſe implicuerunt exitialibus plagis, gentes impias ſibi miſcendo, à quibus divinitus fuerant ſeparati, ne earum mores & perverſos ritus imitarentur. Minatur ergo Deus, gentes illas tanquam aculeos fore Iſraëlitis, qui configant eorum oculos, ſpinaſque & latera pungant. quod fuiſſe impletum, liber Judicum maxime luculentus eſt ac locuples teſtis. Quanquam uſque ad tempus Davidis hæc pœna aſſidue defixa fuit in eorum oculis & lateribus. In quo etiam convincitur indomita populi protervia, apud quem nihil profecit tam ſeria admonitio, ut in apertis ſcelerum ultionibus non minus quam in felici victoriarum curſu pergeret.

NUMER. Cap. XXXIV.

ET loquutus eſt Jehova ad Moſen, dicendo,

2. Præcipe filiis Iſraël, & dicas eis, Quum intraveritis terram Chanaan (iſta eſt terra quæ cadet vobis in hæreditatem, terra Chanaan per terminos ſuos)

3. Erit vobis plaga Meridiei à deſerto Sin uſque ad terminos Edom: erit inquam vobis terminus Meridiei ab extremo maris Salis ad Orientem.

4. Et circuibit vobis iſte terminus à Meridie ad Maale Acrabim, & tranſibit uſque ad Sin: & erunt egreſſus ejus à Meridie in Cades Barnea. atque illinc egredietur ad villam Addar, & tranſibit uſque ad Aſmon.

5. Præterea circuibit terminus iſte ab Aſmon uſque ad flumen Ægypti: & erunt illinc egreſſus ejus ad Occidentem.

6. Terminus autem Occidentalis erit vobis mare Magnum: terminus, inquam, iſte erit vobis terminus Occidentalis.

7. Iſte vero erit vobis terminus Aquilonaris: à mari Magno deſcribetis vobis Hor montem.

8. Ab Hor monte deſcribetis uſque ad introitum Hamath: & erunt egreſſus termini illius ad Sedad.

9. Et illinc egredietur terminus iſte ad Ziphon, eruntque egreſſus ejus ad villam Enan. iſte erit vobis terminus Aquilonaris.

10. Deſcribetis præterea vobis terminum ad Orientem, à villa Enan uſque ad Sepham.

11. Et deſcendet iſte terminus à Sepham uſque ad Riblah ab Oriente Ain: & deſcendet terminus iſte, pervenietque ad latus maris Cinnereth ad Orientem.

12. Et deſcendet iſte terminus ad Jordanem, eruntque egreſſus ejus ad mare Salis: iſta erit vobis terra per terminos ſuos per circuitum.

13. Præcepit autem Moſes filiis Iſraël, dicendo, Hæc eſt terra quam poſſidebitis ſorte, & quam præcepit Jehova dare novem tribubus, & dimidiæ tribui.

14. Acceperunt enim tribus filiorum Reubenitarum per domos patrum ſuorum, & tribus filiorum Gaditarum per domos patrum ſuorum, & dimidia tribus Menaſſe: acceperunt inquam hæreditatem ſuam.

15. Duæ tribus & dimidia acceperunt poſſeſſionem ſuam citra Jordanem Jericho ad Orientem ad exortum Solis.

16. Loquutus eſt præterea Jehova ad Moſen, dicendo,

17. Iſta ſunt nomina virorum qui poſſidendam vobis diſtribuent terram: Eleazar ſacerdos, & Joſue filius Nun.

18. Et principes ſingulos de qualibet tribu capietis ad poſſidendam terram.

19. Iſta ſunt nomina virorum: de tribu Jehudah, Caleb filius Jephunch.

20. Et de tribu filiorum Simeon, Samuel filius Ammihud.

21. Et de tribu Benjamin, Elidad filius Chislon.

22. Et de tribu filiorum Dan, princeps Bucci filius Jogli.

23. De filiis Joſeph, de tribu filiorum Menaſſe, princeps Huiel filius Ephod.

24. Et de tribu filiorum Ephraim, princeps Cemuel filius Siphtan.

25. Et de tribu filiorum Zabulon, princeps Elisaphan filius Paruach.
26. Et de tribu filiorum Issachar, princeps Paltiel filius Azzan.
27. Et de tribu filiorum Aser, princeps Ahihud filius Selomi.
28. Et de tribu filiorum Nephthali, princeps Pedahel filius Ammihud.
29. Isti sunt quibus præcepit Jehova ut distribuerent hæreditatem filiis Israël in terra Chanaan.

1. *Et loquutus est Jehova.*] Hic officium suscipit Deus providi & sedulí patrisfamilias, dum terram suis finibus undique circumscribit, ne jus possessionis unquam sit ambiguum. Incipit autem à termino Australi: ubi notandum est comprehendi regionem Basan, & quicquid ante transitum Jordanis acquisierant Israëlitæ ex quo hæc accessio Deo probata fuit. Extendit autem partem illam usque ad desertum Sin & fines Edom, & per circuitus deducit à Cades Barnea usque Addar, & transitum Asmon: denique ad torrentem quo alluitur urbs Rhinocorura, quæ Ægypto contigua est. Neque enim per flumen Ægypti intelligi potest Nilus, cujus cursus ad eam plagam minime tendebat. Ergo à mari Mediterraneo versus Arabiam erat Australis terminus: versus Occidentem alluebatur terra mari Mediterraneo, quod hic vocatur Magnum respectu lacus Genezare, & maris Salsi, quo nomine intelligitur lacus Asphaltites. Initium Septentrionalis termini erat promontorium Hor: neque enim de monte accipere convenit in quo mortuus est Aharon: qui procul distabat, & situs erat à parte opposita. Illinc usque ad Epiphaniam Syriæ, quæ vocatur Hemath, porrigebatur: duas enim urbes ejusdem nominis fuisse, Hieronymo assentior. & certe probabile est, à Propheta Amos vocari Antiochiam Hemath magnam comparatione minoris cujus nunc sit mentio, cui nomen imposuit impius ille & crudelis tyrannus Epiphanes. An vero Antiochia major olim dicta fuerit Hemath & Riblah (sicuti tradit Hieronymus) in medio relinquo. Deinde transibat Sedad & Ziphon. ultimus finis erat villa Enan. Illinc terminus Orientalis transibat per Sepham, Riblah, & Ain, donec perveniret ad lacum Genezare. qui lacus est satis celebris, & vocatur mare Cinnereth. Ita terminus Orientalis ab Arabia respiciebat versus Persidem: à plaga vero Aquilonari sita erat Babylon.

13. *Præcepit autem Moses.*] Repetitio est, sed non superflua: quia sortem novem tribuum & dimidiæ superiori donationi opponit. Quæ enim mox additur exceptio, Rubenitis & Gaditis & dimidiæ tribui Manasse agros fuisse concessos ultra Jordanem, non excludit eos à parte hæreditatis promissæ, acsi tanquam exhæredati ablegarentur extra fines à Deo præscriptos: sed à sorte duntaxat, quia extra ordinem à fratribus suis obtinuerant quod in communi hæreditate alioqui censeri debuit comprehensum. Non quod ab initio id fuerit patefactum, sed quia Deus pro sua indulgentia ratum habuit postulatum, quo fines terræ ampliabant. Et certe absurdum fuisset, acsi abdicati essent à familia Abrahæ, nullum illis inter fratres locum dari in terra promissa. Ac nuper vidimus, partem hanc quæ videtur ab aliis separari, inclusam fuisse limitibus à Deo positis. Simpliciter ergo voluit Moses sortitioni subjicere quicquid restabat.

16. *Loquutus est Jehova.*] Emergit quæstio, Si terram sortiri inter se oportuit filios Israël, quorsum interposita fuerit judicum auctoritas, acsi eorum esset quicquam decernere? Atqui si expendimus quod paulo ante dictum est, spectandum in distribuenda terra fuisse numerum cujusque tribus, utroque opus fuit: ut suo decreto ostenderet Deus quæ cujusque esset regio, deinde accederet dimensio pro hominum multitudine. Sortitio enim necessaria fuit: quia plagam maritimam refugissent multi, prætulissent finum terræ extremitatibus, noluissent relegari in montes: denique murmuribus & rixis inter se certassent absque modo. Hac ratione jactæ sortes, quarum judicio Deus singulas tribus locavit in qua placuit statione: sic tamen ut prius judices cum Sacerdote & Josua terram in decem provincias partiti sint. Postquam vero cognitum fuit in qua singulæ tribus plaga habitarent, acsi Deus illic hospitia designasset, iterum sententiam hominum intervenire necesse fuit, quousque & in quam partem porrigendi fines essent majorum tribuum: alioqui minores recusassent coarctari qua parte minus erat commodum. Etsi autem summa potestas merito erat penes Josuam & Eleazar, ne tamen eos invidiæ & calumniis exponeret Deus, consilium adjunxit, in quo etiam prudenter occursum fuit æmulationi: quia tribus duodecim singulos dederunt judices, qui distributioni præessent, ut nulla conqueri posset se fuisse gravatam. Porro quia magnopere intererat, firmam apud posteros vigere possessionem semel statutam, primo recitantur ad historiæ certitudinem principum nomina: deinde, sicut in principio capitis dictum fuerat, in fine repetitur, à Deo fuisse electos: unde Israëlitæ discebant non posse terminos tunc positos convelli quin pessundaretur ipsius Dei auctoritas.

Deut. Cap. XXXI.

1 ABiit itaque Moses, & loquutus est verba ista ad universum Israëlem.
2. Dixitque eis, Centum & viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi & ingredi: præterea Jehova dixit ad me, Non transibis Jordanem istum.
3. Jehova Deus tuus ipse transiturus est ante te, ipse disperdet gentes istas à facie tua, possidebisque eas: Josua ipse transiturus est ante te, quemadmodum dixit Jehova.
4. Facietque Jehova illis quemadmodum fecit Sihon & Og regibus Emorrhæi, & terræ eorum quos disperdidit.
5. Quum ergo dederit eos Jehova ante faciem vestram, tunc facietis eis omnino juxta præceptum quod præcepi vobis.
6. Estote fortes, & roborate vos, ne timeatis, neque paveatis à facie eorum: Jehova enim Deus tuus est qui pergit tecum, non deseret te, neque te derelinquet.
7. Vocavit ergo Moses Josua, & dixit illi in oculis totius Israëlis, Esto fortis, & robora te: tu enim ingredieris cum populo isto terram quam juravit Jehova patribus eorum se daturum illis, & ipse sorte divides eam illis.
8. Jehova autem est qui præcessurus est te, ipse erit tecum: non te deseret, neque derelinquet te, ne timeas, neque paveas.

1. *Abiit itaque Moses.*] Abeundi verbo significat, acceptis à Deo mandatis ad populum venisse ut ea perferret. Unde colligimus, in tempore fuisse admonitos ut sibi caverent, si quidem fuissent sanæ mentis. Et ex ore ejus necesse fuit populum audire sermones illos minime jucundos, utpote qui & atrocibus minis & duris objurgationibus pleni erant: quia si recitati demum fuissent post ejus mortem, statim clamassent omnes ab alio doloſe confictos esse, atque ita falso prætendi ejus nomen. Jam & temporis circumstantia ad pondus augendum non parum valuit, ut non solum mansueta docilitate se tunc doctrinæ subjicerent, sed ut in posterum penitus infixa maneret eorum cordibus. Scimus quanta attentione excipi soleant ultimæ morientium voces: Moses ad mortem obeundam Dei mandato jam accinctus, apud populum verba fecit, quasi extremum vale dicturus. Ergo ad fidem & dignitatem Prophetici muneris accessit vis testamenti & auctoritas. Sicuti porro tota vita de populi salute incredibili modo sollicitus fuerat, ita nunc curam plusquam paternam longius extendit. Et certe, pios doctores, quantum in se est prospicere convenit, ut ipsis superstes vigeat laborum fructus. Cujus sedulitatis exemplum Petrus in se proponit. Justum (inquit) arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonitionem: quin & dabo semper operam, ut post obitum meum harum rerum possitis esse memores. 2 Petr. 1. vers. 13.

2. *Dixitque eis, Centum & viginti.*] Quamvis superbe & fastidiose sæpius rejectus fuisset Moses, fieri tamen non potuit quin ejus discessus & summum mœrorem afferret, & incuteret gravem metum. Ergo ætate sua proposita, anxietatem solatur, & tristitiam mitigat: deinde alia quoque ratione compescit eorum querimonias, quia Deus terminum ejus vitæ fixerit. Levamen ergo adducit, quia & mors sit plusquam matura, neque jam ferendis laboribus in tanta senectute sufficiat. Hic tamen nascitur quæstio, Quomodo se caducum esse & fractis viribus dicat: quia paulo post videbimus, integris sensibus viguisse usque ad mortem. Sed solutio facilis est, non ideo præ senio futurum inutilem fuisse, quia vel oculis hebes esset, vel aliis membris tremulus, sed quia ætas non ferebat ut diutius solitum munus obiret. Nam præter naturæ rationem, mirabiliter ad tempus illud conservatus fuerat: sed quia jam ad metam cursus sui pervenerat, subito collabi necesse erat, & facultate destitui. Porro Egredi & ingredi tantundem valet ac vitæ functiones peragere. Sic in Psalmo dicitur, Nostri introitus meos & egressus. Psal. 121. vers. 7. Et hac ratione dicitur David ingressus & egressus esse, quum exequeretur munus sibi à Saule injunctum. Secundo loco ubi commemorat se excludi à terra Chanaan, & prohiberi ejus ingressu: oblique populum perstringit, cujus culpa Deus excanduerat contra Mosen ipsum & Abaron. Itaque hac tacita exprobratione admoniti fuerunt Israelitæ ut patienter justam ingratitudinis suæ pœnam ferrent. Interea sicuti se morigerum ostendit Dei decreto, ita eos acquiescere jubet. 1 Sam. 18. vers. 5.

3. *Jehova Deus tuus.*] Hic non vulgari consolatione ad novam alacritatem erigit eorum animos: quia sensuri sint ipso quoque mortuo perennem Dei gratiam. Unde colligitur apprime utilis doctrina: quoties Deus nobis excitat homines excellentibus donis præditos, sic ad tempus uti ipsum solere eorum opera ut in manu sua habeat alios subinde atque alios subrogare, nisi vitia nostra sint obstaculo. Unde sequitur præclaris hominum dotibus non alligandam esse Dei virtutem, acsi mors illorum ejus esset interitus. Verum quidem est præstantibus viris pares raro succedere: nempe quia malitia nostra lucem bonorum spiritualium accensam suffocat, & quantum in se est extinguit: fixum tamen illud manet, ubi Deus per eximios & singulares ministros salutem nostram promovet, gustum bonitatis suæ dare, ut continuum ejus tenorem speremus: quia opus manuum suarum inchoatum non deserit. Dicit ergo Moses, quamvis absit ipse per mortem ereptus, Deum tamen sustepturum ducis partes, vel potius perpetuum fore ducem, sicuti antea experti fuerant Israelitæ. Sed altero quoque solatio eorum infirmitatem sublevat, Josue succesſorem sibi designans: alioqui populo promptum fuisset excipere, si Deus præcedere ipsos vellet, cur non id palam faceret electo vicario, per cujus manum continuaret quod per Mosen cœperat. Ergo hac quoque in parte docet minime obscurum esse paternum Dei favorem: quia jam electus sit Josue, qui curam & onus regendi populi sustineat. Neque enim suo arbitrio illis obtrudit Josue ac præficit, sed divinitus vocatum esse pronunciat. quanquam non profert rem incognitam, sed tantum vult meminisse quid illis pridem patefecerit Deus: sicut alibi visum fuit. Psal. 138.

4. *Faciet Jehova illis.*] Promittit, ubi venerint in terram Chanaan, gentium illic omnium victores fore. Quod experientia confirmat, quia idem Deus qui Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan ipsis in manum tradiderat, similem daturus sit successum in aliis hostibus subjugandis. Mundus quidem variis commotionibus obnoxius est, sed Deus manet sui similis: non modo quia nunquam mutatur ejus consilium, sed quia non minuitur ejus potentia. Ergo reali (ut loquuntur) documento populum ad bene sperandum animat, simulque ad exequendum strenue Dei mandatum hortatur: nempe ut deletis omnibus incolis, purgent terram Chanaan. Sævum quidem & crudele in speciem id fuit, ne unum quidem vivum relinquere: sed quia justè eos Deus ultimo exitio addixerat, non fuit penes Israëlitas quid agendum esset inquirere, sed omni discepatione valere jussa, parere oportuit Dei imperio. Quod ergo multis peperceruntur, eo deterior fuit ipsorum ignavia, utpote quos sæpius Deus ad exigendam quam decreverat vindictam armaverat.

6. *Estote fortes.*] Postquam Deum præsto fore docuit ad opem ferendam, ad magnitudinem animi & constantiam populum hortatur. Et certe una est hæc ratio colligendi vigoris, dum statuimus sufficere quod Deus promittit auxilium: tantum abest ut labefactetur recte agendi studium & alacritas, ubi ad scribitur gratiæ Dei quod stulti homines arrogant libero suo arbitrio. Nam qui viribus suis freti ad strenue agendum feruntur, nihil aliud quam se vesana temeritate & superbia præcipitant. Sciamus ergo fluxas esse & caducas exhortationes quæ alibi fundatæ sunt quam in mera gratiæ Dei fiducia. Hinc itaque hortandi materiam sumit Moses, quod Deus pro Israëlitis pugnabit. Notandum tamen est, populum animari ad spei perseverantiam, dum se Deus auxiliatorem fore pronunciat usque in finem: qua doctrina refellitur impium delirium quo theologi Papales mundum fascinarunt. Negant fideles posse certos esse de gratia Dei, nisi quoad præsentem statum. Ita fidem suspendunt, ut tantum in diem, adeoque in singula momenta credamus, quid cras nobiscum actурus sit Deus incerti. Atqui si fides promissionibus Dei respondet, ac veluti succinit, sese in totam vitam, imo extra mortem extendat necesse est: quia futuri temporis dubitationem tollit Deus his verbis, Non te deseram, nec derelinquam.

7. *Vocavit Moses Josue.*] Hinc apparet eos quibus publicum munus injungitur, opus habere duplici confirmatione. Nam ex quo generalem doctrinam exposuit toti populo, peculiariter sermonem convertit ad ipsum Josue, utpote cujus erat aliis præire fortitudinis exemplo, & quem manebant dura certamina. Ergo quo difficilius est omnes ducere quam sequi ducem, eum qui multis præficitur, longe

longe magis excellere convenit. Jam quum à ſeipſo nihil quiſquam poſſit, à Deo petendum eſt quod nobis deeſt. Ergo quod toti populo Moſes præceperat, nunc apud unum hominem repetit, quia in eum conjiciebatur onus regendi populi. Quod eo diligentius notandum eſt, quia ut quiſque locatus eſt in altiore honoris gradu, omnes admonitiones faſtidioſe deſpicit: unde fit ut quicunque in mundo eminent, ſecure exhortationes ſervorum Dei reſpuant. Atqui tales delicias probe excutit Moſes, ubi oſtendit omnes qui imperio funguntur, non modo cum aliis eſſe docendos, ſed vehementius etiam eſſe urgendos. Porro ubi tam in hoc loco quam in ſuperiori, fideles timere & pavere Moſes vetat, notandum eſt, non ita ſpoliari omni ſenſu, ut ad diſcriminum omnium contemptum obdurefcant: (ſicuti phrenetici quidam nullam putant eſſe fortitudinem niſi in ſtupore) ſed tantum inſtrui fiducia, quæ metus omnes ſuperet qui vocationis curſum impediunt. Scite vero latius hanc doctrinam accommodat Apoſtolus, nempe dum avaritiam vult corrigere, quæ ex nimia ſollicitudine oritur, dum miſeri homines non ſatis reputant quid ſit Deum habere perpetuum auxiliatorem. *Hebr. 13. verſ. 5.*

EX NUMER. CAP. XXVII.

15. Loquutus eſt igitur Moſes ad Jehovam, dicendo,
16. Præficiat Jehova Deus ſpirituum omnis carnis, virum ſuper congregationem:
17. Qui egrediatur ante eos, & qui ingrediatur ante eos, id eſt, qui educat eos, & introducat eos, ne ſit congregatio Jehovæ velut pecudes quæ nullum habent paſtorem.
18. Et dixit Jehova ad Moſen, Cape tibi Joſue filium Nun, virum in quo eſt Spiritus, & imponas manum tuam ſuper eum.
19. Statuaſque illum coram Eleazar ſacerdote, & coram univerſa congregatione: & dabis illi mandata in oculis eorum.
20. Et pones de gloria tua ſuper illum, ut audiant illum univerſa congregatio filiorum Iſraël.
21. Qui poſtea coram Eleazar ſtabit, & interrogabit eum de judicio Urim coram Jehova: ad verbum ejus egredientur ipſe & omnes filii Iſraël cum eo, & tota congregatio.
22. Fecit ergo Moſes quemadmodum præceperat ei Jehova. accepit namque Joſua, & ſtatuit illum coram Eleazar ſacerdote, & coram univerſa congregatione.
23. Impoſuitque manus ſuper illum, ac dedit illi mandata quemadmodum dixerat Jehova per manum Moſis.

15. *Loquutus eſt igitur.*] Hic Moſes non modo providentiam Dei in curanda populi ſalute, ſed ſuum quoque ipſius ſtudium commendat. Unde patet quam paterno fuerit affectu, qui non ſolum uſque ad finem vitæ fideliter & ſtrenue partibus ſuis defunctus eſt, nec ullas moleſtias refugit: ſed proſpicit etiam in futurum, & de ſucceſſore idoneo ſollicitus eſt, ne populus maneat ſine capite, velut corpus truncatum. Modeſtia etiam ejus perſpicitur, dum ſibi non arrogat ducis creandi munus, nec ſua auctoritate populum mittit in ſuffragia, ſed Deum conſtituit unicum electionis arbitrum. Præfectos quidem eligere licitum eſt, atque hæc pars eſt ordinis politici: verum provincia hæc fuit difficilior quam ut reperiretur hominem judicio qui ad eam obeundam ſufficeret: ideoque poteſtas ſoli Deo permitti debuit, qui etiam hoc negotium ſumere gravatus non fuerat. Atqui hæc peculiaris ratio maxime valuit in re tam ardua, populum ducem è manu ejus accipere, ut penes ipſum ſemper maneret imperii majeſtas. Sicuti ergo Moſen extraordinario modo elegerat, & tanquam legato mandaverat ſuas vices, ita eandem gratiam continuavit io Joſua. Ac jam ante quidem eum deſignaverat: ſed modeſtiæ cauſa, omiſſo ejus nomine, ſimpliciter precatur Moſes ut proſpiciat Deus populo ſuo. Epitheton vero quo Deum inſignit, accommodatur ad præſentem cauſam. Vere quidem ſemper vocari poteſt Deus ſpirituum omnis carnis: & alia ratione 16. capite hac loquendi forma uſus eſt Moſes. ſed hanc ejus virtutem nunc commemorat: acſi diceret, præſto fore & ſub ejus manu quem præficiat, quoniam ſingulos formet prout viſum eſt. Sæpe aberrant homines, & judicio falluntur: atque, ut Spiritus Dei illis præluceat, non longius progrediuntur quam ut diſcernant qua quiſque dote polleat. Deus vero non ſolum optimus eſt judex quam dexter & aptus quiſque ſit, nec ſolum penetrat ad intimos uſque cordium receſſus: ſed fingit ac refingit homines quos eligit miniſtros, & qua opus eſt facultate inſtruit ut pares ſint oneri ferendo. Hinc colligitur utilis doctrina, ubi deſtituimur probis ducibus, petendos eſſe ab ipſo opifice, cujus ſingulare donum eſt bene regendi virtus. Atque hac ratione, non tantum creatorem hominum nominat, vel univerſæ carnis, ſed diſerte ſpirituum meminit. Quod populum pecudibus comparat, pertinet ad commovendam miſerationem, ut ad paſtorem ordinandum propenſior ſit Deus.

18. *Dixit Jehova ad Moſen.*] Hic videmus Joſue precibus Moſis fuiſſe datum, quod alibi non exprimitur. Porro ut omnium conſenſu gradum ſuum obtineat, inſigni elogio ornatur. nam ubi Spiritum in eo eſſe pronunciat Deus, non intelligit animæ eſſe præditum, ſed excellere neceſſariis donis, ut intelligentia, judicio, magnitudine animi, bellandi peritia. Ac nomen Spiritus aliter quam paulo ante capitur, pro exquiſita & rara gratia, quæ in ipſo Joſua fulgebat: hæc enim metonymia Scripturæ ſatis trita eſt. Additur ſolennis ritus conſecrationis, manuum impoſitio: de qua alibi plenius diſſeruimus, ut ſupervacuum ſit nunc multa verba facere. Jam ante Legem in uſu fuit, quum ſancti Patres filios ſuos benedicerent. Vidimus hac ceremonia inauguratos fuiſſe ſacerdotes in ſuum munus, & oblatas Deo victimas. Eundem morem ſequuti ſunt Apoſtoli in creandis Paſtoribus. Moſes ergo, ut palam teſtatum faceret Joſuam non amplius eſſe ſui juris, ſed Deo addictum, nec jam habendum eſſe quaſi privatum hominem, qui divinitus ad imperium vocatus erat, manus ejus capiti impoſuit. Acceſſit etiam alia ratio, ut pro neceſſitate injuncti muneris, Deus magis ac magis eum locupletaret. Nihil enim obſtat quominus ſervis ſuis Deus qui jam ante ſpiritualibus donis præſtabant, pro vocationis uſu, uberiores dotes conferat. Sic Timotheo, ubi Paſtor eſt creatus, data fuit nova gratia per impoſitionem manuum Pauli: quamvis ante non vulgari modo præſtaret. Huc pertinet quod poſtea ſubjicitur, ut ponat Moſes è gloria ſua ſuper eum, acſi dignitatem ſuam reſignaret. Nam voce Gloriæ, non exterior duntaxat ſplendor, ſed magis ſpirituale decus notatur, quo Deus reverentiam ſervis ſuis conciliat: non quod virtutes ſuæ in *2 Tim. 1.*

Joſuam

Josuam transferendo pudatus illis fuerit: sed quia sine diminutione fecit donorum suorum consortem qui successor futurus erat. Id vero coram toto populo geri oportuit, ut tanquam divinitus oblatum libenter omnes eum reciperent. Mandata partim eo spectabant ut stabiliretur auctoritas Josuæ, partim ut sanctius obstringeretur ad officium præstandum. Nam ex quo præcepit Moses Dei nomine quid sactu opus esset, eum exemit ab omni temeritatis nota: deinde legitima stipulatione interposita, magis ac magis ad fidem & diligentiam animari debuit.

21. *Coram Eleazar stabit.*] Hic una in re Sacerdoti subjicitur, ut eum interroget per Urim & Thummim: hoc enim symbolo (ut ante visum est) commendata fuit sacerdotii dignitas, ut Deum princeps consuleret per os Sacerdotis, qui indutus sacro Ephod, cujus emblemata erant Urim & Thummim, responsa dabat, tanquam Dei ipsius interpres. Deceret ergo hic locus, imperium Josuæ non fuisse profanum: ut certe in omnibus imperiis legitimis primas tenere debet religio. Nam quum omnia à Deo pendeant, ab ejus cultu separari absurdum esset. משפט, hoc est, judicium, hic accipitur pro regula vel præscripta ratione, acsi juberet Legem petere ex oraculis, quæ sacerdos à Deo accepta, per manus tradet, nec aliud in rebus perplexis sequi. Tandem subjicit Moses, se feciſſe quicquid Deus præceperat, ut certo persuasi essent omnes, Deum non secus quam antea dominaturum in persona Josuæ.

Ejusdem historiæ repetitio.

Ex Deut. III.

21. Ipsi quoque Josuæ præcepi eo tempore, dicendo, Oculi tui viderunt quæcunque fecit Jehova Deus vester duobus regibus: sic facturus est Jehova omnibus regnis ad quæ tu pergis.

22. Ne timeatis eos, quia Jehova Deus vester ipse est qui pugnat pro vobis.

23. Rogaveram autem Jehovam tempore illo, dicendo,

24. Domine Jehova, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, & manum tuam validam. Quis enim Deus in cælo, aut in terra, qui faciat secundum opera tua, & secundum fortitudines tuas?

25. Transeam quæso, & videam terram illam bonam, quæ est trans Jordanem, montem istum bonum, & Libanum.

26. Iratus autem Jehova contra me propter vos, propterea non exaudivit me, sed dixit mihi, Sufficiat tibi, ne posthac addas verbum ad me super hac re.

27. Ascende verticem Pisgah, & leva oculos tuos ad Occidentem, ad Aquilonem, ad Meridiem, & ad Orientem, ac vide oculis tuis. non enim transibis Jordanem istum.

28. Præcipe autem Josuæ, & confirma eum, & robora eum. ipse enim transiturus est ante populum istum, & idem tradet illis terram possidendam, quam videbis.

29. Mansimus vero in valle eregione Beth-peor.

Ex Deut. IV.

21. Jehova iratus fuit contra me propter verba vestra, juravitque quod non transirem Jordanem, neque ingrederer terram bonam, quam Jehova Deus tuus dat tibi in hæreditatem.

22. Ego enim morior in hac terra, neque transeo Jordanem: vos autem transitis, ut possideatis terram istam bonam.

21. *Ipsi quoque Josuæ.*] Recitat quod jam vidimus, se Josuam cum toto populo hortatum esse, ut ad terram occupandam alacriter se accingerent, freti tam Dei promissione, quam tot illustribus auxilii ejus experimentis, quæ totidem erant continuæ gratiæ in futurum tempus pignora.

23. *Rogaveram Jehovam.*] Alii, Rogavi: ego autem tempus plusquam perfectum ponere malui: quia, meo judicio, anticipat Moses cur alii partes suas resignaverit, ac non magis professus sit se ducem, ut ante fuerat, & simul fortitudinis exemplar fore populo. Dicit ergo, quum precatus esset ut sibi liceret terram ingredi, repulsam se passum esse. Neque enim probabile est, ex quo Josuam in suum locum substituerat, contrarium votum mox concepisse. Summa autem precationis est, ut Deus concesso terræ ingressu, omnes gratiæ suæ numeros erga ipsum compleat. Nam beneficia sibi ante præstita, ad impetrandi siducium commemorat, ut læta exordia Deus, qui non solet opus manuum suarum deserere, perducat usque ad finem. Hac ratione dicit sibi ostensam fuisse Dei fortitudinem: verecunde subindicans, consentaneum esse, ut primis respondeant ultima, præcipui quoque boni se fieri consortem. Potentiam quoque Dei in miraculis extollit: ne tam præclarum opus abrumpatur. Ab altera autem parte, terræ bonitatem commendat, ac nominatim desiderium ejus videndæ ex pietatis studio manare ostendit: eorum enim sententiæ libenter subscribo qui per bonum montem intelligunt Sion. Neque enim præter Libanum, mons in terra illa tantopere delectabilis fuit. Libanus autem, tanquam ejus accessio, secundo loco nominatur.

26. *Iratus autem fuerat.*] Quidam intelligunt hujusmodi voto fuisse offensum: sed potius causam reddit Moses cur non obtinuerit quod petebat: quia scilicet jam ante fuerat exclusus. Etsi autem cum Deo minime litigat, acsi inique damnatus esset ob alienum crimen, oblique tamen populum perstringit: quia utile erat omnes ipsos commonefieri, pœnam quæ eximio servo inflicta fuerat, contractam esse ex omnium culpa. Quomodo autem juste imposita Mosi fuerit communis delicti pœna, alibi visum est. Sequitur deinde mitigatio, ubi Deus ascendere ipsum jubet in cacumen montis Abarim, (quod hic vocatur Pisgah, alibi Nebo) ut fruatur nihilominus promissæ terræ conspectu. Demum clarius explicat cur exhortatus fuerit Josuam: quia scilicet transiturus esset ante populum. Postremo versu moræ causam assignat, cur tamdiu subsistiterint in valle quæ propinqua erat monti

monti Abarim: perinde enim est acsi diceret, retentos fuisse injecta Dei manu, ne ulterius pergerent, donec succederet Josua.

Deut. 4. 21. *Jehova iratus fuit.*] Iterum refert, populi delicto factum esse ut terræ ingressu non fruatur: non expostulandi causa, ac multo minus ut Deum erudelitatis insimulet, acsi ab eo perperam & injuste suppositus esset reus in aliorum locum, sed quo Dei bonitatem erga eos amplificet quibuscum tam indulgenter agebat. Notanda enim est comparatio, quod terra potiturus esset, à cujus ingressu ipse prohibetur. Ego, inquit, morior in terra Moab: vobis autem datur hæreditate promissa frui. Videmus ergo culpæ exprobratione sic eos pungi, ut gustu miseri-cordiæ Dei dulcescat omnis amaritudo: imo ut dulcedine illa rapiantur in admirationem, ubi intelligunt, tam clementer sibi datam esse veniam quæ Mosi negata fuit. Ubi reddidi, Propter verba vestra, sensus esse potest, Propter res vestras: quia דברים Hebræi vocant negotia. Certe quamvis tumultuosis eorum clamoribus impulsus fuerit ad peccandum, simpliciter tamen docet se eorum causa nunc plecti. Si quis roget cur in ipsos rejiciat crimen, cujus auctores magna ex parte erant mortui: responsio in promptu est, quosdam adhuc fuisse superstites: nec esse novum, filios cum patribus comprehendi, ubi totum populi corpus peccavit.

Ex Deut. XXXI.

14. Et dixit Jehova ad Mosen, Ecce, appropinquaverunt dies tui ut moriaris: voca Josuam, & state in tabernaculo conventionis, & præcipiam ei. Perrexit ergo Moses & Josua, steteruntque in tabernaculo conventionis.

15. Et apparuit Jehova in tabernaculo in columna nubis, stetitque columna nubis super ostium tabernaculi.

16. Et dixit Jehova ad Mosen, Ecce, tu dormiturus es cum patribus tuis: postea surget populus iste, & fornicabitur post deos alienorum terræ ad quam pergit in medio ejus, & derelinquet me, irritumque faciet pactum meum quod pepigi cum eo.

17. Itaque iratscetur vultus meus contra eum ipso die, ac derelinquam eos, & abscondam faciem meam ab eis: & consumetur, & invenient eum mala multa, & angustiæ: dicetque in die illa, Nonne propterea quod non est Deus meus in medio mei invenerunt me mala hæc?

18. Ego vero abscondendo abscondam faciem meam in die illa, propter omne malum quod fecerit, quod converterit se ad deos alienos.

19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & doce illud filios Israëlis: pone illud in ore eorum, ut sit mihi canticum istud in testem contra filios Israëlis.

20. Introducam enim eum in terram quam juravi patribus ejus, fluentem lacte & melle: comedet autem & saturabitur, impinguabitque se: tunc convertet se ad deos alienos, & colent eos, vilipendentque me, & irritum facient pactum meum.

21. Quum autem invenerint eum mala plurima, & angustiæ, tunc respondebit canticum istud in conspectu ejus in testem: non enim oblivioni tradetur ab ore seminis ejus. novi enim ingenium ejus, & quid ipse faciat hodie antequam introduxerim eum in terram de qua juravi.

22. Scripsit itaque Moses canticum istud eo die, & docuit illud filios Israëlis.

14. *Et dixit Jehova ad Mosen.*] Jam solenni ritu sufficitur Josua in locum Mosis: non tantum quo sanctior sit apud homines, ac plus veneretionis obtineat, sed etiam ut coram Deo sistatur, atque ita agnoscat ejus imperio se addictum. Nam quod adductus est ad ostium tabernaculi, species fuit consecrationis. & Deus etiam pronunciat se daturum mandata: quod tantundem valet atque ipsum instruere ad peragendum suum munus. Quod autem apparuit Dei gloria in nube, id non minus privatim ad confirmandum ejus animum valuit quam publice ad dignitatem ejus ornandam. Neque enim unquam admissus fuisset Mosis successor, nisi hæc visibilis Dei commendatio jugum populo imposuisset.

16. *Ecce, tu dormiturus.*] Quo ardentius conetur Moses retinere populum in Dei obsequio, de indomita illius contumacia monetur. Satis superque quam pravis & præfractis ingeniis essent Israëlitæ, quamque immorigeri & contumaces, pridem expertus erat. Nunc pronunciat Deus nihilo meliores fore post ejus mortem: imo plus licentiæ sumpturos ex ejus absentia. Videtur enim subesse antithesis inter duo verba, Cubandi & Surgendi: acsi dictum esset, Ex quo obdormieris prorumpet eorum petulantia, acsi legibus soluti essent. non quod repente id contigerit: quia sub Josue aliquid modestiæ & docilitatis præ se tulerunt: saltem tunc viguit exterior puræ religionis forma: sed paulo post ad suos mores relapsi sunt. Et forte utile remedium fuit hæc admonitio, ne tam cito deficerent. Nunc postquam tenemus consilium Dei, verba breviter expendere convenit. Quum Mosi dicitur, Dormies cum patribus, primum exprimitur generis humani conditio, ne durum sit Mosi post alios omnes è mundo migrare, quia in hunc finem natus est. Simul tamen notatur discrimen inter hominum & brutorum animalium mortem. unde nascitur optima consolatio: quia si mors nostra extremus esset interitus, non diceremur cum patribus dormire. Cur fœrtationis nomine idololatriam designet Spiritus, alibi visum fuit; simul cur falsos omnes deos vocet alienos, vel alienorum: nempe quia sicuti Deus volebat unus coli in Israële, ita hoc epitheto se insignierat, quod esset Deus Israëlis. Crimen amplificatur, quod non tantum rursus ad superstitiones ferentur quas didicerant in Ægypto, sed inquinamentis terræ Chanaan se polluent: quibus tamen eam volebat Deus ipsorum manu purgari. Emphatice ergo hæc legenda sunt, Scortabitur populus post deos terræ ad quam descendit, & quidem in medio ejus: fuit enim longe indignius, falsos deos amplecti, quorum victores & judices fuerant, quam nova idola sibi fingere. Altera subjicitur criminis exaggeratio, quod Deum à quo fuerant cooptati in filios, deserent, & impie desciscent ab ejus fœdere. neque enim errorem ipsis obtendere licuit, quum toties tam clare & tam graviter admoniti fuissent. Interea discamus ex hoc loco, quicunque deflectunt ad vitiosos cultus, esse fœdifragos, atque ita inanes esse eorum prætextus qui se una cum idolis summum Deum colere simulant.

17. *Ita-*

17. *Itaque irascetur.*] Pœnam denunciando, haud dubiè frenum injicere Deus voluit ad prohibendam populi vesaniam: sed quia id fiebat absque profectu, alia fuit hujus doctrinæ utilitas, ut severe pro merito suo castigati, quamvis sero, demum tamen resipiscerent. alioqui frustra infictæ fuissent pœnæ: neque unquam in mentem venisset, justam ingratitudini & perfidiæ suæ mercedem pependi. Hic quidem primus esset gradus prudentiæ, sponte eligere quod rectum est: secundus vero, audita admonitione, cavere, & malo ire obviam. Verum si cousque excæcatæ sunt mentes, ut nihil profint objurgationes vel minæ, supereſt hoc tertium, ut qui rebus adhuc tranquillis fuerunt socordes, tandem sentire incipiant se Dei manu percuti, atque ita in agnitionem culpæ trahantur. Ergo quamvis simplex admonitio quamdiu effectu carebat, spreta fuerit ab Israëlitis: ex quo tamen eventu & experientia fuerunt edocti, fructum suum produxit. & nobis quotidie idem usu venit: vix decimus quisque piorum quantisper pœnas Deus differt, occurrit ejus judicio: qui vero expergefacti sunt à suo torpore, quas prius secure præterierant minas, serio expendunt, ut convicti seipsos damnent. Per nomen אף, vultum potius hic intelligo quam excandescentiam: quia loquutio melius convenit. deinde effectum iræ suæ ostendit, quod auxilio destituti, corripientur omni genere malorum, donec consumantur & pereant. Adhæc, angustiis constrictum iri affirmat, quæ confessione extorqueant, miseriasillas quas patientur, signa esse alienati Dei. Addit tandem se tunc quoque non fore illis exorabilem. Cæterum hinc docemur, sicuti à paterno Dei favore pendet noſtra felicitas, ita nihil nobis esse deterius quam ab ipso relinqui, acsi nullam amplius nostri curam gereret. Unde discendum est, nihil esse magis optabile quam ut nos aspectu suo dignetur. De omnibus creaturis legimus in Psalmo, turbari si Deus abscondat faciem suam: sed hic clarius perspicitur, ubi iniquitates noſtræ nubem difficili inter Deum & nos opponunt, & peccata noſtra abscondunt faciem ejus à nobis, aureſque obturant, ut non exaudiat, quemadmodum dicit Jesaias, nihil nobis fingi posse infelicius. Porro jam malorum exprimit magnitudinem, ubi fatebitur populus se ideo tam duriter affligi, quia Deus ab ipso discesserit. Neque enim levibus pœnis ad hunc sensum adducti forent, præsertim in tanta duritie cordis, & cæca obstinatione. Sequitur ergo sævas notari pœnas, quæ invitos cogant ad reputandam iram Dei, quam ante pro nihilo duxerant. Neque tamen confessio hæc ponitur quasi fructus vel signum seriæ pœnitentiæ: quia si sincere ad Deum confugiat peccator, vicissim occurret Deus ipsi, ut est ad misericordiam propensus. Atqui hoc loco negat se propitium illis fore, sed passurum ut tabescant in suis malis. nam Abscondere faciem suam dicitur Deus versus decimo octavo, non simpliciter ut paulo ante: sed quia gemitus & lamentationes eorum præterierit ac negliget, & ipsa pœnarum continuatione ostendet quantopere sit illis infestus.

Psal. 104. vers. 26.

Jesa. 59. vers. 2.

19. *Nunc itaque scribite.*] Videtur absurdum esse, morbo incurabili adhiberi inutile remedium. Cur non eorum pravitatem corrigit potius Deus, & Spiritu suo corda eorum in obsequium format, quam frustra apud surdos verba profundit. Itaque hanc agendi rationem subsannant profani & superbi homines, acsi Deus operam ludens, miseris hominibus illuderet. Atqui tenendum est, prædicationem sermonis, quamvis exitialis sit odor in mortem iis qui pereunt, sacrificium tamen esse boni odoris Deo: nec vero putandum est irritam esse vel nihili, dum impios magis ac magis coarguit, ut prorsus sint inexcusabiles. Atque hunc usum fore cantici diserte asserit Deus, ut sit in testem contra eos in quorum ore personabit. Profuit quidem nonnullis in salutem: quia ferulis subacti, tandem ex eo didicerunt scelera sua malorum omnium fontem esse ac causam. quantumvis enim ictus flagellorum suorum ingeminet Deus, increduli tamen ubi doctrina carent, nihil proficiunt. Ita canticum hoc electos, manu Dei percussos, ad studium resipiscendi adjuvit. Cæterum quamvis nonnisi morti addicat auditores sermo Dei, sufficiat tamen, coram ipso bonæ & suavis esse fragrantiæ. Rationi noſtræ minime consentaneum videtur quod Jesaiæ Deus mandatum dedit, Vade, & dic ad populum, Audiendo audite, & ne intelligatis: videndo videte, & nesciatis: obstina cor populi hujus, aures aggrava, & oculos obline, ne videat oculis, auribus audiat, corde suo intelligat, & conversus sanetur. Verum in arcanis Dei judiciis (quibus absorberi omnes sensus noſtros necesse est) sobrietas sit nobis pro scientia.

Jesa. 6. 9.

20. *Introducam enim eum.*] Rursus aliis verbis aggravat Deus sceleris atrocitatem, quod ubi liberaliter egerit cum Israëlitis, beneficia sua convertent in occasionem proterviæ: qua ingratitudine nihil fœdius. Dicit igitur se indignis præstiturum quod juravit, ut ita in fide promissionum sibi constet. Commendat terræ fœcunditatem: quia hoc tam eximium indulgentiæ pignus eos allicere debebat sua dulcedine ad redamandum tam benesicum patrem. Hinc ergo detegitur perversa eorum natura, quod saturi, adversus ipsum lascivient, sicuti equi ferociam colligunt ex sagina. Postquam autem de futura eorum defectione conquestus est, iterum dicit, ubi redacti fuerint in extremas angustias, & miseriis undique constricti, canticum istud instar testis fore, acsi suæ damnationis essent ipsi præcones. Quod dicit ingenium ejus se noviſſe, vel quicquid intus fabricet (est enim nomen יצר, quod tantundem valet ac figmentum vel imaginatio, & cogitationes omnes atque affectus comprehendit) inde apparet, minime Deum latuiſſe quam male ega improbos locaret sua beneficia: sed cum eorum improbitate hoc modo certasse, quo illustrior esset ejus bonitas: deinde impiis & desperatis doctrinam quam sciebat fore contemptui, nihilominus exponi voluisse, quo magis inexcusabiles eos redderet edito tali documento. Atqui objici posset, cur ergo non slectat eos in melius. Sic quidem cum eo litigare sibi permittunt inepti rabulæ: verum nobis potius occurrat illud Pauli, Homo quis es qui Deo respondes? annon habet potestatem figulus luti formandi vasa sua pro arbitrio? & quis prior dedit illi ut retribuatur? Ita fiet ut trepide exclamemus, O profunda judicia Dei, quam incomprehensibiles sunt ejus viæ! Quod vero Deus ex superiore eorum vita judicat quales in posterum futuri sint, videtur non satis firmum esse. Verum hæc duo conjunctim legenda sunt: Deum prævidere nihil aliud esse ab ipsis sperandum quam ut indomita libidine ad peccandum rapiantur: deinde, jam satis tot sceleribus fuisse patefactum quam perdita esset eorum obstinatio.

Rom. 9. vers. 20,

Ex eodem Capite.

23. Dein præcepit Josuæ filio Nun, ac dixit, Fortis esto, & roborare, quia tu introduces filios Israël in terram de qua juravi eis: & ego ero tecum.

24. Quum autem fecisset finem Moses scribendi verba Legis istius in libro, donec ea complerentur:

25. Præcepit Moses Levitis portantibus Arcam fœderis Jehovæ, dicendo,

26. Capite librum istum Legis, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Jehovæ Dei vestri, sitque ibi contra te in testem.

27. Ego enim novi rebellionem tuam, & cervicem tuam duram: ecce, adhuc me vivente vobiſcum hodie rebelles eſtis Jehovæ, & quanto magis poſtequam mortuus fuero?

28. Congregate ad me omnes ſeniores tribuum veſtrarum, & præfectos veſtros, ut loquar in auribus eorum verba iſta, & anteſter contra eos cælum & terram.

29. Novi enim poſtquam mortuus fuero, corrumpendo corrumpetis vos, & recedetis de via quam præcepi vobis: unde eveniet vobis malum in noviſſimis dierum, quum feceritis malum in oculis Jehovæ, irritando eum opere manuum veſtrarum.

30. Itaque loquutus eſt Moſes in auribus totius congregationis verba cantici hujus, donec ea complerentur.

23. *Deinpræcepit.*] Quo difficilior erat provincia, eo magis ad ſtrenuitatem animandus fuit Joſua, ne deficeret: qua ratione duplicatur exhortatio. quanquam in ejus perſona ſimul omnes confirmat. Materiam vero ſumit à Dei promiſſione, cujus toties facta fuit mentio. Dicit autem Joſuam electum eſſe, qui abſolvat inchoatum liberationis opus: quia vix credibile erat, non modo diſcipulum fore ſuperiorem magiſtro, ſed in gradum honoris attolli mediocrem hominem, à quo dejectus erat ſummus Propheta, & præcipuus Dei miniſter, niſi id factum eſſet cæleſti decreto & ordinatione. Simul tamen de vocationis effectu certiorem eum reddit, promittens Deum qui auctor eſt ſuſcipiendæ expeditionis, auxilio fore. nam penes ipſum eſt, opus, cui quemque noſtrum deſtinavit, perficere.

24. *Quum finem feciſſet.*] Verba Legis intellige, non tantum quæ hoc libro complexus eſt, ſed aliis quoque tribus. Ac tacita eſt antithesis inter duas tabulas manu Dei ſcriptas, & expoſitionem quæ poſtea fuit addita, ne propter nimiam brevitatem obſcura eſſet Dei voluntas. Statim quidem à principio tradidit Deus quicquid erat utile cognitu: ſed quod decem verbis reſtricte comprehenderat, explicatius enarrari voluit: neque id modo, ſed etiam literis mandari, ne intercideret. Scitur quam proclive ſit ad vanitatem hominis ingenium, imo quam libenter in errores feratur ſua levitate. Accedunt alia quoque vitia, curioſitas, fingendique audacia, & ſtudium novitatis. Ita mille modis corrupta fuiſſet religio, niſi regula poſteris diligenter ſcripta foret. Adhæc quum libri Moſis populi & facerdotum incuria aliquandiu ſepulti fuerint, quantæ errorum tenebræ occupaſſent omnium mentes ſi nihil fuiſſet ſcriptum? Porro quum duæ tabulæ in Arca fœderis incluſæ eſſent, locus interpretationi aſſignatur ad latus: ne dubitent ipſam quoque ab eodem auctore Deo eſſe profectam. Jam quia in his libris repetuntur decem verba, minime neceſſe fuit Arcam aperiri: quod etiam nefas erat, dum ex libris Moſis doctrinam in tabulis reconditam petere licuit. Hoc quidem tenendum eſt, locatum fuiſſe volumen prope Arcam, dignitatis cauſa, ut quum inde à Levitis depromptum eſſet, majori reverentia audiretur lectio. Quod autem dicitur, Ut ſit in teſtem contra te: primo non reſtringitur ad Levitas, ſed communiter ad totum populum pertinet. Verum ad eos tanquam ad membrum unum corporis dirigitur generalis ſermo: deinde quum multiplex ſit doctrinæ uſus, una tantum pars attingitur. nec enim in eum modo finem ſcripta Lex fuit, ut teſtis eſſet ad populum damnandum: ſed ut norma eſſet piæ ſanctæque vitæ, & paterni Dei favoris teſtimonium. Sed quia eum duris & ſuperbis capitibus negotium erat, denunciar Moſes, quoties in medium prodibit hæc doctrina, inexcuſabilem fore eorum contumaciam.

27. *Ego enim novi.*] Ratio redditur cur objurgatorie tantum & acerbe doctrinam ſuam, prætermiſſa ejus utilitate, teſtem citaverit contra Iſraëlitas: nempe quia expertus ſit eſſe indomitæ cervicis (de qua loquutione alibi dictum eſt), nec confidat magis fore dociles. Ratiocinatur autem à minori ad majus: quia ſi vivo tali duce fuerunt rebelles, multo plus audaciæ ſumpturi ſint ipſo mortuo. Scimus enim quantum ad ſtrenandam populi intemperiem valeat magni & excellentis viri auctoritas. Interea non ſibi tantum arrogat Moſes, ut à ſolo ſuo aſpectu pendere dicat rectum populi ſtatum: ſed periculum demonſtrans, ſtudet eos magis reddere obſequentes poſt mortem ſuam.

28. *Congregate ad me.*] Hic peculiaris ſit mentio cantici, quod ſolum fuiſſe recitatum ex ultimo verſu colligitur. Videtur tamen ſecum pugnare Moſes, dum ſeniores tantum & præfectos vocari jubet ut audiant: paulo poſt autem commemorat ſe toti populo legiſſe. Verum hæc duo facile conciliat ordinis ratio, quam in congreganda multitudine ſolitus fuit obſervare: nam ex pluribus locis palam fit, non ita promiſcue fuiſſe vocatos, quin tribuum principes & populi capita ſuas turmas ducerent. Itaque ſeniorum vocatio (cujus hic fit mentio) adeo non excludit reliquam multitudinem, ut potius ſignificet collectum fuiſſe populum per ſuas tribus & claſſes. Idque elicere licet ex contextu, quia certe cælum & terram conteſtatus non eſt contra ſolos præfectos: & tamen id videtur innuere. Ergo ſub ducibus comprehenditur tota multitudo. Cæterum quod rurſus Moſes meram amaritudinem ſpirat, id extorſit perverſa gentis natura. Optaſſet haud dubie ſuavem & jucundam ſui memoriam relinquere: itaque libenter eos ad officium eſſet hortatus, vel blande, vel ſaltem placide: ſed coëgit eorum pervicacia indignationem ſermonis aſperitate teſtari. Adde quod non jam ex conjecturis judicat quid facturi ſint, ſed diſerte exprimit ſe certo ſcire: haud dubie quia Spiritus canticum dictando, ſimul etiam quid facturi eſſent docuit. Defectionem eorum notat duobus verbis, nempe Corrumpendi & Declinandi è via. Quia autem in priore defectiva eſt oratio, quod verbum activum ſine adjectione ponitur, quidam ſubaudiunt, Viam Domini. Ego diverſam lectionem ſequutus ſum, quæ rectior viſa eſt. paſſiva eſt enim verbi ſignificatio magis quam tranſitiva. Modum corruptionis deſignat, pronuncians è via quam dicerant receſſuros: hæc enim erat integra eorum ſanitas, parere Deo, & quam monſtrabat viam ſequi. corrupti ergo ſunt Legem deſerendo. Adhæc obliquе exprobrat illis Moſes ingratitudinem: quia apud contemptores piæ doctrinæ operam perdiderit. Canticum ergo vult illis recitari, ut miſeriis afflicti, & ſemiconſumpti, ſero tandem diſcant Deum eſſe juſtum vindicem. Profuit autem hæc cognitio, ut tandem ad ſanam mentem redirent, alioqui non prorſus deſperati: reprobi autem magis ac magis convincerentur. Quid ſit Conteſtari cælum & terram, alibi viſum eſt.

DEUT. Cap. XXXII.

Auſcultate cæli, & loquar, & audiat terra eloquia oris mei.

2. Stillabit ut pluvia doctrina mea: ſtillabit ut ros eloquium meum: ut pluvia ſuper gramen, & ut imber ſuper herbam.

3. Quia nomen Jehovæ invocabo: date magnitudinem Deo noſtro.

4. Dei

4. Dei perfectum eſt opus: omnes enim viæ ejus judicium. Deus veritas, & non eſt iniquitas, juſtus & rectus eſt.

5. Corrupit ſeſe illi, non filii ejus, macula eorum, generatio prava & perverſa.

6. Jehovæ retribuetis iſtud, populo ſtulte & inſipiens? nonne ipſe eſt pater tuus qui æquiſivit te, ipſe fecit te, & præparavit te?

7. Memento dierum ſeculi, intellige annos generationis & generationis: interroga patrem tuum, annunciabit tibi; ſenes tuos, & dicent tibi.

8. Quando hæreditates diſtribuit Excelſus gentibus, quando ſeparavit filios hominum, ſtatuit terminos populorum pro numero filiorum Iſraëlis.

9. Pars enim Jehovæ populus ejus, Jacob ſors hæreditatis ejus.

1. *Auſcultate cæli.*] Magnifice præfatur Moſes, ne populus canticum qua ſolebat ſuperbia faſtidiat, vel etiam ſeveris objurgationibus probriſque exacerbatus reſpuat. Scimus enim ut mundus naturaliter appetat ſibi delicias fieri, nec ulla ſit dulcis cantilena niſi quæ aures laudibus titillat ac demulcet. Hic autem non modo acriter invehitur Moſes in vitia populi, ſed quanta poteſt vehementia perverſam ejus naturam, corruptiſſimos mores, obſtinatam ingratitudinem, & perditam contumaciam exagitat. Adde quod hæc probra, quibus deteſtabile reddebat eorum nomen, voluit quotidie reſonare io ipſorum linguis. unde magis accendebatur offenſio. Neceſſe ergo fuit, eorum proterviam velut injecto freno compeſci, quo patienter & modeſte juſtas reprehenſiones quamlibet aſperas ſuſciperent. Ergo ſi repudient vel ſurdis auribus prætereant hoc canticum, præfatur cælum & terram adeo prodigioſæ ſocordiæ fore teſtes: imo ſermonem ad cælum & terram convertens, ſignificat dignum eſſe ad quem attentæ ſint creaturæ omnes, quæ tamen intelligentia & ſenſu carent. Eſt enim hyperbolica loquutio, dum brutis elementis partes audiendi & docilitatem
Iſa. 1: 2. tribuit: ſicuti Jeſaias exprimere volens nullos ſe reperire diſcipulos in toto populo, cælum & terram ſimiliter appellat: imo citat nefandi prodigii teſtes: quia minus ſit intelligentiæ in toto populo quam in bobus & aſinis. Nimis vero dilutum eſt quod interpretes quidam has voces metonymice accipiunt pro Angelis & hominibus.

2. *Stillabit ut pluvia.*] Futurum tempus reſolvunt quidam perperam (meo judicio) in modum optandi, quia fœcunditatem potius quæ à Spiritu ſancto ſuggeritur, ad doctrinæ commendationem ſplendido hoc elogio celebrat quam ſibi dari poſtulet: & lectores ſatis animadvertunt, votum hic minime fuiſſe tempeſtivum. Sermonem ergo ſuum pluviæ aut rori comparat: acſi diceret, modo populus molli & ſubactæ terræ ſimilis ſit, doctrinam ſe proferre quæ eos ad plenam fœcunditatem irriget. Porro tametſi peculiare [illegible] cantico eſt elogium, extenditur tamen ea vis & facultas ad totam cæleſtem doctrinam: quia nunquam loquitur Deus quin homines fructuoſos reddat ad bona opera, non ſecus ac pluvia ſuccum & vigorem terræ inſtillans, eam ad fructus gignendos fœcundat. Sed quemadmodum rupes & ſaxa nihil humoris vel ex largiſſima pluvia concipiunt, ita multis obſtat ſua pervicacia ne ſpirituali irrigatione fertiles reddantur. Quare Moſes ſi doctrina hujus cantici inutilis effluat, obliquе culpam rejicit in Iſraëlitas.

3. *Quia nomen Jehovæ.*] Significat bis verbis, ſi qua ſit in Iſraëlitis pietatis gutta, edendum eſſe ejus ſpecimen in amplexando ſermone, in quo refulget Dei majeſtas. Itaque prius membrum eſt ordine poſterius, tanquam cauſæ redditio. Nam quod hortatur ut Deo quam meretur gloriam tribuant, ad obedientiam & attentionem refertur: acſi diceret, Niſi ſe reverenter doctrinæ ſubjiciant, Deum fraudari juſto honore. quod ratione addita confirmat, quia Dei nomen ſincere & fideliter celebrabit. Neque enim hic invocatio ſumitur ut multis locis, ſed tantundem valet ac profeſſio Dei. Ergo præconem ſe eſſe pronunciat Moſes, ut objecto ſacroſancto ejus nomine, audientiam ſibi conciliet.

4. *Dei perfectum eſt opus.*] Qui generaliter non hypothetice accipiunt has ſententias, non modo ſenſum obſcurant, ſed vim quoque doctrinæ enervant. Teneamus ergo, perfecta Dei opera, viarum rectitudinem, & quæ ſequuntur, conferri populi defectioni. nam ſi quid in Dei operibus mutilum vel incompoſitum fuiſſet, ſi ratio agendi minus recta, ſi dubia veritas, ſi quid denique fuiſſet deſideratum, excuſatio fuiſſet in promptu, populum aliquid melius quæſiiſſe quam in Deo repcriebat: ubi autem quod optimum eſt expetitur, ſtudium illud reprehenſione caret. Ergo ne quid ſimilo obtenderent Iſraëlitæ, Moſes occurrit. Antequam de ſceleſta populi ingratitudine differat, ſumit principium iſtud, oullo Dei vitio fuiſſe inductos ut alio adjicerent animum. Doctrina quidem generalis per ſe vera eſt, poteſtque in diverſos uſus accommodari: ſed quid nunc agat Moſes ſpectare convenit. Confilium autem ejus eſt, omnes impiæ & perfidæ diſceſſionis prætextus eripere populo: idque qun magis appareat prodigioſa amentia, dum relicto fonte aquarum viventium, fodit ſibi ciſternas perforatas: ſicut Deus ipſe apud Jeremiam conqueritur. Videmus *Jerem.* 2. itaque quotquot elogiis Deus hic ornatur, totidem *verſ.* 13. ignominiæ notas inuri populo, qui ſciens & volens omni bonorum plenitudine ſe privavit, qua frui licebat niſi ſe à Deo alienaſſet. Porro opus Dei dicitur, non tantum quoad mundi creationem, ſed quoad totum providentiæ ejus curſum: quaſi dictum eſſet, nihil reperiri in Dei operibus quod reprehendi queat. Jam perfectio hæc non conſpicitur in ſingulis individuis, quia infecta ſunt Dei creaturæ: & ex homicidibus quidam cæci ſunt, alii claudi, alii ſurdi, alii mutili hoc vel illo membro: multæ fruges ad maturitatem non perveniunt. Verum ſtulte & importune has quæſtiones palam conſpicimus perfectioni Dei operum opponi, qualis hic laudatur à Moſe: quia defectus quoque & vitia corporum in
Joan. 9. *verſ.* 3. huic doctrinæ affinis eſt altera, vias omnes ejus eſſe rectas: nam [illegible] pro rectitudine accipi notum eſt. Opera autem & viæ ſynonyma ſunt. Imo hoc ſecundum membrum confirmatio eſt ſuperioris: quia utroque ſignificat Moſes, quicunque obſtrepunt Deo, poſſe aperte coargui impiæ petulantiæ, quia ſumma ubique æquitas refulgeat. Ubi reddidi, Deus eſt veritas, alii legunt in genitivo caſu, Veritatis. utrumque verum eſt, & ex Scripturæ uſu: magis tamen emphatica eſt appoſitio, dum pronunciatur Deus non tantum verax, ſed etiam ipſa veritas. Quicquid ſit, refertur hoc ad omnes qui in Dei verbo acquieſcunt: quia nunquam eos fruſtrabitur ſua expectatio. Ita oblique exprobratur populo ſua infidelitas, qui Deum non modo probatæ compertæque fidei, ſed fontem ipſum veritatis deſeruerit. Quod ſequitur non eſſe iniquitatem in Deo, tametſi frigidum quibuſdam videtur, magnum tamen pondus habet. Scimus enim ut plurimum ita in ſuia ſubterfugiis homines deſipere, ut Deum quodammodo

reum ſupponant. Etſi autem palam non audent eum criminari, ſe tamen abſolvere non dubitant cum
Jer. 2: 5. aperta ejus contumelia. Ideo alibi Deus apud Prophetam ſuum quærit quid in ſe iniquitatis depre-
Exc. 18. verſ. 35. benderit populus: & alibi expoſtulat ſe odio & infamia fuiſſe gravatum, acſi perverſe cum impiis illis ageret. Ubi autem à talibus calumniis ſe viodicat, ſequitur nihil culpæ in eo reſidere, ſed ſatis ſuperque convictum teneri eorum ſcelus qui ſe ab eo ſubducunt.

5. *Corrupit ſeſe.*] Secure jam Moſes in populi perfidiam invehitur, & liberæ objurgationi vela pandit: quia ſi Deus rectus & verax, inde ſatis patebat Iſraelitas gentem eſſe pravam & perverſam. Natio, inquit, perverſa corrupit ſe erga illum, nempe quem nuper perfecta juſtitiæ & fidei laude ornavit. Eos autem accuſat, quod poſt promiſſam Deo caſtitatem turpiter ad quodvis flagitium ſe proſtituerint. Dubium non eſt quin his epithetis graviter vulnerati fuerint: & fuiſſent prorſus ad rabiem adacti, niſi quia videbant incomparabilem Dei ſervum, quum jam ad mortem ejus mandato vocatus eſſet, tanquam è cælis loqui. Vox itaque morituri hominis, eorum ſuperbiam compeſcuit, ut jam non auderent tanquam mortali ſe opponere: poſtea vero quam publica auctoritate, atque omnium conſenſu recepta fuit damnatio, minus liberum fuit inſanire. Inferitur per modum anticipationis, eos non eſſe filios: quia alioqui promptum fuiſſet excipere, minus contumelioſe tractandum eſſe ſacrum Abrahæ genus quod Deus adoptaverat. Negat ergo Moſes eſſe filios, quia ſint natio perverſa. Etſi enim adoptio ſemper firma ſtetit, vis tamen ejus reſtricta fuit ad partem electam, ut ſalvo fœdere vulgus ipſum rejicere potuerit Deus. Verum quo res clarius expediatur, tenendum eſt, Spiritum ſecundum diverſas rationes hypocritis nunc tribuere, nunc adimere nomen filiorum Dei: quia interdum exaggeratur eorum crimen, ubi tam Abrahæ & Jacobi filii quam ipſius Dei vocantur. cujus rei paulo poſt exemplum occurret. Verum ut temere gloriari deſinant, dicuntur non eſſe filii, quia ſint degeneres: ideoque divinitus abdicati, ne gradum honoris amplius retineant. hoc ſenſu negat Moſes eſſe filios qui Deum patrem abnegaverant. Additur id eſſe factum ipſorum macula: niſi magis placeat legere corruptos fuiſſe ſuis maculis, ut ita macula pro vitio ſumatur: quod libenter amplector. quanquam diverſum ſenſum non rejicio, nempe ceſſiſſe illis alienationem à Deo in ignominiam, vel maculam dedecoris ſua perfidia contraxiſſe.

6. *Jehovæ retribuetis iſtud.*] Jam quo populi ingratitudinem magis ignominioſe traducat, beneficia quibus eum Deus ſibi obſtrinxerat, commemorare incipit. Nam quo liberalius nobiſcum agit Deus, eo magis accendi decet pietatis ſtudium in cordibus noſtris: imo ejus bonitas, ſimulac percipimus ejus guſtum, nos ad ſe rapere debebat. Deus autem quum ſemper beneficus fuerit erga totum humanum genus, immenſam ſuæ largitatis copiam in populum illum ſingulari modo profuderat: hac igitur in medium propoſita, oſtendit Moſes quam turpiter ingratus fuerit populus. Primo interrogative expoſtulat an reſpondeat iſta merces inſignibus Dei beneficiis: deinde ad ipſam recitationem deſcendit. Quærit ergo an Deus non fuerit eorum pater ex quo adoptionis honore eos dignatus fuerat. ſub quo uno capite multa comprehendit: quia ex hoc fonte manabat quicquid beneficiorum in eos contulerat Deus. Verum ut ſingula pro merito non expendantur, quæ poteſt ſanctior fingi obligatio quam ut Deus gentem unam ex toto orbe ſibi delegerit, cujus pater eſſet ſingulari privilegio? Nam etſi interdum cuncti mortales (quoniam ad Dei imaginem formati ſunt) vocantur ejus filii: peculiare hoc tamen fuit Abrahæ filiis, ceoſeri ejus filios. Atque ut probet Moſes non eſſe naturæ hanc dignitatem, ſed adventitiam: quomodo illis fuerit Deus pater, continuo poſt exprimit: nempe quatenus ipſos acquiſivit, fecit & præparavit. Ergo principium & origo fuit gratuitum Dei beneplacitum, ubi eos ſibi in peculium ſumpſit. Alibi quidem ſecunda acquiſitio ponitur, nbi eos redemit ex Ægypto: hic vero altius conſcendit Moſes, nempe ad fœdus cum Abraham percuſſum, quo ſegregati fueront à reliquis gentibus, ut paulo poſt clarius patebit. Quod verbum קנה qnidam vertunt Poſſidere, repudio tanquam à contextu alienum. Jam eodem ſenſu ſubjicitur à Deo fuiſſe formatos: quod ad generalem creationem non ſpectat, ſed tantum ad jus adoptionis quo facti ſunt novum Dei opus & figmentum, ubi alia forma illis fuit indita: quo ſenſu etiam vocatur fictor vel opifex eorum. Et alibi
quum dicit Propheta, Cognoſcite quod Jehova ipſe *Pſal. 100.*
eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos: ſpecialem *verſ. 6.*
haud dubie prærogativam commendat, qua Deus filios Abrahæ inſigniverat præ cunctis gentibus. Nam quia lapſus Adæ deformitatem omnibus poſteris induxit, reformat Deus quos ſegregar ſibi in peculium, ut melior ſit eorum quam omnium gentium conditio. Simul tamen notandum eſt, hanc renovationis gratiam deleri in multis, qui deinde profaneſcunt. Unde ſequitur, bifariam vocari Eccleſiam Dei opus & figmentum: nempe generaliter externa vocatione, & ſpecialiter regeneratione ſpirituali, quoad electos: fœdus enim gratiæ hypocritis & fidelibus commune eſt. Et hac ratione dicuntur promiſcue omnes quos Deus in Eccleſiam ſuam colligit, refingi ac regenerari. ſed interior renovatio nonniſi
ad ſolos fideles pertinet: quos ideo Paulus vocat *Epheſ. 2.*
opus Dei, creatos ad bona opera quæ Deus præpara- *verſ. 10.*
vit. Eodem tendit tertium verbum: quod tamen pro Stabilire poteſt accipi. quanquam ſenſum magis receptum ſequi malui: nempe quod Deus populum aptaverit, quemadmodum artifex opus ſuum concinnat.

7. *Memento dierum ſeculi.*] Eſt expoſitio proximi verſus: iterum enim docet Moſes quomodo Deus ſibi acquiſierit populum: nempe quia pro ſuo beneplacito ſeparare eum voluit à reliquis gentibus. Quoniam autem præſenti ſua excellentia turgere poterant Iſraëlitæ, revocantur ad ſuam originem: ac jubet eos Moſes non tantum reſpicere quales nunc ſint, ſed unde ſuerint ſumpti: hoc ſenſu dicit, Memento ultimæ vetuſtatis, interroga ſenes, &c. Scimus enim ubi non reputant homines quicquid habent profectum eſſe à Deo, & eſſe veluti precarium, ſuo ſpleodore excæcari, ut non tantum alios deſpiciant, ſed coroua quoque artollant adverſus bonorum omnium auctorem. ut hanc arrogantiam Moſes ſubigat, dicit populos omnes fuiſſe pariter ſub manu & imperio Dei: atque ita diſcrimen non fuiſſe in eorum natura ab initio, ſed aliunde fluxiſſe, nempe à libero Dei arbitrio. In verbo בהנחל nonnulla eſt ambiguitas. Quidam enim vertunt, Quum divideret Excelſus terram populis: quod tametſi non repudio, amplexus tamen ſum quod contextui erat aptius: bis enim idem dicit Moſes, & ſecundum membrum explicatio eſt ſuperioris. Dicit ergo Deum populos diſtribuiſſe, quemadmodum hæreditatis fit partitio. deinde id clarius repetitur per ſeparationem filiorum Adam. Quod in ſecundo membro dicitur conſtituiſſe terminos gentium pro numero filiorum Iſraël, vulgo ſic exponunt, limites ita præſcriptos fuiſſe gentibus, ut ſalva maneret filiis Abrahæ ſua habitatio. Quidam ex Hebræis arctius ſumunt, in regionum diſtributione ſeptem gentibus Chananæis tantum fuiſſe datum quantum filiis Iſraël ſufficeret. Ego vero alium ſenſum eſſe arbitror, nempe in tota mundi ordinatione finem hunc fuiſſe Deo propoſitum, ut electo populo conſuleret. Etſi enim beneficentia ejus ad omnes defluxit, ſuos tamen ita reſpexit, ut eorum maxime cauſa, curam ſuam ad alios uſque extenderet. Et

nomen

nomen numeri diſerte ponitur: acſi diceret Moſes, quamlibet exigua ſit portio generis humani Abrahæ poſteritas, numerum tamen illum fuiſſe Deo præ oculis, quum ordinaret ſtatum totius mundi: niſi forte nomen יהוה accipere placeat pro ratione: ſed non male conveniet exiguam manum ita pretioſam fuiſſe Deo, ut ad ejus ſalutem totius mundi gubernationem aptaret. Quod ad Gentium vocationem quidam referunt, acſi diceret Moſes, imperium univerſæ terræ deſtinatum eſſe Abrahæ ſemini, quia propagandum erat per omnes mundi plagas, prorſus alienum eſt: quia hic ſimpliciter notatur diſtinctio qua olim gens una ea celluit.

9. *Pars enim Jehovæ.*] Hoc præcipuum eſt caput, Deum nonniſi mero beneplacito fuiſſe adductum ut tanti faceret populum, qui ea communi origine eſſet progenitus. Nam quum dicit, Jacob fuiſſe partem Jehovæ, & ſortem hæreditatis: non intelligit quicquam in eo fuiſſe aliis melius, ſed cauſam aſſignat cur prætulerit Deus gentem unam cunctis mortalibus: quia eam ſibi ſumpſit quaſi hæreditariam partem. quæ dignitas à gratuita electione pendet.

Ex eodem Capite.

10. Invenit eum in terra deſerti, & in vaſtitate horroris deſerti: circumduxit eum, introduxit eum, cuſtodivit eum ut pupillam oculi ſui.

11. Ut aquila quæ excitat nidum ſuum, ſuper pullos ſuos cubat, expandit alas ſuas, aſſumit eum, portando ſuper alas ſuas.

12. Jehova ſolus deduxit eum, & non fuit cum illo deus alienigenæ.

13. Equitare fecit eum ſuper excelſa terræ, & comedit fructus agri, & fecit ut ſurgeret mel è petra, & oleum è ſilice petræ.

14. Butyrum bovis, & lac ovium, cum adipe agnorum, & arietes filios Baſan, & hircos una cum adipe granorum tritici, & ſanguinem uvæ bibiſti rubicundum.

15. Et impinguatus eſt Rectus, & recalcitravit: impinguatus es, incraſſatus es, operuiſti: & dereliquit Deum qui fecit eum, ac deſpexit Deum ſalutem ſuam.

16. Provocaverunt eum ad zelum ſuper extraneos, per abominationes irritaverunt eum.

17. Sacrificaverunt dæmoniis, non Deo, diis quos non noverant, novis qui de propinquo venerunt, quos non timuerunt patres veſtri.

18. Dei qui genuit te, oblitus es: oblitus es, inquam, Dei qui creavit te.

10. *Invenit eum in terra deſerti.*] Si omnia quæ Deus paterni favoris ac dilectionis erga populum illum documenta ediderat referre propoſitum fuiſſet Moſi, fieri debuit exordium à tempore Abrahæ: ſicut Propheta in Pſalmo juſtam narrationem inſtituens, à primo illo fœdere incipit quod Deus cum Patribus pepigerat. Atque etiam beneficia quibus eos proſequutus fuerat contexit, Quum eſſent numero pauci, & peregrini in terra, obambularent de gente in gentem, non paſſus eſt hominem nocere illis, corripuit pro ipſis reges. Moſes vero brevitati ſtudens, recentius & magis celebre beneficium ſatis habuit proferre: imo principium liberationis omittit, tantum deſerti mentionem faciens. Dicit ergo Deum inveniſſe ipſos in deſerto: hoc quia tunc primum eorum miſereri cœperit, quum antea mirabili illius potentia erepti fuiſſent à tyrannide Pharaonis, & mare Rubrum ſiccis pedibus tranſiſſent: ſed quia utile illis fuit ante oculos ſtatui quomodo è profunda mortis abyſſo extracti eſſent, quo melius agnoſcerent vitæ ſuæ initium. Quid enim erat vaſtum & ſterile deſertum, ubi nec mica panis, nec aquæ gutta reperiebatur, quam ſepulchrum ad abſorbendas mille vitas? ideoque adjicitur, Vaſtitas horroris. Summa eſt, quod populus illine ſalvus emerſit, ſpecimen quoddam fuiſſe reſurrectionis, non ab una tantum & ſimplici morte, ſed ab innumeris. Si rectum illis & expeditum fuiſſet iter, non tamen confici abſque miraculo poterat: nunc quum per annos quadraginta illic erraverint, via centeſimam miraculorum partem capient humanæ mentes. Itaque non ſupervacaneum eſt verbum Circumcidendi: quia longe ſplendidior fuit Dei virtus quam ſi celeriter per aërem volitaſſent. Eodem refero quod ſequitur, Erudivit ipſum. perperam enim (meo judicio) quidam de Lege accipiunt, quum potius ad doctrinam experimentalem pertineat. Multiplex enim neque vulgaris eruditio fuit oblata in tot beneficiis & pœnis, ubi Deus quaſi manu exerta gloriam ſuam illuſtrabat. Sequuntur duæ ſimilitudines ad exprimendum Dei amorem cum ſollicitudine pluſquam paterna. Primo dicit Deum illos non minus ſedulo protexiſſe ab omni injuria & moleſtia quam ſolet quiſque pupillam oculi ſui, quæ pars eſt corporis tenerrima, & à cujus offenſione maxime cavetur. Et David, ubi ſingulari Dei præſidio ſe tutum ſervari poſtulat, ſic loquitur. Deinde aquilæ ſe comparat Deus, quæ non modo pullos ſuos fovet expanſis alis, ſed indulgenter & pro materna dulcedine provocat ad volandum. Subtilius de aquilis philoſophari nunc intempeſtivum eſſet. Judæi, ut ſolent de rebus incognitis audacter nugari, hoc loco comminiſcuntur quæ ad ſenſum Moſis nihil attinent, qui certe aquilam poſuit ut alium quamlibet avem. Nec vero dubium eſt quin ubi Chriſtus ſe gallinæ comparat, eandem ſedulitatem exprimere velit: Quoties, inquit, volui colligere filios tuos, ſicut gallina pullos, & noluſti? Sicui tamen placeat quæ Ariſtoteles tradit de aquilis, huc accommodare, per me licebit: quanquam non eaiſtimo aliud veniſſe Moſi in mentem quam quod verba præ ſe ferunt. Et certe ſufficere nobis debet quod in promptu nobis occurrit, hac inæſtimabili Dei bonitate & indulgentia merito nos debere in admirationem rapi, dum ſe eouſque ſubmittere non gravatur ut inſtar aviculæ ſuis alis nos protegat, & volitando nos ad ſequendum formet, atque aſſuefaciat: qua ſecunda parte pluſquam materna educatio notatur.

Pſal 105. verſ. 8.

12. *Jehova ſolus deduxit eum.*] Anticipatio eſt, qua omnes tergiverſandi prætextus adimit: ſi forte vellent Iſraëlitæ, pro more, ſuas ſuperſtitiones miſcere cum ſimplici Dei cultu. Nam quum hinc inde varios deos ſibi accerſarent, paſſim audita fuit illa excuſatio, non ita exſpoliari Deum ſuo jure. Atque hinc factum eſt ut ſibi permiſerint coacervare falſorum deorum torbam, quos pro patronis colebant. Atqui occurrit Moſes, ac pronunciat, Deum ſicuti alieno auxilio non indiget, exteros deos non adhibuiſſe ſocios in ſervando populo. Unde ſequitur, quoſcunque deos admiſit populus, in eos tranſtuliſſe veri & unius Dei honorem. Diſcamus itaque ea hoc loco, niſi in ſolidum colatur Deus, impia corruptela totam religionem perverti.

13. *Equitare fecit.*] Quod Judæam ſic vocari fingunt, quia ſit terræumbilicus, frivolum eſt: melius

convenit excelſam dici Ægypti reſpectu. & ſatis trita eſt loquendi ratio, eos qui in Ægyptum proficiſcuntur, deſcendere: & rurſus aſcendere eos qui in Judæam veniunt. Quanquam mihi probabile eſt, celſitudine notari excellentiam: quia terra illa ob præclaras dotes eſſet quaſi nobiliſſimum totius orbis theatrum. Fœcunditatem amplificat Moſes, ubi dicit populum ſuxiſſe mel è petra, & oleum ex lapidibus. ſignificat enim nullam partem fuiſſe ſterilem, quum ex rupibus mel colligerent, & illic etiam olcæ naſcerentur. Eodem ſpectant aliæ figuræ, comediſſe butyrum ex vaccis, & lac ex ovibus: quibus ſignificat, terram illam opimis paſcuis fuiſſe divitem. Per adipem agnorum, haud dubie carnem bene ſaginatam ſignificat: quia fas non fuiſſet adipe veſci. Sed novum non eſt hac voce notari quamlibet pinguedinem: ſicuti paulo poſt adipem tritici nominat optimam ſimilaginem vel farinam, ex qua fiebat panis delicatior. In vino autem non ſine Poëtico ſchemate Dei liberalitatem commendat, ubi dicit, Sanguinem ovarum eos bibiſſe. Dubium quidem non eſt quin ad colorem alludat: ſed hac occaſione Dei beneficentiam ſplendidius extollit, dum exprimitur uvarum ſuccus acſi ſanguis profluxeret ad homines alendos. Quoniam autem à vini rubedine ſumpta eſt metaphora, epitheton חמר in ſine verſus non dubitavi transferre Rubrum. Ex compluribus autem locis apparet fuiſſe ſuaviſſimum: & חמר vitis apud Jeſaiam, pro exquiſita & maximi pretii ponitur. Qui Merum interpretantur, rem potius quam verbi ſignificationem ſpectarunt. *Jeſa. 5.*

15. *Et impinguatus eſt.*] Hic jam populi ingratitudinem exagitat Moſes, quod lautitiis refertus, adverſus Deum protervire cœperit. Satietas quidem (ut fertur vulgari proverbio) ferociam parit: ſed hoc contingit deteſtabili hominum pravitate, quos Dei benignitas potius ad modeſtiam & manſuetudinem flectere debebat. nam quo largius nos paſcit, quia propius & familiarius ſe patrem demonſtrat, ſimul nos ad pietatem filiis dignam invitat. Ergo impietas eſt non ferenda quod profani homines ubi ſe ingurgitarunt bonorum omnium copia, contra eum inſolescunt. Confert autem equis ferocibus & refractariis, qui ſi in otio bene paſcantur, contra ſeſſorem calcitrant, & redduntur fere intractabiles. Nomen vero Recti pro Iſraële ponens, ironice eos perſtringit qui à rectitudine defecerant: ac in memoriam revocans quanta præditi eſſent dignitate, acrius exprobrat perfidiæ crimen. Alibi enim ſine ſiniſtra nota ornatur Iſraël ejuſmodi elogio, vocationis reſpectu: hic vero objurgatorie docet Moſes quam procul diſceſſerint à ſtudio pietatis ad quam colendam vocati erant.

16. *Provocaverunt eum ad zelum.*] Improprie quidem Deo tribuitur æmulatio, in quem nullæ cadunt paſſiones. Sed quia nunquam ſatis reputant homines quantum piaculi contrahant in ſuis idololatriis, neceſſe eſt talibus loquendi formis exprimi criminis gravitatem: non minus ſcil. injuriæ ipſos facere Deo ubi ejus cultum alio transferunt, nec leviorem eſſe noxam, quam ſi proterva mulier ad zelotypiam accenderet mariti animum, & adulteros captando, vulneraret. Hic porro zelus pendet à ſacro & ſpirituali conjugio quo ſibi Deus populum devinxerat. Summa eſt, Iſraelitas ſuis ſuperſtitionibus perinde fuiſſe in Deum contumelioſos, acſi ex profeſſo eum provocarent. Sequitur amplificatio proximo verſu, cultum uni Deo debitum, tranſtuliſſe ad dæmones. Publico omnium gentium conſenſu ſemper receptum fuit, ſacrificiis colendum eſſe Deum. Etſi enim varios deos ſibi fingebant Gentes, valuit tamen hæc perſuaſio, id proprium eſſe jus deitatis. nihil igitur magis indignum aut deteſtabile quam honorem Deo ereptum offerre dæmonibus. Id quidem nunquam confeſſi eſſent Iſraëlitæ, utpote qui minores deos apud ſummum & unicum mundi creatorem patronos ſibi eſſe jactabant: nec dubitabant ei referre impenſum quicquid partiebantur inter ſua idola. Atqui primo hic repudiat omnes miſturas quibus ſacrum ejus nomen indigne profanatur, nec ſe patitur idolis locum adjungi: deinde quibuſcunque titulis idola ſua inſigniant, dæmones eſſe pronunciat omnes fictitios deos. unde ſequitur eorum immolationes ſacrilegio eſſe infectas. Atque utrumque diligenter notandum eſt, Deum ſcilicet omnes cultus ſui corruptelas abominari: deinde quæcunque deorum nomine excogitat mundus, totidem eſſe larvas quibus diabolus ad ſimplices fallendos ſe occultat. Adhæc vecordiam Iſraëlitis exprobrat Moſes, quod ſibi promiſcue aſciverint deos incognitos, perinde acſi mulier adultera paſſim ſe proſtitueret quibuslibet. Quod dicit è propinquo veniſſe, ad tempus ſpectat, & tantundem valet atque nuper fuiſſe exortos. Tertio additur, Deos illos à patribus eſſe neglectos. nam hinc convincitur perverſum novitatis ſtudium, quod ne patrum quidem imitatione adducti fuerint, ſed improba curioſitate ſibi aſciverint novos & inſolitos deos: non quod in ſola vetuſtate lex pietatis ſit fundata, quaſi ſufficeret ritum à majoribus traditum ſequi (nam hoc modo probanda fuiſſet quælibet Gentium religio) ſed quoniam genuina & fidelis patrum traditio, certa probaque fuiſſet Dei colendi regula. Sumitur enim aliàs principium, patres vere ac minime fallaciter fuiſſe edoctos quiſnam eſſet unicus Deus, in quo acquieſcere decebat. Sed hic tenenda eſt inter ſanctos patres & reprobos diſtinctio: nam patrum imitatio, quæ hic videtur in laude duci, alibi ſevere damnatur, nempe quoniam abſque delectu rapiebantur Judæi ad perverſa patrum exempla. Ergo non alios hic patres commemorat Moſes niſi qui per manus tradere poterant quod didicerant ex ipſo Deo. Timendi verbum ſæpe per ſynecdochen complectitur totum Dei cultum, & interdum ad externas ceremonias transfertur. quanquam hic ponitur verbum שעע, quod proprie tantundem valet ac formare vel pavere: eodem tamen ſenſu.

18. *Dei qui genuit te.*] Rurſus crimen amplificat à populi ingratitudine: quia non inſcitia prolapſus ſit, ſed Dei cognitionem quæ fulgere debuerat in omnium cordibus, ſponte ſuffocaverit. huc enim ſpectat exprobratio, quod obliti ſint rupis ſuæ. Quaſi diceret non aliter impiis ſuperſtitionibus deditos fuiſſe, niſi quia Deum, quem ſatis illuſtribus documentis experti fuerant principium & futuram ſalutis ſuæ, voluntaria oblivione abjecerint.

Ex eodem Capite.

19. Quum autem vidiſſet Jehova, exacerbatus eſt irritatione filiorum & filiarum ſuarum.

20. Et dixit, Abſcondam faciem meam ab eis, videbo quid in noviſſimo eorum: generatio enim perverſitatum ſunt, & filii in quibus nulla eſt fides.

21. Ipſi ad zelum provocaverunt me in eo quod non eſt Deus, ad iracundiam me provocaverunt in vanitatibus ſuis: & ego ad zelum provocabo eos in eo qui non eſt populus, in gente ſtulta provocabo eos ad iram.

22. Ignis

22. Ignis enim succendetur in excandescentia mea, & ardebit usque ad infernum inferiorem: devorabitque terram & fructum ejus, & inflammabit fundamenta montium.

23. Cumulabo super eos mala, sagittas meas consumam in eis.

24. Combusti erunt fame, & comesti ægritudine calida, & excisione amara: dentes quoque bestiarum immittam in eos cum veneno serpentium super terram.

25. Foris orbabit gladius, & in cubiculis erit terror: etiam juvenem, etiam virginem, lactentem cum viro sene.

26. Dicerem, Dispergam eos per angulos: cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

27. Nisi iram inimici timerem, ne forte alienos se ostentent hostes eorum: ne forte dicant, Manus nostra excelsa, neque Jehova operatus est omnia ista.

19. *Quum autem vidisset.*] Videre Dei, cujus hic fit mentio, ad judicii moderationem refertur: acsi dictum esset, eum non agi præcipitem, nec à filiis suis alienari, nisi causa probe cognita. qua ratione alibi dicit, Clamor Sodomæ multiplicatus est, descendam, & videbo an ita sit, ut sciam. Certe nullo examine indiget Deus, cujus oculos nihil fugit, quamlibet absconditum: sed descensus & inquisitio præposterè festinationi opponitur. Ita hoc loco Moses Deum exacerbatum fuisse docet, postquam filios suos & filias suas vidit tanta perfidia fuisse abstractos post idola. Iterum vero filios nominans, non eorum meritum æstimat, sed Dei adoptionem: quæ tametsi abolita erat quoad ipsos, valere tamen adhuc debuit ad augendum ingratitudinis crimen. Eadem vero ratione qua nuper dixit Moses Deum vidisse, ipsum quasi deliberantem inducit, quo melius perspici queat pœnæ maturitas. Notandi autem sunt gradus: quia non statim prorumpit Deus ad extremum rigorem, sed dicitur faciem suam abscondere, ut occulte consideret quid facturi sint. Est autem hæc media ratio inter manifestam gratiæ ac favoris testificationem, & iræ testimonium. Dicitur quidem alibi pluribus locis Deus faciem suam abscondere, ubi supplices repudiat, auxiliumque suum subducit: sed hoc loco mutuatur hominis personam, qui dum videt nihil se monendo proficere, recessum quærit unde eventum tacite contempletur. Atque hoc modo exprimitur tædium Dei: quia ubi vidit se operam male consumere in regendo populo, curam ejus tandem abjecit. Hinc autem perperam colligunt quidam, homines à Deo derelictos, proprio liberi arbitrii motu respicere: acsi Deus è specula quietus & otiosus expectet quidnam facturi sint: quando hæc occultatio nonnisi ad externam gratiæ manifestationem pertinet. Denique similitudo est ab hominibus sumpta, qua significat Deus, se fastidio victum, non amplius fore populi ducem ac custodem, donec reipsa pateat modis omnibus esse intractabiles. Quod ex ratione mox addita colligitur, ubi perversam eorum naturam & infidelitatem accusat: acsi diceret, post longa experimenta non aliud restare nisi ut ipsos valere jubeat.

21. *Ipsi ad zelum.*] Jam longius progreditur, Deum scilicet, ubi se ad tempus subduxerit, tandem populi apertum fore hostem, ut par pari referat. Formam vero talionis notat, quod ficuti Deo probrose opposuerant nihili figmenta & vanitates, ita vicissim contra eos extollet barbaras gentes & nullius pretii. Hæc quoque similitudo sumpta est à zelotypis maritis, qui si contemni se ab impuris uxoribus videant, objectis contrariis amoribus seipsos ulciscuntur. Cur zelotypiæ affectum in se Deus suscipiat, dictum est in secundo Legis præcepto, & nuper aliquid attigi: nunc tantum docet Moses æquissimum fore vindictæ genus, ubi Deus per gentes contemptas & ignobiles insultabit apostatis, qui in ejus contumeliam sibi idola fabricarunt. Porro ejusdem sententiæ effectus identidem exhibitus fuit, ubi tyrannice à vicinis gentibus oppressi fuerunt. Verum quidem est Ægyptios, Syrios, Assyrios & Chaldæos in populis nihili & stultis gentibus comprehendi, quamvis potentia & opibus præstarent, aliisque splendidis dotibus essent celebres: sed mirum non est præ illa nobilitate qua Deus ornaverat Israëlitas, alios omnes tanquam quisquilias reputari. Summa est, ultionem Deo fore in promptu, qua puniat populi sui vanitates: quia ex nihilo creare poterit hostes, à quibus redigantur in nihilum. Quod vero Paulus latius extendit hanc sententiam, id facit concinna allusione: quoniam ubi Gentes Deus in Ecclesiam suam asciviit, ad zelotypiam Judæos accendit, ut tandem ignominia tacti respiscerent. Certe Gentium vocatio perinde fuit, acsi umbras crearet, quas præferret reprobo populo.

22. *Ignis enim succendetur.*] Idem confirmat, sed magis generaliter. Iram enim suam comparat igni accenso, qui penetrabit usque ad profundissimas quasque abyssos: terram eorum funditus absumet, ut ne montium quidem radicibus parcat. Frequenter quidem occurrit hæc metaphora: sed nunc plus exprimitur quam aliis locis. Eodem etiam sensu mox subjicitur, Deum consumpturum omnia sua flagella & sagittas contra ipsos: sicuti ubi exarsit implacabilis iracundia, nullus est sæviendi modus. Quanquam verbum חדה sumi etiam potest pro consumere: libenter tamen expositionem non minus receptam sequor, obrutum iri malorum congerie. Restamen eodem redit, Deum nihil prorsus omissurum ad eos perdendos: acsi mala absque modo coacervaret, ac tela omnia quæ ad manum sunt, in illum usum applicaret.

24. *Combusti erunt fame.*] Jam ad species quasdam pœnarum descendit: non ut omnes recenseat, sed tantum ut adductis in medium quibusdam exemplis, plus terroris concipiat populus, quem universalis doctrina non satis pupugisset. Tria autem præcipue flagella commemorat, pestem, famem, & gladium, de quibus passim concionantur Prophetæ, quibus propositum fuit Legem accommodare in usum populi: unde fit ut ex Mose familiariter sumant multas loquendi formas. Inserit quidem alias pœnas, quarum apud Prophetas fit mentio: verum summa huc redit, sensuros Israëlitas Deum pœnis omnibus quæ experientia plus satis notæ sunt, esse armatum, quibus ipsos prorsus deleat. Primum dicit fame aridos fore, vel potius torridos. Loco pestis nominat uredinem, & excisionem amaram. Antequam vero de gladio loquatur, denunciat se bestias & serpentes emissurum, ut ab una parte eos impetat visa aperta, ab altera autem occultæ insidiæ. Hanc quoque figuram imitatus est Amos: Dies (inquit) Jehovæ caligo, & non lux: perinde acsi quis fugiat à facie leonis, & occurrat ursus: fi autem domum ingressus fuerit, & reclinet in parietem, mordeat eum serpens. Bello autem & hostili sævitiæ conjungit alterum malum, nempe pavorem. Est autem hæc ipsis cædibus deterior accessio, ubi pavore intus tabescimus: quia præstaret decies fortiter pugnando in acie mori quam confici diuturno metu, quasi lenta morte. Discamus autem ex hoc loco, quæcunque nos circumstant pericula, & res adversas, esse arma Dei: nec fortuito

Amos 5. vers. 18.

accidere quibuſque, ſed dirigi ejus manu. Ita fit ut non tantum hoſtes contra nos incitet, ſed etiam truculentas & noxias beſtias, ut cælum & terram obduret, ut aërem inficiat mortali tabe: denique ea omnibus elementis multiplicem proferat exitii materiam. Quod ſi pios contingat ſimilibus pœnis involvi, ſicuti fame & inedia urgentur, nec ſunt ullius mali expertes: (imo quod hic impiis Dei contemptoribus Moſes minatur, Paulus ſe eapertum fuiſſe tradit: nempe ut eum foris pugnis vexarent, intus vero premerent tremores) tenendum eſt, res omnes adverſas per ſe ſigna eſſe iræ Dei, quia prima earum origo eſt à peccato: ſed fieri admirabili Dei conſilio, ut fidelibus ſint experimenta fidei, & patientiæ probationes. Communiter ergo ſæpe filios Dei in diverſum finem cum impiis affligi videmus: ſic tamen ut res omnes adverſæ vindictæ Dei teſtimonia ſint erga reprobos. Qua de re fuſius diſſerui tractando Legis maledictiones.

26. *Dicerem, Diſpergam.*] Rurſum in ſe Deus ſuſcipit hominis ingenium, quaſi diverſa conſilia ſecum agitaret, & objectis impedimentis ſuum impetum cohiberet. Summa tamen huc redit, Deum non alia de cauſa ſuſpendiſſe ultimum judicium, niſi quia rationem habuit ſuæ gloriæ, quæ alioquin ſubjecta fuiſſet Gentium opprobriis. Unde admoniti fuerunt Judæi, quum certum interitum promeriti eſſent, ſe non aliunde eſſe ſalvos, niſi quia habenas laxare Deus noluerit Gentium proteruiæ. Porro iræ nomen hic pro ſuperba jactantia capitur, quia rebus proſperis ad ſævitiam ebulliunt impii & profani homines: niſi magis placeat ſimpliciter irritationem vertere, quo ſenſu ponitur 2 Reg. cap. 23. Paulo poſt quidem exponitur ne ſe hoſtes alienos oſtentent. נכר enim nunc alienum eſſe, nunc novam faciem induere, nunc agnoſcere ſignificat. Itaque non dubito quin eorum faſtum exprimat Moſes qui ſe quodammodo transformant, ut ſua pompa & vana elatione perſtringant ſimplicium oculos. Sicui magis probetur diverſus ſenſus, ne ſe à Deo ſeparent, ac ſeorſum ſibi arrogent quod ipſius proprium eſt, non repugno. Ac videtur congruere quod poſtea ſequitur, Manus noſtra excelſa, non autem Jehova, hoc fecit. Nam dum effreni ejuſmodi licentia exultant homines, ſic evagantur, ut nihil ſit cum Deo commune. hoc autem modo obrutum fuiſſet Dei judicium, quod illuſtrari pœnis illis oportuit, dum hoſtes ad ſe rapuiſſent extincti populi gloriam. Nec vero propterea ſuis victoriis inſoleſcere deſtiterunt impii, ſicuti Deus apud Jeſaiam conqueritur, & Habacuc confirmat: repreſſa tamen aliquatenus ferocia eorum fuit, quamdiu ſuperſtites fuerunt aliquæ electi populi reliquiæ. Jam improprie dicit Deus, ſic timuiſſe talem proteruiam, cui mederi, & quam compeſcere facile poterat: ſed diximus eum humanitus loqui, ut ſciant Iſraëlitæ ſe magis hoſtium cauſa quam ſuo merito eſſe elapſos. Exoritur tamen quæſtio, quomodo locum habuerit hæc conſultatio ex quo ſtatuerat Deus iræ ſuæ flamma eos conſumere. Reſpondeo conſumptionem illic fuiſſe notatam, quæ non prorſus gentem aboleret, quin extarent aliquæ ruinæ ſtatus priſtini teſtes: nunc vero verba fieri de interitu, qui prorſus deleret nomen gentis, acſi nunquam à Deo electa fuiſſet.

Jeſa. 10. *verſ.* 7. *Habac.* 1. *verſ.* 10.

Ex eodem Capite.

28. Gens enim perdita conſiliis ſunt, nec eſt illis intelligentia.

29. Si ſapientes eſſent, intelligerent hoc, intelligerent noviſſimum ſuum.

30. Quomodo perſequutus fuiſſet unus mille, & duo fugaſſent decem millia, niſi quod Deus eorum vendidiſſet eos, & Jehova tradidiſſet eos?

31. Nam non eſt ſicut Deus noſter, Deus illorum: & inimici noſtri ſunt judices.

32. Ex vite enim Sedom eſt vitis eorum, & ex vitibus Emorrhæorum uvæ eorum, uvæ veneni, botri amaritudinum ſunt eis.

33. Venenum draconum, vinum eorum: & venenum aſpidum crudele.

34. Nonne eſt reconditum apud me, obſignatum in theſauris meis?

35. Mea eſt ultio & retributio, tempore nutabit pes eorum: quia propinquus eſt dies afflictionis eorum, & feſtinant quæ futura ſunt eis.

36. Quia judicabit Jehova populum ſuum, & ſuper ſervos ſuos pœnitebit ipſum, quum videbit quod abierit manus, & non ſit clauſus & derelictus.

28. *Gens enim perdita.*] Redditur cauſa cur parum abfuerit quin Deus populi memoriam penitus extingueret: nempe quia incurabilis erat eorum amentia. Neque enim tantum ſignificat inconſiderate eos ruere, quia ratione & judicio carent: ſed nullo modo poſſe reduci ad ſanam mentem: denique nullam in ipſis reſidere prudentiæ guttam. Sequitur continuo poſt probatio, clariora eorum oculis occurrere documenta iræ Dei, quam ut eos latere queant, niſi prorſus eſſent cæci & ſtupidi. Vox לו, quam vertunt Utinam, commiſerationem notat potius quam votum: ideo commode ſic exponere licebit, O ſi intelligerent! Per extremum vero, exaggeratur ſocordia: quoniam ne multis quidem & longis experimentis expergefacti fuerint ad reputandas cladium ſuarum cauſas. nam tardiſſimis etiam quibuſque & fere bardis, ſenſum aliquem tandem extorquet temporis diuturnitas. Signum ergo deſperati ſtuporis, poſt multos annos nihil ſentire: acſi uſu ipſo occalleſcerent qui debuerant excuſſo veterno ſeipſos colligere ad ſtudium inquirendi. Merito autem exprobrat Moſes, ne ad extremum quidem conſideraſſe: quia non ſemel, nec uno anno, ſed continuis pœnarum exemplis per longam annorum ſeriem edocti fuerint ſine profectu.

30. *Quomodo perſequutus fuiſſet.*] Ex multis vindictæ Dei ſignis unum delegit præ aliis inſigne. Quamdiu enim ab eorum parte ſteterat Deus, fugaverant ingentes exercitus, nec ulla eos multitudo ſuſtinuerat. nunc dum plurimi à paucis vincuntur, palam oſtendit mutatio illa, nudatos eſſe Dei præſidio: præſertim quum decem hominibus cedant mille, qui prius exigua manu ſoliti fuerant profligare maximas copias. Stuporem ergo populi coarguit Moſes, ubi in mentem non venit repudiatos eſſe à Deo, qui tam facile à paucis hoſtibus proſternuntur, quos numero longe ſuperant. Plus tamen ea primit Moſes, venditos & addictos fuiſſe: quia Deus eos indignos ſuo auxilio toties expertus, non tantum deſeruit, ſed ſubjecit eos profanis gentibus, & quodammodo mancipavit. Hæc commiuatio ſæpe à Prophetis repetitur. Et Jeſaias ſpem liberationis facere volens, Deum populi quem vendidit, redemptorem fore docet. Cæterum, ne exciperet quiſpiam non eſſe mirum ſi communis bellorum alea victoriam alio transferret, quæ (ut loquitur profanus Poëta) dubiis inter utrumque penois volat: occurrit Moſes, niſi Dei auxilio deſtitueretur populus, fieri non poſſe ut infeliciter pugnarent. Interponitur ergo veri Dei & falſorum comparatio: acſi diceret Moſes, ubi præeſt Deus exer-

Jeſa. 52.

exercituum, nunquam eo duce incertum belli eventum fore. Unde ſequitur, à communi gentium ſorte eximi electum & peculiarem Dei populum, niſi quatenus ſua ingratitudine rejici meretur. Ejus rei teſtes atque arbitros facit incredulos, qui ſæpe experti formidabilem Dei potentiam, certo ſciebant Deum Iſraëlis ſuis idolis eſſe diſſimilem. Perinde igitur eſt acſi cæcis diceret id eſſe conſpicuum, vel teſtes citaret eos qui nulla cæleſti luce ſunt prædiri. Porro judicium defert incredulis: non quaſi pronunciaturi ſint quod verum eſt, & reipſa compertum, ſed quoniam eos experientia convictos teneat. Neque enim ſi quis rogaſſet profanos homines an penes unicum Deum Iſraëlis ſummum eſſet terræ ac cæli imperium & poteſtas, unquam confeſſi fuiſſent ſua idola meram eſſe vanitatem. Verum quamlibet maligne detraherent gloriæ Dei, non dubitat tamen Moſes gloriari, vel ipſis judicibus, magnifice Deum exeruiſſe invictam ſuam fortitudinem: quanquam ad ipſam potius experientiam reſpicit quam ad eorum affectum. Alii interpretes diverſum ſenſum elicſunt, quamvis ſuperiores ſint incredulı, Deum tamen manere integrum: nec brachium ejus ideo fractum eſſe, quia illis vexandos permiſerit apoſtatas. verum expoſitio prior melius convenit.

32. *Ex vite enim Sedom.*] Quod hoc trahunt quidam ad pœnam qua digni erant Iſraëlitæ, remotum eſſe à mente Moſis exiſtimo: quin potius in corruptos eorum mores & perverſum eorum ingenium invehitur. Metaphorice autem vocat propaginem vitis Sodomæ & Gomorrhæ: quia referant utriuſque gentis naturam, acſi ab illis traxiſſent originem: quemadmodum pampini fructum matricibus unde ſumpti ſunt ſimilem generant. Conqueritur Deus per Jeſaiam, quum expectaret bonas & dulces uvas à ſua vinea, producta ſibi fuiſſe labruſcas. Item per Jeremiam, quum plantaſſet ſemen fidele & genuinum, converſum fuiſſe in ſarmenta vitis alienæ: hic plus exprimit Moſes, populum vitem eſſe non tantum degenerem, ſed veneficam, quæ nihil niſi lethale producat. Ideo ſubjicit non ſolum botros eorum eſſe amaros, ſed vinum eorum eſſe virus draconum & aſpidum: quibus verbis ſignificat, nihil illa gente deterius vel magis abominandum fingi poſſe.

Iſa. 5. verſ. 2.
Jer. 2. verſ. 22.

34. *Nonne eſt reconditum.*] Quanquam de pœnis hunc verſum quidam exponunt, acſi Deus aſſereret, diverſas earum ſpecies apud ſe paratas eſſe, quas depromat quoties libuerit: rectius tamen eſt de ſceleribus intelligere. Scimus impios, ubi Deus ſuperſedet à rigore, ſibi promittere impunitatem, acſi ejus tolerantia quædam conniventia eſſet. Ergo niſi ſtatim attollat manum ad eos caſtigandos, fingunt coram ipſo evanuiſſe ſcelerum omnium memoriam. ideo ſæpe Propheræ hypocritas ad diem viſitationis revocant, ne quid ſe lucri feciſſe putent in mora.

Jer. 17. verſ. 1.

Hac ratione dicit Jeremias, peccatum Juda ſcriptum eſſe ſtilo ferreo in ungue adamantino. Diverſa figura utitur Moſes, peccata eorum, etſi non ſtatim vindex apparet Deus, recondita eſſe in ejus theſauris, quæ tempore opportuno proferat in lucem. Unde colligitur utilis doctrina, Quamvis ad tempus Deus diſſimuler, non tamen criminum oblivifci, quorum miſeri homines deletam eſſe memoriam ſtultè putant, niſi præſenti Dei vindicta urgeantur.

35. *Mea eſt ultio.*] Citatur hic locus aliter à Paulo quam ab auctore Epiſtolæ ad Hebræos. Paulus enim ut fidelibus perſuadeat injurias æquo animo pati, admoner dandum eſſe locum iræ: quia pronunciet Deus ſuam eſſe vindictam: auctor vero Epiſtolæ ad Hebræos, Deum impietatis vindicem fore pronuncians, ſententiam ſuam confirmat hoc teſtimonio. hinc fit ut pars interpretum putet denunciari pœnam exteris gentibus, quia crudeliter afflixerunt electum Dei populum. Et videntur hoc ſonare Pauli verba, patienter ferendas eſſe injurias, quoniam Deus ſibi vendicat ulciſcendi munus: verum quia nihil impedit ſententiam unam accommodari in varios uſus, non intempeſtive Paulus exhortationem ſuam confirmavit hoc Moſis dicto: quamvis ad domeſtica Eccleſiæ judicia proprie ſpectet. Adde quod non ſolent Apoſtoli in citandis teſtimoniis recitare ſingula verba, ſed breviter monere lectores ut locos citatos diligentius inſpiciant. Quoniam autem Deus duo nunc ſimul conjungit, ſe fore ultorem ſcelerum populi ſui, & ſimul oppreſſionum ſore vindicem, nihil erit abſurdi ſi dicamus, locum tanquam digito indicari: ſimpliciter tamen ſolutio eſt, generalem ſententiam aptari ad hypotheſin, ut fideles injurias æquis animis tolerando, permittant Deo ſuas partes, quas penes ſe reſidere pronunciat. Meo quidem judicio, cohærent hæc verba cum proximo verſu: quandoquidem tempeſtive Deus ſe numerata habere hominum peccata, & in ſuis theſauris clauſa eſſe confirmat, quia penes eum eſt judicandi poteſtas & officium: quando contraria ſunt hæc duo, compertum habere quicquid injuſte & perperam agitur, & impunitum relinquere. Non quod peccatoribus ignoſcere alienum ſit à juſtitia Dei, ubi reſipiſcunt: ſed quia principium id ſemper fixum manet, Deum eſſe mundi judicem, ut in omnia ſcelera animadvertat. Ergo impunitatis fiducia eripitur hypocritis, qui niſi mox trahantur ad pœnam, ſibi blandiuntur. Quod ſequitur membrum quidam interpretes corrumpunt, ſubaudiendo relativum, Tempore quo labetur pes eorum: quum ſimpliciter colligat Moſes ſuo tempore lapſuros, vel quamvis ſtare ſe putent, ruinam tamen vel lapſum non procul abeſſe: quod melius confirmat, ubi adjungit, propinquum eſſe diem afflictionis. Sententia hæc (ut ante dixi) frequenter occurrit apud Prophetas, opportunum eſſe Deo tempus, quo peccata quæ negligere viſus eſt, puniat: ideoque tolerantiam judicio quod differt nihil detrahere. Duplex autem eſt hujus doctrinæ uſus, ne ſibi indulgeant quibus Deus ad tempus parcit: deinde ne fidelium animos conturbet impiorum proſperitas, ſed juſtæ Dei vindictæ locum & tempus concedant. Jam vero quia Dei cunctatio hypocritas ſecuros reddit, ut ſuis vitiis indormiant, & quamvis audiant reddendam ſibi eſſe rationem, brevi tamen uſura libenter fruuntur: denunciat Moſes propinquum eſſe diem, & feſtinare. niſi enim palam eos terreat Deus, ac eos in anguſtum redigat, exultant in ſua licentia. Hinc ſacrilegæ illæ voces quæ referuntur apud Jeſaiam, Acceleret, feſtinet opus ejus, ut videamus: appropinquet, adveniat conſilium ſancti Iſraël, ut ſciamus. Interea tenendum eſt illud Habacuc, Si moram fecerit prophetia, expecta eam, quia cito veniet, neque morabitur.

Rom. 12. verſ. 19. Hebr. 10. verſ. 30.

Iſa. 5. verſ. 19.

Hab. 2. verſ. 3.

36. *Quia judicabit.*] Contexunt quidam interpretes hanc ſententiam cum ſuperiore: atque ita Judicare accipiunt pro punire. Ac ſuffragari eorum ſententiæ videtur Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, qui hoc teſtimonio probat, quam horribile ſit incidere in manus Dei viventis. Verum niſi obſtat quominus Apoſtolus judicium quod in conſolationem piorum à Moſe propoſitum erat, ſimul transferat in diverſum uſum, ut magis ſolliciti ſint fideles, quo propius Deus ſe judicem in Eccleſia oſtendit: niſi forte ſic reſolvere placeat Moſis verba, Quamvis Deus judicet populum ſuum, placabilis demum erit, vel pœnitentia tangetur, quo iræ ſuæ vehementiam temperet. Utrovis modo intelligamus, ad ſummam rei parum intereſt. Poſtquam enim Dei contemptoribus & apoſtatis qui Eccleſiæ Dei domeſtici cenſeri volunt, minatus eſt Moſes, nunc ſe ad exteros convertit, ac denunciat non impune quam exercuerint ſævitiam contra Iſraëlitas, illis ceſſuram eſſe: quia tandem Deus fœderis ſui memor, ignoſcet electo populo. Si Judicare accipias pro gubernare vel, cauſam

sam suscipere, particula ו adversative vertenda erit: quasi dictum esset, Attamen, vel Cæterum Deus suorum erit vindex: si vero sequamur alterum sensum, tantundem valebit ac Quamvis, vel Etiamsi. Certe consilium Mosis est, rigorem Dei erga populum electum mitigando, pios qui proferent sub Dei ferula, animare ad bonam spem: quia
Habac. 3. vers. 13. Deus in ira recordabitur suæ misericordiæ. Atque ita nunc idem docet Moses quod plenius explicuit
Psal. 89. vers. 31. 2 Sam. 7. vers. 14. Deus postea Davidi, Si filii tui Legem meam deseruerint, visitabo virga hominis delicta eorum: clementiam vero meam non auferam ab ipsis, &c. Nihil autem aptius ad nos in rebus adversis fulciendos, quam ubi promittit Deus modum aliquem fore, ne penitus deleat quos elegit. Ergo quoties ad desperationem nos sollicitant quæ patimur mala, in mentem veniat hæc doctrina, temporales esse pœnas quibus filios suos Deus castigat, quia nunquam fallet
Psal. 30. vers. 6. promissio, iram ejus ad momentum durare: continuum vero fore misericordiæ cursum. Hinc autem illa doctrina quæ ad Ecclesiam peculiariter dirigitur, In momento afflixi te, miserationes autem
Isa. 54. vers. 8. æternas erga te prosequar. Servos autem hic nominat, non qui suis obsequiis veniam promeriti fuerint, sed quos Deus pro suis agnoscere dignatur. Pendet enim hic honor à gratuita electione: sicuti quum dicit David, Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ, nihil certe sibi proprium arrogat: sed tantum gloriatur se ab utero esse ex Dei familia, sicuti vernæ apud heros suos nascuntur. Interea notandum est, quoties pronunciat Deus se fore servis suis propitium, eos tantum respicere qui reconciliationem ex animo quærunt: non autem reprobos, qui perdita obstinatione ad interitum feruntur. Denique ut Deum rigoris sui pœniteat, requiritur mutua pœnitentia in peccatoribus: sicut alibi docet, Converti-
Zach. 1. vers. 3. mini ad me, & ego convertar ad vos. Quidam pro Pœnitebit, vertunt, Consolabitur se. Hieronymus rem potius quam verbi significationem sequutus, transtulit, Miserebitur. Verum observandum est quod Deus præfigit gratiæ tempus: nempe ubi omnis virtus diffluxerit, & omnes quasi ad internecionem fuerint redacti. Manus enim hic pro rigore ponitur: acsi dictum esset, Deum levi castigatione minime fore contentum: itaque placatum non iri donec ventum fuerit ad extrema. Atque hæc circumstantia notatu digna est, ne etiam in gravissimis Ecclesiæ afflictionibus spes nostra concidat: sed persuasi simus, ubi omnia pessum ierint, adhuc opportunum remedio tempus fore. Neminem residuum manere, vel clausum, vel derelictum, loquutio est fere proverbialis in lingua Hebraica: sicuti quum dicitur, Succidam è Jeroboam mingentem ad parie-
1 Reg. 14. vers. 10. tem, tam clausum quam derelictum: hoc est, tam in urbe quam in agro, vel tam domi quam peregre. quod idem postea repetitur de posteris Achab. Unde
1 Reg. 21. vers. 21. apparet eos falli qui opes in thesauris clausas expo-nunt, & pecus in agris dispersum. Quod etiam ex alio loco clarius liquet, ubi haud dubie respexit ad
2 Reg. 14. vers. 26. hunc locum Propheta, Vidit Jehova afflictionem Israëlis aggravari valde, ut non esset clausus neque derelictus. Et quia non statuerat delere populum, ideo liberavit eum per manum Jeroboam. quasi diceret, Deum sicuti pollicitus fuerat, in ultima vastitate misertum esse populi sui.

Ex Deut. XXXII.

37. Et dicet, Ubi sunt dii eorum, deus in quo sperabant?
38. Qui adipem sacrificiorum illorum comedebant, & bibebant vinum libaminis illorum: surgant, & opitulentur vobis, sit super vos absconsio.
39. Videte nunc quod ego, ego sum, & non sunt dii mecum: ego mori faciam, & vivere faciam: percutiam, & ego sanabo: & nemo est qui de manu mea eruat.
40. Certe levabo ad cælum manum meam, & dicam, Vivo ego in seculum.
41. Si acuero aciem gladii mei, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & odio habentibus me retribuam.
42. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnem: sanguine, inquam, occisorum & captivorum à capite in ultionibus inimici.
43. Laudate Gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum vindicabit, & vindictam reddet hostibus suis, & propitius erit terræ suæ, populo suo.

37. *Et dicet, Ubi sunt.*] Dissentiunt hic interpretes, quia alii sermonem continuant, acsi jactantius & insultationes hostium referret Moses in afflicto Ecclesiæ statu: alii vero piam gloriationem esse volunt, qua fideles celebrabunt Ecclesiæ liberationem. Si sermonem accipimus in persona hostium, improprie nomen deorum positum erit in plurali numero: deinde ex errore & insciitia procedet quod additur, Israëlitas comedisse adipem: quod illis ne in communi quidem victu fas erat, ac multo minus in sacrificiis, in quibus adeps comburebatur. Mihi vero magis probatur diversa expositio: nempe vice conversa, liberam filiis Dei copiam fore insultandi incredulis, ubi Deus vindex apparuerit injustæ sævitiæ. Verbum Dicet, indefinite sumitur pro Dicetur à quibuslibet filiis Dei. Quemadmodum itaque increduli, dum affligi vident sanctos, eorum fidem petulanter subsannant, ita vicissim Moses, ubi Deus Ecclesiæ suæ opitulatur, sanctos inducit per ludibrium rogantes, ubi sint dii gentium, & ubi sit cujusque patronus: quoniam singulis (ut notum est) erant dii tutelares. Hac ratione perstringunt adulterina & impura sacrificia, in quibus adipem comedebant, & bibebant libamen vini. In summa, intelligit Moses, ubi Deus suis succurrit, os illis esse apertum, ut triumphos in gloriam veri Dei canant, & incredulis exprobrent fallacem qua decepti sunt fiduciam.

39. *Videte nunc.*] Qui tribuunt proximum sermonem incredulis, Deum nunc inducunt velut ex abrupto loquentem, ut eorum maledicta refellendo, gloriam suam asserat. Verum potius confirmatio est sanctæ gloriationis, quam nuper fidelibus dictavit, ubi non solum Deus suos insurgere jubet contra idola, sed prodit ipse in medium, ut Gentium vesaniam coarguat: quanquam verba fieri apud fideles ex contextu patet. Postquam ergo suos hortatus est ad spernenda idola, nunc addit se illis suppeditare amplam fiduciæ materiam. Nam quum aspicere jubet, specimen non obscurum suæ potentiæ ante oculos esse significat, si modo attendant. Repetitio pronominis Ego, emphatica est, tum ad excitandam populi tarditatem, tum ad retinendos animos, ne tanquam in ambiguo vacillent. Scimus enim vix pertrahi hominum mentes ad veram Dei cognitionem, quia per flexuosos circuitus versantur, nec recta ad eum tendant. Deinde ubi Deum apprehenderunt, scimus facile abduci: quoniam rerum vicissitudines

tudines eos nbnubilant, ut huc & illuc incertæ vageotur. Hac ratione Deus ubi fictitias omnes divinitates proſtravit, ſe eundem ſemper manere pronunciat, ſive occidat ſive vivificet, ut in denſa afflictionum caligine non deſinant fideles in eum reſpicere. Diſcamus ex hoc loco, Deum jure ſuo fraudari niſi unus emineat, idolis omnibus in nihilum redactis: deinde fidem noſtram tunc in eo vere defixam eſſe, & habere firmas radices, ſi inter varias quæ contingunt mutationes oon labaſcit, neque alternas, ſed ſupra obſtacula emergit, ut in eo ſperare non deſinat, etiam ubi occidere videtur, quem-
Job. 13. admodum loquitur Job. Et certe nihil minus con-
verſ. 15. ſentaneum quam fidem noſtram circumſpicere ad eventus, ut inde pendeat: quia Deus promiſſiones ſuas vult nobis in ipſa morte eſſe vivificas. Clauſula verſus proprie ad hoſtes referri debet, ubi pronunciat Deus, neminem eſſe qui eripiat è manu ſua.

40. *Certe levabo.*] Alii vertunt, Quum elevavero, & uno contextu legunt, claram fore Dei virtutem perdendo & ſervando, ſi manum ſuam in cælum attollat. Ego vero principium eſſe ſententiæ non dubito, & Deum ita præfari, quo melius afferat quæ continuo poſt ſubjicit de futura hoſtium ſuorum clade. Si cui tamen placeat adverbium temporis Quando, non admodum repugno, modo hæc membra inter ſe cohæreant, Simulac levavero manum meam in cælum, hoſtes Eccleſiæ meæ profligabo. Jam, levare manum, bifariam exponitur: quidam enim oſtenſionem potentiæ eſſe volunt: quemadmodum elata manu gloriari ſolent qui viribus ſuis freti, confidenter hoſtes deſpiciunt. Rectius tamen alii docent, jurisjurandi ceremoniam eſſe. Improprie quidem manum ſuam levare dicitur Deus, qui excelſus eſt ſuper omnes cælos: ſed novum non eſt eum formulas mutuari ex communi hominum more & uſu: præſertim ubi repente in ſublime exurgit, ex quo viſus eſt aliquantiſper infra ſuam altitudinem jacere. Certe quæ ſequuntur verba, juramentum in ſe continent, Vivn ego in ſeculum: unde probabile eſt, ſignum jurantis exprimi in elevatione manus. Porro lnnge alio ſenſu jurat Deus per vitam ſuam quam homines. Interdum quidem ſumit è medio voces nobis tritas, ſicuti quum dicitur jurare per animam ſuam: ſed hoc loco tantundem valet, Vivo ego, acſi juraret per ſeipſum, vel æternam ſuam eſſentiam.

41. *Si acuero aciem.*] Conditio rem dubiam vel ſuſpenſam non reddit: ſed reſolvi debet in adverbium temporis: quaſi diceret, Simulatque arma ſumpſerit, certam fore hoſtium ſtragem. non quod armis indigeat Deus ad hoſtes expugnandos: ſicuti quum addit continuo poſt, Ubi judicium appreheoderit manus mea, non ſignificat aliquandn ſibi eripi, vel elabi, ſed præſentem & conſpicuum effectum deſignat. Quoniam ergo Deus ubi hoſtibus ſuis parcit, videtur quodammodo abjectis armis quieſcere, & ceſſare ab exequendis judicis partibus, denunciat arma ſibi in promptu fore, quibus hoſtes deleat: deinde judicium quod depoſuiſſe viſus eſt, rurſus ſibi vendicaturum. quibus verbis tacite perſtringit ſtultam eorum ſecuritatem qui emortuam ejus virtutem eſſe fingunt, niſi palam ſe exerat; & judicium ejus evanuiſſe, quum differtur.

42. *Inebriabo ſagittas.*] Horrendam ſtragem his verbis depingit: quaſi diceret, nullum vindictæ fore modum, donec terra ſanguine & cadaveribus referta fuerit. Alibi etiam gladius Dei ſanguine inebriari dicitur, ſicut hic ſagittæ, ubi graſſatur ira ejus per infinitas cædes: nunc dicitur vorare carnem eodem ſeoſu. מרם ſecundo loco vertunt quidam, Propter ſanguinem: & ם interdum, fareor, cauſalis eſt particula. Intelligunt ergo hanc fore juſtam mercedem crudelitatis, quum divinitus excidentur impii qui Iſraëlitas occiderint vel captivos duxerint. Sed non video cur una dictio diverſo ſenſu exponi debeat. Non dubito igitur ſecundn repeti, Deum ſagittas ſuas ſanguine inebriaturum. Sanguinem vern dicit tam occiſi quam captivitatis: ſicuti dum cæditur exercitus, alii cadunt in acie, alii mutili & vulnerati fugam captant. Clauſula verſus varie torquetur: quidam caput per heteroſim numeri pro capitibus exponunt: quaſi dictum eſſet, Amputabo hoſtium capita. Atqui magis probabile eſſet metaphorice exponere de ipſis ducibus. Rectius tamen alii vertunt, Principium: non quidem temporis, ſed quaſi diceret, florem, vel exeellentiam multitudinis: ſicuti vulgo loquuntur, De primo ad ultimum. Ultiones inimici ioterpretor, non quas ſumet Deus de hoſtibus ſuis, ſed capitales, vel lethales: quaſi diceret, ſe hoſtiliter acturum cum impiis, ut nullus ſit miſericordiæ locus.

43. *Laudate Gentes.*] Quod appoſitive quidam legunt, Laudate Gentes populus ejus, & ſubaudiunt Deum, coactum eſt. Nihil autem abſurdi eſt, ſi Gentes celebrent quæ Deus beneficia in populum ſuum contulit. Certe ſimplicius eſt ita accipere, tam inſignem fore Dei gratiam erga Iſraëlitas, ut ejus cognitio & fama longe lateque ſe diffundat, & inter Gentes quoque ſit celebris. Scriptura enim memorabiles quaſque Dei virtutes hoc modo amplificat: præſertim ubi de electi populi redemptinne agitur: & laudem ejus promulgari jubet inter Gentes, quia minime conveniat eam includi anguſtis Judææ finibus. Emergit tamen quæſtio, quia locum hunc aliter citare videtur Paulus. dicit enim, Lætamini *Rom.* 15. Gentes cum populo ejus. Et certe verbum עמו quo *verſ.* 10. utitur Moſes, lætari etiam ſignificat. Si recipimus Paulum ex Moſe ſumpſiſſe ſententiam illam, idem Spiritus qui per Moſen & Paulum loquutus fuit, optimus erit verborum ſuorum interpres: nec male conveniet Gentes lætari ſuper felicitate populi Dei. Fieri tamen poteſt ut Paulus non ex certo aliquo loco, ſed ex communi Scripturæ doctrina teſtimonium ſumpſerit. Dignitas autem populi eo commendatur quod Deus pretioſum æſtimet ejus ſanguinem, & ejus perſequutores pro hoſtibus ſuis ducat. In fine verſus verbum כפר quidam vertunt Expiare: alii vero Propitium eſſe. quod ſecundum magis placuit, tametſi non repudio diverſum ſenſum. Verbum כפר ſignificat expiationem ſacrificio fieri ad placandum Deum. Et probabilé eſt Moſen ad Legalem reconciliandi modum alludere: meo tamen judicio, intelligit Deum in gratiam rediturum cum terra ſua & populo ſuo.

Ex eodem Capite.

44. Venit autem Moſes, & recitavit omnia verba cantici iſtius in auribus populi, ipſe & Joſue filius Nun.

45. Et finivit Moſes recitare omnia verba iſta ad univerſum Iſraëlem:

46. Dixitque illis, Adjicite cor veſtrum ad omnia verba quæ ego teſtificor adverſum vos hodie, ut præcipiatis ea filiis veſtris, ut cuſtodiant, & faciant omnia verba Legis iſtius.

47. Non enim verbum hoc inane à vobis, ſed eſt vita veſtra, & per hoc verbum prolongabitis dies ſuper terram ad quam poſſidendam vos tranſitis Jordanem.

48. Loquu-

48. Loquutuſque eſt Jehova ad Moſen eo ipſo die, dicendo,

49. Aſcende in montem Abarim iſtum, montem Neboh, qui eſt in terra Moab, & qui eſt è regione Jericho: & vide terram Chanaan, quam ego do filiis Iſraël in hæreditatem.

50. Et morere in monte ad quem aſcendis, & congregare ad populos tuos, quemadmodum mortuus eſt Aharon frater tuus in Hor monte, & congregatus eſt ad populos ſuos.

51. Eo quod prævaricati eſtis in me in medio filiorum Iſraëlis ad aquas jurgii Cades deſerti Sin, eo quod non ſanctificaſtis me in medio filiorum Iſraëlis.

52. E regione quidem videbis terram, ſed illuc non ingredieris ad terram illam quam do filiis Iſraëlis.

Ejuſdem hiſtoriæ repetitio.

Ex Numer. XXVII.

12. Dixit Jehova ad Moſen, Aſcende in montem iſtum Abarim: & vide terram quam dedi filiis Iſraël.

13. Ubi videris eam, aggregaberis ad populos tuos tu quoque, ſicut aggregatus eſt Aharon frater tuus:

14. Quandoquidem rebelles fuiſtis ori meo in deſerto Sin, in jurgio congregationis, ut ſanctificaretis me in aquis coram oculis eorum. Iſtæ ſunt aquæ jurgii Cades in deſerto Sin.

44. *Venit autem Moſes.*] Non abs re iterum refert Moſes ſe hoc canticum recitaſſe coram populo: quia indeapparet quam procul ab omni ambitione fuerit, dum veritus non eſt ſub vitæ exitum exacerbare omnium animos, ut memoriam nominis ſui eo ſam redderet. Deinde ſilentio & modeſtia populi ſancita fuit ejus auctoritas, ubi paſſi ſunt tam aſpere ſe tractari. nam, quæ erat omnium pervicacia, nunquam auditus fuiſſet, niſi interveniente ad ipſos domandos arcano Spiritus inſtinctu. Adjungit ſibi Joſue, quem haud dubie pati auctoritate atmare voluit. Jubet attentos eſſe ad objurgationes & minas, ut Legi auctoritatem conciliet: quod obſervatu dignum eſt. Videmus enim ut ſæpe frigeat nuda doctrina, & nervis careat, niſi acrius ſtimuletur pigrities quæ mentes quodammodo ſuffocat. Ergo ne ſpernatur Legis doctrina, vel intercidar, vel languidius excepta paulatim evaneſcat, vehementia cantici hujus tanquam ſtimulo eos pungit, & jubet poſteros ad hanc doctrinam formari, ut minis acuatur eorum attentio. Proximo verſu ab utilitate commendat ſervandæ Legis ſtudium. male enim interpretes, meo judicio, vertunt, Ne ſit vobis verbum inane, vel Non eſt verbum inane, ut contemni à vobis debeat. Melius Hieronymus, Non in caſſum data ſunt præcepta. Simpliciter enim intelligit Moſes, Legem non fruſtra eſſe poſitam, ut ſine fructu diffluat: ideoque cavendum, ne Deum fruſtrentur qui prodeſſe ipſis voluit. ריק itaque fructuoſo opponitur: quod melius liquet ex confirmatione mox addita, eſſe illis in vitam, ut dies ſuos prorogent in terra ſibi promiſſa. Lex ergo dicitur non eſſe inanis, quia fructuoſa ſit in ſalutem. Quomodo autem eadem ſit mortifera, nec quicquam per ſe efficaciæ habeat, ante diximus. Verum quidem eſt, Legem, ut eſt certa juſtitiæ regula, ſalutem non fallaciter promittere hominibus: ſed quia nemo eſt qui re ipſa præſtet quod Deus exigit, accidentali hominum culpa, vita convertitur in mortem: ubi autem omnes ſub maledictione demerſi ſunt, ſuccedit novum remedium, ubi gratuita venia ſic Deo reconciliantur ut qualecunque ipſorum obſequium placeat.

48. *Loquutuſque eſt Jehova ad Moſen eo ipſo die.*] Hoc ſuo ordine non referri inde colligitur, quia certum eſt Moſen ante conſcriptum canticum de ſua morte fuiſſe admonitum. Idque diſerte confirmat altero loco quem attexui. Dicit enim, antequam ſibi ſubſtitueret Joſue, conditum ſibi fuiſſe locum ubi mortem obiret: ſed novum non eſt ſeriem narrationis inverti. Cæterum hic rarum fidei & obedientiæ ſpecimen cernere licet. Mortem naturaliter fugiunt omnes, ut nemo ſponte ad eam properet. nunquam ergo ſponte ingreſſus eſſet ſepulchrum, niſi ſpe melioris vitæ fretus. Simile exemplum ante vidimus in Aharone. Atqui tunc neque reſurrectio tam familiariter patefacta erat quam hodie per Euangelium, needum apparuerat Chriſtus primitiæ reſurgentium. Quamvis ergo à morte abhorreat carnis ſenſus, prævaleat in nobis fides ad terrores omnes ſuperandos. ſicuti Paulus docet filios Dei quamvis non appetant exui, optare tamen ſuperindui, ut abſorbeatur mortalitas à vita. Sed obedientia hæc fuit ſingularis, ad mortem non minus libenter ſe accingere quam ſi invitatus eſſet ad lætum aliquod hoſpitium. Unde apparet ſanctos viros ita ſe conſecraſſe Deo, ut ejus arbitrio vivere & mori parati eſſent. Mons Abarim videtur nomen ſumpſiſſe ab angulis, vel lateribus, quia in plures colles diviſus erat: ſicuti etiam hic vocatur Nebo, & alibi diverſis nominibus. Alii à tranſitu dictum putant: ſed opinio illa probabilis, plurali numero Abarim vocari vel cacumina & vertices, vel interſtitia quæ ſita erant oppoſitis cacuminibus. Eſi autem poſtea videbimus aliam fuiſſe cauſam cur ſervum ſuum ſubducere vellet Deus ab hominum conſpectu: notanda tamen eſt quæ hic exprimitur conſolatio, levatum fuiſſe mortis dolorem, quod terram Chanaan aſpicere datum ſuit. Hac ratione juſſus eſt conſcendere montis verticem. Quamvis enim hoc beneficio privatus, acquieviſſet in ſola Dei promiſſione: hæc tamen acceſſio non parum profuit, ut alacrius populum in hæreditatis ſuæ limine relinqueret. Neque enim filios Dei prorſus omni humano affectu exuit fides: ſed cæleſtis Pater pro ſua indulgentia eorum infirmitatem ſublevat. Ita quum Moſi triſte eſſet ab ingreſſu terræ arceri, opportuno ſubſidio adjutus ſuit, ne hoc obſtaculo impediretur in ſuo curſu.

51. *Eo quod prævaricati.*] Ea pœna melius cognoſcitur quam neceſſarium Moſi fuerit gratiæ ſignum. Mors enim per ſe non adeo fuiſſet acerba: ſed cauſa quæ iterum exprimitur, graviter vulnerabat ſancti viri animum, quod videbat ſe à communi hæreditate ob propriam culpam juſta Dei vindicta excludi: quod pios magis excruciat quam centum mortes, imo innumeræ. Hinc lamentabiles illæ querimoniæ Davidis & Ezechiæ, & alibi omnium fidelium ubi vita eripitur ab irato Deo, Sepulchrum non confitebi- *Pſal 6: 6. Iſa. 38. verſ. 18.*

Pſal 115. verſ. 17. fitebitur tibi, neque mors laudabit te: noo expectabunt veritatem tuam qui deſcendunt in ſuveam. Certe non adeo illis fuit formidabile mori, quin placide & alacriter migrarent è mundo quum advenit tempus: ſed formidabile judicium Dei, cujus ſenſu territi erant, deprecati ſunt. Idem mœror conficere poterat animum Moſis, niſi fuiſſet mitigatus. Porro quom à pœnis temporalibus nulli, quamlibet eximii, prorſus exempti fuerint, diſcamus eas patienter ferre. Moſi non pepercit Deus, quid ergo mirum ſi melior non ſit noſtra conditio? Adde quod hominum opinione leve erat delictum, cujus cauſa duriter caſtigatus eſt. indignatione enim correptus, ſic efferbuerat contra populum, ut minus quam par erat tribueret Dei potentiæ. Atqui veniam facilius obtinent quæ inconſiderato impetu nobis excidunt: ſed hinc apparet quam pretioſa ſit Deo ſua gloria, dum impune vel per incogitantiam obſcurari non patitur. Simul etiam docemur, nihil eſſe magis præpoſterum quam judicium nobis ſumere de peccatis, eaque ad noſtram trutinam appendere, quorum ſolus Deus legitimus eſt cognitor. Etſi autem prouocuciat Moſen & Aharon defeciſſe, & rebelles fuiſſe ori ſuo: ne quis tamen putet data opera fidem abrogaſſe verbo Dei, additur ſpecies correctionis, non ſanctificaſſe Deum in medio vel coram oculis filiorum Iſraël. Uode patet eostantum nimis ſervidæ perturbationis reos peragi, quod non ſatis cordate coram populo gloriam Dei aſſeruerint. Reliqua petantur ex viceſimo Numerorum capite.

DEUT. Cap. XXXIII.

HÆc autem benedictio qua benedixit Moſes vir Dei filiis Iſraël in morte ſua.
2. Et dixit, Jehova è Sinai prodiit, & ortus eſt è Seir ipſis, illuxit è monte Pharan, & venit cum decem millibus ſanctitatis: à dextra ejus ignea Lex illis.
3. Utique diligit populos, omnes ſancti in manibus tuis: & ipſi adhæſerunt pedibus tuis, ut ſumerent ex eloquis tuis.
4. Legem præcepit nobis Moſes, in hæreditatem cœtus Iſraël.
5. Et fuit in Recto rex, in colligendis capitibus populi, ſimulque tribubus Iſraël.
6. Vivat Reuben, & non moriatur, * & ſit parvus numero.
7. Hoc etiam Jehudæ, & dixit, Audi Jehova vocem Jehudæ, & ad populum ſuum due eum: manus ejus ſufficiat ei, dum auxilio fueris contra hoſtes ejus.

* vel, *quamvis ſit.*

1. *Hæc autem.*] Hoc velut condimento lenita fuit amaritudo cantici, dum futuræ & perpetuæ Dei gratiæ teſtimonium reliquit Moſes: acſi inæſtimabilem theſaurum in manibus populi deponeret. Sicuti enim Deus redempto populo, & Lege data, fœdus renovavit, cujus teſtis & præco fuerat Jacob: ita Moſes veluti ſecundus fuit pater, qui benedictiones rurſus ſanciret, ne unquam obſoleſceret earum memoria. Porro ut ſuis benedictionibus fidem conciliet, aotequam ad eas veniat, magnifice de ſua vocatione præfatur. Etſi enim benedictionis nomen tantundem valet ac fauſta precatio: teoendum tamen eſt, Moſen hic non precari vulgari modo, quaſi privatum hominem, ut vota concipere ſolent patres pro filiis: ſed Prophetico ſpiritu quæ à Deo ſperanda erant beneficia in medium proferre. Hæc igirur ratio eſt cur imperii ſui dignitatem ac decus ſplendidis elogiis extollat: ut certo ſtatuant duodecim tribus Iſraël, Deum eſſe benedictionum auctorem. Eadem ratione Virum Dei ſe nominat, ne quæ dicturus eſt, aliter acciplat populus quam ſi profecta eſſent à Deo, cujus indubiue eſt miniſter. Nec pondere caret temporis circumſtantia, Ante mortem, vel in morte, quæ prophetiæ vim quoque teſtamenti adjungit.

2. *Et dixit, Jehova è Sinai prodiit.*] His verbis admonet, fœderis quod Deus in Lege ſua pepigerat, confirmationem ſe afferre, nec quicquam eſſe ſeparatum. Hæc autem connexio ad benedictionum certitudinem ſatis ſuperque valebat, modo Legi ſuus conſtaret honor: oibil enim ad obſignandam Dei gratiam aptius erat quam majeſtas illa quæ reſplenderat in promulgatione Legis. Perperam (meo judicio) quidam vertunt, Deus in Sinai venit: quia potius intelligit Moſes, Deum inde prodiiſſe, ubi conſpectus fuit ejus fulgor. per Seir & Pharan idem repetit, ornatus cauſa. Et quando hæc tria ſynonyma ſunt, ideo veoire, egredi, & oriri, rem quoque unam deſignant: illam ſcilicet cæleſtis gloriæ manifeſtationem quæ in ſui admirationem rapere debebat omoium mentes. acſi diceret, eadem veneratione excipiendas eſſe ſuas benedictiones, atque illa quam Legi ſuæ Deus acquiſierat, dum in monte Sinai conſpicua enituerat ejus facies. Hanc figuram imitatus eſt Propheta Habacuc, licet in diverſum finem: nempe ut ſecure in ejus poteotiam recumberet populus, quæ olim viſibili ſplendore patefacta fuerat Patribus. Per decem millia ſanctitatis, non fideles (ut volunt multi) ſed Angelos intelligo, quibus ſtipatus erat Deus, tanquam regia coborte. Nam & Deus Arcam locari voluit inter Cherubim, ut doceret ſibi præſto eſſe cæleſtes exercitus. Idco apud Jeſaiam Seraphim circumdant ejus ſolium: Daniel autem ſe vidiſſe dicit decies mille myriadas: illa multitudine infinitum numerum deſignans, ſicut & Moſes per decem millia. Probabile autem eſt, ex hoc loco Stephanum & Paulum mutuatos eſſe doctrinam illam, Legem ordinatam fuiſſe per Angelos in manu Mediatoris: eo enim ſanctior Legis auctoritas, quæ tot habuit obſignatores. Statuitur ad dexteram ejus Lex, non modo tanquam ſceptrum vel inſigne, ſed tanquam poteſtas vel ratio gubernandi: neque enim tanquam rex apparuit ſolum, ſed oſtendit quomodo præeſſe vellet. Lex autem ignis vocatur, ad injiciendum terrorem, & omnes ad humilitatem cogendos. Quanquam non diſplicet, Moſen in hoc epitheto alludere ad externa ignis & flammæ ſymbola, de quibus viceſimo capite Exodi loquutus eſt. Quoniam vero nomen דת quodlibet ſtatutum vel edictum ſignificat, quidam ad prohibitionem reſtringunt, ne quit ad mootem propius accederet. Ego vero non dubito totam doctrinam ootari qua continetur Dei imperium.

Jeſa. 6. verſ. 6. Dan. 7. verſ. 10.

Act. 7. verſ. 38. Galat. 3. verſ. 19.

3. *Utique diligit populos.*] Si de gentibus accipere libeat, ſic reſolvenda erit oratio, Quamvis diligat eunctos mortales, peculiari tamen favore dignari ſanctos, ut eorum ſalutem cuſtodiat. verum rectius exponitur de ſolis Abrahæ filiis, quos ideo vocat populos, quia ob multitudinem in quam excreverant in tribus diviſi, poterant cenſeri totidem gentes. Quoniam autem particula את prorogationem ſignificat, ſicut apud Latinos Adhue: optime conveniet ſenſus, Quamvis in multas ſtirpes diſperſi ſint Abrahæ poſteri, ut videri poſſint alienati ab una familia: Deum tamen adhue amore ſuo omnes proſequi, nec multiplicem turbam obſtare quominus unum corpus ipſos cenſeat. Summa eſt, neque temporis progreſſu, neque ineremento populi, extinctam eſſe Dei gratiam: ſed continuam fore ergo genus Abrahæ, quamlibet longe lateque propagatum fuerit. Notandum autem eſt quod mox additur amoris ſignum, eſſe ſcilicet in

Habac. 3. verſ. 6.

manu Dei. Unde colligimus, ex quo nos amplexus eſt Deus in gratiam, certum fore ſalutis noſtræ cuſtodem: unde iterum naſcitur ſolidæ & æternæ vitæ fiducia. Mutatio perſonæ ſenſum non obſcurat, dum à tertia ad ſecundam tranſit. Verum quia fidelibus permiſti erant multi hypocritæ, ut Eccleſia Dei ſemper arcæ ſuit ſimilis, ſingularem hanc Dei gratiam privilegio ad eos reſtringit Moſes, qui ſe Deo libenter ſubjiciunt, & pia docilitate amplexantur ejus doctrinam: qua nota diſcernit inter genuinos Dei filios & ſpurios aut degeneres, qui falſo prætexunt ejus nomen. Ubi vertimus, Ipſi adhæſerunt pedibus tuis, alii transferunt, Perculſi ſunt ad pedes tuos: ſed coacte, meo judicio. Eliciunt quidem utilem doctrinam, ferulis ſubactos eſſe ut Deo parerent: ſed potius ducta eſt metaphora à diſcipulis, qui (recepto linguæ Hebraicæ uſu) dicuntur ſedere ad pedes magiſtri, ut diligentius attenti ſint. Idque probatur ex contextu: dicuntur enim fideles ſe adjunxiſſe pedibus Dei, ut accipiant è ſermonibus ejus, hoc eſt, in ejus doctrina proficiant.

4. *Legem præcepit nobis Moſes.*] Quod de gloria Dei & Legis præſtantia differuit, nunc ad ſuam perſonam accommodat, quia propoſitum erat (ut dixi) miniſterio ſuo fidem aſſerere. Ergo, ut certa ſit ejus legatio, divinitus ſe doctorem populo præfectum eſſe gloriatur: neque ad exiguum tempus, ſed in omnes ætates. Nam hæreditatis nomine Legis notatur perpetuitas. Vendicat deinde ſibi regis imperium: non quod regio more dominatus fuerit, ſed ut ſummi imperii dignitas verbis ejus pondus addat. Collecta autem capita fuiſſe dicit & tribus coaluiſſe, reſpectu miſeræ diſſipationis, quæ ad interitum tendebat: acſi diceret, ſuo ductu & opera deintegro renovatum eſſe ſtatum populi. Incipit à Ruben primogenito, & damnationis ignominiam quæ inuſta fuerat à patre Jacob, ita tollit vel ſublevat, ut tamen non reſtituat in gradum honoris. Duram enim ſententiam pronunciaverat. ſanctus vir, ne proficeret Ruben, ſed diſſlueret inſtar aquæ. Ergo ne tota poſteritas animos deſpondeat, vel ab aliis rejiciatur, mitigat abdicationis rigorem, acſi daretur venia damnato. In ſumma, locum aſſignat familiæ Ruben inter filios Jacob, ne deſperatio præcipites in deterius agat. Secundum membrum duos recipit ſenſus contrarios: ad verbum eſt, Sit parvus numero. Et certe tribus illa non fuit ex maxime populoſis: quia tamen mediocris fuit, ut plures alias ſuperaret: quidam negativam repetunt, Non moriatur, nec ſit parvus numero. Atqui magis probabile videtur, detrahi familiæ Ruben quod ferebat ordo primogenituræ, & ita promiſſioni gratiæ aſpergi aliquod dedecus reſiduum. Et certe non modo tribus Juda, ſed etiam Simeon, Iſſachar, Zebulon, Dan & Nephthali multitudine hominum præcelluit. Ita non male quadrabit exceptio, cenſeri Ruben in populo Dei, modo ne ſuam dignitatem in ſolidum recuperet.

7. *Hoc etiam Jehudæ.*] Hieronymus ſenſum fideliter reddidit, Hæc eſt benedictio, licet verbis id non ſit expreſſum. Porro, quod primo intuitu videri abſurdum poſſet, ſplendidis & liberalibus elogiis, quibus ornata fuerat tribus Juda, detrahi non male convenit. Neque enim hoc modo mutatur inviolabile decretum de principatu Juda: ſed tantum admonet Moſes quam difficilis futurus ſit effectus. Pronunciaverat Jacob, quaſi de pacato imperio Juda, Laudabunt te fratres tui, filii patris tui ſe tibi ſubjicient: non recedet ſceptrum è Juda, nec legislator è pedibus ejus. Verum quoniam diu abſcondita jacuit hæc dignitas, ac neceſſe fuit cum multis & tardis obſtaculis luctari antequam demum emergeret: ideo magis reſtricte loquitur Moſes. Quanquam non ad exordia tantum videtur reſpexiſſe, ſed ad varias clades quibus non tantum minui, ſed peſſum ire viſum eſt regnum Davidis: præſertim vero ad funeſtam interruptionem, quæ contigit ab exilio Babylonico. Summa eſt, felicitatem de qua vaticinatus fuerat Jacob, non fore ita conſpicuam in tribu Juda, ut omnia illic læta & jucunda ſperanda ſint: quin potius eos quibus promiſſa fuit ſumma poteſtas cum opulentia, multis malis fore obnoxios, ut in anguſtias redacti, auxilio Dei maxime indigeant. Ideo ſe ad preces convertit: & exemplo ſuo non modo tribum illam, ſed alias etiam hortatur, ut in extremis difficultatibus fidem Dei implorent. Quæ doctrina ad nos quoque pertinet, ut quo magis incumbit Satan ad obruendum Chriſti regnum, eo magis ad preces & vota ſtimulemur. Interea notandum eſt quod dixi, promiſſionem manere ſtabilem: quia non fruſtra omnes tribus imperio Juda ſubjicit Moſes, ubi deduci poſtulat ad populum ſuum; nec fruſtra promittit Deum præſto fore ad opem ferendam, ut inimicis prævaleat.

Ex eodem Capite.

8. Ad Levi vero dixit, Perfectiones tuæ & ſplendores tui fuerunt viro miſericordi tuo, quem tentaſti in Maſa: & contendere feciſti eum ad aquas Meriba.

9. Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ, Non vidi eum: & fratres ſuos non agnovit, & filios ſuos non cognovit: nam cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervarunt.

10. Docebunt judicia tua ipſum Jacob, & Legem tuam Iſraëlem: ponent ſuffitum in nares tuas, & holocauſtum ſuper altare tuum.

11. Benedic Jehova ſubſtantiæ ejus, & in opere manuum ejus complaceas tibi: transfige lumbos inimicorum ejus, & odio habentium eum, ne reſurgant.

12. Ad Benjamin dixit, Dilectus Jehovæ habitabit confidenter juxta illum, tegens illum tota die, & inter humeros ejus habitabit.

13. Ad Joſeph vero dixit, Benedicta à Jehova terra ejus ab excellentia cæli, ob rorem, & ob voraginem cubantem deorſum:

14. Et ob præſtantiam proventuum ſolis, & ob præſtantiam fructuum lunæ:

15. Et ob præſtantiam cacuminis montium antiquorum, & ob præſtantiam collium perpetuorum:

16. Et ob præſtantiam terræ, & ob plenitudinem ejus. & beneplacitum habitatoris rubi veniat ſuper caput Joſeph, & ſuper verticem ſeparati à fratribus ſuis.

17. Primogeniti bovis ejus decor erit ei, & cornua unicornis cornua ejus: ipſis populos cornupetet ſimul uſque ad fines terræ. Atque hæc ſunt decem millia Ephraim, & iſta millia Menaſſe.

8. *Ad*

8. *Ad Levi vero dixit.*] Hæc moderatio, vel correctio aſperioris ſententiæ Jacob, non modo in gratiam tribus Leviticæ poſita fuit, ſed magis totius populi. Dixerat Jacob, Simeon & Levi arma iniquitatis in habitationibus eorum: in concilium eorum non veniat anima mea, nec in cœtum eorum lingua mea. Certe concidere poterant animis poſteri, ſaltem in nullo pretio habiti fuiſſent, quos tantopere deteſtatus fuerat Patriarcha, & auctor generis. Atqui tribum illam ſibi poſtea conſecravit Deus, ut inde ſanctitas deflueret ad alias tribus: quod fieri non poterat niſi deleto ſuperiore probro. Porro ſi quis rixator obtrectet huic benedictioni, acſi nimis in favorem ſuæ tribus propenſus fuiſſet Moſes, nulla ejus rei apud eum reſidere poteſt ſuſpicio. Primo, qui nunc Levitas tam honorifice appellat, idem fuit ignominiæ præco: neque antehac multis locis pepercit ſuis popularibus: ſed libere, quoties res ferebat, invectus eſt in eorum vitia. Deinde nihil in Levitis nunc commendat præter novam dignitatem quam Deo placuerat in ipſos conferre. qua in parte etiam minime ſuſpectus eſſe debet, quum filiis ſuis in ordinem coactis, ſolos poſteros Aharon extulerit in ſummum honorem. Nunc igitur non alio ſpectat quam ne hominum culpa vileſcat ſacerdotii dignitas, cujus contemptu profanata eſſet religio. Scimus enim quam proclive ſit in hominum perſonis arripere quod ſacris muneribus deroget. Certe niſi fuiſſet Levi purgatus ab illo dedecore quo aſperſus fuerat, caruiſſet omni veneratione ſacerdotium: atque ita minimæ exiſtimationis fuiſſet Dei cultus. Nunc vero ubi familiam illam ſibi Deus ſanctificat, quaſi in integrum reſtituit. unde apparet, temporalem duntaxat fuiſſe pœnam: quia Moſi propoſitum non fuit retractare quod Spiritus dictaverat ſancto Jacob. Nec vero quicquam ex ſeipſo protulit ipſe: ſed idem Spiritus ingnominiam, quæ fœdare poterat tribum Levi, tollit: quia nonniſi ad tempus irrogata fuerat. Et jam alibi vidimus, quod de illius familiæ diſperſione vaticinatus erat Jacob, ceſſiſſe in honorem: quia Levitas Deus quaſi in excubiis ubique diſpoſuit, ut eorum opera doctrinæ puritas in toto populo vigeret. Sic ergo fuerunt ſeparati ut pœna in beneficium cederet. Tenendum ergo eſt, Moſen non gratificari ſuis fratribus: ſed honorifice de ſacerdotio loqui, ne contemptibiles eſſent quos Deus miniſtros elegerat. Et certe poſterior gratia vocationis, tegere debuit ſuperioris infamiæ memoriam. In hunc modum Chriſtus, Petrum in gradum Apoſtolatus reſtituere volens, triplicem ejus abnegationem delet, ter eum præcipiendo ſuis ovibus. Porro ſermo qui ſequitur, ad Deum referri debet: male enim quidam vertunt, Urim & Thummim erunt apud te, acſi Moſes alloqueretur tribum Levi. Itaque ut tollatur ambiguitas, commode licebit transferre De Levi, potius quam Ad: & ſæpe hoc ſenſu capitur. Quo itaq; magis authentica ſit benedictio, Deum ipſum compellat Moſes, acſi eum citaret teſtem, vel apud ejus tribunal referret ſua mandata. Etſi autem hic ponuntur Hebraicæ voces Thummim & Urim, quæ fuerunt præcipuæ partes ſacri Ephod: non dubita vi tamen poſt alios appellativæ transferre. Neque enim dubium eſt quin illis ſymbolis notata fuerit tam Legis ſcientia, (quæ unica lux eſt animarum) quam vitæ integritas. Summa tamen eſt, apud Aharon depoſitum fuiſſe ſacerdotii honorem. Quem nominat Virum clementiæ Dei, vel manſuetum, Hieronymus pro ſuo more vertit Sanctum, impropriè: חסיד enim mitem vel humanum ſignificat. Atque hoc epitheton paſſim tribuitur filiis Dei, ut diſcamus imitari Patrem illum miſericordiæ, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Quæ ſequuntur, loco exceptionis addita eſſe exiſtimo: quod Deus tentaverit eum in Maſa. Nec vero mihi dubium eſt quin Moſes Dei miſericordiam amplificet hac circumſtantia, quod dignatus fuerit Aharon tanto honore: qui tamen impatientia victus, defecerat. Interea notandum eſt, populi reſpectu celebrari zelum Aharonis tanquam laude dignum: quaſi dictum eſſet, peccatum Aharonis ex fonte virtutis manaſſe: quoniam ex ſancta indignatione ad fervorem impatientiæ lapſus eſt, quum indigne ferret populum contra Deum tumultuari. Niſi forte per apoſtrophen verba hæc de populo intelligere placeat, Tentaſti, ad contentionem provocaſti eum, vel litigaſti cum eo. melius tamen fluet oratio, ſi intelligamus Deum cum Aharone tunc diſceptaſſe: quia, etſi tentatione victus eſt, ſpecimen dedit non ſpernendum ſuæ pietatis: & ex eo tempore non deſtitit ſtrenue functionem ſuam exequi.

Joan. 21. verſ. 17.

9. *Qui dixit patri ſuo.*] In perſona Aharonis exemplar Levitis omnibus proponitur ad imitandum. Ac primo quidem dicitur renunciaſſe carni & ſanguini, quo expeditior eſſet ad parendum Deo. Et certe, ut ſe totos Deo addicant Eccleſiæ paſtores, neceſſe eſt exuere terrenos affectus, qui ſubinde eos retroagerent. Dicitur ergo Aharon valedixiſſe ſuis omnibus, quo ſe Deo libere impenderet: hoc idem nunc exigit Chriſtus à ſuis diſcipulis, ut filii patres oblivi- *Mat. 10.* ſcantur, & patres filios, mariti uxores, ne quid *verſ. 37.* eorum curſum moretur, quominus per vitam & *& alibi.* mortem ſtrenue pergant quo vocati ſunt. Poſtea numero plurali totum ordinem Leviticum Moſes complectitur: unde colligere licet, quæ prius dicta ſunt, non reſtringi ad unum hominem. Quod autem dicit cuſtodiſſe ſermonem Dei, & ſervaſſe fœdus, non ad communem modo obedientiam ſpectat, ſed ad peculiarem ſervandi depoſiti curam. Pariter quidem dicuntur fideles Legem ſervare, dum ad ſanctè vivendi ſtudium attenti ſunt: ſed cuſtodia cujus hic fit mentio, peculiariter ad docendi munus refertur. Cuſtodes ergo Legis vocantur Levitæ, & obſervatores, quaſi *μυσθήκαις*: quoniam apud eos depoſitus eſt cæleſtis doctrinæ theſaurus: quod proximo verſu clarius exponitur, Docebunt Jacob &c. Si quis Legis obſervationem intelligere malit de vita & moribus, acſi dictum eſſet, Levitas bono exemplo aliis præire, non contendo: mihi tamen videtur ſecundum membrum eſſe exegeticum, & familiarius explicare quod ſubobſcure dictum fuerat, vel modum notare ſervandæ Legis: quia populi doctores & magiſtri erunt. Quanquam notanda eſt docendi ratio: neque enim illis permittitur ſua commenta ingerere, vel proprio arbitrio fingere vivendi regulam: ſed jubentur ex Lege petere quod tradant, eamque pure & fideliter interpretari. Hæc autem interpoſita fuit conditio, ut quiſquis honoris vellet eſſe ſucceſſor, vocationis ſuæ memor, docendi partibus fideliter incumberet. Itaque quum in corrupto Eccleſiæ ſtatu inanem titulum obtenderent ſacerdotes, quibus nihil erat ſimile, ſtulta eorum gloriatio refellitur apud Malachiam: Pactum meum, inquit, fuit cum Levi, *Mal. 2. 6.* pactum vitæ & pacis: quia Lex veritatis fuit in ore ejus, & labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, Legemque requirent ex ore ejus: vos autem violaſtis fœdus meum. Diſcamus ergo ex hoc loco, qui ſuqui primatum ſibi arrogat in Eccleſia, repudiandum, niſi fidum doctorem præſtet. Tertia pars ſacerdotalis officii additur, Operam dare ſacris peragendis: nam ab agricultura, & aliis terrenis negotiis eos expliciuerat Deus, quo liberius docendi & ſacrificandi officio vacarent. Etſi autem videri potuit vilis illa occupatio: ſi tamen veritas ſpectatur, non vulgaris fuit honor, medios intercedere ut populum Deo reconciliarent: nam & minimi quique ex Levitis aliquam expiandi partem obibant. Porro ſub ſuffitu & holocauſtis, comprehenditur totus Legalis cultus. Et ſuffitus dicitur applicari Dei naribus: quia ejus oblationis gratus & quaſi ſuavis erat odor, ut alibi viſum eſt.

10. *Benedic Jehova.*] Videtur hæc precatio tacite opponi penuriæ quæ Levitas manebat, nisi aliunde illis cibum suppeditasset Deus quam ex agrorum proventu. Privati enim erant communi hæreditate, & solus Deus illis erat pro latifundio. Ergo ne illis molesta sit sua conditio, solatium adhibet Moses, & jubet à Deo expectare copiam, quæ ad victum sufficiat, promittens ejus benedictionem uberrimi proventus loco fore: sicuti in Psalmo dicitur, Victum ejus benedicens benedicam, & sacerdotes saturabo panibus. Quod sequitur, Ut opus manuum Deo placeat, potest tam generaliter exponi de labore qui impenditur ad victum acquirendum, quam de cultu, vel tabernaculi ministerio: verum quia Levitas Deus occupabat in sacris muneribus, videtur oblique illis promittere, non minus fructuosa fore ejusmodi exercitia, quam si ad lucrum penitus attenti essent. Aliis fas erat industriam suam conferre ad augendas rationes domesticas: ut probe officio satisfacerent Levitæ, quæstum negligere oportuit. Jam ne sibi ab inedia metuant, admonet Moses spiritualium laborum terrenam quoque mercedem à Deo sperandam esse. Tertium id data opera positum esse videtur, ut Deus configat vel percutiat ejus inimicos: quia ut plurimum invidiæ, odiis & infectationibus expositi sunt pii doctores. Nam quod Jeremias conqueritur se virum esse rixarum, in omnes Prophetas & Dei ministros competit: quia ægre patitur mundus spirituali verbi Dei gladio suos affectus mactari: unde ebulliunt multa certamina. Deinde Satan ut contemptibilem reddat doctrinam, non desinit quibuscunque potest modis infestus esse, & armare suas catervas ad gerendum bellum: ut singulari Dei auxilio indigeant Ecclesiæ pastores. Locus ergo apprime notatu dignus, quamvis semper imminent Dei servis multi adversarii, eos obsideant, provocent ad conflictum, omnia denique machinentur ad ipsos oppugnandos, præsto tamen fore Dei subsidium, quo reddantur inexpugnabiles: sicuti Jeremiæ dictum fuit, Pugnabunt contra te, sed non prævalebunt. Ubi vertimus, Ne refurgant, aliii reddunt, Ne insurgant. quod etsi non rejicio, videtur tamen minus esse consentaneum: quia noluit Moses Levitas à molestiis pugnarum eximere: fed tantum promittere victoriam, quia Deus hostes eorum exitialiter prosternet.

Psal. 132. vers. 15.

Jer. 15.

Jerem. 1. vers. 19.

12. *Ad Benjamin dixit.*] Probabile est Mosen ad hæreditatem alludere quæ forte obtigit filiis Benjamin: nam illis pars Jerosolymæ cessit, in qua erat templum. Quoniam ergo stationem illis attribuit Deus, in qua eos quodammodo alis suis protegeret, ac foveret, non abs re dicuntur ab eo dilecti: quia id non vulgare fuit amoris pignus. Habitare vero super Deum, & inter humeros ejus, tantundem valet atque in eum recumbere: similitudine à patribus sumpta, qui filios adhuc parvulos & teneros gestant. Alii contrarium sensum eliciunt, Deum habitaturum super humeros Benjamin: sed nimis violenter.

13. *Ad Joseph vero dixit.*] Quædam repetit Moses ex benedictione Jacob: neque in ulla alia tribu tam prope accedit ad Patriarchæ verba. Etsi autem tunc in duas tribus & gentes divisa erat familia Joseph, exordiitur tamen ab ipso capite: tandem vero in fine pronunciat ad Ephraim & Manasse pertinere quod patri datum fuerat. Primo celebrat eximiam terræ fœcunditatem in qua habitaturi erant posteri Joseph: deinde testimonium suum obsignat, interposita Dei auctoritate. Terram ergo fertilem illis promittit ab optimis thesauris cæli: מגד enim optimum quodque & pretiosissimum significat. Itaque quod Fructus quidam transferunt, mihi non placet: quanquam nescio an de bonitate cæli loquatur Moses, an vero Dei beneficentiam commendet. quod posterius videtur quadrare contextui, ubi externa fertilitatis media commemorat, rorem & abyssum: qua voce intelligo fundum ipsius terræ. Proximo versu fateor nomine מגד electissimos quosque fructus intelligi: sed significatione non mutata. Alii vertunt, Delicias: alii pro eximia fructuum excellentia, suaves fructus. Cur autem שכני quidam influentiam transferant, non video. Ejectionem proprie significat: sed metaphorice pro fructu capitur qui è terra exoritur & erumpit. Quos tamen vocet fructus solis & lunæ, mihi non satis liquet. Nam quod Soli quidam assignant proventus ex satione & vindemias, lunæ vero cucurbitas & cucumeres, nescio an firmum sit: rectiusne sentiant alii ita vocari flores vel fructus menstruos, in medio relinquo.

15. *Et ob præstantiam cacuminis.*] His verbis docet nullam terræ partem fore sterilem. Scimus cacumina montium ut plurimum esse arida & inculta, vel saltem præter arbores infrugiferas nihil proferre. Atqui Moses illic quoque optimos proventus fore affirmat: qua ratione (ut ego quidem censeo) montes antiquos, & colles seculi nominat, quasi nobilissimos. neque enim laudatur vetustas, acsi ante reliquum orbem creati essent: sed honoris causa montes censentur quasi primogeniti, in quibus eminet Dei benedictio. Sic in benedictione Jacob, Usque ad extremitatem collium seculi: quasi diceret, in illis celeberrimis montibus nullum angulum ubertatis fore expertem. Proximo versu quod de montibus dixerat, generaliter ad totam terram extendit. Quod postea quidam vertunt, Ob voluntatem habitatoris rubi veniet benedictio, remotum est à sensu Mosis. alius prorsus barbare, Ob pietatem. Ego vero nomen רצון, in nominandi casu positum esse arbitror: quia optime convenit, favorem Dei venturum esse super caput Joseph. Postquam enim ejus beneficentiam laudavit Moses, nunc fontem ipsum vel causam designat, quia eximia terræ ubertas effectus fuit gratuiti Dei favoris. Optime respondent verba Jacob, A Deo patris tui (inquit) & ab omnipotente, & ubi etiam expositi cur Joseph dicatur Nazaræus inter fratres. Jam quod ἀναγνωρισμὸν vocatur Deus habitator rubi, ad visionem spectat quæ Mosi in monte Sinai oblata fuit. Deus enim tunc secundo apparuit populi sui redemptor & pater, ex quo fœdus pepigerat cum Abraham & Jacob. Id vero ad confirmationem valet: acsi diceret, eundem Deum qui olim benedixit Joseph ore servi sui Jacob, nunc idem vaticinium repetere, quo certior fit ejus fides.

17. *Primogenitis.*] Sensum obscurant interpretes, vertendo Primogenitus, in nominativo casu. Mihi vero dubium non est quin decorem Joseph comparet magnitudini pulcherrimæ bovis: acsi diceret, Pulchritudo ejus, tanquam boum qui selectissimi sunt in ejus armentis. cornu Primogenitum pro egregio poni recte convenit. Dicit ergo, nullos reperiri in terra Joseph pulchriores boves, vel magis decoros quam sit ipse populus. Formæ etiam robur & vires adjungit, ut contra hostes quoslibet invictus maneat. In fine versus (ut antea admonui) pronunciat, quod hactenus vaticinatus est de Joseph, commune fore duabus familiis Ephraim & Manasse. Interea vero confirmat sententiam Jacob, qua Ephraim natu minorem prætulerat majori. Ideo chiliadas tantum Manasse recenset, Ephraim vero myriadas: cujus rei documentum jam ediderat Deus in censu cujus facta fuit mentio, in quo tribus Ephraim reperta fuit populosior.

Ex

Ex eodem Capite.

18. Et ipſi Zebulon dixit, Lætare Zebulon quum egredieris, & Iſſachar in tabernaculis tuis.

19. Populos ad montem vocabunt: & illic ſacrificabunt ſacrificia juſtitiæ, quoniam affluentiam maris ſugent, & tecti theſauri arenæ.

20. Et ad Gad dixit, Benedictus qui dilatare fecit Gad: ſicut leo habitabit, & rapiet brachium atque verticem.

21. Et vidit principium ſibi, quod illic portio legislatoris tecta. veniet autem cum principibus populi: juſtitiam Jehovæ faciet, & judicia ejus cum Iſraële.

22. Et ad Dan dixit, Dan ut catulus leonis ſaltabit è Baſan.

23. Et Nephthali dixit, O Nephthali ſatur beneplacito, & plene benedictione Jehovæ, Occidentem & Meridiem poſſide.

24. Et Aſer dixit, Benedictus præ filiis Aſer, erit beneplacens fratribus ſuis, & tingens in oleo pedem ſuum.

* vel, *ſera tua.*

25. Ferrum & æs, calceamenta * tua: & ſicut dies tui fortitudo tua.

18. *Et ipſi Zebulon.*] Duas tribus inter ſe comparat, quod locis vicinæ, multum tamen inter ſe eſſent diſſimiles: altera enim negotiationi dedita, frequentes huc & illuc habebat egreſſus: alteram vero magis delectabat otium & quies. Hæc tam diverſa conditio notatur, ubi jubet Zebulon lætari in ſuis expeditionibus: Iſſachar vero in domeſtica quiete. Subſcribit autem Moſes vaticinio Jacob, qui dixit Zebulon habitaturum in portu maris, ut naviget mercaturæ cauſa: Iſſachar vero, quia magis otio delectabitur, deſidem fore & ignavum, ut redimendæ pacis cauſa, tributum pendere non recuſet. Quod ſequitur additum exiſtimo, acſi dixiſſet Moſes, locorum diſtantiam obſtaculo non fore quominus una cum aliis Jeroſolymam aſcenderent, ad colenda pietatis exercitia. Nam quo remotiores erant à templo, frigere apud eos poterat Legalis cultus ſtudium. Quamvis ergo in extremis finibus habitent, dicit Moſes venturos nihilominus ut Deo ſacrificent. Per populos quidam intelligunt alias tribus: quod minime conſentaneum videtur. alii vero exteras gentes, ad quas acceſſum dabant commercia. Ego vero ſimpliciter interpretor, quamvis itineris longitudo ſuadeat domi quieſcere, ſe tamen mutuo cohortaturos, ut in magnis caterv is ad templum ſe conferant. Finis verſus poteſt eſſe cauſæ redditio: quaſi dictum eſſet, eo magis attentos fore ad cultum Dei, quia ab ipſo locupletati, ſtudebunt laudem referre. Et certe fœdæ ingratitudinis ſignum eſt, non ſtimulari Dei beneficiis, ut quo liberalius nobiſcum agit, abcriuteni tamur ad reddendam gratiarum actionem. Simul docet Moſes minime illis graves fore itineris ſumptus in magnis opibus. Quamvis enim non adeo pinguis eſſet regio: ſitus tamen valde commodus erat ad ipſos locupletandos. Ita hic ubi dicitur, Sugent maris affluentiam, ſubaudienda eſt antitheſis inter fructus agrorum, & multiplices proventus ex mercaturis. eodem ſpectant reconditi theſauri arenæ. Nam quod exponunt quidam, tantos illis fore theſauros, ut recondant in arena: alii vero, arenas illic auri & argenti feraces fore: alii, collecturos quæ mare evomet: inſipidum eſt. Quum ergo alii ex ſuis fundis diteſcerent, concinna figura dicit Moſes, arenas in terra Zebulon refertas eſſe occultis theſauris, propter advehtitium quæſtum.

20. *Et ad Gad dixit.*] In benedictione tribus Gad tantum fit mentio partis hæreditariæ, quam adeptus fuerat extra ſortem. Dei ergo beneficium laudat, quia Gaditis amplam habitationem conceſſerit: verbum enim Dilatandi ad terræ amplitudinem refertur. Cæterum quoniam in illa extremitate trans Jordanem hoſtibus vicini erant, bellicoſos fore pronunciat: & hoc ſenſu comparat eos leoni qui prædam rapit nunc à capite, nunc à brachio. Quia igitur non tam pacata erat illa ſedes, quam aliqua alia regio in medio terræ Chanaan, tutos & ſalvos fore pronunciat ſua violentia. Etſi autem non admodum læta eſt conditio, exerceri continuis bellis: in illo tamen incommodo non ſpernenda eſt Dei gratia, formidabiles eſſe hoſtibus, & virtute pollere, qua non modo repellant hoſtilem impetum, ſed ultro incurrant ad prædam. Si quis objiciat rapiendi licentiam minime decere filios Dei, ſolutio facilis eſt, non hic ſimpliciter referri quid liceat, quid optabile ſit, vel laude dignum, ſed contra incurſus & vexationes hoſtium proponi ſolatium defenſionis. Adhæc non permitti prædandi cupiditatem, ſed tantum laudari robur militare ad vincendos hoſtes.

21. *Et vidit principium.*] Alii non male vertunt Primitias. quod Hieronymus vertit Principatum, prorſus remotum eſt. Nomen tamen Principii bene convenit: quo ſignificat Moſes, eos ante vertiſſe, ut ſibi locum habitandi quæreret Gaditæ. Antequam enim populo data eſſet poſſeſſio terræ, ſibi poſtularunt regnum Seon. Poſtea additur quomodo providi fuerint in eligendo illic domicilio: nempe quia Deus illis ſuggeſſit, in arbitrio Moſis fore ut ipſis ea pars diſtribueretur. Portio enim legislatoris vocatur de qua jure potuit Moſes decernere: ſicuti eam non temere, nec aliter quam Dei mandato aſſignavit Gaditis. Portio autem diciiur abſcondita, quam Deus in ſua promiſſione complexus non fuerat. Summa eſt, quamvis nondum patefacta eſſet Dei voluntas quoad illam terræ acceſſionem, tamen occulta ejus liberalitate potitos eſſe. Atque ita ratum vult Moſes eſſe ſuum decretum, ut Gaditæ trans Jordanem maneant. alioqui moveri poterat controverſia: quia Dei promiſſio fines toti populo aſſignaverat in citeriori ripa. Quod alii exponunt, Moſen fuiſſe hic ſepultum, frigidum eſt. Violentius etiam verba torquent qui per legislatorem intelligunt proceres Amorrhæorum, & portionem tectam interpretantur laqueata palatia. Nec vero in talibus commentis vagati eſſent, ſi in mentem illis veniſſet genuinus ſenſus quem attuli. Alterum membrum verſus, reſtrictionis vice ponitur. Docet enim Moſes hac lege bene proſpectum fuiſſe filiis Gad, ut tamen alias tribus comitarentur, nec ante domum redirent quam pacata terra Chanaan, & profligatis hoſtibus. Et ante vidimus, quum ſibi extra ſortem locum in ditione Amorrhæorum appeterent, ſevere à Moſe fuiſſe caſtigatos, donec polliciti ſunt ſe fore belli ſocios uſque ad finem. Id intelligit Moſes per Facere juſtitiam & judicium Dei cum Iſraële: non tantum quia æquum erat bellare cum fratribus, & adjutores eſſe ad terram acquirendam: ſed quia de profanis & impiis gentibus vindictam ſuam exequi ſtatuerat Deus per totum Iſraëlem, & communiter omnes tribus elegerat judicii ſui miniſtras: ſicuti in Pſalmo dicitur, mandatam illis eſſe vindictam in Gentibus, ad reges *Pſal. 149. verſ. 7.*

reges catenis vinciendos, & proceres in compedibus, ad exequendum judicium ſcriptum. Fuit enim non vulgaris honor, præfici impiis quaſi judices, ut illis omnibus deletis, terram purgarent.

22. *Ad Dan dixit.*] Tribum Dan, ſicuti Gad, bellicoſam fore pronunciat, non tam voluntario motu quam neceſſitate. Neque enim laudi ducenda erat bellandi cupiditas, quæ humanitati maxime repugnat: ſed quia hoſtium à quibus infeſtabatur gens illa, improbitas cogebat arma ſuſcipere, ſtrenue reſiſtendi audacia probata fuit. Comparat autem leoni cum impetu exilienti ex monte Baſan. ubi ſubaudienda eſt nota ſimilitudinis: neque enim mons Baſan in tribus illius ditione ſitus erat. Verum intelligit Moſes, promptos fore ad conflictum, non ſecus ac leo, qui poſtquam è ſpelunca in campos apertos egreſſus eſt, proſilit contra obvios quoslibet.

23. *Nephthali dixit.*] Prædicat Deum liberaliter acturum erga duas iſtas tribus: quia priori continget regio fertilis verſus Occidentem & Meridiem. Quæ de tribu Aſer pronunciat, ambiguitate non carent. Nam quod vocatur Benedictus בָּנִים, intelligi poteſt A filiis, vel Præ filiis. ſi prior ſenſus arrideat, laudatur ευφημισμὸς: quaſi dictum eſſet, Aſer beatum fore numeroſa ſobole. Poteſt tamen eſſe comparatio inter illam tribum & reliquas. Merito autem ejus felicitas aliis præfertur: quia ſortita eſt agrum uberrimum, & optimi tritici feracem: ſicuti teſtatur benedictio Jacob, pinguem fore panem ejus, & qui daturus ſit delicias regibus. Adjungit gratum fore Aſer fratribus ſuis. unde colligimus gentem fuiſſe ſedati ingenii. Poſtea figurate commendat olei, ferri & æris copiam. Tingere enim pedes oleo, tantundem valet atque largum olei proventum colligere: ſe vero calceare ære & ferro nihil aliud eſt quam calcare terram metallis illis refertam. Quanquam non minus arridet feræ nomen. Compedes alii vertunt: ſed inſcite. Hinc vero (ſicuti ex aliis ſuperioribus locis) colligere promptum eſt, benedictiones quarum nunc fit mentio, non tam vota aut precationes fuiſſe quam vaticinia: quia ſine ſpiritu Prophetico non divinaſſet Moſes quænam vel qualis regio ſingulas tribus maneret. Poſtremam partem varie exponunt interpretes. Nam רִבְבָה quidam pro ſenectute accipiunt, vel pro dolore, acſi eſſet literarum metathesis: & ita dies ad juventutem reſtringunt. Verum rectius ſentiunt alii, toto vitæ curſu vegetum ac robuſtum fore Aſer. Quum ergo anni ſenſim debilitent homines, promittit Moſes poſteris Aſer continuum vigorem uſque ad extremum vitæ. *Genſ.* 49.

Ex eodem Capite.

26. Non eſt ſimilis Deo recti, qui equitat ſuper cælos in auxilium tuum, & in magnificentia ſua ſuper nubes.

27. Habitaculum eſt Deus æternus: & ſubter brachia ſempiterna ejecit à facie tua inimicum, & dixit, Diſperde.

28. Et habitabit Iſraël confidenter * ſolus oculus Jacob: in terra frumenti & vini, etiam cæli ejus ſtillabunt rorem. * vel, *ſuus.*

29. Beatus es, ò Iſraël: quis ſimilis tibi populo qui ſervaris in Jehova ſcuto auxilii tui, & gladio excellentiæ tuæ? humiliabuntur inimici tui, & tu ſuper exceſſa eorum calcabis.

26. *Non eſt ſimilis.*] Tranſit Moſes à partibus ad totum: quia ad univerſum corpus, quod ex duodecim familiis conſtabat, nunc deſcendit. Porro in unum finem tendunt omnia, felicem eſſe populum Iſraëliticum, quem Deus in fidem ſuam & tutelam recepit. nihil enim ad ſummum bonum optabilius, quam ut ſalus noſtra in manu Dei repoſita ſit. Verum quia bonum inæſtimabile exiguo ſæpe in pretio habetur, protegi ſcilicet ſub Dei cuſtodia: Moſes per admirationem exclamat, non eſſe qui conferri poſſit cum Deo Iſraëlis. Scimus enim cunctis gentibus ſuos fuiſſe tutelares deos, vel patronos: & ſtulte quaſque gloriatas eſſe ſuis idolis. Atqui ſubinde experiebantur, quicquid illic fiduciæ locabant, inane eſſe ac frivolum. Moſes ergo Deum Iſraël ab imaginaria falſorum deorum turba eximit, cui ſimilem uſquam inveniri poſſe negat. Potentiam vero ejus extollit, quia magnifice equitet in cælis & nubibus: quod tantundem valet atque omnem cælſitudinem ejus imperio ſubjectam eſſe. Verum quia parum prodeſſet immenſam ejus potentiam extra nos reputare, diſerte admonet Moſes, Deum non ſibi eſſe fortem, ſed ut populo ſuo auxilietur.

27. *Habitaculum.*] Perinde eſt acſi diceret, ſuperne protegi Dei auxilio Iſraëlitas, & in eodem fundatos eſſe. Reſpondet initium precationis alteri cantico quod legitur inter Pſalmos, Jehova, tu habitaculum fuiſti nobis in generatione & generatione. Summa eſt, quamvis ab omni parte expoſiti multis injuriis eſſent Iſraëlitæ, tranquillam tamen illis quietem eſſe ſub umbra alarum Dei. Et certe, niſi inſtar tugurii fuiſſet Dei manus ad eos protegendos, millies periiſſent. Verum quia non ſufficeret capita noſtra eſſe in tuto, altera quoque pars ſubjungitur, porrecta eſſe Dei brachia ad ſuſtinendum populum. Vocat autem ſempiterna, quia nunquam labaſcit piorum firmitas, qui in Deum recumbunt. perinde igitur eſt acſi Deum illis aſſignaret pro fundo & ſuperficie domus. Alii non tam recte vertunt, Sub brachiis Sempiterni vives. Concinna enim diverſitas ponitur, quæ tamen in eundem finem tendit: ubi Deus vocatur קֶדֶם, & brachia ejus עוֹלָם. quorum prius reſpicit tempus præteritum, in altera autem futuri temporis notatio eſt: acſi dixiſſet Deum, qui fuit ab initio, & cujus virtus ad finem uſque durabit. Superiorem doctrinam experimentis confirmat, quia Deus hoſtes populi ſui mirabiliter perdiderit: modum tamen ſimul deſignat, quod dixerit, Perde, vel dele, vel diſſipa. Qua voce ſignificat, quamvis Iſraëlitarum opera uſus ſit Deus, eum unum fuiſſe victorem: quia nonniſi ejus nutu & mandato prævaluerint Iſraëlitæ. *Pſal.* 90. *verſ.* 1.

28. *Et habitabit Iſrael.*] Principium verſus minime obſcurum eſt, ubi promittit Moſes electo populo, quod omnes naturaliter in primis appetunt: nempe pacem vel tranquillum ſtatum. is enim dicitur confidenter habitare ſolus, qui nihil metuit periculi, quem nulla cura ſollicitat, & qui nullo armorum præſidio vel defenſione indiget. Hæc quidem nunquam in ſolidum præſtitit Iſraëlitis, ut ſecure & extra hoſtium metum terram ſuam incolerent: quia ſcilicet eorum ingratitudo id paſſa non eſt: ideoque inter beneficia regni Chriſti commemorant Prophetæ, ut habitet quiſque ſub vite ſua, & ſub ficu. Quidam Oculum metaphorice pro viſione accipiunt: quaſi dictum eſſet, quietam habitationem & placidam (cujus ſit mentio) populo ſperandam eſſe ex viſione patris Jacob. quod prorſus alienum eſt. Magis tolerabile quod alii fontem Jacob appoſitive legunt: quia omnes tribus ab uno illo patre ducebant originem. Hoc autem modo, fons non tantum erit prima ſcaturigo, ſed rivus aut fluvius qui ab ea defluit. Verum genuinus ſenſus eſt, terram copia tritici & vini refertam ſemper expoſitam fore conſpectui

ſpectui Jacob', ut præſenti opum ſuarum intuitu delectetur. In fine promittit Moſes, cælum quoque terræ ſanctæ propitium fore & benignum.

29. *Beatus es, ô Iſrael.*] Exclamat rurſus felicem eſſe populum cujus ſalus in Deo eſt: ut certe hæc vera eſt & unica felicitas: quia niſi ad primam ſalutis cauſam aſcendimus, omnes ſalutes (ut ita loquar) ſunt evanidæ. Quia autem hoc privilegio Deus nonniſi ſolos Iſraelitas dignatus erat, ideo ejus conditio à communi totius generis humani ſorte diſcernitur. Per gladium & ſcutum intelligitur perfecta defenſio: acſi diceret, non alibi quærendam eſſe ullam armaturæ partem.

DEUT. Cap. XXXIV.

Ascendit ergo Moſes è planitie Moab ad montem Nebo, in verticem collis qui eſt è regione Jericho: & oſtendit illi Jehova omnem terram Gilaad uſquè Dan:

2. Et univerſam Nephthali, & terram Ephraim, & Menaſſe, & omnem terram Jehudah, uſque ad mare noviſſimum:

3. Et Meridiem, & planitiem, vallem Jericho urbis palmarum, uſque ad Soar.

4. Et dixit ei Jehova, Hæc eſt terra de qua juravi Abrahæ, Iſaac & Jacob, dicendo, Semini tuo dabo illam: videre te feci oculis tuis, at illuc non tranſibis.

5. Itaque mortuus eſt illic Moſes ſervus Jehovæ in terra Moab, ſecundum mandatum Jehovæ.

6. Et ſepelivit eum in Gai, in terra Moab, è regione Beth-peor: neque cognovit quiſquam ſepulchrum ejus uſque ad diem hunc.

1. *Aſcendit ergo.*] Quiſnam hoc caput ſcripſerit, incertum eſt: niſi quod veteres probabili conjectura putarunt Joſue eſſe auctorem. Verum quia has partes obire potuit Eleazar ſacerdos, præſtabit rem non adeo magni momenti in medio relinquere. Diximus autem alibi partem montis Abarim vocari Nebo, ſicut aliam Piſgab, quia diſtincti erant vertices. Jam aſcenſus Moſis tantundem valet ac voluntaria ad mortem profectio. Neque enim eum latebat eventus: ſed quia divinitus ad moriendum vocatur, ſponte occurrit. Tam voluntarium obſequium non aliunde manavit quam ex fide gratiæ Dei, qua ſola miteſcit ac ſedatur omnis terror, & amaritudo mortis dulceſcit. Moſi certe, ut aliis omnibus, formidabile naturaliter fuiſſet mori: ſed quia intercedit gratiæ Dei teſtimonium, ſe intrepide offerre non dubitat: & quia certo perſuaſus erat, hæreditatem populi oculis ſuis illic ſore expoſitam, alacriter ad ſpeculam conſcendit. Fide quidem jam intuitus erat terram, & promiſſio Dei quaſi viva repræſentatio erat: quia ramen ſanctiſſimos etiam quoſque reſiduæ quædam infirmitates in carne circumdant, non vulgare ſolatium fuit ocularis conſpectus, quo mitigata fuit pœnæ acerbitas, quum juſto Dei judicio ab ingreſſu ſe arceri cognoſceret. Quod oſteodiſſe Deus totam terram dicitur, abſque miraculo fieri non potuit. Nam etſi quoſdam incredibili perſpicacia fuiſſe præditos narrant hiſtoriæ, ut oculorum acie longitudinem terræ Chanaan ſuperarent: peculiaris hic tamen notanda eſt ratio, quod diſtincte Moſes unamquamque regionem cognoverit, tanquam in rem præſentem adductus. Etſi enim fateor in terra Nephthali & Ephraim & Manaſſe eſſe prolepſin: voluit tamen exprimere Spiritus ſanctus perinde monſtratas fuiſſe ſingulas partes Moſi, acſi propinquæ eſſent & ſub pedibus: alioquin frigidus & inutilis fuiſſet conſpectus, niſi luſtrare futuram populi habitationem datum eſſet. Atque huc ſimiliter pertinet quod poſtea ſubjicitur, terram eſſe de qua juravit Deus ſervis ſuis: quia alioqui non aliter ſatisfieri poterat Moſis deſiderio, niſi perſpiceret in quam amœna, fertili, & opulenta regione habitaturi eſſent filii Abrahæ.

5. *Mortuus eſt Moſes.*] Quia ignominiæ nota fuit mori extra fines terræ ſanctæ, honorifico elogio inſignitur Moſes, quo magis expaveſcere diſcant Iſraelitæ ad Dei judicium, qui ne præcipuo quidem ſervo ſuo pepercit. Et diſerte additur, Secuodum ſermonem, vel os Dei, ne minas ſpernant, quarum tam memorabilis effectus apparuit. Nam ſi Deus tam eximio Prophetæ ſuo non pepercit quin tandem exequeretur quod minatus fuerat, quomodo vulgus ipſum effugeret? Quod poſtea ſequitur, Sepelivit eum, quidam paſſive reddunt, Sepultus eſt: alii vero tranſitive, Sepelivit ſeipſum. Perperam utrique: quia dum verentur tribuere Deo has partes, excogitarunt quomodo abſurditatem vitarent, quæ nulla eſt: quin potius ex fine verſus colligere licet, Moſen divinitus ſepultum fuiſſe, quia dicitur ſepulchrum ejus fuiſſe incognitum. Veriſimile eſt ſtudium inquirendi non fuiſſe omiſſum vel neglectum à populo: quia immane fuiſſet poſtremo humanitatis officio non defungi erga talem tantumque virum. Quod autem nuſquam repertum fuit indicium ſepulturæ, corpus quoque ipſum nuſquam viſum fuit: inde colligi potuit, certo Dei conſilio fuiſſe abſconditum. Porro diſputare ſupervacuum eſt quomodo Moſen ſepelierit Deus, ad cujus obſequium præſto ſunt omnia elementa. Satis igitur fuit terræ annuere, ut corpus ſancti viri in gremium reciperet. Neque enim opus fuit accerſere Angelos in ſubſidium, (ut quidam volunt) quum terra creatoris ſui imperio ſtatim paruerit. Jam ex Judæ Epiſtola cognoſcimus rem non fuiſſe levis momenti, ut ſepulchrum Moſis fugeret hominum oculos: quia docet inde exortum fuiſſe certamen inter Michaëlem Angelum & Satanam. Etſi autem non exprimitur occultandi ratio, conſilium tamen Dei fuiſſe videtur occurrere ſuperſtitioni: ſolenne enim Judæis fuit, quod & illis Chriſtus exprobrat, occidere Prophetas, deinde venerari eorum ſepulchra. Proclive ergo illis fuiſſet, ad delendam ingratitudinis memoriam, erigere ſancto Prophetæ perverſum cultum, adeoque ejus cadaver in terram portare à qua excluſus fuerat Dei judicio. Mature igitur proſpectum fuit, ne inconſiderato zeli impetu evertere tentaret populus cæleſte decretum.

Ex eodem Capite.

7. Moſes autem natus erat centum & viginti annos quando mortuus eſt: non caligavit oculus ejus, neque aufugit viror ejus.

8. Et fleverunt filii Iſraël Moſen in campeſtribus Moab triginta diebus: completique ſunt dies fletus luctus Moſis.

9. Joſua

9. Josua autem filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quoniam posuerat Moses manus suas super eum: parueruntque ei filii Israël, ac fecerunt quemadmodum præceperat Jehova Mosi.

10. Neque surrexit Propheta ultra in Israële sicut Moses, quem nosset Jehova facie ad faciem.

11. In omnibus signis & portentis ad quæ facienda in terra Ægypti Pharaoni & servis ejus, & universæ terræ ejus, miserat eum Jehova.

12. Et in omni manu forti, & in omni terrore magno, quæ fecit Moses in oculis totius Israëlis.

7. *Moses autem natus erat.*] Iterum singularem Dei gratiam celebrat, quia ad ultimum usque senium viguerint integri omnes sensus Mosis, quo idoneus esset ad munus suum obeundum. inde enim palam factum est quam chara esset Deo salus populi, cui tam sollicite prospexerat. Reperti quidem sunt qui ad centesimum usque annum publicæ gubernationi sufficerent, sed paucissimi. Jam vero eo tempore usque adeo elanguerat virtus in toto genere humano, ut post septuaginta annos ægre vitam traherent in *Psal. 90.* molestia & labore: sicuti Moses ipse testatur. Mosen igitur insolito modo viridem & robustum conservari, illustre paterni amoris signum fuit, quo populum suum prosequutus est. Si longe ante terræ ingressum collapsæ fuissent Mosis vires, valde intempestiva fuisset populo ejus debilitas: & tamen naturaliter tamdiu par esse non potuit oneri ferendo. Sequitur ergo Deum ubi passus non est deficere, mirabiliter consuluisse populi sui saluti. De oculis quidem per synecdochen fermo habetur: summa tamen huc redit, non fuisse imbecillum vel caducum, quia nec facultas ingenii exhausta erat, nec corpus exaruerat. Quod de solenni luctu additur, non longa expositione indiget: quia alibi satis copiose docui, ideo tam sedulo intentos fuisse veteres ad exequias mortuis præstandas, quia nondum quoad revelationis modum adoleverat eorum fides, ut facile esset carere externis adminiculis, quorum hodie sub Euangelio similis non est usus. Lugere mortuos humanum est: deinde merito susceptus fuit luctus ob publicam Ecclesiæ jacturam: sed hic refertur ceremonia quæ finem cum Legalibus umbris accepit. Ideoque ita sepeliendi hodie sunt mortui, ut luctum temperet spes resurrectionis tam clare patefacta Christi adventu.

9. *Josua autem filius.*] Iterum ostenditur quam perseveranter institerit Deus in curanda populi salute. Jam ante vidimus, Mosis rogatu electum fuisse Josue, qui in ejus locum succederet. Nunc ubi provinciam obire cœpit, additus fuit spiritus sapientiæ, ut reipsa palam fieret divinitus creatum esse. Præditus quidem ante id tempus fuerat eximiis donis, sed longe nunc splendidius ornatus fuit dignitatis insignibus, ut Dei vocatio certius comprobaretur: sic enim Deus quos vocat agendi virtute instruere solet. Intercessit etiam manuum impositio, quæ fuit non inane gratiæ Dei symbolum. Verum quia de his alibi satis copiose, nunc tantum leviter attingo.

10. *Non surrexit Propheta.*] Elogium hoc videtur additum fuisse, ut à Mose penderent filii Abrahæ usque ad Christi manifestationem: quia etsi subinde excitati sunt Prophetæ, primatum tamen residere penes Mosen oportuit, ne à Legis regula vel minimum deflecterent. Tenendum igitur est hic Mosen statui in præcipuo gradu, ut inter omnes Prophetas emineat: sicuti etiam veterem populum hortatur Malachias, ut in Lege Mosis acquiescat. Duo autem *Mal. 4.* hic referuntur præstantiæ signa, familiaris Dei co- *vers. 4.* gnitio, & gloria miraculorum. Vidimus alibi hac prærogativa Mosen eximi à reliquis Prophetis, quod Deus facie ad faciem cum eo loquutus esset. Nam etsi idem de se prædicat Jacob: scimus tamen Deum propius Mosi tandem fuisse patefactum: non quod gloriam ejus in solidum conspexerit, sed quia comparative excelluit inter alios. Quantum ad miracula pertiner, sic ab aliis edita fuerunt, ut nullus tamen ad Mosen accesserit.

INDEX

INDEX

Eorum quæ in his in GENESIN

COMMENTARIIS

Præter cætera explicantur.

Primus numerus, caput. secundus versiculum: tertius paginam denotat.

Abnegatio nostri præcipitur, 12. 4. 66
Abram fere quinquagenarius quum mortuus est Noah, 9. 28. 56
Abræ vocatio, communis typus est vitæ omnium fidelium, 12. 4. 66
Abræ vocatio, Ecclesiæ renovatio censetur, 12. 1. 62
Abram vir creditur, Thare primogenitus, 11. 27. 62
Abræ fides, 12. 7. 67. & 15. 12. 81. & 17. 17. 91
Abræ simulatio de uxore, vitio non caruit, 12. 11. 67. & 20. 12. 110
Abram Spiritus directione bellum suscepit, 14. 13. 73
Abram Ebræus dictus ab Eber, 14. 13. 74
Abram Sacerdos, 14. 18. 74
Abram semel & ex propriis facultatibus decimas obtulit Sacerdoti Melchisedec, 14. 20. 75
Abram minime avarus, 14. 21. 76
Abram sola fide justificatus, 15. 6. 78
Abram culpa non vacavit cum Agar congrediens, 16. 2. 83
Abræ domus, Ecclesiæ effigies, 16. 5. 84
Abram quomodo multarum gentium pater, 17. 4. 88
Abraham cur sic dictus, ibid.
Abrahæ risus minime otiosus, 17. 17. 91
Abrahæ misericordia erga Sodomitas, 18. 22. 98
Abrahæ infidelitas, 20. 2. 108
Abrahæ ingratitudo, ibid.
Abraham Propheta, 20. 7. 109
Abrahæ vitium, 20. 11. 110
Abrahæ filii duplices, 21. 12. 114. & 22. 17. 120
Abraham spe tantum Dominus terræ, reipsa peregrinus, 21. 27. 116. & 24. 4. 122
Abrahæ obedientia, 22. 1. 117. 118
Abrahæ constantia, 22. 8. 9. 119
אברך diversa significat, 41. 40. 205
Abundantia ignaviæ mater, 41. 46. 206
Adam Dei ordinatione & nutu lapsus est, 3. 1. 17. & 3. 6. 20
Adam libero motu peccavit, 3. 1. 17. & 3. 7. 20
Adam ambitione lapsus est, 3. 6. 19
Adæ ingratitudo, ibid.
Adam non longe post creationem lapsus, 3. 6. 20
Adæ pœna inflicta ad posteros omnes extenditur, 3. 17. 24
Adæ conditio post peccatum, mors, 3. 19. 25
Adam cur pelliceis vestibus indutus, 3. 21. 26
Adæ relicta spes veniæ, 3. 23. 26
Adam probe filios suos instituit, 4. 1. 28
Adjurat servum suum Abraham pro uxore filio quærenda, 24. 2. 126
Administratio moderata inter homines Deo gratissima, 10. 8. 58
Adoptio gratuita cum vitæ novitate jungenda, 17. 1. 88
Adoptio in solo Dei beneplacito fundatur, 25. 28. 134
Adoptionis gradus, 17. 7. 88
Adoratio pro reverentia, 23. 7. 123
Adoratio pro obedientia, 41. 40. 205
Advenæ & hospites Christiani, 23. 4. 123
Adulatio aulicorum, 12. 15. 68
Adorat Jacob ad lectuli caput, vel ad summitatem virgæ, 47. 31. 228
Adulterium Deo abominabile, 20. 2. 108
Adulterium grande peccatum, 20. 9. 109. & 26. 10. 138
Adulteria impunita manere non debent, 38. 24. 194, 195
Adulteri Deo exosi, 39. 7. 197
Adulterorum Pœna, 38. 24. 194
Adulteram cur Christus non punivit, 38. 24. 195
Ædificatio in Ecclesia perquam necessaria, 18. 19. 97
Ægyptii superbi & crudeles, 12. 20. 69. & 43. 32. 213
Ægyptii superstitiosi, 46. 31. 222
Ærumnæ vitæ præsentis ex peccato omnes, 3. 19. 24
Affectus naturæ originali peccato vitiantur, 8. 21. 50
Affligere pro in ordinem cogere, 16. 6. 84
Afflictiones à Deo mittuntur, 32. 24. 171. & 38. 11. 193
Afflictiones ex peccato oriuntur, 3. 19. 24. & 38. 11. 219
Afflictiones bonis & malis communes, 14. 12. 73
Afflictionum utilitas, 16. 14. 86. & 31. 2. 163. & 31. 24. 171. & 41. 14. 204. & 42. 21. 209. & 44. 1. 216
Afflictionum tempore quomodo nos gerere oporteat, 32. 24. 171
אלהים pro Deo & Angelis, 20. 13. 110
Allegoriis non nimium indulgendum, 6. 14. 43. & 8. 6. 49. & 17. 7. 88. & 21. 12. 114
Altare nullum legitimum, nisi Dei verbo consecratum, 35. 7. 182
Ambitio ædificantium turrim Babel, 11. 1. 59
Ambitus periculosa, 30. 4. 157
Ambitio fugienda, 10. 11. 58. & 11. 1. 59, 60. & 14. 1. 72, 73
Ambitionis fructus, ignominia, 11. 9. 62
Ambulare cum Deo, quid, 48. 15. 230
Ambulare coram Domino, 17. 1. 87. & 48. 15. 230
Anabaptistarum error de infantibus, 9. 10. 53. 54
Anarchiam quærere est cum Deo pugnare, 14. 1. 72
Angeli vere comederunt, 18. 6. 94. & 19. 3. 101
Angeli corporibus ad tempus vestiti, 18. 6. 95. & 18. 16. 96
Angeli, viri appellantur à forma quam induunt, 18. 16. 96. & 19. 10. 102
Angeli tam iræ quam gratiæ Dei ministri, 19. 13. 102
Angeli non invocandi, 24. 33. 129
Angelorum caput Christus, 28. 12. 150
Angeli personam Dei suscipiunt, 31. 13. 164
Angeli singuli custodes singulis hominibus non dati, 32. 2. 169
Angeli nomine Christum significari, & quare, 48. 16. 231
Animæ pro servis & ancillis, 12. 5. 66
Animæ etiam post hanc vitam vivunt, 25. 8. 132
Annus à Judæis perperam in sex partes divisus, 8. 22. 51
Anni initium à mense Martio, 7. 11. 45.
Anthropomorphitarum delirium, 1. 26. 6
Aquæ super expansionem visibiles, 1. 6. 3
Arbitrii liberi facultas qualis, 3. 6. 20. & 4. 7. 13
Arbor vitæ ab effectu dicta, 2. 9. 11
Arca Noach imago fuit Ecclesiæ, 6. 14. 43
Armeniæ montes altissimi, 8. 4. 49
Aromaticis unguentis cadavera quare condiebant veteres, 50. 2. 242
Artes liberales à profanis hominibus ad nos fluxerunt, 4. 20. 34
Artium inventio donum Dei, ibid.
Astrologiæ utilitas, 1. 16. 5
אשם peccatum & pœnam significat, 42. 21. 209
Assur ex posteris Sem, 10. 11. 58
Assyrii Chaldæam fundarunt, ibid.
Avaritia cæca, 13. 10. 71
Avaritiæ comes inhumanitas, ibid.
Avaritia Laban, vide Laban.
Auditus verbi sufficere nobis debet ad fidem, 48. 3. 229. & 50. 24. 245
Auferre caput in utramq; partem sumitur, 40. 19. 201
Aulici adulatores, 12. 15. 68
Aulicorum depravata natura, 40. 23. 201
עולם pro longo tempore, 48. 4. 229

B.

Babylonis structura, 10. 10. 58
Babylonem quidam à Jove Belo perperam deducunt, 11. 9. 61
Baptismus in aquis diluvii figuratus, 7. 17. 47
Baptismus Circumcisioni successit, 17. 13. 90
Baptismus non contemnendus, 17. 14. 91
Baptismus quomodo ad salutem necessarius, ibid.
Baptismi nota fideles à profanis discernuntur, 24. 13. 128
Baptismo privati infantes subita morte correpti non propterea damnantur, 17. 14. 91
Benedicere quid, 1. 22. 5. & 2. 3. 9. & 12. 3. 65
Benedicendi mos verus, 27. 1. 141
Benedicendi mos unde, 31. 55. 167
quomodo Benedicit Pharaoni Joseph, 47. 7. 224
Benedicere pro facere crescere, 48. 3. 229
in te Benedicet Israel, 48. 20. 232
Benedicendi munus quibus injunctum, 14. 19. 75. & 32. 26. 172
Benedictio terrena Ismaëli promissa, 21. 20. 115
Benedictum Dei, vide Deus.
Berosi locus, 11. 1. 60
Bethel quæ & Luz dicta, 28. 19. 152
Bileam consilium pessimum, 6. 2. 39
Boni sæpe cum reprobis in easdem pœnas involvuntur, 18. 23. 98
Boni malis permixti, 9. 22. 55. & 11. 10. 62. & 18. 23. 98. & 19. 9. 102. & 21. 12. 114. & 46. 31. 222

C.

כבר pro lingua, 49. 5. 235
Cain & Abel gemelli creduntur, 4. 1. 28
Canonistæ Hieronymi dictum temere accipientes, 23. 16. 123
Caput tollere, quid, 40. 13. 200
Caput auferre in utramque partem sumitur, 40. 19. 201
Caput malefactum, 11. 31. 63.
Caro non semper in malam partem capitur, 6. 3. 42
Carnis fremitus metuenda, 35. 2. 181
Carnalium sensus quando cœperit, 9. 3. 52
Castitas Jacobi, 29. 18. 155
Castitas conjugii, vide Conjugium.
Catulus leonis Juda, 49. 9. 236
Causæ mediæ & inferiores quid valeant, 1. 11. 4
Causæ secundæ unde, 29. 14. 154
Chaldæa ab Assyriis fundata, 10. 11. 58
Chaldææ sterilitas, 12. 10. 67
Cham impius & scelestus, 9. 22. 54. 55
Cham à maledictione non eximitur, 9. 25. 55
Chanaan cur maledicitur, ibid.
Chananæi à Deo maledicti, ibid.
Chananæi excidio devoti, 9. 25. 56
Chananæi superbi, 12. 8. 67
Chananæi in Mesopotamia, 11. 31. 63
Charitas erga cognatos, 29. 13. 154
Charitas erga omnes, ibid.
Charitas humanæ creationis finis, 29. 31. 156
Cherubim Angeli, 3. 23. 26
Christus Deus, 1. 3. 2. & 18. 13. 95.
Christus quomodo oraculis præfuit, 26. 10. 85
Christus finis Legis, 17. 13. 92
Christus unus & æternus Sacerdos, 14. 18. 74. 75
Christus Rex noster æternus, 14. 18. 75
Christus mortis suæ sacrificio nobis Deum placavit, ibid.
Christus sæpe cum Angelis apparuit, 18. 2. 94. & 18. 9. 95
Christus sæpe patribus apparuit, ibid. & 28. 12. 150
Christus omni semper fuit Mediator, 19. 1. 100. & 28. 12. 150
Christus caput angelorum, 28. 12. 150
Christus scala Jacob, ibid.
Christus sol justitiæ, 32. 29. 172
Christus viva Dei imago, 33. 10. 178
Christus ex Juda originem duxit, 38. 1. 192
Christus nihil gloriæ mutuatur à suis majoribus, ibid.
Christus adulteram non punivit, 38. 24. 195
Chus Princeps Æthiopum, 10. 8. 58
Ciborum delectus ex tyrannide, 9. 3. 52
Circumcisio gratiæ Dei symbolum, 17. 9. 89. 90
Circumcisio vocatur fœdus, ibid.
Circumcisio pœnitentiæ symbolum fuit, 17. 11. 90
Circumcisio pars pædagogiæ, 17. 12. 90
Circumcisio externa adventu Christi cessare debuit, 17. 13. 92
Cirjat-arba cur sic dicta, 23. 2. 122
Cælibatum an conjugio præferendus, 2. 18. 14
Cælibatus Papistarum impurus, 28. 10. 152
כהן Principem ac Sacerdotem significat, 41. 45. 206
Cognoscere pro Coire, 4. 1. 28
Conscientia mala sibi est carnificina, 50. 15. 243
Concordia fovenda, 12. 3. 63. & 13. 8. 70. & 29. 14. 154
Concubina quæ dicebatur, 25. 6. 132
Confessio pietatis externa, 33. 20. 179
Confessio fidei necessaria, 12. 7. 66
Confessio peccati necessaria, 38. 16. 195
Confessio peccati ex animo fieri debet, 18. 15. 96. & 27. 41. 147.
Confessionis Papisticæ quæ obtenditur utilitas, 27. 41. 147
Conjugium divinitus institutum, 9. 1. 52. & 29. 27. 155
Conjugium filios à parentibus non divellit, 2. 24. 15
Conjugii finis proprius, sobolis procreatio & propagatio, 24. 59. 129
Conjugii sanctitas, 2. 22. 15. & 5. 2. 36. & 6. 2. 39. & 20. 3. 108. & 24. 67. 130
Conjugii profanatio grave crimen, 6. 2. 39
Conjugium Isaac quare tam solicite describat Moses, 24. 1. 126
Conjugii incommoda ex peccato, 2. 18. 14. & 16. 5. 84
Conjugiis Deus præsidet, 20. 3. 108
Conjugalis thori maxima religio, 29. 21. 155
Conscientia certa, omnia agenda sunt, 8. 15. 49
Conscientiæ bonæ fons & principium, timor Domini, 42. 17. 209
Conscientiæ vis magna, 4. 7. 30. & 4. 9. 31. & 20. 6. 109. & 25. 29. 135. & 26. 29. 141. & 31. 30. 165. 166. & 31. 44. 167. & 39. 11. 198. & 42. 21. 209. 210. & 43. 16. 213. & 44. 7. 216
Consuetudo publica sæpe periculosa, 6. 9. 43
Consuetudo publica, violenta tempestas, 5. 22. 37
Contemptus Dei, contemptum hominum generat, 6. 4. 41
Contentio vitanda, 13. 7. 70
Contumacia fugienda, 4. 8. 9. 31. & 6. 3. 40. & 9. 20. 51. & 11. 1. 59. & 19. 4. 101. & 20. 9. 109. & 27. 41. 147
Convivia non improbantur à Deo, 21. 8. 113
Corda hominum in manu Dei, 26. 26. 148. & 33. 4. 174. & 35. 5. 182. & 42. 21. 210
Corvus cur potius arca emissus, 8. 6. 49
Creare quid, 1. 22. 5
Creationis humanæ gradus tres, 2. 7. 10
Creationis humanæ finis, charitas mutua, 29. 31. 156
Creaturæ verbo Dei sanctificantur, 9. 3. 52
Crescere in multitudinem, 48. 16. 230
Crudelitas Deo exosa, 42. 21. 209, 210
Crudelitas filiorum Jacob, vide Filii Jacob.
Culpa remissa quomodo pœnam retineat Deus, 49. 5. 235
Cultus nullus Deo gratus absque fide, 8. 20. 50
Cultus impii statim emergunt, 11. 1. 62
Curiositas cavenda, 9. 25. 55. & 10. 8. 57, 58. & 15. 10. 80. & 13. 2. 112. & 24. 2. 126. & 25. 29. 135. & 32. 29. 172. & 34. 1. 177.

Ppp

Dæmones

D.

DAmesec gentile nomen, 15. 2. 78
Dan quare sic dictus, 49. 16. 238
Debora pia matrona, 35. 8. 182
Decem pro multis, 31. 5. 164
Decimas dare gratitudinis testimonium, 14. 20. 75
Decimas olim exigebant Reges, 47. 23. 227
Delictum & scelus differunt, 20. 4. 109
Deus hominem flexibilem creavit, 3. 7. 20
cur hominem tentari passus sit, 3. 1. 17
non est author peccati, 8. 21. 50. & 22. 1. 118. & 45. 8. 219
nullius fraudis author, 30. 37. 160, 161
duobus modis ordinariis olim se manifestabat, 15. 1. 77. & 15. 12. 80. & 37. 5. 188
nunquam qualis est apparuit, 26. 24. 139
quomodo tentet, 22. 1. 118. & 32. 24. 171
hominum corda regit, 33. 4. 174. & 35. 5. 181. & 42. 21. 210. & 43. 11 212, 213
Deus opus suum mutilum non relinquit, 19. 17. 103
Deus hominis salutem plurimi facit, 3. 14 22. & 18. 18. 96. & 19. 17. 103
Deus suorum curam gerit, 4. 10. 31. & 8. 1. 48. & 11. 10. 61. & 12. 15, 17. 68. & 14. 13. 74. & 15. 1. 77. & 15. 14. 81. & 16. 7. 84. & 19. 10. 102. & 19. 16. 103. & 19. 29. 105. & 20. 3. 108. & 21. 17. 115. & 24. 54. 129. & 26. 8. 137. & 28. 11. 150. & 30. 25. 159. & 19. 32. 156. & 31. 22. 165. & 33. 4. 174. & 35. 1. 180, 181
Deus fideles una manu aggrediens, altera defendit, 31. 24. 171
Deus non statim bonorum quæ promittit, effectum exequitur, 28. 14. 151
Deus cur suum auxilium differt, 20. 4. 108
Deus totius mundi judex, 15. 16. 82. & 18. 25. 98, 99
Deus impiorum judex, 15. 14. 81. & 31. 49. 167
Deus judicia sua non statim exequitur, 9. 25. 56. & 18. 21. 97
Deus nunquam sævit contra insontes, 9. 25. 55. 56
Deus interdum per indulgentiam concedit quod illi non probatur, 19. 21. 104
Deus se patribus gradatim patefecit, 32. 29. 172
Deus acceptor personarum non est, 17. 12. 90
Deus non potest nisi quod vult & pollicitus est, 19. 22. 104
Deus non tantum permittit quæ fiunt, sed vult ea fieri, 45. 8. 218.
Deus cur innoxia animalia diluvio perdidit, 6. 7. 42
Deus vult in suo verbo coli, 3. 6. 19
Deus judicia sua Ecclesiæ manifestat, 18. 18. 96
Deus adest hominibus pluribus modis, 21. 20. 115
Deus parentes honore maximo dignatur, 30. 9. 258
Deus etiam indignos sua gratia prosequitur, 30. 5. 158. & 39. 1. 196
Deus per iniquos operator, 45. 8. 218
Deus solus æstimandæ justitiæ judex idoneus, 7. 1. 46
Deus solus Ecclesiam restaurat, 15. 10. 80
Deus solus vere & proprie nos benedicit, 32. 26. 172
Deus fidelis & verax, 21. 1. 112. & 24. 26. 128
Deus fit noster quasi voluntarius debitor, 32. 9. 170.
Deus priora dona in fidelibus, novis recentibusque cumulat, 18. 18. 96
Deus patrum nostrorum, & in cujus conspectu ambulaverunt patres nostri, quasi juratur à Jacob, 48. 15. 230. & 49. 25. 240
Dei benedictio erga homines, 9. 18. 54
Dei benedictio multiplex, 12. 2. 65
Dei benedictio semper expetenda, 26. 28. 140. & 32. 26. 172
Dei benedictio pro promissione, 35. 9. 182
Dei benedictio bonæ fidei & æquitatis comes, 30. 33. 160
Dei benedictio terrena semper aliquibus molestiis permixta, 26. 14. 138
Dei benedictionis efficacia, 9. 1. 52. & 9. 18. 54. & 14. 1. 73. & 28. 3. 149. & 30. 27. 159. & 46. 8. 222
Dei benedictioni felices successus tribuendi, 26. 27. 140. & 30. 29. 160. & 31. 36. 166. & 32. 23. 170. & 33. 10. 175. & 39. 3. 196
Dei benedictionem luxuries dilapidat, 41. 35. 205
Dei benedictione procreantur liberi, 25. 21. 132. & 29. 31. 155. & 30. 2. 157. & 30. 5. 158. & 33. 5. 174
Dei contemptus contemptum hominum generat, 6. 4. 41
Dei cultus in ejus verbo situs, 3. 6. 19
Dei decretum, 41. 32. 205
Dei dona distribui prout vult, non ex meritis, 48. 17. 231
Dei electio firma, vide Electio.
Dei fœdus commune infantibus, 9. 10. 54
Dei gratia prævenit nos, 4. 4. 29. & 6. 8. 42. & 12. 1. 64. & 16. 11. 85
Dei hostes sunt fidelium persequutores, 12. 3. 65
Dei imago, quid, 1. 26. 6
Dei indulgentia erga suos, 9. 12. 54. & 15. 8. 80. & 17. 2. 88. & 18. 15. 96. & 19. 30. 105. & 20. 3. 108. & 22. 2. 119. & 26. 1. 137. & 26. 8. 137. & 30. 17. 159. & 34. 7. 177. & 35. 2. 181. & 43. 33. 214
Dei ira inflammatur peccandi consuetudine, 4. 15. 33
Dei judicia abyssus magna, 9. 25. 55
Dei liberalitas, 22. 15. 120
Dei libertas in gratia sua dispensanda, 21. 11. 114
Dei libertas in parcendo & puniendo, 9. 25. 55. & 18. 23. 98
Dei misericordia nos prævenit, 16. 11. 85. vide Dei gratia.
Dei nomine non abutendum, 34. 13. 178
Dei ordinatione & nutu lapsus est Adam, 3. 1. 17
Dei permissu hominem esse lapsum, *ibid.*
Dei persona interdum ab Angelis suscepta, 31. 13. 164
Dei pœnitentia qualis, 6. 6. 41
Dei potentia cum ejus verbo conjuncta, 18. 13. 95
Dei potentia cum gratia & promissionum fide connexa, 19. 22. 104
Dei potentia absoluta quid Sophistis, 25. 29. 135
Dei præscientia non otiosa, 41. 17. 204
Dei præscientiam nemo ferre potest, 32. 30. 171
Dei promissiones ex gratuita ejus misericordia fluunt, 15. 6. 79
Dei providentia ab æterno ejus consilio & continua actione perperam divellitur, 41. 17. 204
Dei providentia cum justitia conjuncta, 42. 28. 210
Dei providentia in quem usum consideranda, 45. 8. 218
Dei providentia regendis delictis ab impiis obtenditur, 45. 8. 219
Dei providentiæ tractatio utilis, 45. 8. 218
Dei providentiæ, Joseph dexter interpres, 45. 8. 219
Dei providentiæ mentio, 1. 6. 3. & 4. 13. 33. & 8. 1. 48. & 11. 6. 61. & 12. 1. 64. & 11. 18. 59. & 16. 1 83. & 18. 5. 94. & 19. 10 1 2. & 19. 29. 105. & 20. 2. 108. & 21. 20. 113. & 12. 4. 119. & 22. 14. 120. & 24. 15. 127. & 24. 26. 128. & 25. 1. 131. & 29. 1. 154. & 27. 39. 144. & 30. 2. 157. & 32. 3. 169. & 33. 4. 174. & 35. 1. 181. & 36. 6. 186. & 37. 5. 188. & 40. 1. 199. & 40. 6. 200. & 42. 17. 204, 205. & 41. 1. 208. & 42. 11. 209. & 42. 28. 210. & 45. 8. 118, 219. & 49. 1. 233
Dei terrore domatur impiorum audacia, 35. 5. 182
Dei timor, conscientiæ bonæ fons & principium, 42. 17. 209
Dei timor qualis in reprobis, 31. 42. 166
Dei timore excusso, nullus peccandi finis. vide Peccatum.
Dei tolerantia, 6. 21. 42. & 11. 5. 61. & 13. 13. 71. & 15. 16. 82. & 18. 21. 97 & 35. 16. 183
Dei virtus externis figuris non adstringitur, 17. 14. 92
Dei voluntas cur nobis manifestatur, 18. 19. 97
Deo soli laus & gloria, 30. 29. 160
Deo Obediendum, vide Obedientia.
Deo adscribitur opus venditionis Joseph, 45. 8. 218
Deo quomodo adscribatur quicquid in mundo agitur, 41. 17. 204
Deum pœnitere, quid, 6. 6. 41
Deum videre facie ad faciem, quid, 32. 30. 173
Deo irato nihil feliciter succedit, 39. 1 196
Diabolus, vide Satan.
Dies naturalis & artificialis, 1. 24. 4.
Diei initium à vespere, 1. 5. 3
Dies septimus quomodo à Deo sanctificatus, 2. 3. 9
Dies natalis veteribus celebris habitus, 40. 19. 201
Dies extremus in igne fit, 9. 7. 53
Dies mali vitæ Jacob, 47. 9. 225
Diluvium circa vernum tempus cœpit, 7. 2. 45.
Diluvium quo mundus periit, fortunæ non tribuendum, 7. 27. 47. & 8. 3. 49
Diluvii memoria à posteris Noah sepulta, 10. 1. 57
Dinam unicam fuisse Jacob filiam probabile est, 30. 21. 159
Dinæ curiositas, 34. 1. 177
Dinæ invitæ & repugnanti vis allata, 34. 3. 177
Dina polluta fuit, 34. 5. 177
Dionysii jocus in Deum, 4. 24. 35
Discrimen piorum & impiorum, 25. 8. 80. & 15. 15. 81. & 42. 28. 210
Discrimen veræ Ecclesiæ & falsæ, 21. 12. 114
Discrimen verorum Prophetarum & falsorum, 41. 33. 105
Discrimen sceleris & delicti, 20. 4. 109
Divinum pro eximio & singulari, 23. 6. 123. & 30. 8. 158. & 33. 8. 275
Divitiarum incommoda, 13. 5. 70. & 24. 63. 129. & 26. 14. 138. & 32. 14. 171
Divites à regno cælorum non arcentur, 13. 1. 69. 70
Divitibus nulla excusatio, si Dei vocationem non sequuntur, *ibid.*
Divortium polygamia tolerabilius, 29. 27. 155
Divortia non temere admittenda, 2. 24. 15
Doloris patris principium primogenitus, 49. 3. 234
Dona Dei prout vult & libere, non ex hominum meritis distribui, 48. 17. 231
Dormire cum patribus, 47. 30. 228
Dulia & latria fucatæ Papistarum voces, 23. 7. 123

E.

EBer gentile nomen, 10. 21. 59. & 14. 13. 74
Ebræi ab Eber sic dicti, 14. 13. 74 & 43. 32. 214
Ebrietas fœdum vitium, 9. 20. 54
Ebrietas Noah, *ibid.*
Ebrietas Lot, 19. 33. 107
Ebrietatis pœna, *ibid.*
Ebriosi in pecudes degenerant, 9. 21. 54
Ecclesia divinitus servatur, 11. 10. 62
Ecclesia vera qua nota a larvata discernatur, 21. 12. 114
Ecclesia non sine difficultate restauratur, 15. 10. 80
Ecclesiæ conditio in speciem misera, *ibid.* & 25. 19. 132. & 33. 6. 174. & 37. 28. 190. & 43. 32. 214. & 46. 31. 222. vide Fidelium conditio.
Ecclesiæ filii duplices, 17. 7. 89
Ecclesiæ gloria sordido velamine obtecta, 33. 6. 174
Ecclesiæ hostes, 12. 3. 65. & 15. 11. 80
Ecclesiæ imago fuit arca Noah, 6. 14. 43
Ecclesiæ judicia Dei manifestantur, 18. 18. 96
Ecclesiæ preces à Deo exaudiuntur, 18. 27. 99
Ecclesiæ pueritia vetus seculum, 32. 31. 173
Ecclesiæ restauratio difficilis, 15. 10. 80
Electio arcana non omnibus Israëlitis communis, 25. 23. 133
Electio gratuita, 9. 15. 55. & 35. 22. 184
Electio firma, 25. 28. 134. & 27. 5. 144. & 35. 22. 185
Electio prima sanctitatis origo, 25. 23. 134
Electio veros filios ab adulterinis discernit, 17. 7. 89
Electionis Dei fons, liberum Dei beneplacitum, 48. 19. 232
Electionis Dei effectus non statim constat, 25. 24. 134
Electi soli servantur, 25. 29. 135
Electi etiam aliis prosunt, 39. 3. 196
Esau binominis, 36. 9. 186
Esau profanus cur dictus, 25. 30. 135
Esau imperiosus & ferox, 32. 3. 169. & 36. 6. 186
Esau à sancta familia abdicatur, 35. 11. 183. & 36. 1. 185
Esau pœnitentia furiosa, iracundiæ testis, 27. 41. 147
Eunuchi pro Satrapis & aularum principibus, 37. 36. 191. & 39. 19. 198. & 40. 1. 200
Excellentia dignitatis & roboris, 49. 3. 234
Exempla mala fugienda, 5. 22. 37
Exempla quæ sequenda, 24. 22. 170
Exempla sanctorum patrum sine Dei verbo non imitanda, 15. 8. 80. & 24. 22. 170. & 26. 25. 140. & 28. 19. 252. & 29. 30. 155. & 42. 7. 208. & 46. 3. 221. vide Patres.

F.

FAbulæ Judæorum, vide Judæi.
Fabulæ poëtarum, vide Poetæ.
Facere misericordiam, pro, Humanitatem præstare, 24. 33. 129. & 40. 14. 200
Facere judicium & justitiam, quid, 18. 19. 97
Facie ad faciem Deum videre, 32. 30. 173
Famæ tuendæ ratio, 31. 31. 166
in Fame solus Deus alit, 47. 13. 226
Familiæ habenda cura, 30. 30. 160
Famulorum habenda ratio, 17. 12. 90
Famulitii magni incommoditates multæ, 13. 7. 70
Fenestra una duntaxat in arca Noah, 6. 14. 93
Festinatio nimis vitiosa & periculosa, 16. 1. 83. & 17. 15. 92. & 30. 9. 158. & 32. 31. 166
Fides ex electione oritur, 17. 7. 89
Fides in solo Dei verbo & promissionibus fundatur, 12. 2. 65. & 17. 4. 88
Fides virtutum omnium mater, 6. 22. 44
Fides à pura conscientia disjungi non potest, 27. 3. 88
Fides confirmatione indiget, 32. 1, 6. 169
Fides novis promissis instauratur, 7. 1. 45
Fides externis symbolis fulcitur, 9. 12. 54. & 15. 9. 80. & 17. 9. 89. & 46. 1. 221
Fides verbi metas non egreditur, 26. 10. 138
Fides invocationem parit, 12. 7. 67. & 19. 19. 104
Fides vincit, 32. 24. 171
Fides sola justificat, 15. 6. 79
Fides sola Deo nos reconciliat, 4. 4. 29
Fides sola obedientiam generat, 12. 2. 65
Fides omni timore vacua non est, 6. 13. 42, 43. & 28. 17. 151
Fides Sanctorum imperfecta, 33. 1. 174
Fides Abrahæ, vide Abraham.
Fides Noah, vide Noah.
Fides Lot, vide Lot.
Fidei doctrina à recto agendi studio non abducit, 6. 18. 43
Fidei confessio necessaria, 12. 7. 66
Fidei constantia retinenda, 9. 24. 55
Fideles, sola fide, ut Abram, justificantur, 25. 6. 79
Fideles, veri sunt Israelitæ, 35. 22. 183
Fideles cum Deo luctantur in mediis tentationibus, 32. 24. 172
Fideles non sine vulnere victores evadunt, 32. 25. 172
Fideles à timore & cura non eximuntur, 15. 2. 77
Fideles instabiles, 12. 8. 67. & 23. 14. 72. & 20. 1. 108. & 27. 42. 247
Fideles etiam aliis prosunt, 39. 3. 196
Fidelium conditio in hoc mundo contemptibilis & misera, 12. 8. 67. & 13. 24. 71. & 25. 10. 80. & 33. 5. 174. & 43. 32. 214
Fidelium preces arma fortissima, 39. 20. 198
Fidelium preces à Deo exaudiuntur, 18. 27. 99 & 24. 15. 227
Fidelium preces etiam aliis utiles, 19. 29. 105. & 20. 7. 109
Fidelium vita infamiæ obnoxia, 31. 30. 165, 166
Fidelium stabilis felicitas, 36. 6. 186
Fidelibus omnia sunt adjumento, 31. 24. 164. & 36. 6. 186
Fidelibus hostes quomodo nunquam defuturi, 12. 3. 65. & 25. 7. 131. & 27. 40. 147. & 31. 22. 165. & 32. 24. 171
Filii Dei multiplices, 6. 1. 39
Filii Ecclesiæ duplices, 17. 7. 89
Filii Abrahæ duplices, 21. 11. 114. & 22. 17. 120. & 25. 23. 133
Filii Jacob perfidi, crudeles, & contumaces, 34. 21. 278. & 37. 2. 287. & 37. 10. 189. & 37. 35. 192
Filiæ Lot inexcusabiles, 19. 31. 106
Filiæ pro ramis arboris, 49. 22. 239
Filios suos quare Joseph adducat ad patrem, 48. 1. 219
Fœcunditas peculiare Dei donum, 25. 21. 132. & 29. 31. 155. & 30. 2. 157. & 33. 5. 174
Fœcunditas olim maximi habita, 30. 9. 158. & 30. 17. 159
Fœdus cum Noah initum ad posteros omnes spectat, 9. 7, 10. 53
Fœdus Dei infantibus commune, 9. 10. 54
Fœdus quomodo perpetuum, 17. 7. 89
Fœdus Dei semper proponamus nobis ob oculos, 48. 3. 229
Fœminarum rara in genealogiis mentio, 22. 19. 121. & 30. 21. 159
Fortitudo patris primogenitus, 49. 3. 234
Fortuna à mundo fingitur, 39. 1. 196
Fortunæ diluvium minime tribuendum, 7. 17. 47. & 8. 3. 49

Fratris

Fratris injuria in Deum recidit, 9. 6. 53. & 22. 2. 65
Fraus vitanda, 31. 49. 167
Fraus Labanis erga Jacob, 29. 25. 155
Frugalitas commendatur, 18. 27. 99. & 19. 33. 107. & 29. 4. 154
Furtum Rachelis inexcusabile, 31. 19. 165. & 31. 32. 166

G.

Gad quare sic dictus, 49. 19. 239
Gentes in Christo collectæ, 15. 4. 78. & 49. 10. 138
Gentium vocatio prædicta, 9. 27. 56. & 17. 4. 88. & 17. 7. 89. & 33. 11. 182
ex Gentibus oriundi sumus, 10. 1. 58
Gerundensis nuga de eunuchis Pharaonis, 40. 1. 200
Gigantes certi quidam homines, 6. 4. 40
Gloria impiorum fluxa, 10. 1. 58
Gratiam invenire, pro, gratum esse, 6. 8. 42
Gratia Dei, vide Dei gratia.
Gratiarum actio commendatur, 8. 20. 50. & 9. 26. 56. & 12. 7. 66, 67. & 21. 33. 117. & 22. 14. 120. & 24. 26. 128. & 26. 28. 139. & 28. 18. 151. & 29. 32. 156. & 32. 1. 169. & 32. 10. 172, 173. & 35. 14. 183. & 41. 50. 206
Gratitudo, 14. 17. 74. & 14. 19. 75. & 32. 1. 169
נוי nomen interdum honorificum, 11. 2. 65

H.

Hæreditatem perpetuam quomodo promiserit Deus Israelitis, 48. 3. 219
Hephron justa venditio agri sui in sepulchrum, 23. 16. 123
Historia quæ incutiendo terrori valent, imprimis utiles, 18. 19. 97
Homo animal sociale, 2. 18. 14. & 4. 14. 33. & 11. 1. 60
Homo flexibilis à Deo creatus, 2. 7. 11
Homo ante lapsum etiam Deo subjectus, 2. 16. 13
Homo totus caro est ante regenerationem, 6. 3. 40
Homo per Christum Satana superior, 3. 15. 28
Hominis conditio post lapsum, mors, 2. 17. 13. & 3. 5. 37. & 9. 2. 52
Hominis imperium in bestias ad quid utile, 9. 2. 52
Hominis tarditas magna, 19. 16. 103
Hominem labi Deus permisit, 3. 1. 17
Homines mali nascuntur, 8. 21. 50
Homines voluntarie peccant, 8. 21. 51
Homines fortuito non nascuntur, 25. 21. 133. vide Fœcunditas.
Homines inter duo sepulchra constituti, 7. 21. 47
Homines profani etiam religione tanguntur, 19. 1. 196
Hominum genus omnino corruptum, 6. 5. 41. & 8. 21. 50
Hominum corda in manu Dei, 26. 26. 148. & 33. 4. 174. & 35. 5. 182. & 42. 21. 110. & 43. 12. 112, 213
Hominum facta ex eventu non æstimanda, 45. 8. 119
Homicidium vetitum, 9. 5. 53
Homicidium grave crimen, 27. 45. 148
Homicidarum pœna, 9. 6. 53
Honor parentibus debitus, 9. 22. 54. 53
Honores iis mandandi qui donis instructi sunt, 41. 38. 105
Hospites & advenæ Christiani, 47. 8. 215
Hospitalitas commendatur, 18. 1. 94
Hospitalitas Lot, 19. 1. 100
Hospitalitatis jus violatum Israëli ab Assyriis, 47. 5. 214
חטא reatum & culpam significat, 44. 18. 217
Humanitas colenda, 9. 5. 53. & 12. 3. 65. & 14. 17. 74. & 16. 6. 84. & 19. 13. 154. & 41. 21. 110
Humanitas Ruben, 37. 21. 189
Hypocrisis ingeniis humanis ingenita, 34. 28. 178
Hypocrisis Dei judicium contemnit, 37. 20. 189
Hypocrisis peccata tegit, 42. 21. 209
Hypocrisis fugienda, 17. 1. 88. & 30. 5. 158
Hypocrisis filiorum Jacob, 37. 22. 190
Hypocritæ semper se excusant, 18. 15. 96
Hypocritæ nunquam vere resipiscunt, 28. 6. 149
Hypocritæ peccatum peccato coacervant, 37. 31. 191
Hypocritæ bonos falsis querimoniis onerant, 31. 43. 165
Hypocritæ superbi omnes, 4. 5. 19
Hypocritæ quando maxime timendi, 4. 8. 31
Hypocritarum natura, 10. 9. 109. & 27. 41. 147. & 28. 6. 149
Hypocritarum mos rebus prosperis, 30. 5. 158
Hypocritarum religio præpostera, 4. 5. 29

I.

Jacob non sine miraculo repente ditatus, 30. 43. 161
Jacob cur Israël dictus, 32. 28. 172. & 35. 10. 182
Jacob ab avaritia alienus, 33. 17. 175
Jacob tota vita peregrinus, 47. 8. 225
Jacob suspectos habuit filios suos nefariæ conspirationis, 43. 3. 212
Jacobi diffidentia, 27. 21. 144
Jacobi peccatum, ibid.
Jacobi mendacium, 27. 19. 144
Jacobi perjurium, ibid.
Jacobi castitas, 29. 28. 155
Jacobi vita laboriosa, 31. 4. 163
Jacobi mansuetudo, 31. 54. 167
Jacobi simulatio erga fratrem Esau, 33. 12. 175
Jacobi domus superstitione polluta usque ad Dinæ raptum, 31. 19. 165. & 35. 2. 181
Jacobi constantia magna, 42. 10. 110
Jacobi patientia, 42. 38. 111
Idololatria humanis mentibus fere ingenita, 31. 19. 165
Idololatriam homines facile amplectuntur, ibid.
Ignis extremæ diei, 9. 7. 53
Ignorantia crassa non appetenda, 45. 8. 218
Ignorantia crassa non excusat, 41. 8. 103
Ignorantia crassa, justa hominum ignaviæ ultio, 18. 19. 97
Imago & similitudo idem, 1. 26. 6
Imago Dei, quid, ibid.
Imago in homine, 5. 3. 37. & 9. 6. 53
Imago in homine non prorsus deleta, 9. 6. 53
Imago Dei viva Christus, 32. 30. 173
Imagines Papisticæ idololatriæ sunt instrumenta, 31. 30. 166
Imitatio mundi diabolica, 5. 21. 37
Immortalitas probatur, 5. 24. 37
Immortalitas in terris non quærenda, 11. 4. 60
Impatientia cavenda, 16. 5. 84
Impii deteriores semper fiunt, 29. 35. 155
Impii ad flagella Dei efferantur, 4. 13. 34
Impii alios ulna sua metiuntur, 30. 33. 160
Impii inexcusabiles, 19. 12. 102
Impii etiam aliqua religione tanguntur, 39. 1. 196
Impii gratiam Dei contemnere nequeunt, 28. 6. 149
Impii etiam Dei virtutem experiri coguntur, 31. 29. 165
Impii non vere salutem amissam lugent, 27. 38. 146
Impii ad desperationem adiguntur, 27. 46. 148
Impii exitio devoti, 19. 24. 104
Impii exitium suum momento accelerant, 19. 5. 101
Impiorum natura horrenda, 6. 22. 44. & 9. 22. 54, 55
Impiorum durities, 4. 13. 34
Impiorum consensus diabolicus, 19. 4. 101
Impiorum societas periculosa, 14. 11. 73
Impiorum scelera vindictam poscunt, 18. 20. 97
Impiorum securitas maledicta, 19. 14. 103. & 25. 34. 135, 136. & 28. 10. 149
Impiorum gloria fluxa, 10. 1. 58
Impiorum judex Deus, 15. 14. 81
Impios quatenus abominari liceat, 43. 32. 214
Impios Deus tolerat, 11. 5. 61. & 13. 13. 71. & 15. 16. 81. & 18. 21. 97. & 35. 20. 183
Impios Deus tractat ut feroces equos, 42. 9. 208
Impunitas malorum, peccandi illecebra, 6. 13. 43
Impunitas scelerum totam regionem polluit, 20. 9. 110
Inaures superstitiosorum insignia, 35. 4. 182
Increduli fere secum ipsi diffidunt, 26. 28. 140
Incredulitatis comes superbia, 31. 29. 165
Indulgentia Dei, vide Dei indulgentia.
Indulgentia parentum in filios, vitiosa, 34. 18. 178
Infantes subita morte absque Baptismo correpti non propterea damnantur, 17. 14. 92
Infantibus commune Dei fœdus, 9. 10. 54
Ingratitudo vitanda, 16. 13. 86. & 19. 31. 106. & 20. 2. 108. & 21. 17. 115. & 24. 58. 129. & 25. 33. 135. & 26. 28. 140. & 32. 29. 173
Injuriæ obliviscendæ exemplum in Joseph, 50. 21. 245
Intelligere facit manus suas, Hebraismus, 48. 14. 130
Invidia fugienda, 26. 16. 139. & 30. 1. 157
Invocare nomen Domini bifariam sumitur, 12. 7. 67
Invocatio nominis Dei utilissima, 26. 15. 140
Invocatio ex fide nascitur, 12. 7. 67
Invocatio totum Dei cultum sæpe complectitur, 4. 26. 35. & 12. 7. 66, 67. & 13. 3. 70. & 21. 33. 116
Job dolore pressus, valde absurda loquutus est, 37. 35. 191
Joseph Christi imago, 37. 5. 188
Joseph venalis quibuslibet expositus, 37. 28. 191
Joseph fratribus se alienum duabus de causis ostendit, 42. 7. 208
Joseph gener Principis civitatis On, 41. 40. 206
Joseph longe à vindicta alienus, 43. 16. 113. & 45. 1. 118
Joseph, dexter Dei providentiæ interpres, 45. 8. 119
Joseph divinitus electus ad juvandos fratres, ibid.
Joseph pater Pharaonis, ibid.
Joseph Regis beneficium benemeretur, 47. 6. 224
Josephi integritas erga insularium, 39. 21. 199
Josephi perspicacia & prudentia, 41. 46. 100
Josephi peccatum, 41. 50. 206. & 44. 7. 216
Ira Dei lento gradu ad vindictam procedit, 15. 16. 82
Ira sancta, 30. 2. 157
Iræ intemperies homines dementat, 34. 27. 179
Iracundia cavenda, 16. 5. 84
Irascendum quomodo alienis peccatis, 34. 7. 178
Iris erat ante diluvium, 9. 13. 53
Ironia, 3. 12. 26. & 17. 6. 61
Isaac toto vitæ suæ tempore peregrinus, 26. 1. 137. & 37. 1. 187
Isaac in agris conductitiis sevit, 26. 12. 138
Isaac cæco amore flagrat Esau præferre fratri, 27. 4. 143
Isaac simulatio culpanda, 26. 7. 137
Isaac fides vacillavit, 26. 10. 138
Ismael cur gratia Dei privatus circumcidi jubetur, 17. 19. 92
Ismaël à Dei familia abdicatus, 21. 14. 116, 115. & 43. 33. 214
Ismaëlis risus maligna subsannatio, 21. 9. 113
Ismaeli terrena benedictio promissa, 21. 20. 115
Israël cur sic dictus, 32. 28. 172. & 35. 10. 182, 183
Israelitæ legitimi, qui, 25. 23. 133
Judas primatum inter fratres obtinebat, 44. 7. 216
Judas quare sic vocatus, 49. 8. 136
Judæi annum perperam in sex partes dividunt, 8. 22. 51
Judæi frustra in carne gloriantur, 25. 28. 134
Judæi frustra gentis suæ nobilitatem jactant, 34. 25. 179
Judæorum & Gentium collectio, 17. 4. 88
Judæorum commenta & fabulæ, 1. 26. 6
Judæorum fabulæ de Abram, 11. 28. 64
Judæorum fabula de Angelis qui ipsi Lot apparuerunt, 19. 1. 100
Judæorum fabula de Sara lactante, 21. 7. 113
Judæorum fabula de Ariete, 22. 13. 120
Judæorum fabula de longa Saræ ætate, 23. 1. 121
Judæorum frivola distinctio de quatuor homicidii speciebus, 9. 5. 52
Judæorum superbia in extollenda gentis suæ origine, 30. 14. 158
Judæorum superstitio in nervo fracto, 32. 38. 173
Judæis non est amplius necessaria circumcisio, 17. 13. 91
Judicium, quid, 18. 19. 97
Judicium de rebus incognitis suspendendum, 31. 31. 166
Judicii divini vis, 4. 9. 31
Judicia Dei, vide Dei judicia.
Jumentum a bestia quare differat, 1. 24. 5
Juramentum non illicitum, 14. 21. 76. & 21. 24. 116. & 31. 49. 167
Juramenti usus legitimus, 31. 49. 167
Jurandi forma Ecliptica, 14. 23. 76. & 21. 23. 116
Jurandi forma Ægyptiis trita, 42. 15. 209
Jurandi legitima ratio, 26. 31. 141
Jurandum non temere, 14. 23. 76. & 24. 2. 126. & 26. 31. 141. & 42. 15. 109
Jusjurandum legitima de causa exigi posse, 24. 4. 126
Jusjurandum exigit Jacob à Joseph, 47. 29. 117
Justitia, quid, 18. 19. 97
Justitia manuum quid, 20. 4. 109
Justitia tota vita colenda, 26. 8. 138. & 29. 14. 154
Justi qui dicantur, 6. 9. 42

L.

Laban frater erga Jacob, 29. 25. 155
Laban improbitas, 30. 25. 159
Laban avaritia, 30. 35. 160, 161. & 31. 36. 166
Labor manuarum non omnibus præcipitur, 2. 19. 34
Laboris militas, ibid.
Lactantius hallucinatur, 6. 3. 40
Lætitia subita & inopinata quidam exanimati, 45. 26. 119
Latria & Dulia fucatæ Papistarum voces, 23. 7. 123
Lea Sancta mulier, 35. 26. 183
Levitum damnatur, 39. 19. 198
Levitis unde urbes datæ in singulis tribubus, 49. 7. 235
Lex perfecta regula, 6. 9. 42
Legis vita & mors, 3. 9. 22
Liber pro catalogo, 5. 1. 36
Liberationum errore numerus mutatus, 46. 8. 222
Liberi non fortuito nascuntur, 30. 2. 157
Liberi dono Dei procreantur, vide Fœcunditas.
Liberi pignora veteribus dicebantur, 29. 31. 155
Liberi socandis parentum animis vincula esse debent, 30. 17. 159
Liberi sunt velut domus fultura, 30. 3. 158
Liberi dissidii occasionem sæpe præbent, 25. 28. 135
Liberi arbitrii facultas, 3. 6. 20. & 4. 7. 31
Libertas hominum malitia perit, 12. 5. 66
Libertas patientiæ non repugnat, 26. 27. 140
Libertas se defendendi est permittenda, 20. 10. 110
Libertinorum insania, 2. 9. 11
Libidines Deorum, 24. 23. 118. & 38. 15. 194
Linguarum divisio justa Dei vindicta accidit, 11. 1. 60
Linguarum diversitas prodigiosa, ibid.
Linguarum divisiones maledictio per Christum ablata, 11. 7. 61
Loqui pro decernere, 6. 7. 42
Loqui ad Cor, pro, Comiter affari, 14. 3. 177. & 50. 21. 245
Lot hospitalitas, 19. 1. 100
Lot fides, 19. 14. 203
Lot fides imperfecta, 19. 18. 103, 104.
Lot infirmitas, 19. 15. 103
Lot ebrietas, 19. 33. 106
Lucani locus, 11. 31. 63
Luctus qualis post mortem Jacob, 50. 1, 3. 242
Luna magnitudine alios planetas non superat, 1. 16. 5
Luxuries Dei benedictionem dilapidat, 41. 35. 205

M.

Malorum causa peccatum est, 3. 19. 25
Malorum impunitas peccandi illecebra, 6. 13. 43
Mandragoræ, 30. 14. 158
Manichæorum error de duobus principiis, 1. 1. 17
Manichæorum delirium de hominis anima, 6. 3. 40
Manum levare, pro, jurare, 14. 21. 76
Manum ponere sub femore, jurandi mos, 24. 2. 126. & 47. 29. 228
Manuum impositione super filios Joseph quid significavit Jacob, 48. 8. 230
Manuum justitia, 20. 4. 109
Manus tua in cervice inimicorum, phrasis Hebraica, 49. 8. 236
Matrem cum filiis occidere, pro, Nihil reliquum facere, 31. 11. 170
Matres filios suos alere debent, 21. 7. 113
Media non spernenda, 43. 11. 218
Mediator unus semper fuit Christus, 19. 1. 100. & 18. 12. 150
Melchisedec præfertur Abræ, 14. 18. 74
Melchisedec Rex & Sacerdos, ibid.
Melchisedec figura Christi, ibid.
Mendacium abominabile, 33. 13. 175
per Menda-

per Mercatores transferre precnia, 23. 26. 123
Merces pro hæreditate vel felicitate, 15. 1. 77
Merces operum, 22. 15. 120
Merita hominum nulla, 7. 1. 45. & 18. 18. 96. & 22. 15. 120. & 25. 29. 135. & 32. 10. 170. & 34. 7. 177. & 39. 21. 198
Minæ electis & reprobis proponuntur, 6. 13. 43.
Minarum usus optimus, 20. 7. 109
Minis omnibus inclusa est pœnitentiæ doctrina, ibid.
Minis suis Deus non statim exequitur, 9. 25. 55. 56
Ministri verbi officium, 40. 16. 201
Ministri femen verbi projiciunt incerti de fructu, 27. 21. 144
Ministris interdum tribuitur quod solius Dei est, 7. 3. 46. & 16. 10. 85. & 18. 13. 95. & 27. 33. 146
Ministros sacrorum negligi à Christianis, sacrilegium, 47. 22. 227
Miracula non temere fingenda, 4. 5. 29
Miseriæ vitæ præsentis utiles, 3. 19. 25
Misericordia commendatur, 18. 2. 94. & 18. 22. 98
Misericordiæ non tangi, virtus Stoicis heroica, 43. 1. 218
Misericordiam facere, pro, humanitatem præstare, 21. 23. 116. & 40. 14. 200.
מושׂים pro eo quod Gallice dicunt Sarsens, 3. 14. 4
Modestia commendatur, 16. 6. 84. & 32. 25. 172
Montes Armeniæ altissimi, 8. 3. 49
Mors corporalis ex peccato fluxit, 3. 19. 25
Mors non semper divortium est animæ à corpore, 5. 24. 37
Mors electos à reprobis discernit, 15. 15. 81
Mors reproborum turbulenta, ibid.
Mors omnibus communis, 23. 1. 121
Mors electis cedit in salutem, 38. 7. 193
Mortis causa alienatio à Deo, 2. 16. 13
Mortis meditatio utilis, 11. 4. 60
Mortui quatenus lugendi, 23. 2. 122
Mortificatio nostra in immolato ariete figurata, 22. 12. 120
Moses populariter loquutus, 3. 1. 17. & 6. 14. 43. & 14. 1. 73
Moses in describenda sua historia non parcit etiam suæ tribus hominibus, 49. 5. 235
Mulier est viri accessio, 2. 18. 14
Mulier subdita viro, 3. 16. 24
Mulieris semen pro toto hominum genere, 3. 15. 23
Multitudo non curanda, 5. 22. 37. & 6. 9. 42. & 7. 17. 47. & 19. 9. 102
Mundus uno momento conditus non fuit, 1. 5. 2. & 2. 1. 8
Mundus piorum facilitate abutitur, 30. 25. 159
Mundus fortunam sibi fingit, 19. 1. 196
Mundi unicus creator, 3. 1. 17
Mundi ordo vitiis nostris sæpe turbatur, 8. 22. 51
Mundi obstinatio inexcusabilis, 41. 8. 204
Mundi illecebræ cavendæ, 41. 50. 206
Mundi imitatio Diabolica, 5. 22. 37
Mundi judex Deus, 15. 16. 82
Musices inventum, 4. 20. 34

N.

Naturæ humanæ corruptio, 29. 29. 104
Natura affecta originali peccato vitiata, 8. 21. 50
Naturæ jus à Papa violatum, 22. 20. 115. & 24. 3. 126
Naturæ ordo à Deo sancitus etiam in reprobis viget, 22. 4. 174
Naturæ ordini non est alliganda Dei gratia, 48. 17. 231
Nazaræus Joseph, 49. 25. 240
Necessitas utilis, 41. 14. 204
Necessitas optima magistra, 41. 38. 205
Nimrod ambitiosus & truculentus, 10. 8. 58
Nimrod tyrannus Babylonicus, 20. 10. 58
Noah fide arcam paravit, 6. 13. 43
Noah heres justitiæ quæ secundum fidem est, 6. 22. 44
Noah multum laboravit in extruenda arca, ibid.
Noah an vinitor fuerit, incertum, 9. 20. 54
Noah cur à filio illuditur, 9. 22. 54. 55
Noah spiritu Prophetico nepoti maledicit, 9. 24. 55
Noah Spiritu afflatus filius benedicit, 9. 26. 56
Noah fides, 7. 6. 46
Noah ebrietas, 9. 20. 54
Noah integra obedientia, 6. 22. 44. & 7. 5. 46
Nobilitatis origo, 6. 4. 41
Nobilitatem generis sui frustra Judæi jactant, 34. 15. 179
Novati error refellitur, 35. 22. 184
Nomen Domini invocare bifariam sumitur, 12. 7. 66. 67
Nomen meum invocetur eis, phrasis Hebraica, 48. 26. 231
Nomine Dei non abutendum, 30. 5. 158. & 34. 13. 178
נחל pro Habitare, 25. 18. 132
Nubendi verbum unde deductum, 24. 64. 129
Nuditas ante probrosa non erat, 2. 25. 15
Nuditas post lapsum probrosa, 9. 23. 55
Numerus septenarius multitudinem designat, 4. 24. 35
Numerus denarius pro multitudine, 31. 5. 164
Numerus librariorum errore mutatus, 46. 8. 222
Nutrices quæ dicebantur, 24. 59. 129

O.

Obedientia virtutum omnium mater, 4. 2. 28
Obedientia verus Dei cultus, 4. 5. 29
Obedientia ex sola fide generatur, 12. 3. 65
Obedientia commendatur, 3. 11. 22. & 4. 2. 28. & 6. 22. 44. & 12. 4. 66. & 17. 3. 88. & 19. 15. 103
& 20. 8. 109. & 21. 4. 112. & 21. 14. 114. & 22. 2. 117. 118. & 24. 50. 129. & 26. 5. 137. & 35. 2. 181
Obedientia nihil Deo gratius, 3. 11. 22
Obedientia parentibus debita, 37. 13. 189
Obedientia Magistratibus debita, 16. 8. 84. 85
Oculos mortuis claudere, mos vetustus, 46. 4. 221
Odium etiam leve, cavendum, 39. 31. 156
On civitatis nomen, 41. 45. 206
Opera ex ipso cordis fonte æstimantur, 4. 4. 29
Opera ante fidem facta, peccata sunt, ibid.
Opera non justificant, 15. 6. 79
Operum merces, 22. 15. 120
Operum merita nulla, 7. 1. 46
Oracula divina etiam profanis hominibus communia, 41. 1. 203
Orandi verus modus, 24. 12. 127. & 32. 9. 170
Oratio dubia esse non debet, ibid.
Orationis fructus, 32. 13. 170
Orationes vitiosæ, nisi in verbo fundatæ, 19. 18. 103
Orationes arma fidelium, 39. 22. 198
Orationes fidelium à Deo exaudiuntur, 18. 27. 99. & 24. 15. 127. & 25. 21. 133
Orationes fidelium aliis quoque utiles, 19. 29. 105. & 20. 7. 109
Ordo politicus Deo gratus, 16. 8. 84
Orientales populi multis ceremoniis dediti, 33. 3. 174
Orientales populi tenui & arido victu contenti, 43. 2. 212
Origenes audacius ludit allegoriis, 6. 14. 43
Ornamenta mulierum vitiosa, 24. 22. 128
usque ad Os parvuli alere familiam aliquam, 47. 12. 225
Osculi usus vetustissimus, 27. 26. 145
Osculi abusus, 29. 4. 154
Ossa sua in terram Chanaan transferri quare jubeat Joseph, 50. 25. 245
Otium ignavum damnatur, 2. 15. 12
Otium fugiendum, 42. 6. 208

P.

Panis in cœna, corpus Christi vocatur, 3. 22. 27
Papa servus servorum, ut Chanaan, 9. 25. 56
Papa factum jus naturæ labefactare ausus est, 22. 20. 115. & 24. 3. 126. & 34. 4. 177
Papa frustra de successione gloriatur, 14. 18. 75
Papatus religio qualis, 17. 4. 88
Papistæ patres sequendos esse clamitant, 29. 30. 155
Papistæ arcam nobis sine Dei verbo fabricant, 7. 17. 47
Papistæ inane verbum jactant, 9. 22. 54
Papistæ omnes suas spurcitias pallio Sem & Japhetis tegere volunt, 9. 23. 55
Papistæ frustra se Deum colere affirmant, 12. 7. 65
Papistæ in quo putant Melchisedech typum fuisse Christi, 14. 18. 75
Papistæ sacramenta aboleverunt, 17. 9. 89
Papistæ sacramenta septem confinxerunt, 21. 4. 112
Papistæ de multitudine gloriantur, 19. 9. 102
Papistæ præparationes suas frustra jactant, 25. 27. 134
Papistæ veræ reformationi subjici nolunt, 28. 6. 149
Papistarum calumnia adversus doctrinam fidei, 6. 18. 43
Papistarum inane verbum, 9. 22. 54
Papistarum nugæ de orationibus pro defunctis, 20. 7. 109
Papistarum machina de operibus meritoriis, 22. 15. 120
Papistarum figmentum de confectionis intentione, 27. 21. 144
Papistarum confessio ad quid utilis, 27. 41. 147
Papistarum reformatio prava, 28. 6. 149
Papistarum commentum de suis templis, 28. 17. 151
Papistarum templa, meræ lupanaria, ibid.
Papistarum aræ abominabiles, 28. 20. 152
Papistarum cælibatus impurus, ibid.
Papistarum frivolum effugium in suis picturis & statuis, 31. 30. 166
Papistarum bruta modestia, 35. 7. 182
Paradisus quid, 2. 8. 10
Parentes liberos probe instituere debent, 18. 19. 97. & 28. 18. 151. & 34. 1. 177
Parentum potestas in liberos in contrahendo conjugio, 21. 21. 115. & 24. 3. 126. & 34. 4. 177
Parentum studia plerumque in liberorum amore feruntur, 25. 28. 135
Parentum indulgentia in filios vitiosa, 34. 18. 178
Parentum contemptus Deo abominabilis, 9. 24. 55
Parentibus honor debitus, 9. 22. 54. & 24. 3. 126
Parentibus obediendum, 24. 3. 126
Parentes honore maximus Deus dignatur, 30. 9. 158
Parere super genu, pro Fœtum alere, educare, 30. 3. 158
Pasci sa à Deo agnoscere paterni amoris sensus est, 48. 25. 230
49. 22. 239
Pastor lapis,
Pastores, vide Ministri.
Pastoribus vigilandum, 35. 2. 181
Patientia cum libertate non pugnat, 26. 27. 140
Patientia, fidelibus necessaria, 4. 10. 32. & 16. 8. 85. & 20. 2. 108. & 25. 21. 133. & 26. 18. 139. & 27. 43. 147. & 30. 9. 158. & 31. 1. 163. & 31. 13. 164. & 31. 23. 165. & 31. 42. 166. & 32. 26. 172. & 33. 5. 174. & 37. 8. 188. & 40. 2. 200. & 40. 23. 201. & 42. 29. 210. & 42. 1. 212
Patientia Jacob, 42. 38. 212
Patres debent liberis nomina imponere, 16. 15. 86
Patres in æterna benedictione non hæserunt, 27. 27. 145
Patres Dei promissionibus in cœlum evecti, 17. 20. 92
Patres absque verbo sequi, periculosum, 6. 9. 42. & 24. 22. 128. & 26. 25. 140. & 29. 30. 155. & 42. 7. 208. & 46. 2. 221
Paupertas suis commodis non caret, 26. 14. 138
Pax cum omnibus habenda, 26. 12. 85
Pax quomodo cum improbis fovenda, 32. 5. 169
Pax tantum ex ore Domini, 26. 24. 140
Pax nulla hominibus, nisi in Dei providentia acquiescant, 4. 12. 33
Pax mutua colenda, 13. 9. 71. & 45. 24. 219
Peccandi illecebra ex malorum impunitate, 6. 13. 43
Peccandi nullus modus, excusso Dei timore, 20. 11. 110. & 30. 3. 157. & 34. 27. 179. & 39. 14. 198
Peccatum originale, 3. 6. 20
Peccatum originale in toto homine grassatur, ibid.
Peccatum unius in multis punitum, 34. 7. 177. & 34. 25. 179
Peccati cognitio necessaria, 42. 21. 209
Peccati cognitio qualis in nobis ingenita, 3. 7. 22
Peccati confessio fieri debet, 38. 26. 195
Peccati confessio pura esse debet, 18. 15. 96. & 27. 41. 147
Peccati author Deus non est, 8. 21. 50
Peccata aliena quomodo irascendum, 34. 7. 178
in Pecunia regia tractanda fidelis Joseph, 47. 14. 225
Peregrini & inquilini Christiani, 47. 8. 225
Pedum lotio olim trita, 18. 3. 94
Pedum lotio, vetustum humanitatis officium, ibid.
Pedes colligere cur dicantur morituri, 49. 33. 241
Perfidia filiorum Jacob, 34. 13. 178
Perplexis quid agendum, 43. 11. 212
Philautia periculosa, 30. 2. 157
Philautiæ excæcat, 39. 14. 194. & 31. 43. 167. & 34. 21. 178
Philistinorum crudelitas, 26. 14. 138
Philosophorum nugæ de Iride, 9. 13. 56
Pietatis externa confessio requiritur, 33. 20. 175
Pigritia cavenda, 19. 15. 103. & 31. 1. 163
Pigritiæ pœna, 18. 19. 97. vide Tarditas.
Pittonis locus, 2. 16. 5. & 15. 15. 81. & 25. 8. 132
Pluvia in manu Dei, 1. 6. 3. & 2. 5. 10. & 19. 24. 104
Pœnam quomodo retineat Deus, remissa culpa, 49. 5. 235
Pœnas castigatorias optime convenire cum gratuita peccatorum remissione, ibid.
Pœnitentia vera peccati veniam impetrat, 27. 34. 146
Pœnitentia sæpe ex metu pœnæ oritur, 34. 30. 179
Pœnitentia in Deum cadere minime potest, 6. 6. 41. & 20. 7. 109
Pœnitentia sera, 42. 22. 210
Pœnitentia reproborum qualis, 4. 13. 32. 33. & 27. 34. 146
Pœnitentia Esau furiosæ iracundiæ testis, 27. 41. 147
Pœnitentia Judæ sera, 38. 26. 195
Pœnitentiæ initium dolor est ex peccato conceptus, 27. 36. 146
Pœnitentiæ veræ signum, 20. 14. 110
Pœnitentiæ externa professio, 35. 2. 181
Pœnitentiæ symbolum fuit circumcisio, 17. 11. 90
Polygamia legitimi conjugii corruptela, 2. 24. 15
Polygamia originem cepit à Lamech, 4. 19. 34
Polygamia divortium tolerabilius, 29. 27. 155
Polygamia damnatur, 2. 24. 15. & 4. 19. 34. & 16. 1. 83. & 22. 19. 121. & 25. 1. 131. & 26. 34. 141. & 29. 27. 155. & 30. 1. 157. & 32. 30. 167. & 36. 2. 185
Polygamiæ pœna, 30. 15. 159
Portas hostium possidere, pro, Potiri imperio, 24. 59. 129
Possessionem æternam quomodo promiserit Deus, 48. 5. 229
Potentia Dei cum ejus verbo conjuncta, 28. 23. 95. vide Dei potentia.
Prædicatio verbi sufficere debet ad fidem, 50. 24. 245
Præsumptio sancta, 32. 9. 170
Primogenituræ excellentia, 25. 30. 135. & 33. 5. 174. & 35. 28. 184
Promissiones Dei semper proponamus nobis ob oculos, 48. 3. 229
Prophetia Jacob de futuro Ecclesiæ statu prophetiæ, 48. 2. 229
Prophetia Jacob mira de futuro filiorum statu, 49. 1. 233
Prosperitas omnis à Deo est, 26. 28. 140
Prosperitate inebriantur homines, 41. 35. 205. & 42. 9. 209
Providentiam Dei usque ad conjugia extendi, 24. 1. 126
Puellæ olim velabantur, 24. 64. 129
Pulchritudo donum Dei, 12. 11. 68. & 20. 2. 108
Putiphar præfectus militum, 37. 36. 191
Putiphar nimis uxorius, 39. 19. 198

Q.

Quærendi Dei optima ratio, 48. 15. 230
Quæstiones curiosæ vitandæ, vide Curiositas, & Sobrietas animi.

R.

Rachel non excusatur furata patria idola, 31. 19. 165
Rachel multiplici reprehensione digna, 31. 32. 166
Rachelis sepulturam quare commemoret Jacob filio suo Joseph, 48. 7. 230
רקיע pro eo omni quod supra nos patet, 1. 6. 3
Rebecca peccavit, Jacob pro Esau substituens, 27. 5. 143
Rebeccæ peccatum multiplex, 27. 13. 144
Reges pro Principibus, 14. 1. 73
Religio non temere mutanda, 34. 24. 178
Religio secum fert sepeliendi curam, 23. 3. 122
Religio Papatus qualis, 17. 4. 88

Reli-

Religionis instauratio hoc tempore, 4. 26. 25
Religionis veræ notitia etiam reproborum mentibus insculpta, 43. 23. 213
Religionis reformationem Papistæ recipere nolunt, 28. 6. 149
Remissio gratuita & castigatione pœnæ conveniunt, 49. 5. 235
Reprobus sensus est, divini judicii metum calcare, 37. 23. 190
Reprobi non prorsus carent divinæ bonitatis notitia, 43. 23. 213
Reprobi habent humanitatis aliquid residuum, 37. 25. 190
Reprobi inexcusabiles, 19. 12. 102
Reprobi pertinaces, 19. 14. 108
Reprobi propria conscientia damnati, 25. 29. 133
Reprobi nunquam vere resipiscunt, 27. 34. 146 & 28. 6. 149
Reprobi aut in suis malis stupent, aut in rabiem prosiliunt, 31. 3. 163
Reprobi insanabiles, 37. 25. 190
Reprobi quomodo Deum timent, 31. 42. 166
Reprobi doloris sensu privantur, 19. 37. 107
Reprobi subito excellunt, ut statim concidant, 36. 1. 185. & 37. 28. 190
Reprobi interdum electis prosunt, 36. 6. 186
Reprobi omnes iræ Dei subjecti, 9. 25. 55
Reprobi exitio devoti, 15. 16. 81
Reprobi à filiis Dei morte discernuntur, 15. 15. 81
Reproborum contumacia, 19. 10. 102. & 39. 14. 198
Reproborum pœnitentia qualis, 4. 13. 31. & 27. 34. 146. & 28. 6. 149
Reproborum timor, 28. 17. 151. & 31. 42. 166
Reproborum mors turbulenta, 15. 15. 81
Reprobos etiam manet residuus deitatis sensus, 41. 38. 205
Rex Pharao Sacerdotes alit gratis, 47. 22. 227
Regis beneficio & permissu non abutitur Joseph, 47. 6. 224
in Regia pecunia tractanda quam fidelis Joseph, 47. 14. 225
Regis creatio in Lege quare partim hominum libidini, partim cælesti decreto tribuatur, 49. 8. 236
Ridendi verbum in utramque partem capitur, 21. 9. 113
Risus Ismaëlis maligna subsannatio, ibid.
Risus obviam eundum, 45. 24. 219
Ruben primogenitura quare dejectus, 49. 3. 234

S.

Sabbathum quomodo Christi adventu abolitum, 2. 3. 9
Sabbathi veritas in Christo, ibid.
שכר non semper in malam partem capitur, 43. 33. 214
Sacerdotibus benedicendi munus injunctum, 14. 19. 75
Sacerdotes aluit gratis Pharao, divini cultus studiosus, 47. 22. 227
Sacerdotium Leviticum Christi sacerdotio subjectum, 14. 20. 75
Sacramenta sunt divinæ gratiæ testimonia, 15. 18. 82
Sacramenta à verbo avulsa nulla sunt, 9. 12. 54. & 17. 9. 89. & 31. 47. 166
Sacramenta duo tantum in Ecclesia, 21. 4. 112
Sacramenta fidem adjuvant, 9. 12. 54
Sacramenta à Papistis abolita, 17. 9. 89. & 28. 13. 150. & 46. 2. 221
Sacramentorum usus, 9. 12. 54. & 17. 9. 89
Sacramentorum numerus, 21. 4. 112
Sacramentorum corruptio, 17. 9. 89. & 28. 13. 150. & 46. 2. 221
Sacrificandi mos à Deo traditus, 4. 2. 28
Sacrificia ad quid instituta, ibid. & 8. 20. 49. & 33. 20. 173
Salem nomen proprium, 33. 17. 175
Salem duarum urbium nomen, ibid.
Salem pro Jerosolyma, 14. 18. 74
Salus hominum curatur à Deo, 17. 14. 91
Salutis nostræ initium à sola Dei gratia, 18. 19. 97
שלום non modo pacem, sed & prosperum statum significat, 43. 23. 213
Sanguinis esus ad tempus prohibitus, 9. 4. 53
Sancti non semper à Spiritu sancto reguntur, 27. 5. 143
Sancti patres humanis affectibus non exuti, 46. 28. 222
Sanctorum fides imperfecta, 33. 1. 173. 174
Sanctorum opera imperfecta, 19. 8. 101
Sanctorum exempla quatenus imitanda, vide Exempla Sanctorum.
Sapientiæ gradus primus, nil sibi arrogare, 41. 15. 204
Sarai sterilis, 11. 30. 62
Sarai non excusatur à peccato, 16. 1. 83
Sarai Dei nomine abusa est, 16. 5. 84
Sara cur sic à Deo vocata, 17. 15. 91
Sara Abrahæ soror in secundo gradu, 20. 12. 110
Sara lactat filium suum, 21. 7. 113
Saræ risus in quo vitiosus, 18. 12. 95
Saræ peccatum, 18. 13. 95
Saræ incredulitas, ibid.
Saræ pudicitia divinitus servata, 20. 4. 108
Saræ fœtus vitalis promittitur, 18. 10. 95
Satan serpente abusus ad fallendum hominem, 3. 1. 16
Satan non est perversus à Deo conditus, 3. 1. 17
Satan rabie inductus hominis exitium comparavit, 3. 1. 18
Satan quomodo tentet, 32. 20. 170 & 32. 24. 171
Satan neminem aperto marte aggreditur, 3. 4. 18
Satan Dei simia, 26. 24. 139
Satan Dei carnifex, 19. 13. 102
Satanæ defectio, 3. 1. 17
Satanæ cavendæ insidiæ, 16. 2. 83
Satanæ vafrities, 3. 1. 18. & 6. 4. 41. & 15. 1. 77. & 16. 2. 83. & 19. 33. 107. & 22. 11. 120. & 32. 10. 170. & 35. 22. 184. & 39. 6. 197
Satanæ spes veniæ nulla relicta, 3. 14. 22
Satietas fastidium parit, 41. 46. 206
Satietas ignaviæ mater, ibid.
Satietas ferocitatem generat, 26. 26. 139
Satisfactionibus nó redimi pœnas meritas, 37. 35. 191
Scala Jacob Christus, 28. 12. 150
Scandala captant impii, ut peccandi licentiam obtendant, 9. 22. 55
Sceleris & delicti discrimen, 26. 4. 139
Sceptrum de Juda non auferendum, donec, &c. 49. 10. 236
Scientia in malam partem, 2. 9. 11
Scortatio divinitus damnata, 34. 25. 179
Scortatio Deo exosa, 38. 15. 194
Scortatio communi hominum sensu damnata, 38. 20. 194
Scripturæ simplicitas, 2. 2. 27. vide Verbum Dei.
Seculum pro vetustate, 6. 4. 40. 41
Seculum pro longo tempore, 13. 14. 71
Seculum vetus, Ecclesiæ pueritia, 33. 33. 173
Securitas carnis metuenda, 35. 8. 181
Securitas impiorum, vide Impiorum securitas.
Sedulitas commendatur, 24. 33. 128
Semen mulieris pro toto hominum genere, 3. 15. 23
Senectutis bonitas in quo sita, 25. 8. 132
Sensus reprobus est, divini judicii metum calcare, 37. 23. 190
Sepeliendi mos veteribus diversus, 23. 3. 122
Sepeliendi curam secum fert religio, ibid.
Sepeliri in terra Chanaan quare mandavit Joseph filiis, 49. 29. 140
Sepulturæ cura, resurrectionis testis, 35. 17. 183
Sepultura venalis Papistis, 23. 16. 123
Sepulchri cur tanta solicitudo ipsi Jacob, 47. 29. 227. 228. & filio ejus Joseph, 50. 25. 245
in Sepulturis plus sumptus & pomparum apud Ægyptios quam apud Judæos, 50. 2. 242
Serpens in suis diabolis, 3. 1. 16. 17
Serpentis solertia, ibid.
Serpentis hostile dissidium cum homine, 3. 15. 23
Serpente abusus est Satan ad fallendum hominem, 3. 1. 16
Serveti blasphemia, 1. 3. 2
Servitus Deo grata, 16. 8. 84
Servitutis mentio prima, 12. 5. 66
Servitutis initium vitio non caruit, ibid.
Servitutis usus illicitus non est, 12. 5. 66
Servus servorum est Papa, quemadmodum Chanaan, 9. 25. 56
Sichar, quæ Sichima, 48. 22. 232
Sichem non procul abest à monte Garizim, 12. 6. 66
Sichimitæ mala conscientia religionem mutant, 34. 24. 178
Siclus valebat quatuor drachmas Atticas, 23. 15. 123
Signa à verbo divulsa, supervacua sunt, 9. 12. 54. & 15. 17. 82. & 17. 9. 89. 90. & 46. 2. 221
Signorum analogia cum rebus quærenda, 15. 17. 82. & 17. 11. 90
Signis interdum tribuitur quod figuratis rebus proprie convenit, 28. 22. 153
Silo quid, 49. 10. 236
Simeonis & Levi impietas, 34. 25. 179
Simeonis & Levi crudelitas, ibid.
barbaries & contumacia, 34. 30. 179
Simeoni forte non contingit propria regio, 49. 7. 235
Simulatio magnopere fugienda, 37. 32. 191. & 44. 5. 216
Simulatio filiorum Jacob, 37. 32. 191
Simulatio Joseph, 42. 7. 208
Sobrietas servanda, 9. 20. 54. & 19. 33. 106. & 19. 35. 107
Sobrietas animi commendatur, 3. 5. 19. & 9. 25. 55. & 15. 10. 80. & 19. 10. 102. & 28. 13. 150. & 31. 29. 165
Societas non prodest, nisi Deus præsit, 42. 27. 210. vide Multitudo.
Societas impiorum periculosa, 14. 12. 73
Socordia excutienda, 18. 35. 96. & 18. 19. 97. & 32. 13. 170. & 32. 26. 172. & 37. 15. 190. & 41. 8. 203. & 42. 21. 209
Sodoma non casu periit, sed divinitus afflicta fuit, 18. 18. 96
Sodoma miraculo deleta, 19. 24. 104
Sodomitæ superbi, 13. 13. 71
Sodomitæ inexcusabiles, 14. 13. 73
Sodomitæ ingrati, 14. 21. 76
Sodomitæ non uno tantum vitio laborabant, 19. 4. 101
Sodomitarum peccatum, 18. 32. 99
Sodomitarum immanitas, 19. 6. 101
Sodomitarum superbia, 13. 13. 71. & 19. 9. 102
Sodomitarum semen maledictum, 19. 24. 104
Somniis olim Deus apparebat, 15. 2. 77. & 37. 5. 188
Somnia quædam vim habent vaticinii, 40. 5. 200
Splendor in Regibus & Principibus non omnino damnandus, 41. 40. 205
Spes fidelibus necessaria, 13. 14. 81. vide Patientia.
Sterilitas olim probro habebatur, 30. 22. 159
Sterilitas terræ, divinæ iræ index, 3. 18. 24
Stoicorum virtus heroica, non tangi misericordia, 45. 1. 218
Subjectio non temere excutienda, 14. 1. 73
Subjectorum & famulorum habenda ratio, 17. 12. 90
Succoth duarum urbium nomen, 33. 17. 175
Superbia malorum omnium initium, 3. 6. 19. difficulter corrigitur, 11. 4. 60. humanis mentibus ingenita, 30. 8. 158. incredulitatis comes, 31. 19. 165. abjicienda, 37. 10. 189. Sodomitarum, 19. 9. 102. Ægyptiorum, 43. 32. 213
Superbiæ pœna, 21. 14. 115
Superbi cum Deo belligerant, 11. 4. 60. & 11. 7. 61
Superborum natura, 10. 8. 58
Superstitio mentes hominum dementat, 31. 31. 166. hominibus ingenita, 31. 19. 165. miscet sacra profanis, 31. 53. 167. pertinax & rebellis, 35. 4. 181. superbiæ plena, 43. 32. 214. Ægyptiorum, 46. 31. 222
Surgendi verbo deliberatio notatur, 37. 35. 191
Surgere, pro, Vigorem sumere, 46. 5. 221

T.

תם pro Mansueto, 25. 27. 134
תמים fucato opponitur, 6. 9. 42
Tarditas nobis ingenita, 19. 15. 103
Tarditas damnatur, 19. 16. 105. & 31. 1. 162. & 32. 14. 171
Temeritas cavenda, 19. 28. 104
Temperantia in cibo & potu colenda, 18. 27. 99. & 19. 33. 106. & 21. 8. 113
Temperantia in sancto conjugio, 6. 2. 39
Templa Papistarum lupanaria, 28. 17. 151
Tenaces filii Laban, 31. 1. 163
תרפים fere in malam partem capitur, 31. 19. 164
Terra cur ob Adæ peccatum maledicta, 3. 17. 24
Terræ sterilitas divinæ iræ index, 3. 18. 24
Terra Chanaan cælestis hæreditatis typus, 17. 7. 89. & 27. 27. 145. & 46. 2. 221
Terram patrum suorum quare Jacob vocet terram Chanaan, 48. 22. 232
Timiditas sancta ex fide, 8. 15. 49
Timor fidem non evertit, 18. 19. 97. & 28. 17. 151. & 32. 6. 169
Timor Dei in nobis etiam ob naturæ corruptionem in vitium degenerat, 18. 15. 96
Timore Dei excusso nullus peccandi finis, 20. 11. 110. & 30. 3. 157. & 34. 27. 179. & 39. 14. 198
Timor reproborum, 28. 17. 151. & 31. 42. 166
תולדות pro Generationibus, 6. 9. 42
& pro rebus gestis, 37. 2. 187
Tolerantia Dei, 11. 5. 61. vide Dei tolerantia.
Tollere caput, quid, 40. 12. 200
Transsubstantiatio, inane figmentum, 14. 18. 75
Tribuum Israel duodecim qualis futura esset conditio & situs, longo ante tempore prædicit Jacob etiam ante sortes missas, 49. 1. 233
Trinitas personarum in Deo, 1. 26. 6. & 11. 7. 61
Tristitia non obruendi qui vere & serio humiliantur, 45. 3. 218

V.

Venti reguntur à Deo, 8. 1. 49
Verbum Domini aliquando incredibile videtur, 7. 3. 46. externis figuris potius, 9. 15. 54. cum symbolis conjunctum, 15. 18. 82. & 17. 9. 89. cum ejus potentia conjungi debet, 18. 13. 95. perfectam sapientiam complectitur, 25. 22. 133. non adulterandum, 40. 16. 201. vitæ nostræ regula certissima, 21. 4. 111. & 22. 2. 118. & 24. 12. 128. & 27. 13. 144. & 28. 8. 149. & 29. 30. 155. quid & quale Papistis, 9. 12. 54. & 17. 9. 89
Verbo Dei omnia creata, 1. 3. 2
Verbo Dei creaturæ sanctificantur, 9. 3. 52
Verbi auditus sufficere nobis debet ad fidem, 50. 24. 245
Verbi Domini illusio detestabilis, 21. 9. 113
Veri notitia in hominum animis insculpta, 31. 43. 166. 167
Vestitus cultus nimius damnatur, 3. 21. 26
Via Domini quæ dicitur, 18. 19. 95
Vigilandum assidue, 19. 35. 107
Vigilandum pastoribus, 35. 2. 180
Vindicta non appetenda, 15. 14. 81. & 16. 27. 140
Vindictam ministri verbi denuntiare debent, 40. 16. 202
Vini usus quando cœperit, 9. 20. 54
Vir quando patrem relinquere debeat ut adhæreat uxori, 2. 24. 15
Viri nomen Deo attributum, 32. 24. 172
Viri nomen Angelis interdum tribuitur, vide Angeli.
Visionibus olim se Deus manifestabat, 15. 1. 77
Visiones patribus erant divinæ præsentiæ symbola, 26. 24. 139
Vivere coram Domino, quid, 17. 18. 93
Vita præsens stadio similis, 15. 2. 78
Vitæ longitudo Dei donum, 15. 7. 193
Vitæ futuræ consolatio optimum doloris temperamentum, 37. 35. 191
Vitifera tribus Juda, 49. 11. 238
Vocatio Gentium, vide Gentes.
Vocationis metas transilire non licet, 34. 7. 178. & 40. 6. 200
Vocationis suæ justæ neminem pudere debet, 47. 3. 226
Voluntas Dei cur nobis manifestetur, 18. 19. 97
Vovere malum non est, 28. 20. 152
Vota Papistarum abominabilia, ibid.
Urbium origo prima à Cain, 4. 17. 33. 34.
Ut consequentiam sæpius notat quam causam, 18. 19. 97
Uxor Lot quomodo in salis statuam versa, 19. 26. 104. 105
Uxoris Lot delictum non leve, ibid.
Uxorem filio suo elegit Abraham, & quare, 24. 3. 126
Uxoribus non semper credendum, 39. 19. 198
Uxorius nimis Putiphar, ibid.

Z.

Zelus præposterus, 27. 13. 144

Digitized by Google

INDEX SECUNDUS,

Rerum videlicet in HARMONIÆ *reliquorum Librorum* MOSIS

COMMENTARIIS

NOTABILIUM.

Prior numerus paginam, alter vero versum capitum ostendit. Quod si unicus fuerit numerus, significat id quod quæris haberi in contextus inscriptione, aut in Commentario quod verba Mosis proxime sequitur, cui versuum numerus nullus præponitur.

A

Abarim montis partes, 695. 26. & 715. 1
Abihu punitus, 605. 1, 2. & 640. 16
Abiram punitus, 641. 28. 31
Ablutionis quomodo simus participes, 381. 2
Abominatio quid significet, 286. 26
Abrahæ filius in quo æquantur gentes, 382. 7
Absinthium quid, 564. 16
in Absolutione quas partes sustinet verbi minister, 453. 3. & 454. 20
Absolutio cujus est, ibid.
Adæ exemplum, 352. 9
Adeps quid, 458. 16
Adeps frumenti quid, 702. 13
Adeps agnorum quid, ibid.
Adipem cur in omnibus sacrificiis sibi vendicet Deus, 458. 16
Adhærendi verbum quid denotet, 317. 3
Adhuc quid importet, 288. 2
Adjurationis vox, 463. 1
Admonitio ad nostri seculi Pharaones, 293. 4
de nomine Adonai, 275. 2
Adoptionis privilegium, 259. 6
Adoptionis arra vel pignus, 276. 7
Adoptionis gratia in quo fundata, 412. 7
Adoptionis symbolum, 564. 10
Adoptionis gratuitæ fides, 677. 58
Adorare quid, 329. 25
Adoratio solennis, ibid.
de Christi Adventu, 326. 16
Adversæ res omnes quales sint fidelibus, 703. 24
Adulatorum apud Principes flabella, 273. 9
Adulteria spiritualia, 336. 15. 38
Adulterii pœna, 514. 22
Adulteræ uxoris mala, ibid.
Adulteros quibus Jeremias comparet, ibid.
contra Adulteros formidabile Dei judicium, 672. 9
Ægyptus qualis, 418. 10
Ægypti descriptio, 265. 8
ad migrandum ex Ægypto quibus rationibus hortatur Deus populum, 262. 17
de spoliandis Ægyptiis mandatum, 297. 2
Ædificare quid, 637. 27
Ætas Mosis & Aharonis quorsum, 279. 6
Ætates Israelitarum quamdiu durarunt, 301. 42
quorsum homines rapiat suus Affectus, 305. 18
cur Deus Israelitas ab Affinitate gentium Chanaan prohibet, 473. 34. 11
in Afflictionibus spes concipienda, 330. 12
in Afflictionibus consolatio optima, ibid.
Afflictionum usus, 242. 1. & 550. 25. 1
ad recte Agendum qui idonei, 316. 2
recte Agendi principium quod, 425. 16
Agnus Paschalis Christi typus, 299. 21
Agnum mactare cur singulis domibus est præceptum, 360. 3
cur totum Agnum absumi oportuerit, ibid.
Agni conditiones & earum causæ, 360. 5
Agni edendi ratio, ibid.
Agnus unius anni cur præscriptus, ibid.
Agnus Paschalis sacræ Cœnæ respondet, 362. 24
Agni figuræ complementum, 361. 5. & 362. 46
cur os Agni nullum frangi voluerit Deus, 362. 46
cur duobus Agnis quotidie litaturu, 447. 38
Agni mactatio quid repræsentaret, 491. 4
Aharon natu major Mose, 253. 1
Aharon Mosis interpres, 267. 14
Aharon cur Levita vocetur, ibid.
Aharon Mediatoris figura, 625. 9
Aharon Dei legatus & Spiritus S. organum, 270. 27
Aharoni fratri germano ubi non parcat Moses, 584. 21
Aharonis posterorum sacrilegium, 421. 2
Aharonis pusillanimitas, 580. 4
Aharonis silentii magna laus, 603. 3
Aharonis ambitio, superbia & ingratitudo, 623. 1
Aharonis Sacerdotium, 645. 8
Aharonis ætas, 650. 29
Aharonis mors, 650. 25
Aharonis successor Eleazar, ibid.
Aharonis zelus, 643. 48
Alacritas quomodo addita Mosi, 271. 2
Alarum extensio, quid, 411. 18
Altare cur Moses ædificaverit, 317. 15
Altare unum cujus rei symbolum, 404. 4
Altare Christi figura, 417. 16
Altare cur fuerit aspersum, 456. 5
de Altaribus diruendis, 472. 13. 24
causæ belli Amalecitarum, 317. 8
Ambitiosorum natura, 310. 17
Ambitio quæ fere omnibus ingenita, 366. 17. 26
Ambitionis justa merces, 184. 28
coram Deo Ambulare, 405. 7
Amentia hominum, 635. 44
iræ & paterni Amoris discrimen, 577. 21
Amoris nomine quid, 333. 17
de gratuito Amore, 333. 7. 6. & 334. 7.
Mosis legum Anagoge, 537. 42
de Ancilla empta, 514
quisnam sit Angelus Mosi apparens, 258. 2
Angeli quales apparebant hominibus, ibid.
Angeli mali, 309. 21
Deum Angeli repræsentant, 306. 19
Angeli qui, 411. 18
Angelis præstantiores qui, 410
Christum Angeli nomine designari, 346. 20
Angelos qui adorant qua lege rei teneantur, 350. 3
per Angelum quis intelligatur, 699. 20. 34
per totam Animam quid notetur, 335. 16
Anima quid significet, 365. 6
Animas affligere quid, 491. 37
Animas quomodo expiet sanguis, 502. 17. 10
Animam percutere, 503. 24. 17
de Animali vitioso, 479. 1
Animalia munda & immunda quæ, 386. 11. 2
Animalcula cur amet Deus, 347. 28
Anni ex ingressu Jacob in Ægyptum usque ad exitum, 301. 40
Antichristi crudelitas insatiabilis, 252. 22
Antichristi adventus, 280. 10
Antithesis inter timorem Dei & pœnæ formidinem, 351. 17
Antithesis inter verum Deum & idola, 286. 22
Antithesis inter Mosen & alios, 267. 13
Apollo Pythius, 353. 20
Apostasiæ pœna, 390. 13. 5. & 477. 2
Apostatæ qui sint, 403. 11. 16. & 514. 15
Apostatarum punitio, ibid. & 392. 6
Apostoli in verbis veteris Testamenti recitandis quales, 390. 15
Deus quomodo nobis Appareat, 454. 16
Appendices quid, 347
Aquæ penuria, 310. 22
Aqua e silice, 316. 5
Aquæ confectionis usus, 381. 2
Aqua ex rupe elicitur, 316. 5
Aquilæ natura, 323. 4
Aquilæ cur potius meminit, ibid.
in Arbitrio Dei quid est, 347. 17
Arborum fructus quibus vesci licet, 384. 19. 23
Arboris scientiæ boni & mali naturalis conditio, 287. 1
Arca fœderis quid, 405. 5
Arcæ & operculi ejus forma describitur, 410. 8
Arcana Dei reverenter suscipienda, 281. 24
in Arduis qualiter nos gerere debemus, 477. 7
Arriani refelluntur, 267. 16
contra Arrium locus, 351. 6. 4
Ascensus ad Deum quid, 323. 3
Ascensus Mosis quid, 715. 1
Astrologi judiciarii, 353. 20
Atria quot, 417. 9
Avaritia semper est crudelis, 535. 7
Avaria quid evenit, 314. 19
Avari natura, 478. 19. 12
ne Audacia nos dementet quid agendum, 288. 32
Audacia damnatur, 348. 29
Audiri quomodo vult Deus, 548. 11. 26
homines a Deo missi ut Audiendi, 307. 31
Audire Dei quid, 626. 34
Augusti celebre dicterium, 238. 4
Augustini speculatio, 378. 12
de Avibus incubantibus, 508. 6
Dei Authoritas, 297. 2
ab Authoritate Dei argumentum, 333. 4. 1
Auxilium Dei in extrema oppressione, 251. 19
Auxilii cælestis fiducia, 260. 7
de Azymis cur repetat, 361. 3

B.

Baalim qui colebant, 350. 3
Baculus pastoralis quid notet, 267. 17
cur Baculus Dei & non Mosis appelletur, 268. 20
Baculi ionus quid, 361. 5
Balaam asina, 354. 10
in Balaam quale Dei judicium exercetur, 663. 18
Balaam quatenus Propheta, 668. 3
Balaam consilio Israelitæ perditi, 672. 1
Balac a periculo quomodo vult liberari, 659. 5
Baptismus muliebris Sephoræ exemplo falso usurpatur refellitur, 270. 25
Baptismus cur singulis conferatur, 360. 3
Baptismi finis, ibid.
Baptismo peccata quomodo abluantur, 461. 22
Basan regio qualis, 658. 21. 33
Belial filii qui, 393. 15
Bellorum causæ, 350. 9
jus Belli, 297. 2
de servanda puritate in Bello, 382. 9
in Bello quæ servanda humanitas, 507. 10
Bellum quomodo geritur cum Deo, 639. 12
Bellicus apparatus describitur, 507. 10
Benedicendi verbum quid, 434. 22
Benedicendi munus ad Sacerdotes qualiter Deus transfert, 435. 27
Deum aliquos Benedicere quid, 660. 12
Benedicti qui, 547. 27. 11. & 548. 26
Dei Benedictio qualis occasio improbis, 250. 9
ex Dei Benedictione fertilis terra, 261. 17
Benedictioni & gratiæ Dei quid adscribat Jethro, 320. 29
de Dei Benedictione, 346. 17
Benedictio Dei ubi fulget, 371. 4
Benedictiones cultorum Dei, 540. 26. 3. & 552. 28. 1
Benedictionis nomen quid designet, 709. 1
cur Dei Beneficia quibusdam incommodis semper asperguntur, 301. 38
Beneficiorum Dei finis, 328. 2
Beneficia erga Israelitas collata annis quadraginta, 545. 2
Beneficia Dei quomodo profanentur, 458. 1
Beneplaciti nomen, 470. 19
Beneplacitum quid, 491. 10
Beneplacitum electi populi quid, ibid.
Bestia pseudoprophetæ cur constituatur magistra, 663. 28
Bethel encomium, 359. 4
de Blasphemi supplicio, 636. 10
Bonum magis commune cunctis mortalibus, 595. 22
in Bonum nobis quid, 336. 20
Boni & mali norma, 545
Bonitatis Dei speculum in quo, 340
Bonitas Dei maxima, 631. 13
Bovis operæ usus, 366. 15. 19
Bovis lapidationis finis, 504. 18
Brevitas rei notæ, 262. 17
de Brutis sublevandis, 508

C.

Cades Barnea quantum distet a Sinai, 614. 6
Cadavere quid designetur, 282. 11
Cædis voce quid comprehendatur, 499
Calamitatum populi veteris exordium unde, 249. 8
Calamitati præsenti succurrit Deus, 260. 7. & 304. 8.
Calebi obedientia, 633. 24
Calumniis cur patiatur Deus, servos suos gravari, 638. 3.
Calumnia servis Dei patienter ferendæ, ibid.
Calumniæ triplex pœna, 517. 18
Canes cur non sacrificarentur, 471. 18
Cantici Mosaici finis, 308. 2
Caput præcipuum quale, 331. 4. 1
Capitale quid erat, 382. 13. & 521
Capitalis causa quomodo definienda, 510. 30
Carnis nomen quid, 641. 22
Carnibus cur Israelitas saturaverit Deus, 313. 13
Castigationis Dei finis, 292. 3
Cavendi sibi ratio vulgaris & pessima, 310. 9
Cetari qui sint, 671. 21
appendix alia de Censu solvendo, 366. 12
Census solutio quid significet, ibid. & 367. 2
Census secundus, 608. 1
Census populi secundus, 676. 1
Ceremoniæ usus, 247. & 428. 25
Ceremoniarum omnium finis, 359. 4. & 371. 12
Ceremoniæ abrogatæ Christi adventu, 387. 11. 2
Ceremoniæ quid, 387. 11. 2
Ceremoniarum usus cessavit, utilitas manet, 325. 10
cur tot Ceremoniæ mandatæ fuerant Israelitis, 410. 8
Ceremoniarum utilitas unde pendet, ibid.
Ceremoniarum discrimen & ritum, ibid.
Ceremoniis legalibus quando fuerit impositus finis, 416. 32
Ceremoniarum solida veritas & substantia, ibid. & 417. 36
Ceremoniarum finis & utilitas præcipue spectanda, 381. 2
Ceremoniæ legales sacramenta fuerunt, 461. 22
Ceremoniarum exercitii finis, 463. 6
de Ceremoniis quomodo habendum, ibid.
Cervicis duræ qui, 334. 10. 16
Cervicis duræ metaphora unde, 340. 5
per duram Cervicem quid, 582. 9
terra Chanaan cur Israelitis promissa, 370. 5
quot annis suspensa fuit promissio terræ Chanaan, 301. 40
officium Charitatis quale, 255. 13
Charitatis officia qualiter vigeant, 331. 11
inter Cherubim Deum habitare, quid, 411. 18
Cherubim quid sunt, ibid.
cur Cherubim dicantur dirigere facies versus propitiatorium, ibid.
Christus dux populi in deserto, 358. 2
cur vocatur Angelus, ibid.
cur olim figuris repræsentatus, 411. 8
qualiter æstimandus, 448. 62
cur extra urbem crucifixus, 181. 3. & 416

quo-

quomodo venit & quorsum, 381. 1. 6
cur peccatum vocetur, 381. 3
Christi doctrina Papistis nova, 372. 2
hostes Pharaonis sequaces, 273. 12
adventu ceremoniis quomodo finis impositus, 348. 29
puritas, 381. 2
Martyres, 391. 13. 3
corpus cum templo comparatum, 410. 31
personam qui gestarint, 420
sanguine dicatum fuit Sacerdotium, 425. 16
mors sacrificium boni odoris, 697. 19
sacrificii figura, 451. 2
quotidiana oblatio qualis fidelibus mandatur, 381. 1
sanguine quomodo aspergantur, 381. 6
proprium quid, 502. 12. 10
ad Christum qualiter aspirandum, 561. 58
ob Cibi defectum populi tumultus, 311. 2
in Cibi usu quid praecipuum, 370. 3
Cibus cur nobis divinitus suppeditetur, 388. 12
inter Cibos discrimen cur propositum, 386. 20. 25
Cibus qualiter sumendus, 432. 23
Circumcisio quid & ejus finis, 334. 10. 26
Circumcisio cujus rei symbolum, 362. 43
Circumcisio cur instar maceriae, ibid.
Circumcisionis finis, ibid.
Circumcisioni quia dies praescriptus, 366. 12
cur Circumcisioni octavus dies praescriptus, 471. 22. 37
Cladis Israelitarum prima causa, 672. 1
Clamor magis ex doloris impetu quam ex fiducia exorandi, 263. 18
Clerici papales qua in re se Nazaraeis comparent, 368. 5
Codro qui similes, 345. 12
per ea quae in Caelis sunt quid designet, 399. 20. 4
ad Coenam percipiendam qui admittendi, 363. 34. 43
sacrae Coenae respondet agnus Paschalis, 362. 24
in sacra Coena quid commendetur, 360. 1
Cognationis gradus, 529. 6
de pravis Cogitationibus, 543. 20. 17
ex Cognitione religio vera nascitur, 318. 12
Coitus viri & mulieris per se absque sobolis respectu qualis, 371. 2
quomodo rite Colatur Deus, 350. 3
Coloribus historiam illustrat Moses, 358. 4
ex Columbarum pullis sacrificium, 367. 20. & 379. 2
de Columbis, 463. 6
Columna nubis & ignis, 303. 21
Combustionis animalium ratio, 438. 16
de Commodati ratione, 532
Comparatione obliqua pungit populum, 275. 2
de rebus futuris Concio, 309. 14
Concupiscendi verbo quid significetur, 543. 20. 16
Conditio nostra qualis coram Dei oculis, 371. 2
Confessionem auricularem quibus argutiis defendunt Papistae, 374. 13. 2
Confessionis finis, 454. 20
Confirmatio ejus sententiae qua obedientia sacrificiis praefertur, 479. 22
Conflictus inter Dei gratiam & crudelitatem Pharaonis, 250. 12
à Conflictu qui eximerentur, 519. 5
Conjugium quid sit, 514. 22
Conjugii sanctitatis utilitas, 325. 10
qua Conjugia abominetur Deus, 519. 18. 1
de Conjugio illicito sive incestuoso, ibid.
Conjugia illicita cur vetita, 577. 16
Conjuges quarum rerum causa ad tempus separandi, 225. 10
quod thorus Conjugalis macula caret, cui adscribendum, 371. 2
de Connubiis, 473. 34. 12
malae Conscientiae merces, 618. 10
injuste oppressorum Consolatio, 260. 7
Conspiratio paucorum hominum, sed primi ordinis, 638. 1
ad Constantiam Deus Mosen hortatur, 268. 21
ad Constantiam servum suum armat Deus, 264. 1. & 265. 2, 5. & 278. 3
ad Constantiam populum hortatur, 693. 6
Construere quid, 657. 27
Contaminationum genera, 379. 2
Contaminare se quid, 430. 1
Contugenia quae, 503. 21. 12
Corah punitus, 643. 49
totum Cor quid, 335. 16
Cor circumcidere quid, 334. 10. 16
Cordis nomine quid, 337. 6. 6. & 344. 10. 12. & 570. 30
in Corde vel super cor ponere quid, 337. 11. 18
in Corde dicere quid, 339. 4
in Corde dicere quid significet, 346. 17. & 357. 18. 21
in Corde sibi benedicere quid, 564. 19
ad Cor reducere quid, 568. 1
Corporis defectuum finis, 699. 4. & 700. 6
de Corruptela naturae nostrae admonitio, 379. 2
Corruptelae adventitiae, 383. 22. 9
de Coturnicibus vento advectis, 622. 30
Creatio solius Dei est, 28. 10
Creationis nostrae finis, 393. 12. & 496. 20. 12.
Creatoris proprium, 551. 12
Credere quid sit, 271. 31. & 307. 38
Creditores quales esse debent in flagitandis nominibus, 534. 1
Crimen non leve, 270. 10
de falsis Criminationibus, 541
Crudelitates insignes, 251. 17
Cubitorum XLVI. cadaver, 658. 3. 4
Culpae agnitionis utilitas, 355. 14
Culpae gravitas unde pendeat, 463. 24
Cultus legalis quomodo abolitus, 361. 14
Cultus divini aliqua in parte violati poena, 394. 22. 18
Cultus puritas unde pendet, 453. 5
Cultus legalis secunda pars quae, 420
Cupiditates coercet Lex Dei, 543. 20. 17
Curiositas insatiabilis, 352. 9
Curiositas omnis damnatur, 348. 29
Custodia quid, 345. 11
Custodire se, quid, ibid.
Cynicorum philosophia perstringitur, 298. 8

D.

Dandi studium quale, 411. 5
de Damno facto, 532. 33
Dathan punitio, 641. 24
Decaudare quid, 476. 17
Decimae quando & quibus communes, 444. 28
de Decimis solvendis, 443. 18. 30
Defectus etiam in optimo conatu, 352. 18
Deliberationes maledictae quae, 326. 19
de Depilatione, 375. 20
de Depositarii absolutione, 532. 10
de Depositariis, 531. 7
Deserti descriptio, 312. 9
mansionis in Deserto signum, 615. 27
per Desertum eundi signum, ibid.
Desidiae punitio, 346. 17
Desidiae patrocinium unde quaeratur, 349. 30. 11
Desperationis votum quale, 619. 13
Deterrimum omnium quid, 351. 17
Deus quomodo aestimandus, 666. 18
cur Deus per se & per instrumenta agat, 286. 20
Deus qualiter apparuerit patribus, 258. 2
cur Deus castiget, 279. 5. & 298. 5
quae Deus concedat & non probet, 662. 22
consumens Deus cur vocetur, 339. 2
Deus cur in alios clemens, in alios sit severus, 476. 7
Deus vere & rite quomodo colatur, 286. 26. & 307. 31. & 351. 13
quomodo recte colatur Deus, 351. 6. 16
Deus qualem cultum requirat, 350. 3
Deus quorsum velit cognosci, 333. 32
Deus homines cur sibi consecrari voluerit, 360. 34. 19
Deus corda hominum cur exploret, 356. 3
Deus ut rite laudetur, 309. 11
cur Deus cor Sihonis obduraverit, 657. 2. 24
Deus generi humano quomodo propitietur, 417. 30
decalogi authoritatem quomodo sanciat Deus, 181. 14
Deus qualis visus olim, 391. 20
arbitrii Dei est corda hominum flectere quocunque velit, 263. 21
aures Dei, 260. 7
clementia Dei commendatur, 358. 33
clementiae Dei quid tribuendum, 383. 1
de Dei cognitione, 379. 5
vera Dei cognitio quae, 284. 10
vera Dei cognitio qualiter percipiatur, 590. 19
eorum qui cognitionem integram Dei vitiant merces, 401. 12
cognitio Dei hypocritis intolerabilis, 262. 17
Dei cognomen unde, 262. 1
de Dei consilio, & ejus executione, 663. 35
consilium Dei admirabile, 300. 29
consilium Dei quale, 279. 5. & 498. 22. 2
in arcano suo consilio Deus facienda decernit, 262. 17
cultus Dei interior, 350. 3
cultus Dei legitimus qui, 398. 32
cultus Dei puritas quae, 352. 9
cultus Dei profanatio, 350. 3
quomodo ad cultum Dei invitemur, 339. 10
de cultu Dei locus insignis, 331. 4. 1
Dei cultores legitimi qui, 350. 3
in cultoribus suis quid velit Deus vigere, 279. 19
Decretum Dei inviolabile, 669. 8
Dei deitas quomodo probata, 333. 35
Dei descensus qualis, 335. 22
Dei descensus è caelo quomodo intelligendus, 592. 5
doctrinae Dei conditio, 297. 3. & 337. 23
Dei immensitas, 359. 4
corda hominum in manu Dei, 262. 3
Dei natura spiritualis, 359. 4. & 388. 43. & 398. 36. 4.
oculi Dei, 262. 7
de Dei omnipotentia, 262. 14
Dei sacra quomodo contaminentur, 454. 16
cultus Deo gratus qui, 494. 23. 14
Dei curiositas quantopere displiceat, 326. 21
contumelia qualiter Deo inferatur, 399. 22. 4. & 401. 17
qui Deo obediant, 333. 4. 1
Deo quid magis proprium, 375. 2
ad Deum qualiter accedatur, 325. 10. & 354. 15
Deus quomodo dicatur nihil adjecisse legi, 327. 22
Deus descendere ad nos qua ratione dicatur, 260. 8
Deum ad nos descendere quid sit, ibid.
Deum discedere ab aliquo quid, 270. 25
esse in Deum quid, 267. 26. & 336. 41
cur Deus se Deum patrum nominet, 262. 15
qui Deum in certamen provocent, 315. 1
unum Deum esse quomodo intelligendum, 351. 6. 4.
contumelia in Deum sacrilega, 464. 3
in Deo colendo quid sequendum, 457. 18
de Deo, 359. 6
Deorum nomine qui significentur, 329. 18. & 498. 22. 28
Deos alienos habere quid, 352. 9
non asciscere sibi Deos alienos quid, 358. 32
Diaboli consuetudo, 281. 11
Diaboli cur Principes vocentur, 288. 8
Didrachma quot solidos gallicos faciat, 366. 12
Diffidentiam populi castigat Deus, 275. 2
Diffidentiae ex difficultatibus tollendae ratio, 617. 21
Digitus Dei quid, 285. 19
in Dilatione auxilii Dei quales, 272. 16
Diligentia 12 virorum laudatur, 628. 26
ad Discendi studium piae animae excitantur, 348. 29
quomodo Discernantur alii ab aliis, 323. 5
Discrimen inter timiditatem & recusandi audaciam, 264. 2
Dissimulatio species consensus, 255. 13
Divinationis nomen unde, 352. 9
aeterna Christi Divinitas unde probatur, 420. & 590. 14
Divitum pigritiam Deus excitat, 535. 11
de Divortio, 518
Divortium quid sit, 535. 21. 1
Divortio significatum inter Deum & Israelitas, 588. 7
facultas recte Docendi, 355. 17
Docendi partes cui potissimus injunctae, 361. 8
Docendi formam unde sumpserint Prophetae, 560. 49
rogandum ut ad Docilitatem formemur, 355. 14
probi Doctoris officium, 505. 18
de prohibitione falsorum Doctorum, 355
Doctores qui idonei, 430. 9
Doctores pii quibus sint ut plurimum expositi, 638. 1.
Doctrinae partitio, 347
locus uberis & amplae Doctrinae, 263. 21
Doctrina apprime utilis, 297. 3
cur multi in Doctrina caelesti nihil proficiant, 325. 10
Doctrinae caelestis certitudo unde, 355
Doctrina aliena quae, 384. 22. 9
falsam Doctrinam spargentium poena, 390. 13. 3
Doctrina sine exhortationibus ut plurimum friget, 411. 10
Doctrinae utilitas & fructus, 545
Doctrina realis aut actualis, 630. 32
Dolor fraenandus, 374. 20
Dolor caecus Israelitarum describitur, ibid.
Doloris mala, ibid.
Domum facere quid, 252. 25
quae Dotes spectandae in creandis judicibus, 320. 28
Drachma simplex quot solidos gallicos faciat, 366. 12
Dubitatio, 356. 13. 1
Dubitationis malo, 260. 7
causam dubitandi praecidit Mosi Deus, 265. 8
Durities quid significet, 379. 2
Duces probi à quo petendi, 694. 15

E.

Ecclesiae salutis exordium quale, 254. 4
in Ecclesia gignenda quale Dei opus, 306. 37
in augenda Ecclesia Dei potentia, ibid.
Ecclesiae peculiaris conditio, ibid.
aeternus Ecclesiae custos, 303. 21
Ecclesiae perpetuitas ubi fundata, 309. 17
Ecclesiae honorem qui sibi jure vendicant, 318. 6
de Ecclesiae instauratione, 326. 16
Ecclesiam externa verbi praedicatione divinitus regi, 328. 24
qui in Ecclesiam colliguntur quales, 334. 7. 6
de communi regendae Ecclesiae ratione, 354. 15
Ecclesia à reliquo populo quomodo differat, 361. 14
Ecclesiam proprie quis aedificet, 409. 25. 2
Ecclesiae imago quae, 415. 1
Ecclesiae pastores qui eligendi, 431. 1
Ecclesia cur columna veritatis, 430. 9
Ecclesiam deliberata malitia oppugnantium vindicta, 476. 4
in Ecclesia quae pestis exitialior, 618. 1
Ecclesiae regimen unde pendeat, 644. 4
in Ecclesia servanda Dei excubiae, 659. 1
in Ecclesia perdenda Satanae conatus, ibid.
erga Ecclesiam judicia Dei, 676. 1
in Ecclesia quis primarius tolerandus, 211. 9
Edictum à Deo promulgatum, 310. 26
Egressus quid, 317. 19
cur Egestate filios suos Deus saepe castiget, 359. 43
Electio populi unde, 332. 37
de Electionis fine, 333. 7. 6
Electionem arcanae fructus, 337. 8
Eleemosynas quomodo rite offeramus, 409. 25. 2
de Eleemosynis, 313. 17
quibus Elementis vita constet, 282. 19
Elogia quae legem ornant, 350. 1. 1
Enoc quis fuit, 339. 1
Enosi unde, ibid.
Epha mensura quid, 313. 16
Epicureis mundus nunc refertus, 272. 2
larvati papae Episcopi, 338. 10
coram Deo Epulari quid sit, 405. 7
Errandi periculum quomodo vitandum, 357. 18. 12
de Erroris efficacia, 280. 10
crassus Error vulgi, 337. 12. 18
Errorum fontes, 352. 9
Errorum mater, 613. 1
de Dei Essentia, 261. 14
ad sedandam Esuriem optimum remedium, 311. 2
Evangelium suum cur Paulus vocet, 280. 8
Evangelii claritas reprobos excaecat, 306. 19
Evangelii & Legis discrimen, 333. 2
Evangelio quid commune cum Lege, 355. 15
Evangelii summa, 323. 1. & 410. 8. & 416. 31
Exceptio, 311. 2. & 362. 43. & 535. 21. 1. & 710. 4
cur homines saepius Excitandi, 335. 16
Excommunicatio cui ceremoniae respondeat, 374. 13. 2
Excommunicationis ratio, ibid.
Exemplum utile & notatu dignum, 280. 11

ad Exem-

ad Exemplum quid pertineat, 289. 13
Exempli singularis perversi in ratio, 197. 2
malis Exemplis qui magis noceat, 461. 22
cur populum imbellem Exercitum Dei vocet Moses, 312. 40
Exercituum Deus cur vocetur, 318. 23
Exhortandi partes in prælio cui tribuantur, 197. 2
cur pluribus Exhortationibus nos Deus pungat, 316. 21
sine Exhortationibus doctrina plerumque friget, 411. 20
Existimatio bona, 268. 18
Exitus Israelitarum ex Ægypto qualis, 260. 22
Exodus unde dicatur, 243. 1
Exorandi fiducia unde petenda, 238. 23
Experientia longa, 268. 18
Expiationum scopus, 360. 5
Expiatio legitima quæ, ibid.
de Expiatione solenni annua, 413. 1
de Expiatione seu sacrificiis expiatoriis, 408

F.

Facere in manu excelsa quid, 304. 25. 30
Facere Dei quid, 579. 31. 18
Facies accipere & judicare ex personæ intuitu, 322. 16
coram Facie, quid, 350. 3
de Fama, 540
Fatum quid, 503. 21. 22
Favoris Dei singulare testimonium, 355. 17
Favoris Dei manifesta demonstratio, 288. 7
Favoris divini signum, 669. 9
Feciales unde dicati, 507. 10
Felices qui, 317. 6. 6
Felicitas ex miseriis, 298. 5
Felicitas electorum unde pendeat, 259. 9
Felicitas nostra ubi sita sit, 315. 27
Felicitatis vitia, 315. 11
Felicitas ubi locanda, 444. 18. 20
solida nostra Felicitas quæ, 520. 15
Felicitatis perpetuæ causa, 677. 22
de Felicitate externa Israelitarum, 669. 7
Fermenti prohibitionem cur toties Moses inculcet, 363. 16. 3
Fermenti cum Paschate mixtio prohibita, 417. 18
Fermenti voce quid significetur, ibid.
cur panes Fermentatos sibi vetet offerri Deus, ibid.
Fermenta qua ratione alienæ doctrinæ comparentur, 384. 22. 9
Ferociam satietas parit, 339. 10
Festinationis immodicæ tacita exprobratio, 686. 20
Festi dies cur instituti, 484. 20. 8
Festi dies præcipui, 493. 11. 14
Festos dies recenset, 490. 4
de secundo die Festo, 491. 10
Fides in solas promissiones intenta & fixa esse debet, 254. 2
Fidei specimen, 255. 18
Fidei protectus quando se proferat, 261. 11.
Fidei probatio, 271. 29. & 272. 9
Fides in verbo fundata accessione signi crescit, 260. 6
Fidei proprium quid, 272. 3
Fides Israelitarum qualis, 274. 20
Fidei doctrina quando evanescat in nobis, ibid.
quomodo Fides patrum commendetur, 275. 4
cur tamdiu distulerit Deus Fidem datam præstare, 275. 5
Fidei quibus machinis concutiatur, 282. 22
Fidei utilitas, 292. 23
Fidei professio, 299. 23
Fides nostra ubi fundata, 317. 10
Fidei exordium, 313. 1
Fidei initium quod censeri debeat, 315. 10
Fides populi in Ægypto, 338. 10
cur à Fide divelli non possit vera pietas, 352. 6. 16
Fides quomodo munienda, & cur, 355
Fides quid, 382. 11. & 544. 10. 12
Fidei signum, 588. 7
Fidei contraria timiditas, 620. 8
Fidei quid maxime contrarium, 651. 6
Fidei propria virtus, 652. 8
Fidei rarum specimen, 255. 11
Fidelium & veteris populi diversa conditio, 387. 3
Fideles in quo differant a veteri populo, 388. 11
Fideles quorsum vocati, 389. 14
Fiduciæ materia unde elicienda, 240
Fiduciæ prima causa, 582. 11
Fiduciæ piorum fulturæ, 592. 5
ad Fiduciam populum hortatur Deus, 658. 34
Figuræ legales quid, 419. 8
Figurarum veritas unde petenda, ibid.
in Figuris partes singulæ qualiter exigendæ, 413. 27. 20
pro mense Filiarum quid, 515
Filius ancillæ quid, 300. 19
Filius servi quid, ibid.
Filios immolandi & comburendi furor unde, 352. 10
Filiorum rebellium; terræ dives sunt, 497. 8
per Filios immorigeros qui designentur, ibid.
Fluctus turbulenti in Ecclesia, 259. 2
Fodinæ ferri & æris, 244. 8. 7
Fœdus Dei apud quos depositum, 158. 13
Christi adventu verum Fœderis exhibita, 262. 15
quomodo Fœdus cum Abraham percussum, 242. 3
cur à Fœdere gentium Chanaan Israelitæ prohibeantur, 473. 34. 12
de Fœderibus publicis, ibid.
Fœdus Abrahæ ubi fundatum, 347. 3
Fœderis abrupti instaurationis symbolum, 591. 8
Fœdifragi qui, 473. 23

Formæ ferrea quid, 330. 4. 20
Fornicari quid sit, 336. 55. 38
Fortuitum homicidium quomodo accidat, 503. 21. 12
Fortuitum quid, ibid.
Fortuito cum Deo ambulare quid, 554. 28
de Fortunis, 539. 5. & 546. 5
Fratrum nomine qui intelligantur, 255. 18
Fraudandi licentia unde, 250. 9
Fructus præcoces, 261. 18
ad Frugalem vitam quid conducat, 411. 9
Pinguia primitiæ cur ab Israelitis solutæ, 369. 26. 1
quæ Fugienda, 351. 9
Furciferorum cum impiis similitudo, 296. 24
de rebus Furum ablatis, 529. 3
Furtum quid sit, 297. 2
à Furto Israelitas quid absolverit, ibid.
Futurum tempus quid designet, 276. 7
Futuræ res cur Deus prædixerit, 352. 9

G.

Gaudium solidum & optabile quod, 494. 11
cur Israelitarum Gemitus audit Deus, 258. 23
Genesareth vel Genesara lacus, 687. 12. & 692. 1
Genethliaci impostores, 285. 19
de Gentium vocatione locus, 269. 22
Gens sancta quæ, 324. 6
Gentium ritus perversi quales, 358. 12. 29
de Gentibus exterminandis, 473. 34. 12
Gentium è terra Chanaan expellendarum ritus, 690. 50
Genuflexionis in precationibus usus, 259. 4
Genuflexio quid designet, 478. 20. 7
per Gladium & scutum quid intelligatur, 715. 29
Gloria Dei quid, 212. 9
Gloria Dei quomodo patefiat, 291. 29
Gloriari super aliquem, 281. 9
Gloria Dei quomodo probata, 331. 30
quomodo Glorificetur Deus, 335. 17
Gloria sua quando fraudetur Deus, 339. 4
Gosen terra quæ, 260. 8
Grandinis pœna & definitio, 290. 18
Grandinis calamitas, 291. 31
Gratiæ Dei tenor continuus ubi cernatur, 246
Gratia Dei erga nos & Israelitas causa, ibid.
Gratia Dei mirabilis, 257. 18
adoptionis Gratia in Christo fundata, 269. 22
per Gratiam in Christo oblata omnia nihili æstimanda, 273. 6
in mera Gratia pactum fundatum, 275. 4
Gratiæ Dei amplificatio, 304. 8
raram & incredibilem Dei gratiam commendat, 321. 9
Gratiæ magnitudinem cur extollat, 310. 4. 30
Gratiæ effectus, & testimonium, 334. 7. 8
Gratia Dei quomodo nunquam sit defutura, 635. 42
Gratiæ Dei inæstimabilis opus, 676. 1
Gratitudinis eximiæ exemplum, 683. 48
Gravidæ mulieris percussæ pœna, 504. 22
Gubernatores exemplo Mosis monentur, 678. 5

H.

Harmoniæ hujus conficiendæ ratio & partes, 246
Hæreditatis nomine quid notetur, 712. 4
Hebræorum lingua Ægyptiæ dissimilis, 254. 10
Hebraicæ linguæ mos, 281. 14
Helvetiorum mos, 622. 18
Herbarum amararum ratio, 361. 5
Hieronymus carpitur, 334. 10. 14
Historiæ a Mose descriptæ utilitas, 246
de Holocaustis, 416. 1. & 453. 1. & 466
Holocaustorum altare describitur, 416. 1
Holocausta quid, 711. 9
Homer mensura quid, 323. 16
Homicidii nomine quid comprehendatur, 499
de Homicidio voluntario, 510. 30
Homines ut plurimum ad quid propensi, 169. 22
Honorandi verbum quid, 405. 16. 12
Honore justo quando afficiatur Deus, 261. 18
Honor integer Deo quando tribuatur, 191. 27
mons Horeb & Sinai idem, 258. 1
Horeb mons quomodo sanctus, 259. 4
Hostes suos quomodo sternat Deus, 308. 4
Hostes Israelis, 317. 8
Hortatur populum Moses, 309. 13
Humiliari coram Deo quid, 292. 3
Humanitatis officium, 308. 6
Humilitatis excusatio, 261. 11
Humilitas quæ maxima, 204. 16
quid in Humilitate nos contineat, 343. 27
Humilitatis magistra, 447. 18. 8
Hyperbolica locutio, 296. 24. & 669. 1
Hypocrisis ubi lateat, 291. 26
Hypocrisis latebræ, 394. 3
Hypocrisis morbus communis, 384. 8
Hypocritæ quando misericordiam Dei implorent, ibid.
Hypocritæ semper sunt duplici corde, 291. 17
Hypocritarum mos, 293. 8
Hypocritis quid propositum, 321. 26
inter Hypocritas distinctio, ibid.
Hypocritarum stulta ambitio, 317. 11. 18
Hypocritis unde securitas, 412. 32
Hypocritarum mos, 544. 10. 12
in Hypocritas judicio Dei, 613. 26
ad Hypocritas admonitio, 662. 20
Hypocritæ quomodo Deum timeant, 663. 32

Hyssopi fasciculus quid significet, 299. 21
Hyssopi vis, 381. 6

I.

Jacuisse omnes suo loco quid, 296. 24
Jannes & Mambres Mosi resistentibus falsi doctores similes, 280. 12
Idolum quid, 402. 24. 27. & 404. 28
Idololatria æterna damnatur, 370. 3
Idololatriæ principium, 358. 12. 29. & origo, 579. 31. 1
Idololatriæ voce quid notetur, 404. 24
ad Idololatriam ne deflectant homines, qualiter cohibendi, 418. 1
Idololatricæ fœditatis mala, 471. 25
Idololatria quæ turpior, 477. 0
Idololatria Deo quantopere displiceat, 587. 35
ad Idololatriam quid Israelitas impulerit, 579. 32. 2. & 671. 9
Idololatrarum dementia, 272. 3
in Idololatras pœna, 477. 2
Jehosuæ magnanimitas, 619. 6
Jejunium cujus rei signum, 431. 7
Jejunii fons, 491. 27
Jejunium Mosis quale, 191. 28
Jehovæ nomen quid importet, 275. 0
de nomine Jehova, ibid.
Jehovæ nomine quid intelligat, ibid. & 319. 10
Jehova quo nomine designetur, 306. 19
Jehovæ nomen cui competat, & quare, 308. 2
Jehovæ cætus quid, 360. 1
Jetro adventus in castra Mosis, 318. 1
Jetro consilium de gubernando populo, ibid.
Jetro moderatio, 320. 17
Ignorantiam tacite fatetur Moses, 261. 13
Ignorantia etiam ante Legem scriptam inexcusabilis, 277. 16
Igni Deus cur comparetur, 330. 3
Ignorantiam Moses fatetur, 678. 5
Illusionis efficacia unde, & cur mittitur, 359. 13. 1
Imagines externæ qualiter dii vocentur, 579. 32. 1
Imbecillitatis corrigendæ via, 261. 12
Immortalitatis futuræ testimonium, 665. 10
Immunitatem quo prætextu sibi vendicet clerus papalis, 426. 6
Imperium Mosi datum Deus temperat, 378. 2
Impietas detestabilis quæ, 269. 11
Impietas populi detestabilis, 579. 32. 2
Impietatis extremæ cumulus, 492. 29
ex Impietate hominum quid discendum, 285. 19
Impiorum furorem auxilio Dei cedere necesse est, 250. 12
Impii Dei judicia non sentiunt, 250. 13
Impii quomodo seipsos induunt, 279. 3
Impiorum natura, 280. 12. & 295. 18. & 296. 24
Impiorum mos, 295. 26
Impiorum protervia refutatur, 300. 27
Impiorum stupor, 304. 5
Impiorum frustratur confidentia, 304. 6
Impio quid sit vulgare, 321. 0
Impunitas mala, 307. 13
Incantationes damnantur, 353. 10. & 358. 28. 21
Inconstantiæ quomodo obviam eundum, 332. 9
Incredulitas superba, 329. 22
Incredulitatis vitia, 351. 6. 16
Incredulis quid solenne, 370. 8
Incredulorum punitio, 619. 3
Increduli suis commentis libenter oblinerent Dei oculos, 403. 11. 16
Incredulorum pœna, 668. 25
Incurrum ii qui, 334. 30. 16
Incuria & ingratitudo Israelitarum unde colligitur, 364. 9. 1
Indigenarum natura, 275. 4
Indulgentiæ Dei insigne documentum, 265. 8
Dei Indulgentia erga populum, 276. 10
Indurationis quomodo Deus author, 279. 3
refelluntur qui Indurationem in nudam permissionem rejiciunt, 279. 3
Infelicitas hominum unde pendeat, 697. 17
Infidelitas quid, 382. 12
Infidelitatis principium, culpa & effectus, 647. 10. 12. 37
Ingenii perversi & contorti signum, 284. 13
Ingenii pravi malignique vitium, 560. 45
Ingratitudo Israelitarum, 253. 14
Ingratitudo Ægyptiorum, 249. 8
de Ingratitudine doctrina, ibid.
Ingratitudo damnatur, 275. 4
Ingratitudinis mundi pœna, 280. 12
Ingratitudo hominum qualis, 339. 2
Ingratitudinis signum quod, 345. 11
Ingratitudinis quomodo Judæos reos agit, 355. 16
fœdæ Ingratitudinis signum, 622. 34
Ingressus quid, 557. 19
Inimicitiarum fons & causa, 499. 19. 18
Deus oculatus injurias observat, 266. 7
Iniquitates visitare quid, 410
Iniquitatem patrum in filios quomodo Deus rejiciat, 634. 33
Inopes benefaciendi materia, 534. 3
Insidiæ quid, 503. 14
de Insonte non opprimendo, 541
Intelligendi facultas cur hominibus data, 513
Internum quid sit & unde, 286. 25
Invocandi Dei studium unde frigeat, 304. 8
Invocatio Dei commendatur, 267. 7
cur solicitè invocandus Deus, 646. 8
Invocatio, 699. 8
Josue Mosis successor, 695. 18
Jobel quid, 517. 19

Josephi

Josephi historiographi error, 351. 15
Josephi ossa quomodo recondita, 3?2. 19
Josue in locum Mosis sufficitur, 696. 14
Josue Mosis successor electus, 716. 9
Deus cur iratus Mosi, 27?. 23
Iræ Mosis causa redditur, 298. 9
Iræ & potentiæ amoris discrimen, 327. 31
Iræ divinæ memorabile documentum, 677. 16
Iracundiæ affectus quomodo in servis Dei, 298. 8
Israelitæ quamdiu fuerint in Ægypto, 301. 40
Israelitæ quales, 265. 5
Israelitæ cur filii primogeniti, 269. 22
Israelitæ cur redempti, 331. 4
Israelitæ quomodo Deo pretiosi, 324. 6
in quem finem Israelitæ creati hæredes terræ Chanaan, 335. 20
in quem finem Israelitæ redempti, 336. 41
felices Israelitæ quare, 340. 10. 21
Israelitarum intemperantia & pravitas, 274. 20
Israelitarum numerus, 300. 37
Israelitarum exemplum nobis documento, 3?5. 13
duplex crimen Israelitarum, 315. 1
animum Israelitarum quot modis Deus probet, ibid.
Israelitarum impietas, malitia, inhumanitas, & socordia, 316. 2
quot annis tantus creverit Israelitarum numerus, 316. 10. 22
Israelitarum victoria, 658. 21. 33
quibus de causis bellis impeti Israelitas Deus voluit, 317. 8
Israelem quare testem suum Deus nominet, 354. 15
Israelitis unde tantæ opes, 412. 16
Israel cur vocetur Dei sanctitas, 647. 13
de Jubilæi anno, 489. 8
vere Judæi qui, 334. 10. 16
Judæa cur ex celsa vocetur, 702. 13
Judicis partes exequitur Moses, 255. 12. 13
Judicum munus, 255. 12
Judex mundi Deus, 262. 16
Judicum electio, 318. 1
consilium Jethro de creandis Judicibus, 320. 19. 21
in creandis Judicibus quæ dotes spectandæ, 32?. 21
de creandis Judicibus historiæ repetitio, 321. 9
quibus elogiis Judices insigniat, 21. 13
Judicare recte & secundum aspectum, 322. 16
in Judicibus quid requirat Moses, ibid.
exhortatio ad Judices, ibid.
de Judicum officio, 477. 4
de Judicibus, 529
cur Judices dii vocentur, 528. 9
ad Judices admonitio, 585. 29
Judicium de re incredibili quomodo faciendū, 264. 1
Judicia Dei abyssus profunda cur vocentur, 634. 33. & 655. 19
per Judicia quid intelligatur, 276. 5
Judicium suum publice promulgat Deus, 286. 20
Judicium suum Deus exequitur, 288. 8
Judicio Dei quando obstrepitur, 291. 27
Judicii Dei horribile signum, 295. 22
Judicio Dei occurrendum, 294. 16
qui Judiciis præessent quomodo creandi, 3?? 13
de Judiciis, 341. 11. 1
Judicium cur hominibus datum, 512
de Judicio, 525
Judicium inflectere, 529. 23. 8
Judiciorum Dei finis, 550. 26. 3
Judicium Dei adversus pravas & vitiosas concupiscentias, 622. 34
Judicium de maleficiis quomodo ferri velit Deus, 477. 2
de Judicio Dei, 634. 33. 642. 40. 645. 12. 655. 19. 656. 22. 21. 661. 22. 674. 17. 676. 8. 68?. 1. 682. 14. 690. 19. 20
Juge sacrificium quid, 447. 14
Jugi sacrificio cur conjunctū extraordinarium, 449. 10
cur Jures Deus, 276. 7
Jurare per Dei nomen quid, 478. 20. 7
Jurandi religio & sanctitas commendatur, 479. 19. 12
Jurandi legitimus usus, 478. 20. 7
quando Jurandum, 479. 23. 13
Juramentum suscipere quid, 478. 20. 7. & 542. 23. 1
Juramentorum authoritas unde pendeat, 478. 20. 7. & 479. 19. 22
Juris Dei proprium, 281. 2
Jusjurandum quid sit, 478. 20. 7
Jurisjurandi species, 479. 21
ex Dei Jussu nihil mutandum, 287. 27
Justitia late patet, 264. 22
Justitiæ munus proprium, ibid.
Justitia definitio, 344. 6. 1
Justitiæ veræ fons & origo, 420. 5. 9
esse in Justitiam quid, 526. 10
Justitiæ perfectio ubi, 544. 10. 12
Justitiæ caput præcipuum, 545
Juvenes quales, 261. 11

L.

Labiis incircumcisus quid, 277. 10
de Labro æneo, 574. 1
Lætitiam nobis parat cultus Dei, 494. 11
Lampadis visio, 258. 2
cur Lapides projicere uno consensu populus jussus fuerit, 477. 7
in Lapidibus cur Lex consignata, 579. 31. 18
Legatio secunda Mosis, 276. 9
Lepræ judicium cur Sacerdotibus in Lege defertur, 374. 13. 2
Lepræ in vestibus expiatio quæ de re admoneat, 375. 18
à Lepra fatati quomodo purgari & restitui debeant, 377. 2
Levitatæ tribus vocatio, 267. 14
Levitarum munus & officium, 377. 2. & 415. 1. & 416. 2
Leviticus Sacerdos veri Mediatoris umbra, 425. 1
capere e medio filiorum Israel Levitas quid, 426. 6
Levitarum ætas, 427. 24
Levitæ cur creati, 437. 9
apud Levitas cur depositum Legis volumen, ibid.
de Levitarum domicilio & victu, 431. 1
Levitarum electionis finis, 431. 1. & 436. 22
Levitis quas partes Deus attribuit, 436. 2
inter Levitas cur munera distribuat, 437. 4
Legislatoris Dei natura, 548. 20. 17
Lex ubi promulgata, 219. 4. & 322. 1
Lex quid sit, 312. 4. & 322. 2
Lex verum Dei cultum præscribit, 259. 4
Lex Dei cur pluribus verbis commendatur, 316. 26
cur Lex scripta, 322. 1
Lex quid proprium & peculiare habeat, ibid.
Lex quo spectet, 332. 10
quod Lex iram & maledictionem duntaxat afferat, unde oriatur, 336. 20
Lex cur scribenda in portis orbium & in privatis ædibus, 337. 1
Lex cur recitanda septimo quoque anno, 338. 10
Lex scripta & vocalis quomodo, ibid.
Lex cur in Levitarum manus tradita, ibid.
Lex cur custodia dicatur, 341. 11. 1
Lex quatenus perpetua, 348. 29
Lex cur data sit, 349. 29. 29. & 411. 9
Lex quid contineat, 41?. 16
Lex quid significet hoc loco, 411. 9
Lex spiritualis cur sit, 543. 2?. 17
Lex cur exarata in tabulis, 578. 12
Lex cur ignis vocetur, 7?9. 2
Lex scripta & ei expositio addita, 698. 24
Legis elogiorum finis, 247
Legis secunda tabula, 405
de perpetua Legis doctrina, 279
Legis umbræ quando cessarunt, 301. 42
Legis promulgatio cur tot miraculis sancita, 322. 1
Legis præfatio, 323. 3
Legis & Evangelii discrimen, 322. 1. 323
Legis author, ibid.
Legis natura, 326. 16
de Legis perpetuitate, 330. 30
cur Legis doctrinam variis nominibus Deus insigniat, ibid.
Legis discipuli qui, 331. 4
Legis servandæ finis, 330. 19. 26
Legis gravior approbatio unde, 332. 32
Legis à Deo promulgatæ testes, 333. 33
Legis summa, 336. 20
quomodo Legis observatio sit justitia per se, & tamen ex Lege nemo justificetur, ibid.
Legis scribendæ ratio, 338. 10
Legis audiendæ fructus & utilitas, 338. 12
Legis recitationis olim, 338. 13
Legis rite servandæ principium & caput, 341. 11. 2
Legis præfationi conveniens locus, 343. 2
cum Legis observatione salus conjuncta, 346. 20
Legis doctrinæ usus commendatur, 348. 29
cur Deus semel apparuerit in sua visibili majestate in Legis promulgatione, 355. 16
Legis suæ doctrinam cur Deus resonare voluerit, 363. 8
Legis volumen cur depositum apud Levitas, 43?. 9
Legis volumen legendum in auribus Israelitarum quid, 698. 24
Legis finis charitas, 522
Legis verus usus, 543. 20. 32
Legis argumentum, 544
Legis duæ tabulæ, ibid.
Legis duo capita, ibid.
Legis præcipuum mandatum, 540
Legis finis & usus, ibid.
Legis sanctiones seu confirmationes à promissionibus & minis, 546
cur Legis sanctiones promissiones & minæ vocentur, 567. 15
Legis officium, 322. 1. & 544
Legi speciale quid, 322. 1
quomodo Legi satisfaciendum, ibid.
Legi quid opponatur, 336. 15. 28
Legi testimonii elogium tributum quid designet, 410. 16
præfatio in Legem, 329
cur Legem commendet, 329. 5. 2
cur a redemptionis memoria Legem commendet, 335. 20
quamdiu Legem meditari oporteat, 337. 6. 6
Legem à facilitate commendat, 348. 30. 11
cur Legem suam Deus in arca reponi voluerit, 411. 8
Legem cur pluribus verbis designet, 340. 11. 1. 345. 21
in promulganda Lege modi attentionis & docilitatis, 321. 1
in Lege verborum distinctio quid significet, 340. 11. 1
Evangelio cum Lege quid commune, 355. 15
Liberalitatem suam Deus erga suos cur temperet, 250. 9
gratuitæ Dei Liberalitatis elogium, 319. 1
Liberandi populi partes Mosi injunctæ, 260. 7. 10
Liberationis nostræ finis, 276. 7
Liberationis ab Ægypto finis describitur, ibid.
cur Liberationis beneficium in memoriam revocat, 333. 4
Liberatio populi cur adscribenda, 333. 27
Liberationis spes unde confirmetur, 275. 4
contra Liberi arbitrii defensores, 567. 19. & 569. 20. & 571. 2
Liberos per flammam trajiciendi superstitio, 351. 10
Liberorum fidelium & infidelium discrimen, 371. 2
Libertas quid, 321. 23
Libidines fœdæ cur cohibitæ, 198. 16
Libri sancti in manibus sumpti, cujus rei nos admoneant, 577. 5
Libri quinque Mosis qualiter scripti, 579. 31. 18
in Liguritione quid maxime damnabile, 368. 3
Linguæ tarditas Mosis, 271. 29
Linguæ jactantia castigatur, 339. 4
Lingua hominis cur creata, 484. 14. 15
de Linguæ virulentia, 542. 10
contra Linguas maledicas, 581. 9
Locupletiores cur alii aliis, & unde, 683. 23
quomodo Loquatur Deus, 330. 4
Lotio manuum & pedum quid designet, 418. 18
Lucernarum usus tabernaculi, 412. 22. & 413. 2
de illicitis Lucrandi actibus, 525. 19. 35
de Luctu mortuorum, 368. 6
a Luctu abstinentia quid designet, 429. 1
Luctus fidelium ratio, 652. 29
qui ferrea fronte Luctantur contra Deum, 292. 3
Luctantium contra Deum merces, 67?. 14
Luxuriæ fœdum exemplum, 396. 17

M.

Madianitis indicti belli legitimi causa, 680. 1
ad Magnitudinem animi populum hortatur Moses, 693. 6
Magicæ artes cur excogitatæ, 352. 9
artes Magicæ vetitæ, ibid.
artes Magicæ aliquando in usu fuerunt, ibid.
Artes Magicæ damnantur, ibid. & 358. 18. 21
Magistratus quales æstimandi, 320. 15
Magistratuum animus quid infimum esse debet, 322. 16
Magistratuum insignis commendatio, 498. 22. 28
Magistratuum grave onus, 584. 21
Magistratuum delectus qualis habendus, 620. 16
Magorum mos, 282. 21
Maledicendi verbo quid, 484. 24. 13
Maledicti qui, 547. 22. 11
Maledictionum Dei usus, 247
cur Maledictio vocetur Christus, 381. 3
Maledictionum catalogus, 547. 25. & 557. 25. & 559. 37. 45
Maleficii principium & causa, 511. 19. 1
Maleficæ quæ sint & earum pœna, 394. 18
Mali culpa in hominibus residet, 479. 3
boni & Mali discrimen, 545
Malis ex fræno Satanæ à Deo laxato, 253. 10
Malorum gravitate hebetati Israelitæ, 274. 20
Malorum omnium fons ac causa, 697. 19
cur velit Malos in suos sævire Deus, 263. 21
hominum Malignitas, 248. 7
Malignorum natura, 246
Man historia, 31?. 4
Man figura describitur, 313. 14
Miraculi Man rationes, ibid.
Man sumendi ordo, 313. 27
Man quid, 313. 15
Man calore Solis cur liquefieret, 314. 19
Man Gomer unum cur asservatum, & ubi, 315. 32
Man forma & sapor cur exprimatur, 315. 31
Man quid vocetur, 319. 12
Man panis loco, 345. 16
Man cujus rei documentum, 346. 17
summa Mandati Mosis, 265. 18
Mandatum omnibus singuli negligere solent, 338. 10
legalis Mandati quæ ratio, 587. 11. 2
Manichæorum figmentum, 550. 26. 3
Manichæi prodigiosum delirium, 641. 22
Manum levare quid, 276. 7
Manus Dei quid, 285. 19
Manus Dei quot modis nobis reputanda, ibid.
Manus super solium Jehovæ quid, 318. 16
Manus quid, 418. 18
Manus impleri quid, 413. 40
Manuum impositio quid, 603. 10
Manuum nomine quid, 603. 10
Mansuetudinis paternæ signum, 267. 14
Mariæ & Aharonis ambitio, 613. 1
Mariæ sororis Mosis & Aharonis ætas & mors, 646. 1
Maris rubri nomine quid notetur, 295. 18
Mariti immunitas, 515
Martyres Christi, 391. 13. 3
Mediatoris officium, 358. 2
Medii homines qui, 664. 19
Memoriæ adminiculum, 336. 15. 38. & 337. 6. 6. & 337. 11. 18
Mendacium Deo displicet, 252. 18
de ope Mendacis ferenda, 335. 7
quo Mense mundus creatus sit, 360. 1
quo mense egressi Israelitæ ex Ægypto, 361. 4
Menses & menstrua unde dicantur, 370. 19
Mensis cujusque primus dies cur Deo sacer, 449. 9
de Menstruis laborante muliere, 378
de Mensura, 525. 19. 35
Mentionem sui Deus qualem fieri vult, 262. 15
de negata laboris Mercede, 523. 14
Merces cultorum Dei, 549. 26. 3
Merces Pupillarum, 542. 5
Metus superandi ratio, 261. 22
cur sanctitas præcipue curanda in Militia, 283. 10
sanctiones à promissionibus & Minis, 546
Minarum finis, 547
Mincha quid, 456. 1
Ministri verbi Dei quales æstimandi, 304. 12
Ministerii verbi Dei commendatio, 307. 31
Ministri verbi qualiter se gerere debent, 628. 5
Ministris verbi quid mandet Deus, 583. 19
Ministris verbi quæ ligandi & solvendi potestas data, 667. 20
Ministerii ecclesiastici merces unde speranda, 712. 19

Digitized by Google

Miraculorum finis, 249. 7
de Miraculorum usu, 265. 5
Miraculi ex baculo in serpentem converso finis, 265. 2. 5
cur Miraculis externa symbola à Deo sæpe attribuantur, 267. 17
Miraculorum elogia, 341. 2
Miseriarum dulce condimentum quod, 257. 23
ex Miseriis felicitas, 298. 5
Miseriarum summa, 587. 4
Misericordiæ Dei luculentum documentum, 246
Misericordia Dei singularis, 276. 10
Misericordia Dei inæstimabilis, 310. 25
Misericordiam facere quid, 399. 9
ad Dei misericordiam implorandam quomodo janua aperitur, 492. 27
Misericordiæ Dei cumulus, 677. 19
cur Ægyptium Moses punit, 255. 12
Moses Jethro gener, 256. 16
in fide confirmatur Moses, 259. 6
accusatur & excusatur Moses, 261. 11
causa cur Moses filium non circumciderit, 270. 24
cur toties repetit Moses sibi & fratri redemptionem à Deo fuisse mandatam, 278. 26
Moses Christi typus, 317. 10
Moses cur tam severus exactor fuerit, 561. 58
in montem cur ascendat Moses, 576. 1. & 579. 31. 18. & 579. 32. 1
descendit Moses de monte, 582. 15
Moses idololatriam vituli ulciscitur, 584. 25
Moses excusatur, 586. 31
Moses cantico suo acriter invehitur in populi vitia, 699. 1
Moses 120. annorum viridis & robustus quomodo conservatus, 716. 7
Mosis consilium, 248. 1. & 249. 7. & 277. 10
Mosis pulchritudo, 253. 2
Mosis nomen quid, 254. 10
quatenus homines privatos Mosis imitatores esse decet, 255. 12
Mosis constantia, 255. 13
Mosis timor, 256. 15
Mosis zelus infirmitati admixtus, ibid.
Mosis tolerantia, 258. 1
Mosis docilitas, 259. 3
Mosis exemplo quid dicendum, ibid.
Mosis facies tecta quid sit, 259. 6
Mosis imbecillitas, 260. 11
indoles Mosis, 261
Mosis cunctatio, 264. 1
Mosis infirmitas, ibid.
Mosis timiditas, ibid.
Mosis obedientia laudanda, 267. 17
legationis Mosis postrema clausula, 269. 23
diffidentia Mosis, 266. 10. & 270. 24
ingratitudo Mosis, 270. 24
prævaricatio Mosis, ibid.
Mosis vocatio miraculis sancita. 274. 20
Mosis amarulentia, 274. 22
Mosis generis origo, 277. 14
Mosis mater, 277. 16
Mosis anxietatis solatium, 278. 1
quomodo correcta fuit Mosis infirmitas, ibid.
Mosis excusationes quo tendant, 278. 26
Mosis & Aharonis quo exemplo moveamur, ibid.
officium nostrum in legendis Mosis scriptis quale, 279. 8
rara Mosis virtus, 287. 29
vocationis Mosis documentum, 290. 22
Mosis magnitudo animi, 291. 30
comminatio libera Mosis in Pharaonem, 298. 5
verborum Mosis asperitas, 298. 8
ex ira Mosis documentum, ibid.
causæ redditio Mosis fiducia, 305. 15
cantici Mosis argumentum, 308. 1
nomina filiis Mosis imposita quid significent, 318. 3
singulare Mosis modestiæ exemplum, 321. 24
Mosis singularis modestia, 638. 3
Mosis summa abstinentia, 640. 15
Mosis elogium, 638. 3
Mosis summa integritas, 640. 15
Mosis ætas & verba morituri, 693. 2
Mosis canticum, benedictio, mors & sepultura, 699. 1. & 709. 1. & 715. 1
Mosis mortui occultandi consilium Dei quale fuisse videatur, 715. 5
præstantiæ Mosis quæ signa, 716. 10
calceos solvere Mosen cur Deus jusserit, 259. 4
ad certamen hortatur Deus Mosen, 281. 14
comparatio Pharaonis cum Mose, 261. 11
in Mose quid vitiosum, 266. 10
cunctationis in Mose reprehensæ ratio, 266. 11
in Mose quid adsit, quid desit, 264. 1
Modestiæ excusatio, 261. 11
quid nos in Modestia contineat, 545. 17
Modestiæ magistra, 410. 18. 8
Modestia laude digna, 619 16
Mœchorum pœna capitalis, 514. 22
Mœroris mala, 276. 9
quæ Mollicies nobis omnibus fere ingenita, 274. 26
Mollicies quomodo firmanda, 332. 9
quæ Momento Deus facere potest, cur paulatim peragat, 409. 25. 2
Monachi Papæ, 338. 10
de Monachorum in Papatu abstinentia, 368. 3
Monachorum cœlibatus, 479. 21
ex Monachatus prætextu quæ mala, ibid.
Monialium cœlibatus, ibid.
Morbi incurabiles quales sint, 559. 35
de Morbis vulgaribus, ibid.
Moriendi alacritas unde nascatur, 650. 25
Morosorum natura, 320. 17
Mors qualis proponatur, 382. 11
cur Mors peccati merces, 678. 3
Mortis amaritudo quomodo dulcescit, 715. 1
Mortuis cur tam sedulo exequiæ à veteribus præstitæ, 716. 7
Mortui quomodo sepeliendi, ibid.
de Mulieribus captivis, 389. 10
Mulier quæ concepit & peperit cur immunda pronunciatur, 371. 2
de Mulieribus fluxu sanguinis laborantibus, 379. 19
de Muliere captiva violata, 539. 14
Muli unde procreantur, 384. 22. 9
Mundi partes quatuor, 347. 31
Mundi ordinationis scopus, 700. 7
Munus Dei proprium, 250. 12. & 304. 3. & 311. 2
ad Munus publicum vocatorum doctrina, 322. 16
Musica instrumenta inter legales ceremonias, 310. 20
de Mutuandi ratione, 526. 24. 6

N.

Nasutorum de Dei virtute judicium, 248. 7
Naturaliter insitum omnibus quid, 260. 10
Naturale quid, 276. 9
Nazaræatus author, 367. 2
Nazaræi qui sint, ibid.
cur Nazaræis injuncta vini abstinentia, 368. 3
cur Deus voluerit Nazaræos comam alere, 368. 5
Nazaræorum vota, 367. 2
in Necessitate præcipue quid agendum, 310. 22
Necromantia damnatur, 353. 10
ex Nilo Ægypti variæ commoditates, 282. 19
ex Nilo Ægypto præcipua felicitas, 265. 8
ex Nominibus assiduum memoriale, 257. 22
Dei Nomen quid significet, 260. 6
Deus sacrosancto Nomine dignus, 267. 14
Nomen Dei sanctificare quid, 330. 22, 32
Nomen Dei pollui vetare quid, ibid.
Nominis Dei profanationes quæ, ibid.
Nomen Dei habitare in loco quid, 405. 5
Nomen Dei quid, 478. 20. 7
Nomen Dei profanari quid, ibid.
cur Nomen suum Deus temere sumi vetet, ibid.
Nomen Dei inaniter sumi, 478. 20. 7. & 479. 23. 13
per Nomen unius Dei jurare quid, ibid.
in flagitandis Nominibus creditores quales esse oportet, 534. 1
Nota separationis inter Israëlitas & gentes, 365. 13. 2
Notæ quibus Christus Sacerdos ab illis veteribus distinguitur, 410
Notæ quibus Sacerdotes à reliquo populo differunt, 429. 1
Novarum rerum conditio, 262. 16
Novati delirium, 464. 1
Nubes quid, 312. 9
Dei Numen quomodo violetur, 308. 4
Numerus & augmentum Israelitarum, 248. 7
à solo Nutu Dei fideles pendere convenit, 264. 1

O.

Obedientia Dei doctrina, 260. 7
absque hæsitatione Deo Obediendum, 260. 10
qui Deo Obediant, 307. 31
Obedientia Israelitarum in quo laudatur, 364. 9. 1
Obedientiæ probatio, 260. 10
Obedientiæ infatigabilis tenor unde, 261. 12
Obedientiæ professio, 299. 25
Obedientiæ definitio, 314. 5
Obedientiæ fons & caput, 561. 58
Obedientiæ præclarum exemplum, 681. 7
Obedientiæ rarum specimen, 708. 48
Obedientiam suam cur Moses prædicet, 279. 6
Obedientiam commendat, 572
quomodo Obduruerint Ægyptii, 250. 13
Obduratio quid sit, 278. 3
Objectio de obdurato Pharaone, 269. 21
Objectiones cum suis responsionibus, 248. 1. 253. 2. 258. 1. & 261. 12. 263. 18, 19. 331. 6. 333. 37. 335. 16. 340. 5. 353. 10. 357. 3. 371. 2. 382. 7. 387. 3. 403. 11, 16. 409. 25. 2. 494. 16. 495. 20. 12. 498. 22. 28. 520. 6, 16. 537. 42. 562. 68. 563. 25. 589. 11. 644. 2. 669. 9. 673. 7, 10. 697. 20
Objurgatio mordax, 305. 11
Oblationes impias damnat, 358. 18. 21
Oblatio qualis debet esse, 366. 34. 19
de sacris Oblationibus, 446. 1
recordatio & Oblivio Deo attributæ, 258. 23
Oblivio Dei temporalis, 262. 16
Oblivio Dei in rebus lætis, 345. 11
Obsequi in Domino quid, 495. 20. 12
Obsequia quæ Deo placent, 409. 21. 2
ad Obsequium exhortationes, 350. 1
ad Obsequium quid magis stimulet, 494. 11
Obstaculorum intuitus, 264. 1
Obstetricum Hebræarum laus, 251. 17
Obstetricum Hebræarum vitia, 252. 18
Obstinatio Pharaonis unde convincitur, 282. 22
Obstinationis crimen quomodo exaggerat, 287. 31
Obstinationem cui adscribat Moses, 288. 2
Judæis quo respectu Obstrictus sit Deus, 275. 5
Deum Occurrere quid sit, 263. 18
Occurrere pro aggredi, 269. 24
Oculi quid significent, 336. 15. 38
Odor suavis quomodo fumus Deo, 422. 31
ne ab Officio deflectamus remedium, 263. 21
Og Regis Basan statura, 658. 3. 4
Oleo pedes tingere quid, 714. 23
de Ope mendicis ferenda, 535. 7
Opera qualiter in justitiam imputantur, 526. 10
ab Operibus suis cessare quid, 485. 10. 8
de Opere operato, 465. 7
Operibus bonis qualiter venia acquiritur, 423. 36
in Operibus Dei considerandis quales sunt homines, 645. 10
Opibus qui recte fruuntur, 527
magis Optabile quid, 351. 6
Opulentiæ vitia, 339. 10. & 345. 12, 16
Oracula vetera qualia, 262. 16
Oram patris retegere quid, 521. 22. 30
capitis detectionis inter Orandum utilitas, 259. 4
quomodo Orandum, 274. 22
cur a Pharaone Orandi causa discedat Moses, 295. 18
Ordinum distributionis finis, 610. 1
Originale peccatum quomodo horrendum, 371. 2, 4
de Originali peccato quorundam inscitia, 634. 39
Ossium Christi integritas quid significet, 362. 46
Ossibus quid designetur, 382. 11

P.

Pacificorum sacrificia quæ, 398. 10
Panis quotidianus, 314. 19. & 346. 17
Panis infermentati ratio, 361. 5
Panes facierum, 412. 23
Papa cum fœtido suo clero refellitur, 307. 31
Papæ monachi, 338. 10
Papæ carnifices, 391. 13. 5
Papæ stolida impudentia, 448. 42
Papæ diabolicus fastus, 481. 14
Papæ rabulæ conductitii, ibid.
Papæ diabolica superbia & astutia, 521. 18
Papæ ridicula fatuitas, 639. 11
Papæ conductitii Prophetæ cum Balaam quomodo conferendi, 660. 12
Papalium sacrificorum fatua ratio, 430. 9
Papalium sacrificorum commentum insipidum decimas sibi arrogantium, 443. 18. 20
Papales sacrifici quando ex publico alendi erunt. ibid.
unde refellitur, quod sacrifici Papales se Christum offerre jactant, 448. 42
Papalium sacrificorum fictæ devotionis mala, 466. 14
Papalium sacrificulorum cœlibatus, 479. 21
Papales scholæ præstigiis Satanæ fascinatæ, 543. 27
Papalium sacrificulorum in vestitu Ecclesiastico scopus, 575. 1
Papales prædicatores detestabiliores ipso Balaam, 661. 12
Papalium Theologorum delirium, 693. 6
Papatus fundamentum, 428. 5
Papatus superstitio insipida, 429. 25
Papatus defensorum conatus contra Evangelium, 476. 4
Papatus fœdum & intolerabile sacrilegium, 645. 8
Papistæ quibus titulis insolenter glorientur, 358. 22
Papistæ qualem oblationem quotidianam sunt imaginati, 381. 1
Papistæ ridiculi unde colligant templa imaginibus ornanda, 415. 1
Papistæ pleno gutture *Scripturam lingua incognita* reboantes nihil aliud quam profanant nomen Dei, 430. 9
Papistæ pro Sacramentis nænias venditant, 577. 5
Papistarum stolida inscitia refellitur, 402. 12
Papistarum justitia, 340. 5
Papistarum merita, ibid.
Papistarum duplex sacrilegium, 423. 42
Papistarum nugatoria distinctio, 399. 9
Papistarum diabolicus furor, 402. 12
Papistarum impudentia, 403. 11. 16
Papistarum inscitia refellitur, 428. 5
Papistarum quæstio de votis, cum solutione, 462. 4
Papistarum diabolicum figmentum de satisfactionibus, 465. 1
Papistarum delirium, 465. 7
Papistarum supina securitas, 470. 1
Papistarum nimis crassus error, 479. 21
Papistarum confessio, 556. 40
contra Papistas merita jactantes, 567. 19
Papistarum magica incantatio, 577. 5
Papistarum fictitii ritus, 580. 4
Papistarum de intercessoribus inscitia & fatuitas, 582. 13
Papistas cur horribilis pœna maneat, 605. 1
Papistarum zelus qualis, 663. 36
Papistarum Mariæ unde denominentur, 672. 3
Papistarum meritoria satisfactio, 673. 10
ad Parendum Deo quomodo formemur, 323. 1
Parentum prima cura quæ, 337. 6. 6. & 352. 10
Parentum nomine qui comprehendantur, 498. 22. 28
Pascha quid sit, 359. 1
Pascha institutum, 301. 42
Pascha quid doceat, 492. 34
cur Pascha similitudinē habet cum sacra Cœna, 360. 1
cur Christus vocatur Pascha, ibid.
Pascha cujus rei symbolum, ibid.
Paschatis definitio & etymologia, ibid.
de Paschatis observatione, 359. 1
Paschatis observatio cur annua, 299. 25
Paschatis celebratio quid docuit, 359. 1
à Paschatis participatione cur exteri arcendi, 362. 43
Pastoritio munere quamdiu functus Moses, 258. 1
Pastorum Ecclesiæ animis quid infixum esse debet, 322. 16
Pastores Ecclesiæ qui eligendi, 620. 16
Pastores Ecclesiæ quorsum creati, 355. 17
Pastores quales esse debent, 436. 1, 3
Pastorum uxores & liberos quales esse oportet, 432. 7
Pastoribus quæ cura injuncta, 436. 1
Pastorum delectus quomodo habendus, 620. 16
Pastores cur necesse sit exuere terrenos affectus, 711. 9
Patris nomen sacrum, 495. 20. 12
Patrum officium, 337. 6. 6
Patrum imitatio non tuta, 278. 16

Patris-

I N D E X.

Patrifamilias providi officium Deus suscipit, 692. 8
Patienter expectandum, 262. 16
Patientiæ probatio, 345. 16. & 581. 7
Paupertas Mosis unde cognoscitur, 268. 20
Pauperes ad flagitia quid magis impellat, ibid.
de Pauperibus sublevandis, 523. 14. & 517
ex Dei benedictione plus est sperandum, quam Pauperibus erogatum sit, 534. 3. 6
Pauperibus oblatis, quo animo sint divites, Deus probat, 515. 21
cur Paulatim peragat, quæ momento Deus facere potest, 409. 25. 2
de Pace interrogare quid, 319. 7
Pax ubi consistat, 323. 1
Pax quid, 434. 24. & 458. 1
Pax quomodo speranda, 564. 19
Peccatorum effectus, 353. 12
Peccati merces, 368. 6
Peccatum magis abominari unde discimus, 381. 7
Peccata cur vocentur opera mortua, 382. 11
de Peccato voluntario, 464. 1
de Peccatorum remissione, ibid.
Peccatorum remissio quibus promittitur, 491. 27
Peccati merces justa, 503. 15
Peccatis alienis quomodo irascendum, 647. 10
Pedum nomine quid, 603. 10
ex Pediculorum historia quid discendum, 283. 16
Pelagii error refellitur, 371. 2
Pentecoste quid, 492. 20. & 494. 9
Penuriæ utilitas, 342. 3
Percussio quid, 497
Peregrini qui intelligantur, 389. 14. 21. & 438. 8
de Perjurii pœna, 541. 16
nudam Permissionem fingentes refutantur, 279. 3
Perseverandi constantia, 324. 8
ad Perseverandum hortatur, 341. 1
Perseverantiæ laus, 681. 7
qui Dei Personam sustinent, audiendi, 278. 1
Personas agnoscere quid, 322. 16
Personæ nomine quid intelligatur, 524
de Pertinacia Israelitarum expostulat, 631. 11
Perturbati hominis animi describitur, 300. 31
Pervicaciæ Israelitarum signum, 314. 19
de Israelitarum Pervicacia, 345. 11
Pesah institutum, 359
Pesah observatio cur diligentius mandata, 360. 2
Pesah sacramenti usus, 361. 5
de Pesah celebrando præcepti finis, 363. 3
Pestis deterior quæ, 276. 9
Pestis quid significet, 288. 2
Petulantia exagitantium Mosen coarguitur, 383. 10
Pharaonis de populi Israel destructione deliberatio, 249. 9
exosos vel suspectos Israëlitas quomodo reddat Pharao, 250. 9
Pharaonis insidiæ contra Israëlitas, 252. 20
Hebræorum fœminis cur vitam concesserat Pharao, ibid.
Pharaonis consilium, 273. 12
de obstinato Pharaonis rigore, 274. 29
cur Deus nolit populum sponte dimitti à Pharaone, 275. 8
Pharaonis durities, 281. 13
consilium Pharaoni in Deum quid, 278. 1
duritiei Pharaonis finis, 279. 3
Indurabo cor Pharaonis, quomodo intelligendum, 278. 3
reprobationis Pharaonis signum, 282. 10
socordia Pharaonis damnatur, 282. 23
durities Pharaonis voluntaria, ibid.
mores Pharaonis instar flexuosi serpentis, 284. 15
Pharaonum nostræ ætatis natura, 293. 4
ad cunas in Pharaonem cur Deus revertatur, 289. 13
Pharao exemplum excitæ potentiæ Dei, 289. 16
Pharaonis obstinatissimi historia insignis, 290. 16
iræ Dei organum Pharao, ibid.
Pharaoni ad tempus cur Deus pepercit, ibid.
induratio Pharaonis causæ commenti refellitur, 291. 1
causa Pharaonis duritiei, ibid.
culpæ Pharaonis amplificatio, 292. 34
Pharao cujus notæ hypocrita, 294. 16
Pharaonis confessio, 291. 27. & 294. 16
Pharaoni Moses liberè minatur, 298. 5
Dei consilium de submergendo Pharaone, 304. 3
Pharaonis jactantia cur referatur, 308. 9
Phinees magnanimitas, 673. 7
Phinees Sacerdos cur bello præficiatur, 681. 3
Phthisis quid, 557. 28
Phylacteria quid, 537. 6. 6
Piaculum quid, 622. 10
Piaculares victimæ, 381. 3
Pietatis exordium, 323. 1
pietatis experimentum, 544. 10. 12
pietatis caput præcipuum, 351. 6. 16
pietatis partes, 246
pietatis sinceræ merces, 357. 3
ne Pietas negligatur, quid agendum, 363. 8
in Pietate qui verè profecit, 392. 7
à Pietate defectionis pœna, 395. 11
Piis quæ conditio præscribatur, 492. 34
de Pignoribus exigendis, 536. 24. 6
de Placandi Dei ratione, 567. 6
ad Deum Placandum necessario, 652. 6
decem Plagæ Ægypto inflictæ, 281. 14
Plagæ primæ significatio, 282. 19
quid ex Plagarum historia discendum, 283. 1
Plaga secunda Ægyptiorum, ibid.
Plagæ tertiæ species, 284. 16
Plaga tertia, 286. 20
Plaga Ægypti quarta, 288. 2
Plaga Ægyptiorum quinta, 292. 1
Plagarum repetitio, 310. 26
Plagæ reproborum quæ intelligendæ, 285. 14
Plagæ cur vocentur fideles & veraces, 561. 58
in quem finem Pœnas à Deo differantur, 289. 26
Pœna gravior unde, 290. 20
Pœnæ penes Deum, 236. 22
pœnæ quo spectent, 392. 6
pœnæ quomodo exigendæ, 510. 19
à Pœna quis homicida sit eximendus, 581. 19. 1
Pœnarum populo inflictarum utilitas, 563. 30
Pœnarum finis alius, 503. 29
seria ad Pœnitentiam exhortatio, 371. 4
Pœnitentiæ & renovationis sacramentum, 566. 6
Pœnitentia Dei quid, 582. 11
Pœnitentiæ testandæ symbola, 595. 18
sera Pœnitentia Israelitarum, 636. 41
in Politia bene constituta qui minime toleranda, 390. 13. 5
Politicus ordo, 313. 17
Politici ordinis scopus, 320. 15
Politicæ appendices, 390. & 530. earum summa, 530. 1. 1. & 472. 23. 24
appendices Politicæ secundi præcepti, 472
Politicas leges ad perfectionem cur non exegerit Deus, 504. 18
Mosis Politicæ leges, 530
Politicarum legum scopus, ibid.
Pollutionis cur inseratur causa, sobolis procreatio, 371. 2
Pollutiones quæ arcebant ab accessu tabernaculi, 379. 2
Pollutionum purgatio, 381. 2
Pollutos quales Lex censebat, 358. 18. 21. & 364. 6
de Pondere, 525. 19. 35
cur nos dicatur Pontifex noster in humeris portare, 412. 9
Populum Dei censeri, 276. 7
Populi nomine qui comprehendantur, 297. 3
Populi vel cujusque privati expiatio, 461. 15. 12
Portarum nomine quid designet, 477. 2
Potentiæ Dei speculum in quo, 246
Potentiam suam Deus commendat, 269. 21
Potentia Dei quomodo innotescit, 291. 29
conspectus inæstimabilis Dei Potentiæ, 306. 21
testatur Dei Potentiam, 307. 26
Potestas servorum Dei insignis, 288. 8
Dei Potestas, 297. 1
in Potus usu quid præcipuum, 270. 3
Potus cur nobis divinitus suppeditetur, 388. 13
Potus quomodo sumendus, 411. 23
Præcepta quotuplicia, 299
præcepta sua quæ Dei sunt cur Moses vocet, 341. 8
præcepta qui male dividunt, 495
Præceptum primum, 350
Præceptum secundum, 398
tertium præceptum, 478
quartum præceptum, 484
appendices ad quartum Præceptum, 487
præceptum quintum Legis, 495
præceptum primum secundæ tabulæ, ibid.
præceptum sextum, & ejus expositio, 498
præceptum septimum, 511
præceptum octavum, 522
præceptum nonum, 540
præceptum decimum, 541
loci ad primi Præcepti expositionem spectantes, 351
appendices ceremoniales primi præcepti, 319
ad primi Præcepti observationem quid requiritur, 359. 12. 32
præcepti primi & secundi summa, 398. 20. 4. & 484. 10. 8
præcepti secundi partes, 399. 10. 4
præcepti secundi confirmatio, 403. 12
præcepti secundi summa, 404. 4
præcepti tertii expositio, 478
appendices tertii præcepti politicæ, 484
præcepti tertii finis, 484. 24. 15
quarti præcepti argumentum, 359. 1
quarti præcepti finis, 484. 20. 8. & 491. 4
loci ad quarti præcepti expositionem spectantes, 486
præcepti quinti summa, 495. 20. 12
præcepti quinti expositio, 496
præcepti quinti violationis pœna, 497
præcepti quinti appendices, 496
præcepti sexti summa & partes, 498. & 499
præcepti sexti appendices ceremoniales, 500
præcepti sexti appendices politicæ, 501
præcepti septimi summa, 512
præcepti septimi appendices, ibid.
præcepti septimi appendix politica, 522
præcepti octavi expositio, 523
præcepti noni expositio, 541
præcepti noni appendix, 541
præcepti decimi expositio, 542. 20. 17
cur omnia non sunt quinto præcepto expressa, 496. 20. 12
de Præceptis, 341. 11. 1
decem Præceptorum argumentum, 246
Præda quomodo agenda de hostibus, 507. 12. & 681. 11
Prædæ æquissima partitio describitur, 682. 25
cavillum evertentium Prædestinationem, 290. 16
signo cur beneficii Prædicatio annectitur, 299. 25
Prædicatio quotidiana cur instituta, 409. 25. 2
Præfationis utilitas, 329. 1
Præfectorum Israelitarum vultus tristis quid, 274. 29. 20
Præfectorum electio, 318. 1
ad præfectos admonitio, 311. 9
cum Præfractis quomodo agendum, 283. 1
cum Præfractis quomodo agit Deus, 288. 2. & 289. 14
prælio decem insignibus victi à Deo Ægyptii, 297. 2
præputium quid vocetur, 334. 10. 16
Prærogativæ singularis mentio, 269. 22
Prærogativa qua ab Leviticis Sacerdotes discernuntur, 442
refelluntur qui Præscientiam nudam in Deo imaginantur, 289. 12
Præsentiæ Dei symbolum, 355. 17
Precandi fiducia unde elicienda, 246
Precatio quod Deo placet homines possident, 264. 22
precatio in arduis negotiis, 568. 2
precatio piorum quid apud Deum valet, 582. 9. & 632. 20
Precatiuncula pro compescendo diabolo, 355. 10
Preces Deus exaudit, 260. 7
preces Mosis cur Pharao stipuletur, 287. 28
ad preces quomodo magis stimulari debemus, 710. 7
in precibus quid efficax, 632. 17
precibus quomodo Deus flectatur, 641. 21
Precum utilitas & fructus, 632. 20
cur Deus suos præmuniat, 263. 19
Primitiarum finis, 369. 26. 2. & 409. 25. 2. & 491. 10
de offerendis primogenitis præcepti finis, 363. 3
appendix altera de Primogenitis consecrandis, 365
Primogenita cur sua tantum esse dicat Deus, 365. 13. 8
de Primogenituræ jure, 539. 15
Principibus quatenus obediendum, 251. 17
Principum aulæ corruptelis scatent, 254. 10
Principum officia, 286. 25
Principum peculatus expiatio, 461. 28
Principum cur gravior pœna, ibid.
Privatis quomodo utendum Magistratu, 320. 15
Privilegia cur Joseph suis non postulaverit, 249. 8
Privilegium libertatis Israelitarum, 269. 22
ne Privilegium Sacerdotes obtendant, lex, 436. 1. 22. & 441. 16
Proclivius nihil quam peccare, 461. 15. 22
Prooemium legum omnium, 390
Promissionum Dei finis, 546
Promissionibus Deus Mosen instruit, 260. 10
quomodo obstruitur janua Promissionibus Dei, 276. 9
Promissio generalis, 287. 19
promissio signo addita, 299. 28
Promissionis scopus, 331. 4. 8
sanctiones à Promissionibus & minis, 546
Promissionum ratio, 554. 14
in Promissis servandis Dei constantia, 677. 58
Prophanorum in deliberando consideratio, 249. 250. 9
Prophani in rebus prosperis quales sint, 657. 27
Prophetæ nomen quid, 278. 1
Prophetæ qui dicantur, 353. 10
de Prophetis veris & falsis, 660. 8
prophetis quid permissum, 660. 12
prophetis quid sit propositum, 703. 24
Prophetia quid sit, 611. 24
quomodo Deus suis est Propitius, 360. 1. & 362. 46
de Propitiando Deo, 453. 8
Proprium quid sit magis Deo, 592. 5
Dei Proprium quid sit, 295. 16
Dei Proprium, 355. 17
Prosperitatis mala, 339. 10
Prosperitatum sacrificia, 438. 1. & 576. 9
de Protectione Dei doctrina, 354. 8
protectione Dei quando sumus tuti, 357. 3. & 417. 9
Protervorum natura, 320. 17
Dei Providentia in servando Mose, 254. 4
providentia Dei mirabilis, ibid.
à Dei Providentia pendendum, 262. 17
in Dei Providentia quiescendum, 263. 28
providentia Dei laudatur, 303. 2
providentia in curanda populi salute commendatur, 694. 15
Providentiæ Dei fructus, 250. 9
providentiæ Dei fideles adscribunt quod fortunæ & casui homines profani, 254. 4
providentiæ Dei viva imago, 256. 16
ad Dei Providentiam æternam quid pertineat, 290. 16
Proximi qui dicantur, 345. 19. 18
Prudentia hominum in quo cæca, 390
Pseudoprophetarum licentiam quomodo Deus temperat, 285. 18
Pseudoprophetæ Satanæ lenones, 356. 23. 2
Pseudoprophetas cur decipit Deus, 357. 3
Pseudoprophetarum condemnatio, 358. 22
Pudicitia quid, 539. 14
Puellarum modestia, 257. 18
Pugnantia, 381. 7
Purgatorium papistarum unde emerserit, 465. 2
Puritatis animalium fines, 455. 2
Python, 353. 10
Pythonum responsa damnat, 353. 10. & 358. 18. 28

Q.

Quæstiones cum solutionibus, 256. 16. & 265. 2. & 280. 20. & 296. 14. & 298. 5. & 312. 25. & 344. 8. 7. & 360. 3. & 364. 6. & 368. 5. & 371. 1. 4. & 382. 7. & 387. 2. 5. & 389. 14. 22. & 391. 13. 5. & 395. 14. & 399. 9. & 400. & 402. 12. & 404. 5. & 408. 25. 2. & 410. 8. & 413. 27. 27. & 425. 16. & 432. 13. & 434. 14. & ibid. 26. & 476. 17. & 475. 15. & 477. 7. & 479. 21. & 481. 11. & 485. 20. 8. & 487. 23. 12. & 488. 23. 10. & 496. 20. 12. & 510. 16. & 523. 14. & 527. 22. 25. & 532. 7. & 537. 19. & 545. & 551. 12. & 564. 10. & 576. 1. & 581. 9. & 584. 25. & 585. 27. & 594. 19. & 595. 9. 7. & 597. 9. & 601. 12. & 603. 10. & 615. 17. & 618. 4. & 625. 9. & 632. 20. & 649. 20. 24. & 651. 2. & 624. 9. & 656. 21. 21. & 657. 26. & 692. 26. & 693. 2. & 704. 16

INDEX.

Querimoniæ Israëlitarum summa, 311. 2
Quies electi populi quamdiu duravit, 249. 8
Quies spiritualis quid, 485. 20. 8

R.

Rabinorum quorundam error, 248. 1, 6. & 249. 7
Rabinorum imitatores quidam Latini, 249. 7
Rabinorum fabula, 251. 18
Rabinorum divinatio, 270. 24
Rebellionis hominum imago, 281. 14
Reconciliatio quibus offeratur, 465. 1. & 567. 6
Reconciliationis fructus, 566. 6
de Reconciliatione populi, 589. 12
Recordatio & oblivio Deo attributæ, 258. 13
Rectum quid significet, 286 20
Redemptio à fœdere gratuito & mera Dei liberalitate pendet, 259. 6. & 260. 7
Redemptionis minister creatus Moses, 261. 16
Redemptionis finis, 260. 8
de Redemptione promissa gratiarum actio, 274. 10
Redemptionem ponere inter aliquos quid, 286. 22
Redemptionis initii causa, 309. 13
cur Redemptionis beneficium proponat, 330. 19 36
Redemptionis Israel historia edocemur de immensa Dei virtute, 329. 20. 1. & 331. 32
Redemptionis scopus, 360 1
Redemptionis nostræ finis, 567 8
Reditus ad Deum quid significet, 274. 22
Refugii urbium usus, 503. 21. 12
Refugii urbes cur Deus constituerit, 510. 35 10
Refugii urbes sex, ibid.
Regnum sacerdotale quid, 324. 6
Regnum Christi quid, 671. 17
Religione tactus Moses, 159. 3
qualem Religionem exigit Deus à populo, 261. 15
certamen de Religione à Deo susceptum, 263. 18
Religioni omnia Regum jura cedere oportet, ibid.
Religio populi in Ægypto, 338. 10
Religio vera unde nascatur, 338. 11
Religio vera puraque ubi tradita, 350. 3
Religionis veræ discrimen à pravis superstitionibus, ibid.
Religio quomodo distrahitur in diversas partes, 351. 6. 13
Religio quomodo vitiatur, 350. 3. & 352. 9
Religionis definitio & regula ubi fideliter præscripta, 353
pura Religio quibus superstitionibus adulteratur, 358. 18. 21
Religio in quo sita, 382. 13
Religionis veræ propria nota, 466. 25
nulla sine scientia vera Religio, 431. 31. 9
quando tota Religio perversitur, 701. 12
in Reliquiis Sanctorum Papæ superstitio, 303. 19
Remedium ab Ægyptiis excogitatum atterendis filiis Israël, 250. 11
Mosis diffidentiæ Remedium, 278. 5
Reminiscendi suum tempus Deo, 262. 16
Remunerationis à Deo promissæ caput præcipuum, 399. 5. 9
Repetitione cur Moses sæpius utatur, 279. 8
Repetitio minime inanis, 287. 1
Reproborum cæcitatis typus, 271. 1
Reprobis justas pœnas quomodo infligit Deus, 279. 3
Reprobis quid sæpe contingat, 282. 22
Reprobis quid tristum, 286. 25
Reproborum connivventia, 288. 7
Reproborum natura, 152. 22. & 189. 14. & 193. 10
Repugnantiæ species, 631. 11
Requies vera quomodo nobis afferatur, 485 20. 8
Res memorabilis & cognitu valde utilis, 320. 13
verborum & Rei brevis summa, 334. 7. 6. & 334. 10. 16
Reipublicæ formandæ initium, 390
quando nos Deus Respicit, 258. 23
Responsio Dei in voce quid, 326. 17
Respondendi verbum quid, 370. 3
Rex unde petendus, 396. 15
de Rege creando, ibid.
in Rege quæ vitia corrigenda, 396. 16. 17
Regum disciplinæ ratio, 396. 18
Regibus cur lex discenda & legenda, ibid.
Regia potestas, 396. 16
Regum natura, 280. 8
Reges quid magis urat, 670. 10
quomodo colitur Rite Deus, 331. 6
Risorum vitum cur Jeremias se esse conqueratur, 711. 20
Rubi visio, 258. 2

S.

Sabbatha violata fuisse quid, 485. 20. 8
Sabbathi usus quo referendus, ibid.
Sabbathi substantia, ibid.
Sabbathum quid, ibid.
de Sabbathi observatione, 314. 22
causa cur secundo Sabbathum præceptum fuit, ibid.
Sabbathi servandi finis, 485. 20. 8
Sabbathi tertium genus, 489. 8
Sabbathi religio quomodo sancita, 617. 32
Sabbatharius annus, 430. 9. & 488
Sabbathismus secundus, ibid.
Sacramentorum usus probatur, 270. 24
Sacramentorum contemptus punitus, ibid.
Sacramentorum vis & effectus unde, 421. 1
Sacramenterum anima quæ, 362. 24
Sacramentorum efficacia & utilitas ubi resideat, 566. 6
Sacramentorum vera natura & usus, 577. 5
Sacramentalis loquendi ratio, 303. 21
Sacerdotem qui ab altari arcentur, 432. 17
Ornatus externus Sacerdotis significatio, 411. 2
Sacerdos Christi figura, 432. 13. & 434. 12
à Sacerdotibus exactæ puritatis symbolum, 418. 18
Sacerdotes cur ante consecrationem lavabantur, ibid.
Sacerdotum secunda mundities, 431. 9
de summo Sacerdote, 431
Sacerdotes qui sint, 422. 9
Sacerdotum tertia mundities, 431. 7
Sacerdotes cur Deus objectetum, 436. 5
Sacerdotes ad officium hortatur, 436. 3
Sacerdotum præcipuum munus describitur, 439 8
Sacerdotes quo honore dignatus sit Deus, 440. 18. 8
Sacerdotis proprium munus, 415. 1
morte dignus Sacerdos à quo vox prædicationis non auditur, 422. 31
Sacerdotum ministri Levitæ, 436. 2
Sacerdotale regnum commendatur, 395. 14
Sacerdotale munus, 438. 1
Sacerdotum cui tribui destinatum, 267. 14
Sacerdotii dignitas unde, 410. 1
Sacerdotio qui digni sint, 421. 2
Sacerdotii umbratilis dignitas quo miraculo sancita, 645. 8
Sacrificandi mos unde manavit, & apud quos in usu fuit, 447
Sacrificandi formæ multiplices, ibid.
Sacrificandi dignitas unde, 455. 5
Sacrificium gratiarum actionis, 271. 5
quod Sacrificium Deo gratius, 324. 5
Sacrificii accessio quæ, 405. 7
Sacrificia adulterina quæ non offerenda, 358. 18. 21
Sacrificia quatenus æstimanda, 286. 26
virtutis nihil inesse Sacrificiis cur mandatur, 360. 5
de Sacrificiis, 404. 5. & 455. 2
Sacrificium Deo gratissimum hodie quod, 413. 36
juge Sacrificium cur institutum, 447. 38
de Sacrificio continuo, 449. 5
Sacrificia quomodo æstimanda, 377. 50
Sacrificia quid, 410. 8
Sacrificia ex quibus animalibus delecta, 455. 2
Sacrificiorum utilitas unde pendeat, 456. 5
Sacrificii gratitudinis quæ, 458. 1
Sacrificia cur panem Dei vocet, 471. 25 & 471. 22. 27
Sacrificii finis, 491. 27
Sacrificiorum papalium impudentia in jurisdictione lepræ judicandæ usurpanda, 374. 13. 2
Sacrilegium intolerabile, 280. 15
Sacrilegi qui rei sint, 511. 33
de epithero Sodai, 275. 2
Salis nomen quid, 441. 15
Salis mare quid, 687. 12
terrarum Salubritas unde colligatur, 617. 19
Salus cum observatione legis conjuncta, 346. 20
modus sciscitandi de rebus ad Salutem necessariis, 354. 15
Saluti hominum quomodo consulit Deus, 355. 17
Salutis fides ubi locanda, 397. 1
Samson quomodo Nazaræus, 367. 2
cur populum Sanctificari jubet Moses, 325. 10
Sanctificare aliquos quid, 330. 19. 36
quid Sanctificat quæcunque ex Dei manu percipimus, 491. 10
Sanctificari quomodo dicatur in nobis Deus, 605. 3
Sanctificationes populi polluere, 445. 31
de loci Sanctitate quæstio, 259. 4
Sanctitas quid significet, 309. 11
Sancti sanctorum custodia quibus mandetur, 438. 4
Sanctorum voces celebres, 261. 12
Sanctuarii voce quid intelligatur, 371. 4
Sanctuarium novum cujus rei symbolum, 404. 4
Sanctuarium quid, 405. 5
cur Sanctuarium terrestre domicilium Dei vocetur, 409. 8
Sanctuarium timere quid, 487. 19. 30
de Sanguinis aspersione, 299. 21
de Sanguinis aspersione seu effusione, 299. 21. & 381. 6. & 577. 5
Sanguine vescí cur prohibeatur, 501. 12. 55
Sanguis eorum super eos, 521
qui præpostere Sapiant, 251. 17
legitimus Sapiendi modus, 326. 25
quando vere Sapimus, 332. 6
Satanæ ejusque ministrorum pertinacia, 248. 11
Satan quomodo agat in impios, 296. 28
Satan filiis Dei quomodo insidiatur, 355
Satietas parit ferociam, 339. 10
Saulis confessio, 291. 27
Scelerum ultor erit Deus, 275. 2
ad Scelera reprehendenda & punienda quis sit liber, 432. 9
Sceleris fons quomodo reperiendus, 511. 19. 1
à Scelere quibus modis retrahimur, 553. 20. 13
Scelerum cumulus, 565. 20
de Sceleris gravitate populum admonet, 585. 30
Scelesti cur fugiendi, 619. 4
Schismaticorum superbia, 638. 1
ad Dei Scholam qui rite accedant, 315. 10
ad Scholam suam Deus omnes invitat, 338. 12
Scortationis severus vindex in extraneis quis sit, 432. 9
Scortationis cavendæ documentum, 672. 4
contra Scortatores formidabile Dei judicium, 673. 9
Scriptorum profanorum gloriam Dei obscurantium punitio, 300. 29
Scripturam obscuram esse impie Papistæ blaterant, 349. 30. 11
Scripturam cur multi deglutiant absque profectu, 387. 3
Scripturæ usus legitimus quomodo pervenitur, 430. 9
Scrupulorum eximendorum modus, 265. 12
Scrupulus, 551. 12
per gladium & Scutum quid significetur, 715. 29
Secessum cur quærat Moses, 323. 5
Sectarum finis, 357. 3
Sectarum mater, 623. 5
Secundinæ quid, 562. 53
Securitas ubi fundanda, 397. 1
Securitas quæ mala adfert, 304. 8
Seditionis metus magis quam pudor tyrannos cohibet, 551. 18
Seditio inter milites unde, 317. 8
Semina naturæ quibus vitiis corrupta, 352. 9
Seminis fluxus quot modis contingat, 379. 2
Seminis recenti immunditics, ibid.
Senum natura, 279. 6
Senis vitia, 261. 15
Seniores inter Israëlitas cur soli convocantur, 271. 29
Seniores qualiter suum officium faciant, 430. 9
Seniorum munus & officium, ibid.
Sensuum vigor unde, 663 35
Sephora filium temere circumcidit, 270. 25
Sephora cum marito expostulat, 270. 26
Servire Deo quid, 299. 25
Septenarius numerus quid significet, 377. 3
Sepulchro quid designetur, 582. 12
Sepultura generi humano cur destinata, 505
Sepulturæ utilitas, 558. 26
Seraphin quid, 415. 5
de Serpente æneo, 652. 8
Serveti exsecrabile delirium, 303. 21
Servitium, verbum Gallicum, 299. 25
Servitium Dei quid sit, ibid.
Servitus qualis apud Israëlitas, 504. 20. & 535. 21. 1
Servorum Dei vel cordatissimorum vitium, 277. 10
Deus quomodo Servis suis communicet quod est sibi proprium, 435. 27
magnanimitas Servis Dei unde, 280. 10
Servorum Dei conditio, 639. 13
Servis suis cur minetur Deus, 283. 1
Servorum Dei continua certamina, 283. 5
Servos quomodo humiliet Deus, 320. 13
Christi Servi maximi quo honore digni, 622. 28
Servi Dei qui sint, 639. 51
de Servis, 504. 20
de Servorum manumissione, 535. 21. 1
Servi qualiter dimittendi, 536. 25. 13
de Servo fratre tractando, 536. 39
Servis Israelitis cavetur, 537. 47
detestabilissimum Severitatis exemplum, 251. 15
severitatis utilitas & fructus, 392. 9
Severitatis in puniendo error, 505
Siceræ nomine quid, 431. 9
Siclus vulgaris quantum efficiat, 612. 45
Siclus communis dimidia pars sicli sacri, ibid.
Siclus sanctuarii quantum valebat, 366. 22
signa vocationis Mosis tria, 264. 2
signa externa unde æstimanda, 597. 12
Signorum utilitas, 259. 4
Signo confirmatur Moses, 261. 12
à Signis posterioribus confirmatio, ibid.
signum secundum, 265. 6
signum improprie quid significet, 266. 8
Signorum quæ in promulgatione legis apparuerunt finis, 327. 10
Signorum seu miraculorum finis & utilitas, 356. 13. 1
Signorum virtus & utilitas unde pendeat, 600. 1
Signum tertium, 265. 8
Silentium quadraginta diebus quare Moses coluerit, 579. 31. 28
similitudo inter decem plagas & decalogum, 281. 54
similitudo inter nos & Israelitas, 276. 7
simplicium quid, 353. 15
Simulatio omnis damnanda, 352. 18
Simulatio mera quæ, 666. 17
in Sinai præsentiæ Dei signum, 259. 4
in Synedrio constituendo quale exemplum sunt imitati Judæi, 620. 16
in Sobole fœcunditas, 347. 25
de Sobole precaria, 340. 5
in Sobrietate cur suos Sacerdotes contineretit Deus, 431. 9
Socordia Israelitarum in precibus, 260. 7
socordia populi inexcusabilis, 275. 2
Socordia damnatur, 275. 4
socordiæ quid adscribendum, 305. 12
Socordiæ tacita exprobratio, 344. 6. 1
Solatium optimum quale, 260. 7
solatium præcipuum fidelium in sollicitudinibus, 251. 2
Solicitudo major erga fœtum in bestiis quam in hominibus, ibid.
sophistæ refelluntur, 296. 27
Sororis nomine quæ comprehendantur, 521. 18
Speculationum cohibendarum frænum, 593. 9. 7
ad Sperandum hortatur suos Deus, 263. 19
ad bene Sperandum hortatio, 305. 13
Spei Doctrina quando fluxa in nobis, 274. 22
Spei januam quid claudat, 565. 20
ad bonam Spem animantur Israelitæ, 309. 16
de Spicis, 535
spiritus sanctus vere Deus æternus, 285. 19
Spiritus sancti figura & effectus, 428. 25
spiritus sancti symbolum, 597. 9
cur Spiritus sui dona singulis certam mensuram Deus distribuit, 409. 25 2
spuriorum optima consolatio, 380. 2
standi verbo quid, 305. 15
Statuta & judicia Dei custodire quid, 330. 19 36
de statutis, 341. 11. 1
Statua quid, 403. 21

de Sta-

INDEX

de Statuis frangendis, 472. 23. 24
Statuas quas vocet, 376. 4
Sterilitas quid, 340. 8
Sterilitatis causæ, 557. 23
Sternutatus XII. Virorum laudatus, 628. 26
Sternutatus hominum, 636. 41
Stultitiam Pharaonis ironice perstringit, 290. 17
Stupenda depicta figuris, 734. 28
quæ mala ex Subjectionis pretextu, 241. 17
Subjectionis tessera vel arrha, 495. 16
Subsannatus ironice Pharaonis in Deum & ejus filios, 293. 16
in Subterfugiis quærendis quales homines, 368. 3
Succincti quid significent, 361. 5
ad Succurrendum vult Deus nos esse propensos, 328. 23. 4
Suffitus quid, 721. 9
Stultæ utilitas, 388. 4
Summas rerum perstringit, 246
ad Summum bonum quid optabilius, 714. 26
Superbiæ profitendæ ratio, 283. 1
Superbiæ species & caput, 345. 17
Superbiam Judæorum objurgat, 536. 18
Superbia hominum qualis, 548. 26
Superbiendi vocis quid, 503. 14
de Supererogationis operibus Papistarum somnium, 369. 13
Supererogationes operum finis, 468. 1
Suppetias Dei qui non deficiuntur, 508. 2
Superstitionis vitiorum remedia, 259. 4
ad Superstitiones detestandas comminatio, 352. 14
Superstitionum species, 354. 14
de feminins amplas Superstitiones adhuc colentibus, 389. 10
ad Superstitionem hominum propensio coarguitur, 403. 16
Superstitionis instrumenta quibus licet diuere, 472. 23, 24
Superstitiosorum mos, 383. 3. religio qualis, 530. 22. 32. ingenium, 663. 36. & 666. 13
Suum cuique quid, 264. 22

T.

TAbernaculi dedicatio, 408. 25. 2
de Tabernaculo, 404. 4
in Tabernaculi ædificium contributo multiplex quid deligetur, 479. 5
Tabernaculi structura finis, 413. 1
Tabernaculi architecti, 568. 2
ad Tabernaculi historiam redeatur, 568
de Tabernaculi architectura & conservatione, 574. 21
Tabernaculum quid, 410. 8
cur Tabernaculum hoc ornamentis illustratum, ibid.
Tabernaculum conventionis quid, 448. 42
Tabernaculorum festum cur instituerit Deus, 492. 34
publicus Tabulis cur confignata pactatio regalis, 338. 10
Tabulæ primæ & secundæ summa, 495
Tabularum duodecim lex, 503. 24. 25. & 21. 28
Tabulas legis digito Dei scriptas quomodo intelligendum, 579. 31. 18
Tacere quid sit, 256. 16
Tacere unius vel filiæ quid, 483. 5
Talionis pœna, 504. 19
Talionis pœnæ quibus irrogenda, ibid.
earum nostra Tarditas quibus stimulis excitenda, 332 9
Tecta ædium Judæorum plana, 503
cur Temere faciunt, 305. 15
Temeritas insana quid, 346. 17
Temporis nostri & Israelitarum similitudo, 252. 22
Tenebrarum à Deo immissarum Ægypto significatio, 295. 22
Tentandi verbum quid, 356. 3
Deum Tentare quid, 632. 21
Deus quotsies ab Israelitis Tentatus, ibid.
Tentatio gravissima Israelitarum, 252. 15
Tentatio non levis, 282 21
Tentatio contritorum maxet, 316. 7
Tentationi Mosis quomodo occurrat Deus, 276. 10
Tentationis genus, 310. 25
Tergiversandi modi omnes à Mose captati, 366. 10
de Terminis fraudulenter avellendis, 525
sponte fertilis Terra, 261. 17
Terra quid significet, 286 22
Terræ fertiles, 301. 38
cur per defectum Terræ Chanaan aditum est, 302. 27
in Terræ ingressu & vestis funebris lex erat scribenda, 336. 15. 38. & 337. 1
Terræ Chanaan bonitas quæ, 344. 8. 7
Terræ amplitudinis & ubertatis commendandæ causa, 363. 4
cur Terræ quinta sepultura annus præfixus, 488. 23
Terror hominum, mollitus miraculum, 251. 17
mortis Terror quomodo sedatur, 725. 1
ex re largissima plus Terroris, 305. 10
Deum Terrorem immittere quid, 347. 27
cur jam damnatos Tellus prius lapidabant, 392. 9
Testes falsi qui, 541
Testes falsi atque homicidæ eodem loco habendi, 342. 16
cur Testium manu sceleratos interfici volucris Deus, 477. 7
de Testium numero, 505
Tetradrachma Atticum quantum valebat, 366. 12
per Thamarum quid designetur, 421. 4
de altari Thymiamatis, 417. 1
confectio aromatica altari Thymiamatis conjuncta describitur, 418. 34
Timiditas paternum Mosis, 253. 1
Timiditas fidei contraria, 629. 2
Timoris Dei elogium, 251. 17
Timori Dei honorium minas præferentes, ibid.
Timor ex pœnæ denuntiatione, 290. 20
qua ratione Timor vocetur ignorantia, 291. 30
Timor quid significet, 307. 32 & 336. 20
de quo Timore hic præcipitur, 351. 6. 13
ad hunc in Timore educandos parentes esse oportet, 363 8
Timoris vitiosi mala, 397. 11
Tres ut possidendi rectissimum quis sit, 264. 28
Tolerantiæ Dei quid irrogendum, 283. 1
ad Tolerantiam hortatio, 301. 40
Tranquillitas animi unde, 501. 64
Deum Transgredere quid sit, 412. 31
de Translatione à Lege & Prophetis ad Evangelium, 354. 15
de papistica Translationis ratione, 281. 22
Trepidatio quid sit, 263. 11
de Tuba argentea, 357 2. earum usus, ibid.
Tubarum clangoris memoriale, 451. 1
Turbatum mare, 623 1
ex Turturibus sacrificium, 379. 2. & 463 6
Tyrannorum ingratitudo, 249. 8
Tyrannorum natura, 251. 15. & 272. 4. & 273. 9
Tyranni ut sua commodis ingeneofi, 273 6
Tyrannidis vindex Deus, 262 16

V.

VAcca rufa cinis, 381. 2
Vastatorum origo, 352. 9
Vastator quid significet, 259. 23
Velo quid denigretur, 415 32
Veniæ copia quando est peccator, 326. 17
de Veniæ impetrandæ ratione, 463. 16
Veniæ causa & fons cui adscribenda, 492. 27
cur Ventum Orientalem excitet Deus, 306. 22
Vetheribus cadendum, 506
Verbi prædicationem nihilo ducentium refutatur vesania, 302. 32
Verbo suo reverentiam & authoritatem quot modis conciliet Deus, 259. 4
Verbo Dei quomodo parendum, 314. 8
Verbo Dei se astringentium utilitas, 558. 31
Verborum congeries amplificat, 249. 7
Verborum & rei brevis summa, 344. 8. 7
Verbum offerendi sacerdotale, 576. 5
Dei Veritas qualis, 272. 3
Veritatis elogium, 276. 7
Veritatis contemptus punitio, 280. 12
Veritas ceremoniarum quid, 325. 20
Vesaniam cur exprobret, 563. 23
de Vestitus honesta forma, 528
Vestitus sacerdotalis descriptio, 575. 2
Veternó morbo laborantium natura, 543 4
Vexillum militare, 162. 15
Victimæ cur alligarentur, 416 1
ad Victorium & prosperum eventum exigitur Moses, 260. 9
Victoria unde speranda, 330. 13
in Victus temperantia primæ partes, 368. 5
Videndo videre quid significet, 260. 7
Vinorum ratio apud Deum qualis, 290. 19
Vindicta quæ damnanda, 674. 17
Vini abstinentia cur Nazæis injuncta, 508. 3
de Vino, 431. 9
de conversione Virgæ in serpentem & contra, 279. 8
Virgæ conversionis significatio, 281. 14
Virginitatis amigne, 308. 5
Virtutis tutæ propetium, 253. 14
Virtus Dei immensa, 262. 14
Virtutis Dei in liberatione populi variæ documentum, 271 2
de Dei Virtute incomparabili, 276. 5
Virtutes quarenus laudandæ, 681. 14
de Virtione Mosis allegoria, 258 2
Visionibus communis quid, 259. 4
Vitiosa animi quæ, 682. 19
Vitiatus Dei quid, 271. 31
Vitiata fecalis omnibus commune, 286. 15
Vitus sua cur multi obdormiant, 480. 23
Vitiorum omnium fons, 343. 20. 17
Vitium omnibus fere fecalis commune, 650. 29
Vitium commune hypocritis & incredulis, 659. 5
bene restitue Vivendi regula, 196
juste Vivendi regula quæ, 320. 26
Vivendi bene & recte principium quale, 331. 6. 2
pie Vivendi regula unde petenda, 331. 13. 18
Vivendo quamdiu summa mortal, 382. 21
bene Vivendi partes, 512
Viva ego quid, 707. 40
Vitæ hominum quomodo recte composita, 336. 20
Vitæ hominum ubi constitat, 342. 5
Vitæ hominis quam sit Deo pretiosa, 500. 2
Vitæ hominis pretio rectimari nequit, 504. 20
Vitæ longitudo cui promittatur, 347. 23
Vitæ perfectio in statu quibus constet, ibid.
Vitæ hujus finis, 393. 18
Vitæ formandæ tota ratio petenda & justitia continetur, 495
Vitæ formandæ præcepta unde pendeant, 499. 19. 17
de Vitæ perfectione, 512
Vitæ æternæ spes quibus detur, 547. 18. 5
Ultio Dei considerada, 252. 22
Ultiones leveræ cur, 633. 9
Unctionis confectio, 428. 18
Unques facere quid, 389. 10
Vocationum radix Christus, 269. 28
ad exordium fuæ Vocationis redit Moses, 277. 18
Vocationis Dei fructus, 334. 7. 6
Vocationis nostræ scopus, 336. 10
Voluntas Dei quid sit, 264. 22
de Dei Voluntate, 397. 2
Voluntas Dei quæ, 598 19
Voluntas Dei quibus modis patefiebat olim Prophetis, 614. 6
de Vovendi ratione, 479. 21
Vovere quid sit, 481. 11
Votum quid sit, 479. 22
quæ Vota legitima, 480. 21
Votorum piorum finis, 479. 21
Votorum superstitiosorum scopus, 480. 11
Voca quæ solvi commodo nequeunt pro pretio redimenda, 482. 11
quæ Vota non sint rata, 483. 1
Urbium cum suis incolis delendarum causa, 393 12
de Urbibus ut capiis, 507. 12
Urbium captarum ab Israelitis numerus, 618. 3. 4.
per Urim quid intelligatur, 421. 4
de Usura, 537. 22. 23
Usus præcipue loquutionis, 306. 25
Utilitatis propriæ studii mala, 684. 1
de Uvis, 135
Uxor quid sit, 514. 22

Z.

ZElotypia unde nascatur, 482. 13
Zelotypiæ mala, 516. 12
Zelotypus Paulus pro Christo qua ratione, 513. 18
Zelus superstitiosus in regendis sanctorum deliciis cavendus, 252. 18
Zelus ne refrigescat, qua re opus, 270. 24
Zelus Mosis, 298. 8
Zelus fidelium pius, ibid.
Zelus cæcus incredulorum, 635. 44
Zelus Phinees, 673. 10
Zeli bene compositi utilitas, 674. 17
Zeli non vulgaris signum, 569. 22. & 585. 27

INDEX
CAPITUM ET VERSUUM
HARMONIÆ
Quatuor post primum Librorum Mosis,

Quota pagina inveniri possint

EXODUS.

Cap.	vers.	pag.	Cap.	vers.	pag.	Cap.	vers.	pag.	Cap.	vers.	pag.	Cap.	vers.	pag.
I.	à 1	148	III.	1	158		24	269		8	279		8	288	XII.	2	359
	usque ad 8	249		6	159	V.	1	271		14	281		13	ibid.		15	ibid.
	22	252		10	160		6	272	VIII	1	283		27	290		8	394
	15	261		15	161		29	273		8	ibid.	X.	1	292		19	ibid.
II.	1	253		18	163	VI.	2	274		16	284		7	293		20	359
	11	254	IV.	2	264		9	276		20	285		13	294		22	398
	16	256		10	266		14	277		28	287		21	295		24	ibid.
	13	257		18	267	VII.	1	278	IX.	1	ibid.	XI.	1	296		8	361

I N D E X.

Cap.	vers.	pag.
	38	298
	39	299
	40	301
	43	361
	50	312
XIII.	1	365
	3	362
	11	365
	17	302
XIV.	1	301
	10	374
	19	306
	26	ibid.
XV.	1	307
	11	308
	21	310
XVI.	1	311
	9	312
	29	314
	31	ibid.
XVII.	1	315
	8	316
XVIII.	1	318
	13	319
XIX.	1	322
	9	324
	16	325
	21	326
XX.	1	329
	3	350
	4	398
	7	478
	8	484
	11	495
	13	498
	14	511
	15	521
	16	540
	17	541
	18	327
	22	401
	24	406
	26	434
XXI.	1	515
	7	514
	12	502
	15	496
	17	ibid.
	18	502
	33	531
XXII.	1	530
	5	531
	9	ibid.
	10	ibid.
	14	532
	16	513
	18	394
	20	522
	21	526
	25	526
	26	525
	28	497
	29	365
	&	369
	30	365
	&	471
	31	388
XXIII.	1	541
	3	550
	4	528
	5	508
	6	530
	7	542
	8	529
	10	487
	12	486
	13	336
	&	478
	14	493
	18	563
	19	369
	&	471
	20	346
	24	405
	&	472
	25	346
	31	ibid.
	&	473
XXIV.	1	576
	9	577
XXV.	1	407
	13	411
	31	412
XXVI.	1	414
XXVII.	1	416
	9	ibid.
	20	415
XXVIII.	1	419
XXIX.	1	424
	36	417
	58	447
XXX.	1	417
	11	366

Cap.	vers.	pag.
	17	418
	22	425
	34	418
XXXI.	1	568
	12	486
	18	578
XXXII.	1	ibid.
	7	580
	15	582
	21	585
	25	584
	30	585
XXXIII.	1	587
	7	588
	12	589
XXXIV.	1	591
	12	473
	13	472
	14	401
	15	475
	17	400
	19	365
	20	ibid.
	&	493
	21	486
	22	493
	25	369
	26	369
	&	471
	27	598
XXXV.	1	486
	4	468
	20	568
XXXVI.	1	570
XXXVII.	1	572
XXXVIII.	1	575
XXXIX.	1	574
XL.	1	596
	36	613
LEVITIC.		
I.	1	454
II.	1	456
III.	1	457
IV.	1	458
V.	1	461
	14	463
VI.	1	ibid.
	8	465
	16	440
	19	425
	23	465
	24	ibid.
	26	440
	30	465
VII.	1	467
	6	441
	11	467
	14	ibid.
	&	441
	15	442
	19	468
	26	501
	28	468
	31	ibid.
	&	442
	37	458
VIII.	1	429
	4	602
IX.	1	603
X.	1	605
	8	431
	12	605
XI.	1	584
XII.	1	370
XIII.	1	571
XIV.	1	375
XV.	1	378
XVI.	1	451
XVII.	1	438
	10	502
	15	388
XVIII.	1	518
	5	545
	6	519
	19	518
	20	512
	21	358
	22	512
XIX.	1	351
	3	487
	&	496
	4	420
	5	467
	9	553
	11	523
	12	478
	13	523
	14	499
	15	529
	16	542
	17	499

Cap.	vers.	pag.
	&	541
	18	499
	&	545
	19	383
	20	514
	23	585
	&	523
	26	502
	27	183
	29	513
	30	558
	&	486
	31	358
	32	497
	33	524
	35	521
	36	310
	&	525
	37	350
XX.	1	394
	6	ibid.
	7	584
	8	332
	9	497
	10	513
	11	522
	13	512
	14	521
	15	512
	17	522
	18	518
	19	522
	25	584
	26	454
	27	394
XXI.	1	429
	7	431
	9	ibid.
	10	429
	13	451
	16	432
XXII.	1	433
	17	469
	26	471
	29	467
	31	330
XXIII.	1	489
	3	ibid.
	&	486
	4	489
	22	533
XXIV.	1	413
	1	446
	10	636
	15	484
	17	502
	18	532
	19	502
	21	532
XXV.	1	487
	8	489
	10	488
	23	537
	35	526
	39	536
XXVI.	1	421
	2	486
	5	548
	14	555
XXVII.	1	480
	26	365
	27	481
	30	441
	34	549
NUMERI.		
I.	1	606
II.	1	609
III.	1	610
	5	ibid.
	&	427
	11	610
IV.	1	612
	4	437
	21	612
	24	437
	29	612
	31	437
	34	612
V.	1	372
	5	529
	8	441
	9	459
	22	515
VI.	1	367
	22	434
VII.	1	598
VIII.	1	413
	1	426
	20	604
	23	416
IX.	1	364
	13	597

Cap.	vers.	pag.
	17	614
X.	1	397
	21	613
	29	615
XI.	1	617
	4	ibid.
	16	619
	24	621
	32	622
XII.	1	623
	9	624
XIII.	1	625
	26	627
XIV.	1	628
	10	630
	13	631
	20	632
	26	634
	39	635
XV.	1	459
	27	369
	28	460
	30	395
	32	637
	37	353
XVI.	1	657
	12	639
	26	640
	55	642
	41	ibid.
XVII.	1	644
XVIII.	1	436
	8	440
	10	442
	12	436
	15	ibid.
	&	441
	14	442
	25	445
XIX.	1	380
XX.	1	645
	14	648
	23	649
XXI.	1	650
	4	651
	10	655
	22	655
	33	657
XXII.	1	659
	21	661
XXIII.	1	664
	13	666
	23	668
XXIV.	1	ibid.
	10	669
	17	670
XXV.	1	672
	10	673
XXVI.	1	674
XXVII.	1	677
	12	708
	15	694
XXVIII.	1	448
	16	449
XXIX.	1	450
XXX.	1	482
XXXI.	1	679
	14	681
	25	682
	48	683
XXXII.	1	684
	16	685
	18	686
XXXIII.	1	688
	38	649
	&	689
	40	658
	&	689
	41	689
	52	472
	&	689
	53	689
XXXIV.	1	691
XXXV.	1	455
	9	508
XXXVI.	1	678
DEUTER.		
I.	1	349
	6	614
	9	321
	19	616
	26	620
	34	634
	37	647
	39	634
	41	635
II.	1	636
	1	648
	9	654
	24	655
III.	1	658

Cap.	vers.	pag.
	12	687
	21	695
IV.	1	330
	3	674
	5	331
	12	ibid.
	&	401
	20	329
	31	695
	33	401
	35	502
	32	351
	41	688
	44	349
V.	1	329
	7	350
	8	393
	12	478
	13	484
	16	495
	17	498
	18	511
	19	522
	20	540
	21	542
	22	327
	32	350
VI.	1	543
	9	351
	5	348
	6	336
	10	338
	13	552
	&	478
	14	351
	16	ibid.
	17	344
	20	535
VII.	1	473
	5	472
	6	353
	9	152
	16	474
VIII.	1	341
	7	343
	11	344
	19	402
IX.	1	359
	7	394
	22	636
	25	591
X.	1	ibid.
	6	690
	8	608
	10	195
	12	343
	14	353
	17	ibid.
	&	524
	20	351
	&	478
	21	340
XI.	1	ibid.
	8	341
	10	343
	16	402
	18	336
	26	548
XII.	1	471
	4	404
	15	500
	17	404
	19	443
	20	500
	26	404
	28	552
	29	318
XIII.	1	351
	5	390
	6	391
	12	392
	18	330
XIV.	1	383
	3	386
	21	518
	&	471
	22	442
	23	406
	27	443
XV.	1	513
	12	535
	19	365
XVI.	1	493
	3	563
	5	493
	18	458
	19	529
	21	473
	22	423
XVII.	1	470
	2	477
	6	501
	7	477
	8	419

Cap.	vers.	pag.
	12	395
	14	591
XVIII.	1	445
	9	352
	15	354
	19	390
	21	351
XIX.	1	509
	14	525
	15	505
	20	542
XX.	1	597
	5	549
	9	498
	10	166
	19	558
XXI.	1	500
	10	389
	14	539
	18	497
	21	505
XXII.	1	328
	4	508
	5	122
	6	508
	8	505
	9	382
	12	522
	13	117
	22	113
	30	319
XXIII.	1	379
	3	470
	9	382
	15	507
	17	323
	18	471
	19	127
	21	479
	24	531
XXIV.	1	518
	5	525
	6	111
	7	509
	8	371
	10	325
	14	523
	16	506
	17	526
	19	133
XXV.	1	506
	4	523
	5	540
	11	112
	13	125
	17	475
XXVI.	1	369
	12	443
	16	335
XXVII.	1	357
	5	407
	8	337
	9	355
	11	546
XXVIII.	1	549
	15	556
	30	558
	49	560
	18	561
XXIX.	1	349
	2	342
	10	363
	11	565
	29	348
XXX.	1	160
	11	548
	15	367
XXXI.	1	692
	9	450
	10	318
	14	696
	23	697
XXXII.	1	698
	10	701
	19	702
	28	704
	37	706
	44	707
XXXIII.	1	709
	8	710
	18	718
	26	719
XXXIV.	1	725
	7	ibid.

F I N I S.

JOAN-

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII

IN

LIBRUM JOSUÆ.

CUM

INDICE RERUM AC VERBORUM.

Editio ut posterior ita prioribus multo emendatior.

ARGUMENTUM.

DE authore libri hujus præstat judicium suspendere, quam temere quidquam affirmare de re incerta. Qui existimant fuisse Josue, quia inscribitur ejus nomen, nituntur levi & infirma ratione. Nam & sacræ historiæ imposuimus fuit Samuelis nomen, ubi tamen contextitur eorum narratio, quæ sequuta sunt ejus mortem. Et certe liber ordine proximus non ideo vocatur Judicum, quod fuerit ab ipsis conscriptus, sed quia res eorum gestas commemorat. Jam vero quæ de expugnatione Hebron & Debir narratur historia cap. 15, posterior est ejus morte. Magis probabilis conjectura est, ab Eleazar summo Sacerdote, collectas fuisse rerum summas, ex quibus volumen hoc fuit confectum. Proprie enim erant ejus partes, non modo viva voce ætatis suæ populum docere: sed testatam quoque ad posteros facere Dei gratiam in Ecclesia conservanda, ut vera religio melius propagaretur. Et antequam degenerassent Levitæ, fuerunt ex illo ordine actuarii, qui in perpetua monumenta referrent quidquid memoratu dignum erat in Ecclesiæ gubernatione. Verum quod nobis compertum non est, neque adeo cognitu necessarium, in medio relinquere ne pigeat: modo quod præcipuum est nobis constet, doctrinam quæ hic comprehenditur, à Spiritu sancto in usum nostrum esse dictatam, ex qua non vulgaris fructus percipi ab attentis lectoribus potest. Quamvis enim populus insignes victorias jam adeptus, in regione satis commoda & mediocriter fertili habitaret: suspensa tamen adhuc manebat Dei promissio, quod terram Chanaan. Imo præcipuum faderis caput effectu adhuc carebat: ac si Deus conjecto in retractum angulum populo, opus suum deseruisset mutilum ac deforme. Hic ergo liber demonstrat, quum intolerabilis populi impietas cursum abrupisset liberationis, Deum tamen in pœnis exigendis sic temperasse judicii rigorem, ut præsteriret tandem nihilominus quod pollicitus fuerat de hæreditate terræ Chanaan. Ubi etiam occurrit apprime utilis consideratio: quamvis homines morte abrepti deficiant in medio cursu, Dei fidem nunquam intercidere. Ex Mosis interitu dependebat triste conversio. Reliqui erat populus tanquam corpus suo capite truncatum. In hoc dissipationis metu non tantum apparuit immortalis Dei veritas, sed in persona Josue tanquam in illustri speculo patefactum fuit, ubi aufert Deus è medio quos singularibus donis ornavit, inimanu ejus esse alios quos substituat: neque si ad tempus vult quosdam excellere, ipsis alligatam esse ejus virtutem, quin reperiat quoties visum fuerit successores; imo suscitet ex lapidibus qui ad præclaras res gerendas sint idonei. Principio quum trajectus maris rubri quadraginta annis quibus Deus populum circumduxerat in deserto, fere obsolevisset: eodem miraculo in Jordane edito continuus liberationis tenor de integro sanctius fuit. Circumcisio vero renovata perinde valuit, ac si fœdus suum Deus fœda populi incuria abrutum vel desperatione abjectum rursus stabiliret. Sequitur, quomodo Dei manu in possessionem terræ promissæ deducti fuerunt. Primæ urbis expugnatio arrha fuit perpetuæ quam sperare debebant Dei victrutis, dum solo tubarum clangore quatefacti muri Jericho sponte corruerunt. Neque tamen uno prælio aut exigui temporis militia profligatæ fuerunt gentes: sed paulatim multis laboriosis certaminibus attritæ ac deletæ. Ubi etiam notandum est, objectas populo fuisse arduas difficultates, dum Reges conspiratione facta, & collectis viribus obviam progressi sunt: quia non modo cum singulis populis bellandum fuit, sed cum ingenti multitudine, quæ uno impetu Israëlitas obruere poterat. Verum hæc tandem reciderunt violenti illi conatus, ut dum superior emergit Dei potentia, clarior etiam in defensione electi populi enitueret misericordia & fides. Certe continui felicitatis progressus, & tot incredibiles victoriæ manum ejus quasi è cœlo extentam palam repræsentarunt. Præcipuo autem documento cognitum fuit, eos sub Dei auspiciis militare, quod Solis cursus ad solum Josuæ votum cohibitus fuit: ac si elementa in ejus auxilium armata præsto ad obsequium adessent. Jam quamvis tardior debellandi successus utile fuerit constantiæ populi examen: tenendum tamen est admirabile Dei consilium, de quo tempestive Deut. 7: 22. admonuit fuerant à Mose, ne tædio fatisceret; noluisse gentes momento deleri, ne feræ bestiæ in regionem vacuam irrumperent. Verum quum optime Deus hoc modo in posterum consuleret eorum securitati: quod statuerat, sua prævitate in perniciem suam verterunt. Nam satis amplum spacium ad commodam habitationem, ut quidem putabant, nacti, flagitiosa ignavia retro cursum flexerunt. Quod unum crimen plura secum traxit. Nam & Deo cui nomen dederant, ad complendum militiæ cursum immorigeri fuerunt ac perfidi, nec fœcus ac fugitivi milites, qui militaris sacramenti immemores, signa turpiter deserunt. Jam terræ dominium quod divinitus oblatum erat, scelesta ingratitudine repudiarunt, partem duntaxat amplexi. Adhæc, quum ipsi essent terram sanctam inquinamentis omnibus purgare, ne qua profanatio puri & legitimi cultus maneret: pessime sunt impias superstitiones quas Deus abominabatur, pro more græssari. Præterea quum scirent salutis suæ fuisse prospectum, ne gentibus permixti eorum fallaciis & infidiosis artibus illaquearentur, quasi data opera periculum appeterent, eas tanquam exitialis incendii materiam reliquerunt. Quod vero pœnæ denuntiatione territi non fuerunt, in eo se prodidit obstinata eorum incredulitas. Atqui tandem experti fuit Deum non frustra Num. 33: 55. minitatum fuisse, gentes illas quibus male pepercerant, fore illis in spinas & aculeos. Assiduis enim incursionibus fuerunt vexati, rapinis expilati, & tandem tyrannica violentia fere oppressi. Denique per eos non stetit, quominus irrita caderet Dei veritas. Quanquam hæc de re potest moveri quæstio: quia si promissio Abrahæ data non nisi in mero ejus beneplacito fundata fuit; qualiscunque esset populus, ejus culpa labefactari absurdum fuit. Quomodo igitur hæc conciliabis, populum justa, & solida hæreditate non fuisse potitum, & tamen Deum fuisse veracem? Verum adeo concessa non fuit, vel dissipata vel ullo modo imminuta. Dei fides, ut hinc melius appareat, quantus sit arsifex, qui pro incomprehensibili sapientia lucem è tenebris novit eruere. Dictum fuerat Abrahæ, Gen. 15: 18. Semini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. Effectum Josue affirmat instare ac jam adesse. Atqui desidia fracti ad fines illos non pervenunt: imo sponte sen angustias conjiciendo, claustra quodammodo opponunt Dei largitati. Visa fuit hoc modo eclipsis quædam obscurare Dei fœdus. Nec dubium est, quin multa anxietate laborarverint pie mentes, quum præcipum cernerent opus Dei. Verum ita sibi moderatus est in castigando populo scelere, ut tentatio gravis & periculosa in fidei admirandum conversa fuerit. Defectus ergo filios Dei admonuit, expectandum esse præstantiorem statum, in quo luculentior extaret Dei gratia, imo superatis obstaculis penitus fulgeret. Hinc ad Christum fuerunt erecti: unde etiam innotuit, à capite pendere integram Ecclesiæ felicitatem. Ad eam rem adjuta fuerunt novis prophetiis: Nam quod Josua nunc ex antiquo fœdere repetit, Psalmus 72. & 89. ad regnum Messiæ transfert: quia in id tempus distulerat Deus plenam terræ fruitionem, quo regnum filii sui illustraret. Ejus rei specimen in Davide fuit edtum, qui per fonam Christi gestabat: & sunc apparuit, non aliter stabiliri ratasque esse Dei promissiones, quam per manum Mediatoris. Nunc videmus nihil esse absurdi si Dei veritas, cui remoram injecerat populi malitia, non nisi recte composito Ecclesiæ statu, prorsus emerserit, quum felicet in persona Davidis objecta fuit oculis populi Mediatoris effigies, in quo sita est perfecta Ecclesiæ felicitas. Interea mediocris ille favoris Dei gustus ad fideles sustentandos sufficere debuit, donec plenius satiarentur. Nec vero insforia aut fallax partitio fuit à Josua facta, & tribuum præfectis, quibus ea res mandata erat: sed Dei mandato vere certoque divisa fuit hæreditas, in cujus possessione sua manu eos locaverat. Qua etiam in parte enituit fœdeis cum Abraham percussi sanctitas. Jacob sub vitæ exitum certas quibusdam filiorum suorum sedes destinaverat. Si sua cuique tribui simpliciter hominum arbitrio & suffragiis portio obtigisset: vix fuissent Patriarchæ authoritatem sequuti. Atqui dum sortes quibus nihil magis fortuitum censetur, vaticinium comprobarunt: non minus quam si palam apparuisset Deus, sancita fuit donationis stabilitas claro effectu. Itaque postquam bello finem imposuit populi desidia, Rubenitas & Gaditas cum dimidia tribu Manasse domum liberos Josua remisit tanquam emeritos. Sequitur memorabilis historia, ex qua liquet, quam animosè ad vindicandum Dei cultum fuerint Israëlitæ, qui in terra Chanaan habitabant. Nam quum fraternæ societatis monumentum erexissent duæ istæ tribus & dimidia, putantes illi altare sacrificandi causa fuisse extructum, quod nefas erat, bellum statim decernunt, ac statuunt suos consanguineos potius delere, quam ut adulterino cultu scindatur religio. Simul tamen laudatur eorum moderatio, quod sicuti repente ad arma fuscipienda sancto zelo accensi fuerant, ita accepta satisfactione facile placantur. In fine libri expositur, quantopere solicitus fuerit Josua de propaganda Dei gloria, & quam diligenter conatus sit, populi levitati & perfidiæ occurrere. Huc tendunt gravissimæ non exhortationes modo, sed obtestationes: præsertim vero fœdus solemniter & jurejurando renovatum.

JOAN-

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN LIBRUM JOSUE.

CAPUT PRIMUM.

FUit autem poſt mortem Moſis, ut Jehova alloqueretur Joſue, dicendo,

2. Moſes ſervus meus mortuus eſt: nunc ergo ſurge, trajice Jordanem iſtum tu & omnis hic populus, ad terram quam ego do illis, nempe filiis Iſraël.

3. Omnem locum quem calcaverit planta pedis veſtri vobis dedi: quemadmodum loquutus ſum Moſi.

4. A deſerto & Libano iſto uſque ad flumen magnum, flumen Euphraten, tota terra Hitthæorum uſque ad mare Magnum, ad occaſum Solis, erit terminus veſter.

1. *Fuit autem.*] Primo hic oſtenditur Dei perſeverantia in fovendo populo, curandaque ejus ſalute. Quod enim Joſue novum ducem repetitis mandatis confirmat, pertinet ad continuandum gratiæ curſum: ne Moſis obitu ſe derelictos eſſe putent. Jam quidem electus erat Joſue ad gubernandum populum: neque munus injunctum duntaxat, ſed ſpiritualibus quoque donis ipſe fuerat inſtructus. Verum quia fortiſſimi etiam quique, licet probe comparati, ubi ad rem ventum eſt, vel ſubſiſtunt, vel vacillant: minime ſupervacua fuit hæc exhortatio, ut Joſue mox ad expeditionem ſe accingeret. Quanquam non tantum ejus cauſa iterum ſanciturejus vocatio: ſed ut populus collectis animis eum ſequi ducem non dubitet, quem videt pedem non movere niſi præeunte Deo.

2. *Servus meus Moſes.*] Duplex elici poteſt ſenſus. prior erit, Quandoquidem Moſes eſt mortuus, nunc onus in te devolutum eſt. Tu ergo ſubeas in ejus vicem, cui datus es ſucceſſor. Alter, Quamvis interierit Moſes, ne tamen deſiſtas, ſed ulterius perge. Verum illatio magis mihi probatur, ut provinciam ex qua deceſſerat Moſes, ipſe ſuſcipiat ſucceſſionis jure. Epitheton *ſervi* quod Moſi adſcribitur, gubernationem populi reſpicit, ac res ejus geſtas: quia accommodari debet ad circumſtantiam loci. Neque enim de Lege hic agitur: ſed de præfectura, quæ eo mortuo tranſierat ad Joſue. Ac Deus quidem non tam ut Moſen laudet, miniſtrum ſuum agnoſcit, quam ut ſtabiliatur auctoritas Joſue, qui in ejus locum jam erat ſubrogatus. Porro quia forte in nudo præcepto non ſatis acquieviſſet populus: ubi juſſit Jordanem trajicere, promittit pacatos fore dominos totius regionis, quocunque pedem intulerint. Nam ſicuti nihil nos magis ignavos & inutiles reddit quam diffidentia: ita ubi felicem eventum nobis proponit Deus, vigorem ad quidvis aggrediendum inſpirat fides. Adde quod non incipit nunc demum promiſſione ante inaudita eorum animos ad bene ſperandum erigere: ſed in mentem revocat, quod ante illis teſtatus fuerat Moſes. Dicit ergo jam veniſſe tempus, quo præſtet atque exhibeat quod ante pollicitus fuerat Moſi. Si quis objiciat, Abrahæ longe ante natum Moſen id fuiſſe dictum: imo proprie à perpetuo fœdere, quod penes Abraham depoſitum erat, fluxiſſe quicquid quatuor poſt ſeculis audivit Moſes: reſpondeo, præteritam eſſe vetuſtam promiſſionem, quæ paſſim nota erat ac celebris: Moſen vero teſtem produci, cujus recentior erat memoria, & cujus morte quaſi facta fuiſſet populi fides, niſi pronunciaſſet Deus omnium quæ dixerat effectum præſto eſſe.

4. *A deſerto & Libano.*] Quomodo hujus promiſſionis veritas & effectus emerſerit ſupra obſtacula malitiæ populi, neque tamen ipſe ſtatim potitus fuerit tam ampla ditione, in præfatione expoſui. Neque enim ſi inæſtimabiles ſuæ beneficentiæ theſauros explicuerat Deus, eos conſtituendo terræ dominos, ideo non caſtiganda fuit eorum ſegnities. Imo quod illis minitatus fuerat Moſes impleri oportuit, niſi gentes exitio addictas delerent, fore illis ſpinas & aculeos, quibus latera & oculi eorum configerentur. Cæterum, ut remora quadraginta annorum, quibus circumducti ſunt per deſertum, minime caſſa fuit vel irrita promiſſio: ita poſſeſſio integra quamvis diu ſuſpenſa fuerit, nihil de fide decreti, quo adjudicata fuerat, mutavit. Licuit populo ad præſcriptos limites tempeſtive progredi: noluit. Dignus certe fuit qui prorſus expelleretur. Atqui Dei indulgentia conceſſa eſt regio, quæ ad commodam habitationem ſufficeret. Etſi vero prædictum fuerat, juſta mercede infeſtas illis fore quas ſervaſſent reliquias, nihil tamen moleſtiæ perpeſſi ſunt, niſi quum ſua pecfidia & continuis prope defectionibus iram Dei provocaverant. Quoties enim res illis fuerunt proſperæ, ſtatim ad laſciviem defluxerunt. Verum admirabili interea Dei bonitate factum eſt, ut oppreſſi hoſtium violentia, & quaſi in ſepulchrum demerſi, in morte tamen viverent: neque id modo: ſed ut ſubinde exiſterent liberatores, qui præter ſpem rebus perditis ſuccurrerent. Mare magnum vocatur Mediterraneum, cui opponitur terra Hitthæorum: ſicuti Libanus Euphrati: modo ſciamus ſub Libano comprehendi deſertum, quemadmodum ex alio loco patet.

5. Non conſiſtet quiſquam contra te cunctis diebus vitæ tuæ: quia ſicuti fui cum Moſe, ita ero tecum: non te deſeram, nec derelinquam.

6. Confirmare ergo, & roborare: quia tu in hæreditatem divides populo huic terram de qua juravi patribus eorum me daturum illis.

7. Tantum confirmare & roborare vehementer: ut cuſtodias & facias ſecundum totam

Legem quam præcepit tibi Moſes ſervus meus: non recedes ad dextram vel ad ſiniſtram, ut * prudenter agas in omnibus.

* vel, proſpere.

8. Non recedat liber Legis hujus ab ore tuo: ſed mediteris in eo die & nocte, ut cuſtodias & facias, ſecundum id totum quod ſcriptum eſt in eo. Tunc enim ſecundas reddes vias tuas, & tunc prudenter ages.

9. Nonne præcepi tibi, ut te confirmes, & te robores? ne formides neque animo frangaris: quoniam tecum ſum ego Jehova Deus tuus in omnibus ad quæ tu perges.

5. *Non conſiſtet.*] Quia negotium inſtabat cum multis & bellicoſis hoſtibus: hac ſpeciali fiducia neceſſe fuit Joſue inſtrui. Alioqui quod de tradenda terra pollicitus fuerat Deus, ſubinde hæc cura obnubilaſſet: At vero quantæ molis erit tot gentes proſtigare? Ergo tollitur illud impedimentum. Ac quo melius dubitationem eximat, victorias Moſis proponit, quibus palam fecerat Deus ſibi in proſternendis quibuslibet copiis & viribus nihil fore negotii. Jubetur ergo Joſue in ſuppetiis quas Deus Moſi tulerat perſpicere, qualis futurus eſſet bellorum eventus, quæ eodem duce & auctore ipſe ſuſcepturus erat. Nam ſucceſſioni continua gratiæ ſeries annectitur. Quod ſequitur tametſi in eundem finem tendit, verbis tamen latius patet: *Non te deſeram.* Itaque Apoſtolus ab avaritia retrahere volens fideles, ad ſollicitudines quaslibet pacandas, & corrigendos omnes nimios timores illud accommodat. Et certe diffidentia quæ ea anxietate naſcitur, tantum ſatagendi ardorem in nobis accendit, ut miſere tumultuemur in minimis quibuſque periculis, donec ſtatuerimus & Deum nobis affore, & ad nos tuendos ſatis ſuperque in eo fore præſidii. Et vero ubi non aliud timiditati noſtræ ſanandæ remedium præſcribit, præſentiam ſui auxilii debere nobis ſufficere admonet.

Hebr. 13. *verſ.* 5.

6. *Confirmare ergo.*] Subjicitur exhortatio ad fortitudinem, & quidem repetita, quo vehementius afficiat. Quanquam adhuc interponitur promiſſio aliis verbis, ubi ſuæ vocationis certior redditur Joſue, ne dubitanter provinciam ſuſcipiat, quam ſibi divinitus injunctam eſſe novit: aut etiam ſi cum obſtaculis luctandum ſit, ne in medio curſu vacillet. Neque enim ſatis fuiſſet, ſtrenue ſe initio accingere, niſi probe ſimul fuiſſet comparatus ad perſeverantiam. Etſi autem fidei proprium eſt nos animare ad ſtrenue agendum, ſicuti rurſus ignavia & ceſſatione detegitur incredulitas: colligere tamen licet ea hoc loco, non ſatis vigere nudas promiſſiones, niſi accedant exhortationum ſtimuli. Nam ſi Joſue, cujus ſingularis alioqui erat alacritas, ad præſtandum officium incitandus fuit: quanto acrius nos pungi oportet, qui tanta pigritie laboramus? Adde quod non ſemel, nec uno verbo eaigitur robur & conſtantia à Joſue: ſed quia multis & variis certaminibus exercendus erat, ſæpius & pluribus verbis confirmatur. Jubetur forti & infracto eſſe animo. Quamvis ex duobus verbis pateret de re maxime ſeria Deum præcipere, tamen hac duplicatione non contentus, eandem mea ſententiam fierat cum amplificatione: quia adjungit adverbium *valde.* Diſcamus itaque ea hoc loco, nunquam arduis & difficilibus negotiis eaequendis nos fore pares, niſi ſumma contentione nitamur: quia & imbecilla eſt noſtra facultas, & Satan duriter nos oppugnat, & nihil proclivius eſt quam animos remittere. Cæterum quia multi erratico vagoque conatu nervos fruſtra intenduni: additur vera fortitudinis ratio, ut Joſue ſuum omne ſtudium applicet ad ſervandam Legem. Quo docemur, ira nos demum fore ineapugnabiles, ſi ad præſtandum fidele Deo obſeqnium enitamur. Alioqui præſtaret molles & lentos jacere, quam præcipiti audacia ferri. Porro non ſimpliciter Deus ſervum ſuum vult eſſe fortem ad Legem ſervandam: quin potius eum viriliter contendere jobet, ne ſub onere laborioſi muneris fatiſcat. ſed quia obrepere poterat dubitatio, quomodo ſe eapediret in rebus perpleais, & quodnam caperet conſilium: ad Legis doctrinam eum revocat: quia ſe illic præeuntem ſequendo, ſatis ad omnia erit inſtructus. Prudenter, inquit, ages in omnibus, modo te ſub Legis magiſterio contineas. Quanquam verbum Hebraicum שכל, non tantum prudenter, ſed etiam feliciter agere ſignificat, quia ut plurimum temeritas infortuniis plectitur. Quicquid ſit, ita certius animatur ad ſperandum Dei auxilium, ſi totum ſe ejus doctrinæ addicat. Magnopere enim refert, ubi ad nos terrendos impendent pericula, poſſe nos ſtatuere, Deo probari quicquid agimus, quia aliud nihil ſit nobis propoſitum, quam obtemperare ejus mandatis. Porro quia non ſufficeret aliquatenus parere Deo, modeſtiam & ſobrietatem commendat, qua Joſue retineatur in ſimplicitate obedientiæ. Multi enim quibus rectus alioqui eſt affectus, interdum ſibi plus ſapere permittunt quam liceat: unde fit, ut per negligentia multa omittant, vel Dei præceptis admiſceant ſua conſilia. Quod ergo generaliter omnibus vetitum fuit in Lege, ne quid adderent vel detraherent, nunc Deus ad Joſue præcipue accommodat: quia ſi privatis hominibus hæc una eſt vitæ formandæ ratio, multo magis neceſſe eſt, qui populo gubernando præſunt, Deo ſe ſubjicere. Quod ſi hoc modeſtiæ freno opus habuit tantus vir, ne metas ſuas tranſcenderet: quam intolerabilis audaciæ erit, ſi nos qui longe ab eo abſumus, plus nobis ſumamus licentiæ? Nominatim vero hoc ſervo ſuo præſcripſit Deus, ut quibonore eacelluni, ſe tamen eadem ſciant lege teneri, qua vulgus ignobile.

Deut. 12. *verſ.* 32.

8. *Non recedat.*] Aſſidua quoque præcipitur Legis meditatio: quia ubi vel ad eaiguum tempus intermittitur, facile obrepunt multi errores: & memoria contrahit rubiginem, ut multi abjecta ſtudii continuatione, quaſi novi & rudes ad negotia accedant. Jubet ergo Deus ſervum ſuum quotidianos facere progreſſus, ut tota vita in Lege proficere non deſinat. Unde ſequitur, eos quibus faſtidio eſt hoc ſtudium, intolerabili arrogantia eſſe excæcatos. Verum cur ab ore magis quam ab oculis vetat Legem recedere? Quod de facie quidam accipiunt per ſynecdochen, frigidum eſt. Itaque non dubito, peculiariter hoc quadrare ejus perſunæ, qui non tantum ſibi privatim, ſed toti populo cujus regendi curam ſuſtinebat, ſtudium de quo agitur debebat impendere. Sic ergo jubetur attendere ad Legis doctrinam, ut pro munere ſibi impoſito in communem populi uſum proferat quod didicerit. Interea jubetur ſua docilitate aliis dare parendi exemplum. Multi enim concionando, Legem in ore habebunt, qui peſſimi interea eruni ejus cuſtodes. Utrumque ergo maodatur, uralios docendo, ſuos quoque mores & ſe totum ad eandem normam formet. Quod ſequitur in altero membro verſus, oſtendit profanis hominibus tandem infeliciter ceſſorum, quiequid ſpreto Dei verbo tentabunt: & quamvis læta principia interdum arrideant, fore tamen exitus maledictos: quia non aliunde quam à favore Dei proſperos ſucceſſus ſperare licet, quo deſtitui æquum eſt conſilia temere ſuſcepta, omnem arrogantiam quæ ſemper conjuncta eſt cum ipſius Dei contemptu. Ergo fideles urres illis ea voto fluant, Dei benedictionem ſibi concilient tam diſcendi ſtudio, quam fidei obedientia. In fine verſus quia ambiguum eſt verbum,

ut

ut nuper dixi, vel eadem repetitur ſententia, vel additur ſecunda promiſſio: qui ſenſus mihi probatur. Optime enim convenit, poſt felicitatem promiſſam, ſimul Joſue commoneſieri, homines nihil recte, ordine ac ſcienter aggredi niſi quatenus ſe Dei verbo regendos ſubjiciunt. Itaque prudentia quam ex Dei verbo diſcunt fideles, eorum confidentiæ opponitur, qui ſibi ſatis confiderate ex proprio ſenſu agere videntur.

9. *Nonne præcepi.*] Quanquam ſæpe Hebræi interrogando ſimpliciter affirmant, eaque phraſis paſſim trita eſt: hæc tamen interrogatio emphatica eſt ad obſignandam ſuperiorem doctrinam, dum producta in medium ſua auctoritate, dubitatione & cura ſervi ſui animum Deus liberat. Annon ego ſum qui tibi præcepi? inquit. Idem tibi quoque adero. Emphatice nimirum, quia fas non eſt refragari ejus imperio. Docet autem rurſum hic locus, nihil ad fiduciam magis valere, quam ubi Dei vocatione & mandato freti, ejuſque probe nobis conſcii, quo vocat ipſum ſequimur ducem.

10. Tunc præcepit Joſue præfectis populi, dicendo,

11. Tranſite per medium caſtrorum, & præcipite populo, dicendo, Parate vobis annonam: quia poſt tres dies tranſibitis Jordanem hunc, ut intretis & poſſideatis terram, quam Jehova Deus veſter dat vobis poſſidendam.

12. Ad Rubenitas vero & Gaditas & dimidiam tribum Manaſſe loquutus eſt Joſue, dicendo,

13. Recordamini verbi quod præcepit vobis Moſes ſervus Jehovæ, dicendo, Jehova Deus veſter reddidit vos quietos, & dedit vobis terram hanc:

14. Uxores veſtræ, parvuli veſtri, & pecora veſtra reſidebunt in terra quam dedit vobis Moſes trans Jordanem: vos autem tranſibitis armati ante fratres veſtros, quicunque erunt viri bellicoſi, juvabitiſque eos:

15. Donec quietem præſtiterit Jehova fratribus veſtris ſicut vobis, & poſſideant ipſi quoque terram quam Jehova Deus veſter dat eis: & tunc redibitis ad terram hæreditatis veſtræ, poſſidebitiſque eam quam dedit vobis Moſes ſervus Jehovæ ultra Jordanem ad exortum Solis.

16. Tunc reſponderunt Joſue, dicendo, Omnia quæ præcepiſti nobis faciemus, & ad omnia ad quæ miſeris nos, ibimus.

17. Sicut in omnibus obedivimus Moſi, ſic obediemus tibi: tantum ſit Jehova Deus tuus tecum ſicut fuit cum Moſe.

18. Quiſquis fuerit qui rebellaverit ori tuo, nec verbis tuis acquieverit in omnibus quæ ei mandaveris, interficiatur. Tantum confirmare & roborare.

10. *Tunc præcepit.*] Dubitari poteſt, an poſt exploratores miſſos, adeoque ab ipſorum reditu promulgatum fuerit hoc edictum. Et certe mihi non modo probabile eſt, ſed omnino perſuaſum, ubi ex eorum relatu cognovit quæ volebat, tunc demum de caſtris movendis conſilium cepiſſe. Alioqui præpoſtera fuiſſet feſtinatio, viam incognitam arripere: ſiquidem utile cenſebat, de multis rebus ſe prius doceri, quam pedem inferret in terram hoſtilem. Nec vero novum eſt, temporis ordinem negligi, & quod omiſſum fuerat, deinde attexi. Ergo caput ſecundum erit tanquam parentheſis interpoſita, quæ plenius lectoribus explicet, quando tandem Joſue populum juſſerit vaſa colligere. Ubi ergo rebus bene compertis, vidit maturum eſſe progrediendi tempus, populum edicto juſſit ad expeditionem ſe accingere. Ex tanta fiducia pronunciat, elapſo triduo Jordanem tranſituros. nunquam id auſus fuiſſet, niſi Spiritu ſuggerente. Vadum nemo tentaverat, nec ſpes oſtendebatur poſſe id fieri. Neque ponte, neque navibus trajicere licebat. Et facilis nulliuſque negotii erat prohibitio. Nihil ergo aliud reſtabat, niſi ut ipſos Deus mirabiliter veheret. Id Joſue non temere neque ex proprio ſenſu, ſed ut erat divinitus patefactum, ſperavit. In obſequii quoque promptitudine enituit populi fides, quia tanta objecta difficultate, niſi rejecta in Deum cura, nunquam ita fuiſſent morigeri. Nec vero dubium eſt, quin hanc alacritatem indiderit Deus eorum animis, ut obſtacula omnia quæ morari poterant promiſſionis effectum, tolleret.

12. *Ad Rubenitas.*] Conceſſa illis fuerat hæreditas trans Jordanem hac lege, ut in profligandis gentibus Chanaan eandem cum fratribus militiam obirent. Nunc ergo ad præſtandam fidem ipſos hortatur Joſue, ut relictis uxoribus & pueris omnibusque impedimentis, Jordanem trajiciant, nec ſiem bellandi faciant, donec fratres ſuos collocaverint in tranquilla poſſeſſione. Duobus autem argumentis eos ad officium exſtimulat, quorum prius ab auctoritate ductum eſt, alterum ab æquitate. Commemorat ergo quid illis Moſes præceperit, à cujus decreto fas non erat deflectere, quum omnibus probe compertum eſſet, nihil à ſeipſo protuliſſe, ſed tantum quod Deus ore ſuo dictaverat. Interea quod non exprimit oblique ſubindicat, ex compacto etiam ipſos teneri, quoniam receperant ſe ita fucturos. Jam æquitate propoſita eos movet, ne diſpar ſit eorum conditio, quibus eadem hæreditas communiter deſtinata erat. Minime conſentaneum eſſet, inquit, fratres veſtros periclitari, vel ſaltem ſudare bellum gerendo, vos autem in pacata ſtatione commodis omnibus perfrui. Porro quod juber præcedere, non eo tendit, ut primi confligant cum hoſtibus, & ad diſcrimina quælibet expoſiti plus oneris & moleſtiæ ſuſtineant. Tantum hoc modo ad pergendi alacritatem eos hortatur: quia tergiverſandi ſpecies fuiſſet, poſtremum agmen tenendo, lente alios ſequi. Ergo tranſire ante fratres, non eſt ſtare in acie: ſed ordinem ſervando ſtudii promptitudinem teſtari. Nam certum eſt, ut erant in quatuor vexilla diſpoſiti, ita fuiſſe progreſſos. Quod autem viros bellicoſos nominat, inde colligitur quod alibi clarius patebit, ſenibus & aliis parum robuſtis permiſſum fuiſſe domi ſua negotia curare, vel otiari, ſi eſſent fracta & caduca valetudine.

16. *Tunc reſponderunt.*] Non modo acquieſcunt, ſed liberaliter & prolixe deferunt quod debent obſequium. Atque hoc demum eſt rite officio perfungi, hilariter præſtare quod Deus exigit, non ex mœſtitia, ut Paulus loquitur. Si quis objiciat, parum verecunde eos jactare, ſe Moſi fuiſſe obedientes, cui ſæpe fuerant immorigeri: reſpondeo, quamvis non ſemper quo decebat ardore ſequuti fuerint, tamen ſatisad parendum fuiſſe compoſitos, ut non tolerabilis modo eſſet eorum modeſtia, ſed ſummæ 2 *Cor.* 9. *verſ.* 7.

laude digna, ſi reputemus quam ſuperbe eorum pa-
eres tumultuati ſint, & quanta pervicacia excutere
conati fuerint jugum ſibi divinitus impoſitum. Lo-
quuntur enim non refractarii illi, à quibus ſe fuiſſe
Pſal. 95. verſ. 8, 9, 10, 11. exacerbatum conqueritur Deus in Pſalmo: ſed qui
pœnarum exemplis ſubacti, placide ſe ſubmittere
didicerant. Quanquam non tam prædicant ſuas vir-
tutes, quam extollunt auctoritatem Joſuæ, dum pro-
fitentur eodem ſibi loco fore quo Moſen habuerant.
Votum quod ſubjiciunt, ſimul continet fiduciæ
materiam: ut Deus adſit ſervo ſuo Joſuæ, ſicut opi-
tulatus fuerat Moſi. Oſtendunt enim ſe præſto fore
ad bellandum ſub auſpiciis novi ducis, quia perſuaſi
ſint Dei virtute eſſe inſtructum & auxilio, victorem
fore ſperent: ſicuti experti fuerant Deum ſibi mi-
rabiliter adfuiſſe per manum Moſis. Hac porro fi-
ducia præditos fuiſſe colligitur, tum quod experi-
menta gratiæ Dei commemorat ad ſe animandos,
tum quod Joſue ſtatuit Moſis ſucceſſorem, quod
felices ſuccellus. Neque enim pondere caret epithe-
ton, *Deus tuus*: ſed ad continuandum gratiæ Dei
curſum pertinet. Forma tamen loquendi media eſt
inter fidei gloriationem & votum. Quanquam ergo
bonam ſpem ſe in animis alere ſignificant, tamen ut
in re maxime ardua, ſimul ad preces ſe convertunt.
Certe dum mox eum ultro ad conſtantiam hortan-
tur, ſe ejuſdem fiduciæ comites ac ſocios fore demon-
ſtrant. ubi notandum eſt, quamvis omnibus fortitu-
dinis exemplar eſſet Joſue, eoſque tam præceptis
quam factis animaret, viciſſim tamen ſtimulos præ-
currenti addi, ut ſua alacritate melius populum in-
citet.

Cap. II.

Miſerat autem Joſue filius Nun è Sittim viros duos exploratores clam, di-
cendo, Ite, conſiderate terram & Jericho. Profecti ſunt igitur & ingreſſi
ſunt domum mulieris meretricis, cujus nomen erat Rahab, & dormierunt
illic.

2. Dictum autem fuit regi Jericho, Ecce venerunt huc viri nocte hac è filiis Iſraël
ad explorandum terram.

3. Tunc miſit rex Jericho ad Rahab, dicendo, Edue viros qui ingreſſi ſunt ad te, qui
venerunt domum tuam: quia ad explorandam totam terram venerunt.

4. Sumpſerat autem mulier duos viros, & abſconderat eos: tunc ait, Venerunt qui-
dem ad me viri, ſed non noveram undenam eſſent.

5. Fuit autem dum porta clauderetur in tenebris, egreſſi ſunt viri: nec cognovi quo
abierint. Sequimini cito eos, quia comprehendetis eos.

6. Ipſa autem aſcendere fecerat eos in tectum, & abſconderat eos ſub culmis lini ab ea
ordinatis ſuper tectum.

7. Viri autem perſequuti ſunt eos itinere Jordanis uſque ad vada: portam vero claſe-
runt, ſimulac egreſſi ſunt qui eos perſequebantur.

8. Antequam vero dormirent, ipſa aſcendit ſuper tectum ad eos.

9. Et ait ad viros, Novi quod Jehova dederit vobis terram, eo quod cecidit terror
veſter ſuper nos, & quod defluxerunt omnes habitatores terræ à facie veſtra.

10. Audivimus enim quomodo arefecerit Jehova aquas maris Suph à facie veſtra dum
exiiſtis ex Ægypto: & quæ feciſtis duobus regibus Emorrhæi, qui erant trans Jordanem,
Sihon & Og, quos interemiſtis.

11. Audivimus: & diſſolutum eſt cor noſtrum, neque conſtitit ultra ſpiritus à facie
veſtra. Jehova enim Deus veſter Deus eſt in cælo ſurſum & ſuper terram deorſum.

12. Nunc ergo jurate mihi quæſo per Jehovam (feci enim vobiſcum miſericordiam)
quod facietis etiam vos cum domo patris mei miſericordiam, & dabitis mihi ſignum
verum:

13. Quod vivos ſervabitis patrem meum, & matrem meam, & fratres meos, & ſorores
meas, & omnes qui ſunt eorum, eruetiſque animas noſtras à morte.

14. Dixerunt ei viri, Anima noſtra pro vobis ad moriendum: modo non prodideris ſer-
monem noſtrum hunc: tunc erit, ubi tradiderit Jehova nobis terram, faciemus tecum
miſericordiam & veritatem.

15. Demiſit itaque eos funè per feneſtram: domus enim ejus erat in pariete muri, & in
muro ipſa habitabat.

16. Dixit autem eis, Ad montem pergite, ne forte occurrant vobis qui inſequuntur: &
latitate illic tribus diebus, donec redeant qui inſequuntur, & poſtea ibitis per viam
veſtram.

17. Tunc dixerunt ei viri, Innoxii erimus à juramento tuo hoc quo nos adjuraſti.

18. Ecce quum ingrediemur terram, funiculum hunc fili coccinei ligabis in feneſtra, per
quam demiſeris nos: patrem vero tuum & matrem tuam congregabis ad te in domum, &
omnem familiam patris tui.

19. Erit autem, quicunque egreſſus fuerit è valvis domus tuæ foras, ſanguis ejus erit in
caput ejus, nos vero innoxii: quicunque vero tecum fuerit in domo, ſanguis illius in
caput noſtrum ſi manus injecta fuerit in eum.

20. Si vero prodideris ſermonem hunc noſtrum, erimus innoxii à juramento quo ad-
juraſti nos.

21. Reſpondit illa, Ut loquuti eſtis, ita ſit. Tunc dimiſit eos, & abierunt, ligavitque
filum coccineum in feneſtra.

22. Pro-

22. Profecti venerunt ad montem, & manſerunt ibi tribus diebus, donec reverterentur qui inſequuti fuerant: qui quæſierunt per omnem viam, nec invenerunt.

23. Reverſi duo illi poſtquam deſcenderunt è monte, tranſierunt, veneruntque ad Joſue filium Nun, & narraverunt ei quæcunque acciderant ſibi.

24. Dixeruntque ad Joſue, Tradidit Jehova in manus noſtras totam terram. Diſſoluti enim ſunt omnes habitatores terræ à facie noſtra.

1. *Miſerat autem Joſue.*] Alia fuit explorandi ratio de qua nunc agitur quam ſuperior, dum Joſue cum aliis undecim miſſus eſt, ut luſtratis omnibus terræ plagis, de ejus ſitu, natura, fœcunditate, aliiſque dotibus, de urbium amplitudine & frequentia, de incolis & eorum moribus ad totum populum referrent. Nempe quo ſe libentius ad expeditionem accingerent qui alioqui erant ſegniores. Etſi autem ex primo capite Deuteronomii apparet, Moſen flagitante populo miſiſſe delectos viros qui terram inſpicerent: alibi tamen refert, id Dei juſſu ſe feciſſe. Ergo & Deo auctore profecti ſunt illi duodecim, & in finem paulo diverſum, ut terra diligenter perſpecta, excellentiæ ejus præconeſ eſſent ad inſtigandos populi animos. Nunc autem duos clam mittit Joſue, qui conſiderent an liber pateat tranſitus nec ne, ſecurine ſint cives Jericho, an ad reſiſtendum parati & inſtructi. Denique ſpeculatores mittit, ex quorum relatu præcaveat omnia pericula. Quare in utramque partem agitari poteſt quæſtio, probandumne ſit ejus conſilium, an nimia ſollicitudo damnanda: præſertim quia videtur plus æquo innixus fuiſſe ſuæ prudentiæ, dum inconſulto Deo tam circumſpectus fuit ad cavenda pericula. Verum quia neque exprimitur, oraculo fuiſſe admonitum, ut vaſa colligere juberet, ac edictum promulgaret de tranſitu Jordanis: quum tamen res ipſa clamet, de caſtris movendis nonniſi præeunte Deo cogitaſſe: probabile quoque eſt, in mittendis ſpeculatoribus conſcitatum eſſe quid Deo placeret: aut quia videbar ipſe Deus hoc ſubſidio confirmationis opus eſſe, ultro tale conſilium ſervo ſuo inſpiraſſe. Quicquid ſit, dum præcipit Joſue ſuis nunciis ut conſiderent Jericho, ad eam oppugnandam ſe comparat: ideoque certior fieri cupit, qua parte facilior & tutior pateat acceſſus.

Deut. I. *verſ.* 22. *Num.* 13. *verſ.* 4.

Ingreſſi ſunt domum.] Cui nomen meretricis quidam fugiant, & זנה exponant quæ cauponam exercet, non video: niſi probroſum eſſe ducebant hoſpitium ſcorti, vel eximere volebant à dedecore mulierem, quæ non tantum humaniter exceperat nuncios, ſed fortitudine & prudentia ſingulari ſalvos præſtiterat. Id quidem Rabinis ſolenne eſt, quo gentis ſuæ exiſtimationi conſulant, Scripturam audacter torquere, ſuiſque commentis invertere quod minus videtur honorificum. Atqui veriſimile eſt, dum fugitant nuncii hominum conſpectum & frequentiam, ac celebritatem declinant, veniſſe ad mulierem quæ in obſcuro receſſu habitabat. Domus enim contigua erat urbis muro: imo paries exterior domus in muro locatus erat. Unde colligitur fuiſſe angulum ignobilem procul à foro: ſicuti meretrices angiportus & loca ſolitaria ut plurimum incolunt. Nec vero conſentaneum eſt, vulgarem fuiſſe cauponam, quæ promiſcue aperta eſſet quibuslibet: quia nec familiari colloquio tanta fuiſſet libertas, & difficilis ad eos occultandos ratio. Sic igitur ſtatuo: dum ſe clanculum inſinuant, ſtatim ſe in latebras abdidiſſe. Porro quod mulier ad turpem quæſtum ante expoſita paulo poſt in corpus electi populi coaluit, ut fieret Eccleſiæ membrum, id Dei gratiam magis illuſtrat, dum in lupanar penetravit, ut inde non Rahab modo, ſed patrem quoque & fratres extraheret. Certe quum nomen זנה ubique fere ſcortum ſignificet, nulla ratio hic cogit à recepto uſu diſcedere.

2. *Nunciatum eſt regi.*] Probabile eſt, ut dubiis temporibus & in metu belli fieri ſolet, appoſitos fuiſſe cuſtodes qui ſuſpectos hoſpites notarent. Propinqui Iſraëlitæ, qui aperte profeſſi fuerant apud Idumæos & Moabitas ſe in terra Chanaan ſedem quærere: formidoloſa erat eorum multitudo: cæſis duobus vicinis regibus amplam ditionem occupaverant: celebris, ut paulo poſt videbimus, erat fama de tranſitu maris Rubri. Nimiæ ergo ſocordiæ fuiſſet, liberum tranſitum per urbem Jericho in finibus ſitam, advenis quibuslibet permittere in diſcrimine tam manifeſto. Non ergo mirum eſt, homines cognitos, & quos multa indicia prodebant hoſtili animo veniſſe, ſtatim fuiſſe ad regem delatos. Quanquam ſimul colligimus, fuiſſe divinitus excæcatos, quod portas diligentius non cuſtodierint: quia facile erat ea quo ingreſſi fuerant, retineri, ſi mediocris adhibita fuiſſet ſedulitas. Imo protinus examinari oportuit: atque tra nullo negotio fuiſſent deprehenſi. Sic ergo trepidarunt cives Jericho, ut Dei judicio obſtupefacti, nihil ratione vel conſilio agerent. Interea in eaſdem fere anguſtias redacti fuit duo nuncii, acſi ad pœnam trahendi eſſent. Rex eos accerſit: latent in caupona: vita eorum ex lingua mulieris non ſecus atque è filo pendet. Putarunt nonnulli, caſtigatam hoc modo fuiſſe diffidentiam Joſue, quia ſolo Dei ductu fretus debuerat ſecure trajicere Jordanem. Verum ea mihi in diverſam potius ſententiam nos ducit, Deum ereptis à tanto diſcrimine nunciis, animos populo addidiſſe: quia in illo potentiæ ſuæ documento palam oſtendit, ſe pro ſalute populi & felici in terram ingreſſu excubare.

4. *Mulier accepit viros.*] Conjicere licet, antequam juſſa fuerit Rahab eos repræſentare, ſparſum fuiſſe rumorem de eorum adventu, atque ita aliquantulum temporis datum fuiſſe ad eos occultandos. Et certe, audito regis mandato, niſi rebus ad fallendum probe compoſitis, non fuiſſet tergiverſandi locus: multo autem minus auſa fuiſſet tam ſecure mentiri. Verum quia ſuos hoſpites ſic texerat, ut difficilis eſſet inveſtigatio, prodit intrepide in medium, & callido reſponſo ſe expedit. Jam hic quæritur, primum fueritne excuſabilis patriæ proditio: deinde an mendacium vitio caruerit. Scimus naturaliter ingenitum nobis eſſe patriæ amorem, quæ velut communis eſt matet. Quum ergo ſciret Rahab de clade urbis agi, cujus indigena & alumna erat, deteſtanda videtur fuiſſe inhumanitas ſpeculatores conſilio & ope juvare. Puerile effugium eſt, nondum profeſſos fuiſſe hoſtes, bello non indicto: quando ſatis liquet in civium ſuorum perniciem conſpiraſſe. Ergo ſola cognitio, quam Deus animo ejus indidit, eam eximit à culpa tanquam ſolutam communi lege. Laudatur à duobus Apoſtolis ejus fides, qui ſimul teſtantur, officium quod ſpeculatoribus præſtitit, Deo fuiſſe gratum. Non mirum igitur, ſi Deus ubi molierem extraneam traducere dignatus eſt ad populum ſuum, & in Eccleſiæ corpus inſerere, à gente profana & maledicta ſegregavit. Quamvis itaque ad eum uſque diem obſtricta fuiſſet ſuis popularibus: ubi tamen cooptata fuit in corpus Eccleſiæ, nova conditio quædam manumiſſio fuit à jure ſocietatis quo inter ſe devincti ſunt cives. Denique ut fide tranſiret in novum populum, renunciare oportuit ſuis popularibus. Ex quia tantum Dei judicio acquievit, nullum in proditione fuit crimen. De mendacio ſic habendum eſt: quamvis in bonum finem tenderet, non tamen fuiſſe extra culpam. Nam qui mendacium officioſum prorſus excuſant, non ſatis attendunt quam pretioſa ſit Deo veritas. Ergo quamvis fratres noſtros juvare,

Hebr. 11. *verſ.* 31. *Jacob.* 2. *verſ.* 25.

eorum saluti consulere, & ipsos sublevare propositum sit: nunquam mentiri fas erit: quia rectum esse non potest, quod Dei naturæ est contrarium. Atqui Deus est veritas. Neque tamen ideo virtutis laude exuitur opus Rahab, quamvis macula sit aspersum. Sæpe enim contingit, dum sancti rectam viam tenere student, in obliquos tamen circuitus divertere. Dum Rebecca filio suo Jacob benedictionem procurat, oraculo subscribit. In ejusmodi obsequio pius & laude dignus zelus perspicitur. Atqui filium Jacob subornando in locum Esau, non dubium est quin ab officio deflectat. Vafrities ergo opus per se laudabile aliquatenus contaminat. Neque tamen particulare vitium gratiam prorsus abrogat sancto ejus studio: quia Dei indulgentia fespelitur, ne in rationem veniat. Perperam quoque Rahab, dum nuncios absuisse mentitur: præcipua tamen actio Deo grata, quia vitium virtuti admistum non imputatur. Interea sicuti voluit Deus liberari speculatores, ita mendacio protegi eorum vitam non probavit.

Genes. 27.

7. *Viri persequuti sunt.*] Tanta credulitas ostendit, fuisse à Deo infatuatos. Etsi autem ipsis delusis multum profecerat Rahab: nova tamen injicitur anxietas, quia portis occlusis urbs instar carceris spem exitus adimebat. Serio itaque examine rursus fuerunt experrecti ad Deum invocandum. Nam quum ex eorum relatu scripta fuerit hæc historia, quid tunc ageretur minime eos latuit: præsertim quum amplificandæ gratiæ suæ causa Deus eos consulto objecerit aliis atque aliis discriminibus. Et jam quum edocti fuissent se quæri, ubi refertur fuisse pervigiles, sollicitos ac perplexos fuisse colligimus. Trepidationem vero non parum auxit, quod narratum est, ab exitu prohiberi. Apparet tamen Rahab nullo modo fuisse exterritam, quando præsenti animo & sedatis verbis de sua & familiæ incolumitate pacisci tur. Atque in hac constantia relucet quæ alibi commendatur ejus fides: quia humanitus nunquam contempto regis & populi furore, semimortuis hospitibus supplicasset. Ridiculum quidem multis videtur elogium quo eam insignitum tam Jacobus quam auctor Epistolæ ad Hebræos, dum eam recensent in catalogo fidelium. Verum quisquis circunstantias omnes prudenter expendet, facile judicabit præditam fuisse viva fide. Primo si à fructibus arbor cognoscitur, hic effectus fidei cernimus non vulgares qui totidem sunt ejus testimonia. Deinde ex semine pietatis hæc sententia prodiit, jam quodammodo victas esse & prostratas gentes vicinas, quia terrore divinitus immisso perculsi sunt omnium animi. Occurrunt ejusmodi voces in profanis quoque scriptoribus: quas Deus ut sibi regendis & flectendis quocunque voluerit hominum cordibus imperium vendicaret, expressit. Verum quod illi quasi pßittaci garriunt, Rahab ex sincero affectu pronuncians Deum terram destinasse filiis Israël, quia omnes incolæ defluxerint coram ipsis, imperium Deo vendicat in hominum corda, quod ei mundi superbia abrogat. Etsi enim omnium temporum experientia docuit, plures exercitus cæsos fuisse vel profligatos subito & inopinato pavore, quam vi & impressione hostium: mox tamen evanuit illa cognitio. Hinc factum est, ut suam fortitudinem semper extulerint victores, & ex prospero successu gloriati sint, se bellicosos ac strenuos fuisse. Senserunt fateor, interdum aliunde vel conferri vel eripi pugnandi audaciam & animosos spiritus: unde fortunam plurimum in bello pollere confessi sunt, vel prorsus dominari: & de Panicis terroribus jactatum proverbium: vota quoque nuncupata sunt tam Jovi Statori, quam Pavori: sed nunquam ferio eorum animis infedit hæc persuasio, unumquemque fortem esse, prout Deus præsentem animum indiderit: timidum vero, prout dejecerit ejus audaciam. Divinitus ergo factum esse agnoscit Rahab, ut terrore perculsæ gentes Chanaan præjudicio quodam seipsas damnent: ac inde colligit, quod ita formidabiles sint filii Israël, præsagium esse victoriæ, quia Deo duce militent. Quod autem omnium animi concidenant quasi liquefacti, & tamen obstinata vecordia se ad resistendum parabant: inde perspicitur ubi Dei manu fracti & contriti jacent impii, non tamen subigiad recipiendum jugum: sed in suo pavore & anxietate manere indomabiles. Atque hic notandum, quomodo in communi metu differant fideles ab incredulis: qua etiam in parte fidem Rahab perspicere licet. Timebat enim ipsa non secus ac unus quilibet è populo. Sed dum reputat sibi negotium esse cum Deo, statuit non aliud sibi esse remedium, quam humiliter & placide cedendo, malum declinare: quia resistendo nihil proficier. Quid autem miseri omnes regionis incolæ? Quam vis pavore exanimati jaceant, non tamen frangitur eorum pervicacia, quin se ad conflictum stimulent.

Jacob. 2. vers. 25. Hebr. 11. vers. 31.

10. *Quomodo sicceverit Jehova.*] Præcipuam consternationis causam recenset, quod rumor de inauditis ante miraculis sparsus opinionem indiderat omnium animis, Deum pro Israelitis bellare. Neque enim dubium erat quin via per mare Rubrum divinitus patefacta esset, quando aquæ nunquam mutata natura coacervatæ essent in solidos cumulos, nisi ita jubente Deo naturæ auctore. Illa igitur elementi conversio palam ostendit, Deum stare à parte ejus gentis, cui siccum transitum per aquas & abyssos dederat. Victoriæ quoque contra Og & Sihon, ut erant insignes, merito censeri debuerant testimonia ejusdem erga Israëlitas favoris. Quanquam hoc posterius membrum conjectura duntaxat subnixum fuit: in transitu vero maris probatio plena & solida: non secus ac si manum è cælo Deus extendisset. Persuasio igitur occupavit omnium animos, Deum in populi Israëlitici expeditione præcipuum esse ducem. unde pavor & consternatio. Atqui simul probabile est, falsa imaginatione deceptos esse, ac si Deus Israël in certamine superior fuisset diis Ægypti: sicuti Poëtæ fingunt prout quisque deus in patrocinium suum hanc vel illam gentem recepit, cum aliis bellare, atque ita inter se confligere dum singuli tuentur suos clientes. At vero fides Rahab altius transcendit, dum soli Deo Israël summam potentiam cum æternitate adscribit. Id enim continet elogium Jehovæ. Itaque non somniat pro vulgari more, quempiam ex turba deorum Israëlitas auxilio suo juvare: sed quem illis favere vulgo notum erat, verum & unicum Deum prædicat & agnoscit. Videmus ergo ut ex communi auditu longe supra suos populares profecerit.

11. *Jehova Deus vester ipse est.*] Hic vero tanquam in speculo dilucida apparet imago fidei Rahab, ubi prostratis omnibus idolis, cæli & terræ imperium uni Deo Israëlis asserit. Neque enim obscurum est, ubi Deo Israëlis subjicitur cælum & terra, omnium gentium commenta repudiari, quibus majestas Dei, & potentia, & gloria discerpitur. Unde perspicitur, non temere fidei titulo insigniri Rahab à duobus Apostolis. Id quidem subsannant superbi quidam & fastidiosi homines: sed utinam expenderent quid sit Deum verum & unum ab omnibus fictitiis discernere, & simul ita extollere ejus potentiam, ut censeatur totum mundum regere pro suo arbitrio. Nec vero dubitanter loquitur Rahab, sed absolute pronunciat, quicquid est potentiæ residere in solo Deo Israëlis, ut omnibus elementis imperet, omnia ordinet sub sum ac deorsum, resque humanas constituat. Interea non nego fidem ejus fuisse implicitam: imo libenter admitto, germen duntaxat fuisse pietatis, quod nondum ad æternam salutem sufficeret. Tenendum est nihilominus, quamlibet tenuis & exigua effet Dei cognitio in hac muliere: dum se ejus imperio addicit, proferre electionis suæ documentum, & ex illo semine germinare fidem, quæ deinde in justam mensuram adolevit.

Hebr. 11. vers. 31. Jacob. 2. vers. 25.

12. *Nunc*

12. *Nunc itaque jurate.*] Aliud fidei ſpecimen: quod in certa poſſeſſione terræ Chanaan filios Abrahæ locat, non alio argumento freta, niſi quod illis divinitus promiſſam audierat. Neque enim Deum latronibus favere exiſtimavit, qui injuſta violentia & effreni libidine in alienos fines irrumperent: quin potius ſtatuit, venire illos in terram Chanaan quia ejus dominium illis Deus adjudicaverat. Nec vero credibile eſt, quum tranſitum peterent ab Idumæis & reliquis, tacuiſſe quorſum tenderent. Imo gentibus illis nota erat promiſſio Abrahæ data, cujus memoriam iterum renovarat abdicatio Eſau. Porro in ſermone Rahab iterum refulget quod de fide prædicat auctor Epiſtolæ ad Hebræos, viſionem eſſe rerum non apparentium. Habitat Rahab apud ſuos in urbe munita. Hoſpitibus ſemimortuis perinde vitam ſuam commendat, acſi rerra jam potiti, ſuo arbitrio ſervare quoslibet poſſent ac perdere. Hæc certe voluntaria dediſio perinde fuit acſi Dei promiſſionem amplexa, in ejus patrocinium ſe conferret. Jusjurandum porro exigit, quia ſæpe in expugnandis urbibus fervor & perturbatio memoriam officii excutit. Eadem ratione commemorat quam erga eos exercuit humanitatem: ut gratitudo magis ad fidem præſtandam eos exſtimulet. Etſi enim ſatis apud eos valere debebat jurisjurandi religio: bis tamen inhumanum ac turpe fuit, hoſpitæ à qua liberati fuerant, non referre gratiam. Humanitatis vero eſt, quod de patre quoque & conſanguineis ſollicita eſt. Naturale id quidem: ſed multi ita ſibi addicti ſunt, ut filii patrum morte vitam ſuam redimere non dubitent: tantum abeſt, ut animum & ſtudium applicent ad eos ſervandos.

14. *Anima noſtra in mortem.*] Mortem ſibi imprecantur, niſi Rahab ſervandæ curam fideliter ſuſcipiant. Nam quod vertunt quidam, Trademus animas noſtras, videtur remotum vel nimis reſtrictum: quando non aliud propoſitum eſt, quam ſe coram Deo obligare. Seſe igitur tanquam piacula conſtituunt, ſi quid adverſi patiatur Rahab eorum negligentia. Particulam, *Pro vobis*, ad patrem, fratres & ſorores referri dubium non eſt. Itaque vitam ſuam obnoxiam reddunt, ut ab ipſis exigatur ſanguis, niſi familia Rahab maneat incolumis. Atque in eo ſita eſt jurandi ſanctitas, quamvis impune fallere liceat quoad homines, ut Deus tamen interpoſitus teſtis rationem perfidiæ repoſcat. Facere miſericordiam & veritatem tantundem Hebræis valet, ac fideliter, ſincere, conſtanter humanitatis officio defungi. Exceptio autem inſeritur, modo ne Rahab prodat ſermonem: non diffidentiæ cauſa, ut vulgo exponunt, ſed tantum ut melius ſibi caveat Rahab. Fidelis ergo fuit hæc admonitio, & ex pura benevolentia manavit: quia periculum erat, ne Rahab ſuo ſemet judicio proderet. In ſumma, oſtendunt quanti interſit, rem latere quaſi ſepultam: ne mulier pactum inconſiderate jactando, ſibi mortem accerſeret. Qua in re oſtendunt, ſerio ejus ſalutem ſe curare, quando mature prævenunt, ne ſibi eripiatur beneficii facultas. Quod diſtincte etiam præcipiunt, ne quis domo exeat, ſeque innoxios fore profitentur, ſi quis in publico occiſus fuerit: inde utilem doctrinam colligere licet, ſobrietatem in juramentis ſedulo colendam eſſe, ne futiliter quidlibet promittendo, nomen Dei profanemus. Conſilium Rahab, ut divertant in montem illicque triduo quieſcant, oſtendit cum fide minime pugnare cautiones quæ manifeſtis periculis occurrunt. Non dubium eſt, quin trepide in montem obrepſerint nuncii: interea tamen fiducia quam ex notabili Dei auxilio conceperant, eorum greſſus direxit ne quid tumultuoſe agerent. Quæſtio rurſus à quibuſdam movetur, quum crimen ſit muros tranſilire, an licuerit per feneſtram urbe egredi. Verum tenendum eſt, non ubique ſanctos fuiſſe muros urbium: quia non ubique fuerunt Romuli, qui ad fratres necandos prætextum captarent. Deinde lex illa, ut Cicero admonet, æquitate temperanda eſt: quia præmio quam pœna dignior eſt, qui repellendi hoſtis cauſa murum conſcenderit. Finis legis eſt, ut murorum cuſtodia ſecuri ſint cives. Qui igitur nec contemptu, nec protervia, nec fraude, nec tumultuoſe, ſed neceſſitate coactus muros tranſcenderit, perperam ideo trahetur in capitis diſcrimen. Si quis excipiat, mali eſſe exempli rem, id quidem fateor: ſed ubi vitam eripere ab injuſta violentia aut latrocinio propoſitum eſt, modo abſque offenſione cujusquam aut noxa id fiat, neceſſitas excuſat. Sic Paulo quod per ſportam demiſſus eſt quum Damaſci periclitaretur, vitio minime vertendum fuit: quia vim & crudelitatem ſceleratorum abſque tumultu fugere, divinitus permiſſum eſt. *Alter. 9. verſ. 25.*

24. *Nunciarunt Joſue, dicendo.*] Docet hic locus, Joſue in eligendis ſpeculatoribus non fuiſſe deceptum, quia ex ſermone cordatos & rara integritate præditos fuiſſe apparet. Alii forte nondum à concepto ſemel pavore recreati, mta caſtra turbaſſent. Hi vero dum admirabilem Dei gratiam tam in felici ſuæ expeditionis eventu, quam in ſuperato periculo reputant, Joſue & populum ad intrepide pergendum horrantur. Etſi autem ſola promiſſio ad terram occupandam ſufficere debuerat: eo tamen uſque indulget Deus ſuorum infirmitati, ut tollendæ dubitationis cauſa quod pollicitus eſt, experimentis confirmet. Conſternatio itaque gentium probavit non fruſtra loquutum eſſe Deum, quum jam illas fugare inciperet, & quaſi immiſſis crabronibus abigere. Ratiocinantur enim exemplo Rahab, terram ſibi eſſe datam, quia incolæ metu fera evanuerint. Ideo illativam particulam poſui, quum tamen ad verbum legatur, Atque etiam. Verum ſatis liquet confirmari quod dixerat hoc modo. Et certe diſſoluti ſunt omnium animi, acſi Dei manu ſe proſtigari ſentirent.

CAP. III.

SUrrexit autem Joſue ſummo mane, & profecti ſunt è Sittim, veneruntque uſque ad Jordanem ipſe & omnes filii Iſraël, pernoctaruntque illic antequam tranſirent.

2. Et fuit à fine trium dierum, ut præfecti tranſirent per medium caſtrorum:

3. Præciperentque populo, dicendo, Quum videritis arcam fœderis Jehovæ Dei veſtri, & ſacerdotes Levitas portantes eam, proficiſcemini è loco veſtro, ibitiſque poſt illam.

4. Veruntamen interſtitium erit inter vos & ipſam fere duum millium cubitorum in menſura: ne appropinquetis ei, ut cognoſcatis viam per quam ambulaturi eſtis. Non enim tranſitis per viam iſtam heri vel nudiuſtertius.

5. Dixerat autem Joſue ad populum, * Sanctificate vos. Cras enim faciet Jehova in medio veſtri mirabilia.

* aut, *præparate.*

6. Loquutus autem eſt Joſue ad ſacerdotes, dicendo, Tollite arcam fœderis, & tranſite ante populum. Tulerunt itaque arcam fœderis, & ambularunt ante populum.

7. Dixerat autem Jehova ad Josuam, Hodie incipiam magnificare te in oculis totius Israël, ut sciant, quomodo fui cum Mose, sic me fore tecum.

8. Tu ergo præcipies sacerdotibus portantibus arcam fœderis, dicendo, Quum ingressi fueritis usque ad extremum aquæ Jordanis, in Jordane stabitis.

9. Dixitque Josue ad filios Israël, Accedite huc, & audite verba Jehovæ Dei vestri.

10. Dixit item Josue, In hoc cognoscetis quod Deus vivens est in medio vestri, & quod expellendo expellet à facie vestra Chananæum, Hitthæum, & Hivæum, & Pherisæum, & Gergesæum, & Amorrhæum, & Jebusæum.

11. Ecce arca fœderis Dominatoris universæ terræ transibit ante vos per Jordanem.

12. Nunc ergo tollite vobis duodecim viros è tribubus Israël, singulos per singulas tribus.

13. Quum autem quieverint plantæ pedum sacerdotum portantium arcam Jehovæ dominatoris universæ terræ in aquis Jordanis, aquæ Jordanis intercidentur, & aquæ * superne fluentes consistent in acervo uno.

* vel, *desuper* vel, *deorsum.*

1. *Surrexit mane.*] Tenendum est quod ante docui, Josuam castra non movisse postridie quam reversi fuerunt speculatores: sed ipsis demum auditis, mandasse per præfectos ut vasa colligerent, quia triduo post transituri erant Jordanem. Ergo quod mane surrexit, non refertur simpliciter ad eorum reditum, sed potius ad promulgationem edicti. Triduo completo, rursus per castra emissi sunt præfecti, qui de modo trajectionis populum commonefacerent. Hæc quamvis sparsim narrentur, facile tamen est contexere historiæ filum. Antequam vero palam fieret, qua ratione patefacturus viam esset populo, multitudo ad ripam fluminis exposita tumultuandi causam habuit. Vadis quidem Jordanis trajiciebatur. Verum tunc intumuerant aquæ, atque exundaverant, ut transitum facile prohiberent vel expeditis hominibus. Spes itaque nulla dabatur, mulieres & parvulos cum animalibus & impedimentis reliquis posse transportari in ulteriorem ripam. Quod autem objecta desperationis materia, dubium & sibi incomprehensibilem eventum sedatis animis expectant, ex hac fidei obedientia patet, quam dissimiles fuerint patribus, qui ad minimas quasque occasiones turbulento impetu efferebantur contra Deum & Mosen. Quæ mutatio non absque singulari Spiritus Dei operatione contingit.

2. *A fine trium dierum.*] Nempe ex quo indicta fuerat profectio. Neque enim ad ripam diutius una nocte subsiteruntur. Sed quia tempus triduo ad trajiciendum fuerat præfixum: ea autem spe dejiciebantur: nunc hortatur eos Josue, ut obstaculis ac difficultatibus valere jussis, attenti sint ad Dei virtutem. Etsi enim nondum designatur miraculi forma, dum tamen arca fœderis producitur instar vexilli ad iter regendum, colligere promptum fuit, Deum aliquid insolitum parare. Ac dum suspensi tenentur, iterum serio examine probata fuit eorum fides: quia raræ virtutis fuit, præcepto simpliciter morem gerere: atque ita Arcam sequi quum de successu nondum plane edocti essent. Atqui hoc præcipuum est fidei caput, non inquirere curiose quid facturus sit Deus, nec subtiliter disceptare quomodo fieri possit quod pronunciat: verum curas omnes quibus angimur, rejicere in ejus providentiam: & quoniam immensa est ejus potentia, ut in eam recumbamus, sensus nostros attollere supra mundum, & fide amplecti quod ratione non capimus.

Num. 4. vers. 15.

4. *Verumtamen interstitium.*] Quum minotibus Levitis, quibus gestandæ Arcæ injuncta erat provincia, severe interdictum fuerit ne eam attingerent, vel nudam conspicerent, vulgus ab illius accessu longa distantia prohiberi mirum non est. Ergo commendatur Arcæ dignitas, dum jubetur populus longe se ab ejus accessu subducendo, venerationem suam testari. Et scimus quid Uziæ contigerit, dum eam à petulcis bobus excuti videns, zelo inconsiderato manum suam supponit. Quamvis enim familiariter nos ad se Deus invitet, fiducia tamen securitatem

2 Sam. 6.

& audaciam minime gignit, quin potius semper conjuncta est cum metu. Hac ratione arca fœderis suave quidem & jucundum fuit gratiæ Dei pignus, ut tamen formidabilis esset ejus majestas ad domandam carnis superbiam. Porro hæc humilitas & modestia simul ad fidem exercendam valuit, ne Dei gratiam nimis angustis finibus constringerent, sed longe dissiti ab Arca, statuerent propinquam sibi esse Dei virtutem. In fine versus ostenditur, quam necessarium illis sit divinitus regi per iter incognitum: ut sollicitudo & metus eos sub Arcæ protectione contineat.

5. *Dixerat Josue.*] Insolitam quidem Dei potentiam in ferendo auxilio proponi oportuit, ne segnities ex hæsitatione remoram adferret: quo tamen penderent Israëlitæ ex mero Dei consilio, speciem miraculi nondum aperte designat Josue, nisi forte uno contextu legere placeat quod paulo post sequitur. Atque hæc vera fidei probatio est, sic recumbere in Dei consilium, ut non scitemur nimis anxie de forma agendi vel eventu. Quia verbum שׁוּב nunc præparare significat, nunc sanctificare, & uterque sensus non male convenit, liberam optionem relinquere visum est. Nam & fides nos ad percipiendam Dei virtutem præparat: & quum se propius manifestabat Deus, solenni ritu se consecrabant. sicuti videmus in promulgatione Legis Mosen Dei jussu sanctificasse populum. Quod exponunt quidam, populo tantum in hunc finem mandari ut se purget ab inquinamentis, ne quid transitum Jordanis impediat, videtur esse nimis restrictum.

6. *Loquutus est ad sacerdotes.*] Probabile est, admonitos fuisse sacerdotes, quorum vellet Deus Arcam præire, ut ad exequendum imperium promptiores essent: quia & totus populus mox de interciscione aquarum fit certior. Jam ante quum in castris edixerant præfecti, ut arcam fœderis lequeretur populus: sacerdotes minime latebat quod obituri erant muneris. Diserte enim pronunciatum fuit duces vel antesignanos fore. Verum ubi omnes fuerunt in procinctu, palam explicuit Josue quod acceperat oraculum. Neque enim consentaneum esset, clarius vulgo quam ipsis patefactam fuisse Dei gratiam. Atqui continuo post subjicitur, populum de miraculo fuisse edoctum. Itaque statuo, postquam aliquandiu suspensos tenuit Deus sacerdotes cum multitudine, comperta omnium obedientia palam denunciasse quod facturus erat. Primo itaque narratur, sacerdotibus injunctum fuisse à Josue, ut Arcam portarent ante populum: deinde ne quis putaret, eum temere vel proprio arbitrio id tentasse, simul inferitur promissio, qua instructus ad præcipiendum fuit. Etsi autem illic diserte non exprimitur, abruptum iti cursum Jordanis: ex sermone tamen Josue ad populum habito colligere licet, protoxius loquutum esse Deum, & distinctius expositisse quod facere decreverat. Neque enim quicquam retulit Josue quod non ex ore Dei ipsius intellexisset: imo antequam

quam rem ipſam profetat, jubet audire Dei verba, atque ita præfatur omnium quæ dicturus eſt Deum ſibi eſſe auctorem.

10. *In hoc cognoſcetis.*] Miraculi vim longius extendit quam ad terræ ingreſſum: & merito: quia illis tantum patefieri iter in terram hoſtilem, unde nullus deinde eſſet tegreſſus, nihil aliud erat quam in mortem eaponi. Nam aut deprehenſi in angustiis & regione incognita facile concidiſſent, vel periiſſent confecti inedia & rerum omnium egeſtate. Prædicit ergo Joſue, quum Deus flumen retroaget, petiode fore acſi manum porrigeret ad profligandos omnes terræ incolas: & quod in tranſitu Jordanis ſpecimen edet ſuæ potentiæ, ſimul obtineodæ contra omoes populos victoriæ certum fore præſagium. Hinc ſcietis, inquit, Deum vobis præſto eſſe. in quem finem? non ſolum ut pedem ponatis in terra Chanaan, ſed etiam ut ea potiamini. Nam certe quum de profligandis gentibus fit mentio, tranquilla & vacua poſſeſſio notatur. Itaque ſicuti fluvium ſcindendo clare oſtendit Deus virtutem ſuam apud Iſraëlitas reſidere: ita viciſſim ſpem perpetui auxilii concipere debuit populus, acſi hoſtes ſuos jam ſterni & peſſundari videret. Neque enim Deus opus manuum ſuarum in medio curſu mutilum & iochoatum deſerit. Ut Deus in hæreditatem promiſſam ſuos inducat, Jordane inrerciſo ſiccum iter patefacit. Quid ergo magis perverſum, quam io momentaneo illo actu ſubſiſtere, nec confidere in futurum tempus, donec pacata obtingeret terræ fruitio? Prudenter itaque hoc exemplo contexere diſcamus quæ ad ſalutis noſtræ ſummam pertinent Dei beneficia, ut læta exordia ſpem ſimilis exitus foveaot & alant io animis noſtris. Quod autem dicit Joſue populum ea miraculo cognirurum Dei præſentiam, obliqua diffidentiam ejus perſtringit: quia ad ſolidam certitudinem ſufficere ſimplex Dei promiſſio debuerat, in qua ſola niſi fundata ſit noſtra fides, ſubinde vacillare neceſſe eſt. Verum quamvis proprie in una Dei veritate recumbere debeat fides, id tamen non obſtat, quin experimeotalis cognitio eam adjuvet tanquam ſecundaria imbecillitatis ejus fultura, & ſubſidium ejus coofirmationi utile. Nam & Deus quod nobis voce pollicitus eſt, re ipſa obſignat, & quotquot nobis proponit ſuæ gratiæ & virtutis documeota, totidem vult eſſe approbationes ſuæ vocis, & ad eximendam dubitatiooem adminicula.

11. *Ecce Arca Dominatoris.*] Primo dicit Arcam præituram: deinde explicat in quem finem: nempe ut loco cedat Jordanis tanquam Dei cooſpectu tremefactus, ut io Pſalmo dicitur. Quæ autem de viris duodecim ioſeritur narratio abrupta eſt: quia breviter tantum delibat quæ poſtea fuſius & clarius tradet. Nunc ſolum teneamus, quum Arca præceſſit, Deum ſuam virtutem ea plicuiſſe in regendo populo. Atque hac tatione commendata fuit cultus Legalis ſanctitas, quum perſpicerent Iſraëlitæ non inane eſſe quod Deus apud ipſos depoſuerat ſuæ præſentiæ ſymbolum. Neque enim aliter quam ſi Jordani conſpicua fuiſſet Dei majeſtas, in ejus obſequium coactus eſt. Simul tamen meminerimus, non alia ratione adductum eſſe Deum ut gratiam ſuam in Arca exererer, niſi quia illic tabulas ſui fœderis locaverat. Porro quia res difficilis erat creditu, animos populi revocat Joſue ad conſiderandum quæ omnes difficultates ſuperat Dei potentiam. Neque enim frigidum eſt elogium *Dominatoris univerſæ terræ*, quo hic Deus inſignitur: ſed ejus imperium extollit ſupra omnia mundi elemenra, ne dubitent Iſraëlitæ, quum ſub ejus ditione ſint maria & fluvii, aquas licet natura ſint fluidæ, ſolo ejus nutu fore ſtabiles.

14. Et fuit, quum proficiſceretur populus ad tranſeundum Jordanem, ſacerdotes qui portabant arcam fœderis erant ante populum.

15. Poſtquam autem venerunt qui portabant arcam uſque ad Jordanem, & pedes ſacerdotum portantium arcam intincti fuerunt in extremo aquarum: (Jordanis autem erat plenus ultra omnes ripas toto tempore meſſis)

16. Conſtiterunt aquæ quæ deſcendebant deſuper, & aſſurrexerunt in acervum unum procul valde, ab Adam urbe quæ eſt ad latus Sarthan: & quæ deſcendebant ad mare ſolitudinis, mare Salis, conſumptæ ſunt, intereciderunt: populus autem tranſierunt è regione Jericho.

17. Stabant autem ſacerdotes portantes arcam fœderis Jehovæ in ſicco in medio Jordanis * expediti: totus vero Iſraël tranſibant per ſiccum, donec finem facerent univerſa gens tranſeundi Jordanis.

* *præparati.*

15. *Poſtquam venerunt.*] Non vulgari laude digna fuit ſacerdotum virtus, ultra alveum quoque intrepide pergendo penetrare in aquam ipſam, quum ſtatim metueoda eſſet ſubmerſio. Pedibus eoim intinctis quid ſperare poterant, niſi mox ſe reperturos profundum gurgitem quo abſorberentur? Quod argo non terrentur fluminis occurſu quominus ad præſcriptum locum perſeveraoter contendant, lignum eſt raræ alacritatis ex fiducia conceptæ. Acceſſit peculiaris tentatio, quod tunc Jordanis eaundaverat, ut ſolet quotanois æſtatis initio. Neque enim cooperta planitie notari poterat riparum tractus, nec vadum obſervari: & illuvies late diffuſa timorem & curam augebat. Ecoum his quidem obſtaculis certare voluit Deus populum ſuum & præſertim ſacerdotes, quo illuſtrior eſſet fidei & conſtantiæ ipſorum victoria: ſimul tamen objecta difficultate magis extulit miraculi gloriam, dum ejus imperio ceſſerent aquæ, & in firmam congeriem coagmentatæ ſunt, quæ ripas ſuas exceſſerant. Primo formam miraculi expunit, tollendæ dubitationis cauſa, ne profani homines ſubtiliter exquirerent alias cauſas ad obruendam Dei gratiam. Poteſt quidem fieri, ut brevi tempore cohibeatur aquarum fluxus, & ſpatium aliquod ſiccum appareat, vel muretur curſus, & alio ſe avertat. Sed aquas ſtare in acervum congeſtas, nunquam certe oaturaliter contigit vel fortuito. Hac ratione dicitur, aquas quæ ante ex ſuperiore loco fluebant ut deſcenſu ipſo quærerent continuos eaitus, tunc ſtetiſſe. Nec vero dubium eſt, quin formidinem incuſſerit incredibila illud ſpectaculum: quo melius agnoſcerent Iſraëlitæ ſe in media morte ſervari. Quid enim erat illa congeries niſi ſepulchrum ad obruendam totam multitudinem, ſi aquæ pro ſua natura liquefactæ eſſent? Si ambulaſſent ſuper aquas, pontis vice fuiſſet illis fides. Nunc vero dum impendent aquarum montes eorum capitibus, perinde eſt acſi ſub aquis reperiteot vacuum & planum iter. Deſignatur locus inter duas urbes, ne unquam intercidat memoria: ſicuti etiam voluit illic Deus lapides ſtatui in perpetuum monumentum, quo ſeculis omnibus tam præclarum beneficium apud poſteros celebraretur.

Cap. IV.

Cap. IV.

ET fuit, poſtquam finem fecit tota gens trajiciendi Jordanis: quia loquutus erat Jehova ad Joſuam, dicendo,

2. Tollite vobis è populo duodecim viros, virum unum ex quaque tribu:

3. Et præcipite illis, dicendo, Tollite vobis hinc è medio Jordanis à loco ubi ſtant pedes ſacerdotum expeditorum, duodecim lapides, quos feretis vobiſcum, & deponetis in loco ubi hac nocte manebitis.

4. Tunc vocavit Joſue duodecim viros quos ordinaverat è filiis Iſraël, ſingulos ex quaque tribu:

5. Et dixit illis Joſue, Tranſite ante arcam Jehovæ Dei veſtri per medium Jordanis, & tollat quiſque ex vobis lapidem unum ſuper humerum ſuum pro numero tribuum filiorum Iſraël.

* Hebr. *in medio veſtri.*

6. Ut ſit hoc inter * vos ſignum quum interrogaverint filii veſtri cras patres ſuos, Qui ſunt lapides iſti apud vos?

7. Tunc reſpondeatis eis, quod intercliſæ fuerint aquæ Jordanis ante arcam fœderis Jehovæ: quum, inquam, tranſiret Jordanem, intercliſæ fuerint aquæ Jordanis: tunc facti fuerint lapides iſti in monumentum filiis Iſraël perpetuo.

8. Fecerunt itaque filii Iſraël ſicut præceperat Joſue, & ſuſtulerunt duodecim lapides è medio Jordanis ſicut loquutus fuerat Jehova ad Joſuam pro numero tribuum filiorum Iſraël, tuleruntque eos ſecum ad locum ubi pernoctarunt, & repoſuerunt illic.

9. Duodecim quoque lapides erexit Joſue in medio Jordanis ſub ſtatione pedum ſacerdotum qui portabant arcam fœderis, manſeruntque ibi uſque ad hunc diem.

1. *Et fuit, poſtquam.*] Quod breviter & obſcure attigerat de viris duodecim, nunc prolixius exponit. Dixerat juſſu Dei electos fuiſſe quemque ex ſua tribu: ſed abrupto ſermone finem ſubticuerat. Nunc dicit mandatu Joſue ſuſtuliſſe duodecim lapides, ac depoſuiſſe in Gilgal, ut apud poſteros extaret inſigne monumentum. Porro quia tantum commemorat, quid factum fuerit poſt tranſitum populi: quod interponitur, per tempus pluſquam perfectum verti debet. Copulam vero vice rationalis particulæ accipi facile apparet. Summa eſt, antequam pedem moverent ſacerdotes è medio flumine ubi conſtiterant, lapides ab eorum pedibus fuiſſe ſumptos, & locatos in Gilgal, ut perpetui eſſent miraculi teſtes: atque ita Joſue fideliter fuiſſe exquutum quod Deus præceperat. Vocavit ergo Joſue viros quos ante delegerat: ſed non abſque Dei juſſu: quo ſcilicet plus auctoritatis haberet teſtimonium. Nam ſi trophæum ejuſmodi ſponte erexiſſet Joſue, laudanda quidem fuiſſet ejus pietas: ſed contempta forte fuiſſet admonitio tantum hominis arbitrio conſtituta. Nunc autem ubi ſignum Deus ipſe attollit, id negligenter præterire nefas eſt. Itaque monumentum ſumma attentione dignum ſignificat, dum filios interrogantes inducit, quid ſibi velint lapides.

7. *Tunc reſpondeatis.*] Quamvis per ſe non loquantur lapides, monumentum tamen parentibus materiam loquendi præbuit, ut filiis teſtatum facerent Dei beneficium. Atque hinc tum propagandæ pietatis ſtudium exigitur à ſenibus, tum erudiendis liberis jubentur operam impendere. Voluit enim per ſingulas ætates Deus hanc doctrinam per manus tradi: ut qui tunc nondum nati erant, à parentibus tamen edocti, teſtes eſſent ex auditu, quamvis rem oculis non vidiſſent. Pro humero autem tribuum poſiti ſuot lapides, ut ſingulæ proprio ſymbolo ad gratitudinem incitarentur. Duæ quidem tribus & dimidia, quibus trans Jordanem obtigerat hæreditas, tranſitu illo ſeorſum opus non habuerant. Sed quia in commune bonum totius generis Abrahæ poſſeſſa à reliquis fuit terra Chanaan, ſeparari alios ab aliis non oportuit, quorum eadem vel communis erat ratio. Etſi vero hactenus nonniſi duodecim virorum facta fuit mentio, ex clauſula tamen apparet, propoſitum toti populo fuiſſe Dei mandatum: quia dicitur, filios Iſraël obtemperaſſe verbis Joſue. Quin etiam probabile eſt, ſuffragiis fuiſſe delectos, qui lapides deferrent omnium nomine.

9. *Duodecim quoque lapides.*] Nullus ſub aqua videtur fuiſſe lapidum uſus: ideoque abſurdum fuiſſe lapides obruere in loco profundo. Nam in aliis qui locati fuerunt in Gilgal, quia palam conſpiciebantur, data fuit loquendi occaſio. At vero abſconditos ab hominum oculis in imo fundo latere, nihil profuit ad mentes excitandas. Inutile quidem, fateor, fuiſſet monumentum ſilentio prorſus ſepultum. Sed quum inter ſe narrarent relictum illic fuiſſe veſtigium tranſitus, valuit ad fidei confirmationem audire quod non cernebant. Arca fœderis ſanctuario incluſa erat, & oppoſito velo tegebatur: neque tamen fructu carebat occultus ejus ſplendor, quum ex Lege diſcerent, reconditum illic eſſe Dei fœdus. Poteſt etiam fieri, ut quum fluvius minueretur, interdum apparuerit cacumen acervi. Verum quod dixi magis probabile eſt, quamvis lapides defoderet Joſue in medio amne, utiliter coram populo defixiſſe teſtimonium, quod hominum ſermone poſtea celebraretur.

10. Sacerdotes autem portantes arcam ſtabant in medio Jordanis, donec compleretur omnis ſermo quem præceperat Jehova ad Joſuam, ut diceret populo: prorſus ut præceperat Moſes ipſi Joſue: feſtinavit autem populus tranſeundo.

11. Quum vero tranſeundo finem feciſſet univerſus populus, tranſivit arca Jehovæ, & ſacerdotes coram populo.

12. Tranſierunt quoque filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe armati ante filios Iſraël: quemadmodum loquutus fuerat ad eos Moſes.

13. Quadraginta millia armatorum tranſierunt coram Jehova ad prælium ad campeſtria Jericho.

14. Eo die magnificavit Jehova Joſuam in oculis totius Iſraëlis: & timuerunt eum quemadmodum timuerant Moſen omnibus diebus vitæ ejus.

15. Lo-

15. Loquutus eſt autem Jehova ad Joſuam, dicendo,
16. Præcipe ſacerdotibus portantibus arcam teſtimonii ut aſcendant è Jordane.
17. Et præcepit Joſue ſacerdotibus, dicendo, Aſcendite ex Jordane.
18. Porro quum aſcendiſſent ſacerdotes portantes arcam fœderis Jehovæ è medio Jordanis, & translatæ eſſent plantæ pedum ſacerdotum in ſiccum, reverſæ ſunt aquæ Jordanis ad locum ſuum, & fluxerunt ſicut heri & nudiustertius ſuper omnes ripas ejus.

10. *Sacerdotes autem.*] Ubi aliis feſtinantibus jubemur conſiſtere, ſcimus quam facile in hac remora obrepat tædium, quia deterior videtur noſtra conditio. Merito itaque laudatur ſacerdotum patientia, quod toto populo ad ripam ulteriorem celeriter currente, ſoli in ſua ſtatione placide quieverint. Poterat enim dubitatio obrepere, ne aquarum moles quæ eorum capitibus imminebat, ſubito defluxu eos abſorberet. Pietatem ergo ſuam non minus teſtati ſunt illic manendo, quam dum in adverſum fluvium tendere auſi ſunt. Ita initio apparuit eorum promptitudo: conſtantia deinde acceſſit, quæ palam faceret non impetu tantum obſequutos eſſe Deo. Firmum enim quod laudatur propoſitum nonniſi ex viva radice manare potuit. Modeſtiæ fuit, quod nihil tentarunt inconſiderate, ſed ad Dei ſermonem tanquam ad normam, compoſita fuit tota actio. Erſi autem probabile eſt, novo oraculo edoctum fuiſſe Joſue quid factu eſſet opus, dicitur tamen ſequutus quod præceperat Moſes. Quod ego ſic interpretor, Moſen diligenter mandaſſe, ut ex ore Dei penderet: ipſum vero fuiſſe penitus morigerum, atque ideo ſemper obſervaſſe quid Deo placeret. Denique præceptum Moſis cujus ſit mentio, generale fuit: Deus autem prout ferebat res nata, Joſue ſpecialiter admonuit.

12. *Tranſierunt quoque filii Ruben.*] Expeditionem duarum tribuum & dimidiæ commemorat: quoniam non ſua privatim cauſa profecti ſunt ad obeundam militiam: ſed ut fratres, quorum virtute parta illis fuerat poſſeſſio, in terra Chanaan occupanda viciſſim adjuvarent. Hanc legem impoſuerat Moſes, ſeque jurejurando obſtrinxerant, reliqui populi ſe fore comites, donec quietam ſedem adepti omnes forent. Idem rurſus polliciti fuerunt, quum movenda eſſent caſtra: ſicut capite primo vidimus. Verum ex hac narratione colligimus, nonniſi partem fuiſſe delectam. Numerantur enim duxtaxat quadraginta millia virorum: nempe tertia pars aut circiter eorum qui cenſi paulo ante fuerant. Porro quia ubique dicuntur ſatisfeciſſe ſuis promiſſis, probabilis elicitur conjectura, Moſis conſilium non fuiſſe, præciſe exigere, ut omnes qui nomina dederant, relictis uxoribus & liberis, militarent in terra Chanaan, donec prorſus debellatum foret. Et certe durum ac crudele fuiſſet, imbellem turbam multis gentibus infeſtis circumdatam abſque cuſtodia deſerere. Nec vero hoſtium reliquiæ à vicinis gentibus adjutæ in tanta occaſione diu ceſſaſſent, quin mulieres & pueros trucidando, ſe ulciſcerentur. Præſidium ergo in regione nondum ſatis pacata manere oportuit, quod ad prohibendas incurſiones ſufficeret. Nec vero adeo rigidus fuit Moſes quin miſeris conſuleret. Quin etiam pro ſua prudentia & æquitate nunquam præſidio nudaſſet quam nuper armis occupaverant ditionem. Adde quod concurſus tantæ multitudinis impedimento fuiſſet magis quam adjumento in acquirenda terra Chanaan. Hac itaque moderatione contentus fuit Moſes, ne Rubenitæ & Gaditæ fratribus in gerendo bello occupatis, ipſi reſides & otioſi proventus ſuos domi comederent, ac eos deſtituerent ſuo auxilio, quibus acceptam ferre debebant quam nacti erant hæreditatem. Atque in eo perſpecta fuit quadraginta millium ſinceritas, quod tribulibus ſuis quietis, onera, moleſtias, & pericula militiæ non detrectant. Promptum erat cauſari, ſibi non minus juſtam eſſe vacationis cauſam. Quod igitur delectu habito alacriter pergunt quo jubentur, neque fratribus immunitatem invident, inde apparet fuiſſe ſponte & liberaliter ad officium paratos. Quanquam dubium non eſt, accepto ſtore, anſam querimoniis & litibus fuiſſe præciſam: neque enim contendere æquum fuit, quin ſenibus & emeritis, vel teneris & debilibus parcerent. niſi forte divinare quiſpiam malit, non judicio, ſed forte conſcriptum fuiſſe exercitum. Mihi tamen potius videtur, ut quiſque erat robuſtiſſimus & ad ferendos labores maxime idoneus, nomen deciſſe.

14. *Eo die magnificavit.*] Non fuit hic quidem præcipue miraculi finis, ut Joſue potentia & auctoritate præſtaret: ſed quum publicæ utilitatis magnopere referret, Joſue imperium ſtabiliri, merito tanquam beneficentiæ Dei cumulus id ponitur, fuiſſe quaſi ſacris inſignibus ornatum, quæ veneration em apud populum parerent, ne quis eum contemnere auderet. Niſi enim à capite regatur promiſcua multitudo, ſponte diſſipatur. Deus ergo, ut populi ſui ſaluti proſpiceret, Joſuam inſignivit eximia nota, quæ ejus vocationem aſſereret. Diſcendum autem eſt ex hoc loco, eos omnes à Deo nobis commendari per quorum manum excellenter virtutem ſuam profert, ut juſtum apud nos honorem ac reverentiam obtineant. Porro ſi quis objiciat, quod dicitur populus timuiſſe Joſuam ſicut Moſen timuerat, multis ſeditionibus & turbis refelli, quas non proterve modo, ſed furioſe contra eum excitaverant. Facilis ſolutio eſt, non comprehendi totum tempus ex quo egreſſi fuerant ex Ægypto, ſed tantum notari illud quo ſubacti plagis ac manſuefacti, Moſen obedienter colere cœperant. Tranquilla enim gubernatio nunc deſcribitur, acſi pervicaciam veterem exuiſſent: præſertim vero, ubi tumultuoſis patribus mortuis ſucceſſit melior ſoboles. Itaque non legimus quicquam fuiſſe negotii in illis regendis ac flectendis. Quod jam expoſui, nunc breviusattingo. Nam dum eos hortatus initio fuit Joſue ad obſequium, ſe fore obſequentes dixerunt ſicut ante fuerant Moſi.

17. *Præcepit ſacerdotib.*] Clarius exprimitur quam ſedatis & compoſitis animis ad Dei nutum attenti fuerint ſacerdotes: quia pedem non moverunt donec receptui canere juſſit Joſue. Sicuti autem raræ virtutis fuit ita eſſe morigeros & obſequentes; ita paterna Dei ſollicitudo in eo refulget, quod ſingulos fere progreſſus dirigere voce ſua & moderari gravatus non eſt, ne qua perplexitas tardiores eos redderet. Sequitur luculentior miraculi confirmatio, quod ſimulac ripam tranſcenderunt, Jordanis more ſuo iterum fluere cœpit. Niſi enim redifſet ad priſtinam naturam, & quidem repente: multi occultam cauſam, ſed fortuitam, mutationis imaginati eſſent. Verum ubi Deus minimis temporum articulis potentiam & gratiam ſuam illuſtrat, tollitur omnis dubitatio. Quum primum madefacti ſunt pedes ſacerdotum, Jordanis retroceſſit: nunc eorum diſceſſu liberum curſum recuperat, idque eodem quo in ripam venerunt momento. Siccum enim hic accipitur pro ea parte, quæ exundatione tecta non erat. Ita fluvius quamvis mutus, optimus fuit præco, dum pluſquam ſonora voce teſtatus eſt Deo Iſraëlis ſubeſſe cœlum & terram.

19. Populus autem aſcendit è Jordane decima die primi menſis, & caſtrametati ſunt in Gilgal ad plagam Orientalem Jericho.

20. Ac duodecim lapides quos tulerant ex Jordane, ſtatuit Joſue in Gilgal.

21. Et loquutus eſt ad filios Iſraël, dicendo, Quum interrogaverint eras filii veſtri patres ſuos, dicendo, Quid lapides iſti?

22. Indicabitis filiis veſtris, dicendo, Per aridam tranſivit Iſraël Jordanem iſtum:

23. Quoniam ſiccavit Jehova Deus veſter aquas Jordanis à facie veſtra donec tranſiretis: quemadmodum fecit Jehova Deus veſter mari Suph, quod ſiccavit à facie noſtra donec tranſiremus.

24. Ut cognoſcant omnes populi terræ manum Jehovæ, quod fortis ſit: ut timeatis Jehovam Deum veſtrum cunctis diebus.

19. *Populus autem.*] Cur notetur dies quo terram ingreſſi ſunt, & in ea prima caſtra locarunt, videbimus proximo capite. Nomen vero primæ ſtationis Gilgal ponitur κατ' ἐξοχήν: quia ſic poſtea vocatus fuit à Joſue poſt novam circumciſionem: & etymologia ſuo loco videbitur. Porro hic præcipue agitur de monumento duodecim lapidum: cujus etſi facta ante fuerat mentio, nunc tamen quaſi ſolennis dedicatio narratur: nempe quod Joſue non modo extruxerit acervum, ſed ejus uſum commendaverit populo, ut à patribus ad filios celebris vigeret gratiæ Dei memoria. Quum vero filios ſciſcitantes inducit quid ſibi velint lapides illi, colligimus ita fuiſſe diſpoſitos ut ſpectantium ſenſum afficerent. Nam ſi temere nulloque ordine fuiſſent congeſti, nunquam poſteris in mentem veniſſet de ſignificatione inquirere. Ergo in collocatione fuit notabilis ratio, quæ non permitteret ſpectaculum illud negligi. Cæterum quia fœdus Dei quo genus Abrahæ adoptaverat, continua ſerie firmum erat in mille ætates: propter corporis unitatem quod Deus patribus mortuis præſtiterat beneficium ad filios communiter tranſfertur, qui longo poſt tempore nati erant. Atque hæc conjunctio vehementius excitare debuit eorum animos: quia admoniti hoc modo fuerunt poſteri, quod pridem majoribus datum fuerat, ad ſe quoque pertinere. Alioqui frigide exceptum fuiſſet reſponſum, ſi ad unum diem reſtricta fuiſſet Dei gratia. Verum ubi audiunt filii filiorum ſiccatum à facie ſua fuiſſe Jordanem multis antequam naſcerentur ſeculis, agnoſcunt ſe illum eſſe populum erga quem ſe protulerat mirificus ille Dei favor. Eadem ratio eſt de arefacto mari Rubro, quamvis res non adeo vetuſta foret. Certe duo ſoli erant ſuperſtites Caleb & Joſue, qui egreſſi eſſent ex Ægypto: ſic tamen alloquitur totum populum acſi oculatus eſſet teſtis miraculi. Siccavit à facie noſtra Deus mare Rubrum. Nempe quia in gratiam perpetuæ adoptionis quæ à patribus ad filios tranſibat, id fuerat factum. Porro tranſitum maris Rubri in memoriam revocari operæpretium fuit, non modo ut ſimilitudo miraculi fidem faceret: verum ut audita Jordanis hiſtoria, ſimul renovaretur ſuperius illud miraculum, quamvis nullum ejus viſibile ſymbolum ante oculos extaret.

24. *Ut cognoſcant omnes populi.*] Commemorat Deum illud edidiſſe potentiæ ſuæ ſpecimen, non ut tantum prædicaretur in populo ſuo, ſed ut fama longe lateque ſpargeretur inter gentes. Etſi enim laudem ſuam voluit reſidere in Sion: voluit tamen opera ſua aliquatenus innoteſcere extraneis, ut fateri cogerentur eum eſſe verum Deum: & quem libenter ſprevifſeot, eum inviti metuerent. ſicuti in cantico Moſis dicitur, Inimici noſtri ſunt judices. Significat enim, velint nolint increduli, ex cognitione tamen operum Dei illis extorqueri banc confeſſionem. Verum quia nihil illis profuit, ſcire, quanta eſſet Dei fortitudo, diſcernit eos Joſue ab Iſraelitis, quibus peculiarem ſcientiam attribuit, nempe quæ generet ſerium Dei timorem. Ut cognoſcant gentes, inquit: tu vero timeas Deum tuum. Ergo dum lucem tenebris ſuis obruunt increduli, diſcamus ex conſideratione operum Dei proficere in timore ejus. Addit, Cunctis diebus: quia gratia de qua nunc agitur, in plures ætates diffuſa fuit. *Deut. 32. verſ. 31.*

CAP. V.

1 FUit autem, quum audiſſent omnes reges Emorrhæi qui erant trans Jordanem ad Occidentem, & omnes reges Chananæi qui juxta mare, quod ſiccaſſet Jehova aquas Jordanis à facie filiorum Iſraël donec tranſirent, liquefactum fuit cor eorum, neque fuit amplius in eis ſpiritus à facie filiorum Iſraël.

2. Eo tempore dixit Jehova ad Joſuam, Fac tibi cultros acutos, & iterum circumcide filios Iſraël ſecundo.

3. Et fecit ſibi Joſue cultros acutos, circumciditque filios Iſraël in colle præputiorum.

4. Hæc autem eſt cauſa cur circumciderit Joſua. Univerſus populus qui egreſſus fuerat ex Ægypto, maſculi omnes viri bellatores mortui erant in deſerto in itinere poſtea quam egreſſi erant ex Ægypto.

5. Nam circumciſus fuerat totus populus qui egreſſus eſt: at totum populum, qui natus fuerat in deſerto in itinere, poſtquam egreſſi erant ex Ægypto, non circumciderant.

6. Nam quadraginta annis ambulaverunt filii Iſraël per deſertum, donec conſumeretur univerſa gens virorum bellatorum, qui egreſſi fuerant ex Ægypto, qui non audierant vocem Jehovæ, quibus juraverat Jehova quod non oſtenderet terram de qua juraverat Jehova patribus eorum ſe daturum illis, terram fluentem lacte & melle.

7. Filios itaque eorum quos ſubſtituit in locum ipſorum circumcidit Joſue, quia incircumciſi erant: neque enim eos circumciderat in itinere.

8. Quum autem fuit circumciſus univerſus populus, manſerunt in loco ſuo in caſtris donec ſanarentur.

9. Dixit Jehova ad Joſuam, Hodie devolvi opprobrium Ægypti à vobis. Et vocavit nomen loci illius Gilgal, uſque in hunc diem.

1. *Fuit*

1. *Fuit autem, quum audiſſent.*] Hucuſque apud eos valuit agnitio formidabilis Dei potentiæ, ut pavore attoniti deficerent: verum animos eorum non flexit ad quærendum mali remedium. Liquefactum ergo fuit cor eorum, quia conſilio & viribus deſtituti ſe non moverunt: ſed quoad contumaciam, eadem ſemper duritiem eos conſtrinxit. Et jam alibi vidimus ſic terrore exanimari incredulos, ut tamen non deſinant Deo reluctari: ſic concidere, ut ſua ferocia cælum impetant. Ergo metus qui ad cavendum eos ſtimulare debuerat, nihil aliud quam præcipites egit. Verum divinitus territi fuerunt in populi gratiam, quo expeditior eſſet victoria: & animoſiores eſſent Iſraëlitæ, quum viderent cum bubus jam fractis & ſemimortuis fore negotium. atque ita eorum infirmitati peperci Deus, acſi obſtaculis remotis viam patefeciſſet: quia plus ſatis alioqui timidi & pigri erant. Summa igitur eſt: priuſquam conſligerent, hoſtes fuiſſe jam proſtratos, quia miraculi fama timorem incuſſerat.

2. *Eo tempore.*] Videtur maxime abſurdum & prodigio ſimile, Circumciſionem ramdiu fuiſſe intermiſſam: præſertim quia quotidianis documentis admonitos diligentius ſolito attendere decebat ad colenda pietatis exercitia. Symbolum erat adoptionis, unde illis obtigerat liberatio. Certe dum ad extrema redacti ſub tyrannide gemebant, ſemper circumciderunt ſuos liberos. Et ſcimus quam levere minetur Deus, ſi quis octavum diem prætereat, ſe ultorem fore. Quod ſi neglecta fuiſſet obſervatio in Ægypto, quis tunc videri poterat Dei fœdus quodammodo obſoletum, magis excuſabilis fuiſſet ſegnities. Nunc vero quum de integro affulget Dei veritas ad ſtabiliendum fœdus, quænam excuſatio niſi viciſſim teſtentur ſe Dei eſſe populum? Defenſio quam afferunt interpretes, prorſus frivola eſt. Fateor aſſidue fuiſſe in procinctu, ſemper fuiſſe incertos quando migrandum foret. Verum perperam inde colligi dico, nullum illis fuiſſe liberum diem: quia crudele fuiſſet teneros fœtus circumcidere, dum paulò poſt movenda erant caſtra. Nihil enim tanti eſſe debuit, ut ſecure contemnerent quod dictum fuerat Abrahæ: Anima quæ circumciſa non fuerit, excidetur è populo ſuo. Quod ſi periculum eſſet mortis, optimum & unicum erat compendium, recumbere in paternam Dei providentiam, qui certe paſſus non eſſet infantibus exitiale eſſe ſuum præceptum. Denique omiſſio periculi reſpectu noo aliunde naſci poterat quam ex diffidentia. Quod ſi in certum diſcrimen conjecti eſſent infantes, parendum nihilominus fuit Deo: quia obſignatio fœderis qua recipiebantur in Eccleſiam, centum vitis erat preſtoſior. Nec vero tantam ignaviam tuliſſet Moſes, niſi alia ratione inductus. Porro in re dubia conjicio, non à primo die egreſſus deſtitiſſe à circumcidendis filiis: ſed tantum ex quo propter ſuam pervicaciam retenacti ſunt. Et hac ratione tam accurate exprimitur defectio & pœna. Neque enim dicitur, rurſus luiſſe circumciſos, quod in illa peregrinatione ſubinde mutandus eſſet locus: ſed quia oportuit effluere quadraginta annos, donec conſumerentur ſceleratı illi apoſtatæ, qui ſe promiſſa hæreditate abdicaverant. Hæc igitur cauſa notanda eſt, quod filii Iſrael vagati ſint per deſertum, donec tota illa gens aboleretur quæ Deum ſequi abnuerat: ex qua (meo judicio) colligere licet, in ſignum maledictionis vel rejectionis ceſſaſſe toto illo tempore Circumciſionis uſum. Verum quidem eſt, pœnam hanc innoxiis fuiſſe inflictam: ſed utile fuit, patres caſtigari in eorum perſona, acſi Deus in poſterum eos repudiaret. Quum ergo cernerent nihil à profanis & extraneis ſobolem ſuam differre, ſimul patefactum fuit quid eſſent promeriti. Emergit tamen abſurditas, primum quod illis damnatis, mox eorum ſoboles recepta fuit in gratiam: deinde quod ipſis quoque relicta fuit ſpes veniæ: præcipue vero, quod privati non ſunt aliis Sacramentis, quorum aliter non poterant eſſe participes, niſi à profanis gentibus ſegregati. Deus quidem, fateor, eos repudiando ſimul teſtatur ſe propitium fore eorum liberis: verum cernere in ſua ſubole repudii ſignum donec omnes periiſſent, utilis fuit caſtigatio. Pignus enim gratiæ ſuæ nonniſi ad tempus Deus retraxit, & apud ſe quaſi reconditum ſervavit ulque ad eorum mortem. Itaqua hæc pœna liberis qui poſtea nati ſunt, inflicta proprie non fuit: verum ſuſpenſio perinde valuit, acſi Deus palam faceret Circumciſionem ſe differre, ne profanaretur, donec ejus renovandæ veniret opportunitas. Si quis excipiat, abſurdum fuiſſe Paſcha celebrare in præputio, fateor ſecundum ordinem uſitatum. Neque enim ad Paſcha & ſacrificia admiſſi fuerunt niſi qui initiati eſſent in Dei cultum: ſicuti neque hodie myſterium Cœnæ aliis commune eſt, quam qui jam per Baptiſmum in Eccleſiam ſunt recepti. Sed Deo liberum fuit ordinaria ratione ad tempus mutata, participes facere aliorum ſacrorum, quibus Circumciſionem ademerat. Ita in una parte excommunicatus fuit populus: adminiculis tamen idoneis interea ſublevatus eſt, ne deſperaret. Quemadmodum ſi pater filio infenſus, pugnum attollat, acſi vellet procul abigere, & tamen altera manu domi eum retineat: minis terreat ac verberibus, nolit tamen à ſe diſcedere. Hæc mihi videtur fuiſſe ratio cur Deus præcipuo adoptionis pignore populum ſpolians, aliis tamen adminiculis deſtitui noluerit. Si quis objiciat, diſerte exprimi nullos fuiſſe in itinere circumciſos ex quo egreſſi ſunt: reſpondeo, brevitatis cauſa non exacte omnia notari: colligi tamen poſſe ex contextu, non alios præputium geſtaſſe, niſi qui poſt ſeditionem nati erant. Dicitur enim, Filios eorum quos ipſis ſubſtituit Deus, Joſue circumcidit. Unde apparet novum populum fuiſſe tunc creatum, qui perverſis defectoribus ſubſtitueretur. Porro triſtis ac dura fuit hæc probatio, quod Deus populum ante circumcidi noluit quam ab hoſtibus undique obſideretur. Commodior certe & tutior fuiſſet ratio, antequam ſordanem trajicerent, in regione Baſan, quæ proſligatis jocolis pacata erat, ſe circumcidere. Expectat Deus uſque dum inter medios hoſtes incluſi, eorum libidini & violentiæ pateant: acſi conſulto eos morti objiceret. Nam omnes ex vulnere debilitatos ſimul decumbere oportuit: ut nullo negotio jugulari potuerint. Si enim duobus filis Jacob impune in urbem Sichem perrumpere liberum fuit, & civibus occiſis eam diripere: quanto facilius vicinis gentibus fuit, Iſraelitas eodem modo fauciatos aggredi & paſſim trucidare? Fuit igitur, ut dixi, hoc valde aſperum examen: quo majori laude digna eſt promptitudo obſequii. Quanquam locus ipſe videtur Dei conſilio electus, quo propenſiores eſſent ad parendum. ſi trans Jordanem idem mandatum fuiſſet, timeodum erat ne animos deſponderent, & hac remora injecta, iterum detrectarent terram ingredi. Nunc quum felicibus auſpiciis quaſi Dei manu in poſſeſſionem adducti, ſublato hoc uno obſtaculo certam debellandi ſpem concipiunt, nihil mirum ſi libentius obtemperent quam ſi nondum fuiſſent tam præclare confirmati. Ipſe quoque terræ conſpectus ſtimulos addere debuit, quum ideo ſe rurſus Deo conſecrari intelligerent, ne terram ſanctam polluerent eorum præputia.

Genſ. 17. *verſ.* 14.

Genſ. 34.

6. *Dixit Jehova ad Joſuam.*] Opprobrium Ægypti quidam exponunt, quod præputium eos ſimiles redderet Ægyptiis, profanos ſcilicet ac ignominiæ macula notatos: acſi dictum eſſet receptos eſſe in Dei peculium, ubi deciotegro inſigniti fuerunt hac nota, ut ab immundis gentibus differrent. Alii active accipiunt, factam eſſe ne poſthac ludibrio ſint Ægyptiis, acſi Deus eos fefelliſſet quod tan-

quam longe petitum repudio. Alii non fore amplius falso dedecori obnoxios, acsi deos gentis illius coluissent. Ego vero existimo pbtius intelligi, liberatos esse invidia criminis, quo alioqui gravati essent. Odiosum erat excusso jugo, à rege sub cujus ditione agebant, desciviſſe. Porro quia jactabant Deum injustæ tyrannidis fuisse vindicem, exprobrare facile erat falso eos obtendere nomen Dei. Ergo pro fugitivis habiti essent, nisi ad eluendum dedecus opposita fuisset Circumcisio, qua jam obsignata erat Dei electio in eorum carne antequam descenderent in Ægyptum. Proinde vetusti fœderis instauratione palam factum est, non fuisse rebelles legitimo imperio, nec propria temeritate abiisse: sed libertatem à Deo fuisse redditam, qui pridem eos in fidem & clientelam receperat. Ab hac devolutione probri nomen loco impositum fuit. Nam qui Gilgal putant vocari rescissam pelliculam, quia sit velut rotundus circulus, discedunt à verbis, & commentum minime necessarium longe accersunt: quum res per se liqueat, locum fuisse vocatum revolutionem, quia illic Deus populum suum ab ignominia qua indigne onerabatur, asseruit. Quod Josephus libertatem interpretatur, vanum & ridiculum est. Unde apparet non minus linguæ Hebraicæ fuisse ignarum quam scientiæ Legalis.

10. Itaque castrametati sunt filii Israël in Gilgal, & fecerunt Pesah quarta decima die mensis ad vesperum in campestribus Jericho.

11. Et comederunt è fructu terræ postridie Pesah infermentata, & polentam ipsomet die.

12. Et cessavit Man postridie postquam comederunt è frumento terræ: neque fuit ultra filiis Israël Man, sed comederunt è fructu terræ Chanaan eo anno.

13. Contigit autem quum esset Josue apud Jericho, ut levaret oculos suos ac aspiceret: & ecce vir stabat contra eum, in cujus manu erat gladius evaginatus: & ivit Josue ad eum, dixitque illi, Ex nostris es? an ex adversariis nostris?

14. Et dixit, Non: sed ſum princeps exercitus Jehovæ: nunc veni. Et cecidit Josue in faciem suam ad terram, & adoravit, dixitque ei, Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?

15. Et dixit princeps exercitus Jehovæ ad Josuam, Solve calceamentum tuum è pedibus tuis: quia locus super quem stas, sanctitas est. Et ita fecit Josue.

Hic narratur legitimo die celebratum fuisse Pascha. Quanquam sunt qui putent quasi de re insolita verba fieri: atque inde colligunt, per quadraginta annos fuisse interruptum, sicut omissa fuit Circumcisio. nempe quia abfurdum fuisset, præputiatos ad sacrum epulum se ingerere: deinde quia ab initio anni secundi non legimus Pascha fuisse immolatum. Atqui probabile non est, quod Deus perpetuum esse nuper jusserat, repente fuisse abjectum. Dictum enim illis
Exod. 12. vers. 41. fuerat, Nox observabilis erit apud filios Israël in cunctas generationes suas. Quomodo conveniet biennio post obsolevisse quod seculis omnibus inviolabile esse debuit? Cujus deinde socordiæ fuisset tam exiguo tempore sepelire beneficii recentis memoriam? Atqui præputium bonam partem arcebat, ne mysterium profanaretur. simul enim dictum fuerat, Nemo
Exod. 12. vers. 48. incircumcisus accedet. Jam respondi, fuisse id extraordinarium privilegium, quod Lege soluti sunt filii Israël. Nam certe interea sacrificiis usi sunt, & se exercuerunt in reliquo cultu Legali: quod nefas fuisset, nisi ex præscripta Legis forma aliquid fuisset divinitus remissum. Prohibitos fuisse ab atrio Dei immundos omnes certum est. Illic sacrificia obtulerunt filii Israël in præputio: quod tantundem fuit ac Pascha immolare. Ergo tolerantia permissum illis fuit, quod secundum Legis normam non licebat. Quod autem secundum illud Pascha commemorat Moses, id fit alio consilio: nempe ut oblique perstringat incuriam & pigritiem populi, qui anniversarium sacrum in fine primi anni non obiisset nisi admonitus. Etsi enim edixerat Deus, ut per omnes ætates renovarent quotannis redemptionis suæ memoriam, jam ante finem anni obrepserat oblivio, ut in officio cessarent. Neque enim frustra novo oraculo urgentur: sed quia sponte non erant satis attenti. Adeo autem locus ille non probat Paschatis deinde usum intercidisse, ut probabilis inde conjectura elici queat, fuisse quotannis obsservatum: quia anno vertente antevertit Deus, ut in posterum diligenter caverent, ne unquam ab injuncto sibi mandato deflecterent.

11. *Postridie Pesah.*] Antunc primum inceperint tritico vesci non satis liquet. Habitaverant enim in regione non inculta, & mediocriter fertili. Certe in duorum regum ditione fuit annonæ copia, quæ incolis sufficeret. Filios Israël passos esse corrumpi & putrescere quod illic invenerant frumentum, consentaneum non videtur. Carnes vero quæ ex sacrificiis restabant, comedisse non dubito. Fieri itaque potest, ut non prorsus abstinuerint à pane triticeo: & tamen à victu consueto non discesserint. Nam tantæ multitudini alimenta non suppeditasset regio, quæ decimæ parti attributa fuit. Minime ambiguum est quin justa æstimatio servata fuerit, quum duas tribus & dimidiam Moses illic locavit. Ergo victum nondum nactæ erant duodecim tribus, præsertim quum bello vastata esset regio, nec agriculturæ operam darent Israëlitæ, quibus tutum non erat à castris discedere. Quare Man ad eos alendos necessarium fuit, donec plenior obtingeret copia. quod factum est in terra Chanaan: ideoque tunc reversi sunt ad communem victum. Cur autem in illum usque diem distulerint, nescitur: nisi quod fanatis vulneribus dies aliquot consumere oportuit in colligenda annona: panem vero conficere non permiserit religio, ne sabbathum violarent. Etsi autem sancta illis fuit quies, ex circumstantia tamen colligitur festinasse: quia jam ante parata erat farina: quum molere & coquere uno die non potuerint. Quicquid sit, viatico profecquutus est eos Deus, quamdiu penuriæ subveniendum fuit. Quod autem subito tum & in ipso articulo Man defecit, valere debuit ad testificandam rursus Dei gratiam: quia inde apparuit Man temporale fuisse subsidium, quod non tam ex nubibus quam paterna Dei providentiâ fluxerat. Porro de proventu anni superioris hoc esse intelligendum patet, ac quæstionem ea de re movere supervacuum est: quia nimis præcipitanter volassent ad hornum triticum nondum bene maturum: & ante mensem vix coacervare poterant quod tantæ multitudini sufficeret. Cur ergo in re tam clara laborent interpretes, non video.

13. *Accidit quum Josue.*] Hic refertur insignis visio, qua redditus fuit animo sior Josue. Quanquam autem munus suum strenue obibat, utile tamen fuit, currenti calcar addere. Neque tamen privatim ejus causa apparuit Angelus, sed ad confirmationem totius populi. Imo longius respexit Deus, ut certioribus documentis testatam posteris faceret gratiam, quæ

quæ nunquam ſatis expenſa fuit. Etſi enim magnifice jactabant ſe Dei manu plantatos eſſe in terra ſancta: vix tamen adducti ſunt tot miraculis, ut ſerio agnoſcerent, ſe illic eſſe Dei inquilinos. Itaque viſio hæc ſeculis omnibus prodeſſe debuit, ne ambiguum eſſet Dei beneficium. Quod dicitur levaſſe oculos, ad certitudinem valet: ne quis evanido ſpectro aciem ejus perſtrictam fuiſſe exiſtimet. Formidabile vero ſpectaculum primo intuitu fuit: quia veriſimile eſt Joſue tunc fuiſſe ſolum, ſive orandi cauſa, ſive urbis inſpiciendæ conſilio, ab hominum frequentia ſeceſſerit. atque hoc ſecundum magis placet, ſeorſum fuiſſe ſpeculatum qua parte urbs eſſet oppugnanda, ne alios terreret difficultas. Certe comites abfuiſſe apparet, dum ſolus occurrit: nec dubium quin paratus ad certamen, ſi in hoſtem incidiſſet. Cæterum tanquam de homine interrogat, quia Angelum non agnoſcit niſi ex reſponſo. Atque hæc dubitatio viſioni plus fidei rurſus conciliat, dum paulatim ab hominis quem alloquitur aſpectu ad Angeli cognitionem deducitur. Quanquam verba ſonant, non quemlibet fuiſſe Angelum, ſed præcipuæ excellentiæ. Vocat enim ſe principem exercitus Dei: quod tam de electo populo, quam de Angelis poteſt intelligi. ſed prior ſententia rectior eſt: quia nihil inſolitum profert Deus: ſed quod ante legimus præſtitum Moſi fuiſſe continuat. Ac ſcimus Moſen ipſum hoc beneficium aliis omnibus prætuliſſe: & merito, quia palam & familiariter Deus illic gloriam ſuam manifeſtabat. Itaque promiſcue vocatur Angelus, & inſignitur elogio Dei æterni. Cujus rei Paulus nobis idoneus eſt teſtis, qui diſerte teſtatur fuiſſe Chriſtum. Et Moſes ipſe in perſona Mediatoris Deum præſentem amplexus eſt. Nam ubi poſt vitulum fabrefactum pronunciat Deus, ſe non fore amplius populi ducem, ſimul ſe unum ex Angelis daturum promittit, ſed quaſi ex turba: quod Moſes vehementer deprecatur. Nempe quia remoto Mediatore, ſperare non poterat Deum fore propitium. Rarum itaque favoris Dei pignus fuit, præſto adeſſe principem & caput Eccleſiæ, cui Moſes aſſueverat. Et certe non aliter rata potuit eſſe Dei adoptio quam per manum Mediatoris.

x *Cor.* 10. *verſ.* 4. *Exod.* 32. *verſ.* 37.

14. *Non: ſed dux exercitus.*] Quamvis negatio apte utrique membro conveniat, quia neque Iſraëlita erat neque Chananæus: acſi præciſe negaret ſe eſſe hominem mortalem: commode tamen reſtringere licebit ad ſecundum membrum, ubi rogabat Joſue an eſſet ex hoſtibus. Porro quando in ea re parum eſt momenti: ſatis ſit tenere quod præcipuum eſt, veniſſe ut præeſſet electo populo, quem honorifice appellat Dei exercitum. Quod ſe alium à Deo facit, in eo notatur perſonalis diſtinctio, non autem ſcinditur unitas eſſentiæ. Diximus apud Moſen ſæpe nomen Jehovæ adſcribi Angelo præſidi: qui haud dubie unigenitus erat Dei Filius. Nempe quia & verus eſt Deus: & tamen in perſona Mediatoris per diſpenſationem, Deo inferior. Jam quod docent veteres libenter recipio, dum apparuit olim Chriſtus in forma hominis, præludium fuiſſe myſterii quod deinde fuit exhibitum, quando manifeſtatus eſt in carne Deus. Cavendum tamen ne imaginemur Chriſtum tunc induiſſe carnem: quando non legitur Filium ſuum miſiſſe Deus in carne ante plenitudinem temporum: deinde quatenus homo eſt, filium Davidis eſſe oportet. Verum ut apud Ezechielem legitur, ſimilitudo hominis duntaxat fuit. Cæterum fueritne ſubſtantiale corpus, an forma exterior duntaxat, argutius diſputare ſupervacuum eſt, contendere vero noxium. Supereſt una quæſtio, quomodo ſe nunc veniſſe dicat princeps exercitus Dei, qui populum fidei ſuæ commiſſum non deſeruerat, & nuper incomparabile præſentiæ ſuæ ſpecimen ediderat in trajectu Jordanis. Atqui trito Scripturæ uſu dicitur ad nos venire Deus, ubi reipſa ſentimus ejus auxilium: quod remotum videtur, niſi experientia patefiat. Perinde igitur eſt, acſi operam ſuam ad obeunda quæ inſtabant certamina offerret, ac ſuo adventu promitteret felicem debellandi exitum. Ex adoratione certo colligi non poteſt, an Joſue Chriſto probe cognito divinum honorem exhibuerit. Verum rogando quid Adonai ſervo ſuo præcipiat, imperium defert quod nonniſi in Deum competit.

Ezech. 1.

15. *Solve calceamentum.*] Tantum quo ſanctior ſit viſio, & in ſignum reverentiæ & timoris exigit magnus Angelus, ut calceos exuat Joſue. Idem & Moſes ſibi injunctum fuiſſe refert in monte Sinai: non alia ratione, niſi quod gloriam ſuam Deus illic manifeſtabat. Neque enim aliunde major uni quam alteri loco ſanctitas, niſi ex peculiari dignatione. Ita Jacob exclamat locum ubi propius Deum cognoverat, eſſe domum ejus, terribilem locum, & portam cæli. Ergo quod jubetur ſanctus vir calceos ſibi detrahere, hac ceremonia Deus obſignat præſentiæ ſuæ fidem, & plus ponderis addit viſioni: non quod pedum nuditas per ſe cenſeatur in Dei cultu: ſed quia ejuſmodi ſubſidiis adjuvanda eſt hominum infirmitas, quo ſe melius ad venerationem excitent & comparent. Porro ſicuti Deus loca in quibus apparet, ſanctificat ſua præſentia: ita mihi probabile eſt hoc elogio commendari præſtantiam terræ Chanaan, in qua ſibi domicilium elegerat Deus, ut pure illic coleretur. Unde & paſſim vocatur ejus requies. Laudatur in fine verſus obedientia Joſue, ut ejus exemplo diſcat poſteritas ſancte in ea terra pietatem colere. Ita videtur tacita ſubeſſe comparatio, vel antitheſis, quæ extollat terram Chanaan præ aliis regionibus.

Exod. 3. *verſ.* 5.

Geneſ. 28. *verſ.* 17.

Pſal. 95. *verſ.* 11. & 132. *verſ.* 14.

CAP. VI.

1 JEricho autem erat clauſa, & claudebatur propter filios Iſraël: non poterat quiſquam egredi vel ingredi.

2. Dixitque Jehova ad Joſuam, Ecce tradidi in manum tuam Jericho, & regem ejus, & virtute præſtantes.

3. Circuibitis itaque urbem, omnes viri bellatores, circumdando eam ſemel: ſic facies ſex diebus.

4. Porro ſeptem ſacerdotes ferent ſeptem cornua arietina ante arcam. die autem ſeptima circuibitis urbem ſeptem vicibus, & ſacerdotes ipſi clangent tubis.

5. Quum vero protraxerint ſonitum cornu arietino: ubi primum audieritis vocem tubæ, vociferabitur univerſus populus vociferatione magna, & concidet murus urbis ſub ſe, populus vero aſcendet quiſque è regione ſua.

6. Vocavit ergo Joſue filius Nun ſacerdotes, & dixit eis, Tollite arcam fœderis: & ſeptem ſacerdotes accipient ſeptem tubas arietinas coram arca Jehovæ.

7. Dixit quoque ad populum, Tranſite & circuite urbem, & armatus quiſque præcedat arcam Jehovæ.

8. Et fuit, poſtquam loquutus eſt Joſue ad populum, tulerunt ſeptem ſacerdotes ſeptem tubas arietinas, & tranſeuntes ante arcam Jehovæ clanxerunt tubis: arca autem fœderis Jehovæ ſequebatur ipſos.

9. Et armatus quiſque præcedebat ſacerdotes clangentes tubis: & qui cogebat agmen ſequebatur arcam eundo clangendo tubis.

10. Populo autem præceperat Joſue, dicendo, Non vociferabimini, nec facietis audire vocem veſtram, neque egredietur ex ore veſtro verbum, uſque ad diem quo dixero vobis, Vociferamini: tunc vociferabimini.

11. Circuivit itaque arca Jehovæ urbem, circumdando ſemel, & reverſi ſunt in caſtra: manſeruntque illic.

12. Rurſum ſurrexit Joſue mane, tuleruntque ſacerdotes arcam Jehovæ.

13. Septem autem ſacerdotes ferentes ſeptem tubas arietinas præcedebant arcam Jehovæ, eundo: & clangebant tubis. Armatus vero præcedebat eos: & qui cogebat agmen ſequebatur arcam Jehovæ eundo & clangendo tubis.

14. Circuiverunt ergo urbem die ſecundo vice alia, reverſique ſunt ad caſtra: ſic fecerunt ſex diebus.

15. Ubi autem advenit ſeptimus dies, ſurrexerunt ſimulac aſcendit aurora, & circuiverunt urbem ſecundum eundem morem ſeptem vicibus: tantum die illa circuiverunt urbem ſeptem vicibus.

16. Septima autem vice quum clangerent ſacerdotes tubis, dixit Joſue ad populum, Vociferamini, tradidit Jehova vobis urbem.

17. Erit autem urbs anathema, ipſa & quæcunque in ea ſunt, Jehovæ: tantum Rahab meretrix vivet, ipſa & quicunque fuerint cum ea domi: quia abſcondidit nuncios quos miſimus.

18. Veruntamen vos cavete ab anathemate, ne forte contingatis aliquid de anathemate, tollatiſque de anathemate, & ponatis caſtra Iſraël anathema, & turbetis ea.

19 Omne autem argentum, & aurum, & vaſa ærea & ferrea, ſanctitas erunt Jehovæ: theſaurum Jehovæ ingredientur.

1. *Jericho erat clauſa.*] Dicit Jericho fuiſſe clauſam, quia non aperiebantur portæ: ſicut belli tempore cuſtodiuntur urbes diligentius ſolito. Addit vehementiæ cauſa, portas fuiſſe obſeratas: quaſi diceret, attentos ad cuſtodiam fuiſſe incolas, ne incauti opprimerentur. Ita ejus potiundæ non alia ſpes, niſi vi & manu expugnaretur: quia per inſidias capi non potuit. Hoc ad gratiam Dei illuſtrandam valet, quia longa & moleſta obſidio fatigaſſet filios Iſraël, niſi mature oblatum fuiſſet è cælu remedium. Interea periculum erat, ne in angulum coacti inedia & fame conſumerentur: quia in regione infeſta nulla erat pabulandi facultas. Deus ergo ne ad urbem unam deſideant, inſolito miraculo ſuccurrit: ac muris quidem everſis ingreſſum illis patefecit, quo deinde confidentius alias urbes invaderent. Nunc videmus quomodo inter ſe cohæreant duo primi verſus, Jericho fuiſſe clauſam, & ita filios Iſraël fuiſſe ab acceſſu prohibitos: Deum vero fuiſſe pollicitum illius ſe expugnatorem fore: quia ſcilicet hoc modo antevertere voluit, ne anxia deliberatione ſe torquerent. In ſumma, Deus hoc tam felici facilis victoriæ exordio providet, ne in futurum animos deſpondeant. Notandus interea populi illius ſtupor, qui Dei potentiæ muros ſuos & portas opponit, acſi difficilius eſſet paucos aſſeres confriogi vel diſſolvi, quam xreſieri Jordanem.

3. *Circuibitis itaque.*] Promiſſio quidem per ſe ad ſpem victoriæ idonea & efficax, ſed cui ratio agendi tam ludicra fidem abrogat. Jubet Deus uno circuitu quotidie urbem luſtrare uſque ad ſeptimum diem, quo jubet ſepties eos circuire, clangere tubis & vociferari: quod totum nihil aliud fuit, quam pueriliter ludere. Verum hoc examine probari eorum fidem operæpretium fuit: ut in re ipſa nihil præter meram fruſtrationem cernentes, acquieſcerent nihilominus in Dei oraculo. quo etiam conſilio ſæpe virtutem ſuam ſub infirmitate ad tempus occultat, & inanibus nugis videtur ludere, ut ejus debilitas tandem omni potentia fortior appareat, & ſtultitia ſupra omnem ſapientiam refulgeat. Sic dum ratione ſua faceſſere juſſa, ab ejus ore pendent Iſraëlitæ, ineptiendo longe plus proficiunt quam ſi violento conatu irruptionem facerent, muroſque quatefacerent validiſſimis & innumeris machinis. Tantum eos ad breve tempus ſtulteſcere oportuit, oeque appetere nimium acumen, anxie ac ſubtiliter de eventu ſciſcitando: quia id fuiſſet Dei potentiæ quodammodo viam obſtruere. Interea quanquam ludibrio eſſe potuit circularis eorum ambulatio, tandem proſpero ſucceſſu cognitum fuit, Deum nihil fruſtra præcipere. Alia etiam dubitatio & cura obrepere potuit eorum mentibus, ſi ſubito erumperent urbis cives, nullo negotio diſſipatum iri exercitum, quum longe diffuſus totam urbem circumdaret, nec acie diſpoſita incederet ad excipiendos inſultus. Sed hac quoque in parte quicquid ſollicitudinis eos angebat, rejicere in Deum oportuit: quia ſancta eſt quæ in ejus providentiam recumbit ſecuritas. Acceſſit ad exercendam eorum tolerantiam repetita per ſeptem dies urbis luſtratio. Quid enim minus conſentaneum quam ſexies abſque profectu ſe fatigare? Jam quorſum ſilentium, niſi ut timiditatem prodendo, hoſtes ad pugnam elicerent, quibus tamen occurrere animus non erat? Verum quia profani homines ferventer ſatagendo ſæpe omnia miſcent ac pervertunt, tacendi & quieſcendi vices ſuis injungit Deus, quo ſe ad exequenda ſimpliciter ejus juſſa melius aſſuefaciant. Hoc quoque notatu dignum eſt, non depromi è ſanctuario argenteas tubas, quibus clangant ſacerdotes: ſed tantum cornua arietina illis dari. Certe ad confidentiam longe plus valuiſſet ſacrarum tubarum ſonitus: ſed melius probata fuit eorum obedientia, dum ſymbolo vulgari contenti fuerunt. Porro ita diſpoſiti fuerunt progreſſus, ut major pars arcam præcederet, quæ per armatos intelligitur: ſequerentur autem qui ſolebant impedimenta comitari. Nam eorum erat curare ne poſtremum agmen diſſiparetur. Quia nomen Congregantis obſcurum erat, reddidi quod erat apud Latinos magis uſitatum. Quod tribui Dan bas partes quidam attribuunt, firmam non eſt, quia

quia tunc non fuerunt pro more aliarum expeditionum diſpoſiti.

15. *Ubi advenit ſeptimus.*] Hic quoque viſus eſt Deus toties populum circumagendo non modo rem tenere ſuſpenſam, ſed miſeros qui fruſtra ſe fatigabant, data opera ludificari. Cur enim derepente urbem aggredi non jubet? Cur in priſtino ſilentio uſque ad laſſitudinem eos continet, neque ora ad vociferandum aperit? Verum hujus tolerantiæ fructus docet, nihil eſſe melius quam temporum articulos & agendi opportunitates relinquere in ejus arbitrio, neque feſtinatione noſtra antevertere ejus providentiam, in qua niſi acquieſcimus, viam obſtruimus ejus virtuti. Quum ergo tuba clangerent ſacerdotes, voluit Deus populum ſuo clamore ſuccinere: ut hoc documento probaret, nullos impetus quos à ſeipſis excitant homines, ſibi probari: ſed in primis requiri zeli moderationem, cujus unica regula eſt, ne linguam, nec pedes, nec manus movere donec ipſe præcipiat. Cornua enim arietina ejus imperium haud dubie repræſentarunt.

17. *Erit urbs anathema.*] Quanquam Deus ſtatuerat, populum ſuum non modo ſpoliis & præda ditare, ſed etiam locare in urbibus quas non extruxerant: peculiaris tamen ratio fuit in prima urbe: quia æquum fuit tanquam primitias, conſecrari. Itaque tam ædificia quam ſupellectilem ſibi uni aſſerit, ac vetat quidquam in privatos uſus conferri. Potuit quidem hoc tirocinium grave & moleſtum eſſe populo, ultro domos evertere, in quibus commode habitaſſent, & corrumpere quæ utilia fuiſſent ſubſidia. Sed debuit æquis animis, quia à pugna abſtinuerat, prædam non attingere: Deoque libenter cedere ac remittere victoriæ præmium, cujus ſolo nutu muri urbis corruerant, & una cum illis conciderant civium animi. Deus quidem hoc gratitudinis pignore ita contentus fuit, ut tamen populus mature diſceret, nihil niſi ex gratuita ejus liberalitate eſſe ſuum. Eodem enim jure addictæ fuiſſent aliæ quoque urbes excidio, niſi quia ſuis habitandas conceſſit. De voce חרם breviter id tantum nunc repetam ex aliis locis: dum referturad ſacras oblationes, pro abolitione ſumi hominum reſpectu, ut rebus eo modo devotis non ſecus renuncient, acſi in nihilum eſſent redactæ. Id eſt Græcis ἀνάθημα vel ἀνάθεμα, quaſi ſepoſitum: nos lingua Gallica apte interdictum vocamus. Hinc exhortatio, ut caveant ab anathemate: quia pericrat quoad homines, quod uni Deo erat ſeparatum. Aliter proximo verſu accipitur, ne caſtra Iſraël fiat in anathema: quia ſimpliciter notatur excidium, perditio, vel interitus. Porro vaſa ex metallis fabrefacta deſtinavit Deus in uſum ſanctuarii: alia omnia incendio conſumi, vel aliis modis deleri juſſit.

20. Itaque vociferatus eſt populus, poſtquam clanxerunt tubis. Quum enim audiſſet populus vocem tubarum, vociferatus eſt vociferatione maxima, & cecidit murus ſubtus: tum aſcendit populus in urbem quiſque è regione ſua, & ceperunt eam.

21. Et perdiderunt omnia quæ erant in urbe, à viro uſque ad mulierem, à puero uſque ad ſenem, ad bovem, & ovem, & aſinum, acie gladii.

22. Duobus autem viris qui exploraverant terram dixit Joſue, Ingredimini domum mulieris meretricis, & inde educite eam, & quæcunque habet, quemadmodum juraſtis ei.

23. Ingreſſi itaque exploratores eduxerunt Rahab, & patrem ejus, & matrem ejus, & fratres ejus, & quæcunque habebat, & totam cognationem ejus eduxerunt, ac locarunt extra caſtra Iſraël.

24. Urbem vero ſuccenderunt igni, & quæcunque erant in ea: tantummodo aurum, & argentum, vaſa ærea & ferrea poſuerunt in theſauro domus Jehovæ.

25. Itaque Rahab meretricem, & domum patris ejus, & quæcunque habebat, vivere fecit Joſue: habitavitque in medio Iſraël uſque ad hunc diem, quia abſconderat nuncios quos miſerat Joſue ad explorandum Jericho.

26. Adjuravit autem Joſue tempore illo, dicendo, Maledictus vir coram Jehova qui ſurget ut ædificet urbem iſtam Jericho. In primogenito ſuo fundabit eam, & in minore ſuo ſtatuet portas ejus.

27. Fuit autem Jehova cum Joſue, & fama ejus fuit in tota terra.

20. *Itaque vociferatus.*] Hic laudatur populi obſequium, & ſimul Dei veritas celebratur. Fidem ſuam clamore teſtati ſunt, quia perſuaſi erant non fruſtra id ſibi præcipi: & Deus viciſſim dum paſſus non eſt ipſos operam ludere, fidem verbo ſuo aſſeruit. Altera nihilo inferior virtus, quod ſpreto illicito quæſtu, totam prædam alacriter perdiderunt. Neque enim dubium, quin multis obrepſerit iſta cogitatio, Quorſum Deus tantas opes perire vult? cur nobis invidet quæ dedit in manum? cur non potius nos exhilarat, ut materiam gratiarum actionis ſuppeditet? Ergo rationibus quæ officium interrumpere poterant, valere juſſis, ultro abjicere quæ in manibus erant ſpolia, & urbis unius opes, raræ & eximiæ continentiæ fuit. Quodnullo ætatis & ſexus diſcrimine tam fœminas quam pueros infantes ac ſenes jam caducos & decrepitos promiſcue trucidarunt, videri poſſet immanis ſtrages, niſi Dei juſſu fuiſſet edita. Sed quia ipſe in cujus arbitrio ſunt vita & mors, juſte ad interitum deſtinaverat gentes illas, faceſſat omnis diſceptatio. Adde quod jam quatuor ſeculis eas toleraverat, donec completa eſſet ipſarum iniquitas. Quis nunc de immodico rigore queratur, ubi Deus tam diu judicium ſuum ſuſpendit? Si excipiat quiſpiam, ſaltem pueros infantes adhuc immunes fuiſſe à culpa: in promptu eſt ſolutio, quia maledicta erat ac reproba ſoboles, juſte periiſſe. Hoc quidem ſixum manere debet, quod atrociter & barbara ſævitia factum eſſet, ſi pro ſua libidine & iracundia teneros fœtus cum matribus jugulaſſent Iſraëlitæ, nunc merito conferri in piam & laude dignam ſtrenuitatem, ſanctoque zelo adſcribi, dum exequuntur Dei mandatum, qui terram Chanaan hoc modo fœdis & pridem fœtidis ac putrefactis ſordibus purgare voluit.

22. *Duobus autem viris.*] Fides quidem Joſue in ſervandis promiſſis, & integritas, in hac ſollicitudine apparent: verum quia anathemati ſubjecta erat tota urbs, de exceptione unius familiæ moveri poteſt quæſtio. Neque enim liberum fuit homini mortali, quidquam in Dei ſententia mutare. Verum quia de ſua impunitate Rahab nonniſi Spiritus inſtinctu pepigerat: nihil in ea ſervanda Joſue niſi conſiderate & prudenter feciſſe ſtatuo. Adde quod nulla adhuc religio nuncios tenebat, antequam de urbis excidio pronunciatum eſſet. Audierant quidem in genere, delendas eſſe omnes illas gentes: libera tamen fuit cum una muliere pactio, quæ ſponte à ſuis deſciverat. Quanquam ſolutio longe expeditior poſtea

occurret: nempe dum ex Dei præscripto hortati sunt Israëlitæ ad deditionem quoscunque aggrediebantur, spe veniæ propositæ: illi autem excæcati pertinaciter abnuerunt pacem sibi oblatam, quia Deus omnes perdere decreverat. Quum publice omnes in suam perniciem fuerint obdurati: sequitur Rahab privilegio fuisse exemptam, ut aliis pereuntibus incolumis evaderet. Prudenter ergo reputavit Josue, non absque peculiari Dei gratia mulierem quæ sponte ad Ecclesiam transierat, mature fuisse ereptam. Dissimilis quidem patris & totius familiæ ratio: sed quando sponte se omnes abdicant à pristino statu, salutem quam ipsis stipulata erat Rahab, promptitudine obediendi confirmant. Porro discamus exemplo Josue, quamvis malitiose & data opera fidem non violemus, non tamen id ad testandam probitatem sufficere, nisi sedulo conemur quam dedimus fidem præstare. Neque enim tantum patitur Rahab à suis hospitibus liberari: sed mature caveret ne quid injuriæ in primo tumultu sustineat: & quo propensiores sint ad officium, admonet interposito jurejurando ita fuisse pollicitos.

23. *Ingressi itaque.*] Haud dubie salvos esse Deus voluit, quorum ita flexit animos ad amplexandam liberationem. Alioqui eam non minus superbe nec minore ludibrio quam duo generi Loth repudiassent. Sed longe melius etiamnum illis consulitur, dum rejecti extra castra, severa invitatione ad superioris viræ abnegationem vocantur. Nam si protinus admissi essent, & populo indifferenter permixti, nunquam illis forte venisset in mentem sua immundities, atque hoc modo in ea obtorpuissent. Nunc ubi seorsum locantur, ne gregem sua contagione inficiant, simul incutitur pudor, qui ad seriam conversionem eos sollicitet. Neque enim convenit, fuisse quasi in tuto sepositos, ne quis in turba violenter contra eos insurgeret: quia summo omnium favore & gratulatione fuissent excepti: in solitudine autem facilius, & quidem impune, offensi fuissent. Pristina igitur illis immundities ante oculos fuit posita, ne polluti temere prorumperent in sanctum cœtum: sed potius hoc rudimento assuefierent ad mutandum vitæ genus. Sequitur enim paulo post, habitasse in medio populi: nempe quia inquinamentis purgati, non alio loco haberi cœperunt, quam si fuissent oriundi ex genere Abrahæ. Denique significat, ex quo professi sunt se ante fuisse in sordibus, promiscue cum aliis admissos. Et hac cooptatione Rahab insignem adepta est fidei suæ fructum.

26. *Adjuravit autem.*] Ergo consecratio non modo in unum diem valere debuit, sed omnibus seculis posteros commonefacere, urbem illam nonnisi divinitus fuisse expugnatam. Itaque ruinas & vastitatem, loco trophæi in perpetuum monumentum extare voluit: quia nova structura instar lituræ futura erat ad miraculum delendum. Ergo ut loci deformitas memoriam potentiæ Dei & gratiæ ad posteros renovet, dira execratione sancit Josue, ne quis urbem ædificet semel dirutam. Colligimus autem ex hoc loco, admiculis indigere torporem hominum, ne Dei beneficia obliviscendo sepeliant. Ideo spectaculum in quo conspicua populo fuit Dei virtus, quasi obliqua fuit ingratitudinis exprobratio. Imprecationis vero summa est, ut si quis aggressus unquam fuerit extruere Jericho, infausto & lugubri eventu sentiat, sceleratum & nefandum fuisse opus. Nam fundamenta jacere in primogenito, tantundem valet, ac filium projicere, ut obrutus & attritus lapidum mole infeliciter pereat. Sic portas locare in minore filio, tantundem valet ac ædificium moliri quod nonnisi filii interitu surgat. Ita in sua progenie damnatur qui eo vesaniæ prorumperet. Nec vero Josue ex proprio sensu hanc maledictionem protulit: sed præco fuit cœlestis vindictæ. Quo magis prodigiosum est, repertum in populo Dei fuisse hominem quem formidabilis ista adjuratio solennibus verbis concepta à sacrilega temeritate non arceret: sicuti tempore Achab exortus est Hiel civis Bethel, qui Deum quasi ex professo hac in re lacessere ausus est. Verum simul testatur sacra historia, non irritum fuisse oraculum quod Deus pronunciaverat in manu Josue: quia in Abiram primogenito novam Jericho fundavit, & in Segub filio minore erexit portas ejus: ut in sobolis suæ exitio agnosceret, quid sit invito & repugnante Deo quidquam tentare. 1 *Reg.* 16.

CAP. VII.

TRansgressi autem sunt transgressione filii Israël in anathemate, quia Achan filius Charmi filii Zabdi, filii Zerah de tribu Jehuda abstulit de anathemate: & accensa est excandescentia Jehovæ contra filios Israël.

2. Porro misit Josue viros è Jericho contra Ai, quæ erat juxta Bethaven ad Orientem Bethel, & loquutus est cum illis, dicendo, Ascendite & explorate terram. Ascenderunt itaque viri, & exploraverunt Ai.

3. Qui reversi ad Josuam, dixerunt ei, Ne ascendat totus populus: circiter duo millia virorum aut circiter tria millia virorum ascendant, & percutient Ai.

4. Ascenderunt ergo illuc è populo fere tria millia virorum, & fugerunt coram viris Ai.

5. Percusserunt que ex eis circiter triginta & sex viros, & persequuti sunt eos à porta usque ad Sebarim, & percusserunt eos in descensu: atque ita liquefactum est cor populi, fuitque velut aqua.

6. Porro Josue scidit vestimenta sua, prociditque in faciem suam in terram coram arca Jehovæ usque ad vesperam, ipse & seniores Israël, & posuerunt pulverem super caput suum.

7. Dixitque Josue, Ah, ah, Dominator Jehova, ut quid traduxisti populum hunc trans Jordanem, ut traderes nos in manum Amorrhæi qui perdat nos? Atque utinam libuisset nobis manere in deserto trans Jordanem!

8. O Domine, quid dicam postquam vertit Israël cervicem coram inimicis suis?

9. Audientque Chananæus & omnes incolæ terræ, & vertent se contra nos, disperdentque nomen nostrum è terra: quid vero facies nomini tuo magno?

1. *Transgressi sunt.*] Refertur unius hominis crimen, & quidem clandestinum, cujus culpa in totum populum transcribitur: neque id modo, sed in plures insontes simul rejicitur pœna. Atqui minime contentanum videtur, privato & occulto scelere totum populum, qui conscius non erat, damnari. Respondeo, non esse novum ut in totum corpus redundet unius membri peccatum. Si ratio nos lateret, satis super-

ſuperque nobis eſſe debet, transgreſſionem imputari filiis Iſraël, dum ad unum hominem noxa reſtringitur. Verum quia ut plurimum contingit, connivendo etiam non malos alere fratrum peccata, pars culpæ merito rejicitur in eos omnes, quos diſſimulatio ſocietate implicat. Hac ratione Paulus Corinthiis omnibus exprobrat privatum unius hominis flagitium, & in eorum faſtum invehitur, quod tanta ignominia fœdati adhuc gloriari audeant. Verum hic excipere promptum eſt, furtum omnes latuiſſe: ideoque non eſſe locum proverbio, eum perpetrare crimen, qui dum impedire poteſt, nihilominus fieri patitur. Fateor certe, non liquere cur toti populo imputetur privatum crimen, niſi quod forte non ſatis diligenter ante animadverterant in maleficia: unde fieri potuit, ut hic miſer audacior fuerit ad peccandum. Et certe furtim obrepunt ac pullulant malæ herbæ, fructuſque noxios producunt, niſi cito revulſæ fuerint. Quanquam ratio cur Deus totum populum reum faciat occulti furti, altior eſt ac magis recondita: quia magis inſolito documento voluit in poſterum admonitos, unius ſcelere poſſe omnes fieri reos, quo diligentius ad cavenda vitia attenderent. Nihil ergo medius, quam ſuſpenſas tenere noſtras mentes, donec libri aperiantur, ubi clare patebunt quæ nunc noſtra caligine obtenebrantur Dei judicia. Sufficiat nobis, privata labe infectum fuiſſe totum populum: quia ſic pronunciavit ſummus Judex, coram quo nunc obmuteſcere, ſicuti ad ejus tribunal ſemel noſiſti oportet. Refertur ex qua ſtirpe fuerit progenitus Achan, augendæ & quaſi propagandæ ignominiæ cauſa: acſi diceretur, familiæ ſuæ & totius gentis fuiſſe probrum. Nam ſcriptor hiſtoriæ ad tribum uſque Juda aſcendit. Quo docemur, ubi quiſpiam ex noſtris turpiter & ſcelerate ſe gerit, quodammodo in ejus perſona verecundiæ notam nobis inuri, ut humiliemur. non quod propinquis omnibus ſcelerati hominis inſultare æquum ſit: ſed ut diligentius incumbant omnes conſanguinei ad mutuas correctiones: deinde vel ſuam conniventiam, vel propria delicta puniri agnoſcant. Jam ſcandali major objecta fuit occaſio ad omnes turbandos, quod in tribu Juda, quæ flos & decus erat totius gentis, deprehenſum fuit tale facinus. Et certe admirabili Dei conſilio factum eſt, ut refideret in illa tribu prærogativa, quæ ſpem futuri regni foveret. Atqui ubi inter principia decus hoc ob unius hominis culpam deformitate fœdatum eſt, non parum infirmas mentes ea res turbare potuit. Verum ſevera correctione deletum fuit quod alioqui concepturn erat ſcandalum. Unde colligimus, ubi improbis maledicendi occaſio data eſt, nullum tollendis Eccleſiæ probris aptius eſſe remedium quam ſi in peccata graviter animadverſum fuerit.

1 Cor. 5. v. 4, 5, 6.

2. *Porro miſit Joſue.*] Explorare ſitum urbis, & acceſſus omnes conſiderare, prudentiæ fuit: ne temere per ignota loca ſe projiciendo, inſidiis circumvenirentur. Sed quum neceſſe eſſet paulo poſt totis copiis longius progredi: exiguam manum præmittere urbis expugnandæ cauſa, non videtur fuiſſe ſolertiæ militaris. Itaque mirum non fuiſſet, ſubita eruptione terreri & fugari duo vel tria millia hominum. Et certe multitudini utile erat, viginti aut triginta millia ad pabulandum huc & illuc ſpargi. Adde quod in ſtrage edenda, quamvis jugulum ſponte præberent omnes, ſatis fuit negotii ad fatigandos paucos homines. Quod ergo repulſa ſunt tria millia vel circiter, juſta fuit ſecuritatis ac deſidiæ merces. Verum paucitatem non fuiſſe in cauſa cur diſſiparentur, Spiritus ſanctus pronunciat, ut damni culpa illic minime quærenda ſit. Potius factum eſt arcano Dei conſilio, quum ſignum iræ ſuæ oſtendere vellet, ut tamen in exiguo numero id fieret minore jactura. Et certe rarum clementiæ ſpecimen fuit, populum leniter & ſine magna clade caſtigando, expergefacere, ut malo ſtatim remedium quæreret. Forte etiam non auſi fuiſſent cives Ai impetum facere in Iſraëlitas, ſi juſto exercitu urbem aggreſſi forent. Viam itaque patefecit Deus ſuo judicio: quod tamen ita mitigavit, ut tantum detegeret occultum crimen, quo alioqui tanquam lenta tabe conſumptus fuiſſet populus. Quanquam autem mirum non fuit, proſterni Iſraëlitas qui iniquo loco pugnabant in deſcenſu: palam tamen apparuit, metu & defectione animi, antequam manus conſererent, fuiſſe victos: quia terga vertendo, ex loco ſuperiore in acclivem vallem ceſſerunt. Quod probroſe vero contempti fuerint ab hoſtibus, ex confidentia & ſtrenuitate patet, quod incitato curſu fugientes perſequi non dubitaverunt verſus caſtra. Acceſſit trepidatio in caſtris, quæ omnium corda liquefecit. Fateor quidem fuiſſe timendi cauſam, quia hactenus quaſi ludendo tot victorias adepti, ſe turpiter ſuccubuiſſe cernebant. Magis autem nos conturbant res inſolitæ. Verum cæleſti magis terrore fuerunt perculſi, quam morte triginta hominum, & trium millium fuga.

6. *Porro Joſue ſcidit.*] Quanquam cladis vel ignominiæ acceptæ cauſam alio rejicere promptum erat: deinde animoſum ducem minime decebat tantopere dejici triginta hominibus amiſſis: præſertim quum auctis in centuplum copiis hoſtes ab itinere adhuc laſſos frangere non difficile eſſet: non abs re tamen mœrore oppreſſus animum prope deſpondet. Neque enim cogitationem illam, quæ victos ſuſtentat ac recreat, dubios eſſe bellorum eventus, adhuc tere patiebatur Dei promiſſio, ſemper fore victores. Quoniam ergo ſpei non reſpondet ſucceſſus, quod verum erat, ſtatuit: non alia de cauſa infeliciter pugnaſſe, niſi quod deſtituti eſſent promiſſo Dei auxilio. Ergo tam ipſe quam ſeniores non tantum triſtitiæ & dolori ſe tradunt: ſed ſuſcipiunt ſolennem luctum, ut in rebus amiæ afflictis fieri ſolet, ſcindendo veſtes, & pulverem ſuper capita ſpargendo. Etſi autem ritus iſte incredulis quoque uſitatus fuit ad teſtandum dolorem, ſpecialis tamen fuit ratio piis & Dei cultoribus, ut iram ejus ſuppliciter deprecarentur. Ideo in veſtium ſciſſura & aliis continebatur pœnitentiæ profeſſio: quod etiam colligitur ex annexa precatione: quæ tamen partim ex fide & ſincero pietatis affectu, partim ex immodica perturbatione mixta eſt. Quod ad Deum rectæ ſe convertunt, & agnoſcunt in manu ejus qua inflictum fuit vulnus, paratam eſſe medicinam, ex fide manat: doloris tamen exceſſu abrepti metas tranſiliunt. Hinc expoſtulandi libertas, hinc præpoſterum votum, Utinam libuiſſet manere in deſerto! Neque vero novum eſt, ubi ſancto zelo ad Deum quærendum adſpirant piæ mentes, lucem fidei obnubilari affectuum vehementia & impetu. Hoc autem modo vitiarentur omnes preces, niſi Deus pro immenſa indulgentia ignoſceret, ac maculis abſterſis, eas tanquam puras ſuſciperet. Et tamen quum ita libere expoſtulando rejiciant curas in Deum, ſimplicitas hæc licet venia indigeat, gratior longe eſt quam ficta hypocritarum modeſtia, qui ſedulo ne qua vox confidentiæ teſtis erumpat ſe cohibendo, intus contumacia turgent ac crepant. Excidit à moderatione Joſue, ubi cum Deo litigat, quod populum eduxerit è deſerto: ad majorem vero intemperiem profilit, ubi turbulentum votum Dei promiſſioni decretoque opponit, Utinam è deſerto nunquam exiiſſemus! Atqui id erat Dei fœdus abrogare. Sed quia propoſitum erat tueri atque aſſerere Dei gloriam, excuſata fuit vehementia, quæ merito alioqui Deum provocaſſet. Hinc decemur, ſanctos dum ad rectum ſcopum contendunt, ſæpe impingere & labi: idque in precibus quoque interdum contingere, ubi maxime fidei puritatem & compoſitum obedientiæ affectum lucere decebat. Porro Joſue de gloria Dei præcipue fuiſſe ſollicitum, ex proximo verſu patet, ubi ejus patrocinium quaſi ſibi injun-

ctum ſuſcipit. Quid dicam, inquit, ubi objectum fuerit, populum terga vertiſſe? Ac merito conqueritur, nihil ſibi eſſe quod reſpondeat: quia Deus teſtem eum ac præconem ſuæ gratiæ creaverat, unde perpetuus victoriarum tenor erat ſperandus. Quum ergo magnifice Dei potentiam pro munere ſibi divinitus mandato extuliſſet, contrario eventu eum turpiter obmuteſcere neceſſe fuit. Videmus itaque nulla re magis torqueri, quam vocationis ſuæ dedecore: non ut ſuæ eaiſtimationi conſulat, ſed ne periclitetur Dei veritas coram mundo. Denique, quia nonniſi Dei juſſu populum adduxerat in terram Chanaan, eum in adverſo eventu auctorem appellat & vindicem: acſi diceret, Quando in has anguſtias abs te conjectus ſum, ut fruſtrator videri poſſim: tuum eſt occurrere, & mihi ſuggerere defenſionis materiam.

9. *Audientque.*] Proponit alterum metum: quia vicini omnes qui vel malis ſubacti vel miraculis expaveſacti quieſcebant, ſumpta confidentia repente impetum facient contra populum. Fuit autem id probabile, ſicuti Dei potentia eos fregerat & reddiderat attonitos, ita audacter deſcenſuros in prælium, ſimulatque deſiſſent Deum ſibi infeſtum ſentire. Ergo periculum futuri temporis Deo objicit niſi mature proſpiciat: quia hac occaſione arrepta, Chananæi qui hactenus torpore conſtricti jacebant, ultro inſilient, & populum exanimem aggreſſi facile delebunt. Cæterum ex clauſula patet, non ſimpliciter commendare populi ſalutem, ſed in primis ſatagere, ut ſalva Deo maneat nominis ſui dignitas, nec ſubjaceat impiorum petulantiæ: quod futurum erat, ſi ejectus fuiſſet populus ab hæreditate toties promiſſa. Nota eſt Dei vox quæ refertur in cantico Moſis, *Deut. 32. verſ. 27.* Animus eſſet eos perdere, niſi timerem boſtium ſuperbiam: ne forte dicant, Excelſa eſt manus noſtra, Jehova hæc omnia non fecit. Quod ergo Deus ſe humanitus pronunciat veritum fuiſſe, nunc cavendum eſſe Joſue dicit ne clade populi eousque inſoleſcant hoſtes, ut triumphos agant de ipſo Deo.

10. Tunc dixit Jehova ad Joſuam, Surge: ut quid tu ita procidis ſuper faciem tuam?

11. Peccavit Iſraël, atque adeo transgreſſi ſunt pactum meum quod præcepi illis, atque etiam tulerunt de anathemate, atque etiam furati ſunt, atque etiam mentiti, atque etiam repoſuerunt in vaſa ſua.

12. Itaque non potuerunt filii Iſraël ſtare coram inimicis ſuis: cervicem vertent coram inimicis ſuis, quia ſunt in anathema: non perſeverabo eſſe vobiſcum, niſi deleatis anathema è medio veſtri.

13. Surge, ſanctifica populum, & dicas, Sanctificate vos in craſtinum: ſic enim dicit Jehova Deus Iſraël, Anathema eſt in medio tui, Iſraël: non poteris ſtare coram inimicis tuis, donec abſtuleritis anathema è medio veſtri.

14. Accedetis ergo mane per tribus veſtras: & tribus quam deprehendet Jehova accedet per familias, & familia quam deprehendet Jehova accedet per domos, & domus quam deprehendet Jehova accedet per viros.

15. Qui autem deprehenſus fuerit in anathemate, comburetur igni, ipſe, & omnia quæ ejus ſunt: quod transgreſſus fuerit pactum Jehovæ, & quod fecerit nefas in Iſraël.

16. Surrexit itaque Joſue mane, & accedere fecit Iſraël per tribus ſuas: & deprehenſa eſt tribus Juda.

17. Tunc applicuit cognationes Juda, & deprehendit cognationem Zari: applicuit deinde familiam Zari per viros, & deprehenſa eſt familia Zabdi.

18. Et applicuit domum ejus per viros, & deprehenſus eſt Achan filius Carmi, filii Zabdi, filii Zera, de tribu Juda.

10. *Tunc dixit.*] Non reprehendit Deus ſimpliciter, quod Joſue humi proſtratus defleverit cladem populi: quando hæc ratio fuit impetrandæ veniæ, ſuppliciter procidere coram eo: ſed quod intemperanter ſe mœrori dediderit. Quanquam objurgatio ad futurum magis quam ad præteritum tempus referri debet: quia jubet facere lugendi finem. acſi diceret, ſatis ſuperque jacuiſſe proſtratum, tollendam eſſe deſidiam, quia alio remedio ſit opus. Sed prius oſtenſa mali cauſa, rationem ejus tollendi præſcribit. Infauſtum ergo prælii eventum fuiſſe admonet, quia ſcelere populi offenſus, ejus defenſionem abjecerit. Diximus ante, cur privati ſacrilegii pœnam in omnes tranſcribat: quia etſi ſuo & aliorum judicio rei non tenebantur, judicium tamen Dei quo in eandem ſimul conjecti ſunt damnationem, occultas habuit rationes, de quibus etſi forte liceat ſobrie ſciſcitari, curioſius tamen perveſtigare fas non eſt. Rarum tamen clementiæ exemplum, quod damnationem ore tenus ad omnes extendens, nonniſi in unam domum, quæ piaculo fœdata erat, animadvertit. Quæ ſequuntur, ad crimen exaggerandum valent: atque ideo particula כי non abſque vehementia toties repetitur: quia alioqui extenuaſſent criminis atrocitatem. Ergo ubi dicit, Etiam transgreſſos eſſe pactum, ſignificat non leviter deliquiſſe. Ac pactum nominat prohibitionem quam vidimus: quia mutua ſtipulatione adhibita, ut ſuæ eſſent primitiæ, totius terræ ſpolia Iſraëlitis permiſerat. Itaque non intelligit pactum generale, ſed in anathemate ſe fraudatum eſſe conqueritur: quemadmodum continuo poſt explicandi cauſa ſubjicit, etiam de anathemate tuliſſe: idque non abſque ſacrilegio, dum furati ſuor quod ſibi vendicaverat. Mentiendi verbum pro fruſtrari ſpem conceptam accipitur, vel pro fallere, ut paſſim. Extremum eſt, quod tametſi primo intuitu leve multi ducerent, non tamen abs re ponitur tanquam ſceleris cumulus, quod in eorum vaſis reconditum ſit anathema. Nam certe lucri cupiditas interdum eos ſollicitat qui alioqui non prorſus ſunt improbi: in occultatione vero & cuſtodia magis ſe prodit obſtinatio, ubi maleficii auctor nulla pœnitentia tangitur. Proximo verſu nomen anathematis ſumitur diverſo ſenſu pro execratione: quia propter aurum ſubreptum maledicti erant filii Iſraël, & prope eantio devoti.

13. *Surge, ſanctifica populum.*] Quanquam verbum קדש latius patet: quia tamen de expiando populo agitur, non dubito quin ſolennem ſanctificandi ritum præſcribat. Itaque non ſatis meo judicio exprimunt ſcriptoris mentem qui generaliter vertunt Præparare. Quin potius quia ſiſtendi quodammodo erant in Dei conſpectum, ne illuc immundi prodirent, luſtratione opus fuit. Notanda autem quoad Joſue ſanctificandi ratio, quod ſcilicet purgationem Legalem populo indicit. Etſi autem ceremonia per ſe levis fuiſſet momenti, plurimum tamen valuit ad exper-

expergefaciendum rudem populum. Externa enim oblatio eos adducere debuit ad ſpiritualem munditiem. Contiuentia vero à rebus alioqui licitis eos admonuit, ſummam & exquiſitam puritatem ab illis requiri. Prædicitur autem illis quid futurum ſit, quo diligentius ſe quiſque examinet. Imo gradatim procedit Deus, actí inducias ad reſipiſcendum dare vellet. Neque enim alia excogitari poteſt ratio cur à tribu ad familias, & tandem ad unum hominem deſcenderit. Unde cognoſcitur prodigioſus ſtupor Achan, qui pudore forte victus impudentiam ſuam duplicat, dum ſe audacter ingerens illudere Deo non dubitat. Cur enim ubi ſe deprehenſum videt, non ſponte occurrit & fatetur crimen, ſed pertinaciter expectat dum invitus trahatur? Verum hæc juſta eſt eorum merces, qui ſe diabolo excæcandos tradunt. Jam ubi in damnatione ſuæ tribus, deinde familiæ palam agnovit non tantum urgeri ſe & conſtringi Dei manu: quomodo tunc ſaltem non profiliit ut voluntaria deditione ſuppliciter vindictam deprecaretur? Apparet ergo mentem ejus & ſenſus omnes fuiſſe à diabolo faſcinatos, poſtquam in ſcelere obduruerat. Etſi autem non omnia maleficia in lucem Deus protrahit eodem modo, nec ſortis jactu ſemper utitur: hoc tamen exemplo docuit, nihil tam occultum eſſe quod suo tempore non retegat. Forma quidem manifeſtationis erit diverſa: verum quiſque pro ſe cogitet, quæ fugiunt totius mundi notitiam minime eſſe Deo abſcondita, & in ejus arbitrio eſſe, palam facere. Etſi enim peccatum velut ſopitum jaceat, pro foribus tamen cubat, & miſerum hominem obſidet, donec oppreſſerit.

19. Tunc dixit Joſue ad Achan, Fili mi, da nunc gloriam Jehovæ Deo Iſraël, & ede ei confeſſionem, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas à me.

20. Reſpondit Achan ad Joſuam, & ait, Vere ego peccavi Jehovæ Deo Iſraël, & ſic & ſic feci.

21. Vidi inter ſpolia pallium Babylonicum bonum, & ducentos ſiclos argenteos, & ligulam auream unam, cujus pondus erat quinquaginta ſiclorum, quæ concupivi & abſtuli: & ecce abſcondita ſunt in terra, in medio tabernaculi mei, & argentum ſubtus.

22. Miſit itaque Joſue nuncios, qui cucurrerunt ad tabernaculum: ecce abſconditum erat in tabernaculo ejus, & argentum ſub eo.

23. Acceperuntque ea è medio tabernaculi, & attulerunt ea ad Joſuam & ad omnes filios Iſraël, ſtatueruntque coram Jehova.

24. Tollens igitur Joſue Achan filium Zera, & argentum, & pallium, & ligulam auream, & filios ejus, & filias ejus, & boves ejus, & aſinos ejus, & pecudes ejus, & tabernaculum ejus, & omnia quæ erant ejus, ſimulque univerſus Iſraël cum eo adduxerunt in vallem Achor.

25. Dixit Joſue, Cur turbaſti nos? Turbet te Jehova hodie: & obruerunt eum univerſus Iſraël lapidibus, combuſſeruntque eos igni poſtquam lapidaverunt eos lapidibus.

26. Et ſtatuerunt ſuper eum acervum lapidum magnum uſque in hunc diem, & averſus eſt Jehova ab ira excandeſcentiæ ſuæ: ideo vocarunt nomen loci illius vallem Achor, uſque in hunc diem.

19. *Tunc dixit Joſue.*] Etſi ſorte duntaxat, quæ fortuito cadere videtur, illaqueatus tenetur Achan: quia tamen pronunciavit Deus, quiſquam eſſet auctor criminis ſe quaſi digito oſtenſurum, non dubiranter interrogat Joſue, ſed rem compertam fateri jubet. Probabile quidem eſt, tritam fuiſſe adjurationis formam: ſicuti apud Joannem Scribæ & Sacerdotes cæcum cui reddiderat Chriſtus oculos adjurant iiſdem verbis, ut de miraculo reſpondeat. Specialis tamen fuit ratio cur Achan hortatus fuerit Joſue ad dandam gloriam Deo, quia inficiando vel tergiverſando fidem illius decreto abrogaſſet. Res enim jam ſorte erat deſoita. Simpliciter ergo Joſue ipſum Dei ſententiæ ſubſcribere jubet, ne fruſtra litigando ſcelus augeat. Filium neque ironice neque ſimulate nominat: ſed vere reſtatur ac ſincere paterno ſe eſſe erga eum affectu, quem jam morti deſtinaverat. Quo exemplo docentur judices, dum ſcelera puniunt, ſic temperare ſuum rigorem, ne exuant humanitatis affectum: & rurſum ita miſericordes eſſe, ne diſſoluti ſint ac remiſſi. Denique ita ſint patres eorum quos damnant, ne manſuetudine molleſcat feveritas. Multi blanditiis miſeros demulcent, fingendo ſe velle ignoſcere: elicita autem confeſſione carnifici repente tradunt, qui falſo impunitatem ſperaverant. Joſue autem reum ad Dei tribunal citaſſe contentus, inani veniæ ſpe eum minime demulcet. Ita demum liberior eſt ad ferendam quæ à Deo dictata eſt ſententiam.

Joan. 9. verſ. 24.

20. *Reſpondit Achan.*] Quia jam attonitus erat, non ſubterfugit, neque crimen extenuat, neque ad obſcurandum colores inducit: quin potius ingenue rem totam explicat. Itaque ad extorquendam confeſſionem plus valuit ſacrum Dei nomen quam tormenta quælibet. Neque tamen certum pœnitentiæ indicium fuit ejuſmodi ſimplicitas: ſed tanquam pavore exanimatus aperte prodidit quod libenter texiſſet. Nec vero novum eſt, poſtquam aliquandiu elabi tentarunt reprobi, atque etiam in ſuis vitiis obtorpuerunt, repente fieri voluntarios ſuos teſtes: non quod ſponte eo deſcendant, ſed quia Deus invitos trahit, & quodammodo agit præcipites. Quanquam multorum hypocriſin qui ſuis ambagibus claram lucem obnubilant, damnabit tam aperta reſponſio. Emphatica enim loquutio eſt, Huc & illud feci: quæ ſignificat diſtincte & ordine ſingulas rei geſtæ partes fuiſſe expoſitas. Nec vero tantum facinus agnoſcit, ſed omiſſa defenſione ac omni prætextu rejecto, ſe ipſum in qualitate quoque ipſa condemnat. Peccavi, inquit. quod non diceret niſi ſacrilegii conſcius: unde apparet errorem vel incogitantiam non obtendere.

22. *Miſit itaque Joſue.*] Quanquam novum non eſt, currendo & properando nuncios ſuum obſequium probare: feſtinatio tamen cujus nunc fit mentio, oſtendit trepide omnes fuiſſe intentos, ut quam citiſſime piaculum è medio tollerent. Ergo quia eos angebat ac cruciabat ſevera illa denunciatio, Non ero vobiſcum donec purgati ſitis ab anathemate: ideo non tantum ad exequenda Joſue mandata, ſed multo magis ad Deum placandum celeriter curruot. Porro ea rebus furto ablatis, ubi ante oculos productæ ſunt, ſatis ſuperque patefacta fuit ignominiæ & cladis acceptæ cauſa. Dictum fuerat, ideo terga vertiſſe hoſtibus, quia anathemate polluti deſtituerentur ſolito Deo auxilio: nunc ex conſpectu rei furtivæ colligere promptum eſt, Deum merito illis fuiſſe infeſtum. Inde etiam admoniti fuerunt quanti faceret Deus ſibi totius terræ Chanaan primitias illibatas offerri,

offerri, ne ſua liberalitas unquam ex ipſorum memoria intercideret. Simul didicerunt, quum in occultiſſimos quoſque receſſus penetret Dei cognitio, fruſtra ad eludendum ejus judicium integumenta captari.

14. *Tollens itaque Joſue.*] Duas ob cauſas extra caſtra educitur: ne labem ac pollutionem ex cæde contrahant, (ſicuti Deus ſemper in legitimis quoque pœnis manere voluit aliquod humanitatis veſtigium) deinde ne quod inquinamentum in populo reſideat. Primo igitur extra caſtra pœnam ſontibus infligere ſolenne fuit, quo magis à fundendo ſanguine abhorrerent. Sed nunc membrum putridum à corpore reſectum fuit, & caſtra ſordibus expiata. Ac exemplum memorabile fuiſſe agnoſcimus, quod nomen loco impoſitum fuit. Si quem conturbat vel offendit pœnæ atrocitas: ſemper eo redire convenit, quamvis à Dei judiciis ratio noſtra diſſideat, piæ tamen modeſtiæ & ſobrietatis freno cohibendam eſſe audaciam ne improbemus quicquid nobis non placet. Durum quidem, immane & barbarum videtur, teneros pueros qui extra culpam erant, ad crudele ſupplicium rapi, ut lapidentur & exurantur. Quod in bruta animalia eodem modo ſævitum eſt, non ita mirum: quia ut creata ſunt hominum cauſa, merito ſuos dominos ſequuntur. Ergo quicquid poſſedit Achan, una cum ipſo periit tanquam acceſſio. Verum pueros ob crimen patris lapidari & comburi, immitis fuit vindicta. Atque hic pœnam de ſceleribus parentum palam filiis Deus infligit, contra quam per Ezechielem pronunciet. Verum quomodo neminem perdat inſontem, & rejiciat tamen ſcelera patrum in filios, breviter explicui ubi narratum fuit de communi urbis excidio & promiſcua ætatum ſtrage. Qui tunc gladio conſumpti ſunt infantes & parvuli, ideo tanquam indigne occiſos deflemus, quia nulla eorum culpa apparet. Verum ſi reputamus quanto altius penetret Dei cognitio quam mentis noſtræ intelligentia, potius acquieſcimus ejus decreto, quam noſtra temeritate veſanaque ſuperbia nos efferendo, in præcipitium ruamus. Certe inconſiderato odio correptus non fuit ut inhumaniter filios Achan occideret. Nam quum eſſent figmentum & opus manuum ejus, ſimul inſculpta in eorum carne erat Circumciſio, minime fallax adoptionis ſymbolum, eos tamen morti addicit. Quid nobis hic reliquum, niſi ut infirmitatis noſtræ conſcii, incomprehenſibili ejus conſilio cedamus? Fieri poteſt, ut mors illis ad medicinam profuerit. Quod ſi reprobi erant, non potuit immatura eſſe eorum damnatio. Adde quod vitam quam dedit, poteſt Deus quoties viſum eſt, non magis morbo quam alio quolibet modo auferre. Diſcerpet fera beſtia infantem ac laniabit. Alterum virulento morſu ſerpens extinguet. Cadet unus in aquam, alter in ignem: alium nutrix ſuffocabit, alium conteret lapis. Imo nonnullis antequam lucem aſpiciant, uterus eſt ſepulchrum. Nullas ex tot mortibus niſi Dei arbitrio accidere certum eſt. Quis tamen propterea audebit litem contra eum movere? Quod ſi quis eouſque inſaniat, quid proficiet? Tenendum quidem eſt, nullos ejus mandato perire, niſi quos morti deſtinaverat. Cæterum ex quo recenſentur ejus boves, aſini & oves, colligimus fuiſſe ſatis locupletem: ut penuria eum ad ſcelus non impulerit. In quo ſe prodidit inexplebilis ejus cupiditas, quod res furtivas non ad uſum ſed ad luxuriam appetiverit.

25. *Dixit Joſue.*] Videtur nimis dura eſſe inſultatio: acſi propoſitum eſſet miſerum hominem, quem ad patientiam hortari debuerat, prope ad furorem adigere. Verum mihi dubium non eſt quin populi cauſa ita loquutus ſit, ut omnibus utile eſſet exemplum. Ita ſtatuo, noluiſſe Achan deſperatione obruere: ſed in ejus perſona oſtendere, quam grave ſit crimen, Eccleſiam Dei turbare. Quanquam fieri poteſt ut homo ſuperbus conqueſtus fuerit non acceptam eſſe ſuam ſatisfactionem, qua ſe probe defunctum putabat, ideoque Joſue corrigendæ vel frangendæ ejus contumaciæ cauſa aſperius invectus ſit. Nam & interrogatio ſubindicat, illum expoſtulaſſe: & ubi Deum judicem appellat, videtur compeſcere hominem præfractum. Quod totus populus lapides projecit, factum eſt in ſignum deteſtationis: acſi teſtatum faceret, ab eo crimine quod ulciſcebantur, ſe fuiſſe remotos, & adhuc abhorrere. Congeries lapidum partim ad poſteros monumentum fuit, partim eo ſpectavit, ne ſi locus eſſet vacuus, quiſpiam inde vel per imprudentiam particulas auri vel argenti legeret. Quamvis enim prius juſſiſſet Deus aurum ſibi offerri, noluit tamen furto pollui ſuum ſanctuarium.

Cap. VIII.

DIxitque Jehova ad Joſuam, Ne timeas: nec formides, ſume tecum omnem populum bellicoſum, & ſurge, aſcende in Ai. Vide, dedi in manu tua regem Ai, ac populum ejus, urbem ejus, & terram ejus.

2. Faciesque Ai & regi ejus, quemadmodum feciſti Jericho & regi ejus: tamen ſpolia ejus, & animalia ejus prædabimini vobis. Colloca autem inſidias urbi à tergo ejus.

3. Surrexit itaque Joſue & omnis populus bellicoſus, ut aſcenderent in Ai: & elegit Joſue triginta millia virorum fortium robore, miſitque eos nocte.

4. Ac præcepit eis, dicendo, Attendite vos, Inſidiabimini urbi à tergo ejus, nec removeatis vos ab ea procul, ſed eſtote omnes vos parati.

5. Et ego & omnis populus qui mecum eſt, accedemus ad urbem: quum autem egredientur in occurſum noſtrum, ſicut prius, fugiemus ante eos.

6. Tunc egredientur poſt nos, donec avellamus eos ab urbe: dicent enim, Fugiunt ante nos, ut prius: & fugiemus ante eos.

7. Vos autem ſurgetis ex inſidiis, & expelletis habitatores urbis, tradetque eam Jehova Deus veſter in manu veſtra.

8. Quum ceperitis urbem, ſuccendetis eam igni: ſecundum ſermonem Jehovæ facietis. Videte, præcepi vobis.

9. Miſit itaque eos Joſue, & perrexerunt ad inſidias, manſeruntque inter Bethel & Ai, ab Occidente Ai. Manſit autem Joſue nocte illa in medio populi.

10. Poſtea ſurrexit Joſue ſummo mane, recenſuitque populum: atque aſcendit ipſe & ſeniores Iſraël ante populum verſus Ai.

11. Omniſ-

11. Omnisque populus bellicosus, qui erat cum eo, ascenderunt & appropinquarunt, veneruntque è regione urbis, & castrametati sunt ab Aquilone Ai. Vallis autem erat inter ipsum & Ai.

12. Tulitque præterea circiter quinque millia virorum, quos locavit in insidiis inter Bethel & Ai ab Occidente urbi.

13. Et propius accessit populus tota castra quæ erant ab Aquilone urbi, & insidiæ ejus ab Occidente ipsi urbi, perrexitque Josue nocte illa in medium vallis.

14. Porro quum videret rex Ai, festinaverunt & mane surrexerunt, atque egressi sunt homines urbis in occursum Israël ad prælium, ipse & universus populus ejus, ad tempus constitutum ante campestria: nesciebat autem quod insidiæ sibi essent à tergo urbis.

15. Et profligati sunt Josue & universus Israël ante eos, & fugerunt per viam deserti.

16. Et congregati sunt totus populus qui in urbe erat, ut persequeretur eos. Et persequuti sunt Josuam, abstractique sunt ab urbe.

17. Neque remansit quisquam ex Ai & Bethel, qui non egressus sit post Israël: & reliquerunt urbem apertam, & persequuti sunt Israëlem.

18. Dixit autem Jehova ad Josuam, Eleva hastam quæ est in manu tua contra Ai, quia in manu tua dabo eam. Et elevavit Josue hastam quæ erat in manu sua contra urbem.

19. Tum insidiæ surrexerunt repente è loco suo, & cucurrerunt quum elevasset manum suam, veneruntque ad urbem, & ceperunt eam, & festinarunt urbem succendere igni.

20. Vertentes autem sese viri Ai, viderunt, & ecce ascendebat fumus urbis in cælum, neque erant eis spatia ad fugiendum huc & illuc. Populus autem qui fugerat in desertum, versus est contra persequentes.

21. Josue itaque & universus Israël ubi viderunt quod insidiæ cepissent urbem, ascendissetque fumus urbis, reversi sunt, & percusserunt viros Ai.

22. Illi præterea egressi sunt ex urbe in occursum eorum, fueruntque Israëli in medio: isti hinc, & illi inde. Et percusserunt eos, donec nemo remaneret eis superstes & evasor.

23. Regem quoque Ai ceperunt vivum, & stiterunt eum coram Josue.

24. Quum autem finem fecisset Israël cædendi omnes habitatores Ai in deserto quo persequuti fuerant eos, & cecidissent omnes ipsi acie gladii donec consumerentur, reversus est universus Israël ad Ai, & percusserunt eam acie gladii.

25. Fuitque numerus omnium qui ceciderunt die illa à viro usque ad mulierem circiter duodecim millia, omnes viri Ai.

26. Porro Josue non reduxit manum suam, quam elevaverat ad lanceam, donec interficeret omnes habitatores Ai.

27. Tantum animalia & spolia urbis ejus sibi prædati sunt filii Israël secundum sermonem Jehovæ, quem præceperat ipsi Josue.

28. Succendit igitur Josue Ai, & posuit eam acervum sempiternum vastitatum usque ad hanc diem.

29 Regem vero Ai suspendit in ligno usque ad tempus vespertinum: quumque occubuisset sol, præcepit Josue & deposuerunt cadaver ejus è ligno, & projecerunt illud ad introitum portæ urbis, & statuerunt super illud acervum lapidum grandem usque ad hunc diem.

1. *Dixitque Jehova.*] Magnopere interfuit tam Josue quam populo novum animum facere, ut confidenter ad impetendam urbem Ai se accingerent, à qua nuper cum jactura & majori dedecore fuerant repulsi. Deus ergo, ut intrepide hanc expeditionem susciparent, promittit se urbem illis daturum. Eodem consilio & ratione astu potius quam aperto Marte pugnare, hostes extra elicere, & insidias in loco occulto statui jubet, quæ incautos circumvenient. Nullius enim prope negotii fuisset, pauca millia ingenti multitudine obrui, si urbem repente & ex inopinato aggressi essent. Verum quia ante vidimus, liquefacta fuisse omnium corda, eorum infirmitati consuluit Deus, ne plus injungeret oneris, quam essent ferendo, donec à nimio pavore recreati, mandata ejus alacrius capesserent. Verum quidem est, usum nunc fuisse eorum industria, partim ne semper miraculis inhiarent, ac se dederent ignaviæ, partim ut in diversis & inæqualibus agendi modis nihilominus semper agnoscerent eandem ejus potentiam. Sed hæc specialis ratio minime omittenda: quia nondum recreati erant ex terrore, vix potuisse ad apertum conflictum trahi, nisi tanquam subsidium addita esset fallendi sortitia. Quanquam primum gradum obtinet promissio, Ne timeas, quia tradidi eam in manus tuas: quæ tamen verbo tenus ad Josuę dirigitur, communiter tamen ad totum populum pertinet: quia maxime necesse fuit, omnes ad unum, soluta anxietate, nova fiducia instrui. Porro quod urbem jubet exuri sicuti Jericho, videtur id concedere populi dolori, ut dedecoris memoria hac vindicta aboleatur: quo tamen libentius expeditionem suscipiant, spolia illis relinquit in præmium victoriæ.

3. *Surrexit Josue.*] Probabile non est, omnes è castris fuisse excitos: sed exercitum fuisse confectum ex ea multitudine, quæ magis ad bellandum assuefacta erat. Copiosum certe fuisse exercitum inde apparet, quod quinque millia ad insidias ablegat. Etsi enim videntur initio triginta quinque millia numerari, ex contextu tamen liquet, non fuisse tantum numerum. Quin potius conjicio, triginta millia eum duxisse, quæ palam pugnarent: quinque autem millia peculiariter fuisse sepositа ad insidias. Quod mature Josue partes sibi injunctas exequitur, & mane iter arripit, quantopere efficax fuerit Dei pro-

promiſſio, ex tanta feſtinatione perſpicitur. Niſi enim metu ſoluti fuiſſent omnium animi, nunquam tam promptos ad obſequium reperiſſet. Videtur quidem parum prudenter tantam turbam dimittere, quæ occultis itineribus ad locum inſidiis aptum perveniat. Nam ut optime compoſitis agminibus taciti pergerent: ſolo tamen pedum motu ſtrepitum excitari neceſſe fuit. Jam ſi quis dicat, neminem illis fuiſſe obvium, quia omnes regionis incolæ deſertis agris in urbem confugerant: certe paulo poſt narrabitur, antequam proxime urbem accederent Iſraelitæ, eorum adventum cognitum fuiſſe à rege Ai. quod vix abſque ſpeculatoribus fieri potuit. Jam ut demus neminem in agris occurriſſe: præterire tamen difficile fuit, & noctu inſidias locare in loco opportuno, illicque conſidere, quin aliquo ſe indicio proderent. Quod ad conſilium Joſue, quamvis minore turba negotium poſſe confici proſpiceret, coactus tamen videtur recenti adhuc populi trepidatione diligentius cavere, ne quid tentaret cum periculo. Nam ſi pauci ab exercitu dimiſſi eſſent, forte refugiſſent provinciam, qua in diſcrimen conjiciebantur. Deus interea ploſquam clementer populo ſuo indulget, cui hoſtes tam facile vincendos tradit. Miribcus vero favor in eo præſertim apparet, quod omnes excæcat, ne quidquam de inſidiis ſubolfaciant. Nec vero dubito, ubi dicitur eos neſciviſſe, quin ſcriptor hiſtoriæ rarum & inſolitum Dei beneficium commendet, quia triginta millia quæ Joſue comitabantur, deinde quinque alia, quaſi umbra manus ſuæ protexerit, ut omnes hoſtes laterent. Jam ubi quinque millium fit mentio, non ita interpretor quaſi ouvas inſidias ſubmiſerit Joſuo, acſi multitudo jam nimia non ſufficeret: ſed nunc demum oſtendit quomodo triginta quinque quæ armaverat hominum millia diſtribuerit. Quorſum enim tantæ multitudini tam exiguum ſubſidium? Jam idem locus deſignatur qui ante, ubi ſubſiſtere juſſi ſunt: quod in duas turmas non quadraret.

15. *Et profligati ſunt Joſue.*] Alterum ſtratagema, quod fugam ſimulando, hoſtes procul abſtrahunt, ne ſit illi adeinde in urbem receptus. quia ante flagravit incendio, quam ſuſpicarentur quidquam ſibi mali à tergo metuendum eſſe. Dum ergo Iſraelitas quaſi victos perſequuntur rex Ai, pars exercitus, quæ verſus Bethel latebat, ſatis habuit temporis ad capiendam urbem, ut ſero agnoſcerent cives prorſus ſe periiſſe. Nam quum jam ante repulſi paſſim trucidarentur, conſpecta urbis flamma deſperatione fracti ſunt, & undique circumventi, ne quis effugeret. Quod hic quærunt nonnulli, dolone & per inſidias liceat hoſtes opprimere, ex craſſa imperitia naſcitur. Certum enim eſt non feriendo ſolum geri bella, ſed eos cenſeri oprimos duces, qui arte & conſilio pollent magis quam impetu: deinde ut quiſque longo uſu factus eſt veterator, ita optimum eſſe militem. Ergo ſi legitimum ſit bellum, extra controverſiam eſt, conſuetis vincendi artibus patefactam eſſe viam: modo ne vel pactis induciis, vel alio modo fidem datam fallamus.

17. *Nec remanſit quiſquam.*] Liquebit ex contextu, deprehenſos fuiſſe aliquos in urbe & occiſos: ideoque tenendum eſt, non omnes abſque exceptione eroptionem feciſſe, ut ſenes quoque & fœminæ & imbellis turba ſe in campos projecerint: ſed ſenſus eſt, nihil ad cuſtodiendam orbem relictum fuiſſe præſidii. Idem & de Bethel pronunciat: unde conjicere promptum eſt, Bethel, quia exiguum erat oppidulum, militaſſe ſub alieno ductu. Hinc factum eſt, ut propria urbe quam tueri non poterant, relicta & deſerta, omnes ſuas vires obtulerint regi Ai, cujus forte tributarii erant. Porro an ad regem Ai profecti ſint ante adventum populi Iſraelitici, ut conjunctis copiis pugnarent, incertum eſt. Probabilis tamen conjectura eſt, quia pares non erant ad reſiſtendum, ex compacto in urbem munitam & magis populoſam veniſſe. Certe non aliter putarunt ſe fore ſalvos, quam ſi ſub umbra vicinæ urbis quæ longe excellebat, conſervarentur.

18. *Dixit autem Jehova.*] Docet hic locus, vel rara urbis munitione, vel audacia civium, vel trepidatione populi Iſraelitici redditam fuiſſe difficilem victoriam: quia Deus haſtæ elevatione ſe urbis fore expugnatorem promittit. Porro in re ſodubia ſupervacuum fuiſſet ſymbolum. Sollicitos ergo & perplexos fuiſſe animos oportet, quando Deus fiduciæ vexillum manu Joſue attollit ne fatiſcant. Quanquam paulo poſt notatur diverſus finis, ubi dicitur, inſidias hoc modo fuiſſe excitas, & cucurriſſe. Quod ſi illud ſurgendi ſignum fuit, non conveniet, in haſta oſtenſam fuiſſe victricem Dei potentiam, quæ dubitationem omnibus eximeret. Verum quia non exprimitur, militibus ad inſidias diſpoſitis cauſam exeundi fuiſſe quod haſtam viderint, fieri poteſt ut ſponte progreſſi ſint, vel quia opportunum erat tempus, vel quia clamor & ſtrepitus admonuit jam commiſſum eſſe prælium. Nec vero credibile eſt, longo ſpatio interpoſito conſpectam abillis fuiſſe haſtam: præſertim quia Joſue in valle ſubſiterat. Adhæc, ſi dicamus elevationem haſtæ quæ alio ſpectabat, illis quoque profuiſſe ut magis animarentur, in eo nihil erit abſurdi. Hoc quidem fixum manere debet, ſolenni teſſera certiores de felici prælii eventu fuiſſe redditos: deinde non aliud fuiſſe Joſue conſilium, quam ſuos ex Dei mandato incitare. Sequitur enim tandem, Joſue non retraxiſſe manum niſi urbe capta, hoſtibus ubique deletis, belloque illo profligato. Unde apparet, in medio conflictu geſtaſſe quaſi inſigne triumphi, nec de ſucceſſu Iſraelitæ ambigerent. Quamvis enim eos juberet manus conſerere, & armis fortiter uti: ſimul tamen clare denunciabat eos jam victiſſe. Etſi vero ſeriem rei geſtæ nonnihil obſcurat, quod bis idem repetitur: ſumma tamen ſatis liquet: filios Iſraël retrocediſſe metum fingendo, nec ante initium pugnandi eſſe factum quam cives Ai à reditu & urbis ſuæ defenſione excluſi eſſent: poſtquam vero confligere cœperant duo exercitus, alios ſurrexiſſe ex inſidiis: tantamque fuiſſe feſtinationem, ut flamma ex incendio erumperet, quum terga verterunt hoſtes: unde conjicere licuit, urbem ab Iſraëlitis teneri: ſed præcipuam ſtragem fuiſſe editam, ubi in occurſum prodierunt qui in urbe erant: quia tunc undique deprehenſi nihil amplius remotæ attulerunt vel reſiſtendo, vel fugiendo. *Ergò* deſperatione exanimes, & ſimul in anguſtias redacti, paſſim cæſi fuerunt. Quod autem ſubjicitur non ante editam fuiſſe in urbe ſtragem, quam reverſi ſunt qui fugam ſimulaverant, ita interpretor, conjunctis viribus irrupiſſe, ut collecta præda occiderent quicunque adhuc erant reſidui. Si quis excipiat, quum prælium committeretur, fuiſſe exuſtam: reſpondeo, ignem quidem fuiſſe ſuppoſitum, ut cognoſceret uterque exercitus, Iſraelitas ea potiri: ſed non fuiſſe conſumptam incendio. Neque enim momento temporis prædam rapere & abigere promptum fuit, imo vaſa & bonam copiam ſupellectilis extra efferre: abſurdum vero fuiſſet, quæ Deus ſpolia conceſſerat, ultro perdere. Videmus ergo primum ignem, delendæ totius urbis cauſa non fuiſſe accenſum, ſed quia pars urbis flagrabat, inditum fuiſſe expugnationis: quanquam abſque ſanguine & ſudore per apertas portas Iſraelitæ ingreſſi ſunt. Adque paulo poſt confirmatur, dum adſcribitur incendium ipſi Joſue: non tantum quia ejus ductu urbs fuit exuſta, ſed quia reverſus à prælio funditus diruendam curavit: ſicuti mox additur, poſuiſſe in acervum lapidum, ut perpetua eſſet vaſtitas.

25. *Fuitque numerus.*] Senſus non eſt, omnes qui occiſi ſunt fuiſſe incolas Ai: ſed quicunque illic habi-

habitabant fuiſſe occiſos, ut ne unus quidem effugerit. Ante enim viſum fuit, cives Bethel ſimul fuiſſe permiatos: neque poſtea fiet ejus urbis mentio. unde elicitur probabilis conjectura, relicto oppido parum munito, in locum tutiorem ſe contuliſſe, quem ſperabant facile poſſe defendi. Simpliciter ergo verba ſonant, omnes qui egreſſi erant, & qui in urbe reperti ſunt, ad unum fuiſſe interfectos. Quanquam ſi cui magis placet, numerum hunc reſtringi ad ſenes, ægrotos, pueros, & mulieres, quorum ſtrages intra muros fuit edita, non contendam. Si tamen reputamus, urbi non adeo amplæ nec populoſæ conjunctum fuiſſe oppidulum, magis probabile eſt, qui in acie ceciderunt, ſimul comprehendi.

26. *Joſue non reduxit.*] Quia haſtam tollendo, ſignum & teſſeram bene ſperandi quaſi è cælo dabat, non ante deſtitit in ejus intuitu defixos rerinere ſuorum animos, quam urbe potiti eſſent. Qua perſeverantia ſatis probavit, quam ab ambitione remotus foret: tantum abeſt ut quicquam vanæ oſtentationis præ ſe tulerit. Perinde enim fuit, acſi ducis munere ſe abdicans totam victoriæ laudem in Deum tranſcriberet. Quam robuſtus eſſet bellator, ea aliis locis patet. Nunc ergo libenter defunctus eſſet militaribus officiis: idque ad exiſtimationem ac gloriam fuiſſet longe aptius. Atqui tanquam manu ad haſtam alligata, tantum hortatur ſuos milites, ut in Deum ſolum reſpiciant, cui teſignat prælii ſucceſſum. Cæterum ita feriando plus profecit quam ſi magnos hoſtium acervos binc inde manu proſtraſſet: ſimulque ejus otium qualibet agilitate laudabilius fuit.

29. *Regem Ai.*] Quanquam videtur in regem fuiſſe aſperior, ut populi odia expleret: mihi tamen dubium non eſt, quin fideliter exequi ſtuduerit Dei judicium. Solent quidem victores regibus captis parcere, quia aliquid venerationis trahere ſecum videtur eorum dignitas: verum inter gentes illas alia fuit regum conditio, in quibus præcipue oſtendere voluit Deus quantopere dereſtaretur quæ tamdiu toleraverat ſcelera. Nam quum omnes exitio eſſent addicti, merito in ipſis capitibus à quibus interitus cauſa manabat, ſevetior & atrocior apparuit Dei vindicta. Adde quod inflicta regibus ignominia, vulgus magis probroſum reddidit, ne importuna miſericordia populus ad omnes delendos ſegnior foret vel remiſſior. Et Deus conſulto regem vivum tradidit in manum Joſue, quo inſignior eſſet atque ad exemplum notabilis ejus pœna. Si promiſcue cum aliis occubuiſſet in conflictu, ab hac peculiari infamia fuiſſet exemptus. Nunc poſt mortem quoque in ejus cadavet animadvertit Deus. Imo poſtquam ſuſpenſus fuit, projicitur ad portam urbis, ubi è ſolio judicia exercuerat, & monumentum erigitur ad poſteros continuandi dedecoris cauſa. inferitur tamen ſepultura: ut ſciamus nihil fuiſſe geſtum tumultuoſo impetu. quia diligenter ſervavit Joſue quod Moſes in Lege præſcripſerat: nempe ut qui in patibulis ſuſpenſi erant, ante Solis occaſum tollerentur, quia execrabile eſt ejuſmodi ſpectaculum. Et certe quum mortuos ſub terra recondere humanum ſit; laniandos feris projicere vel avibus, immane eſt. Ergo ne populus ad barbariem aſſuefieret, Deus maleficos ita ſuſpendi permiſit, ne plus uno die penderent inſepulti. Quo autem ad officium, quod alioqui facile neglectum fuiſſet, magis attenderet populus, pronunciat Moſes maledictum eſſe quiſquis pendet in ligno: acſi diceret, terram illo mortis genere contaminari, niſi ſtatim è medio tollatur offendiculum.

Deut. 21. verſ. 23.

30. Tunc ædificavit Joſue altare Jehovæ Deo Iſraël in monte Ebal,

31. Quemadmodum præceperat Moſes ſervus Jehovæ filius Iſraël: ſicut ſcriptum eſt in libro Legis Moſis, altare ex lapidibus integris, ſuper quos non levaverant ferrum: & immolaverunt ſuper illud holocauſta Jehovæ, & ſacrificaverunt hoſtias proſperiratum.

Exod. 20. verſ. 25. Deut. 27. verſ. 5.

32. Scripſit quoque ibi in lapidibus repetitam Legem Moſis, quam ſcripſit coram filiis Iſraël.

33. Univerſus autem Iſraël, & ſeniores ejus, & præfecti, & judices ejus ſtabant hinc & inde ad arcam coram ſacerdotibus Levitis portantibus arcam fœderis Jehovæ, tam peregrinus quam indigena: dimidia pars ejus contra montem Garizin, & dimidia pars ejus contra montem Ebal: quemadmodum præceperat Moſes ſervus Jehovæ, ut benediceret populo Iſraël primum.

34. Et poſthæc legit omnia verbà Legis, benedictionem & maledictionem, ſecundum id totum quod ſcriptum eſt in libro Legis.

35. Non fuit quidquam ex omnibus quæ præceperat Moſes quod non legerit Joſue coram univerſo cœtu Iſraël, & mulieribus, & parvulis, & peregrinis verſantibus in medio ipſorum.

30. *Tunc ædificavit.*] Hoc ſibi primum extraordinarium ſacrificium offerri Deus in terra Chanaan voluerat, quo teſtata fieret populi gratitudo, & ſolenni ritu terra inciperet conſecrari. Neque enim ante libere & in proprio ſolo id fieri potuit, donec regio aliqua vacua contigiſſet. Duo autem ſimul mandaverat Deus: ut in monte Ebal altare extrueret: deinde ut lapides duos ſtatuerent ac linerent calce, in quibus Legem deſcriberent, ut in tranſitu quibuslibet ejus lectio eſſet expoſita. Utrumque nunc legimus fideliter fuiſſe præſtitum. Tertium præceptum erat de recitandis benedictionibus & maledictionibus: quod etiam Joſue non minore diligentia exequutus eſt. Nunc ut ab altari incipiam, dicitur ſecundum Dei mandatum fuiſſe compoſitum ex lapidibus impolitis. Integri enim lapides ſuper quos ferrum non aſcendit, vocantur rudes nulloque artificio formati. Hoc de altari cujus nunc fit mentio, ſpecialiter traditur Deuteronomii 27. Verum idem in genere de aliis omnibus ante proditum fuerat. In ratione fruſtra allegoriam fabricant interpretes: manum & induſtriam hominum prohiberi, quia ſimulatque afferimus noſtra commenta, vitiatur Dei cultus. Vere quidem hoc & ſcite dicitur: ſed extra locum: quia non aliud fuit Deo propoſitum, quam vetare perpetua altaria. Scimus enim hanc fuiſſe rite ſacrificandi legem, ut unum omnibus eſſet altare, tum ad fovendum inter eos conſenſum, tum ut omnibus corruptelis obviam iretur, ne qua obreperet adventitia ſuperſtitio, denique ut religio una & ſimplex maneret: quia ea altarium varietate proclivis fuiſſet lapſus ad diſcordiam. Ita diſtractus fuiſſet populus, & diſſipata ſincera pietas. Jam vero locum eligere non fuit in arbitrio populi: ſed Deus id ſibi paſſim apud Moſen vendicat. Ergo exercitia pietatis reſtringit ad eum locum, ubi poſuerit memoriam ſui nominis. Porro quia non ſtatim patefacta fuit Dei voluntas, nec locus deſignatus:

Deut. 27. v. 2,3,4.

ne interea cultus ejus cessaret, permissum fuit ubi Arca stationem haberet, altare statuere: sed ex indigesta lapidum congerie, vel ex cespitibus, ut esset temporarium duntaxat. Notent lectores, optionem datam fuisse populo ut facerent ex lapidibus asperis, ne forma venerationem afferret, vel ex terra quæ sponte deflueret. In summa, hocad commendationem perpetui altaris valuit, ex quo montem Sion elegit Deus. Quamobrem dicitur in Psalmo, Lætatus sum, quia stabunt pedes nostri in atriis tuis Jerusalem. Quæ alii pacifica vertunt, ego non abs re sacrificia prosperitatum: quia vel ad petendos felices successus offerebantur, vel ad gratias agendas, & nomen Hebraicum non male convenit: ut plenius apud Mosen reperient lectores. *Psal. 122. vers. 1, 2.*

32. *Scripsit quoque in lapidibus.*] Diversa fuit lapidum de quibus nunc agitur ratio, in quibus voluit Deus semper extare Legis suæ monumentum, ut tanquam oppositis claustris munita esset pura religio contra superstitiones Ægypti. Itaque calce illiti erant, quo magis essent conspicui, & distinctior lectio scripturæ. Eorum vero sententiæ libenter subscribo, qui per Legem repetitam intelligunt exemplar descriptum: quod vulgus copiam vel duplum nominat. Quanquam mihi credibile non est, totum volumen illic fuisse exaratum: nec vero lapides quamlibet magni tam prolixos sermones capere poterant. Itaque Legis nomine summam & sanctiones notari existimo: unde palam factum est, etiam exteris qui terram ingrediebantur, quisnam Deus illic coleretur: & sublata fuit erroris excusatio, dum Lex non in libro recondita, sed omnium oculis patefacta fuit. Denique quamvis muti essent sacerdotes, clare lapides ipsi loquuti sunt.

33. *Universus autem.*] Tertium specimen obedientiæ, quod omnes tribus Israël locavit Josue in monte Garizin & in monte Ebal, ut senis ordinibus inter se responderent. Sic enim dispositæ erant, ut sex tenerent montem Ebal, totidem è regione starent in monte Garizin. Levitæ autem medium spatium occupabant cum arca fœderis, ut Deus undique à suo populo circumdaretur. Dicitur vero Josue stetisse ut benediceret populo primum: nempe quia Dei consilium fuit, populum suaviter & amabili comitate ad se allicere. Etsi enim Moses, quo perstringat populi contumaciam, maledictiones tantum commemorat: certum est tamen fuisse quasi accidentales: quia genuina hæc fuit ratio, ut benedictiones ad obsequium flecterent parum alioqui morigeros. Verum ubi nihil profuit tam humana invitatio, additæ sunt maledictiones in novum subsidium & remedium. Deus amplam mercedem pollicitus fuerat servis suis qui Legi obedirent. Rursum propositis maledictionibus transgressores terruerat. Nunc coguntur singuli ejus judicio palam subscribere, dum ad singulas sententias respondent Amen. Hoc enim modo non solum audiunt se damnari ore Dei, sed tanquam missi ab eo præcones quæ ipsos maneat pœna denunciant. Similis promulgatio facta erat in planitie Moab ultra Jordanem: sed nunc sanctius astringuntur, & agnoscunt qua lege habituri sint in terra Chanaan. Accessit non leve pondus, quod parvuli quoque adhibiti sunt testes.

Cap. IX.

QUum autem audissent omnes reges qui erant trans Jordanem in monte, & in planitie, & in toto tractu maris Magni è regione Libani, Hitthæus, Amorrhæus, Chananæus, Pherisæus, Hivæus, & Jebusæus:

2. Congregaverunt se pariter ad pugnandum cum Josue & Israël uno consensu.

3. Habitatores vero Gibeon audientes quod fecerat Josue urbi Jericho & Ai,

4. Egerunt etiam ipsi callide. Nam abierunt, & finxerunt se legatos esse, & tulerunt saccos vetustos in suis asinis, & utres vini vetustos, & ruptos ac colligatos,

5. Et calceamenta vetusta & resarta in pedibus suis, & vestes vetustas super se, & totus panis viatici eorum aridus ac mucidus.

6. Perrexerunt ergo ad Josue in castra in Gilgal: dixeruntque ei & viris Israël, E terra longinqua venimus, itaque nunc percutite nobiscum fœdus.

7. Tunc responderunt viri Israël ad Hivæum, Forte in medio mei tu habitas, & quomodo percutiam tecum fœdus?

8. At illi dixerunt ad Josuam, Servi tui sumus. Quibus ait Josue, Quinam estis? & unde venistis?

9. Responderunt ei, E terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Jehovæ Dei tui. Audivimus enim famam ejus, & quæcunque fecit in Ægypto:

10. Quæcunque item fecit duobus regibus Amorrhæi qui erant trans Jordanem, Sihon regi Hesbon, & Og regi Basan in Astaroth.

11. Dixeruntque nobis seniores nostri, & omnes habitatores terræ nostræ, Tollite in manu vestra escam pro itinere, & ite in occursum eorum, ac dicite illis, Servi vestri sumus, & nunc percutite nobiscum fœdus.

12. Iste est panis noster, calidum pro viatico paravimus è domibus nostris quo die egressi sumus ut veniremus ad vos, nunc autem aruit, & siccus est.

13. Et isti sunt utres vini, quos impleveramus novos, & ecce rupti sunt. Et ista vestimenta nostra, & calceamenta nostra vetustate attrita sunt ob longum iter.

14. Sumpserunt ergo viri de viatico eorum, & os Jehovæ non interrogaverunt.

15. Et fecit cum eis Josue pacem, & percussit cum eis fœdus quod sineret eos vivere, juraveruntque eis principes congregationis.

1. *Quum audissent.*] Quando reges istos minime ab initio latuit populi adventus, certum est divinitus securitate vel potius socordia inebriatas fuisse eorum mentes, ne facta conspiratione protinus occurrerent. Fuit enim nimii stuporis, non ante sibi prospicere, quam dum clade duarum urbium violenter excitati fuit è suo veterno. Nam quia commune erat bellum, quædam voluntaria fuit deditio, nullum

lum vicinis subsidium mittere, imo non habere paratum exercitum, qui pro earum defensione validam impressionem faceret. Verum hoc modo pepercit Deus suorum infirmitati, quibus conjunctæ tot gentium vires non parum formidinis attulissent. Certum ergo est, earum desidia & torpore Israelitas fuctos fuisse expeditiores. Spatium enim datum interea fuit, quo seipsos colligerent; & qui solis hostium nominibus fuissent turbati, ad eos excipiendos se per otium comparant. Ita quamvis reprobi nihil non moliri cupiant ad perdendum Ecclesiam: Deus tamen ut nocendi facultatem adimat, dissipat & pervertit eorum consilia: imo spiritum vindemiat. Ab altera parte se prodit furiosa audacia, quod manifesto miraculo non flectuntur, quo minus inexpugnabili Dei potentiæ se tanquam rabidæ belluæ opponant. Fama ad eos allata fuit de expugnatione urbis Jericho. An hominum consilio vel industria? an conatu? an machinis eversa fuerat? Imo sponte muri corruerant. Qua igitur fiducia ad arma contra cælum suscipienda confidunt?

3. *Habitatores vero Gibeon.*] Soli habitatores Gibeon repudiato bellandi consilio, ad fraudem animos applicant, ut prætextu longæ distantiæ pacem impetrent. Porro odiosum erat apud vicinos id tentare: quia id erat quodammodo facere defectionem, januam aperire Israelitis, vires sociorum diminuere. Etsi autem reprehensione digna fuit stulta credulitas Josuæ & procerum, quibus nulla religio fuit, re nondum comperta inconsiderate pacisci: Deus tamen qui educere solet lucem è tenebris, id vertit suis in bonum: quia relaxatio illis data fuit, ut in solo pacato consisteret. Recte quidem & prudenter Gibeonitæ, dum sibi quidvis potius ferendum statuunt, quam frustra resistendo, magis Deum in se provocare. Sed fraude & illicitis artibus circumvenire quos cupiunt habere propitios, non minus absurdum & ridiculum, quam rationi & æquitati adversum fuit. Quæ enim potuit esse fœderis stabilitas, quod nonnisi crassa fraude subnixum erat? se alienigenas ex regione procul dissita venisse simulant. Cum larvis ergo pacisciur Josue: nec quidquam obligationis contrahit, nisi secundum eorum verba. Ita calliditas qua se infinuabant, nihil prodesse debuit. Verum ut major adhuc vigebat inter homines integritas: satis illis fuit vel errore extortum jusjurandum: quod certo perfuasi erant populum Israël non violaturum. Quod dicitur, ipsos etiam egisse callide, perperam referunt ad stratagema quo usus fuerat Josue in fallendis civibus Ai: nec minus infcite alii trahunt ad tempus Ja-
Genes. 34. cob, cujus filii Levi & Simeon fraudulenter oppressérant Sichimitas. Atqui potius subest antithesis inter hostilem apparatum regum, & occultam vafritiem qua ipsi adorti sunt Josue. Postquam ergo dictum fuit, alios conjurasse ut simul delcenderent in apertum certamen, subjicitur Gibeonitarum dolus: ideoque sensus est, negotium oblatum fuisse ipsi Josue non tantum à profestis hostibus, qui se ad pugnandum congregaverant: sed à callida unius gentis simulatione. Quæritur tamen quorsum tam anxie laboraverint in re minime necessaria. Videbimus enim alibi, justos fuisse Israelitas omnibus pacem offerre, quo deinde justum & legitimum bellum indicerent. Sed quia passim vulgatum erat, eos sedem habitationis quærere in terra Chanaan (quod assequi non poterant nisi profligatis incolis) constituunt Gibeonitæ non aliter ad misericordiam posse flecti quam fallacia delusos: quia nunquam sponte & scientes passi fuissent quam invaserant terram ab aliis occupari. Imo quia præceptum de omnibus perdendis innotuerat, hæc necessitas eos ad astutiam compulit, quia spes omnis salutis impetrandæ adempta erat. Et hac etiam ratione paulo post fraudem necessitate expressam deprecantur. Exoritur tamen hic quæstio: quia mox excipiunt Israelitæ sibi non esse liberum pacisci cum gentibus Chanaan, sed omnes sibi esse exterminandas. Hæc certe duo inter se discrepant: ad deditionem hortari, neque supplices & voluntarios admittere. Verum quamvis Deus pro more & usu consueto jura belli servari voluerit, atque ita sub conditione pacem offerri si modo cederent; tentari duntaxat voluit gentium illarum animos, ut propria obstinatione accerserent sibi exitium. populo autem Israëlitico denunciatum erat, ut funditus eas perderet: hinc merito sumitur hæc sententia, non posse tolerari qui in terra Chanaan habitant, quibuscum fœdus percutere nefas erat. Ac utrumque diserte postea exprimetur, omnes pertinaciter bellum gessisse, quia Dei sententia fuerat ut indurarentur corda eorum & perirent. Unde colligere licuit, servari non posse qui morti addicti erant. Si quis objiciat, Gibeonitas quum pacem ultro appeterent, fuisse igitur exemptos: respondeo, Israelitas non expendere in præsentia solennem illum ritum, qui effectu carebat: sed promissionem solam cum mandato Dei arripere. Ita hit ut nullam spem residuam faciant: quia simpliciter & præcise mandatum fuerat ut omnibus ad unum interfectis, terram purgarent, & succederent in locum mortuorum.

6. *Perrexerunt ergo.*] Dixi summo jure evanidum & irritum fuisse ejusmodi fœdus. Quid enim dum stunt voti compotes adipiscuntur, nisi ut salvi sint, si ex remota & longinqua orbis plaga venerint? Et quo sæpius idem mendacium inculcant, pactionem magis ac magis abrogant dolo elicitam: quando nonnisi in hæc verba concipitur, Ne quid molestiæ afferant Israelitæ populo alieno & procul dissito: præsertim quum omnes incolas terræ Chanaan nominatim excludant Israelitæ. Nullum igitur ex fraude pretium obtingere illis debuit. Nihilo etiam magis eos juvat, quod fallaci nominis Dei prætextu obnubilant mentem Josue. Obtendunt se venisse in nomine Dei: acsi profiterentur se Deo dare gloriam: & quidem Deo Israëlis. ubi subest tacita superstitionum quibus assueti erant rejectio. Nam si verum est, miraculorum quæ in Ægypto edita erant fama permotos venisse, summam potentiam concedunt Deo Israëlis licet incognito.

14. *Sumpserunt ergo viri.*] Insipida sunt commenta, gustasse panem, ut ex sapore colligerent an vetustate esset rancidus: vel epulo fœdus confirmasse. Potius enim (meo judicio) perstringitur nimia credulitas, quod leviter acquieverint fabulosæ narrationi, & dum attenti sunt ad solum panem, non reputaverint figmentum illud colore destitui. Et certe nisi hebetati fuissent eorum sensus, multa statim occurrissent ad refutandos Gibeonitas. Sed quia interdum contingit, acutissimos oculos inani spectaculo perstringi: gravius damnatur eorum error, quod scisciitati non sunt quid Deo placeret. In promptu erat remedium, si nihil aggressi essent nisi præeunte oraculo. Res vero digna erat de qua sedulo inquirerent. Signum ergo crassæ incuriæ fuit, quum præsto adesset sacerdos qui per Urim & Thummim responsum à Deo peteret, de re obscura inconsiderate decernere, acsi nullum consilium suppeteret. Quo minus excusabilis fuit eorum temeritas cum tam supino gratiæ Dei neglectu conjuncta.

16. Post tres autem dies à fœdere cum illis inito, audierunt quod propinqui essent ipsis, & in medio ipsorum habitarent.

17. Profectique sunt filii Israël, & venerunt ad urbes ipsorum die tertio. Urbes autem eorum erant Gibeon, Chephirat, Beeroth, Ciriat-jearim.

18. Et non percusserunt eos filii Israël, eo quod jurassent eis principes congregationis per Jehovam Deum Israël: & murmuravit tota congregatio contra principes.

19. Tunc dixerunt omnes principes ad totam congregationem, Nos juravimus eis per Jehovam Deum Israël, ideo nunc non possumus attingere eos.

20. Hoc faciemus eis, servabimus eos vivos, ne sit contra nos ira propter jusjurandum quod juravimus eis.

21. Dixerunt itaque illis principes, Vivant, & cædant ligna, & fodiant aquam toti congregationi, quemadmodum loquuti sunt eis cuncti principes.

22. Vocavit itaque eos Josue, & loquutus est ad eos, dicendo, Ut quid decepistis nos, dicendo, Remoti sumus à vobis valde, quum in medio nostri habitetis?

23. Nunc ergo maledicti estis: nec delebuntur ex vobis servi, & cædentes ligna, & fodientes aquam pro domo Dei mei.

24. Qui responderunt ad Josue, atque dixerunt, Quum renunciando renunciatum fuit servis tuis, quomodo præceperat Jehova Deus tuus Mosi servo suo, ut daret vobis terram, & disperderet omnes habitatores terræ à facie vestra, timuimus valde animabus nostris à facie vestra, & fecimus istud.

25. Et nunc ecce sumus in manu tua: sicut placet, & sicut rectum est in oculis tuis ut facias nobis, facies.

26. Et fecit eis ita: liberavitque eos de manu filiorum Israël, nec interfecerunt eos.

27. Constituitque eos Josue eo die cæsores lignorum, & haustores aquæ congregationi, & altari Jehovæ usque in hunc diem in loco quem elegerit.

16. *Post tres autem dies.*] Quod triduo post errore deprehenso castigata fuit eorum levitas, ea pœnæ celeritas plus infamiæ & pudoris incutere debuit. Sic enim cognitum fuit, eos per ignaviam & socordiam plusquam turpiter fuisse lapsos, quia de re propemodum ante oculos exposita inquirere non sustinuerint. Quod pacatum est illis iter in ea regione, secure urbes ingrediuntur, liberum reperiunt commeatum, id fit paterna Dei indulgentia, qui non solum ignoscit eorum delicto, sed in bonum vertit quod merito damnosum illis fuisset. Hic vero narratur, non fæviisse filios Israël hostiliter in illa regione; quia Gibeonitis promissa jurejurando interposito fuerat incolumitas. Nunc primo quæritur, an ulla religio tenuerit filios Israël, quibus nihil minus in animo fuerat, quam fidem suam impostoribus obstringere. Suboritur deinde alia quæstio, an non fuerit in arbitrio populi, quod stulte & perperam duces promiserant, rescindere. Quantum ad thesin spectat, jurisjurandi religio eousque sancta apud nos esse debet, ne erroris prætextu à pactis discedamus, etiam in quibus fuimus decepti: quando sacrum Dei nomen totius mundi opibus pretiosius est. Quamvis itaque parum confideratæ juraverit quispiam, nulla jactura vel dispendium fidem ejus solvet. Nec dubito quin hoc sensu dicat David, veros Dei cultores si juraverint in malum, non mutare: quia damnum perferent potius, quam promisso retractando contemptui exponant Dei nomen. Statuo igitur, si sola in rationem veniat privata utilitas: quicquid jurando promiserimus præstandum est. Atque ex verbis apparet, veritos fuisse Israëlitas ne Dei sui nomen infamiæ subjicerent apud gentes Chanaan. Emphatice enim positum interpretor, Quia juraverant per Deum Israël. Verum peculiaris ratio liberum fecit Israëlitis dolosæ pactioni non stare: quia non tantum suo jure cesserant: sed perperam deciderant ex Dei mandato, quod vel in minimo apice attingere fas non erat. Penes ipsos non erat, aut victis parcere, aut ferre deditionis leges. Nunc tanquam de negotio sibi permisso transigunt. Videmus itaque ut nomen Dei bis profanaverint, dum prætextu juramenti pertinaciter defendunt quod stulte promiserant. Quod autem tantum defert vulgus suis ducibus, ut manus abstineat à Gibeonitis, in eo se prodit seculi integritas. Promptum enim alioqui fuisset eludere, paucorum hominum placito non teneri totum populum: sicuti olim à Romanis pax Caudina repudiata fuit, in quam soli Consules & Legati ac Tribuni, Senatus & populi injussu juraverant. Plus ergo laudis meretur rudis illa simplicitas, in qua major viguit religio, quàm nimis arguta disquisitio, in qua sibi hodie placet ac plaudit major pars hominum. Etsi autem indignatur populus, duces plus æquo sibi sumpsisse, modestiæ tamen est quod non ultra murmur & stirepitum progrediatur.

Psal. 15. vers. 4.

20. *Hoc faciemus eis.*] Quamvis ex pacto vitam concedant Gibeonitis, non tamen nisi dimidia ex parte ratum habent fœdus. Nam quum plena Gibeonitis præstanda esset incolumitas, nunc libertas vitæ ipsa charior eripitur. Unde conjicimus, Josue cum reliquis, ut in re dubia & perplexa, medium aliquid excogitasse, ne prorsus inane esset jusjurandum. Præcipua quidem hujus consilii ratio fuit, multitudinem placare: quia tamen indigne ferebant verba sibi esse data à Gibeonitis, vafritiem ulti sunt, ne impunitas ludibrium augeret. Porro fuit hæc dura conditio, non tantum addici ad operas serviles, sed abstrahi à suis domibus, ut vagam & erraticam vitam agerent. Calonum munus illis injungitur, vile non minus quam laboriosum. Sed cumulus molestiæ est, ligna cædere & haurire aquam, ubicunque Deo placuerit Arcam locare.

22. *Vocavit eos Josue.*] Quia tristem sententiam & acerbam laturus erat, præfatur nihil se iniquum statuere, quia nihil minus conveniat, quam dolos & fallacias suis auctoribus lucrum afferre. Expostulat igitur quod mentiendo periculum à se depulerint. deinde mox pronunciat maledictos esse: qua voce interpretor culpam fervitutis in illos rejici, quod nihil perferant durius quam promeriti sunt dolo vel perfidia: acsi diceret, damnationis quam profert materiam in ipsis refidere. Asperum quidem, nullum temporis finem dari laboribus quibus mancipantur: sicuti & verba sonant, Nunquam definent ex vobis esse servi: sed nihil injuriæ fieri illis pronunciat, quia sponte vel suo vitio maledicti sint. Ipsi quidem objecta quæ eos coëgit necessitate, crimen extenuant: neque tamen pœnam detrectant, qua agnoscunt justè se castigari. Fieri quidem potest, ut metu oppressi nihil recusaverint: imo placide nec sine attentione impositis sibi legibus acquieverint. Quid enim proficerent litigando? Verum quia male sibi conscii erant, nec poterant crimen prorsus diluere: non dubito quin secum valde humaniter agi censuerint, modo salva esset vita.

CAP. X.

QUum audiſſet Adonizedec rex Jeruſalem quod cepiſſet Joſue Ai, & eam perdidiſſet, (quemadmodum fecerat Jericho & regi ejus, quod ſic feciſſet Ai & regi ejus) & quod pacem feciſſent habitatores Gibeon cum Iſraël, & eſſent inter ipſos:

2. Tunc timuerunt valde, quod civitas magna eſſet Gibeon tanquam una è civitatibus regiis, quia major erat quam Ai, omneſque viri ejus fortes.

3. Propterea miſit Adonizedec rex Jeruſalem ad Hoham regem Hebron, & ad Piram regem Jarmuth, & ad Japhiam regem Lachis, & ad Debir regem Eglon, dicendo,

4. Aſcendite ad me, & ſuppetias ferte mihi, ut percutiamus Gibeon, quia pacem fecit cum Joſue & filiis Iſraël.

5. Congregati ſunt itaque, & aſcenderunt quinque reges Amorrhæi, rex Jeruſalem, rex Hebron, rex Jarmuth, rex Lachis, rex Eglon, ipſi & omnes exercitus eorum, & caſtrametati ſunt juxta Gibeon, pugnaverunt que adverſus eam.

6. Miſerunt ergo viri Gibeon ad Joſue ad caſtra in Gilgal, dicendo, Ne contrahas manus tuas à ſervis tuis: aſcende ad nos cito, & ſerva nos, atque auxiliare nobis: congregati enim ſunt contra nos omnes reges Amorrhæi habitantes in monte.

7. Aſcendit itaque Joſue de Gilgal, ipſe & univerſus populus bellator cum eo, omnes potentes viribus.

8. Dixit autem Jehova ad Joſue, Ne timeas ab eis: in manum enim tuam tradidi eos, nec conſiſtet quiſquam ex eis in conſpectu tuo.

9. Et venit ad eos Joſue repente: tota enim nocte aſcendit de Gilgal.

10. Et contrivit eos Jehova coram Iſraël, percuſſitque eos plaga magna in Gibeon, & perſequutus eſt eos per viam aſcenſus Beth-horon, & percuſſit eos uſque Azecah, & uſque Makeda.

11. Dum autem fugerent à facie Iſraël, & eſſent in deſcenſu Beth-horon, Jehova demiſit ſuper eos lapides magnos è cælo uſque ad Azecah, & mortui ſunt: plures mortui ſunt lapidibus grandinis, quam quos interfecerunt filii Iſraël gladio.

12. Tunc loquutus eſt Joſue ad Jehovam die qua tradidit Jehova Amorrhæum coram filiis Iſraël: dixitque in oculis Iſraël, Sol in Gibeon expecta, & luna in valle Ajalon.

13. Et expectavit ſol, & luna conſtitit, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Annon hoc ſcriptum eſt in libro * Jaſar? Stetit ergo ſol in medio cæli, nec feſtinavit occumbere circiter die una integra. * vel, recti.

14. Et non fuit ſicut dies illa ante eam nec poſt eam, qua exaudivit Jehova vocem viri: Jehova enim pugnabat pro Iſraël.

1. *Quum audiſſet.*] Quod ante breviter perſtrinxerat, nunc fuſius proſequitur de conſpiratione regum, qui tam in montibus quam in planitie habitabant. Nam ex quo dixerat metu tandem fuiſſe perculſos, ut commune bellum ſimul ſuſciperent, abrupta illa narratione mox tranſierat ad Gibeonitas. Quod autem de regibus communiter dixerat, nunc confert in unius hominis perſonam: non quod ſolus Adonizedec timuerit: ſed quia omnes alios concitaverit, & dux atque auctor præcipuus fuerit gerendi belli contra Iſraelitas. Idque ſatis exprimitur plurali verbi numero, Quum audiſſet Adonizedec, timuerunt valde. unde apparet eundem omnibus fuiſſe animum: ſed quia in trepidatione alii ceſſabant, hunc qui auctoritate pollebat, & propinquior erat periculo, vocaſſe quatuor alios ad arma. Ergo initio capitis epetitur quomodo ſocietatem coierint quinque reges, ut Iſraëlitis occurrerent ad propulſandam quæ omnibus inſtabat cladem. Verum quia ſe interea dediderant Gibeonitæ, in ipſos primo arma vertunt: tum ut pœnam ſumendo quaſi de patriæ proditoribus, exemplum ſtatuerent omnibus vicinis: tum ut illis victis terrorem incuterent hoſtibus, ſuos autem milites ad fiduciam animarent. Aggredi ergo conſtituunt Gibeonitas qui ſua legatione rupturam fecerant, ut viam patefacerent Iſraëlitis. Et honeſtus quidem belli prætextus fuit, eorum mollitiem ulciſci, qui extraneis ad omnia vaſtanda manum porrigere maluerant, quam vicinos fideliter defendere. Gibeonitæ vero experti ſunt quam inutile eſſet aſtutum conſilium, niſi miſericordia Iſraëlitarum ſervati eſſent. Interea paſſus eſt Deus eos periclitari, ut bis liberati, libentius ac placidius jugo ſe ſubjicerent.

6. *Miſerunt itaque viri Gibeon.*] Series hiſtoriæ inverſa eſt: quia certe non expectaverunt Gibeonitæ dum obſiderentur: ſed quum viderent armari & inſtrui exercitum; nec dubium eſſet quin ſuſtinendi ipſis eſſent primi impetus, quia omnium odia in ſe conflaverant: antequam oppugnentur, mature confugiunt ad fidem Joſue. Nam eos deferere quibus data fuerat vita, neque rectum, neque humanum, neque fas fuiſſet. Imo quia fœdus ſequuta erat deditio, contra vim & injuriam defendi oportuit. Merito itaque implorant Iſraëlitas, ſub quorum erant clientela: nec vero cunctatur Joſue, quia fuarum partium eſſe judicat, quos ſemel recepit in ſuam clientelam, tueri. Feſtellerant quidem: ſed ex quo fraus detecta fuerat, ut eam excuſatione interpoſita conſeſſi erant, venia rurſus data fuerat. Ita æquitas & offricii religio conſtrictos tenebat Iſraëlitas, ne eorum curam abjicerent. Laude tamen digna eſt Joſue promptitudo, quod rogatus abſque mora ſuccurrit. Dicitur enim tota nocte iter feciſſe: ut pro ſalute totius populi diligentius feſtinare non potuerit. Si eadem ſemper in profanis gentibus valuiſſet ſinceritas, in tempore juviſſent potius ſuos fœderatos quam ulti eſſent clades ipſis illatas. Neque particula Repente, reſtringi debet ad unum diem, quaſi tridui iter nocte una emenſus, poſtridie Gibeonitis apparuerit. Tantum notatur ſumma celeritas, quod in craſtinum profectionem non diſtulit. Nam quum ante caſtra movi ſſent Iſraëlitæ ab Ai, aut illa vicinia, non ante triduum fines Gibeonitarum ingreſſi ſunt. Ut demus, lente tunc acie diſpoſita fuiſſe progreſſos, longius aberat Joſue quando nunc ad opem Gibeonitis ferendam fuit accerſitus. Vidimus enim Gilgal à tranſitu Jordanis primam fuiſſe ſtationem, ut remotior eſſet quam Jericho. Si cui videtur abſurdum, ex quo

aliquot urbium ditionem occupaverat, retro cursum flectendo, vacuam hostibus reliquisse, in qua deinde recuperanda subeundus esset novus labor: respondeo, non fuisse timendum ne longius obviam prodirent, & expeditionem suscipierent magno discrimine & pari molestia plenam. Probabile enim est, dum ad oppugnandam Jericho habitus fuit delectus, mulieres, parvulos, totamque imbellem turbam cum impedimentis in illo pacato angulo subsitisse, quum ab opposita ripa Jordanis præsidio essent qui, relicti fuerant ex Rubenitis & Gaditis cum dimidia tribu Manasse. Quorsum enim pueros & mulieres alias gravidas, alias puerperas, alias nutrices cum teneris pueris in prælia traxissent? Unde tantæ multitudini annona inter hostium incursiones? unde aquario quæ tantæ animalium copiæ sufficeret? Sic igitur statuo, Josue & milites ad sua tabernacula reversos esse, ut cum uxoribus & liberis se paulisper reficerent, ac spolia illic deponerent quibus fuerant locupletati.

8. *Dixit Jehova.*] Dubium est, anteverteritne Deus, & Josue oraculo suo armaverit, & extraxerit è Gilgal antequam pedem moveret, an vero jam accinctum confirmaverit. Mihi rectius illud videtur, Josue non temere simulac rogatus fuit, Deo inconsulto prorupisse: sed tandem quum de ejus voluntate factus esset certior, arma intrepide & alacriter sumpsisse: præsertim quum nuper ob nimiam facilitatem castigatus fuisset, probabili conjectura elicitur, nihil in re perplexa tentasse nisi ex Dei mandato. Ergo miseros Gibeonitas respexit Deus, quando passus non est suorum auxilio eos destitui. Porro instruitur Josue victoriæ fiducia, ut ipsis succurrat: quia nos acrius Deus promittendo quam jubendo ad præstandum officium exstimulat. tametsi quod uni promittitur, ad omnes pertinet. Sed honoris causa peculiariter deponitur apud Josue quod deinde ad exercitum suum perferat. Neque enim promiscue quibuslibet loquutus est è cælo: sed eximios tantum servos electos Prophetas hac prærogativa ornavit. Porro notatu dignum est, Josue non fuisse Dei promissione abusum ad fegnitiem: sed eo vehementius fuisse accensum ex quo de felici eventu fuit edoctus. Multi enim dum fidem ostentant, perversa securitate residet sunt ac ignavi. Audit libi in manu esse victoriam: ut potiatur, celeriter ad pugnandum currit. Nam felicem eventum non ut tardior esset vel remissior, sciebat sibi parefactum esse: sed quo majore studio eniteretur. Hinc factum est, ut hostes ex inopinato deprehenderit.

10. *Contrivit eos Jehova.*] Gladiis quidem populi primam stragem edidit: sed propria virtute. Unde colligimus, quoties operatur per homines, nihil decedere ejus gloriæ, quin sibi in solidum vendicet quicquid factum est. Neque enim dum uritur hominum opera, socios advocat in subsidium, vel quidquam ab illis mutuatur: sed quum penes ipsum sit quicquid visum est solo nutu implere, homines quoque ipsos adhibet tanquam instrumenta, ut manu sua & arbitrio regi ostendat. Interea utrumque vere dicitur, hostes vel à Deo, vel ab Israëlitis fuisse profligatos & contritos, quia Deus per Israëlitas eos contrivit. In altera strage clarius apparuit Dei manus, dum grandine prostrati sunt. Et diserte exprimitur, plures fuisse grandine percussos quam manu occisos, ne obscurum esset, victoriam è cælo partam fuisse. Unde rursus colligitur, grandinem hanc non fuisse usitatam: ut naturaliter excitari solent procellæ: plures enim fuissent vulnerati, vel palati ac disjecti, quam repente extincti: deinde nisi eam directe jaculatus esset Deus, pars super Israëlitarum capita cecidisset. Nunc ubi alter exercitus seorsum impetit, alter vero à noxa immunis tanquam ad auxiliares copias accedit, clare liquet è cælo Deum pugnare. Eodem quoque spectat quod dicitur, Deum projecisse è cælo magnos lapides grandinis. Sensus enim est, extraordinario impetu irruisse, & magnitudine excessisse communem modum. Siquando tempestas intempestiva coorta alteri parti utilis fuit, signum favoris sui dare visus est Deus, hinc illud, O nimium dilecte Deo, tibi militat æther. Verum hic refertur insignius miraculum, in quo palam Deus virtutem suam exeruit.

12. *Tunc loquutus est Josue Jehovæ.*] Ad verbum ita legitur. quanquam exponunt quidam, Coram Jehova: quia Deum alloqui, quem suppliciter rogandum esse dictat pietas, videtur parum esse contentaneum fidei modestiæ, & continuo post subjicitur, Josue verba sua ad Solem direxisse. Ego vero non dubito, priore membro notari precationem aut votum, altero autem fiduciæ testimonium post quam exauditus est. Soli enim mandare ut se sisteret, nisi impetrata venia, temerarium fuisset ac superbum. Deum itaque consulit & rogat: mox accepto responso, audacter imperat Soli quod Deo placere cognoscit. Atque hæc est vis & prærogativa fidei quam Christus commendat, ut suo imperio subjiciat montes & maria. Quo enim magis se exinaniunt pii, eo liberalius in eos suam virtutem Deus transfert: & quando fides annexa est verbo, suam in ea potentiam demonstrat. Denique fides à verbo in quo fundata est, imperii fiduciam mutuatur. Ita Helias cælum clausit, aperuitque suo mandato, & ignem à cælo attraxit. Ita Christus discipulos instruit cælesti potestate, ut sibi elementa subjiciant. Tantum cavendum est, ne quis suo arbitrio ad inconsiderata jussa prosiliat. Qua ratione Josue non ante aggressus est morari & cohibere Solis cursum, quam de consilio Dei probe edoctus. Etsi autem ubi dicitur loquutus esse cum Deo, hoc verbo non satis exprimitur quæ Dei servum in concipiendis precibus decet modestia & submissio: nobis sufficiat breviter subindicari, Josue quod oprabat postulasse à Deo, & quum exrasset, liberum & magnanimum fuisse præconem incredibilis miraculi quod nondum contigerat. Nunquam enim coram omnibus tam secure Soli præcipere ausus fuisset, nisi suæ vocationis sibi probe conscius. Alioqui turpe & pudendum probrum subiturus erat. Quod ergo non dubitanter in hanc vocem erumpit, ut sol & luna deflectant & perpetua naturæ lege, perinde est acsi eos adjuraret per immensam Dei potentiam, qua præditus est. Hic autem refulget singularis Dei favor erga Ecclesiam, quod sicuti in gratiam humani generis quotidiano Solis cursu diem à nocte dividit, & molem illam ingentem insatigabili pernicitate assidue versat: ita ad breve tempus consistere voluit, donec deleti essent Israëlis hostes.

Mat. 17. vers. 20. Luc. 17. vers. 6.

1 Reg. 17. & 18.

13. *Expectavit sol.*] Non minus intempestive quæstionem movent quidam, quomodo sol steterit in Gibeon, quam inscite expediunt. Neque enim subtiliter Josue Solem locavit in aliquo puncto: ut necesse sit fingere pugnam in solstitio æstivo fuisse commissam: sed quia vergebat in regionem Ajalon, quoad prospicere oculis licebat, illic Josue morari & quiescere illum jubet: ut maneret supra horizontem quem vocant. In summa, retrahitur sol ab occasu ad quem jam inflexus erat. Nec de numero horarum anxie laboro: quia mihi satis est, diem fuisse tota nocte prorogatum. Si quæ illius seculi exstarent historiæ, illic haud dubie celebraretur tam insignis miraculum: ne tamen ambigua sit ejus fides, scriptor libri alibi fuisse proditum commemorat. quanquam periit liber quem citat: nec de nomine Jazar satis convenit. Qui Mosen designari volunt, frigide trahunt ad generales prædictiones quod hic narratur exemplum. Quia electum populum sic appellat Moses, melius quadrabit, rerum gestarum commentarios notari. Ego certe vel Deum vel Israëlem potius, quam auctorem historiæ intelligo.

14. *Et non fuit sicut.*] Iterum postea in gratiam regis

regis Ezechiæ ordinarium Solis curſum fuiſſe mutatum legimus apud Jeſaiam, & in ſacra hiſtoria. Nam *Jeſa. 38. verſ. 5, 8.* ut perſuaſus eſſet, vitam ſibi adhuc productam per quindecim annos, umbra Solis per decem gradus quibus deſcenderat retracta eſt. Non ergo præcipe negatur fuiſſe quidquam ſimile alteri conceſſum: ſed miraculum extollitur tanquam ſingulare. Quod verbum דמם quidam vertunt obedire, tanquam *Pſal. 21. verſ. 3.* aſperius rejicio. Etſi enim dicitur in Pſalmo Deus facere ſecundum deſiderium ſervorum ſuorum, quod tantundem valet ac morem gerere: fugere tamen præſtat quicquid videtur Deum in ordinem cogere. Simpliciter ergo miraculi præſtantia laudatur, quia nihil antea tale viſum erat, nec deinde contigerit. Secundo membro verſus, tam humanitas Dei & facilitas commendatur in exaudiendo Joſue, quam paternus erga populum favor pro quo dicitur pugnaſſe.

15. Reverſus autem eſt Joſue & univerſus Iſraël cum eo ad caſtra in Gilgal.

16. Fugerant vero ipſi reges, & abſconderant ſe in ſpelunca in Makeda.

17. Et nunciatum eſt Joſue his verbis, Inventi ſunt quinque reges abſconditi in ſpelunca in Makeda.

18. Tunc dixit Joſue, Devolvite ſaxa magna ad os ſpeluncæ, & conſtituite juxta eam viros ut cuſtodiant eos.

19. Vos autem perſequimini inimicos veſtros, & caudam eorum cædite, nec ſinatis eos ingredi urbes ſuas: tradidit enim eos Jehova Deus veſter in manum veſtram.

20. Quum autem finem feciſſet Joſue & filii Iſraël percutiendi plaga magna valde, donec conſumerentur; & ſuperſtites qui evaſerant ex ipſis ingreſſi eſſent urbes munitas:

21. Reverſi ſunt univerſus populus ad caſtra ad Joſue in Makeda in pace: non movit contra filios Iſraël quiſquam linguam ſuam.

22. Tunc dixit Joſue, Aperite os ſpeluncæ, & adducite ad me quinque illos reges de ſpelunca.

23. Atque ita fecerunt, nempe eduxerunt ad eum quinque illos reges de ſpelunca, regem Jeruſalem, regem Hebron, regem Jarmuth, regem Lachis, regem Eglon.

24. Quumque eduxiſſent quinque reges illos ad Joſue, vocavit Joſue omnes viros Iſraël, dixitque ducibus virorum bellatorum qui profecti erant ſecum, Accedite, ponite pedes veſtros ſuper colla regum iſtorum. Et acceſſerunt, poſuerunt que pedes ſuos ſuper colla ipſorum.

25. Tunc dixit ad eos Joſue, Ne timeatis, & ne paveatis, fortes eſtote, & roborate vos: ſic enim faciet Jehova omnibus inimicis veſtris contra quos pugnatis.

26. Poſt hæc percuſſit eos Joſue, & interfecit eos, & ſuſpendit in quinque lignis: fuerunt que ſuſpenſi in lignis uſque ad veſperum.

27. Fuit præterea tempore quo occumbit ſol, præcepit Joſue, & depoſuerunt eos è lignis, projeceruntque eos in ſpeluncam in qua ſe abſconderant, & poſuerunt lapides magnos ad os ſpeluncæ uſque ad hunc diem.

28. Makedam vero cepit Joſue eo die, & percuſſit eam acie gladii, & regem ejus occidit una cum illis, & nullam animam quæ eſſet in ea reliquit ſuperſtitem, fecitque regi Makeda quemadmodum fecerat regi Jericho.

15. *Reverſus eſt*] Inſeritur hic verſus non ſuo loco. Nam paulo poſt attexitur finis prælii: deinde ſupplicium de regibus ſumptum, quod eſt prælii appendix. Additur etiam tunc caſtrametatum fuiſſe in Makeda: tandem in fine capitis repetitur quod hic neglecto temporis ordine poſitum fuerat de reditu in Gilgal. Cohæret ergo cum ſuperioribus quod narratur de regum fuga & abſconſione. Nam quum in medio pugnæ ardore nunciatum eſſet, eos in ſpelunca deliteſcere: prudenter cavit Joſue, ne ſi inſiſteret illis capiendis, reliqui dilaberentur. Tantum juſſit obſtrui magnis lapidibus os ſpeluncæ, & cuſtodes appoſuit, ut tanquam carcere incluſi opportune tandem ad mortem extraherentur. Hinc autem apparet ingentem fuiſſe exercitum, quod quum acriter terga fugientium urgerent Iſraëlitæ, & ſol ipſe ſpatium cædendi daret, fieri tamen non potuit quin ſe multi reciperent in urbes munitas. Verum ad teſtandam Dei gratiam id ſatis valuit, quod ad laſſitudinem uſque obvios quoſque impune ſtraverunt, & reverſi ſunt incolumes. Nam ubi dicitur, neminem auſum fuiſſe movere linguam, notatur quoad Iſraëlitas incruenta victoria: aeſi non ad bellum, ſed ad trucidationem egreſſi eſſent.

18. *Tunc dixit Joſue.*] Exercitu proſtrato nunc libere & quaſi per otium Joſue regibus pœnam infligit: in qua nobis ſemper conſiderandum eſt Dei mandatum. Alioqui barbara fuiſſet atrocitas, & immanis ſuperbia, calcare pedibus colla regum, & mortuos in patibulis ſuſpendere. Nam certe nuper divinitus fuerant evecti in ſacram dignitatem, & in regio ſolio locati. Quare exultare in eorum contumelia, minime humanum fuiſſet, niſi Deo ita jubente. Cæterum quia ſic voluit, acquieſcere oportet ejus ſententiæ, nec inquirere fas eſt cur tam ſeverus fuerit. Quanquam ſimul tenendum eſt quod ante attigi, quum à minimo uſque ad maximum digni omnes eſſent interitu, quia ad ſummum uſque cumulum pervenerat eorum iniquitas, reges qui ſceleribus alios ſuperaverant, duriorem pœnam fuiſſe promeritos: deinde in eorum perſona ſtatuendum inexorabilis rigoris fuiſſe exemplum, ne perverſa clementiæ affectatione populus ad ignoſcendum eſſet propenſior. Volebat Deus omnes deleri: hujus vero judicii exequutionem populo ſuo injunxerat. Niſi ad has partes obeundas acriter eos ſtimulaſſet, reperti fuiſſent ſpecioſi dandæ veniæ prætextus. Deteſtabilis autem miſericordia, quæ Dei auctoritatem pro hominum arbitrio imminuit. Jam ubi ne regio quidem honori parcitur, anſa humanitati præciditur erga plebeios & totum vulgus. Atque hoc quidem documento oſtendit Deus, quanti electum populum faceret: quia raræ dignationis fuit, reges eorum pedibus ſubjicere, ut eorum præſtantiæ non ſecus aſi viles eſſent latrunculi, inſultarent: ſicut in Pſalmo dicitur, Gladius biceps in manu eorum, ut *Pſal. 149. v. 6, 7, 8, & 9.* faciant vindictam in nationibus: vinciant reges eorum compedibus, & proceres eorum vinculis ferreis:

reis: ut faciant judicium scriptum. decor hic omnibus sanctis ejus. Simul vidisti formidabile illud spectaculum ad incutiendum terrorem, ne gentium mores imitarentur Israëlitæ, in quarum scelera Deum tam graviter animadvertere videramus. Ideo sæpius apud Mosen occurrit hæc admonitio: Vidisti ut Deus ultus sit gentes quæ fuerunt ante te in terra Chanaan. Ergo cave ne perversis eorum operibus provoces iram Dei tui. In summa, quo sanctius coleretur, justit terram omnibus inquinamentis purgari: & quia nimis scelerati fuerant incolæ, suam in eos maledictionem novo & insolito modo extare voluit.

25. *Ne timueris.*] Jam in quinque regum persona Josuæ de aliis omnibus qui restabant triumphum agit. Perinde enim ad fiduciam suos hortatur, acsi jacerent sub pedibus qui adhuc integri erant. Unde colligimus dum pedibus attriti sunt pauci illi, quasi in sublime fuisse erectum totum populum, ut alios omnes despiceret quasi jam prostratos. Et certe illic clarius perspecta fuit Dei potentia, quæ animos in posterum faceret. Suspensos autem fuisse notandum est, non ut asperius in eos sæviret Josue, sed tantum ignominiæ causa: quia jam erant interfecti. Sed utile fuit prostare in omnium conspectu memorabilem Dei vindictam. Forte & Dei consilium fuit, reliquas gentes desperatione efferare & adigere in rabiem, quo celeriorem interitum sibi accerserent, dum Israëlitas sua pertinacia ad iracundiam acuunt. Eodem dedecore afficitur rex Makeda, qui tamen suas copias non eduxerat. Similis clades infligitur populo, qui intra suos muros quieverat. Ac probabile quidem est, hostiliter aliquid tentasse: præcipua tamen causa fuit, quod Deus unam de omnibus sententiam tulerat. Cur vespere projecta fuerint cadavera in speluncam, alibi exposui. Porro hæc historia tanquam speculum nobis demonstrat, ubi conscendit Deus tribunal, ut coram ipso evanescat totus mundi splendor: imo ut eorum gloriam qui excellere visi sunt, suo judicio in extremum probrum vertat.

29. Transivit deinde Josue & universus Israël cum eo de Makeda in Libna, & oppugnavit Libna.

30. Tradiditque Jehova illam etiam in manum Israël, & regem ejus, & percussit eam acie gladii, omnemque animam quæ erat in ea: non reliquit in ea superstitem: fecitque regi ejus quemadmodum fecerat regi Jericho.

31. Postea transivit Josue & universus Israël cum eo de Libna in Lachis, & castrametatus est juxta eam, & oppugnavit eam.

32. Deditque Jehova Lachis in manum Israël, & cepit eam die secunda, & percussit eam acie gladii, omnemque animam quæ erat in ea, prorsus ut fecerat Libna.

33. Ascendit autem Horam rex Geser ad opem ferendam Lachis, & percussit eum Josue ac populum ejus, ut non reliquerit ei superstitem.

34. Transivit insuper Josue & universus Israël cum eo de Lachis in Eglon, & castrametati sunt contra eam, & oppugnaverunt eam.

35. Ceperuntque eam die illo, & percusserunt acie gladii, & omnem animam quæ illic erat, die illa interfecit, prorsus ut fecerat Lachis.

36. Ascendit postea Josue & universus Israël eum eo ab Eglon in Hebron, & oppugnaverunt eam.

37. Et ceperunt eam, & percusserunt acie gladii, & regem ejus, & omnia oppida ejus, atque omnem animam quæ illic erat: non reliquit superstitem: prorsus ut fecerat Eglon. Perdidit ergo eam, atque omnem animam quæ illic erat.

38. Postea reversus est Josue & universus Israël cum eo in Debir, & oppugnavit eam.

39. Et ceperunt eam, & regem ejus, & omnia oppida ejus, percusserunt que eos acie gladii, atque interfecerunt omnem animam quæ illic erat. non reliquit superstitem: quemadmodum fecerat Hebron, sic fecit Debir & regi ejus, & quemadmodum fecerat Libna & regi ejus.

40. Percussit itaque Josue omnem terram montanam, & Meridianam, & campestrem, & descensus acclives, & omnes reges earum: non reliquit superstitem: & omnem animam interfecit, quemadmodum præceperat Jehova Deus Israël.

41. Percussit itaque Josue à Cades Barnea usque ad Asa, & universam terram Gosen usque Gibeon.

42. Cunctos vero reges istos, & terram eorum cepit Josue simul: quia Jehova Deus Israëlis pugnabat pro Israële.

43. Inde reversus est Josue ac universus Israël cum eo in castra in Gilgal.

29. *Transivit deinde.*] Nunc describitur urbium expugnatio, ex quibus conflatus fuerat exercitus, ubi Deus virtutem suam non minus quam in acie admirabilem reddidit: præsertim si celeritatem reputemus. Nam etsi nonnihil consternationis attulerant qui trepidi illuc refugerant ex prælio: sedato tamen metu ad defensionem utiles esse potérant. Præsidium quidem ex eorum numero creverat. Quod itaque exiguo tempore omnes capit Josue, ac minoribus oppidis potitur, in successu illo non minus incredibili quam inexpectato, manifesta refulsit Dei præsentia. Nam ut tantum portas claudérent obsessi: quia tamen Josue neque scalas attulerat quibus muros transcenderet, nec machinas quibus dirueret, potuit unaquæque obsidio aliquid remoræ & tædii afferre. Ergo ubinam postridie quam aggressus est, alteram eodem expugnat, continuæ victoriæ, & tam faciles & expeditæ humanum modum superant. Quare non abs re in fine capitis suo elogio celebratur Dei gratia, quod palam factum sit, pro Israële pugnare, dum simul tot reges cum eorum ditione cepit Josue: quia nunquam ita festinanter quasi insipiendi causa, transisset ab urbe in urbem, nisi obstaculis remotis patefactum divinitus fuisset iter. Crevit etiam miraculum, quod rex Geser, qui in aliorum auxilium haud dubie non sine fiducia venerat,

nerat, repente, nulloque negotio profligatus fuit, nec moratus eſt continuum pergendi tenorem. Porro qui in urbibus fuerunt interfecti, quaſi in ſpeculo eos repræſentant quorum pœnam ſuſpendit Deus ubi in alios vindicat. Nam etſi modici temporis relaxatione ſibi plaudunt, deterior tamen eſt eorum conditio, quam ſi mox ad mortem traherentur. Miſerum fuiſſet in acie occumbere. Elapſi, urbium ſe mœnibus tuentur. Atqui illic, quod longe acerbius erat, uxores & liberi in eorum conſpectu jugulantur: & mors illis magis contumelioſa quam ſi pugnando fuiſſent occiſi. Non eſt itaque cur invideamus reprobis breves inducias quantiſper ipſos Deus tolerat, quia ubi ſecuritatem ſibi promiſerint, repentinus ſuperveniet interitus. Interea diſcamus non abuti Dei patientia quantiſper judicium ſuum differt: ac ſiquando videbimur periculo uno defuncti, vel ſi ad nos protegendos ſe offerant latebræ, ne ideo nobis placcamus: quin potius nobis veniat in mentem illud Jeremiæ, ficus præcoces ſaltem habere aliquid ſaporis, alias vero propter amaritudinem rejici.

1 Theſſ. 5. vers. 3.

Jer. 24.

40. *Percuſſit omnem terram.*] Hic rurſum interponitur Dei auctoritas, quæ Joſuæ ab omni crudelitatis nota abſolvat. Si enim ſuo arbitrio promiſcue ſæviiſſet in mulieres & pueros, nulla excuſatio quin deteſtabilis eſſet immanitas, cujus ne in feris quidem & prope belluinis gentibus ſimile quidquam legitur. Verum quod omnes alioqui horrerent, amplecti reverenter convenit, quia à Deo profectum. Merito inter virtutes præcipue laudatur clementia: nempe ubi ſuæ iracundiæ moderantur qui læſi ſunt, & quibus privatim juſta eſſet occaſio fundendi ſanguinis. Sed quia Deus gladios populi ſui deſtinaverat interficiendis Amorrhæis, non aliud potuit Joſue quam parere ejus imperio. Itaque hac voce non tantum obſtruuntur omnium ora: ſed mentes etiam coërcentur, ne ad ſiniſtra judicia proſiliant. Siquis audiat, Joſue abſque diſcrimine obvios omnes interfeciſſe, quamvis ſupplices abjectis armis pacem peterent, placidos animos turbaret nuda & ſimplex narratio: ſed quum additur, ſicuti Deus præceperat, nihilo magis obloqui fas eſt, quam ubi de ſceleraris pœna exigitur. Etſi autem noſtro judicio pueri faltem ac multæ quoque mulieres eſſent extra culpam, meminerimus noſtris legibus cæleſte tribunal minime ſubjici. Quin potius ubi ſic videmus ardere viridis plantas, nos qui lignum aridum ſumus, nobis metuamus à graviore interitu. Et certe ſi ſe quiſque probe excutiat, centum mortibus dignum reperiet. Cur non itaque Deus materiam unius mortis juſtam agnoſcet in fœtu vixdum matris uterum egreſſo? Fruſtra quidem obſtreperis querelis exagitabimus, quod ſobolem quoque gentis maledictæ in eundem conjecit interitum: quia ſigulo nihilominus in ſua vaſa, vel potius in lutum, ſumma erit poteſtas. Ultimus verſus confirmat quod ante dixi, fuiſſe toti populo ſtationem in Gilgal: ac milites qui ad bellum exierant illuc reverſos, tum ut ſe à laſſitudine reficerent, tum ut prædas deponerent in tuto. Neque enim conſentaneum fuiſſet longius ſpargi, donec ſortitio monſtraſſet ubi ſingulis manendum eſſet.

Cap. XI.

QUum autem audiſſet Jabin rex Haſor, miſit ad Jobab regem Madam, & ad regem Simeron, & ad regem Achſaph:

2. Ad reges quoque qui habitabant ab Aquilone in montanis, & in planitie ad Meridiem Cineroth, & in planitie in Naphoth-Dor ab Occidente;

3. Ad Chananæum ab Oriente & Occidente, & Amorrhæum, & Hitthæum, & Pheriſæum, & Jebuſæum in montanis, & Hivæum ſub Hermon in terra Miſpath.

4. Et egreſſi ſunt ipſi, & omnes exercitus eorum cum ipſis, populus multus tanquam arena quæ eſt juxta littus maris, præ multitudine, & equi & currus multi valde.

5. Congregati ſunt omnes reges iſti, & venientes caſtramentati ſunt pariter ad aquas Merom, ut pugnarent cum Iſraële.

6. Dixit autem Jehova ad Joſuam, Ne timeas à facie eorum: cras enim hoc tempore tradam omnes iſtos occiſos coram Iſraële: equos eorum ſubnervabis, & currus eorum combures igni.

7. Venit itaque Joſue & cunctus populus bellator cum eo adverſus ipſos ad aquam Merom repente, & irruerunt in eos.

8. Et tradidit eos Jehova in manum Iſraëlis, percuſſeruntque eos, & perſequuti ſunt uſque ad Sidonem magnam, & uſque ad fervores aquarum, & uſque ad campum Miſpe ad Orientem: ac percuſſerunt eos donec non reliquerint eis ſuperſtitem.

9. Fecitque eis Joſue quemadmodum dixerat ei Jehova: equos eorum ſubnervavit, & currus eorum combuſſit igni.

10. Et reverſus Joſue eodem tempore cepit Haſor, & regem ejus percuſſit gladio: Haſor enim antea fuerat caput omnium iſtorum regnorum.

11. Percuſſerunt quoque omnem animam quæ illic erat, acie gladii perdendo: non remanſit ulla anima: & Haſor combuſſit igni.

12. Omnes urbes regum iſtorum, & univerſos reges earum cepit Joſue, percuſſitque eos acie gladii, perdendo eos ſicuti præceperat Moſes ſervus Jehovæ.

13. Tantummodo omnes urbes quæ manebant in ſtatu ſuo non combuſſit Iſraël, præter Haſor ſolam quam combuſſit Joſue.

14. Et omnia ſpolia urbium iſtarum, & jumenta prædati ſunt ſibi filii Iſraël: veruntamen omnes homines percuſſerunt acie gladii quouſque perderent eos: non reliquerunt ullam animam, quemadmodum præceperat Jehova Moſi ſervo ſuo. ſic præcepit Moſes Joſue, & Joſue ſic fecit, ut non omitteret quidquam ex omnibus quæ præceperat Jehova Moſi.

1. Quum

1. *Quum audiisset Jabin.*] In hac quoque nova conſpiratione iterum refulget pluſquam paterna Dei cura in præcavendis ſuorum periculis, ſimulque in levanda infirmitate indulgentia & humanitas. Si vicinis regibus Jabin cum fœderatis, quorum nunc ſit mentio, ſocium ſe eſſet profeſſus, gravior incubuiſſet belli moles Iſraëlitis: major eos ſollicitudo & anxietas turbaſſet. Facile quidem Deo fuiſſet, tam illas ingentes copias ſimul proſternere, quam diſcutere metum & terrorem: noluit tamen præter modum ſuos alioqui debiles premere, ut nimia multitudine objecta expaveſcerent ac demum concidarent. ſed multas gentes quæ ſe tempeſtive armare debuerant, quaſi ſopitas & attonitas tenuit: donec inſignibus victoriis ad reſidua bella gerenda electus populus animoſior factus eſſet. Amplam ditionem vaſtant ac diripiunt, nudatam incolis & opibus exinanitam relinquunt. Nemo ex vicinis qui mox impetum facturi erant, ſe commovet. Reviſunt ſecuri uxores & liberos. Ubi collectis animis ad novum bellum parati ſunt, repente exoritur maximus exercitus ex diverſis populis conflatus, qui hactenus quieſcendo vincendi ſpatium dederant. Quod enim ſerius expergefacti ſunt, perinde fuit acſi pactæ fuiſſent induciæ. Itaque Deus non tantum pro electo populo pugnavit: ſed hoſtes ſcindendo, illius vires multis vicibus renovavit. Quam formidabilis fuiſſet hic occurſus, niſi paulatim aſſuefacti fuiſſent Iſraëlitæ ad pugnandi audaciam, & ſimul manifeſtum Dei auxilium experti? Multitudo confertur arenæ maris, deinde currus & equites: quo apparatu mirum fuit non examinari qui equitatu prorſus carebant. Gradatim ergo producti ſunt quoad ferebat eorum facultas. Nam certe ſuperioribus præliis, tanquam jucundis præludiis eos tantum exercuerat. Adde quod pluribus victoriis ſubinde teſtatam fecit ſuam potentiam, ne levius æſtimaretur quam par erat. Si enim omnes fuiſſent ſimul profligati, magnifice quidem celebratæ fuiſſent Dei laudes, ſed memoriam intercidere facile erat. Diſtincte ergo & ſeorſum plura documenta in medium proponi oportuit, ne victoriam unam fortunæ adſcriberent.

6. *Dixit autem Jehova.*] Quo plus negotii & difficultatis erat in delendo tam populoſo & tam bene inſtructo exercitu, eo magis neceſſaria fuit nova fiduciæ acceſſio. Itaque Deus ſervo ſuo Joſue apparet, ac promittit eundem quem prius aliquoties dederat ſucceſſum. Diligenter notandum eſt, quoties ſuas promiſſiones iterat, commonefieri homines ſuæ vel oblivionis, vel ſocordiæ, vel levitatis. Niſi enim identidem adhibeantur nova fidei fomenta, mox effluunt & evaneſcunt. Et tamen perverſo faſtidio laboramus, ut fere pigeat idem bis audire. Quare diſcamus, quoties occurrunt nova certamina, in animos revocare Dei promiſſiones, quæ corrigant languorem noſtrum, vel ſegnitiem excitent. Præſertim quod in genere dictum eſt, ad quotidianos uſus accommodemus: ſicuti nunc Deus quod de omnibus gentibus pronunciaverat, ſpecialiter in re præſenti certum firmumque fore aſſerit. Cæterum ex circumſtantia temporis colligitur, reges iſtos aliquantum itineris fuiſſe emenſos, ut Joſue & populum in Gilgal invaderent. Oraculo enim ſubnectitur expeditio Joſue. Promittitur in craſtinum diem victoria. Non procul itaque aberant. Et lacus Merom ubi caſtra locaverant, qui Jordani contiguus eſt, longe propius accedit ad Gilgal quam Geneſara, ex cujus tractu pars hoſtium profecta erat. Dicunt autem lacum hunc vel diminui vel creſcere, prout nives rigidæ ſubſidunt in montibus, vel liqueſcunt. Porro quod Joſue & populo præcipitur, ut ſuccidant equorum crura vel poplites, & currus exurant, ſpectavit haud dubie ad tollendas quæ profanis gentibus in uſu erant magis exquiſita bellandi rationes. Militare quidem ipſos, & ſtrenue cum hoſtibus confligere oportuit: ſed ita ut à Deo ſolo penderent, ut ejus virtute ſe fortes eſſe reputarent, recumberent in eum ſolum: quod fieri vix poterat, ſi equeſtribus copiis & curruum apparatu fuiſſent inſtructi. Scimus enim ut ſplendor ille perſtringat oculos, & ſuperba confidentia mentes inebriet. Jam lex lata erat, ne reges ſibi equos & currus pararent: quia ſcilicet nihil proclivius fuiſſet, quam ad ſuas munitiones transferre quod Deus ſibi vindicabat. Inde illud commune dictum, Hi in curribus, hi in equis: nos autem in nomine Jehovæ Dei noſtri tollemus vexillum. Voluit etiam Deus audaciæ materiam ſuis adimere, ut ſinibus ſuis contenti placide quieſcerent: neque vicinos injuſte aggrederentur. Atque experientia docuit, quum prava ambitio reges impuliſſet ad equos emendos, non minus temere quam infeliciter ab illis ſuſcepta fuiſſe bella. Equos ergo nervis ſucciſis inutiles reddi ad bellandum, & currus aboleri neceſſe fuit, ne Iſraëlitæ gentium moribus aſſuefcerent.

Deut. 17. verſ. 16.

Pſal. 20. verſ. 8.

8. *Tradidit eos Jehova.*] Magnitudo ſtragis inde colligitur, quod cæſi ſunt uſque ad Sidonem, quæ longe à lacu Merom diſtabat. Vocatur autem magna ob celebritatem emporii, & quia urbs erat præaliis populoſa. Neque enim comparatur cum alia minore & ejuſdem nominis. Hebraicum nomen Mozerephoth, quod tanquam proprium quidam retinent, vertere placuit fervores: quia probabile eſt aquas calidas illic ebuliiſſe. Sicuti vero conſternatio quæ illos in fugam adeo effuſam rapuit, palam oſtendit arcano Dei inſtinctu præcipites fuiſſe actos: ita Iſraëlitas qui per tot diſcrimina fugientes perſequi auſi ſunt, cæleſti virtute certum eſt ultra humanum modum fuiſſe transvectos. Laudatur deinde tam abſtinentia Joſue quam obſequii promptitudo. Neque enim tot equorum & curruum jacturam libenter facturus erat, niſi viciſſet Dei timor. Nam quæ noſtra eſt ſolertia ad excogitandos prætextus, obtendere plauſibile erat, quamvis ad uſum militarem eos non aptare, pretium tamen minime eſſe ſpernendum. Atqui non aliud ſibi conſiderandum duxit, niſi quid Deo placeret. Jam quia ſuis virtutibus adeptus erat, ut populum haberet facilem & morigerum, quod omnes præſtiterunt merito in unius laude ponitur.

12. *Omnes urbes regum iſtorum.*] Profligato exercitu regionem populari & vaſtare, urbes capere & diripere cœperunt. Quum dicitur, urbes quæ manebant integræ non fuiſſe exuſtas, inde probabilis conjectura elicitur, quaſdam vi & impetu fuiſſe captas, atque ita dirutas. Sola Hazor poſt expugnationem & ſedato ardore fuit incendio conſumpta: quia ſcilicet facem prætulerat inflammando bello. Cæterum quod ante vidimus, Joſue non iracundiæ frena laxaſſe dum omnes à minimo uſque ad maximum interfecit, ſæpius & clarius hoc loco repetitur. Nam quod nondum expreſſum fuerat nunc diſerte deſignatur: Joſue fideliter defunctum eſſe ſuis partibus, quia implevit quicquid Deus per Moſen injunxerat. Perinde ergo fuit acſi manus ſuas conſeciaſſet Deo, ubi ex ejus mandato gentes illas delevit. Ita tenendum eſt, quamvis totus mundus nos damnet, ſufficere tamen ad nos omni culpa liberandos Deum habere auctorem. Interea prudenter expendere convenit quid ferat cujuſque vocatio: ne ſi quis pro zeli ſui licentia imitari velit Joſue, crudelis & ſanguinarius judicetur potius quam ſeverus Dei miniſter.

16. Et cepit Joſue omnem terram iſtam montanam, & omnem Auſtralem, omnemque terram Goſen & planitiem atque campeſtria, montem quoque Iſraël & planitiem ejus.

17. A monte

17. A monte Lævi qui assurgit versus Seir usque Baalgad in campo Libani sub monte Hermon: omnes quoque reges eorum cepit, & percussit eos & interfecit.

18. Diebus multis gessit Josue cum omnibus regibus istis bellum.

19. Non fuit urbs quæ pacem fecerit cum filiis Israël præter Hivæos habitatores Gibeon: omnes ceperunt prælio.

20. Quia à Jehova fuit, ut induraret cor eorum in occursum belli cum Israël: ut deleret eos, nec resraret illis misericordia: sed ut disperderet eos, sicut præceperat Jehova Mosi.

21. Venit autem Josue tempore illo, & excidit Anakim è montanis: ex Hebron, ex Debir, ex Anab, & ex omni monte Jehuda, & ex omni monte Israël: una cum urbibus eorum delevit eos Josue.

22. Non remansit ex Anakim in terra filiorum Israël: tantum in Gad & in Asdod residui fuerunt.

23. Accepit itaque Josue totam terram prorsus ut dixerat Jehova Mosi, & tradidit eam in hæreditatem Israëli secundum divisiones eorum per tribus suas: & terra quievit à bello.

16. *Et cepit Josue.*] In continua victoriarum serie quum terra sponte veteres incolas evomeret ut vacua cederet Israëlitis possessio, palam apparuit quod dicitur in Psalmo, quamvis fortiter pugnaverint, non tamen gladio suo acquisisse terram, nec salutem brachio suo sibi peperisse: sed manu & brachio, & splendore vultus Dei omnia adeptos. Hoc consilio recensentur loca & regiones, ut sciamus Deum opus quod cœperat, continuo tenore pertexuisse. Cæterum falluntur qui certum montem notari putant sub nomine Israël: quia liquebit ex fine capitis montanam partem Israël & Juda promiscue sic vocari. Est itaque numeri enallage: quia montes decem tribuum montibus Jehuda comparantur. Ideoque subaudienda antithesis. In altero monte cognomen est ambiguum. quidam accipiunt pro divisione, acsi fuisset dissectus: alii pro lævi, quoniam arboribus carebat, ut caput redditur glabrum calvitie. Libera sit optio lectoribus in re incerta & levis momenti. *Psal. 44. versf. 4.*

18. *Diebus multis.*] Ante intra exiguum tempus & quasi celeri cursu quinque regna occupaverat: in aliis diversa fuit ratio, non cunctatione vel tædio vel pigritia: sed quia varie populum suum exercuit Deus, ut multiplex gratia luculentius fulgeret, quæ plerumque apud nos vilescit, si uno & eodem modo se exerat. Ergo secutj ante ad commendationem potentiæ Dei valuit incredibilis facilitas, dum momento profligati sunt hostes, ita lenta militia pluribus documentis Dei auxilium parefecit. Neque id repente accidit & inexpectatum, quia Deus ita fore per Mosen prædixerat, ne si terra in solitudinem sitatim redacta esset, irrumperent feræ bestiæ. Denique hic quasi in speculo perspicimus, quicquid promiserat Deus per Mosen, re ipsa & non obscuro eventu fuisse sanctum. Verum cum fide promissionum Dei simul considerandus est rarus erga electum populum favor, quod tanquam providus paterfamilias nihil quod ad filius utilitatem faceret, neglexit, vel omisit. *Deut. 7. versf. 22.*

19. *Non fuit urbs quæ pacem.*] Huic sententiæ primo intuitu repugnat quod passim occurrit apud Mosen, ne percutiant Israëlitæ fœdus cum illis gentibus, vel ullas pacis conditiones admittant: sed fundit us perdant & deleant sobolem & nomen. Quum ergo excluſi essent ab omni pactione, ac frustra de pace acturi essent: absurdum est eorum contumaciæ imputari quem liberum non erat deprecari interitum. Fingamus enim legatos obviam mississe cum ramis olearum: ad pacificandum fuisse intentos. Excepisset protinus Josue, sibi fas non esse transigere, quia Deus vetuerat. Quare si centies bellum effugere tentassent, pereundum erat nihilominus. Cur ergo vitio illis vertitur, quod pacem non petierint? Quasi vero necessitate compulsi non fuerint ad pugnandum, postquam videbant cum implacabili populo esse negotium. Quod si aliter agere liberum non fuit, injuste illis culpa adscribitur, quod coacti se hostium furori opposuerint. Respondeo, quamvis clementer eos recipere veriti fuerint Israëlitæ, quod tamen justum esset bellum, hostiliter fuisse exceptos. Atque id arcana Dei providentia mirabiliter gubernatum fuit, ut exitio addicti ultro se offerrent, & Israëlitas lacessendo perniciem sibi accerserent. Deus itaque qui veniam illis negari jusserat, idem eos ad cæcum furorem impulit, ne locum darent misericordiæ. Atque hac in parte populum non oportuit nimis sagacem esse vel curiosum. Nam quum ab una parte interdiceret Deus, ne ad ullum fœdus descenderent: & simul tamen nollet hostiliter sævire, nisi essent provocati: nimis anxia disceptatio valde turbasset eorum animos. Quare una ratio expediendæ perplexitatis fuit, curam illam in Dei sinum rejicere. Et ipse pro sua incomprehensibili sapientia prospexit, ne quo obstaculo, ubi ad rem ventum est, abrumperetur cursus populi. Sic reges trans Jordanem quum primo impetu essent perculsi, merito dederunt fuæ temeritatis pœnas. Neque enim infestis armis eos aggressi sunt Israëlitæ donec essent provocati. Eodem quoque modo cives Jericho quum portas clausissent, bellum ipsis indixerunt. Similis ailorum ratio, qui sua contumacia causam pugnandi dederunt Israëlitis. Nunc apparet quam apte inter se conveniant, Deum mandasse Mosi, ut perderentur gentes quas destinaverat ad interitum: ideoque viam patefeciſſe suo decreto, ubi reprobos obduravit. Primo itaque in gradu locatur Dei voluntas, ut emineat tanquam præcipua causa. Nam quia ad cumulum pervenerat illorum iniquitas, statuit eos delere. Inde fluxit datum Mosi præceptum: quod tamen effectu caruisset, nisi eorum qui perdendi erant pertinacia & obstinatione armatus esset populus ad exequendum Dei judicium. In hunc finem illos Deus obdurat, ut à se misericordiam avertant: unde & durities ista vocatur ejus opus, quia effectum consilii ejus stabilit. Nunc si rem adeo dilucidam suis nebulis obscurare conentur qui Deum è cælo speculari fingunt quid hominibus libeat, nec hominum corda arcano ejus instinctu frenari sustinent: quid aliud quam suam impudentiam prodent? Deo tantum concedunt ut permittat: hoc autem modo suspendunt ejus consilium ab hominum placito. Quid autem Spiritus? à Deo esse obdurationem, ut præcipitet quos vult perdere. *Exod. 23. versf. 32. Deut. 7. versf. 2.*

21. *Venit autem Josue.*] De filiis Anak alibi visum fuit. Progenies fuit Gigantum, quorum proceritate terruerant populum exploratores, ut pergere noluerit in terram Chanaan. Ergo quum ita essent formidabiles, operæpretium fuit è medio tolli, quo alacrior esset populus ad bene sperandum. Spectaculum enim ipsis obversari, quod assidue eos pungeret ac angeret, perquam noxium fuisset: quia Dei gloriam

gloriam in ſuperioribus victoriis obſcurabat timor, & fidem obruebat, quum in animis ſuis volverent ſibi reſtare difficillimum omnium certamen. Proinde non abs re inter reliqua Dei auxilia hoc memoratur, dum talibus monſtris purgata fuit terra, tranquillam habitationem populo fuiſſe conceſſam. Quo enim minus credibile erat poſſe debellari, inſignior fuit Dei potentia.

23. *Accepit itaque Joſue.*] Quanquam multum abfuit, quin Joſue acquiſierit totam terram: vere tamen dicitur, abſtiouiſſe totam terram, ſicut Deus Moſi teſtatus erat. qua voce reſtringitur generalis ſententia. Siquidem nominatim addita fuerat exceptio, non niſi paulatim obventuram quam Deus pollicitus erat ditionem: deinde cum truculentis & ſylveſtribus belluis pugnandum foret, ſi in deſertam ſolitudioem ſe projicerent. Deus itaque licet nondum in poſſeſſiooe regionis promiſſæ locaſſet populum, tamen quaſi ex formula præſtitit quod pepigerat: quia commodum hoſpitium & quod in præſentia ſufficeret, dedit. Atque ex verbis elicitur, alias etiam plagas comprehendi, quæ nondum in manum & poteſtatem veoerant. Dicitur enim quod acquiſierat diſtribuiſſe ſecundum familias. Atqui deinde in partitione videbimus in ſortem conjectas fuiſſe plagas, quæ mortuo tandem Joſue, imo multis poſt ſeculis, ſubjectæ ſunt populi imperio. Nunc ſenſus verborum liquet, vivo adhuc & ſuperſtite Joſua exhibitum fuiſſe certum ſpecimen promiſſionis, ut ſecure licuerit terram ſorte dividere.

Deut. 7. verſ. 22.

CAP. XII.

HI ſunt reges terræ quos percuſſerunt filii Iſraël, & quorum poſſederunt terram trans Jordanem, ad ortum Solis à torrente Arnon uſque ad montem Hermon, & omnem planitiem Orientalem.

2. Sihon rex Emorrhæus qui habitabat in Hesbon, qui dominabatur ab Aroër ad ripam torrentis Arnon, & ad medium torrentis, & ad mediam partem Gilead, uſque ad Jabbok torrentem, qui eſt terminus filiorum Ammon:

3. Et à planitie uſque ad mare Cineroth ad Orientem, & uſque ad mare Deſerti, mare Salis ad Orientem per viam Beth-hageſimoth, & ab Auſtro ſub effuſionibus Piſga.

4. Terminus præterea Og regis Baſan ex reſiduo Raphaim qui habitabat in Aſtaroth, & in Hedrei.

5. Qui dominabatur in monte Hermon, & in Salchah, & in toto Baſan, uſque ad terminum Geſſuri, & Maachati: & mediam partem Gilead, terminus Sihon regis Hesbon.

6. Moſes ſervus Jehovæ, & filii Iſraël percuſſerunt eos: & dedit eam Moſes ſervus Jehovæ in poſſeſſionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe.

7. Iſti autem ſunt reges terræ quos percuſſit Joſue & filii Iſraël trans Jordanem ad Occidentem, à Baalgad in campo Libani, uſque ad montem Lævem qui aſſurgit in Seir: & tradidit eam Joſue tribubus Iſraël in poſſeſſionem ſecundum partes eorum.

8. In montanis, & in planitie, & in campeſtribus, & in Aſdoth, & in deſerto, & in Auſtro, Hitthæus, Emorrhæus, Chananæus, Pheriſæus, Hivæus, & Jebuſæus.

9. Rex Jericho unus: rex Ai, qui erat è latere Bethel, unus.
10. Rex Jeruſalem unus, rex Hebron unus.
11. Rex Jarmuth unus, rex Lachis unus.
12. Rex Eglon unus, rex Geſer unus.
13. Rex Debir unus, rex Geder unus.
14. Rex Hormah unus, rex Arad unus.
15. Rex Libna unus, rex Adullam unus.
16. Rex Makeda unus, rex Bethel unus.
17. Rex Tapua unus, rex Epher unus.
18. Rex Aphek unus, rex Laſaron unus.
19. Rex Madon unus, rex Aſor unus.
20. Rex Simron Meron unus, rex Achſaph unus.
21. Rex Taanach unus, rex Megiddo unus.
22. Rex Kedeſch unus, rex Jocnam ad Carmelum unus.
23. Rex Dor ad Naphath-Dor unus, rex Goim in Gilgal unus.
24. Rex Thirſa unus: omnes reges triginta & unus.

1. *Hi ſunt reges.*] Caput hoc non longa expoſitione indiget: quia eorum reges enumerat quorum ditionibus potiti ſuot Iſraëlitæ. Suot autem duo trans Jordanem, Og & Sihon, qui late dominabantur: in terra vero Chanaan triginta unus. Etſi autem prolixius narrata ſunt ſingula quorum *διασκευαλωτερον* nunc breviter refertur: non tamen abſque optima ratione ante oculos nobis ſtatuitur quaſi viva pictura gratiæ Dei, quæ fœdus cum Abraham percuſſum probavit ratum firmumque eſſe. Abrahæ dictum fuerat, Semini tuo dabo terram hanc: tempus quoque donationi præfixum fuerat. Hic viva fidei à Deo præſtitæ effigies non ſecus occurrit, quam ſi nos Deus in rem præſentem adduceret. Octogenarius erat Joſue quum terram ingreſſus eſt. Io ſene qui potuit tantum eſſe vigoris, ut tot bellis gerendis, & perferendis militiæ oneribus ſufficeret, niſi cæleſti virtute ſuffultus humanum modum ſuperaſſet? Continuus autem vincendi tenor, proſperitas in quoslibet eventus, non dubia nec varia io expugnandis urbibus facilitas, expeditionum celeritas, & inflexibilia conſtantia, nonne clara manus Dei fuerunt documenta, perinde acſi è cælo apparuiſſet? Atque hoc conſilio ſuis limitibus finiuntur regiooes, ex quarum amplitudine melius eluceſcat Dei potentia: ſed tantum apud eos quibus cognitus eſt earum ſitus. Itaque niſi quis chorographiam teneat, io nomioibus longios inſiſtere vanæ curioſitatis eſſet. Fateor quidem utiliter obſervari loca, quorum ut ſæpe fit io Scripturis mentio, ita cognitio paulo familiarior nobis eſſe debet.

Geneſ. 12. verſ. 7. & 13:15. & 15:18.

debet. Sicuti dum termini ſtatuuntur in torrente Jaboc, in agro Libani & lacu Geneſara, qui hic vocatur mare Cineroth, & alibi Cinereth. Nam mediocris obſervatio ad hiſtoriam intelligendam nos juvabit. Si autem ultra non datur, ſinamus peritos ſubtilius, quæ nos fugiunt, excutere. Etſi autem his Regulis anguſtæ fuerunt ditiones, neque magni populi: videbimus tamen primariis earum urbibus annexa fuiſſe multa oppida: numerus præſertim ex ſorte Levitarum colligi poterit. Jam altera ex parte ſi reputemus quomodo angulus unus ſenes, parvulos, ac mulieres, imo magnam partem populi cum animalibus capere & alere potuerit, in admirationem nos rapiet inæſtimabilis Dei gratia, qua factum eſt ne horribili confuſione omnia miſcerentur.

Cap. XIII.

QUum autem ſenuiſſet Joſue, & veniſſet in dies, dixit ei Jehova, Tu ſenuiſti, veniſti in dies, & multa terra admodum ſupereſt ad poſſidendum.

2. Hæc eſt terra quæ reſidua eſt: omnes limites Philiſtinorum, & omnis Geſſuri.

3. A Nilo qui eſt è regione Ægypti uſque ad terminum Ecron, qui eſt ab Aquilone, quæ Chananæa reputatur, quinque principatus Philiſtinorum, Azathæus, Aſdodæus, Aſcalonæus, Gitthæus, & Ecronæus, & Avæi.

4. Ab Auſtro univerſa terra Chananæi, & Meara, quæ eſt Sidoniorum uſque ad Pæra, uſque ad terminum Emorrhæi.

5. Et terra Gibli, & totus Libanus ad ortum Solis, à Baal-gad ſub monte Hermon, donec pervenias Hemath.

6. Omnes habitatores montis à Libano uſque ad fervores aquarum: omnes Sidonios ego expellam à facie filiorum Iſraël: tantum jacias ſortem, ut ſit in hæreditatem Iſraëli, ſicut præcepi tibi.

7. Nunc ergo divide terram iſtam in hæreditatem novem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe.

8. Præter eam Rubenitæ & Gaditæ acceperunt partes ſuas, quas dedit iis Moſes trans Jordanem ad Orientem, ſicut dedit eis Moſes ſervus Jehovæ.

9. Ab Aroër quæ eſt juxta ripam fluminis Arnon, & urbem ipſam quæ eſt in medio vallis, & totam planitiem Medeba uſque ad Dibon.

10. Et omnes urbes Sihon regis Emorrhæi, qui regnabat in Hesbon, uſque ad terminum filiorum Ammon.

11. Et Gilead, & terminum Geſſuri, & Maachati, & totum montem Hermon, & univerſum Baſan uſque ad Salchah.

12. Univerſum regnum Og in Baſan, qui regnabat in Aſtaroth, & in Edrei: hic ſupererat ex reſiduo Rephaim, quos percuſſit Moſes & expulit.

13. Non expulerunt autem filii Iſrael Geſſuri & Maachati: propterea habitavit Geſſur & Maachat in medio Iſraël uſque ad hunc diem.

14. Tantum tribui Levi non dedit hæreditatem: ſacrificia Jehovæ Dei Iſraël ſunt hæreditas ejus, quemadmodum loquutus eſt de ea.

Num. 18. vers. 21.

1. *Quum autem ſenuiſſet.*] Quoniam ſupra vidimus, terram fuiſſe ſubactis uno & triginta regibus pacatam: probabile eſt, ne populus ſub continua militia fatiſceret, aliquid ceſſationis fuiſſe datum levandi tædii cauſa. Neque id reprehenſione dignum fuit: modo nonniſi ad tempus interquieſcerent, ſemperque intenti eſſent ad metam ſibi propoſitam. Verum ne illa quæ ad reparandum novum vigorem dabatur intermiſſio, deſidiæ occaſio foret: novo ſtimulo Deus eos ad pergendum ſollicitat. Jubet enim totam hæreditatem dividi in tribus: & totum tractum maris Mediterranei, qui ab hoſtibus poſſidebatur, in ſortem venire. Abſurda quidem & ludicra, imo ludibrii plena videri potuit ejuſmodi partitio, quum de alienis non ſecus ac propriis inter ſe tranſigerent. Sed optimo conſilio eam Deus conſtituit. Primo enim abjecta ſpe promiſſionis contenti fuiſſent præſenti ſtatu. Imo quamvis jacta ſorte, illis in ſolidum aſſeruerit Deus quicquid promiſerat: ſua tamen ignavia, quantum in ſe erat, fidem abrogarunt ejus verbis. Nec vero per coſtetit, quominus conciſa & mutila jaceret ejus veritas. Sortitio igitur illis eſſe debuit certæ poſſeſſionis arrha, ut ſemper eſſent in procinctu. Jam quibus obtigit in hoſtico ſua portio, quia interim erant inquilini, & tanquam in precario hoſpitio extra hæreditatem ſuam degebant, tanquam exactores aliis dati ſunt qui aſſidue ipſos urgerent. Et certe nimii ſtuporis fuit, quod divinitus aſſignatum erat, negligere ac deſerere. Jam videmus in quem finem ſortito oporteurit totam terram diſtribui, & unamquamque tribum locari in ſua ſede. Id quoque vivo Joſue fieri neceſſe fuit, quia poſt ejus mortem minus ad obſequium propenſi fuiſſent Iſraëlitæ. Nemo enim ſucceſſit cujus auctoritas rem ita difficilem impetraret. Adhæc quia jam per os Moſis Deus ita fieri mandaverat, niſi partibus ſibi impoſitis defunctus eſſet, labefactatum fuiſſet totum opus ſublato legitimo miniſtro. Porro tametſi non deſignatur tempus, probabile tamen eſt, quum ſpes non eſſet Joſue vivo & ſuperſtite populum rurſus arma ſumpturum, ut fines ſuos latius extenderet, tunc demum terram partiri aggreſſum: acſi clamaret ac ſolenni teſtificatione promitteret effectum diſtributionis ratum fore, quia Dei veritas hominis interitu non excideret.

2. *Hæc eſt terra.*] Revocantur in memoriam veteres termini pridem à Deo poſiti: ut certo perſuaſi ſint Joſue & populus, fœdus cum Abraham percuſſum tandem completum iri omni ex parte. Quare jubentur ad ea quæ reſtant acquirenda ſtudium ſuum adjicere. Apta vero erit anagoge, ſi accommodetur hæc perſeverantia ad eam quæ à nobis exigitur: nempe ut quæ retro ſunt obliti, enitamur ad præmium ſupernæ vocationis, & nos ad ſignum propoſitum extendamus. Nihil enim profuerit in ſtadio cucurriſſe, niſi ad metam uſque pertingere ſtudeamus.

mus. Exordium ſit à fluvio, qui Ægyptum verſus mare diſterminat à terra ſancta: ſive is ſit Nilus, ut nos ex recepta opinione vertimus: ſive exiguum flumen quod oppidum Rhinocorneam alluit, quæ à multis creditur eſſe Raphia vel Rabhane. Extra controverſiam quidem eſt, ab ea plaga hæreditatem populi contiguam Ægypto fuiſſe. Etſi autem conſenſum plurium ſequutus ſum, non ultra protenſos fuiſſe limites quam ad agrum minus cultum & quaſi deſertum, ne damnoſa eſſet nimia vicinitas, ſi familiaris & propior cum Ægyptiis fuiſſet uſus: diverſam tamen ſententiam minime repudio. In primo verſu naſcitur quæſtio: quia poſtquam dictum eſt quinque fuiſſe circa litus maris principatus, addunturſexto loco Avæi. Quidam non cenſeri inter quinque exiſtimant, quia ignobilis fuerit provincia. Verum cogitent lectores, annon potius obliqua ſit antitheſis inter populum liberum & ſui juris, ac quinque principatus. Quia igitur diverſa fuit Avæorum conditio, ſeorſum numerantur. Et ideo nomen plurale ad diſtinctionem eſt poſitum. Cæterum principatuum recitatio non ex cujuſque dignitate vel opulentia petita eſt, ſed primum gradum obtinet Aza, quia Ægypto vicinior: quæ eadem ratio in Aſdod & reliquis valet. Græci ſuo more ſupponunt ſuum ϛ loco Ϸ. Atque ita Gazam nominant quæ Hebræis eſt Aza: ſicuti ex Amorrha Gomorrham faciunt. Quo ſatis detegitur eorum error qui finxerunt nomen eſſe Perſicum, ab opibus ſic dictum: quia Cambyſes bellum in Græcia geſturus, theſauros ſuos illic depoſuerat. Sed quia apud Lucam mentio fit Gazæ
Actor. 6. verſ. 26. deſertæ, apparet urbem ejuſdem nominis prope quidem, ſed alio loco fuiſſe extructam. Aſdod ea eſt quam Græci dixerunt Azotum. Perducitur autem totus hic tractus maritimus, vel qui ad mare vergit, uſque ad Sidonem. Et ſunt qui putent, Phœnices Gazæ quoque & Azoti olim fuiſſe dominos. Quam longe ſe protendat Libanus ſatis notum eſt. Montem enim Hermon aliquando comprehendit: & propter longitudinem pars Antilibanus cognominatur. De monte Hermon reperient lectores Deut. 4. Verſus Orientem eſt Hemath, quæ & Antiochia Syriæ.

6. Omnes habitatores montis.] Iterum monetur Joſue, quamvis regiones illas nondum poſſideant Iſraëlitæ, ne tamen ſortitionem differat, Dei promiſſione fretus, quia maligne ejus virtuti detraheret, ſi ambigeret de eventu. Ideo dicitur, Tantum quod tui officii eſt præſta in diſtributione terræ: nec à ſorte eximatur quod adhuc ſecure obtinent hoſtes: quia mihi curæ erit quod promiſi, implere. Hinc diſcamus in ſuſcipiendis negotiis ſic pendere ab ore Dei, ne qua dubitatio nos moretur. Non eſt quidem noſtrum, vanas ſpes nobis fabricare: verum ubi in Deo fundata eſt noſtra fiducia, tantummodo obtemperemus ſuis mandatis: quia metuendum non eſt, ne eventus nos fruſtretur. Poſtea novem tribus & dimidiæ terram Chanaan aſſignat: quia trans Jordanem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe data ſit ſua portio. Etſi autem videtur in his verbis eſſe battologia, Quas dedit illis Moſes, ſicut dedit illis Moſes, nihil tamen ſuperfluum eſt: quia ſecundo membro confirmatur donatio: acſi Deus ratum eſſe juberet quod factum eſt. Sicut ergo dedit illis Moſes terram illam, ita in ejus poſſeſſione tranquilli maneant. Hac quoque ratione inſignitur elogio ſervi Dei: ne quis convellat decretum illud quod ex Dei auctoritate protulit fidelis miniſter. Et certe litibus obviam ire neceſſe fuit, quæ alioqui quotidie ſubortæ forent.

14. Tantum tribui Levi.] Neceſſaria fuit hæc quoque exceptio, ne ſe Levitæ injuſte fuiſſe exhæredatos obtenderent, atque ita de ſuo jure moverent magnas turbas. Admonet igitur hujus diſtinctionis Moſen eſſe auctorem: ſimulque docet, non eſſe cur querantur ſibi quidquam fuiſſe ereptum, quia prælara compenſatio data fuerit. Quamvis autem non diſtribuerentur ex æquo ſacrificia inter Levitas: ſatis tamen eſt alimenta ex primitiis & decimis fuiſſe omnibus data. Porro ſicuti Deus mercede eos allicit ad ſubeundam ſacrorum curam: ita viciſſim populum hortatur ad ſacras oblationes fideliter perſolvendas, ubi victum Levitarum pronunciat ſua eſſe ſacrificia.

15. Dedit ergo Moſes tribui filiorum Ruben per familias ſuas:

16. Fuitque illis terminus ab Aroër, quæ eſt juxta ripam torrentis Arnon, & urbs quæ eſt in medio vallis, & univerſa planities quæ eſt juxta Medeba.

17. Hesbon & omnes urbes ejus, quæ erant in planitie: Dibon & Bamot-baal, & Beth-baalmeon.

18. Et Jahaſah, & Cedemoth, & Mephaath.

19. Et Ciriathaim, & Sibmah, & Sereth-ſahar in monte vallis.

20. Et Beth-peor, & Aſdoth-Piſgah, & Beth-jeſimoth.

21. Et omnes urbes planitiei, & univerſum regnum Sihon regis Emorrhæi, qui regnabat in Hesbon, quem percuſſit Moſes: & principes Midian, Evi & Rekem, & Sur, & Hur, & Reba, duces Sihon, habitatores terræ.

22. Et Bileam filium Beor divinatorem occiderunt filii Iſraël gladio cum interfectis eorum.

23. Fuit autem terminus filiorum Ruben, Jordanis & terminus. Hæc eſt hæreditas filiorum Ruben per familias ſuas, urbes & villæ earum.

24. Deditque Moſes tribui Gad, filiis Gad per familias ſuas:

25. Et fuit eis terminus Jazer, & omnes urbes Gilead, & dimidium terræ filiorum Ammon uſque ad Aroër, quæ eſt coram Rabbah.

26. Et ab Hesbon uſque ad Ramath ipſius Miſpe, & Bethonim: & à Mahanaim uſque ad terminum ipſius Debir.

27. Et in valle Beth-haram, & Beth-nimrah, & Succoth, & Saphon: reſiduum regni Sihon, regis Hesbon, Jordanem & confinium, uſque ad extremum maris Cinnereth, trans Jordanem ad Orientem.

28. Hæc eſt hæreditas filiorum Gad per familias ſuas, urbes & villæ earum.

29. Dedit præterea Moſes dimidiæ tribui Manaſſe: fuitque dimidiæ tribui filiorum Manaſſe per familias ſuas:

30. Fuit,

30. Fuit, inquam, terminus eorum à Mahanaim omnis Baſan totius regni Og regis Baſan, & omnes Hanoth-Jair, quæ ſunt in Baſan, ſexaginta urbes.

31. Et dimidium Gilead, & Aſtaroth, & Edrei, urbes regni Og in Baſan, filiorum Machir, filii Manaſſe, dimidiæ parti filiorum Machir, per familias ſuas.

32. Iſtæ ſunt hæreditates quas tradidit Moſes in campeſtribus Moab à tranſitu Jordanis ipſi Jericho ad Orientem.

33. Tribui autem Levi non dedit Moſes hæreditatem: Jehova Deus Iſraël ipſe eſt hæreditas eorum, quemadmodum dixit * illis.

* vel, de illis.

15. *Dedit ergo Moſes.*] Quod viſus fuerat ſatis clare dixiſſe, nunc diſtinctius perſequitur, non tantum ut lectio populum incitet ad gratias agendas, ſed publicis monumentis conſignatum erit Dei beneficium, & quaſi ante oculos verſabitur: ſed etiam ut ſua quiſque hæreditate ſine moleſtia & jurgio fruatur. Scimus quam ingenioſa ſit hominum cupiditas ad excogitandos litigandi prætextus: ut nemini jus ſuum ſalvum eſſe poſſit, niſi liquida & perſpicua juris definitio controverſias omnes tollat. Extra ſortem data fuerat illa regio. Excipere aliis promptum erat, quia juſta dimenſio non fuerat ſervata, corrigendam eſſe inæqualitatem. Ne qua igitur intempeſtiva diſceptatio pacem unquam conturbet, termini ubique Dei auctoritate figuntur, & clauſtris oppoſitis dirimuntur quælibet contentiones. Neque enim uno verbo ſolum adjudicat Deus tribui Ruben totum regnum Sihon: ſed ſummum limitem ducit ab Aroër ad ripam Arnon, atque ita toto circuitu eos vel reſtringit vel dilatat, ut de unius quidem jugeri ambigua ſit poſſeſſio. Porro quam utilis fuerit tam exacta deſcriptio, ex profanis hiſtoriis licet cognoſcere, ubi paſſim occurrunt non odioſæ tantum, ſed perniciosæ quoque inter vicinos contentiones de finibus. Adhæc ſedulitas, quam Deus, ut ſuis caveret, ac foveret mutuam inter eos pacem, ſuſcipere gravatus non eſt, vere paternum ejus amorem demonſtrat: quia nihil omiſit, quod eorum tranquillitati conduceret. Ac ſane niſi mature proſpectum foret, inteſtinis certaminibus fuiſſent conſumpti. Iterum lectoribus excuſatus eſſe velim, ſi in deſcribendo urbium ſitu non anxie laborem: ac ne in nominibus quidem ſim curioſus. Imo facile patiar appellative ſumi & Latine converti quæ tanquam propria relinquere in ſua lingua viſum eſt. Id notatu dignum, ubi de Madianitarum terra agitur, principes qui illic dominabantur vocari Satrapas Sihon, ut ſciamus, ejuſdem cladis fuiſſe ſocios, quia ſe injuſto bello implicuerant, ac pertinebant ad imperium Sihon profeſſi hoſtis. Ac quo melius liqueret juſte periiſſe, dicitur Balaam inter eos fuiſſe occiſus, cujus lingua conati fuerant gravius vulnerare Iſraëlitas quam mille gladiis: aſſi dictum eſſet, in ſtrage ipſa repertum fuiſſe hoſtile vexillum, quo profeſſi fuerant ſe contra Iſraëlitas militare. Ubi legitur, Jordanem fuiſſe terminum & terminum: ne inanis ſit repetitio, commode vertere licebit, terminum illis fuiſſe Jordanem ſecundum ſuos fines.

24. *Dedit Moſes tribui Gad.*] Eadem in tribu Gad obſervandâ ratio, diligenter ſepiri legitimis finibus, ne litigioſa ſit eorum poſſeſſio. Interim commendatur Dei liberalitas, quod magni nominis gentes expulerit, in quarum locum eos ſubſtituerat. Quod in dimidia tribu Manaſſe clarius exprimitur, dum in parte hæreditatis eorum numerantur ſexaginta urbes. Unde etiam palam factum eſt, Moſen non errore fuiſſe munificum, quia Deum non latebat quot urbes pro immenſa ſua largitate illis daret. In clauſula iterum excludirur tribus Levi, ne prætexant in poſterum Levitæ, quod Gaditis & Rubenitis ac dimidiæ tribui Manaſſe extra ſortem obtigerat, ſibi quoque eſſe commune: quia nominatim ſortiri cum fratribus ſuis vetantur: quod argute pro ſuo commodo interpretari promptum erat, ſibi in aliis relictam eſſe partem. Nunc autem non vocantur ſacrificia hæreditas eorum, ut paulo ante, ſed ipſe Deus: quo niſi ſint contenti, omnis ſuperbum & intolerabile faſtidium produnt.

CAP. XIV.

HÆc ſunt quæ in hæreditarem acceperunt filii Iſraël in terra Chanaan, quæ illis tradiderunt in hæreditatem Eleazar ſacerdos, & Joſue filius Nun, & capita tribuum filiorum Iſraël.

2. Per ſortem hæreditatis eorum, ſicut præceperat Jehova per manum Moſis, ut daret novem tribubus, & dimidiæ tribui.

3. Dederat enim Moſes duabus tribubus, & dimidiæ tribui extra Jordanem: Levitis autem non dederat hæreditatem in medio eorum.

4. Fuerunt enim filii Joſeph duæ tribus, Manaſſe & Ephraim: ideo non dederunt partem Levitis in terra præter urbes ad habitandum, & ſuburbana earum pro armentis & gregibus ipſorum.

5. Quemadmodum præceperat Moſes, ſic fecerunt filii Iſraël, & diviſerunt terram.

6. Acceſſerunt autem filii Juda ad Joſuam in Gilgal, dixitque ad eum Caleb filius Jephune Keniſæus, Tu noſti verbum quod loquutus eſt Jehova ad Moſen virum Dei de me, & de te, in Cades Barnea:

7. Quadragenarius eram quando miſit me Moſes ſervus Jehovæ de Cades Barnea ad explorandam terram, & retuli ei rem ſicuti erat in corde meo.

8. Et quum fratres mei qui deſcenderant mecum, diſſolverent eor populi, ego perſeveranter ſequutus ſum Jehovam Deum meum.

9. Et juravit Moſes illo die, dicendo, Si non terra quam calcavit pes tuus, tua erit in hæreditatem & filiis tuis in æternum, quia perfeveranter ſequutus es Jehovam Deum meum.

10. Nunc autem Jehova conceſſit mihi vitam ſicuti dixerat. Jam quadraginta quinque anni ſunt, ex quo tempore pronunciavit Jehova hanc rem Moſi, ex quo ambulavit Iſraël per deſertum: & nunc quidem hodie ſum quinque & octoginta annorum.

11. Et adhuc sum hodie vegetus ut eo die quo misit me Moses: quantus erat tunc vigor meus, tantus hodie est vigor meus ad prælium, & ad exeundum, & ad ingrediendum.

12. Nunc ergo da mihi montem istum, ut loquutus est Jehova eo die. Tu enim audivisti eo die quod Anakim sint ibi, & urbes magnæ & munitæ: forte Jehova *erit* mecum, & expellam eos quemadmodum dixit Jehova.

13. Et benedixit ei Josue, dedit que Hebron ipsi Caleb filio Jephune in hæreditatem.

14. Idcirco fuit Hebron ipsius Caleb filii Jephune Kenizæi in hæreditatem, usque ad diem hunc, eo quod perseveranter sequutus est Jehovam Deum Israël.

15. Nomen autem Hebron antea fuit Ciriath-Arba, qui Arba homo magnus inter Anakim fuit: & terra quievit à bello.

1. *Hæc sunt quæ in hæreditatem.*] Nunc ad terram Chanaan descendit, de qua oportuit novem tribus & dimidiam sortiri. Atque hujus quidem narrationis filum, ut videbimus, mox abrumpet. Opportunus tamen fit transitus ab ea regione cujus diversa erat conditio: ut sciant lectores posthac de terra Chanaan fore sermonem, quæ sorte dividenda erat. Diximus autem Josue & Eleazar non tantum partitos esse quod jam acquisierant Israëlitæ: sed quum in Dei promissionem recumberent, quicquid suis promiserat secure complexos esse non secus ac jam usu captum. Videbimus quidem non statim plenam fuisse partitionem: sed quum prima exiit sors Juda, aliis in spe relictæ fuerunt suæ vices. Verum emergit difficilis quæstio, quomodo terram distribuerint Josue, Eleazar, & principes, si jactæ fuerunt sortes. Neque enim hominum sententia, vel arbitrio, vel auctoritate sortitio regitur. Si quis respondeat, præfuisse ne qua fraus obrepereret, nondum solutus est nodus, imo effugium illud refelletur ex contextu. Sciendum igitur est, non simpliciter electos fuisse qui sortito terram dividerent: sed qui deinde justa proportione cujusque tribus fines vel ampliarent vel restringerent. Quod autem nuda sorte non potuerit transigi negotium, facile liquet. Nam quum secundum homines nihil sit magis fortuitum quam sortis eventus, nefiebant an dimidiam tribum Manasse locare vellet Deus ubi sedem obtinuit tribus Juda, an loco Ephraim futurus esset Zabulon. Longius itaque progredi liberum ab initio non fuit, quam ut terram dividerent in decem plagas vel provincias: sic tamen ut cujusque maneret indefinitum spatium. Nam si data fuisset singulis optio, alii optassent in terræ umbilico habitare, alii sumpsissent quietam stationem, alii ubertatem agrorum, vel cæli temperiem ac loci amœnitatem sequuti essent. Atqui sors Judæos velut in capite constituit, tribum vero Zabulon relegavit ad littus maris: tribum Benjamin fecit Judæis vicinam, tribum Ephraim longius submovit. Denique hæc fuit sortis potestas, ut ab Ægypto Syriam versus, à plaga Septentrionali ad mare Mediterraneum caderent sortes decem, ut alii finitimi essent Ægyptiis, alii maritima loca incolerent, alii tenerent partem altiorem, alii in mediis vallibus subsiderent. Hoc constituto, restabant præfectis populi suæ partes, ut pro jure analogico fines undique circumscriberent. Fuit igitur in eorum arbitrio supputare quot millia capitum essent in unaquaque tribu: & secundum paucitatem vel copiam hominum singulis adjudicare vel plus vel minus spatii. Nam ex Dei præcepto servanda proportio fuit: ut quo plures erant vel pauciores, sicuti reperti fuerant in censu, regio illis amplior vel angustior terminaretur. Num. 26. Eorundem principum judicio permissum fuit, ut vel in longitudinem vel in latitudinem dirigerent limites, prout commodior ratio exigebat. Jam memoria quoque tenendum est quod legitur Numer. 30. cap. Decem qui vocantur nunc Familiarum capita, non suffragiis hominum, sed voce Dei fuisse creatos ad munus hoc exequendum. Ita singulæ tribus habebant proprios cognitores, ne qua fraus aut vis interveniret. Deinde nefas erat qui à Deo nominati fuerant, habere suspectos. En quomodo dedit Josue terram, quæ tamen sortitioni subjecta fuit.

4. *Levitis non dederunt.*] Tertio idem repetitur de Levitis, non venisse in numerum, ut caput unum facerent: sed alio consilio, quia scilicet continuo post sequitur, filios Joseph in duas tribus fuisse divisos, atque ita privilegio duplicatam illis fuisse portionem. Sic enim vaticinatus fuerat Jacob: imo tanquam arbiter à Deo datus filium Joseph reliquis hac in parte prætulerat. Ergo Levitas sibi assumpsit in peculium, & in eorum locum substituit alteram ex duabus familiis Joseph. *Genes. 49.*

6. *Accesserunt filii Juda.*] Inseritur narratio, qua abrumpitur quod de terræ partitione dici cœptum erat: nempe quod postulaverit Caleb montem Hebron sibi dari, ut à Mose promissus erat. Id autem longo ante tempore accidit quam bellandi finem populus feciffet ac sortiri oporteret. Quintus enim annus numeratur à terræ ingressu. nec vero locum jam pacatum & hostibus vacuum sibi relinqui vult: sed in medio armorum strepitu ac fervore permitti sibi cupit, illum profligatis cæsisque Gigantibus acquirere. Tantum cavet, ne ubi sua virtute Gigantes domuerit, laboris sui mercede fraudetur. Ratio cavendi est, ne in communem tribus sortem veniat. Ideo non solus ipse causam suscipit: sed tribules quoque filii Juda subscribunt: quia extraordinario hoc munere quod in unam familiam conferebatur, fiebat ut tantundem omnibus accresceret. Quamvis ergo solus Caleb verba faciat, adest tamen tota tribus cujus intererat illum hoc præmio locupletari. Cur vero nomen Kenizæi inditum fuerit ipsi Caleb, mihi non liquet. Sic etiam vocatur Numer. 32. Nec vero me latet quid alii divinent: nempe ita cognominatum fuisse à Kenas, vel quod apud Kenizæos habiterit ipse, aut quispiam è majoribus. Sed apud me nihil firmum. Quid si ab aliquo insigni actu titulum adeptus fuerit? Sicuti victores interdum cognomen ex gentibus subactis assumunt. Primo, quia neque in publicas tabulas relata erat promissio, nec ejus quisquam erat testis superstes præter Josuam, ipsum compellat. Probabile autem est, quum exploratores decem nomina Enakim ad terrendum populum objecturent, Caleb ut eorum improbitatem refelleret, quod verum erat respondisse: eos quum aspiceret in monte Hebron, adeo non fuisse terribiles, ut eos seorsum aggressurus esset, modo illis expulsis succederet. Atque hac lege habitationem à Mose fuisse concessam in eo loco quem sua fortitudine acquisiisset.

7. *Quadragenarius eram.*] Videtur paulo splendidius quam pium & modestum hominem decet, virtutem suam jactare. Verum meminerimus quum res per se odiosa esset multisque querelis obnoxia, necessariam fuisse raram commendationem, quæ invidiam dilueret. Commemorat igitur se bona fide retulisse quod cognoverat de terra. Nam hac particula, Sicuti erat in corde meo, finceritatem notari certum est: atque ita fallacibus verbis cor opponi. Ridiculum enim commentum est, dixisse in corde, quia in itinere nihil tale proferre ausus fuerat, ne à comi-

comitibus occideretur. Nihil ergo aliud significat, quam se absque fuco & simulatione probe perfunctum esse mandatis sibi injunctis. Laudem suæ integritatis amplificat, quod quum omnes collegas, excepto Josue, haberet adversarios, non tamen cesserit eorum malitiæ, nec sceleſta conspiratione fractus fuerit, sed constanter perstiterit in proposito. Ad verbum legitor, Implevi ire post Deum meum. Sensus tamen clarus est, non fuisse abductum ab officii fide prava machinatione decem hominum, quam difficile erat sustinere, eo quod ioflexibili perseverantia Deum sequutus sit. Nempe quia certo persuasus erat, Deum expeditionis esse auctorem, à quo perfidi illi populum retrahere tentabant. Cæterum discamus ex hoc loco, nisi ultima primis respondeant, bona principia evanescere: deinde hanc demum constantiam laude esse dignam, ubi Deum sequimur.

9. *Tunc juravit Moses.*] Hic jam onos fructus legationis probe & fideliter obitæ, hæreditate potiri, qua privatur totus populus. Etsi enim inter Dei beneficia jure censetur vitæ diuturnitas: finis tamen hic anoectitur, ut hæreditatem quæ aliis negatur obtineat Caleb: quod non vulgaris fuit prærogativæ. Exinde celebrat Dei fidem, quia sibi vitam prorogaverit: neque id modo, sed vigorem & robur contulerit, ut octogenario major, nihilo debilior sit quam in flore ætatis. Aliorum etiam viridis fuit senectus, sed paucorum: deinde ad hunc æquabilem tenorem non accessit, ut octogesimo quinto anno maneret virile robur prorsus integrum. Neque enim dicis modo peritiam sibi & fortitudinem arrogat, sed militare robur. Addit alia quoque munia & vitæ actiones. Nam ingredi & exire tantundem Hebræis valet, atque peragere & exequi omnes officii nostri partes. Re ipsa autem id confirmat Caleb, dum sibi Gigantes deposcit quos aggrediatur & expellat. Neque tamen stolido fastu effertur ad victoriæ fiduciam: sed prosperum eventum sperat ex Dei auxilio. Videtur quidem absurda esse dubitationis nota, Forte: acsi fortuito se ad pugnam accingeret. Qui modestiæ causa putant ipsum sibi diffidere, & considerare suam infirmitatem, neque totum neque nihil dicunt. Certe omittunt quod præcipuum est, referri istud Forte, ad communem hominum sensum, qualis ex præsentis rei statu concipi poterat. Sed in primis expendere convenit ejus consilium. Si montem sibi dari petiisset, in quo occupando nihil fuisset negotii, difficilius erat impetrare. Nunc vero rei difficultate proposita, sibi apud Josue & principes favorem conciliat: quia ubi ejus voto annuerint, nihil tamen concedent, nisi arduum, dubium, & periculosum certamen obeat. Quum ergo sciret, trepidare & expavescere filios Israel ad famam Gigantum, ex eorum opinione loquitur, quasi de re perplexa & confusa. Quod ad ipsum attinet, verba clare demonstrant, quam non incerto aut vacillante animo quod sibi dictum fuerat, præsumpserit. Expellam, inquit, eos sicut pronunciavit Jehova. Dicemusne ubi Dei sententiam profert, eum ambigere, an si quod promisit facturus sit nec ne? Certe patet, quo major esset impetrandi facilitas, tantum monuisse quanti discriminis esset negotium. Quanquam Hebræis novum non est, hac voce difficultatem simpliciter notare: utcunque nulla diffidentia inquietudine animos agitet. Quantæ vero molis fuerit expellere Gigantes ex ea munitione, inde colligitur, quod non nisi mortuo demum Josue eos aggredi ausus est Caleb.

13. *Benedixit ei.*] Ita bene precatus est, ut simul gratularetur. Nam ad exemplum fuit utile, publice ejus virtutem celebrari, qua alii ad superandos omnes metus incitarentur. Perinde enim fuit acsi Gigantes ex sublimi despiceret. Benedictio igitur Caleb laudem in se continet, quæ ad populum exhortandum valeat. In fine capitis dicitur, nomen Hebron fuisse Ciriath-Arba. Ubi notandum est, non montem ipsum intelligi, sed primariam urbem, cujus frequenter occurrit mentio in Scriptura. Sic autem dicitur fuisse cognominata à famosæ proceritatis Gigante: quo refellitur eorum commentum qui à quatuor Patriarchis illic sepultis sic dictam volunt, Adam, Abraham, Isaac, & Jacob. Patet autem Caleb minime consuluisse præsenti otio, vel domesticæ utilitati, quando ad locum sibi datum multis post annis non aspirat. Quare non minus totius populi interfuit, quam unius privatæ familiæ, pro singulari beneficio tribui, quod adhuc ab incomprehensibili Dei gratia pendebat, & erat in mera spe reconditum. Minus etiam debuit odiosa esse donatio: cujus effectus sine incredibili ~~Dei virtute~~ ratus non fuisset. Nascitur tamen quæstio, quum Hebroo non tantum Levitis cesserit in portionem, sed una fuerit ex urbibus refugii, quomodo firma steterit donatio. Si dicamus Caleb aliis oppidis contentum, jus suum Levitis resignasse, nondum plane solvitur nodus, quia differre constituitur domicilium illius urbis. Verum si reputamus tantum jus habitationis in urbibus Levitis concessum fuisse, nulla erit repugnantia. Interea tamen non parva laude digna fuit moderatio Caleb, qui in parte sibi extra ordinem & privilegio data hospitium Levitis non negavit.

Cap. XV.

FUitque sors tribui filiorum Jehuda per familias eorum juxta terminum Edom, & desertum Sin ad Austrum ab extremo Austri.

2. Fuitque ejus terminus Meridiei ab extremo maris Salis, hoc est, à petra quæ respicit ad Meridiem.

3. Et egreditur versus Meridiem Maale-acrabim, & illinc transit in Sin: progrediens autem à Meridie in Cades Barnea transit illinc in Esron, & rursum ascendit in Adar, unde circuit in Carcaa.

4. Inde transit in Asmon, & egreditur ad torrentem Ægypti: suntque egressus hujus termini ad Occidentem. iste erit vobis terminus ad Meridiem.

5. Terminus vero ad Orientem, est mare Salis usque ad extremitatem Jordanis: terminus autem anguli Aquilonaris à petra maris ab extremo Jordanis.

6. Ascenditque terminus iste in Beth-hoglah, & transit ab Aquilone ad Beth-araba, atque illinc ascendit terminus iste ad lapidem Rohan filii Ruben.

7. Ascendit præterea terminus iste in Debir à valle Achor, & versus Aquilonem respicit ad Gilgal, quæ est è regione ascensus Adummim, quæ quidem est ab Austro torrenti, & transit terminus iste ad aquas En-semes, suntque exitus ejus ad En-rogel.

8. Et ascendit terminus iste ad vallem filii Hinnom, ad latus Jebusæi à Meridie, ipsa est Jerusalem: ascendit insuper terminus iste ad verticem montis qui est è regione vallis Hinnom ad Occidentem, quæ quidem est in extremitate vallis Rephaim ad Aquilonem.

9. Circuit autem terminus à vertice ipſius montis, ad fontem aquæ Nepthoah, & egreditur ad urbes montis Ephron, circuitque terminus iſte in Baala, ipſa eſt Ciriath-jearim.

10. Et illinc gyrat terminus iſte à Baala ad Occidentem ad montem Seir, & illinc pertranſit ad latus montis Jearim ab Aquilone, ipſa eſt Cheſalon, deſcenditque in Beth-ſemes, & pertranſit in Timna.

11. Egrediturque terminus ad latus Ecron ad Aquilonem, & circuit terminus iſte ad Sichron, pertranſitque ad montem Baala, & illinc egreditur in Jabneel, ſuntque exitus hujus termini ad mare.

12. Porro terminus Occidentalis ad mare Magnum, & terminum: iſte eſt terminus filiorum Jehuda per circuitum, per familias ſuas.

13. Caleb autem filio Jephune dedit partem in medio filiorum Jehuda, ſecundum ſermonem Jehovæ ad Joſue, Ciriath-arba patris Anac, ipſa eſt Hebron.

Jam præfatus ſum in delineando locorum ſitu & excutiendis nominibus non fore me curioſum: partim quia me in topographica ſcientia vel chorographica non eſſe exercitatum fateor: partim quia magni laboris nonniſi tenuis fructus ad lectores rediret. Imo forte maxima pars abſque utilitate valde ſudaret. Quod ad rem pertinet, obſervandum non tantum in loco excelſo cadere ſortem tribus Juda, ut ipſa regionis eminentia dignitatem futuri regni commendet: ſed nomen ejus primum exire in ejuſdem rei præſagium. Quod jam armis partum erat, dividere incipiunt. Tribuum decem nomina conjiciuntur in urnam. Juda omnibus aliis præfertur. Quis non videt attolli in ſummum gradum, ut ratum ſit vaticinium Jacob? Jam intra fines hic poſitos ſatis notum eſt fuiſſe opima paſcua & vites generoſas ac fœcundirate celebres. Hoc modo dum ſors reſpondet vaticinio Jacob, illam non caſu cecidiſſe plane liquet: ſanctum vero Patriarcham quod à Spiritu dictatum erat protuliſſe. Si qui ſint locorum peritiores, illis quidem jucunda erit & utilis argutior diſquiſitio. Verum ne rudiores pigeat ignota nomina legere, non mediocre operæpretium ſe feciſſe exiſtiment, modo brevem quam attigi ſummam teneant, in ſublime efferri tribum Juda, ut ſupra alias conſpicua emineat, donec inde ſceptrum exurgat: deiode vitiferam & paſcuis nobilem regionem aſſignari ejus poſteris: adhæc, ut totus populus agnoſceret non fortuitum fuiſſe jactum, qui tribus ante ſeculis prædictus fuerat. Præterea indoctis quoque ex multiplici ambitu colligere promptum eſt, ſpatioſam fuiſſe plagam, quam tribus una ſortita eſt. Nam etſi poſtea contigit aliqua diminutio, ſemper latiſſime dominati ſunt. Memoria vero tenendum eſt quod dixi, ſorte nihil aliud fuiſſe declaratum quam filiis Juda terminum eſſe continuum terræ Edom & filiis Sin: eoſdem finitimos ab altera parte torrentis Ægypti marique Mediterraneo: qui vero electi erant diviſores, quoad ferebat eorum judicium, pro multitudine hominum emenſas eſſe quanta illis portio cederet, nec longius extendiſſe eorum fines: eandem quoque rationem ſequutos eſſe in aliis, ut poſtulabat vicinitas. Nec vero obſtitit error quo minus firmum fuerit quod decreverant. Nam ſicut eos non puduit ex parte retractare partitionem non ſatis conſiderate factam: ita viciſſim populus quum agnoſceret eos optima fide & probitate in negotio verſatos eſſe, libentius ſe ſubmiſit eorum decreto: nec obſtitit particularis error quo minus rata maneret generalis actio. Verbum unum attingere de urbe Jebus, cujus nomen poſtea fuit Jeroſolyma, operæpretium erit: quum jam arcano Dei conſilio in ſacrarium electa eſſet, illieque futura eſſet regni ſedes, fuiſſe tamen poſſeſſam ab hoſtibus uſque ad tempus Davidis. Nam in tam diuturna privatione ejus loci, in quo fundata erat reliquæ terræ ſanctitas, præſtantia & decus: dilucida apparuit Dei maledictio, ad puniendam populi ignaviam. Siquidem id perinde erat acſi terræ adempta eſſet præcipua dignitas & ornamentum. Sed ex altera parte reſulſit mirabilis Dei bonitas, quod Jebuſæi qui poſt tempus ſibi prorogatum altiſſimas radices egiſſe viſi fuerant, ex ſecura tamen ſtatione tandem evulſi ſunt.

13. *Caleb autem filio Jephune.*] Ridiculum fuit ſi ex præſenti ſtatu judicium fieret, ſæpius imaginariam donationem celebrare, cujus nullum fructum percepit Caleb vivo Joſue. Sed hic tam veritas Dei quam ſancti viri fiducia, quæ in ejus promiſſionem recubuit, commendatur. Quanquam ergo vanam ſollicitudinem Caleb, & inanem Joſue liberalitatem tunc luſiſſent naſuti homines, ac loci ipſius incolæ, ſi ad eos perlatus fuiſſet rumor, ſuperbe nec abſque ſubſannatione ſpreviſſent: Deus tamen conſtantiam ſui decreti tandem reipſa patefecit. Caleb vero quamvis cerneret ab acceſſu montis ſe arceri, teſtatus eſt ſe nudo Dei ſermone eſſe contentum: ſicuti hoc rectum eſt fidei ſpecimen, rerum quæ promiſſæ ſunt fruitione libenter carere, donec tempus advenerit. Porro hic locus & ſimiles docent, Gigantes qui paſſim vocantur Enakim, ſic fuiſſe cognominatos ab auctore ſui generis Enac: atque ita vocem eſſe gentilitiam. Quando autem filios Enac profligaverit, paulo poſt videbimus. Interea docet hic locus, Caleb quum obtenderet nomen Moſis, minime fucum feciſſe, vel quidquam falſo protuliſſe: quia palam nunc aſſeritur, Moſen ex Dei præcepto ita ſtatuiſſe.

14. Expulit inde Caleb tres filios Enac, Sezadi, & Ahiman, & Thalmai, qui fuerant filii Enac.

15. Aſcenditque inde ad habitatores Debir, cujus nomen antea fuit Ciriath-ſepher.

16. Dixitque Caleb, Qui percuſſerit Ciriath-ſepher, & ceperit eam, dabo ei Achſa filiam meam in uxorem.

17. Cepit autem eam Othoniel filius Cenas fratris Caleb: deditque ei Achſa filiam ſuam in uxorem.

18. Fuitque quum veniret ipſa, ſuaſit illi, ut peteret à patre ſuo agrum, & deſcendit de aſino: dixitque ei Caleb, Quid tibi eſt?

19. Illa reſpondit, Da mihi benedictionem: quandoquidem terram aridam dediſti mihi, da mihi fontes aquarum. Et dedit ei fontes ſuperiores, & fontes inferiores.

20. Iſta eſt hæreditas tribus filiorum Jehuda per familias ſuas.

21. Fue-

21. Fuerunt autem urbes in extremitate tribus filiorum Jehuda juxta terminum Edom ad Meridiem, Cabſeel, & Eder, & Jagur,
22. Et Cina, & Dimona, & Adada,
23. Et Cedes, & Haſor, & Ithnan,
24. Ziph, & Telem, & Bealoth,
25. Et Haſor in Hadatha, & Cerioth, Heſron, ipſa eſt Haſor,
26. Aman, & Sema, & Molada,
27. Et Haſar-Gadda, & Heſmon, Beth-phelet,
28. Et Haſar-ſual, & Beerſeba, & Biziothcia,
29. Baala, & Iim, & Aſem,
30. Et Eltholad, & Cheſil, & Horma,
31. Et Siclag, & Madmannah, & Senſannah,
32. Et Lebaoth, & Silhim, & Ain, & Rimon: omnes urbes viginti & novem, & villæ earum.
33. In planitie, Eſthaol, & Sora, & Aſnah,
34. Et Zanoah, & Engannim, & Thaphuah, & Enam,
35. Jarmuth, & Adulam, Socoh, & Azecah,
36. Et Saaraim, & Adithaim, & Gederath, & Gederothaim: urbes quatuordecim, & villæ earum.
37. Senam, & Hadaſa, & Migdalgad,
38. Et Dilan, & Miſpeh, & Joctheel,
39. Lachis, & Boſcath, & Eglon,
40. Et Chabbon, & Lahmam, & Chithlis,
41. Et Gederoth, Beth-dagon, & Naamah, & Makeda: urbes ſexdecim, & villæ earum.
42. Libna, & Ether, & Aſan,
43. Et Jephtha, & Aſna, & Neſib,
44. Et Cheila, & Aehzib, & Mareſah: urbes novem, & villæ earum.
45. Ecron, & oppida ejus, & villæ ejus.
46. Ab Ecron, & ad mare, omnes quæ ſunt ad latus Aſdod, & villæ earum.
47. Aſdod, oppida ejus, & villæ ejus: Azza, oppida ejus, & villæ ejus uſque ad torrentem Ægypti, & mare Magnum, & terminus.
48. Et in monte, Samir, & Jathir, & Sochoh,
49. Et Dannah, & Ciriath-ſannah, ipſa eſt Debir,
50. Et Anab, & Eſtbemoh, & Anim,
51. Et Goſan, & Holon, & Gilob: urbes undecim, & villæ earum.
52. Arab, & Dumah, & Eſan,
53. Et Janum, & Beth-thappuah, & Apbecah,
54. Et Huntha, & Ciriath-arba, ipſa eſt Hebron, & Sior: urbes novem, & villæ earum.
55. Mahon, Carmel, & Ziph, & Juttah,
56. Et Jezraël, & Jocdean, & Zaura,
57. Cain, Giba, & Thimnah: urbes decem, & villæ earum.
58. Hal-hul, & Beth-ſur, & Gedor,
59. Et Maarath, & Bethanoth, & Eltheeon: urbes ſex, & villæ earum.
60. Ciriath-baal, ipſa eſt Ciriath-jearim, & Rabba: urbes duæ, & villæ earum.
61. In deſerto, Beth-arabah, Middin, & Sech-acha,
62. Et Nibſan, & urbs ſalis, & Engedi: urbes ſex, & villæ earum.
63. Porro Jebuſæos habitatores Jeruſalem non poruerunr filii Jehuda expellere: itaque habitavit Jebuſæus cum filiis Jehuda in Jeruſalem uſque ad diem hanc.

Hic narratur quod geſtum fuiſſe demum poſt mortem Joſue ex libro Judicum patet. Sed ne quæſtionem gigneret novitas, quod mulieri datus erat pinguis & irriguus ager in patrimonium, hiſtoriam quæ poſtea accidit, inſerere voluit libri ſcriptor, ne quid in ſorte tribus Juda maneret ambiguum. Primo dicitur Caleb, expugnata urbe Hebron, aggreſſus fuiſſe Debir, vel Ciriath-ſepher, & generum ſibi adoptaſſe qui primus illuc ingreſſus eſſet. Apparet autem, quando raro præmio invitat ſuos commilitones ad capiendam urbem, non parum fuiſſe negotii. unde confirmatur quod ante viſum eſt, laboriosum opus ei injunctum eſſe quum data ei fuit poſſeſſio, quæ magno diſcrimine acquirenda eſſet. Ergo ut fortiſſimum quemque animet, filiæ ſuæ nuptias promittit in mercedem ſtrenuitatis, quiſquis murum ſuperaverit. Tandem additur, Othoniel qui nepos erat ex fratre, præmium hoc ſua virtute fuiſſe adeptum. Quomodo obrepſerit in vulgarem translationem, Frater Caleb junior, neſcio: nec certe ullo colore excuſari poteſt hoc mendum. Quare inſcite ſe torquent nonnulli, quomodo neptem ſuam Othoniel duxerit uxorem: quia jam tale conjugium lege probibitum fuerat. Atqui colligere promptum eſt, non patruum fuiſſe, ſed tantum patruelem. Verum hic quæritur quomodo de filia ſua pacifci auſus fuerit Caleb, donec certior de ejus voluntate factus eſſet. Quanquam enim parentum munus eſt filias ſuas elocare: non tamen illis permittitur tyrannicum imperium, ut eas inconſultas addicant quibuſcunque viſum fuerit maritis. Nam quum voluntarii eſſe debeant omnes contractus, in conjugiis maxime vigere debet libertas, ne quis invitus fidem ſuam obſtringat. Verum probabili ratione adductus fuit

Caleb, ne de filiæ fuæ consensu dubitaret, quia verecunde repudiari non poterat tam honorifica conditio. Maritus enim dabatur non quilibet ex vulgo: sed qui bellica virtute alios omnes antecelleret. Quanquam fieri potest, ut in fervore pugnæ inconsiderate promiserit Caleb, quod præstare non erat in ejus arbitrio. Mihi tamen videtur exponenda fuisse pactio ex jure communi, si accederet puellæ voluntas. Deus certe votum Caleb exaudivit, dum generum obtulit ex animi sententia. Nam si alioqui data fuisset optio, neminem magis optasset.

18. *Fuitque quum veniret.*] Etsi conjicere licet Acsa puellam fuisse egregiis moribus, & probe institutam, cujus nuptiæ singularis præmii loco victori promissæ fuerint: hic tamen detegitur perversa ejus cupiditas. Sciebat mulieres Dei Lege à fundis hæreditariis excludi: at nihilominus appetit, & maritum iniqua expostulatione stimulat. Sic enim ambitiosæ & cupidæ uxores viris molestæ esse non desinunt, donec pudoris, modestiæ, & æquitatis eos oblivisci cogant. Nam etsi virorum quoque inexplebilis est avaritia: fœminæ tamen magis præcipites feruntur. Quo attentius cavere debent viri, ne importunis earum consiliis tanquam flabellis accendantur. Sed major intemperies se prodit, dum mariti facilitate & patris indulgentia audacior redditur. Nam agro sibi dato non contenta, regionem irriguam sibi poscit. Ita ubi quis semel transilivit recti & honesti modum, vitium illud protinus sequitur impudentia. Porro quod pater nihil negavit, signum, fuit rari amoris. Sed non ideo sequitur, quin merito exosa sit improba lucri cupiditas, quæ mentes excæcat, rectumque judicium pervertit. Quod dicitur Acsa descendisse ex asino, quidam ad simulationem & astutiam referunt, quasi mœrore concideret: atque ita lapsus indicium esset deliquii vel defectionis animi. Verum simplicius est, quo suppliciter patrem rogaret, descendisse ad ejus pedes. Quicquid sit, astu & blanditiis sibi conciliavit mulier jus alienum: unde tantundem diminuta fuit fratrum portio.

20. *Ista est hæreditas.*] Antea quidem fines circumdedit filiis Juda: sed nunc alia ratione ostenditur, quam ampla & fertilis illis obtigerit ditio. in quo etiam refulget summa Dei liberalitas. Numerantur centum & tredecim urbes cum oppidis & villis: qui numerus non tantum frequentiam hominum testatur, sed terræ quoque ubertatem. Neque tamen dubium est, quin Dei benedictione nova indita fuerit fertilitas. Fulgere tamen in ipsa terræ natura Dei gratiam oportuit, dum omni bonorum copia refertam populo suo delegit. Nunc si homines tribus respicimus, dimidia pars regionis abunde sufficere illis poterat ad habitandum. Nam ut octingenti distributi essent in singulas urbes: residuæ multitudini manebant oppida & villæ. Et certe paulo post detracta fuit portio, quæ tribui Simeon daretur. Nam ita completa fuit dispersio de qua vaticinatus erat Jacob, ut posteritas Simeon, quasi in alieno solo peregrinaretur. Ergo à filiis Juda admissi sunt tanquam hospites. *Gmes. 49. vers. 7.*

23. *Porro Jebusæos.*] Hoc ad excusandum populum nihil facit, neque in eum finem ponitur: quia si pro virili incubuissent, & destituti essent successu, recidebat dedecus in ipsum Deum, qui promiserat se illis perpetuum fore ducem, donec terram illis vacuam traderet: ac missurum crabrones, qui incolas abigerent. Ergo nonnisi per illorum ignaviam stetit quominus potiti fuerint urbe Jerusalem. Itaque non potuerunt, quia obstaculo illis fuit suus torpor, dum quietis desiderio Dei mandatum neglexerunt. Locus notatu dignus: ut discamus alacriter vires nostras experiri in aggrediendis Dei præceptis: nec occasionem præterm ittere, ne cessantibus claudatur janua. Reprehensione vacasset modica dilatio: sed longi temporis mollities Dei benedictionem quodammodo repulit. *Deut. 7. vers. 20.*

CAP. XVI.

EGressa est autem sors filiis Joseph à Jordane Jericho, ad aquas Jericho, ad Orientem, ad desertum quod ascendit à Jericho in montem Bethel.

2. Egreditur que à Bethel in Luz, & hinc pertransit ad terminum Archi-Ataroth.

3. Postea ascendit ad mare, ad terminum Japhleti, usque ad terminum Beth-oron inferiorem, & usque ad Gazer: funtque exitus ejus ad mare.

4. Itaque hæreditatem acceperunt filii Joseph, Manasses & Ephraim.

5. Fuit autem terminus filiorum Ephraim per familias suas, fuit (inquam) terminus hæreditatis eorum ad Orientem ab Atroh-Addar, usque ad Beth-oron superiorem.

6. Et exit terminus ille ad mare, ad Michmethah ab Aquilone: & circumit terminus ad Orientem, ad Thaanath-siloh, & transit illam ab Oriente ad Janoah.

7. Et descendit à Janoah in Ataroth, & Naarath, & pervenit in Jericho, egreditur que ad Jordanem.

8. ✠ Thappuah pergit terminus ad mare ad torrentem arundinis, funtque exitus ejus ad mare: hæc est hæreditas tribus filiorum Ephraim per familias suas.

9. Et urbes separatæ filiis Ephraim in medio hæreditatis filiorum Manasse, omnes urbes, & villæ earum.

10. Neque expulerunt Chananæum habitantem in Gazer: Itaque habitavit Chananæus in medio Ephraim usque ad diem hanc, & fuit tributo serviens.

1. *Egressa est sors filiis Joseph.*] In genere primum narrat quæ sors obtigerit duobus filiis Joseph: deinde recenset sortem Ephraim. Mirum autem est, quum dimidia pars tribus Manasse jam locata esset trans Jordanem: plus tamen verborum consumi in parte illius residua, quam in tota hæreditate tribus Ephraim: quæ tamen ut erat populosior, ita merito si sibi vendicabat ampliorem terram. Verum quod prolixior habetur sermo de posteris Manasse, id fit per occasionem, quia iterum repetit scriptor libri, quomodo extra sortem illis data fuerit sedes in regione Basan. Deinde commemorat sanctum fuisse à Josua quod Moses ex auctoritate Dei præceperat quoad filias Selophead. Quum ergo de finibus Ephraim nulla esset dubitatio, nec futurum esset certamen, breviter perstringitur eorum sortitio. Verum hic nova quæstio exoritur, quum jus primogenituræ à Manasse ad Ephraim transisset, quomodo posteri ejus qui gradu honoris erat superior, urbes suas obtinuerint inter filios Manasse. Videtur enim hoc modo deterior fuisse eorum conditio. Ego vero sic interpretor, Quum latior esset pars Manasse quam pro

pro hominum oumero, ſopputatiooe facta detractas fuiſſe urbes quæ juſtam portionem tribus Ephraim conficerent: non ut permixti filiis Manaſſe, quaſi precario inter ipſos habitarent: ſed quia longius protenſi fuerunt eorum termini verſus ipſos, quibus ſufficere poterat anguſtior poſſeſſio. Cæterum io fine capitis probro notatur mollities Ephraim, quod Chananæum non expulerit à Gaſer, quia ſi viriliter & cordate progreſſi eſſent ad terram quæ ſorte obvenerat vendicandam, io manu erat victoria: qoia nihil temere aggreſſi eſſent, eo quod tantundem valebat ſortitio, acſi Deus ipſe manum è cælo porrigeret. Sed clarius exprimitur fœda eorum ſegnities, & culpa exaggeratur, quod tributarios ſibi fecerint quibuſcum ullo modo tranſigere fas non erat. Quum itaque diſerte vetuiſſet Deus populum ſuum quidnam negotii contrahere cum illis gentibus, maxime autem pacifci de venia & ſalute, looge gravius peccarunt filii Ephraim tributum exigendo, quam ſi eos abſque pactione toleraſſent.

CAP. XVII.

FUit quoque ſors tribui Manaſſe, (ipſe enim fuit primogenitus Joſeph) ipſi Machir primogenito Manaſſe patri Gilead (ipſe enim fuit vir bellicoſus) fuit, inquam, Gilead & Baſan.

2. Fuit item filiis Manaſſe reliquis per familias ſuas, filiis Abiezer, & filiis Helech, & filiis Aſriel, & filiis Sechem, & filiis Epher, & filiis Semida. Iſti ſunt filii Manaſſe, filii Joſeph mares per familias ſuas.

3. Porro Selophead filio Hepher, filii Gilead filii Machir, filii Manaſſe non fuerunt filii, ſed filiæ: quarum iſta ſunt nomina, Mahala, & Noa, Hogla, Milcha, & Thirſa.

4. Hæ acceſſerunt in conſpectum Eleazar ſacerdotis, & in conſpectum Joſue filii Nun, atque in conſpectum principum, dicendo, Jehova præcepit Moſi ut daret nobis hæreditatem in medio fratrum noſtrorum. Itaque dixit eis juxta ſermonem Jehovæ, hæreditatem in medio fratrum patris earum.

5. Et ceciderunt hæreditates Manaſſe decem, præter terram Gilead & Baſan, quæ erant trans Jordanem.

6. Filiæ enim Manaſſe ſortitæ ſunt hæreditatem in medio filiorum ejus: terra autem Gilead fuit filiis Manaſſe reliquis.

7. Fuit autem terminus Manaſſe ab Aſer Michmethath, quæ eſt coram Sechem, & pergit terminus ad dextram ad habitatores En-thappua.

8. Ipſius Manaſſe ſuit terra Thappua: at Thappua quæ erat ad terminum Manaſſe, eſt filiorum Ephraim.

9. Deſcenditque terminus ad Torrentem arundinis ad Meridiem ipſius Torrentis: civitates iſtæ tribus Ephraim ſunt in medio civitatum Manaſſe: at terminus Manaſſe eſt ab Aquilone ipſius Torrentis, ſuntque exitus ejus ad mare.

10. Ad Meridiem eſt ipſius Ephraim, & ad Aquilonem ipſius Manaſſe, eſtque mare terminus ejus: & in Aſer occurrunt inter ſe ab Aquilone, & in Iſſachar ab Oriente.

Redit ad tribum Manaſſe, idque ut confirmet quod antea vidimus de filiabus Selophead. Nam quum res nova eſſet, fœminas promiſcue ſuccedere cum viris: quia tamen quinque erant patri ſuo ſuperſtites, probarunt æquum eſſe, ne pater orbitatis ignominiam innoxius ferret, ſe in portionem admitti. Ita Deus per oraculum Moſi reſponderat, ut caput unum in ſucceſſione efficerent. Nunc quod Dei ore adjudicatum erat, præſtari ſibi poſtulant. Quod adhuc Manaſſe primogeniti nomen retinet, ſic accipere convenit, ne pugnet cum vaticinio Jacob: quin potius hic primogeoitura ejus quodammodo ſepelitur, ejoſque dignitas reſtringitur in præteritum tempus. ubi notandum eſt, adeo tenaces eſſe homines, ſuiſque utilitatibus addictos, ut raro in mentem veniat jus ſuum aliis tribuere. Decreto cæleſti partem obtinueraot filiæ Selophead, nec quiſquam auſus eſſet verbum contra facere. Interea ſi tacuiſſent, oulla fuiſſet habita illarum ratio. Ergo ne cunctatio damnoſa ſit, Joſue & Eleazar adeunt, & urgent ne legitima ſucceſſione privetur. Mora quidem non interponitur à Joſue, quominus ſtatim obtineant quod juſtum eſt. Nec vero populus obmurmurat. unde colligimus omnes ad æquitatem fuiſſe propeoſos: ſed dum quiſque ſua curat, oimis ſecure alios negligit.

5. *Ceciderunt hæreditates decem.*] Numerantur hoc loco ſeptem ſtirpes in poſteris Manaſſe, Machir primogenitus ſeorſum ſtatuitur: deinde alii ſex. Nuoc quæritur quomodo in partes decem diviſa fuerit hæreditas. Quidam aſtute hunc ſcrupulum diſſimulant: alii quia nodum ſolvere nequeunt, obtendunt meras nugas. Certe valde abſurdum eſt, quinque filiabus datas eſſe quatuor ſortes: nihilo magis conſentaneum, quia pater erat primogenitus, duplicatum illis eſſe ſuam partem. Hoc quidem extra controverſiam eſt, Gilead filium Machir proavum mulierum de quibus nune agitur, ſedem io monte Gileadi & Baſan ſibi elegiſſe. Ergo qoum jam extra ſortem privilegio hæreditatem adeptus eſſet, non debuit in terra Chanaan ſortiri: niſi forte partem duntaxat familiæ ſuæ trans Jordanem locavit. Hepher unus enim fuit ex ejus filiis, ſed non ſolus: ſicuti aliorum quinque fratrum ſoboles in plura capita diſtingui potuit, pro quorum numero ſortitio fieret. Neque enim ſcitur in quoto gradu ſumptæ fuerint familiæ, quibus contigit io terra Chanaan portio. Nec vero aliud hic legimus quam jactas fuiſſe decem ſortes inter filios Manaſſe, præter regionem quam ſibi antea acquiſierant trans Jordanem. Ita fruſtra contenditur de oumero, quem certum elicere ex præſenti narratione non poſſumus: quia ante omnia alioqui tenendum eſſet, quot familiis communis fuerit partitio. Imo fieri poteſt, ut filiabus Selophead illic datum fuerit patrimonium. Dicuntur quidem habitaſſe inter fratres patris ſui: ſed locus non deſignatur. Quicquid ſit, non dubito quin ſervata mutua æquabilitate, poſtquam aliis proſpectum erat, terram quæ ſorti ſubjecta erat diſtribuerint inter decem familias: quarum oomina hic taceotur.

11. Fuit-

11. Fuitque ipſi Manaſſe in Iſſachar, & in Aſer, Beth-ſean, & oppida ejus: & Iblean, & oppida ejus: & habitatores Dor, & oppida ejus: & habitatores Endor, & oppida ejus: & habitatores Thaanac, & oppida ejus: & habitatores Magiddo, & oppida ejus, tres regiones.

12. Et non potuerunt filii Manaſſe expellere habitatores urbium iſtarum: ſed cœpit Chananæus habitare in terra ipſa.

13. Quum autem roborati eſſent filii Iſraël, poſuerunt Chananæum tributarium, nec expellendo expulerunt eum.

14. Loquuti ſunt autem filii Joſeph ad Joſue, dicendo, Cur dediſti mihi in hæreditatem ſortem unam, & hæreditatem unam, quum ego ſim populus multus, ita quod hucuſque benedixerit mihi Jehova?

15. Dixitque ad eos Joſue, Si populus multus es, aſcende in ſylvam, & ſuccide tibi illic in terra Perizæi, & Rephaim, ſi anguſtus eſt tibi mons Ephraim.

16. Cui reſponderunt filii Joſeph, Non ſufficiet nobis mons ille: & currus ferrei ſunt in omni Chananæo qui habitat in terra vallis, & ei qui habitat in Beth-ſean & oppidis ejus, & ei qui habitat in valle Jezraël.

17. Dixitque Joſue ad domum Joſeph, nempe ad Ephraim & Manaſſe, dicendo, Populus multus es, & fortitudo magna eſt tibi: non erit tibi ſors unica.

18. Mons enim erit tibi, quia ſylva eſt: ſuccides ergo eam, & erunt tibi exitus ejus: quia expelles Chananæum, quanquam currus ferrei ſint ei, quanquam fortis ſit.

11. *Fuitque ipſi Manaſſe.*] Quomodo ita permixti fuerint, ut quaſdam urbes poſſederint in ſorte Aſer & Iſſachar, quum intra eorum limites habitaret tribus Ephraim, divinare facile non eſt: niſi quia forte proſpectum fuit, ne habitatio commodior obnoxior eſſet multis querimoniis: vel forte prout deinde certius innotuit tota regio, aliquid ſecundum æquitatis regulam in ſuperiori partitione mutatum fuit. Videtur itaque hæc nova fuiſſe acceſſio, poſtquam compertum fuit filios Manaſſe abſque aliorum jactura poſſe dilatari. Nec vero illis data eſt pacata habitatio, qua ſtatim fruerentur: ſed hæreditas illis ſub ſpe repoſita fuit, ut in cæleſti promiſſione magis quam in terrena poſſeſſione acquieſcerent. Quod tamen urbibus illis potiti non ſunt, eorum culpæ adſcribitur: quia ſors illis indubium erat pignus victoriæ. Non potuerunt igitur expellere incolas, quia neque ex animo fuerunt perſuaſi, Deum eſſe veracem, & ejus virtutem ſua pigritia ſuffocarunt. Sed alterum crimen minus tolerabile: quod quum illis facile eſſet omnes delere, non modo ſegnes fuerunt in exequendo Dei mandato: ſed turpi lucro adducti, vivos ſervarunt quos Deus exitio deſtinaverat. Nam quibus tributum imponimus, eos quodammodo recipimus in fidem noſtram & clientelam. Vindictæ ſuæ miniſtros præfecerat Deus, vires ad eam exercendam ſuppeditat: ipſi autem non modo cunctantur, ſed bene agendi libertatem ſibi eripiunt. Nihil ergo mirum ſi Deus perverſam adeo ſocordiam ſevere ultus fuerit: ut gentes illæ, quibus contra manifeſtam prohibitionem ignoverant, fuerint ſimiles aculeis ad configendos eorum oculos, & ſtimulis ad fodienda latera. Emergit etiam hic quæſtio, quomodo conceſſæ illis fuerint urbes in tribu Aſer & Iſſachar, quum adhuc incognita eſſet utriuſque portio. Ergo *κατὰ προλῆψιν*, quod nondum impletum erat refertur. Quicquid ſit, colligimus propter ignorantiam locorum non ita exacte diviſas fuiſſe ſingulas partes, quin neceſſe fuerit poſtea corrigere quod plus vel minus pronunciatum fuerat. Ac omnino in genere ſic habendum eſt de tribu Ephraim & reliquis, multas urbes quibus potiti ſunt, propter vaſtitatem nullo fuiſſe numero. Multas ergo ruinas hic ſepeliri non dubito. Deinde ſtatuendum eſt, ubi vici fuerunt ignobiles, propter ſoli ubertatem & alias commoditates illic fuiſſe præclaras urbes conditas. Nam certe Sichima ſatis celebris fuit ad nomen & gradum tenendum: ejus tamen nulla hic fit mentio, ſicuti nec Samariæ, quæ quum metropolis eſſet regni Iſraël, ad eandem tribum Ephraim pertinebat, ut ſatis notum eſt. Patet igitur fuiſſe ab unaquaque tribu complures urbes poſſeſſas, de quibus hic ſiletur.

Num. 33. *verſ.* 55.

14. *Loquuti ſunt filii Joſeph.*] Etſi querimoniam ſuam prætexunt aliquo excuſationis colore: male tamen diſſimulant plus fuiſſe comprehenſum in una ſorte, quam in tribum unam competeret. Neſcio tamen an confuſe pro filiis Joſeph jacta fuerit ſortitio: nec certe conſentaneum videtur. Non latebat Joſue, nec alios diviſores, Ephraim & Manaſſe duo efficere capita, vel duas ſtirpes: ac ſæpius antehac dictum fuit, terram dividi in decem tribus: qui numerus non conſtabat, niſi tribum Manaſſe à tribu Ephraim diſcernerent. Certum igitur eſt, non fuiſſe tam craſſo errore lapſos, ut duo nomina in unam ſortem conjicerent. Occultare autem ſub nomine Joſeph duas tribus, ut eas fraudarent dimidia ſui juris parte, intolerabilis fuiſſet iniquitas. Adde quod diſtincte expoſita ante fuit utriuſque ditio, ſuiſque terminis deſcripta. Huc itaque ratio nos ducit, quum in duas tribus jactæ eſſent ſortes, admirabili Dei conſilio factum eſſe ut finitimi & contigui inter ſe eſſent fratres, quibus communis erat pater. Indigne igitur expoſtulant ſibi nonniſi unam hæreditatem datam eſſe: quia nec tanta erat ſocordia Joſue, nec tam malignus animus, ut eos liquido jure vel per incogitantiam, vel per invidiam fraudaret. Sed hinc falſa querimonia de anguſtis finibus, quod pro nihilo ducebant quicquid adhuc virtute bellica acquirendum erat: quaſi vero alias tribus in ſolo pacato ſors deinde locaverit. Ideoque uno verbo eorum diſceptationem refellit ac diſcutit Joſue, & crimen unde invidiam conflare ei tentabant, in ipſos retorquet. Si tanta, inquit, eſt veſtra copia & multitudo, cur non in hoſtes irruitis, quorum regio vobis data eſt? Neque enim ſi Dei promiſſione freti hæreditatem fortiter adieritis ab eo conceſſam, eventus vos fruſtrabitur. Videmus quam vis recte fuiſſet illis proſpectum, ſua tamen deſidia excæcari, ut ſe anguſtiis conſtrictos querantur, quia ad petendum ſortis ſuæ effectum digitum movere nolebant. Quare docet hic locus, ſiquando putamus minus nobis præſtari quam debetur, diligenter excutiendas eſſe omnes remoras, ne culpam quæ in nobis reſidet, temere in alios regeramus.

16. *Cui reſponderunt.*] Apparet nimis fuiſſe ſibi deditos, quia tergiverſantur quoad poſſunt, ne rationi à Joſua propoſitæ, qua tamen nihil æquius erat, obtemperent. Montem ſqualidum eſſe & quaſi deſertum objiciunt. Ita ubi illis acceſſerit, minimum tamen utilitatis inde ſenſuros. Quantum ad planitiem,

tiem, quæ culta erat & fertilis, excipiunt ſe ab ea excludi & arceri propter formidabilem boſtium apparatum. Itaque commemorant currus ferreos: acſi non ante experti fuiſſent Deum nullo negotio conterere tam currus quam equites. Verum Joſue ſimplici cordatoque reſponſo tam eorum avaritiam, quam delicias, torporemque probe caſtigat. Si tibi ſylva hodie non ſatis fructuoſa eſt, cæſis arboribus conficies tibi bonos agros: ita modo ne labori parcas, erit hæc non pœnitenda habitatio. Currus porro ferrei non impedient quominus tibi præſtet Deus quod promiſit, Tua eſt hæreditas: ſolum qua decet fiducia in eam ingredere.

CAP. XVIII.

COngregata eſt autem univerſa multitudo filiorum Iſraël in Silo, & collocaverunt ibi tabernaculum conventionis, poſtquam terra ſubjecta erat coram eis.

2. Remanſerant autem è filiis Iſraël quibus non diviſerant hæreditatem ſuam, ſeptem tribus.

3. Dixitque Joſue ad filios Iſraël, Uſquequo ceſſatis ingredi, ut poſſideatis terram quam dedit nobis Jehova Deus patrum veſtrorum?

4. Tradite ex vobis tres viros per tribum, quos mittam: ſurgentque & ambulabunt per terram, deſcribentque eam juxta hæreditatem ſuam, poſtea revertentur ad me.

5. Et partientur eam in ſeptem portiones: Judas ſtabit in finibus ſuis à Meridie: & familia Joſeph ſtabunt in finibus ſuis ab Aquilone.

6. Voſque deſcribatis terram in ſeptem partes, & afferatis ad me huc: tum projiciam vobis ſortem hic coram Jehova Deo noſtro.

7. Non eſt enim pars Levitis in medio veſtri, quia ſacerdotium Jehovæ eſt hæreditas ejus: Gad autem & Ruben, & dimidia tribus Manaſſe acceperunt hæreditatem ſuam citra Jordanem ad Orientem, quam dedit ei Moſes ſervus Jehovæ.

8. Surrexeruntque viri illi, atque abierunt: præcepitque Joſue iſtis qui ibant, ut deſcriberent terram, dicendo, Ite, & ambulate per terram, ac deſcribite eam: poſtea revertimini ad me, & hic projiciam vobis ſortem coram Jehova in Silo.

9. Abierunt itaque viri, & tranſierunt per terram, atque deſcripſerunt eam per urbes in ſeptem partes, in libro: reverſique ſunt ad Joſuam ad caſtra in Silo.

10. Miſit autem eis Joſua ſortem in Silo coram Jehova: partituſque eſt ibi Joſua terram filiis Iſraël ſecundum partes eorum.

1. *Congregata eſt autem.*] Hic refertur celebris conventus habitus in Silo, ubi deliberatum fuit de jaciendis reliquis ſortibus. Nam etſi pio ſtudio ſortitionem aggreſſi erant, fuerat tamen actio interrupta: acſi victoria præcedere deberet diſtributionem, quæ pendebat à ſolo ore Dei. Conveniunt igitur in Silo, ut decernant quid facto opus ſit in futurum tempus. Nec vero dubium eſt, quin eœtum hunc Joſue indixerit, ut pigritiam illis excuteret. Neque enim ipſi ſponte quidquam proferunt: ſed ab objurgatione incipit, quod ſegnes ac remiſſi ſint in adeunda quam Deus ipſis largitus fuerat hæreditate. Colligere itaque ex ejus ſermone promptum eſt, plena quidem alacritatis fuiſſe exordia: ſed nullam fuiſſe perſeverantiam. Et tamen Spiritus ſancti elogio ornata fuit illa obedientia, quæ paulo poſt elanguit. Ac notandum eſt, populum reprehendi, non quod ſortiri negligat, ſed quod hæreditatem non occupet divinitus ſibi oblatam. Et certe ut ſignum fiduciæ erat ſortitio, ita quæcunque ſingulis obtigerat regio, certum & fidele erat pignus futuræ poſſeſſionis: quia Deus ſuam cuique partem aſſignando, minime ludebat. Verbum נטה, quod tranſtuli ceſſare, ſignificat etiam remiſſum eſſe, vel debilem. Turpis ergo ſocordiæ eos inſimulat, quod quum maturum advenerit tempus boſtes profligandi, cunctando morentur, ac ſuſpendant effectum beneficii Dei. Nam ſi nuda ſorte contenti, quod obtigerat fide ampleai eſſent, prompti haod dubie & expediti fuiſſent ad bellandum: imo quaſi victores ad triumphum properaſſent. Dicitur autem Arca poſita fuiſſe in Silo, non tantum ut conſultatio, quaſi in Dei conſpectu ſanctior eſſet ac gravior: ſed quia locus erat pacatus, & ab omni vi externa & injuria tutior. In primis enim eſſe curæ debuit, ne ad repentinos inſultus expoſita eſſet. Quamvis enim ad propulſandos boſtium impetus undique manus Dei eſſet extenta: ſic tamen inter ipſos habitavit Deus, ut eſſent veluti cuſtodes ac ſatellites. Cæterum quamvis Arcæ tunc electa fuerit ſtatio: non tamen perpetuum fuit domicilium, ſed temporale hoſpitium duntaxat. Neque enim in arbitrio vel ſuffragiis populi fuit, Deo ſedem ubi reſideret præfigere: ſed expectari debuit quod paſſim occurrit in Lege, ut alicubi ſtatueret memoriam nominis ſui. Quod tandem exhibitum fuit, quum templo dicatus fuit mons Sion. Qua ratione dicitur in Pſalmo, Stando manebunt pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem: quibus verbis innuitur, Arcam ad illud uſque tempus peregrinatam fuiſſe. Verum ruina & vaſtitas Silo tandem docuit, nulla præſtantia vel dignitate adverſus Dei vindictam protegi, qui ejus beneficia corrumpit. Uſque ad mortem Heli paſſus eſt Deus illic coli ſacrum ſuum nomen: ſed quum tota religio ſacerdotum impietate fœdata, & populi ingratitudine fere abolita eſſet, locus ille formidabili pœnæ documento inſignis fuit ad poſteros. Itaque Jeremias cives Jeruſalem, qui templo improbe ſuperbiebant, jubet oculos dirigere ad illud exemplum: Ecce, inquit, tabernaculum Dei ante in Silo fuit quam apud vos: nunc videtis in quantam ignominiam converſa ſit antiqua gloria.

Pſal. 122. *verſ.* 2.

1 *Sam.* 4.

Jer. 7. *verſ.* 12.

4. *Tradite ex vobis.*] Jam plagas illas luſtraverant Caleb & Joſue, & populus ſciſcitando multa cognoverat: vult tamen Joſue quaſi ex præſenti aſpectu terram diſtribui: & ternos ſpeculatores jubet eligi pro quaque ſeptem tribuum, ut in ore duorum vel trium ſiniatur omnis controverſia. Verum nihil minus conſentaneum videtur, quam unum & viginti homines mittere, qui non modo recta per hoſtilem terram trajiciant, ſed circumeant per varios & obliquos flexus, ne quis angulus eos lateat, ſupputent longitudinem & latitudinem, inæquales etiam tractus conſiderent. Nam quemcunque habebant obvium, facile ſuſpicari poterat quinam eſſent, & qua de cauſa illis injuncta eſſet hæc expeditio. Denique liber non patebat reditus, niſi per mille mortes. Nec vero illi cæco & bruto impetu ſubiiſſent tantum diſcrimen, nec Joſue auctor illis fuiſſet manifeſti periculi,

riculi, nisi quia experti erant, gentes illas omnes cæ-lesti favore attonitas, nihil magis optare quam pacem. Etsi enim filiis Israël infesti erant, tot tragibus subacti, digitum non audebant movere: ita secure exploratores tanquam per regionem pacatam progressi sunt, vel negotiandi prætextu, vel saltem ut innoxii hospites. Fieri etiam potest ut in plures ordines divisi, iter occultius fecerint. Certum quidem est, non aliunde tantum sumpsisse animi & fiduciæ, nisi quia freti umbra alarum Dei, cæcos & stupidos non timebant. Hinc prompta quæ hic laudatur, voluntas: quia nisi persuasi fuissent divinitus constrictas esse gentium illarum manus, erat justa & honesta renuendi occasio.

9. *Abierunt itaque viri.*] Hic jam non tantum parendi facilitas commendatur, in qua enituit præclara eorum virtus: sed insignis quoque Dei favor: quod incredibili successu pium Josue & populi studium dignatus est. Si per subterraneos cuniculos reptassent, vix effugere poterant innumera discrimina: nunc quum urbes, earumque situs, agros, regionum varietatem, omnes oras annotant, nulloque tristi occursu feliciter ad suos redeunt, quis dubitet admirabili Dei potentia vitam eorum inter mille mortes fuisse incolumem? Emphatice ergo ad celebrandam Dei gratiam dicuntur reversi fuisse in castra: quod tantundem valet atque fuisse Dei manu reductos. quo libentius ad fortiendum populus descendit: necdum enim fastidio bene purgati fuissent animi, nisi quod in illa profectione cernebant incredibilem Dei gratiam, quæ illis eventum ex voto promittebat. Ideo dicitur Josue partitus esse secundum cujusque portionem, acsi in tranquillam ditionem eos immitteret: verum effectus pendebat ex Dei præsentia, quia sufficere illis debuit Dei auctoritate rem totam geri, qui suos nunquam frustratur, etiam dum videtur ludere. Quo autem sensu arca fœderis vocatur Deus vel ejus facies, satis multis locis exposui.

11. Ascendit autem sors tribus filiorum Benjamin per familias suas, & exivit terminus sortis eorum inter filios Jehuda, & filios Joseph.

12. Fuitque eis terminus ad latus Aquilonis à Jordane: & ascendit terminus ad latus Jericho ab Aquilone, ascenditque in montem ad mare, ac exitus ejus sunt ad desertum Bethaven.

13. Illinc autem pertransit terminus in Luz ad latus Luz Australe, (ipsa est Bethel:) & descendit terminus in Ateroth-Adar, juxta montem, qui est à Meridie ipsi Beth-horon inferiori.

14. Et designatur terminus, circuitque ad latus maris ad Meridiem, à monte qui est è regione Beth-horon ad Meridiem: sunt que exitus ejus ad Ciriath-Baal (ipsa est Ciriath-Jearim) urbem filiorum Jehuda. hoc est latus maris.

15. Latus autem ad Meridiem, ab extremo Ciriath-Jearim: itaque exit terminus ad mare, exit (inquam) ad fontem aquarum Nephthoah.

16. Et descendit terminus ad extremum montis, qui est è regione vallis Benhinnom, quique est in valle Rephaim ad Aquilonem, descenditque ad vallem Hinnom ad latus Jebusæi ad Meridiem, & illinc descendit ad En-rogel.

17. Et circuit ab Aquilone, & exit ad En-semes, atque egreditur ad Geliloth, quæ est è regione contra ascensum Adummim: & descendit Eben Bohan filii Ruben.

18. Illinc pertransit ad latus quod est è regione planitiei ad Aquilonem, & descendit in Arabah.

19. Inde pertransit terminus ad latus Beth-hogla ad Aquilonem: sunt que exitus termini ad limitem maris Salis ad Aquilonem, ad extremum Jordanis ad Meridiem. iste est terminus Austri.

20. Et Jordanis terminat eum ad latus Orientis. Ista est hæreditas filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, per familias suas.

21. Fuerunt que urbes istæ tribus filiorum Benjamin per familias suas, Jericho, & Beth-hogla, & vallis Cesis,

22. Et Beth-araba, & Semaraim, & Bethel,

23. Et Avim, & Parah, & Ophrah,

24. Et villa Haamonai, & Ophni, & Gaba: civitates duodecim, & villæ earum.

25. Gibon, & Ramah, & Beeroth,

26. Et Mispeh, & Chephirah, & Mosah,

27. Et Recem, & Irpeel, & Tharalah,

28. Et Sela, Eleph, & Jebusi, (ipsa est Jerusalem,) Gibath, Ciriath: civitates quatuordecim, & villæ earum. ista est hæreditas filiorum Benjamin per familias suas.

In sorte Benjamin nihil occurrit magnopere notatu dignum, nisi quod exigua tribus aliis ordine præfertur. Fateor quidem pro hominum paucitate rédactam fuisse in angustos limites, quia tantum viginti sex urbes obtinuit: fuit tamen id per se honorificum, ante aliastribus nobiliores hæreditatem accipere. Adde quod hoc modo conjuncti ac finitimi fuerunt reliquis filiis Joseph, quibuscum propinquior illis erat cognatio. Fuerunt enim medii inter Ephraim & Manasse ab una parte, & inter tribum Juda ab altera. Fuit etiam eximius honor, quod inter alias urbes, Jerusalem illis obtigit, ut postea filiis Juda quasi precario sedem regiam concederent. Porro, quum stationem adeo tranquillam nacti essent, mirum est humaniter cum vicinis placidam vitam non coluisse. Atqui tenemus vaticinium Jacob, Benjamin lupus rapax, mane rapiet prædam, vespere dividet spolia. Ergo vel natura nimis cupidos & tumultuosos fuisse oportet, vel necessitate hodie nobis incognita ad prædandum fuisse impulsos. Quantum attinet ad urbem Luz, ideo additur alterum nomen, Ipsa est Bethel, quia tum demum nomen inditum à Patriarcha Jacob usu & consuetudine obtinuit. Non procul aberat Beth-aven, cujus nomen quod prorsum erat & infame, ad ipsam Bethel translatum fuit, ex quo impius superstitionibus fuit corrupta & pol-

Gen. 49. vers. 27.

Gen. 28. vers. 19.

& polluta. Ciriath-Baal dictam fuisse Ciriath-Jearim probabile est, ut è medio tollerent nomen idoli, quod fuisset veræ pietatis macula. Et certe turpe ac pudendum fuisset, patronum qui Deo unico adversus erat, populi ore celebrari.

CAP. XIX.

EGressa est autem sors secunda ipsi Simeon, tribui filiorum Simeon per familias suas: & fuit hæreditas eorum in medio hæreditatis filiorum Jehuda.

2. Fuitque eis in hæreditate eorum Beer-seba, & Seba, & Moladah,
3. Et Hasar-sual, & Balah, & Asen,
4. Et Eltholad, & Bethul, & Hormah,
5. Et Siclag, & Beth-Marcaboth, & Hasar-susa,
6. Et Beth-Lebaoth, & Saruben: urbes tredecim, & villæ earum.
7. Aim, Rimmon, & Ether, & Asan: urbes quatuor, & villæ earum.
8. Et omnes villæ quæ erant per circuitus urbium istarum usque ad Baalath-beer, Ramath Australem. Ista est hæreditas tribus filiorum Simeon per familias suas.
9. De portione filiorum Jehuda facta fuit hæreditas filiorum Simeon: erat enim portio filiorum Jehuda major ipsis, itaque hæreditatem acceperunt filii Simeon in medio hæreditatis eorum.

Proxime sequuta est sors tribus Simeon, non tam honoris causa, quam in notam ignominiæ. Pronunciaverat Jacob de Simeon & Levi, Dispergam eos ac dijiciam. Pœna quidem Levi non solum mitigata fuit, sed conversa in eximiam dignitatem: quia locati sunt ejus posteri tanquam in speculis ad populum in officio pietatis retinendum. Quantum vero ad Simeon spectat, quod ejus posteris datæ fuerunt certæ urbes in ditione Juda, hæc fuit manifesta dispatio de qua vaticinatus fuerat Jacob. Quamvis enim rejecti non fuerint in longas distantias, inquilini tamen ac dispersi fuerunt quum in alieno habitaverint. Ergo propter stragem, non minore perfidia quam crudelitate editam, separati fuerunt in diversa hospitia. Hoc crimen patris rejectum fuit in sinum filiorum, & Deus sententiam quam servo suo dictaverat, reipsa sanxit. Sortis etiam veritas clare fuit comprobata. Quod autem detrahitur familiæ Juda aliqua portio, iterum perspicimus, quamlibet prudenter statuerint divisores æquitatem servare, errore tamen fuisse lapsos, quem corrigere non puduit, simulac fuit deprehensus. Nec absurdum est quamvis Dei Spiritu regerentur, fuisse tamen aliqua in parte deceptos: quia Deus aliquando servos suos Spiritu judicii destituit, & humanitas hoc vel illud agere patitur, ne in nimia perspicacia exultent. Adde quod populus fuæ incuriæ & securæ festinationis pœnam dedit, quia debuerat ab initio melius excutere quantum juris in singulos competeret; quod neglexit. Magna ditio per injustitiam coacervata fuerat filiis Juda, cujus partem aliis relinquere coëgit æquitas. Atqui præstabat certos limites ipsis semel statui quam spoliari cum molestia. Adde quod vana spe singuli præsumperant se longe lateque habituros, acsi terra sine fine se porrigeret.

9. *De portione filiorum.*] Laude etiam digna moderatio tribus Juda, quæ non contendit iniquum esse, quidquam sibi de portione jam assignata detrahi. Obtendere enim promptum erat Dei nomen, quia nonnisi ejus auctoritate sedem illam adepti erant. Verum quia ex communi omnium sententia decernitur plus illis esse datum, quam quod sine aliorum dispendio & injuria possideant, statim assistunt ab omni litigandi prætextu. & certe falso & perperam Dei nomen jactassent: quia etsi fors eorum ab illo egressa erat quoad regionem, in ipsa tamen amplitudine error intervenerat, quia hominum judicio, largius quam decebat fines dilatati fuerant. Quod agnoscunt sibi cum aliorum jactura male esse datum, libenter dimittunt, fratresque suos qui alioqui hæreditate carebant, excipiunt hospitio: imo partiri cum ipsis sustinent quod putabant sine controversia sibi jam quæsitum esse.

10. Ascendit autem sors tertia filiis Zabulon per familias suas: & fuit terminus hæreditatis eorum usque ad Sarid.
11. Ascenditque terminus eorum ad mare, & Maralah, & pertingit ad Dabbaseth: pervenitque ad flumen quod est è regione Jocneam.
12. Revertiturque à Sarid ad Orientem, id est, ad ortum Solis, ad terminum Chisloth-Thabor: & illinc egreditur ad Dobrath, & ascendit in Japhia.
13. Inde præterea transit ad Orientem, ad ortum, ad Githah-Hepher, & ad Ithah-casin: & illinc exit in Rimmon, & gyrat ad Neah.
14. Gyrat item idem terminus ab Aquilone ad Hannathon: suntque egressus ejus ad vallem Iphthaël,
15. Et Catthath, & Nahalal, & Simron, & Idalah, & Bethlehem: urbes duodecim, & villæ earum.
16. Hæc est hæreditas filiorum Zabulon per familias suas: urbes istæ, & villæ earum.
17. Ipsi Issachar egressa est sors quarta, filiis (inquam) Issachar per familias suas:
18. Et fuit terminus eorum Jezraël, & Chesuloth, & Sunem,
19. Et Haphataim, & Sion, & Anaharath,
20. Et Rabbith, & Cision, & Abeth,
21. Et Remeth, & Engannin, & En-haddah, & Beth-passeth.
22. Et pervenit terminus in Thabor, & Sahasima, & Beth-semes: eruntque exitus termini eorum ad Jordanem: urbes sedecim, & villæ earum.

23. Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Iſſachar per familias ſuas: urbes, & villæ earum.
24. Egreſſa eſt autem ſors quinta tribui filiorum Aſer per familias ſuas:
25. Fuitque terminus eorum Helcath, & Hali, & Bethen, & Achſaph,
26. Et Alamelech, & Amad, & Miſal: & pervenit in Carmel ad mare, & in Sihor Libnath.
27. Et revertitur ad ortum Solis in Beth-dagon, & pervenit in Zabulon, & in vallem Iphthahel ad Aquilonem, & in Beth-emec, & Neel: & exit ad Chabul à ſiniſtra,
28. Et Ebron, & Rehob, & Hammon, & Canah, uſque ad Sidon magnam.
29. Revertiturque terminus in Rama, uſque ad urbem munitam petræ: inde revertitur terminus in Hoſah: ſuntque exitus ejus ad mare à funiculo Achzib,
30. Et Ummah, & Aphec, & Rehob: urbes viginti duæ, & villæ earum.
31. Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Aſer per familias ſuas: urbes iſtæ, & villæ earum.

10. *Aſcendit autem ſors.*] In ſorte Zabulon dilucida eſt veritas vaticinii Jacob, qui prædixerat habitaturos eſſe circa littus maris. Senex, exul, qui pedem in ſuo ponere non poterat, maritimam regionem addicebat ſuboli filii ſui Zabulon. Quid magis ridiculum? Nunc autem ubi ſors maritimam regionem iis aſſignat, non potuit clarior deſiderari illius ſententiæ approbatio: acſi Deus bis è cælo tonaret. Non ergo littus ſponte, vel hominum ſuffragio occupat tribus Zabulon, ſed regio mari contigua divinitus facta eſt ejus hæreditas. Ita, quamvis errarint homines, lux tamen ſemper in tenebris fulgida apparuit. Longius progreditur Jacob, & illuſtre diſcrimen ſtatuit inter Zabulon & Iſſachar: quod prior tribus negotiandi cauſa varie diſcurret: altera autem in ſuis tabernaculis otium colet ac vitam ſedentariam. Ergo probabile eſt tractum maris ubi Zabulon conſedit, fuiſſe portuoſum, & aptum ad multiplices commeatus. Filios autem Iſſachar contentos fuiſſe ſuo proventu, & fructus quos percepe- *Genſ. 49. 13. uarſ. 13.*
rant ex labore ſuo & cultura, domi comediſſe. Qui regionum illarum periti exiſtimantur, aſſerunt agrum tribus Aſer fuiſſe frumentarium: quod optimo conſenſu atque optimo concentu reſpondet vaticinio Jacob. Quod nonniſi exiguus urbium numerus exprimitur, hinc rurſum conjicere licet multas tunc fuiſſe ruinas quæ non venirent in rationem: & ex quo populus commode habitavit, extructas fuiſſe multas urbes, quibus terram fuiſſe ornatam ex aliis locis patet. Et certe apparet, ſummam diviſionis breviter fuiſſe perſtrictam, atque ita multa prætermiſſa, quæ inveſtigare nulla religio vetat, modo ne curioſitas ſine fructu moleſta ſit. Certe quibus hic viginti urbes vel ſeptendecim tribuuntur, latius dominati ſunt. Ergo compendium diviſionis tantum hic narratur, quale ſumptum fuit ex tumultuario nunciorum commentario.

32. Filiis Nephthali exivit ſors ſexta, filiis (inquam) Nephthali, per familias ſuas?
33. Fuitque terminus eorum ab Heleph, & ab Elon in Saananim, & Adami, Neceb, & Jabneel, uſque ad Lacum: ſuntque exitus ejus ad Jordanem.
34. Poſtea revertitur terminus ad mare ad Aznoth-thabor: & progreditur illinc in Huccoc, & pervenit ad Zabulon à Meridie, & ad Aſer pervenit ab Occidente, & ad Jehuda in Jordanem, ad ortum Solis.
35. Et urbes munitæ, Siddim, Ser, & Hammath, Raccath, & Cinnereth,
36. Et Adamah, & Ramah, & Haſor,
37. Et Cedes, & Hedrei, & En-Haſor,
38. Et Iron, & Migdal-el, Horen, & Beth-anath, & Beth-ſemes: urbes novendecim, & villæ earum.
39. Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Nephthali per familias ſuas: urbes iſtæ, & villæ earum.
40. Tribus filiorum Dan per familias ſuas exivit ſors ſeptima:
41. Fuitque terminus hæreditatis eorum, Sorah, & Eſthaol, & Ir-ſemes,
42. Et Saallabbin, & Ajalon, & Ithlah,
43. Et Elod, & Thimnathah, & Ecron,
44. Et Elthece, & Gibbethon, & Baalath,
45. Et Jehud, & Bene-berac, & Gath-rimon,
46. Et Mehajarcon, & Raccon cum termino contra Japho.
47. Et exivit terminus filiorum Dan ab eis: aſcenderuntque filii Dan, & pugnaverunt cum Leſem, ceperuntque eam, ac percuſſerunt eam acie gladii, & hæreditate acceperunt eam, habitaveruntque in ea: & vocaverunt Leſem Dan, ſecundum nomen Dan patris ſui.
48. Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Dan per familias ſuas: civitates iſtæ, & villæ earum.
49. Quum autem finem feciſſent partiendi terram ut poſſiderent ſinguli terminos ſuos, dederunt filii Iſraël hæreditatem ipſi Joſue filio Nun in medio ſui.
50. Secundum ſermonem Jehovæ dederunt ei urbem quam petivit, Thimnath-ſerah in monte Ephraim: & ædificavit urbem, habitavitque in ea.
51. Iſtæ ſunt hæreditates quas tradiderunt poſſidendas Eleazar ſacerdos, & Joſue filius Nun, & principes patrum tribuum filiorum Iſraël per ſortem in Silo coram Jehova ad oſtium tabernaculi conventionis: & finem fecerunt dividendi terram.

Nunc

Nunc de ſorte Nephthali, quæ videtur congruere
Gen. 49. verſ. 21. ingenio & moribus illius familiæ: Jacob enim teſtatus fuerat manſuetos fore, & qui blandis ſermonibus vicinos mulcerent. Hac ratione videntur contigui ab una parte fuiſſe filiis Juda: alibi autem cincti fuiſſe fratrum ſuorum præſidiis. Certe quum dicitur tribus Dan expugnaſſe Leſen, videtur tacita fieri comparatio, quod filii Nephthali non irruperint armata manu in ſuam hæreditatem, ſed placide ſe continuerint in ditione pacata: atque ita ſub fide & quaſi clientela tribus Juda & aliarum tuti quietique fuerint. Porro quod imperium urbis Leſen divinitus ſibi addictum armis vindicarunt filii Dan, id demum poſt mortem Joſuæ contigit. Sed hic obiter in-
Judic. 18. ſeritur hiſtoria, quæ fuſius narratur in libro Judicum, quia ſtrenuitas fuit laude digna, jus à Deo conceſſum ſic amplecti, ut eo freti, ad proſligandos hoſtes ſtrenue deſcenderent.

49. *Quum autem finem feciſſent.*] Tandem hic narratur gratitudo populi erga Joſuæ. Nam etſi æqua fieri debuit partitio terræ Chanaan inter poſteros Abrahæ: virtutum tamen ſuarum præſtantia promeritus eſt Joſuæ honorarium aliquod præmium. Nec conqueri quiſquam potuit, ſuo diſpendio unum hominem ditari. Nam primum in cunctatione refulget ſancti viri moderatio, quod non ante privatim ſibi conſulit, quam publicus ſtatus eſt compoſitus. Quotuſquiſque repetietur qui non poſt editum unum vel alterum ſpecimen ſuæ virtutis ad prædam feſtinet? non ſic Joſue, qui de ſe non cogitat, donec terra diviſa fuerit. In ipſo quoque præmio eadem conſpicitur temperantia & frugalitas. Urbem ſibi & familiæ dari poſtulat, nempe acervum lapidum, quia vel diruta erat, & ruinis deformis, vel nulla urbs fuerat illic extructa. Verum probabilis conjectura eſt, ut invidia donum careret, ſi pro vicum aliquem minime opulentum quæſiiſſe. Si cui abſurdum videtur, non gratuitam operam impendiſſe, reputet Dei vocationi liberaliter paruiſſe, nec mercenario animo ſubiiſſe tot labores, pericula, & moleſtias: ſed quum officio ſponte perfunctus eſſet, non repudiandum fuiſſe monumentum gratiæ Dei, niſi perverſo contemptu gloriam ejus obruere vellet. Nam quæ delata fuit prærogativa, nihil aliud quam ſimplex teſtimonium cæleſtis potentiæ fuit, quæ per ejus manum patefacta fuerat. Nec vero ulla ambitio hic notari poteſt, quia nihil ſibi appetit; nec ſuam cupiditatem temere ingerit: ſed honorem quem jam Deus in ipſum contulerat, confirmari rogat populi conſenſu. In quo, ſi tacuiſſet, ſignum potius dediſſet ſocordiæ quam modeſtiæ. Quod in fine capitis repetitur, Joſue & Eleazar finem feciſſe diſtribuendæ terræ, ad perpetuum jus finium regundorum ſpectat, ne quid moverent filii Iſraël ad labefactandum inviolabile decretum.

Cap. XX.

LOquutus eſt autem Jehova ad Joſue, dicendo,

2. Alloquere filios Iſraël, his verbis, Date urbes refugii, de quibus loquutus
Deut. 19. verſ. 2. ſum ad vos per manum Moſis:

3. Ut fugiat illuc homicida qui percuſſerit animam per errorem, abſque ſcientia: eruntque vobis in refugium à propinquo ſanguinis.

4. Et fugiet ad unam ex civitatibus iſtis, ſtabitque ad oſtium portæ urbis, ac loquetur in auribus ſeniorum urbis ipſius verba ſua, & recolligent eum in urbem ad ſe, dabuntque ei locum, & habitabit apud eos.

5. Quum autem perſequutus fuerit eum propinquus ſanguinis, non tradent homicidam in manum ejus: quia abſque ſcientia percuſſit proximum ſuum, neque odio habuerat eum ab heri & nudiustertius.

6. Et habitabit in ea civitate donec ſtet ante cœtum ad judicium, aut donec moriatur Sacerdos magnus qui erit in diebus illis: tunc enim revertetur homicida, venietque ad urbem ſuam, & ad domum ſuam, ad urbem unde fugerat.

7. Et addixerunt Cedes in Galil in monte Nephthali, & Sechem in monte Ephraim, & Ciriath-arba (ipſa eſt Hebron) in monte Jehuda.

8. De trans Jordane autem Jericho, ad Orientem dederunt Beſer in deſerto in planitie, de tribu Ruben: & Ramoth in Gilead, de tribu Gad: & Golan in Baſan, de tribu Manaſſe.

9. Iſtæ fuerunt urbes conventionis omnibus filiis Iſraël, & peregrino qui peregrinatur in medio eorum: ut fugeret illuc quicunque interfeciſſet aliquem per errorem, & non moreretur manu propinqui ſanguinis, donec ſtetiſſet coram cœtu.

1. *Loquutus eſt autem Jehova.*] Quod illis ultro non venit in mentem urbes refugii deſignare, donec iterum admoniti fuerunt, videtur oblique perſtringi eorum ſegnities. Id jam ultra Jordanem ſtatutum fuerat ex Dei mandato. Quum par & eadem prorſus ratio eſſet, quid expectant? Cur non ad finem uſque perducunt quod recte cœperant? Adde quod magnopere interfuit tuta refugia inſontibus conſtitui, ne terra ſanguine polluretur: quia niſi adhibitum eſſet illud remedium, propinqui eorum qui occiſi fuerant, promiſcue eorum mortem ulciſcendo, malum duplicaſſent. Certe populum in cavenda terræ macula & labe ceſſare non oportuit. Unde perſpicimus quam tardi ſint homines non modo ad officium, ſed ad ſalutis ſuæ curam, niſi Deus exhortationum ſuarum ſtimulis eos frequenter pungat ac ſolliciter. Cæterum nonniſi incogitantia peccaſſe inde apparet, quod mox parati ſunt ad obſequium, neque procraſtinant, neque litibus rem neceſſariam impediunt vel morantur. Porro quale fuerit jus iſtud aſyli, alibi dictum eſt. Neque enim impunitas data fuit voluntariis cædibus: verum ſi quis errore hominem ſibi non inimicum occiderat, tutum perfugium habuit ad illas urbes, quæ in eum uſum erant deſtinatæ. Ita Deus miſeris opitulatus eſt, ne quum extra culpam eſſent, facti non ſcelerati indigne pœnam luerent. Interea eorum qui mortui erant cognatis & fratribus hoc Deus per indulgentiam conceſſit, ne aſſiduo eorum conſpectu à quibus orbati fuerant, exacerbaretur dolor. Poſtremo ad homicidia deteſtanda aſſuefactus fuit populus, quum homicida, quamvis à crimine abſolvereturr, patria tamen ac domo carebat, uſque ad mortem Sacerdotis. Nam temporale illud exilium clare oſtendit quam pretioſus ſit Deo humanus ſanguis. Ita lex tam publice quam privatim juſta & æqua utiliſque fuit. Sed bre-

viter notandum est, singula hic ordine non referri. Sic enim salvus latere potuit fortuitus homicida, si se judicio ad causam dicendam sisteret, & ea probe discussa & cognita, absolveretur, sicuti fusius apud Deut. 19. Mosen de hac tota re disseritur.

7. *Et addixerunt.*] Verbum קדש quod hic apponitur, significat etiam aptare & consecrare. Ego itaque interpretor fuisse delectas, prout communis usus ferebat. Unde colligitur, bene sibi fuisse moderatos, ut privata utilitas publicæ cederet. Porro Ciriath-arba, quæ postea dicta fuit Hebron, translatam fuisse ad Levitas quum antea facta esset ditionis Caleb, proximo capite videbimus. Ubi rara, imo incomparabilis sancti viri continentia apparuit, qui libenter tam urbem quam suburbia, quæ merito sibi vendicasset, libenter aliis tradidit, simulac sors ostendit ita Deo placere. Breviter autem attingere necesse fuit hanc mutationem, quia perfugium Deus tantum apud urbes Leviticas esse voluit: ut illic majori fide atque auctoritate innocentia defenderetur.

Cap. XXI.

Accesserunt autem principes patrum Levitarum ad Eleazar sacerdotem, & ad Josue filium Nun, & ad principes patrum tribuum filiorum Israël.

2. Loquutique sunt ad eos in Silo in terra Chanaan, dicendo, Jehova præcepit per manum Mosis ut daretis nobis urbes ad habitandum, & suburbana earum pro animalibus nostris.

3. Dederunt ergo filii Israël Levitis de hæreditate sua, secundum sermonem Jehovæ urbes istas, & suburbana earum.

4. Egressa est autem sors per familias Ceathitarum: fueruntque filiis Aharon sacerdotis de Levitis, de tribu Juda, & de tribu Simeon, & de tribu Benjamin per sortem, urbes tredecim:

5. Filiis autem Ceath reliquis, de familiis tribus Ephraim, & de tribu Dan, & de dimidia tribu Manasse, per sortem, urbes decem.

6. Filiis vero Gerson de familiis tribus Issachar, de tribu Aser, & de tribu Nephthali, & de dimidia tribu Manasse in Basan, per sortem, urbes tredecim.

7. Filiis Merari per familias suas, de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, urbes duodecim.

8. Dederunt, inquam, filii Israël Levitis urbes has, & suburbana earum, sicut præceperat Jehova per manum Mosis, per sortem.

9. Dederunt ergo de tribu filiorum Juda, & de tribu filiorum Simeon urbes istas quas vocavit nomine.

10. Fueruntque filiis Aharon de familiis Ceath, de *filiis Levi*: illis enim fuit sors prima.

11. Dederuntque eis Ciriath-arba patris Anac (ipsa est Hebron) in monte Juda, & suburbana ejus per circuitum ejus.

12. Agrum vero ejus urbis & villas ejus dederunt Caleb filio Jephunc in possessionem ejus.

13. Filiis, inquam, Aharon sacerdotis dederunt urbem refugii homicidæ, Hebron, & suburbana ejus: & Bibna, & suburbana ejus:

14. Et Jathir, & suburbana ejus: & Esthemoa, & suburbana ejus:

15. Holon, & suburbana ejus: & Debir, & suburbana ejus:

16. Et Ain, & suburbana ejus: & Juttah, & suburbana ejus: & Beth-semes, & suburbana ejus: urbes novem de duabus tribubus istis.

17. De tribu vero Benjamin, Gibeon, & suburbana ejus: & Geba, & suburbana ejus:

18. Anathoth, & suburbana ejus: Almon, & suburbana ejus: urbes quatuor.

19. Omnes urbes filiorum Aharon sacerdotum, tredecim urbes, & suburbana earum.

1. *Accesserunt.*] Hic posterius narratur quod præcedere debuit. Neque enim civitates refugii prius fuerunt datæ, quam assignatæ essent Levitis. Huc accedit quod ante dictum fuit, Josue & Eleazar finem fecisse dividendæ terræ. Neque enim vere divisa fuit terra donec sua Levitis habitatio attributa esset. Tenendum igitur, quum sortitio facta fuit decem tribuum nomine, detractas fuisse urbes in terra Chanaan, in quibus Levitæ habitarent. Jam enim trans Jordanem sua eis portio obtigerat. Cæterum ubi accedunt Levitæ, & ratum esse postulant Dei munus, ut urbes possideant cum suburbiis: probabile est fuisse neglectos, donec causam suam agerent. Sic enim accidere solet dum quisque ad sua curanda attentus est, ut fratrum obliviscatur. Certe turpe fuit vellicari aurem populo, & in memoriam revocari quod Deus de Levitis clare jusserat. Atqui nisi domicilium sibi flagitassent, periculum erat ne jacerent sub dio. Quanquam simul colligere licet, populum incuria & oblivione magis peccasse quam fraudandi consilio, quia non cunctatur simulatque monitus est: imo laudatur eorum obedientia, quod secundum sermonem Jehovæ præstiterint quod æquum & rectum erat.

4. *Egressa est sors.*] Hic primo describitur urbium numerus: de quo paulo post dicendum erit. Secundo diserte exprimitur, filiis Aharon sortem cecidisse in tribu Juda: quod non contigit fortuito eventu: quia Deus pro admirabili suo consilio in ea sede eos locavit, ubi statuerat templum sibi eligere. Tertio describuntur ad ipsa urbium *nomina*, quarum prima refertur Hebron, qua privari æquo animo passus est Caleb. Si quis objiciat debuisse potiorem Jerusalem illis dari, ubi legitima futura erat statio: solutio facilis est, mediocres urbes, ut ferebat eorum conditio, illis fuisse traditas. Adhæc, Jerusalem nondum tunc erat pacata; quum Jebusæi potirentur ejus imperio. Denique absurdum fuisset sedem regiam attribui sacerdotibus. Et in eo melius probata fuit eorum religio & fides, quod sponte migrabant ex natali solo, ut sacris operam impenderent. Nullus enim sacerdos officio functus est, qui non fieret

fieret inquilinus. Eorum tamen infirmitati venia data eſt, quum vicinis urbibus donati ſuos, ne moleſtum eſſet loogioquum iter ſuſcipere ad obeundum ſuum munus. Porro, quando uni tantum familiæ nec admodum populoſæ tredecim ad habitandum datæ ſunt urbes, hinc confirmatur quod alibi docui, alias tribus plurimis urbibus fuiſſe dominatas, quarum oulla fit mentio: idque paulo poſt certius confirmabitur.

20. Familiis vero filiorum Cahath Levitarum, qui reſidui erant de filiis Cahath: (fuerunt autem urbes ſortis eorum de tribu Ephraim)
21. Dederunt, inquam, illis urbem refugii homicidæ, Sechem, & ſuburbana ejus in monte Ephraim: & Geſer, & ſuburbana ejus:
22. Et Cibſaim, & ſuburbana ejus: & Berh-oron, & ſuburbana ejus: urbes quatuor.
23. De tribu vero Dan, Elrhece, & ſuburbana ejus: & Gibbethon, & ſuburbana ejus:
24. Et Ajalon, & ſuburbana ejus: & Gath-rimmon, & ſuburbana ejus: urbes quatuor.
25. De dimidia vero tribu Manaſſe, Thaanaeh, & ſuburbana ejus: Garh-rimmon, & ſuburbana ejus: urbes duæ.
26. Omnes urbes decem, & ſuburbana earum, familiis filiorum Cahath reſiduis.
27. Porro filiis Gerſon de familiis Levitarum, de dimidia tribu Manaſſe urbem refugii homicidæ, Golan in Baſan, & ſuburbana ejus: Beeſthera, & ſuburbana ejus: urbes duæ.
28. De tribu Iſſachar, Ciſion, & ſuburbana ejus: Dabrath, & ſuburbana ejus:
29. Jarmuth, & ſuburbana ejus: Engannim, & ſuburbana ejus: urbes quatuor.
30. De tribu autem Aſer, Miſal, & ſuburbana ejus: Abdon, & ſuburbana ejus:
31. Helcath, & ſuburbana ejus: & Rehob, & ſuburbana ejus: urbes quatuor.
32. De rribu vero Nephthali urbem refugii homicidæ, Cedes in Galil, & ſuburbana ejus: & Hamoth-dor, & ſuburbana ejus: & Carthan, & ſuburbana ejus: urbes tres.
33. Omnes urbes Gerſonitarum per familias ſuas, tredecim urbes, & ſuburbana earum.
34. Familiis autem filiorum Merari Levitarum reſiduorum, de tribu Zabulon, Jocneam, & ſuburbana ejus: Cartha, & ſuburbana ejus:
35. Dimnah, & ſuburbana ejus: Nahalal, & ſuburbana ejus: urbes quatuor.
36. De tribu vero Ruben, Beſer, & ſuburbana ejus: & Jahaſa, & ſuburbana ejus:
37. Cedemoth, & ſuburbana ejus: Mephaarh, & ſuburbana ejus: urbes quatuor.
38. Et de tribu Gad urbem refugii homicidæ, Ramoth in Gileath, & ſuburbana ejus: & Mahanaim, & ſuburbana ejus:
39. Hesbon, & ſuburbana ejus: Jaazer, & ſuburbana ejus: urbes quatuor.
40. Omnes urbes filiorum Merari per familias ſuas qui reſidui erant de familiis Levitarum, ut fuit ſors eorum, urbes duodecim.
41. Omnes urbes Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſraël, urbes quadraginta octo, & ſuburbana earum.
42. Fuerunt urbes iſtæ ſingulæ, & ſuburbana earum per circuitum ipſarum: ſic omnibus urbibus iſtis.
43. Dedit itaque Jehova Iſraëli univerſam terram de qua juraverat ſe daturum eam patribus eorum, & poſſederunt eam, habitaveruntque in ea.
44. Requiem quoque dedit eis Jehova in circuitu prorſus ut juraverat patribus eorum, neque fuit quiſquam qui reſiſteret illis ex omnibus inimicis eorum: omnes inimicos eorum tradidit Jehova in manum eorum.
45. Non cecidit ullum verbum ex omni verbo bono quod loquutus fuerat Jehova ad domum Iſraël, omnia evenerunt.

20. *Familiis vero filiorum Cahath.*] Cur per ſingulas tribus diſpergi oportuerit Levitas, quærant lectores apud Moſen. Hæc quidem impoſita fuerat pœna eorum patri ob perfidiam & crudelitatem quam exercuerat contra Sichimitas: verum loco ignominiæ diſperſio illis converſa eſt in maximum honorem, ut tanquam cuſtodes in ſingulis regionibus diſpoſiti, populum in puro Dei cultu continerent. Fuerunt quidem ubique inquilini: ſed cum maxima illa dignitate, ut tanquam Dei procuratores operam darent, ne populus à pietate deſciſceret. Hæc ratio eſt cur tam diligenter narretur, quot ex quaque tribu illis urbes obtigerint, ut eſſent ubique in excubiis, ad conſervandam ſacrorum puritatem.

41. *Omnes urbes Levitarum.*] Hic præcipue locus docet quod jam aliquoties attigi, fines aliarum tribuum non ita fuiſſe reſtrictos, quin longe major fuerit numerus urbium, quam fuerit expoſitus. Satis notum eſt, tribum Levi minimam fuiſſe omnium. Cujus ergo æquitatis fuiſſet quadruplo magis dilatari quam tribum Zabulon, quam vidimus contentam fuiſſe duodecim urbibus, quum tamen eſſet populoſior? Tribus Iſſachar numerantur tantum ſedecim urbes. Tribus Nephthali novendecim. In tribu Aſer tantum viginti duæ referuntur. Certe iniqua fuiſſet diſtributio, multo plures urbes in habitationem dare paucioribus. Unde colligitur, non tantum villas, quæ hic cenſentur urbium acceſſio, aptas fuiſſe ad habitandum: ſed alias quoque urbes fuiſſe comprehenſas, de quibus facta non fuit mentio. Denique ex ſorte tribus Levi palam apparet quam lata fuerit & ampla aliarum ditio.

43. *Dedit itaque Jehova.*] De requie ſi quis moveat quæſtionem, facilis ſolutio eſt, ita fuiſſe territas & metu exanimatas gentes Chanaan, ut ſibi nihil

hil magis conducere putarent quam ſerviliter blandiendo pacem redimere à filiis Iſraël. Plane itaque ſubacta erat regio, & habitatio pacata, quum nemo vel moleſtus eſſet, vel quicquam moliri auderet: quum nullæ minæ, nullæ inſidiæ, nulla vis aut conſpirationes. Verum de ſecundo ambigitur, quomodo in poſſeſſione terræ ſibi promiſſæ locati fuerint filii Iſraël, ea potiti ſint, ut in ejus fruitione ne ſyllaba quidem ex Dei promiſſionibus deeſſet. Atqui ante vidimus multos hoſtes fuiſſe illis permixtos. Dei ſententia erat, ne quis ſuperſtes maneret: multos non expellunt, ſed eos admittunt vicinos; adeo communis iis eſſet hæreditas: cum illis etiam paciſcuntur: quomodo hæc ſimul convenient, Deum, ſicuti promiſerat, terræ poſſeſſionem dediſſe populo, qui tamen hoſtium viribus, aut pertinacia fuit excluſus ab aliqua parte? Ut ſpecies repugnantiæ tollatur, diſcernere convenit inter certam, perſpicuam & ſtabilem Dei fidem in ſervandis promiſſis, & inter populi mollitiem ac inertiam, qua factum eſt ut Dei beneficium quaſi è manibus deflueret. Quodcunque bellum ſuſcepit populus, quamcunque in partem ſigna movit, parata fuit victoria: nec aliud remoræ fuit vel obſtaculi, quominus exterminarent omnes hoſtes, quam voluntarius eorum torpor. Quare etſi non omnes profligarunt quo vacua fieret eis poſſeſſio, Dei tamen veritas manifeſta emerſit atque extitit: quia nihil illis negotii fuiſſet reliqua conſequi, ſi oblatas victorias amplecti libitum eſſet. Summa huc redit, nonniſi per eorum ignaviam ſtetiſſe quominus fruerentur ſolido & integro Dei beneficio: quod ex proximo capite melius liquebit.

CAP. XXII.

1 TUnc accerſivit Joſue Rubenitas, & Gaditas, ac dimidiam tribum Manaſſe,
2. Dixitque ad eos, Vos cuſtodiſtis omnia quæ præcepit vobis Moſes ſervus Jehovæ, & obediſtis voci meæ in cunctis quæ præcepi vobis.
3. Non deſeruiſtis fratres veſtros jam diebus multis uſque ad diem hanc, ſed cuſtodiſtis cuſtodiam præcepti Jehovæ Dei veſtri.
4. Nunc autem requiem dedit Jehova Deus veſter fratribus veſtris, quemadmodum dixerat eis: nunc igitur revertimini, & proficiſcimini ad tabernacula veſtra, ad terram poſſeſſionis veſtræ, quam dedit vobis Moſes ſervus Jehovæ trans Jordanem.
5. Tantum obſervate diligenter ut faciaris præceptum & legem quam præcepit vobis Moſes ſervus Jehovæ, ut diligatis Jehovam Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, ſervetiſque præcepta ejus, & adhæreatis ei; atque ſerviatis ei toto corde veſtro, & tota anima veſtra.
6. Benedixitque eis Joſue, ac dimiſit eos, abieruntque in tabernacula ſua.
7. Dimidiæ autem tribui Manaſſe dederat Moſes in Baſan: alteri autem ejus parti dedit Joſue cum fratribus ſuis trans Jordanem ad Occidentem. Et etiam quum dimitteret eos Joſue in tabernacula ſua, & benedixiſſet eis,
8. Tunc dixit ad eos, dicendo, Cum divitiis multis revertimini ad tabernacula veſtra, & cum acquiſitione multa valde, cum argento, & auro, & ære, & ferro, & veſtibus multis valde: dividite ſpolia inimicorum veſtrorum cum fratribus veſtris.
9. Reverſi ſunt itaque, & abierunt filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe à filiis Iſraël de Silo quæ eſt in terra Chanaan, ut irent ad terram Gilead, ad terram poſſeſſionis ſuæ, in qua poſſeſſionem acceperant ſecundum ſermonem Jehovæ per manum Moſis.

1. *Tunc accerſivit Joſue.*] Hic refertur miſſio duarum tribuum & dimidiæ, quæ ſequutæ reſiduum populum fuerant, non ut ſibi quicquam acquirerent, ſed quia jam extra ſortem adepti erant domicilia & agros ut commune cum fratribus bellum gererent, donec ipſis quoque tranquilla eſſet ſua hæreditas. Nunc quia fidi ſuis fratribus comites & adjutores fuerunt, Joſue emeritos eſſe pronunciat, atque ita ſolutos & liberos domum remittit. Quæritur tamen quomodo ipſos cenſeat legitima militia perfunctos, quum adhuc occuparetur pars terræ ab hoſtibus, cujus ſola poſſeſſio juſtum debuit bello finem impoonere. Verum ſi memoria tenemus quid nuper dixi, expeditus erit hic nodus. Si Dei invitationem ſequuti eſſent, & obſecundaſſent ejus virtuti: imo quum illis manum porrigeret, niſi turpiter retroceſſiſſent, nullo periculo & parva moleſtia confectæ fuiſſent belli reliquiæ. Sua igitur deſidia recuſarunt quod Deus paratus erat largiri. Atque ita factum eſt, ut ceſſaret pactio quæ ſe obſtrinxerant duæ tribus & dimidia. Nec enim aliter ſe obligarant quam ut decem tribus comitarentur, nec minus ſtrenue certarent pro illorum hæreditate, quam ſi par & eadem eorum eſſet conditio. Nunc quum perſeveranter ſe fideles ſocios præſtiterint, decem vero tribus præſenti fortuna contentæ, non poſtulent, ſed potius tacite repudient eorum auxilium, jure datur illis liber reditus ad ſuos. Laudabilis vero eorum tolerantia, quod tædio impulſi non antevertunt, ſed quieti expectant dum ultro eos accerſat Joſue.

5. *Tantum obſervate.*] Temporali ſtipendio ita eos ſolvit ac liberat, ut in perpetuum devinciat imperio unius veri Dei. Redire itaque domum permittit: ſed hac lege, ut Deo ubicunque ſint militent, modum ſimul præſcribit, ut Legem ejus ſervent. Sed quoniam ea eſt humani ingenii vanitas & inconſtantia, ut facile evaneſcat ex cordibus religio, obrepat incuria & contemptus, exigit ab ipſis ſtudium ac diligentiam in Lege præſtanda. Legem vocat Moſis, ne per aëreas ſpeculationes volitent: ſed maneant defixi in ea doctrina, quam didicerant ex fideli Dei ſervo. Finem quoque & ſummam Legis attingit, ut diligant Deum, & adhæreant ei, quia exterior cultus alioqui parum ponderis haberet. Idem confirmat aliis verbis, ut ſerviant Deo in toto corde & tota anima: quibus verbis notatur ſinceritas.

8. *Cum divitiis.*] Quia ante viſum eſt, majorem partem duarum tribuum relictam fuiſſe in ſuis agris trans Jordanem, quum alii ad gerendum bellum trajicerent, æquum erat, quum in otio cum ſuis familiis vixiſſent, vel tantum occupati fuiſſent in domeſticis negotiis, contentos eſſe ſuo victu, & fructu ſuorum laborum. Et certe improbe poſtulaſſent ſibi quidquam ex præda & ſpoliis diſtribui, quum omnium moleſtiarum & periculorum fuiſſent expertes. Verum Joſue non in ſummo jure inſiſtit: ſed milites hortatur, ut liberaliter ipſos prædæ ſuæ participes faciant. Hic intempeſtive quiſpiam diſputet, fueritne communis præda. Neque enim ſimpliciter pro-

pronunciat Joſue deberi quod injungit: ſed tantum admonet quum Dei benedictione ditati fuerint, non fore ſatis humanos; niſi largi ſint & benefici erga fratres: præſertim quia per eos non ſteterat, quominus ad eandem expeditionem ſe accingerent. Cæterum quum jubet dividere, non flagitat æquam partitionem, qualis fieri ſolet inter ſocios & pares: ſed aliquid erogando tollere invidiæ & odii materiam.

10. Devenerunt autem ad limites Jordanis qui erant in terra Chanaan, & ædificaverunt filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe ibi altare juxta Jordanem, altare magnum viſu.

11. Audierunt autem filii Iſraël dici, Ecce ædificaverunt filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe altare è regione terræ Chanaan, in confinibus Jordanis in tranſitu filiorum Iſraël.

12. Audierunt, inquam, filii Iſraël, & convenerunt univerſus cœtus filiorum Iſraël in Silo, ut aſcenderent contra eos ad pugnam.

13. Miſerunt autem filii Iſraël ad filios Ruben, & ad filios Gad, & ad dimidiam tribum Manaſſe, ad terram Gilead, Phinees filium Eleazar ſacerdotis.

14. Et decem principes cum eo, ſingulos principes per ſingulas domos avitas ex omnibus tribubus Iſraël: ſinguli namque principes familiarum patrum ſuorum erant in millibus Iſraël.

15. Venerunt ergo ad filios Ruben, & ad filios Gad, & ad dimidiam tribum Manaſſe, ad terram Gilead, loquutique ſunt cum eis, dicendo,

16. Sic dicunt univerſus cœtus Jehovæ, Quæ eſt prævaricatio iſta qua prævaricati eſtis contra Deum Iſraël, ut avertamini hodie ne eatis poſt Jehovam, ædificando vobis altare, ut rebelletis hodie contra Jehovam?

17. An parum nobis eſt cum iniquitate Peor, à qua necdum ſumus mundari etiam hodie, & tamen fuit plaga in cœtu Jehovæ?

18. Vos autem avertimini hodie ne eatis poſt Jehovam, & erit, vos rebellabitis hodie contra Jehovam, & cras in totum cœtum Iſraël iraſcetur.

19. Et quidem ſi immunda eſt terra poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad terram poſſeſſionis Jehovæ, in qua habitat tabernaculum Jehovæ, & poſſeſſiones accipite in medio noſtrum: & contra Jehovam ne rebelletis, neque à vobis deficiatis, ædificando vobis altare præter altare Jehovæ Dei noſtri.

20. Nonne Achan filius Zerah prævaricatus eſt prævaricatione in anathemate, & contra omnem cœtum Iſraël fuit ira? & ille vir unus non obiit propter iniquitatem ſuam.

10. *Devenerunt autem.*] Hiſtoria apprime memoratu digna, quod duæ tribus cum dimidia quum animo haberent monumentum erigere communis fidei, & fraternæ concordiæ, zelo tamen inconſiderato rationem ſequuti ſuot, quæ merito fratribus ſuſpecta eſſet. Decem vero tribus, quum putarent impia audacia & temeritate violari cultum Dei, ſancta ira accenſæ arma ſumpſerunt, ut in proprium ſanguinem ſævirent: nec placatæ fuerunt, niſi juſta ſatisfactione accepta. Finis extruendi altaris per ſe rectus fuit. Propoſitum enim erat filiis Ruben, & Gad, & Manaſſe, teſtari quamvis fluminis interſtitio diviſi eſſent, in religione tamen conjunctos, & mutuum fovere conſenſum in Legis doctrina. Nihil autem minus erat in animo, quam in Dei cultu quidquam novare. Verum non leviter peccarunt, quod præterito ſummo ſacerdote, & inconſultis fratribus, rem novam aggreſſi ſunt: deinde quod forma ipſa teſtimonii in ſiniſtram partem trahi poterat. Scimus quam ſevere Lex duo altaria vetuerit: quia volebat Deus io uno loco tantum coli. Quum itaque ex aſpectu ſtatim omnibus in mentem veniret, eos ſecundum altare ſtatuere, quis non eos ſacrilegii damnaſſet, quod ritum à Lege Dei alienum, & degenerem fabricarent? Quum ergo vitioſum opus cenſeri poſſet, debuerant certe in re tanta & tam ſeria fratres ſuos facere conſilii ſui participes: præſertim ſummum ſacerdotem prætermittere nefas fuit, quum ex ejus ore quærenda eſſet Dei voluntas. Reprehenſione igitur digni fuerunt: quia perinde acſi ſoli eſſent in mundo, non reputaruot qualis poſſet naſci offenſio ex novitate exempli. Quare diſcamus nihil inconſiderate aggredi, etiamſi vitio careat: quin potius ſemper occurrat Pauli admonitio, non tantum quid liceat ſpectandum eſſe, ſed quid expediat: præſertim ſedulo cavendum ne quo novo exemplo ſturbemus pios animos.

Exod. 20. verſ. 24.

1 Cor. 6. verſ. 12. & 10. verſ. 23.

11. *Audierunt filii Iſraël.*] Non dubium eſt quin ſancto zelo excanduerint: neque vehementia videri nimia debet, quod ob congeriem lapidum ad delendos ſuos populares ſe armaverint. Vere enim & prudenter judicarunt peſſundari legitimum Dei ſanctuarium, ejus cultum profanari, ſacra violari, diſſipari conſenſum pietatis, januam aperiri ſuperſtitionum liceotiæ, ſi duobus in locis immolarentur Deo victimæ: quibus etiam de cauſis tam graviter totum populum ad unum altare aſtrinxerat. Non temere itaque decem tribus ſacrilegam audaciam in profano altari deteſtantur. Quare hic nobis illuſtre proponitur ſpecimen pietatis, ut ſi videmus corrumpi purum Dei cultum, acerrimi quantum in nobis erit, ſimus ejus vindices. Non omnibus quidem datus eſt gladius in manum: ſed pro ſua quiſque vocatione & officio, viriliter & conſtanter aſſerere ſtudeat purum religionis ſtatum contra omnes corruptelas. Maxime vero rara laude dignus fuit zelus dimidiæ tribus Manaſſe, quæ poſthabito carnis reſpectu, familiæ ſuæ non pepercit. Interea fateor, hoc quamvis pium ſtudium non caruiſſe turbulento impetu: quia antequam ſciſcitati fuerint de fratrum ſuorum animo, & cauſam probe tenuerint, properant ad bellum decernendum. Fateor quidem id non fieri niſi ſub conditione: quia legatos mittunt qui cauſam bene & penitus compertam referant, nec digitum movent ad pœnam exigendam, donec facti ſint ſceleris certiores. Itaque excuſari poteſt iracundiæ fervor, dum ſe ad pugnam comparant, ſi qua defectio deprehenſa fuerit.

16. *Sic dicunt.*] Perinde acſi cognitum eſſet, unico Dei altari hoc ſecundum eſſe oppoſitum, ab objurgatione incipiunt, & quidem valde dura & aſpera. Sumuot igitur hoc pro confeſſo, extructum eſſe altare, in quo duæ tribus ſacrificia ſua offerant. Hic eos fallit opinio, quia in alium uſum & finem

erat deſtinatum. Porro ſi verum fuiſſet quod animis conceperant, juſta eſſet tota expoſtulatio qua utuntur: erat enim clarum defectionis crimen, quidquam 1 Sam. 15. mutare in Lege Dei, cui obedientia pluris eſt quam verſ. 22. omnes victimæ: ac in optima ratione fundata eſt hæc condemnatio, eos eſſe apoſtatas, qui ſe ab unico altari ſubducunt.

17. *An parum nobis eſt.*] Scelus amplificant à pertinacia, quod non deſinant Deum ſubinde lacceſſere ſuis abominationibus. Præferunt in medium inſigne exemplum, ac recentis memoriæ. Nam quum à quatuor plagis mundi circumdarent Dei ſanctuarium, quaſi boni cuſtodes Dei, quum tradita eis eſſet rite colendi Dei regula, in qua aſſiduis exercitiis retinebantur: ſcortatum tamen illecebris decepti ſe polluerant in fœdis ſuperſtitionibus, & adoraverant Baal-Peor. Quia hoc ſcelere implicitus tenebatur totus populus, non dubitant decem legati ſocios culpæ ſe adjungere. Quærunt igitur, An non ſufficit nobis iniquitas quam contraximus in idolo Peor? Addunt, nondum ab ea ſe eſſe mundatos: quaſi dicerent nondum penitus ſepultam eſſe memoriam, vel extinctam Dei vindictam. inde colligunt duas tribus & dimidiam, dum ſe impia contumacia à Deo avertunt, & excutiunt ejus jugum, non tantum ſibi male conſulere, ſed procerere ſimile exitium toti populo, quia Deus injuriam ſuam latius ulciſcetur: quod exemplo Achan confirmant, qui quum ſolus, & clam futatus eſſet ex anathemate, non ſolus ſubiit ſacrilegii ſui pœnam, ſed alios quoque ſecum traxit: quemadmodum viſum fuit quoſdam cecidiſſe in acie, omnes autem turpiter fuiſſe fugatos, quia in populo reſidebat pollutio. Ratiocinantur autem à minori ad majus: Si flagravit ira Dei contra multos ob clandeſtinum unius hominis maleficium, multo minus impune ceſſurum populo, ſi manifeſtam idololatriam diſſimulet. Inferitur tamen media ſententia, ut ſi altare extruxerint duæ tribus cum dimidia, actum deterior eſſet earum conditio, quia non habitarent in terra Chanaan, veniant & potiantur ipſæ quoque terra Chanaan, ne prava æmulatione Deum provocent. Hinc autem colligimus non ventoſa aliquo impetu fuiſſe concitatos, quando ſua jactura & diſpendio, benigne admittere in ſocietatem parati ſunt qui ſedem alibi & domicilium ſibi poposcerant.

21. Reſponderunt autem filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe, loquutique ſunt eum principibus millium Iſraël:

22. Deus deorum Jehova, Deus deorum Jehova ipſe novit, & Iſraël cognoſcet, ſi per rebellionem, & ſi per prævaricationem in Jehovam, ne ſerves nos die hac.

23. Si cogitavimus ædificare nobis altare, ut averteremur ne iremus poſt Jehovam, & ſi ad immolandum ſuper illud holocauſta & ſacrificium, & ſi ad faciendum ſuper illud ſacrificia proſperitatum, Jehova ipſe inquirat.

24. Et ſi non potius timore hujuſce rei fecimus hoc, dicendo, Cras dicent filii veſtri filiis noſtris, dicendo, Quid vobis & Jehovæ Deo Iſraël?

25. Nam terminum poſuit Jehova inter nos & vos, filii Ruben & filii Gad, Jordanem: non eſt vobis portio in Jehova: & ceſſare facient filii veſtri filios noſtros, ut non timeant Jehovam.

26. Et diximus, Demus nunc operam ut ædificemus altare, non pro holocauſto, nec pro ſacrificio:

27. Sed ut teſtis ſit inter nos & vos, & inter generationes noſtras poſt nos, ut ſerviamus ſervitutem Jehovæ coram eo in holocauſtis noſtris, & in ſacrificiis noſtris, & proſperitatibus noſtris: & ne dicant filii veſtri cras filiis noſtris, Non eſt vobis pars in Jehova.

28. Diximus itaque, Et erit, ſi dixerint nobis aut generationibus noſtris cras, tum dicemus, Videte ſimilitudinem altaris Jehovæ quod fecerunt patres noſtri, non pro holocauſto, neque pro ſacrificio, ſed ut teſtis ſit inter nos & vos.

29. Abſit à nobis ut rebellemus contra Jehovam, & avertamur hodie ne eamus poſt Jehovam, ædificando altare pro holocauſto, pro oblatione, & pro ſacrificio, ultra altare Jehovæ Dei noſtri quod eſt ante tabernaculum ejus.

30. Porro quum audiſſet Phinees ſacerdos, & principes cœtus, capitaque millium Iſraël qui cum eo erant, verba quæ loquuti fuerant filii Ruben, & filii Gad, & filii Manaſſe, placuit in oculis eorum.

31. Dixitque Phinees filius Eleazar ſacerdotis filiis Ruben, & filiis Gad, & filiis Manaſſe, Hodie novimus quod in medio noſtri ſit Jehova, quod non prævaricati ſitis contra Jehovam prævaricationem iſtam: tunc liberaſtis filios Iſraël de manu Jehovæ.

32. Reverſus eſt igitur Phinees filius Eleazar ſacerdotis, & principes illi à filiis Ruben, & à filiis Gad, de terra Gilead ad terram Chanaan ad reliquos filios Iſraël, & retulerunt eis rem.

33. Placuitque res in oculis filiorum Iſraël, atque benedixerunt Deo filii Iſraël, neque decreverunt aſcendere contra eos ad pugnam, ut diſperderent terram in qua filii Ruben & filii Gad habitabant.

34. Vocaverunt autem filii Ruben & filii Gad altare Hed, dicendo, Quia teſtis erit inter nos quod Jehova eſt Deus.

21. *Reſponderunt autem.*] Status cauſæ in definitione verſatur. Excuſant enim filii Ruben, Gad & Manaſſe, ſibi alium fuiſſe animum. atque ita crimen diluitur: quia alia eſt facti qualitas, quam alii putabant. Quod autem non tumultuantur, nec jurgium movent ob factam ſibi injuriam, exemplum eſt raræ modeſtiæ, quod nobis ad imitationem proponitur, ut ſiquando injuſte & falſo quod recte à nobis factum eſt, vituperari ab imperitis contingat, nobis ſufficiat reprehenſionem ita refellere, ut purgati ſimus. Porro quo plus fidei ſibi acquirant, meliuſque teſtatam faciant ſuam integritatem, gravi obteſtatione

ſcelus

ſcelus cujus ſuſpecti erant, à ſe rejiciunt. Pondere etiam non caret *διάθεσις*, Deus deorum Jehova, Deus deorum Jehova: qua etiam vehementia confirmant quam fideliter perſeverare cupiant in Legis doctrina, & quantopere abhorreant à contrariis ſuperſtitionibus. Quia autem eorum conſilium hominibus non patebat, & pro cujuſque ſenſu expoſitum erat variis ſententiis, ideo ad Dei judicium provocant, ſeque offerunt ad ſubeundam pœnam, ſi agnoſcant aliquid perperam fuiſſe aggreſſos. Cæterum ut probent ſe hypocritis non eſſe ſimiles, qui perdita improbitate Deum judicem centies appellant, quum tamen intus convicti teneantur: non modo conſcientiam obtendunt, ſed ſimul pronunciant totum populum fore teſtem: acſi dicerent, reipſa palam fore ſibi nunquam fuiſſe in animo comminiſci novum Dei cultum. & recte interpretantur quomodo altare fuiſſet illicitum, nempe ſi illic inſtituiſſent mactare ſua ſacrificia. Neque enim Lex ſimpliciter acervos lapidum damnavit: ſed voluit uno tantum in loco ſacrificia offerri ad retinendum in una fide populum, ne diſcerperetur religio, ne daretur licentia hominum temeritati, & ita quiſque poſt ſua commenta diffluereat. Ita videmus qualitate facti monſtrata, deteſtationem tolli quam decem tribus conceperant. Improprie quidem, ſed apte pro ruditate ſenſus noſtri Deus ſtatuitur ſupra omnes deos. Neque enim aliis conferri poſſet niſi plures eſſent. Itaque fugiendæ abſurditatis cauſa, aliqui de Angelis exponunt: quod tametſi alicubi bene quadrare fateor, nego tamen eſſe perpetuum. Nec vero durum videri debet, eum qui unicus eſt ac ſolus, vocari tamen Deum deorum, quia parem non habeat, ſed emineat ſupra omnem celſitudinem, adeoque ſua gloria obſcuret ac in nihilum redigat omnia deitatis nomina quæ in mundo celebrantur. Ita hæc loquutio referri debet ad communem vulgi ſenſum.

26. *Et diximus.*] Craſſa quidem impietas, cujus rei acti fuerant, probe refutata fuit: non tamen videntur omni ex parte fuiſſe extra culpam, quia Lex vetat quaslibet ſtatuas erigere. Verum excuſatio facilis eſt, non alias ſtatuas damnari, niſi quæ ad Deum repræſentandum ſpectant. Interea congeriem lapidum erigere trophæi loco, vel in teſtimonium miraculi, vel in memoriam inſignis Dei gratiæ, nuſquam Lex prohibuit: alioqui & Joſue, & poſt eum multi ſancti Judices ac Reges ſe profana novitate inquinaſſent. Verum nihil aliud Deo diſplicuit, niſi hominum mentes deorſum trahi, ut craſſo & terreno modo coleretur. Satis ergo ſuperque à noxa ſe eximunt filii Ruben, Gad, & Manaſſe, dum profitentur non alium fore uſum altaris, quam ut vinculum ſit fraternæ conjunctionis: & juſtam rationem adferunt, quia periculum erat ne longo temporis progreſſu decem tribus alias excluderent tanquam alienas, quod non eandem terram incolerent. Nam quia regio trans Jordanem non fuerat initio comprehenſa in fœdere, poterat diverſa habitatio movere litem diſſidii. Poſteris itaque ſuis tempeſtive conſulunt, ut altari quaſi publicis tabulis, jus ſuum tueri queant: ut ita alii alios mutuo agnoſcant, & communiter ſerviant uni Deo.

Exod. 20. *verſ.* 4. *Levit.* 29. *verſ.* 1. *Deut.* 5. *verſ.* 8.

30. *Porro quum audiſſet.*] Recte zelo ſuo temperant Phinees & legati, dum moroſus non inſiſtunt, nec urgent conceptum præjudicium, ſed excuſationem blande & libenter admittunt. Multos enim ſi qua re offenſi ſint & exaſperati, placare nulla defenſio poteſt, quin ſemper reperiant quod maligne & iniquè carpant potius quam rationi cedere videantur. atque hoc exemplum obſervatu dignum eſt, ut ſiquando re non ſatis cognita ſumus offenſi, à pertinacia caveamus: ſed potius ſtatim deflectamus ad æquitatem. Porro quod puri à ſcelere reperti ſint filii Ruben, Gad, & Manaſſe, id Dei gratiæ adſcribunt Phinees & legati. Nam his verbis, *Novimus quod Jehova ſit in medio noſtri*, ſignificant Deum ſibi fuiſſe propitium, & curam geſſiſſe ipſorum ſaluris. Quod diligenter obſervandum eſt, quia inde rurſum colligitur, nos à Deo nunquam deficere, vel ad impietatem prolabi, niſi nos deſerat, & derelictos conjiciat in ſenſum reprobum. Ergo omnis idololatria oſtendit jam ante alienatum fuiſſe Deum, ut pœnas ſcelerum juſta excæcatione exigeret. Interea tenendum, non aliter nos perſtare in pietate, niſi quamdiu Deus præſto adeſt, noſque manu ſua ſuſtinet, ac Spiritus ſui virtute confirmat ad perſeverantiam. Dicunt Phinees & legati, ſe fuiſſe liberatos à filiis Ruben, Gad, & Manaſſe: quia jam amplius non ſit metuenda Dei vindicta ubi purgata eſt omnis ſceleris ſuſpicio. Similis tandem in toto populo æquitas & humanitas ſe proferi, quia defenſionem ſuorum amplexi, gratias agunt Deo, quod populum ſuum immunem à piaculo ſervaverit. Et quamvis ſubito inaluerant, ſedatis tamen animis diſcedunt. Similiter duæ tribus & dimidia ſedulo ad præſtandum officium incumbunt, ubi nomen imponunt altari, quod rectum ejus uſum docendo, ab omni ſuperſtitione populum retrahat.

Cap. XXIII.

FUit autem poſt dies multos poſtquam requiem dedit Jehova Iſraëli ab omnibus inimicis eorum in circuitu, Joſue ſenuit, & venit in dies:

2. Tunc vocavit Joſue omnem Iſraël, ſeniores ejus, & capita ejus, & judices ejus, & præfectos ejus, dixitque ad eos, Ego ſenui, & veni in dies:

3. Voſque vidiſtis omnia quæ fecerit Jehova Deus veſter omnibus gentibus iſtis in conſpectu veſtro, quod Jehova Deus veſter pugnaverit pro vobis.

4. Videte, ſorte diſtribui vobis gentes iſtas reſiduas in hæreditatem per tribus veſtras, à Jordane, atque omnes gentes quas diſperdidi uſque ad mare Magnum ab occaſu Solis.

5. Jehova autem Deus veſter ipſe propulſabit eas à facie veſtra, & expellet eas à conſpectu veſtro, & jure hæreditario poſſidebitis terram earum, quemadmodum loquutus eſt Jehova Deus veſter vobis.

6. Roborate igitur vos valde, ut cuſtodiatis & faciatis quicquid ſcriptum eſt in libro Legis Moſis, ut non recedatis ab eo neque ad dextram neque ad ſiniſtram.

7. Neque commiſceamini gentibus iſtis quæ remanent vobiſcum: & nomen deorum earum ne commemoretis, nec adjuretis, neque ſerviatis eis, neque incurvetis vos eis.

8. Sed Jehovæ Deo veſtro adhæreatis, ſicut feciſtis uſque ad diem hane.

9. Propterea expulit à facie veſtra gentes magnas & fortes, nec ſtetit quiſquam in conſpectu veſtro uſque ad diem hane.

10. Vir unus ex vobis perſequutus eſt mille, quia Jehova Deus veſter eſt qui pugnat pro vobis, ſicut loquutus fuerat vobis.

11. Cuſtodite valde ſuper animabus veſtris ut diligatis Jehovam Deum veſtrum.

Hic narratur ſolennis conteſtatio, qua uſus eſt Joſue ſub tempus mortis, ut purum Dei cultum ſibi ſuperſtitem relinqueret. Etſi autem hic pax & quies qua potiti ſunt Iſraëlitæ inter gentes Chanaan, pro eximio Dei beneficio eenſetur: repetere tamen memoria convenit quod ante docui, eorum ignavia factum eſſe, ut inter hoſtes ſuos habitarent, quos profligare & abolere difficile non erat. Sed merito laudatur Dei indulgentia, quod eorum ingratitudini ignoverit. Pia etiam ſollicitudo Joſue omnibus qui aliis præſunt, ad imitationem hic proponitur. Nam ſicuti paterfamilias non ſatis providus reputabitur, ſi tantum de ſuis liberis uſque ad vitæ finem cogitat, niſi curam ſuam longius extendat, & quoad in ſe eſt ſtudeat etiam mortuus prodeſſe: ita boni magiſtratus & præfecti proſpicere debent, ut quem relinquunt bene compoſitum ſtatum, confirment ac prorogent in longum tempus. Hac ratione ſcribit Petrus ſe daturum operam, ut quum migraverit è mundo, ſuarum tamen admonitionum memor ſit Eccleſia, fructumque inde percipiat. Quod dicitur vocaſſe totum Iſraëlem, continuo autem poſt ſubjicitur, ſeniores ejus, & capita, & judices, & præfectos, ſic interpretor, omnibus quidem fuiſſe permiſſum ut venirent, ſed conventum indictum fuiſſe capitibus ac præfectis. Atque ita hoc poſterius membrum mihi exegeticum eſſe videtur. Et certe nullo modo credibile eſt totum populum fuiſſe vocatum: neque etiam fieri potuit. Hoc itaque modo vocatus eſt populus, quia ſenioribus, judicibus, & aliis mandatum fuit ut venirent, & ſecum adducerent voluntarios quoſque. Recitatur quidem duplex ſermo Joſue: ſed mihi videtur ſcriptor hiſtoriæ, breviter, ut fert linguæ uſus, totius concionis ſummam perſtringere, deinde latius perſequi ac complecti quæ prætermiſerat. In hac quæ priorem locum obtinet, brevitate, Joſue populum ad certam continuæ & infatigabilis Dei gratiæ fiduciam hortatur atque animat. Nam quum experti eſſent Deum in omnibus eſſe veracem, nulla in poſterum dubitatio relinquebatur, quin eoſdem tuto ſperarent ſucceſſus in hoſtibus vincendis ac perdendis. Sortitionem quoque qua illis reſiduam terram diſtribuerat, tanquam arrham vel pignus indubiæ fruitionis in medio illis ſtatuit: quia non temere, ſed Dei juſſu ſuam cuique ſedem ſuoſque fines deſcripſerat.

2 Petr. 1. verſ. 5.

6. *Roborate igitur.*] Jam modum vincendi oſtendit, ne craſſam ſecuritatem, ut ſæpe fieri ſolet, loco fiduciæ arripiant. Deum igitur propitium illis fore affirmat, & quicquid aggreſſi fuerint feliciter ceſſuram promittit, ſi modo in Legis obedientia perſiſtant. Hypocritæ quam vis ſecure Deum contemnant ac derideant, eum tamen vellent ſibi habere obſtrictum: imo plenis buccis non ſine ludibrio jactant ejus promiſſiones. Atqui vera fides ſic in Deum recumbit, ut ſimul homines in ejus timore retineat. Denique ut inveniatur Deus, ſincere quærendus eſt: & ſi reſpici ab eo cupimus, cavendum ne terga ei obvertamus. Verbo roborandi, ut alibi dictum eſt, ſerium ſtudium deſignat: quia in tanta imbecillitate nemo ad ſervandam Legem ſe penitus accinget, niſi ſupra vires nitatur. Notanda etiam vetæ obedientiæ definitio quæ hic ex Moſe repetitur, ne deflectamus ad dextram vel ſiniſtram.

Deut. 5. verſ. 32.

7. *Neque commiſceamini.*] Diſerte admonet non aliter probe ſatisfacturos eſſe officio, niſi attente ſibi caveant ab omnibus corruptelis. Quod valde neceſſarium fuit illis præcipere. Undique enim circumdati erant Satanæ laqueis: & ſcimus quanta eorum fuerit ad ſuperſtitiones propenſio, vel potius quam præceps cupiditas. Primo igitur vetat ne interior gentium neceſſitudo ſceleris ſocietate eos implicet. miſceri enim hoc loco tantundem valet, atque apud Paulum jugum ducere. Denique primo idolatriæ fomenta vel illecebras removet: deinde ipſam idololatriam deteſtatur. Notandum vero quod neque genuflexionem, neque ſacrificia, neque alios ritus exprimit: ſed perverſos omnes cultus deſignat vocibus memorandi & jurandi. Unde colligimus detrahi Deo ſuum honorem, ubi ex omnibus quæ ſibi vendicat, vel tantillum ad idola transfertur. Itaque concludit ut Deo uni adhæreant: quod tantundem valet atque in ſolidum eſſe addictos.

2 Cor. 6. verſ. 4, 5.

9. *Propterea expulit.*] Significat, modo ne ipſi muententur, Deum ex ſua parte minime fore mutabilem. Itaque modo ſibi Dei favorem concilient, continuum victoriarum tenorem fore aſſerit. Tandem iterum hortatur, ut quantum illis chara eſt ſua vita & ſalus, attenti ſint ad Deum amandum. Ex quo fonte oriuntur omnia vera obſequia: quia niſi liberaliter propenſoque affectu eum colamus, fruſtra mores noſtros componere ſtudebimus ad externam Legis formam.

12. Quia ſi avertendo averſi fueritis, & adhæſeritis reſiduis gentibus iſtis, reſiduis (inquam) iſtis quæ ſunt vobiſcum: & affinitatem contraxeritis cum eis, & miſceatis vos cum eis, & ipſæ vobiſcum:

13. Jam nunc ſcitote quod poſthac Jehova Deus veſter non expellet omnes gentes iſtas à facie veſtra: ſed potius erunt vobis in laqueum, & offendiculum, & flagellum in lateribus veſtris, & in ſpinas in oculis veſtris, donec pereatis è terra optima iſta, quam dedit vobis Jehova Deus veſter.

14. En autem ego ingredior hodie viam univerſæ terræ: cognoſcite ergo toto corde veſtro, & tota anima veſtra, quod non cecidit verbum unum ex omnibus verbis optimis quæ loquutus eſt Jehova Deus veſter ſuper vos: omnia evenerunt vobis, non cecidit ex eis verbum unum.

15. Sicut ergo evenit vobis omne verbum bonum quod loquutus eſt Jehova Deus veſter ad vos, ſic adducet Jehova ſuper vos omne verbum malum, donec diſperdat è terra optima iſta, quam dedit vobis Jehova Deus veſter.

16. Quum transgreſſi fueritis pactum Jehovæ Dei veſtri quod præcepit vobis, & abieritis, & ſervieritis diis alienis, incurvaveritiſque vos eis, iraſcetur furor Jehovæ contra vos, & peribitis cito è terra optima quam dedit vobis.

12. *Quia ſi avertendo.*] Minas adjungit ex trita Legis methodo, ut ſi forte dulcedine gratiæ Dei non

nes, non ſtatim eos occurrere, ut prompto & alacri obſequio reſpondeant: ſed ea eſt carnis ſocordia, ut ſemper minarum ſtimulis indigeat. Joſue ergo ultratam in Lege rationem tenet, dum terrorem injicit Iſraëlitis, niſi oblatum Dei favorem ſponte amplecti ſtudeant. Porro hæc denunciatio non ſemel illis facta eſt, gentes Chanaan fore ſtimulos ad pungenda eorum latera, & in ſpinas configendis eorum oculis, ſi illis aſſueſcerent. Primo quia terram illam ſibi Deus conſecraverat, purgari volebat inquinamentis omnibus: deinde quin videbat quam proclive eſſet populum malis exemplis corrumpi, huic quoque malo mederi volebat. Jam quum ab una parte pro nihilo duceret populus, terram impiis ſuperſtitionibus contaminari, & illic idola coli pro vero Deo: ab altera parte contagionem nimis cupide ex earum vitiis traheret: juſta fuit tam craſſi contemptus merces, ſentire moleſtos & infeſtos, quibus male pepercerat.

Num. 33. verſ. 55. Porro quod tam Moſes quam Joſue minati fuerant, palam fuiſſe completum ſatis ſuperque liquet ex libro Judicum. Neque tamen prorſus inutilis fuit hæc vindictæ Dei promulgatio: quia mortuo Joſue animos ſumpſerunt ad bellandum. Verum evanidus fuit ardor ille, ac paulo poſt initiati ſunt nefandis gentium ſacris. Unde perſpicitur humani ingenii intemperies ad perverſos cultus, quæ nullis frenis cohiberi ſatis poteſt. Nunc expendere convenit quatenus ad nos pertineat hæc doctrina. Peculiare quidem fuit veteri populo hoc mandatum, ut deletis gentibus Chanaan, ſeparati eſſent ab omnibus profanis ſordibus. Nobis bodie certa regio quæ nos diſterminet, definita non eſt: neque gladio armati funus ad impios omnes occidendos: tantum cavendum eſt ne qua propior neceſſitudo ſcelerum ſocietate nos involvat. Nam pluſquam difficile eſt, ubi ſponte nos miſcemus, non aliqua labe vel macula aſpergi. Sed hoc caput quia alibi expoſitum fuit, leviter tantum jam attingo.

14. *Et nunc ergo.*] Quoniam ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, dicit Joſue ſibi inſtare exitum qui manet cunctos homines, quia ipſe quoque mortalis natus ſit. Hæc porro verba ad populi conſolationem accommodat, ne ſe immodico mœrore excrucient propter orbitatem, quum illis ereptus fuerit. Neque enim dubium eſt, quin reliquerit inæſtimabile ſui deſiderium, quum populus quaſi capite ablato truncum ſe & mutilum videret. Ergo admonet, quum vitæ curriculum ſuo quaſi ſtadio finitum ſit, non eſſe poſcendum ut alia ſit ſua quam totius humani generis conditio. Interea non ſignificat promiſſum eſſe omnibus moriendi formam, quia ſemen incorruptibile cæleſtis doctrinæ fideles ab incredulis diſcernit, ne pariter intereant: ſed hic tantum attingit quod commune eſt, nempe peracto vitæ curſu è mundo migrare. Summa autem ſermonis huc redit, quemadmodum beneficiis & promiſſionum ſuarum eventu Deus ſe veracem probaverat, ita non irritas nec inanes fore ejus minas, quin ultimo eorum interitu ulciſcatur cultus ſui profanationem. *Hebr. 9. verſ. 27.*

Cap. XXIV.

COngregavit itaque Joſue omnes tribus Iſraël in Sichem, vocavitque ſeniores Iſraël, & capita ejus, judicesque ejus, ac præfectos ejus: ſteteruntque coram Deo.

2. Dixitque Joſue ad univerſum populum, Sic dicit Jehovah Deus Iſraël, Trans flumen habitaverunt patres veſtri à ſeculo, ut Thare pater Abraham, & pater Nachor, ſervieruntque diis alienis.

3. Et tuli patrem veſtrum Abraham è loco qui erat trans flumen, & deduxi per univerſam terram Chanaan: multiplicavique ſemen ejus, & dedi ei Iſaac.

4. Et dedi ipſi Iſaac Jacob & Eſau: tradidique ipſi Eſau montem Seir, ut poſſideret eum: Jacob autem & filii ejus deſcenderunt in Ægytum.

5. Miſique Moſen & Aharon, & percuſſi Ægyptum, quemadmodum feci in medio ejus: & poſtea eduxi vos.

6. Et eduxi patres veſtros ex Ægypto, deveniſtiſque ad mare, & perſequuti ſunt Ægyptii patres veſtros cum curribus & equitibus uſque ad mare Rubrum.

7. Tum clamaverunt ad Jehovam, & poſuit caliginem inter vos & Ægyptios: induxitque ſuper eum mare, ac operuit eum: & viderunt oculi veſtri quæ feci in Ægypto, & habitaſtis in ſolitudine in diebus multis.

8. Poſtea adduxi vos ad terram Emorrhæi habitantis trans Jordanem: prœliatique ſunt vobiſcum, & tradidi eos in manum veſtram: poſſediſtiſque terram eorum, ac delevi eos à facie veſtra.

9. Surrexit autem Balac filius Sippor rex Moab, & prœliatus eſt cum Iſraël: miſitque & vocavit Bileam filium Beor, ut malediceret vobis.

10. Et nolui audire Bileam, ſed benedixi benedicendo vobis, & liberavi vos è manu ejus.

11. Tranſiſtiſque Jordanem, & veniſtis ad Jericho: pugnaveruntque contra vos viri Jericho, Emorrhæus, & Perizæus, & Chananæus, & Hittæus, & Girgaſæus, & Hivæus, & Jebuſæus: tradidique eos in manum veſtram.

12. Et miſi ante vos crabrones, qui expulerunt eos à facie veſtra, duos reges Emorrhæi, non gladio tuo, nec arcu tuo.

13. Dedique vobis terram in qua non laboraſtis, & urbes quas non ædificaſtis, & habitaſtis in eis: vineas & oliveta quæ non plantaſtis, comedetis.

14. Nunc ergo timete Jehovam, & ſervite ei in perfectione & veritate, & auferte deos quibus ſervierunt patres veſtri trans flumen, & in Ægypto, & ſervite Jehovæ.

1. *Congregavit itaque.*] Jam, meo judicio, ſuſius explicat quæ ante brevius retulit. Neque enim conſentaneum fuiſſet bis eadem de cauſa populum extra here in alienum locum. Ergo repetitione ſeries hiſtoriæ contexitur. Ideo particulam expletivam, *Itaque*, poſui, quæ cœptam narrationem continuet. Exprimi-

primitur autem quod onte tacuerat, ſtetiſſe omnes coram Deo: quo ſanctior dignitas & religio conventus deſignatur. Neque enim dubium quin ſolenni ritu invocavetit Joſue Dei nomen: & tanquam in ejus conſpectu ad populum concionarus ſit, ut reputarent pro ſe quiſque, Deum omnium quæ agebantur eſſe præſidem: nec privatum negotium ſe illic tractare, ſed ſacrum & inviolabile pactum confirmare cum ipſo Deo. Adde quod paulo poſt additur, illic fuiſſe ſanctuarium: unde probabile eſt, arcam fœderis eo fuiſſe traductam, non mutandi loci cauſa, ſed ut in actione tam ſeria ſe ſiſterent ad terreſtre Dei tribunal. Nulla enim religio vetabat, arcam moveri: & locus Sichem non procul diſtabat.

2. *Trans flumen.*] Exordium ſumit à gratuita eorum eruditione, qua ſic Deus eos anteverterat, ne quam præſtantiam, vel quod meritum jactare poſſent. Nam arctiore vinculo eos ſibi Deus devinxerat, quod quum reliquis pares eſſent, eos tamen ſibi collegerat in peculium non alio reſpectu quam meri beneplaciti. Porro ut clare appareat nihil eſſe in quo glorientur, ad ſuam originem ipſos adducit, & commemorat patres ipſorum in Chaldæa ſic habitaſſe, ut communiter idola cum aliis colerent, nec quidquam differrent à vulgo. Unde colligitur, Abraham quum in idololatria demerſus eſſet, fuiſſe quaſi ab inferis extractum. Judæi quidem ut falſam generis dignitatem ſibi arrogeot, fabulantur patrem ſuum Abraham, quum nollet ignem Chaldaicum pro deo agnoſcere, profugum fuiſſe à patria. Verum ſi ad conſilium Spiritus attendimus, nihilo magis eximitur à publici erroris culpa quam Thare & Nachor. Quorſum enim dicitur, patres populi ſerviſſe diis alienis, & Abraham inde fuiſſe ereptum, niſi ut in ipſis primordiis refulgeat gratuita Dei miſericordia? Nam ſi reliquis diſſimilis fuiſſet Abraham, eum ſua pietas diſcerneret. Atqui hoc nominatim agitur ne propria dignitate excellat quæ obſcuret Dei gratiam: ſed ut poſteri agnoſcant, quum eſſet perditus, excitatum fuiſſe à morte in vitam. Cæterum, fuit hoc incredibile & ſimile portento, quum adhuc ſuperſtes eſſet Noë, non modo paſſim in mundo graſſatam fuiſſe idololatriam: ſed in familiam quoque Sem penetraſſe, in qua ſaltem purior vigere debuerat religio. Certe quantum in hac parte veſanus & indomabilis hominum ſit furor, inde cognoſcitur, quod ſanctus Patriarcha, cui peculiaris data fuerat Dei benedictio, frenare ſuos poſteros non potuerit, quin relicto vero Deo, ſe ad ſuperſtitiones proſtituerent.

3. *Et tuli patrem.*] Hoc verbo melius confirmatut quod nuper docui, Abraham non propria virtute emerſiſſe ex profunda ignorantia & errorum abyſſo, ſed inde manu Dei fuiſſe eductum. Neque enim dicitur ultro Deum quæſiiſſe, ſed fuiſſe ab eo ſumptus, & alio traductus. Beneficia ſua amplificat, quod in longa peregrinatione mirabiliter Abraham incolumem ſervaverit. Unde quod ſequitur ſcrupulum aliquem parit, quod Deus multiplicaverit ſemen Abrahæ: & tameo dederit ei ſolum Iſaac, quia non niſi ejus ſit mentio. Sed hæc comparatio ſingularem erga eos Dei grariam illuſtrat, quod quum numeroſa eſſet alioqui Abrahæ ſoboles, ſolus eorum pater gradum legitimi hæredis tenuerit. Eodem ſenſu mox ſubjicitur, quum fratres germani & gemelli eſſent Eſau & Jacob, unum ex duobus fuiſſe rerentum, altero præterito. Videmus ergo ut magnifice tam in perſona Iſmaël & fratrum, quam Eſau, Dei clementiam & bonitatem exrollat ergo Jacob, acſi diceret genus ejus non aliis præcellere, niſi quia ſic Deo placuit.

4. *Jacob autem & filii ejus.*] Poſt relegationem Eſau narratur deſcenſus Jacob in Ægyptum: quia tametſi tantum uno verbo attingitur, amplam tamen, & uberem, & luculentam paterni Dei favoris materiam comprehendit. Nec vero dubium eſt, quamvis auctor libri ſplendidis elogiis non extollat ſingula miracula, quin tamen ſummam liberationis quoad ſufficeret, expoſuerit Joſue populo. Primo virtutes deſignat in Ægypto editas: deinde celebrat tranſitum maris Rubri, ut illis inæſtimabili potentia opitulatus erat Deus: tertio tempus commemorat quo peregrinati ſunt in deſerto.

8. *Poſtea adduxi vos.*] Tandem de victoriis differere incipit, quæ viam patefecerunt ad ſedes occupandas. Etſi enim regio trans Jordanem, in hæreditate promiſſa non fuerat: ex quo tamen Deus ſuo decreto eam terræ Chanaam adjunxit tanquam beneficii ſui cumulum, non abs re Joſue eam ſimul copulat, ut Dei liberalitatem erga populum commendet: nec tantum prædicat virtute Dei fretos fuiſſe armis & viribus ſuperiores, ſed etiam defenſos contra exitiales inſidias quibus adortus eos fuerat Balac. Etſi enim nihil impoſtor Balaam diris & execrationibus magicis poterat: valde tamen profuit in evertenda ejus malitia admirabilem Dei potentiam cernere. Nam perinde fuit acſi conſertis manibus cum noxis omnibus confligeret. Jam quo certius perſuadeat non tantum Deu duce ipſos viciſſe, ſed ſola ejus potentia: repetit quod legitur apud Moſen, immiſſos fuiſſe crabrones, qui ſine hominum manu boſtes proſternerent. Hoc autem illuſtrius fuit miraculum, quam ſi alio modo fuſi, fugati, & profligati eſſent. Nam qui præter opinionem nullo negotio fuerunt victores, quamvis fateantur proſperum belli eventum Dei donum eſſe: mox tamen ejus laudem ſuperbia excæcati, ad ſuum conſilium, induſtriam, & fortitudinem tranſcribunt. Verum ubi per crabrones res efficitur, indubie aſſeritur Dei virtus. Itaque concluditut, populum non ſuo gladio neque arcu acquiſiſſe terram: quod Pſalmo 44. repetitur, & videtur hinc eſſe ſumptum. Poſtremo ubi admonuit, populum fructus alienis laboribus partos comedere, hortatut ut Deum, ſicut ejus beneficentia meretur, diligat.

Deut. 27. verſ. 20.

Pſal. 44. verſ. 4.

15. Quod ſi moleſtum eſt vobis ſervire Jehovæ, eligite vobis hodie quos colatis: ſive deos, quibus ſervierunt patres veſtri, qui fuerunt trans flumen; ſive deos Emorrhæi, in quorum habitatis terra: ego vero, & domus mea colemus Jehovam.

16. Cui reſpondit populus, dicens, Abſit à nobis ut derelinquamus Jehovam, ſerviendo diis alienis.

17. Jehova enim Deus noſter ipſe eſt qui eduxit nos & patres noſtros è terra Ægypti, è domo ſervorum, & qui fecit in oculis noſtris ſigna iſta magna: ſervavitque nos in omni via per quam ambulavimus, & in omnibus populis per quorum tranſivimus medium.

18. Expulitque Jehova omnes populos, atque adeo Emorrhæum habitatorem terræ à facie noſtra: etiam nos ſervemus Jehovæ, quia ipſe eſt Deus noſter.

19. Dixitque Joſue ad populum, Non poteritis ſervire Jehovæ, quia Deus ſanctus eſt, Deus æmulator eſt: non parcet ſceleribus veſtris, atque ita peccatis veſtris.

20. Si dereliqueritis Jehovam, & ſervieritis deo alieno, convertet ſe, & malefaciet vobis, conſumetque vos, poſtquam benefecerit vobis.

21. Cui

21. Cui respondit populus, Nequaquam: sed Jehovæ serviemus.

22. Dixitque Josue ad populum, Testes estis contra vos quod vos elegeritis vobis Jehovam ut illi serviatis. Et dixerunt, Testes.

23. Nunc ergo auferte deos alienos qui sunt in medio vestri, & inclinate cor vestrum ad Jehovam Deum Israël.

24. Cui respondit populus, Jehovæ Deo nostro serviemus, & voci ejus obediemus.

15. *Quod si molestum est.*] Videtur hic parum respicere Josue quid deceat probum & cordatum ducem. Si populus relicto Deo post idola abreptus fuisset, illius erat de impia & scelesta defectione pœnam exigere. Nunc vero optione data, servire Deo velint nec ne, habenas laxat, quo audacius ruant ad peccandi licentiam. Absurdius etiam quod sequitur, ubi negat Deo posse servire: acsi consulto impellere ipsos vellet ad excutiendum jugum. Atqui dubium non est, quin Spiritus instinctu gubernata fuerit ejus lingua ad excutiendos illorum sensus. Nam ubi Deus homines sub imperium suum cogit, plerumque satis voluntarii sunt ad profitendum studium pietatis, à quo tamen statim defluunt: ita ædificant sine fundamento. Id fit quia nec de sua imbecillitate satis ut par erat, diffidunt, nec reputant quam difficile sit totos se Deo addicere. Quare serio examine opus est, ne levi motu in arduum feramur, atque ira inter primos conatus nos successus destituat. Hoc consilio Josue probationis causa Judæos emancipat, ut tanquam soluti & sui juris de integro eligant quem Deum velint colere: non ut à vera religione abigat, qui jam plus satis erant proclives: sed ne inconsiderate promittant quod paulo post violent. Scopus enim Josue fuit renovare fœdus ac sancire cum Deo jam percussum, ut videbimus. Non abs re igitur illis datur eligendi libertas, ne postea necessitatem obtendant, ubi se proprio consensu obligaverint. Interea ut pudorem ipsis incutiat, se in Dei cultu cum domo sua perseveraturum testatur.

16. *Cui respondit populus.*] Hic jam non pœnitendus fuit fructus optionis datæ, ubi populus non jurat in alterius verba, nec quod aliunde dictatum fuit quasi pro obsequio ratum habet: sed nefas esse pronunciat à Deo desciscere. Atque ita ad fœderis confirmationem non parum valet, quod sibi ultro legem imponit. Summa responsi est, quum Deus ipsos mirabili redemptione sibi acquisierit in populum peculiarem, perpetuo auxiliatus sit, atque ostenderit se ipsis esse in Deum, detestabilem fore ingratitudinem, si eo repudiato, ad deos alienos desciscant.

19. *Dixitque Josue.*] Hic vero prorsus absurde facere videtur Josue, qui promptum & alacre populi studium terrore frangit. Quorsum enim negat posse servire Deo, nisi ut ipsa *diversis* eos in desperationem conjiciat, qua à timore Dei alienari necesse fuit? Verum hac quamvis aspera contestatione socordem populum, & securitate hebetem expergefieri necesse fuit: quod videmus saltem momentaneo successu non caruisse. Neque enim animos despondent, vel segniores redduntur: sed hoc obstaculo superato, intrepide respondent, se in officio constantes fore. Denique non deterret eos Josue, quominus Deo serviant: sed tantum quam refractarii sint ac immorigeri exponit, ut ingenium mutare discant. Sic Mo-
Deut. 32. ses cantico quum videtur divortium inter Deum & ipsos facere, nihil aliud quam eos pungit & acuit, ne sui similes esse pergant. Simpliciter quidem ratiocinatur Josue à Dei natura: sed præcipue stylum stringit in perversos mores, & indomitam contumaciam populi. Pronunciat Deum esse sanctum, & zelotem. Id certe abjecus cultu homines minime prohiberet: sed hinc sequitur, impuris, sceleratis, profanisque ejus contemptoribus, & quibus nulla religio est ejus iram provocare, nihil esse cum eo negotii, quia implacabilem sentient. Cæterum ubi dicitur non parsurus eorum sceleribus, non statuitur generalis regula: sed dirigitur ad immorigeros homines sermo, ut sæpe alias. Neque etiam agitur de quibuslibet, vel specialibus delictis, sed de crassa Dei abnegatione, sciuti proximus versus demonstrat. Ideoque liberius respondet populus se fore Dei cultorem.

22. *Dixitque Josue.*] Nunc tenemus in quem hactenus scopum collimaverit Josue: non ut populus metu exanimatus à religione excideret: verum ut sanctior esset obligatio, ex quo ultro appeteverant ejus imperium, in ejus fidem ac clientelam se contulerant, ut degerent sub ejus patrocinio. Se ergo propria conscientia perfidiæ reos ac convictos fore agnoscunt nisi fidem præstiterint. Etsi autem non simulate professi sunt se ad sui damnationem fore testes: quam leviter tamen elapsa sit hujus promissionis memoria, patet ex libro Judicum. Nam mortuis senioribus celeriter ad varias superstitiones distracti sunt. Quo exemplo docemur quam multiplices fallaciæ occupent hominum sensus, & quam flexuosi recessus hypocrisin & vaniratem occultent, dum seipsos vana fiducia decipiunt.

23. *Nunc ergo auferte.*] Qui fieri potest ut nupet tam rigidi superstitionis vindices idolis apud se locum dederint? & tamen id verba sonant, ut è medio sui auferant deos extraneos. Si recipimus domos eorum adhuc fuisse pollutas idolis, quasi in illustri speculo cernere licet, ut suaviter sibi major pars hominum indulgeat in vitiis, quæ inexorabili severitate contra alios persequitur. Sed quia verisimile mihi non est post cædem Achan ausos fuisse manifestis sacrilegiis se polluere, libenter ad eorum affectum refero, ut procul omnia falsorum deorum figmenta à se abigant. Nam ante hoc eodem capite hortatus est, ut auferrent deos, quibus servierant patres ipsorum trans flumen, & in Ægypto. Atqui nemo putabit idola Chaldææ reposita fuisse in eorum sacrariis, vel etiam secum asportasse ex Ægypto spurcitias, quæ hostilis inter Deum & ipsos dissidii causa forent. Sensus ergo simplex est, ut renuncient omnibus idolis, ac se abdicent omni profanatione, quo solom Deum pure colant. Nam & huc tendit particula, *Ut inclinent cor ad Jehovam:* quod tantundem valet atque in eo acquiescere, vel ita adjicere animum ad ejus amorem, ut eo solu oblectentur ac contenti sint.

25. Percussit itaque Josue fœdus cum populo in die illa: & proposuit ei præceptum & judicium in Sechem.

26. Scripsit Josue verba ista in libro Legis Dei: tulit quoque lapidem magnum, statuitque eum ibi subter quercum, quæ erat in sanctuario Jehovæ.

27. Dixitque Josue ad universum populum, En lapis iste erit nobis in testimonium: ipse enim audivit omnia verba Jehovæ quæ loquutus est nobiscum, eritque contra vos in testimonium, ne forte mentiamini contra Deum vestrum.

28. Remisitque Josue populum, quemlibet in hæreditatem suam.

29. His autem gestis, mortuus est Josue filius Nun servus Jehovæ, centum & decem annorum.

30. Sepe-

30. Sepelieruntque eum in termino hæreditatis ejus in Thimnatſerah, quæ eſt in monte Ephraim ad Aquilonem Gaas.

31. Servivitque Iſraël Jehovæ cunctis diebus Joſue, cunctiſque diebus ſeniorum qui diu vixerunt poſt Joſue, quique noverant omne opus Jehovæ quod fecerat ipſi Iſraël.

32. Oſſa autem Joſeph quæ detulerant filii Iſraël ex Ægypto, ſepelierunt in Sechem, in parte agri quam acquiſierat Jacob à filiis Hamor patris Sechem centum nummis, & fuerunt filiis Joſeph in poſſeſſione ſua.

33. Porro Eleazar filius Aharon mortuus eſt, & ſepelierunt eum in Gibeath Phinees filii ejus, qui datus fuit illi in monte Ephraim.

25. *Percuſſit itaque.*] Hic locus quem in finem indictus fuerit conventus demonſtrat, ut populus ſcilicet renovato fœdere Deo eſſet addictior, ſanctiuſque obſtrictus. Itaque in hac pactione Joſue tanquam internuncius Dei fuit, utpote qui ejus nomine fidem & obedientiam ſtipulatus eſt à populo. Itaque ſecundum membrum exegetice additur, propoſuiſſe illis præceptum & judicium. Senſum enim depravant ac pervertunt qui has voces exponunt de novo aliquo ſermone Joſue: quum de Lege Moſis proprie accipi debeant, acſi dictum eſſet, Joſue nihil aliud pepigiſſe, quam ut manerent firmi in Lege ſervanda: nec alia capita fœderis prolata fuiſſe in medium, ſed tantum in ea quam ante amplexi & profeſſi erant doctrina fuiſſe confirmatos. Sicuti etiam Malachias ut eos contineat ſub jugo Dei, non aliud flagitat quam ut memores ſint Legis per Moſen traditæ.

26. *Scripſit Joſue.*] Authenticum illud volumen intellige quod cuſtodiebatur juxta aream fœderis: acſi publicas tabulas ad perpetuam memoriam in archivis reconderet. Nec dubium eſt quum Lex recitabatur, quin acceſſerit hujus quoque fœderis promulgatio. Verum quia ſæpe quod ſcriptum eſt in libris clauſis delitescit, aliud memoriæ ſubſidium ſtatuitur, quod ſemper in omnium oculis extet, nempe lapis ſub quercu prope ſanctuarium. Non quod perpetua illic fuerit arcæ ſtatio: ſed quia illic locata fuit, ut coram Deo apparerent. Itaque quoties ſe coram Deo ſiſtebant, in eorum conſpectu verſatum fuit teſtimonium vel memoriale percuſſi fœderis, quo melius in fide retinerentur. Quod lapidem dicit verba Jehovæ audiiſſe, hyperbolica quidem, ſed non inepta loquutio eſt ad exprimendam ſermonis Dei efficaciam & virtutem, acſi dictum eſſet, penetrare in ſaxa mortua, & lapides, ut ſi homines ſurdi ſint, in omnibus elementis reſonet eorum damnatio. Mentiri hic, ut alibi ſæpe, accipitur pro doloſe & fallaciter agere, fruſtrari, & fallere datam fidem. Quis non putaret fœdus tam beneſtabilitum poſteris in multas ætates firmum ac ſanctum fore. Atqui non aliud maxima ſollicitudine profecit Joſue, niſi ut paucis annis vigeret.

Mal. 4. verſ. 4.

29. *His autem geſtis.*] Honor ſepulturæ indicium reverentiæ fuit, quæ ipſa pietatem populi teſtata eſt. Sed utraque parum altas habuit radices. Itaque elogium quo inſignitur Joſue poſt mortem, quum vocatur *ſervus Dei*, miſeris ac perditis omnem excuſationem abſtulit, qui Deum mirabiliter in ipſo operatum paulo poſt ſpreverunt. Ideo oblique notatur eorum ioconſtantia, quod eo ſuperſtite & uſque ad mortem ſeniorum Deo ſervierint. Subeſt enim tacita antitheſis lapſus, & alienationis, dum ſubito obrepſit beneficiorum Dei oblivio. Non mirum igitur eſt ſi hodie quoque, ubi Deus aliquos ex ſervis ſuis præclaris & egregiis dotibus inſtruit, eorum auctoritas ordinem & ſtatum Eccleſiæ tuetur ac conſervat: ipſis autem mortuis ſtatim exuritur triſtis diſſipatio, & occulta impietas effreni licentia prorumpit.

32. *Oſſa autem Joſeph.*] Tempus quo ſepulta fuerunt oſſa Joſeph, non præfigitur: ſed colligere promptum eſt, ex quo Iſraëlitis pacata fuit habitatio urbis Sichem, officio defunctos eſſe. Quamvis enim locum ſepulchro certum non deſignaſſet, honoris tamen cauſa in agro quem emerat Jacob, ponendum eſſe duxerunt. Forte etiam hoc exprimitur ad coarguendam ſegnitiem populi: qua factum eſt, ut Joſeph cum Abraham non ſepeliretur: quod illic adhuc dominabantur hoſtes. Strephanus recenſet oſſa duodecim Patriarcharum, & fieri poteſt ut aliæ tribus æmulatione adductæ cineres patrum ſuorum collegerint. Quod autem agrum dicit emptum fuiſſe ab Abraham, in nomine mendum obrepſit. Quoad ſepulturam, in genere tenendum eſt toties occurrere ejus mentionem in Scriptura, quia ſymbolum fuit reſurrectionis futuræ.

Gen. 33. verſ. 19.

Actor. 7.

LAUS DEO.

INDEX

INDEX

RERUM ET VERBORUM SELECTORUM

quæ hoc in Josuam Commentario explicantur: cujus prior numerus caput, alter vero capitis versum indicat.

Achan crimen clandestinum refertur 7. 1
Achan puniendus quas ob causas extra castra educatur 7. 25
de promiscua Ætatum strage ibid.
Afflictionum precatio 7. 6
cur Ai urbem Israëlitis Deus se daturum promittat. 8. 1
Anak filii qui sint 11. 8
Ἀνωφλιαι quid sit 6. 17
Angelus præcipuæ excellentiæ quis sit 5. 13
Apostatæ qui sint 22. 16
cur Arca præibat in bello 3. 11
Arcæ dignitas commendatur 3. 4
ab Avaritia retrahuntur fideles 1. 5

B

in Belli meru quid fieri soleat 2. 2
Belli tempore diligentius solito custodiuntur urbes. 6. 1
Beneficentiæ divinæ thesauri 1. 4
Bethel exiguum erat oppidulum 8. 17

C

cur exigitur ut Calceos Josue exuat 5. 15
Calonum manus Gibeonitis injungitur 9. 20
cur notetur dies quo terram Chanaan Israëlitæ ingressi sunt 4. 19
ad terram Chanaan descendit 14. 1
Cœnæ mysterium quibus sit commune 5. 2
Dei Cognitio altius penetrat quam mentis nostræ intelligentia 7. 24
præcipua Conternationis causa recensetur 2. 10
Israëlitarum Credulitas nimia perstringitur 9. 14
Crimen si perpetrat, qui dum impedire poterit, nihilominus fieri patitur 7. 1
Cupiditas hominum ingeniosa 13. 15

D

quoties Deus operatur per homines, nihil decedit ejus gloriæ, quin sibi in solidum vendicet quicquid factum est 10. 10
Deus Josue apparet 11. 6
Dei cura paterna in præcavendis suorum periculis. 11. 1
Deum suppliciter rogandum esse dictat pietas. 10. 12
Diffidentiæ origo & mala 1. 5
Duces optimi qui sint 8. 15

E

ad Ecclesiam perdendam reprobi nihil non moliuntur 9. 2
erga Ecclesiam singularis Dei favor 10. 10
Edictum de castris movendis 1. 10
Dei Exercitus quis sit 5. 14
unde colligatur Exercitum Josue fuisse copiosum. 8. 13
de Expiando populo 7. 13
de Exploranda ratione 2. 1

F

insignis Dei Favor commendatur 18. 9
aliud Fidei Rahab specimen 2. 12
Fidei caput præcipuum 3. 2
Fidei effecta 7. 5
ad Fiduciam quid maxime valeat 1. 9
Fortitudinis exemplar Josue 1. 16
ad Fortitudinem exhortatio 1. 6
Fundamenta jacere in primogenito quid sit 6. 26

G

Gaditæ, vide Rubenitas
Gibeonitæ ab Israëlitis pacem impetrant 9. 3
Gibeonitis vita ex pacto conceditur 9. 20
Gratitudo populi erga Josuam narratur 19. 49

H

Hastam tollere quale esset signum 8. 26

I

ne Jericho unquam extruatur, cur à Deo sit prohibitum 6. 26
Jericho urbis capiendæ promissio 6. 3
cur Jericho spoliis populum ditari Deus noluerit. 6. 17
Interdictum quid sit ibid.
Interrogatio emphatica 1. 9
Josue est darus successor Mosi 1. 2
Josue cur instruatur speciali fiducia 1. 5
cur duriter Josue insultet Achan 7. 25
cur Josue præfatur nihil se iniquum statuere 9. 22
Josue octogenarius terram est ingressus 12. 1
Josue præfectura Josue 1. 2
Josue fides & integritas in servandis promissis 6. 22
quid post mortem Josue gestum sit 15. 1
Josuæ quid præcipiatur 1. 6
cur Josuam Deus eximia nota insigniverit 4. 14
cur Josuam Deus reprehenderit 7. 10
duobus Joseph filiis quæ sors obtigerit 16. 1
Josephus reprehenditur 5. 9
priusquam confligerent hostes Israëlitarum, prostrati erant 5. 1
Israëlitarum segnities in quo perstringatur 20. 1
Israëlitis quotcies res fuerunt prosperæ, statim ad lasciviam defluxerunt 1. 4
Judicum officium 7. 19

L

cur Lapides duodecim Josuæ mandato sublati, & in Gilgal depositi sunt 4. 1
Lapidum sub Jordane depositorum testimonii usus. 4. 9
Legationis probæ & fideliter obitæ fructus 14. 9
Legis meditatio assidua præcipitur 1. 8
Legis nomine, summa & sanctiones notantur 8. 32
Legi nihil addendum 1. 6
de Lege nihil detrahendum ibid.
Leviarum minorum officium 3. 4
cur per singulas tribus Levitas dispergi oportuerit 21. 20
Luctus solennis ritus & ratio 7. 6

M

¶ in Manasse posteris septem stirpes numerantur 17. 5
Manasse, vide Rubenitas
Mentiri quid importet 7. 10
Metus proponitur 7. 9
Modestiæ raræ exemplum 22. 21
Mortem sibi exploratores imprecantur, nisi Rahab servandæ curam fideliter suscipiant 2. 14
Moses quo sensu dicatur servus 1. 2
Mose mortuo onus gubernandi populi in Josue devolutum ibid.

O

Obedientiæ Israëlitarum tertium specimen 8. 33
Obsequium populi laudatur 6. 20
Officio rite perfungi quid sit 1. 16

P

Parendi facilitas commendatur 18. 9
de Paschatis celebratione 5. 10
Patientiæ fructus 6. 15
Patria est velut communis mater 2. 4
Patriæ amor est naturaliter nobis ingenitus 2. 4
Dei Perseverantia in fovendo populo 1. 1
Pietatis propagandæ studium à quibus exigatur 4. 7
Pœnitentiæ professionis signa 7. 6
Potentia Dei insolita in ferendo auxilio proponitur, & cur 3. 5
Potentiæ divinæ specimen 4. 24
Præfationis in Josue argumentum 1. 4
qua Prærogativa eximios servos & electos Propheras Deus ornaverit 10. 8
Prudentia militaris 7. 2

R

Rabinis quid sit solenne 2. 1
Rahab exploratores repræsentare jubetur 2. 4
Rahab fidei imago 2. 11
Reprobi ad perdendam Ecclesiam nihil non moliuntur 9. 1
Reges Chanaan cur securitate & socordia inebriati essent ibid.
Reges mortui in patibulis suspensi 10. 18
quot Reges Chanaan subacti 13. 1
cur Regum Chanaan conditio, alia fuerit quam aliarum nationum 8. 29
de Regum terræ Chanaan conspiratione 10. 1
Regum colla mandato Dei à Josue pedibus calcata 10. 18
nova Regum conspiratio 11. 1

INDEX.

Regum enumeratio quorum ditionibus potiti sunt Israëlitæ 12. 1
Regibus captis victores cur soleant parcere 8. 29
Regibus Chanaan quæ pœna infligatur 10. 18
Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manasse non modo acquieſcunt Joſue mandato, ſed etiam liberaliter & prolixe ei obſequium deferunt 1. 16
Rubenitis qua lege conceſſa fuerat hæreditas trans Jordanem 1. 12

S

quam ſedatis & compoſitis animis ad Dei nutum attenti fuerint Sacerdotes 4. 6
Sacerdotum Arcam deferentium virtus non vulgari laude digna 3. 15
Sacerdotum patientia laudatur 4. 10
mandata Sacerdotibus à Joſue injuncta 3. 6
primum Sacrificium extraordinarium Deo in terra Chanaan oblatum 8. 30
Dei perſeverantia in curanda populi Salute 1. 1
Sceleris amplificatio à pertinacia 22. 17
Senum officia 4. 7
Servus quomodo dicatur Moſes 1. 2
Signa profligandorum incolarum terræ Chanaan, & obtinendæ contra omnes populos victoriæ 3. 10
in Silo celebris conventus habitus refertur 18. 1
Solis ordinarius curſus in gratiam Ezechiæ regis mutatus 10. 14
Soli quomodo Joſue imperet 10. 12
in eligendis Speculatoribus Joſue non fuit deceptus 2. 2
quæ Statuæ damnentur 22. 26
Siragis-hoſtium magnitudo unde colligatur 11. 8
Stratagema Iſraëlitarum 8. 15

T

Tribuum duarum & dimidiæ expeditio commemoratur 4. 12
duarum Tribuum & dimidiæ miſſio refertur 22. 1

V

homines nihil recte, ordine, ac ſcienter aggrediuntur, niſi quatenus ſe Dei Verbo ſubjiciunt 1. 8
Victoria urbis Ai cur difficilis ſit reddita 8. 18
Victoria Iſraëlitarum cruenta narratur 10. 21
Moſis Victoriæ cur Joſue proponantur 1. 5
Victos quæ cognitio ſuſtentet ac recreet 7. 6
Joſue populum hortatur, ut attentus ſit ad Dei Virtutem 3. 2
inſignis Viſio qua redditus eſt Joſue animoſior 5. 13
Vitæ formandæ ratio 1. 6
de communi Urbis excidio 7. 24
Urbium ex quibus conflatus erat populi Iſraëlitici hoſtium exercitus, expugnatio 10. 29

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

10-2-3